BEATI
ALBERTI
MAGNI,
RATISBONENSIS EPISCOPI,
ORDINIS PRÆDICATORVM,
OPERA
QVÆ HACTENVS HABERI POTVERVNT,

SVB

R^mis PP. FF. { THOMA TVRCO. / NICOLAO RODVLPHIO. / IOAN. BAPTISTA DE MARINIS. } Eiusdem Ord. Magistris Generalibus.

IN LVCEM EDITA.

Studio & labore R. A P. F. Petri Iammy, sacræ Theologiæ Doctoris, Conuentus Gratianopolitani, eiusdem Ordinis.

TOMVS PRIMVS.



LVGDVNI,

Sumptibus { CLAVDII PROST. / PETRI & CLAVDII RIGAVD, Fratr. / HIERONYMI DE LA GARDE. / IOAN. ANT. HVGVETAN. Filij. } *Via Mercatoria.*

M. DC. LI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BT
70
A43
1651
Com

S. D. N.
INNOCENTIO X.
PONT. MAX. OPT.

NVNC tandem, BEATISSIME PATER, Beati Alberti Magni Opera, quæ temporum liuor, aut hominum incuria, & bellorum ac hæresum faces, & turbina reliqua fecere, pauca è multis, in vnum quasi fascem collecta, & ex Bibliothecæ Vaticanæ thesauro locupletiora reddita, Doctorum studioſorumque desiderio partum accelerante, veluti è Naufragio tabulas, Beatitudini tuæ, vti refulgenti stellæ salutari, Ordo S. Dominici, votiuus appendit. Alberti, inquam, Opera, cuius doctrina prodigio est, virtus miraculo, fama tantæ admirationi, vt etiam dum viueret, Magni sibi nomen, apud Magnos inuenerit: quem in humanis scientiis nihil, in diuinis pauca, fugisse creditum est: qui verbo & opere potens, Ecclesiam Dei illuminauit: qui de cœlo doctus, Paulum habuit Præceptorem, Thomam Discipulum

ſcipulum, Eccleſiam ſuæ virtutis & eruditionis Theatrum: qui, ne omnia hic aggeram, tanto in pretio, à tuis Deceſſoribus habitus eſt, vt legatus Apoſtolicus in Sarmatiam miſſus, Prædicator Crucis per Germaniam, & Boëmiam datus, ab Alexandro IV. Sacri Palatij Magiſter creatus, Ratisbonenſi Epiſcopatui, licet tam inuitus quam meritus, ab Vrbano IV. præfectus, à Gregorio X. ad Concilium Lugdunenſe inter præcipuos Patres vocatus fuerit; vitaque functus, ſummæ ſapientiæ elogia, ſolidæque ſanctitatis, cum D. Thoma à Pio II. diuinóſque honores in Eccleſia Ratisbonenſi, Colonienſi, Lauingenſi, & in ordine in Germania ab Innocentio VIII. Gregorio XV. & Vrbano VIII. promeruerit.

Talis, ac tantus ſcriptor, doctrinam ſuam non ſuam æſtimans, niſi quam Chriſti Vicarius in terris firmauerit; ſuumque eſſe negans, niſi quod ſuum Eccleſiæ caput agnouerit: tuus eſſe prius optat quam naſci, & veluti genuinus Eccleſiæ luciſque filius, niſi in lumine tuo lumen recuſat aſpicere: tum enim ſemel hac ratione probatus, nemini ſtatim non probabitur, nulliuſque pertimeſcens ſpongiam, ſua ſe ſatis dignitate tuebitur. Maximus, nedum Magnus, & doctrina, & ſanctitate ab omnibus habitus. Hanc de cœlo ſibi, ſuiſque operibus gratiam ambit, hanc Magiſtro ſuo D. Thomas, hanc alteri lumini ſuo Prædicato

Prædicatorum Ordo, hanc Doctori ſuo Scholæ precantur, & optant. Suſcipe igitur BEATISSIME PATER, iam tuum Albertum, vt cuius auſpiciis natus eſt, eiuſdem ope, honorem, & laudem, & vitam in ſecula manſuram, quo nihil poteſt optabilius accidere, conſequatur. Deus interim in has ſpes, in hæc gaudia, & ſolatia, tuam Beatitudinem fideliſſimæ tuæ atque obſequentiſſimæ Dominicanæ familiæ ſeruet incolumem: felicéſque diu annos, ad Reipublicæ Chriſtianæ felicitatem, ac dignitatem largiatur: dum in hoc munere ſuæ fidei, & obſeruantiæ perpetuæ renouat ſacramentum; tuæque beneuolentiæ, & defenſionis patrocinium, in Eccleſiæ commoda ſemper, multùmque profuſum, ſibi, ſuóque Ordini exorat.

TVÆ BEATITVDIN

Humillimus atque obſequentiſſimus
Fr. Ioannes Baptiſta de Marinis,
Mag. Ord. Prædicatorum.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS par la grace de Dieu, Roy de France & de Nauarre, à Nos Amez & feaux Conseillers, les Gens tenans nos Cours de Parlements, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, leurs Lieutenans, & à tous autres de nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut: Nostre cher & bien Amé IEAN ANTOINE HVGVETAN, le fils, Marchand Libraire à Lyon, Nous a fait remonstrer qu'il desireroit imprimer les *Oeuures d'Albert le Grand*, ce qu'il ne peut faire sans grand frais, desquels il craindroit d'estre frustré s'il n'auoit Nos lettres sur ce necessaires, lesquelles il nous a tres humblement supplié de luy accorder. A CES CAVSES, Nous auons permis & permettons par ces presentes, à l'Exposant d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de nostre obeissance ledit liure, en vn ou plusieurs Volumes, en telles marques, en tel Caractaire, & autant de fois qu'il voudra, durant vingt ans entiers & accomplis, à compter du iour que chaque Volume sera acheué d'imprimer pour la premiere fois : & faisons tres-expresses deffences à toutes personnes de quelle qualité & condition qu'elles soyent, de l'imprimer, faire imprimer, vendre ny debiter en aucun lieu de nostre obeyssance soubs pretexte d'augmentation, correction, changement de tiltre, fausses marques ou autrement, en quelque sorte & maniere que ce soit, sans le consentement de l'Exposant ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de quinze mille liures d'amande, payables par chacun des Contreuenans, & applicables vn tiers à Nous, vn tiers à l'Hostel Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Exposant, de confiscation des Exemplaires contrefaicts, & de tous depens dommages & interests, à condition qu'il sera mis deux Exemplaires dudit Liure en nostre Bibliotheque publique, & vn à celle de nostre tres-cher & Feal le Sieur Seguier Cheualier, Chancelier de France, auant que l'exposer en vente à peine de nullités des presentes. Du contenu desquelles Nous voulons que vous faisiez iouïr plainement & paisiblement l'Exposant, ou ceux qui auront son droit, empeschant qu'il ne leur soit donné aucun empeschement, Voulons aussi qu'en mettant au commencement ou à la fin de chasque Volume dudit Liure, vn Extraict des presentes, elles soient tenuës pour duëment signifiées, & que foy y soit adiouſtée & aux coppies, collationnées par l'vn de nos Amez & feaux Conseillers ou Secretaires, comme à l'Original. Mandons au premier Nostre Huissier & Sergent sur ce requis, de faire pour l'execution d'icelles tous exploits necessaires sans demander autre permission. CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR, nonobstant Clameur de Haro, Chartre Normandie, & autres lettres à ce contraires. Donné à Paris le neufiéme iour de Nouembre, l'an de grace mil six cens quarante-quatre, & de nostre Regne le second.

Signé par le Roy en son Conseil.

CONRART.

Ledit Huguetan a associé au susdit Priuilege Claude Prost, Pierre & Claude Rigaud, Freres, Heroſine de la Garde, pour en iouyr auec luy durant le temps porté par iceluy, conformement à leur Scrit du 7. Fevrier 1644.

Acheué d'Imprimer pour la premiere fois le 27. Mars 1651.

VITÆ B. ALBERTI MAGNI, EX GRAVISSIMIS AVTHORIBVS EXCERPTA EPITOME,

Per R. A. P. F. PETRVM IAMMY, *Sacræ Theologiæ Doctorem, Ordinis Prædicatorum.*

ALBERTVS (cui deinde virtutum omnium adeptio, & disciplinarum perceptio, Magni cognomen fecit.) in oppido Lauingensi ad ripas Danubij anno circiter post Virginis partum 1205. ex clarissima Bolstattensium comitum prosapia natus est, ne quid ad cognomentum Magni deesset: talisque ac tantus mundo oriretur, qualis ac quantus Ecclesiæ illuxit. Genus.

Natum optimorum parentum nobilis pietas suscepit, in sinu fouit, educauit, & latentia virtutis semina rigauit, quibus Deus postmodum incrementum dedit. Iacebat adhuc humilis infantiæ irretitus vinculis: nec tanta mens nimio naturæ legum pondere grauata, altiora sapiebat quam lusus pueriles: spem tamen futuræ proiectionis, nescio; quæ mentis attentio, secreta meditatio, & internum colloquium pollicebantur. Hærebat parentum pietas in biuio posita, quibus puerum vestigiis ad sublimia eueheret: hinc arma alliciebant, illinc scientiæ demulcebant: fato tandem aut diuino regente numine Patauium temporibus illis celebre omnium disciplinarum Athenæum mittitur, vt altioribus scientiis proueheretur. Nec spem tantorum parentum fefellit bona iuuenis indoles: pietati enim iuxta & literis sedulò operam dedit. Terrebant prima tyronem liberalium artium rudimenta, asperum iter teneras adhuc ipsius calces terebat, renuebatque ingrata mens gressum properare: labore tamen improbo omnia vincebat, eoque continenti & indefesso assequebatur, quod plerique subitâ quadam sagacitate perciperent: atque vt marmor figuras quò difficilius admittit, diutius retinet, sic quæ summo conatu animo apprehenderat, ita altè hærebant, vt nunquam obliteranda viderentur. Pueritia.

Oriebatur interim noua lux adolescenti, dum humanis scientiarum splendoribus illustrabatur, variósque huiusce vitæ mortalis errores detegebat. Anxius hærebat quò se verteret, vndique pericula, vndique Syrtes: Ducem quærebat in prælucente aurora, Beatissimam scilicet Virginem, eamque enixè orabat, vt dubium & periculosum iter adolescentiæ dirigeret. *a* Arrisit alma mater, illique se spectandam præbuit, bonoque esse iussit animo, nullamque interponere moram, quin tutum Christi pauperis iter susciperet, & religiosissimo Ordini (qui quod Christiana salutis mysteria hominibus enuntiet, Prædicatorum Ordo nuncupatur) se adiungeret. Tanto recreatus numine tutus incedebat, piis Beatissimæ Matris consiliis inhærens. Vocatio. Pietas erga Deiparam.

Obstabant tamen auunculi ferocitas, & cacodæmonis illusiones: ille à Cœnobitarũ colloquio adolescentem arcebat, hic per fallaces in somnis species territabat, eoque adducebat, vt vereretur si se religioso Ordini addiceret, fore vt breui post summum religionis dedecus & hominum scandalum ab incepto desistere cogeretur. Verùm irriti Impedimenta ad Religionem.

a Humbertus in vitis Fratrum Prædi. pag. 4. cap 13. M.S. Sectionarium in pergameno chori Colonienſis, Petrus de Prussia c. 1 & 2 & 44. Rodulphus de Noviomago. p. 1. c. 1. & 2. Albertus Venetus in suo Chronico, Flaminius, Razzius, Castillus, Plodius, Bzouius, Iustinianus, & alij.

cessere illius conatus: siquidem adolescens cum fortè concioni B. Patris Iordanis secundi Ordinis generalis Magistri interfuisset (cuius argumentum erat de lathanæ artibus & machinis, quibus mortales impedire satagit) adeò exarsit, vt cæteris omnibus posthabitis ad genua illius supplex prouolutus, studium quo vteretur vitæ religiosæ ineundæ ex superno B. Virginis monito vltrò sit fassus. Mirabatur iuuenis animum expertus senex, inmptum concionis argumentum interpretabatur, vnaque cum B. Virginis illustratione conferens, sanctam esse & à Patre luminum vocationem agnouit: nihilque vltrà cunctatus, adolescentem admisit an. 1221. Ecclesiæque & Ordini Albertum pariter atque Raymundos, Hugones, Humbertos, Vincentios, & alios pietate & doctrina insignes viros peperit.

Tentationes. Nouis accinctus armis, insuetas adhuc pugnas aggressus, victricem ostentabat manum, dum debilem præcognouit. Caligabat mens in tanto virtutum lumine, & inter tot tantosque studiorum æmulos ipse solus iacebat tenebris sepultus. Lugebat Albertus se tot habere magistros, quot sibi sociauerat fratres, impulsuque dæmonis apud se reputabat, quantum inter se & socios eiusdem Ordinis interesset, quantum illi literis proueherentur, quantum ipse in limine hæreret: quæ illis mentis acies, quæ sibi tarditas foret: dumque variis vrgeretur præstigiis, sibi ipsi relictus, ne in posterum sibi nimium confideret, eò deuenit, vt iam de excutiendo monastico habito & veteri instituto repetendo cogitaret.

B. Virginis præsens auxilium. *b* Affulsit diuina lux iacenti in tenebris & in vmbra mortis: cum enim sic affectum somnus oppressisset, perturbabat imaginationem læsam inane propositum, & accingens se ad opus, magnæ scalæ numerum sibi visus est comparare, quo facilius altos cœnobij muros superaret. Ascendebat, ad fastigium peruenerat, cogitabat de descensu: cùm fortiter repulsus, se matronis quatuor præstantis speciei esse circumsessum sensit. Stupuit ad impræuisos & insolitos vultus, dumque conatur præterire, ipsæ fugitiuo viam intercludentes, causam tam præposteri consilij quæritabant. Fassus est tremens ingenij sui tarditatem, sociorum sagacitatem & à cœnobio consultam fugam: subrisere pijssimæ matronæ, vnaque inter illas, Beatissima scilicet Virgo, trementem excitauit, cadentem sustinuit, mentis tenebras discussit, & ad difficilia quæque Philosophiæ acutum & solertem effecit. *c* Imò, cum ipsi Deipara optionem fecisset, qua maximè præstare scientia vellet, ipse verò vt erant ætatis eius studia, Philosophiam elegisset, annuit votis adolescentis, ita vt moneret, quòd ipse humanæ scientiæ diuinam posthabuisset, fore vt ante obitum quidquid scientiarum illi diuinitus esset concessum, repentè efflueret, ac ad pristinam ingenij tarditatem rediret, manentibus solum suo quæ labore parauerat.

Promissa B. Virginis.

Iam expergefactus, torpore corporis & mentis solutus, è vestigio mutatum se mirum in modum sensit, nihil apud Authores quosque offendens, quod sibi moram afferret, abstrusissima inuestigabat: & si quippiam difficile aut anceps sibi videbatur, continuò ad preces Beatissimæ Virginis confugiens, latentem in ipso veritatem adispiscebatur. Veritus autem ne tantis euectus donis nimium alta saperet, vanisque Philosophorum captionibus & sophismatis irretiretur, ab ipsa Deipara precibus obtinuit, vt se in veræ fidei studio corroboraret: quæ cæleſti luce circumfusa iterum illi apparens, prænuntiauit ipsum Ecclesiam Christi vniuersam doctrinâ illustraturum, deinde in fidei integritate moriturum, postremò fore vt in celeberrima auditorum corona memoria laberetur.

Profectus. His visionibus mirificè recreatus, præsentissimoque Deiparæ auxilio fretus, tantus ac tam sublimis in rebus naturalibus euasit, vt non Albertus, sed Philosophus à Magistris nuncuparetur. Conuolabant ad ipsum vndequaque veritatis sectatores, vt abstrusissima quæque aperiret, & veluti ad orientem solem errorum tenebræ discuterentur.

Coloniæ docet. Quare vt sol ille pluribus illucesceret, celebrem Vbiorum Metropolim Coloniam, naturales & sacras literas professurus consultò mittitur; vbi spectatos pietatis & doctrinæ spargens radios, nocturnas faces extinxit (volui dicere, magistros quosdam vana & leui doctrina inflatos ad tyrocinium reduxit) obscura verò corpora illuminauit, tyrones scilicet & in omnibus rudes ad veritatis & doctrinæ culmen euexit.

Properabat

b Prussia c. 1. Flaminius, Plodius, Bzouius, Canisius, Caponius, Iustinianus, & alij.
c Prussia c. 4. Rodulphus sup. c. 2. B. Seraphinus Caponius in vita B. Alberti Compendio Theologicæ veritatis præfixa, Leander in Chronicis, Thomas Bozius de signis Ecclesiæ. l. 9. c. 11. & alij citati.

Properabat nec moras patiebatur tantum sidus, vbique nouis conspicuum splendoribus. Hildesemio, vbi Christianorum religiosa pietas, cœnobium Ordini excitabat, Friburgo, Ratisbona, Argentina, ita peragratis, vt in illis ingenij simul & scientiæ specimen ad stuporem ederet, quæ sunt egregij partes moderatoris ostendendo, inicius ad supremum totius Ordinis munus rapiebatur. Extincto enim Iordane an. 1237. vice illius eximiè functus, *d* comitiis Romæ habitis in Magistrum Ordinis expetebatur. Renuebat tamen humilis ipsius animi demissio, & tanto ponderi impar viribus Deum sibi propitium conciliauit, qui ipsius humilitati potius quàm eligentium votis consultum voluit.

Coloniam reuertitur. Exinde Coloniam reuersus, in summa auditorum quos habuit frequentia, vnus instar omnium extitit clarissimus ille B. Thomas Aquinas, de quo silendum ne nunquam satis dixisse videremur. Hoc tamen non est prætereundum, Beatissimum illud Ecclesiæ lumen, nescio, an quod ipsius animus alta contemplatione plurimum defixus, siue vt fit in rerum primordijs, dubitans & incertus, non ita facilè & expeditè ad obiecta responderet, bouis subinde nomine à sociis appellari. Mirabatur magnus noster Platoiauensis Aristotelis stuporem, & præsensione quadam animi prophetica exclamauit, bonem illum tum quidem mutum tantos editurum mugitus, vt totus audiret, imò miraretur orbis: quod euentus deinceps mirificè comprobauit.

D. Thomas Alberti discipulus.

Vndequaque expetitus sui muneris vicarium B. Thomam elegit, ipsique in lectorem, vt vocant, coaptato suas docendi partes tradidit: Parisiosque mittitur ritu solemni Doctoris Laurea exornandus nec perficiendus. Mirabatur celeberrima totius vniuersi Academia tantum doctrinæ sidus. Confluebant vndique quotquot erant studiosi: ita vt ipso è superiore loco disputante, tanta vndique rueret auditorum turba, vt non satis ampla foret, quanta quanta esset gymnasij laxitas, quæ tantam hominum vim reciperet, & in vicum, *f* aut plateam migrare cogeretur, quæ adhuc nonnihil inflexo Magni Alberti nomine, Mauberti platea dicitur.

Parisijs docet.

Sed quò latius & altius illum fama celebrabat, eò humilius mentem deprimebat, & licet omnium iudicio magnus, sibi tamen nullus erat, aut nulli proximus: atque ita vitæ rationes instituebat, vt quod erat temporis, tum libris scribendis legendisque, tum rebus diuinis totum impenderet: sicque dum intra se pacem conciliat, nouis impetitur armis. Hostis enim humani generis tantam viri æquitatem, internamque quietem ægrè ferens, ipsam sin minus planè euertere, saltem perturbare conatur, habitumque & personam religiosi mentitus, amicè cum illo conqueritur de immodico corporis & animi labore, quod nihil quieti tribueret, nihil ætati & valetudini consuleret, & dum se totum aliis impenderet, nihil sibi ipsi seruiret. Senfit inimicam dæmonis pietatem Albertus, supraquè se erectus timuit Danaum & dona ferentem, *g* sublatisque in modum crucis digitis, consilia eluſit & latuam dispulit.

Coloniam reuertitur. Vbi docendi curriculum summa omnium admiratione Lutetiæ absoluisset, Coloniam tertium reuertitur, Thomam Aquinatem Parisios missurus, vt in illa scientiarum omnium Academia par esset ingenio locus. Ipse verò ad sua se studia solita conferens, literariis exercitationibus quâ scribendo, quâ docendo & disputando nullum tempus vacuum excidere sibi passus, cum rosarium recitabat, aut horarias preces accuratè persoluebat, & alia pietatis munera obibat. Inter quæ, mira dictu res, sed quæ Authoribus non caret grauissimis, tot studijs distentus, *h* Dauidicum Psalterium à capite ad calcem diebus singulis summo pietatis sensu recitabat: neque minus orationi & precandi studio intentus, rerum sacrarum meditatione ac Deo ipso vnicè fruebatur, potissimum vbi Christi nascentis, patientis, aut in Eucharistia latentis mysteria recolerent.

In prouincialem inuitus eligitur. Agebatur annus milleſimus ducenteſimus quinquageſimus quartus, cum in comitiis prouinciæ Teutonicæ VVormaciæ Vangionum habitis, de communi patrum, qui conuenerant, sententia, Albertus, licet inuitus & renuens, in prouinciæ Caput & Præsidem (Prouincialem vocant) eligitur. Munus illud ex obedientia sibi impositum cum detrectare, si maximè vellet, non posset, tanta sanctimoniæ & prudentiæ laude gessit, vt posteris exemplum luculentum non solum admirandum, sed etiam imitandum

d Leander Albertus in Raymundo, Castillus Cent. 1. l. 2. c. 16. Iustinianus, & alij.
e D. Antoninus 3. p. hist. tit. 24. c. 7. §. 4. Prussia c. 7. Rodulphus c. 6. Author vitæ Albertinæ appensæ prope tumbam B. Alberti, Petrus Opmeerus in suo opere Chronologico, Rodulphus sup. c. 4.
f Prussia c. 6. Castillus sup. c. 45. Flaminius & Iustinianus.
g Thomas Cantipratanus Episcopus Suffraganeus Cameracensis, eiusdem B. Alberti auditor l. 2. de apibus c. 57. p. Prussia c. 6 & alij.
h Cantipratanus lib. cit. p. 50. Prussia c. 19. Rodulphus c. 7. Iustinianus.

dum ediderit. Latissimè longissimèque patebat prouincia Teutonica, Germaniam ferè totam complexa: illâ siquidem Austria, Sueuia, Bauaria, Alsatia, Saxonia, Tractus Rheni & Mosellæ, ad Brabantiam, Hollandiam, & Insulas circumquaque finitimas, Lubeccam vsque continebantur. Eam, quanta erat, Albertus iam prouectæ ætatis pedes sine vllo ære totam perlustrabat, victu ostiatim emendicato: graue sanè & mirandum posteris exemplum. Paternè suos in disciplina religiosa continebat: quod vt facilius & perseuerantius assequeretur, cæteros quosque etiam infimos exemplo præibat, ita vt puderet non sequi, quem præcedere quisque debuisset. Dumque in peccantes animaduerteret, id cauebat maximè, ne lenitate nimia aut seueritate peccaret: secreta secretè puniebat, publica publicè: & talem ad iustitiæ normam vnusquisque luebat pœnam, qualem incurrisset culpam. Frater quidam Laicus (conuersum vocant) citra facultatem pecuniam penes se habuisse post mortem deprehensus est. Albertus vt paupertatem sanciret, terrorémque fratribus incuteret, cadauer illius exhumari & sacro proiici loco iussit: indignum reputans eum sepultura hominum rationabilium, qui in auaritiâ vitam finierit. Ipse verò quò cæteros paupertatis minus obseruatores erudiret, adeò virtutem illam coluit, vt libros propria manu conscriptos in cœnobiis iisdem relinqueret, in quibus illos scripserat, ne quid suum habere quodammodo videretur.

Per id fermè tempus insigne Sanctimonialium cœnobium prope Susatum (Paradisus dicitur) Ordini adiunxit, *k* simul & legatus Apostolicus barbaras quasdam leges & gentilitatis reliquias aboliturus, in Sarmatiam missus est. Huius verò nationis leges erant, vt natus deficiens membris non reseruaretur ad vitam, quod nullus puer vitæ compos foret vltra numerum determinatum, quod denique senes interficerentur, ita vt etiam ipsis parentibus non parceretur.

Legatus in Sarmatiam mittitur.

l Neque multum tempus interceserat, cum aduersus omnes Mendicantium ordines à Guillelmo cognomento à Sancto Amore excitatâ graui procellâ, Albertus Magnus à summo Pontifice Alexandro quarto Romam accitus, & in Magistrum sacri Palatij adlectus, Euangelium sancti Ioannis & Epistolas Canonicas summa Romanorum admiratione in scholis prælegit: illiusque operâ, quam impensissimam nauauit, tempestas illa exorta sedata est.

Romam accersitur.

m Tantum Ecclesiæ lumen videbatur sub modio latitare, dum sponte delatos à summo Pontifice sibi honores & dignitatis gradus prudenter subterfugiebat: ita vt gloria, ignis huiusce mundi fatuus, quæ sequentes eludere solita & insequi fugientes, tantò ipsum mordicitus insequebatur, quantò constantius ab ipso contemnebatur. Diuino tamen præordinante numine ipsam effugere non potuit. Anno enim 1260. vbi in comitiis Ordinis vniuersi, Argentinæ celebratis, *n* Diffinitoris personam sustinuisset, Ratisbonensi Ecclesiæ, licet inuitus & reluctans, Episcopus præficitur. Mutauit vestem, sed non vitæ rationem, religiosamque disciplinam ita sedulò retinuit, vt sub Episcopi habitu cœnobitam facilè deprehendere cuilibet licuisset. Ne quid verò ipsi studij quo erga suum Ordinem ferebatur, excidisse videretur, diem D. Dominico sacram in principe templo, quot annis celebrandam solemni ritu, sumptibusque in id assignatis sanxit: sicque vtramque religiosi & Episcopi personam agebat, vt priuatim fratrem diceres, publicè omnes Episcopi partes eximiè persoluere. Conciones ad populum frequentes habebat, gregi diligenter inuigilabat, hortabatur, arguebat, increpabat, obsecrabat, ministerium suum implebat, opus perfecti agebat Euangelistæ: & quod adhuc mirum est, in tantis tamque grauissimis muneribus nihil de scriptionibus suis studiique laboribus remittebat. *o* Constat enim illum in castro suo Episcopali (quod Stauff nuncupatur) vno tantum milliari ab vrbe distante, ingens illud volumen in Lucam conscripsisse, quod ad hanc ætatem in cœnobio S. Blasij Ordinis Prædicatorum manuscriptum thesauri cuiusdam instar asseruatur.

Episcopus creatur.

Quod

k Prussia c. 27. Rodulphus c. 10 & alij.
l Rodulphus sup. c. 12. & ipsemet 8 Alb. l. 7. Polit. c. 14.
l Cantipratanus sup. c. 10 p. 24. Prussia c. 29 Rodulphus c. 15 & 16. Caponius & alij.
m Cantipratanus citatus & alij.
n Ioan. Molitoris p. 6. fol. 295. Prussia c. 53 Rodulphus p. 2. c. 1. & alij.
o VVigulæus Hund à Sulzemoos I. C. ac supremi Boiorum senatus Monachij Præses in sua Metropoli Salisburgensi.

Quod denique admiratione non caret, rem domesticam & familiarem ita procurabat, vt cum Episcopatum omni ex parte spoliatum offendisset, ac insuper grandi ære alieno constrictum, intra breue tempus ære omni exsoluto ditauerit.

Lugebat interim religiosus Episcopus dum propriæ recordabatur Ierusalem, & è tanto honoris fastigio humiles & secretos religionis secessus indido oculo inhiabat, priorisque instituti zelo accensus, instituit apud Vrbanum Pontificem vt sibi succederetur. Cuius precibus continuis annuens, Leonem Ecclesiæ Ratisbonensi præfecit, cui per triennium quidam, aut per annum alij. Magnum Albertum præfuisse scribunt. Tanto itaque onere leuatus, lætitia gestiens, quartum Coloniam reuersus, iterùm ad claustri secreta & rerum sacrarum meditationem se contulit, Diuique Augustini imitator, orationibus mentem eleuans, & ieiuniis carnem deprimens, scribebat libros & docebat indoctos.

Episcopatu se abdicat.

p Nec diu latere lux tanta, aut cessare tam industrius & sedulus operarius potuit: siquidem Crucis (vti vocant) præco & concionator ab Apostolica sede in Palæstinæ subsidium creatus, mirum, quantùm per vniuersam Germaniam & Boemiam studium Christianorum accendit, remque Ecclesiæ communem promouit.

q Neque multò post à Gregorio decimo ad Lugdunense concilium accersitus, quod anno Christi 1274 habebatur, dum illuc se compararet, in triclinio Colonienſi ad mensam cum sociis assidens, in lachrymas derepentè prorupit, Aquinatem in cælum migrasse contestatus. Mœrore deinde aliquantulum leuato, iter prosequitur, Rodulphi Imperatoris, cuius orator erat, in prædicto concilio causam acturus. Quò cum ventum esset, honorificè à Patribus vniuersis acceptus, ab iis præsertim qui è Prædicatorum familia inter illos adlecti fuerant, nempè tribus sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus, *r* triginta verò diuersarum Diœcesium Episcoporum corona, in illam Isaiæ sententiam, *Mittet eis saluatorem & propugnatorem, qui liberet eos*, orationem habuit eo verborum pondere & rationum grauitate, vt quæcumque voluerit ab vniuersa synodo fuerit consequutus.

Vocatur ad concilium Lugdunense.

Mortem S. Thomæ præsagit.

Cap. 19.

Concilio verò peracto iterum Coloniam reuersus, oborta inter Archiepiscopum Guillelmum, Iuliacensem comitem, atque ipsos Colonienses dissidia, auctoritate quâ plurimum poterat, sæpissimè composuit, cœnobia quàm plurima, visitatoris nomine obiuit, Pontificiis muneribus multis in locis pro potestate functus, aras & templa Deo dedicauit, vt Susati virginũ, Traiecti suorum, Noviomagi Stephano protomartyri, Antuerpiæ D. Paulo, & Vltraiecti S. Andreæ Apostolis, aliasque plurimas sacras ædes consecrauit. Sacros etiam ordines solemni ritu contulit, Argentinæ semel pridie Paschatis centum quinquaginta sacerdotes, & alios deinde quadringentos inaugurasse memoriæ proditum est. Odeum verò Prædicatorum Colonensis templi ad leges architectonicas adcuratè direxit, quod integrum hodierna die planè constat. Illud deinde trecenauit. Interquas principem locum obtinet spina è Christi corona detracta, sanctæ Crucis fragmentum à sancto Ludouico Francorum Rege dono concessum: cuius fides quò certius constaret, pars illa semel atque iterum in ignem conjecta, illæsa è flammis resiliit. Eadem modò auro inclusa & gemmis pluribus exornata in eodem templo religiosè asseruatur. Multa etiam sanctorum corpora, superis ipsis prænobilibus & honorificentioribus reposuit. Ad has tam varias, cælestium crebræ & ferè assiduæ contemplationes, ad quas nihil beatus senex deconsidens, aut interdum deambulans, *s* varios in Deiparæ laudes (quam vnicè colebat) hymnos

Munia obit Episcopi.

p Ex literis eiusdem 8. Alb. apud Auentinum, & VVigulæum.
q Legenda S. Thomæ c. 14 D. Antoninus sup. c. 12. Prussia. Rodulphus vbi proximè c. 7. & alij.
r Prussia c. 42. Rodulphus loco proximè cit. c. 8. Castillus vbi supra c. 39. & 40.
s Rodulphus vbi proximè. Prussia c. 21. Ioannes Molitoris p. 6. sui Chronici, fol. 296.
Ioan. Molitoris p. 2. fol. 182. Prussia c. 22. Rodulphus p. 1. c. 7. & 8. Flaminius, & alij.

hymnos non sine lachrymis & suspiriis decantabat. In eandem etiam, si cubi otium esset, rythmos Latinos numeris certis illigatos (Sequentias vocant) conscribebat. Cum autem in idem argumentum egregie aliquando rythmos aliquos scripsisset, eadem Deipara coram astitit, a gratias referens, quòd se sic laudibus exornasset, vt ante illam mortalium nemo. x Nec desunt Authores grauissimi qui referant, cum Albertus quæ de B. Deipara animo & cogitatione perceperat, ea libris esset exaraturus & Apellis instar ductibus suis singulas illius animæ & corporis dotes expressurus, illam se spectandam deuotissimo alumno delineandamque præbuisse: quibus facilè assentiatur quisquis Alberti libros de B. Virgine conscriptos attentius inspexerit.

Vaticinij B. Virginis euentus.

Imminente tandem supremo vitæ die, dum in maximo auditorum cœtu Coloniæ è superiore loco eruditè pro more disputaret, memoria lapsus in medio sermone derepentè hæsit, y memorque B. Virginis vaticinij auditoribus suprà dicta exposuit, postremumque sibi instare diem, ac illis valere iussis, è suggestu descendit, deducentibus quotquot erant auditoribus & veluti iam comploratum defflentibus.

Ad mortem se comparat.

Albertus verò exinde legendi scribendique finem faciens, humanisque rebus omnibus sepositis, sibi & Deo vacabat: sepulchrum suum singulis diebus inuisens, z statas mortuorum preces viuus ipse pro se velut demortuo recitabat. Discebat quippe mori beatus senex hoc mortis præludio: dumque in hac exercitatione anno salutis 1280. 17. Kal. Nouembris in cella sua sedens, fratrum corona esset circumfusus, in omnium lachrymis & veluti amplexu placidissimè efflauit animam.

Funus Alberti.

Funus ipsius vniuersa ciuitas atque adeò finitimi ad id vndique conuolantes honestarunt: & Sifrido Coloniensi Episcopo funeris pompam celebrante, solemni ritu ante aram templi Prædicatorum maximam corpus reconditum fuit. Quo die è viuis excessit Albertus, a sex animarum millia è flammis peccata expiantibus erepta singulari Dei beneficio (quod Authores omni exceptione maiores affirmant) ad beatorum sedes perduxit. Vulgato Magni Alberti obitu, Coloniam Agrippinam missi sunt à Ratisbonensibus legati, qui sacrum corpus in templo & Diœcesi quam proximè rexerat, sepeliendum deposcerent. Quod cum infinitis precibus assequi non possent, exta sunt concessa, quæ Ratisbonam deportata, b in principe S. Petri templo citra aram maximam honorificè sunt condita. Tempus aliquod intercesserat, cum reserato illius sepulchro, c vestes intactæ apparuerunt, corpusque ita integrum in modum orantis miram spirans odoris suauitatem deprehensum fuit, vt modò terræ mandatum putares. Maiorem auxit admirationem simul & venerationem, cùm ducentis post annis, scilicet pridie idus Ianuarij an. 1483. aperto iterum loculamento, maxima hominum celebritate & frequentia, astante Colonien sis Academiæ Rectore, cæterisque eiusdem tùm auditoribus, tum magistris, d corpus illæsum incorruptumque planè inuentum omnes qui aderant stupore & admiratione defixit. Accedentibus insuper miraculis (quæ licet contestata multorum authoritate, breuitati consulens missa facio) quibus permotus & afflatu Spiritus sancti, summus Pontifex Gregor. 15. anno 1622. die 21. Septembris concessit vt officium B. Alberti ritu Ecclesiæ solemni in Ratisbonensi Metropoli quot annis celebraretur die 15. Nouembris, quo Coloniæ, vbi sacrum illius corpus religiosè habetur, summo apparatu honores illius sunt instituti, effusa in pompam vniuersa ciuitate.

* Albertus Venetus, & Caponius & M.S.
x Prussia c 24. Rodulphus p.1 c 2.
y Prussia c.44. & 45. Rodulphus p.2 c.19. & alij.
z Ioan. Molitoris p.6 sui Chronici fol.295. & alij cit.
a M.S Lectionarium chori Colonien sis. Prussia c.53. & seq Rodulphus p.3.c.3. & seq. Gerardus Sprunch.
b Rodulphus p.3.c.1. Author vitæ B. Alb. Mag. ad tumbam eiusdem B. Viri appensæ
c Caponius, Author vitæ sanctæ Thomæ, ex quo Prussia cap. 48. Thomas Bozius de signis Ecclesiæ, signo 63. & alij cit.
d Prussia, Nouiomagensis, Ioannes Molitoris.

BENEVOLO

BENEVOLO LECTORI.

NON Medais poculis, beneuole Lector, *sed studio, labore impensisque maximis senescentem Albertum ad florescentem ætatem reduximus. Siluerat vetustà animium tam resonans Ecclesiæ tuba, caligauerat præ antiquitate tantus splendor: vixque Albertus in Alberto conspicuus erat. Terrebat quotquot ante nos extitere tantum laboris pondus; dum priuato & publico bono consulendi necessitas vrgeret. Erexit tandem animum secura beneuolentiæ tuæ confidentia, tibique Albertum rediuiuum offerimus, res ipsa fidem, si aliunde non foret, abunde tibi faceret. Hoc vnum addemus, beatum virum ris an pietate processerit: virum plus scriptori præstantissimo laudis, an viro sanctiss. imo venerationi debeatur. Sanctum Ecclesia iudicat, doctissimum scripta prædicant: ita vt nequilibet colligat memoriam Alberto penè immensam, lectionem infinitam, ingenium ad pertem longissimam secunda valetudine ad octuaginta circiter annos perductam, rationem quodammodo ineas, qua tandem mortalis vnus, tam multa tamque accuratè scripserit, quorum singula multos homines eosque eruditissimos ætatesque plurimas requirerent.*

Sequens pagina mentem rapiet dum in sex prioribus tomis vniuersam Philosophiam non quidem obiter & captiosè, vt solet, sed acutissimè pertractauit: ita vt nec breuitatem, nec quid redundans liceat animaduertere: de quo iustius quam de Pericle veteri comœdo possemus dicere, in labiis eius sedisse veluti quandam philosophandi deam. Sed quod adhuc mirum tibi videbitur, ita Aristotelicæ philosophiæ nõ defensor modo, sed & vsque ad minutissima verba acutissimasque sententias æmulator fuit, vt cuius philosophiam sectaretur, dicendi quoque exprimeret modum: faciléque discernere nescias, interpresne Aristotelis an ipse sit Aristoteles: possesque, quod de Philone viro eruditissimo apud Græcos vsurpatum est, dum inquiebant, aut Plato Philonem sequitur, aut Platonem Philo, Alberto ad principem Peripateticæ disciplinæ relato, iure merito aptare. Vnde interpretando Aristotelem tantam ipsius verbis fidem adhibuit, vt corruptissimam translationem commentatus non mutauerit, imò incorruptissimam ipsam corruptionem multis in locis seruauerit. Nec minus insuper Platonis, Epicuri, Pythagoræ, alioramque Philosophorum dogmata calluit quam Aristotelica. Primus enim Latinorum quicquid in Latinis, Græcis, Arabibus, Hebræis, Ægyptiis Philosophis accuratissimum & præstantissimum fuit, perscrutatus est. In quibus omnibus mens libera semper fuit, nullis implicata ambagibus (sponte enim fluunt acutæ sententiæ) omnia perlustrauit naturæ mysteria, & ea quidem ex primis & proximis rerum causis: scire enim est res per causas cognoscere ex mente Aristotelis, quam ita assequutus est, vt posteri omnes qui in eum scripserunt, aut parum admodum, aut nihil adiecerint.

In quinque sequentibus quos in Bibliam scripsit, illud præcipuum obtinet inter omnes elogium, neminem Scripturæ sacræ mentem altius aut eruditius ex sanctis Patribus collegisse. Vnum tamen est dolendum, maximam fermè partem eorum quæ in vniuersam Bibliam scripsit, excidisse.

Duodecimum implent varij sermones, in quibus tanta relucet eloquentia & tantus religionis zelus, vt non mirum si aliquando Ratisbonæ hæreticus præco verba facturus, cum ascendisset suggestum peruetustum & saxeum vnde ad populum conciones habebat Albertus (qui hac etiam ætate vsitur) extemplo mutus euaserit: quo prodigio senatus permotus alium statuit ad vicinam columnam, quem cum ascendisset impurus rabula, pristina voce valuit.

Decimus tertius varios continet in B. Dionysium Areopagitam commentarios, in quibus hactenus inexplicata euoluit, humanoque altiora captu, ore styloque mortali infra spem citraque rem & effectum cuilibet perspicua reddit, ita vt facile constet D. Paulum interpretis vicè functum esse, vt alias grauissimi Authores testantur.

In quinque sequentibus Theologica mysteria pandit, in quibus adeò processit, vt omnibus quod mutuarentur aut imitarentur reliquerit, quid excogitarent prope nihil. Vno verbo si rerum ordinem multis iisque doctissimis qui Albertum sunt insequuti ademeris, nihil in illis præter Albertum reperies.

Nonus decimus miranda prorsus diuinæ omnipotentiæ & sapientiæ secreta prodit, dum rerum ordinem & originem inquirit, agendo de materia prima, de tempore, de cœlo, de Angelis & homine. Quæ in Deipara laudes in vigesimo literis exarauit, non ingenio tantum illum suo, sed studio etiam quo in illam ferebatur, assecutum esse planè declarant, quæ sic accurata sunt, vt de præsenti illius auxilio nemo qui legerit, dubitabit.

In Miscellaneis stupendam ingenij fertilitatem exhibet, qualem vix vnquam mortalium quispiam est assequutus. Percurre, benevole Lector, & adhuc maiora videbis quam possimus verbis exprimere. Nec te terreat tantorum voluminum congeries, hâs spe recreatum, mortalem posse percurrere quæ mortalis scripsit. Cum aliunde non solum Alberti Magni meritis & tibi, hoc gratitudinis debeas pignus, vt saltem oculis sin mente tantum opus delibes, sed etiam laboribus, vigiliis, studio, perquisitioni & sollicitæ sagacitati RR PP. celeberrimi Ordinis Prædicatorum. Quid enim dicemus de R.mo P. Thoma Turco prædicti Ordinis generali Magistro? in arduis satis esse voluisse immensum pondus etiam Atlanticis impar viribus ad cœlos euehere? parum. Addemus omnes ferè Europæ partes non solum zelo domos proprias inuisendi, sed etiam vt peruetustos, qui tot regionibus tamque dissitis sparsi erant & veluti sepulti codices, nobis compararet. Auxit animum inter tot tantosque labores felix faustusque successus: ita vt nihil ipsi deesse videretur quam tantorum operum Authoris præsentia qua frueretur. Arrisit diuinum numen piis R.mi P. Votis: vitaque functus facie ad faciem intuetur, quod in enigmate & in speculo suorum operum demirabatur. Ipsius zelo simul & dignitati successit R.mus P. Nicolaus Rodulphus, sed præmatura morte ad superos euocatus, successorem reliquit, qui non solum nunc Ordini sapientissimè præesset, sed etiam qui ad hanc luculentam & tandiu expetitam lucubrationem omnes cogitationes, omnia studia, omnem denique authoritatem conuerteret. Vtrique muneri non solum successit, sed amulus extitit, Ordinis & totius vniuersi vtilitati consulens. Distrahebat tamen mentem tantorum munerum solicitudo, hinc regiminis pondus, illinc cura præli assidua: & vt alter Moyses nimiis laboribus impar, socium sibi elegit R. A. P. Cochet exprouincialem & probatissimæ integritatis laude benemeritum, qui instaret vt immensa M. Alberti volumina hic ederentur.

Sed mirandum sanè quantum operæ contulit R. A. P. Iammy: omnia enim volumina perestiganit, à mendis expurgauit, innumeris locis restituit, citationibus quæ desiderabantur illustrauit, copiosissimis indicibus auxit, & ad maiorem distinctionem titulos qui tractatibus aut partibus eorum deerant, suppleuit: vniuersa denique in quàm optimum licuit ordinem negotiosè digessit, ita vt sicut olim de Sophia decrepita muliere & paupere quæ obuiantes curribus detrahebat lapides dum Apollinis templum construerentur, inscriptum fuit, Sophia me fecit, possimus nunc iustius dicere, R. A. P. Iammy me fecit, dum indefesso labore pristino aut forsan nunquam viso statui tanta volumina restituit. Vale.

Mirare eum qui viuens non habuit parem, extinctum & Beatum venerare' doctissimum studiosè imitare.

Hoc fundent

Tuæ Benevolentiæ obsequentissimi & devotissimi
Claudius Prost.
Petrus & Claudius Rigaud, frat.
Hieronymus de la Garde.
Ioan. Ant. Huguetan, *Filij.*
Bibliopolæ Lugdunenses.

CATALOGVS.

CATALOGVS
Operum Beati Alberti Magni XXI. Võluminibus comprehensorum.

In primo continentur.

VITA Beati Alberti Magni.
De prædicabilibus lib.1.
De decem prædicamentis lib.1.
De sex principiis lib.1.
De interpretatione lib.2.
De syllogismo simpliciter, id est, priorum analyticorum lib.2.
De demonstratione, id est, posteriorum analyticorum lib.2.
Topicorum lib.8.
De sophisticis elenchis lib.2.

In 2.

De physico auditu lib.8.
De cœlo & mundo lib.4.
De generatione & corruptione lib.2.
De meteoris lib.4.
De mineralibus lib.5.

In 3.

De anima lib.3.
Metaphysicorum lib.13.

In 4.

Ethicorum lib.10.
Politicorum lib.8.

In 5.

Parua naturalia, siue
De sensu & sensato lib.1.
De memoria & reminiscentia lib.1.
De somno & vigilia lib.1.
De motibus animalium lib.2.
De ætate siue de iuuentute & senectute lib.1.
De spiritu & respiratione lib.2.
De morte & vita lib.1.
De nutrimento & nutribili lib.1.
De natura & origine animæ lib.1.
De vnitate intellectus contra Auerroem lib.1.
De intellectu & intelligibili lib.2.
De natura locorum lib.1.
De causis proprietatum elementorum lib.1.
De passionibus aëris lib.1.
De vegetabilibus & plantis lib.7.
De principiis motus progressiui lib.1.
De processu vniuersitatis à causa prima lib.1.
Speculum astronomicum, in quo de libris licitis & illicitis pertractatur.

In 6.

De animalibus lib.26.

In 7.

Commentarij in Psalmos.

In 8.

Commentarij in Threnos Ieremiæ.
Comment. in Baruch.
Comment. in Danielem.
Comment. in 12. Prophetas minores.

In 9.

Comment. in Matthæum.
Comment. in Marcum.

In 10.

Comment. in Lucam.

In 11.

Comment. in Ioannem.
Comment. in Apocalypsim.

In 12.

Sermones de Tempore.
Orationes super Euang. Dominic. totius anni.
Sermones de Sanctis.
Sermones 32. de Sacramento Eucharistiæ.
Liber de muliere forti.

In 13.

Comment. in Beatum Dionysium Areopagitam.
Compendium theologicæ veritatis, septem libris digestum.

In 14.

Comment. in 1. lib. Sententiarum.

In 15.

Comment. in 2. & 3. lib. Sententiarum.

In 16.

Comment. in 4. lib. Sententiarum.

In 17.

Prima pars Summæ Theologiæ.

In 18.

Secunda pars Summæ Theologiæ.

In 19.

Summa de creaturis diuisa in duas partes, quarum prima est de quatuor coæuis, secunda de homine.

In 20.

Mariale, siue quæstiones 230. super Missus est.
De laudibus B. Virginis lib.12.
Biblia Mariana.

In 21.

Miscellanea, siue
De apprehensione & apprehensionis modis lib.1.
Philosophia pauperum, siue isagoge in libros Aristotelis de physico auditu, de cœlo & mundo, de generatione & corruptione, de meteoris, & de anima.
De Sacrificio Missæ lib.1.
De Sacramento Eucharistiæ lib.1.
Paradisus animæ, siue de virtutibus libellus.
De adhærendo Deo libellus.
De Alchimia libellus.

B. ALBERTI MAGNI,
Ordinis Prædicatorum,
ELOGIVM.

ALBERTVS Deipara Philosophus,
THOMAS Verbi Theologus fuit,
Benèh ic de Filio, benè ille scripsit de Matre:
Vterque Magnus, sed ille Magister, hic discipulus;
Vter plura sciuerit ambignum est,
Vterque aliquid sciuit post omnia.
In ALBERTO aliquid eminet vnde supra alios Magnus est,
Rudis ætate prima & vltima:
Parùm debuit natura, vt omnia deberet gratia;
Momento eruditus, momento indoctus,
Didicit omnia simul, omnia simul dedidicit,
Abstulit scientiam quæ dederat,
Vt scires qui reddit, alienum esse quod redditur.
Benè vsus Scientiis, quas acceperat commodatas,
Impleuit Orbem octingentis Libris,
Satis vnus omnibus Bibliothecis;
Nec mirum si omnibus sufficat qui THOMÆ discipulo satis fuit.
Nec tantùm erudituit orbem, sed correxit,
Emendauit in Guillelmo à sancto amore errores futuros,
Præparauit antidotum venenis venturis:
Fallaces Aurelij & Pseudo-Augustini
Expugnati sunt ab ALBERTO diu antequàm nati.
Nulla opinio etiam falsa fefellit ALBERTVM,
Modum posuit Artibus curiosis ne vltra pergerent,
Ostendit vbi desineret natura vnde inciperet gratia;
Petijt à Virgine ne falli posset, addidit illa ne falleret,
Nemo errauit sub ALBERTO Magistro, & THOMA Discipulo.
Media ætas ALBERTI illustris, omnis humilis fuit,
Magister Sacri Palatij maluit Germaniam docere quàm Romam,
Ratisbonenses Infulas sponte exuit, quas inuitus acceperat;
Vix inter suos prouinciam regere voluit, qui Ordini regendo par erat,
Fundator Ordinis futurus, nisi Dominicus præcessisset.
Qui omnia didicit à Maria, nihil melius didicit quàm Mariam;
Scinis illam antequàm aliquid disceret,
Illam sciuit postquàm omnia didicit,
Prima hæc vox erupit infanti, & vltima seni.
Denique dùm ex Cathedra dictat, non tàm verba quàm oracula,
Obmutuit extemplo oraculum Orbis,
Et cuius memoria Sapientiæ promptuarium erat,
Id tantùm tunc meminit se nihil amplius meminisse.
Nec mutum tamen ALBERTI silentium fuit,
ALBERTVS senex & rudis adhuc Orbis Magister erat,
Probabat immemor diuinum esse quidquid memor dictauerat.
Obiit anno ætatis 87. clarus miraculis,
Ipse eruditus & rudis miraculum fuit,
Nec minore prodigio amisit Scientias quas accepit,
Beatus qui amittere Scientiam voluit, vt innocentiam retineret.

SANCTI THOMÆ
DOCTORIS ANGELICI
Ordinis Prædicatorum,
ELOGIVM.

THOMAS Angelus erat, antequàm esset doctor Angelicus:
Angelorum Discipulus, & penè æmulus fuit:
Multa ab Angelis didicit, quædam Angelos docere potuit:
Aut Theologiam ad terras deduxit è Cœlo,
Aut sciuit in via quod videtur in patria:
Audiuit Apostolus arcana verba, sed illa tacuit:
Quæ Paulo dicere non licuit, hæc Thomas dixit:
Mysteriorum compendium est Summa Thomæ,
Collegit in ea quidquid doceri potest aut sciri:
Incluſit Hieronymos, Augustinos, Ambrosios, Gregorios:
Incluſit seipsum, maior seipso & minor:
Epitomen fecit alienæ sapientiæ & Summam suæ.
Didicit omnes qui Thomam intelligit,
Nec totum Thomam intelligit qui omnes didicit:
Augustinus aliquando obscurus, apud Thomam est clarus.
Vbi alij dubitant, Thomas non ambigit:
Vbi omnes desinunt, indè incipit:
Indè progressus eò ascendit quò nemo præiuerat:
Sequitur præuiam fidem, & eam ducit,
Sociam facit Theologiam fidei & Magistram,
Ostendit quidquid illa credit,
Neque aliud supereſt nisi lumen gloriæ post Summam Thomæ.
De Deo sic loquitur quasi vidisset;
De Angelis sic disputat quasi spiritus esset:
Ingenerat horrorem peccati dum ostendit:
Amabiles facit virtutes dum describit:
Incarnatum Verbum sic explicat quasi vox Verbi.
Siste aliquando Thoma, peruenit ad summum Summa tua;
Ire vlteriùs non potes, nisi aliquid quæras post omnia.
Bene scripsisti de me Thoma.
Probat scripturam hominis qui character est Patris:
Silete linguæ vbi Deus laudator est;
Fallere non potest qui laudatur, dum qui laudat non fallitur.
Appellent homines Thomam Angelum Theologiæ,
Dicant Pontifices Summam tot miraculis constare quot titulis:
Plus dicit vna vox benè:
Christus est Verbum Patris, Thomas aduerbium Filij.
Quam ergo mercedem accipies?
Quàm benè scripserit, collige ex testimonio;
Quam benè vixerit, disce ex præmio;
Vt scias meritum virtutis datur optio præmij;
Quid eligat nisi Deum qui nouit pretium Dei?
Nec potuit eligere maius, nec debuit minus:
Malè scripserat si aliter elegisset.

PETRVS L'ABBE' Societatis Iesv

INDEX

Librorum, Tractatuum & Capitum in Logicam.

LIBER

De prædicabilibus.

TRACTATVS I.

De Natura logica.

Cap.1. VTRVM logica sit scientia specialis. 1
2. Vtrum logica sit pars philosophiæ. 2
3. De vtilitate dialecticæ. 3
4. De quo sit ipsa logica vt de subiecto. 4
5. De diuisione logicæ, & quæ sint partes ipsius: & de voce significante ad placitum, quid & qualiter significet. 6
6. De parte logicæ quæ certificat incomplexum. 8
7. De parte logicæ, quæ certificatur quæstio de complexo. 9

TRACTATVS II.

De quinque vniuersalibus in communi.

Cap.1. QVomodo vniuersale est de consideratione logici. 11
2. A quibus quæstionibus circa vniuersalia sit abstinendum. 12
3. De declaratione quæstionis primæ. 13
4. An vniuersalia corporalia sint. 17
5. Vtrum vniuersalia à sensibilibus sint separata, an in sensibilibus siue singularibus posita sint. 19
6. Qualiter vniuersale est in anima, & qualiter in seipso, & qualiter in singulari, & in quo sit verius secundum esse suæ naturæ. 21
7. Qualiter vniuersale producatur in esse. 23
8. An vniuersale sit forma, vel materia, vel compositum: & si forma, cuiusmodi forma sit. 24
9. Quomodo vniuersale prædicatur de quinque vniuersalibus: & de sufficientia & ordine eorundem. 25

TRACTATVS III.

De vniuersalibus in particulari.

Cap.1. DE diuersis significatis generis. 26
2. De genere physico, & qualiter prædictis assimilatur. 28
3. De generis physici apud Philosophos diffinitione & descriptione. 29
4. Quod data diffinitio de genere nec abundat, nec deficit: & eius declaratio. 31
5. De recapitulatione eorum quæ de sermone generis dicta sunt. 31

TRACTATVS IV.

De specie.

Cap.1. DE diuersis intentionibus specierum. 34
2. De duabus quæstionibus quæ oriuntur ex prædictis. 37
3. Qualiter inueniatur species specialissima: & de coordinatione prædicamentali. 39
4. Qualiter ea quæ dicta sunt, ad compendium reducantur. 41
5. De manifestatione eorum quæ dicta sunt ex consequentibus & similibus. 42
6. De modo veniendi à generalissimo ad specialissima, & è conuerso. 45
7. De modo prædicabiliũ quæ prædicantur. 49

TRACTATVS V.

De differentia.

Cap.1. DE distinctione nominis differentiæ, quòd multipliciter dicitur. 50
2. De manifestatione modorum differentiæ & partium diuisionis præinductæ. 53
3. Qualiter differentiæ substantiales sunt constitutiuæ & qualiter sunt diuisiuæ. 55
4. Qualiter species per differentiam abundat à genere, & qualiter potestate genus habet differentias. 57
5. Qualiter diffinitur differentia secundum quod est vniuersale de specie prædicabile. 61

6. De

Index.

6. De dubitationibus contra diffinitionem differentiæ, & erroribus male soluentium, & de omnium solutione. 63
7. De descriptione differentiæ prout respicit genus. 65
8. De descriptione differentiæ secundum respectum quem habet ad ea inter quæ ponit differentiam. 67
9. De diffinitione quæ soli differentiæ magis propriæ conuenit. 68

TRACTATVS VI.

De proprio.

Cap.1. DE intentione proprij secundum quam de ipso intendit logicus. 70
2. De diuisione proprij & explanatione partium eius. 73

TRACTATVS VII.

De accidente.

Cap.1. DE differentia proprij & accidentis secundum quod accidens est vnum quinque prædicabilium. 74
2. De prima assignatione accidentis data à Porphyrio. 76
3. De secunda & tertia assignatione accidentis data à Porphyrio. 78

TRACTATVS VIII.

De communibus in quibus conueniunt, & de differentiis in quibus differunt quinque vniuersalia.

Cap.1. DE eo in quo communicant omnia quinque vniuersalia. 79
2. De tribus communibus generi & differentiæ. 80
3. In quibus differunt genus & differentia. ibid.
4. De compendio dictorum circa generis & differentiæ tam communia quam propria. 81
5. De communibus & propriis generis & speciei. 82
6. De conuenientiis & differentiis generis & proprij. 83
7. De communitatibus & differentiis generis & accidentis. 85
8. De communibus & propriis differentiæ & speciei. 86
9. De communibus & differentiis differentiæ & proprij. 88
10. De communibus & differentiis differentiæ & accidentis. 89
11. De differentiis & conuenientiis speciei & proprij. ibid.
12. De conuenientiis & differentiis proprij & accidentis. 90
13. De communibus proprij & inseparabilis accidentis ac eorum differentiis. ibid.

TRACTATVS IX.

De comparatione omnium istorum vniuersaliam adinuicem ex Auicennæ logica.

Cap.1. QValiter hæc omnia in vnum co incidunt. 91
2. Qualiter hæc omnia vniuersalia adinuicem commiscentur. 92
3. Qualiter hæc quinque sunt naturæ quædam, & qualiter vniuersalia, & qualiter intelligibilia, & qualiter simplicia. 93

LIBER

De prædicamentũ.

TRACTATVS I.

De antecedentibus ad scientiam libri prædicamentorum.

Cap.1. DE intentione libri & ordine & modo & aliis quæ quæri consueuerunt. 94
2. Qualiter præmittitur de æquiuocis & vniuocis & denominatiuis, & quæ sint æquiuoca. 96
3. De vniuocatis. 98
4. De denominatiuis. 100
5. De diuisione ordinabilium & non ordinabilium in prædicamento. 101
6. De principiis siue suppositionibus quæ debent præmitti ordini prædicabilium. 102.
7. De enumeratione generum in quæ prædicabilia reducuntur. 103

TRACTATVS II.

De substantia quæ est primum prædicabile.

Cap.1. QVa significatione substantia accipiatur. 105
2. De substantia prima quid sit: & declaratio diffinitionis eius. 106
3. De secundis substantiis quæ sint, & qualiter ipse solæ prædicantur de primis nomine & ratione. 107
4. Quòd destructis primis impossibile sit aliquid aliorum remanere. 109
5. Quod inter secundas substantias magis substantiæ sunt species quàm genera, non sic autem species specialissima respectu alterius specialissimæ. 119
6. De hoc communi substantiæ, quod est in subiecto non esse. 122
7. De proprio substantiæ & differentiæ, quod est vniuoce prædicari. 123
8. De proprio substantiæ, quod est hoc aliquid significare. 125
9. De proprio substantiæ, quod est substantiæ nihil contrarium esse. 126
10. De proprio substantiæ, quod est non reci

pere magis & minus. 117
11. De proprietate substantiæ, quæ est, quod substantia secundum sui mutationem eadem numero manens susceptibilis est contrariorum. 118
12. De dubitationibus circa ea quæ dicta sunt, quod substantia suscipit contraria. 119
13. De dubitationibus quæ sunt circa hoc quod oratio suscipit verum & falsum. 121.

TRACTATVS III.

De quantitate.

CAP. 1. DE diuisione quantitatis. 122
2. Qualiter numerus & oratio sunt quantitates discretæ. 124
3. Qualiter linea, superficies & corpus sunt quantitates continuæ. 125
4. Qualiter tempus est quantitas continua. 126.
5. Qualiter locus est quantitas continua. 128.
6. Qualiter quædam quantitates positionem habent in partibus, & quædam non. 129.
7. De dubitationibus circa ea quæ dicta sunt de linea. 130
8. De dubitationibus quæ sunt circa dicta de superficie & corpore. 131
9. De dubitationibus circa hoc quod tempus dicitur quantitas continua. 132
10. De dubitationibus circa ea quæ de loco dicta sunt, & de his quæ positionem sunt habentia & non habentia. 133
11. De proprio quantitatis quod est non habere contrarium. 135
12. De dubitationibus circa prædicta. 137
13. De eo quod quantitati non conuenit suscipere magis & minus. 138
14. De proprio quantitatis, quod est secundum eam æquale vel inæquale dici. 139.

TRACTATVS IV.

De prædicamento relationis siue ad aliquid.

CAP. 1. AN relatio seu ad aliquid sit prædicamentum. 140
2. Quid hoc genus habeat de ente, & quid in eo sit generalissimum, & quid subalternum, & quid specialissimum, & quid individuum. 142
3. De diffinitione dicente quid est ad aliquid secundum Platonem. 143
4. De proprio eius quod est ad aliquid, quod est suscipere contrarietatem. 145
5. De proprio relatiuorum, quod est suscipere magis & minus. 146
6. De proprio relatiuorum, quod est dici ad conuertentiam. 147
7. De proprio ad aliquid, quod est simul esse natura. 149
8. De disputatione circa diffinitionem Platonis, & de correctione eiusdem dicti. 150.
9. De proprio relatiuorum verorum, quod est quod si quis diffinite vnum nouit, nouit & reliquum. 151
10. De dubitationibus quæ sunt circa ea quæ dicta sunt. 153

TRACTATVS V.

De qualitate.

CAP. 1. QVid sit qualitas, & secundum quam intentionem sit prædicamentum. 154
2. Qualiter qualitas multipliciter dicitur de speciebus eius. 155
3. De dubitationibus quæ sunt circa prædicta. 157
4. De secundo genere qualitatis, quod est naturalis potentia vel impotentia. 159
5. De dubitabilibus quæ sunt circa primum genus qualitatis. 160
6. De tertia specie qualitatis quæ est passio & passibilis qualitas. 161
7. De dubitabilibus circa tertiam speciem qualitatis. 163
8. De quarto genere qualitatis, quod est forma vel circa aliquid constans figura. 164.
9. De dubitationibus quæ sunt circa quartam speciem qualitatis. 165
10. De quali quod dicitur secundum qualitatem. 166
11. De proprio qualitatis, quod est suscipere contrarium. 167
12. De secundo proprio qualitatis, quod est suscipere magis & minus. 169
13. De proprie proprio qualitatis, quod est secundum qualitatem simile vel dissimile dici. 170
14. De exclusione erroris qui posset esse circa prædicta. ibid.

TRACTATVS VI.

De aliis sex prædicamentis simul.

CAP. 1. DE duobus prædicamentis, scilicet agere & pati. 171
2. De aliis prædicamentis quatuor. 172

TRACTATVS VII. & vlt.

De postprædicamentis.

CAP. 1. QVæ sint & quot tractanda in hoc tractatu. 173
2. De oppositione in communi & generibus oppositorum. 174
3. De relatiue oppositis. 175
4. De contrariis siue de oppositione contrarietatis. 176
5. De priuatiue oppositis. 178
6. De oppositione secundum contradictionem. 179
7. De differentia oppositionis secundum priuationem & habitum ad oppositionem relationis & contrarietatis. 180
8. De dubitabilibus quæ sunt circa ea quæ dicta sunt, 182
9. De differentia contradictionis ad alias oppositiones. 183
10. De contrariis propter bonum & malum quæ specialem modum habent contrarietatis. 184
11. De dubitabilibus circa ea quæ dicta sunt de bono & malo. 185
12. De multiplicitate eius quod est prius. 187.
13. De modis eius quod dicitur simul secundum quod spectat ad doctrinam prædicamentorum 189
14. De postprædicamento quod est motus. 190.
15. De his quæ motui sunt opposita. 192
16. De habere & modis eius. 193

LIBER

Sex principiorum.

TRACTATVS I.

De forma.

CAP. 1. QVare hic liber, dicatur liber sex principiorum. 194.
2. De forma quomodo agatur de ipsa. 195
3. De dubitatione vtrum forma sit variabilis. 197.
4. Quid sit substantiale & per consequens quid sit accidentale. 198
5. Vtrum formæ fiant à natura vel arte. 199
6. De formarum diuisione, & de quibus hic intendatur. 200
7. De intentione eorum quæ dicta sunt. 201

TRACTATVS II.

De actione.

CAP. 1. AN actio sit prædicamentum vel principium. 203
2. Quid sit actio per diffinitionem. 204
3. De diuisione actionis in actionem animæ & corporis. 205
4. De imagine in speculo, vbi videtur esse instantia contra prædicta. 206
5. De proprio actionis, quod est actionem in moto esse & motum in actione, & qualiter motus sit quale & qualitas. 207
6. De naturali proprietate actionis, quæ est passionem inferre. 208
7. De propriis communibus actionis. 210

TRACTATVS III.

De passione.

CAP. 1. QVid sit passio. ibid.
2. De multiplicatione eius, quod dicitur passio. 211

TRACTATVS IV.

De quando.

CAP. 1. QVid sit quando secundum quod est principium vel prædicamentum. 212
2. De speciebus & differentiis eius quod est quando. 213
3. De differentia inter vbi & quando, & qualiter vnum quando differt ab alio. 215
4. De diuisione ipsius quando comparata ad tempus quo causatur. 216
5. De propriis quando, quod est non suscipere magis & minus & habere contrarium. 217.
6. De subiecto eius quod est quando. ibid.

TRACTATVS V.

De vbi.

CAP. 1. QValiter vbi sit prædicamentum, & quid sit vbi. 219
2. De dubitationibus quæ sunt circa ea quæ inducta sunt. 220
3. De diuisione eius quod est vbi, in vb. simplex & compositum. 221
4. Vtrum primum cælum in loco sit, & qualiter diuersimode est in loco. 222
5. De proprietatibus eius quod est vbi, scilicet non suscipere magis & minus, & non habere contrarium. 223

TRACTATVS VI.

De positione.

CAP. 1. QVid sit positio secundum quod est præcicamentum. 224
2. De his quæ sunt positiones veræ, & de his quæ videntur & non sunt. 225
3. De proprio communi positionis, quod est non suscipere contrarietatem. 226
4 De proprio positionis, quod est non suscipere magis & minus. 227
5. De proprie proprio positionis, quod est substantiæ proxime assistere. ibid.

TRACTATVS VII.

De habitu.

CAP. 1. QVid sit habitus secundum quod prædicamentum. 228
2. De propriis communibus habitus, quæ sunt suscipere magis & minus, vel non habere contraria. 229
3. De proprie proprio habitus, quod est semper in pluribus esse. 230
4. De modis quibus dicitur habere. 231

TRACTATVS VIII.

De magis & minus.

CAP. 1. DE opinionibus antiquorum de eo quod est magis & minus. 232
2. De

2. De causa intensionis & remissionis. 233
3. Quare quædam non comparantur secundum magis & minus. 234
4. De distinctione generationis ab alteratione, &c. 235
5. De formis assistentibus & inhærentibus. 236.

LIBER I.

Peri hermeniæ.

TRACTATVS I.

De his quæ præmitti debent ad librum.

Cap.1. IN quo ordine est inter libros logicos. 237
2. De modo scientiæ & fine. 239
3. De parte procemiali. 240

TRACTATVS II.

De inuestigatione principiorum communium diffinientium partes enuntiationis, & de nomine & verbo & oratione.

Cap.1. DE diffinientibus principia enuntiationis. 241
2. De voce incomplexa, quæ nec verum, nec falsum significat. 243
3. De dubitabilibus quæ sunt circa ea quæ dicta sunt. 244
4. De diffinitione nominis & eius declaratione. 246
5. Quid sit nomen infinitum, & quare non est nomen apud logicum. 248
6. De casu nominis. 253

TRACTATVS III.

De verbo.

Cap.1. QValiter verbum est de consideratione logica. 254
2. Quid per diffinitionem logicam sit verbum. 255
3. Quòd verba secundum se dicta nomina sunt. 256

TRACTATVS IV.

De enuntiatione.

Cap.1. DE diffinitione orationis, quæ est genus enuntiationis. 257
2. De diffinitione enuntiationis in speciebus eius. 258

TRACTATVS V.

De passione partium enuntiationis, quæ est oppositio.

Cap.1. QVòd omni affirmationi negatio est opposita, & è conuerso. 260
2. De legibus & consequentiis dictarum oppositionum. 262
3. Vtrum semper altera contradictoriarum determinatè est vera. 263
4. Vtrum in singularibus contingentibus de futuro sit determinata veritas. 464
5. De inconuenientibus quæ sequuntur ex parte eorum quorum nos causa sumus. 165
6. De determinatione dubitationis inductæ. 266
7. De solutione dubitabilium quæ sunt circa prædicta. 267

LIBER II.

Peri hermenias.

TRACTATVS I.

De consequentiis enuntiationum de inesse.

Cap.1. QValiter sumendæ sunt enuntiationes de inesse inter quas est consequentia, quæ sunt vnæ, & in quibus est secundum adiacens. 268
2. De multiplicatione & consequentia enuntiationum in quibus est tertium est adiacens. 270
3. De his enuntiationibus in quibus hoc verbum, est, non ponitur, sed aliud. 272
4. De remotione errorum qui possunt esse circa ea quæ dicta sunt. 373
5. De consequentia enuntiationum in quibus plura de vno, vel vnum de pluribus dicitur. 274

TRACTATVS II.

De consequentia modalium.

Cap.1. QVæ sunt modales enuntiationes. 278
2 Qualiter sumenda sit oppositio modalium. 279
3. De consequentiis modalium secundum opinionem antiquorum. 281
4. Corrigitur error antiquorum, & ostenditur vera consequentia modalium. 282
5. Soluitur dubitatio de consequentia possibilis ad necesse esse. 283
6. De distinctione possibilis, & de differentia possibilis & contingentis 285
7. Qualiter est oppositio contrarietatis & contradictionis. 286

LIBER I.

Priorum analyticorum.

TRACTATVS I.

De his quæ præmittenda sunt ad artem.

Cap.1. DE subiecto & modo & nomine libri. 289

2. De de his quibus est intentio huius scientiæ. 290
3. Quid est propositio. 291
4. Quid est terminus. 293
5. De syllogismo quid sit secundum diffinitionem. ibid.
6. Quid syllogismus est perfectus, & quis imperfectus. 294
7. De in toto esse & de omni & de nullo prædicari, quæ sunt syllogismorum perfectorum principia. 295
8. Qualiter conuersio principium est imperfecti syllogismi, & quid sit conuersio. 296
9. De conuersione propositionum secundum terminos. 297
10. De solutione instantiarum quæ videntur esse contra inductas conuersiones. 298
11. De conuersione propositionum de necessario. 299
12. De distinctione modorum quibus accipitur contingens. 300
13. De conuersione propositionum affirmatiuarum de contingenti. 301
14. De conuersione negatiuarum de contingenti. 303
15. De remotione erroris qui posset incidere. 304.

TRACTATVS II.

De generatione syllogismorum in figura.

Cap.1. DE modo procedendi in hac materia. 306
2. De formatione syllogismorum vniuersalium, & vtilium coniugationum primæ figuræ, & quid sit figura, & quid sit figura prima. 307
3. De inutilibus & vtilibus coniugationibus primæ figuræ. 101
4. De formatione syllogismorum particulariter concludentium in prima figura secundum vtiles coniugationes & inutiles. 309
5. De perfectionibus figuræ primæ. 312
6. De proprietatibus secundæ figuræ. ibid.
7. De formatione syllogismorum vniuersalium secundæ figuræ, siue vtilium, siue inutilium coniugationum. 313
8. De formatione syllogismorum particularium secundæ figuræ secundum vtiles & inutiles coniugationes. 313
9. De corollariis quæ habentur ex præinductis. 316
10. De proprietatibus tertiæ figuræ. ibid.
11. De formatione syllogismorum vniuersalium tertiæ figuræ vtilium & inutilium coniugationum. 318
12. De formatione particularium syllogismorum tertiæ figuræ vtilium & inutilium. 320
13. De epilogo dictorum, & de formatione duorum syllogismorum indirecte concludentium. 322
14. De præmissis quæ dicta sunt de syllogismorum reductione. 323

TRACTATVS III.

De generatione syllogismorum qui sunt ex propositionibus modalibus de necessario & contingenti.

Cap.1. DE cognitione syllogismorum de modo necessitatis. 325
2. De quæstione vtrum quartus secundæ & quintus tertiæ possint perfici per impossibile. 327
3. De mixtione necessarij & inesse in primæ figuræ particularibus syllogismis. 330
5. De mixtione necessarij & inesse in secundæ figuræ vniuersalibus syllogismis. 332
6. De solutione eorum quæ videntur esse contra prædicta. 333
7. De formatione particularium syllogismorum mixtionis necessarij & inesse in secunda figura. 334
8. De mixtione necessarij & inesse in tertia figura in vniuersalibus syllogismis. 335
9. De mixtione necessarij & inesse in particularibus syllogismis tertiæ figuræ. 337

TRACTATVS IV.

De generatione syllogismorum de contingenti vniformi & mixta.

Cap.1. DE principiis generationis syllogismorum de contingenti. 338
2. De dici de omni & dici de nullo in propositionibus de contingenti de vniuersalibus syllogismis de contingenti secundum vtiles coniugationes. 340
3. De formatione particularium syllogismorum de contingenti. 342
4. De solutione dubiorum quæ sunt circa istam generationem vniformem de contingenti. 343
5. De mixtione contingentis & inesse in primæ figuræ modis vniuersalibus. 345
6. De his quæ antecedere debent coniugationes modorum imperfectorum. 346
7. De coniugationibus vniuersalium syllogismorum imperfectis affirmatiuis, & de perfectione earum. 347
8. De coniugationibus imperfectis vniuersalium negatiuorum syllogismorum. 349
9. An conclusio de inesse sequi possit ex coniugationibus syllogismorum imperfectorum. 352
10. Quid sit inesse simpliciter. 352
11. Qualiter isti modi imperfecti inferunt conclusionem de contingenti pro possibili. 353
12. De formatione particularium syllogismorum perfectorum & imperfectorum coniugationum vtilium & inutilium mixtionis & contingentis & inesse, 354
13. De regulis mixtionis necessarij & contingentis in prima figura, & de coniugationibus vtilibus & inutilibus vniuersalium

syllogismorum istius mixtionis. 355
14. De solutione dubiorum quæ sunt circa coniugationes perfectorum syllogismorum istius mixtionis. 357
15. De solutione dubitationum quæ sunt circa coniugationes imperfectas istius mixtionis. 358
16. De consequentia coniugationum imperfectarum in quibus maior est affirmatiua de necessario. 360
17. De formatione particularium syllogismorum in prima figura mixtionis necessarij & contingentis. 363
18. Quod non potest esse generatio vniformis de contingenti in secunda figura. 364
19. Quare ex vtraque de contingenti non fit syllogismus in secunda figura. 366
20. De mixtione contingentis & inesse in secunda figura. 368
21. De formatione particularium syllogismorum mixtionis contingentis & inesse in secunda figura. 370
22. De principio quo regulatur mixtio contingentis & necessarij in secunda figura, & formatione vtilium coniugationum ad vniuersales huius mixtionis syllogismos. ibid.
23. De inutilibus coniugationibus huius mixtionis sumptis circa vniuersales syllogismos secundæ figuræ. 372
24. De particularibus syllogismis mixtionis necessarij & contingentis in secunda figura. 375
25. De vniformi generatione syllogismorum de contingenti in tertia figura. 376
26. De mixtione contingentis & inesse in tertia figura. 378
27. De mixtione necessarij & contingentis in tertia figura ad syllogismos vniuersales. 381
28. De mixtione necessarij & contingentis in tertia figura ad syllogismos particulares. 382
29. In quo breuiter harum mixtionum colligitur vtilitas. 383

TRACTATVS. V.

De sufficientia figurarum trium habitarum.

CAP. 1. QVod omnis syllogismus est secundum aliquam trium figurarum. 386
2. In quo declaratur, quod syllogismus ex hypothesi sit in aliqua trium figurarū. 386
3. In quo declaratur, quod nullus esse potest syllogismus ad propositum sine vniuersali propositione quæ principium est syllogismi quantum ad modum. 387
4. In quo probatur, quod nullus vnus syllogismus habet plus quàm tres terminos. 389
5. De numero propositionum in syllogismo & simpliciter vno & non simpliciter vno: & qualiter se habet numerus propositionum ad numerum terminorum & conclusionum. 391
6. De propositionibus quæ faciliter, & de his quæ difficulter probantur. 394

TRACTATVS VI.

De medij inuentione.

CAP. 1. AD quæ inspiciendum sit ad medij inuentionem. 395
2. Qualia & quomodo se habenia principia sunt eligenda ad quodlibet propositum quoad medioium inuentionem. 398
3. De descriptione figuræ ad hæc quæ dicta sunt. 400
4. Quod hæc ars sufficiat ad omne problema concludendum. 402
5. Quod ars inducta sufficiens est in syllogismis ex hypothesi, qui sunt ad impossibile, & in aliis qui sunt ex hypothesi. 405
6. Quod idem est quoad medij inspectionem in syllogismis ex transumptione, & in his qui sunt ex propositionibus modalibus, & quod generalis est ars ista. 407
7. Quod in communi iam ars est habita, circa propria autem in singulis scientiis adaptanda. 408
8. Quod ars quam quidam ex diuisione ponebant ad medij inuentionem, non sufficiat. 409
9. De exclusione quorundam dubiorum circa ea quæ dicta sunt. 412

TRACTATVS VII.

De syllogismorum reductione.

CAP. 1. QVibus de causis tractandum est de reductione, & quot modis fit reductio, & de ordine reductionum. 412
2. De reductione orationis ad syllogismum per inspectionem propositionum. 413
3. De resolutione propositionis non syllogizatæ ad formam syllogisticam per terminorum considerationem. 414
4. De errore qui accidit circa resolutionem duarum propositionum in tres terminos ex prava expositione vel sumptione terminorum secundum abstractum & concretum. 416
5. De errore qui accidit in reductione propositionum in terminos ex hoc quod quærantur semper termini incomplexi siue simplices. 417
6. De errore qui prouenit ex hoc quod termini sumuntur secundum obliquitatem alicuius casus. 418
7. De errore sine difficultate resolutionis propositionis in terminos propter reduplicationem. 420
8. De reductione propositionum in terminos vbi est reduplicatio minoris extremitatis. 421
9. Qualiter facilis fit resolutio propositionum in terminos. 423
10. De difficultate resolutionis quæ prouenit ex vniuersali signo addito vel non addito ad subiectum primæ propositionis. ibid.
11. Qualiter fiat vel sit facta propositionis per terminos expositio. 424
12. Qualiter aliquando est impedimentum ex hoc quod ea quæ in vno syllogismo posita sunt, in diuersis figuris concludantur. 425
13. De impedimento quod fit ex diffinitione. ibid.
14. Quòd syllogismi ex hypothesi sic in terminos reduci non possunt. ibid.

TRACTATVS VIII.

De reductione orationis syllogizatæ in vna figura in aliam.

CAP. 1. DE reductione primæ figuræ in secundam, & è conuerso. 429
2. De reductione syllogismorum particularium primæ figuræ in tertiam, & è conuerso. 428
3. De reductione secundæ in tertiam, & è conuerso. 429

TRACTATVS IX.

De exclusione errorū dicentium negatiuam de prædicato finito idem esse cum affirmatiua de prædicato infinito.

CAP. 1. DE differentia earum adinuicem. 430
2. De consequentiis propositionū affirmatiuæ de prædicato infinito & negatiuæ de prædicato finito adinuicem. 431
3. De consequentis ex habitudine antecedentis & consequentis conuertibilium causatis. 433

LIBER II.

Priorum analyticorum de potestate syllogismi generati.

TRACTATVS I.

De potestate syllogismi penes propositiones acceptā.

CAP. 1. DE potestate accepta penes formam præmissarum. 436
2. De solutione dubitationum & diuersitate opinionum quæ sunt circa potestatem quæ inducta est. 438
3. De potestate quomodo secundum materiam ex falso verum est syllogizare. 440
4. Qualiter syllogismi vniuersales primæ figuræ fiunt ex falsis, & quòd ex vero non sequitur falsum. 442
5. Qualiter in particularibus syllogismis primæ figuræ contingit verum ex falso syllogizare. 445
6. Qualiter verum sequitur ex falso in secunda figura in vniuersalibus syllogismis. 446
7. Qualiter verum sequitur ex falso in secundæ figuræ particularibus syllogismis. 448
8. Qualiter syllogizatur verum ex falso in syllogismis tertiæ figuræ & vniuersalibus particularibus. ibid.
9. De probatione quod verum non sequitur ex falso, nisi quia & non propter quid. 451

TRACTATVS II.

De syllogismo circulari.

CAP. 1. CVius sit potestatis & an syllogismus & ad quem vsum, & quid sit per diffinitionem syllogismus circularis. 452
2. Qualiter fit circularis syllogismus in prima figura vniuersalis affirmatiuus & vniuersalis negatiuus, & qualiter particularis affirmatiuus & negatiuus. 454
3. Qualiter circulus fit in secunda figura. 457
4. Qualiter in tertia figura fit circularis ostensio. 458
5. In quo in communi determinatur qualiter fit circulus in qualibet figura. 460

TRACTATVS III.

De conuersiuo syllogismo.

CAP. 1. QVid sit conuertere & conuersus syllogismus. 461
2. Qualiter fit conuersiuus syllogismus in modis vniuersalibus primæ figuræ tam contrarium quam contradictorium conclusionis accipiendo. 462
3. De conuersiuis syllogismis particularibus primæ figuræ. 463
4. De secundæ figuræ conuersiuis syllogismis tam particularibus quam vniuersalibus. 464
5. De conuersiuis syllogismis in tertia figura tam vniuersalibus quam particularibus, & tam affirmatiuis quam negatiuis. 465

TRACTATVS IV.

De syllogismo per impossibile.

CAP. 1. QVid syllogismus per impossibile, & in quo differat, & in quo conueniat cum syllogismo conuersiuo. 468
2. Qualiter fit syllogismus per impossibile, & quod vniuersalis affirmatiua per impossibile non probatur in prima figura. 471
3. Qualiter per impossibile aliæ ab vniuersali affirmatiua demonstrantur in prima figura. 471
4. Quid & qualiter ostenditur per impossibile in secunda figura. 474
5. Qualiter fit syllogismus ad impossibile in tertia figura. 475
6. De differentia syllogismi per impossibile & ostensiui, & de conuenientia eorundem. 7. De

7. De ostensione eorum quæ dicta sunt per formationem syllogismorum. 478

TRACTATVS. V.

De syllogismo ex oppositis, qui est syllogismus ex incompossibilibus cum omnes præhabiti syllogismi sint ex propositionibus compossibilibus.

Cap. 1. QVot sunt genera oppositionum, & quod in prima figura non fit syllogismus ex oppositis. 480
2. Qualiter fit syllogismus ex oppositis in secunda figura. 482
3. Qualiter fit syllogismus ex oppositis in tertia figura. 483

TRACTATVS VI.

De peccato contra syllogismum circularem, quod est principij petitio.

Cap. 1. QVid sit diffinitiue petitio eius quod est in principio; & quot modis fiat. 485
2. De exclusione duorum quæ sunt circa petitionem principij. 487
3. De modis eius quod est non propter hoc accidere falsum. 486
4. De solutione obiectionis sophisticæ, quæ est contra præinducta. 490
5. De remotione erroris qui potest esse circa hoc quod dictum est quod falsum accidit propter hypothesim. 491
6. De cautela respondentis, qualiter caueat, ne propter suam hypothesim videatur sequi falsum, & qualiter opponenti cauendum est contra respondentem. ibid.
7. Quod habito ex quibus syllogismus, habetur ex quibus fit elenchus, & qualiter differunt elenchus & syllogismus. 492
8. De peccato contrariæ deceptionis quod est circa syllogismum ex oppositis. 493
9. Quòd dicitur scire tripliciter, quod adducitur ad intellectum eorum quæ determinata, in quo etiam de aliis dubitabilibus ad intellectum dictorum facientibus determinatur. 495
10. De opinione & ignorantia eorum quæ sunt secundum materiam oppositæ per accidens. 497

TRACTATVS VII.

De reductione aliarum argumentationum in syllogismum.

Cap. 1. DE conuersione medij cum extremis, & conuersione extremorum ad medium. 498
2. De secunda regula siue consequentia, & tertia, & quarta, & quinta. 500
3. De sexta regula docente consequentiam eligendorum. 501
4. De reductione inductionis in syllogismum. 602.
5. De exemplo, quid sit & qualiter se habeat ad syllogismum & inductionem. 504
6. De deductione, quid & quot modis fiat. 505
7. De instantia siue instantiuo syllogismo, quid sit & per quas fiat figuras. 506
8. De icote & signo ex quibus fit enthymema.
9. De enthymemate, quid sit, & quibus modis fiat, & qualiter ad syllogismum reducitur. 509
10. De inuentione signi quod est loco medij in enthymemate. 511

LIBER I.

Posteriorum.

TRACTATVS I.

De his quæ præmitti habent ante scientiam, & de vniuersali sciendi modo.

Cap. 1. DE præambulis ante scientiam. 513
2. De probatione Auicennæ & Algazelis, quòd iste liber sequitur immediate librum priorum. 515
3. Quòd scientia intellectiua est ex præexistenti cognitione. 517
4. Quòd duplex est præcognoscere, & præcipue in scientia demonstratiua. 520
5. De cognitione conclusionum. 521
6. De dubitatione Mennonis & solutione. 523

TRACTATVS II.

De quibus & qualiter est demonstratio.

Cap. 1. DE diffinitione eius quod est scire, quod finis est demonstrationis. 525
3. Demonstrationis propositiones quas conditiones requirant. 526
3. Quibus modis principium est prius & notius. 528
4. Qualiter demonstratio sit ex primis, & quid sit hoc dictum. 529
5. Qualiter sit demonstratio ex notioribus. 532
6. De exclusione duorum errorum ex prædictis antiquorum. 532
7. Quæ sint conditiones magis contrahentes prædictas conditiones demonstrationis, & quod demonstratio est de necessariis, & quæ sunt de omni & semper. 534
8. De modis dicendi per se, qui sunt quatuor, & de primo & per se. 535
9. De secundo modo dicendi per se, & de tertio. 536
10. De quarto modo dicendi per se, qualiter se habet ad demonstrationem. 539

Index.

11. De comparatione modorum dicendi per se ad demonstrationem, & de sufficientia eorundem. 541
12. De vniuersali quid sit in demonstratiuis. 541
13. De erroribus & causis errorum qui sumunt passiones de vniuersali probatas. 543
14. De arte vitandi errores inductos. 546
15. Qualiter ostenditur, quòd istæ conditiones sunt necessariæ demonstrationi. 547
16. Quòd hæc conditio, secundum quòd ipsum est, conuenit demonstrationi, & qualiter de genere transcendit in genus. 549
17. Quòd demonstratio est ex his quæ sunt per se & secundum ipsum quantum ad conclusionem, & de diffinitione quod sit incorruptibilium, & demonstratio & scientia similiter. 551
18. Quòd demonstratio non est ex communibus, sed ex propriis. 552

TRACTATVS III.

De vsu principiorum in demonstrationibus.

Cap. 1. De vsu principiorum incomplexorum. 554
2. De vsu principiorum complexorum in demonstrationibus. 557
3. De principio communi quod est dignitas, quod raro ingreditur demonstrationem ostensiuam. 518
4. Qualiter scientiæ communicant & differunt in vsu principiorum communium & propriorum. 559
5. De differentia inter logicam & scientias speciales. 562
6. Qualiter differunt demonstratio quia, & demonstratio propter quid, in eadem scientia sumptæ. 563
7. De differentia demonstrationis quia, & propter quid in diuersis scientiis. 564
8. De syllogismis, & primo in qua forma syllogismi potissime fiant. 566

TRACTATVS IV.

De oppositis principiorum demonstrationis quæ faciunt ignorantiam.

Cap. 1. De his quæ præambula sunt ad tractandum de propositione necessaria. 568
2. De ignorantia malæ dispositionis, quid sit & quæ causæ ipsius, & primo circa affirmatiuas & negatiuas. 569
3. Qualiter fit syllogismus ignorantiæ in prima figura circa immediatas negatiuas. 571
4. Qualiter fit ignorantiæ syllogismus in propositionibus mediatis. 573
5. Qualiter fit syllogismus ignorantiæ in secunda figura contra vniuersalem affirmatiuam. 575
6. Qualiter fit ignorantiæ syllogismus in prima figura concludens affirmatiuam immediatam. 576
7. De causis ignorantiæ secundum negationem dictæ. ibid.
8. De suppositionibus duabus quæ exiguntur ad destructionem causæ ignorantiæ apparentis & non vere existentis. 578
9. De quæstionibus an sit stare in extremis & mediis, ita quòd non procedant in infinitum. ibid.
10. De solutione tertiæ quæstionis, an media sint infinita tam in affirmatiuis quam in negatiuis. 580
11. De solutione primæ & secundæ quæstionum, quòd scilicet stant extrema finita, &c. solutio logica supposito quod est diffinire. 582
12. Quòd statur in summo & infimo si scire per demonstrationes supponatur. 585
13. Analytice probatur, quòd stant principia demonstrationis. 586
14. De corollario quod sequitur ex dictis. 587
16. De reductione mediatarum ad immediatas. 588

TRACTATVS V.

De comparatione demonstrationis ad demonstrationem.

Cap. 1. De intentione tractatus de comparatione demonstrationis particularis ad vniuersalem. 591
2. De sex rationibus quibus probatur, quod vniuersalis demonstratio potior est particulari. 593
3. De rationibus probantibus, quod affirmatiua demonstratio potior est quam negatiua, & sunt septem. 595
4. De rationibus quibus probatur, quod ostensiua demonstratio potior est ea quæ ducit ad impossibile. 597
5. De comparatione demonstrationis secundum proprium effectum eius qui est scientia. 599
6. De comparatione scientiæ ad scientiam secundum vnitatem vel identitatem. 600
7. Quod de fortuito & sensibili non est scientia demonstratiua. 601
8. Quòd diuersarum scientiarum & syllogismorum & demonstrationum diuersarum sunt principia. 602
9. De diuersitate scientiæ intellectus & opinionis. 606
10. De solertia. 608

LIBER II.

Posteriorum analyticorum.

TRACTATVS I.

De numero scibilium demonstrabilium in scientia demonstratiua.

Cap. 1. Quòd numerus vere scibilium accipitur de numero quæstionum, & quot & quæ sunt quæstiones. 609
2. De exclusione dubitabilium circa principia. 611

Index.

5. De reductione quatuor quæstionum ad duas, & duarum adinuicem. 613

TRACTATVS II.

De cognitione medij demonstratiui, & quorum sit diffinitio.

Cap.1. DE medio secundum quod quid est. 615
2. An via syllogistica sit via veniendi in cognitionem diffinitionis. 617
3. An modus introductionis in diffinitione possit esse syllogismus. 619
4. An via introductionis in diffinitione sit per diffinitionem diffinitionis vel contrarij. 621
5. Vtrum diffinitio secundum se sit demonstrabilis vel non. 623
6. Quod diffinitio nominis non est quid demonstrabile sicut nec diffinitio rei. 625
7. Qualiter secundum modum demonstrationis inductorum: & diffinitio demonstrari vel syllogizari possit. 626
8. Qualiter ex demonstratione elicitur diffinitio, quatenus non demonstretur. 628
9. Cui diffinitioni conueniat quod eliciatur ex demonstratione, & cui non. 629
10. De dubitatione antiquorum, quæ sit diffinitio secundum speciem, & quæ secundum materiam. 630
11. Cuiusmodi diffinitio debet esse in demonstratione passionis. 632
12. An idem sit diffinitio & demonstratio aliquo modo, & qualiter se habet diffinitio ad demonstrationem. 633

TRACTATVS III.

Qualiter demonstratio sit in singulis causis.

Cap.1. QVòd cum demonstratur per causam, causa debet ordinari in medio. 635
2. Qualiter sit demonstratio per causam materialem & formalem. 636
3. Qualiter sit per causam efficientem, & qualiter per causam finalem. 637
4. De his quæ per plures causas demonstrantur. 638
5. Quòd eisdem causis demonstratur res esse & futura esse, & causa esse, & causa, variata secundum differentias temporum. 639
6. De demonstratione in causis & causatis, quæ non simul. ibid.
7. De demonstratione eorum quæ frequenter sunt, & circularem habent generationem. 641

TRACTATVS IV.

De venatione diffinitionis quod est inuentio medij demonstrationis per viam inuentionis.

Cap 1. QVomodo per diuisionem in venatione diffinitionis subiecti proceditur. 642
2. De modo inueniendi diffinitionem speciei subalternæ. 644
3. De inuenienda diffinitione per diuisionem, & quòd vtilis est hæc via. 645
4. Quot & quæ in diuisione sunt considerandа. 646
5. De inuentione diffinitionis & passionis. 647
6. De inuentione propter quid siue causæ in demonstratione particulari. 649
7. Dubitatio de habitudine causæ ad causatum & è conuerso causati ad causam. 651
8. De determinatione quæstionis inductæ. 652
9. Quòd in demonstratione quæ est per accidens & particularis, vel vnius passionis, possunt esse plures causæ. 653

TRACTATVS V.

De cognitione principiorum demonstrationis.

Capm. AN sint in nobis cognitiones principiorum, aut non. 655
3. Quis principiorum cognoscitiuus habitus. 657

LIBER I.

Topicorum.

Cap.1. PRoœmium B. Alberti.
2. Proœmium operis. 660

TRACTATVS I.

De syllogismis & paralogismis.

Cap.1. DE syllogismo in communi. 667
2. De syllogismo dialectico. 663
3. De litigioso syllogismo. 664
4. De paralogismis. 665
5. Ad quot & quæ vtile sit hoc opus. 666

TRACTATVS II.

De methodo diffinitionis generis, proprij, & accidentis.

Cap.1. EX quibus est methodus. 669
2. Quid terminus siue diffinitio & quæ ad methodum de diffinitione reducuntur. 670
3. Quid est proprium secundum quòd est prædicatum. 672
4. Quid genus secundum quòd est prædicatum, & de reducibili ad methodum generis. ibid.
5. De accidente & reducibili ad methodum de accidente, &c. 674
6. Quòd omnia problemata ordinantur ad problema de diffinitione, &c. 675
7. De adiuncto quod est idem vel diuersum. 676.

8. De

Index.

8. De sufficientia horum quatuor prædicatorum. 677
9. Quòd hæc quatuor prædicata sunt in omnibus prædicamentis. 678

TRACTATVS III.

De complexis integrantibus syllogismum dialecticum.

Cap.1. DE propositione dialectica, quid sit & per quæ diuiditur. 679
2. De problemate, quid & qualis diuisionis. 681.
3. De positione. 682
4. De speciebus ratiocinationis dialecticæ. 684

TRACTATVS IV.

De quatuor instrumentis huiusmodi in syllogismis dialecticis.

Cap.1. DE quatuor instrumentis in communi. 685
2. De propositionum sumptione, quod est propositiones, dialecticas scire sumere. 686.
3. De distinctione multiplicis in extremis contrariis, quæ est secundum instrumentum. 687
4. De distinctione multiplicis in mediis. 689
5. De distinctione multiplicis in his quæ conuiunt ei quod est multiplex. 690
6. Quomodo inspiciendum in diuersum ab eo quod designatur per multiplex. ibid.
7. De differentiis, & est tertium instrumentum. 692
8. De similitudine, & est quartum instrumentum. ibid.
9. De vtilitate distinctionis multiplicis. 693
10. De vtilitate inuentionis differentiarum. ibid.
11. De vtilitate speculationis similitudinis. ibid.

LIBER II.

Topicorum de inesse simpliciter & vt accidens secundum eius primam diffinitionem.

TRACTATVS I.

De determinatione problematis per essentialia & intrinseca problemati.

Cap.1. QVatenus procedendum, & quid obseruandum, & quid cauendum in hac arte. 695
2. De determinatione problematis de inesse vt accidens per locos inirinsecos per rectum ad prædicatum. 231
3. De eodem per locum ex partibus sufficienter enumeratis. 698
4. De determinatione eiusdem problematis de accidente per inspectionem ad diffinitionem subiecti vel prædicati problematis vel vtriusque. 699
5. Qualiter procedendum sit in multiplici amphibologico, &c. 702
6. De transactione problematis de inesse per inspectionem ad locos intrinsecos quæ sunt partes esse vel esse incompletum. 703
7. De consideratione ad antecedens vel consequens cum digressione ad modum sophisticum. 705
8. De considerationibus quæ fiunt post factam digressionem in antecedentibus & consequentibus simplicibus quæ sunt eiusdem essentiæ. 706

TRACTATVS II.

De determinatione problematis, & de inesse per rei extrinseca.

Cap.1. DE determinatione eiusdem problematis per locum à disparatis. 707
2. De inspectione ad inhærentiam & ad complexionem adinuicem contrariorum. 709
4. De consideratione problematis de accidente quomodo multipliciter construi & destrui potest ex inspectione ad consequentias oppositorum. 711
4. De inspectione problematis de accidente circa oppositorum consequentias. 712
5. De inspectione problematis de accidente ad extrinseca eiusdem, sed tamen conuenientia cum illo. 714
6. Qualiter in consideratione problematis de accidente intendendum est in generationibus & corruptionibus, & in efficientibus & corrumpentibus, & similibus. 715
7. Qualiter constituitur problema de accidente per locum ab appositione. 717
8. Qualiter constituitur problema per media partim dialectica & partim sophistica ex appositione. 718

LIBER III.

Topicorum de accidente contracto & comparato.

TRACTATVS I.

De accidente contracto & comparato.

Cap.1. DE præambulis & procemio. 719
2. De electione per inspectionem ad eligibile & eligentem, & eligibile subiectum siue formam, &c. 720
3. De inspectione causæ boni in generali & speciali secundum quòd causa regimen electionis. 722
4. De inspectione ad ea quæ insunt bono, ita quòd concomitantur ipsum. 724
5. In quo est inspectio ad bonum eligendum per motū ad ipsum & quantitatem, & à simili cum bono, & à contrariis istorum, & est per locos communes non proprios secundum id quod ante habitum est. 725

Index.

6. De comparatione boni ad absentiam vel præsentiam. 727
7. De comparatione boni ad bonum à casibus & vsibus, & actibus & operibus. ibid.
8. De considerationeeligendi relati ad finem. 729

TRACTATVS II.

Qualiter eisdem locis qui inducti sunt, terminatur problema speciale siue contractum & non comparatum tantum.

CAP. I. DE determinatione specialis problematis, scilicet contracti non comparati. 730
2. Quòd per eosdem terminatur locos comparatum non contractum. ibid.

TRACTATVS III.

De determinatione problematis particularis & determinati.

CAP. I. DE determinatione particularis. 731
2. De determinatione indefiniti. 733

LIBER IV.

Topicorum.

TRACTATVS I.

De problemate generis & proprij.

CAP. I. PRoœmium operis. 734
2. De genere prout assignatur genus alicuius speciei. 735
3. De considerationibus acceptis considerando ad plura genera. 737
4. De considerationibus sumptis ex comparatione generis ad differentiam & speciem. 736.
5. De considerationibus acceptis ex consequentibus ad genus. 741

TRACTATVS II.

De genere logico siue non contracto per locos extrinsecos.

CAP. I. DE considerationibus acceptis à contrariis. 742
2. De considerationibus acceptis à casibus & coniugatis. 744
3. De inspectione in oppositis secundum priuationem & habitum. 745
4. De inspectione in affirmatione & negatione. ibid.
5. De inspectione in relatiuis, siue ad aliquid. 746

TRACTATVS III.

De determinatione generis contracti.

CAP. I. DE considerationibus sumptis ab habitu & potentia & actu. 748
2. De consideratione generis contracti quando assignatur vt differentia, vel è contrario. 751
3. De considetatione generis contracti ad materiam naturalem. 752
4. De determinatione generis in communi sumpti ad materiam & naturalem & moralem & per locos communes. 753
5. De interpretatione & constructione generis comparati. ibid.

TRACTATVS IV.

CAP. I. QVibus considerationibus constituitur genus. 755
2. Qualiter genus & differentia separatur. ibid.
3. Qualiter construitur genus per locum à coniugatis, 756
4. Qualiter probatur & non de necessitate construitur genus. ibid.

LIBER V.

Topicorum, de determinatione problematis de proprio.

TRACTATVS I.

De intentione & destructione proprij.

CAP. I. DE intentione & diuisione proprij. 757
2. De reductione quadrimembris diuisionis ad bimembrem diuisionem. 758

TRACTATVS II.

De determinatione proprij secundum bonitatem proprij.

CAP. I. DE inspectione proprij ad ea quæ sunt, quòd per notiora ponendum est proprium. 760
2. De determinatione proprij destructiue & constructiue respiciendo in multiplex ex parte sermonis & in proprio & in subiecto. 761
3. De considerationibus destructiuis & constructiuis per inspectionem ad superfluum in sermone & intellectu & nominis communitate. 762
4. De interemptione & constructione problematis de proprio pènes conditiones proprij sumptas comparati ad aliquod subiectum. 764
5. De remotione cauillationum quæ fieri possunt. 768
6. De modis specialibus propriorum deficientium à vero proprio. 789

7. De

7. De peccatis quæ fiunt circa dictos modos propriorum. 771
8. De determinatione proprij per considerationes sumptas ex comparatione proprij ad speciem siue ad subiectum. 772

TRACTATVS III.

De determinatione problematis de proprio per locos extrinsecos.

CAP. 1. DE inspectione in quatuor genera oppositorum, & ex disparatis. 773.
2. De considerationibus sumptis à casibus ex similibus proportionalibus in esse & generari & corrumpi & huiusmodi. 775
3. De considerationibus sumptis à maiore & minore, ad problema de proprio determinandum. 776
4. De determinatione proprij per locum à simili. 777

TRACTATVS IV.

De determinatione proprij contracti ad potestatem & actus, & ad superabundantiam dicti.

CAput vnicum. 778

LIBER VI.

Topicorum.

TRACTATVS I.

De interemptione diffinitionis secundum bonitatem.

CAP. 1. DE proœmialiter, præmittendis. 779
2. Quibus modis interimitur bonitas diffinitionis, eo quod datur per obscurum. 781.
3. Qualiter interimitur bonitas diffinitionis per superfluum in diffinitione positum. 782.

TRACTATVS II.

Qualiter interimitur diffinitio inspiciendo in conditiones diffinitionis & partium eius.

CAP. 1. SI non per notius diffiniunt & prius, coniunctim in hæc aspiciendo. 785.
2. De inspiciendo in prius diuisum qualiter interimitur diffinitio. 787
3. Qualiter interimitur diffinitio, inspiciendo in partes eius, quæ sunt genus & differentia. 788
4. Qualiter interimitur diffinitio, inspiciendo ad differentias. 790
5. De inspectione ad differentiã comparatam ad ea quæ sunt in linea prædicamentali. 791.
6. De inspectione ad differentiam comparatam ad ea quæ sunt in linea prædicamentali secundum comparationem ordinis & prædicationis. 792
7. De inspectione ad differentiam absolute acceptam, & ad differentiam contractam. ibid.

TRACTATVS III.

Qualiter interimitur diffinitio, inspiciendo in ea quæ diffinitionem comparatam ad diffinitum consequuntur secundum identitatem.

CAP. 1. SI diffinitio diffinito secundum omnia tempora consonet, vel si alicui in aliquo tempore dissonet. 796
2. Qualiter interimitur diffinitio ex comparatione diffinitionis ad diffinitum secundum magis & minus. 797
3. Qualiter interimitur diffinitio ex comparatione diffiniti secundum quod est ad aliquid. 798
4. Qualiter interimitur diffinitio eius diffiniti quod est ad aliquid, si non determinauit eiusdem qualitates vel quantitatem vel vbi vel alias differentias. 799

TRACTATVS IV.

Qualiter interimitur diffinitio per locos extrinsecos tum in oppositis secundum genera oppositorum, quam à similibus vel à coniugatis sumptos.

CAP. 1. QValiter interimitur diffinitio inspiciendo in oppositis quæ sunt ad aliquid. 800

TRACTATVS V.

De diffinitione æquiuoci.

CAP. 1. QValiter interimitur diffinitio æquiuoci. 802

TRACTATVS VI.

De diffinitione complexorum.

CAP. 1. QValiter interimitur diffinitio complexorum in communi. 804.
2. Qualiter interimitur diffinitio complexorum per considerationem transmutandorum & transumendorum. 805
3. De inspiciendo quando transumitur diffinitum ad esse & non esse. 806

TRACTA

Index.

TRACTATVS VII.

Qualiter interimitur diffinitio totius integralis ex partibus heterogeniis.

CAP.1. DE integrali ex partibus heterogeniis. 807
2. De interemptione diffinitionis totius integri per inspectionem ad formam compositi. 809
3. De vniuersalibus documentis circa diffinitionem obseruandis. 810

LIBER VII.

Topicorum.

TRACTATVS I.

De determinatione eiusdem & diuersi.

CAP.1. DE locis determinantibus idem inquantum est prædicatum adiunctum diffinitioni. 811
2. De considerando magis & minus in terminando idem. 812
3. Qualiter interimitur idem numero respiciendo ad modos identitatis. 813

TRACTATVS II.

De diffinitione.

CAP.1. QValiter construitur problema de diffinitione in communi, & primo per locum ab oppositis. ibid.
2. Qualiter construitur problema de diffinitione per locum à casibus & coniugatis. 815
3. Qualiter difficilius est construere, quam destruere diffinitionem & alia prædicata. ibid.
4. Quare omnium prædicatorum facillimum est diffinitionem & proprium destruere, & difficillimum construere, accidens vero è contrario. 817

LIBER VIII.

Topicorum.

TRACTATVS I.

De dialectica prout est obuiatiua ex parte opponentis.

CAP.1. QVomodo oportet interrogare & quid & qualiter opponentem vt facilius consensum exigat respondentis. 818.
2. Quot sunt propositiones præternecessariæ & ad quid sumendæ & proponendæ ad alterum. 819
3. Qualiter ampliatiuis & explanatiuis vtendum est. 822
4. Qualiter inductione siue inductiuis vtendum est. ibid.
5. Qualiter syllogismo ad impossibile non est vtendum dialectice disputanti. 824
6. Qualiter probentur orationes per priora & posteriora, & qualiter oportet opponentem & interrogare & ordinare ea quæ interrogat. 825

TRACTATVS II.

De instructione respondentis & de modo respondendi.

CAP.1. QVod est opus proprium bene respondentis. 827
2. Quæ & qualia coniectanda sunt respondenti, siue propositum, seu positio sit probabilis simpliciter siue alicui vel respondenti vel alij. 828
3. De modo respondendi ad interrogationem ab opponente propositam, siue simplex sit, siue multiplex. 829
4. Qualiter respondendum sit ad rationem inductiuam & ad syllogysmum siue ex necessariis siue præternecessariis factum. 830.
5. De ratione ad orationem non concludentem. 831.
6. De increpatione orationis ex parte vtentis ea in generali ex parte orationis in generali. ibid.
7. De quinque increpationibus orationis secundum se. 832
8. De modis falsæ orationis. 834
9. De impedimento eius quod est petere id quod est in principio, vel petere contrarium. 835
10. De modis petendi contrarium. 836

TRACTATVS III.

Qualiter dialectica est ad exercitandum.

CAP.1. DE documentis ad exercitationem pertinentibus & formalibus & rationalibus. 834
2. Circa quas orationes maximè exercitandum. 838
3. Ad quod vtendum & quo exercitio vtendum hoc vel illo. ibid.

LIBER I.

Elenchorum.

TRACTATVS I.

De præmittendis.

CAP.1. DE quo sit tractandum in hoc libro. 840
2. De quibus tractandum est, & quot sunt sophistici elenchi. 841
3. Cuius est vti syllogismo, & propter hæc determinantur genera disputationum. 843
4. De generibus disputationum. 844
5. De quinque metis. 845
6. De modis arguendi ad reductionem, quæ sunt fallaciæ in communi. 846

TRACTATVS II.

De fallacia in dictione.

CAP.1. DE paralogismis æquiuocationis. 847.
2. De solutione dubiorum quæ sunt circa æquiuocationem. 849
3. De modis amphibologiæ. 851
4. De solutione dubiorum quæ sunt circa modos amphibologiæ. ibid.
5. De tribus modis in quibus conueniunt æquiuocatio & amphibologia. 852
6. De tribus modis compositionis. 853
7. De tribus modis diuisionis. ibid.
8. De exclusione dubiorum quæ sunt circa fallacias compositionis & diuisionis. 854.
9. De exclusione dubiorum circa modos compositionis & diuisionis. 856
10. De fallacia accentus & modis eius duobus. ibid.
11. De fallacia figuræ dictionis & modis eiusdem. 858

TRACTATVS III.

De fallaciis extra dictionem.

CAP.1. DE his quæ in communi præmittenda sunt. 859
2. Quæ sunt fallaciæ extra dictionem & quis ordo. 861
3. De his quæ dicenda sunt de fallacia accidentis. ibid.
4. De fallacia accidentis quantum ad causam apparentiæ & causam non existentiæ. 863.
5. De formatione modorum paralogismi accidentis. 864
6. De præambulis ad sciendum de fallacia secundum quid & simpliciter. 865
7. De fallacia secundum quid & simpliciter, & differentia quid & secundum quid. 867
8. In quibus facile sit videre accidentem secundum quid & simpliciter, & in quibus difficile. 869
9. De his quæ præambula sunt ad scientiam fallaciæ secundum ignorantiam elenchi. 870
10. De differentia inter fallaciam secundum quid & simpliciter, & ignorantiam elenchi. 871
11. De causa vniuersali fallaciæ secundum ignorantiam elenchi, & manifestatione ipsius per exempla. 872
12. Vtrum vere oppositi concludantur in paralogismo secundum ignorantiam elenchi. 874
13. De præambulis ad cognoscendum fallaciam secundum petitionem principij. 875
14. De modis paralogismorum secundum quod petitur id quod erat in principio. 876
15. De præambulis ad intelligendum fallaciam consequentis. 877
16. De fallacia consequentis & modis eius. 878
17. De præambulis ad fallaciam secundum non causam vt causam intelligendam. 880
18. De fallacia secundum non causam vt causam, 882
19. De modis fallaciæ secundum non causam vt causam. 883
20. De præambulis ad syllogizandum fallaciam secundum plures interrogationes vt vnam. 884
21. De fallacia secundum plures interrogationes vt vnam. 886

TRACTATVS IV.

De reductione fallaciarum in ignorantiam elenchi.

CAP. 1. DE reductione omnium fallaciarum. 887
2. De reductione æquiuocationis & amphibologiæ in ignorantiam elenchi, & similiter compositionis & diuisionis & accentus. 889
3. De speciali reductione fallaciæ accidentis in ignorantiam elenchi. 890
4. De reductione fallaciæ secundum quid & simpliciter, & fallaciæ secundum ignorantiam elenchi, & fallaciæ petitionis principij, & fallaciæ secundum non causam vt causam. 891
5. De reductione fallaciæ accidentis in ignorantiam elenchi. 892
6. De solutione dubiorum quæ sunt circa ea quæ dicta sunt. 894
7. De reductione fallaciæ secundum plures interrogationes vt vnam in ignorantiam elenchi. 895

TRACTATVS V.

Qualiter ex loco sophistico generatur deceptio in eo qui non potest distinguere.

CAP.1. QValiter hoc fit in locis sophisticis in distinctione. 896
2. Qualiter generatur deceptio per fallacias extra dictionem. 898
3. Quod eadem principia sunt apparentis syllogismi & sophistici. 899
4. Quod non oportet requirere determinationem in hac arte de paralogismo disciplinæ in propriis scientijs facta. 902
5. De octo diuidentium orationes sophisticas, quod sint quædam ad nomen & quædam ad intellectum. 903
6. De destructione inductæ diuisionis ex hoc quod est fallacia. 905
7. De syllogismo litigioso & sophistico quid & ex quibus circa proprie. 907
8. De tentatiuis syllogismis. 909

Index.

TRACTATVS VI.

De deductione ad quatuor metas, scilicet falsum, inopinabile, solœcismum, & nugationem.

CAP. 1. De deductione ad falsum & nugationem. 912
2. De præambulis ad intellectum eorum quibus aliquis ducitur ad metam nugationis. 914
3. De facere nugari respondentem vere & apparenter. 915
4. Qualiter respondens ducitur ad solœcismum, vel videtur duci. 916

TRACTATVS VII.

De cautelis obseruandis opponenti.

CAP. 1. De cautelis sumptis ex parte orationis. 918
2. De cautelis sumptis ex parte respondentis. 919.
3. De cautelis sumptis ex parte opponentis. 920.

LIBER II.

Elenchorum.

TRACTATVS I.

De intentione & vtilitatibus & apparenti solutione sine responsione.

CAP. 1. De intentione & vtilitatibus in communi. 922
2. De probatione, quod apparens solutio aliquando magis eligenda est, & quæ sit apparens solutio. 923
3. Et est probatio, quod in apparenti solutione multiplex est ostendendum. 925
4. De decem cautelis siue elenchis quibus vtendum est in apparenti solutione. 926

TRACTATVS II.

De recta solutione falsorum orationum.

CAP. 1. Quæ in communi & qualis sit falsæ orationis recta solutio. 929
2. De solutione paralogismorum æquiuocationis & amphibologiæ. 930
3. De solutione paralogismorum secundum compositionem & diuisionem. 931
4. De solutione eorum paralogismorum qui sunt secundum accentum. 934
5. De solutione paralogismorum secundum modum qui est secundum genus accidentale figuræ dictionis. 935
6. De solutione paralogismorum secundi modi figuræ dictionis. 936
7. De solutione paralogismorum tertij modi figuræ dictionis. 938
8. De solutione generali omnium paralogismorum in dictione. 941

TRACTATVS III.

De solutione paralogismorum fallaciarum extra dictionem.

CAP. 1. De generali solutione paralogismorum accidentis, & adaptatione eius ad paralogismos. 942
2. De improbatione falsæ solutionis paralogismorum accidentis. 944
3. De solutione paralogismorum fallaciæ secundum quid & simpliciter. 946
4. De solutione paralogismorum secundum ignorantiam elenchi. 949
5. De solutione paralogismorum secundum petitionem principij. ibid.
6. De solutione paralogismorum secundum consequens. 950
7. De solutione paralogismorum secundum non causam vt causam. ibid.
8. De solutione paralogismorum secundum plures interrogationes vt vnam. 951

TRACTATVS IV.

De solutione paralogismorum ad alias metas ducentium quam ad redargutionem.

CAP. 1. De solutione eorum qui dicunt ad solœcismum. 952
2. De solutione paralogismorum ducentium ad solœcismum. 954

TRACTATVS V.

De actibus & accessariis orationibus.

CAP. 1. De actum & non actum orationum distinctione. 955
2. De epilogis dictorum topicorum, & in hoc libro toto. 957
3. Qualiter scienda logices est inuenta. 958

D. ALBERTI MAGNI,
RATISBONENSIS EPISCOPI,
ORDINIS PRÆDICATORVM.
LOGICA.

LIBER PRIMVS.
DE PRÆDICABILIBVS.

TRACTATVS I.
De natura Logicæ.

CAPVT I.

Vtrum Logica sit scientia & specialis?

Opinio antiquorum, quòd omnium scientiarum sit aliqua scientia in 1. Elench. in prin.

INTENDENTIBVS primum de logica, considerandum est qualis scientia sit logica, & an sit aliqua pars Philosophiæ, & ad quid necessaria, & cuius vtilitatis: deinde autem de quo est, & quæ diuisio ipsius: vt habitis omnibus partibus ipsius sciatur quando est perfectè vel imperfectè tradita vel descripta. Circa omnia enim hæc diuersa dicere videntur antiqui. Quidam enim antiquorum logicam nullam esse scientiam contenderunt, dicentes non posse esse scientiam id quod est omnis scientiæ siue doctrinæ modus. Modus autem omnis doctrinæ logica est: eò quòd aliquo genere persuasionis vtitur omnis qui docet, vel astruere conatur aliquid: omnis autem persuasio per sermonem logica est, siue syllogismo, siue enthymemate, siue inductione, siue exemplo vtatur qui docet vel persuadet. Modus igitur omnis doctrinæ logica est. Et sic omnis doctrinæ modus est scientia logica. Nulla igitur est doctrina specialis, quæ logica sit dicenda.

Propter quod & Aristoteles in secundo primæ philosophiæ suæ, & similiter Auerroes dicunt omnis scientiæ modum esse ipsam scientiam quæ est & vocatur logica, & quod non simul addisci potest scientia & scientiæ modus, sed oportet prius discere modum, & deinde per modum iam perfectè apprehensum, addiscere tentare scientiam. Text. com. 15.

Quod logica sit scientia.

Sed non satis consideranerunt, quod quamuis scientiæ sint multæ, & quælibet specialem habeat modum, qui differt à modo alterius, sicut & vnaquæque scientia differt ab alterasi est tamen vnus communis modus scientiæ per quoddam commune quod est in omni scientia. Et hoc est quod per inuestigationem rationis ex cognito deuenitur ad cognitionem incogniti: hoc enim fit in omni scientia quocunque modo dicta, siue sit demonstratiua, siue non demonstratiua. Et gratia illius communis, est in omni scientia modus vnus communis omnis scientiæ. Et hic modus est per actum rationis, qui ratiocinatio siue argumentatio est, de cognitione cogniti procedens in scientiam eius quod erat incognitum, secundum quod Isaac in libro de diffinitionibus rationem diffiniens, dicit quòd ratio est animæ intellectualis virtus, faciens currere causam in causatum. Causam generaliter vocans & large, omne quod secundum intellectum simpliciter, vel quoad nos antecedit vt cognitum, per cuius cognitionem, ductu rationis deuenitur

in notitiam incogniti. Hic autem modus quamuis communis sit per hoc quod ponitur in qualibet scientia, tamen secundum se consideratus & non immixtus scientiis, est quoddam per se distinctum ab omnibus aliis. Et hoc modo consideratus hic modus, potest esse subiectum scientiæ, & scientia specialis de ipso est: in qua tamen scientia eundem modum obseruari necesse est, quia scientia talis modi non nisi modo logico doceri potest: vt enim dicit Auicenna, modus hic omnibus hominibus (per hoc quod intellectuales sunt quodammodo per naturam) inditus est. Sed imperfectus est qui in natura est: perficitur autem per artem adhibitam. Id enim quod in natura est, seminarium & imperfectum est, & quasi in potentia existens. Ex hoc enim, quòd homo intellectualis est & intelligentiæ stratum, in quo sternuntur formæ intellectuales in actu luminis intelligentiæ: & per intellectum compositiuus est vnius formæ cum alia per compositionem vel diuisionem, fit homo admiratiuus eorum quæ comprehendit accipiendo per sensum & intellectum, vel per intellectum solum. Per hoc autem quod admiratiuus est, suspenditur ad inquisitionem, & per inquisitionem comparat vnum alteri. Per comparationem autem vnius cum altero, ab eo quod est notum deducitur ad ignoti notitiam. Et sic hic logicæ modus à natura quidem incipit: perficitur autem arte, & vsu & exercitio recipit perfectionem: sicut & Victorinus optimè dicit, quòd natura facit habilem, ars facilem, vsus autem potentem: sic enim natura perfectæ sunt omnes artes & omnes scientiæ. Et hinc est, quod ars naturam imitatur. Et sicut dicit Hesiodus, quidam per solam naturam in talibus sunt perfecti & boni. Quidam autem non per naturam, sed quia Doctores talium in animo ponunt: & illi boni efficiuntur talia in animo ponentes, per comprehensionem principiorum artis & scientiæ. Quidam verò tam erronei sunt, quòd nihil talium in se habent, nec ab aliis suscipere possunt, quos Hesiodus ad verum & bonum cognoscendum reputat inutiles.

Ex principio suæ logicæ

Concludit logicam esse scientiam specialem.

Patet igitur, quòd logica vna est specialium scientiarum, sicut in fabrili in qua specialis est ars fabricandi malleum: cuius tamen vsus omnibus adhibetur, quæ arte fabrili fabricantur. Inuestigatio enim siue ratio inuestigans ignotum per notum, speciale quoddam est, quod passiones habet & differentias & partes & principia: quæ dum de ipso probantur, ars & scientia efficitur specialis, cuius vsus posteà omnibus adhibetur scientiis. Sic igitur patet, quòd logica generaliter dicta, scientia est specialis, de qua nunc est tractandum.

CAPVT II.

Vtrum logica sit pars philosophiæ?

Negantes logicam esse philosophiæ partem.

HAnc autem scientiam qui modus est omnis philosophiæ, quidam nullam partem esse philosophiæ contendunt, dicentes non nisi tres esse partes philosophiæ, scilicet physicam, mathematicam siue disciplinabilem, & metaphysicam siue diuinam. Cum enim diffinitio dicens quid & propter quid medium sit in scientia. Et diffinitio non possit variari nisi tripliciter, scilicet quod aut concipiat materiam sensibilem, quæ cum motu est & mutatione. Aut concipiat materiam intelligibilem, cuius essentia non est cum motu & mutatione secundum rationem, quamuis secundum esse sit in materia quæ est cum mutatione & motu, sicut est magnitudo & numerus. Aut nec secundum essentiam, nec secundum esse concipiat materiam sensibilem. Videtur quòd philosophia non habeat nisi tres partes essentiales: sicut & Aristoteles in 6. primæ primæ philosophiæ dicere videtur. Propter quod nonnulli logicam scientiam siue rationalem, nullam partem dicunt esse philosophiæ.

1. ratio eorum.

Tex. com.

Addunt etiam ad suæ assertionis confirmationem, quòd nullius rei modus, cum re cuius modus est, venit in generis sui diuisionem. Constat autem, quòd logica generaliter dicta, modus philosophiæ est. Non ergo venire videtur ad philosophiæ diuisionem, nec videtur in aliqua parte huius generis quod est philosophia contineri.

2 ratio.

Ponentes logicam partem esse philosophiæ.

1. ratio eorum.

Hanc autem opinionem alij quidam impugnantes dicunt philosophiæ generalis esse intentionem omnem, omnium quocunque modo entium comprehendere veritatem, quantum homini possibile est comprehendere eam, secundum rationem & intellectum. Ea autem quæ sunt, dicuntur esse aut ab opere nostro, siue à voluntate, siue etiam ab intellectu scientiam quærente: aut à natura generaliter dicta, quæ ab opere nostro causari non potest. Et cum ea quæ à natura sunt, nostræ sint causæ scientiæ, & non nos sumus causa ipsorum, non potest de illis esse scientia practica. Relinquitur ergo, quòd de talibus apud nos non est nisi scientia contemplatiua, quæ lumine intelligentiæ perficitur. Eorum autem quorum nos sumus causa per voluntatem, non potest esse apud nos scientia speculatiua, sed tantum practica. Eadem enim sunt in quolibet scibili principia & causæ & elementa cognoscendi, quæ sunt principia essendi: quia aliter sequeretur, quòd id quod scitur à nobis, non scitur secundum id quod est, sed potius sciretur secundum id quod non est. Et sic falso modò sciretur omne quod scitur, quod absurdum est. Relinquitur igitur, quòd de entibus à natura causatis, non potest esse scientia per ea quæ sunt à nobis: sed potius scientia eorum habetur ex principiis causantibus essentiam & esse eorum in natura, quæ non nisi per contemplationem sunt in omnibus. Eorum autem quæ sunt à nobis, non potest esse scientia vera apud nos, nisi per ea principia quæ sunt in nobis, per quæ nos sumus causa eorum, quæ à nobis sunt: cuius finis non est verum, sed bonum, quod nobis bonum est. Similiter igitur alicuius philosophiæ erit intentio comprehendere veritatem eius quod in nobis est, secundum rationem qua nititur comprehendere veritatem eius quod rationis ductu via est in omnem cognitionem omnium eorum quorum cognitio

Eorum quæ sunt à natura non habetur scientia nisi speculatiua: eorum autem quæ sunt à voluntate, habetur scientia practica tantum.

cognitio fit in in nobis per ea quæ cognita sunt apud nos, ex quibus nos proficiscimur ad scientiam incognitorum. Erit igitur de intentione philosophiæ etiam logica scientia quæ est rationalis.

2. ratio.

Adhuc autem huius signum dicunt, quòd apud Peripateticos philosophia in tres partes prima diuisione diuisa est, in physicam scilicet generaliter dictam, & ethicam generaliter dictam, & rationalem similiter acceptam. Dico autem physicam generaliter dictam, quæ comprehendit & naturalem & disciplinalem & diuinam. Ethicam autem generalem, quæ in se continet & monasticam & œconomicam & ciuilem. Rationalem autem generalem, quæ comprehendit omnem modum deueniendi de noto ad ignorum quocunque modo: quod per multa genera probationum fit, vt in sequenti ostendetur. Manifestum est igitur, quòd logica aliqua pars est philosophiæ.

3. ratio.

Adhuc autem si aliquid est de intentione philosophiæ: tunc hoc maximè de intentione philosophiæ erit, sine quo nullus in philosophia in aliquam deuenire potest cognitionem. Ignorans autem logicam nullus ignoti perfectam potest acquirere cognitionem: eò quod ignorat modum per quem deuenire oportet de noto ad ignoti notitiam. Videtur ergo logicam præcipuè esse de intentione philosophiæ.

In principio suæ logicæ. Quomodo contingit de logica vtrum sit pars philosophiæ vel non, est friuola.

Hanc autem contentionem Auicenna & Alfarabius dicunt esse friuolam & infructuosam. Friuolam quidem: quia in contradicendo sibi intentionem ad idem eodem modo dictum non referunt. Dicentes enim logicam philosophiæ partem non esse, realem & contemplatiuam philosophiam vocant. Contradicentes autem his, & dicentes logicam partem philosophiæ esse, omnem comprehensionem veritatis qualitercunque existentis, siue in se, siue in nobis cognoscentibus vel operantibus, vocant philosophiam. Et sic friuolè contendunt non ad idem suam referentes intentionem. Infructuosa etiam huius contentio: quia de proposita nihil declarat intentione. Et sic nihil prodest ad propositum.

Concludit intentionem propriè, scilicet logicam esse vnam partium philosophiæ. Quomodo logica variatur, & est multiplex.

Est igitur logica vna partium philosophiæ generaliter dictæ, quæ omnis admirabilis intendit comprehendere veritatem secundum modum, secundum quem possibile est comprehendere eam ex propriis principiis eius quod admiratur. Hoc enim variatur secundum vniuscuiusque scientiæ proprietatem. Sicut enim in philosophia reali secundum diuersitatem diffusionis (quæ medium in demonstratione est) variatur philosophia: sic in logicis siue rationalibus secundum variationes ratiocinationis variatur scientia, hoc est, sciendi modus. Si enim ratio procedit ex signis facientibus præsumptionem, erit logicæ generalis pars vna quæ rhetorica vocatur. Si autem procedit ex fictis facientibus delectationem vel abominationem, erit alia pars logicæ quæ vocatur poëtis vel poëtica. Si autem procedit ex probabilibus communibus, quæ in pluribus inueniuntur, erit pars alia quæ vocatur dialectica. Si autem procedit ex causis essentialibus & propriis, erit alia pars quæ vocatur demonstratiua. Si ex his quæ videntur & non sunt, erit pars alia quæ vocatur sophistica. Si autem ex cautelis prouocantibus respondentem doceat procedere, erit alia pars logicæ generalis quæ vocatur tentatiua: & sic facilè est de omnibus aliis intelligere.

Res tripliciter potest accipi.

Horum autem quæ dicta sunt, rationem ponit Auicen. dicens res omnes tripliciter esse accipiendas, scilicet quod primo accipiantur in essentiæ suæ principiis. Secundo in esse quod habent in singularibus propriis. Tertio autem secundum quod acceptæ sunt in intellectu. Multa enim secundum essentiæ suæ principia separata sunt à motu & à materia, quæ tamen secundum esse sunt vel possunt esse in motu & materia, sicut substantia, vnitas, idéitas, multitudo, & diuersitas, & alia huiusmodi quæ quidé in essentiæ suæ principiis ingenerabilia & incorruptibilia sunt: & hoc modo secundum Platonem sunt rerum principia formalia: propter quod ingenerabilia & incorruptibilia talia Plato esse dicit. Et si talia dicantur generari vel corrumpi, hoc non erit nisi secundum accidens, hoc est, secundum esse quod habent in generatis & corruptis. Acceptio autem rei secundum esse quod habet in suppositis, erit secundum existentiam illorum suppositorum, & secundum diffinitionem quam habere possunt secundum esse quod habent in illis. Acceptio autem rerum secundum quod sunt in intellectu, est secundum cognitionem quam habent, non secundum quod in se sunt, sed secundum quod acceptæ sunt per intellectum. Et secundum omnes istos tres modos sunt etiam consequentia accidentia quæ vocantur propriæ passiones ipsius. Et sic quoliber istorum modorum trium philosophia de ipsis intendit acquirere veritatem. Et hoc est per ductum rationis aliquem, qui ad logicam pertinet. Res enim prout habent esse in anima, accidentia habent propria, sicut aliquid esse notum apud hominem, & aliquid esse ignotum: & cum comparata adinuicem in aliquo se coniungant, erit via rationis, procedendo de noto ad ignotum, per comparationem noti ad ignotum secundum conuenientiam vel differentiam noti ad ignotum. Ex quo comprehenditur, quòd vnum componitur cum alio, & prædicatur de illo: vel vnum diuiditur ab alio, & remouetur ab ipso: secundum enim hunc modum deuenitur de vno in alterum. Hoc igitur modo logica est de intentione philosophiæ generalis.

CAPVT III.

De vtilitate dialectica?

Necessitas logicæ ad philosophiam.

SVmmè autem necessaria & vtilis est logica philosophiæ. Ex quo enim logica docet qualiter ignotum fiat notum, patet quòd in nulla philosophia aliquid notum fieri potest nisi per logicæ doctrinæ facultatem. Est enim, vt dicit Boëtius in topicis, ratio differendi, hoc est, docens qualiter de quolibet differendum, quæ in duas (vt dicit) distribuitur partes, scilicet

In 1. lib. de differentiis to. cap. 1.

sciliçet scientiam inueniendi, quam topicam Græci vocauerunt: & scientiam indicandi, quam Græci analyticam, Latini autem resolutoriam nuncupauerunt. Constat autem, quòd sine dissertione & inquisitione non venitur de noto ad ignotum: quæ dissertio non est nisi inquisitio differens qualiter notum comparatur ad ignotum, qualiter se habet ad illud, vt causa, vel principium, vel signum, vel coniectura ad illud: vel contrario modo vt repugnans ad ipsum, sine quo in nulla scientia aliquid sciri

Vide 1. phys. tem. 15. potest. Quoad hoc ergo, quòd scientia est docens differere de omni re, non tantum est vtilis in se, sed etiam necessaria est ad omne quod scire intendimus. Propter quod Aristoteles frequenter dicit in diuersis libris suis, quòd causa erroris antiquorum fuit, quia scientiam logicam non inuenerunt siue habuerunt. Docet enim logica principia qualiter hoc & quibus principiis & quibus argumentis de quolibet scibili disserendum est: qui modus nisi sciatur, scibile inueniri non potest: quia is qui quærit modum inueniendi scientiam scibilis illius non habet propter quid.

Etiam Aristoteles dicit, quòd modus scienti ante scientiam quamlibet discendus est vt per illum modum scientia cuiuslibet scibilis inueniatur. Cum enim scientia habitus sit conclusionis, oportet quòd concludere sciat ille qui scientiam accipit. Non autem concludere scit, qui nescit quid concludere debeat. Et cum nihil concludi debeat nisi quæstio, oportet quòd sciat quid & qualiter quærendum est id quod concludi intenditur.

Adhuc concludere se nescit qui nescit ex quibus & qualibus & qua conclusione concludendum est. Hæc autem omnia nulla docet philosophia nisi tantum logica. Non ergo tantum vtilis est & adminiculans ad omnes scientias, sed etiam necessaria. Propter quod nescientes logicam, etiam id quod scire videntur, nesciunt se scire: quia nesciunt qualiter vnumquodque sciri oportet, & qualiter probandum vel improbandum est.

Adhuc autem tales in scitis suis nullam habent potestatem, dum nesciunt propter quod scitis suis assentiunt, nec qualiter contradicentibus respondere debeant. Hoc autem scit logicus si perfectè scientiam disserendi de quolibet sit adeptus.

Adhuc autem nescienti logicam, etsi scire aliquid videatur: nescit tamen, sicut iam supra diximus, cum rationem sui sciti nesciat: & se habet ad scitum & ad actum sciendi, sicut ignis

Vide 1. metaphysicæ. 1. ad comburere lignum. Et ideò scientis est (vt in prima philosophia docet Aristoteles) posse docere. Docere autem non potest, qui rationem sciti nescit exponere. Nescit autem exponere sui sciti rationem, qui causas & principia logicæ non nouit. Erit igitur talis etiam in his quæ scire videtur, sicut idiota se habet ad habentem literam. Talis etiam neque suum neque alterius deprehendit errorem: quia non habet habitum per quem diiudicet verum recte scire quod scit, vel non recte.

Adhuc autem per hoc quod inueniendi quodlibet scitum scientia est per habitudines vnius ad alterum, quæ topicæ siue locales vocantur, quibus intellectus vel opinio vel fides vel existimatio vel suspicio locatur in alio, quod iam intus habetur in animo quærentis. Sine logica nec ad inquirendum, neque ad inueniendum aliquid procedi potest: nec etiam quando quæsitum inuenitur, sciri potest, an inuentum vel non inuentum sit. Manifestum est igitur, quòd etiam quoad hoc logica non tantum vtilis est, sed necessaria etiam est ad omnem philosophiam.

Adhuc autem etiam per hoc quod indicandi scientia est (quia id quod inuentum est, diiudicatur an rectè per sua principia scitum sit) necessaria ad omnem philosophiam est logica scientia. Hoc autem docet logica dupliciter, resoluere docens scitum in principia, scilicet consequentiæ quæ sunt in figuris & modis consequentiarum syllogisticarum: & in principia realia eius quod sequitur sicut in causas immediatas & essentiales & conuertibiles cum eo quod scitum est per conclusionem: quo iudicio omne quod scitur, quasi ponderatur, ad æquilibram rationis reducens omne quod in omnibus physicis quæritur ad sciendum.

Est autem non tantum necessaria, sed etiam *Vtilitas eius. Vide 2. topicorum c. 2.* vtilis hæc scientia, sicut bonum est felicitas hominis secundù optimę partis animę hominis perfectissimum actum, hoc est, secundum intellectum contemplatiuum: nec contemplari poterit intellectus, nisi nouerit contemplationis principia, & sciat inuenire quod quærit contemplari, & diiudicare idipsum quod iam contemplatur inuentum. Patet conclusio, quòd *Pro quo vide Algazel. in 2. cap. suæ logicæ.* præ omnibus vtilis est ad felicitatem hæc scientia, sine qua non attingitur felicitatis actus, & per quam ipse felix actum non impedite recipit operationis. Hæc enim scientia à phantasiis (quæ videntur & non sunt) liberat, errores damnat, & ostendit falsitates, & lumen dat rectæ contemplationis in omnibus. Præ omnibus igitur considerandæ est hæc scientia.

CAPVT IV.

De quo sit logica vt de subiecto?

CVm autem logica sit scientia contemplatiua, docens qualiter, & per quæ deueniatur per notum ad ignoti notitiam, oportet necessariò, quòd logica sit de huiusmodi rationis instrumento, per quod acquiritur per notum ignoti scientia in omni eo quod de ignoto notum efficitur. Hoc autem est argumentatio, secundum quod argumentatio est ratiocinatio mentem arguens & conuincens per habitudinem noti ad ignotum de ignoti scientia. Inter *Opinio pœnitentium syllogismũ esse subiectum logicæ, quam etiam sectatur Sco. in 2. q. vniuersalium. Improbatio eorum.* species autem argumentationis præcipua est syllogismus. Propter quod quidam dixerunt, quòd logica tota est de syllogismo & partibus syllogismi: determinantes commune subiectum logicæ secundum id quod est subiectum principale. Non enim de omnibus fides esse poterit per syllogismum, propter hoc quod discursus syllogisticus non est nisi ab vniuersali

sali vniuersaliter accepto: quod in multis scientiis esse non poterit, vt in rhetoricis. Propterea quod in illis præcipuè locales habitudines attenduntur, à quibus per enthymemata concluditur id quod quæsitum est. Cum igitur logica, vt dicit Aristoteles, „ det omni scientiæ modum differendi, & inueniendi, & diiudicandi quod quæsitum est: oportet quòd de tali sit vt de subiecto, quod omnibus in omni æqualiter applicabile est. Sunt autem adhuc quædam in quibus ex singularibus quærimus inuenire quod ignotum est, sicut in experimentalibus, in quibus vtimur vel syllogismo vel inductione ad vniuersale accipiendum, & non possumus vti syllogismo perfecto. Propter quod syllogismus commune subiectum logicæ esse non potest. Propter hoc etiam in logicis quæ ab antiquis scriptæ sunt, non solum docetur quid syllogismus, & qualiter, & ex quibus sit: sed hic etiam docetur quid argumentatio, & quæ partes, & species eius.

Opinio pœnitium. Sermonem esse subiectum logicæ generaliter sumptæ. Sunt tamẽ qui logicam interpretantur idem quod sermocinalem, dicentes logicam generalem idem esse quod sermocinalem scientiam, sub qua dicunt contineri grammaticam, poeticam, & rhetoricam, & eam quam vocant dialecticam. Et ideo dicunt logicæ generalis subiectum esse sermonem, prout est designatiuus rerum quæ significantur per ipsum. Quam opinionem impugnat Auicenna in primo logicæ suæ, dicens, quòd sermo de se nihil significat: si enim aliquid de se significaret, semper & apud omnes illud significaret: quod falsum est. Significationem ergo accipit à placito instituentis. Non ergo significat nisi secundum quod conceptus est in intellectu instituentis. Tali autem sermone (secundum quod sic significatiuus est concepti) vtitur homo ad seipsum & ad alium. Propter quod dicit Damascenus, quòd in duo diuiditur, scilicet in encordialem, hoc est sermonem interius in mente dispositum, & in eum qui ex signis, qui angelus intelligendo est sui cordis nuntius, quia conceptus

Improbatio eorum per Auic.

Opinio Auic. Alfarabij & Algazelis, quòd argumentatio sit subiectum: pro quo vide Auic. in c. 3. suæ logicæ, & Algazel. in cap. 2. cordis nuntiat ad alterum. Propter quod logicus & ad se & ad alterum vtitur sermone per accidens, & non per se: quia sine sermone designatiuo procedere non potest ad notitiam eius quod ignotum est. Ratiocinatione autem vtitur per se ad notitiam faciendam eius quod declaratum est. Propter quod cum logici intentio sit docere ea, per quæ per se venitur in notitiam ignoti per quod notum est, logicæ subiectum est argumentatio: quia per argumentationem efficitur id quod intenditur.

Adhuc sermo incomplexus quamuis designet aliquid apud intellectum simplicem: tamen fidem non facit an aliquid sit vel non sit, quia non aliquid esse significat vel non esse. Non autem venitur ad notitiam ignoti nisi per aliquid, quod de ignoto fidem facit, quòd ità sit vel non sit. Sermo igitur incomplexus non potest esse instrumentum per quod de ignoto intellectus ad notitiam deducatur: quod principaliter intendit logicus. Sermo igitur incomplexus non assumitur à logico nisi per accidens, inquantum est pars sermonis complexi, qui est intellectus compositi designatiuus.

Amplius sermo complexus in eo quod complexus est, nec significat esse vel non esse: si enim hoc esset, omnis sermo complexus rem esse vel non esse significaret: & sic oratio deprecatiua, vel optatiua, vel subiunctiua, rem esse vel non esse significaret, quod falsum est. Sermo ergo complexus per hoc quod enuntiatiuus est, rem esse vel non esse significat: per hoc autẽ quod rem esse vel non esse significat, non habet arguere & fidem facere de enuntiato. Per hoc igitur quod enuntiatiuus est, non est instrumentum per quod logicus consequatur id quod intendit. Fidem autem facit per hoc quod ad formam argumenti collectiuus est. Argumentatio igitur logici instrumentum est. Logica autem generalis & docens de hoc est vt de subiecto, per quod vtens logicus in scientiam venit ignoti per notum. Argumentatio igitur logicæ docentis proprium subiectum est. Et hæc est trium Philosophorum sententia, Auicennæ scilicet, Alfarabij, & Algazelis.

Quomodo grammatica, rhetorica, poetica, & logica, vario modo vtuntur sermone. Vtuntur tamen sermone omnes sermocinales scientiæ, grammatica scilicet, poetica, & rhetorica, & ea quæ vocatur logica. Grammatica prout modus inflexionum & constructionum intellectus simplicis & compositi complexè designatiuus existit simpliciter absque eo quod sciat de significato vtrum sit vel non sit. Poetica autem vtitur eo prout modulus pronuntiatus delectatione, vel abominatione prouocat audientem ad aliquid faciendum vel fugiendum, propter quod ex variis compositis & secundum metalogiam siue fabulam fingit tentans mendacia quæ prouocent audientes. Rhetorica autem sermone vtitur prout est designatiuus eius per quod persuadere intendit. Solus autem logicus sermone vtitur prout est pars instrumenti, per quod solum fides fit de incognito, cum notitia ipsius ex noto arguitur per complexionem argumenti. Propter alterum ergo sermone vtitur, & non propter seipsum.

Notum dupliciter consideratur. Huius autem probatio est, quòd notum (per quod ignoti scientia accipitur) dupliciter consideratur, scilicet prout est res extra animam noscentis accepta. Et prout est notio quædam in anima noscentis. Non autem facit notitiam ignoti prout est res extra animam noscentis accepta, sed potius prout est notio rei in anima noscentis existens: sic enim significatiua est & illatiua eius quod ignotum est: quod ignotum ipsi aliquo modo percipit intellectus perfecta comprehensione. Hoc ergo modo voces significatiuas rerum considerat logicus & non aliter. Dico autem perfecta comprehensione: quia sunt fortè quidam adeò perspicaces, quod ex intellectu vnius vocis complexæ statim de ignoto fidem concipiunt: sed hoc est imperfectum, & non generale. Et ideò non sufficit, sed opus est argumentatione perfectè hoc faciente.

In quolibet aliquid est per se notum homini, & naturæ, & istitum, per quod ignoti potest accipere scientiam. Siquis autem quærit vnde efficiatur notum id, ex quo ignoti accipitur scientia & fides? Hoc nihil est quærere: quia in quolibet aliquid per se notum est homini & naturæ insitum, per quod ignoti potest accipere scientiam. Aliter enim homo nullius esset perceptibilis scientiæ vel disciplinæ, sicut nec brutum animal, si

prima cognoscendi principia per seipsa non inessent homini. De argumentatione igitur vel syllogismo est tota logica vt de subiecto. De aliis autem vocibus incomplexis est propter illam.

CAPVT V.

De diuisione logicæ, & quæ sint partes ipsius, & de voce significante ad placitum, quid & qualiter significet.

Diuisio autem logicæ, & quæ sunt partes ipsius, vt dicunt Auicenna & Alfarabius, accipienda sunt ex intentione ipsius. Sicut verò iam antedictum est, logica intendit docere principia per quæ per id quod notum est, deuenire potest in cognitionem ignoti. Est autem incomplexum, de quo quæritur quid sit aut complexum, de quo quæritur an verum vel falsum sit. Sciri autem non potest incomplexum de quo quæritur quid sit, nisi per diffinitionem. Complexum autem, de quo quæritur an verum vel falsum sit, non potest sciri nisi per argumentationem. Istæ ergo sunt duæ partes logicæ. Vna quidem vt doceantur principia per quæ sciatur diffinitio rei & quidditas: ita quod per principia illa doceatur, quæ sit vera rei diffinitio, & quæ non, & quæ videatur esse & non sit. Alia verò vt doceantur principia qualiter per argumentationem probetur enuntiationis veritas vel fallitas. Et vt doceatur illius argumentationis forma, quantum ad figuram & modum, & qualitationem seu complexionem: & vt doceatur eiusdem argumentationis materia. Et vt doceatur quæ videatur esse argumentatio, & non sit: eò quod apparentiam aliquam quidem habet, sed veram existentiam non habet. Et vt doceantur cautelæ quibus opponens vel respondens per aliquam occasionem impediatur vel commoueatur à coniectu veritatis, vel ad hoc quod perfectè videat veritatem & non diuertat ab ipsa.

Ignoti enim aut est incomplexum, aut complexum.

Duæ partes logicæ.

Sed prima harum partium vel ab antiquis tradita non est, vel ad nos non peruenit. Hanc etiam partem dicunt Auicenna & Alfarabius ad Arabes non peruenisse. Dicit tamen Aristoteles in plerisque locis hanc causam erroris fuisse antiquis: quia artem diffiniendi non habebant. Quod autem quidam dicunt hanc tradidisse Aristotelem in sexto topicorum, friuolum est: ibi enim partem diffiniendi non tradidit, sed docet terminare problema illud quo quæritur quid insit vt diffinitio. Adhuc autem quidam alij dicunt hæc pertinere ad metaphysicam, & Aristotelem hanc tradidisse in septimo & octauo primæ philosophiæ: sed hoc absurdum est. Aristoteles enim ibi docet quæ sint diffinientia tam substantiam quam accidens, & quæ sit diffinitio physica, & qualiter diffinitio est vnum & non multa, & talia huiusmodi. Sed qualiter diffiniendo respondetur ad quæstionem qua quæritur, quid est res per essentiam & quidditatem, non docet: quia hoc ad logicam pertinet, & non ad primam philosophiam. Patet igitur, quòd hæc pars nondum ad nos peruenit. Sunt & harum partium subdiuisiones quæ exequitur logica: de quibus in sequentibus erit tractatus.

Pars logicæ quæ docet diffinire, vel non fuit nobis nó antiquis tradita, vel ad nos nó peruenit.

Quia autem logica omnia considerat prout sunt in anima siue in intellectu eius, qui quærit per notum sibi venire in notitiam ignoti: gratia horum considerat de voce significante ad placitum, & quid & qualiter significet: quod antiquiores Peripatetici (vt dicunt Alfarabius & Algazel) in quinque modis distinxerunt. Primo quidem & principaliter dictio significat id ad quod prima institutione significare est institura, vt homo hominem, & domus domum, & sic de aliis. Secundo modo significare dicitur quod ex consequenti supponitur in ipsa, sicut domus significat fundamentum & parietem, & quodlibet totum integrale sic significat suas partes integrales & principales. Tertio modo quando res comitatur significationem ipsius: sicut si paries est, fundamentum esse significat: & si tectum est, fundamentum & parietem esse significat. Quarto quando vnum est in intellectu alterius, sicut homo significat animal, & significat rationale. Et ad hunc modum reducitur, quòd accidens & passio significat subiectum, sicut simus significat nasum, & sicut album significat corpus terminatum, & cætera huiusmodi. Quinto sicut oppositio significat oppositionem, & oppositum significat oppositum: sicut disgregatio albi, significat aggregationem nigri: & motus ad centrum frigidi, significat motum à centro calidi, & cætera huiusmodi. Et hoc ad logicam pertinet per hoc, quòd logica est differendi scientia: differi autem non potest, vt dicit Aristoteles in quarto primæ philosophiæ, nisi detur, quòd nomina aliquid significant, eo quod non significant infinita. Gratia huius etiam considerat de communibus & vocibus incomplexis.

Quinque modu significant voces significatiue.

Tex. com. 10.

Complexio autem & incomplexio non accidunt rei secundum quod res est, nec etiam voci secundum quod est vox: sed accidunt voci secundum quod refertur ad intellectum simplicem vel compositum. Simplicem autem dico intellectum, qui simplex vnius rei est intuitiuus. Talis enim intellectus non significatur ad alium, nisi voce siue dictione incomplexa. Compositum autem dico intellectum, qui accipit rem vnam in alia vel vt diuisam ab alia: qui intellectus voce incomplexa designari non potest, sed potius complexa: sicut homo est animal, vel homo ambulat, vel homo non est lapis, & huiusmodi. Propter quod diffinientes incomplexum veteres Peripatetici dixerunt, quòd dictio significatiua ad placitum incomplexa est, cuius partes nihil significant de intentione totius: sicut cum dicitur homo, pars ista quæ est ho, & pars alla quæ est mo, nihil significant de hominis intentione. Quod si etiam nomen aliquod rei vnius simplicis sit compositum, sicut Adeodatus: tamen secundum quod vnius simplicis rei nomen est, incomplexa dictio est. Et hoc quod dico Adeo, & hoc quod dico datus, nihil significant de intentione totius nominati per hoc nomen Adeodatus. Complexa autem dictio est, cuius partes

Vox duplex: complexa, incomplexa.

Incomplexa vox quid. Vide 1. periher. cap. 1.

Complexa dictio quid.

partes aliquid significant de intentione totius, sicut cum dicimus, homo ambulat, & hæc dictio homo, & hæc dictio ambulat, aliquid significant de intentione huius complexi, homo ambulat.

Nomen appellatiuum & proprium.

Adhuc autem vox secundum quod refertur ad intellectum eius qui quærit inuenire ignotum per notum, habet quòd diuidatur in commune, seu vniuersale: & proprium, siue singulare: talium enim nihil accidit ei secundum quod ad rem designatam refertur. Res enim omnes sunt singulares quæ cadunt sub sensu & secundum quod constituuntur à natura: & commune quod est in eis, accipitur ab intellectu. Et ideò dicunt Aristoteles & Boëtius, quòd vniuersale est dum intelligitur, singulare verò dum sentitur. Commune tamen quod est in eis; est tribus modis, scilicet id quod est actu in pluribus, vt homo quod actualiter insibile est in plures, ita quod totum est in singulis per naturam & rationem. Et id quod actu est in vno, aptitudine verò naturæ potest esse in pluribus, sicut hoc commune quod est sol. Et id quod nec actu est in pluribus, nec in aliquo vel vno solo, sed aptitudine non repugnat & ratione quin possit esse in multis, sicut heptangulum si ponimus nihil esse heptangulum secundum actum, tamen secundum aptitudinem est & potest esse in multis. Et vt generaliter dicatur, omne nomen vel dictio, quod imponitur à forma communicabili multis, siue illa forma sit accidentalis, siue substantialis, commune est & vniuersale, siue secundum actum multis communicetur, siue non.

Vide 2. phys. tex. com. 49. Vniuersale seu commune est tribus modis.

Proprium vel singulare quid.

Proprium autem siue singulare est, quod imponitur à forma accidentali significante accidentium collectionem quam impossibile est inueniri nisi in vno solo, vt Socratitas, vel platonitas: quæ ex parentibus subiectis, & loco nationalitatis, & aliis huiusmodi, non nisi vni conuenire potest: & impossibile est vt in alio reperiatur. Et hoc dupliciter fit: vel enim fit nomine proprio, vel nutu demonstrationis ad hoc singulare, vt cum dicimus, hoc lignum, vel hoc album: hoc enim sic est hoc, quod non potest esse aliud.

Proprium duplex.

Adhuc dictio siue vox significatiua est articulata, non ex hoc quod refertur ad rem designatam, sed ex hoc quod est in intellectu quærentis scire ignotum per notum: licet etiam quædam ipsius sit nomen, quædam autem verbum. Pronomen autem (sicut & nomen suum testatur) vice nominis in supponendo accipitur: & participium cum suppletione verbi substantiui in apponendo vel prædicando supplet vicem verbi: sicut cum dicitur, homo est amans, vel homo amat, vel homo fuit amans, vel homo amauit, vel homo erit amans, vel homo amabit. Cæteræ autem partes indeclinabiles sine adjunctis nullum habent intellectum: vt si dicatur, homo est in, non intelligitur nisi addatur in quo sit, vt in domo. Et similiter cùm dicitur, homo est supra: & si dicatur, homo autem, & non addatur cui aduersetur coniunctio: vel si dicatur, homo ergo, nisi addatur quod inferatur. Nomen autem vt in sequentibus habebitur significatiuum est ad placitum sine tempore. Verbum autem cum tempore quod ei subiicitur. Idem prædicatur, vel dicitur, vel negatur, vel affirmatur vni.

In 1. periher. cap. 1.

Adhuc autem voci significatiuæ ad placitum secundum quod est in intellectu quærentis scientiam ignoti per notum, accidunt quinque, scilicet quod sit vniuoca, & quædam diuersiuoca, quædam autem multiuoca, etiam analoga, quædam æquinoca: quædam verò analoga siue proportiona, quæ apud Arabes vocatur conuenientia. Vniuoca autem sunt, quæ à tali forma imposita sunt, ad quam omnium participantium eam est respectus vnus secundum rem & rationem sine magis & minus: sicut animal participatur à speciebus animalium, & homo participatur ab indiuiduis quæ sunt sub ipso. Diuersiuoca autem sunt diuersa nomina vnius & eiusdem rei secundum substantiam: eò quod instituens nomina illa instituendo diuersis rei proprietatibus fuit affectus, vt ensis, mucro, spata, gladius, vestis, tunica, & huiusmodi. Multiuoca sunt diuersarū rerum diuersa nomina: eò quod instituens diuersis diuersarū rerum proprietatibus instituendo fuit affectus, vt equus, & asinus. Æquinoca sunt quando vnum nomen diuersis secundum diuersam rationem impositum est: eò quod vna aliqua proprietas inuenta in diuersis afficit instituentem: quæ tamen proprietas non per vnam rationem est in illis, vt canis, quod nomen est impositum latrabili, & stellæ cælesti, & marino pisci propter vnam proprietatem inuentam in illis, quæ est omnia hæc esse mordacia: cum tamen non vna ratione mordacia sint. Analoga autem sunt proportionaliter dicta, vt Arabes dicunt, conuenientia: & sunt media inter vniuoca & æquinoca, quæ sunt imposita diuersis secundum esse & substantiam per respectum ad vnū cui proportiopantur, sicut ens, quod dicitur de substantia primo & principaliter, & de accidente secundariò, quia est aliquid entis: & quantitas dicitur ens, quia est mensura entis: & qualitas dicitur ens, quia est dispositio entis. Et hoc, vt dicit Ioannes Damascenus in logica sua, fit tribus modis, scilicet proportione ad vnum subiectum, vt ens. Et proportione ad vnum efficiens actum, vt medicus dicitur verè medicus qui secundum eam quæ in ipso est medicinam operatur: & medicus dicitur idiota, medicum per experta vel experimenta imitans in opere medicandi, & non secundum eam quæ in ipso sit artem medicinæ: & medicus dicitur instrumentum medicinæ per quod fit medicatio, vt clyster, vel emborum, vel aliud huiusmodi. Tertio proportione eiusdem, sicut sanum quod principaliter consistit in æqualitate complexionis animalium, & est in cibo sicut in conseruante eandem sanitatem, & in vrina sicut in indicante, & in aere vel in loco sicut in fouente, & similiter est in aliis. Hæc autem omnia de logicis extracta sunt: eò quod hæc conueniunt voci significatiuæ & articulatæ, secundum quod per institutionem afficit intellectum eius, qui per notum certificari quærit de ignoto. Volumus enim secundum consuetudinem quam in aliis habemus, omnia quantum possimus ponere, quæ ad illuminationem pertinent doctrinæ.

Quid sint vniuoca, diuersiuoca, multiuoca, æquinoca, & analoga.

Analogia fit tribus modis.

Consuetudo D. Alberti in suis operibus.

CAPVT VI.

De parte logicæ quæ certificat incomplexum, & de requisitis ad veram diffinitionem, eiusque peccatis, ac de modis diffinitionis?

EX his autem quæ dicta sunt patet, quòd si quis quærit scire incomplexum quod ignorum est, per id quod non potest sibi esse ignorum, non potest inuenire notitiam eius nisi per diffinitionem vel aliquid aliud quod diffinitionem imitatur incomplexi aliqua declaratione. Huius autem principia & regulæ sunt quinque, & quinque corruptiones. Primum quidem, quòd omnia posita in diffinitione sunt substantialia & substantialiter in diffinito existentia: quia diffinitio dicitur id quod omnes fines essentiæ diffinit, coniungit & vnit, & explicat quæ sunt principia diffiniti siue esse diffiniti, scilicet essentiam potentiam, & vltimum actum complentem esse diffiniti, sicut dicimus animal rationale mortale voluntariè mobile, diffinitionem esse hominis, Animal autem secundum quod in se includit corpus animatum sensibile & substantiam, prima potentia est, in qua inchoatum est esse hominis. Hæc autem inchoatio per rationale determinata est essentialiter ad actum rationis. Per mortale autem ad speciem est determinatum, præcipuè secundum Stoicos, qui calodæmones, & cacodæmones animalia rationalia corpora aërea, & vita immortalia esse dicebant, vt dicunt Themistius, & Apulcius. Per hoc autem quod mobile voluntariè dicitur, separatur ab aliis quæ apta à natura & phantasia sunt ad motum. Et hoc est primum.

Quinque sunt requisita ad veram diffinitionem.

7. meta. tex. com. 42.

Secundum autem est (quod Aristoteles docet in metaphysicis) quod vltima differentia sit cum diffinito conuertibilis, quæ totam diffinitionem facit esse conuertibilem: sicut hoc ipsum quod est voluntariè mobile, conuertitur cum homine secundum quod voluntas sonat appetitum qui est in ratione.

Tertium autem, quòd prius positum in diffinitione, se habeat ad sequens, sicut potentia propinqua ad actum, & sicut determinatum ad determinans, & sicut distinctum ad distinguens, sicut animatum ad sensibile, & sicut sensibile ad rationale, & mortale ad rationale, & sicut mobile voluntariè ad mortale: ita quòd in vno motu generationis semper posterius procedat ex antecedente.

Quartum est, quòd diffiniens primum sit per se notum apud eum qui quærit cognoscere diffinitum & in substantia & potestate: quia nisi sit notum in substantia, non potest esse principium cognitionis ignoti: & nisi sit notum in potestate, non potest per diuisionem ipsius venari diffinitio eius quod quæritur cognosci.

Quintum autem, quòd diffinitio dicat totum esse diffiniti: quia aliter non attingeret à fine vsque ad finem in quidditate & esse diffiniti. Et sic verum nomen diffinitionis non haberet. Et per hoc habet diffinitio, quòd est vnum & non multa, sicut motus est vnus & non multus, qui est à prima potentia per viam mediam vsque ad vltimum actum. Hæc igitur diffinitiuè considerata faciunt talem diffinitionem, quod verè & totum certificat diffinitum.

Peccata diffinitionis sunt quinque.

Peccata ipsius sunt & quinque his opposita: quamuis quodlibet peccatorum sit multis modis; sicut & in aliis in quibus bonum fit ex vna re & causa, malum autem omnifariam & modis infinitis, vt dicit Pythagoras. Primum ergo peccatum est, si per accidentale vnum vel per accidentalia plura vel omnia, notitia essentialis quæratur diffiniti: sicut si dicam, quòd homo est animal risibile, vel quod sol est (vt dicit Empedocles) res alba calida.

Dictum Pythagoræ.

Secundum peccatum est, si vltima differentia sit non conuertibilis: tunc ipsa præcedentia quæ in plus sunt, per differentiam vltimam non determinantur ad esse diffiniti nisi in potentia: nec quidditas & esse diffiniti scitur per ea scientia vniuersali, sed in potentia, non in actu: & sic non perfectè scitur esse diffiniti.

Tertium peccatum est, si inordinatè ponantur in diffinitione quæ ponuntur: sic enim actus significaretur præcedere potentiam in eodem: quod nunquam contingit in aliquo esse diffiniti, in quo est potentia & actus. In omnibus enim talibus potentia immediatè præcedit actum: & ideo per talem diffinitionem esse (sicut est) diffiniti non declararetur. Et huius exemplum, sicut si dicam, quòd homo est viuum rationabile sensibile.

Quod primū diffiniēs non sit per se notum in substantia & potestate, cōtingit quatuor modis.

Quartum peccatum est, quòd primum diffiniens sit non per se notum in substantia & potestate: & hoc contingit quatuor modis: quia cùm diffinitur per id quod est idem, aut æquè ignotum, aut per ignotius illo, aut per id quod non potest esse notum nisi per diffinitum, aut per id quod per aliud est notum. Per id quod est idem, exemplum est, sicut quando diffinitur tempus quod est mensura motus: quod enim dicitur de tempore, dicitur de mensura motus: quia tempus nihil aliud est, nisi mensura motus: & qui ignorat tempus, ignorat id quod est mensura motus. Cum vero diffinitur per æquè ignotum, est, sicut cum diffinitur albedo per id quod est esse contrarium nigredini: æquè enim ignorum est quid sit albedo, & quid sit eius contrarium, scilicet nigredo. Et sic de diffinitione relatiuorum per seinuicem, sicut inferius in sequentibus erit manifestum. De illo autem quod est ignotius, exemplum est, sicut qui diffinit ignem, dicens quòd ignis est res inter corpora spiritui vel animæ similima: diffinit enim ignem per animam, quæ ignotior est quam ignis per substantiam & diffinitionem. De eo quod diffinitur res per id quod non potest cognosci nisi per diffinitum, exemplum est, sicut qui diffinit solem, dicens quòd sol est planeta illuminatione sua faciens diem. Cum enim dies sit mora luminis solis super nostrum hemisphærium, constat quòd illuminatio diei cognoscitur per diffinitum: & sic circularis erit diffinitio, quod valdè est incon

Tract. de relatione. in c. 9.

Vt t. post. c. 6. habetur.

inconueniens. Omnia autem conueniunt in vno, scilicet quòd diffinitur res per id quod per aliud debet esse notum: sic enim nunquam stabit, sed semper diffinitur per aliud, & ibitur in infinitum.

Quintum peccatum est, quòd diffinitio non dicat totum esse diffiniti: si enim non totum diceret & explicaret, non diceret quid est esse diffiniti, & non certificaret diffinitum nisi in parte. Sicut qui diffiniens triangulum, dicit quòd triangulus est figura trium angulorum tres angulos habens æquales duobus rectis. Cum enim non ponatur in diffinitione, quòd triangulus est figura rectilinea habens tres angulos æquos duobus rectis, non dicitur totum esse diffiniti: potest enim esse figura trium angulorum habens tres angulos maiores tribus rectis, si ex arcubus sit composita figura triangula. Alia etiam de causa peccat dicta diffinitio: quia ponit quod non est essentiale diffiniri. Habere enim tres angulos æquos duobus rectis, non est essentiale constituens triangulum rectilineum, sed est passio essentiam diffiniti consequens. Aliud exemplum eiusdem (& est conuenientius isto quod dicitur) est, quòd circulus est figura plana vna linea contenta. Hæc enim diffinitio non totum dicit esse diffiniti: quia de eo quod est principium formale circuli, & ex quo producitur, non facit mentionem, hoc est, de centro. Perfecta ergo erit si sic dicatur, circulus est figura plana vna linea contenta, in cuius medio punctum est, à quo omnes lineæ ad circunferentiam productæ in continuum & directum, sunt æquales. Hæc ergo sunt quæ in diffinitionibus sunt attendenda & cauenda, si per diffinitionem debeat certificari diffinitum.

Aly modi diffinitionum.

Sunt tamen aliæ quædam notificationes, non propriæ diffinitiones, datæ aliquandò per materiam, aliquandò per efficientem tantum assignatæ, quæ nisi reducantur ad diffinitiones quæ per genus & essentiales differentias datæ sunt, diffinitiones dici non possunt, sed quælescunque notificationes. Reducantur autem hoc modo, quòd materia non vt materia simplex accipitur, sed prout ipsa est prima potentia ad esse. Sic enim accipitur secundum quod in ipsa est iam forma essentialis inchoata, & in qua potestate formali sunt inchoatæ constituentes & diuidentes differentiæ. Sicut si dicatur, quòd homo est constitutus ex corpore & anima rationali; tunc enim corpus non absolutum à forma sumitur, sed potius dicitur animatum sensibile: quod animatum sensibile est, ex cuius potentia & inchoatione producitur rationale. Et sic redit ad illam diffinitionem quæ est ex genere & differentia: quia corpus animatum sensibile est animal, & animatum anima rationali est rationale. Quæ autem per efficientem datur, est, vt si dicatur, quòd homo est quod generatur ab homine. Tunc enim agens non sumitur vt efficiens tantum, sed vt agens secundum formam & vniuocè. Vniuocè autem agens, dat formam secundum quod de potentia formali exit ad actum. Vnde generatum ab homine non est viuum & animal simul, nec animal & homo simul secundum actum: sed primo viuum in actu, & potentia sensibile: secundo sensibile in actu, & potentia rationale. Et etiam diffinitio per causam efficientem data, reducitur ad eam quæ est ex genere & differentia. Aliter accepta causa efficiens, erit de essentia diffiniti, & non certificabit ipsum.

Omnis autem alia incomplexi declaratio quæ fit per accidentalia, non est diffinitio, sed descriptio vocatur. Talis autem declaratio non debet fieri per accidentalia communia, quia hæc conuertibilia non sunt: sed per accidentalia propria, quia de illis intelligitur quod Aristoteles dicit in primo libro de anima, quòd accidentia siue accidentium cognitio maximam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est. Hæc enim sunt accidentia naturæ, & de ipsius naturæ aptitudine procedunt, & ideò substantiam notificant, sicut sæpè id quod prius est, cognoscitur per id quod est posterius, non simpliciter, sed quoad nos. Hoc autem in sequentibus erit manifestum. Talibus tamen vtitur logicus in accipiendo notitiam ignoti sicut etiam vtitur aliis argumentationibus in accipiendo notitiam complexi, quæ sunt minus certificantes quam syllogismus.

Tex. com. 11.

Aliis autem declarationibus vtitur logicus quandocunque sunt maioris declarationis, quam ipsum nomen vel dictio incomplexa, cuius quærit notitiam: quæ quamuis non perfectè certificent, tamen aliquo modo declarant id quod quæritur. Et quia sicut dicit Ptolemæus, stultus est qui quando non perfectè potest cognoscere quod quærit, abiicit id per quod cognoscere potest de quæsito coniectans. Talium igitur regulas & principia date est logici ad incomplexi cognitionem, per quæ à principiis per se cognitis incipiat & deueniat in cognitionem eorum quæ quæruntur: non enim omnia possunt esse incognita: quia sic quærendo procederetur in infinitum: principia enim prima sunt quasi semina per naturam cognitioni hominis inserta, ex quibus quasi seminibus magni oriuntur fructus scientiarum de his quæ cognoscuntur per ipsa: primis enim positis per diuisionem cognoscitur quid potentia sit in ipsis. Et etiam diuisio producit vsque ad vltimum: propter quod ipsa diuisionis scientia necessaria est logico, vt dicit Boëtius.

Dictum Ptolem.

Hoc idem habetur supra in fine capituli quarti.

CAPVT VII.

De parte logicæ quæ certificatur quæstio de complexo, & de necessitate totius logicæ, & quod varietur modus sciendi secundum diuersitatem materierum in quibus quæritur scientia?

SIcut autem logicus docens quærere scientiam incomplexi, docet instrumentum quo accipiatur notitia illius secundum diffinitionem, & ea quæ ad diffinitionem faciunt, & quæ diffinitionem circunstant, & quæ diffini-

Ex qua patet, quod sicut diffinitio est instrumentum acquirendi

tionem

Scientiæ incomplexi-ta fyllogismus est instrumẽtũ acquirendi scientiam complexi.

tionem perficiunt, & ea quæ diffinitionem mutant: sic docens accipere scientiam complexi, docet syllogismum qui est illius proprium instrumentum, & docet alias species argumentationum, & principia syllogismi, & ea quæ circunstant ipsum, & principia ipsius, & partes, & materiam in qua poni potest forma syllogismi, & aliarum argumentationum forma, & quæ syllogismum immutant. Et ideo ea de quibus habet tractare logicus, secundum ista diuidũtur & multiplicantur.

Eius complexi cuius potest accipi scientia, non est differentia: quia sola indicatiua oratio est, cuius est esse verum vel falsum. Et ideò tantum illius scientia potest accipi: quia scientia tantum veri est. Sed hæc est duplex, categorica scilicet, & hypothetica: siue (vt Arabes dicunt) enuntiatio, & coniunctio: propter quod duas species docet constituere syllogismorum. Docet enim constituere syllogismum categoricum, & syllogismum hypotheticum, quamuis hypotheticus ad categoricum habeat reduci.

1 perihermen. cap. 4.

Syllogismus duplex: scilicet & propositio, categoricus scilicet, & hypotheticus.

Constructio autem syllogismi dupliciter fit, vt iam diximus in antehabitis, ad inueniendum scilicet, & iudicandum. Inuentio autem esse non potest, nisi per habitudinem noti ad ignotum, quæ habitudo topica est, & in topicorum scientia docetur. Iudicandi autem scientia per resolutionem inuenti est, quod resoluitur aut in formalia syllogismi principia, aut materialia, quæ sunt principia certificantia rem per hoc quod sunt causæ eius quod sequitur, & illarum est. Et duæ sunt partes, priorum scilicet analyticorum, & posteriorum analyticorum: & docere principia & regulas istorum logici proprium est.

Syllogismus ad duo construitur scilicet ad inueniendum, & ad iudicandum.

Ne autem fiat deceptio citra ea quæ dicta sunt, inuenta est scientia de sophisticis elenchis. Adhuc autem ne fiat impedimentum ex parte eius qui quærit accipere, inuentæ sunt cautelæ tentatoris, in quibus omnibus doctrina logici est, vt scientia completè accipi possit enuntiationis, cuius scientia quæritur per argumentationem.

Quare inuenta sit sophistica & tentatiua.

Quia verò syllogismus non scitur an sit compositum & complexum quid, nisi sciatur ex quibus & quot & qualibus est & qualiter coniunctus: ideo habet agere logicus de enuntiatione & partibus & qualitatibus & compositione enuntiationis. Et in his perficitur opus logicum: quæ omnia fiunt actu rationis, qui est ratiocinatio, qui actus discursus rationis est ex vno ad aliud. Et ideò tales scientiæ à Dionysio vocantur discursiuæ disciplinæ. Non autem potest sic ex vno in aliud discurrere ratio, nisi prius accipiat vnum in alio esse diuisum per se vel per accidens. Et hoc esse non potest, nisi accipiatur vnum esse ordinatum ad aliud per se vel per accidens. Ordo autem est prioris & posterioris secundum naturam & esse: & sic accipit vniuersale & particulare per se vel per accidens. Et sic inuenit modum prædicandi vnum de altero, vel negandi. Et quoad ordinem inuenta est scientia vniuersalium, & scientia prædicamentorum. Et quoad modum educendi vnum de alio, inuenta est scientia diuisionum. Rationis enim opus est ordinare, componere, & colligere, & resoluere ea quæ collecta sunt: quo opere vtitur quasi instrumento in acquirendo scientiam quando procedit à noto ad ignotum: quorum notitia (si perfectè traditur) præparatus est logicus ad acceptionem scientiæ, dummodo sciat cauere errores & fallacias, de quibus sufficienter instruitur in sophisticis elenchis.

Necessitas illius partis logicæ, quæ ars vetus appellatur & vniuersaliter totius logicæ.

Hæ igitur sunt partes logicæ quæ generaliter habent docere modum accipiendi scientiam de quolibet scibili incomplexo vel complexo. Et hoc iam ante nos determinauit Alfarabius. Hic tamen modus secundum materiam in qua ponitur, variatur secundum diuersitatem materiæ in qua quæritur scientia. Nam in sermocinalibus aliter est in grammatica, quæ dictionum significantium attendit modum tam in flexione quam in coniunctione constructionis. Aliter etiam est in poëtica, quæ ex fictis & imaginatione monere intendit ad delectationem, vel abominationem, vel appetitum, vel amorem, vel odium. Et ideò fabula & recitatione factorum heroicorum, & in oratione cantu vtitur modulato breui & longo, vt demulceat auditum, vt facilius prouocet. Et aliter est in rhetoricis, quæ dicendi docent copiam ad persuadendum iudicem, vt prouocetur ad vindictam vel priuationem eius de quo persuadet, sumens locos rhetoricos tam in persuadendo, quam etiam in conquestione & accusatione. Et sunt etiam colores orationis, vt lepida sit oratio, & vigeat accepta propter sermonis culturam. Aliter etiam in laudabilibus & ethicis, in quibus laudis vel vituperationis demonstratione acceptabile & laudabile fit quod proponitur priusquam virtute persuasionis. Etenim in realibus scientiis aliter est in probabilibus, & aliter in necessariis & demonstrantibus. Et aliter in coniectantibus quæ non sunt scientiæ demonstrationum, sicut in physiognomia, & secunda parte astronomiæ, & nicromantia, & aliis huiusmodi scientiis.

Modus acquirendi scientiam variatur secũdum materiam in qua quæritur scientia.

Talibus igitur & his quæ dicta sunt habitis, perfectum erit omne negotium logicum, quo tradere intendimus methodum, qua omne quod ignotum est, notum fieri potest ex eo quod per se notum est vel positum vel acceptum vt notum. Quædam enim sunt per se nota in quibusdam: quædam autem sunt accepta ab aliis vt nota, sicut in scientiis coniecturalibus, in quibus nulla sunt secundum rem per se nota.

TRACTA

TRACTATVS II.

De quinque vniuersalibus.

CAPVT I.

Quomodo vniuersale est de consideratione logici, & de numero vniuersalium, ac de vtilitate libri vniuersalium.

Tex. com. 26.

PRIMVM autem quod in scientia logica est considerandum, vniuersale est: quia si ratio prædicabilis de aliis secundum veritatem attendatur, propriè & verè prædicari de alio non potest, nisi quod ineſt illi de quo prædicatur. Cum autem nihil insit sibiipsi (hoc enim secundum intellectum intelligi non potest, quod aliquid sit in seipso, vel insit sibiipsi, vt dicit Aristoteles in primo physicorum) oportet, quòd omne quod inesse alij accipitur, aut insit vt natura essentialis, aut vt accidens. Et per hoc quod ineſt, sequitur de necessitate, quòd communicabile sit omnibus quibus inesse significatur. Communicabile ergo multis est secundum aptitudinem & in multis & de multis. Omne autem quod sic ineſt, & hac ipsa de causa prædicabile est. Ratio ergo & causa prædicabilis est, quòd sit vniuersale. Cum ergo primus actus rationis (qui scientiam ignoti inuestigat per notum) sit ordinatio prædicabilium: ordinatio autem prædicabilium cognosci non potest, nisi sciatur per quam rationem prædicabile sit id quod prædicatur, quæ ratio sumitur ex hoc, quod prædicabile est. (Est enim prius considerare prædicabile secundum id quod prædicabile est, quàm considerare ordinem prædicabilium.) Cum ergo ex hoc, quòd vniuersale sit, prædicabile sit, oportet primo ponere scientiam vniuersalis.

Obiectio. Solutio.

Si autem quis obiiciat, quòd etiam particulare de seipso prædicatur. Dicemus, quòd hæc prædicatio non perfectam habet prædicationis rationem: & de hoc in sequentibus in loco opportuno pertractabitur. Sic ergo ad prædicabilium rationem & necessarium est & vtile de vniuersali præmittere tractatum.

Vniuersale quid. Cap. 5.

Vniuersale autem est, quod cum sit in vno, aptum natum est esse in pluribus, vt in antehabitis ostensum est. Et per hoc quod in multis per aptitudinem est, prædicabile est de illis. Et sic vniuersale est, quod de sua aptitudine est in multis & de multis. Et hoc modo prout ratio est prædicabilitatis, ad logicum pertinet de vniuersali tractare: quamuis secundum quod est natura quædam & differentia entis, tractare de ipso pertineat ad metaphysicum. Prædicare enim & prædicari rationis est ordinantis & componentis prædicabilia secundum prædicabilium propriam rationem.

Quomodo vniuersale pertinet ad logicum, & quomodo ad metaphysicum.

Vniuersale autem sic acceptum prout est prædicabile quod in multis & de multis, aut ineſt essentialiter, aut accidentaliter: siue vt essentia, siue vt accidens. Si ineſt vt essentia: aut ineſt vt tota essentia, aut vt pars essentialis. Si ineſt vt tota formalis essentia, constat, quòd est species, quia species totum est formale esse indiuiduorum de quibus prædicatur: quia quicquid est post speciem, est de materia vel indiuiduantibus. Si autem vt pars essentialis: tunc aut est secundum potentiam in qua est esse per inchoationem, aut est pars secundum actum in quo est esse secundum actum perfectum. Et priori quidem modo est genus, secundo verò modo est differentia. Si vero ineſt vt accidens: aut ineſt vt accidens naturæ, quod de ipsius naturæ aptitudine causatur & emanat: aut vt accidens commune, quod est accidens indiuidui. Et priori quidem modo est proprium, & secundo modo est accidens vocatum. Et de omnibus his tractare est necessarium logico, propter hoc quod prædicabilium considerat ordinem & prædicatorum compositionem.

Sufficientia quinque vniuersalium.

Qualiter omnia ista prædicantur per notam compositionis, & qualiter per hoc verbum substantiuum, est, in sequentibus erit manifestum: sed hic tantum sufficiat, quòd quicquid prædicatur, prædicatur non vt pars, sed vt idẽ secundum esse. Idem autem dico per se, vel per accidens. De his igitur in hoc nostro libro erit tractatus. Nec considerabimus hîc res ipsas quibus talia ad ordinem vnum prædicabilis referuntur. Hoc enim in libro prædicamentorum habet determinari. Sed accidens ipsis rebus, quo eorum primum prædicabilium generis habet nomen & rationem, & secundum speciei, & tertium differentiæ, quartum verò proprij, quintum autem accidentis. Hoc enim ad istius primi libri pertinet intentionem. Per hoc enim accidentia diuersum modum accipiunt prædicandi in quid vel in quale: quamuis conueniant omnia in hoc, quòd quodlibet ipsorum est prædicabile: per quod etiam scientia est vna, & non multæ. Diffiniri autem vniuersale vera diffinitione non potest: quia per hoc quod prædicabile est de multis, non est vnius & eiusdem rationis, sed est dictum per prius & posterius de illis de quibus est per ambitum suæ communitatis prædicatum.

Vniuersale vera diffinitione diffiniri non potest.

Tractantes autem de his modum & ordinem

Cum sit necessarium Grisaroi, &c.

nem tenebimus Porphyrij. Vt duplex vtilitas habeatur nostri operis & de vniuersalibus habeatur doctrina, & etiam libri Porphyrij habeatur intellectus, quem scripsit ad quendam Grisarorum suum discipulum. Cum autem sit duplex necessarium, scilicet ineuitabile, & vtile, ad eam quæ est apud Aristotelis libros doctrinam prædicamentorum (quæ cæteris doctrinis prædicamentorum præexcellentior est) nosse quid sit genus, quid differentia, quid species, quid proprium, & quid accidens, secundum quod hæc vniuersalia habent rationem prædicabilium, oportet tractare de istis. Ineuitabile enim est, secundum quod rationem prædicabilis oportet cognoscere ante prædicabilium ordinem. Vtile est secundum quod adminiculum est scire intentionem generis & speciei & differentiæ & proprij accidentis, antequam determinetur de his quæ in vno genere ordinantur vt species, & antequam determinentur quæ ex vno genere diuiduntur per oppositas differentias, & antequam assignentur vniuscuiusque generis propria, & ampla distinctio generum in substantia, & accidentium genera determinentur.

Necessarium duplex.

Est autem necessarium & vtile ad diffinitionum assignationem: quæ omnes prout prædicabiles sunt, ex genere & differentiis constituuntur: in quibus caucre oportet ne aliquod accidentale ponatur. Non enim potest vitari malum nisi cognitum, vt dicit Boëtius. Omnino etiam necessarium ad demonstrationem, cuius medium secundum potissimum modum demonstrandi diffinitio est dicens quid & propter quid. Est enim talis diffinitio, vt dicit Aristoteles, demonstratio positione differens.

2. posterio. tex. com. 20.

Necessarium est etiam & vtile ad diuisionum scientiam: quia omnis diuisio vel est generis in species, vel totius in partes, vel accidentis in accidentia, vel subiecti in accidentia, vel accidentis in subiecta, vel vocis in significationes. Et patet, quòd quædam in diuisione sunt, quæ sine doctrina istorum sciri non possunt. Quare scientia generis, speciei, differentiæ, proprij, & accidentis, adminiculum est ad scientiam diuisionum generis in species; & accidentis in accidentia, vel accidentis in subiecta, vel subiecti in accidentia. Si autem non ad omnem vtilis est diuisionem, per hoc non remouetur quin sit ad diuisionem. Scientiam enim diuisionis non habet etiam qui vnam ignorat diuisionis rationem.

Cum ergo tam vtile sit hoc negotium istarum rerum prout vniuersalia quædam sunt, istarum quinque rerum prout in ratione sunt, speculatione siue consideratione tentabo traditionem compendiosam faciens doctrinam monstrare. Modus enim noster quasi introductorius erit, vt imperitis sufficiat. Ea autem quæ ab antiquis de his dicta sunt colligemus: & quamuis in modo introductionis ab altioribus quæstionibus abstinendum sit, tamen propter doctrinæ bonitatem etiam illas tangemus. Cum tamen in modo introductionis simpliciora facilè ab imperitis intelligibilia mediocriter sint potius coniectanda, vt facilior fiat instructio. De vna enim & eadem re subtili demonstratione & introductoria differtione potest tractari. Non enim per causas altissimas ista hîc demonstrabimus, sed per similitudines & exempla de his faciemus instructionem.

CAPVT II.

A quibus quæstionibus circa vniuersalia sit abstinendum.

Prima quæstio, quare abstinuit Porphyrius hic in materia de vniuersalibus.

NE autem videatur, quòd nulla scientia de his sit, quæ per logicæ principia determinari non possunt: sed oportet, quod altissimæ sapientiæ principiis determinentur. Prima quidem est, an ista quæ genera & species dicuntur, in re subsistant, aut non quidem in rerum natura sint subsistentia, sed in solis nudis plurisque intellectibus per abstractionem à rebus factam sint posita? Et dico solis intellectibus per exclusionem rerum, ita quod non in rebus sint. Nudos autem dico intellectus ab appendiciis materiæ separatos, qui illorum tantum sunt, quæ nunquam in materia fuerunt. Quæ enim in materia fuerunt, non in nudis sunt intellectibus, sed sunt in intellectibus, qui immixti sunt phantasiæ & sensui. Puros autem voco intellectus ex parte intelligibilis, ad quod nihil mouet nisi solius intelligentiæ lumen, & non phaniasma receptum.

Quid per intellectus solos nudos, & puros intellexerit Porphyrius.

Alia expositio.

Sunt tamen, qui aliter ea quæ dicta sunt, interpretantur dicentes, quòd in solis intellectibus sunt illa quoad nos, quæ vtrum sint, & quomodo esse habeant, solus scit intellectus. Et tale esse in intellectu vniuersalia habere dixerunt illi qui vocabantur Nominales, qui communitatem (ad quam particularia vniuersalium, de quibus dicuntur ipsa vniuersalia, referuntur) tantum in intellectu esse dicebant. Nudos autem vocant intellectus, qui ad scibile quod accipiunt non habent præscriptos habitus, qui disponant intellectum ad speculationem eorum quæ in ipso sunt. Sicut intellectus conclusionum præscriptum quærit habitum principiorum per quem fit conclusio, & intellectus principiorum præscriptū sibi quærit habitum notitiæ terminorum, & sic de aliis. Puros autem dicunt intellectus, qui mediante phantasmate non accipiuntur.

Alia etiam expositio.

Sunt autem adhuc qui hoc referunt ad intellectum causantem & cognoscentem ista, qui est intellectus intelligentiæ illius quæ irradiat super intellectuale animæ nostræ. Et dicūt, quòd in solis intellectibus sunt, quæ esse non habet nisi in lumine illius intelligētię. Et sunt illi, qui dicunt vniuersalia non nisi ideale habere esse secundū quod vniuersalia sunt, & non esse res coniunctas materiæ, sed implere omnem materiam suam imaginibus particularium, sicut vnus masculus multas implet fœminas. Hi autem nudos dicunt intellectus separatos ab imaginibus, quas imprimunt in materiam. Puros autem dicunt, eò quod impuritati naturalium principiorum in causando non permiscentur, sed ex suo lumine producunt formas vniuersales, quæ per distantiam ab ipsis impuritati materialium principiorum permiscentur, & tunc particulantur & determinantur.

Nonnulli

Alia adhuc expositio.

Nonnulli etiam dixerunt, quòd multiplicatio ista non ponitur nisi ad expressionem eiusdem rei per verborum quandam inculcationem. Ab his ergo quæstionibus & aliis quæ circunstant istas (quæ determinari non possunt, nisi per principia quibus determinari habet intelligentiarum natura & illuminatio) abstinebimus: quamuis tangemus eas, vt sciantur quæ sunt. Cum per huius scientiæ principia discuti & ad plenum determinari non possint, eò quod sapientiæ primæ quoad altissimam eius partem est huiusmodi negotium. Et ideò maioris & subtilioris egens est inquisitionis. Illud vero quod de his ex probabilibus scire vtile est logico, in isto libro tentabo monstrare colligens probabilia ex antiquorum dictis, & præcipuè dicta sequens Peripateticorum, quæ secta in philosophia probabilissima mihi videtur.

2. quæstio.

Secunda vero quæstio est, à qua hîc abstineo, quòd si detur quod subsistant in re extra intellectum, vtrum sint subsistentia corporalia, an incorporalia sint?

3. quæstio.

Tertia quæstio est, vtrum sint in sensibilibus singularibus suis posita secundum esse, an sint extra singularia in rebus solis metaphysicis, sicut dixisse Plato refertur? Hoc enim per rationes logicas ad plenum sciri non poterit, sed metaphysico determinanda relinquuntur. Tres igitur sunt istæ quæstiones de vniuersalibus. Prima quidem de esse ipsorum. Secunda de quidditate eorundem. Tertia verò de comparatione ipsorum ad sua particularia.

Quare supra dicta tres quæstiones de generibus & speciebus tantùm sint quæsitæ.

Et ideo quamuis hæ quæstiones de omnibus sint vniuersalibus vel esse possunt: tamen de generibus & speciebus ista præcipuè quæruntur tribus de causis. Quarum vna est: quia ista cum prædicentur in quid, per se esse significantur. Alia autem vniuersalia cum prædicentur in quale, significant esse in alio, & ideò minus per se esse videntur. Secunda ratio est: quia alia triā in istis esse significantur: differentia enim in genere est potestate, & in specie secundum actum: proprium autem in specie & genere vt verè accidens: accidens autem commune in indiuiduo. Tertiam rationem quidam dicunt, quòd omnia alia ad rationes istorum referuntur. Est enim quoddam differentiarum genus, cuius species sunt differentiæ speciales: & similiter est in propriis, & accidentibus. Sed hæc vltima ratio parui valoris est. Prima autem ratio optima, & secunda bona, & secundum intentiones eorum qui hæc dicebant sumpta.

CAPVT III.

De declaratione & examinatione primæ quæstionis.

QVamuis autem hæc determinata sint supra vires logicæ, eò quod oporter in his vti rationibus sumptis ex principiis entis secundum quod est ens, ex quibus cognoscitur quid sit subsistens in intellectu solo, nudo, & puro, & aliam subsistentiam non habet. Et quid est subsistens extra intellectum in natura secundum esse completum. Ad quod non sufficiunt rationes logicæ. Tamen propter bonitatem doctrinæ, & ne sit suspensus lectoris animus, hæc aliquantulum explanare tentandum est.

Titulus primæ quæstionis superius mote, & eius examinatio.

Ad quæstionem ergo primam difficultates maiores quæ dubitationem pro parte faciunt, sunt inducendæ, vt visa ratione dubitationis melius intelligatur veritas soluta dubitatione. Est ergo quæstio prima, vtrum vniuersalia & præcipuè genera & species, quæ quidem significantur, subsistant in natura secundum esse separatum ab intellectu: aut non quidem sic subsistant, sed in solis, nudis, pluriſque intellectibus posita sint. Ita quod separatum non habeant esse, sed tantum sint accepta prout sunt rationes & intentiones in mente & lumine intellectus acceptæ.

Rationes dicentium vniuersalia esse in solis, nudis, purisque intellectibus.

Sic ergo explicata quæstione, hi qui dicunt in solis, nudis, purisque intellectibus posita esse, seprem pro se fortiores inducunt rationes. Dicunt enim, quòd Boëtius & Aristoteles & Auicenna dicunt, quòd omne quod separatum in natura est, ideò est, quia vnum numero est. Vniuersale autem quod est genus & species non vnum numero est, eo quod vniuersale est vnum in multis & de multis. Quod autem est vnum in multis & de multis, separatum non est à multis. Ergo ipsum separatum non est: non ergo vnum numero est. Et si vnum numero non est, sequitur ipsum non esse. Ergo vniuersale separatum non est. Si ergo aliquo modo est, non nisi in solis, nudis, purisque intellectibus est. In solis quidem, quia in re non est. Nudis autem, quia vniuersale denudatum est à phantasmatibus. Puris autem, quia non nisi purum intelligentiæ lumen est, nulli comparatum materiæ sensibili.

1. ratio.

2. ratio.

Secundam adducunt rationem. Dicunt enim, quòd omne quod separatum à natura est, separatum habens esse extra intelligentiam, hoc aliquid est. Et hoc quidem dictum est Aristotelis & Auicennæ, & probatur per inductionem. Sed vniuersale non est hoc aliquid, sed quale quid. Ergo vniuersale in natura existens non est. Si ergo est, oportet quod in solis, nudis, purisque intellectibus sit.

3. ratio.

Tertiam adducunt rationem. Si omne quod est secundum esse separatum in natura, particulare & indiuiduum est, vt omnis forma quæ est in indiuiduo indiuidua est, siue sit substantialis, siue accidentalis, indiuiduatur enim per materiam quæ omnis indiuiduationis principium est & causa. Vniuersale autem ponitur esse in suo particulari, vt in subiecto & substantia in qua subsistit, & quæ sibi substernit, vt dicit Aristoteles in prædicamentis. Vniuersale ergo si subsistat extra intellectum in suo particulari, particulare est: quod absurdum est, quia particulare nec est in multis, nec de multis est. Vniuersale autem est in multis & de multis.

4. ratio.

Quarto ad idem inducunt, quòd Aristoteles in prima probat philosophia multipliciter, quòd in eodem idem est esse vniuersalis & particularis: quia aliter homo esset duo & non vnum. Si ergo vniuersale esse habet vnum cum esse particularis, hoc esse secundum quod in

particulari, est particulare: & particularis esse est non esse de multis & in multis: hic enim homo singularis est, & non in multis, & de multis: à destructione consequentis arguitur. Si vniuersale secundum suum esse, in multis & de multis est. Vniuersalis esse, non est esse particularis. Est autem esse particularis si extra est. Ergo non extra in natura est, sed in solis, nudis, puris intellectibus est: quia aliter vniuersale nullo modo esset: quod valde inconueniens est. An verò vniuersale sit nunquam aliquis dubitauit. Et ideò antiqui non quærebant an vniuersale sit, vel non sit? Sed quærebant, an vniuersale extra intellectum separatum in natura sit, an in solis, nudis, purisque intellectibus positum sit & fundatum? eo quia extra intellectum sit in rerum natura.

5. ratio.

Quinto opponunt dicentes quæ Auicenna dixit & Algazel, quòd vniuersale quod est genus vel species, si extra intellectum est, aut cœpit esse, aut non cœpit esse. Si dicatur, quòd non cœpit esse, sequitur quòd æternum sit: quod esse non potest, cum causam habeat intelligentiæ lumen quod facit & dat omnes formas. Si autem cœpit esse, aut cœpit esse à seipso, aut ab alio. Non autem cœpit esse à seipso: quia nihil incipit à se, cum Plato dicat, quòd nihil est cuius ortum legitima causa non præcesserit. Si autem ab alio cœpit, per actum agentis cœpit. Nihil autem fit per actum agentis, nisi particulare & indiuiduum: quia omnis actus circa particularia est. Ergo vniuersale particulare & indiuiduum est. Destruamus ergo consequens dicentes, quòd vniuersale particulare & indiuiduum non est, sicut iam superius probatum est. Ergo vniuersale non cœpit esse, nec in æternum est. Ergo vniuersale non est in natura, sed in intellectu est.

Dictum Platonis.

6. ratio.

Sextum quod in assertionem suæ inducunt opinionis, est, quòd in arte (quæ naturam imitatur) duo esse videntur in forma artis. Si enim consideretur secundum quòd in artifice est, communis est ad omnia quæ sunt eiusdem generis & speciei, quia in artifice est per modum artificis. Et sicut vnus est artifex valens producere multa artificiata: ita forma in artifice commune exemplar est ad omnia in quibus illa forma potest exemplificari. Quando autem extra artem artificis est in materia artificiata, particulata est, & nulli potest esse communis, nec aliquam habet aptitudinem ad hoc quòd in alio & de alio sit. Similiter autem in formis naturalibus esse videtur. In his enim intelligentia est vt artifex, & forma naturalis est forma in rebus, sicut forma artis in materia artificiati. Videtur ergo, quòd si vniuersale commune est & aptum natura esse in multis, quod hoc non habeat, nisi secundum quod est in intelligentia quæ communis artifex est. Vniuersale ergo vt vniuersale est, non est nisi quod in solis, nudis, purisque intellectibus est.

ratio.

Septimo etiam per hoc confirmant hoc quod dicunt, quod in libro de causis multipliciter probatum est, quòd res in causa non est, nisi per modum & virtutem effecti per causam. In effectu autem causa non est, nisi per formam quam in effectum causa producit: quia omne quod de potentia producitur ad effectum, non producit nisi per id quod est in effectu, tam in vniuocis accidentibus, quam in æquiuocis: quia æquiuocas ad vniuocas reduci necesse est. Forma igitur primæ intelligentiæ agentis in hoc quod effectus est, non est id nisi per conditionem & virtutem effectus. Effectus autem indiuiduus & singularis est. Ergo forma, siue substantialis, siue accidentalis, in effectu procedens ab intelligentia, indiuidua est & singularis. Vniuersale autem nec indiuiduum, nec singulare est. Vniuersale ergo in effectu naturæ extra intelligentiam procedens non est. In solis ergo & nudis, purisque intellectibus positum est.

Hæc sunt quæ vt fortiora inducunt, qui vniuersalia in solo intellectu posita esse concedunt. Et ideo dicunt Aristotelem dixisse, quòd vniuersale est, dum intelligitur: singulare autem est, dum extra sentitur.

1. physico. tex. com. 49. *Rationes dicentium vniuersalia extra animam.*

Econtra autem illi qui vniuersalia dicunt esse res extra intellectum existentes per se, fortiora inducunt septem, quibus maximè innituntur. Quorum primum est, quòd hic homo non est nisi à simpliciter homine: & eadem ratione alius homo non est nisi à simpliciter homine, & sic de omnibus aliis. Non autem potest homo esse, nisi ab eo quod est secundum rem in natura extra intellectum existens simpliciter. Propter quod dicitur homo dignissimum creaturarum. Si enim hoc conueniret huic homini secundum quod hic homo, non conueniret alij. Similiter quòd homo est rationalis, non conuenit huic secundum quod hic: quia tunc alij non conueniret. Ergo conuenit secundum quod homo. Ergo homo secundum quod homo, & non hic homo, est aliquid in natura præter intellectum existens. Eadem ratio est de animali secundum quod animal.

1. ratio.

2. ratio.

Secundum est, quòd sicut dicit Aristoteles in principio primi physicorum. Eadem sunt quibus res est, & quibus cognoscitur & scitur. Non est autem scientia, nisi de vniuersali & per vniuersale. Ergo res non est, nisi per id quod vniuersale est. Scientia enim non est, nisi de rebus & per res, præcipuè in physicis. Ergo vniuersalia sunt res extra intellectum. Si enim essent in intellectu tantum, essent rerum intentiones, & non res ipsæ.

Tex. com. 1.

3. ratio.

Tertiò inducunt, quòd forma quæ dat esse, non habet esse à materia, quamuis sit in materia: sed habet esse ab agente secundum formam & agente vniuoco. Et secundum quod est ab agente, verè est, & est extra intellectum: & tamen non est hoc vel illud, sed est simpliciter. Sed vniuersale est, quod secundum se non est hoc vel illud, sed est simpliciter communicabile factum hoc vel illud. Ergo vniuersale simpliciter & secundum se separatum ab agente & in natura existens est, quamuis non sit hoc vel illud. Vniuersale ergo simpliciter est, & magis est quam particulare, siue hoc vel illud. Et hæc fuit obiectio Platonis, qui dixit vniuersalia esse formas.

4. ratio.

Quartò adducunt: quia id quod est ab agente formaliter, verè est in natura: & tamen de esse suo formali nihil habet à materia: sed

sed ab eo quod est in materia, habet quod est forma huius vel illius. Ens autem verè ab agente non secundum quod est huius vel illius, verissimè habet esse in natura & agente formaliter: quia vno modo se habet ad omnia quæ ab eo exemplificantur. Quod ergo sic est, verissime est apud naturam: quia esse suum non est ab aliquo obumbratum vel variatum. Forma autem secundum quod vno modo se habet ad omnia particularia sua sic est, & tale habet esse. Hoc autem modo est vniuersale. Ergo vniuersale verissimè est in natura, & verius est quam particulare.

5. ratio.

Quintò inducunt, quòd forma dat esse rei & specie & ratione: & natura non est nisi lumen intelligentiæ terminatum ad hoc, & incorporatum isti. Quod ergo dat esse & rationem, aut habet ab hoc quod est incorporatum isti, & terminatum ad hoc, aut non. Constat autem, quòd non habet dare esse & rationem secundum quod est terminatum ad hoc, & secundum quod est incorporatum isti: quia hoc accidit isti, & ab hoc accidente non potest habere actum substantialem. Habet ergo ab hoc quod est lumen intelligentiæ, quæ est dans esse in natura. Non autem dat esse in natura, nisi quod verè in natura est. Ergo forma quæ dat esse in natura, veræ in natura est extra intellectum. Sicut forma artis non dat artificiato esse in genere & specie artificiati, nisi secundum quod in artificiato verè est, & extra intellectum artificis: quamuis hoc quod dat esse artificiato, non habeat ab eo secundum quod in artificiato est, sed secundum quod est ab artifice.

6. ratio.

Sextò adducunt, quòd lumen faciens colores, non amittit aliquid per hoc quod est in corpore terminato: nec aliquid accipit essentiæ vel virtutis ad agendum, quamuis ei quod constituitur per ipsum, multa accidant per hoc quod ad hoc vel illud terminatur. Ergo similiter lumen intelligentiæ, quod de se formas largitur, non amittit id quod de se vel ab efficiente habet, per hoc quod est in isto vel in illo: nec aliquid accipit essentiæ vel virtutis ab hoc quod terminatur ad hoc vel illud, quamuis ei quod constituitur ab isto multa conueniant secundum quod lumen istud constituens agit in hoc vel illo. Sic autem virtutem constituendi habens, est verè in natura, & non secundum quod est in isto vel in illo. Hoc autem dicitur existens simpliciter & verissimè & ex natura vnam aptitudinem habens ad omnia quibus dat esse & rationem. Hoc autem est genus & species prout sunt vniuersalia. Genus ergo & species vniuersalia verissimè sunt in natura.

7. ratio.

Septimò inducunt, quòd id quod secundum naturam & virtutem est ante rem, ab eo quod est post ipsum, nec esse accipit nec vnitatem vel multiplicationem secundum seipsum, nisi secundum quod habet in isto vel illo quod post ipsum est. Vniuersale autem siue forma quæ est rei causa & principium, est ante rem secundum causam & naturæ ordinem. Ergo ab eo in quo est, nec accipit esse, nec vnitatem, nec multiplicationem secundum quod ipsum est in se; quamuis multiplicetur tantum secundum esse quod habet in isto vel illo. Si ergo in se accipiatur, nihil horum habet ab eo in quo est. Secundum seipsum autem acceptum verissimè est: quia secundum se acceptum non habet hoc quòd non sit nisi in intellectu: quamuis ab intellectu cognoscente & causante. Secundum se ergo acceptum verissimè est res in natura simplici existens. Sic autem vniuersale est aptitudinem habens ad omnia sua singularia. Vniuersale ergo verissimè est & res in natura est, etiam absque eo quod in intellectu solo, puro, & nudo sit acceptum.

Ecce hæc fortiora sunt, quæ illi pro vna parte & alia inducunt in suarum assertionem opinionum.

Notanda pro solutione quæstionis. Vniuersale tripliciter potest considerari.

Nos autem quantum sufficit præsenti intentioni ista soluentes, dicimus quòd vniuersale triplicem habet considerationem, scilicet secundum quod in seipso est natura simplex & inuariabilis. Et secundum quod refertur ad intelligentiam. Et secundum quod est in isto vel in illo. Primo quidem modo simplex est natura, quæ dat esse & rationem & nomen, & verissimum est inter omnia quæ sunt, nihil habens alienæ naturæ admixtum, nec conditione alienæ naturæ variatum. Per hoc autem quod est in isto vel in illo, multa accidunt ei secundum esse. Quorum primum est, quòd est particulatum & indiuiduatum. Secundum, quòd est multiplicabile, vel multiplicatum. Tertium autem, quòd est incorporatum, & habens in se diuersas passiones quibus est subiectum, & alia huiusmodi infinita, quia materiæ infinita accidunt. Per hoc autem quod est in intellectu, dupliciter consideratur, scilicet aut secundum relationem ad intellectum intelligentiæ primæ cognoscentis & causantis ipsum, cuius illa natura simplex radius quidam est. Aut secundum relationem ad intellectum per abstractionem cognoscentem ipsum.

Vniuersale in intellectu dupliciter consideratur.

Et primo quidem modo accidit ipsi radium & lumen intelligentiæ agentis esse & simplex & purum esse, & immateriale & immobile & incorporale & incorruptibile, & perfectibile intellectus possibilis, & eiusdem possibilis intellectus esse motiuum ad actum: sicut color mouet visum ad actum secundum actum lucidi quod est in ipso quando secundum actum color est. Secundum autem relationem quam habet ad intellectum cognoscentem, non causantem, habet quòd talis intellectus secundum quod abstrahit ipsum, agit in ipso vniuersalitatem (quam de natura sua ante habuit) per hoc quod separat ipsum à materia & materialibus indiuiduitatibus. Et sic intelligitur quod dicit Aristoteles, quòd vniuersale est dum intelligitur: particulare verò dum sentitur. Et illud Auicennæ dictum, quòd intellectus in formis agit vniuersalitatem.

Primo physic. tex. com. 49. In logica sua cap. 4. Forma triplices, ante rem, in re, & post rem.

Et hoc est quod dixerunt antiqui triplices esse formas, ante rem scilicet quæ sunt formæ secundum se acceptæ, principia rerum existentes: & in re siue cum re ipsa quæ sunt formæ existentes in ipsis, dantes eis nomen & rationem, per id quod sunt aptæ esse in multis & vniuersales: non tamen secundum quod sunt in illis: secundum enim quod sunt in illis, particularizatæ & indiuiduatæ & ad singularitatem

ritatem ductæ sunt. Sunt etiam formæ posterem, quæ sunt formæ per abstractionem intellectus ab indiuiduantibus separatæ: & in quibus intellectus agit vniuersalitatem. Et primæ quidem substantialia rerum principia sunt. Secundæ autem rerum substantiæ. Tertiæ autem accidentia & qualitates, quæ notæ rerum in anima acceptæ vocantur & dispositiones vel habitus.

Solutio quæstionis.

His ergo supra præhabitis dicimus, quòd vniuersalia, hoc est, naturæ quæ vniuersalia vocantur, secundum se accepta, sunt & verissimè sunt ingenerabilia & incorruptibilia & inuariabilia. Sunt etiam extra, vel præter intellectum solum, nudum & purum, sicut incontradicibiliter probant secundæ inductæ rationes. Secundum autem quoddam esse, in rebus sunt, scilicet secundum esse indiuiduatum quod actu est in his quæ sunt vltimo & in esse perfecto constituta in natura: propter quod illa res natura à physicis vocatur. Adhuc autem secundum quoddam esse sunt in intellectu: & hoc dupliciter, scilicet in intellectu per cognitionem causante & agente, & in intellectu cognoscente per abstractionem ea per vniuersalitatem agente & educente.

Ad primam rationē pro prima parte opinionis.

Ad id ergo quod primo medio pro prima parte opinionis inducitur, quod cum dicunt Aristoteles & Boetius, quòd omne quod est, ideo est, quia vnum numero est: hoc intelligitur de his quæ vltimo actu in natura perfecta sunt, de illis enim verū est. Sed vniuersalia hoc modo non sunt: sunt enim vt rerum principia, & non vt res vltimo actu in natura constitutæ & completæ. Aut sic intelligitur, quòd vnum numero sit dictum à numero vltimi esse, vel à numero essentiæ. Esse enim quod est vnum numero, habet esse suæ essentiæ: sicut & vniuersale vnum numero, est vnum numero essentiæ & non duo vel tria (quamuis numerus materiæ & accidentis sit) in multis & de multis. Et hoc accidit sibi & non conuenit ei secundum se: & sic intelligitur quod dicitur, quòd participatione speciei plures homines sunt vnus homo. Similiter dicendum ad id quod secundo dicunt, quòd illud quod separatum habet esse extra intellectum in natura, est hoc aliquid: quia separatum esse habere dicitur duobus modis. Vno scilicet modo quo separatum esse habet id quod in se habet esse non dependens ad aliquid, ad hoc quod esse habeat quod sit extra ipsum: & sic non generaliter verum quod dicunt: quia vniuersale sic separatum, habet esse in natura, & tamen non est hoc aliquid. Alio modo separatum esse dicitur, quod in se est indiuisum, & ab aliis per discretionem diuisum & separatum. Et hoc modo generaliter verum est quod dicunt: quia sic non nisi singulariter existentia separatum habent esse.

Quomodo intelligitur illa dictum, Omne quod est, ideo est, quia vnum numero est.

In cap. de specie. Ad secundam rationem. Separatum esse, habere esse extra intellectum dicitur duobus modis.

Ad tertiam rationem.

Ad id quod tertiò inducunt per dictum Auicennæ, dicendum, quòd omne quod est in indiuiduo (secundum quod est in indiuiduo) singulare est. Sed id quod in indiuiduo est, nil prohibet esse vniuersale, non secundum quod est in indiuiduo acceptum: hoc enim secundum se acceptum, nihil prohibet esse quale quid, & non hoc aliquid.

Obiectio.

Si quis autem sic obiiciat, Quod est in indiuiduo est in eo per modum indiuidui. Indiuiduum autem est hoc aliquid. Ergo illud quod est in indiuiduo, est singulare & hoc aliquid. Non valet argumentum. Quod enim est in indiuiduo, non semper est in eo per modum esse indiuidui, sed aliquando per modum principij indiuidui. Et non oportet, quòd hoc secundum id quod est, sit indiuiduum & hoc aliquid: quia potest esse quale quid. Et ideo in argumento paralogismus est figuræ dictionis: quia interpretatur quale quid vt hoc aliquid.

Solutio.

Ad quartam rationem.

Ad id autem quod quartò inducunt, dicendum, quòd vniuersale secundum esse quod habet in singulari, non habet aliud esse quam esse singularis: & hoc probat Aristoteles contra eos qui dixerunt formas vniuersales distinctum & diuisum esse retinere præter esse singularis (sicut ex sigillo receptum) esse separatum ab illo sicut separatum est esse sigilli & ceræ sigillatæ: sed quod id quod est in singulari, non habeat esse naturæ & principij, non secundum quod est in singulari, sed secundum se acceptum, non probat Aristoteles: quia hoc est verum & necessarium in omni natura.

7. meta. tex. com. 51. & 57.

Ad quintam rationem.

Ad id quod quintò obiicitur, dicendum, quòd essentiæ rerum secundum quod essentiæ sunt, non incipiunt esse nisi per accidens & per aliud, scilicet incipientibus esse his in quibus sunt. In his enim per consequens etiam illa esse incipiunt. Et hoc non accidit eis, nisi secundum quod in illis sunt: secundum seipsa autem nec incipiunt nec desinunt esse secundum naturam, sed sunt radij luminis intelligentiæ vniuersaliter agentis, quæ Deus est: quæ cum seipsa sit agens, non est assignare quod incipiat vel desinat nisi secundum quod agit hoc vel illud in singulari.

Ad sextam rationem.

Ad id autem quod sextò inducunt, dicendum, quòd quamuis forma artis habeat quod exemplar commune est, ab hoc quod à tali exiuit artifice: tamen postquam exiuit, adhuc habet id quando secundum se vt formā artis accipitur: & habet hoc in lignis, & lapidibus, quamuis hoc non habeat secundum quod existit in lignis & lapidibus. Et similiter de formis naturalibus existentibus ab intelligentia. Et ideò secundum se acceptæ sunt communes & vniuersales etiam quæ sunt in singularibus, quamuis non secundum quod sunt in singularibus habeant id.

Obiectio.

Si autem quis inferat dicens, Si non secundum quod sunt in singularibus habent id: ergo habent secundum quod non sunt in singularibus.

Solutio.

Est paralogismus secundum fallaciam diuisionis: quia diuisum infert ex eo quòd secundum compositionem dictum fuerat.

Ad septimam rationem.

Ad id autem quod septimò & vltimò inducitur, dicendum esse videtur, quòd omne quod est in effectu secundum quod effectus esse habet vltimum, secundum quod est in effectu illo, singulare est: & sic intelligitur quod probatur in libro de causis. Sed id quod in effectu secundum se acceptum per modum principij & causæ formalis ipsius effectus secundum se accepti, nihil prohibet de se communicabile

In lib. physicorum.

nicabile & commune esse, sicut iam sæpius dictum est.

Ea autem quæ secundo inducta sunt, puto de necessitate concludere.

CAPVT IV.

Vtrum vniuersalia sint corporalia?

Opinio Platonis fundata super Epicureorum fundamita.

Secunda autem quæstio est, an vniuersalia sint incorporalia vel corporalia: quæ ex Platonicis inducta est sicut prima. Dicebat enim Plato mathematicas lineas & superficiem esse separata quædam, ex quibus corpora mathematica componuntur. Sicut omne diuisibile ex indiuisibilibus dicebat componi, accipiens hæc ab Epicureis qui ante philosophari cœperunt. Melissus autem & Parmenides talia dicebant, & quidam alij. Ex mathematicis autem magnis & paruis omnem materialem dicebant constare quantitatem.

Quòd vniuersalia sint corporalia, rationes Platonis. 1. ratio. Tex. com. 35.

Suæ autem opinionis tres potissimas inducebant rationes. Quarum fuit prima, quòd videbant, quòd substantia tam materia quam forma de se, & secundum quod substantia est, & secundum seipsam accepta, indiuisibilis est, sicut expresse dicit Aristot. in 1. physicorum. Oportet ergo aliud diuisibilitatis esse principium indiuisibile. Diuisibile autem non est nisi quantitas: quantitas autem omnis siue sit discreta, siue continua, non procedit nisi ab indiuisibili. Adhuc omnis species quantitatis non procedit nisi, ab indiuisibili proximo: quia vnumquodque genus & species causatur ab aliquibus suis proximis principiis. Corpus enim quod omni modo diuisibile est, non potest causari (sicut ex proximo suæ constitutionis principio) ab eo quod omni modo est indiuisibile sicut punctus, vel ab eo quod vno modo tantum diuisibile sicut linea. Sed oportet, quòd causetur ab eo quod est pluribus modis diuisibile. Sicut superficies quæ non est indiuisibilis nisi in profundum, sed in latum & longum diuisibilis est. Et ex compositione vnius superficiei cum alia fit diuisibilis in profundum: sicut punctus omni modo indiuisibilis, compositione puncti cum puncto fit diuisibilis in longum, recto motu puncti in continuum. Punctus enim est substantia positionem habens: & ideò motu suo in continuū facit lineæ positæ diuisionem. Et similiter est de superficie constituta à linea mota in latum: qui motus lineam componit cum alia existente vna primo mota in latum continui: quod motu eius constituitur. Et similiter est de corpore quod motu superficiei motæ in profundum constituitur. Et quia non sunt plures situs continui in quod aliquid indiuisibile moueri possit ad quantitatis constitutionem: ideo non sunt plures quantitatis continuæ species nisi tres, & non nisi tres dimensiones. Cum autē materia sensibilis de se sit indiuisibilis & immobilis, non potest esse quanti vel quantitatis principium. Materia enim de se nihil habet quantitatis. Oportet autem, quòd omne quod est alicuius generis essentiale principium, sit aliquid illius generis, tam in genere substantiæ, quam in genere accidentium. Probatum est autem in physicis, quòd principia corruptibilium sunt incorruptibilia, & principia sensibilium sunt insensibilia. Quia aliter in principiis & principiorum principiis iretur in infinitum. Constat etiam, quòd istæ naturæ quæ simplices & vniuersales dicuntur, eorum sunt principia quæ sunt singularia, vt iam in antehabita quæstione habitum est & determinatum. Et horum materialium & corporalium non possunt esse principia, nisi sint corporalia & principiis quantitatis determinata. Sequitur ergo de necessitate, vt videtur, quòd vniuersalia sunt corporalia, & corpora per quantitates corporales dimensa. Et ista ratio directè est secundum intentionem Platonis, qui talia separata ponebat. Et ideò per nos est per multa explanata, vt melius quid intendit, intelligatur.

1. Physicorum sex. 40. & 41. & 82. specialiter de materia prima.

2. ratio.

Secunda ratio est, quòd principium alicuius generis vel speciei, non potest esse, vel hoc vel illud in numero determinatum: quia sic non esset vniuersale illius generis vel speciei acceptum. Principia ergo generum & specierum, genera sunt & species. & cum principiata sint corpora sensibilia & quanta, sequitur quòd principia illorum sint genera & species quantitatum. Hæc enim sunt principia sensibilia per hic & nūc indiuiduata. Substantia enim secundum quod substantia in principiis eius, nec ad hic nec ad nunc determinatur vel indiuiduatur. Et ideò talibus principiis non causatur. Et ideò Plato dixit omnium istorum sensibilium principia circa mathematica in rationibus generum vel specierum accepta. Substantiam autem secundum quod substantia non esse sicut principiatum, sed per quantitatem esse determinatam ad hic & nunc. Ex hoc autem vlterius inferebat, quòd genera & species, quæ sunt horum singularium principia, sunt corporalia.

3. ratio.

Tertia ratio Platonis fuit: quia quod est in ordine naturæ primum, est causa & principium eiusdem quod secundum se in eodem naturæ ordine posterius est, sicut in libro fontis vitæ & in libro de causis est probatum. Quantum autem secundum rationem quantitatis acceptum constat quòd secundum ordinem naturæ est ante hoc quantum sensibile. Ergo secundum ordinem naturæ causa est ipsius, & principium. Non est autem causa & principium, nisi quod est simplex & vniuersale principium. Ergo quod est simplex & vniuersale, quantum est & corporale.

Istæ absque dubitatione rationes sunt Platonis in hoc quod vniuersalia dixit esse corporalia quædam in mathematicis rationibus & formis constituta. Quod autem quidam dicunt de vniuersalibus immaterialium, vt angeli, & animæ, nihil penitus valet ad propositum. Talia enim dixit Plato ab æterno consistere, & radios quosdam lucis primæ esse, & non esse causata à principiis materialibus per compositionem, & in talibus dixit esse particulare non vniuersale: sed in talibus dixit, quòd sunt in nobis per hoc quod luces eorum & essentiæ sunt in nobis, siue existentibus per

ca, siue cognoscentibus ea. Propter quod Auicenna in sua metaphysica, vbi stabilit species qualitatis, dicit quod hoc dictum verum est. Cuius signum dicit: quia ea in quibus sunt siue existentibus siue cognoscentibus ea, non recipiunt ea secundum hic & nunc, sed vbique & semper, quantum est de ipsis. Anima enim non est in corpore secundum hic & nunc, nec dæmon siue intelligentia, siue etiam angelus, non est in eo in quo est per operationem vel cognitionem vt hic & nunc, sed secundum possibilitatem eius in quo est, est in eo secundum vbique & semper: quia non habet in eo positionis discretionem. Hæc opinio Platonis est.

Quod vniuersalia sint incorporalia 1. ratio.

In contrarium huius sufficiant etiam tres rationes, quæ sunt inter multas quæ adduci possunt, potiores. Quarum prima est, quòd si vniuersalia (horum singularium principia) sunt corporalia: aut sunt principia inquantum incorporalia, aut sunt principia eorum inquantum corporalia sunt & hic & nunc determinata. Si sunt principia horum inquantum corporalia sunt. Corporale autem non efficitur corporale nisi per aliud corporale: sed principium constituens est etiam corporale: ergo & ipsum corporale non efficitur corporale nisi per aliud corporale: & sic procederetur in infinitum. Sequitur ergo, quòd principium corporalis sit incorporale, sicut principium corruptibilis est incorruptibile, & principium sensibilis est insensibile, & principium mobilis est immobile, & sic de omnibus aliis.

2. ratio. Secunda ratio est, quòd si vniuersalia sint corporalia, sequitur quòd sunt quantitatibus & figuris determinata. Rationes autem quantitatum non sunt quantæ, & rationes figurarum non sunt figuratæ. Si autem vniuersalia quanta figurata sunt, sequitur quòd suscipiens ea, figuratur per ipsas & quantitate distendatur. Suscipit autem talia possibilis intellectus. Intellectus ergo possibilis quantus erit & figuratus, quod nemo vnquam opinatus est, quia omnes Anaxagoram laudabant dicentem, quia intellectus est purus & immixtus, nihil vlli habens commune. Vniuersale ergo corporale esse non potest, & in re corporali: cum prout vniuersale est, motiuum est intellectus possibilis.

3. ratio. Tertia ratio est, quòd si vniuersale corpus vel corporeum est habens quantitatem, oportet quòd sua quantitas corporea sit & perpetua. Est autem singulare suum in quo est quocunque modo corporeum & corpus: aut igitur hæc duo sunt vnum corpus, aut duo corpora. Si sunt vnum & idem, sequitur quòd corruptibile sit incorruptibile, & sensibile insensibile, & faciens factū, & constituens constitutum, si sint vnū & idem: quod est inconueniens & non intelligibile. Si autem sunt duo corpora, sequitur quòd duo corpora sint in eodem loco. Mathematicis enim datur locus sicut & physicis, vt dicit Arist. Probatum est autē à nobis in physicis, quòd si duo corpora sint in eodē loco, de necessitate duo erunt vnum & idem corpus. Sequitur ergo, quòd si sint duo diuersa corpora, quòd sunt vnum & idem corpus: quod impossibile est omninò.

Determinatio quæstionis.

Nos autem quæ inducta sunt determinantes, distinguimus, quòd corporale multipliciter dicitur, scilicet quatuor modis. Vno quidem modo dicitur corporale quantitate corporea distensum, ita quòd ipsa quantitas sit aliquid sui. Et sic habentia quantitatem corpoream, corporalia dicuntur & mobilia omnia & sensibilia. Secundo modo corporalia dicuntur non quidem quantitatem vt aliquid sui habentia, sed tamen secundum distensionem quantitatis in subiecto ea suscipiente sunt distensa, sicut albedo & nigredo, & caliditas & frigiditas, & figura, & circa aliquid constans forma, dicuntur corporalia: quamuis quantitas nihil sit essentiæ ipsorum. Tertio modo dicitur corporale omne corpori sicut suscipienti determinatum, sicut sensus & imaginatio & cæteræ virtutes sensibiles. Et vniuersaliter omnis anima sensibilis & vegetabilis sunt corporales formæ. Quarto modo dicitur corporale, non quod aliquid sit partis vel quantitatis corporalis, sed quia corporis quantitatis est principium. Et sic punctus dicitur esse corporale. Similiter autem multipliciter dicitur incorporale: quia si vnum oppositorum est multiplex, & reliquum. Nullo autem istorum modorum vniuersale est corporale: quia est sicut natura corporis vel corporei, cui per aptitudinem dicendi de multis accidit vniuersale esse: & est incorruptibilis, quia (sicut optimè probatum est) aliter motuum intellectus possibilis esse non potest, quia penitus incorporeus & incorruptibilis est. Est enim simplex notio & natura ab omni quantitate distensionis abstracta.

Corporale & incorporale dicuntur quatuor modis.

Ad primam rationem ante oppositum.

Ad hoc ergo quod primo obiicitur, dicendum, quòd & quanti essentiam constituens est duplex, scilicet secundum quantitatis essentiam & constitutionem eius quod est quantum vel quantitas. Et de tali principio procedit obiectio & est necessaria. Alia est constitutio quanti secundum esse specificum & rationem, non secundum id quod est quantitas & dans nomen & diffinitionem quantitatis. Et hoc principium constituens speciem & genus quantitatis non est quantitas vel quantum, sed potius quantitatis natura simplex & ratio. Et hæc natura sic simplicitate sua accepta est vniuersale.

Quanti essentiam constituens duplex est.

Ad secundam rationem.

Ad id autem quod secundò inducitur, dicendum, quòd hoc quod ponunt simpliciter esse verum principium huius, in esse & specie secundum naturam vel in genere non est ad hoc vel illud determinatum: quia si hoc esset verum, non esset principium vniuersale, sed huius vel illius. Sed hoc principium non est mathematica quantitas in his quæ corporea sunt: sed est natura simplex constituens in genere & specie, & dans nomen & rationem. Et in hoc patet, quòd quamuis punctum sit essentiale & quasi materiale principium lineæ: tamen formæ lineæ non habet nomen nec rationem. Sed aliud est principium secundum formam, quo linea lineæ nomen & rationem habet. Et hoc principium simpliciter acceptum natura est lineæ, cui accidit esse vniuersale, perhoc quod pluribus est communicabilis natura illius: patet igitur

igitur, quòd corporalium vniuersale est incorporale. Et hoc est verè dictum Peripateticorum.

Ad tertiam rationem.

Ad id autem quod tertiò inducunt, dicendum, quòd verum est quod ponitur: dummodò bene intelligatur, quod essentialiter per modum materialis constituti principium est essentiale, non in ordine naturæ primum: etiamsi daretur, quòd constituerent & principiarent naturalia corpora, non principiarent ea, nisi secundum id quod est quantitas subiecta: & non secundum hoc quo quantitas est in ratione vel specie vel genere. Et ideo non sunt propria ad ea secundum ordinem formalem naturæ, vel secundum ordinem efficientis causæ. Sed ea quæ sunt constituentia ea quæ corporea sunt in ratione, nomine, & specie, & genere, priora sunt secundum ordinem naturæ: & illæ sunt simplices naturæ, & essentiæ eorum, & notiones ipsorum. Hæc autem omnia & incorporalia sunt & vniuersalia per antedicta. Et hanc subtilitatem inuenit Aristo. & ideò in omnibus quæ dixit, Platoni præponatur in positione principiorum. Hæc est vera secundum Peripateticos huius quæstionis determinatio: & sic tenendum est, nec est curandum de sophisticis quibusdam, qui ante nos quædam scripserunt.

Aristoteles est præponendus Platoni in omnibus quæ dixit in positione principiorum.

CAPVT V.

Verum vniuersalia sint separata à sensibilibus, an in ipsis sensibilibus posita?

Restat nunc de difficillima quæstione differere, quam tertiam tangit Porphyrius, verum scilicet vniuersalia sint separata à sensibilibus, an in sensibilibus siue singularibus posita sint, & ab illis separatum esse non habeant? De hoc autem semper fuit contentio inter Stoicos & Peripateticos. Aristoteles chim ponere videtur vniuersale extra particulare esse non habere: vnde in posterioribus dicere videtur, quòd vniuersale non est nisi in hoc, hoc est, singulari. Dicit etiam contra Platonem loquens, quòd vniuersale esse vnum aliquid extra multa, non necesse est si demonstratio erit: esse tamen vnum de multis, verum est dicere. Ac si dicat, ad hoc quod demonstratiua sit scientia, non necesse est dicere, quòd vniuersale (de quo est scientia) sit separatum extra singularia: quia sufficit, quòd vniuersale sit vnum in multis, & de multis. Adhuc autem dicit Aristoteles, quòd nulla necessitas est opinari, quòd vniuersale sit præter hoc.

Opinio Aristot.

In 1. lib. tex. com. 25.

7. metaph. à tex. com. 5. vsque in finem. 1. ratio.

In prima etiam philosophia adhuc inducit rationes multas ad inconuenientes ducentes: quia si esset vniuersale separatum secundum esse actuale à singulari, sequeretur quòd esset cælum præter hoc cælum, & terra præter hanc terram, & homo præter hunc hominem: & cum scientia de vnaquaque rerum sequantur res, & de separatis sit alia scientia quam de materiam concipientibus, sicut patet in metaphysicis & physicis: esset alia scientia de cælo, & alia de hoc cælo: & alia medicina de homine, & alia de hoc homine: & alia geometria de terra, & alia de hac terra, & sic de aliis.

1. ratio. 7. metaph. tex. com. 33. & 37.

Hoc idem probatur per diffinitionem vniuersalis, tam ex Aristotelis verbis, quam ex verbis Auicennę & Alfarabij. Est enim vniuersale vnum de multis, & in multis. Si autem est in multis, non habet esse separatum ab illis. Et ideo dicunt, quòd vniuersale est, quod est aptum esse in multis, & in hoc differt à singulari. Res autem secundum naturam est in eo in quo est apta nata esse, & non in eo in quo non est apta nata esse. Vniuersale ergo est in multis, & non separatum habet esse ab illis: quia non est aptum natum habere separatum esse ab illis.

2. ratio.

Adhuc autem si vniuersale esset actu secundum perfectum esse præter multa, sequeretur, quòd esset existens per seipsum solum, & indiuisum in se, & ab aliis diuisum, & sic esset hoc aliquid & singulare. Nihil autem quod in se est vnum & hoc aliquid, prædicabile est de multis, nisi solo nomine, & non re aliqua quæ sit in illis. Et qui sic ponit vniuersale esse, ignorat vniuersalis rationem: quæ nomine, re, & ratione rei quæ in multis est, prædicatur de illis.

3. ratio.

Adhuc autem si sic esset per se existens, non posset alij esse causa in natura & ratione: quia non posset esse forma ipsius: sed si constitueret id, hoc esset per modum compositionis elementalis admixtionis: & tunc prædicari non posset de ente formali prædicatione: & tunc destrueretur omnis vtilitas ipsius. Sic enim nullius rei posset esse principium, neque ad esse, neque ad scientiam quæ de ipsa esset per notitiam vniuersalis.

4. ratio.

Adhuc omnes tales propositiones essēt falsæ & impossibiles, in quibus vniuersale de particulari substantialiter prædicatur: vt cum dicitur, hic homo est homo, vel hoc lignum est lignum, & omnes similes istis, quæ sunt maxima inconuenientia & absurda. Si autem aliquis diceret, quòd vniuersale particulari vnitur, & tamen remanet in se separatum. Hic non euadit inconuenientia inducta: taliter enim vnitum non est vnum, & secundum esse non prædicatur de eo cui est vnitum. Et ideò non posset dici, quod Socrates vel hic homo, est homo: quia sibi esset vnitus homo, & quasi hominis vt sigillo impressus: sicut non potest dici, quòd cera sigillata sit sigillum. Videtur ergo, quòd vniuersale separatum esse non habeat extra suum singulare.

5. ratio.

In contrarium autem huius est, quòd omne quod habet esse, non habens illud per aliud, vel ab alio, potest esse sine illo. Vniuersale autem habet esse, non per singulare, nec ab illo. Ergo potest esse sine illo: ergo secundum esse est separabile à singulari.

In oppositum. 1. ratio.

Hoc etiam sic probatur, Esse vniuersalis est esse commune aptum natum esse in pluribus & multis communicabile. Hoc autem esse non potest habere à singulari: quia singularia sunt discreta & incommunicabilia. Communicabile ergo esse quod est esse vniuersalis, vniuersale non habet à singulari.

2. ratio.

Si fortè aliquis dicat, quòd ista ratio non

Obiectio.

probat, quòd vniuersale non habeat esse discretum: sed probat quòd à singulari destructo remanet esse vniuersalis secundum aliquem modum. Hoc videtur contra Aristotelem esse, qui ponens, quòd vniuersale esse habeat in singulari, dicit quòd destructis primis impossibile est aliquid aliorum remanere. Et hoc secundum rationem inductam destruitur: quia si vniuersale habet esse separatum vel separabile ab esse singulari, vniuersale manebit existente singulari & non existente singulari æqualiter: eò quod suum esse ab esse singularis non dependet aliquo modo, nisi secundum esse in ipso, & non secundum esse simpliciter.

Impugnatio eius.

In præsentis. cap. de substantia.

3. ratio.

Adhuc autem vniuersale semper est & vbique: particulare autem siue singulare est hic & nunc. Si autem vniuersale est vbique & semper, est alicubi vbi non est singulare: & est aliquando quando non singulare. Quæcunque autem loco & tempore sunt separata, simpliciter & substantialiter secundum esse & subiecta sunt separata. Cum ergo vniuersale & particulare loco & tempore differant siue separata sint, simpliciter secundum esse & subiecta substantialiter separata esse videntur.

4. ratio.

Adhuc non potest idem esse intelligi corruptibile & incorruptibile. Vniuersale autem incorruptibile est, singulare verò corruptibile. Non idem erit ergo esse vniuersalis & singularis. Si enim idem esset vtrisque esse, sequeretur contradictoria simul esse vera: quia si corruptibile est secundum esse, erit aliquando quando esse non habebit. Probatum enim est de cælo & mundo in primo, quòd corruptibile necessariò aliquando corrumpetur: & tunc non erit incorruptibile, aut semper erit. Ergo aliquod tempus erit, quando id secundum esse & erit & non erit, quod est impossibile.

Text. com. 124.

5. ratio.

Adhuc autem constat, quòd vniuersale habet esse in quo multa vniuntur in vnum nomen & rationem: quæ nomen & ratio dicunt esse diffiniti. Hoc autem esse nullo modo habet in esse singulari. Ergo habet hoc esse separatum ab esse singularis. Cum ergo habet hoc esse: aut habet ipsum secundum quod instrumentum primi agentis est, aut habet hoc secundum quod est in anima per abstractionem ipsum cognoscentem, aut in re ipsa extra agentem & cognoscentem existens. Si dicatur, quòd habet illud in efficiente: tunc vniuersale non habet esse nisi ideale: & cum prædicatur de singulari, non prædicatur nisi sicut idea: hæc autem prædicatio non est substantialis, sed exemplaris tantum: & sic destruitur omnis prædicatio substantialis. Si autem habet id in anima apprehendente: tunc relatio vniuersalis ad multa, non est nisi in anima, & non in re: & sic prædicatur nomine, & non re. Et sic vniuersalia non sunt res, sed nomina: quod falsum iam esse ostensum est. Relinquitur ergo, quòd habeant id secundum quod est res in se exiltens & ab agente & cognoscente & à singulari separata. Ergo esse vniuersalis est separatum ab esse singularis, & è conuerso. Ex omnibus autem his & similibus videtur, quòd vniuersalis esse separatum sit substantia, loco, & tempore ab esse singularis.

Rationes

Ad hæc autem non est difficile respondere ei qui bene nouit positionem Peripateticorum. Nam per distinctionem esse vniuersalis omnia hæc facile determinantur. Est enim esse vniuersalis secundum quod vniuersale est secundum vniuersalitatis rationem, & esse eius quod est vniuersale. Similiter est esse singularis secundum quod singulare est, & secundum singularitatis rationem: & est esse eius quod est singulare, prout est substantia substans communi naturæ. Dicimus ergo, quòd esse vniuersalis in eo quod vniuersale, est ratione separatum, & oppositum est illi quod est esse singularis in eo quod singulare est, quamuis non vt in eodem subiecto. Esse autem naturæ illius quæ vniuersale est, non est separatum ab esse singulari: secundum quod est substantia substans illi communi naturæ: sed potius esse vniuersalis est esse particularis, & non diuisum ab illo. Est enim, sicut diximus, vniuersale secundum esse in particulari: quamuis non sit vniuersale secundum hoc quod est in illo, sed nec commune, nec communicabile, sicut in prima quæstione satis declaratum est. Et nisi sic esset, non esset quæstio nec scientia de aliquo, sicut in primis probatur obiectis. Nec est curandum de solutione quam quidam inducunt, scilicet quòd vniuersale secundum se habeat esse, sed non habeat esse completum, nisi in particulari: vniuersale enim habet esse completum in hoc, quod omnia habet quæ exiguntur ad esse vniuersalis: sicut particulare habet esse completum, quando habet omnia quæ exiguntur ad esse particularis.

pro solutione quæstionis.

Ad primam rationē post oppositum.

Ad id autem quod primò contra hoc inducitur, dicendum, quòd omne quod habet esse non per aliud, potest esse sine illo: nisi ita sit, quòd esse suum quamuis non sit per aliud, tamen sit in alio cui ipsum est causa esse. Et hoc est esse in alio, sicut pars essentialis ipsius esse secundum quòd est in alio: & hoc modo vniuersale siue substantia secunda est in alio: sed per hoc quod est in illo, est particulatum & determinatum. Et ideo esse quidem habet in seipsa, sed non determinatum & particulatum.

Dubitatio vtrum sit idem esse vniuersalis in se, & vt in singularibus est determinatum.

Si autem quæratur, vtrum idem esse sit quod vniuersale habet per se acceptum, & quod habet determinatum & particulatum? Dicendum, quòd nec idem omnino, nec diuersum omninò: sed idem vel vnum dupliciter. In substantia enim idem est: duplex autem vt idem & vnum indeterminatum & determinatum. Et hæc est solutio trium Philosophorum, Auicennæ, & Alfarabij, & eiusdem Ioannis grammatici apud Arabes nominati: & est vera quia concordat dictis Aristotelis.

Solutio.

Ad secundam rationem.

Ad id autem quod secundò inducunt, quòd aptum natum esse in pluribus non conuenit vniuersali secundum quod est in singularibus: concedendum est, quòd hoc est verum: sed hoc habet natura illa inquantum simplex est & indeterminata. Quanto enim aliquid est simplicius, tanto magis est communicabile multis. Sed dico simplex non per priuationem differentiarum, quæ conueniunt in esse ipsius, sed per priuationem eorum quæ determinant & contrahunt ipsum ad hoc esse vel id secundum speciem vel indiuiduum. Sed per hoc non sequitur, quòd habeat esse determinatum siue singulare:

singulare: quia quamuis tale esse non habeat à singulari, tamen non habet nisi in singulari: sicut & commune non habet esse nisi in eo, in quo determinatur & ad esse distinctum contrahitur. Nihil enim est simplex in natura, nisi quod ad esse distinctum est & determinatum: sicut genus non est nisi in speciebus, & species non est nisi in indiuiduis suis.

Ad id autem quod obiicitur, dicitur quòd obiectio non probat, quòd vniuersale habeat esse separatum, sed quod remaneat destructis pluribus particularibus concedendum est. Sed quod Aristoteles dicit, quòd destructis primis impossibile est aliquid aliorum remanere, intelligitur in esse determinato & distincto in rebus naturæ. Sed tamen possibile est remanere in esse naturæ simplicis communis & indeterminatæ. Si autem quæritur, in quo & vbi manet secundum id esse? hoc in proximo sequenti capitulo declarabitur.

Ad tertiam rationem.

Ad id autem quod dicitur Aristotelem dicere, quòd vniuersale est vbique & semper, singulare autem hic & nunc: dicendum, quòd verum est quod dicit Aristoteles, quòd vniuersale in esse vniuersalis acceptum, non discernit locum siue loci differentias vel tempus: quia indeterminatum est, & commune ad omnem locum & tempus: sed secundum idem suum esse substantiale efficitur hic & nunc quando determinatur in particulari ad hoc & id.

Obiectio. Solutio.

Siquis autem dicat, quòd secundum hoc idem sit in pluribus tempore & loco & substantia differentibus. Dicendum, quòd hoc non est inconueniens de eo quod est natura simplex & communicabile: quia potius hoc est necessarium, quia simplicitatem eius consequitur communicabilitas. Sed in esse determinato & distincto non est in pluribus substantia, loco, & tempore diuisis. Et ideò eiusdem rationis est homo in omni tempore, & in omni loco, & in omnibus indiuiduis.

Ad quartum rationem.

Ad id autem quod dicitur, quòd vniuersale est incorruptibile, singulare autem corruptibile; dicendum, quòd hoc verum est: quia aliter scientia non esset de ipso: sed ex hoc non sequitur, quòd esse vniuersalis separatum sit ab esse singularis: vnumquodque enim dicitur incorruptibile vel corruptibile per rationem principiorum constituentium esse ipsius. Et ideò cum esse vniuersalis secundum id quod verè est vniuersale, hoc est, secundum id quod est natura simplex & indistincta, non dependeat secundum esse nisi à principiis simplicibus: sequetur quandoque, quòd incorruptibile sit: probatur enim in vltima parte libri de causis, quòd simplex est incorruptibile. Sed hoc idem vt determinatum & distinctum in singulari secundum esse particularis, quod dat esse ei determinatum, propter corruptibilium principiorum adiunctionem nihil prohibet esse corruptibile. Et idem est corruptibile & incorruptibile comparatione principiorum diuersorum. Et hoc non improbat Aristoteles in libro de cælo & mundo.

Ad hoc autem quod dicit negari non posse, quòd vniuersale habeat esse commune in quo multa vniuntur & conueniunt in substantia & ratione: dicimus, quòd hoc verum est: & hoc esse est sibi proprium, & non habet à singulari: sed nec hoc potest negari quin illud idem commune esse sit determinabile & designabile in singulis: quia aliter non esset communicabile in singulis: & per illam distinctionem esse id non sit diuersum secundum substantiam, sed tantum efficitur habens modum essendi diuersum, quod non facit simpliciter esse diuersum, sed vnum esse duplex ex eo quod diuersum modum esse accipit, sicut sæpius dictum est.

Siquis autem dicat, quòd vt dicit Aristoteles, motis nobis mouentur ea quæ in nobis sunt: & per hoc intelligitur de motu corruptionis: & sic corruptis primis impossibile est vniuersale remanere. Dicendum, quòd hoc omnino est verum quod dicit Aristot. & ita intelligitur, sicut dictum est. Et verum est, quòd vniuersale corrumpitur in eis quæ corrumpuntur; sed corrumpitur secundum quod est in eis. Est enim in eis secundum principia determinata & distrahentia ipsum ad esse particularis. Et sic est hoc modo corruptibile, quo in libro de causis dicitur, quòd incorruptibile est, quod est delarum super id quod est corruptibile, & est corruptibile per aliud & per accidens. Sed nihil prohibet, quin maneat secundum substantiam & esse naturæ simplicis & indistinctæ & non particulatæ.

Obiectio.

Solutio.

CAPVT VI.

Qualiter vniuersale est in anima, & qualiter in seipso, & qualiter in singulari, & in quo sit verius secundum esse suæ naturæ?

EST autem difficilis quæstio valdè, qualiter vniuersale est in anima, & qualiter in seipso, & qualiter in singulari, & in quo verius sit secundum esse naturæ suæ? Quòd enim in anima sit, ex dictis Peripateticorum supponitur omnium dicentium, quod vniuersale est dum intelligitur, particulare autem dum sentitur. Adhuc autem Auerroës, & Auicenna dicunt, quòd intellectus in formis agit vniuersaliratem. Adhuc autem vniuersale in intellectu (vt dicit Aristoteles) principium est artis & scientiæ: nec posset esse principium artis & scientiæ, nisi esset in intellectu practico & speculatiuo. Ars enim est factiuum principium entium in ratione, & ideò est in intellectu practico. Scientia autem est habitus conclusionum ex principiis speculationis probatus, & ideò est in intellectu speculatiuo: & sic oportet, quòd vniuersale sit in intellectu. Est iterum vniuersale secundum esse naturæ simplicis, cui accidit vniuersale esse secundum suam communicabilitatem: hoc enim non habet ab hoc quod est in anima principium artis & scientiæ. Est etiam vniuersale in singulari communicatum & distinctum ab indiuiduantibus & materia.

Vide 1. phys. tex. com 49.

Auer. 2. de anima. com. 8.

Quæratur ergo, secundum quem modum diuisum est in istis: cum ipsum de se sit vnum,

1. quæstio.

&

& idem est indiuisum & indiuisibile secundum essentiam. Adhuc color non esset in corpore terminato & in perspicuo & in oculo videnti, nisi esset vnum & idem agens ipsum in omnibus illis, quod est de formali essentia coloris: & hoc est lux siue lumen, in cuius actu color mouet visum: quod idem est in superficie terminati corporis diffusum. Et quod verè est vnum & idem secundum actum perspicui secundum actum illuminati: & ita videtur esse etiam in forma vniuersalis. Oportet enim esse vnum quod agat ipsum in se & in anima & in singulari: quia aliter non posset intelligi qualiter esset in istis tribus simul & semel indiuisum secundum essentiam, quamuis secundum esse aliquid sit diuisum.

2. quæstio. 3. quæstio. Quæritur etiam, in quo illorum verius & nobilius sit & euidentius secundum esse? Et iterum quæritur, verum secundum se sit in anima, vel per solam similitudinem suam: sicut Aristot. dicere videtur in 3. de anima, dicens, quòd res non sunt in anima, sed similitudines rerum. Quod enim nobilius & verius sit in anima quam alibi, videtur per illam Aristotelis considerationem in sexto topicorum, vbi dicit, quod prius & verius & euidentius est ens vbi est in quiete, quam vbi est in motu (Et non accipit quietem secundum quod opponitur motui priuatiuè vel contrariè: sed accipit quietem pro immobilitate quacunque per quam impossibile est rem subiici motui vel mutationi) Sic autem non est vniuersale in singulari, sed sic est in anima: verius ergo est secundum quod est in anima, quam sit in singulari. Sed hoc videtur irrationale valdè: quia singulari dat esse nomen & rationem: & hoc non dat animæ. Verius autem est res in eo cui dat esse & rationem, quam in eo cui nihil talium donat. Tamen in fine etiam posteriorum videtur Aristoteles dicere, quòd vniuersale quiescit in anima, vbi dicit ex omni quiescente vniuersali in anima vno præter multa: quod cum in omnibus vnum sit idem & artis principium, est & scientiæ. Videtur ergo, quòd nobilius & verius sit in anima, quam extra animam.

Tex. com. 38.

Cap. 4 in fine.

In secundo. Tex. com. 17.

Ad primam quæstionem.

Ad hoc autem si quis benè nouit positionem Peripateticorum, non habet difficile determinare & respondere. Dicendum igitur primò, quòd vniuersale vnum numero & essentia est in anima & in seipso & in singulari, nec differt nisi secundum esse determinans ipsum ad hoc vel illud: secundum enim simpliciratem acceptum in se secundum seipsum est: vt principium autem artis & scientiæ est in anima, & vt communicatum ad esse naturæ particularis est distinctum in particulari.

Et si quæratur, quid vnum sit, quod faciat ipsum esse in tribus his? Dicendum, quòd inducta similitudo de luce & colore bona est. Et dicendum, quòd id vnum quod in tribus ipsum facit esse, est vis intelligentiæ primæ, quæ causa vniuersi esse est in omnibus: cuius etiam ipsa simplex natura (quæ est hoc quod est vniuersale vel illud) contingens radius est. Et quia contactus talis multiplex est secundum diuersas naturas ad quas pertingit, ideò vniuersalia multa sunt, reducibilia tamen aliquo modo ad vnum, quod causæ primæ primum causatum est. Hoc autem vnum intelligentiæ lumen est extensum per omnem naturam & animam: sicut lux solis extendit se per omnem naturam & animam in eo quod est imago ipsius propinqua. Et anima intellectualis facit & operatur & inuenit formas suas sub specie & forma luminis: sicut lux solis & colorem facit in perspicuo siue peruio, quem quidem accipit visus per id quod perspicuo componitur eius organum: accipit tamen in virtute vitæ & sensus per hoc quod oculus perspicuum animatum sensituum & determinatum corpus est: & accipit clarum vel tenebrosum per hoc quod superficies clara est vel tenebrosa. Ita etiam lux intelligentiæ primæ, quæ fons & causa est omnium formarum, facit & inuehit formas quas in se quidem acceptas habet simplices & indistinctas: & ideò vniuersales & in simplici lumine constitutas: quæ (quia vniuersale est vbique & semper) secundum quod sic sunt, vbique & semper sunt, incorruptibiles sunt & immobiles & innumerabiles. Secundum autem quod ad hoc vel illud sunt terminatæ, sic accipiunt diuersum modum in esse. Et in anima (quæ vitæ intellectualis principium est) accipiuntur, vt principia operis vel speculationis: cum talis anima & imago instrumentum sit luminis intelligentiæ, in materia sensibili (quæ non nisi subiectum operantis intelligentiæ est) innuehit eas, vt sunt principium esse huius vel illius singularis. Et ideò vna & eadem est essentia in se & in anima & in singulari: sed in anima secundum esse spirituale, in singulari secundum esse materiale & naturale, in se autem in esse simplici.

Ad secundam quæstionem.

Et quod dicit Aristot. quòd verius esse est in quo est sicut in quiete. Dicendum est, quòd verius esse dicitur dupliciter: est enim verius secundum actum naturæ proprium, & verius secundum constituentium proprietatem. Et verius quidem secundum substantialem naturæ ipsius actum est in singulari, cui dat esse substantiale & nomen & rationem: qui est proprius & substantialis naturæ communis actus. Secundum autem veritatem constituentium illam naturam verius est & in anima & in se, quam in singulari: quia ibi purius est & impermixtius naturæ alienæ: sicut verius dicitur aurum quod alienæ naturæ est impermixtius. Et sic intelligitur deducta Aristot. consideratio in 6. topicorum. Quod autem in fine secundi posteriorum deductum est, contra mentem Aristot. adductum est, quamuis faciat pro ista quæstione confirmanda. Intendit enim ibi Aristot. vniuersale esse de multis acceptionem per experimentum & memoriam: quod quiescere in anima dicitur, quando sibi acquiescit anima non inueniens instantiam vniuersalis acceptionis.

Ad tertiam quæstionem.

Quod autem quæritur, qualiter sit in anima & in se & in singulari? Dico cum Aristotele & Peripateticis, quòd est in omnibus his per suâ præsentiam realem, & realiter acceptum: quam præsentiam facit intelligentiæ lumen, sicut dictum est. Quod autem dicit Aristoteles, quòd res non sunt in anima, sed similitudines rerum. Dicendum, quòd res dicuntur singularia quæ sola

sola sunt eius ratum in natura. Similitudines autem sunt vniuersalia, quæ, vt dicit Boëtius, non nisi similitudo essentialis sunt suorum suppositorum & singularium: quod patet ex hoc, quòd id quod est in anima intelligente, nō fit in ea nisi per abstractionem: abstractio autem non fit nisi ab indiuiduantibus, quibus & materialibus separatis remanet id quod vbique & semper est, quod per lumen intelligentiæ prius efficitur, & quod per naturam intellectualem quàm in substantia sua participat, stramentum est intelligentiæ, in quo sternit formas veras suo lumine, quæ secundum vitæ operationem perficitur contemplando & operando.

Hæc videtur vera huius quæstionis determinatio, secundum hoc quod traditur in scientia de intelligentiis, de quibus Aristoteles loquitur in 11. primæ philosophiæ. Scito tamen, quòd aliter multi dicunt Latinorum, contra quos ego non contendo: quia non contioni studeo, sed ad explanandas opiniones Peripateticorum. Quod autem dicitur, quòd vniuersale est dum intelligitur, & particulare siue singulare dum sentitur: non ideò dictum est, quòd ab intellectu intelligentis accipiat vniuersale esse, vel à sensu accipiat esse particulare: hoc enim fuit error Pithagoræ, quem impugnat Arist. sed ideò dictum est, quia non accipitur in intellectu nisi in intelligentiæ lumine, & sic est vniuersale: nec accipitur à sensu nisi sensibili accidente distinctum: & sic est singulare. Et hæc est solutio quæstionis inductæ.

CAPVT VII.

Qualiter vniuersale producatur in esse.

In 1. physic. Quæstio.

Quòd vniuersale in esse non producatur. 1. ratio.

MVltos etiam mouet, qualiter vniuersale producitur philosophicè, & non de productione illa qua cuncta in natura procreatione producit Deus: secundum physicam enim nihil creatur, nisi quod producitur nullo quodam alio producto: & sic solum ens producitur per creationem, alia autem per informationem producuntur, sicut in scientia libri causarum est determinatum. Hoc ergo modo quæratur, qualiter vniuersale in esse producitur? cum enim productum producentis intelligentiæ & agentis sit terminus, & producere & agere per intellectum, terminus autem actionis sit compositum & hoc aliquid: cum vniuersale producatur, videtur, quòd vniuersale sit compositum & hoc aliquid. Hoc autem falsum est, cum vniuersale sit forma, & quale quid, & non hoc aliquid.

2. ratio.

Hoc autem adhuc videtur ex eo, quòd id quod ab intelligentia in esse producitur, per exemplar & ideam est in ipsa: non autem per ideam & exemplar est in intelligentia, nisi quòd est hoc aliquid & compositum: aliter enim oporteret, quòd plures essent ideæ eiusdem, quædam quidem secundum formam, quædam secundum materiam, & quædam secundum genus, aut secundum speciem, & quædam secundum differentias: quod valdè est absurdum.

3. ratio.

Adhuc autem oportet, quòd omnia producantur ab agente intelligentia inquantum sunt in natura perfecta, & hoc aliquid existentia. Si ergo ab agente intelligentia (quæ causa prima est, siue aliquid aliud secundarum causarum) vniuersale producitur, videtur quòd vniuersale sit hoc-aliquid & compositum ex materia & forma.

4. ratio. 1. physic. 2ex. com. 22.

Adhuc autem videtur hoc ex hoc, quòd ars imitatur naturam inquantum potest. Quod autem ab artifice producitur & est in artifice per modum exemplaris, non est forma simplex, sed compositum, vt domus vel tripoda. Sic ergo videtur etiã fieri in productione intelligentiæ in natura: supponimus enim, quòd totum opus naturæ est opus intelligentiæ agentis: cuius virtus etiam informat semen generationis, ex quo res naturæ producuntur.

5. ratio.

Adhuc autem in omni natura productum semper est res naturæ. Res autem naturæ non est nisi hypostasis communi naturæ suppositæ & subsistans per seipsam. Taliter autem subsistans naturæ communi, indiuiduum & singulare est. Si ergo vniuersale sic producitur, sequitur quòd vniuersale sit singulare: quod est inconueniens.

Solutio quæstionis.

Ad omnia autem hæc & his similia non est difficile respondere. Vniuersale enim secundum quòd in esse producitur per intelligentiam agentem, sunt generationem, quæ est agentis intelligentiæ instrumentum, non nisi in hypostasi producitur, quæ est hoc aliquid in illa natura communi vel illa. Et ideò cum non producatur vt existens per se solum, non oportet, quòd productum sit hoc aliquid. Hoc autem modo omnes procedunt obiectiones: & ideò patet, quod nihil valent. Quod autem in alio producitur (vt in physicis docet Arist.) dupliciter producitur: aut ex consequenti, aut per accidens. Ex consequenti autem quia hic generans est homo, ideo sequitur, quòd homo generat hominem, & quod hic generans est homo & animal & substantia, & sic de aliis: & sic in omni prædicatione substantialiter quòd Aristoteles dicit, quod domus est ex domo, & sanitas ex sanitate, & sic de aliis: quia productum semper est ad formam producentis, eò quod æquiuocum ad vniuocum necessarium est reduci. Per accidens autem producitur, quod accidit producto ex ipsa productione. Si enim producitur per generationem, ad similitudinem formæ & speciei generantis producitur: & ideò per accidens productus est filius, & producens est pater; & sic de aliis. Producitur autem vniuersale ex consequenti in esse naturæ: propter quod dicit Auctor sex principiorum, quòd natura occultè operatur in illis: & ideo etiam in physica Aristot. secundæ substantiæ vocantur. Si autem vniuersale secundum seipsum consideretur, ipsum est imago luminis in re naturæ. Imago, dico, luminis agentis intelligentiæ: quod lumen terminatum est ad hoc aliquid & incorporatum illi: & hoc modo vniuersale naturæ producitur in esse ab agente intelligentia, quæ operatur per suum intellectuale lumen in omni natura, & est cau-

Tex. 1.

sa

sa rei naturalis in omnibus: quod quidem lumen in se acceptum inest vniuersali, & ratione vniuersale est: acceptum autem vt determinatum ad hoc aliquid, & incorporatum illi, est esse & substantia particularis dans esse substantiale & rationem singulari.

CAPVT VIII.

An vniuersale sit forma, vel materia, vel compositum? & si forma, cuiusmodi forma sit?

Quod vniuersale non sit materia, sed forma.

EST autem adhuc dubium apud quosdam, an vniuersale sit forma, an compositum, an materia: Et si est forma, verum sit forma totius, vel partis. Quod enim vniuersale non sit materia, patet ex hoc quod materia est, in quo est, nec dat esse, nec nomen nec rationem: quæ omnia dat vniuersale substantiale ei cuius est vniuersale: igitur non est materia. Adhuc autem materia non est imago agentis in eo quod producitur. Vniuersale autem est imago agentis intelligentiæ in eo quod producitur, vt iam probatum est. Adhuc autem omne quod prædicatur de eo in quo est, forma est. Vniuersale prædicatur de eo in quo est. Ergo vniuersale forma est. Adhuc autem nihil est communicabile multis vnum existens in eis secundum essentiam nisi forma: materia enim non est communicabilis multis, nisi per diuisionem, ita quod non tota est in singulis. Vniuersale autem totum est in singulis. Ergo vniuersale non est materia, sed forma.

Sed quia innegabiliter verum est, ideo quæritur, cuiusmodi forma sit: Est enim forma totius, vt humanitas est forma hominis: aut forma partis, sicut anima est forma corporis humani. Forma autem partis siue materiæ non prædicatur de re cuius est forma, sed vniuersale bene prædicatur. Vniuersale ergo non est forma partis vel materiæ secundum quod materia perficitur per formam. Eodem modo probari videtur, quod nec forma totius est: quia etiam humanitas de homine non prædicatur, & est de ratione eius de quo prædicatur.

Quod vniuersale sit forma, & quæ sit forma talis.

Hæc autem & similia soluere non est difficile. Dicendum enim est, quòd vniuersale est forma, & quod est forma totius. Sed forma totius dupliciter designatur in nomine: designatur enim vt forma tantum, sicut humanitas est forma designata vt forma tantum, quæ est essentia formalis: & ideo non prædicatur de eo cuius est forma, quia homo non est essentia sua formalis, nec aliquid aliorum quæ formas habent. Designatur etiam vt forma totius totum esse dicens cuius est forma, & tunc designatur per esse quod dat ei in quo est & nomen: sicut homo dicit esse formale quod forma totius dat huic composito quod est hic homo. Et hoc docet Aristot. in libro de cælo & mundo dicens, Cum dico cælum, dico formam: cum dico hoc cælum, dico formam in materia. Et forma est vniuersale prædicabile nomine & ratione de eo cuius est vniuersale secundum subsistantiam: cuius probatio est, quia nisi vniuersale tale esset forma, diffinitio data secundum nomen vniuersalis non diceret totum esse rei, nec totam quidditatem ipsius secundum illud nomen secundum quod diffinitur, siue nomen generis, siue speciei. Relinquitur ergo, quòd vniuersale sit forma totius vt totum esse dicens designata: propter hoc etiam prædicatur de eo de quo prædicatur, ita quòd & statim posito subiecto per intellectum concipitur in illo siue subiectum sit in actu, siue non: omni tempore enim verum est, quòd homo est animal, siue homo sit, siue non sit: & quòd animal est corpus animatum, & quod corpus animatum sit substantia: sed ex hoc non sequitur, ergo corpus animatum est ens secundum actū. Et ideo dicit Auic. in primo lib. logicæ suæ, quòd esse & existentia accidit ei quod est: verum enim est hominem esse animal, siue aliquod animal sit, siue non sit: & accidit ei esse, vel non esse. Hæc igitur sunt, quæ digrediendo à proposito, & altioris scientiæ assumendo negotium, de vniuersalibus propter doctrinæ perfectionem esse dicenda videbantur.

Semper verum est hominem esse animal, siue homo sit, siue non sit.

Redeuntes igitur ad propositum dicamus, quòd cum ad scientiam prædicamentorum Aristot. vtile & necessarium sit nosse quid genus, quid species, quid differentia, quid proprium, & quid accidens sit. Præterea vtile ad demonstrationem & diffinitionem & diuisionum scientiam, tentabo tradere istarum rerum (quæ vniuersalia dicuntur) speculationem siue scientiam speculatiuam compendiosam, breuem quidem, sed tamen sufficientem & facilem, quæ competat introducendis, per assignationes & similitudines tradens scientiam, tentans aggredi quæ ab antiquis dicta sunt, vt qualia dicta sunt accipiantur. Hoc autem faciam ab altioribus quidem quæstionibus abstinens: quæ licet tactæ sint propter doctrinæ perfectionem, tamen ex principiis propositæ intentionis determinari non possunt. Simpliciores verò de his vniuersalibus quæstiones mediocriter inter subtilem & rudem tractatum coniectans, ex probabilibus siue similibus tractare, coniecturare estimulta enim talia oportet adducere, vt fides fiat de eo de quo tractatur.

Quid sit genus, quid differentia, quid proprium, &c.

Ne autem lateant ea quæ ex istius scientiæ principiis tractari non possunt de vniuersalibus, mox, id est, prima facie occurrit quærendum de generibus, & speciebus, vtrum scilicet subsistant vel in solis, nudis, purisque intellectibus posita sint: si etiam sint subsistentia extra intellectum posita, vtrum sint corporalia, siue incorporalia: & siue hoc vel illo modo sint, vtrum sint separata secundum esse à sensibilibus siue singularibus, an in ipsis sensibilibus posita sint. Et alia quædam circa tales difficultates circumstantia in hoc libro dicere recusabo. Huiusmodi enim negotium altissimum est, quia altissimæ scientiæ proprium, & ideo maioris & subtilioris egens est inquisitionis: altioris quidem quoad subiecti nobilitatem, maioris autem inquisitionis quoad demonstrationum subtilitatem. In his enim duobus scientiæ differunt, vt Aristot. dicit in principio libri de anima. Illud verò quod de his dicendum

Mox de generibus, & speciebus.

In 1. text. com. 92.

In 1. text. com. 1.

dum videtur probabiliter quemadmodum de his tractauerunt antiqui Philosophi, & horum maximè Peripatetici (quos hic sequi suscepimus) nunc tentabo demonstrare modo introductionis.

CAPVT IX.

Quomodo vniuersale prædicatur de quinque vniuersalibus, & de sufficientia & ordine quinque vniuersalium?

Quomodo vniuersale prædicatur de quinque vniuersalibus.

QVia autem inter incomplexa primo de vniuersalibus occurrit tractandum: videdum prius est qualiter vniuersale dicitur de quinque quæ sunt inducta. Vniuersale enim simplex natura est, sua simplicitate communicabile & determinabile ad particulare in quo ipsum est nomine & ratione. Dico autem ratione essentiali quæ competit vniuersali quod prædicatur: & hoc dico propter proprium & accidens, quæ etsi vt vniuersalia perfectas diffinitiones habere non possunt, tamen secundum quas habent, prædicantur de his de quibus prædicantur sicut de substantiis, vt album de hoc albo, & risibile de hoc risibili, & sic de aliis.

Cum ergo quodlibet istorum quinque dicatur vniuersale, sciendum quòd vniuersale non dicitur communiter de ipsis vt genus, sed vt commune proportionis ad vnum quod vocatur commune secundum analogiam. Vnum autem ad cuius proportionem vniuersale dicitur de his quinque, est aptum natum esse in multis & de multis. Hoc autem nec per vnam rationem conuenit his quæ substantialiter (hoc est per hoc quod substantiale est) sunt in multis & de ipsis, & his quæ per accidentale aliquod sunt in multis & de multis: nec per vnā rationem conuenit ei quod per accidentale consequens naturam est in multis & de multis, & ei quod per accidens commune quod est accidens indiuidui. Adhuc autem nec de his quæ per essentiale sunt in multis & de multis, conuenit per essentialem rationem: quædam enim istorum sunt in multis & de multis per essentiale quòd est quid, & quasi subiecta substantia in ipsis, sicut genus quod est quasi fundamentum in quo formatur & fundatur esse speciei: & sicut species quod est totum esse substantiale indiuidui, quia quicquid sequitur speciem, est accidens indiuiduans, aliud etiam est in multis & de multis per quale quid quod facit esse fundamentum in genere. Et sic patet, quòd non per vnam rationem sunt hæc in multis & de multis: & per prius hoc conuenit generi & speciei, per posterius autem differentiæ. Adhuc cum esse in multis & de multis prius conueniat ei, quod in multis & de multis est specie & numero differentibus, quam ei quod est in multis & de multis solo numero differentibus: constat, quòd per prius conuenit vniuersale generi, & per posterius speciei. Hæc enim est ratio communitatis analogicæ, vt in 5. primæ philosophiæ docet Aristot. quòd commune analogicè simplex est in vnum aliis autem non est nisi secundum quandam proportionem ad illud. Et per hoc patet, quod vniuersale non prædicatur de his vt genus, vel vt species, vel vt differentia, vel vt proprium, vel vt accidens: sed prædicatur de his vt commune secundum analogiam ad communitatem generis proportionatam.

Sufficientia quinque vniuersalium.

Numerus autem horum vniuersalium ex hoc patet. Omne quod est in multis & de multis, aut est in illis & de illis per substantiale, aut per aliquod accidentale. Siquidem est in illis per aliquod, quod in illis est substantiale, non debet diuidi, quod aut inest per substantiale quod est pars esse, aut per id quod est totum, sicut quidam dicunt: quia quod est pars, non prædicatur de eo in quo est secundum quod est pars. Sed sic diuidi debet, quòd si est in multis & de multis, aut est in eis per id quod est esse secundum potentiam inchoationis: aut in eis est per essentiale quod est totum secundum actum perficientis esse ipsum: aut est in eis secundum totum esse perfectum & constitutum. Et primo quidem modo est genus, secundo autem modo differentia, tertio vero modo species. Et patet, quòd diuisio sufficiens & ex immediatis est: quia substantiale quod est in multis & de multis, aut est principium, aut principiatum. Et si est principium: aut est principium secundum potentiam, aut secundum actum. Si autem est principiatum & in substantiali esse perfectum: tunc est altero modo à duobus dictis modis. Si autem est in multis & de multis secundum esse accidentale existens in illis, non potest esse in eis, nisi aut secundum accidens naturæ communis per quam refertur ad singularia, & hoc est proprium: aut secundum accidens indiuidui aut singularis, per quod refertur ad naturam communem, & tunc est accidens. Socrates enim est risibilis per communem naturam quæ est in Socrate. Homo autem est albus per hoc quod Socrates est albus, in quo natura hominis est. Et patet iterum per hoc, quòd illa diuisio ex immediatis est: quia in nullo est, nisi vel natura communis, vel hypostasis siue suppositum vel singulare quod substat naturæ communi. Et cum commune quod est in multis & de multis pluribus modis verificari non possit per immediatam diuisionem: ideo vniuersalia non possunt esse formaliter differentia nisi quinque.

Ordo quinque vniuersalium.

Per hoc etiam patet ordo istorum quinque vniuersalium: constat enim quòd ea quæ sunt in multis & de multis per essentiale quod est in illis, sunt priora eis quæ sunt in multis & de multis per accidentale quod est in illis. Adhuc autem quod est in multis & de multis per accidentale fluens à natura, prius est quam id quod est in multis & de multis per accidentale indiuidui quod est accidens infinitum. Adhuc autem quod est in multis & de multis per essentiale quod est in illis secundum inchoationis potentiam, prius est quam id quod est in multis & de multis per actum ad esse speciei distinguentem & determinantem: quia semper in eodem potentia præcedit actum.

Vtrumque autem est constitutum ex his, sicut principium & principiatum. Et sic prius est genus, consequenter autem differentia, & tertiò species. Et quamuis hic ordo sit vniuersalium natura, secundum quod etiam in antehabitis enumerata sunt: tamen in ordine tractatus ponemus tractatum de specie ante tractatum de differentia: quia propter correlationem generis & speciei, vnius tractatus dependet à tractatu alterius: eò quod vnum relatiuorum diffinitè cognosci non potest, nisi cognoscatur & reliquum.

TRACTATVS III.

De vniuersalibus in particulari.

CAPVT I.

De diuersis signis generis.

PRIMO igitur in tractatu de vniuersalibus de genere loquendum est. Sed quia genus secundum intentionem logicam diffiniri non potest, nec diffinitè cognosci, nisi prius multiplicitas huius nominis, genus, determinetur: ideo in primis determinanda est & distinguenda nominis generis multiplicitas, & maximè in his modis qui aliquam habent similitudinem ad intentionem illam generis, secundum quam logici genere vtuntur. De aliis intentionibus quia ad propositam intentionem non valent, est omittendum. Nihil enim confert ad propositum scire masculinum genus, vel femininum, vel actiuum, vel passiuum in grammaticis non ad propositam intentionem. Et ideo de similibus generis intentionibus non est hîc interponendum.

Remouet tertiam dubitationem.

Dicitur autem per similitudinem, & per proprietatem, ad quod etiam genus per similitudinem dictum transfertur. Per similitudinem autem dicitur dupliciter. Vno scilicet modo dicitur genus multitudo aliquorum vno quodam modo se habentium ad vnum aliquod, quod sui aliquid habet in tota multitudine illa, ita quod est in singulis ipsorum: in quo etiam communi existente in omnibus quodammodo secundum conuenientiam se habent adinuicem, ita quòd quilibet ad alium habeat similitudinem in illo quod inest sibi ex illo vno primo, quod causa est similitudinis in tota alia collectione. Secundum quam significationem Romanorum genus dicitur collectio tota parentelæ quæ à Romulo descendit per successiuam generationem. Hoc enim totum dicitur Romulcum genus secundum habitudinem qua se habet ad vnum primum parentem, scilicet Romulum. Et in hoc genere distinguitur illa collectio ab illa collectione quæ ab aliquo alio parente descendit, sicut à primo genere Priami cum quo tota collectio ista Priami cum genus vocatur. Hoc autem aduertendum est in ista generis significatione, quòd vnum est in omnibus illis qui ad illam pertinent generationem. Et hoc est semen propagationis à Romulo perfusum in tota illa collectione.

Genus dicitur & per similitudinem, & per proprietatem.

Secundo modo adhuc dicitur genus per annexum modum ad ante habitum, id quod est vniuscuiusque generationis siue multitudinis generatæ principium, quo fortissimè generatum & à quo fortissima virtute exortum est. Et hoc dupliciter dicitur: vel à patre, qui primus genitor est in genere illo: vel ab eo loco in quo quis genitus est. Et priori quidem modo dicimus Horestem quidem à Tantalo proauo suo habere genus. Hilum vero dicimus habere genus ab Hercule, à quo sicut ab attauo genitus est. Secundo autem modo (secundum quem patria siue locus principium generationis est) dicimus Pindarum Thebanum esse genere, Platonem vero dicimus genere Atheniensem. Sicut enim pater est principium generationis per translationem seminis ex quo in omnes funditur ex vno virtus formatiua multorum secundum propagationem: sic etiam patriam siue locum generationis dicimus esse principium, quia in loco & centro loci generationis tota virtus periodi cælestis adunatur, vt dicit Ptolemæus, & in omnes in illo loco natos diffunditur. Et ideo frequenter magis accedunt ad vnum colorem & ad vnum morem, qui ex vno loco nati sunt. Vnde etiam elementa in diuersis locis valdè sunt diuersa in virtutibus suis quibus conueniunt ad generatorum constitutionem. In isto etiam modo patet, quòd multitudo ab vno patre vel ab vno loco natorum ad vnum refertur in quo continetur per vnum quod in omnibus est, & ab illo quod principium illius multitudinis est, in omnes deriuatur.

Ex vno loco nati frequenter accedunt ad vnum colorem & ad vnum morem.

Differunt autem istæ duæ generis significationes: quia prima est vnius partiti in multa. Secunda autem est multorum respicientium ad vnum, quod est principium generationis eorum secundum modum parentis vel loci in quo generatur aliquis ad illius loci complexionem vel figuram. Quod enim quidam dicunt patriam & locum non esse principium generationis, nisi quoad figuram, penitus falsum est: quia sic tota destrueretur scientia generationis vniuscuiusque, quam in libro qui dicitur

Dicentes patriam dare tantum figuram generato, falluntur.

dicitur Arabicè Adarba, quadripartitum autem latinè Ptolemæus ostendit: in quo ostendit periodi virtutem in centro loci eius qui nascitur congregari: & ex virtute sic in centro nati congregata natum accipere complexionem & formam & figuram & colorem & morem & fortunam.

Et hæc quidem secunda generis significatio (propter hoc quod est in vno in multa se diffundendo secundum suæ virturis potentiam, in quo omnia vniuntur & continentur) videtur promptissima ad generis logici declarationem. Secundum hanc rationem sunt & dicuntur, qui ex genere Romuli descenderunt. Nec collectio illa diceretur genus vnum, nisi esset vnum continens ea sicut principium quo per generationem descenderunt. Et hoc modo dicuntur multi Cecropidæ, qui ex genere successiuè descenderunt primi Cecropis: & horum proximi secundum lineam eiusdem consanguinitatis. Sic enim multa essent ab vno, sicut in genere logico ab vno genere primo per diuisionem differentiarum essent multæ species, in quibus omnibus saluatur generis natura potestate siue virtute ad speciem determinatam, sicut & semen generantis primi per successiuam generationem formatur ad hunc & ad illum. Pater igitur, quòd primus modus generis causatur à secundo, & reducitur ad ipsum sicut ad causam. Et ideo secundus modus principalior est, quam primus, & prompriorad designandum genus logicum, sicut per similitudinem potest describendo designari.

Duæ primæ significationes generis extenduntur ad artificialia secundum Auic.

Per prius ergo quoad istam similitudinem dicitur genus vniuscuiusque generationis principium. Dehinc autem & per posterius dicitur genus & multitudo collecta eorum quæ ab vno principio vt Romulo descenderunt, sicut dictum est in prima generis designatione. Huius autem probatio est: quia multitudinem siue collectionem diuidentes siue discernentes & ab aliis separantes, qui sunt alterius generis, dicebamus ante illam collectionem genus esse Romanorum vel Romuleorum, & in hoc ab aliis collectionibus separari: nec multitudinem genus esse diceremus, nisi prius intelligeretur vnum generationis principium, à quo illa descendit multitudo. Et ideo primus modus generis non dicitur genus, nisi per secundum, & ideo reducitur primus ad secundum sicut ad causam. Fuit etiam prius à nobis positus: quia minus facit ad propositum: sicut & de ambabus istis significationibus prius dictum, quam de genere logico, vt minus intenta dimittantur, & longius à proposito ponantur. Et vt sciatur, quòd similia paulatim & gradatim perficiuntur ad propositi declarationem. Et ideo etiam genus intentum post omnia similia dicimus vltimò.

Remouet dubia.

Est autem attendendum, quòd à matre vna à qua multi descenderunt, non sumitur ad genus logicum similitudo: quia mater non est principium formale multorum, sed materiale, & sicut formatum, & non sicut formans. Genus autem logicum principium est vt forma: quia aliter non prædicaretur de eo cuius est genus: sed est vt forma indistincta, quæ totum est esse speciei secundum esse informe & indistinctum, distinguibile tamen ad formam speciei.

Et quamuis à loco similitudo trahatur ad generis logici designationem, tamen à tempore non trahitur aliqua similitudo: quia tempus est mensura & numerus motus & mutationis. Et ideò est in fieri, & non est in esse generatorum principaliter. Genus autem natorum est & in esse constitutorum. Propter quod etiam in libro de intelligibilibus dicitur locum esse mensuram entis, tempus autem esse mensuram motus dicitur: quia eius esse est in motu & mutatione.

Est autem attendendum, quòd Auicen. in 1. lib. logicæ suæ dicit, quòd isti ambo modi extenduntur etiam ad artificialia. Aliquando enim dicuntur Coriarij omnes, qui sunt de collectione Coriariorum ab vno aliquo qui excellebat in illo artificio: sicut nautæ dicuntur Calepsitæ à quodam Calepso, qui floruit in arte nautica: & fabri dicuntur Tubalcaitæ à Tubalcaim, qui artem fabrorum inuenit: & musici dicuntur Pythagorici à Pythagora, qui perfecit ea quæ in arte sunt musica. Hoc tamen est minus proprium: quia id quod est in omnibus ex isto principio, non est substantiale & naturale, sed accidentale illis in quibus est. Genus autem logicum omnibus speciebus inest vt natura & substantia. His ergo modis genus dicitur in quolibet. Aliter autem accipitur apud Philosophos, sicut in sequenti patebit capitulo.

Cap. 2. Videtur autem nec genus nec species, &c.

Colligentes igitur summatim quæ dicta sunt dicimus, quòd videtur neque genus neque species simpliciter siue modo vno & in vna intentione dici. Dico autem videtur, & non, est: quia istæ generis acceptiones magis sunt in nostra acceptione & cognitione, quam in rei natura & existentia. Et primo quidem quoad nos dicitur genus collectio multorum quodammodo vno modo se habentium ad vnum aliquod, quod est illius collectionis secundum generationem principium, & quæ se aliquo modo habent adinuicem in vno quod à principio suæ generationis est in singulis ipsorum secundum totam illam collectionem. Secundum quam significationem Romanorum collectio genus dicitur ab habitudine vnius. Dico autem Romuli. Et dicitur genus multitudinis illius per relationem aliquo modo adinuicem secundum id quod est in eis ex Romulo. Et hoc est, quia habent adinuicem eam quæ ab illo Romulo est cognationem secundum diuisionem vel separationem ab aliis generibus aliorum auorum, quæ dicitur vel denominatur ab aliis patribus vel auis.

Dicitur autem & aliter rursus, &c.

Dicitur autem & aliter rursus genus quod est vnius generationis principium ab eo parente qui genuit, vel ab eo loco in quo quis generatus est propter causam quæ in antehabitis posita est. Sic enim Horestem dicimus à Tantalo quidem habere genus. Hilum autem cum domo & familia sua genus habere ab Hercule. Et rursus quidem à loco denuntiantes Pindarum Thebanum esse, Platonem verò Atheniensem. Etenim patria vniuscuiusque

generationis principium est, quemadmodum & pater, vt in præhabitis expositum est. Hæc autem secunda generis acceptio videtur esse promptissima generis significatio. Romani ideò dicti sunt Romani, quia illi à genere descenderunt Romuli. Et Cecropidæ sunt, qui ex genere descenderunt Cecropis: & horum proximi per eandem causam sunt de eodem genere. Et prius quidem, hoc est, per prius appellatur genus vniuscuiusque generationis principium: deinc autem & per posterius dicitur genus etiam multitudo eorum qui descenderunt ab vno principio, vt à Romulo Romulei. Cuius signum est nam quæ diuidentes hoc genus siue discernentes & ab aliis generibus separantes ipsum, dicebamus omnem illam Romanorum collectionem esse genus Romanorum.

In quibus dissimilatur genus secundo modo, & genus tertio modo.

Est autem in duobus dissimilitudo ad genus logicum. In vno quidem: quia principium generationis non secundum substantiam & secundum se totum est in collectione quæ genus dicit, ita quod sit in quolibet totum. Genus autem logicum secundum se totum & secundum substantiam est in collectione specierum & in qualibet specie: propter quod etiam non prædicatur nomine & ratione principium generationis de collectione multorum qui descenderunt de ipso nisi denominatiuè. Dicuntur enim Romani vel Romulei, non Romuli. Genus autem logicum prædicatur prædicatione substantiali de his quorum est genus. In alio etiam est dissimilitudo: quia collectio quæ dicitur genus, est quasi totum integrale ad genus vel in genere, cuius quilibet est pars integralis, & omnes sunt totum. Genus autem logicum est totum essentiale, cuius quælibet species est pars subiectiua. In hoc tamen aliquid similitudinis est: quia quamuis genus logicum secundum totam essentiam saluetur in qualibet specie, tamen non saluatur in qualibet specie secundum totum ambitum suæ potestatis. Et hoc habet aliquid similitudinis cum toto integrali prædicatiuo, cuius potestas ex multis potestatibus particularis integratur.

CAPVT II.

De genere philosophico, & quomodo assimilatur aliis?

Genus logicum quid.

Sic ergo (vt in ciuilibus accipitur genus) non vtuntur genere Philosophi: sed vtuntur genere in illa significationis intentione, qua dicitur, genus est cui suponitur species directa & immediata suppositione. Genus enim consequitur differentiam, & differentia in genere est potestate, & ideò aliquo modo est sub ambitu communitatis generis: sed tamen non ponitur vt substans sub genere, sed adiungitur lateraliter ad generis determinationem & coarctionem. Erit autem de genere ad potestatis ipsius diuisionem. Et ideò nec differentia diuisiua, nec etiam differentia constitutiua directè supponitur generi, vt substans sub genere. Nec etiam species sic supponitur differentiæ. Sed differentia constitutiua est in genere ad determinandam generis potestatem, & contrahendum ad speciem constitutam, & quasi lateraliter venit ad speciem: propter quod non supponitur generi, vt quid generis, vel vt quale quid sicut species: & ideò differentia non est cui supponitur in ordine naturæ species, sed totius est speciei & generis. Quamuis autem indiuiduum generi supponatur: non tamen immediatè substat positione. Adhuc nec subsistit: genus enim non contrahitur in ipso pro se, sed species: nec in eo contrahitur species, sed potius secundum esse diuiditur diuisione materiæ & diuisioe accidẽtis, & indiuiduantis: quod non propriè est substare in ordine substantis & superstãtis: sed est diffusio substantis & superstantis ad multiplicationem materialem. Proprium etiam post speciem est secundum ordinem naturæ. Nec etiam proprium secundum quod proprium substare habet, sed potius in esse, & post illud accidens.

Et ideò solum genus est per se & propriè, cui supponitur species. Genus enim cum dicat ordinem superioris ad inferius apud Philosophos, optimè notificatur sua significatio, quãdo determinatur per id ad quod dicit ordinem. Et cum determinerut significatio generis apud Philosophos, fortasse hæc intentio dicta est sic: quia in hac intentione habet similitudinem quandam ad genus dictum in ciuilibus secundum vtranque præinductarum intentionum. Genus enim sic dictum, principium quoddam est specierum quæ sunt sub ipso, non quidem materiale, sed etiam effectiuum vt pater. Pater enim est, vt dicit Arist. in 8. ethic. qui aliquid sui habet in filio. Id enim quod aliquid sui habet in filio formali effectiuo, est totus pater: pater enim totius secundum principium formatiuum est in semine, vt artifex in artificiato. Propter quod etiam Plato opinatur semen esse paruum animal, quod egreditur à generante, & quod est vt paruus pater quantitate, sed totus & integer pater virtute. Et similiter genus est totum in specie secundum substantiam: à quo etiam producitur differentia formans speciem & constituens in esse formato. Et sic genus est sicut generationis principium, quod in antehabitis principalem dicimus esse generis significationem in ciuilibus. Est autem etiam principium vt locus speciei, in quo fundatur species secundum substantiam: & ex eo determinatur species ad quid & substantiam per se substantem, & in alio quodam fundatam: sicut res fundatur in loco suæ generationis & saluatur. Propterea differentia non habet loci similitudinem: quia ipsa constitutiua existens fundatur in alio quodam, & magis proprium, & accidens. Species autem quid locatum in genere, & non locus solum. Genus igitur est ad ipsam se habens vt pater, & vt locus, prout pater & locus generationis sunt principia. Habet autem etiam similitudinem ad genus quod in ciuilibus secundariò dicitur quodammodo habentium se ad aliquid, & ad seinuicem, in hoc quod genus in eo quod genus est, necessariò

Ter. 8. & in 9. com. 2.

continet multitudinem quandam specierum quæ sunt sub eo.

Genus non potest esse vnius solius speciei contentiuum: sed bene species potest vnum solum continere in-diuiduum.

Nec potest esse genus vnius solius speciei contentiuum: eò quod species non exit à genere, nisi per oppositas differentias diuisiuas: quæ (cum eductæ fuerint à genere) plures & oppositas constituent species de necessitate. Non sic autem se habet species ad indiuiduum. Non enim species sui diuisione constituit indiuiduum, sed tota est in indiuiduo per substantiam & potestatem: vnde materiæ determinatione ex accidente indiuiduante indiuiduatur. Solum ergo genus ambiens species & multitudinem, continetur in vna generis natura. Differentia enim cum se habeat ad genus vt diuisiua, non est continens, sed separans & in multitudinem agens. Proprium autem cum sit consequens speciem, & accidens commune consequens indiuiduum, continentis non potest habere rationem: sed potius sunt contenta in aliis secundum suum esse & rationem. Cum autem tripliciter in vsu loquentium dicatur genus, de tertio est sermo apud Philosophos & in philosophia: quod vt dictum est, fortasse dictum est ad similitudinem aliorum. Dico autem fortasse, ne videatur aliter dissimile propter duas dissimilitudines in præcedenti capitulo determinatas. Et hoc quidem summatim perstringere possumus, dicendo quòd aliter quam in ciuilibus rursus genus dicitur esse, cui supponitur species, ad horum genetum (quæ in ciuilibus dicta sunt) fortasse similitudinem quandam sic dictum. Hoc enim genus à ciuilibus ad philosophiam translatum est. Est ergo genus principium quoddam specierum huiusmodi, quale Priamus est communis pater, & quale est communis locus, vt explanatum est: & sic habet similitudinem cum intentione principali. Videtur enim genus in vna natura communi omnem multitudinem specierum quæ sub ipso est continere: & in hoc habet similitudinem cum secundaria generis significatione. Tripliciter ergo cum sic dicatur genus, de tertio modo suæ significationis apud Philosophos de genere sermo est.

Aliter autẽ rursus dicitur genus.

CAPVT III.

De diffinitione vel descriptione generis physici.

Genus physicum quid. Genus est quod de pluribus, &c.

GEnus ergo cum tripliciter dicatur apud Philosophos, secundum tertiam sumitur suæ significationis intentionem. Et secundum hanc generis intentionem describunt genus dicentes, Genus est quod de pluribus & differentibus specie in eo quod quid est prædicatur. Quæ descriptio est generis prout genus dicit ordinem vnius ad alterum, sicut superioris ad inferius, non simpliciter, sed in ipsa re quæ sic ordinatur: sicut animal est genus, & corpus animatum, & substantia: substantia enim & viuum & animal sunt ea quibus accidit genera esse. Sed generalitas quæ est in ipsis rationem dicit huius ordinis siue habitudinis quibus ordinantur ad sua inferiora: propter quod in antehabitis dictum est, quòd genus est cui supponitur species siue specierum multitudo.

In omnibus communibus substantialibus sic est, quòd ex ipsa communitate qua vnum substantialiter est in alio, aliæ plures resultant analogiæ, siue proportionis communitates. Ex hoc enim, quòd animal est in homine & de homine, & est in asino & de asino, & sic de aliis speciebus, ex simili quodam respectu animalis ad species sub oppositas resultat, quòd est commune & vniuersale vt genus: quia generis nomen est animali impositum à tali respectu: & sic de specie, & de simili respectu hominis & asini & aliorum ad animal: quæ omnes species quia participant animalis nomine & ratione, surgit communitas alia, quia vnumquodque inferiorum sic superius respicientium dicitur species: ad talis enim respectus similitudinem imponitur nomen speciei. Et sic est in respectu indiuiduorum ad speciem: ex simili enim respectu huius ad hominem & illius & alterius, & sic de aliis, efficitur quòd hic est, suppositum hominis & illi & omnes alij. Ex hoc autem, quòd vna similitudine in qualibet natura commune determinatur, quilibet dicitur particularis homo: & ex hoc, quòd similiter omnes accidente discernente particulariter naturam communem determinantur, quilibet dicitur indiuiduum. Et sic ex respectibus naturæ communis ad inferiora, & respectibus inferiorum ad superius, multæ causantur communitates: & secundum quodlibet nomen sit vniuersalis prædicatio. Quia tamen vnum solum est, quod nomine & natura & ratione generis prædicatur, vnum solum est id quod est genus, & aliæ sunt prædicationes per modum generis prædicatæ per accidens, quod accidit prædicato vel subiecto ex tali respectu adinuicem, vel tali ad superius. Et ex toli est, quòd non sequitur cum dicitur, homo est animal, & homo est species, ergo animal est species: vel homo est animal, animal est genus, ergo homo est genus: vel Socrates est homo, Socrates est indiuiduum, ergo homo est indiuiduum. In talibus enim omnibus est fallacia accidentis: talis enim cõmunitas ab accidente causatur, quod fundatur in modo respectus superioris ad inferius, vel inferioris ad superius, vel etiam respectu particularis ad naturam communem: qui omnes respectus ex hoc causantur, quòd natura communis intelligitur in natura minus communi, quæ species est vel indiuiduum. Et ideò patet, quòd non sequitur, genus prædicatur de pluribus differentibus specie: ergo genus est genus: & sic iretur in infinitum. Soli enim quod est genus per naturã quæ est in pluribus differentibus specie conuenit esse genus: ita vt genus dicat rationem ordinis, & prædicationis: animal autem id quod est sic prædicatum, prædicatur vt genus.

Vnde assumpta fuerint in tentiones generis & speciei.

Quid est prædicari.

Attende autem, quòd prædicare idem est quod attribuere per notam compositionis: quando enim vnum alteri attribuitur mediante compositione, quam significat hoc verbum, est, tunc prædicatur: & quando vnum ab altero diuiditur mediante negatione talis compositionis, sicut cum dicitur, homo non est lapis:

tunc lapis diuiditur ab eo. Et hoc fit in intellectu componente vel diuidente: in re enim ipsa sine nota compositionis vel diuisionis, vnū in altero est, vel non est. Sed intellectus componens vel diuidens hic sine nota compositionis vel diuisionis, hoc significare non potest: & vt hoc significet, inuenit modum compositionis vnius cum alio: & hoc est prædicare vnum de alio, vel negare vnum ab alio. Fit autem hoc quandoque essentialiter, quandoque autem accidentaliter. Essentialiter autem quando vnum accipitur in alio per naturam & substantiam. Et hoc tripliciter contingit: aut enim accipit vt priorem naturam in posteriori, aut naturam communem in materia determinatam, aut conuertibilem, & idem in conuertibili. Primo quidem modo prædicatur vt genus, secundo autem vt species, tertio verò modo vt diffinitio de diffinito. De differentia verò infertius tractabitur. Genus igitur est id quod dicto modo prædicatur.

Prædicari est dupliciter, scilicet essentialiter & accidentaliter.

Genus non habet aliquod commune substantiale per quod diffiniatur.

Non enim aliquod commune substantiale per quod diffiniatur genus potest poni: quia sic omni generi supponeretur substantiale cōmune quod non est verum: quando enim dico, animal est quod prædicatur de pluribus differentibus specie. Et si quæras quid est animal, dico quòd animal est viuum sensibile quod de pluribus differentibus specie prædicatur. Sed cum dico, genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie: si quæratur, quid est genus: non possum assignare quid est genus per aliquid communius illo: quia sicut iam dictum est, genus est nomen impositum ab accidente quod est ratio ordinis, & respectus superioris naturæ ad inferiorem, in qua est substantialiter & acceptum in intellectu ipsius. Et id nomen transcendens est, nec potest notificari per aliud significationis certæ nomen aliquod: sed oportet, quòd notificetur per infinitum, hoc est, per nomen significationis non diffinitæ, dicendo, genus est quod prædicatur. Et est idem ac si diceretur, illud quod prædicatur de pluribus differentibus specie, vocatur genus: quamuis id inquantum infinitum, ignotum sit & incertæ significationis. Et sic poni potest in notificatione descriptionis vel diffinitionis.

Genus non potest continere vnam tantum speciem.

Quod autem additur de pluribus differentibus specie, est ideò, quia genus ad speciem non deducitur nisi diuisum per differentias: quæ cum oppositæ sint & diuisiuæ respectu generis, constituunt autem respectu speciei, oportet plures esse. Differentia diuisiua, vt dicit Damascenus, est causa materiei formarum, sicut diuisio per materiam est causa numeri individuorum. Et ideò communitas generis ambit species constituras oppositis differentiis.

Sufficit genus esse aptū predicari de multis, licet actu vt prædicatur nisi de vno. Et hoc, quòd D. Albertus non contradicit sibi ipsi.

Quod etiāsi poneretur, quòd non esset nisi vna species, vt diceremus non esse nisi hominem & nullam aliam speciem animalis, adhuc prædicaretur animal de homine vt genus: quia de potestate & ambitu naturali animalis est & de aptitudine generis, quod diuidatur oppositis differentiis. Non enim solum vniuersale est quod prædicatur, sed quod aptum natum est prædicari de multis, vt iam in antehabitis dictum est. Et si illa multa differunt formis (quā differentiam & numerum facit diuisio differentiarum, quæ potestatem naturę diuidit pri- & per se) tunc prædicatur de pluribus differentibus specie, quia genus differentiis diuiditur diuisa sua potestate. Alia enim potestate genus est in specie vna, & alia in alia: & non talis diuisio est speciei per materiam: eadem enim potestate species est in vno individuo & in alio, nec est diuisa, sed secundum esse integrum manente sua naturali potestate est in quolibet individuorum.

dixit in cap. de specie, nec vult propter hoc quòd genus possit conseruari in vna specie tantum.

Quod autē additur in eo quod quid est, ideo additū est, quia omne superius quod per essentiā & nomen & differentiam est in inferiori, est quid ipsius, secūdum quod quid est, quidditas. Et si aliquis dicat, quòd non est tota quidditas. Dicimus, quòd est totum esse ipsius, sed non est perfectum esse ipsius speciei: totum enim esse est in potentia: & nihil est de esse quod in potentia non sit ante vltimum actum ad quem terminatur motus potentiæ: esse autem in potentia est esse in genere: & hæc est causa vera, quòd genus prædicatur. Non ideo tantum quia est forma, sed quia est forma & secundum aliquem modum totum esse dicit. Et quod sic se habet ad subiectum, prædicatur de illo non per denominationem accidentalem, sed essentiali prædicatione.

Obiectio. Solutio. Genus dicit totum esse speciei secundum aliquem modum.

Et hoc est quod à multis dicitur, quòd est forma partis quæ non prædicatur, & est forma totius quæ prædicatur. Sed oportet addere, quòd forma quæ prædicatur, totius sit, & totū esse significet, & non significet essentiam cuius est actus proprius: animalitas enim non prædicatur, nec etiam humanitas; quāus animalitatis esse sit animal, & humanitatis esse sit homo. Talis ergo forma designans formam totius & esse, prædicatur, & non aliter: & anima sensibilis loco animalis posita non prædicatur, quia animal non est anima sensibilis: & similiter anima hominis non prædicatur de homine: hæc enim dicit formam partis, & non totius esse. Animalitas autem & humanitas non prædicantur de his quorum formæ sunt: non enim designant formas vt esse subiecti, sed vt essentias. Animal autem & homo prædicantur: quia designant formas, vt esse totum subiecti, vel in potentia vel actu: subiecti dico de quo prædicantur. Et sic etiam in formis accidentalibus omnibus. Et ideò homo est risibilis, & non risibilitas. Et homo est albus, & non albedo. Hoc est igitur quod dicitur, quòd genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid est: quod enim quid est & esse ipsius est de quo prædicatur. Et ideò genus est vniuersale quod immediata & substantiali prædicatione est in multis speciebus & de multis.

Quomodo non omnis forma totius prædicatur in recto, nisi totum esse significet. in recto, nisi totum esse significet.

Sic ergo demonstratum est, quòd genus est vniuersale & inter vniuersalia primum. Et qualiter communitas generis differt ab aliis communitatibus posterioribus ab accidentibus denominatis.

***

CAPVT

CAPVT IV.

Quod diffinitio generis nec abundet, nec deficiat, & eius declaratio.

QVod autem inducta diffinitio generis ab omnibus aliis separetur, & in se nec superfluum aliquod contineat nec in aliquo deficiat, sic probatur. Eorum enim quæ prædicantur, quædam quidem de vno solo prædicantur, vt individua, vt Sortes, & Plato: & per nūtum demonstrationis appropriata, vt hic & hæc & hoc, secundum omnem modum demonstrationis ad hoc singulare. Alia verò de pluribus prædicantur quemadmodum genera, & species, differentia, proprium, & accidens, quæ sunt vniuersalia. Dico autem accidens, quod est commune accidens, & non proprium alicui individuorum. Accidens enim vni individuo proprium, est accidens quod vocatur individuans: & hoc quia soli conuenit, de vno solo prædicatur, vt Socrates, vel Socratis accidens; quo homo individuus efficitur, dicendo, Socrates est Socrates, & Plato est Plato, & hic est hic & non alius, & hoc est hoc & non aliud, vel etiam aliquis homo est aliquis homo & non alius. Sed cum dicimus, homo est animal, & dicimus cum hoc, quòd asinus est animal, & multa alia. Et similiter in specie dicimus, quòd Sortes est homo, & Plato est homo, & multi alij: & quòd Sortes est rationale, & etiam Plato, & multi alij. Et similiter est de proprio & de accidente, quorum quodlibet de pluribus prædicatur. Ab hoc, de pluribus prædicatur, habet genus, quòd est vniuersale, & differt ab eo quod est singulare quod de vno solo prædicatur.

Eorum, enim quæ prædicantur alia quidem.

Accidens individuum vocatur accidens proprium.

Remouet dubium. Quomodo singulare non dicitur propriè prædicari.

Quod autem dico particulare siue singulare prædicari de se & de vno solo, non est propriè dictum; quia propriè loquendo vt in prædicamentis dicit Aristot. in prima substantia nulla est prædicatio. Et hoc probatur ex ratione prædicationis quæ in antehabitis posita est. Prædicari enim de alio est hoc in illo, & de illo esse, & intelligere, & per compositionem designare. Cum autem nihil in seipso sit, vt in 4. physicorum dicit Aristot. non potest prima substantia in seipsa aut esse de seipsa, nec propriè potest de seipsa esse designari. Et ideò prima substantia non prædicatur propriè de seipsa. Sed quando hoc fit quod de seipsa prædicatur, hoc fit quoad nos, & non secundum seipsum. Nisi forte diceretur, quòd in talibus prædicationibus secundum id quod est subiicitur, & secundum id quod est ad ipsum prædicatur. Sic enim aliqua diuersitas posset esse subiecti & prædicati, & sic prædicatum intelligitur, vt esse in subiecto, & esse de ipso: & sic est etiam in omnibus vbi idem de seipso prædicatur. Et sic intelligitur quod dicit Boetius, quòd nulla propositio est verior ea in qua idem prædicatur de seipso. In illa enim idem prædicatur de eodem vt id quo est. Et sic concedi potest, quòd prima substantia de seipsa vt de vno prædicatur.

Tex. tom. 25.

Individuū triplex.

Particulare autem quod de seipso prædicatur, tripliciter designatur, scilicet vt singulare in nomine, vt Sortes, & Plato. Secundo in nutu demonstrationis ad hoc, vt hic & hæc & hoc: hoc enim nutu demonstrationis ad vnum solum non potest nisi de vno solo prædicari. Sed tertio ab Aristot. designatur in prædicamentis, vt vagum, vt aliquis homo, & aliquis bos. Et de hoc potest esse dubium, vtrum de vno solo, an de pluribus prædicetur: est enim Sortes aliquis homo, & non Plato aliquis homo.

Vtrum individuū vagum de vno solo, vel de pluribus prædicetur.

Sed est in talibus considerandum, quòd cum dicitur aliquis homo, scilicet ex parte naturæ inclinatæ ad partem per signum particulare, scilicet ad partem hanc vel illam non determinatæ. Et sic consideratum habet speciei prædicationem aliquo modo, & quoad hoc de pluribus differentibus numero prædicatur, vel generis prædicatione, vt cum dicitur, animal quoddam, vel aliquod animal. Sic ergo non prædicatur propria prædicatione, sed naturæ quæ ad partem inclinat. Genus autem est, quod proprie prædicatione & immediata de pluribus differentibus specie prædicatur. Potest etiam considerari aliquod animal, vel aliquis homo vt particulare, siue ex parte particularitis ad partem determinatam, & sic non habet nisi prædicationem partis, & sic non prædicatur nisi de vno solo. Et sic id quod dicitur de particulari, quòd de vno solo prædicatur, intelligitur de propria & immediata prædicatione, & non de illa quam individuum vagum habet mediante natura communi, siue generis, vel speciei, per ipsum ad partem inclinatæ.

Per id ergo quod de pluribus prædicatur, differt genus à particulari siue singulari quod de vno solo prædicatur. Nam propria prædicatione, nisi forte vnum & idem particulare multis modis synonymis designaretur, vt Socrates decorus, crispus & huiusmodi, quæ synonyma sunt, vt ensis, mucro, spata, gladius, sicut dicitur Marcus Tullius Cicero: nihil prohiber singulare sub vno nomine notius esse, quam sub alio, & sic notius prædicari de se secundum quod est sub nomine minus noto: vt si quæram, quis sit talis? & dicatur mihi, Tullius est Marcus: videtur enim aliquo modo propinquius esse propriæ prædicationi. Sic ergo genus distinguitur ab individuis per hoc quod est de pluribus prædicari.

A speciebus autem differt genus: quia quamuis de pluribus prædicetur, non tamen prædicatur de pluribus specie differentibus quoad naturæ aptitudinem, quæ secundum quod species est, per differentias oppositas formaliter secundum potestatem naturæ diuisibilis non est: sed in pluralitatem agit numeralem per materiæ propriæ diuisionem, & accidentis individuationem, sicut patet per antedicta. Et ideò cum dicitur, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, intelligitur per causam efficientem: quòd pluralitas formæ & speciei facta per differentias constituas fecit illa differre.

Obiectio. Solutio.

Sed si quis sophistice obiiciat, quòd homo, & asinus, & leo non differunt, sed conueniunt specie: quia quodlibet eorum species est. Erit constructio in habitudine causæ formalis: &

sic incidit sophisma secundum amphibologiam. Per hoc quod est prædicari de differentibus specie, separatur & discernitur genus à specie, & prædicatio generis à prædicatione speciei.

A proprio autem differt genus, siue à proprij prædicatione differt prædicatio generis in hoc, quod proprium proxiè sumptum quod conuenit omni & soli & semper, de vna sola specie (quam immediatè consequitur) prædicatur. Et mediante illa communi specie, per quam transit ad individua, prædicatur de individuis illius speciei, sicut risibile prædicatur de solo homine & de individuis hominis, vt Socrate, & Platone. Genus autem non vt consequens, sed vt prius natura prædicatur de pluribus speciebus & individuis illarum specierum: quia quod essentialiter est in subiecto, inferioribus nomen suum dat & rationem. Proprium enim (vt in sequentibus dicetur) consequitur speciem & est accidens speciei per commune speciei: quia quod essentiale est, particularibus nomen & rationem suam dat inferioribus & naturam: & trahitur mediante natura etiam proprium ad particularia, & prædicatur de illis vt proprium, sicut de specie. Et tamen talem modum prædicandi non habet genus secundum seipsum per hoc quod est in inferioribus & de inferioribus prædicatur. Sic ergo per eundem modum diuersimodè acceptum (quod est de pluribus differentibus specie prædicari) genus differt à specie, & à proprio quod est accidens speciei.

Prædicari de differentibus specie est de essentialibus differentijs generis respectu proprij quam prædicari in quid.

A differentia verò differt & communiter accidentibus in eo quòd genus prædicatur in quid: sed differentia & communiter accidentia prædicantur in quale. Quamuis enim etiam proprium in quale prædicetur. Cum tamen genus in duobus differat à proprij prædicatione, scilicet in eo quod est prædicari de pluribus differentibus specie, & etiam in prædicari in quid & non in quale: prius differt à proprio in hoc quod prædicatur de differentibus specie, quam in hoc quod prædicatur in quid. Et hoc probatur per hoc, quòd si genus sumatur vt commune, sic est quædam qualitas speciei: esse enim commune respectu eius quod subiicitur sibi, vt qualitas quædam est ipsius. Et ideò diuidit Aristoteles ex proposito quale quid contra hoc aliquid. Et quoad hoc in modo prædicandi non differt à proprio. Substantialior igitur & prior differentia generis ad proprium est prædicari de pluribus differentibus specie, quam prædicari in quid, vt dictum est.

Quomodo differentia & accidentia prædicantur in quale, sed diuersimodè. Quale multipliciter capitur.

Est autem aduertendum, quòd cum dicitur, differentia prædicatur in quale, & communiter accidentia in quale: non sumitur vno modo quale, nisi in voce, & non secundum rationem: secundum enim rationem perfectiuam qualis, tunc quale est qualitatis informatio & dispositio secundum quam quales dicimur: & hoc modo quale est, quod non conuenit substantiæ nec generi alicuius accidentis nisi qualitatis. Alio modo & posterius dicitur quale, quod est consequens quid perfectum: & hoc modo accidens omne quale est, quod est accidens individui: & tunc diuiditur quale contra quid perfectum in esse & substantia. Tertio modo dicitur quale, quod est consequens essentialia speciei & naturæ. Et hoc modo dicitur proprium quale. Et hoc minus habet de quali quam id quod est consequens esse individui. Quarto modo quale dicitur, quod est potentiæ determinatiuum ad esse speciei. Et hoc ideo dicitur quale, quia est consequens quid siue subiectum primum quod est genus rei.

Nec dicitur quale, quia sit in genere primo modo dicto, vel quia sit consequens quid speciei: sed tantum ideò, quia est consequens aliquid generis sicut actus consequens potentiam in eodem in quo est aliquid secundum potentiam & aliquid secundum actum. Et hoc quantum ad essentiam suam est substantia & substantiæ effectiuum, licet habeat modum prædicandi in quale, inquantum est quid generis consequens: & hoc modo differentia prædicatur in quale. Et conuenit cum quali accidente inquantum vtrumque est ad quid consequens: quamuis quid ad quod consequitur accidens, sit eius quod est hoc aliquid in individuo. Quid autem ad quod consequitur differentia, est quid imperfectum: ideò differentia consequens est perfectiua potentiæ illius secundum substantiam: & quantum ad essentiam est de genere substantiæ. Quia verò accidens commune est consequens quid perfectum in eo quod est hoc aliquid & post hoc aliquid, nihil est addere ei quod est esse secundum substantiam. Ideò quale id remanet in natura accidentis, quod cum sit in aliquo, non est in eo sicut pars quædam: quod differentiæ (quæ consequitur quid imperfectum) conuenire non potest: non enim potest consequi quid & imperfectum, nisi id quod est pars esse eius in quo est. Sic ergo & tot modis dicitur quale.

Quare quale differentia est de genere substantiæ, non autem quale accidentis.

Alio etiam modo dicitur quale quid secundum quod diuiditur contra hoc aliquid: & sic quale sumitur termino infinito, per quem quæritur quale, nec sumitur siue determinatur quæstio quousque stetur in hoc aliquid. Dicentes enim, quòd Sortes est animal, quærimus quale animal: & dicimus, homo. Et quærentes, qualis homo, dicimus, quòd est hic homo: & sic quod habet commune quale quid est respectu sui inferioris. Et etiam genus non prædicatur quidem in quale nec in quid determinatum, sed prædicatur in quale quid indeterminatum, & similiter species, & in quid determinatum sola prædicatur prima substantia.

Prædicari in quid est multis modis.

Similiter etiam id quod dicitur prædicari in quid, dicitur multis modis. Dicitur enim prædicari in quid quod est de natura & modo prædicandi in quid: & hoc est solum illud quod est de natura sua subiectum in quo alia fundantur, sicut in prima substantia fundantur & secundæ substantiæ & accidentia communia, & sicut species in qua fundantur propria, & sicut genus in quo fundantur differentiæ. Dicitur etiam quid quod non naturam, sed modum habet illius, sicut genera accidentium prædicantur de sibi subiectis speciebus & individuis, vt dicit Aristoteles in primo topicorum. Tex. com. 7.

topicorum. Siquis albedine posita dixerit colorem esse, quid est dicit, & qualitatem significat. Adhuc autem dicitur prædicari in quid, quod totam dicit subiecti quidditatem, sicut diffinitio de diffinito prædicatur in quid.

Et ex his quæ dicta sunt, facilè patet, quòd à differentia & communiter accidentibus differt genus in modo prædicandi: quia quamuis differentia de pluribus differentibus specie prædicetur, vt irrationale quod de asino & leone prædicatur: & similiter commune accidens quamuis de differentibus specie prædicetur, vt album de niue & cigno: non tamen differentia & commune accidens prædicantur in quid, & sed in quale. Genus autem per seipsum vt subiectum primum in quid & non in quale prædicatur. Interrogantibus enim nobis, qualis est coruus? respondemus, quòd niger, commune accidens respondentes: est enim rationale differentia, nigrum verò communiter accidens. Cum verò quid est homo interrogemur, respondemus, quod est animal: eò quod animal proximum subiectum est in esse hominis in quo fundatur differentia constitutiua. Animal autem genus est hominis. Genus igitur in quid prædicatur.

Ex omnibus ergo quæ dicta sunt, patet quòd id quod ponitur in diffinitione generis, scilicet prædicari de pluribus, diuidit genus ab his quæ de vno solo prædicantur, quæ sunt de numero eorum quæ sunt individua. Hoc autem quod in diffinitione ponitur, differentibus specie, separat genus ab his prædicabilibus quæ sunt species & quæ sunt propria. Quamuis etiam proprium assignetur generalissimum, vt Aristoteles in prædicamentis dicit, quòd proprium est substantiæ secundum sui mutationem esse susceptibile contrariorum: tamen propriè & immediatè proprium est speciei, nec assignatur generi nisi per speciem, & sic transit ad genus: hoc ipsum enim quod est susceptibile esse contrariorum sui mutationem, substantiæ non conuenit nisi per substare: quod primæ substantiæ non inquantum est hæc vel illa, sed inquantum est substantia, maximè conuenit. Quod in diffinitione ponitur, in eo quod quid sit prædicari, diuidit genus à communiter accidentibus & differentiis, quæ vt dictum est, non in eo quod quid sit prædicatur, sed in eo quod quale sit.

Assignatur proprium generalissimum.

Patet ergo ex quo diffinitio dicit omnia quæ sunt de esse generis, & separat genus ab omnibus vniuersalibus aliis quæ secum diuidunt hoc commune quod est vniuersale: nihil superfluum, & nihil diminutum continet generis dicta descriptio. Hoc igitur est, quod dicere de genere intendimus inquantum est vniuersale prædicabile.

CAPVT V.

De recapitulatione eorum quæ de sermone generis dicta sunt.

CApitulariter igitur ea quæ de generis diffinitione dicta sunt, colligentes dicimus, quòd aliter quam in ciuilibus rursus dicitur genus, cui immediata & directa linea non transuersaliter supponitur species. Ad horum enim generum, quæ in ciuilibus sunt, fortasse aliquam similitudinem dictum: huiusmodi enim genus est principium quoddam earum quæ directè sunt sub ipsa speciebus. Et hoc conuenit cum acceptione generis secunda. Videtur etiam genus sic dictum omnem multitudinem speciebus & individuorum continere in vna sui natura, & nomine quod largitur eis. Et sic conuenit cum acceptione generis, de qua est sermo apud Philosophos. Vnde etiam taliter dictum genus describentes, dicunt & assignauerunt dicentes, quòd genus est quod de pluribus & differentibus specie in eo quod quid est prædicatur, vt animal quod de homine & de asino in eo quod quid est prædicatur. Eorum enim quæ prædicantur, alia quidem de vno solo prædicantur, sicut individua (quamuis hæc prædicatio non sit propria) vt Sortes, & Plato: & vt generaliter dicatur in omni genere individuorum, vt hic & hæc & hoc. Alia verò prædicabilium prædicantur de pluribus quemadmodum genera, & species, & differentia, & proprium, & accidens commune, siue accidentia communia, quæ non sunt alicui propria. Est autem gratia exempli quidem genus vt animal, species autem vt homo, differentia vt rationale, proprium vt risibile, accidens vt album, nigrum, & sedere, & huiusmodi.

Aliter autem dicitur genus surius.

Ab his ergo quæ de vno solo prædicantur, differunt genera per id quod in diffinitione inducta positum est: eo quod ipsa genera per diffinitionem præinductam assignata sunt in eo quod de pluribus prædicantur.

Ab his igitur quæ de vno, &c.

Ab his autem speciebus quæ de pluribus prædicantur, differunt genera: quoniam non prædicatur species de pluribus differentibus specie sicut genus, sed prædicatur de pluribus solo numero differentibus, non quidem secundum quod numerus est accidens, sed secundum quod numerus est in rebus numeratis: propter quod dicit Aristot. quòd numero differunt, quæcunque differunt materiæ diuisione: homo enim cum sit species, de Socrate prædicatur, & de Platone, qui non specie differunt ab inuicem, sed numero solum & diuisione materiæ, quia materia Socratis non est materia Platonis. Animal autem cum sit genus, de homine prædicatur, & de bone, qui specie differunt à seinuicem, & non numero solum.

De quo numero intelligitur cum dicitur solo numero.

A proprio verò differt genus: quoniam proprium quidem de vna sola specie prædicatur, cuius est proprium, mediata & consequenti prædicatione, & de his individuis quæ sunt in illa vna specie, quia per speciem proprium transit ad individua, quorum totum esse formale est ipsa species, quemadmodum risibile prædicatur de homine solo & particularibus hominibus qui sunt sub homine: genus autem non de vna sola specie prædicatur, sed de pluribus & differentibus specie.

A differentia verò differt genus & ab aliis quæ sunt communiter accidentia: quia etsi de pluribus & differentibus specie prædicantur, &

& differentia & communiter accidens, non tamen in eo quod quid sit prædicantur, sed in eo quod quale sit. Cuius ratio est: quia aliquibus interrogantibus nos id de quo vt de subiecto prædicatur hæc differentia & accidens, non in eo quod quid sit dicimus illa prædicari, sed magis in eo quod quale: & interroganti alicui & dicenti, qualis est homo? dicimus quoniam rationalis. Et interroganti qualis est corvus? dicimus quoniam est niger. Est autem rationalis differentia quæ est essentialis qualitas hominis: nigrum autem est accidens commune & corvo & Æthiopi. Cum autē quid est homo interrogemur, respondemus quòd est animal. Est autē genus hominis animal, & primum in esse homini subiectum.

Prædicari ergo de pluribus genus diuidit siue separat ab his quæ de vno solo prædicantur, quæ sunt de numero eorum quæ sunt indiuidua. Per id autem quod dicitur prædicari de differentibus specie, separatur genus ab his quæ vt species vel sicut propria prædicantur. In eo autem quod quid sit prædicari dicitur, diuiditur genus à communiter accidentibus & à differentia, quæ non in eo quod quid sit, sed in eo quòd quale sit prædicantur.

Nihil ergo nec superfluum nec diminutum continet generis dicta à Philosophis descriptio. Et ideo talis diffinitio terminus vocatur, diffinitum perfectè (per omnia quæ sunt de esse ipsius) determinans, & ab omnibus aliis distinguens & separans. Hæc igitur quantum ad logicam intentionem pertinet de genere dicta sunt. *Nihil ergo, &c.*

TRACTATVS IV.

De specie.

CAPVT I.

De diuersis intentionibus specierum.

Ratio ordinis, & quare post genus tractauit de specie.

TRACTATVRI de specie tanquam secundo vniuersali, cogimur differre tractatum de differentia, & tertio loco inter vniuersalia ponere: quia quamuis differentia constitutiua sit de essentia speciei & principium essentiale ipsius, nec possit esse species, quæ non ex genere & differentia constituatur: tamen quia genus diffinitur per speciem, & species per genus, propter hoc quod genus habet dependentiam ad speciem, & species ad genus, eo quod correlatiua sunt, & vnum diffinitè & certè cognosci non potest sine reliquo: ideo oportet tractatum de specie immediatè ponere post tractatum de genere. Cuius tamen aliam rationem dicit esse Auicenna hanc: quia differentia non est in qua est genus per essentiam, cum differentia sit actus siue forma simplex: in specie autem per essentiam est genus. Adhuc autem differentia non est in genere nisi potestate: species autem est in genere sicut in continente ipsum: & ideò immediatius se habet species ad genus secundum rationem speciei, differentia secundum rationem differentiæ: quamuis in constitutione speciei differentia sit ante speciem, quia à genere non constituitur species, nisi potestas generis per differentiam determinetur & restringatur. Hac igitur de causa agendum est de specie post tractatum de genere immediatè: & ponendæ sunt intentiones speciei, vt sciatur in qua acceptione vel significatione sit species intenta apud Philosophos.

In logica sua cap. 8.

Sicut autem de genere dicimus, quòd non curamus ponere hic nisi illas generis intentiones quæ ad illam generis significationem quæ apud Philosophos est, aliquam habeant similitudinem: ita non curamus ponere intentionem speciei, quæ non habet similitudinem ad intentionem speciei apud Philosophos acceptā. Et ideò non curamus primitiua specie vel derivatiua, quæ apud grammaticos consideratur: sed speciem in natura inuenimus, & in ciuilibus, secundum quam similitudo quædam est ad speciei intentionem quæ apud Philosophos est. Auicenna enim dicit, quòd genus vniuscuiusque primum essentiale & informe subiectum est: quod primum dicitur, quia in eo est prima potentia & prima inchoatio ad esse rei secundum substantiam & quidditatem ipsius: vel potius ipsum est prima potentia & inchoatio esse rei cuius est genus, & ideò est materia proxima & propria. Materia autem appetit formam, sicut turpe bonum siue pulchrum, vt dicit Aristot. in fine primi physicorum. Pulchrum igitur & bonum & diuinum, quo determinatur potentialis turpitudo materiæ, forma est ad speciem determinans, *Remouet errorem.* *Tex. com. 81.*

Et ideò dicitur, quòd species dicitur, quæ est vniuscuiusque forma & pulchritudo, siue elegantia in commensuratione compositionis corporis & complexionis & staturæ & coloris, per similitudinem ad formam naturalem, quæ turpitudinem materiæ terminat ad pulchrum, bonum, & diuinum. Sunt autem quædam (sicut in primo ethicorum determinatum est) concomitantia felicitatem in eo qui felix est. Non enim felix est qui specie turpissimus est. Et etiam in ciuilibus species quæ talis formositas est, hac de causa refertur ad ea quæ maximè felici competunt in potestatibus & honoribus, secundum quod dicimus, quòd species *Primum significatum huius termini species.* *Capitulum 3. Species autem dicitur, &c. Cap. 12.*

Priami

Priami Troiani regis (qui forma elegantissima fuit) digna est imperio: quia ex elegantia formæ demonstratur dispositio ad virtutes & ad perfectos actus felicitatis, sicut in signo: quia sicut dicit Auer. super 2. de anima. Omnis diuersitas quæ est in corpore quoad compositionem membrorum, est ex diuersitate potentiarum quæ sunt in anima: & hoc modo etiam species ad intentionem philosophicam de specie habet similitudinem: quia sic dignitas attribuitur vel indignitas his quæ in specie sunt constituta, sicut homo dicitur dignissima creaturarum, bufo autem animal contemnendum. His ergo modis accepta species ad speciem siue speciei intentionem (quæ in philosophia est) habet similitudinem: & ab ista similitudine, vt dicit Auicenna, ad intentionem speciei Philosophorum nomen est translatum. *Ex elegantia forme demōstratur dispositio ad virtutes & perfectos actus felicitatis.* *Gom. 60.*

Secundum autem intentionem quæ est apud Philosophos dicimus speciem describentes, quæ est posita positione ordinis naturæ & participationis sub assignato genere. Dico autem assignatum genus idem quod certum: quia non potest esse species vaga sub genere ad hoc & ad illud genus inclinata: sed indiuiduum vagum potest esse sub specie ad hoc vel illud suppositum inclinatum, sed ad nullum determinatum & distinctū siue discretum. Et huius causa est: quia genus certum est in ipsa specie quidditate conceptum: propter quod sub genere non potest esse vagum. Positionem autem ordinis vocamus: quia sicut genus secundum quod genus, dicit superius: ita species secundum quod species, dicit inferius secundum prædicationis & consequentiæ ordinem. Participationis autem positionem vocamus: quia species de necessitate participat genus, & addit supra ipsum differentiam, quæ coarctat in ipsa specie generis potestatem: & ideò sub genere posita est, & contenta ab ipso. Et hoc modo apud Philosophos solemus dicere hominem esse speciem animalis: cum animal ordinis positione & participationis sit genus hominis. Et sic est in aliis quorum essentiæ sunt perfectæ & absolutæ: hoc enim modo album siue albedinem, quæ color albus est, dicimus speciem coloris esse: quia vtraque positione, scilicet naturæ ordinis & participationis albedo est sub colore. Hoc etiā modo dicimus triāgulum esse speciem figuræ, cum secundum vtraque prædicta triangulus sit sub figura. De aliis autem generibus non ponemus exemplū: quia esse non habent absolutum, sed in comparatione ad quædā alia diffiniuntur. Sic ergo species est quæ sub assignato genere posita est. *Secundum significatum huius termini, species.* *Dicitur autem rursus species ea quæ sub assignato.* *Quæ dicuntur indiuiduum vagum sub specie, non autem species vaga genere.*

Dictum autem est in antehabito tractatu, quòd genus est cui supponitur species: & sic & genus per speciem, & species per genus diffinitur: & videtur esse circularis diffinitio, & idem notius & ignotius altero, & idem notius & ignotius seipso: quia accidit idem diffiniri per seipsum. Cum enim dicitur, species est quæ sub assignato genere ponitur, species diffinitur per genus. Et si loco generis ponatur diffinitio generis, sicut dicit Aristot. in topicis: tunc species est, quæ ponitur sub eo cui supponitur species: & sic species est in diffinitione speciei: & sic idem diffinitur per seipsum, quod valdè videtur esse inconueniens. Idem etiam accidit per illam generis diffinitionem qua dictum est, genus est quod de differentibus specie in eo quod quid est prædicatur: si enim tunc loco generis ponatur diffinitio, tunc species est quod supponitur ei cui supponitur species, & quod de differentibus specie in eo quod quid est prædicatur: & sic iterum idem per seipsum diffinitur. *Omnia prædicamenta excepta quantitate, qualitate, & substantia, carent esse absoluto.* *Dubitatio posita in textu.* *Quod si etiam, &c.* *In 6. c. 19.*

Sed ad hoc dicimus, quòd si supra in priori tractatu de genere genus per diffinitionem assignantes in diffinitione generis meminerimus speciem, dicentes genus esse per diffinitionem, quod de pluribus differentibus specie in eo quod quid est prædicatur: nūc autem etiam speciem diffinientes dicimus speciem esse id quod est sub genere: nosse ad huius dubij solutionem oportet, quòd genus relatiuum vere est: est enim genus alicuius genus, & species alicuius species: est enim genus speciei genus, & species generis species: & ideò relatiuorum quæ sunt simul natura, vnum diffinitur per reliquum, quorum vtrumque dependentiam habet ad alterum: necesse est in vtrorumque relatiuorum rationibus vti nominibus & diffinitionibus vtrorumque. Non enim est inconueniens, quòd vnum relatiuorum ponatur in diffinitione alterius, & è conuerso. Quod etiam idem in diffinitione suiipsius si loco nominis positi in diffinitione diffinitio ponatur: quia relatiuorum esse est hoc ipsum quod est ad aliquid se habere, & quod ad aliud se habet secundum esse quod est: & cum diffinitio dicat esse rei, non potest diffinitè sciri res, nisi per id ad quod se habet: & sic oportet verumque diffiniri per reliquum. *Solutio.* *Nosse oportet quomā, &c.* *Non inconuenit vnum poni in diffinitione sui ipsius vt in relatiuis.*

Tripliciter enim relatiua considerantur, scilicet inquantum simul sunt natura, & inquantum sunt adinuicem dependentia, & inquātum sunt ea quæ sunt relatiua per aliquam relationem quæ in ipsis est causatiua. Inquantum enim simul sunt natura, oportet necessario, quòd vna natura siue vna forma sit in eis, quæ æqualiter sit in vtroque ipsorum: & hæc forma est ipsa relatio, quæ vt via media sumpta est eadem, per terminos autem differens in vtroque relatiuorum: & secundum hoc paternitas & filiatio in medio idem sunt, terminis autem differunt, sicut motus & via quæ est de Thebis vsque ad Athenas, & de Athenis ad Thebas: terminis autem differunt, & in patre quidem est paternitas, in filio autem filiatio: & sic est inter genus & speciem & è conuerso. *Relatiua tripliciter considerantur.* *Relatiua inquantum sunt simul natura habent vnam formam quæ in eis est equaliter.*

Si autem secundum dependentiam vnius ad alterum consideretur, non est inconueniens vtrumque esse notius & prius, & ignotius & posterius altero. Inquantum enim genus dependet per intellectum ad speciem, dicitur genus non suum, sed speciei genus: oportet quòd intellectus generis sumatur per speciem: & sic species notior & prior est genere. Inquantum autem species non est sua vel absoluta, sed alterius species, & dicitur esse generis species: genus erit prius & notius quam species. Idem autem prius & notius esse reliquo, & è conuerso non est inconueniens, non secundum idem, sed secundum diuersa: habito enim respectu generis ad speciem, species genere *Non inconuenit vnum relatiuorum esse altero notius & è conuerso, prout relatiua considerantur secundum dependentiam.*

notior

notior est. Si autem habetur respectus speciei ad genus, nihil prohibet genus quam species notius esse, & sic vtrumque per reliquum diffiniri.

Id quod est relatiuum secundum causam quæ relationem inducit, potest esse causa alterius relatiui. Cap. 8.

Si autem consideretur id quod est relatiuū secundum causam quæ relationem inducit: nihil prohibet vnum relatiuorum esse causam alterius, & non è conuerso: sicut si consideretur persona quæ est pater secundum actum generationis, per quam causa est filij, nihil prohibet patrem esse causam, & non è conuerso filium esse causam patris: quia sicut dicit Aristot. 8. ethicorum, pater est qui sui aliquid habet in filio: filius autem nihil sui habet in patre. Et hoc modo genus siue id quod est genus, principium speciei est, per id quod genus est principium speciei, & per id quod genus est in specie differentia constitutiua formatum & distinctum. Species autem nihil sui habet in genere per modum illum. Et sic vnum diffinitur per reliquum, & non è conuerso. Et hæc est distinctio Alfarabij & Auicennæ.

Dicendum est ergo secundum eos, quòd quædam diffinitio relatiuorum est sicut demonstrationis medium, & quædam sicut conclusio. Illa enim quæ datur de relatiuo secundum quod vnum est causa alterius & non è conuerso, est sicut demonstrationis medium, vel sicut demonstratio positione differens. Illa autem qua relatiua per seinuicem diffiniuntur, est sicut conclusio: quia enim pater generando causa filij est, ex hoc concluditur, quòd pater filij pater est, & diffinitur per filium: & quia filius à patre genitus est, inde est, quòd filius non suiipsius, sed patris filius est, & diffinitè non cognoscitur nisi per patrem: & sic est inter genus & speciem, quia ex hoc quod genus principium speciei est, concluditur quòd genus non suum, sed speciei genus est: & ex hoc quod species principiata est à genere hoc modo principiationis quo genus mediante differentia determinante & distinguente genus constituat speciem, concluditur quòd species non sua, sed generis species est: & sic diffinitè non cognoscitur nisi per genus. Hoc igitur modo ea quæ videntur esse inconuenientia, nihil habent de inconuenientia: sunt enim primo simul natura. Secundo modo vnum est prius altero. Tertio autem modo vtrumque prius alio, & è conuerso diuersis respectibus.

Secunda differentia speciei logicalis. Adhuc assignant.

Plurimi autem, & maximè Peripatetici quos hîc imitamur, adhuc etiam sic assignant diffinientes speciem, dicentes quòd species est quæ ponitur sub genere, & de qua genus in eo quod quid sit prædicatur. Et patet, quòd in hac assignatione duo sunt de essentia speciei. Vnum quidem secundum quod species principiatur & constituitur à genere: sic enim per determinationem differentiæ constitutiuæ species ponitur sub genere & ordine & participatione. Alterum autem est secundum ordinem speciei ad genus, speciem ipsam constituens. Sic enim genus est, quod prædicatur de specie hoc modo, quòd respondetur ad quæstionem quid sit, & non ad quæstionem factam per quale. Cuius ratio iam ante dicta est: quia genus in omni eo in quo est per participationem, est quid, & non quale: est enim primum subiectum differentijs essentialibus determinatum & distinctum ad esse speciei. Subiectum autem quod substat in esse rei non potest esse quale, sed quid: propter quod etiam ipsum commune sic determinatum & distinctum non quale quid dicitur, quamuis non sit hoc aliquid. Ergo causa est, quòd duo sunt in assignatione siue diffinitione eius. Consideratur enim dupliciter, scilicet secundum constitutionem ipsius à genere, & secundum ordinem ad genus constituens quod est ens ratione ipsius: & quia per constitutionem accipit ordinem, ideo oportuit poni in assignatione quod ponitur sub genere: quia ex hoc causatur, quòd genus de ipsa in eo quod quid sit prædicatur.

Obiectio.

Si autem quis contra hanc assignationem obiiciat, quòd etiam indiuiduum ponitur sub animali, de quo genus in eo quod quid prædicatur: & sic indiuiduum videtur esse species sic diffinita. Dici potest, quòd indiuiduum non ponitur sub genere positione immediata. Species autem immediata positione ponitur sub genere.

Solutio.

Obiectio.

Sed tunc obiiciunt quidam de indiuiduo generis: hoc enim sub genere ponitur immediatè, vt scilicet hoc animal sub animali: non enim hoc animal est mediante specie, quamuis forte hoc animal sit hic homo vel ille. Et sic viderur, quòd hoc animal sit species: quod falsum est. Ad hoc autem quidam dicunt, quòd est positio ordinis, & est positio participationis. Et quantum ad positionem participationis indiuiduum generis immediatè ponitur sub genere: quia non mediante specie participat indiuiduum generis naturam, sed seipso genus participatur ab ipso. Et secundum positionem coordinationis prædicabilium & scibilium dicunt, quòd non ponitur immediatè sub genere nisi species, & indiuiduum per speciem quod post speciem ordinatur.

Solutio. aliquorum.

Refutatio.

Sed hæc solutio non est perfecta: quia participatio est causa ordinis. In omnibus enim participantibus & participatis participatum est superius in ordine prædicabilium, & participans est inferius & subiectū: & ideò si immediatum est in participatione, erit etiam immediatū in ordine. Propter quod aliter dici oportet, quòd est positio quæ tota principiatur ex genere secundum id quod est in eius potestate: & sic species ponitur sub genere, ita quòd genus est principium suæ positionis. Et est positio quæ non causatur à genere, sed potius ex materia: & hæc est indiuidui positio, & ideo hæc non sic ponitur sub genere, quòd genus sit illius positionis principium. Vnde cum dicitur, quæ ponitur sub genere, illa præpositio, sub non tantum notat ordinem, sed etiam causam positionis siue principium.

Solutio. propria.

Obiectio Auicennæ.

Aliter autem Auicenna hanc impugnat diffinitionem: punctus enim species est quædam: & tamen non ponitur sub genere, nec de ipsa genus prædicatur sicut quantitas, nec prædicatur de puncto in eo quod quid sit. Sed hæc instantia nulla est: quia punctus non est in genere vt species quantitatis, sed potius vt terminus continuationis. Vnde quod dicitur, quòd

Solutio.

quòd punctus species quædam est, falsum est: quia si esset species, esset quantitas, quod est falsum. Hic autem modus speciei translatus est à naturalibus & politicis: quia in physicis dicitur species ex potentia materiæ ad esse determinatum, vt homo & asinus. Et in politicis dicitur species per elegantiam formæ & staturæ & figuræ, dignitati vel indignitati idoneam, sicut in antehabitis dictum est.

Tertia diffinitio speciei. Amplius autem species est.

Amplius autem sic quoque assignant speciem in philosophia. Species est, quod de pluribus differentibus numero in eo quod quid sit prædicatur. Et sic patet, quod hæc assignatio de specie est secundum quod species est prædicatum: anterior autem de ipsa data est inquantum est subiectum. Nec est inconueniens plures eiusdem rei esse assignationes secundum diuersa vel diuersos modos vel rationes quæ sunt in ipsa: cum tamen vna sola sit eius diffinitio secundum quidditatem & substantiam data, sicut vnum est esse & substantia & quidditas. Dicit autem Auicenna, quòd cum dicitur, quòd de pluribus differentibus numero prædicatur, intelligendum cum præcisione, vt addatur differentibus numero solo: & tunc non tenet quod obiicitur de genere: quia genus de pluribus differentibus numero prædicatur: non enim prædicatur genus de pluribus solo numero differentibus, sed etiam de differentibus specie. Hæc quidem solutio est Auicennæ. Posset tamen (vt videtur) melius dici, quòd id quod prædicatur, prædicatur vt participatum, & quod participatur alio quodam prius participato, prædicatur per aliud & non per seipsum. Vnde cum indiuidui participatione non participet immediatè nisi species, de differentibus numero non prædicatur immediatè nisi species. Differentia enim numero differentia non per differentiam diuisiuam, sed per materiam, vt dicit Aristot. Talis autem diuisio non est propria generis, sed speciei specialissimæ: & ideò non propriè prædicatur de differentibus numero immediata diuisione: non enim genus diuiditur & multiplicatur per materiam, sed per differentias secundum formam suam ipsum genus dividentes.

Limitatio tertiæ diffinitionis secundum Auicen. in cap. 9. suæ logicæ.

Propria limitatio.

Patet ergo, quòd hæc vltima speciei assignatio solum conuenit speciei specialissimæ, quæ non prædicatur nisi de differentibus numero solo. Aliæ vero assignationes in antehabitis positæ non sunt speciei specialissimæ, sed etiam specierum non specialissimarum. Hæ sunt igitur assignationes datæ de intentionibus speciei.

CAPVT II.

De duabus quæstionibus circa prædicta.

1. quæstio.

Alfarabius & Auicenna duas hîc inducunt quæstiones. Vna quidem: quia cum duæ sint assignationes, vna speciei subalternæ, altera speciei specialissimæ, ad quam illarum nomen speciei prius translatum sit à similitudine ista, qua species dicitur vniuscuiusque forma & speciositas? Altera autem est quæstio: cum duæ sint speciei diffinitiones, vt dictum est, secundum quam illatum species est vniuersale vnum de quinque vniuersalibus quæ in antehabitis enumerata sunt?

2. quæstio.

In cap. 9.

Et circa solutionem primæ quæstionis dubitationes inuenit Auicenna, & nescire se fatetur, ad quam primò significandam translatum sit nomen speciei. Species enim subalterna quæ sub assignato ponitur genere, & de qua genus in eo quod quid sit prædicatur, prius occurrit descendentibus, & ab vno quod principium speciei est in multitudinem venientibus: tunc enim subalterna species est, ad quam primo formatur & distinguitur generis potentia. Et sic videtur primò nomen speciei translatum esse ad illam. Adhuc autem id quod primò occurrit intellectui, est genus, & sic per diuisionem deuenitur ad speciem. Patet autem, quòd prius occurrit ea quæ est & genus & species, quam illa quæ est species tantum. Videtur ergo nomen speciei prius translatum esse ad illam.

Ad oppositum autem huius est, quòd formatio potentiæ generis secundum substantialia perfecta non est nisi in specie specialissima: id enim quod est formatum in specie subalterna, adhuc est in potentia ad alteram formam: ergo suæ naturæ plenam non habet speciositatem. Id autem minus transfertur nomen plenæ est speciositatis, ita quòd secundum illam rei attribuimus dignitatem secundum felicitatem dictam determinatam. Videtur ergo, quòd nomen hoc prius transferrur ad speciem specialissimam, quæ perfectam habet sui generis & potentiæ formationem. Inter has rationes dubitare se dicit Auicenna, quod potissimum dicatur: vtrumque enim dicit rationabiliter posse dici secundum inductas rationes.

Ad primam.

Sed sine præiudicio dici potest, quòd cum translationes secundum similitudinem fieri debeant, quòd magis propriè & prius transfertur nomen speciei ad speciem specialissimam, quam ad speciem subalternam. Species enim subalterna aliquid habet generis, & aliquid potentiæ, & aliquid priuationis: nec tota est deducta ad speciei dignitatem, sicut species specialissima. Et quod dicitur, descendentibus prius occurrit species subalterna: nihil facit ad translationem nominis: translatio enim non fit per rationem diuisionis: nec etiam per rationem resolutionis, vel etiam compositionis: sed per solam rationem similitudinis. Ratione autem similitudinis planum est, quòd prius transfertur ad speciem specialissimam, posterius ad speciem subalternam.

Ad secundam.

De secunda autem quæstione dubitare videtur Auicenna, scilicet secundum quam illarum diffinitionum species habeat quod est vniuersale, quamuis valdè modica videatur esse ratio dubitationis. Secundum primam enim speciei subalternæ diffinitionem species subiectum est & non prædicatum. Vniuersale autem secundum quod vniuersale est, & est & diffinitur in rationem prædicati & non subiecti. Videtur ergo, quòd species per rationem illam qua subiectum est, non habeat, quòd

sit vniuersale: & conceditur ferè ab omnibus antiquis.

Obiectio prima. in libro 1. Quod tamen aliquibus videtur non esse verum: quia scimus, quòd Aristot. in topicis, in quibus docet terminare de omni problemate, non docet formare vel terminare problema de specie: eò quod in omni problemate subiicitur species: & sic videtur; quod species est, subiici habet in problemate & non prædicari.

Secunda. Adhuc species secundum quod specialissima est, non prædicatur nisi de differentibus numero solo. Quæ autem numero solo differunt, sensibilia singularia sunt: & eorum non potest fieri disciplina. Nec subiecta igitur videntur esse, nec prædicata in disciplina. Cuius signum est, quòd scientia de prædicabilibus vsque ad illa non descendit, nisi accipiantur vt stantia in natura & specie communi, vt aliquis homo, & aliquis bos. Et sic videtur, quòd species per se non prædicatur de indiuiduo, sed per accidens: accidit enim speciei in indiuiduo esse: & sic accidit ei prædicari.

Ad primam obiectionem. Ad hæc autem & similia videtur, quòd omne vniuersale in ratione prædicati habet determinari: vniuersale enim secundum quod vniuersale est, diffinitur quod est in multis & de multis. Non autem est de multis, nisi quia prædicatur de illis. Et ideo species habet quod est vniuersale per diffinitionem illam qua diffinitur vt prædicatum, & non illam qua diffinitur vt subiectum. Quod autem dicitur, quòd species subiectum est in problematibus. Dicendum, quòd verum est hoc: quia problemata non formantur nisi de his quæ insunt speciei vel simpliciter vt accidens, vel vt genus assignatum de specie, vel vt proprium quod fluit de natura speciei, vel vt diffinitio quæ totum dicit esse speciei. Et hac consideratione species non est vniuersale. Est autem vniuersale secundum quod est prædicatum.

Ad secundam. Et quod dicitur, quòd species specialissima non prædicatur nisi de his quæ differunt numero solo, in quibus speciei accidit esse. Dicendum, quòd non sic accidit speciei esse in indiuiduis, quod sit accidens eis, vel accidens in ipsis: quia sicut dicit Boëtius, species est totum esse indiuiduorum, vel indiuiduorum essentialis similitudo. Et ideo indiuidua possunt dupliciter accipi, scilicet vel vt particularia in materia determinata, vel vt res naturæ communis in qua stat: vel in qua stat naturæ fluxus, qui fluxus est naturæ diffusio: & sic indiuiduum sic sumitur, vt aliquis homo: & hoc indiuiduum propriè & per se subiectum est, & est subiectum speciei: & hoc modo primum prædicatum de ipso est species, & secundum quòd apta nata est esse in pluribus secundum totum esse substantiale, sic est vniuersale. Et sic diffinitur, quando dicitur, quòd species est, quæ prædicatur de pluribus numero differentibus in eo quod quid est. Per hoc autem, quòd aliud prædicatur de specie cui supponitur, accidit speciei quod sit vniuersale: de quo enim aliud prædicatur, potest esse vniuersale, & potest non esse vniuersale.

Indiuidua dupliciter accipi possunt.

Recapitulatio. Sic ergo dictum est de intentionibus speciei & assignationibus siue diffinitionibus quæ datæ sunt de intentionibus illis. Hoc autem sub compendio colligi potest, vt dicatur, quòd secundum vulgarem in physicis vel politicis vsum vel consuetudinem species dicitur, quæ est vniuscuiusque forma siue formositas, secundum quam intentionem speciei vulgariter dictum est, quòd species siue speciositas Priami digna est imperio. Dicitur autem ad huius aliquam similitudinem species apud Philosophos ea quæ est sub assignato siue certo & determinato genere posita per differentiam constitutiuam, quæ generis potestatem determinat & coarctat ad actum ad quem prius fuit in potentia: secundum quam intentionem speciei solemus dicere in philosophia hominem quidem speciem esse animalis, cum sit genus assignatum hominis animal: album siue albedinem solemus dicere coloris speciem esse, cum assignatum genus albedinis sit color. Et secundum quam solemus dicere triangulum esse speciem figuræ, cum figura sit genus assignatum.

Dubitatio. Quod si etiam suprà in præcedenti tractatu, qui de genere habitus est, genus per diffinitionem assignantes, speciei meminimus ponendo speciem in generis diffinitione, quando dicimus, quòd genus est quod de differentibus specie prædicatur in eo quod quid sit: & nunc tractando de specie dicimus, quòd species est id quod ponitur sub genere: & sic genus ponimus in diffinitione speciei: nemo reputet hoc inconueniens. In talibus enim nosse oportet, quoniam & genus non est absolutum, sed relatiuum: ideò genus alicuius est genus, & species est non absolutum quid, sed species alicuius species est, quia generis. Et ideò necesse est in vtrorumque, scilicet generis & speciei, rationibus diffinitiuis vtriusque vti: ita quòd genus in diffinitione speciei, & species in diffinitione generis ponatur. Assignant ergo Philosophi per diffinitionem prædictas intentiones de specie, etiam sic speciem diffinientes, Species est quæ ponitur sub genere, & de qua genus in eo quod quid est prædicatur: prædicatur enim vt substantia & subiectum in specie, quod differentia constituiua indiuiduatur & formatur in specie, quod est quid speciei & non quale.

Solutio. Amplius adhuc ipsi Philosophi sic quoque assignant diffinientes speciem, Species est quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid est: & sic est formale quid indiuiduorum, & totum esse ipsorum. Esse enim quod est post speciem in indiuiduis, est & de indiuiduantibus, & non est idem esse simpliciter, quia materia nulli dat esse, nec est propriè de esse: sed est actus essentiæ in eo quod est materia. Et ideò materiæ non est prædicari: quia in antehabitis iam diximus, quòd non prædicatur nisi forma: nec etiam forma prædicatur secundum quod forma, sed forma totius: nec adhuc forma totius vt forma totius prædicatur, sed inquantum est notio totius esse vel in potentia vel in actu.

Inter hanc tamen assignationem & prædictã differentia est: quia hæc secunda assignatio est solum speciei specialissimæ: aliæ verò duæ præcedentes conueniunt & speciebus non

non specialissimis. Quid autem hic dictum sit, non potest sciri; nisi ponatur tota ordinatio prædicabilium. in generalissimis & specialissimis & mediis: & ad hoc deinceps attingemus.

CAPVT. III.

Qualiter inueniatur species specialissima, & de coordinatione prædicamentali.

Planum autem erit quòd dicitur hoc modo. Remouet dubium. QVa autem arte inueniantur species specialissimæ secundum diuersas intentiones, de quibus dictum est, planum & manifestum erit hoc modo. In vnoquoque enim prædicamẽto secundũ omnia genera prædicamentorum sunt quædam in supremo secundum totam illius generis prædicabilium coordinationem, quæ dicuntur generalissima: non quia in vno sint plura, quia hoc impossibile est, & id quod per superabundantiam dicitur in vno ordine rerum, non nisi vni soli potest conuenire: sed quod in quolibet genere est vnum, & in eodem ordine prædicabilium sunt quædam secundum suas communitates & vniuersalitates infima, quæ dicuntur specialissima, & in quolibet sunt plura, propter hoc quia quamuis specialissima in vno & eodem genere prædicabilium necesse est stare in vno, vbi resoluuntur ad vnum, non tamen propter hoc secundum viam diuisionis & compositionis (quæ ab vno incipit) necesse est, quòd diuisio stet in vno sicut in infimo: quia diuisio multis viis procedit ex vno: & illæ viæ non sunt nisi per diuersas formas & oppositas, quæ differentiæ vocantur, quas vniri ad vnum est impossibile, & ideò diuisio ex vno stat in multis vltimis: & quodlibet illorum est indiuisibile secundum formam, non habens sub se commune, & ideo quodlibet illorum est specialissimum.

In tali autem prædicabilium ordine supremum ideo dicitur generalissimum, quia non habet supra se genus superius supereueniens sibi, quod vt genus prædicetur de ipso. Specialissimum autem dicitur, quòd in tali ordine est indiuisibile secundum formam & naturæ potestatem: propter quod sub se non habet aliquod commune quod sit species & modum prædicandi habeat speciei: quamuis sub se habeat indiuidua, in quibus omnibus est ipsa species secundum totum suum esse & secundum totam suam potestatem. Hoc autem modo (vt in antehabitis dictum est) non est genus in speciebus: in nulla enim specie secundum se est genus secundum totum ambitum suæ potestatis. Nec aliquis miretur, quòd per intentionem loquentes dicimus generalissimum, generalius, & generale: & specialissimum, specialius, & speciale; quia sicut in antehabitis determinatum est, id vniuersale quod est genus, per accidens quoddam (quod sibi accidit) genus vocatur; & in illo potest intendi & remitti, maximè secundum prius & posterius dicta intentione, potius quam secundum accessum ad terminum aliquem vel recessum ab illo: magis enim genus est id quod in omnibus genus est, quam id quòd genus est ad quædam: & similiter est de specie, quòd magis est species quod omnibus est species, quam id quod non est species nisi ad quædam.

Inter generalissimum autem in summo, & specialissimum in infimo, sunt media quædam, quæ eadem in substantia existentia sunt genera & species, sed ad aliud & aliud comparata siue per comparationem sumpta.

Gratia autem exempli potest hoc in vno prædicamento esse manifestum, vt in aliis omnibus similiter esse intelligatur, in ordine prædicabilium quæ sunt in genere substantiæ. In genere substantiæ primo ponitur substantia, quæ sine conuersione vt genus prædicatur de omnibus quæ in genere sunt substantiæ: & ideo generalissimum est vocatum. Proximum autem quod sub hac ponitur per differentiam constitutiuam, est substantia corporea quæ vocatur corpus. Cum autem iterum corpus per animatum, & inanimatum diuiditur, proximum sub hoc communi quod est corpus, constitutum est corpus animatum, quod vno nomine viuum vocatur, communitate sua ambiens & vegetabilia & sentientia quæ dicuntur animalia. Corpus autem animatum iterum per opposita diuiditur, scilicet sensibile, & insensibile: & cum adiunctum fuerit corpori animato siue vino sensibile, proximum sub ipso positum erit animal. Cum verò animal iterum per rationale & irrationale diuiditur, quæ sunt oppositæ differentiæ, & rationale adiunctum fuerit animali, fit rationale animal complectens deos secundum Stoicos & homines. Cum autem ipsum quod est rationale animal, per mortale & immortale diuiditur, & mortale iunctum fuerit animali rationali, constituitur homo: qui vlterius per differentiam non est diuisibile, quia secundum totam suæ naturæ potestatem est in quolibet suorum suppositorum. Sub homine ergo non est commune aliquod, sed particularia, vt Sortes, & Plato, qui sunt particulares homines.

Sed inter omnia substantia quidem est generalissimum: & ideò est id quod est tantum genus, quia nullo modo potest fieri species: omnis enim species est quæ sub assignato genere ponitur. Et cum substantia non habeat supereueniens genus, constat quòd non potest fieri species. Homo verò inter hæc est species specialissima, & quæ nullo modo potest fieri genus: cum enim genus sit (sicut in antehabitis dictum est) cui supponitur species, & cum nihil commune nec genus nec species supponatur homini in quo homo sit secundum partem suæ naturalis potestatis, & non secundum totum, patet quòd homo non potest esse genus. Est ergo species solum, & non genus.

Omnia autem intermedia inter substantiam quæ est genus tantum, & hominem qui est species tantum, sunt simul genera & species respectu diuersorum: sicut corpus siue substantia corporea, quæ proxima est substantiæ in supremo: est quidem species substantiæ, quia species est quæ sub assignato genere ponitur

nitur: genus verò est idem corpus corporis animati siue viui, cum genus sit cui supponitur species, & in qua genus est secundum partem suæ naturalis potestatis. Omnino autem eodem modo id quod substat tertium in ordine secundum descensum à substantia (quod est corpus animatum siue viuum) est species quidem corporis, cui tanquam generi supponitur: genus verò est animalis, quia sibi animal tanquam assignato generi supponitur.

Animal verò secundum Stoicos species quidem est animati corporis siue viui: genus verò est animalis rationalis, eò quod non habemus vnum nomen, quo id communè significemus, quod continet hominem & Deos; quoniam secundum Stoicos substantiæ incorporeæ sunt animalia, vt dicit Apuleius in lib. de Deo Socratis. Homo verò species quidem est animalis rationalis, quia illi tanquam generi assignato supponitur: genus autem non est alicuius, quia in nullo communi (quod post ipsum sit) est secundum partem suæ naturalis potestatis, sed in quolibet secundum totum esse, & secundum totum esse suæ potestatis. Patet ergo, quòd est species animalis rationalis, & non est genus particularium hominum.

Sic ergo patet, quòd omnia hæc triplicem habent modum & suæ positionis rationem: vnum quidem supremum quod non potest esse species, aliud inter communia infimum indiuisibile secundum suæ naturæ potestatem, & intermedia quæ respectu superiorum sunt species, respectu inferiorum sunt genera.

Comparemus ergo extrema adinuicem, & dicamus, quòd quemadmodum substantia cum suprema sit, cum supra eam nihil sit quod possit esse genus ad ipsam, & ideo genus est generalissimum: sic homo quod infimum est in hac ordinis dispositione, est species specialissima, post quam non est alia inferior species ad quam possit esse genus: cum non post hominem sit aliquid eorum communium, quod differentiis oppositis possit diuidi, vel in quibus sit secundum partem suæ naturalis potestatis, sed sola indiuidua, quæ indiuidua sunt post hominem: indiuidua enim sunt Socrates, & Plato: quæ indiuisibilia sunt, non quidem secundum materiam & quantitatem, sed sunt indiuisibilia secundum formam suæ communitatis & secundum potestatem: quia homo remanet in quolibet eorum secundum suum esse totum, & secundum totam suæ naturæ potestatem. Et ideò erit species sola quæ non poterit esse genus, & erit vltima species, in qua stat huiusmodi formalis secundum potestatem diuisio, & erit species, vt dictum est, specialissima.

Quemodo indiuidua sint indiuisibilia.

Ea verò quæ sunt in medio istorum extremorum, ad vtraque referuntur extrema. Eorum enim quæ sunt supra ipsa in ordine secundum ascensum, sunt species & subiecta secundum illam rationem speciei qua species dicitur, quæ sub assignato genere vere posita est, & de qua genus in eo quod quid est prædicatur. Eorum verò quæ post ipsa sunt in ordine ipsius positionis secundum descensum, erunt genera secundum illam generis diffinitionem, qua dicitur, quòd genus est cui supponitur species. Relinquitur ergo ex his, quòd illa quidem quæ sunt media, duas habent habitudinum comparationes. Habent enim habitudinem ad priora secundum ascensum, secundum quam habitudinem priorum species esse dicuntur. Habent etiam habitudinem ad posteriora secundum descensum, secundum quam habitudinem posteriorum genera esse dicuntur. In prima enim habitudine sunt in ipsis secundum esse & essentiam sua superiora, & sunt de ratione ipsorum, sicut genera sunt de ratione specierum. In secunda verò habitudine ipsa secundum essentiam suam & secundum suum esse sunt in posterioribus, & sunt de ratione ipsorum, sicut genera sunt de ratione specierum. Et hæc est causa, quòd in prioti habitudine sunt species, & in secunda habitudine sunt genera.

Attendendum autem est, quod hæc media alterius rationis sunt quam media quæ dicuntur per participationem extremorum, sicut in coloribus, & saporibus, & odoribus sunt media: illa enim (quia participatione vtriusque extremi media sunt) ab extremis causantur & principiantur. Et ideò secundum naturam posteriorum sunt vtrorumque extremorum. Ista autem quia non participatione media sunt, sed ordinis & positionis inter extrema, quia quodlibet medium est in toto medio vniuersaliter, ideò superius quidem causa est & principium medij, & medium principium est & causa posterioris. Et ideo medium natura est posterius superiore, & prius est inferiore. Et medium participat totum superius, & participatur totum ab inferiori, & non participat vtrumque extremorum. Nec participat vnum extremorum illo modo participationis, quo medij colores vel medij sapores participant extremos colores vel sapores. Sensibilia enim media extrema sua non participant secundum essentias suas totas, & secundum totum esse, sed potius secundum mixtionem quandam & intensionem & remissionem participanta iterum. Sed secundum totam essentiam & secundum totum esse participant alterum suorum extremorum, & secundum totum esse participantur ab altero, sed secundum potestatem totam non participant id quod participant, nec secundum totam potestatem participantur ab eo à quo participantur. Taliter igitur media vocantur, & sic positione & ordine media dicto modo duas habent habitudines.

Nota quemodo genera intermedia non sunt media per participationem extremorum, sed positione, & ordine.

Extrema verò quæ simpliciter extrema sunt, ita quòd non possunt esse media (quæ tantum duo sunt, generalissimum scilicet & specialissimum) vnam tantum habent habitudinem. Generalissimum enim (cum supra se habeat nullum genus) eam habitudinem quæ est ad superiora habere non potest, nisi secundum negationem, sicut scilicet quòd superius genus non habet. Illa autem sic per negationem dicta habitudo nihil ponit in genere generalissimo: per hanc enim nec est genus nec species: sed potius per eam habitudinem quam habet ad inferiora, habet generis rationem, quia genus est cui supponitur species. Sed per negationem habitudinis ad superiora, non habet quidem generis nec speciei rationem, sed excessum

Genus generalissimum à quo habet, quod sit genus: & à quo, quòd sit generalissimum.

Quare negatione diffinitur genus generalissimum.

sum in generalitate. Et per specialitatis negationem, quod scilicet sic genus sit, quòd non possit esse species, hoc est, quia superabundantia est, & in termino generalitatem significat: notificari non potest, nisi negatione: quia nihil habet quod affirmetur de ipso: & hoc est propter suam simplicitatis rationem siue perfectionem: & ideo per talem negationem nihil imperfectionis concludi potest de ipso. Adhuc autem sic per negationem notificatum & determinatum est (quamuis negatio secundum se sit infinita & indeterminata) quia negatio per quam determinatur, finitur: quando dicitur, quòd ex abundantia simplicitatis & generalitatis & superioritatis superius habere non ponitur.

Obiectio.

Siquis autem insteret & dicat, quòd substantia habet superius. Ens enim est ante substantiam per intellectum: quia omnis substantia est ens, sed non omne ens est substantia. Et non potest dici, quòd per accidens prædicatur de substantia. Et similiter potest dici de quolibet quod genera transcendit, vt est res, vnum, & aliquid. Inferius quidem subtiliter huic satisfaciemus obiectioni: hic autem ad præsens sufficiat, quòd cum ens prædicatur de substantia, vel res, vel vnum, vel aliquid: non prædicatur prædicatione generis, cum non sit vna ratione prædicatum de his de quibus prædicatur, sed per prius & posterius; sed talia prædicantur prædicatione principij nõ generis. Et hoc probat Auicenna & Alpharabius & Algazel & omnes Arabes sic. Sequitur enim, si homo est, animal est: & si animal est, corpus animatum siue viuum est: & si viuũ est, corpus est: & si corpus est, substantia est, propter intellectum generis in specie. Sed non sequitur, si substantia est, ens est: quia siue sit aliquod, siue non, semper genus sequitur ad speciei positionem: eò quod secundum rationem & naturam genus concipitur in specie: & non potest intelligi species, nisi genus intelligatur in ipsa. Cum autem dicitur ens absolutè, non intelligitur nisi ens actu existens: & ideò non sequitur si substantia est, ens est: quia esse ens accidit omni ei, quod est: accidit enim omni ei actu esse potest. Patet ergo, quòd cũ dicitur, substantia est ens, ens quod prædicatur est idem quod substantia, quia simpliciter ens non est nisi substantia.

Solutio.

Transcendentia non prædicantur de substantia prædicatione generis, sed prædicatione principij.

Obiectio.

Et si dicatur obiiciendo contra hoc, quòd secundum hoc deber conuerti consequentia. Dicendum est, quòd causa eius quod non conuertitur consequentia, non est quòd ens genus sit substantiæ, vel communitas generis quæ sit in ente ad substantiam: sed causa illius est, quia est commune secundum prius & posterius dictum, & in hac communitate excedit substantiam: & ideò non conuertitur consequentia ab ente ad substantiam. Et quando prædicatur de substantia, non prædicatur essentialiter vel accidentaliter: sed prædicatur vt idem cum substantia, quia ens simpliciter est idem cum substantia. Relinquitur ergo, quòd supremum quod est generalissimum, vnam tantum habet habitudinem secundum quam genus est & vocatur generalissimum: est enim supremum & primum (omnium quæ in illa coordinatione sunt) principium: quoniam ab ipso essentialiter omnia inferiora principiantur.

Solutio.

Ens non prædicatur de substantia essentialiter vel accidentaliter, sed sicut ista.

Obiectio.

E contrario verò specialissimum vnam tantum quidem habet habitudinem quæ est ad superiora, secundum quam etiam species dicitur: superiorum enim est species, eò quod sub superioribus est: & ex illa nomen & rationem habet speciei. Eam verò habitudinem (secundum quam aliquibus inferioribus insit vt prædicatum substantiale, quod secundum partem suæ potestatis participetur ab illis) non habet: & secundum hanc habitudinis ad inferiora negationem constituitur in specialitatis abundantia & termino. Et ideò dicitur specialissima per excessum: quamuis enim habeat inferiora quæ sunt indiuidua: non se tamen habet sicut genus ad illa: est enim in quolibet eorum secundum totum esse, & secundum totum suæ potestatis esse: quod generi non cõuenit, quando suis inferioribus inest. Et ideò secundum habitudinem quam habet ad superiora, species est. Sed species est ad superiora, sicut à superioribus contenta, secundum hoc quod species est, quæ sub assignato ponitur genere. Species autem inferiorum indiuiduorum sicut continens indiuidua: continet autem in hoc, quòd adunat ea in forma speciei, quod est totum esse indiuiduorum secundum omnem suæ potestatis perfectionem. Sic ergo in specialissimo sunt tres intellectus se communicantes: ex hoc enim, quòd superioribus supponitur species, speciei habet intellectum. Ab hoc autem, quòd ad inferius habitudinem generis non habet, accipit intellectum specialissimi. Ab hoc autem, quòd perfectè in vno continetur indiuiduo, accipit quòd est prædicatum in quid de differentibus solo numero, & eis totum quid, & esse formale totum: esse autẽ formale ipsorũ est substantiale. Hac ergo arte accipienda sunt generalissima, & specialissima, & intermedia etiã in aliis prædicamẽtis.

CAPVT IV.

Qualiter ea quæ dicta sunt, ad compendium reducantur.

CApitulariter autem ista ab antiquis tradita sunt dicentibus hîc, quod dictum est planum esse hoc modo, quòd in vnoquoque prædicamento sunt generalissima quædam, ita quod non ibi no plura, sed in singulis singula. Et rursus in vnoquoque sunt quædam alia specialissima. Et inter generalissima & specialissima sunt quædam alia intermedia. Est autem generalissimum quidem, supra quod secundum ordinem superpositionis vel superueniens non est genus. Specialissimum autem, post quod non erit inferior species quæ sibi supponatur vt generi, & in qua sit secundum partem suæ potestatis. Inter generalissimum autem & specialissimum secundum ordinem positionis omnia quæ sunt, genera sunt & species, ad aliud quidem & ad aliud comparata.

Qualiter molunt exẽplificare de substantia quã de aliis prædicamentis.

Sit autem hoc quod dictum est, per exemplorum positionem in vno prædicamento substantiæ manifestum est: substantia enim perfectius

fectius genus est, & in ipsa exempla sunt magis nota: substantia enim est quid, & ipsa est genus, quia non habet cui vt generi supponatur, vt species fiat & ideo tantum genus est, & non species. Sub hac autem substantia est corpus, hinc substantia corporea. Sub corpore verò sicut sub genere est animatum corpus, sub quo sicut sub genere est animal. Sub animali verò sicut sub genere est animal rationale secundum Stoicos: quamuis Auicenna & Arabes dicant, quòd animal rationale est vt genus ad hominem & ad Angelos: quod falsum est, quia Angelus nullo modo propriè est animal, sed dicitur animal aliquando propter viuere secundum intellectum. Et si rationalis Angelus dicitur, æquiuocè dicetur rationale quòd est differentia hominis: sed propter Stoicos & Epicureos dictum est, qui deos terrestres, sicut Cererem, & Æsculapium: & deos infernales, sicut Plutonem, & Vulcanum, animalia rationalia esse dicebant. Sub animali autem rationali sicut sub genere est homo: sub homine verò non sicut sub genere, sed sicut sub specie sunt Socrates, & Plato, qui sunt particulares homines.

Potentes sub animali rationale animal sicut sub genere.

Sed omnium horum substantia quidem est generalissimum: eò quòd genus sit solum, & species esse non possit. Homo verò est specialissimum: eò quod species sit solum, & genus esse non possit. Corpus verò species quidem est substantiæ, cui tanquam generi supponitur: genus verò est corporis animati, quod sibi vt generi supponitur. Et animatum corpus species quidem corporis est, cui vt generi supponitur: genus verò est animalis per eandem rationem quæ dicta est. Et animal secundum eandem rationem species est corporis animati: genus autem animalis rationalis. Sed rationale animal eodem ordine species quidem animalis: genus autem hominis. Homo verò species est animalis rationalis: non est autem genus particularium hominum, sed species solum. Id autem quod ad individua proximum est, vt leo, & asinus, & equus, species erit solum & non genus.

Quemadmodum igitur substantia quæ est suprema (eò quod nihil sit genus supra eam) est generalissimum: sic & homo (cum sit species post quam non est alia inferior species, nec aliquid eorum quæ possint diuidi formaliter per oppositas differentias, sed sola individua sunt post eam, individua enim sicut diximus, sunt Socrates, & Plato) species erit sola vltima, in qua stat formalis diuisio: erit autem species, vt dictum est, specialissima. Quæ verò sunt in medio extremorum eorum quidem quæ supra ipsa sunt, erunt species: eorum verò quæ post ipsa sunt, erunt genera.

Quare hæc quidè media duas habent habitudines: eā scilicet quæ est ad superiora, secūdum quam species eorū dicūtur esse: & eā quæ est ad posteriora, secundum quam eorum genera esse dicuntur. Et sic via naturæ extrema in summo & infimo vnam tantum habent habitudinem. Namque generalissimum solùm ad ea quæ sibi posteriora sunt, vnam solum habet habitudinem, cum secundum illam sit genus omnium posteriorum id quod est supremum. Eam verò habitudinem quæ est ad superiora, non habet, cum sit supremum & principium primum, ex quo per diuisionem omnia alia principiantur: & quod per nomen & rationem est substantia, hoc est, secundum id quod in omnibus est inferioribus. Specialissimum similiter vnam habet tantum habitudinem, eam scilicet quæ est ad superiora quorum est species: eò quod supponitur omnibus illis vt generibus. Eam verò quæ est ad inferiora vt ad communia non habet: quia non superponitur communibus. Sed individuorum species dicitur, de quibus prædicatur vt individuum secundum substantiam & potestatem. Aliter ergo individuorum dicitur species, & aliter superiorum. Dicitur enim species inferiorum quidè in eo quod est esse formale ipsorum eam continens. Species autem dicitur superiorum, sicut quæ ab his (in eo quod per differentias & potestate diuisa sunt) continetur.

Et ad hunc modum figura per modum arboris scribi consuevit, quæ si secundum esse & essentiam consideratur, radices quibus principiatur, superius habet. Si autem secundum esse actuale consideretur, radices quæ sunt in individuis, habet inferius.



CAPVT V.

De manifestatione eorum quæ dicta sunt ex consequentibus & similibus.

Determinant ergo generalissimum.

HÆc autem quæ dicta sunt, adhuc manifestabimus per ea quæ sequuntur ad ipsa & similia. Resumentes ergo ea quæ dicta sunt, dicimus, quòd ex dictis patet, quòd Philosophi determinant generalissimum per hoc quod cùm genus sit, non species est: hoc enim sequitur ad hoc, quòd id est supremum cui omnia sup-

supponuntur: per hoc enim quòd omnia supponuntur ei, & prædicatur de eis in quid, sequitur quòd sit non subalternum, sed generalissimum quod non potest vtique esse species alicuius. Sequitur etiam ex prius habitis, quòd non habet sibi superueniens genus: quia si hoc esse posset, iam esset subalternum, & esset species illius generis quod sibi in ordine positionis superueniret, & esset medium, non extremum. Ex quo sequitur vlterius, quòd non esset simplex, sed compositum, & esset participans aliud & participatum ab alio, & multa alia quę inconuenientia sunt. Si enim esset subalternum, hoc modo esset subalternum, quia sub altero esset positum. Sequeretur ergo, quòd non esset supremum & primum principium, quod est contradictorium ad illud quod de ipso ante probatum est.

Specialissimum verò vnum sit.

Specialissimum verò iidem Philosophi determinant, quod cum sit species, non est nec esse potest genus: est enim secundum veramquę suam habitudinem species: secundum enim habitudinem quam habet ad superiora, species est, & non genus: quia ipsum est quod supponitur generi, & de quo genus in eo quod quid est prædicatur. Secundū autē habitudinē quam habet ad individua, non diuiditur differentiis, vt secundum partem suæ potestatis sit in inferioribus: sed est in quolibet secundum totam suam essentiam, & secundum totam suam potestatem: quod non conuenit generi, sed speciei, non inquantum species est, sed inquantum species specialissima, quæ nihil habet sub se nisi individuum, quòd solum per materiam est numerabile & non per formam, in eo quod in materia totum esse & posse diffundit forma. Hoc ergo specialissimum cum sit species, nunquam diuiditur vel diuidi potest in species: quia diuisio in species non est nisi generis per differētias formaliter oppositas: non ergo diuiditur nisi per materiam. Et quia vt dicit Aristot. in 3. Physic. diuisio est causa numeri, & diuisio materiæ est causa numeri materialis: sequitur quòd prædicatur de pluribus differentibus solo numero materiæ in eo quod quid sit: quia ipsum est quid & quidditas individuorum & totum esse ipsorum. Ea verò omnia quæ sunt secundum ordinem positionis in medio istorum extremorum participantia & participata per substantiam, & per id quod sunt, vocantur quidem subalterna, & simul non secundum idem sunt genera & species: & ideo vnumquodque talium simul genus & species esse potest: possunt ergo omnia talia genera esse & species, ad aliud quidem & ad aliud secundum comparationis habitudinem sumpta. Et sic omnia quæ secundum ordinem à specialissimo vsque ad generalissimum disposita sunt secundum ascensum ab inferiori ad superius, siue à composito ad simplex, siue à posteriori in prius, secundum naturam & genera dicuntur & species, & dicuntur genera subalterna, & species subalternæ. Genus autem subalternum non dicitur quòd sub se habeat genus: quia sic generalissimum esset subalternum, habet enim sub se aliud genus: sed dicitur subalternato genere positum. Et similiter species specialissima non dicitur non subalterna, propter hoc quod generi non supponatur, generi enim supponitur: sed ideò dicitur non subalterna, quia nulla ei supponitur species communis: hoc enim sonat nomen subalterni, quòd scilicet alternato ordine participato supponatur & participanti supponatur: & quod non habet nisi vnum istorum, non est subalternum. Superponitur enim generalissimum omni se participanti, sed alternato ordine nihil participat. Supponitur autem specialissimum omni participato, sed à nullo communi participatur. Et ideò hæc duo non habent alternatum ordinem, & ideò non sunt subalterna.

Tex. com. 68.

Ea verò quæ sunt in medio, &c.

In quo consistat ratio subalterni.

Dubitatio.

Attende autem, quòd cum dicitur genus subalternum, videtur esse oppositio in adiecto: quia genus vt genus dicit superponere in ordine prædicabilium, & dicit id quod est principium & diffinitiuum eius quod sibi supponitur. Subalternum autem cum dicat id quod in ordine est alternatum, aliquo modo dicit id quod supponitur, & quod est principiatum & diffinitum. Sed hoc facile soluitur, si consideratur qualiter dicitur genus subalternum: genus enim esse habet ex ratione prioris & principij, & superpositionis: sed subalternum esse habet à suppositione alterna in superpositione. Et quia sic generalitas & subalternatio ad diuersa referuntur, sequitur quòd vnum non priuat & diminuit rationem alterius.

Solutio.

Diuisio generis & speciei per subalternum & non subalternū est diuisio subiecti in accidentia.

Adhuc autem cum diuiditur genus per istas differentias, subalternum, & non subalternum, pro certo diuisio est subiecti in accidens. Accidit enim illi naturæ quæ est genus, quòd sit in ordine prædicabilium stans in vno situ, vel quòd sit alternata secundum ordinem positionum diuersarū. Idem autē intelligendum est de specie subalterna & non subalterna: hoc enim accidit illi naturæ quæ est species: hæc enim nomina, subalternum, & non subalternum, rationes accidentium positionis in ordine tali prædicabilium nominant in natura prædicabilium huiusmodi. Et ideo cum dicitur, prædicabilium quædam sunt secundum prædicationem subalterna, quædam non subalterna, est diuisio subiecti in accidentia secundum rei veritatem.

Nota aliam diuisionem priorem illa.

Sed hoc verum est, quòd si consideretur causa huius diuisionis & positionis: tunc præintelligitur quædam alia diuisio, quæ est, quòd natura prædicabilium talium alia est simplex, alia composita: & composita natura quædam est numerabilis & diuisibilis per differentias, eò quod est composita ex genere & differentia: quædam autem est numerabilis numero solo, eò quod per differentias vltimas diuidi non potest: & hæc diuisio est generis in species, quia numerabilis natura per differentias, est genus compositum: numerabilis autem per materiam & non per differentias, est species specialissima.

Improbatio quorundam circa rationem formalem subalterni.

Nec est aliquo modo dicendum, quòd subalternum dicatur vel genus vel species, quod sic subalternari non potest, vt sit subtus & supra: sicut quidam dicunt, quòd genus subalternum dicatur, quod est sub alio tantum; & species dicatur quæ super aliud: hæc enim non est ratio subalterni: alternum enim est, quod alternatim

ternatim supponitur & superponitur, sicut dictum est. Si enim diceretur subalternum in genere, cui superponitur genus: & subalternum in specie, cui supponitur species, sicut quidam dixerunt, esset subalternum alterius & alterius rationis, quod falsum est. Vnde subalternum simul ab vtroque dicitur, secundum quod alternatim ponitur subtus, & supra, potest esse genus & species. Et ideo generalissimum non potest esse subalternum: quia alternare se non potest, vt fiat subtus & subiectum vt species. Et specialissimum non potest esse subalternum: quia subalternare se non potest, vt respectu alicuius communis fiat subiectum & prædicatum.

Declaratio exordiationis prædicamentalis per exemplum in familia.

Subalternorum autem & generalissimorum & specialissimorum quæ non subalternantur, exemplum & similitudo est in familiis, à quibus vt in tractatu generis dictum est, primo logicum genus est transsumptum. Si enim familia Iouis, hoc est quæ à Ioue descendit, per domos siue familias distinguatur, dicemus quòd Agamennon siue domus & familia Agamennonis, quæ vltima & inferior est, reducitur ad Atridem à quo descendit, & ab Atride duxit genus & originem: & sic Atrides genus dat Agamennoni, Atrides autem duxit genus à Pelopide, & Pelopides genus traxit à Tantalide, Tantalides autem à Ioue: quoniam Deus sublimis est & primus in ordine: quare generalissimi locum tenens, eò quod alij non subiiciatur. Iupiter autem Deus sublimis ab omnibus antiquis appellabatur. Omnes ergo intermedij & patres sunt & filij. In extremis autem Agamennon filius tantum accipiens & non perfundens genus. Iupiter autem dans & non accipiens in illo ordine ab aliquo. Quia si etiam Iupiter filius Saturni esse dicatur: tamen quia patrem expulit de regno, in dignitate regali & familia regni & gradu honoris priorem non habuit: & ideo familia regalis stat in Ioue in supremo, in Agamennone autem in infimo. Intermedij autem alternatim sunt: & accipientes & dantes familiam ad regnum pertinentem. Et hoc est sicut in generibus subalternatim & non subalternatim positis, sicut ex prædictis manifestum est.

Vt Agamennon, Atrides.

Sed in hoc est dissimilitudo: quia in familiis quidem omnia descendentia plerumque ad vnum reducuntur principium. Dico autem plerumque in omni familia quæ ab vno descendit, ad vnum principium fit reductio: quando autem ab vno non fit descensus, tunc ad vnum reduci non possunt: vt si dicamus, quòd in diuersis quartis mundi diuisa fuerunt hominis principia. Sola enim vna terræ quarta nobis nota est, vt probat Ptolemæus in Almagesto, & in hac nostra habitabili omnes familiæ ad Adam reducuntur. In aliis autem quartis si habitabiles sunt, alia & alia habuerunt principia. Sed in generibus & speciebus logicis non sic se habet: quia omnia quæ sunt in omnibus generibus & speciebus tam substantiæ quam accidentium non ad aliquid vnum (quod sit secundum vnam rationem omnium principium) reduci possunt, eo quod ens (ad quod omnes aliquo modo reducuntur) non est commune omnium genus tam generum substantiæ

In generibus autem.

Non enim est commune omnium genus ens, &c.

quam generum accidentium. Non enim omnia & substantiæ & accidentia sunt eiusdem generis: sic enim accideret, quòd omnia aut essent substantia, aut omnia essent accidentia, eò quòd primum genus est quidem omnium aliorum: & vnum genus non est principium nisi eius quod est quidem vnius & eiusdem rationis. Tunc ergo vnius generis prædicamenta essent omnia tam substantiæ quam accidentia, si sumatur vnum genus in illa generis ratione: quemadmodum in prædicamentis dicit Arist. quia scilicet nomine & substantiæ ratione in quid sic prædicatur de his quæ sunt in specie, sicut in genere.

Quod ens non sit genus ad omnia prædicamenta.

Entia ergo secundum sui diuersitatem in diuersis generibus posita sunt, sicut in prædicamentis ab Aristot. dictum est. Sunt enim decem genera quasi prima decem principia, quorum vnum ad alterum reduci non potest. Et si omnia docet Aristot. in 9. primæ philosophiæ reducere ad substantiam: hæc reductio omnium ad vnum non est sicut ad vnum genus, sed sicut reductio aliquorum ad vnum subiectum: propter quod si quis dicat, quòd omnia sunt entia, & quòd ens sit commune prædicatum de omnibus, æquiuocè, vt inquit Aristot. & non vniuocè omnia entia nuncupabit. Si autem vnum commune genus esset omnium hoc ipsum quod dicimus ens, adhuc omnia vniuocè entia diceretur: quia genus nomine & ratione prædicatur de his quorum est genus. Cum enim decem sint principia prima communia & generalissima, si hæc dicuntur entia, erit prædicatio secundum communitatem nominis solum, & non erit communitas secundum rationem diffinitionis, quæ secundum nomen est assignanda. In talibus enim ens simpliciter est substantia, & alia non simpliciter entia sunt, sed sunt entis passiones, vt quantitas mensura entis, qualitas autem non ens simpliciter, sed entis dispositio: & sic de aliis. Tamen quia in talibus respectus est ad vnum quod est simpliciter ens, ideò non simpliciter est æquiuocum. Quare non omnium ad vnum respicientium est idem modus & ratio respiciendi: vnum enim est vt mensura, alterum vt dispositio. Ideò quoad hoc est æquiuocum. Et ideò totum simul analogum, hoc est, commune secundum proportionem vocatur, quod medium est inter vniuocum & æquiuocum: quod simpliciter, vt dicit Boëtius, à casu & fortuna æquiuocum est. Et vniuocum quod simpliciter per vnitatem nominis & vnitatem diffinitæ rationis est vniuocum. In tali enim vniuoco & ad quod multa respiciunt, vnum & idem est esse in substantia, & in omnibus quæ respiciunt ad id, est vnus modus & vna ratio respectus & respiciendi ad ipsum.

Quomodo ens ante est analogia respectu substantiæ & accidentis.

Tex. com. 1.

Hæc quidem igitur decem quæ sunt prima omnium principia, sunt generalissima, & sunt numero finita denario. In his enim decem stat tanquam in generibus omnium resolutio. Specialissima verò (quæ sunt ante indiuidua proxima, & oppositis non possunt diuidi differentiis) sunt in numero quodam certo quidem secundum naturam, non tamen diffinitus & certus est quoad nos. Quod autem secundum

Decem quidem generalissima sunt.

De numero generalissimorum specialissimorum & indiuiduorum.

dum naturam certus sit quantum ad hanc intentionem, sufficienter probatur ex hoc, quòd nullum genus est cuius potentia sit infinita. Potentia autem generis determinatur ad actum speciei constitutiuis differentiis. Constitutiuæ ergo differentiæ sunt finitæ: quia aliter finitam generis potentiam non finirent. Ad numerum autem finitum differentiarum constitutiuarum generis potestatem sinientium finitur numerus specierum. Numerus ergo specierum specialissimarum est finitus quoad naturam. Indiuidua autem quæ sunt post specialissima quoad naturæ potestatem sunt infinita: est enim per naturæ potestatem diuisibilis materia in infinitum per continuam allationem & ablationem primi generantis & diuidentis materiam: oportet ergo, quòd potestate materiæ indiuidua sint infinita, & accidens indiuiduans sic vel sic potentia naturæ est infinitum. Quamuis ergo loco & tempore & singula & omnia actu sint finita: tamen naturæ potestate, & diuisione materiæ & indiuiduantis modo sunt infinita. Et ideò nec scientia nec arte comprehensibilia. Propterea Plato præcipit, quòd descendens à generalissimis per diuisionem, & vsque ad specialissima deueniens, quiescat, & non vlterius diuidat: cuius rationem inducit: quia à generalissimis descendentem oportet ire, & descendere per media: quia ab extremo in extremum non venitur nisi per medium: nec sic descendere potest nisi diuidendo extremum in media specificis differentiis, ad quarum numerum multiplicatur numerus specierum. Est enim generis essentia numerabilis specificis differentiis, quæ in genere sunt, sicut actus in potentia: infinita autem potentia materiæ. Indiuidua, inquit Plato, relinquenda sunt: quia de ipsis per diuisionem certam & determinatam non potest sciri disciplina: & ideò nec scientia nec arte sunt determinabilia.

Recapitulatio dictorum in hoc capitulo.

Totum autem quod in hoc capitulo dictum est, sub compendio colligitur sic, quòd Philosophi & maximè Peripatetici determinant describentes, quòd generalissimum est, quod cum sit genus, non potest esse species: & ideò non alternatur ratio generis in specici rationem. Et rursus generalissimum determinant dicentes, quòd ipsum est genus supremum, super quod non est aliud superueniens genus: quia in illo ordine non potest esse aliquid superius supremo. Specialissimum verò è contrario dicunt esse, quod cum sit species, non est genus: nec alternari potest vt generis sumat rationem. Et rursus idem specialissimum determinant, quod cum sit species, nunquam diuiditur in species, quia non est essentia numerabilis vel diuisibilis per specificas differentias, sed numeratur diuisione materiæ. Et ideò specialissimum est, quod de pluribus differentibus numero solo in eo quod quid sit prædicatur. Ea, verò genera & species quæ sunt in medio extremorum prædictorum subalterna vocantur genera & species: quia vnaquæque & genera esse possunt & species alternatim vel suppositiuè, quando ad aliud & ad aliud alternatim posita & comparata sunt. Ea verò quæ sunt à specialissimo vsque ad generalissimum ascendendo, & genera dicuntur & species. Et dicuntur genera subalterna vt in familiis ab vno descendentibus, in quibus quilibet mediorum & genus dat & sumit, vt Agamennon, Atrides, Pelopides, & Tantalides, & sic per omnes familias ascendendo vsque ad vltimam Iouis familiam, à quo omnes illæ familiæ genus traxerunt, sicut à primo suæ generationis principio.

Sed in hoc dissimile est: quia in familiis plerumque omnia media ad vnum reducuntur, quod vere est omnium principium. Verbi gratia ad Iouem primum patrem. In generibus autem & speciebus non sic se habet. Et hoc ideò est: quia non est idem commune genus omnium id commune quod dicitur ens: nec omnia generalissima reducta in ens, sunt eiusdem generis in ente, secundum quod vnum genus est sumptum, quemadmodum dicit Aristot. debere sumi genus quod secundum vnam rationem æquè prædicatur de speciebus. Sed posita sunt genera in ente secundum prius & posterius, quemadmodum in prædicamentis dictum est. Secundum enim illam doctrinam sunt genera generalissima quasi decem prædicabilium principia prima, quæ vlterius ad aliud principium quod sit principium eorum vt genus non reducuntur. Vnde si omnia quis entia vocet, ita quod ens prædicetur de quolibet genere, æquiuocè, inquit Aristoteles, entia nuncupabit, non vniuocè. Si enim vnum & idem esset genus omnium prædicamentorum, scilicet ipsum ens, vniuocè dicerentur entia omnia prædicamenta, & vniuocè & æqualiter susciperent entis prædicationem. Cum enim, vt sæpius dictum est, decem sint prima omnium principia, nec essent principia si supra se haberent aliud principium, patet quòd communitas quam habent in ente secundum nomen est solum, & non secundum rationem diffinitionis etiam quæ secundum nomen est: quia si ens vna ratione de omnibus prædicaretur, aut omnia essent substantia, aut omnia accidens, quod impossibile est. Hæc ergo quidem sunt generalissima. Specialissima verò in numero sunt quodam quoad naturam finito, non tamen quoad nos in numero definito & certo. Indiuidua autem quæ sunt post specialissima sunt infinita quoad materiæ potestatem. Quapropter vsque ad specialissima à generalissimis descendentem iubet Plato quiescere diuidendo. Iubet autem Plato descendere per media quæ sunt genera & species diuidentem quodlibet illorum immediatè generi specificis differentiis. Infinita enim, inquit Plato, relinquenda sunt, neque eorum quæ infinita sunt dicit Plato posse fieri disciplinam.

CAPVT VI.

De modo veniendi à generalissimo ad specialissima, & è conuerso.

QVia autem in coordinatione extremorum & mediorum via est veniendi de extremo

mo in extremum per media, oportet tangere qualiter procedit, quid de supremo prædicabili vsque ad infimum vadit per media, & qualiter procedit, qui è contrario de infimo per media procedit ad supremum. Dicimus, quòd qui de supremo per media procedit ad infimū (quod specialissimum vocatur) necesse est, quòd descendat à priori secundum naturam in posterius, & sic semper procedat descendendo vsque ad prædicabile proximum. Et sic descendentem necesse est ire per multitudinem. Non enim deuenitur in posterius, nisi per diuisionem superiotis. Diuisio autem si perfecta sit, omnes partes diuisi segregando, semper est causa multitudinis. Ideo enim est perfecta ex parte diuisibilis diuisio: quoniam per diuisionem accipit omnes partes eius quod est diuisibile: propter quod quando corpus accipitur sub substantia, prius intelligere oportet substantiæ diuisionem per corpoream & incorpoream substantiam: & tunc vna differentia constitutiua coniuncta cum genere accipit corpus, & sic fit descensus per multitudinem, quam totam causat præintellecta & perfecta diuisio. Accipere enim vnam partem de toto non diuisam ex opposito cum alia parte, imperfecta est diuisio: non enim explicat perfecte quid partium est in toto.

Descendentibus igitur ad specialissima.

Et è contrario autē siquis ascendat à specialissimis ad generalissima, necesse est colligere multitudinem in vnum: ex quo per diuisionem accepta est: resolvit enim sic ascendens & reducit omnia diuisa (quæ non nisi per diuisionem multa sunt) in vnam formam eius quod diuisum est. Et sic ex multis procedit ad vnum. Cuius causa est: quia id quod est commune multorum, est propter collectionem hoc modo quo collectio dicitur multorum in vnam naturam quæ in eis est adunatio & resolutio. Sic enim multorum quæ diuisione materiæ multa sunt collectiuum in vnam speciei naturam est species: quia vna natura speciei in omnibus est individuis eiusdem speciei: non enim sic est in vno, quòd non sit in alio: sed cum sit in vno, est etiam in alio per aptitudinem naturæ & formæ: quamuis non secundum quod est in vno, sit etiam in alio sicut in principio & vniuersalibus dictum est. Magis autem est collectiuum & adunatiuum genus, quam species, in hoc quòd plura colligit quam species: & si etiam species magis secundum intentionem sit vna, quam forma generis: minus enim à se distant & magis vnum sunt quæ sunt vnum in specie, quam ea quæ sunt vnum in genere: cum plura vniat in se & colligat genus quam species: vnit enim & colligit multas species & omnia quæ in speciebus colliguntur.

Particularia verò & singularia secundum quod huiusmodi sunt, semper sunt in multitudine: cuius multitudinis causa est diuisio materiæ, & ideo per contrarium modum collectionum communis speciei, dicunt id quod est vnum in natura in multa, non quidem diuisione formæ, sed diuisione materiæ, vt dictum est.

Participatione enim speciei plures homines sunt vnus homo.

Diuiditur autem totius vniuersalis diuisione, quod diuisum per esse diuiditur, & per naturam & formam, secundum totam suam essentiam & potentiam est in singulis. Et è contra species multa sicut diuisa in vnum colligit & vnit: participatione enim speciei plures homines sunt vnus homo. Non quidem sic, quod iste homo qui est vnus homo per materiam, sit plures homines diuisi per suas materias & sua suppositа: sed quia ipsa participatione vnius quod participatur à multis secundum quod ipsum in natura & essentia vnum est, plures vniuntur, & vnum sunt secundum hunc modum. Et hoc est idem ac si dicatur, quòd Socrates & Plato & alij singulares homines vnum sunt in homine, secundum quod homo dicit naturam speciei prædicatæ de ipsis. Et si sic participatione speciei plures homines sunt vnus homo, non sequitur ex hoc, quòd simpliciter plures homines sint vnus homo: quia vnus homo & plures homines simpliciter dicuntur à materiæ subiectæ pluralitate vel vnitate. Econtra verò particularibus siue particularis per materiam hominibus, vnus homo, vna natura, & vna forma communis omnium efficitur plures homines secundum esse singulare: & per subiectum diuisus in omnes, indiuisus tamen manens secundum naturam communem & formam & secundum esse vniuersalis. Id enim quod singulare est & determinatum secundum esse & subiectum, semper est diuisum communis sui proximi & determinatum. Quod autem commune est & vniuersale, semper est collectiuum & adunatiuum.

Intellectus illius propositionis, participatione speciei plures homines sunt vnus homo.

Quamuis autem colligere & adunare sint idem in substantia: differunt tamen secundum rationem. Collectio enim incipit à multis, & terminatur ad vnum. Adunatio incipit ab vno, & terminatur ad multa, quæ in vno vniuntur. Hoc autem vt melius manifestetur, explanetur in pluribus. Est enim collectio tantum in vnum locum continentem, sed non vnientem, sicut aceruus lapidum dicitur colligi. Et hæc proprie dicuntur nomina collectiua, vt aceruus, turba, populus, & alia huiusmodi. In talibus quidem perfecta est collectio, sed imperfecta adunatio. Et ideo talia de suis partibus non prædicantur: quia singuli lapides non sunt aceruus, nec singuli homines sunt populus vel turba.

Differentia inter collectionem & adunationem.

Nota quinque in dos quibus plura in vnum colligi dicuntur.

Est item collectio multorum ad vnum mouens & ad vnum finem: sicut est collectio exercitus in mouente duce, & fine, qui est victoria. Et hæc collectio magis adunat quam antecedēs, etiam & hæc non perfectam facit secundum naturam adunationem. Et ideò totum de parte non prædicatur, quia vnicus miles non est exercitus, sed quia omnes in mouente & fine vniuntur, ideo sequitur, quòd singuli mouētur in singulis & duce, & singuli secundū analogiā suę operationis perficiunt victoriam.

Est item collectio in vnam perfectæ quantitatis figuram, sicut dicuntur fundamentum, & paries, & tectum colligi in vnam totius integri formam: quia forma non est in partibus diuisim, sed simpliciter quidem in partibus coniunctim sumptis, & in qualibet diuisim non est nisi secundum quid: ideò ista forma quāuis colligat partes & adūet eas sibi, non tamen prædicatur de partibus omnibus nisi coniunctim, & non de qualibet diuisim.

Iuxta

Iuxta hanc erit adhuc alia forma, quæ quamuis colligat partes, & aliquo modo vniat: non tamen cuilibet totam suam addit potestatem perfectā, sicut est forma regni, & generaliter totius potestas regni constituitur potestatibus vt partibus, vt est præfidis, palatini, & ducis, & comitis potestas, ex quibus omnibus conficitur regnum. Et hæc forma quæ non vnit secundum totam potestatem, iterum de partibus prædicari non potest simpliciter: quia præfidatus non est regnum. Talis enim forma suam potestatem partibus ordinatim communicat: & ideo quælibet pars est aliqua regni potestas: & in talibus verum est, quòd quidquid potest inferior, potest & superior, sed non conuertitur.

Et secundum modum isti aliquo modo similem, forma naturalis colligit & vnit sibi partes materiæ quas terminat. Et ideo de materia vel de partibus materiæ non prædicatur: quia ipsa in potestate partes excedit: & sic animal non est visus, vel auditus, vel aliud huiusmodi dictum potest quod potest visus, & plus, & sic est in omnibus aliis. Est tandem forma quæ perfectè colligit & vnit partes, ita quod singulas colligit & vnit sibi, ita quod esse eius in singulis idem est cum esse singulorum, vel non diuersum ab ipso, & ideò prædicatur de singulis partibus: & talis forma est generis & speciei & aliorum quæ sunt vniuersalia. Et hoc modo intelligimus hìc, quòd ascendens à specialissimo ad generalissimum, colligit & adunat multitudinem in vnum, & quòd commune sit collectiuum & adunatiuum.

Assignato autem genere & specie quid sit vnumquę, &c.

Assignato autem sic genere, & assignata sic specie, quid sit vtrumque per diffinitionem, palam est ex prædictis, quòd in omni diuisione proxima generis in species, semper genus vnum est & plures species in quas diuiditur. Semper enim vnius & eiusdem generis diuisio est in plures species: cuius ratio est, quia differentia non diuidit nec habet actum nisi per oppositionem. Nihil autem sibiipsi oppositum est, sed ei opponitur cui contrariatur. Omnis ergo differentia quæ diuidit genus, sibi oppositam habet differentiam: & ideò genus coniunctum cum vna differentia facit speciem aliam illi oppositam, quia alteras, vt dicit Boëtius, causatur ab oppositione: propter quod dicit Aristoteles in 6. topicorum, quòd si aliquis in diffinitione aliquid assignauerit pro differentia, considerandum est si oppositum eius est etiam eiusdem generis differentia. Si enim non est oppositum differentia, nec hoc quod assignauit, fuit vera differentia: genus enim non diuiditur nisi per oppositas differētias siue formas quæ sunt differentiæ: oppositæ autem differentiæ coniunctæ cum genere non vnum, sed plures species semper constituunt.

Quare diuisio generis semper est in plures species:

Cap. 8.

Virum sufficiat genus habere plures species aptitudine, an requirat actu plures.

Sunt tamen qui contra hoc quod dictum est obiiciunt per id quod à principio de vniuersali dictum est, quòd scilicet ab aptitudine existendi in pluribus & dicendi de pluribus vniuersale dicatur, & non ab actu: quod scilicet actu sit in in pluribus & de pluribus: quia aliter sol non esset vniuersale. Ex hoc enim volunt inferre, quòd genus est quod non habet plures species, sed quod aptum natum sit habere plures species. Et sic non oportet genus semper in plures species diuidi. Sed ad hoc dicendum, quòd non est verum de genere, sed de specie specialissima solum: quia genus non diuiditur nisi per ea quæ potestate naturali & substantiali sunt in ipso, & ideò per se diuiditur: & oportet, quòd diuidatur in plura quæ actu plura sunt. Species autem non diuiditur per ea quæ sunt in ipsa: nec diuiditur secundum suam substantialem potestatem, sed potius multiplicatur & numeratur quam diuidatur per id quod totum substantialiter est extra naturam & essentiam ipsius, scilicet per materiam quæ nihil est formalis essentiæ suæ potestatis. Et ideò accidit speciei esse in ipsa: propter quod sola sufficit aptitudo in specie vt sit apta existere in pluribus, ad hoc quod sit vniuersale, etiamsi actu non sit nisi in vno solo, vel forte in nullo, dummodo sit forma quæ secundum aptitudinem apta nata sit esse in pluribus.

Solutio.

Quare genus requirat multas species actu: non autem species plura individua actu, sed potentia tantum.

Sed considera quomodo hic dicta non contradicant dictis supra tract. de genere cap. 3.

Est ergo sciendum, quòd genus non est, quod non habet plures species. Vnde si ponamus non esse aliquam speciem animalis nisi hominem: tunc quidem sequitur, si homo est, animal est: sed non sequitur, quòd animal sit genus propter causam quæ dicta est. In specie autem specialissima sola quidem, vt dictum est, sufficit aptitudo ad hoc quod sit vniuersale secundum aptitudinem. Si autem hæc aptitudo ad actum reduci debeat, oportet quòd actu sit in pluribus & de pluribus: & non solum est vniuersale secundum actum, sed secundum aptitudinem solam. In iis autem in quibus aptitudo ad actum reducitur, per diuisionem materiæ ad actum reducitur, sicut dictum est: quia naturæ aptitudo ad plura, non est ad tot, quin possit esse ad plura: ideò continuè sic in infinitum potest reduci ad actum.

In omni autem tali prædicabilium coordinatione genus quidem substantialiter & vniuersaliter de specie prædicatur, & omnia superiora de inferioribus substantialiter & vniuersaliter prædicantur: species autem siue subalterna sit, siue specialissima, neque prædicatur substantialiter & vniuersaliter de proximo superiori sibi genere, neque prædicatur de superioribus sibi generibus non proximis, sed per medium sibi coniunctis. Huius autem causa est quia inter talia superiora de inferioribus prædicata substantialiter & vniuersaliter prædicatio non conuertitur, eò quod prædicatum in plus est quam subiectum. Vnde non sequitur, si homo substantialiter & vniuersaliter est animal, quòd animal substantialiter & vniuersaliter sit homo: est enim aliquod animal quod non est homo, vt asinus, vel leo: animal enim quamuis de intellectu sit hominis (& ideo necesse sit prædicari de ipso) non tamen è conuerso homo est de intellectu animalis: propter quod animal sine homine esse potest.

Oportet æquè de æquis prædicari.

In omni autem ordinata prædicatione (in qua secundum naturalem ordinem prædicabilium vnum de altero prædicatur) oportet æqua siue paria de æquis, siue paribus prædicari, sicut prædicatio conuertibilium, sicut omne hinnibile est equus, & omnis equus est hinnibilis. In talibus enim subiectum est conuersum

sum prædicari: & ideò nec prædicatum relinquit subiectum, nec subiectum relinquit prædicatum. Aut oportet maiora de minoribus prædicari: & in talibus prædicatum est de ratione subiecti: & ideò subiectum nunquam relinquit prædicatum, quamuis prædicatum possit relinquere subiectum: & talis prædicatio est vt quando animal de homine prædicatur sine conuersione.

Hæc prædicatio non est substantialis, sed per accidens, aliquod animal est homo, & per consequens non est per se in primo modo, vt volunt Paul. venetus 2. post.

Et si inferat aliquis, quòd homo de animali prædicatur, cum dicitur, aliquod animal est homo, vel hoc animal est hic homo. Nulla est instantia: quia hæc prædicatio non est substantialis & secundum ordinem prædicabilium, quia per accidens: accidit enim animali hoc animal esse quod est homo vel hic homo. Minora verò de maioribus secundum hunc modum prædicationis minime prædicantur: neque enim animal vniuersaliter dicis esse hominem, quemadmodum hominem vniuersaliter & substantialiter dicis esse animal.

Secundum autem totam coordinationem prædicabilium de quibuscunque species prædicatur siue subalterna siue specialissima, de omnibus eisdem prædicabitur vniuersaliter & illius speciei genus, & illius generis genus, & sic vsque ad generalissimum, quod vltimum in ascendendo, & primum in descendendo prædicatum est in illa prædicamentorum coordinatione. Cuius exemplum est, quòd si verum est Socratem esse hominem, hominem autem animal, animal verò substantiam: verum est, quòd & Socrates est homo, & quòd Socrates est substantia: semper enim & substantialiter & vniuersaliter in tali coordinatione superiora de inferioribus prædicantur & de indiuiduo. Generalissimum autem & de genere sibi proximo sub eo posito prædicabitur, & de generibus omnibus inferioribus, si plura sint media subalterna inter ipsum & specialissimum: & prædicatur de specie specialissima, & de indiuiduis quæ sub ipsa sunt.

Attendendum autem, quòd sicut dictum est, forma quæ prædicatur, non prædicatur nisi sit notior, & nomen totius esse rei. Esse autem rei totum vel est in potentia remota, & sic nominatur per generalissimum: vel in potentia propinqua, & sic nominatur genere subalterno: vel in potentia propinquissima, & sic vocatur genere immediato: vel est in actu, & sic nominatur nomine speciei. De prædicatione autem differentiæ, proprij, & accidentis, inferius pertractabitur. Et ideò dicit Aristot. quòd non est viuens & animal, nec animal & homo simul. Talis ergo modus prædicandi concluditur ex eo qui dictus prædicabilium ordine.

Compendium dictorum in hoc cap.

Hæc autem quæ dicta sunt, in compendio dicuntur sic, quòd descendentibus ad specialissima necesse est ire per multitudinem specierum diuidendo genus oppositis differentiis. Ascendentibus autem à specialissimis ad generalissima necesse est colligere multitudinem in vnam generis diuisi naturam. Collectiuum enim in vnam communem naturam species est, & magis collectiuum multorum est id quod est genus: particularia verò & singularia semper in multitudine existentia, è contrario diuidunt in multitudinem id quod est vnum commune: & sic participatione speciei plures homines sunt vnus homo. Particularibus autem sic speciem diuidentibus, & in multitudinem distrahentibus, vnus & communis homo est plures homines: diuisuum enim semper communis est id quod est singulare: collectiuum autem & adunatiuum plurium in vnum est id quod commune est.

Assignato autem sic genere & specie per diffinitiuam rationem quid sit vtrumque ipsorum, & genere quidem vno existente, speciebus verò pluribus per diuisionem oppositarum differentiarum, semper erit in plures species diuisio generis per causam superius assignatam. Genus quidem in tali ordine semper vniuersaliter & substantialiter de specie prædicatur, & omnia superiora de inferioribus. Species autem nec prædicatur de proximo sibi superiori genere, neque de superioribus non immediatè coniunctis: nec enim talis prædicatio conuertitur qua genus de specie prædicatur. In omni enim substantiali ordinata prædicatione oportet aut æqualia de æquis prædicari, vt hinnibile de equo: aut oportet prædicari maiora, hoc est, communiora de minoribus, vt animal prædicatur de homine, cum animal in plus sit quam homo. Minora verò de maioribus secundum hunc modum prædicabilium minimè prædicantur, nisi per accidens, vt dictum est. Nec enim animal vniuersaliter dicis & prædicas hominem esse, quemadmodum hominem vniuersaliter dicis esse animal. De quibus autem species vniuersaliter & substantialiter prædicatur, de his necessariò & speciei genus prædicabitur, & generis genus vsque ad generalissima. Si enim gratia exempli verum est dicere Socratem esse hominem, hominem autem animal, animal autem substantiam: verum est & Socratem animal dicere atque substantiam. Semper ergo naturaliter superiora de inferioribus prædicantur. Species quidem substantialiter de indiuiduis prædicatur. Genus autem prædicatur de specie & de indiuiduo. Generalissimum autem prædicabitur & de genere subalterno & de generibus omnibus, si plura sint media & subalterna inter specialissimum & generalissimum: prædicabitur autem de specie specialissima & de indiuiduis secundum totam huiusmodi prædicabilium coordinationem. Sic enim in omnibus verum est, quòd quando alterum de altero prædicatur vt de subiecto, in quo specialiter per intellectum concipitur: quæcunque substantialiter de prædicato prædicantur, omnia prædicari de subiecto sit necesse. Et negatiuè similiter quæcunque vniuersaliter negantur de prædicato, necesse est illa etiam negari de subiecto: animal enim cum non sit lapis, necesse est etiam hominem lapidem non esse.

***

CAPVT

CAPVT VII.

De modo prædicabilium quæ prædicantur.

EX omnibus autem quæ dicta sunt, constat, quod generalissimum dicimus prædicati de omnibus quæ sub ipso recto ponuntur ordine tam generibus quam speciebus & indiuiduis. Genus enim quodlibet quod est immediate ante specialissimum, prædicatur de omnibus specialissimis, vt animal de homine & de asino & leone & speciebus aliis: prædicatur etiam & de indiuiduis illarum specierum per hoc quod essentialiter est in illis & de illis. Id autem quod sic est species, quod solum species est, & non genus, quod est species specialissima, non prædicatur per se nisi de indiuiduis. Indiuiduum autem quod est certum, non prædicatur, nisi de vno solo discreto & signato, illa prædicatione quæ in antehabitis determinata est. Quamuis indiuiduum vagum de pluribus prædicetur, hoc est, prædicatione speciei, & non indiuidui, vt dictum est. Indiuiduum enim quod discernitur ab aliis sub eodem communi positis particularibus, dupliciter formatur: substantia enim formatur per accidentia quæ signa sunt talis discretionis, quæ in proprio nomine importantur, vt cum dicitur Socrates. Quia autem accidens non indiuiduatur nisi per substantiam, ideò indiuiduum accidentium per demonstrationem ad rem stantem sub accidente designatur, sicut hoc album, & hoc veniens, vt accidens tam sine tempore & motu, quam cum tempore & motu designetur. Discernitur etiam aliud per circumlocutionem, vt discretio Sortis designatur per generantem, vel locum generationis, vt cum dicitur Sophronici filius, si solus Socrates sit eius filius: à generante enim principaliter trahit originem, quia hic generat hunc dictum: & in talibus aliquando ad maiorem discretionem notandam mutamus appellationes dicendo Sophronici filium, notantes quod sub hac appellatione magis discretè noscitur, quam sub appellatione Sortis.

Dicitur autem generalissimū quidem de omnibus, &c.

Indiuiduū vagum de pluribus prædicatur prædicatione *Speciei, & non indiuidui.*

Indiuidua enim dicuntur huiusmodi primæ substantiæ propter hoc, quòd quantum ad discretionem non quantum ad substantiam vnūquódque eorum diuisim consistit ex proprietatibus, quarum earundem in numero collectio nunquam erit in alio aliquo. Quæ (vt dicit Boëtius) sunt septem, scilicet propria forma, propria figura, propria parentela secundum quam per hanc vel illam seminis decisionem à parentibus descendit, propria nominatio à proprio accidente imposita, propria patria secundum quod patria centrum dicitur nativitatis in quo respexit periodus circuli cælestis in nativitate, proprium tempus, proprius locus omnia hæc continens: hæc enim abstrahi ab hac re non possunt quia per hoc & hic & nunc. Quamuis enim hæc materia sit formæ particularis & indiuiduationis principium & indiuidui pars substantialis: tamen hæc accidentia quamuis non componant substantiam singularem, sunt facientia ad notitiam suæ discretionis. Et si indiuiduum non vt particularis substantia, sed vt discretum, & discretè nomen designetur: tunc accidentia sunt nomina in ratione concepta, & de essentia indiuidui sic designati: quamuis non sint aliqua pars particularis substantiæ secundum quod substantia est, hæc enim non componitur nisi ex hac forma.

Proprietates indiuiduales secundum Boëtium septem sunt.

Hæc materia est principium indiuiduationis & forma particularis: tamen accidentia illa septem sunt ad notitiam suæ discretionis.

Sed proprietates quæ sunt cōmunis hominis per hoc quod communis homo est in pluribus, inueniuntur etiam in pluribus, vt risibile, & mansuetum natura, & disciplinæ perceptibile, & huiusmodi. Hæc enim in pluribus, & plus est, in omnibus hominibus particularibus inueniuntur: sunt enim in eis per commune quod est in eis, & ideò conueniunt eis in eo quod homines sunt. Directo enim prædicabilium ordine continetur indiuiduum sub homine siue generaliter loquendo sub specie. Species autem continetur sub genere. Est enim genus totum quoddam vniuersale, & id quod est genus secundum quod genus est, non nisi totum. Indiuiduum autem non est totum, sed tantum pars subiectiua totius vniuersalis. Species verò quæ est in medio, est inter genus & indiuiduum, & totum est & pars diuersis comparata: sed pars quidem alterius generis quod est totum ad ipsam. Species enim pars est generis potestate: quia genus non secundum totam suam potestatem est in specie. Totum autem est species, non totius alicuius: quia nihil participat eam secundum partem suæ potestatis, sicut ipsa species participat genus, sed est totum omnibus aliis indiuiduis: quia ipsa species, vt dicit Boëtius, totum esse est indiuiduis. Nec referuntur indiuidua ad speciem vt partes ipsius, sed potius vt singularia secundum totum esse & potestatem, in se habentia speciem & participantia.

Compendiosè ergo dicendo generalissimum quidem de omnibus sub se secundum suam coordinationem positis speciebus, generibus, & indiuiduis dicimus siue prædicanius. Genus autem subalternum, quod ante specialissimum de omnibus specialissimis & indiuiduis prædicamus. Species autem prædicamus de indiuiduis omnibus sub se positis. Indiuiduum verò de vno solo non propria prædicatione prædicamus. Indiuiduum enim sub descriptione nominarum Socrates, vel in accidentibus hoc album vel hoc nomen per demonstrationem vel per circumlocutionem manifestioris loquelæ Sophronici filius: si enim plures haberet, tunc tali circumlocutione non discerneretur Socrates. Indiuidua ergo voce discretionis dicuntur huiusmodi; quoniam quantum ad suam discretionem ex talibus proprietatibus consistit vnumquodque eorum, quorum collectio nunquam in alio eadem erit. Socratis enim discretiua proprietas nunquam in aliquo alio esset particulari homine. Hæ verò proprietates quæ sunt communes proprietates, erunt eædem in pluribus. Illæ enim sunt proprietates communis & non singularis secundum quod singulare est. Et, vt plus dicatur, communis hominis proprietates sunt in omnibus in quibus est vna natura

Compēdium dictorum in hoc cap.

communis: participantia enim naturam communem, participant etiam propriam illam naturam consequentia. Tales ergo hominis communes proprietates erunt in omnibus particularibus in eo quòd homines sunt. Secundum ergo prædictum prædicabilium ordinem continetur individuum sub specie. Species autem sub genere. Est enim genus totum quoddam inquantum genus est. Individuum autem secundum quod individuum est, pars quædam. Species verò est & totum & pars. Sed pars quidem est alterius, hoc est, generis quod secundum partem suæ potestatis participat: totum autem non est alterius quod ipsius partem participet, sed est totum aliis: partibus enim totum est, quarum quælibet ipsum totum participat.

Quod autem ea quæ de genere & specie dicta sunt adinuicem propter correlationem dependeant, vno epilogo patet: de genere quidem & de specie quid generalissimum, & quid specialissimum, & de aliis quæ eadem sunt genera & species sicut subalterna. Adhuc autem quæ etiam sint individua, siue certa, siue vaga, vel per demonstrationem vel circumlocutionem certificata. Adhuc autem quot modis genus dicitur, & quot modis species dicitur, quantum ad præsentem spectat intentionem logicam, sufficienter dictum est. *Epilogus.*

TRACTATVS V.

De differentia.

CAPVT I.

De distinctione nominis differentiæ quod multipliciter dicitur.

Ratio ordinis differentiæ.

CONSEQVENTER de vniuersali quod differentia vocatur, pertractare est. Hæc enim quia constituit speciem, & prædicatur de specie & de ratione diffinitiua ipsius speciei, ideo ante speciem erat ponenda, nisi obstitisset correlatio adinuicem speciei ad genus, & generis ad speciem, quemadmodum in præhabitis dictum est. Antequam autem notificemus differentiam quæ sola vna est de quinque vniuersalibus, & determinemus de ipsa, oportet nos distinguere multiplicitatē nominis differentiæ: hæc enim multipliciter dicitur secundum prius & posterius.

Differentia causa est analogæ.

Differentia igitur multipliciter dicitur, vt dicit Auicen. non sicut genus & species: quia in genere & specie primo fuit vsus horum nominum in physicis & politicis, & ab illis hæc nomina ad vsum philosophiæ sumpta sunt. Sed in differentia factum est è conuerso. Nomen enim differentiæ primo fuit in vsu Philosophorum: & ab illa transumptum est ad vsum communiter loquentium. Hæc igitur est causa vera, quòd multipliciter dicitur nomen differentiæ, communitet scilicet, propriè, & magis propriè.

Differentia communiter dicta.

Communiter autem dicitur differentia, quæ est apud communiter loquentes considerando ea quæ sensibus primo obiiciuntur. Communiter ergo alterum ab altero differre differentia dicitur, quando vnum ab altero alteritate quadam cuiuscumque cōmuniter apprehensibilis accidentis differre dicitur, quocumque modo secundum omnia genera formarum accidentium. Nec tales differentiæ communes ideò dicuntur, quia rebus insint communiter quas faciunt differre: si enim sic esset, non dicerentur differentiæ, sed conuenientiæ. Sed dicuntur differentiæ communiter, quia à communiter loquentibus sunt in vsu. Vulgus enim assignando differentias rerum, talibus res differre facit, qualia forinsecus in rebus per sensum communiter apprehendit. *Remouet dubium.*

Differentia verò communiter, propriè & magis propriè.

Sic autem in tali differentia individuum vnius speciei differt ab alio individuo eiusdem speciei, vt Socrates à Platone differt accidentium sensibilium alteritate quadam, sicut dicit Apuleius, quòd Plato latus fuit facie, Socrates autem non. Hac etiam differentia vnum individuum vnius speciei differt à seipso in duobus temporibus, sicut Socrates iam vir vel senex existens, differt à se puero per accidentia iuuentutis & senectutis, quæ non citò derelinquunt subiectum. Sic etiam Socrates differt à seipso quando aliquid facit, scribit, vel legit, quiescente seipso à tali opere, quæ sunt accidentia citò separabilia. Et vt generaliter dicatur, hæc differentia semper consideratur secundum aliquem modum diuersimode se habendi ad seipsum, vel ad alium alteritatibus quibuscūque: vel cuiusliber generis accidentia citò vel non citò separabilia. Hæc igitur est acceptio differentiæ secundum intentionem nominis dicta apud communiter loquentes: propter quod etiam communis vocatur differentia, hoc est, quam attendunt communiter loquentes. *Plato latus fuit facie, Socrates autem non.*

Differentia propriè dicta.

Iuxta istum modum magis vicinè ad verum modum accipitur differentia quæ vocatur propria: eò quod ei in quo est, per causam connaturalem est appropriata, vt quando vnum differre dicitur ab altero per accidens inseparabile: quod ideò inseparabile est, quia causam haber

Propriæ autem differentiæ alterum ab altero dicitur.

habet quæ est in subiecto in quo est, sicut est nasi simitas in simo, cuius nasus simiæ cõparatur: vel cicatrix aliqua indurata vel inseparabilis, cũ ex vulnere orealuerit: simitas enim inest per naturam: sed cicatricem habens differt ab eo qui cicatricem non habet, & aliquando idem cicatricem habens nunc à seipso antequam cicatricem haberet. Hæc autem dicitur propria: quia per aliquam rationem accedit ad illam, quæ verò nomine differentia vocatur: hæc enim quamuis non sit de essentia eius in quo est & quod differre facit, habet tamen causam in essentialibus ipsius siue sint essentialia complexioni, siue sint essentialia compositioni ipsius, & sic accedet ad veræ differentiæ rationem. Quando autem dicimus, quòd talis differentia causam habet in subiecto in quo est, & quod differre facit, non intelligimus de subiecto quod est specie tantum, sed de illo in numero subiecto in quo est id quod differre facit, sicut simitas in naso, vel claudicatio in tibia. Hanc differentiam considerare per rationem necesse est: & ideò iam ad vsum verum differentiæ (secundum modũ quo philosophia vtitur differentia) appropinquat.

Differentia magis propriè dicta. Magis propriè differre alterum ab altero, &c.

Secundum autem modum magis & maximè proprium alterum ab altero differre dicitur: quoniam sub alia & vniuersali & specifica differentia differt, sicut differt homo ab equo specifica differentia: quæ quidem differentia est qualitas essentialis hominis, quæ ratio dicitur. Hæc enim differentia quamuis sit forma essentialis hominis, tamen est qualitas naturalis generis & perfectiua potentiæ ipsius & determinatiua communitatis & confusionis eius, vt dicit Auicen. & ideò substantialis est speciei, & substantia & principium substantiæ sicut forma: & perfectiua est materiæ, & determinatiua confusionis eius, & principium rei quæ composita est ex materia & forma.

De quo significato prius dicitur nomen differentiæ. Igitur ista distinctio differentiæ vel diuisio est multipliciter dicti per analogiam ad vnum actum qui est facere differre vnum ab altero: qui quidem conuenit veræ, hoc est, secundum veram rationem differentiæ magis propriæ, aliis autem secundum quòd plus vel minus faciunt differre. Et ideò prima differentia vocatur simpliciter ea quæ dicitur magis propria, secundariò illa quæ vocatur propria, tertiò autem illa quæ vocatur communis. Quoad nos autem per prius dicitur differentia quæ communis est: propter hoc quod prima facie notitiæ nostræ se obiicit. Secundariò autem dicitur ea quæ dicitur propria: quia minus communiter est apprehensibilis. Vltimò verò quæ paucioribus substantia & intellectu vtentibus innotescit.

Hac igitur diuisione sic posita, per proprios effectus vniuscuiusque membri declaremus partes hoc commune diuidentes quod est differentia. Dicamus igitur, quòd in hoc conueniunt duæ primæ, ea scilicet quæ est communiter differentia, & ea quæ est propriè vocata differentia, quod id in quo sunt & differre faciunt per id quod est causa differentiæ, non faciunt suum subiectum nisi solum alteratum quando cuiliber subiecto aduenium. Illa autem differentia quæ est magis propria per id quod est causa differendi, facit aliud in substantia esse id quod differt ab eo à quo differt.

Concluditur ergo proprius effectus differentiarum, quòd differentiarum quædam per id quod faciunt differre, faciunt alteratum esse solum id quod differt ab eo à quo differt. Aliæ verò per id quod differre facit, faciunt aliud in substantia esse quod differt ab eo à quo differt. Huius autem causa est, quia differentia communis & propria non faciunt differre nisi per accidens, quod aut habet causam in subiecto, aut non habet causam in subiecto: & quocunque modo sit accidens, nullo modo potest esse perfectiuum vel constitutiuum substantiæ: & ideò per se non potest facere aliud: quia aliud non est nisi quod secundum substantiam est aliud. Et quamuis simum & aquilum sit aliud per substantiam nasi: hoc tamen non est per simitatem & aquilinitatem quæ sunt accidentia, sed potius per diuersitatem substantiæ simi nasi, & per substantiam nasi aquilini: sicut risibile & hinnibile differunt per substantiam, sed huius differentiæ non est causa risibile vel hinnibile, sed formæ specificæ, & differentiæ substantiales, quibus substantialiter differunt homo & equus.

Ex hoc autem iterum surgit istarum differentiarum diuidentium manifestatio, quòd illæ quidem differentiæ quæ faciunt aliud in substantia & specie per id quod facit differre, dicuntur esse specificæ differentiæ, hoc est, ad speciem pertinentes & in specie constituentes. Illæ verò quæ alteratum solum faciunt, dicuntur simpliciter differentiæ: non ita quòd nomen differentiæ prædicetur simpliciter de illis ratione absoluta & perfecta, sed quia super nomen differentiæ nihil addunt quod ponat eas in formam veræ & propriæ differentiæ: sicut cum dicimus, quòd ens in potentia dicitur simpliciter ens, non ita dicimus hoc, quòd ens in potentia entis simpliciter habeat nomen vel rationem, cum sit ens secundum quid & non simpliciter: sed dicitur ens simpliciter, hoc est, sine determinatione alicuius per quod ad ens actu trahatur & determinetur. *simpliciter pro sine tali addito.*

Hoc autem quod dictum est manifestatur exemplariter: quia huic generi quod est animal, rationale adueniens in diffinitione hominis vel Dei facit id quod in substantia est alicuius aliud ab eo à quo differt per illam differentiam, facit enim rationale animal, & facit speciem subalternam animal. Illa verò quæ est communiter differentia per id quod est causa differentiæ, vt mouendi quo differt aliquis à quiescente, non facit nisi alteratum & non aliud, quantum est de eo quod est causa differentiæ quod est separabile accidens. Concludit ergo, quòd quædam differentiarum facit aliud secundum substantiam, quædam autem non facit nisi alteratum.

Corolla vtilitas, quòd hic liber sit vtilis ad diuisiones & diffinitiones. Ex his igitur ostenditur, quod in proœmio istius libri dictum est, quod scilicet notitia vniuersalium valet & vtilis est ad diuisiones & ad diffinitiones: quia secundum differentias quæ faciunt aliud, diuisiones faciunt generum in species: & secundum easdem & per easdem diffinitiones specierum assignantur, eò quod

diffinitiones veræ sunt ex genere & talibus differentiis. Sed secundum eas quæ solum faciunt alteratum & non aliud, alteratio sola in accidente cõsistit generaliter dicta secundum omne accidens & secundum aliquem modum se habendi per mutationes secundum omne genus prædicamenti, siue in ipso sit motus per se, siue ad ipsum sit motus per accidens. Alteratio enim propriè solum est in vna specie qualitatis quæ est passio vel passibilis qualitas. Motus autem per se non est nisi in tribus prædicamentis quæ sunt qualitas, quãtitas, & vbi. Per accidens etiam in omnibus est, vt dicit Aristot. in 5. physic. & hoc modo dicimus communiter sumi penes alterationem accidentalem quamcunque siue sit per se siue per accidens: quia sequitur actum differentiæ, qui est differre facere vnum ab alio, vel idem à seipso.

Tex. com. 6.

Nota, quòd accidentia communia vel propria possunt tripliciter considerari.

Sumuntur enim differentiæ istæ ab accidẽtibus communibus siue propriis. Et huiusmodi accidentis triplex consideratio est: si enim in se consideretur, tunc est accidens vel proprium, quæ sunt duo de quinque vniuersalibus è diuerso diuidentia cum differentia hoc commune quod est vniuersale: & sic nec differentia est accidẽs, nec proprium. Considerantur etiam in comparatione ad subiectum in quo sunt, & sic sunt comparata ad sua singularia de quibus prædicantur: & est similis comparatio sicut speciei ad individua. Considerantur etiam secundum quod per ea est conuenientia vel differentia ad illa comparata, & sic ab ipsis sumuntur duo differentiæ modi, qui sunt communis, & propria differentia.

Forma specifica potest considerari tripliciter.

Illa autem differentia quæ facit aliud, sumitur à forma specifica, quæ etiã tripliciter consideratur, in se scilicet prout est substantia quæ est forma substantiam faciens, & prout est in specie constituta, & sic est specificata: & prout per ipsam id quod ea formatum est comparatur ad aliud secundum conuenientiam vel differẽtiam, & hoc solum modo differentia vocatur, primo autem modo forma, secundo verò modo species, secundum quam species vnũ est quinque vniuersalium, diuidens hoc commune quod est vniuersale cum differentia & aliis vniuersalibus.

Differentia quæ est vniuersale quid sit secundum alios.

Et ista quidem differẽtia est vnum ex quinque vniuersalibus, cuius assignationem secundum diffinitionem primam dat Auicenna dicens, quòd est vniuersale simplex prædicatum de specie in quale quid. Hæc enim est differentia magis propriè vocata differentia, quæ aliud facit, & non alteratum. Dico autem alteratum vel qualitate accidentali vel essentiali. Sed differentia magis propria non tantum alteratum, sed etiam facit aliud, quia alteratum qualitate essentiali aliud factum est. Hæc est igitur differentia magis propria, quæ est vnum de quinque vniuersalibus in quale prædicatum de specie: eò quod differentia qualitas substantialis est generis: sicut qualitas non substantialis, sed ex substantialibus manans siue fluens, est proprium: & sicut qualitas individui accidentalis non ex substantialibus fluens, est accidens commune.

Alteratum dupliciter sumitur, vel qualitate essentiali, vel qualitate accidentali.

Obiectio.

Nec valet argumentum si quis obijciat, Differentia substantialis facit alteratum: id autem quod alteratum facit, est accidens proprium: ergo differentia substantialis est accidens vel proprium. Quia alteratum esse contingit dupliciter, qualitate scilicet essentiali, vel accidentali. Arguit autem ac si solum qualitate accidentali fieret alteratum. Hæc omnia autem dicta, sunt ab antiquis sub compendio comprehensa tali modo, quòd differentia cõmuniter, & propriè, & magis propriè dicitur, secundum diuisionem multiplicis, quod medium est inter æquiuocum & vniuocum. Communiter autem differre alterum ab altero dicitur, quando alteritate quadam differt: & quocunque modo cuiuscunque accidentis quod est causa differentiæ vel à seipso in diuerso tempore: differt enim Socrates à Platone alteritate quadam cuiuscunque accidentis quod est in Socrate, & non in Platone. Et ipse Socrates differt à seipso in diuersis temporibus: sicut Socrates iam vir factus, differt à se puero. Sicut Socrates faciens aliquid, differt à seipso quiescente à tali opere. Et causa huius differentiæ est propter aliquẽ modum se habendi in aliquo accidente, quod alteritatibus aliquibus per se vel per accidens inducitur. Propriè autem differre dicitur alterum ab altero, quando inseparabili accidente alterum ab altero differt: & ideò inseparabili, quia causam inseparabilem habet in subiecto: vnde quamuis inseparabile sit actu, tamen est separabile intellectu, eò quod subiectum intelligibile est sine illo, potest enim intelligi nasus siue curuitate, & homo sine risibilitate. Inseparabile autem accidẽs est vt nasi simitas, & cicatrix cum ex vulnere occaluerit. Magis propriè tam alterum ab altero differre dicitur, hoc est, per magis propria & per magis substantiæ intrinseca, quando specifica differentia differt, quemadmodum differt homo ab equo specifica differentia, rationali scilicet qualitate, quæ est essentialis qualitas generis, potentiam generis determinans & perficiens.

Soluto.

Compendiũ dictorum in hoc capitulo.

Et quia hæ differentiæ ab actu differendi dicuntur, quia scilicet differre faciunt, ideo sciendum est, quòd omnis differentia facit alteratum adueniens cuilibet: alteratum dico essentiali vel accidentali qualitate. Sed ea differentia quæ communiter & propriè dicta quantum est de se cum vtraque sit accidens, facit alteratum solum. Illa autem quæ est magis propriè dicta differentia, facit aliud in substantia per hoc quod alteratum facit in qualitate substantiali. Differentiarum quidem igitur aliæ faciunt alterationem siue alteratum tantum: alia verò facit aliud. Illæ quidem quæ faciunt aliud in substantia formali, specificæ vocantur. Illæ verò quæ faciunt solum alteratum, vocantur simpliciter differentiæ sine additione alicuius determinationis, per quam & ad magis & verè propriam differentiam inclinentur. Huic ergo generi quod est animal differentia aduenies quæ est rationale, aliud facit, quia speciem animalis facit, quæ substantia est perfecta in forma & specie. Illa verò differentia quæ est causata per moueri vel quiescere, solum facit alteratum, & non aliud: differt

differt enim qui mouetur à quiescente. Quare hæc quidem differentia magis propria facit aliud. Illa verò communis facit alteratum solum. Secundum igitur differentias aliud facientes diuisiones fiunt generum: & sic diuiduntur genera in species. Et secundum illas differentias diffinitiones assignantur: quia diffinitiones veræ sunt ex genere & huiusmodi differentiis. Secundum autem eas quæ solum faciunt alteratum, alteratio largè & vniuersaliter dicta sola consistit in eo quod aliquo modo se habet aliquid secundum permutationes quascunque quæ in aliquo genere fieri possunt.

CAPVT II.

De manifestatione modorum differentiæ & partium diuisionis præinductæ.

A superioribus ergo rursus inchoandum.

AD manifestationem autem omnium eorum quæ de differentiæ modis dicta sunt, rursum inchoandum est à partibus præinductæ diuisionis, vt omnes partes, tum per effectum, tum per causas, tum etiam per sibi conuenientia manifestentur, vt sic melius intelligatur hoc quod dicendum est de differentia magis propria: hanc enim quærimus secundum intentionem propositam. A superioribus igitur iterum inchoantes dicimus, quòd differentiarum quidem aliæ sunt separabiles, aliæ verò sunt non separabiles. Sed hic dicamus differentias formas esse essentiales vel accidentales, à quibus sumuntur differentiæ, & quæ sunt causæ differentiarum. Moueri enim & quiescere, & huiusmodi citò & facilè separabilia sunt: cum tamen multa adinuicem comparat adifferant illis: id enim quòd mouetur, differt ab eo quod non mouetur: & id quod quiescit, differt ab eo quod non quiescit. Sanum autem esse & ægrum sunt accendentia non citò separabilia, & tamen separabilia: & his differt sanum à non sano, & ægrum à non ægro. Separabilia igitur sunt quæcunque per aliquam causam subiectum derelinquunt facilè vel non facilè, vt sunt ea quæ dicta sunt, & quæ his proxima per similitudinem sunt, & sunt separabilia. At verò aquilum è conuerso & simum esse, quæ sunt accendentia nasi causam stantem & manentem in naso habentia. Simitas enim ex nasi curuatione & medij nasi depressione causatur. Aquilum verò ex retorsione anterioris partis nasi super labium superius causatur, quando medium nasi eleuatur, & cartilago nasi anterius ad modum rostri aquilæ ad superius labium recuruatur. Hæ autem causæ cum sint de nasi compositione, stantes & manentes sunt in naso. Et ideo accidentia ex talibus figuris causata, inseparabilia sunt, quia stante causa quæ est per se causa, stabit effectus. Similiter in qualitate essentiali à qua sumitur differentia, inseparabilia sunt, vt rationale, & irrationale, qui sunt actus & formæ perficientes & determinantes potentiam generis: & ideò causam habent inseparabilitatis tali actu talem potentiam determinandi. Tales igitur & tali de causa sunt differentiæ separabiles & inseparabiles.

Inseparabilium autem aliæ quidẽ.

Inseparabilium autem differentiarum duo sunt modi: quædam enim earum sunt ex his sumptæ, quæ sunt per se de ipsius rei (quæ differre dicitur) essentiali constitutione. Aliæ verò inseparabilium differentiarum sunt per accidens, ita scilicet quòd id à quo sumitur differentia, non est de rei essentia & substantia, sed est inseparabile accidens. Et ideò hic strictius accipimus per se, quam in primo posteriorum determinetur ab Aristot. Ipse enim dicit esse per se siue prædicarum sit de ratione & diffinitione subiecti, siue subiectum in diffinitione prædicati, secundum quem modum per se est hæc, homo est risibilis, nasus est simus vel aquilus. Nos autem per se hîc non vocamus, nisi id quod est essentiale & veniens in rei substantialem constitutionem, vt genus, & differentia. Sic enim rationale per se inest homini & mortale, & per intellectum disciplinæ esse perceptibile, & huiusmodi. Aquilum autem esse vel simum vel risibile esse insunt homini per accidens: non enim est diffinitio nasi vt nasus est depressus in medio, vel repansus in anteriori. In omnibus autem his differentiis vocamus formas, à quibus sumuntur differentiæ, quando res secundum conuenientiam vel differentiam comparantur. Illæ igitur differentiæ quæ sunt per se essentiales, accipiunt in ratione diffinitiua data secundum substantiam rei diffinitæ: quia diffinitio colligit secundum ordinem omnia substantialia rei à prima potentia ipsius in qua esse rei inchoatur, vsque ad vltimum actum ipsius à quo res est secundum quidditatem suam totam.

Per se pro essentiali & strictius quàm in primo posteriorum.

Et quia differentiæ sic dictæ accipiuntur ab hoc quod sunt formæ substantiales & perfectiuæ ipsius esse, ideo faciunt aliud secundum substantiam ab eo à quo differt: quia si vnum completiuum esse substantialis facit vnam substantiam, necesse est, quòd oppositum illius faciat aliam substantiam: quia diuersarum substantialium formarum diuersi & oppositi sunt effectus secundum substantiam. Illæ verò differentiæ quæ sumuntur à formis accidentalibus, quæ esse rei non constituunt, sed potius causantur à subiecto, & esse non habent nisi in subiecto, nec ingrediuntur in ratione diffinitiua substantiæ siue substantialis quidditatis rei, non faciunt aliud secundum substantiam quantum est de se, sed faciunt alteratum solum secundum formam accidentalem.

Remouet dubium.

Vnde quamuis aliquandò non conueniant nisi aliis & aliis secundum substantiam, vt aquilum esse & simum non conueniunt eidem, sed homini, & asino, qui sunt aliud & aliud secundum substantiam: tamen substantiæ alicuius non faciunt, sed potius fiunt ab alia & ab alia substantia secundum formam & naturam.

Et illæ quidẽ quæ per se non suscipiunt.

Adhuc autem & per aliud manifestatur differentia talium differentiarum, quæ illæ quidem differentiæ quæ per se sunt (ita quod sunt sumptæ à substantialibus formis, quæ diffinitionem substantialem perficiunt in eo in quo sunt) non suscipiunt per intensionem magis & minus.

minus. Cuius causa est, quia tales formæ substantiales, simplices sunt, suis oppositis siue contrariis formis non permixti iles, sicut rationale impermixtibile est irrationali, quia formæ à quibus sumuntur illæ differentiæ, humanitas scilicet, & asinitas vel asinitas sunt incommixtibiles. Cum enim fiat intensio secundum accessum ad terminum, ad veram nominis impositionem secundum maiorem vel minorem contrarij admixtionem, vt dicit Arist. 4. topic. c. 9. constat quod illæ forma quæ simplices sunt & nihil de contrario habent admixtum, semper in termino sunt, & ideò intendi non possunt. Illæ verò differentiæ quæ sunt per accidens, ita quòd à forma accidentali sumuntur, quamuis fortè hoc accidens sit inseparabile, tamen suscipiunt intensionem & remissionem.

Obiectio prima. Habet tamen id quod dictum est dubitationem: quia risibile vel rudibile vel aquilum esse vel simum, sunt formæ, quæ permixtibiles inuicem sibi non sunt: & ideo secundum inductam rationem non suscipiunt magis & minus: quod falsum est, quia est simo ior, & aquilo aquilior, & risibili risi ilior, & sic de aliis. Contra quod etiam quidam obiiciunt dicentes, quòd quæcunque æqualiter participant aliquod commune, æqualiter debent participare id quod est illud commune vniuersaliter consequens: participatur autem hoc commune quod est homo æqualiter ab vnoquoque individuorum: videbitur etiam fortè alicui, quòd risibile quod est vniuersaliter consequens hominem, ab vnoquoque homine æqualiter debeat participari. *Secunda.* Adhuc autem etiam illæ quæ sunt per se differentiæ, videntur suscipere magis & minus: videmus enim, quòd est vnus homo rationabilior alio. *Tertia.* Præterea in ethicis quidam vocantur peculiares siue brutales homines, & quidam longius ab vsu rationis remoti vocantur homines arborei: videtur igitur, quòd & differentiæ substantiales magis & minus suscipiant: & sic verum non esse videtur, quod dictum est.

Ad primam & secundam. Duplex est intensio, & duplex intensionis causa. Sed ad hæc omnia respondet Auicenna. Ad primum quidem dicens, quòd duplex est intensio, & duplex est intensionis causa. Vna quidem per contrarij maiorem vel minorem admixtionem, vt dictum est: & illa sunt in quibus motus est de vno ad alterum, sicut est in qualitatibus quæ dicuntur sensibiles qualitates, siue passiones, vel passibiles passiones inferentes, vel illatæ. Cum enim motus sit actus de potentia ad actum, vel forma post formam fluens, vt dicit Auctr. oportet quòd in toto motu actus priuationi permixtus sit: priuatio autem est in contrario: & ideò vnum in toto motu suo contrario permixtum est. Et ideò in talibus intensio est secundum contrarij separationem: per talem enim separationem continuè accedit ad esse in termino cui verè nomen impositum est. Hoc enim nomen album verè albedini est impositum, siue verè albo: verum enim album est, cuius albedo nihil contrarij habet admixtum. Hic ergo vnus modus est intensionis, & hanc quæ dicta est habens causam. Secundus modus est in his quæ permixtibilia non sunt, sed causantur à subiectis in quibus sunt. Hæc igitur quia sunt esse subiecti consequentia, necesse est accidentia esse: quia omne quod sequitur esse subiecti in quo secundum naturam & intellectum est, est accidens: cum omne quod est substantiale alicuius sit principium esse ipsius: principium autem est ante id cuius est principium secundum naturam & intellectum. Taliter autem formæ accidentales sunt ea quæ dicuntur propria, & ab habitudinibus principiorum essentialium causantur. Et ideò illis habitudinibus magis & minus existentibus, necesse est etiam tales formas intendi vel remitti: propter quod habilior ad admirandum, risibilior est: & minus ad admirandum habilis, minus risibilis est: & nasus curuior, est simior: & minus curuus, minus est simus, & sic de aliis. Et in his formis non est motus, sed sunt suorum subiectorum motus quosdam consequentes, sicut motum quendam nasi sequitur simum esse vel aquilum, & sic est in aliis. Omnes enim sequuntur suorum motus ac mutationes subiectorum, & ex illis suscipiunt magis & minus, & non ex seipsis.

Ad tertiam. Ad hoc autem quod de differentiis essentialibus & substantialibus obiicitur, soluit Auicen. sic, quòd forma substantialis à qua sumitur differentia, tripliciter consideratur, scilicet vt forma esse conferens: & vt differentia, quia vna species comparatur ad aliud alterius speciei: & vt actionis naturalis siue substantialis principium. Et primo quidem modo magis & minus non suscipit. Tertio autem modo consideratur actio cuius ipsa est principium, dupliciter, scilicet ex parte formæ quæ actionis est principium: & ex parte subiecti siue ex parte compositi, cuius ipsa actio est sicut agentis proprie. Et primo quidem modo magis & minus non suscipit. Secundo autem modo aliquando habet in subiecto ea quæ ad agendum promouent: aliquando autem quæ ad agendum impediunt. Et hoc modo secundum actionem videtur magis & minus suscipere. Et hoc est per accidens, & non per se. Et ideò per se nec magis nec minus suscipiunt. Hoc autem per inductionem probatur: quia nec genus secundum magis & minus prædicatur de eo cuius est genus: cum tamen genus sit forma quæ est notio eius quod est in potentia. Non enim animal secundum magis prædicatur de homine, & secundum minus de asino, sed æquè de vtroque. Nec differentiæ generis quæ diuidunt genus & cum genere constituunt speciem, secundum magis & minus prædicantur de speciebus quarum sunt differentiæ: quia homo non est magis rationale, & asinus minus irrationale, sed æquè. Illæ enim differentiæ sunt, quæ vniuscuiusque speciei complent rationem diffinitiuam, & sunt actus complentes esse ipsius. Esse autem vniuscuiusque substantiale siue dicatur nomine generis secundum quod est in potentia, siue significetur nomine differentiæ secundum quod est in actu, est vnum & idem non suscipiens magis & minus secundum quod est effectus substantialium principiorum. Sic enim nec intensionem nec remissionem suscipiens est. Sed aquilum esse vel simum vel coloratum esse, aliquo

Forma substantialis à qua sumitur asserentur, tripliciter cõsideratur. Vt forma esse conferens. Vt differẽtia. Vt naturalis actionis principium.

Licet forma substantialis vt dat esse & vt facit differẽ substantialiter, non suscipiat intensionem: tamẽ vt naturalis actionis principium bene intenditur, & maximè ex parte subiecti sui.

aliquo modo intensionem vel remissionem suscipiunt: eò quod, sicut dictum est, plures modi sunt intensionis & remissionis.

Completum dictorum in hoc capitulo. Declaratum est igitur, quòd à superioribus rursus inchoanti dicendum est differentiarum alias quidem esse separabiles, alias autem inseparabiles. Moueri enim & quiescere & sanum esse & ægrum & omnia quæ his proxima sunt & à talibus facile vel difficile mobilibus sumuntur accidentibus, sunt separabiles siue separabilia quædam. At verò aquilum vel simum esse, vel rationale vel irrationale, siue ab accidentibus separabilibus, siue à formis substantialibus sumptæ, sunt quædam inseparabilia. Inseparabilium autem differentiarum, aliæ quidem sunt per se, hoc est, à formis substantialibus sumptæ. Aliæ verò per accidens, hoc est, ab accidentibus inseparabilibus sumptæ. Nam rationale per se, hoc est, per substantialem formam inest homini, & mortale, & perceptibile disciplinæ. At verò aquilum esse vel simum, vel risibile, secundum accidens inest homini, & non per se. Illæ igitur differentiæ quæ per se insunt, in subiecto ratione diffinitiua accipiuntur, & faciunt aliud secundum substantiam ab eo à quo faciunt differre. Illæ verò quæ sunt secundum accidens, nec accipiuntur in substantiæ ratione diffinitiua, nec de se faciunt aliud, sed alterarum solum. Et illæ quidem quæ per se sunt & substantiales, non suscipiunt magis & minus. Illæ verò quæ sunt per accidens, quamuis inseparabiles sint, tamen aliquo modo intensionem suscipiunt & remissionem. Nam neque genus cum sit forma substantialis secundum magis & minus prædicatur de eo cuius fuerit genus. Similiter neque generis differentiæ secundum quas diuiditur genus: ipsæ enim sunt, quæ vniuscuiusque rationem complent diffinitiuam, & non suscipiunt magis & minus. Cuius causa est: quia esse quod est rei quidditas vniuscuiusque, vnum & idem est secundum quod à principiis essentialibus formaliter constituitur. Sic enim nec intensionem nec remissionem suscipiens est, quamuis secundum quod est in subiecto, per diuersas materiæ præparationes in accidentibus magis & minus impeditum vel expeditum sit. Aquilum autem esse vel simum vel coloratum, aliquo modo siue per mixtionem contrarij, vel per causam quam habent in subiecto, intenduntur, vel remittuntur.

CAPVT III.

Qualiter differentiæ substantiales sunt constitutiuæ, & qualiter sunt diuisiuæ.

Cum igitur tres species differentiæ considerentur. OMnibus autem diuisionibus & speciebus differentiarum sic determinatis illa sola differentia est vnum de quinque prædicabilibus, prout hîc de vniuersalibus intendimus, quæ est per se & substantialis differentia. Hoc autem sic probatur: quia cum tres modi differentiæ, vt prædictum est, considerentur, scilicet communes, propriæ, & magis propriæ. Adhuc autem cum quædam quidem sint separabiles, quædam autem inseparabiles propter rationem quæ in antehabitis dicta est. Et rursus cum inseparabilium differentiarum quædam quidem sint per se, quædam per accidens, vt nuper dictum est. Patet quòd si eas quæ sunt per se consideremus per comparationem ad ea quorum sunt differentiæ: inuenemus, quòd per se differentiarum quædam sunt secundum quas diuidimus genera in species, potestatem & non essentiam generis diuidentes. Essentia enim generis in omnibus per diuisionem acceptis integra manet & indiuisa in quolibet potestas autem partitur, & secundum aliquid eius est in vno diuidentium, & secundum aliquid manet in alio, & in nullo secundum totum. Aliæ autem earum differentiarum quæ per se & substantiales sunt, tales sunt secundum quas ea quæ per diuisionem generum accepta sunt, specificantur.

Essentia generis non diuiditur per differentias, sed solum potestas.

Hæc autem diuisio differentiarum per se non nisi modi diuisio est: qui modus sumitur à proprio differentiæ effectu. Si enim differentia in oppositione actuali accipitur ad id à quo facit differre, pro certo hoc modo diuisiua est & separatiua. Oppositio enim diuidit & separat: nec potest esse vna & eadem potestas oppositorum secundum actum acceptorum. Si autem accipiatur differentia vt actus completiuus actu potentiæ generis & determinatiuus: sic differentia, generi & potentia educiens, in speciem genus determinat, & constituit speciem. Si autem forma à qua sumitur differentia, in se secundum id quod est consideratur: eadem differentia est quæ genus diuidit, & speciem constituit. Sed tamen secundum rationem prius est differentia diuidens, quam differentia constituens: quia oportet, quòd differentia prius per diuisionem quam facit à genere exeat, antequam aduenien genero speciem constituat.

Hoc autem facilius scitur si exempla subiiciantur. Per se enim differentiæ omnes sunt huiusmodi, animatum, inanimatum, per quæ diuiditur corpus: sensibile, insensibile, per quæ diuiditur viuum: rationale, irrationale, per quæ diuiditur animal: mortale, & immortale, per quæ diuiditur rationale animal, & sic de omnibus aliis quæ à formis substantialibus sumuntur, & sunt notiones eius quod est secundum substantiam, etiam illæ eædem sunt constitutiuæ: quia illa quæ erit animati sensibilis, ita quod animatum sensibile determinetur per actum essendi, erit differentia constitutiua animalis: est enim animal per diffinitionem substantialem substantia animata sensibilis, planta autem substantia animata insensibilis, lapis autem substantia inanimata insensibilis. Ea verò differentia quæ est mortalis immortalis, & rationalis irrationalis, sunt differentiæ diuisiuæ quidem animalis: quia per ea genera animalium diuidimus in species duabus sibi succedentibus diuisionibus sic, Animalium aliud mortale, aliud immortale: aliud rationale, aliud irrationale. Per has ergo animalis species per diuisionem accipiunt. Sed hæ

quidem differentiæ eædem quæ pet sui oppositionem diuisiuæ dicuntur generum, sunt & completiuæ & constitutiuæ specierum, quando vna earum sumitur vt complementum potentiæ generi aduenicns: tunc enim cum ex potentia & actu compositum completum sit & perfectum, species constituta sic completa est. Diuidimus enim primò hoc genus quod est animal rationali & irrationali differentiis, potentiam animalis in duo partientes: & rursus rationale animal diuidimus oppositis differentiis, mortali scilicet & immortali, & eisdem differentiis constituimus species animalis, quia differentia quæ est rational s coniuncta cum ea quæ est mortalis, constitutiuæ sunt hominis, cum genere coniunctæ quod est animal. Est enim homo secundum diffinitionem quæ dicit esse substantiale, animal rationale mortale: opposita autem differenria quæ est immortale, coniuncta cum animali rationali, constitutiua est dei secundum quod de diis Stoici locuti sunt. Quos etiam diffiniunt, quòd dij sunt natura optimi, sicut dicit Socrates, natura animales, mente rationales, tempore autem æterni. Illæ verò quæ sunt differentiæ dictæ irrationale & mortalé, cum genere coniunctæ, constitutiuæ sunt specierum animalium irrationalium, vt asini, & leonis, & aliorum brutorum animaliurn.

Diffinitio eorum secundum Stoicos.

Quamuis autem in infimis generibus subalternis magis sit perspicuum ad videndum: tamen supremæ & supremorum generum differentiæ per eundem se habent modum, sicut differentiæ per quas diuiditur substantia quæ est generalissimum: sicut si dicimus illas esse differentias, quibus differunt animatæ substantiæ ab inanimatis, cum dicitur, substantiarum alia est animata, alia est inanimata: siue non proximas accipiendo dicimus, quòd substantiarum alia est sensibilis, alia insensibilis: eædem enim erunt inferiorum specierum constitutiuæ: differentia enim animata & sensibilis ad substantiam sicut ad genus congregatæ & adiunctæ vt actus ad potentiam, animal perficiunt, quod est species substantiæ: est enim animal per diffinitionem substantia animata sensibilis. Substantia enim quamuis aliquando diuidatur per corporeum & incorporeum: tamen non est propria diuisio: quia corporeum propriè mathematicum est, quòd propriè loquendo non est substantia. Et ideò hic non tali vtimur diuisione. Corpus autem animatum & inanimatum dicimus differentias.

Quidam impugnant per id quod Aristot. in libro de anima dicere videtur, quòd partes animalium quorundam anuloforum animatæ sunt, & quod nosi conual. scant, causam esse, quia organa nutrimenti non habent in partibus, vt os, & stomachum, & vniuersaliter ea per quæ fit cibi digestio & egestio: partes tamen illæ non sunt animalia. Non igitur esse animatum sensibile animal esse videtur: quod est contra ea quæ dicta sunt. Hæc autem obiectio nihil valet penitus: & si valeret, naturalis esset, & nihil faceret ad propositam intentionem. Est enim animatum simpliciter sensibile, & est animatum sensibile secundum quid. Simpliciter quidem animatum est, cuius endelechia est anima, quâ fiunt virtutes siue potentiæ particulares particulariter in membris, vitam & motum & sensum operantes: & esse sic animatum est animal. Animatum autem secundum quid est, in quo sensus & motus est per spiritum & fluxum ab anima, qui cum expirat, deficit sensus & motus. Causa autem expirandi est: quia organa reficientia & restituentia spiritum non habet. Restituuntur autem spiritus per nutrimentum in organis in nutrimento operantibus: & hæc quia non nisi secundum quid animata sunt, ideò animalia non sunt. Animatum igitur quod simpliciter animatum est, nihil prohibet differentiam animalis esse constitutiuam.

Obiectio. in 2. text. com. 10.

Solutio.

Animatum dupliciter

simpliciter & secundum quid.

Auicenna etiam hanc differentiam quam mortale diximus impugnare videtur, dicens quòd à priuatione non tantum secundum nomen, sed etiam secundum rem nomen accipit. Priuatio autem non est forma. Cum igitur omnis differentia à forma aliqua sumpta sit, videtur mortale differentia non esse. Ad hæc autem ipsemet Auicenna videtur respondere, quòd ea quæ pro differentiis hic assignantur, gratia exempli ponantur: & non est vis de nomine, dummodo per nomina res quocunque modo designentur. Sed aliter dicendum est, quòd mortale dicitur dupliciter. Vno quidem modo dicit actum in materia priuationem eiusdem actus secundum potentiam concipientem: & sic mortalis est forma substantialis, & notio eius quod potentiam habet ad moriendum: & sic dictum mortale nihil prohibet esse differentiam, quando per talem formam ad sui oppositum vel disparatum secundum eandem formam comparatur. Dicitur etiam mortale simpliciter, in quo est priuatio potentiæ ad vitam perpetuam: & sic ab eo non sumitur differentia. Cum autem dicitur irrationale & immortale differentiæ quæ per priuationes importantur in nomine, positiones intelliguntur formarum oppositarum à quibus sumuntur differentiæ. Et quia horum nomina non habemus, ideo necesse est, quòd eas priuatione suorum oppositorum significemus.

Alia dubitatio, & est Auicen.

Aliter.

Quomodo mortale est differentia hominis.

Ex his omnibus patet, quòd eædem secundum quod sunt differentiæ, acceptæ alio & alio modo, & ad aliud comparatæ, sunt & constitutiuæ & diuisiuæ: & omnes siue diuisiuæ siue constitutiuæ vocantur specificæ, quæ cum suis generibus coniunctæ faciunt species & subalternas & specialissimas. Et his differentiis quia per se sunt & substantiales maximè opus est ad diuisiones generum quæ in suas potestates particulares diuiduntur. Et hæ etiam perutiles sunt ad specierum diffinitiones, quæ omnes tales à prima vsque ad vltimam cum genere colligunt ad speciei plenam diffinitionem, quæ diffinitio non esset, nisi à primo vsque ad vltimum finem (in quo complementum est) omnia essentialia per debitum ordinem congregaret, secundum quod res à prima inchoatione sui esse procedit vsque ad vltimum complementum. His autem differentiis quæ sunt secundum accidens inseparabiles, quia de esse rei non sunt: & his quæ sunt secundum accidens separabiles, quæ longius sunt ab

Quoniam eædem alio modo quidē acceptæ fiunt.

ab esse rei quam inseparabiles, non vtimur ad generum diuisiones & diffinitiones specierum: & ideo non sunt de hac nostra intentione, nisi illæ quæ per se sunt & substantiales.

Obiectio.

Ad hæc tamen quidam obiiciunt dicentes, quòd esse rei mortalis immaterialis est, quæ propter contrariorum commixtionem in continua est passionum alterarione. Omnis autem passio magis facta, abiicit à substantia: propter quod dicit Aristot. in 5. physic. quòd non est eadem sanitas in mane & vespere. Videtur, ergo, quòd etiam esse rei intenditur & remittitur: & similiter rei essentialia principia, & sic non videntur differentiæ esse quæ dictæ sunt: quia non secundum esse æquè participantur ab his, quorum sunt vt subiectorum. Adhuc ad idem inducunt, quòd si esse rei staret secundum esse vnum & idem penitus: tunc secundum esse non susciperent designationem præteriti & futuri, sed præsentis tantum. Et hoc præsens esset instans & non mouens se: & sic dicere non possemus, homo fuit, & homo erit, sed tantum homo est. Et ad hoc quidem dicendum est, quòd esse rei dupliciter consideratur, si secundum comparationem ad id in quo est, & cuius esse est: & secundum comparationem ad id à quo est formaliter constituente ipsum. Et primo quidem modo esse mobilis mobile est, & esse temporalis est temporale: & hoc esse non est omnino idem mane & vespere ex parte eius in quo est. Sic autem est & mobile & temporale, aliquid abiiciens, & aliquid suscipiens continuè secundum quod determinatur ad præteritum & ad futurum. Secundo autem modo consideratum est essentiæ simpliciter actus: quæ, inquam, essentia secundum se incorruptibilis est & ingenerabilis: neque generatur, neque corrumpitur, nisi secundum accidens: & sic esse immobile est & intemporale. Differentiæ autem cum ab actu differendi quem faciunt, dicũtur, sumuntur ab esse quod sic ambo hæc habet, scilicet quòd est actus essentiæ in eo quod est: & ideò vtroque modo designantur.

Tex. com. 17.

Solutio.

Esse rei dupliciter consideratur.

Compẽdium dictorum in hac cap.

Hoc igitur est, quod antiqui sub compendio de differentia dixerunt, quòd cum tres species siue tres modi differentiæ considerentur, & cum hæ quidem sint separabiles, illæ vero inseparabiles: & rursus cum inseparabilium quidem hæ sint per se siue substantiales, illæ verò per accidens à formis accidentalibus sumptæ: & rursus earum quæ per se sunt differentiarum, aliæ sunt secundum quas diuidimus genera in species, aliæ verò secundum quas ea quæ diuisa sunt genera specificantur: sicut cum per se differentiæ omnes huiusmodi sint in prædicamento substantiæ: animatum, inanimatum: sensibile, insensibile: rationale, irrationale: mortale, & immortale: quæ diuisiuæ sunt generum: ea quidem quæ est animati & sensibilis differentia cum substantia congregata constitutiua est animalis, secundum quod animal est species subalterna: est enim animal per diffinitionem substantia animata sensibilis. Ea verò quæ est mortalis & immortalis differentia, & rationalis & irrationalis, diuisiuæ sunt animalis differentiæ secundum quod animal est genus subalternum: per eas enim diuidimus genera quæ sunt animal, & rationale animal, quod est circumlocutio generis subalterni quod sub animali continetur. Diuidimus, inquam, genera illa in species, aut subalternas, aut specialissimas. Sed hæ quidem eædem differentiæ quæ generum dicuntur esse diuisiuæ, & completiuæ & constitutiuæ dicuntur esse specierum: diuidimus enim animal vt genus rationali & irrationali differentia, & rursus rationale animal diuidimus mortali & immortali differentia: sed eadem quæ est rationalis differentia, & mortalis animalis quidem diuisiua, coniuncta ad genus, constitutiua efficitur hominis differentia. Rationalis verò & immortalis cum genere coniuncta, constitutiua est dei, prout Socrates de diis loquitur, & Apuleius dicit in libro de deo Socratis. Illæ verò differentiæ quæ sunt irrationalis & mortalis, coniunctæ cum genere, animalium irrationalium species sunt constitutiuæ. Sic etiam sunt supremæ substantiæ differentiæ, quæ sunt vocatæ animati siue sensibilis, congregatæ ad substantiam quæ est supremum genus, animal perficiunt quod est species subalterna substantiæ. Quoniam ergo eædem differentiæ aliquo modo acceptæ sunt constitutiuæ: alio autem modo sunt diuisiuæ: omnes tamen dicuntur specificæ & vocantur: quia potius à constitutione accipiunt nomen, quam à diuisione, quia diuisio fit propter constitutionem. Et his differentiis maximè opus est ad diuisiones generum, & specierum diffinitiones: sed non his quæ secundum accidens sumptæ sunt, quamuis sint inseparabiles. Magis autem ad diuisiones & diffinitiones non vtimur differentiis quæ sunt separabiles, ab accidentibus separabilibus sumptis.

CAPVT IV.

Qualiter per differentiam abundet species à genere, & qualiter potestate genus habet differentias.

Prima diffinitio differentiæ quæ est tertium prædicabile.

OMnibus (quæ de multiplicitate differentiæ dicenda videbantur) iam habitis. Nunc intendendum est de differentia secundum quod vnum est de quinque vniuersalibus, & secundum quod de ea intenderunt Philosophi qui Peripatetici dicuntur. Hi enim differentiam determinantes siue describentes dicunt, quòd differentia est qua abundat species à genere. Quod exemplariter simul & inductiue probant: quia homo cum sit species tantum, & non genus, plus habet ab animali (quod est genus hominis) rationale & mortale quæ sunt differentiæ. Animal enim secundum quod est genus, neque ipsum secundum se acceptum, actu aliquid horum est. Neque enim animal est rationale secundum seipsum: quia si secundum se esset rationale vel mortale, sequeretur quòd omne animal esset mortale: quod falsum est secundum ea quæ ante determinata sunt.

Quas etiam determinãtes dicunt, differentia est qua abũdat, &c.

Cum autem dicimus, quòd species differen-

cia

tia vel differentiis abundat à genere, intelligimus, quòd id quod abundat aliquo, habet illud intra se quo abundat & actu & intellectu: ita scilicet quod posita specie intra ipius essentiam, actu speciem constituens, ponitur differentia: & quod intellecta specie intelligitur differentia, & est principium intelligendi speciem: quorum neutrum facit genus. Si enim genus actu haberet differentiam, omnia quæ exiguntur ad speciei positionem haberet. Et si differentia prout est principium intelligendi speciem, esset in intellectu generis, non oporteret, quòd in diffinitione speciei posito genere poneretur differentia: quia in nomine generis intelligeretur, & esset nugatio, quando in diffinitione cum genere poneretur. Igitur differentia nec actu nec intellectu est in genere: in specie autem & actu & intellectu. Differentia igitur est, qua abundat species à genere, siue superat genus & actu & intellectu. Abundat autem actu, vt species sit in actu siue in effectu: intellectu verò abundat, quia est de intellectu speciei differentia, nec intelligi potest in actu nisi per differentiam sine qua non intelligitur nisi in potentia.

Si differentia esset actu in genere: tanta diffinitione communiteretur negatio.

Tali autem assignatione non potest diffinjri neque differentia communis, neque differentia propria. Hæ enim, vt per antedicta manifestum est, non constituunt simpliciter, sed secundum quid, siue secundum esse formæ accidentalis: & ideò non sunt in actu constitutionis in esse specifico, quando sunt in specie: sed sunt in ipsa sicut in subiecto, quod non constituitur ab accidente, sed potius in esse constituit accidens quod est in eo: & hoc est quod dicit Auicen. quòd subiectum est ens in se complectum, quod est occasio alteri, hoc est, accidenti existenti in eo. Hæ etiam differentiæ, communis scilicet, & propria, non sunt de intellectu speciei, sed principium intelligendi eam: quia accidens, vt docet Aristot. in 7. primæ philosophiæ, non diffinit subiectum, sed potius subiectum cadit in diffinitione ipsius loco differentiæ, & non è conuerso: sicut patet cum diffinitur simum, & dicitur, quòd est nasi curuitas. Curuitas enim quod est formale ad simum, est vt genus ambiens & curuitatem in naso & in tibia. Nasus autem in diffinitione illa positus, contrahit curuitatem ad simitatem. Cum igitur differentia in diffinitione sit contrahens genus & determinans ad speciem, patet quòd subiectum est vt differentia: & curuitas quæ formale est, in diffinitione est vt genus: & hoc est ideò, quia accidens capitur à subiecto, & non essentialiter ab eo quod formaliter est in ipso, eò quod essentialitatem propriam à seipso non habet, nec etiam est ens propriè loquendo, sed in hoc habet entitatem, quia est entis vel mensura vel dispositio vel aliqua alia passio ipsius. Planum igitur est, quòd assignatio nec conuenit communi, neque propriæ differentiæ, sed tantum ei quæ est magis propria & per se & per essentiam differentiæ.

Quomodo diffinitio differentiæ propriissimè dictæ non cognoscat differentiam communem, nec propriam.

Subiectum ponitur in diffinitione accidentis vt differentia.

Dubitatio.

Si autem quæritur, cum proprium sit qualitas speciei, accidens autem qualitas indiuidui, sicut differentia est qualitas generis, quare differentia quæ est vnum quinque vniuersalium potius sumitur à qualitate generis quam à qualitate speciei vel indiuidui, maximè cum vnum posset comparari ad alterum per qualitatem speciei & indiuidui, sicut per qualitatem generis? Dicendum, quòd differentia in vero actu & effectu differentiæ sumi non posset, nisi ab eo quod verè facit differre, verè autem non facit differre, nisi illud quod facit aliud secundum substantiam formæ, quia ea quæ differunt per materiam, non differunt per verum esse: cum sicut dicit Boëtius, species sit totum esse indiuiduorum. Cum igitur communis & propria differentia non faciant aliud, non potest ab eis sumi verum prædicabile quod est differentia, quod est vnum quinque vniuersalium. Sed remanent simpliciter propria vel accidentia, & secundum quid facientia differre ea quæ secundum ipsa comparantur adinuicem. Differentia autem per se & substantialis secundum respectum quem habet ad subiectum, est forma determinans materiam; & secundum hoc non est prædicabile, sed potius secundum respectum quem habet ad genus, quod diuidit & determinat & habet deducere ad speciem. Et sic diuisio secundum intellectum prior est in ea, quam constitutio: quia diuidendo determinat ad speciem, & constituit eam. Et ideò per actum diuidendi (qui prior est in ea) nomen accipit differentiæ quæ est vnum de quinque prædicabilibus, vt dictum est. Sic ergo patet, quòd assignatio conueniens est, qua dicitur, quòd differentia est, qua abundat species à genere.

Solutio.

Quare differentia quæ est tertium prædicabile potius sumitur à qualitate generis quam à qualitate speciei vel indiuidui.

Quare differentia vt est tertium prædicabilis plus accepit nomen à facere differre quam à speciei constitutione.

Sed his sic determinatis quæstio est, vnde species habent differentias quibus sic abundant à genere? aut enim habebunt à seipsis, aut à nihilo, aut à genere. Et siquidem habent eas à seipsis: tunc idem est constituens seipsum seipso: & sic idem erit faciens & factum, & formatum: eò quod differentia est faciens & formans & constituens speciem. Si enim species à seipsa habet differentiam: tunc oportet, quòd differentia secundum seipsam sit species, & species secundum seipsam sit differentia: quia aliter species à seipsa & secundum seipsam non haberet differentiam: secundum seipsam enim habere, & essentialiter habere idem est.

Dubitatio tertius Nam vnde habent species differentias, &c.

Si autem à nihilo haberet differentiam: tunc sequeretur aliquid fieri perfectum in esse ex nihilo: quod omnes negauerunt Philosophi. Sequeretur etiam, quòd differentia esset ens primum creatum, quod solum fit ex nihilo. Fit enim non suppositio quodam alio per intellectum. Hoc autem falsum est: quia differentia suppositia quoddam aliud supponitur secundum intellectum, sicut patet in hoc quod est rationale: suppositio enim rationali supponitur viuum, & substantia, & ens. Patet igitur, quòd non habet ex nihilo.

Si autem haberet eas ex genere: tunc cum non sit differentia, nisi per oppositionem, eò quod oppositio causa est differendi, sequitur quòd habeat oppositas in genere: non enim est ratio, quòd vna vnius speciei differentia sit in genere, & non alia sibi opposita. Adhuc autem oppositæ natæ sunt circa idem fieri. Si autem sic est: tunc sequitur, quòd oppositæ

Tex. com. 17. 18. & 19.

sita sunt simul in eodem : quod est impossibile.

Solutio Porphyrij. Soluunt autem hoc antiqui Philosophi Peripatetici dicentes, quòd potestate omnes differentiæ positæ sunt sub genere in eodem genere, & à potestate generis sunt in specie, sed actu non sunt simul in ipso genere. Nec est inconueniens, vt dicunt, in eodem potestate esse oppositа. Et sic dicunt, quòd ex hoc non sequitur, quòd ex nihilo aliquid fiat: fit enim ex aliquo quod est in potentia aliquid quod est in actu. Nec etiam sequitur, quòd oppositа secundum actum simul sint in eodem.

Prima obiectio contra solutionem Porphyrij. Hæc autem determinatio Peripateticorum multas videtur habere difficultates. Videtur enim genus actu habere differentias oppositas simul. Istæ enim actu veræ sunt, animal est rationale, animal est irrationale : sicut istæ actu simul sunt veræ, homo est albus, homo est niger : nec essent simul veræ nisi actu animal esset rationale, & actu animal esset irrationale: videtur ergo, quòd in hoc genere quod est animal, simul actu sint differentiæ oppositæ, quæ sunt rationale & irrationale.

Secunda. Sed adhuc quæritur, concesso quòd potestate & non actu oppositæ differentiæ sint in vno & eodem genere, qualis sit illa potestas? aut est materialis, aut actiua, aut formalis, aut finalis : oportet enim, quòd secundum aliquam sit alicuius causæ potestatem. Si enim materialis est : tunc oporteret, quòd per motum vel per mutationem educeretur de illa : quia, sicut dicit Aristot. in prima philosophia, libro 5. Potentia passiua siue materialis, est principium transmutandi ex alio secundum quod est aliud: & tunc oporteret assignare quod esset mouens in educendo huiusmodi potestatem ad actum: eò quòd, sicut vult Aristot. in nono primæ philosophiæ, & Auerr. in commento ibidem, nihil est in potentia in aliquo, nisi quod vno motore educitur de illo ad actum. Quid autem sit mouens ad hoc, quòd potestas generis materialis in actum exeat, à Peripateticis non est assignatum. Posteà quod est in potestate materiali, est sicut in imperfecto. Imperfectum autem causa perfecti esse non potest. Differentia autem causa est perfectionis speciei. Et sic differentia non potest esse in specie à potestate generis (vt videtur) etiamsi dicatur potestate esse in genere. Adhuc autem Peripatetici dicunt, quòd differentiæ in genere sunt potestate. Quæritur igitur, vtrum idem sit habere differentias potestate, & habere differentias potentia? Si enim hoc dicatur esse idem : tunc videtur, quòd differentiæ sint in genere sicut formæ sunt in materia. Materia autem nullo modo causa est, quòd forma sit, vel quod actu sit : & sic videtur, quòd genus nullo modo sit causa, quòd differentia sit, vel quod actu sit. Adhuc autem quæritur, an differentia sit in genere per hoc, quòd genus habet potestate differentias? Si enim in genere sit differentia, cum idem sit esse in genere & esse sub genere, tunc differentia erit generi suppositа. Suppositum autem generi species est. Videbitur ergo differentia species esse, quod omninò falsum est. Adhuc autem si differentia esset in genere, esset vt genus participans secundum essentiam & intellectum : quod omninò est absurdum: quia tunc differentia esset composita ex genere & quodam alio contrahente, quod contrahens non posset esse nisi differentia : & sic differentiæ esset differentia : & tunc idem sequeretur de illa differentiæ differentia, & abire t hoc in infinitum.

Tex. com. 17.

Tex. & com. 7. & 20.

Si autem non est in genere : tunc videtur falsum quod in antehabitis determinatum est: quia decem genera sunt sicut prima decem rerum principia : non enim primum principium in ordine rerum esse potest, ad quod non omnes res illius ordinis reduci possunt : differentiæ enim substantiæ, substantiæ sunt, quia substantiam perficiunt : & tamen ad substantiam vt ad genus primum reduci non possunt, vt videtur per inductam rationem.

Si forte aliquis dicat, quòd sunt in genere potestate secundum potestatem causæ formalis : tunc sequetur, quòd genus sit forma differentiæ : quod penitus est falsum, cum Porphyrius dicat, quòd genus est sicut materia, & differentia vt forma, species autem sicut constituta ex materia & forma. Adhuc autem si genus esset sicut forma, esset genus vt qualitas essentialis. Prædicaretur ergo in quale, & non in quid: quod est contra ea quæ de genere prædeterminata sunt.

Quod autem non sint in genere sicut in potestate causæ finalis, ex eodem probatur: quia in naturis eorum idem est forma & finis secundum rem, quamuis differant secundum rationem suæ causalitatis, quia finis est secundum quod quiescit in ea motus mouentis, forma autem secundum quod dat esse ei, quod est secundum formam.

Quæratur ergo, si sunt in genere secundum potestatem causæ efficientis? Hoc enim videtur dicere quidam: quia quæstio hæc quam fecerunt Peripatetici, vnde habeant species differentias? nihil videtur quærere, nisi de causa efficiente. Si enim detur, quòd sint in genere sicut in potestate materiali differentiæ, adhuc restat quærere, vnde siue quo mouente & educente differentiam de genere ad actum species habeat differentias? & sic videtur differentia esse in genere secundum potestatem causæ efficientis. Si autem hoc concedatur, videbitur accidere inconueniens: quia potestas efficientis per hoc est completa ad agendum, quod agit ad speciem & formam qua ipsum agens est actu. Genus ergo similiter agens ad actum differentiæ, est in actu differentiæ. Et sic genus vt genus habet actu differentias. Et sequitur inconueniens supra dictum, quòd scilicet in eodem essent actu oppositа, quod absurdum est. Videtur ergo, quod nullo modo potestatis differentiæ potestate sunt in genere.

Si forte aliquis dicere velit, quòd sunt in genere sicut in semine siue in causa seminatiua vel causa seminali. Dicit enim Aristot. in secundo physicorum, quòd semen per virtutem seminatiuam quæ in ipso est, in spiritu naturali seminis (præter substantiam sicci & humidi quæ in ipso sunt sicut materia) est causa mouens, siue vnde, siue efficiens : & quod genus hæc duo in se habeat, scilicet subiectum: quod quidem formabile est per differentiam, &

Tex. com. 83.

virtutem

virtutem formatiuam differentiæ, qua ipsum genus formatur ad speciem. Quæratur de ipsa formatiua virtute, vnde sit in genere: non enim genus habet eam à seipso, secundum quod ipsum primum subiectum est: secundum enim quod est subiectum, non est formatiuum, sed formabile, nec de facili videri potest aliquid aliud in genere, à quo concipiat huiusmodi virtutem. Adhuc autem concesso, quòd talis virtus formatiua sit in genere, quæratur, ex quo formet differentiam quam producit in specie? non enim format eam de formabili specie, quod est generis substantia, quia sic formabile & formans essent idem, quod esse non potest. Si autem formet ex alio, quæratur, quid sit illud, & qualiter sit in genere? hoc enim & huiusmodi valdè difficile est inuenire, & ab antiquis videntur esse non tacta per determinationem sufficientem.

Prosilitione auicennis. Primo Metaph. com. 17.

Ad omnia autem hæc determinanda prænotandum est, quod vt dicit Auerro. in commento primæ philosophiæ; genus non est materia, sed forma generalis, & confusa, & indistincta, & diffusa in materia non determinata per formam: quam diffusam formam & confusam vocant quidam formæ inchoationem: propter quam inchoationem formæ in materia diffusam ipsa materia à quibusdam antiquis locus formæ dicebatur, in quo latent formæ: & ideo latentiam formarum principium fecerunt, vt dictum est in physicis: & erat hoc dictum Anaxagoræ: propter quod etiam Aristot. & omnes Peripatetici dixerunt educi de materia omnes formas, & non esse eas à datore extrinseco. Cum autem iam ante probatum sit, quòd forma non prædicatur secundum quod est forma materiæ, nec etiam secundum quod est forma totius, sed prædicatur prout ipsa est notio totius esse, vel in potentia existentis, vel existentis in actu, sequitur necessariò, quòd genus est forma totius existentis in potentia, & quòd nomen generis & res prædicatur secundum quod genus per abstractionem intellectus dicit notionem totius existentis in potentia. Differentia autem dicit notionem actus totum esse determinantis, secundum quod est actu indeterminato: quia aliter prædicari de specie non posset. Species autem dicit notionem totius sic determinati & distincti: & ideò quia quod distinctum dicit & determinatum, in quid & non in quale prædicatur. Similiter autem & genus, quia quid distinguibile dicit, in quid & non in quale prædicatur. Differentia autem, quia actu distinguens dicit, & non distinguibile secundum potentiam, nec distinctum secundum actum, ideò in quale & non in quid habet prædicari. Si autem esset notio differentiæ nomen, quod diceretur distinguere potentia, & non actu distinguens, prædicaretur in abstracto & non in concreto, vt diceretur, quòd homo esset rationalitas, & non rationalis, quod absurdum est.

Quomodo genus habeat se ad differentias.

Dicemus ergo, quod differentiam habet species à genere, & differentia est in generis potestate sicut distinctio in indistincto confuso: sicut color secundum esse formale est in lumine indistincto & confuso diaphani siue perspicui, qui distinguitur non alio quodam distinguente, sed esse formale ipsius eiusdem luminis diffusione determinata ad superiorem determinati corporis: propter quod dicitur, quòd ipsum lumen & ex se & de se format colores secundum esse formale quod est in ipsis. Et hæc est Auicennæ determinatio, sicut colligi potest in prima philosophia ipsius. Propter quod dicitur genus potestate habere differentias potius quam potentia: quia potentia ad esse & non esse indifferens est: potestas autem est potentia stans per actus inchoationem. Et hæc est causa, quare inter genus & differentiam cum in vna & eadem diffinitione colliguntur, non est naturarum diuersarum congregatio: quia si hoc esset, diffinitio esset multa & non vnum. Non tamen hoc dicere intendimus, quòd genus & differentiæ non sint diuersæ naturæ. Sed intendimus, quòd non sunt naturæ diuersorum generum, sicut sunt substantia & accidens, quantitas & qualitas: sunt enim naturæ eiusdem generis ordinabiles ad vnum idem sicut potentia & actus. Nec posset aliquis dicere, quòd actus huius potentiæ esset actus, & non alterius, nisi per aliquid actus esset inchoatus in potentia: neque hæc potentia inchoaret hunc actum, nisi aliquid simile actui esset inchoatum in potentia.

Differentia inter potentiam & potestatem.

Sic ergo & tali potestate genus habet potestate differentias: & non est inconueniens sic habere simul oppositas, quia opposita sibi non repugnant, nisi distincta, non confusa: aut cum omnium oppositorum sit radix vna ex qua oriuntur, non est inconueniens ea sic simul esse in eodem: propter quod generaliter verum est vnum esse genus oppositorum, sicut in Phædone dicit Socrates vnum esse caput omnium oppositorum. Et sic dicit Empedocles multorum capite germanorum in prima confusione fuisse sine ceruice: ceruix enim distinguit capita germana, ita quòd vnũ est vnius, & alterum alterius. Hoc igitur modo differentiæ sunt in generis potestate.

Ad primam obiectionem solutio. Infra cap. de vniuoco dicitur, quod illa propositio, eadem simul non habet opposita, intelligatur de eodem numero & non genere aut specie.

Quòd autem quæritur, Secundum quam causam sit illa potestas? Dicendum, in veritate est, sicut & Auer. dicit, quòd est causæ formalis confusæ in materiæ confusione: quæ tamen similis est potestati materiæ, quæ materia non est materia per hoc quòd est nudum subiectum formæ ab omni forma denudatum, sed potius in materia ad formam per inchoationem formæ in ipsa. Et ideò dicitur in fine primi physicorum, quòd materia desiderat formam, sicut fœmina masculum: non inquantum est fœmina, sed inquantum est imperfecta. Nec imperfectum est (supple quod est impossibile ad perfectionem) sed potens perfici imperfectum: nec perfici potest, in quo non est aptitudo ad perfectionem. Aptitudo autem illa necessariò aliquid est perfectionis: quia aliter non appeteret ad perfectionem. Per hoc autem quod est simplex subiectum non in potentia ad formam, sed in composito est alterum componentium. Genus ergo quod est notio existentis in potentia, secundum totum esse formale ipso suo nomine significat, sicut dictum est, potestate in se habere differentias.

Ad secundam obiectionem.

Tex c. 81.

Et quod

Et quod obiicitur de potestate finis, patet iam esse solutum: quia sicut idem est forma & finis, sic etiam vna est potestas formæ & esse finalis: & ideò forma finis est desiderij quod materia habet quando desiderat formam, non vt imperfectionis tantum, sed prout distinguens, & determinans est causa perfecti.

Quod autem de potestate causæ efficientis obiicitur, & de causa seminali, valdè est conueniens: quia per inchoationem confusam differentiæ quasi seminaliter sunt in genere. Et ideò, vt dictum est, ad idem secundum naturam pertinent cum genere, & non ad diuersum. Virtus autem quæ ex generante effectiuo est in semine, (& formatiua vocatur in physicis) aliquid simile etiam habet in genere: & hoc est lumen intelligentiæ agentis, quod agit omnes formas: virtute enim illius luminis (quod expansione spirituali non corporali confusum perducit ad distinctum per distinguens & determinans) actualiter differentiam educit de genere in ipso esse speciei: & hoc modò genus habet in se aliquid de virtute efficientis: propter quod etiam supra in tractatu de genere genus ipsum patri est assimilatum. Sic igitur intelligitur genus habere differentias potestate.

Et quod quæritur, an differentia sit in genere, iam planè solutum est. Cum enim genera sint primà rerum principia, oportet quòd differentiæ sint in genere, si non sunt in genere sicut genera, vel species, vel indiuidua. Et generaliter dicendo non sunt in genere, sicut ipsum genus per essentiam, & intellectum participantes, sed sunt in genere, sicut in principio confuso suæ inchoationis. Multipliciter enim aliqua sunt in genere: aliqua enim sunt in genere, sicut coordinata sub genere per modum participantis, & participati: & hoc modo sunt in genere genera, & species, & indiuidua. Quædam sunt in genere sicut via ad rem generis: & sic motus & mutatio sunt in genere. Quædam verò sunt in genere sicut principia rei generis illius, sicut forma & materia dicuntur esse in substantia sicut in genere. Quædam tandem sunt in genere vt in principio suæ inchoationis: & hæc secundum potestatem sunt in genere, & non secundum actum participantia genus: & sic differentiæ cuiuslibet generis sunt in genere. Quædam etiam in genere sunt sicut principia, vnde fluunt naturæ generum secundum imaginationem, sicut punctus & vnitas sunt in genere quantitatis. Pro eis quæ dicta sunt, patet quod differentia simplex actus est, constituens speciem cum genere, & qualiter potestate differentia est in genere, & qualiter species habet differentiam vt formantem, genus autem est in specie, vt imperfectum formabile, vel formatum: & sic facile est soluere omnia quę sunt quæsita, vel dubitata.

***

D. Alber. Mag. Logica.

Multipliciter dicuntur esse in genere.

CAPVT V.

Qualiter diffinitur differentia secundum quod est vniuersale de specie prædicabile.

HAbito qualiter differentia species abundat à genere, & qualiter differentia in genere est, & qualiter species differentiam acquirit à genere: restat dicere qualiter, vt vniuersale prædicabile de specie diffinitur. Sic autem considerata diffinitur hoc modo. Differentia est vniuersale quod essentialiter de pluribus, & specie differentibus in eo quod quale est prædicatur. Cum enim dicitur, quòd est vniuersale, dicit Auicenna, quòd hoc in hac diffinitione ponitur vt genus. Cum enim quodlibet istorum quinque vniuersale sit, vniuersale hæc quinque continet vt genus: & hoc primum in diffinitione est ponendum cuiuslibet istorum quinque: quod tamen antiquiores Peripatetici non fecerunt, quia cum ponerent quod de pluribus prædicatur, dixerunt intelligi, quòd genus sit vniuersale, quia nihil prædicatur de pluribus nisi vniuersale, quia vniuersale est quod est in multis & de multis: & ideo cum ponerent, prædicatur de pluribus, intellexerunt, quòd esset vniuersale, & quòd vniuersale non oporteret in diffinitione explicite poni.

Hoc autem quod dicitur essentialiter, ponitur, vt dicit Auicenna ad accidentis exclusionem, quod secundum quod vniuersale est, prædicatur de pluribus differentibus specie, & prædicatur in quale: sed non est essentiale prædicatum, quod sit per se in subiecto & actu & intellectu, sicut differentia. Aristoteles autem dicit, quòd de pluribus specie differentibus ponitur ad speciei exclusionem, quæ non prædicatur de pluribus nisi numero differentibus, eò quod non comparatur communitas eius nisi ad indiuidua. Primus autem respectus comparationis differentiæ non est ad indiuidua, sed ad species. Et ideò non oportuit, quod diffiniretur ad indiuidua, sed ad species. Ad genus enim (vt genus est) vt vniuersale est, diffiniri non poterat: quia prout vniuersale est, non continet genus, nec continetur à genere nisi potestate tantum: & ideò prædicari de genere non potest. Cum igitur prædicandi specialem modum habere debeat, oportuit quòd vt prædicabile ad speciem haberet respectum: non autem potuit prædicabile esse de vno, quia sic esset indiuiduum:

Diffiniunt autem eam hoc modo, differentia est quod de pluribus, &c.

Differentia vniuersale quid sit, & declaratio diffinitionis ejus.

Vniuersale datur intelligi vt genus in diffinitionibus vniuersalium, licet non explicetur.

oportuit ergo, quod esset prædicabile de pluribus specie differentibus. Adhuc autem non potuit definiri vt prædicatum conuertibile cum specie in quale, quia sic esset proprium: nec vt prædicatum conuertibile in quid, quia sic esset diffinitio vel synonimum. Relinquitur ergo, quòd diffiniatur non vt conuertibile: & sic diffiniatur vt prædicatum de pluribus differentibus specie.

Quid sit prædicatum in quale: & quare differentia prædicatur in quale, & non in quid.

Quia verò genus prædicatur de pluribus differentibus specie, ideò additur, quòd prædicatur in quale. Genus enim de pluribus specie differentibus prædicatur in eo quod quid. Hæc igitur fuit necessitas propter quam antiqui sic differentiam diffinierunt. Et vt hæc melius intelligantur, ciendum, quod quale in hoc differt à qualitate, quòd qualitas est accidens secundum quod aliud dicitur quale: quale autem dicitur subiectum qualitate formatum. Vnde prædicatum in quale dicitur id quod prædicatur vt est in subiecto: quia aliter de subiecto prædicari non posset. Nihil enim prædicari potest de subiecto, nisi quod est in subiecto, & nisi sit acceptum & signatum prout est in subiecto, de subiecto non prædicatur nec prædicari potest. Vnde rationalitas, vel animalitas, vel humanitas, vel risibilitas, vel albedo non prædicantur, sed rationale, & animal, & homo, & risibile, & album sunt prædicata de suis subiectis. Vnde logicè loquendo tria qualia sunt composita. Species cum differentia est quale essentiale, & dicitur qualè secundum differentiam & non secundum se, & quale ipsum differentia in subiecto existens. Secundum autem quale est proprium, quod quale secundum qualitatem dicitur proprietatis, id est, proprij. Tertium est quale accidentis, quod quale dicitur secundum qualitatem accidentis. Talis igitur est huiusmodi diffinitionis explanatio.

Qualia composita sunt tria.

Hoc autem adhuc melius manifestatur in exemplis: quia rationale & mortale quæ sunt differentiæ hominis, à qualitatibus quæ sunt rationalitas & mortalitas sumpta prædicantur de homine, non in eo quod quid est, cum nullo modo dicant quid formatum talibus formis, sed potius dicant formas id quod quid est formantes & distinguentes: forma enim subiectiuè & formabilitate non est quid, sed quale vel qualitas formans, nullo modo formabilis, quia actus est, & ideò formari non potest: sola enim potentia formabilis est per actum: propter quod etiam species aptitudine quasi potentiali formatur per proprium, vt in sequentibus habebitur: & subiectum prout est in se perfectum & occasio alterius existendi in eo, per ipsum quod occasio est alteri, potentialiter se habet ad ipsum, & formatur accidente secundum quod est huiusmodi. Hæc igitur vera causa est secundum Philosophos, quare differentiæ non in quid, sed in quale prædicari competit.

Cuius adhuc vlterior manifestatio est: quia interrogatis nobis ab aliquo quærente de natura & subiecto hominis & dicente, quid est homo? conuehiens est nobis dicere ad hanc quæstionem respondendo, quòd homo est animal: animal enim proximum substantiale subiectum est non formans, sed formabile forma hominis in homine. Et ideò homo in animali est sicut in potentia formabili ad hominem: & cum de hac potentia mouetur ad formam, prius est animal, quam homo, vt in 11. de animalibus dicit Aristot. Si autem vlterius procedat quærens dicens, quale animal sit homo? conuenienter respondemus ad hanc quæstionem, quòd homo est animal rationale mortale, significantes quòd potentia distincta per hunc actum, qui est rationale mortale, & formata est homo: designantes, quòd homo in rationali & mortali non est sicut in quid potentiæ & subiecti formabilis, sed est in eo sicut in actu formante & distinguente secundum esse actuale & formatum & distinctum. Cap. 7

Quod adhuc in simili poterit manifestari: quia enim ars imitatur naturam, ideò quæ in arte sunt, secundum aliquid similia sunt his quæ sunt in natura. Rebus igitur ex materia constantibus in his quæ habent materiam, vel constantibus ex talibus suæ compositionis principiis quæ sunt in eis ad similitudinem & proportionem materiæ, sicut in his quæ non habent materiam, sed componuntur à duabus naturis formalibus, quarum vna proportionatur materiæ, & altera formæ, sicut genus & differentia componunt speciem: ostenditur nobis hoc, quod iam dictum est, sicut est videre in statua, siue imagine, vel idolo. In statua enim idoli æs de quo fit, est sicut materia formabilis, & est in ære idoli in potentia forma quæ dat ærei esse idolum vel statuam: quæ statua dicitur, quia statuit imaginem quam intendimus: ipsa, inquam, forma hoc faciens & perficiens est figura inducta per artificem. Sic est in his quæ non habent materiam, sicut est homo communis acceptus in specie, non acceptus vt hic & ille qui sunt ex materia: communis autem homo qui est in pluribus & est specialis siue in communitate speciei acceptus, consistit in sua compositione secundum quandam similitudinem & secundum quandam proportionem, quamuis secundum veritatem non sit cõpositus ex materia & forma, sed totus sit in esse formali sumptus, quia aliter non esset communis, nec prædicabilis de aliqua re secundum veram prædicabilis rationem: secundum quandam enim similitudinem & secundum quandam ad materiam proportionem est in eo genus vt primum subiectum potentialiter formabile & distinguibile ad hominem, & est in eo differentia vt formans & distinguens ad speciem hominis, totum essentiale sic perfectum & constitutum, quod est animal rationale mortale, est homo secundum speciem proportionaliter, quemadmodum in artificialibus totum constitutum ex ære & figura fuit statua secundum imaginem, cuius similitudinem statuit ante oculos eam intuentium.

Rebus enim ex materia & forma constantibus.

Homo communis proportionaliter componitur ex materia & forma. licet vere sit forma tantum, quia aliter non esset communis.

Hæc igitur est aniquorum Peripateticorum de differentia data diffinitio, &, vt dictum est, declaranda & intelligenda. Et ideò quæstio nulla est, quam quidam quærunt, vtrum scilicet sic in materia (quæ genus dicitur) sit dispositio ad formam & necessitas, sicut est in materia naturali ad formam, & in materia artificiali? Hoc tamen quæri posset, si genus verè esset

Quæstio quæritur. an.

Solutio.

esset materia: nunc autem hoc non dicitur, sed tantum quia secundum quandam similitudinem & secundum quandam proportionem sit materiæ compatatum, in eo quod homo in potentia inchoationis est in animali, & sicut in subiecto quod secundum id quod est, formabile est actu hominis. Dispositio enim & necessitas non sunt nisi in materia, quæ mutationi subiecta per agentia procedit ad esse generati. Talis igitur quæstio nulla est.

Nec dicitur species componi ex genere & differentia tanquam ex duobus diuersis, quorum vtrumque sit pars compositi, quia sic diffinitio in qua ponuntur genus & differentia, non esset vnum sed multa. Et si sic esset, neutrum per se esset prædicabile de specie, sed totum simul compositum tantum de specie prædicaretur. Genus enim totum esse dicit speciei, sed in potentia, vt dictum est: & nomen generis notio est totius esse speciei in potentia, quia aliter non posset de specie prædicari. Et differentia vt quale non vt qualitas sumpta, dicit totum esse speciei, sed in actu: & secundum quod est notio totius esse in actu, sic prædicatur de specie: & diffinitio dicit totum esse in potentia & actu: & ideo prædicatur conuertibiliter. Differentia autem, vt dicit Aristot. cum sit generalis, ad prædicationem generis non conuertibilem habet reduci, sicut probatur in sequentibus.

Quomodo genus, differentia & diffinitio dicunt totum esse speciei, diuersimodè tamen. 1. topic. com. 3.

Compẽdium dictorum in hoc cap. & præcedenti.

Hoc igitur est, quod antiqui de differentia prout de specie prædicabilis est, dixerunt, quod quidem sub compendio dici potest, quòd antiqui determinantes differentias siue describentes dicunt, quod differentia est qua abundat species à genere, habens differentiam in se & actu & intellectu, quam non habet genus nisi potestate: homo enim ab animali plus habet rationale & mortale: quæ coniunctim posita differentiam hominis constitutiuam perficiunt. Animal enim genus ipsum secundum seipsum nihil horum est actu & intellectu: quod ex hoc patet: nam quæritur vnde habeat species differentias? à genere non habet, ita quòd actu sint in genere: neque enim genus oppositas habet differentias: non enim in eodem simul actu sunt oppositæ. Sed de hoc est quemadmodum probant Philosophi Peripatetici, quòd genus potestate quidem sub se habet omnes differentias, actu verò nullam: ac si nihil contingit inconueniens: quia sic non sequitur, quòd aliquid fit ex his quæ non sunt, si diceretur, quòd à nihilo haberet differentias: nec sequitur, quòd oppositæ sint in eodem vel circa idem: sed fit id quod fit ex his quæ in genere sunt potestate.

Diffiniunt etiam Peripatetici hoc modo propter ea quæ dicta sunt, Differentia est vniuersale quòd de pluribus differentibus specie in eo quod quale est prædicatur. Rationale enim & mortale de homine prædicantur, non in eo quod quid, sed in eo quod quale est. Quid enim est homo interrogatis nobis ab aliquo, conueniens est dicere siue respondere animal. Quale autem animal sit homo inquisiti ab aliquo, quòd rationale mortale animal sit, respondemus conuenienter: quia sic formam assignamus quæ dat speciem. Rebus enim ex materia & forma constantibus in natura vel arte, vel constantibus rebus ad similitudinem proportionemque materiæ & formæ in logicis constitutionem habentibus, quemadmodum statua ex materia æris est, & forma figura: sic & homo communis & specialis qui in multis est, ex materia quidem similiter proportionaliter consistit, genere scilicet, & ex forma differentia: quæ tamen vt partes diuisæ non compositæ sunt: sed dicuntur partes essentiales, quia duobus modis diuisis esse significant speciei, scilicet in potentia, & in actu: totum autem hoc quod est animal rationale mortale homo, est species: quemadmodum illic in arte totum constitutum ex ære & figura, est statua.

CAPVT VI.

De dubitationibus contra diffinitionem differentiæ, & erroribus malè soluentium, & de vera omnium solutione.

Contra diffinitionem differentiæ, & quòd detur differentia vltima. Prima auctoritas. Tex. & com. 43.

HÆc sunt quæ de differentia prout est vniuersale de specie prædicabile antiqui tradiderunt Peripatetici, & sunt circa ea multæ dubitationes & errores. Aristot. in 7. primæ philosophiæ, & ibidem Auerr. in comment. expresse dicunt & probant, quòd vltima differentia cuiuslibet speciei constitutiua conuertibilis est cum ea, ita quòd non conuenit eam nisi de illa specie prædicari. Differentia ergo illa si non nisi de illa specie prædicatur: non ergo prædicatur de pluribus differentibus specie, vt videtur.

Secunda auctoritas.

Hoc autem idem dicit Boëtius in libro diuisionum dicens, quòd si non esset penuria nominum, in qualibet diffinitione non nisi duobus terminis vteremur, nomine scilicet generis, & nomine differentiæ vltimæ, quæ ad speciem genus restringit coarctat. Si ergo illa tunc differentia conuertibilis esset cum specie, huiusmodi conuertibilitatis causa cum non posset esse genus: relinquitur ergo, quòd talis differentia causa esset conuertibilitatis. Sequitur ergo necessariò, quia illa sit conuertibilis: non ergo prædicabilis est de pluribus specie differentibus.

Tertia auctoritas.

Hoc autem dicit Auerr. dicens, quòd omnia intermedia inter genus & vltimam differentiam circumlocutio sunt proximi generis, qua circumlocutione opus non esset si nomina proximorum generum haberemus. Adhuc autem hoc ratione inexitabiliter probatur sic: Aut enim vltima differentia conuertibilis est, & soli illi speciei conueniens: aut communis illi speciei & aliis. Si est conuertibilis, habetur propositum. Si autem illi & aliis communis: ergo illa species ab alia specie non differt, sed conuenit. Quod autem principium conuenientiæ est, non est principium differentiæ: ergo illa vltima differentia non fuit. Si autem dicatur, quòd illa differentia habet aliam differentiam per quam differt: tunc quæro iterum de illa differentia, vtrum sit communis, vel pro-

Prima ratio ad idem.

pria: & sequitur idem quod prius, & ibit hoc vsque in infinitum: vel oportet dicere, quòd vltima propria est, & illi soli speciei conueniens quam constituit. Non ergo differentia omnis prædicatur de pluribus specie differentibus: & sic diffinitio inducta vitiosa esse videtur.

Secunda ratio.

Adhuc autem si omnino quòd differt, differentia differt: quæratur, qua differentia differētia differt à differētia? Si enim illa differt alia differentia: tunc hoc ibit in infinitum, quòd de illa differencia quæreretur sicut de prima.

Solutio prima saluans diffinitionem differentiæ.

Ad hoc etiam quidam respondere videntur, quòd in diuisione generum per differentias & specierum constitutione sic se habet, quòd quantò species sunt inferiores, tantò sunt certiores, id est, quòd certissimæ species sunt quæ specialissimæ dicuntur. Et quantò differentiæ per quas fit diuisio sunt superiores, tantò sunt certiores. Et ideò notiores sunt primæ diuidētes genus generalissimum, quam diuidentes genus subalternum: ita quòd tandem differentiæ specierum in paucis sunt notæ & nominatæ, quamuis illæ notissimæ sunt & certæ. Et quia primæ generales differentiæ notæ & certæ de pluribus differentibus specie prædicantur, ideò de omnibus dictum est logica probabilitate, cui sufficit quòd in pluribus verum sit, quòd differentia de pluribus & differentibus specie prædicatur. Sed hæc responsio in philosophia valdè irridenda est, quòd hoc generaliter per diffinitionem determinetur, cuius contradictorium conuincitur esse verum. Concluditur enim de necessitate, quòd differentia quædam non prædicatur de pluribus specie differentibus. Scitur enim & notum est omni Philosopho, quòd diffinitio debet conuenire omni & soli. Ergo si differentia diffinitur per prædicari de pluribus differentibus specie, hoc debet omni differentiæ conuenire & soli, quæ magis propria est differentia: & ideò ridiculosa est ista solutio.

Improbatio solutionis.

Alia solutio ad idem, & considera quomodo illa solutio differat à solutione D. Alberti.

Propter quod dicunt alij, quòd est differentia simplex, & differentia composita. Et simplicem dicunt illam quæ in vna sola consistit, sicut generalissimæ differentiæ quæ sunt corporeum & incorporeum, vel corporis differentiæ, quæ sunt animatum & inanimatum, vel animati differentiæ quæ sunt sensibile insensibile. Sed differentiæ vltimæ specierum constitutiuæ dicunt, quòd non sunt nisi duarum vel plurium congregatione sufficientes ad constitutionem. Rationale enim solum speciem non facit, nisi addatur mortale vel immortale: & hoc non fuit in superioribus differentiis, quarum vna sola coniuncta generi facit & sufficit facere speciem subalternam. Dicunt ergo, quòd illæ differentiæ quæ simplices sunt, per se solas specierum cum genere constitutiuæ, prædicantur de pluribus differentibus specie. Quæ autem nec per se sunt sufficientes, nec constituunt speciem nisi vna alteri coniungatur, non sunt differentiæ solum, sed aliquid simile differentiæ. Et ideò illæ non de pluribus specie differentibus prædicantur, sicut rationale mortale simul sumpta non prædicantur nisi de homine. Hæc autem solutio magis adhuc deridenda est, quam prior: quia rationale mortale dicta de homine circumlocutio sunt vnius simplicis differentiæ, quæ est vnicus & simplex actus, cuius est vnum esse quod perficit: & quamuis illius aliquando nomen non habeatur, tamen in talibus licet nomina fingere. Dicamus igitur, quòd illa differentia vocetur a: tunc a differentia prædicabitur de vna sola specie, & non de pluribus specie differentibus: & tunc sequitur diffinitionem vitiosam esse sicut prius.

Improbatio secundæ solutionis.

Tertia solutio.

Propter hoc dicunt alij, quòd cum dicitur, vniuersale est quòd prædicatur de pluribus sibi subiectis, hoc dictum est, non quòd actu prædicetur de multis, sed quòd aptitudinem habet quòd sit in multis, quamuis actu non sit nisi in vno solo, vt sol est vniuersale vnum. Vnde cum species subiectum sit de quo prædicari habet hoc vniuersale differentia, dicunt quòd aptitudine prædicatur de pluribus, quamuis aliqua differentia actu non sit nisi in vna sola specie. Et hanc opinionem recitat Auicen. & est omninò nulla. Quod statim patet: quia species certa non est certa, nisi quia vnica differentia est constituta, quæ nullo modo habet aptitudinem quòd sit in alia specie. Falsum ergo est, quòd aptitudinem habeat ad hoc quod prædicetur de pluribus specie differentibus.

Improbatio eius.

Quarta solutio.

Dicit autem iterum Auicenna, quòd quidam dictam diffinitionem inductam sic intelligunt, quòd sit sensus, quòd differentia prædicetur de pluribus quæ quidem plura differunt specie: quia ex differentia constitutiua non habent, quòd differant numero, sed specie tantum. Et tunc sensus est, quòd differentia prædicatur de hoc quod in pluralitate est, quorum quodlibet differt specie ab altero, & non quod differentia dicatur de pluribus speciebus semper. Dant exemplum sicut quando dicitur, quòd omnis homo percutit gladio: non enim sensus est, quòd quilibet homo singulariter gladio aliquo percutiat: sed quicunque percutit, non nisi gladio percutit: ita dicunt, quòd omnis differentia prædicatur de pluribus differentibus specie, non quòd omne de quo prædicatur differentia, sit plura secundum speciem: sed quòd omne de quo prædicatur differentia, differt aliqua specie à suis oppositis vel disparatis. Hanc autem expositionem Auicenna dicit extortam, & non contineri in intellectu huius orationis qua dicitur, quòd differentia prædicatur de pluribus specie differentibus. Diffinitio enim cum detur causa innotescendi, vt dicit Aristot. plenè debet notificare diffinitum. Adhuc autem cum de genere dictum est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, sic intellectum fuit, quod prædicatur de pluribus speciebus. Cum ergo dicat Aristot. quòd differentia cum sit generalis cum genere collocanda est, videtur quòd eundem modum prædicandi cum genere retineat. Et sic prædicari de pluribus differentibus specie, idem est quod prædicari de pluribus speciebus. Sic redit idem inconueniens, quod supra dictum est, vel inductum est.

Improbatio eius.

Solutio vera quæ est Auic. Alfarabij. & Auerrois.

Omnibus autem his erroribus abiectis, dicendum cum Auicen. quòd differentia in se tria

habet, scilicet quod est simplex diuisiua, & per hoc est differentia: & quod est simpliciter constitutiua, & hoc habet ab eo quod est diuisiua: habet & tertiò quod est ad certam speciem determinatiua, & hoc non habet ex hoc quod est diuisiua, nec ex hoc quod est constitutiua, sed hoc habet ex hoc quod est certa rei specialis natura & forma propria & & essentialis. Quod autem ex hoc quod est diuisiua, habeat quòd sit differentia, probatur ex eo quod diuisio separatio est. Separatio autem causa est differentię separatorū. Et quòd ex hoc quòd diuisiua sit constitutiua, ex hoc probatur, quòd diuisio est ex hoc quod separat, separata contrahit & coarctat ab ambitu generis diuisi: & hoc est constituere sub genere & generis communitate. Quod autem certificat & appropriat, ex nullo habere potest. Et ideo est, quòd generalissimum non habet differentias, nisi diuisiuas, & specialissimum non habet nisi constitutiuas. Et quod proprium efficitur, habet à propria natura, per quam ex consequenti differt ab aliis, & per hoc quod illa natura in aliis non inuenitur: & illa natura in se continet quasi virturem termini diffinitiui, quia sic est in talibus, quòd semper prior differentia est in consequenti, sicut corporeum in animato, & animatum in sensibili, & sensibile in rationali, sicut trigonum in tetragono. Et ideò quod proprium est vnius naturæ, non vero nomine est differentia, nec est simplicis virtutis: quia quamuis sit simplex actus, tamen non est vnius simplicis virtutis, sed virtus omnium aliorum est ex quibus fluit secundum ordinem, sicut ex causis primariis. Quod ergo dicitur, quòd differentia prædicatur de pluribus differentibus speciebus, intelligendum est de his quæ sunt veræ differentiæ, simplicis virtutis, quæ simpliciter diuidunt, & diuidendo sub genere constituunt: & de his est verum. Quæ autem certificant & determinant, non veræ differentiæ sunt: sed veræ quibus aliquid alteri comparatum potest differre. Nec sunt virtutis simplicis differentiæ, sed sunt virtutis simplicis vt terminus diffinitiuus.

2. topicorum com. 3.

Et est sententia tam Auicen. quam Alfarabij. Et est sententia Auerr. Et hoc est quod dicit Aristot. Differentia cum sit generalis, cum genere ordinanda est. Generalis enim non est, quæ ad certam naturam determinat.

Differentia differt seipsa.

Quod autem quæritur, quomodo differt differentia à differentia? Dicendum, quòd seipsa, & non ibitur in infinitum: principia enim omnia differunt seipsis. Et per hoc patet solutio omnium inductorum. Nec potest dici, quòd generalis, vt quidam dicunt, quia fit pars essentialis vel speciei sicut genus. Ex hoc enim cum genere in modo prædicandi in problematibus ordinanda non esset, sed potius in modo differendi cum genere esset ordinanda.

in 2. topicorum. 17.

Quomodo quelibet pars diffinitionis in plura se habet; quam pars est esse rei in potentia, & non in actu: esse enim in potentia pars est esse, & non totum: & ideò quælibet talis est in plus. Totum autem duplex est, scilicet explicitè totum esse, & in potentia & in actu colligens: & sic diffinitio dicit totum esse. Dicitur etiam totum quod in se virtute habet esse totum, quia præcedentia omnia sunt virtute in ipso, sicut in causis formalibus vltimum continet omnia quæ præcedunt ex quibus fluit, sicut vita habet esse & sentire in se habet esse & viuere, & esse rationale habet in se & esse & viuere & sentire, vt super ante dictum est. Et ideò etiam hoc totum est quod est in æquè cum eo quod constituit: quamuis enim sit actus purus & simplex: secundum essentiam tamen omnia præcedentia virtute & causalitate sunt in potentia, & in eo influunt super causatum sicut causæ primariæ influunt in causas secundarias, sicut in prima propositione libri causarum.

diffinitum, & totum in æquè.

Ex omnibus quæ dicta sunt patet, quòd differentia duos habet respectus immediatos: vnum scilicet ad genus quod diuidit: & secundum hoc cum diuisione prædicatur de genere sic, quòd animal est aut rationale, aut irrationale: diuidentis enim est prædicari sub diuisione de eo quod diuidit. Alterum autem ad speciem quam constituit, & de illa prædicatur absolutè. Sic homo est rationale. Et hi sunt respectus mediari eius ad particulare, ad quod non respicit nisi per speciem quam ipsum particulare participat: sicut cum dicimus, hic homo est rationalis. Et ideo non habet particulare proprium quod sibi respondeat immediatè, sicut habet genus & species. Et hoc est ideò, quia à forma sumitur quæ secundum se est speciei & communis, & per speciem est particularis speciem participantis.

Quomodo differentia prædicatur de genere & quomodo de specie tantum.

CAPVT VII.

De descriptione differentiæ prout respicit genus.

Differentia habet multas descriptiones, nullam tamen habet veram diffinitionem & propriam.

PRopter multas comparationes differentiæ, quibus habet comparari, tum ad genus, tum ad speciem, multas habet à Philosophis descriptiones: quamuis diffinitionem propriam non habet, eò quod omnis diffinitio est ex genere & differentia: & ideò si differentia diffinitionem haberet, oporteret quòd illa constaret ex genere & differentia: & sic differentiæ diffinitio esset ex differentia, & hoc abibit in infinitum. Adhuc autem cum nihil diffiniri possit propriè nisi species, si differentia diffinitionem in vera ratione diffinitionis haberet, oporteret quòd differentia esset species: quod esse non potest. Potest tamen habere descriptiones ex fine, vel ex posteriori, vel ex effectu, vel ex comparatione ad ea ad quæ comparatur.

Quamuis ergo descripta sit ex comparatione ad speciem quam constituit, cum dicebatur, quòd differentia est id quod prædicatur

Definitio differentiæ considerata per respectum ad genus.

Differentia est quod aptum natum est dividere ea quæ sub, &c.

fur de pluribus differentibus specie in eo quod quale est: tamen adhuc Peripatetici describunt huiusmodi differentiam per respectum quem habet ad genus hoc modo, differentia est quæ apta nata est dividere ea quæ sunt sub eodem genere. Illa enim est (vt dictum est) quæ prædicatur de pluribus differentibus specie. Proprius enim effectus differentiæ nomen accipit.

Hanc autem differentiæ descriptionem Peripatetici introductionis modo per exempla manifestant: quia rationale & irrationale, quæ oppositæ differentiæ sunt, hominem & equum à seinuicem dividunt, qui sub eodem sunt genere quod est animal: quamuis vna sola forma siue differentia quæ à forma sumitur, præsentia & absentia facit mutationem ab esse ad non esse, vel à non esse ad esse: sicut & animal est, aut rationale, aut irrationale: & sic quando fit per contradictionem diuisio, fit vna differentia per affirmationem, & alia per negationem accepta: tamen quia disparata sunt quæ sunt sub eodem genere, & vnumquodque dividentium in sua differentia & forma accipitur, oportet quòd fiat diuisio per differentias oppositas sic: animalium aliud rationale, aliud irrationale. His enim differentiis à seinuicē differunt quæ sunt sub eodem genere. Quamuis enim sicut dicit Auicen. & Alfara. irrationale, & alia similia priuatiuè, vel negatiuè accepta, non dicant vero nomine differentias (eo quod differentia non nisi positiuè potest significari) tamen quia propria nomina differentiarum non habemus, vnam notam differentiam ponimus, & aliam per priuationem eiusdem significamus, quæ est speciei subalternæ quæ ponitur sub genere.

Quæ in dividendo genus accipimus vnam differentiam positiuam & vnam priuatiuam.

Quomodo essentia generis non dividitur per differentias, sed tantum potestas eius.

Sed valdè notandum est, quod etiam ante diximus, quia quando dividitur genus, non dividitur nisi secundum potestatem, & non secundum essentiam. Essentia enim generis cum simplex sit, tota simul potest esse in omnibus dividentibus ipsum: vnde tota est in homine, & tota est extra hominem in equo: & hæc est in equo, quia nec hoc aliquid est, nec hic, nec nunc: sed ipsa est quodlibet, & vbique & semper, sicut iamdudum de vniuersali diximus: non enim est hoc aliquid per materiam, nec hic per loci circumscriptionem, nec nunc est per temporis vel temporalis differentiæ determinationem. Et ideò tota est in quolibet, & tota est extra quodlibet secundum se acceptum: quod proprium est naturæ simplicis. Et quamuis tota sit comprehensa à rationali, quando rationale coniungitur ad coniunctionem speciei: & simul cum hoc tota comprehensa ab irrationali, quando irrationale coniungitur eidem ad alterius speciei constitutionem, cum partem & partem in essentia non habeat: tamen secundum quod comprehensa ab irrationali, à rationali non comprehensa est. Et ideò non sequitur, quòd animalitas cum rationali comprehensa est eadem animalitas secundum esse in rationali, & irrationali. Si enim rationale transmutaretur in irrationale, quod negat Aristot. fieri posse in libro ethicorum. Hoc autem ideò est, quia

Non est eadem animalitas in homine & asino.

animalitas vna inchoatio est & rationalis & irrationalis, & vnum & idem inchoationis principium in essentia: quod tamen vt comprehensum est ab vno, tractum est ad esse principiari. Et ideò secundum hoc non potest esse comprehensum ab alio: quod secundum partem suæ potestatis est in alio.

Obiectio. Et si quis obiiciat, quod potestas siue virtus radicatur in essentia: & ideò videtur sequi, quòd in quo genus est secundum totam suam essentiam, in eodem etiam sit per totam suam virtutem & potestatem. Dicimus, quòd hoc *Solutio.* non sequitur. Essentia enim generis simplex est natura. Potestas autem non radicatur in ea prout vnica est & indiuisibilis, essentia, sed potius in ambitu suæ communitatis: & ideò nihil prohibet, quòd diuiso ambitu communitatis essentia simplex maneat indiuisa.

Attendendum etiam est, quòd quamuis differentiæ in genere sint potestate, tamen secundum quòd dividunt genus, oportet quòd actu sint acceptæ per intellectum dividentem: cum non intellectus dividat, nisi actu acciperet id quo dividit: quo autem dividit, est differentia: & sic oportet differentiam actu esse, & genus secundum ambitum suæ communitatis esse in potentia diuisibile. Secundum autē quòd genus est principium inchoationis differentiarum, sunt in genere differentiæ potestate. Sed ex illa potestate ad actuale esse per intellectum adducuntur quando per ipsas dividitur generis potestas.

Ex quo apparet à quo extrahantur differentiæ ex potestate generis ad actum.

Sic ergo intelligitur quod Peripatetici dicunt, quòd differentia est quod aptum natum est dividere ea quæ sunt sub eodem genere. Diximus enim in antehabitis, quòd differentia per hoc quod dividit, contrahit genus: & id quod per diuisionem acceptum est, ponit sub genere, & sic constituit speciem secundum quod species est id quod sub assignato ponitur genere. Et ideo & ea quæ sunt sub genere per diuisionem differentiarum diuiduntur, & ipsum genus diuiditur alio & alio modo. Genus enim diuiditur, quia potestas partitur. Ea autem quæ sub genere sunt, diuiduntur, quia per differentiarum diuisionem (quam faciunt abinuicem) separantur: sed genus diuiditur quantitate communitatis suę. Ea autem quæ sub genere sunt, diuiduntur separatione suæ oppositionis abinuicem.

Hoc ergo est quod dicunt Philosophi qui hoc modo describunt differentiam, quòd differentia est quod aptum natum est per suam oppositionem dividere siue seiungere ea quæ sub eodem sunt genere: & hoc manifestum faciunt tali exemplo, quòd rationale & irrationale hominem & equum qui sub eodem sunt genere quod est animal, dividunt siue seiungunt: vtentes priuatione rationis (quæ per irrationale signatur) loco communis differentiæ, quam nos brutalitatem consueuimus nominare. Et hoc patet, quia si non esset aliquod animal nisi homo & equus, & hinnibile esset differentia equi constitutiua, diuideremus sic, animalium aliud rationale, aliud hinnibile, & priuatione differentiam non faceremus.

CAPVT

CAPVT VIII.

Descriptio differentiæ prout ponit differentiam.

Assignant etiam hoc modo: differentia est qua differunt à se singula.

Diffinitio differentiæ prout ponit differentiam & per proprium effectum suum.

ADhuc autem eandem differentiam antiqui Peripatetici describunt & assignant per respectum, per quem vnum differentium refertur ad alterum secundum differentiam qua differunt abinuicem, diffinientes eam sic, Differentia est qua differunt à se singula. Ea enim quæ differunt, differentiis suis à seinuicem differunt. Suas autem & proprias habent singula differentias, quibus differunt ab omnibus aliis, in quibus sunt differentiæ. Probant autem hanc assignationem hoc modo: quia ea quæ oppositis differentiis differunt, & quæ ab vno & eodem oriuntur genere, non differunt secundum genus, sed potius in genere conueniunt, cum æqualiter actu & intellectu genus participent: quia genere non differunt, nisi quæ sunt in diuersis generibus vel generalissimis vel proximis: & secundum hoc quod genere differunt, sic genus est quod facit differentiam inter ea: & hæc sunt, quorum vna natura non est in communi proximo quod est primum subiectum formabile & determinabile ad esse per proprias differentias communes secundum ea quæ per vnam & eandem diuisionem diuersarum differentiarum ab vno & eodem genere exeunt: illa vero differunt secundum genus. Et hoc per exempla manifestatur. Sumus enim animalia & nos homines, & etiam irrationalia sunt animalia. Et sic genere non differimus ab eis: sed appositum nobis hominibus rationale pro differentia diuiungit nos ab illis, & ita essentialem habemus ad ea differentiam, quamuis in genere conueniamus cum illis. Ab alia autem parte secundum quod conuenimus cum diis in hoc genere quod est rationale animal, eo quod nos & dij sumus animalia rationalia, appositum nobis mortale essentialiter separat nos ab ipsis: quia ipsi secundum Stoïcos sunt immortalia animalia, nos autem mortalia. Cum autem sic dicunt antiqui, quod differentia est qua differunt, diffiniunt vel describunt differentiam & proprium effectu ipsius: & est aliqua nominis manifestatio, quamuis non sit vera diffinitio. Nec etiam antiqui has assignationes pro veris induxerunt diffinitionibus.

Obiectio. Si verò obiiciatur, quòd secundum antecedentia quæ dicta sunt de figura arboris describentis à generalissimo vsque ad specialissima duo sunt animal rationale, & animal mortale, quorum vnum est sub alio. Talia autem vnam æquè immediatam speciem non dicuntur habere, sed potius vnum debet esse species alterius, & id quod inferius est, habere sub se speciem specialissimam. Cōtrarium autem similiter videtur, quando dicitur, quòd homo est animal rationale mortale. Et dicendum ad hoc, quòd in rei natura secundum opinionem antiquorum Stoïcorum sic est vt procedit obiectio. Et cum dicitur, quòd homo est animal rationale, ponitur hoc totum complexum pro circumlocutione proximi generis, & mortale additum est differentia vlterius determinans ad speciem specialissimam: & hoc non est inconueniens, quinimo necessarium, quòd differentia superioris generis cum differentia inferioris & proximi generis in eadem specie coniungatur in diffinitione speciei. Sed differentiæ diuersorum generum non subalternatim positorum sunt oppositæ, & illæ non conueniunt in eadem specie diffinitione. Attendendum est cum dicitur, qua differunt singula, quòd singula quidem ab aliis differunt suis propriis quæ illis & non aliis conueniunt. Sed tamen in antehabitis dictum est, quod propria (cum sint accidentia & non dividant substantiam) non propriam faciunt alietatem, sed per alteritatem ostendunt alietatem quasi iam ante propria factam per propriam differentiam substantialem, quæ propria est speciei, quia sic conuenit vni quòd non alij. Et ideo differentia essentialis est, qua primò, & per se differunt singula, aut per formam, aut per materiam, aut per proprium esse formæ in hac materia vel illa.

Removet dubium.

Si autem quæritur, cum dicitur, quod differentia est qua differunt à se singula, vtrum differant per vnam aut per plures differentias? *Dubitatio.* Dicendum, quòd per vnam differunt ab omnibus differentiam illam secum non communicantibus, sicut per rationale differt homo *Solutio.* ab omnibus rationem secum non communicantibus, sed ab his quæ secum communicant in vna, differunt in alia.

Si autem quis obiiciat dicens, quòd singularia numero sunt infinita ad minus quoad nos: & sic videntur differre ab infinitis. Di- *Dubitatio.* cendum, quòd nihil est inconueniens.

Si vlterius arguet, quod qui nouit diffinitè vnum contrariorum, diffinitè nouit & alterum. Nouit autem homo suam qua à singulis differt differentiarum. Igitur videtur, quòd diffinitè nouit infinitas singularium differentias, quibus ab ipso differunt: & sic momento nouit quasi omnia. Dicendum, quòd sequitur, quòd nosset omnia illa inquantum cum ipso non conueniunt: & hoc est nosse in vniuersali, & in potentia, & non propriè secundum naturam vniuscuiusque: & hoc non est inconueniens, quòd momento aliquo modo vniuersali & potentiali noscat multa vel infinita.

Solutio. *Obiectio.* *Solutio.*

De exemplo autem quod antiqui induxerunt de mortali, quod habent pro differentia, cum differentia sit pars esse rei, & mortale causam abesse dicere videatur. Dicendum, *Dubitatio.* *Solutio.* quòd si mortale dicat viuentis passionem, pro certo tunc dicit causam abesse, & non est differentia constitutiua alicuius viuentis. Si autem dicit compositi viuentis formam quæ est nomio tali vita viuentis, pro certo est differentia constitutiua: & hoc modo est essentia incorruptibilis, sicut & aliæ differentiæ.

Quomodo mortale est differentia hominis.

Quod autem dicunt rationale esse formam in qua communicant homines & dij, pro certo secundum opinionem quorumdam Stoïcorum dictum est, qui dicebant vniuocè & ita non tan-

Stoïci volebant Deos esse animata rationalia.

Insubstantiæ animatæ sensibiles.

nos & deos esse rationalia animalia: & animal non dicebant per denominationem ab anima, sed per hoc quod est forma animati corporis & motivi voluntatis motu, cui posteà ex inferiori genere (quod est compositum ex corpore commixto ex contrariis & anima) aduenit sensus. Et ideò non sequitur, si Deus est animal, quod Deus sit substantia animata sensibilis, eo modo quo Deos animalia Stoïci esse dicebant, sicut superius iam expositum est, & in lib. de natura Deorum inuenitur.

Assignant etiam Peripatetici hoc modo, videlicet dicentes, quòd differentia est qua differunt à se singula: namque secundum genus non differunt quæ ab eodem genere per eandem accipiuntur diuisionem. Cuius exemplum est, quòd sumus & nos homines animalia, & irrationalia per eandem rationem sunt animalia sicut & nos: sed additum generi quod est animal, rationale pro differentia hominis constitutiua & Dei, disiungit nos & Deos ab illis quæ sunt irrationabilia. Adhuc nos & Dij rationales sumus in genere quod est animal rationale non differentes, sed mortale pro differentia constitutiua appositum ad animal rationale quod est genus, separat nos homines à Dijs immortalibus.

CAPVT IX.

De diffinitione quæ soli differentiæ magis propriæ conuenit.

Quomodo multa diffinitionum assignata conueniunt soli differentiæ magis propriæ: & ideò nulla illarum est data per intrinseca differentiæ.

SVbtiliorem autem adhuc omnibus præinductis assignationibus Peripatetici differentiæ diffinitionem quantum ad intrinseca & essentialia sibi sunt perscrutantes, & speculantes eam per ea quæ non conueniunt nisi differentiæ, quæ differentia dicitur magis propria: & nullo modo nec per se, nec ex consequenti conueniunt differentiæ quæ dicitur propria, nec etiam ei quæ dicitur differentia communis. Propriæ enim ex consequenti ad minus conuenire potest, quòd per ipsam species abundet à genere. Et etiam hoc quod dicitur prædicari de pluribus differentibus specie in eo quod quale est, potest ex consequenti conuenire communi differentiæ. Et similiter id quod dicitur, quod aptum natum est diuidere ea quæ sunt sub eodem genere, propriæ differentiæ potest conuenire. Et similiter id quod differentia est qua differunt à se singula: propriis enim differentiis differunt à se singula. Et ideò nulla talium assignationum per intrinseca differentiæ data videtur esse.

Interius autem perscrutantes. Diffinitio conueniens soli differentiæ magis propriæ.

Sed interius eam perscrutantes, & subtiliter per essentialia speculantes, quæ soli magis propriæ differentiæ dictæ conueniunt, dicunt, quòd non quodlicet eorum quæ sunt sub eodem genere, & diuidunt ea quæ sunt sub eodem genere duo oportet modo diuisionis est differentia magis propriè dicta. Et dicunt hoc solum esse differentiã magis propriè dictam, quod conducit ad esse, & quod eius quod est ratio rei pars est. Quod autem hoc differentia sit probant, quia propria sunt de his quæ sunt sub eodem gentre diuidentiã ea quæ sub genere sunt. Dicamus enim diuidendo ea quæ sub genere sunt. Animalium aliud aptum natum est arte nautica nauigare, & aliud non: cum tamen aptum esse arte nautica nauigare sit proprium hominis, & non de esse & essentia ipsius: talibus enim differentiis sæpè vtimur genus diuidentes: cum tamen talia sint propria consequentia esse speciei. Quæ autem sunt esse consequentia, non possunt esse completiua esse ipsius, nec perfectiua substantiæ, nec pars essentialis esse ipsius substantialis: quamuis compleatur in esse quodam quod non est esse simpliciter, sed est aptitudo quædam esse substantiale consequens. Et ideo talis differentia propria non est, quales sunt differentiæ magis propriæ, quæ specificæ dicuntur differentiæ, quia sunt speciei in esse specifico constitutiuæ. Erunt ergo specificæ illæ solæ quæcunque essentiali qualitate alia aliam faciunt speciem, & quæcunque in eo quod quale de specie constituta prædicantur. Differentiæ enim, sicut superius dictum est, & ad genus & ad speciem comparantur, & ad vtrumque illorum habent respectum: ad genus quidem prout sunt diuisiuæ, ad speciem autem prout sunt constitutiuæ. Et ideò sunt sub genere & genus contrahentes, & sunt species sub ipsis. Et species antecedentes sunt ipsæ differentiæ: quia sunt actu & intellectu in ipsis speciebus sicut constituentes in eisdem.

Et ideo semper propriæ ponuntur in diffinitione quietatiua.

Obiectio. Vtrum differentia sint accidentia generum.

Cum autem consequentes sint in esse generum prout genera sunt, & omne quod sequitur esse alicuius, sit de genere accidentium, vt dicit Auicen. videbitur fortè alicui, quòd sint accidẽtia generis, sicut propria sunt accidentia speciei, eò quod propria sunt de consequentibus esse specierum. Sed ad hoc dicendum, quòd non est similis habitudo generis ad differentiam, & speciei ad proprium. Species enim se habet ad proprium vt ens perfectum quod est de ratione proprij: sicut subiectum est de ratione passionis non existens de essentia ipsius, sed tantum subsistere faciens in seipso. Genus autem se habet ad differentiam & ponitur vt ens imperfectum perficiendum per differentiam, sicut materia per formam, & vt ad eductum de potestate ipsius sicut forma educitur de materia. Et quia nihil perficit substantiam ad esse substantiæ, nisi substantia, ideo genus perficitur ad esse speciei per differentiam. Species verò est substantia. Oportet ergo, quòd differentia sic respiciens genus & speciem, sit substantia & substantialis forma.

Solutio.

Quomodo differentiæ non sunt accidens generis, licet insequantur genus.

Et quod dicitur, quod est consequens esse generis. Dicendum quòd esse generis vt generis, est esse imperfecti. Et ideò quod consequitur ipsum sic, est sicut actus qui consequitur potentiam, propter quod oportet quod sit substantia. Si autem generis esse, perfecti esset esse, de necessitate sequeretur, quòd differentia esset accidens generis: & tunc non posset esse substantia speciei: quia quod est vni accidens, nulli potest esse substantia, vt dicit Aristoteles. Si tamen consideretur genus non vt genus, sed vt vniuersale prædicatum de pluribus,

1. Phys. t. c. 26. & 27.

Opinio quorundam.

ribus, quod propria habet indiuidua: sicut animal prædicatur de hoc animali, & illo, sicut in tractatu de genere, est determinatum. Dicunt quidam, quòd sic consideratur vt ens perfectum in esse proprio, & sic comparatur ad ipsum differentia vt consequens ipsum. Et dicunt, quòd sic considerata differentia, est accidens generis. Sed re vera non est accidens secundum naturam accidentis: sed in hac consideratione modum habet accidentis, & non naturam: quod patet in prædicatione qua differentia prædicatur de genere sola, vt cum dicitur, animal est rationale vel irrationale: vtraque enim istarum propositionum est in secundo modo dicendi per se, in quo subiectum est de ratione prædicati. Et in illo modo subiectum quidem est causa esse prædicati, & nihil est de essentia ipsius: & hoc est ideò, quia sicut vult Aristoteles in 7. primæ philosophiæ. Accidens potius est esse, quam essentia. Sic enim aliter se habet subiectum ad rationem prædicati, quam in ea in qua prædicatur verè accidens: cum enim dicitur, animal est rationale, non potest intelligi sic subiectum in ratione prædicati vt positum absoluta natura à re prædicati, sed cum praestare progrediente in actum, & in qua iam inchoatio est differentiæ vt prædicatum sit in subiecto. Sed quando proprium prædicatur de specie, species quidem est de ratione proprij, ita quòd proprium non est in specie vt in potentia, sed in specie iam completum esse habente per solam naturæ aptitudinem ad quædam, quæ nihil naturæ sunt in esse: sicut patet cum dicitur, homo est risibilis: in hoc enim, quòd homo est animæ intellectiuæ, quæ nata est suspendi & admirari ea quæ apprehensione eius obiiciuntur, efficitur risibilis ad cognita lætificantia, & flebilis ad cognita contristantia: cum tamen admiratio talis nihil sit naturalium, hoc est, eorum quæ sunt de constituentibus naturam hominis. Sic autem non se habet genus ad differentiam quando de ipso prædicatur: & ideò quamuis prædicatio illa reducatur ad secundum modum eius quod est per se, tamen etiam aliquid habet de primo: sed quoad hoc est inordinata prædicatio, quia secundum rem ipsam potius subiectum debet esse prædicatum, quam è conuerso. Sic ergo differentia ad genus se habet. Ad speciem autem habet se sicut substantia formalis & perfectiua & determinatiua potentiæ generis, sicut in antehabitis determinatum est in tractatu de specie.

Quomodo differentiæ cõparata ad genus vt vniuersale & ens perfectum, habet modum accidentis, tamen non est accidens.

Quælibet istarum, animal est rationale, animal est rationale vel irrationale, est in secundo modo dicendi per se. Tex. com. 14. 15. 16. & 18.

Quomodo homo est risibilis.

Licet iste, animal est rationale, reducatur ad secundum modum dicendi per se, tamen etiam habet aliquid de primo, licet quoad primum modum sit inordinata: quia prædicatum potius deberet esse subiectum quam è contra.

Secundum igitur ea quæ dicta sunt, patet quòd genus est primum principium differentiæ & speciei: & per consequens etiam proprij & accidentis: quia etiam genus primum subiectum est in natura, à quo habet species, quòd subiectum est indiuidui: sicut enim sæpius dictum est, principium formabile & determinabile in natura omni primum est subiectum in illa natura, sicut materia primum formabile, est primum subiectum in physicis. Est autem & species subiectum secundum aliquid formabile à proprio. Et indiuiduum est subiectum secundum aliquid formabile ab accidente. Etenim subiectum cum sic inueniatur in pluribus per vnam rationem communem existentem in illis, oportet quòd sit in vno primo quod est causa quare conueniat omnibus aliis, sicut docet Aristoteles in principio secundi philosophiæ primæ: & hoc modo ad genus substantiæ reducuntur & species & indiuidua & differentiæ & propria & accidentia: hoc enim modo genus omnium principium est.

Tex. com. 4.

Quomodo tota coordinatio prædicabilium ad genus reducitur.

Eo autem modo quo genus est principium eorum quæ in vna sunt coordinatione prædicabilium, sic genus principium est differentiæ & speciei: & ideò tota coordinatio illa reducitur ad genus, & non ad differentiam: quamuis enim differentia sit formalis respectu generis, & in hoc videatur esse dignior, quam genus: tamen quia principiatur à genere, & non est principium generis, reducitur ad genus vt ad principium: & cum summa in prædicabilibus & prima sint sicut prima principia, vt in antehabitis determinatum est, oportet quòd prima ad quæ reducuntur omnia alia, sint prima genera, & non propriæ differentiæ.

In differentiis est ordo.

Est tamen etiam in differentiis ordo qui est superiorum ad inferiores: qui est ordo superioris & inferioris, quo differentiæ inferiores per additionem ad genera fiunt compositiores & minoris communitatis: sicut est ordo in causis formalibus primariis & secundariis, in quo ordine primariæ causæ virtus est in secundaria, & remanet virtus superioris in causato, quando secundaria subtrahit à causato suam causalitatem. Etiam in hoc ordine quicquid causaliratis habet secunda, totum habet à prima. Sed iste ordo non est ad primum recurrens principium: quia primum omnium principium est genus. Et hæc est vera causa quare differentia non potest esse primum & generalissimum, sed oportet quòd primum vel generalissimum esse generi attribuat.

Quare primum & generalissimum non potuit esse differentia, sed fuit genus.

Hoc est ergo quod Peripatetici de differentia tradiderunt dicentes, quòd intellectus perscrutans & speculans differentiam, non quodlibet eorum quæ sunt sub genere eodem diuidentium esse facit differentiam, sed quod conducit ad esse, & quod eius quod est esse rei pars est. Et dant exemplum: neque enim quod aptum natum est nauigare per scientiam nauticam, erit differentia hominis, quamuis soli conueniat homini & sit proprium hominis: dicimus enim animal diuidentes, animalium quædam apta nata sunt ad nauigandum, illa verò minimè: propriè animal diuidentes ab his quæ non sunt apta nata ad nauigandum: sed hoc proprium quod est esse aptum natum ad nauigandum, non erit essentiale principium completiuum: neque enim pars est essentialis, sed aptitudo quædam eius: & ideirco proprium non est talis aptitudo, quales sunt quæ specificæ & substantiales dicuntur differentiæ.

Quomodo tam genus quam species & indiuiduum sunt principia formabilia.

Ex his ergo quæ dicta sunt, patet quòd erunt specificæ differentiæ, quæ alteratione qualitatis essentialis aliam faciunt speciem, & cum hoc in eo quod quale est prædicantur. Quale enim quid non est simpliciter quale, sed est quale essentiale quid substantiæ perficiens: propter quod manifestum est, quòd differentia

est

est id quod ad esse speciei adducit, & quod est pars esse illius rei quæ simpliciter & perfectum esse habet: conducit enim ad speciem quæ est totum esse indiuiduorum, & est pars esse illius formalis, & conducit ad esse rei quæ est individuum, cuius totum esse est species: & conducit ad esse speciei, & est pars esse rei, hoc est, diffinitionis quæ est dicés esse rei diffinitæ: quia diffinicio constat ex genere & differentia sicut ex partibus, quatum vtraque est assignatio totius: sed dicuntur partes, quia vna dicit totum in potentia, altera dicit totum in actu: cum totum consistat ex potentia & actu sicut essentialibus partibus: non est enim inconueniens, quòd totum essentiale sit in qualibet sua parte secundum esse diuersum: & secundum hoc diffinitio totum dicens esse, constat ex genere & differentia, quia quamuis differentia sit vt forma totum dicens esse in actu, tamen sola non potest diffinire sine genere propter duas causas, quarum prima est, quia differentia sine genetis positione caderet à ratione differentiæ, non enim differentia est aliquorum nisi in genere conuenientium: & si non poneretur genus, non haberet differentia differentiæ rationem & actum, quia nesciretur inter quæ poneret differentiam. Secunda autem causa est: quia tunc diffinitio non respiceret nec in se haberet primum esse ipsius & principium, quod genus est, sicut diximus, & non differentia: & sic non esset diffinitio, quia à fine vno vsque ad alium, esse rei non explicaret: est enim vnus finis, à quo incipit genus quod est finis secundum potentiam. Alius autem finis est, in quo terminatur esse secundum actum quod est differentia. Et ideò diffinitio dicitur diffinitio, quia à fine vno ad alterum, & totum esse finita complectitur. Et sic de differentiis communibus & propris & magis propriis quantum ad intentionem logicam spectat, ista quæ dicta sunt sufficiant: alia enim quæ sunt, spectant ad primum Philosophum.

Quare genus & differentia dicuntur partes diffinitionis, cum dicant totum esse diffiniti.

Licet differentia dicat totum esse diffinitt: non tamen sufficit in diffinitione.

Quare diffinitio sic dicatur.

TRACTATVS VI.

De proprio.

CAPVT I.

De intentione proprij secundum quam de ipso intendit logicus.

POST tractatum de differentia quæ perficit speciem ad esse speciei, intendendum est de proprio, quod vt dicit Boëtius, manat de essentialibus speciei iam per differentiam præconstitutæ per intellectum: non enim manat de genere secundum quod est genus, quia tunc esset indistinctum: nec manat de differentia secundum quod est huiusmodi, quia vltima differentia est vna, & sic proprium non esset nisi vno modo: quod falsum est: & si sequeretur naturam aliarum differentiarum, tunc multiplicaretur secundum habitudines illarum differentiarum: & hoc iterum est falsum. Est ergo proprium quòd manat de substantia speciei iam constitutæ per differentiam coniunctam generi in speciei constitutione.

Quod proprium non manat ex genere, nec ex differentia secundum quod huiusmodi, sed ex substantia speciei.

Huius autem substantiæ quæ est species, diffinitiuum habens esse ex genere & differentia, duplex est consideratio. Consideratur enim prout substantia absoluta & species, & consideratur prout habet esse per inclinationem ad materiam in qua est. Et primo quidem modo non sequitur speciem aliqua habitudo, ex qua manat aliquid aliud quam species, aut non solum illud accidens quod est specialitas & vniuersalitas & huiusmodi quæ non sunt propria hoc modo quo logicus intendit de proprio, & secundum quod proprium est vnum de quinque vniuersalibus. In secunda autem consideratione qua consideratur per inclinationem sine per respectum ad materiam in qua est secundum naturam, multas habet habitudines, ex quibus oriuntur multa consequentia propria. Sicut ex parte quidem materiæ hominis hominem esse carnis nitidæ, equum autem & asinum esse carnis duræ, & hominem esse latorum vnguium, tapacia autem vt leones esse rotundorum vnguium & acutorum, & huiusmodi: & ex parte formæ hominem esse disciplinæ perceptibilem propter subtilitatem sanguinis & spiritus claritatem, quædam autem animalia esse indisciplinabilia, & quædam media esse, & huiusmodi quæ consequuntur formam complexionis: & ex parte quidem animæ intellectualis, hominem esse animal admiratiuum de auditis & visis & generaliter de sensu apprehensis, quædam animalia non esse huiusmodi: & hominem esse risibilem vel flebilem, quædam autem non: & multa talia sunt quæ speciem per respectum, inclinationis ad materiam talem & debitam speciei consequuntur naturam, & non consequuntur indiuiduum secundum quod est indiuiduum hoc vel illud: & si conueniunt in indiuiduo, hoc est, quia indiuiduum illud speciem participat: propter quod etiam proprium de sola specie immediatè prædicatur, & non habet proprium indiuiduum, sed prædicatur de indiuiduo speciei per speciei participationem.

Iam

Iam ergo manifestum in parte, quòd proprium de quo intendit logicus, est vnum quinque vniuersalium, & quartum inter ea, quod est accidens communem naturam speciei consequens in materia speciei determinata secundum naturam: & secundum quod illa natura variatur in materia speciei debita, sic multiplicantur propria. Non ergo proprium logicum est solum quod vocatur propriè proprium, quod conuenit omni, soli, & semper, sed hoc etiam est proprium logicum, quod conuenit omni & non soli, sicut esse bipedem: & id quod conuenit soli speciei etsi non omni indiuiduo eiusdem speciei, vt esse medicum, vel agricolam, vel nauigatorem, per artem medicinæ vel agriculturæ, vel nauigationis disciplinam: & etiam quod conuenit omni &c. soli, sed aliquando & non semper, sicut hominem in senectute canescere, vel albescere senem, aut in processu temporis ætatis nigrescere, & cignum in vltimo ætatis albos omnes dentes habere, & huiusmodi multa inueniuntur. Propter quod Aristoteles tripliciter assignat proprium. Proprium igitur quando, & proprium ad aliquid, & proprium simpliciter: quia proprium ad aliquid, duo comprehendit, scilicet quod conuenit omni, sed non soli: & quod conuenit soli, sed non omni: & secundum hanc intentionem proprii est vnum de quinque vniuersalibus, & prædicatur de specie non essentialiter, quod respondetur ad quæstionem factam per quale, & non de genere, sed de specie: interrogatis enim nobis quid sit Socrates; conuenienter respondemus, quòd homo est. Rursus autem interrogatis nobis, qualis homo sit Sortes, vel qualis species animalis, conuenienter respondemus, quòd est risibilis, vel bipes, vel medicus, vel canus.

Non solum proprium quarto modo est proprium logicum, sed etiam propria primo, secundo, & tertio modo.

Quomodo tria propria de quibus Aristot. meminit in topicis, sunt ista quatuor de quibus Porphirius hic.

Attendatur, quod proprium prout est vniuersale prædicabile illo modo, cadit in modum prædicandi accidentis: quia accidens prædicatur vt commune: quia ex communibus causatur vni speciei & alij, & ex communi vni indiuiduo & alij, & non causatur ex principiis adæquatis speciei secundum naturam illius speciei, quam habet in propria materia. Illa enim principia aut sunt adæquata omnino principiis proprij, aut sunt excessa à principiis proprij, vel excedentia proprij principia. Si sunt adæquata: aut sunt intransmutabilia, propter hoc quod se tenent ex parte speciei: aut transmutabilia, propter hoc quod se tenent magis ex parte materiæ. Et siquidem sunt adæquata principiis speciei & intransmutabilia: tunc manat ex illis proprium quod conuenit omni & soli & semper: & conuertibiliter prædicatur de specie, sicut risibile de homine. Si autem transmutabiliter adæquata: tunc aut est transmutario ex necessitate naturæ: aut est per voluntatem vel appetitum animæ. Et si per necessitatem naturæ: tunc est proprium quando, quod conuenit omni & soli & non semper. Si autem non est per necessitatem, sed per appetitum animæ: tunc est proprium ad aliquid, & non semper, illud scilicet quod conuenit soli & non omni, & est proprium ad illa eiusdem speciei, quibus conuenit, & non ad alia eiusdem speciei quibus non conuenit. Si autem principia speciei excedentia sunt principia intrinseca proprij: tunc conuenit soli & non omni. Si verò è conuerso principia speciei excedantur à principiis essentialibus proprij: tunc erit proprium quod conuenit omni, sed non soli.

Sufficientia modorum proprij.

Oportet enim scire, quòd principia speciei substantiæ sunt: quia species est substantia quæ ex principiis speciei fit: non autem fit substantia ex non substantiis, & ideò principia speciei necessariò substantiæ sunt. Cum autem proprium sit de natura accidentis, quod non est pars esse substantialis, relinquitur quòd principia suæ essentiæ essentialiter ipsum constituentia sunt accidentia: hæc tamen principia proprio essentialia causantur ab illis principibus quæ sunt speciei substantialia. Cuius exemplum dat Auicenna satis conueniens: ex hoc enim quod homo est animal rationale vel intellectuale per principia homini essentialia, sequitur quòd sit admiratiuus de visis & auditis, & quod vehementis fit caloris & spiritus ad faciem, vbi sunt sensus perceptiui protensius vel propensius. Prætensio autem calore & spiritu ad faciem, fit faciei & membrorum in facie positorum dilatatio. Est igitur aptus natus ad ridendum, etiamsi actu non rideat. Econtra autem si non deficiatur sed contraria percipiat, sequitur ad cor caloris & spiritus retractio & cordis constrictio, cuius constrictionem sequitur faciei constrictio & cerebri, quo constricto & per panniculos cerebri compresso sequitur huius lachrymabilis expressio distillans per poros cerebro continuatos per venas & nerbos, & tunc fluit per oculos, per nasum & os, quod est esse flebile. Quas proprietates non possunt participare animalia, quæ huiusmodi prudentiam, & admirationem de apprehensis habere non possunt. Proportionabiliter autem est in aliis propriis, quæ propria sunt quando, & ad aliquid, vt facile patet cuilibet principia speciei in materia intuenti per modum qui paulo ante dictus est.

Principia essentialia proprij sunt accidentia.

Quare homo est risibilis.

Per quam causam homo est flebilis.

Dubium.

Ex hoc autem soluitur difficultas quam quidam induxerunt dicentes, quòd si proprium manat ex principiis speciei: principia autem speciei substantiæ sunt: ex substantiis non fit non substantia: ergo paret, vt videtur, quòd proprium sit substantia. Ad hoc autem si dicatur, quòd duplicia sunt principia: quædam essentialia proprio, quæ sunt habitudines principiorum per speciem constituentium, & hæc sunt accidentia. Sunt etiam principia remota, quæ sunt essentialia speciei, & hæc sunt substantiæ, & sunt principia istorum quæ sunt principia essentialia proprio. Adhuc autem concludere videntur quod intendunt per propositionem hanc, quòd quicquid est principium principij est principium principiati: & si principia speciei sunt principia principiorum proprij, tunc sunt etiam principia proprij: & tunc videtur sequi idem quod prius. Est autem solutio huius, quòd quamuis eadem sint principia speciei & principia proprij, non tamen eodem modo: sed per habitudinem actus ad potentiam sunt principia speciei, & per habitu-

Solutio.

Principia propry duplicia, scilicet propinqua, & remota.

Obiectio.

Solutio.

Quomodo eadem sunt principia speciei, &

proprij, non tamen eodem modo

habitudinem essentiæ totius ad actus vel passiones consequentes naturam speciei in materia sunt principia proprij: & ideò non oportet, quòd sit proprium substantia, quia talis habitudo consequitur esse perfectum, & ideò est de accidentalibus. Sed ad hoc obiiciunt fortius dicentes, quòd cum prædicatur proprium de specie, sicut cum dicitur, homo est risibilis, in ista propositione subiectum est de ratione prædicati, vt dicit Aristoteles: est igitur subiectum in intellectu acceptum & clausum in prædicato: quod enim secundum intellectum conceptum est & clausum in alio, per se & essentialiter conuenit illi: ergo idem est essentiale principium illius, & quod per se & essentialiter est principium alicuius est de essentia ipsius. Cum ergo subiectum sit substantia, oportet quod etiam prædicatum quod est proprium sit substantia. Adhuc idem confirmatur sic: cũ proprium prædicatur de specie, species est causa proprij: aut ergo est causa per se & vniuoca aut per accidẽs & æquiuoca. Si sit per accidens & æquiuoca: tunc hæc non est per se, homo est risibilis: quod est falsũ, quia est in secundo modo dicendi per se. Si autem est per se & vniuoca causa, sed causa per se & vniuoca causato dat naturam sui essentiam & nomen: & si dat naturam & essentiam & nomen, est essentialis causa, & quid de essentia prædicatur: & sic cum subiectum sit substantia, erit prædicatum substantia, vt videtur: & sic non erit passio, vel proprium, sed species: & sic non erunt quinque vniuersalia, sed quatuor tantum, vt videtur.

Obiectio.

Confirmatio.

Solutio. Subiectum non ponitur in definitione passionis, sicut de essentia eius, sed sicut eius causa.

Hæc autem faciliter & cito soluuntur si ad memoriam reuocentur ea quæ in antehabitis determinata sunt: cum enim subiectum est in ratione prædicati, non est in ratione eius sicut quid existens de essentia eius, sed est in eo sicut causa per modum qui est dictus, scilicet aptitudinis consequẽtis esse subiecti: & ideò non sequitur, quòd proprium sit substantia sicut subiectum: sed sequitur, quòd subiectũ quod est quid & substãtia, sit causa quòd talis passio consequatur ipsum, & sit in ipso, cuius inhærentia in ipso causa est, quòd prædicatur de ipso: sed si esset in ipso sicut quid vel esset principium ipsius, tunc bene sequeretur id quod conclusum est. Id autem quod obiicitur de essentiali, dicendum quòd essentiale dupliciter dicitur: est enim essentiale quod est quid essentiæ: & de hoc verum est quod probat obiectio. Est iterum essentiale quod est causa non derelinquens essentiam, cum tamen non sit quid essentiæ: & de hoc non est verum. Hoc modo subiectum est essentiale prædicato & cõceptum in ipso, quando proprium de specie prædicatur, & generaliter propria passio de subiecto: tale ergo est proprium quod quartum est inter quinque. Sic ergo proprium est vniuersale.

Essentiale dupliciter, quid est quid essentiæ, & quod non relinquit essentiam.

Obiectio.

Quamuis proprium & vniuersale secundum rationem nominum proprij & vniuersalis repugnare videantur: quia proprium est quod vni soli conuenit: vniuersale autem quod conuenit multis. Sed ad hoc est dicendum, quòd quamuis proprium conueniat soli: hoc tamen solum est species communis, quæ est in multis potentia, vel actu, vel simul actu & potentia: & quamuis sic soli conueniat, tamen est in multis & de multis, in quibus & de quibus est illud solum cuius ipsum est proprium: & hoc non est contra rationem vniuersalis, vt in antehabitus in tractatu de vniuersalibus in communi determinatum est. Attendendum est enim, quòd verè proprium est, quod conuenit omni & soli & semper, & conuersim prædicatur de illis: & per respectum ad illud accipiunt alia propria, scilicet illud quod conuenit soli, sed non omni, aut omni, sed non soli, aut omni & soli, sed non semper. Diffinitio autem conuenit omni & soli semper, sed est quid, sed non quale. Prædicationem ergo vniuersalis habet proprium, quamquam individua propria non habeat, vt dictum est.

Solutio. Quomodo proprium, quando soli

ẽst proprium respectu speciei, & vniuersale respectu individuorum.

Remouet dubium

Ideò contra hoc quidam obiiciunt dicentes, quòd si hoc vniuersale quod est proprium, non habet particulare: ergo non habet particulare, nisi per aliquid: si autem non habet particulare, nisi per aliquid, cum vniuersale dicatur ad particulare, videtur sequi, quòd non est vniuersale nisi per aliquid: quod autem non est vniuersale, nisi per aliquid, est vniuersale per accidens: proprium ergo non est vniuersale nisi per accidens: & sic non quinque sunt vniuersalia per se, quod est falsum. Sed ad hoc dicendum est, quòd proprium re vera prædicatur de specie cuius est proprium, immediata prædicatione. Sed (vt dictum est) respicit speciem prout est in materia & particulari, ideò prædicatio eius per se refertur ad particularia: & sic per se & non per accidens est vniuersale.

Obiectio.

Solutio.

Si autem dicatur, quòd duorum vniuersalium quorum vnum sub altero non continetur, non debent esse eadem particularia: sicut diuersorum generum & non subalternatim positorum diuersæ sunt species & differentiæ, etiam ita debent esse diuersa individua. Dicendum, quòd est verum de generibus & speciebus: sed de vniuersalibus sic est, quòd plura eorum referuntur adinuicem sicut genus ad speciem & species ad genus, & similiter differentia refertur ad vtrumque illorum, & sic etiam proprium refertur ad speciem: & ideò possunt habere individua eadem, non tamen eodem modo. Alius enim modus individui est hoc animal, & hic homo, hoc rationale, & hoc risibile: quamuis per suppositum omnia hæc eadem sint, est enim Sortes hoc animal, & hic homo, & hoc risibile. Et si individuum formaliter accipiatur: tunc formaliter diuersa sunt individua sicut diuersa sunt vniuersalia. Sed in hoc est differentia, quod hoc animal non habet esse hoc rationale per hoc quòd est hic homo, sed per se: sed hoc risibile habet esse hoc risibile per hoc quod est hic homo, quia risibile principiatur ab homine siue ab hominis specie: animal autem & rationale ab homine non principiantur, sed potius principia sunt hominis. Hoc igitur est quod intendimus de proprio secundum logicam intentionem.

Proprium habet eadem individua materialiter cum specie, non tamen formaliter.

CAPVT

CAPVT II.

De diffinitione proprij & explanatione partium eius.

Proprium vero quadrifariã diuidunt, &c.

HOc autem totum facile patet si considerentur dicta antiquorum in proprij diuisione. Proprium Peripatetici quadrifariam diuidunt: quadrifariam autem diuidere est quatuor modis fari, quia diuisio eius est multipliciter data. Quod non est omninò æquiuocum, nec est purè vniuocum, sed plurium conuenientium in vno nomine relatorum ad vnum, cui principaliter & perfecta ratione conuenit ratio nominis. Nam dicitur proprium quod soli alicui conuenit speciei, & si non omni conuenit individuo eiusdem speciei, tamen erit proprium, quia manat de substantialibus principiis speciei, quamuis principia essentialia proprij non adæquantur principiis speciei, & per transmutationem voluntariam referuntur ad principia speciei: & hoc modo medicum esse vel geometram esse proprium est homini, & est proprium ad aliquid suæ speciei. Et est proprium, quod omni individuo speciei accidit, sed non soli accidit speciei, eò quod principia proprij excedunt propria principia speciei, quamuis non excedant omnia principia ipsius: quemadmodum proprium est homini esse bipedem. Et est proprium, quod conuenit soli speciei & omni individuo eiusdem speciei per aptitudinem naturæ communis, quamuis per accidens impediatur in aliquo, sed non conuenit semper, sed aliquando, vt canescere in senectute. Cum enim homo habeat cerebrum maximum respectu sui corporis & humidissimum, quod non terminatur nisi quandiu calor naturalis fuerit fortis, necesse est, quòd procedente ætate frigescente calore resoluente ipsum, & non dirigente, nec terminante ipsum, putrescere incipiat: & tunc canescit & albescit secundum naturam. Quamuis hoc per accidens impediatur in his in quibus est subtile & pingue humidum facilè per modicum calorem terminabile: propter quod qui molles & subtiles pilos habent, aut non canescunt, aut tardè: mollities enim & subtilitas pilorum, signum est subtilis & pinguis humidi: & hoc est proprium quando. Est etiam proprium quod omni conuenit individuo speciei, & soli speciei, & semper conuenit, eò quod principia proprij adæquantur penitus principiis speciei & immobiliter manant ex ipsis: & hoc est propriè proprium, sicut risibile conuenit homini per aptitudinem naturæ hominis, etiam quando non ridet secundum actum & operationem vsus, dicitur esse risibile, non quòd actu rideat, sed quòd aptus natus ad ridendum est: & hoc modo equo conuenit esse hinnibilem, & asino esse rudibilem, & boui esse mugibilem; & sic sua propria habet quodlibet animal, & etiam quælibet specierum, quamuis nomina propriorum non sint posita, propter hoc quod nobis sunt incognita.

Per quam causam homo canescat in senectute.

Quandoque impeditur canities in senectute.

Dicimus tamen, quòd species & res sub speciebus contentæ multas habent operationes non à qualitatibus actiuis & passiuis quæ sunt in ipsis, sed à tota specie, sicut scamonea dicitur purgare choleram, & saphyrus tremores & antraces pellere. Et hoc dicitur esse eis proprium. Hæc autem sic dicuntur propriè propria: quoniam etiam conuertuntur & conuersim prædicantur de specie vniuersaliter: quicquid enim est equus, est hinnibile: & quicquid est hinnibile, est equus.

Proprietates occultæ vel à tota specie dicuntur proprij.

Attendendum est, quòd quamuis risibile sit proprium hominis, tamen risibilitas non est eius proprium: quia proprium est vniuersale prædicabile: risibilitas autem de homine prædicari non potest: sicut nec prædicatur in differentia rationalitas, sed prædicatur rationale. Et huius causam dicit Auicenna satis conuenientem: quia cum vniuersale notio sit totius eius de quo prædicatur, & dicat ipsum totum vel secundum potentiam vel secundum actum vel secundum naturalem potentiam consequentem ipsum in eo in quo est: sic dicit totum proprium. Taliter autem totum non potest significari per abstractum, sed significatur per concretum. Oportet enim vniuersale concretionis more significari per nomen.

Risibilitas non est proprium hominis, sed risibile.

Quamuis enim sic quatuor vniuersalia quæ sunt genus, & species, differentia, & proprium, concretionis modo significari habeant: non tamen propter hoc sunt denominatiua, sed sunt totius esse nomina nomen & rationem dantis ei de quo prædicantur: quod non faciunt denominatiua, quia ista non sunt nisi vel essentialia eius de quo prædicantur, vel ex essentialibus principiis manantia: denominatiua autem formantur ab aliena natura, quæ per causam non essentialem, sed infinitam esse habent in subiecto: & ideo non essentialiter, sed denominatiuè possunt prædicari. Sicut cum dicitur, homo est albus vel niger, vel aliquid huiusmodi. Hæc autem in doctrina prædicamentorum habent determinari. Talis ergo est intentio proprij apud logicos, & talis est diuisio ipsius. De proprio ergo hæc dicta sufficiant.

Licet quatuor prima vniuersalia concretè significentur, non tamen sunt denominatiua.

TRACTATVS VII.

De accidente.

CAPVT I.

De differentia proprij & accidentis prout accidens est quintum prædicabile.

ANTEQVAM de assignationibus accidentis tractemus quibus antiquis accidens descripserunt, oportet nos de differentia proprij & accidētis secundum quod est vnum de quinque vniuersalibus determinare. In hoc enim Auicen. dicit antiquos qui de quinque tractauerunt vniuersalibus esse diminutos, qui descriptiones accidentis posuerunt antequam distinguerent in qua significatione accidens accipitur, secundum quod est vnum quinque vniuersalium. Cum enim omnè quod est, sit substantia, vel accidens, vt dicit Aristot. & proprium propter hoc quod consequitur esse completum speciei sit accidens, videbitur de necessitate, quòd proprium sit accidens. Et sic si accidens sumitur pro omni eo quod non est substantia, videtur quòd proprium non sit diuisum ab accidente, & vniuersalia non sunt quinque, sed quatuor tantum.

Quod accidens quinta vniuersalitate non distinguatur a proprio. 1. argumentum.

2 argumentum.

Adhuc autem proprium non potest dici essentiale speciei: quia ex quo proprium sequitur totam compositionem speciei, & completum esse ipsius, species intelligitur sine proprio: & cum non sit essentiale speciei, erit vt accidentale speciei, & sic est in natura sicut accidens: & cum in comparatione ad proprium subiectum sit accidentale, totum ponetur in naturam & essentiam accidentis: non ergo erit in aliqua considerātione nisi accidens: & sic iterum sequi videtur, quòd non sint quinque vniuersalia, sed quatuor tantum. Si autem aliquis dicere velit, quòd duplex est comparatio accidentis ad subiectum: idem enim accidens comparatur ad subiectum vt ad substantiam tantum, & hoc est accidens: aut comparatur ad subiectum non vt ad subiectum, sed ad causam, & hoc emanat de principiis subiecti, & est proprium subiecto, & sic differt proprium ab accidente. Hoc stare non potest: quia omne accidens vt dicit Aristoteles in 9. primæ philosophiæ, causatur à substantia, & stabilitur & ordinatur ab ipsa, & sine ipsa est fluens & indeterminatum: & sic sequeretur, quòd omne accidens sit proprium: & sic iterum sequeretur, quòd non essent nisi quatuor vniuersalia, scilicet genus, differentia, proprium, & accidens. Hoc etiam probatur ratione: quia omne quod secundum ordinem naturæ est prius aliquo, est causa ad illud, vt determinatur in libro causarum, & in libro fontis vitæ non potest autem negari quin ordine naturæ substantia sit ante accidens: accidens ergo sic comparatur ad substantiam sicut ad subiectum & ad causam. Hoc autem etiam dicit ratio nominis substantiæ quæ dicitur à substando, eò quod accidenti subsistet vt subiectum & causa.

Text. com. 2.

Adhuc accidens diuiditur in accidens separabile, & inseparabile. Inseparabile autem accidens est, quod causatur à principiis subiecti: proprium autem est accidens à principiis subiecti causatum. Videtur ergo, quòd proprium sit pars accidentis, & in minori ambitu communitatis quam accidens. *3. argumentum.*

Adhuc Auicen. quærit, quid vocatur accidens, quando accidens dicitur vnum quinque vniuersalium? Si enim accidens dicitur id cuius tota natura est accidens, vt color, vel albedo: cum talia sint & genera & species & differentiæ & propria, videtur quòd quinque vniuersalia non differant re, sed modo tantum, vt videtur. Postea talia quædam sunt modum tantum quendam dicentia: sicut cum dicitur, corpus est creatura, vel non creatura, vel factum, vel æternum: tunc talis prædicatio nihil de subiecto prædicaret, nec talis prædicatio posset reduci ad aliquem modum prædicationis quinque vniuersalium. Si autem talis natura non dicitur accidens, sed accidens vocatur denominatum ab accidente, vt album: tunc accidens est idem quod accidentale, quod omninò falsum esse videtur, quia accidentale dicit pluſquam accidens, & dicit subiectum quod non est de essentia vel natura accidentis. *4. argumentum.*

Adhuc quæritur de comparatione huius vniuersalis quod est accidens ad indiuidua de quibus prædicatur. Si enim non habet propria indiuidua, sed habet indiuidua substantiæ: tunc videtur, quòd non sit propriè & per se vniuersale. Si autem habet indiuidua proptia & per se non ab alio vniuersalis: tunc sequitur, quòd cum omne vniuersale habeat esse completum & perfectum quando est in suis indiuiduis, quod accidens completum esse habeat & perfectum, quando est in suis indiuiduis, vt album in hoc albo: & sic accidens completum esse habere potest sine substantia, quod omninò est impossibile. Restat ergo quæstio, quid sit accidens secundum quod est vnum quinque vniuersalium secundum Auicennam & Alfarabium: *5. argumentum.*

Ad hæc & similia non est difficile respondere si benè reuocentur ad memoriam quæ in tractatu primò de vniuersalibus dicta sunt: dictum est enim, quòd omnia ista quinque quantum ad communem modum prædicandi de pluribus vniuersalia sunt, ita quòd sunt in multis & de multis, & quod non æquinocè prædicantur de multis in quibus sunt, & quòd suis particularibus dant nomina sua & rationem, ita quòd vnumquodque suo particulari nomen suum dat & rationem, genus scilicet vt genus, species vt species, differentia vt differentia, proprium vt proprium, & accidens vt accidens: sicut album dat nomen & rationem suam secundum prædicationem accidentis huic albo, de quo prædicatur vt accidens, & cui accidit siue inest vt accidens. *Solutio.*

Quomodo differunt proprium & accidens quòd est quintum prædicabile.

Et quod quæritur de differentia proprij & accidentis secundum quod sunt diuersa vniuersalia prædicabilia de suis subiectis. Dicendum, quòd differunt in hoc quod proprium est accidens manans de principiis essentialibus speciei, & maximè propriè proprium, cuius principia principiis speciei immobiliter sunt adæquata, quemadmodum in tractatu de proprio dictum est. Sunt autem sub principiis speciei principia substantialia indiuidui componentia ipsum, sicut talis anima, & tale corpus, & talis complexio, & talis membrorum compositio, & talis habitudo, & huiusmodi, ex quibus oritur & manat accidens indiuidui, quod secundum quod totum esse significat, & est notio totius sub esse talis accidentis, prædicabile de ipso est, nec idem est ipsi: & hoc sub hoc communi, quod est vniuersale prædicabile de inferioribus, specialem dicit modum prædicandi, qui non est aliquis aliorum quatuor modorum, & ideò ipsum est vniuersale quintum, & ideò etiam vocatur accidens indiuidui, cum proprium dicatur accidens speciei propter causam quæ sæpius dicta est: & ideò deficerent prædicabilia nisi apponeretur aliis quatuor prædicabile accidens. Ideò etiam dicitur accidens commune, quia talis habitudo principiorum communiter in diuersis generibus & speciebus particularium inuenitur. Ideò etiam vocatur accidens infinitum, quia principia stantia non sunt, sed mobilia motu per accidens, qui in omnibus est & infinitus. Et ideò etiam dicitur accidens per accidens, quia talia principia essentialia indiuiduis non sunt determinatè de intellectu accidentis, ita quòd concipiatur in ratione diffinitiua accidentis sicut determinata subiecta, quemadmodum concipitur determinatum subiectum in diffinitione accidentis per se. Tale ergo vniuersale prædicabile de multis per hoc quod notio totius est sub esse accidentali huius accidentis (vt dicit Alfarabius) est vniuersale quintum quod vocatur accidens. Et quia nullum abstractè significatum potest esse notio totius subiecti secundum quod est sub esse substantiali vel accidentali, propter hoc accidens in solo genere accidentis signatum, vt color, vel albedo, non potest esse vniuersale sic prædicabile vt accidens, quamuis possit esse vniuersale vt genus, vel species, vel differentia, vel proprium. Quod dicit Auiconna, quòd accidentale hic accidens vocatur, quando accidens quintum vniuersale dicitur esse, quamuis etiam hoc subiectum dicat & accidens, quæ sunt diuersarum naturarū non ad idem ordinatarum, vt potentia & actus: tamen non prædicatur nisi secundum esse accidentis, quod habet in subiecto, & ideò totum prædicatum vocatur accidens.

Accidens proprium, Accidens speciei idem, Accidens commune, Accidens indiuidui, Accidens infinitum, Accidens per accidens idem.

Accidens in solo genere accidentis signatum non potest esse quintum vniuersale.

Sed cum sui subiecto dicit & accidens.

Ad primum argumentum.

Et secundum hoc non est difficile respondere quæ obiiciendo inducta sunt: quando enim dicitur, quòd omne quod est, aut est substantia, aut est accidens: hoc verum est secundum quod substantia est ens per se, & accidens est ens per aliud in alio: hæc enim diuisio reducitur ad hanc quæ est, quòd omne quod est, aut est per se ens, aut non per se ens: quæ diuiduntur per affirmationem & negationem: & sic proprium, vt dicit Boetius, est de genere accidentium. Secundum autem quod sunt diuersi modi entis per se, secundum quos variatur prædicatum substantiale in quid & in quale, sic sunt diuersi modi entis in alio & per aliud, secundum quos variatur modus prædicationis siue prædicabilis accidentalis. Quoddam enim est in alio & per aliud, ita quòd principia eius sunt adæquata isti, & immobiliter sunt in ipso: & hoc habet modum proprij quod simpliciter est proprium, quia proprium quando, & proprium ad aliquid, deficiunt à proprio simpliciter: & ideò accipiunt secundum aliquid modum accidentis. Propter quod dicit Aristot. in primo topicorum, quòd nihil prohibet accidens fieri proprium quando, & ad aliquid. Vnde talia sunt accidentia aliquid conuenientiæ habentia cum proprio. *Cap. 4.*

Ad secundum argumentum.

Ad hoc quod dicit, quòd accidens per se non est essentiale subiecto, eò quod subiectum secundum esse perfectum natura & intellectu est ante illud. Dicendum, quòd quidem verum est, quòd proprium non est essentiale speciei & subiecto de quo prædicatur: nec hoc dictum fuit, sed potius è conuerso, quod subiectum per principia vniuersalia specificata est essentiale proprio, quia subiectum est in ratione proprij, & non proprium in ratione subiecti: nec dicitur subiectum essentiale proprio siue per se accidenti, quia sit aliquid de natura prædicati, sed quia est causa ipsius à qua sit & in qua fit secundum esse: & ideò dicitur essentiale sibi sicut non derelinquens ipsum actu & intellectu, & non sicut conceptum vt quid vel quale essentiale ipsius, sicut genus & differentia componuntur in intellectu speciei. Hoc autem modo substantia non se habet ad accidens commune siue ad accidens per accidens, sed habet se tantum vt terminus ad quem terminatur esse accidentis sine quo fluidum & incertum est accidens, & sicut fundamentum quo fundatur: & hoc habet substantia vt substantia est, & non vt hæc substantia vel ista: & ideò non per se accipitur in ratione siue diffinitione accidentis. Et ideò hæc non est per se, sed per accidens, cum dicitur, homo est albus: quamuis hæc sit per se, homo est risibilis. Cum enim dicitur, homo est albus, notatur hominem subiectum esse fluxus albedinis, & illud in quo fundatur album, vt sit albedo in ipso, & subiectum

Subiectum non dicitur essentiale proprio, quia sit de natura eius, sed quia causa non derelinquens ipsum actu & intellectu.

subiectum non dicat causam quare accidens sit tale in ipso. Cum autem dicitur, homo est risibilis, homo dicat causam quare risibilitas sit in ipso: & ideo diuersus est modus prædicandi hic & ibi.

Ad tertium argumentum.

Ad hoc autem quod dicitur de accidente separabili & inseparabili, quòd vnum comparetur ad subiectum vt ad subiectum tantum, alter autem comparetur ad subiectum vt ad subiectum & ad causam, & sic proprium sit pars accidentis. Dicendum, quòd quamuis accidens inseparabile comparetur ad subiectum vt ad causam, tamen non sequitur, quòd proprium sit pars accidentis. Comparatur enim proprium ad subiectum quod est species per principia incorruptibilia & immobilia, vt sæpius dictum est: accidens autem inseparabile comparatur ad principia individui quæ sunt mobilia & corruptibilia vt ad complexionem hanc vel ad compositionem hanc facientia, quamuis propter aliquam causam non muterur subiecto manente, sicut nigredo ad Æthyopem, vt dicit Aristoteles in libro de causis particularium: quia semen in matrice decoquitur decoctione forti, & ideò resoluitur humidum clarum, & remanet nigrum terrestre & non clarum. Et cum alia sit comparatio proprij & inseparabilis accidentis ad subiectum, patet quod proprium non est pars accidentis, nisi forte proprium quando, & ad aliquid, quæ sunt simpliciter de natura accidentis, & secundum quid propria, vt dictum est.

Causa nigredinis in Æthyope.

Ad quartum argumentum.

Ad hoc autem quod quæritur, quid hîc dicatur accidens: iam patet responsio in supradictis. Quod autem quæri posset, quæ differentia sit accidentis & accidentalis, ex quo accidens hîc dicitur accidentale, vt dicit Auicen. soluendum est per eundem Auicennam dicentem, quòd accidens dicitur per oppositionem ad substantiam: accidentale autem denominatum est ab accidente & ratione esse accidentalis quod habet prædicatum, & non ratione esse substantialis quod habet subiectum: & ideò dicit, quòd album non dicit albedinem, sed rem albam sub esse albedinis designatam. Et hoc quia in præcedentibus determinatum est vniuersale non prædicari nisi per hoc quod est notio totius esse sui subiecti, hoc sæpius dictum est.

Differentia inter accidens & accidentale secundum Auicennam

Ad quintum argumentum.

Ad hoc autem quod de individuo huius vniuersalis quæritur. Dicendum, quod (sicut alia) quædam propria habet individua: quia aliter non esset per se & vniuoce vniuersale sicut alia: & hoc verum est, quòd vniuersale vt vniuersale non habet perfectum esse secundum actum & naturam, nisi in suis particularibus: & sic hoc album dat perfectum esse albo in vniuersali designato. Sed ex hoc vlterius non sequitur, quin hoc accidentale esse dependeat ad substantiam, vt ad terminum sui fluxus, & sui esse fundamentum: & sic indiget individuo substantiæ. Et hoc ideò, quia est vniuersale quod est accidens, & inquantum vniuersale habet individuum. Et inquantum hoc vniuersale quod est accidens, indiget individuo substantiæ, sicut & de proprio dictum est in antehabito tractatu: propter enim talem diuersum modum prædicandi diuersum est ab illis hoc vniuersale. Sic igitur secundum Peripateticos posteriores determinandum est de intentione accusantis, antequam procedatur ad assignationes accidentis. Propter quod Auicen. Porphyrium redarguit, quòd omissa determinatione accidentis, cuius intentio nota non erat, statim processit ad descriptiones ipsius.

Auicenna redarguit Porphyrium hic.

CAPVT II.

De prima assignatione accidentis data à Porphyrio.

Assignationes accidentis datæ à Porphyrio, & ab aliis Peripateticis, multipliciter dicuntur esse vitiosæ & reprehensibiles, & dicta de accidente prout vniuersale est, ab Auicenna & Algazele & Alfarabio & Iacob filio Alchindi, minus veritatis habere, & esse multipliciter imperfecta in quibusdam non vera, & in quibusdam imperfecta, & in quibusdam ad rem non pertinentia.

Accidens est quod, &c.

Rationes contra diffinitionem Porphyrij de accidente.

Prima.

Quod enim dicunt antiqui in prima accidentis assignatione, quòd accidens est quod adest & abest præter subiecti corruptionem, defuit esse generis. Debuit ergo dici, quòd accidens est vniuersale. Vniuersale enim quinque generibus est pro genere. Adhuc addi debuit differentia contrahens ad prædicabile, quod est accidens, & separans ipsum ab aliis in modo de pluribus prædicandi: vt diceretur sic, accidens est vniuersale prædicatum de pluribus non essentialiter, sed in quale & non in quid: hoc enim esset quare adest vel abest ei de quo prædicatur præter subiecti corruptionem. Adhuc sicut abest præter subiecti corruptionem, ita abest præter subiecti constitutionem, motus enim secundum accidentia (sicut dicit Aristot. 5. Physicorum) est de subiecto ad subiectum eodem subiecto remanente & saluato sub vtroque terminorum motus: & hæc est causa quare adest & abest præter subiecti, de quo prædicatur corruptionem.

Tex. & com. 7.

Dicit etiam Auicenna vitium esse in hoc, quòd secundum hanc assignationem accidentis diuiduit accidens in accidens separabile, & inseparabile: dicentes, quòd dormire vel sedere est separabile accidens, nigrum verò esse coruo & Æthyopi inseparabiliter accidit. Et si obiiciatur, quòd hoc oppositum esse videtur ei quod dicitur in assignatione accidentis, quia si eidem adest & abest præter subiecti corruptionem, tunc omne accidens videtur separabile, & nullum inseparabile subiecto manente. Dant responsionem valdè calumniosam dicentes, quòd accidens separabile est à subiecto secundum intellectum, quia potest subintelligi coruus albus, & Æthyops nitens candore siue colore: nitens autem color non est nisi albus. Hæc autem responsio valdè videtur debilis: quia separabile secundum actum, & separabile secundum opinionem,

Secunda.

nionem vel intellectum, sunt separabilia æquiuocè: & talia in assignationibus diffinitionum poni non debent.

Tertia.

Adhuc autem falsum videtur quod dicunt, quòd præter subiecti corruptionem possit intelligi coruus albus, & Æthiops nitens candore: nigredo enim comparatur ad coruum & ad Æthiopem, vt ad subiectum & ad causam substantialem materiæ & subiecto corui & Æthiopis: & ideò manente coruo secundùm quod coruus est, non potest intelligi coruus albus, vt videtur: quia coruo posito vt subiecto, ponitur causa nigredinis: & posita causa nigredinis nō potest intelligi, quòd albedo insit coruo: vitiosa igitur, vt videtur, talis accidentis assignatio est. & hæc omnia concedit Auicen.

Quarta.

Adhuc autem etiam falsum videtur: quia mors accidit homini, & combustio domui: & neutrum illorum adest præter subiecti corruptionem: adhuc autem generatio. Sic ergo Arabes Philosophi hanc Porphyrij accidentis reprehenderunt descriptionem.

Solutio rationū Arabum & defensio Porphyrij: & quomodo intelligenda sit diffinitio accidētis data à Porphyrio.

Ad hoc quidam Latinorum finxerunt quasdam responsiones, quas quia deliramenta reputo, de eis nullam faciemus mentionem. Est autem veritas de his quæ antiqui dixerunt, quòd accidens est quod abest & adest præter subiecti corruptionem. Ex prima enim vniuersalis diuisione in quinque vniuersalia subintelligi volunt vniuersale, vt sit sensus. Accidens est vniuersale, quod de subiecto prædicatur non essentialiter: & ideò potest inesse subiecto eidem, & abesse ab eodem: nec oportuit ponere, quod per diuisionem à quolibet subintelligi posset. Similiter, dixerunt de hoc quod dicitur de modo prædicandi non essentialiter: hic modus intelligitur ex determinatis in aliis, quæ omnia essentialiter prædicantur secundum primum vel secundum modum dicendi per se, sicut in antehabitis dictum est. Et cum solum accidens residuum sit inter vniuersalia & vltimum, eò quod minus habet de ratione prædicabilis, relinquebatur quòd non essentialiter prædicaretur: & sic indifferenter ad affirmandum & negandum habet se ad suum subiectum, quod adest & abest eidem subiecto, subiecto eodem remanente incorrupto: quod non conuenit alicui aliorum vniuersalium quæ se non habent ad subiecta de quibus prædicantur modo affirmando & modo negando: quia ipsa insunt subiectis actu & intellectu, vel subiecta insunt ipsis prædicatis secundum intellectum: quod non inest subiecto accidentis, nec etiam prædicato.

Solutio prima.

Solutio secunda.

Quod autem subiungitur de diuisione accidentis: ratio est vt ostendatur assignatio vera de vtroque accidente. Et de separabili quidem planum est quod dicitur. De inseparabili etiam verum est: quia docet Aristoteles, quòd alteratio est, quando eodem manente subiecto motus fit in suis passionibus: motu autem facto secundum inseparabile accidens non potest negari, quin sit motus alterationis & non substantiæ: oportet igitur, quòd maneat idem subiectum saluatum secundum esse substantiale: quia aliter motus esset aut de non subiecto ad subiectum, aut de subiecto ad non subiectum: & hæc est necessitas quæ compulit antiquos dicere, quòd secundum inseparabilia accidentia prædicatio est accidentis, quod adest & abest præter subiecti corruptionem. Est enim constitutio subiecti duplex, secundum esse scilicet simpliciter, & secundum esse talis vel talis complexionis. Secundum esse simpliciter constituitur solis principiis substantiæ quæ sunt forma & materia ad speciem vel ad individuum speciei determinata. Secundum autem esse talis vel talis complexionis constituitur ex qualitatibus principiorum substantialium, & non ex ipsis principiis. Cuius signum est: quia si ouum corui accipiatur, & argento viuo in humore viscoso sicut est vngue arietum arboris vel cati (quæ frigida sunt animalia) circumliniatur, & nidus in frigidissimo sit loco, sicut in summis montibus frigidis, erit ex ouo coruus albus, & aliquando erit albus ex sola loci frigiditate: & hoc non esset nisi principia substantialia à talibus accidentibus essent separabilia. Est enim manifestum, quòd Æthiops in locis frigidis paulatim albescit propter eandem causam.

Ad quartum quod contingit coruum nasci album.

Quod autem obiicitur, quòd talia inseparabilia ad subiectū comparantur vt ad causam: & hoc est, quia subiectū ibi cum substātia & principiis substātiæ talem in ratione & in nomine suo designant complexionem. Si autem subiectū sine tali complexione supponatur: tūc manente eodem subiecto adest & abest accidens. Et quod dicit separationem secundum opinionem vel intellectum, & separationem secundum actum esse in æquiuocis: dicendum quòd verum esset, nisi separabilitas illa non esset nisi in anima & non in subiecto; ille autem intellectus refertur ad rem, vt dictum est: & ideò non est peccatum æquiuocationis.

Solutio tertia.

Ex hoc patet solutio eius quod obiici potest, quòd ita etiam subiectum proprij potest intelligi sine proprio: & sic separari secundum intellectum posset illud quod est proprij proprium. Quia patet, quòd hoc non est verum: quia proprium dependet per substantialia principia ad speciem. Et ideò intelligi non potest sine specie: quia species est in intellectu proprij, vt prius dictum est.

Obiectio.

Solutio.

Quod autem contra assignationis illius veritatem obiicitur de morte & combustione: dicendum, quòd deliramentum est in veritate quod dicunt Latini, quòd & post combustionem domus adhuc intelligatur: hic enim intellectus penitus est contra rei naturam. Quod etiam dicatur, quòd adhuc remanet in elementis mortuus vel in prima materia, absurdissimum est: quia vt in primo de generatione dicit Aristot. subiectum est generationis & corruptionis, & non motus illius qui est secundum accidentia: illius enim motus subiectum est subiectum in forma substantiali saluatum secundum Aristot. doctrinam.

Impugnatio solutionis Latinorum.

Ad quartum.

Tex. com. 24.

Vnde dicendum, quòd mors mortuo non est accidentale, nec etiam combustio combustibili domui, quinimo & per se & essentiale est, hoc mortuum in esse substantiali interiit, & combustum interiit, sicut hoc decollatum per se interiit vel interfectum interiit secundum interfectionem: mors enim est dissolutio principiorum vitæ substantialium in eo quod mortuum

Solutio vera.

Vide primo topic. cap. de accidente, quia videtur aliter dicere.

tuum non est: & combustio dissolutio principiorum continentium figuram domus: tale ergò prædicatum, mortuum non est, vel combustum non est, per se & essentialiter est in subiecto: & ideò inter accidentalia computandum non est: accidens enim de quo intenditur hîc, non est id quod diuidit ens cum substantia, sed est idem quod accidentale prædicatum, quod est accidentalis notio siue designatio.

Obiectio. Et si obiiciatur, quòd tale accidens est fluxibile & corruptibile, & ideo vniuersale non potest esse, quia vniuersale est incorruptibile. Dicendum, quòd accidens vt hoc accidens vel illud in hac materia vel alia acceptum est corruptibile & fluxibile: sed vt abstractum ab hoc & illo in vniuersali acceptum, est per rationem incorruptibile, sicut & alia vniuersalia. Sic enim saluatur dicta assignatio Peripateticorum.

Soluitio. Quomodo accidens est vniuersale: licet sit corruptibile.

CAPVT III.

De secunda & tertia assignatione accidentis data à Porphyrio.

Sic autem assignata accidentis descriptione per modum inhærentiæ subiecto de quo prædicatur, aliam etiam induxerunt accidentis assignationem penes causam inhærentiæ sumptam, dicentes, quòd accidens est quod contingit eidem inesse vel non inesse. Sic enim intelligitur quod dicunt, quòd contingit eidem inesse & non inesse, vt contingens sit ad vtrumque. Contingit enim inesse quod non habet suæ inhærentiæ causam essentialem: & contingit eidem non inesse quod non habet essentialem causam quæ impediat, quòd non insit: & est conueniens omni accidenti, etiam inseparabili, sicut nuper ostensum est: principia enim quæ in subiecto accipiuntur & sunt accidentis inhærentis principia, contingentia & non essentialia sunt principia: & ideò quicquid ex talibus principiis contingit inesse, contingit etiam non inesse contingenter mutatis principiis. Et hæc assignatio separat hoc prædicatum quod est accidens ab omnibus aliis. Genus enim prædicatum est quod essentialiter inest ei de quo prædicatur, vt ens de ratione eius de quo prædicatur. Similiter differentia tale est prædicatum, & eodem modo species: proprium autem non inest nisi per intellectum speciei in propria. Solum autem accidens per contingentem causam dicitur inesse, & per contingentem causam dicitur non inesse: propter quod etiam minimè habet de ratione prædicationis, & per consequens minimè habet de ratione vniuersalis: quamuis forte de pluribus prædicetur, quam genus, vel species, vel proprium, vel differentia. Est tamen vniuersale & prædicabile quod contingit totum & sub esse tali accidentali designatur. & ideò homen tale (esse totius subiecti designans) notio est ipsius, vt idem prædicatur de subiecto.

Diffinitur sic accidens &c.

Secunda diffinitio accidentis, & in quo differat a prima.

Accidens minimè habet de ratione prædicationis & vniuersalis, licet sit de prædicato.

Propter quod etiam tertiam induxerunt accidentis assignationem dicentes, quòd accidens est quod nec genus, nec species, nec differentia, nec proprium sit, semper autem subiecto inest subsistens. Quam diffinitionem non satis rationabiliter reprehendit Auicenna dicens, quòd hoc quod apponitur, semper autem subiecto inest subsistens: omnino otiosè apponitur, & contra intellectum eorum quæ in aliis assignationibus dicta sunt. Otiosè quidem: quia cum accidens dicatur quasi cadens, eò quod non sit simpliciter ens, & sit potius entis quam ens: non oportuit ponere quod in subiecto est: non enim propriè est in subiecto, sed est aliquo modo subiecti aliquid potius quam sit, hoc est, esse habeat in subiecto: non enim habet esse in subiecto, sed subiectum secundum quod subiectum habet esse secundum ipsum. Et quod dicitur, subsistens accidens, dicit Auicenna nihil significare: sed vox est non significatiua, sicut buba, vel bultrix: accidens enim si accidens est, nullo modo subsistit, quia non habet subsistentiam aliquam sed in subiecto tantum est, ita quod hæc determinatio in subiecto determinat rationem essendi vel subsistendi. Et non est nisi secundum quid, quod non nisi in subiecto est: & sic superflue ponitur subsistens: & est sensus, quod accidens est subsistens, hoc est, quandiu est in subiecto est: & quando in subiecto non est, tunc non subsistit, nec est.

Tertia diffinitio accidentis. Vel quod non genus, &c.

Rationes Auic. contra tertiã diff.

Hæc autem assignatio aliis impugnatur modis: quia eadem ratione posset dici de quolibet aliorum vniuersalium sic, quòd genus est quod nec accidens, nec species, nec differentia, nec proprium est, semper autem in subiecto est. Et similiter posset de aliis dici per negationem aliorum. Adhuc autem accidens non semper est in subiecto si adest & si abest præter subiecti corruptionem.

His autem omnibus & similibus non est difficile respondere, consideratis secundum logicam intentionem vniuersalibus: hoc enim modo accidens prædicatum maximè ab inhærentia subiecti deficiens est: & ideò per negationem aliorum describitur. Sed est priuatio per negationem habitus, non quod penitus sit priuatio, sed quia priuationi simile & priuationi propinquum, quia priuatur inhærentiæ certa causa: & hoc non est in aliis. Quamuis negatio nihil certificet: tamen cum terminatur ad ea quæ negat, certificat aliquo modo.

Solutio rationũ Auic.

Quare accidens per negationẽ aliorum describitur.

Et quod dicitur, quod non semper est in subiecto. Dicendum, quòd ista obiectio prouenit ex malo intellectu illius assignationis: non enim vult dicere, quòd simpliciter sit in subiecto, sed potius quod accidens prædicatum subsistens, hoc est, dum est, non habet esse nisi in subiecto: & ideo ad subiectum secundum suum esse semper habet inclinationem: & quando non est in subiecto, tunc non est. Hoc est ergo quod antiqui de accidente dixerunt, quòd accidens est quod adest & abest præter subiecti corruptionem. Diuiditur autem in duo, scilicet in separabile, & in inseparabile. Obtimire separabile accidens est: nigrum verò inseparabile est coruo & Æthiopi: & tamen vtrique accidit, potest enim subintelligi coruus

coruus albus, & Æthiops nitens candore præter subiecti corruptionem.

Diffinitur autem accidens adhuc sic, accidens est quod contingit eidem inesse & non inesse: Adhuc ergo diffinitur sic, accidens est quod nec genus, nec species, nec differentia, nec proprium est, semper autem subiecto inest subsistens.

Omnibus his ergo vniuersalibus secundum intentionem logicam sigillatim determinatis, quæ proposita fuerunt in enuntiatione superius habita in primo tractatu: dico autem genus, speciem, proprium, & accidens: dicendum deinceps quæ eisdem communia, & quæ propria sint.

TRACTATVS VIII.

De communibus in quibus conueniunt, & differentiis quibus differunt quinque vniuersalia.

CAPVT I.

De eo in quo communicant omnia quinque vniuersalia.

Commune quidẽ omnibus est, &c.



Manifestus autem quæ de vniuersalibus sigillatim dicenda videbantur exactis, nunc demum restat dicere de omnibus in quibus conueniunt, & de differentiis in quibus differunt adinuicem. Primum autem dicemus de his quæ omnibus simul sunt communia. Dicemus autem, quòd commune est quidem omnibus simul, quòd inest eis de pluribus prædicari. Hoc enim omnibus necesse est conuenire: quia vniuersale quod est genus ipsorum, etiam per hoc diffinitur: quia vniuersale est, quod est in multis & de multis: in multis autem esse causa est, quod prædicetur de illis: & de multis esse idem est ei quod est de multis prædicari. Hoc autem quamuis omnibus quinque commune sit, differenter tamen conuenit eis: quia genus quidem de speciebus suis & indiuiduis generis & speciei prædicatur per hoc quod est in illis secundum actum & secundum intellectum. Et similiter differentia cum sit generalis, prædicatur de speciebus & de indiuiduis specierum per hoc quod vt quale essentiale est in illis secundum actum & secundum intellectum. Vt quod de differentia vltima conuertibili cum specie posset contra hoc obiici, iam in tractatu de differentia determinatum est. Species autem prædicatur de pluribus, quia prædicatur in quid de ipsis quæ sub ipsa sunt indiuiduis. Similiter autem & proprium prædicatur de pluribus: quia quamuis de vna sola specie prædicetur, tamen quia species est in indiuiduis vt totum esse indiuiduorum, propter hoc etiam proprium prædicatur de omnibus illis speciei indiuiduis, & sic de pluribus prædicatur. Accidens autem etiam de pluribus speciebus & aliquando de pluribus generibus, vt album de cigno, & de niue, & cæteris, & etiam prædicatur de indiuiduis tam generum quam specierum.

Hoc autem & inductione probatur & exemplo: animal enim quod est genus, de homine & de boue prædicatur, quæ sunt plures species & de equo: prædicatur etiam de hoc equo, & de hoc homine, quæ sunt indiuidua. Irrationale verò quod est differentia vel loco differentiæ diuisiuæ positum, de equo, de boue, & de harum specierum particularibus prædicatur. Species autem specialissima, quæ solum species est & non genus, prædicatur de pluribus: prædicatur enim de his quæ sunt illius speciei particularia, vt homo de his qui sunt particulares homines. Proprium verò quod est risibile, prædicatur de homine vt de vna sola specie, & prædicatur de his qui sunt particulares homines. Nigrum autem quod est accidens inseparabile, prædicatur & de specie corporum, & de his qui sunt particulares corui.

Accidens genus prædicatur de indiuiduis, quam de specie: essentia autem proprium.

Sed differenter se habet in prædicando accidens ad proprium: quia prædicatio proprij per speciem venit ad indiuidua. Prædicatio autem accidentis cum accidens, sit in indiuiduo per se, prius prædicatur de indiuiduo, & per indiuiduum venit ad speciem: & hoc quidem est accidens inseparabile. Similiter prædicatur moueri de homine, & de equo & de eorum indiuiduis quod est accidens separabile. Sed, sicut dictum est, accidens principaliter prædicatur de indiuiduo: secundo verò loco prædicatur de his speciebus quæ continet sub se indiuidua.

Huic autem communitati adducunt Auicenna & Algazel ex illa aliam causam, quæ similiter omnibus communis est vniuersalibus: & hæc est, quòd quæcunque essentialiter prædicantur de prædicato, omnia etiam prædicantur de subiecto: vt si animal, vt genus prædicatur de homine, omne quod substantialiter prædicatur de animali, prædicatur essentialiter de homine: vt si animal est viuum & substantia, erit homo viuum & substantia. Similiter in differentia, si homo est rationalis, & rationale sensibile, & si sensibile animatum, & homo animatum erit. Similiter de specie: quia si species est homo, & homo animal, & animal

ſubſtantia, erit Sortes animal & ſubſtantia. Eodem autem modo eſt de proprio: quia ſi homo eſt riſibile, & riſibile admiratiuum, & admiratiuum ſuſpenſiuum ad rerum inueſtigationem, erit homo admiratiuum, & rerum inueſtigatiuum. Et ſic eſt de accidente: quia ſi homo eſt album coloratum vel viſus diſgregatiuum, erit homo huiuſmodi. Et ſic eſt generaliter in omnibus. Et hoc eſt propter quod iſta quinque vniuocè ſunt vniuerſalia: & ideò quæcunque prædicantur de prædicato, omnia de ſubiecto conuenit prædicari.

CAPVT II.

De tribus communibus generi & differentiæ.

Commune quidem generi & differentiæ, &c. Premiſſi communæ generi & differentiæ.

SIgnatæ communitate omnium ſimul, commune generi & differentiæ dicamus, quæ prima ſunt inter vniuerſalia, vt habitum eſt in præmiſſis. Dicitur ergo, quòd generi & differentiæ commune eſt, quòd vterumque ſpecies contineat in ambitu ſuæ communitatis: continet enim differentia ſpecies: quamuis non omnes illas ſpecies contineat, quas continet genus: & hoc ideò eſt, quòd differentia eſt diuiſiua: & per hoc quòd eſt diuiſiua, ponitur ſub genere, & efficitur minus communis, quã genus. Rationale enim quod eſt differentia, etiam quamuis non contineat ea animalia quę ſunt irrationalia, quæ oppoſita differentia conſtituuntur, quæ continet genus quod eſt animal diuiſum rationali & irrationali vt oppoſitis differentiis: continet tamen plures ſpecies, continet enim hominem & Deum vel deos, quæ ſecundum Stoicos ſunt ſpecies animalis. Quod quidem exemplum quamuis ſimpliciter inconueniens ſit, tamen vtimur eo, quia non diſcutimus hìc de veritate exemplorum: ſed vtimur tantum eis ad propoſitæ intentionis manifeſtationem. Tam genus autem quam differentia prædicatur de pluribus ſpeciebus dicit Auicen. quòd quamuis non ſit neceſſarium, tamen non eſt impoſſibile, quia in pluribus hoc inuenitur.

Exemplum ſecundum Stoicos, quod tamen non eſt verum.

Dubium tamen quod ex hoc oriri poſſet, in præcedentibus eſt ſolutum tam ex parte generis, quam ex parte differentiæ: ſed certum eſt quòd dicit Auicen. quòd quamuis non ſit neceſſarium, tamen non eſt impoſſibile: quia in pluribus hoc inuenitur, quod quantum eſt de aptitudine naturæ tam genus quam differentia in pluribus ſunt ſpeciebus.

Secundum commune generi & differentiæ.

Secundum autem quod generi & differentiæ commune eſt, hoc eſt, quia quæcunque prædicantur de genere vt genus ſubiecti ſiue ſpecie, & hoc eſſentiali prædicatione, prædicantur etiam de his ſpeciebus quæ ſunt ſub ipſo genere. Similiter quæ prædicantur de differentia eſſentialiter, vt differentia differentiæ ipſius, prædicabuntur etiam de ſpecie quæ eſt ſub ipſa differentia. Eſt autem ſub differentia ſpecies conſtituta per differentiam. Hoc autem patet exemplo: cum enim genus ſit animal, prædicatur de eodem ſubſtantia vt genus, & animatum vt differentia: & non ſolum de eodem animali hæc prædicantur, ſed prædicantur etiam hæc eadem de his ſpeciebus quæ ſunt ſub animali vſque ad indiuidua, de quibus etiã prædicantur, quia illa vltima illarum ſpecierum ſunt ſubiecta. Similiter cum rationale ſit differentia, de hac prædicatur vt differentia, quod eſt ratione vti: quod quidem ratione vti non ſolum prædicatur de differentia quæ eſt rationalis, ſed prædicatur etiam de his ſpecibus quæ ſub hac ſunt differentia quæ eſt rationale, & de indiuiduis eorum, & de homine, & de diis.

Obiectio.

Quod autem dicitur aliquid prædicari de differentia vt differentia, conuenire non videtur his quæ in tractatu de differentia dicta ſunt: ibi enim probatur, quòd differentiæ non eſt differentia. Quamuis autem differentia non habeat differentiam vt formam: differentia tamen cum ſit naturalis potentia, habet actum & finem: & ſic ad actum & finem comparata, aliquid habet prædicatum de ipſa per modum differentiæ: & hoc non eſt contrarium his quæ in antehabitis dicta ſunt.

Soluitur. Quamuis differentia non habeat differentiam aliquo modo, habet tamen.

Tertium communitas generis & differentiæ.

Adhuc autem eſt tertia communitas generis & differentiæ, quòd peremptо genere & differentia, neceſſe eſt ſimul perimi ſpecies quæ ſunt ſub ipſis: ſi enim non ſit animal, ſequitur quòd non ſit equus vel homo: & ſimiliter ſi non ſit rationale quod eſt differentia, ſequitur quòd nullum erit vtens ratione, ſicut homo, vel Deus. Et huiuſmodi cauſa eſt, quia genus eſt quid & ſubſtantia ſpeciei: differentia autem forma eſſentialis: & ideo peremptis his neceſſe eſt deſtrui ſpecies quæ ſunt ſub ipſis.

CAPVT III.

In quibus differunt genus & differentia.

Prima differentia generis & differentiæ.

PRoprium autem eſt generis & differentiæ in quo genus & differentia diſtinguuntur, ita quod generi quidem conuenit de pluribus prædicari quam differentia: quia cum differentia ſit diuiſiua, partem accipit vnam eorum de quibus prædicatur genus. In hoc autem etiam à ſpecie & proprio diſtinguitur genus: quia de pluribus quam ſpecies & proprium prædicatur, cum ſpecies de ſolis indiuiduis, proprium autem de ſola ſpecie & de his quæ ſub ſpecie ſunt indiuiduis prædicetur. Genus autem vt genus prædicatur de his quæ continentur ſub oppoſitis differentiis, & de ſpeciebus pruribus quam accidens: quia cum accidens non indiuiduetur niſi per ſubſtantiam, prædicabitur de ſubſtantiæ indiuiduis non omnibus: genus autem & maximè generaliſſimum de valdè pluribus prædicatur, & ſubalternis & ſpecialiſſimis.

Proprium autem generi eſt de pluribus, &c.

Et hoc quidem patet per inductionem & per exemplum: animal enim quod eſt genus, de homine, equo, aue, & ſerpente prædicatur, quæ differunt genere & ſpecie bipedis & quadrupedis & volatilis & greſſibilis & reptibilis: quadrupes autem quod eſt differentia prædicatur,

prædicatur tantum de quatuor pedes habentibus: homo verò quia eſt ſpecies, de ſolis indiuiduis prædicatur, cum ſpecies ſit & non genus, & ſit ſpecies ſpecialiſſima. Et hinnibile cum ſit proprium de ſolo equo prædicatur, & de his particularibus quæ ſunt ſub equo. Accidens autem etiam ſimiliter prædicatur de paucioribus quam genus: quia non poteſt eſſe, quòd vnum accidens omnibus quæ ſunt in genere conueniat, vt album, vel nigrum.

Remouet dubium.

Quod aliquis autem inſtet ſophiſticè contra ea quæ dicta ſunt, quòd genus ſcilicet de pluribus prædicatur quam differentia. Dico, quòd oportet accipere differentias quibus genus diuiditur: quia illæ veræ ſunt differentiæ, patet per hoc quia ſunt generis diuiſiuæ, & ſpeciei ſub genere conſtitutiuæ: acceperunt enim partem generis quod diuidunt & ponunt ſub genere: & ideo in pauciora ſunt quam ipſum genus.

2. Differentia.

Amplius autem ſecunda differentia eſt, quòd genus continet differentiam poteſtate, vt in antehabitis determinatum eſt. Hoc autem per exemplum probatur: quia animal genus duo eſt per prædicationem: eſt enim & hoc rationale, & hoc irrationale, & prædicatur de vtriſque: differentia autem de altero tantum prædicatur.

3. Differentia.

Amplius tertia eſt differentia, quòd genera quidem priora ſunt natura his quæ ſub ſe ſunt differentiis: quia differentiæ exeunt de generis poteſtate, & ideò ſunt poſteriores natura: ſed actus poſterior eſt potentia in eodem. Huius autem ſignum eſt: quia ſublatis generibus ſimul auferuntur differentiæ quæ ſunt ſub genere: ſed ſublatis differentiis non oportet, quòd ſimul genera auferantur. Et hoc patet per exemplum: ſublato enim animali quod eſt genus, ſimul auferetur rationale & irrationale, quæ ſunt differentiæ animalis. Differentiæ autem ſublatæ, non ſimul genus auferuntur: nam ſi omnes diuiſiuæ animalis differentiæ auferantur, adhuc tamen poteſt intelligi ſubſtantia animata ſenſibilis quæ eſt animal ſecundum eſſe animalis, vt eſt genus. Quamuis enim dicat Ariſtot. quòd deſtructis primis impoſſibile eſt aliquid aliorum remanere, hoc intelligendum eſt ſecundum eſſe perfectum quod habent ſuperiora in inferioribus: ſed ſecundum eſſe intellectuale quod ſuperiora habent in ſuis principiis, nihil prohibet manere ſuperiora etiam deſtructis inferioribus in quibus eſſe accidit ipſis.

Quomodo intelligatur illud dictum Ariſtotelis, quòd deſtructis primis impoſſibile eſt alia remanere.

4. Differentia.

Amplius quarta eſt differentia, quòd genus quidem in eo quod quid eſt prædicatur: differentia verò in eo quod quale quid eſt prædicatur, quemadmodum in antehabitis de genere & de differentia dictum eſt.

5. Differentia.

Amplius quinta differentia eſt, quòd genus quidem proximum vnum eſt ſecundum vnamquamque ſpeciem quod in ea contrahitur ad ſpeciem conſtituendam: differentiæ verò contrahentes ſunt plurimæ, quæ licet ſecundum Auer. vt differentiæ generis ſint determinationes, tamen in eodem motu à potentia prima generis ad ſpeciem dicunt formas ſecundum rationem ſibi ſuccedentes: eo quod motus eſt forma poſt formam, ſicut dicit Auer. ſuper 3. phyſicorum, vt hominis id quod animal vnicum eſt genus. Differentiæ verò plurimæ, vt rationale mortale, mentis diſciplinæque perceptibile. Dicitur enim mens à metior meritis, eò quod ſicut dixit Pythagoras, omnia ratione menſurantur & intellectu: & ſic homo efficitur diſciplinæ & ſcientiæ perceptibilis. Et hæc eſt differentia illius differentiæ quæ eſt rationale, ſicut prius diximus, quia hoc modo in comparatione ad actum vel finem, nihil prohibet dicere differentiam eſſe differentiæ. *Com. 4.* *Mens vnde ita dicatur ſecundum Pythagor.*

Amplius autem ſexta differentia eſt, quòd genus quidem in conſtitutione ſpeciei conſimile eſt materiæ per hoc quod formabile & diſtinguibile eſt: differentia verò ſimul eſt formæ per hoc quòd eſt forma formans & diſtinguens, vt in antehabitis determinatum eſt. *6. Differentia.*

CAPVT IV.

De compendio dictorum circa generis & differentiæ tam communis quam propria.

Commune quidem omnibus eſt, &c.

DIcta autem antiquorum de his quæ dicta ſunt, breui compendio & facili comprehendi poſſunt. Dicunt enim quod commune quidem omnibus vniuerſalibus eſt de pluribus prædicari: genus enim quidem de ſpeciebus, & de indiuiduis, & de differentia prædicatur. Species autem de his quæ ſub ipſa ſunt indiuiduis. At verò proprium de vna ſola ſpecie, & de his quæ ſub vna ſola ſpecie ſunt indiuiduis prædicatur. Accidens autem & de ſpeciebus & de indiuiduis prædicatur. Hoc autem per inductionem probatur, & per exemplum: nam quia animal de boue prædicatur, & de homine, & de equo, quæ ſunt diuerſa ſpecie: & de hoc equo, & de hoc homine, quæ ſunt indiuidua. Irrationale verò de boue, de equo, & de particularibus omnibus quoque harum ſpecierum prædicatur. Species autem, vt homo, ſolum de his qui ſunt particulares homines prædicatur. Proprium autem quòd eſt riſibile prædicatur de homine, & de his quæ ſunt particulares homines. Nigrum autem de ſpecie corporum, & de his qui ſunt particulares eorũ prædicatur: quod nigrum eſt accidens inſeparabile. Moueri autem de homine & equo prædicatur quod eſt ſeparabile accidens: ſed prius quidem de indiuiduo prædicatur cum ſit accidens indiuidui, ſecundo verò loco prædicatur & de ſpeciebus quæ continent indiuidua.

Commune autem generi & differentiæ, &c.

Commune autem eſt generi & differentiæ primo quidem continentia ſpecierum: continet enim differentia ſpecies, etſi non tot quot continet genus: rationale enim, etſi non continet irrationalia, quemadmodum irrationalia continet animal, tamen continet hominem & Deum qui ſunt ſpecies animalis. Commune etiam generi & differentiæ eſt, quòd quæcumque prædicantur de genere vt genus, & de his quæ ſunt ſub ipſo ſpeciebus prædi

prædicantur. Et quæcunque de differentia vt differentia prædicantur, etiam de ea quæ sub ipsa est specie prædicantur: nam cum genus sit anima, non solum de eodem genere prædicantur vt genus substantia & animatum siue viuum, quæ genera animalis sunt, sed prædicantur etiam de his quæ sub animali sunt speciebus vsque ad earumdem specierum & generum individua. Cumque rationalis sit differentia, prædicatur de ea vt differentia id quod est vti ratione: & hoc non solum prædicatur de eo quod rationale, sed etiam de his quæ sunt sub rationali speciebus prædicabitur, scilicet ipsum quod est vti ratione. Commune est item generi & differētiæ, quòd perempto genere & perempta differentia simul perimi species est necesse quæ sunt sub ipsis: quemadmodum si non sit animal, non est equus nec homo: aut si non sit rationale, nullum erit animal quod vtatur ratione.

Proprium autem generis est de pluribus, &c.

Proprium autem generis (quod genus distinguit à differentia) est de pluribus prædicari, quam differentia, & species, & proprium, & accidens. Animal enim de homine, de equo, & aue, & serpente prædicatur. Quadrupes autem quod est differentia, non prædicatur nisi de quatuor pedes habentibus animalibus. Homo verò cum sit species, de solis prædicatur individuis hominis. Et hinnibile cum sit proprium, de solo prædicatur equo, & de his qui sunt equi particulares. Et accidens similiter de paucioribus prædicatur, quam animal: quia non contingit vnum accidens commune omnibus accidere.

Ne autem sophistice aliquis instet contra prædicta, dicimus quòd oportet accipere differentiam diuisiuam quæ diuiditur genus, & non eas quæ complent substantiam generum in specierum constitutione, sicut actus complet potentiam.

Amplius autem differunt in hoc, quòd genus quidem suæ communitatis ambitu potestate continet differentias. Animal enim cum sit genus, est etiam hoc rationale, vel illud irrationale. Amplius autem adhuc differunt: quia genera quidem priora sunt his quæ sunt sub se positæ differentiis: propter quod simul ablata auferunt differentias: non autem simul auferuntur ablatis differentiis, sublato enim animali auferuntur rationale & irrationale, quæ eius sunt differentiæ. Differentiæ autem ablatæ non simul auferunt genus: nam si omnes differentiæ animalis interimantur, tamen substantia animata sensibilis potest intelligi: non autem posset intelligi, nisi secundum esse intelligibile remaneret. Amplius & in hoc differunt, quòd genus quidem in eo quod quid est, differentia verò in eo quod quale quid est, quemadmodum dictum est, prædicatur. Amplius etiam in hoc differunt, quòd genus vnum est vnitate essentiæ generis secundum vnamquamque speciem: non constituitur enim species, nisi in vno genere existente in ipsa, sicut hominis genus vnum est id quod est animal. Differentiæ verò sunt plurimæ in vnius speciei constitutione, propinquæ scilicet & remotæ, in homine rationale mortale, mentis disciplinæque perceptibile, quibus ab aliis animalibus differt homo. Amplius etiam in hoc differt genus à differentia, quòd in speciei constitutione, genus quidem consimile est materiæ, differentia verò consimilis est formæ. Cum autem & alia multa sint communia in quibus conueniunt, & propria in quibus differunt genus & differentia, nunc ad propositam intentionem ista quæ dicta sunt sufficiant.

CAPVT V.

De communibus & propriis generis, & speciei.

Primū cōmune generis & speciei. Genus autem & species cōmune quidem, &c.

NVnc autem assignanda sunt communia & propria generis & speciei. Dicimus ergo, quòd genus quidem & species commune habent de pluribus prædicari, per hoc quòd vtrumque eorum vniuersale est quod est in multis & de multis. Sed talis communitas quamuis conueniat tam generalissimo quam generi subalterno, & similiter specialissimæ speciei subalternæ: tamen secundum quòd hic communia generi assignamus & speciei, intendimus quòd genus sumatur vt genus & non vt species, & species sumatur vt species & non vt genus: quamuis ad diuersa comparata quædam istorum possint esse genera & species: ideò maximè ista conuenit generi quod est genus tantum, & speciei quæ est species tantum: quamuis enim genus sumptum vt genus prædicatur de pluribus differentibus specie, & differentibus numero, & species sumpta vt species prædicatur de pluribus differentibus numero solum: tamen in hoc communi genus & species conueniunt: quamuis in modo differant: quia genus prædicatur vt pars, species autem vt totum esse eorum de quibus prædicatur: sed de differentibus hic modis non curamus.

Genus prædicatur de pluribus vt pars, species autem vt totum.

Secunda autem communitate iterum conueniunt genus & species, quòd vtrumque prius est eo de quo prædicatur. Et huius causa est: quia sunt principia essentialia eorum de quibus prædicantur: principium autem natura & intellectu prius est eo cuius est principium.

Secundum cōmune illorum.

Tertiam autem habent communitatem: quia vtrumque illorum totum quoddam est ad ea de quibus prædicatur: continens autem totum est ad id quod continet, nec prædicatur de eo nisi vt ipsum est notio totius, sicut in antehabitis sæpius dictum est.

Tertium cōmune eorundem.

Assignatis autem conuenientiis inter genus & speciem, oportet etiam ponere differentias: quia quæ in omnibus conueniunt, & in nullo differunt, eadem sunt, & non differentia. Differentia autem sunt genera & species, & ideò oportet distinguere differentias eorum adinuicem. Differunt autem prima differentia sumpta ex ambitu communitatis eorum, ex eo quod genus continet sub se species, species verò continetur, & non continet genera per talem continentiæ modum: quamuis contineantur genera alio modo, vt scilicet

Prima differentia generis & speciei.

scilicet pars essentialis quæ quasi materia continetur in toto compositio. Et est hoc compositum ex dictis Auicennæ. Probatio autem huius differentiæ est, quòd genus in pluribus est secundum ambitum suæ quantitatis quam species, sicut patet ex antedictis.

Secunda differentiæ illorum. Secunda autem differentia est, quòd genera secundum intellectum præiacere oporteat speciebus. Cuius probatio & causa est: quia genera non possunt perficere species; non informata specificis differentiis. Sed cum formatum constituit aliquid, præiacet illi, sicut cuprum præiacet formæ statuæ.

Tertia differentia. Propter quod concluditur tertia differentia, scilicet quòd genera naturaliter, vt causa secundum intellectum sunt priora speciebus.

Quarta differentia. Ex hoc iterum concluditur differentia quarta, quòd interemptis scilicet generibus, simul interimuntur species, sicut principium corruptum interimit principiatum: sed non conuertitur, quia sicut supradictum est, omnibus differentiis & speciebus interemptis, adhuc saluatur genus secundum esse intellectuale: & ideò species quidem cum sit posita, etiam genus de necessitate positum est, eò quod in specie est genus actu & intellectu: genus vero cum sit positum, non sequitur omninò, quòd sit species, quia species non nisi potentia est in genere, posita autem potentia, non propter hoc actu ponitur ens, quia in potentia ens non est secundum actum.

Quinta differentia. Quinta autem differentia est: quia genera quidem vniuocè de speciebus prædicantur, eò quod dant eis nomen suum & substantiam & rationem: quod solum vocatur vniuocè prædicari. Species verò de genere minimè prædicatur ordinata prædicatione: non enim prædicatur de generibus nisi per accidens, vt cum dicitur, quoddam animal est homo. Secundum autem quòd non est per se, non est vniuoca prædicatio, quamuis quoddam animal homo sit, & ratio cuiusdam homini conueniat vniuersali.

Ex quo patet contra modernos, quod hæc non est per se, animal est homo.

Sexta differentia Amplius autem sexta differentia est, quòd genera quidem abundant de speciebus in continentia earum quæ sub genere sunt specierum: quia secundum ambitum communitatis species non continent genera. Species verò constituræ abundant à generibus continentia propriarum differentiarum, per quas constituuntur: quia illæ in speciebus sunt actu contentæ, cum genus non habeat eas nisi potestate, vt in antehabitis dictum est.

7. Differentia. Amplius autem alia differentia est in hoc, quòd species secundum aliquem modum dicta siue specialissima siue subalterna nunquam potest fieri generalissimum: quia hoc est contra rationem generalissimi. Generalissimum autem est, quod cum sit genus, nunquam potest fieri species: & similiter id quod est aliquo modo genus siue generalissimum siue subalternum, nunquam fit specialissimum: hoc enim esset contra specialissimi rationem, quia ratio specialissimi est, quod cum sit species, nunquam potest fieri genus.

Recapitulatio dictorum in hoc capitulo. Hoc autem totum est, sicut dicit Porphyrius. Genus autem & species commune quidem habent de pluribus (quemadmodum dictum est) prædicari. Sumitur autem species vt species non vt genus, si fuerit idem genus & species. Commune autem est his, scilicet generi & speciei, etiam eorũ priora esse, Græcus enim genitiuus pro ablatiuo ponitur, de quibus prædicantur. Commune est etiam eis quoddam totum esse eorum de quibus prædicantur, ita quòd vtrumque quoddam eorum est subiectorum suorum.

Differunt autem abinuicem: eò quod genus continet sub se species continentia suæ communitatis. Species verò continetur & non cõtinet genera. Et hoc ideò est, quia in pluribus est genus quam species: & ideò genera præiacere oportet speciebus, cum in speciebus sint formata specificis differentiis ad hoc quod possint perficere species: vnde & priora sunt naturaliter genera.

Et ex hoc sequitur, quòd ipsis interemptis, simul interimentia sunt species, licet simul nõ interimatur speciebus interemptis. Ex hoc iterum sequitur, quòd species quidem cum sit, positum sit genus: genus verò cum sit positum, non sequitur omninò quod sit posita species. Et genera quidem vniuocè de speciebus prædicantur: dant enim eis nomen suum & substantiæ rationem. Species verò de generibus minimè prædicantur, nisi per accidens: accidit enim animali cuidam hominem esse. Amplius quidem genera abundant continentia suæ cõmunitatis earum quæ sub se sunt specierum continentia. Species verò abundat à generibus propriis differentiis, quas actu & intellectu in se habet, suæ substantiæ constitutiuis. Amplius neque species quocunque modo species sit, vnquam fiet generalissimum: nec genus quocunque modo genus sit, vnquam fiet specialissimum.

CAPVT VI.

De conuenientiis & differentiis generis & proprij.

Generis autem & proprij commune, &c.

NVnc autem assignandæ sunt communitates & differentiæ generis & proprij secundum consequentiæ ordinem. Dicimus igitur, quòd prima inter genus & proprium communitas siue conuenientia est, quòd vtrumque horum prædicabilium sequitur speciem de qua prædicatur. Sequi autem dicimus non secundum naturam, quia sic genus est prius specie: sed dicimus sequi secundum consequentiæ rationem: sequitur enim si homo est, animal est: & si homo est, risibile est. Sed quando proprium sequitur ad speciem, est simul cum consequentiæ ratione etiam ordo naturæ & intellectus: quia species est causa proprij, & non è conuerso.

Prima communitas generis & proprij.

Secunda communitas. Secunda autem conuenientia generis & proprij est, quòd tam genus quam proprium, non secundum magis & minus prædicantur de speciebus, de quibus prædicantur, quæ ipsum proprium participant. Participare hic autem largè sumimus non propriè: propriè enim participant inferiora sua superiora quæ

Participare propriè est inferiorum de superioribus.

in

in substantiis eorum sunt nomine & essentia & ratione, vt dicit Aristot. in 4. topicorum: sed hic largè sumimus participationem, prout tuc proprium participat speciem vt sui causam & subiectum: æqualiter enim & non secundum magis & minus homo & bos qui sunt species animalis sunt animal, quod est genus, participantes: & æqualiter Cato & Cicero (qui sunt speciei hominis individua) sunt risibile (quod est proprium hominis) participantes, large dicta participatione: nec participant suæ speciei proprium secundum magis & minus.

Tertia communitas.

Tertia etiam conuenientia est inter genus & proprium, quod commune est eis, quia genus vniuocè prædicatur de propriis speciebus suis omnibus, ita quòd dat eis nomen & substantiæ rationem secundum nomen quo prædicatur de ipsis. Similiter & proprium (quorum est proprium de quibus prædicatur) dat eis nomen suum & rationem. Quamuis aliter proprium quam genus suo subiecto nomen suum dat & rationem. Potest enim diffiniri proprium vt proprium: & tunc subiectum est in ratione proprij. Et si hoc modo rationem suam daret subiecto, esset idem in diffinitione ipsius, & idem prædicaretur de seipso. Est enim risibile prout diffinitur vt proprium, homo aptus natus ridere. Si hanc rationem daret subiecto: tunc sic diceretur, homo est homo aptus natus ridere. Sed potest aliter diffiniri proprium prout dicit rem quæ est accidens ordinabile in genere prædicamenti: tunc risibile est aptum natum ridere: & isto modo suam dat ei de quo prædicatur rationem. Vnde hæc communitas generis & proprij in communi sumpta est, ita quòd de modo quo vtrumque, genus scilicet & proprium, propriè vniuocè prædicatur, non sit cura quantum ad huius communitatis intentionem.

Quomodo aliter prædicatur proprium secundum diffinitionem de specie & aliter genus.

Prima differentia generis & proprij.

Differunt autem abinuicem genus & proprium in hoc, quòd genus quidem prius est natura & intellectu eo de quo prædicatur. Proprium autem posterius est natura & intellectu eo de quo prædicatur, id est, specie de qua prædicatur. Cuius probatio est: quia quando genus de specie prædicatur sicut animal de speciebus animalium, vt de homine, & leone, oportet quòd animal sit prius vt principium specierum: & patet hoc sic, posito animali secundum intellectum antequam accipiatur in speciebus de quibus prædicatur: dehinc oportet ipsum diuidi specificis differentiis, quæ sunt generi speciem constituenti propriæ. Propter quod prius actu & natura & intellectu est genus quam species, de qua ipsum genus prædicatur. Proprium autem cum causetur à specie de qua prædicatur & fluit de principiis speciei, sequitur speciem secundum naturam & intellectum.

Differunt genus & proprium.

Secunda differentia eorum. Considera quomodo dicta supra tractatu de genere c. 3. non contradicunt ipsis dictis.

Differunt autem secunda differentia, quòd genus oportet de pluribus speciebus prædicari. Non enim potest esse genus quod plures species non habeat, sicut in tractatu de genere determinatum est. Proprium verò prædicari conuenit de vna sola specie cuius est proprium: quia si pluribus conueniret, non proprium esset saluata ratione nominis sui.

Adhuc autem tertia est differentia, quòd proprium quidem conuersim prædicatur de eo cuius est proprium: si enim risibile est, homo est: & è conuerso si homo est, risibile est. Genus verò de nullo sigillatim sumpto cuius est genus conuertibiliter & vniuersaliter prædicatur: quod patet: quia non sequitur, si animal est, homo est: nec sequitur, si animal est, risibile est: quamuis è conuerso sequitur, si homo est, animal est: si risibile est, animal est. Sed inter proprium & speciem est è conuerso: quia si homo est, risibile est: & conuersim si risibile est, homo est.

3. differentia.

Amplius quarta differentia inter genus & proprium est: quia proprium inest omni speciei de qua prædicatur & soli & semper. Genus autem omni quidem inest speciei de qua prædicatur, ita quòd prædicatur de omni suo individuo: inest etiam semper, sed non inest soli illi speciei, quia inest aliis speciebus eiusdem generis: sicut animal non soli homini, sed etiam asino, & leoni, & aliis speciebus brutorum.

4. differentia.

Amplius adhuc quinta differentia est: quia species quidem interemptæ non interimunt illa genera quorum sunt species: quia non sequitur, si homo non est, quod animal non sit: propria autem interempta simul interimunt ea quibus sunt propria, & è conuerso: quia interempris substantiis siue speciebus quarum sunt propria, sequitur interemptio ipsorum proprioru. Sequitur enim quod si equus non est, hinnibile non est. His igitur genus differt à proprio.

5. differentia.

Recapitulatio dictorum in hoc capitulo.

Hoc autem Porphyrius & alij antiqui sic dixerunt, quòd generis quidem & proprij commune est quidem sequi species: nam si homo est, animal est: & si homo est, risibile est. Commune etiam æqualiter & non secundum magis & minus genus prædicari de illis (quarum est genus) speciebus: & proprium æqualiter non secundum magis & minus prædicari de his quæ illo participant largè accepta participatione: æqualiter enim & non secundum magis & minus homo & bos sunt animal, & Cato & Cicero risibile. Commune adhuc autem est eis, scilicet generi & proprio, vniuocè prædicari de his quorum sunt, genus quidem de speciebus suis, & proprium de his quorum est proprium, ea vniuocatione de qua dictum est.

Differunt autem genus & proprium: quoniam genus prius est his de quibus prædicatur, vt speciebus: posterius autem est proprium his de quibus prædicatur: oportet enim prius esse animal in esse generis: dehinc autem diuidi differentiis magis proprij, & sic speciem constituit. Oportet autem & genus de pluribus prædicari speciebus: proprium verò de vna sola specie cuius est proprium, prædicatur. Adhuc autem quia genus de nullo conuersim prædicatur, cuius est genus, sicut speciei vel proprio conuenit: nam neque si animal est, homo est: neque si animal est, risibile est. Proprium autem conuersim prædicatur: quia si homo est, risibile est: & si risibile est, homo est. Amplius proprium inest omni speciei cuius est proprium, & omni individuo, & soli speciei, & semper. Genus autem omni quidem inest

inest speciei de qua prædicatur & semper: non autem soli: quia etiam de oppositis speciebus prædicatur. Amplius alia differentia. Species quidem interemptæ non simul interimunt genera quorum sunt species. Propria autem interempta simul interimunt species, quarum sunt propria. Et hæc ideo quia proprium fluit ex principiis speciei, & species est causa ipsius adæquata: cum proprio interempto effectu conuertibili cum causa necessarium est etiam causam perimi: & è conuerso his speciebus quarum sunt propria interemptis, & ipsa propria necesse est interimi: quia destructa causa adæquata, necesse est effectum destrui.

CAPVT VII.

De communitatibus & differentiis generis & accidentis.

Generis vero, & accidentis, &c. Conuenientia generis & accidentis.

COnsequenter agendum est de communitatibus & differentiis generis & accidentis, secundum quod vtrumque est vniuersale. Dicimus igitur, quòd generis & accidentis commune quidem est, quòd vtrumque de pluribus prædicatur, quemadmodum sæpius dictum est: hoc enim competit vtrique eorum secundum quod sunt vniuersalia. Et hoc quidem conuenit tam accidenti separabili, quam inseparabili. Moueri enim quod est accidens separabile, de pluribus & de multis valdè prædicatur. Nigrum verò quod est accidens inseparabile, prædicatur & de omnibus coruis, & de omnibus Æthiopibus, & etiam de aliquibus inanimatis, vt de carbone, & quercu putrefacta, & de hebeno abscissa, & aliis multis huiusmodi.

Quamuis autem multæ sint communitates accidentis ad genus: tamen illæ ex prædictis vel per-se sunt manifestæ, vt dicunt quidam: sicut est non conuersim prædicari, & alia huiusmodi: omnis enim coruus est niger, sed non omne nigrum est coruus: sicut omnis homo est animal, sed non omne animal est homo. Differentia est inter genus & accidens, primo quidem, quoniam genus sicut principium est ante species de quibus prædicatur: quamuis enim aliquod accidens sit inseparabile, tamen secundum naturam prius est id cui accidit, quam ipsum accidens: subiectum enim oportet quòd sit ens in se completum, vt dicit Auicenna, antequam sit occasio vel causa quòd ens accidens sit in ipso.

Prima differentia generis & accidentis.

Secunda differentia.

Secunda autem est differentia: quia omnia illa quæ participant genera vt genera, æqualiter & non secundum magis & minus participant illa. Et huius quidem causa est: quia participant illa in termino, & quia esse vnum est quod non recipit magis & minus. Genus autem principium est esse illorum quæ participant ipsum. Accidentia verò insunt & inæqualiter his quæ participant: ipsa enim accidentium participatio suscipit intensionem & remissionem, eò quòd in termino ponitur nomen accidentis, vel secundum accessum ad veram nominis impositionem, vel secundum intensionem & remissionem causæ, quam habet in subiecto: sicut enim potest subintelligi pro naturam coruus albus, ita saluo coruo per naturam potest intelligi coruus minus niger & magis niger. Generum verò participatio minime & nullo modo suscipit magis & minus propter causas quæ dictæ sunt.

Tertia differentia.

Alia adhuc est differentia: quia accidentia principaliter & immediatè subsistunt in individuis: quia accidentium communium propria sunt subiecta. Genera verò & species magis proprie naturaliter priora sunt individuis quæ eis subsunt. Genera enim sunt principia specierum, & species sunt totum esse individuorum: & quod est principium principij, est etiam principium principiati.

Quarta differentia.

Adhuc autem & alia est differentia: quia genus quidem in eo quod quid est, prædicabile est de his quæ sub ipsis sunt speciebus (in quo tamen differt genus & à differentia & à proprio & ab accidente) Accidentia verò quæ absolutum habent esse, prædicantur in eo quod aliquid est quale, scilicet qualitas, & quantitas. Quæ autem habent esse comparationis siue comparationi admixtum, vt ad aliquid, agere, pati, & huiusmodi alia, prædicantur in eo quod quomodo se habent vnumquodque eorum de quibus prædicatur. Siquis enim interrogatus fuerit, qualis est Æthiops? congruè respondet, quia niger est. Si autem interrogatus fuerit, quomodo Sortes se habet in corporis dispositione? congruè respondet, quia sedet, vel stat. Si quæratur, Quomodo se habet agendo, dicet quòd ambulat, vel aliquid aliud agit.

Quomodo quædam accidentia prædicantur in eo quod quomodo se habent vnumquodque eorum de quibus prædicatur.

Recapitulatio dictorum in hoc capitulo.

Hæ ergo sunt differentiæ generis & accidentis: & hoc quidem, sicut dicit Porphyrius. Generis autem & accidentis commune est de pluribus (quemadmodum dictum est) prædicari, siue de numero separabilium accidentium, siue de numero inseparabilium. Etenim moueri de pluribus prædicatur, quod est de numero separabilium. Nigrum quidem quod est de numero inseparabilium, etiam de pluribus prædicatur, vt de coruis omnibus, & de Æthiopibus, & de aliquibus inanimatis. Differt autem genus ab accidente: quoniam genus ante species est secundum naturam & intellectum, de quibus prædicatur. Accidentia verò speciebus de quibus prædicantur sunt posteriora secundum naturam: nam si etiam inseparabile sumatur accidens, de quo tamen minus videtur, sed tamen prius natura est subiectum cui accidit quam id quod accidit sibi. Et genera quidem etiam in hoc differunt ab accidente, quod quæ participant genera, æqualiter & non secundum magis & minus participant ea. Accidentia verò ea quæ participant, non æqualiter participant. Intensionem enim & remissionem suscipit accidentium participatio. Generum verò participatio minimè suscipit intensionem & remissionem. Est etiam differentia: quia accidentia quidem in individuis (de quibus prædicatur) principaliter subsistunt: & tunc individua priora sunt accidentibus quæ in ipsis sunt. Genera verò & species naturaliter priora sunt individuis de quibus prædicantur. Est autem adhuc dif-

ferentia, quòd genera in eo quod quid prædicantur de speciebus & individuis quæ sunt sub ijs. Accidentia verò prædicantur in eo quod quale aliquid sit, vel qualiter se habeat vnumquodque eorum de quibus prædicantur. Et hoc probatur exemplo. Tu enim qualis es? Æthiops interrogatus, dicis, niger: vel interrogatus quomodo Sortes se habet in positione corporis vel actione, congruè dicis, quoniam sedet, vel ambulat.

Genus ergo in quo ab aliis quatuor differt, &c.

Genus ergo in quo ab aliis quatuor differt, dictum est quantum ad præsentem sufficit intentionem. Contingit, siue consequens est, post hoc dicere qualiter vnumquodque aliorum à genere vniuersalium differt ab aliis à se quatuor vniuersalibus: comparato enim quolibet illorum quinque ad alia quatuor, viginti fient omnes differentiæ: quia quater quinque sunt viginti: sed semper posteriorum differentiis enumeratis posteriorum comparatorum differentiæ superantur vna differentia quam plus habent ipsis ea quæ ante comparata sunt: eò quod illa differentia iam ante comparatis sumpta siue habita est. Tertio autem loco comparata superantur à tribus. Quarto verò loco comparata superantur à quatuor differentiis. Relinquitur, quòd non restant dicendæ nisi decem differentiæ. Secundo verò loco quando differentia comparatur speciei & proprio & accidenti, & omittitur illa quæ fuit differentiæ ad genus, eò quod illa in comparatione generis ad differentiam habita est, & eadem est differentia generis ad differentiam, quæ est differentiæ ad genus: tunc separatur sequens comparatio in vna, & iterum sequens superatur à præcedente: cum enim species comparatur ad proprium & accidens, omittitur comparatio speciei ad genus & ad differentiam, eò quod illæ iam in comparatione generis ad speciem & in comparatione differentiæ ad speciem habitæ sunt. Et sic de aliis: quia semper sequens vnam minus habet quam immediatè præcedens: & tunc omnes quæ residuæ sunt, non sunt nisi decem, quatuor scilicet in comparatione differentiæ ad alia, & tres in comparatione speciei ad alia, & duæ in comparatione proprij ad alia, & vna in consideratione vniuersalis vltimi & comparationis.

Quot differentiis differant inter se quinque vniuersalia.

Vel si hæc numerentur ex parte comparatorum adinuicem: tunc primò comparat differentiam ad alia tria, & quarta est habita prius, quæ est comparatio ad genus. Et tertio fit comparatio speciei ad alia duo, & duæ comparationis species sunt habitæ: vna quidem comparatio speciei ad genus, & alia comparatio speciei ad differentiam. Et quarto fit comparatio proprij ad accidens, & tres sunt habitæ, scilicet proprij ad genus, & proprij ad differentiam, & proprij ad speciem. Vltima autem est accidentis comparatio quæ quatuor habet ante, scilicet accidentis comparatio ad genus, & accidentis ad differentiam, & ad accidentis ad speciem, & accidentis ad proprium: genus enim differt à differentia, specie, proprio, & accidente.

Quatuor ergo sunt differentiæ omnes ipsius generis ad alia quatuor. Differentia verò quo differat à genere dictum est, quando quo genus differt à differentia dicebatur. Relinquitur igitur dicere quo differentia differat à specie, proprio, & accidente: & sunt tres differentiæ. Rursus species quo differat à differentia dictum est, quando quo differat differentia à specie dicebatur. Reliquum est ergo dicere quo differat species à proprio & accidente. Duæ ergo sunt istæ differentiæ. Proprium autem quo differat ab accidente relinquitur dicere: nam quo à genere & differentia & specie differat, dictum est in illorum differentiis ad ipsum. Quatuor ergo sumptis differentiis generis ad alia, tribus verò differentiæ ad alia, duabus autem speciei ad alia, vna autem proprij ad accidens, decem omnes erunt differentiæ: quarum quatuor erunt generis ad ad alia, vt iam superius demonstrauimus. De aliis consequenter dicemus.

CAPVT VIII.

De communibus & propriis differentiæ & speciei.

Commune est ergo speciei & differentiæ, &c.

Dicamus igitur, quòd commune est differentiæ & speciei æqualiter & non secundum magis & minus à suis inferioribus participari. Et hoc est manifestum per exempla: hominem enim quod est species, æqualiter & non secundum magis & minus participant particulares homines: & similiter non secundum magis & minus participant rationale quod est differentia. Et huius causa iam superius assignata est: quia scilicet species est totum esse individuorum, & differentia est pars esse speciei & individuorum, & non recipit magis & minus: si enim magis & minus reciperet secundum esse, vel adderetur vel minueretur aliquid ab esse vel ad esse: tunc non esset idem esse quod prius, quod falsum est & impossibile.

Prima communitas differentiæ & speciei.

Secunda communitas.

Commune verò secunda communitate est semper adesse speciem & differentiam his quæ ipsis participant, & non alterantur ab ipsis, sicut fit alteratio in accidentalibus formis. Et hoc hic dicetur exemplo: semper enim est Sortes rationalis, & semper Sortes est homo. Habitudo enim ista quæ est particularis ad vniuersale essentiale, siue sit totum esse vt species, siue sit pars esse vt differentia, perpetua est. Et ideò dicunt Auicenna & Algazel, quòd hæc semper vera est, Sortes est homo: & hæc, homo est animal, & animal est substantia, & omnis illa propositio in qua prædicatum est de ratione subiecti & clauditur in intellectu eius.

Obiectio.

Siquis autem sic inferat, homo semper est animal, vel animal semper est substantia: & esse hominem vel esse substantiam non diminuit ab esse, sicut cum dicitur, homo mortuus: ergo si homo semper est animal, homo semper est. Patet, quòd non sequitur, & est ibi fallacia simpliciter & secundum quid: quia cum dicitur, homo semper est animal, quod dico semper, non dicit nisi sempiternitatem habitudinis subiecti ad prædicatum: & conclusio inferrur,

fertur, ac si dicat sempiternitatem simpliciter.

Alter.

Huius tamen consequentiæ aliam dicunt causam Auicen. & Algazel: dicunt enim has esse per se, hic homo est homo, & homo est animal, & animal est substantia, & semper esse veras propter causam quæ dicta est, quòd scilicet prædicatum clauditur actu & intellectu in subiecto. Si autem inferatur, homo est substantia, ergo homo est: dicunt non sequi, quia illud est, est idem quod actu: & hoc accidit: accidit enim esse actu ei quod dicitur, homo est substantia, siue homo sit actu, siue non sit actu, hæc semper vera est, homo est substantia.

Prima differentia speciei & differentiæ.

Proprium autem differentiæ in eo quod quale sit, &c.

Assignatis etiam conuenientiis differentiæ & speciei tangenda etiam propria sunt. Diximus iam, quòd proprium est differentiæ (quo differt à specie, cum tamen vtrumque horum vniuersalium sit prædicatum essentiale) quia differentia prædicatur in eo quod quale. Speciei verò conuenit prædicari in eo quod quid est. Quamuis enim homo communis velut qualitas aliquando accipiatur (sicut commune siue genus, siue species quale quid significat: quod ex oppositio secundum modum aliquem accipitur ad hoc aliquid) non tamen propter hoc simpliciter erit qualitas alicuius: sicut differentia est qualitas generis, & proprium qualitas speciei, & accidens qualitas individui: sed erit qualitas quædam secundum humanitatem secundum id quod differentiæ (quæ qualitates essentiales sunt) generi aduenientes speciem vt quale quid est constituerunt: omne enim commune hoc modo quale quid, qualitate suæ communis formæ est constituturn.

Licet species & genus significetur quale quid, non tamen prædicantur in quale.

2. differentia.

Amplius secunda quidem proprietas est qua differentia & species distinguuntur, quòd differentia cum sit generalis, vt in antehabitis dictum est, sæpè in pluribus speciebus consideratur; sicut & genus, quemadmodum quadrupes consideratur vt vniuersale in pluribus animalibus specie differentibus. Cuius causam dicunt Auicenna & Auerroes esse: quia talis differentia pro genere ponitur, & circumlocutio est generis: species verò quæ species est, & non genus, non consideratur secundum esse in pluribus specie differentibus, sed in his solis individuis quæ sub eadem sunt specie. Si enim accipitur species vt genus subalternum: tunc non hic sed in antehabitis differentia differentiæ, & talis generis posita est: & ideò hic non loquitur nisi de specie quæ non potest esse genus.

Remouet dubium.

3. differentia.

Amplius tertia differentia est: quia differentia quidem natura & intellectu prima vel prior est ea specie quæ est secundum ipsam differentiam constituta, sicut principium essentiale prius est principiato. Cuius probatio est: quia prius est hoc modo à quo non conuertitur subsistendi consequentia, vt ablato rationali quod est differentia, auferrur homo quod species: homine interempto siue ablato, non necessariò sequitur, quòd interimatur rationale, cum adhuc interempto homine Deus secundò Stoïcos rationale quoddam sit. Et quod hic potest obiici de differentia vltima conuertibili, iam in præhabito de differentia

Porphyrij reprehensio per Auicennam.

4. differentia.

tractatu solutũ est. Auicenna tamẽ dicit hæc omnia per ignorantiã esse dictã à Porphyrio.

Amplius quarta quidem differentia est, quod differentia componitur cum alia differentia præcipuè ad speciem constituendam. Et hoc exemplo manifestum est: quia rationale & mortale vnum cum alio compositum est in constitutione siue compositione hominis, siue in substantia hominis constituenda. Species verò speciei non componitur vt gignat aliquam speciem quæ eadem sit in substantiis, siue suppositis, siue individuis illarum specierum, sicut differentia cum differentia componitur ad substantiam speciei constituendam, quæ eadem habet supposita, quæ habet altera duarum differentiarum. Eadem enim sunt supposita rationalis & mortalis. Quamuis enim quidam equus cuidam asinæ permisceatur ad muli generationem: equus tamen si simpliciter siue vniuersaliter sit acceptus, & in specie asinæ permisceatur vniuersaliter, nunquam perficit mulum.

Quomodo differentiæ potest componi cum alia differentia.

Quod autem hîc dicitur, quòd differentia differentiæ componitur, sciendum quod impossibile est si vtraque differentiarum vt actus vltimus accipiatur: si autem vna accipiatur vt imperfecta & in potentia ad aliam, tunc prima est sicut genus ad alteram, & secunda est sicut actus & perfectio: & tunc est possibile. Et hoc est quod dicit Auicenna, quòd duæ differentiæ non eiusdem ordinis conueniunt ad speciei constitutionem: quarum vna est prior, & altera posterior, sicut rationale quod est communius quam homo, & mortale quod posterius in eadem rationali natura acceptum est determinans ad speciem hominis. Quod autem dicitur, quòd species non conueniunt, ideò dictum est: quia species est id quod actu vltimo perfectum est in illis quæ formaliter perfecta sunt: & ex duobus actu perfectis non potest fieri aliquid in aliqua natura. Et quod dicitur de equo & asina conuenientibus, quòd fit mulus, in multis aliis fit animalibus, sicut in cane, & vulpe, & aliis, quæ sunt vicina secundum complexionem, ita quod vnũ temperat semen alterius, sicut frigiditate asinæ temperatur calor seminis equi: & quorum idem est tempus imprægnationis. Et tunc etiam, vt dicit Auicen. non conueniunt ad constitutionem animalis cuius individua sunt conuenientia cum individuis alterius illarum specierum, sicut constitutum à duabus differentiis idem est cum individuis vtriusque illarum differentiarum, quia individua muli non conueniunt cum individuis asini nec cum individuis equi. Quod autem quidam dicunt, & viderur Porphyrius dicere, quòd scilicet quidam equus, & quædam asina conueniunt ad muli generationem, & quòd equus simpliciter, & asina simpliciter conueniunt ad muli huius generationem, valdè inconsideratè dictum est: quia etiam equus simpliciter cum equa simpliciter non conueniunt ad huius equi generationem: actiones enim & operationes non sunt vniuersalium, sed tantum particularium: & vniuersalia non generantur nisi per accidens, vel per consequens in particularium generationem. Simpliciter

Quare vna species non potest cum alia specie componi.

Ex cane & vulpe generatur animalia quoddam tertium sicut ex asina & equo: & quæ huius sit causa.

Caput Porphyrium hic.

enim vniuersalia ingenerabilia sunt & incorruptibilia. Hoc igitur est quod antiqui dixerunt de communibus & proprijs differentiæ & speciei: hoc enim patet ex verbis eorum.

Recapitulatio dictorum in hoc capitulo.

Dicunt enim sic: Commune ergo differentiæ & speciei est æqualiter, & non secundum magis & minus participari ab his de quibus prædicantur: hominem enim participant æqualiter particulares homines, & similiter rationalem differentiam. Commune verò est eis & adesse semper his quæ horum participant: semper enim Sortes rationale est, & semper Sortes homo est. Proprium autem differentiæ omninò est, in eo quod quale sit prædicari: species verò in eo quod quid sit prædicatur. Si autem homo communis velut qualitas accipiatur: non tamen simpliciter & absolute erit qualitas, sed secundum id quod generi aduenientes differentiæ, eum qui species est hominem constituunt: sic enim est quale quid, & non simpliciter quale vel qualitas: quia quid generis differentia formatum est in ipso. Amplius aliud habent proprium quo differunt: quia differentia vna diuisiua & communis in pluribus speciebus in quibus actu & simul est consideratur: quemadmodum quadrupes consideratur in pluribus animalibus specie differentibus. Species verò quæ solum species est, consideratur in solis quæ sub ipsa sunt individuis. Amplius autem adhuc differunt: quia differentia est prima vel prior ab ea specie quæ est secundum ipsam constituta: cuius signum est, quòd simul ablatū rationale interimit hominem: homo verò interemptus interimit rationale, cum adhuc sit Deus homine non existente. Amplius quidem adhuc differunt, quòd differentia cū generalis sit, & non vltima & conuertibilis, componitur cum alia differentia. Rationale enim & mortale vnum cum alio compositum, vt potentia & actus est in substantia hominis quæ est species: species verò speciei non componitur, vt gignat speciem aliquam aliam. Et si obiicitur de asina & equo in muli generatione, dicimus quòd quædam asina cuidam equo permisceatur ad muli generationem, equus autem simpliciter asinæ simpliciter conueniens, nunquam perficit mulum.

CAPVT IX.

De communitatibus & differentiis differentiæ, & proprij.

Prima communitas generis & proprij.

Differentia quidem & proprium commune habent, &c.

NVnc dicamus differentias, & communia differentiæ, & proprij. Differentia igitur & proprium commune quidem habent prima communitate, quòd æqualiter & non secundum intentionem & remissionem à suis de quibus prædicantur suppositis participantur: vtrumque enim illorum in termino participatur: eò quod vnum, videlicet differentia, pars formalis est ipsius esse, quod (sicut dictum est sæpius) vnum est & non recipit magis & minus: proprium autem ab aptitudine naturalis potentiæ formaliter imponitur: quæ aptitudo in potentia per habitum completur, & non actum qui est operatio, cum sit complerio maior qua potentia completur per habitum, & rem suam dicit in termino: & ideò non potest suscipere magis & minus: quamuis, sicut in antehabitis dictum est, impedientia vel expedientia ad actum in substantia possit habere: quibus expeditius vel minus expeditè agat per potentiam illam: sed hæc non variant potentiam stantem in habitu naturali: participantur ergo hæc duo æqualiter ab his quæ participant ea. Ea enim quæ rationalia sunt (de quibus prædicatur rationale) æqualiter & non secundum magis & minus rationalia sunt: & similiter ea quæ sunt risibilia (de quibus prædicatur risibile) sunt æqualiter & non secundum magis & minus risibilia.

Secunda communitas.

Amplius & in hoc conueniunt, quòd vtrumque, differentia scilicet & proprium, semper & omni siue vniuersaliter adsunt illis de quibus prædicantur: quia secundum naturæ potentiam & aptitudinem attribuuntur illis de quibus prædicantur & non secundum actum. Quamuis enim vno vel vtroque pede careat, qui secundum naturam bipes est, non propter hoc perit substantia formalis in ipso qua formatur ad habendos duos pedes, sed potius id quod tali natura ad bipes formatum est, semper bipes dicitur per naturæ aptitudinem, sicut & risibile à potentia naturali cum naturali habitu completa semper dicitur risibile, quamuis non semper rideat secundum effectum: nec plus habet potentiam naturalem in actu quando ridet, quam quando plorat. Si aliter habet eam, & ad aliquid habuerit eam, semper in aptitudine æquali quod non exercet secundum actum.

Remouet dubium.

1. Differentia proprij & differentiæ.

Proprium autem quo differentia à proprio distinguitur, est quod aliqua differentia, quæ scilicet vltima non est, & veræ differentiæ nomen habet, semper dicitur de pluribus speciebus sicut & genus. Et hoc exemplo probatur: quia rationale quod est differentia, prædicatur de homine, & de Deo secundum Stoïcos & Epicureos, qui Deos & Deas multas rationales esse posuerunt. Proprium verò non prædicatur nisi de vna sola specie cuius est proprium, & de illius speciei individuis. Et hæc omnia plana sunt ex præmissis.

2. Differentia.

Adhuc etiam differunt in hoc, quòd differentia quidem sequitur vniuersaliter ad ea quorum est differentia absque conuersione sicut genus: sequitur enim, si homo est, rationale est: sed non conuertitur, quòd si sit rationale, propter hoc sequatur hominem esse secundum Stoïcos. Propria verò conuersim prædicantur de his quorum sunt propria: si enim homo est, risibile est: & si risibile est, homo est. Et hæc quidem fere sub eisdem verbis dixit Porphyrius: & ideò verba eius ponere non oportet.

***

CAPVT

CAPVT X.

De communitatibus & differentiis differentiæ, & accidentis.

Communitas differentiæ & accidentis prima.

DIfferentiæ aurem & accidenti, vt dicit Porphyrius, commune est de pluribus prædicari inquantum vtrumque illorum vniuersale est: hoc enim omni quidem conuenit vniuersali inquantum est in multis, & de multis. Ad inseparabile autem accidens speciali-

Differentiæ & accidentia commune quidem, &c.

ter habet differentia communitatem, quòd scilicet tam differentia quam inseparabile accidens semper adest omnibus de quibus prædicatur. Quod exemplo probatur & inductione: quia bipes semper adest coruis, cum sit differentia de coruis & hominibus prædicata: nigrum etiam esse, quod tanquam accidens inseparabile prædicatur de coruis, semper adest coruis: quamuis etiam posset fieri coruus albus vel ætate, vel arte: tamen quia coruus non tantum nominat speciem, sed in tali complexione, quæ causa nigredinis est, designatur subiectum materiale, & hoc accidens nominato tali subiecto semper est accidens inseparabile.

Coruus potest fieri albus ætate, vel arte.

1. Differentia accidentis & differentiæ.

In hoc etiam differunt differentia & accidens: quia differentia quidem continet ambitu suæ communitatis ea de quibus prædicatur. Continere enim est ea de quibus prædicatur intra suam communitatem claudere: continet ergo differentia, & non continetur ab his de quibus prædicatur. Sic enim continet hæc differentia quæ est rationale, totum hominem & particularia ipsius. Accidentia vero nec propriè nec verè, sed quodammodo continent quædam eorum de quibus prædicantur secundum quod in pluribus sunt, & excedunt ea de quibus prædicantur. Quodam autem modo continent, eo quia subiecta eorum de quibus prædicantur, non omnia susceptibilia sunt horum sed plurimorum: & omnia continent quibus insunt, & excedunt ab his quibus non insunt. Album enim prædicatur de hominibus albis, & quodam modo continet ea: de non albis autem non prædicatur: & aliquis homo est non albus, & quoddam album non est homo, quia potest esse in alio subiecto quam in homine. Ideò cum dicitur, homo est albus, homo continetur: sed ista continentia non est propria: quia continere est formæ substantialis: & ideò accidens inquantum est forma continet, inquantum autem est accidens fluidum, habet esse & continetur à subiecto. Et sermo quidem Porphyrij obscurus est, sed hunc quem dixi veriorem putò esse intellectum.

Sermo Porphyrij hic est obscurus.

2. Differentia.

Alia autem adhuc est differentia inter differentiam & accidens: quia differentia quidem non est intensibilis & remissibilis, sicut patet ex supradictis, vbi etiam soluta sunt quæ contra hoc dictum obiiciuntur. Accidentia autem magis & minus suscipiunt, eò quod causas habent materiales, & secundum seipsa non sunt nominantia rem suam in termino. Et hæc omnino plana sunt ex supradictis.

3. Differentia.

Adhuc autem alia est differentia, quòd impermiscibiles sunt contrariæ differentiæ ad alicuius speciei constitutionem: ex rationali enim & irrationali non constituitur aliqua species vna. Contraria autem accidentia mixta sunt ad alterius constitutionem, sicut si miscerentur contrarij colores, & sapores ad medij constitutionem.

Obiectio.

Et si obiicitur, quòd etiam colores contrarij contrarias habent differentias, & species.

Solutio.

Dicendum, quòd hoc modo quo colores, & differentiæ colorū formales considerantur, per quas color in genere qualitatis ordinatur, hic non loquitur, sed potius de esse materiali accidentis prout est vniuersale prædicatum de his quæ denominātur ab ipso. Sic autem constat, quòd recipit intensionem & remissionem per contrarij admixtionem, vel contrariorum, vel depurationem, eò quod albius est hoc modo nigro impermixtius, vt dicitur in quarto topicorum. Cum autem recipit magis & minus, recipit illud aliquando quod recessit à contrario, sicut malum peius quod recessit à bono. Aliquando autem quia accessit ad terminum, vt bonum melius quod summo bono est propinquius. Aliquando autem secundum contrarij admixtionem, vt album albius, vt dictum est. Huiusmodi ergo sunt communitates & proprietates differentiæ, & cæterorum vniuersalium.

Cap. 3.

CAPVT XI.

De conuenientiis & differentiis speciei & proprij.

Speciei vero & proprij commune quidem, &c.

POst hoc sequitur dicere conuenientias & differentias speciei & proprij: in quo enim species differat à genere, & à differentia dictum est prius in capitulis in quibus diximus quomodo genus differret à cæteris vniuersalibus, & quomodo differentia differt ab aliis. Dicimus ergo, quòd speciei quidem & proprio commune est de seinuicem prædicari: quod patet per exemplum, quia si homo est, risibile est: & è conuerso si risibile est, homo est: cuius conuersionis causa est, quia species principiis substantialibus ponit aptitudinem, quæ proprium est, sicut causa propinqua & adæquata ponit effectum. Similiter ipsa aptitudo quæ est proprium, derelinquit tale subiectum, & ponit ipsum sicut effectus proprius & causæ adæquatus ponit suum causatum. Hoc etiam facit proprium quod est risibile, ideò quoniam non dicitur secundum actum ridere, sed dicitur secundum aptitudinem secundum quam natum est: & hæc aptitudo semper est in subiecto proprij, sicut sæpè iam in antehabitis dictum est.

Prima communitas speciei, & proprij.

Causa quare proprium conuertatur cum specie.

Secunda communitas

Secunda autem conuenientia est æqualiter participari, & non secundum magis & minus ab his quæ participant species: & similiter propria æqualiter participantur ab his quorum

rum sunt propria: nec hic facimus hoc in participatione proprissime dicta: large enim dicimus participare id quod aliquid habet in seipso, & participatum esse id quod inest alij, siue per se inhæ, siue per accidens.

Prima differentia speciei & proprij.

His autem omnibus speciei & proprio communibus assignatis, assignanda sunt in quibus differunt abinuicem. Dicimus ergo, quòd species quidem in hoc differt à proprio: quia ea quæ est species ad vnum, ad aliud potest esse genus: sed hoc non est verum de specie specialissima: proprium autem cum sit huius speciei proprium quæ est specialissima, impossibile est proprium esse aliarum specierum: si tamen esset proprium speciei subalternæ quæ est genus ad aliud, non esset impossibile esse proprium illarum specierum quæ continentur sub illa, vt dicit Auicen. Vnde in hac differentia accipit Porphyrius speciem non specialissimam: quòd in aliarum assignatione differentiarum non fecit. Proprium autem refert ad speciem specialissimam, cum ante posuerit subalternam: & ideò quod dicit, non satis est secundum artem dictum.

Dicit Porphyrij hic non est satis secundum artem

2. differentia.

Secunda autem differentia est, quòd species quidem per intellectum & naturam ante subsistit in esse & substantia, quam proprium: proprium autem posterius iam sumpta specie secundum esse sit in specie ex principijs speciei iam in natura subsistens. Hoc autem exemplo probatur: quia oportet hominem prius esse vt ex illo causetur risibile: & ideò homo recipitur in diffinitione risibilis, sicut recipitur subiectum in diffinitione passionis.

3 differentia.

Amplius tertia est differentia, quòd species quidem semper actu est in subiecto de quo prædicatur: quia participatur actu, cum sit totum esse eius de quo prædicatur: proprium vero aliquando actu inest, potestate autem aptitudinis semper inest. Quod exemplo docetur: quia Sortes semper actu est homo humana operans & agens, non semper verò ridet, quamuis de naturæ aptitudine semper sit risibilis.

Sortes semper est homo.

4. differentia.

Amplius autem quarto differunt: quia quorum sunt termini siue diffinitiones differentes, & ipsa diffinita sunt differentia: diffinitio autem speciei omnis est, quòd sit sub assignato genere: & diffinitio speciei specialissimæ est, quòd de pluribus solo numero differentibus in eo quod quid sit prædicabilis, & cætera huiusmodi quæ in tractatu de specie dicta sunt: proprij verò quod verè proprium est, diffinitio est, quod & soli & omni & semper adest: quæ diffinitiones differentes sunt. Hanc autem ideò differentiam hic ponimus, ne credantur idem esse per essentiam species & proprium, propter hoc quòd conuersim prædicantur. Hæc ergo sunt communia & propria speciei & proprio.

Remouet Arabum.

CAPVT XII.

De conuenientijs & differentijs proprij & accidentis.

Speciei verò & accidentis, &c.

SPeciei autem & accidentis commune quidem est, quod de plurib⁹ prædicantur in quantum sunt vniuersalia. Aliæ verò communitates inter speciem & accidens sunt nullæ: eò quod plurimum valdè differunt abinuicem id cui accidit vt species, & id quod accidit secundum modum essendi: id enim cui accidit, substantia est: id autem quod accidit, est accidens: quæ differunt sicut ens per se, & ens non per se, sed in alio.

Communitas speciei & accidentis.

Et si obijcitur, quòd inter multum distantia maximè quærendæ essent conuenientiæ. Dicendum, quòd hoc verum est si inuenirentur: quia autem in nullo communicant, ideò non inueniuntur speciales, sed sola ista inuenitur quæ omnium est generalis.

Obiectio.

Solutio.

Sed differentiæ plures inueniuntur. Propria enim quibus distinguuntur, vtriusque sunt: quia speciei quidem conuenit, quòd in eo quod quid est prædicatur: in eo verò quod quomodo se habet, conuenit accidenti quod est mixtum cum respectu & compositione ad aliquid & ad omnia alia prædicamenta.

Prima differentia speciei & accidentis. Prædicari in eo quod quomodo se habet.

Alia autem differentia est, quòd contingit vnamquamque substantiam indiuiduam quæ proprie substantia est, vna quidem specie tantum participare, quæ totum est formale esse ipsius: vno enim existente quod est formale esse & totum, non potest esse alterum quod sit totum esse: sed vnamquamque substantiam contingit participare pluribus accidentibus & separabilibus & inseparabilibus, sicut vltimo patet in multis exemplis.

2. differentia.

Adhuc autem tertia est differentia: quia species quidem subintelligi potest in se existens ex suis substantialibus principijs ante accidentia quæ sunt in ipsa, quamuis etiam sint inseparabilia. Cuius probatio est, quòd oportet supponere subiectum esse in se completum, vt illi postea aliquid accidat. Accidentia autem ad hoc quod sint, ante se supponunt esse subiectum: quia respectu subiecti posterioris generis entia sunt & aduentitiæ naturæ: quia posterioris sunt generis. Ideò vocantur accidentia quasi ad cadentia, quia cadunt ad subiectum, quia sunt aduentitiæ naturæ: ideò non de intrinsecis adueniunt & affluunt.

3. differentia.

Accidentia quare sic dicuntur.

Adhuc autem speciei quidem participatio istis subiectis est æqualiter, & non secundum magis & minus: accidens verò participatur ab his de quibus prædicatur (etiamsi sit inseparabile accidens) secundum magis & minus, non æqualiter. Contingit enim quòd Æthiops respectu alterius Æthiopis habet colorem nigrum intensum, vel nigrum in nigredine remissum: & ideò de communibus & propriis speciei & & accidentis dictum est. Restat igitur de proprio & accidente dicere communia & propria: quo enim proprium à specie & differentia & genere differat, dictum est in illorum ad ipsum differentijs.

4. differentia.

CAPVT XIII.

De communibus proprij & inseparabilis accidentis, ac eorum differentijs.

Commune autem proprij & inseparabilis accidentis, &c.

DIcimus igitur, quòd commune quidem proprij & inseparabilis accidentis est, quòd

quòd præter ea nunquam consistunt illa tua subiecta in quibus sunt, & de quibus prædicantur, & quibus inesse considerantur: quod patet: quemadmodum enim præter risibile (quod est proprium) non subsistit homo qui est subiectum de quo prædicatur proprium, sic præter nigredinē nunquam subsistit Æthiops, dummodo Æthiops nomine suo importet complexionem nigredinem Æthiopis causantem, vt in antehabitis dictum est. Et huius quidem causa id quod secunda est proprij & inseparabilis accidentis communitas: quia quemadmodum semper & omni adest proprium, sic etiam inseparabile accidens: adest enim & semper, quamuis non adsit soli vt proprium: propter quod & non conuersim prædicatur. Aliæ autem communitates sunt ad quædam, sicut non essentialiter prædicari in quale de pluribus, sicut per antehabita iam constat. Accidens autem separabile propriam communitatem non habet nisi in quale, & non in quid prædicari: sed hoc iam in his quæ de omnibus simul vniuersalibus communibus iam dictum fuerat.

Communitas proprij & accidentis.

Prima differentia proprij & accidentis.

Differunt autem vltima duo vniuersalia abinuicem in hoc primo: quoniam proprium vni soli speciei adest, cuius est proprium, quemadmodum risibile adest homini. Inseparabile verò accidens, vt nigrum, non solum adest Æthiopi, vel soli coruo, sed etiam adest carboni, & hebeno, & quibusdam aliis: ita proprium subiectum sibi non determinat.

Secunda differentia.

Adhuc autem secunda est differentia, quòd proprium conuersim prædicatur & æqualiter, non secundum magis & minus de eo cuius proprium est: accidens verò inseparabile propter hoc quod non determinatum sibi determinat subiectum, non conuersim prædicatur.

Tertia differentia.

Adhuc autem sicut in antehabitis dictum est, proprium quidem æqualis & non secundum magis & minus à suis substantijs est participatio. Accidentium verò hoc quidem secundum magis, illud autem secundum minus est participatio, propter causas in antehabitis determinatas.

Sunt autem & aliæ quidem communitates & proprietates eorum vniuersalium quæ dicta sunt: sed hæc quæ dicta sunt, sufficiant ad discretionis eorum abinuicem, & communitatis eorum quam habent adinuicem, traditionem & doctrinam.

TRACTATVS IX.

De comparatione omnium istorum vniuersalium adinuicem ex logica Auicennæ de comparatione istorum quinque inter se.

CAPVT I.

Qualiter hæc omnia in vnum coincidunt.

Auendar Israelita philosophus tractator logicæ Arabū & præcipuè Auicen.

VAMVS in antehabitis iam determinatum sit id quod de quinque vniuersalibus tradidit Porphyrius: tamen adhuc sunt quædam quæ vtile est scire de his quæ ex logicis doctrinis Arabum in Latinum transtulit Auendar Israëlita Philosophus, & maximè de logica Auicennæ. Primum capitulum huius doctrinæ est de comparatione istorum quinque inter se: & hæc ad perfectionem doctrinæ ponimus. Dicimus ergo primo de primo vniuersali quod est genus, quòd non est vniuscuiusque rei siue omnium rerum, sed illius solius genus, quæ est sub ipso species: similiter & differentia non est differentia vniuscuiusque rei, sed secundum hoc quod est diuisiua, non est differentia nisi generis quod diuidit: & secundum hoc quod est constitutiua, est differentia illius speciei quam constituit sub genere diuiso.

Quomodo vnumquodque quinque vniuersalium potest esse vt genus, vt species, vt differentia, vt proprium, & vt accidens.

Sciendum autem, quòd vnumquodque istorum potest esse genus vel quasi genus ad alterum, vnumquodque potest esse quasi species, & vnumquodque potest esse quasi differentia, & vnumquodque potest esse quasi proprium, & vnumquodque quasi accidens. Sensibile enim est quasi species huius quod dicimus apprehensiuum. Omne enim sensibile apprehensiuum est, & non conuertitur, scilicet quòd omne apprehensiuum sit sensibile siue sensitiuum. Et hoc ipsum sensibile est quodcam genus audienti. Omne enim audiens, sensibile est, & non conuertitur. Et similiter est genus audientis & olfacientis & gustantis & tangentis: & hoc ipsum sensibile differentia est animalis. Similiter gressibile est genus bipedis & quadrupedis, & est species mobilis, & est proprium siue proprietas animalis, & commune accidens hominis. Aliquando autem ista quinque in vno solo secundum rem conueniunt: & ideò hæc omnia quinque in vnum & idem aliquando coincidunt: quamuis modus prædicandi eorum secundum quod diuersa vniuersalia sunt, nunquam sit vnus.

Et etiam addacendum est, quòd genus non est genus differentiæ aliquo modo: nec differentia

rentia potest esse species generis. Si enim differentia esset species generis, cum species non efficiatur species nisi per differentiam, tunc differentia egeret alia differentia per quam species efficeretur, & tunc differentia esset differentia: quod non potest: differentia enim est intellectio siue notio quædam, quæ secundum intellectum est extra materiam generis: rationale enim non est idem quod animal habens rationem, sed est idem quod quidam habens rationem: quamuis per consequentiam sequatur id esse animal: animal enim habens rationem, homo est. Si autem animal esset per intellectum clausum vel conceptum intra rationem rationalis: tunc cum diceretur, animal rationale, idem esset ac si diceretur, animal quod est animal habens rationem: quæ sunt idem secundum intentiones suas. Cum autem differentia prædicetur, est sicut cum prædicatur accidens inseparabile de eo quod prædicatur. Differentia enim se habet vt accidens ad genus, inquantum sequitur esse generis: & non est vnum esse differentiæ & esse generis, sed genus est ad differentiam quasi materia se habens, & differentiæ comparatio ad genus est quodammodo sicut proprij quod non competit omni, & hoc est accidens inseparabile, vt in antehabitis dictum est. Differentia verò constituit genus & dat esse ei in effectu distinctum. Quamuis autem ipsa differentia non sit intra diffinitionem generis, & ipsius esse differentiæ non sit intra esse generis, sicut esse rerum qualium est intra quale, & esse rerum quantarum est intra quantum: tamen differentia est qualitas generis, & genus & esse generis est in differentia sicut intra suum quale essentiale. Differentia enim est qualitas generis, sicut forma est qualitas materiæ, faciens ipsam qualem secundum esse substantiale. Hoc autem sic se habet quando differentia est absoluta & simpliciter differentia generis: ita quòd nullo modo differentia est extra naturam generis, sed est de natura ipsius sicut actus est de natura potentiæ: quia si actus non esset de natura potentiæ, potentia nullo modo desideraret actum.

Si vero diligenter & subtiliter attendatur quid sit genus, & quid differentia: tunc non omninò verè prædicantur genus & differentia, nisi de specie: quia in specie genus in actu est, & differentia est actus speciei dans esse. Comparatio autem generis ad differentiam, est sicut comparatio subiecti ad accidens inseparabile, quod non est commune accidens, eò quod est consequens si est vt proprium quod conuenit omni & non soli. Accidens autem commune aliquando comparatione generis est proprietas, & aliquando comparatione speciei est accidens commune: sicut motum voluntario motu qui vocatur motus processiuus, quod est proprietas animalis, & commune accidens hominis.

Aliquando etiam accidens commune proprietas est generis superioris sicut albedo quæ est de proprietatibus corporis compositi terminati, & est commune accidens hominis, aliquando est de proprietatibus generis generalissimi, & aliquando etiam accidens commune non est proprietas alicuius generis, eo quod alij accidit quod est extra genus illud, vel etiam accidit ei quod est extra totam illam categoriam secundum ordinem prædicabilium illius generalissimi siue prædicamenti: cuius exemplum est id quod est non recipere magis & minus, quod est de communitatibus hominis secundum participationem speciei, & est commune illi & multis aliis, nec est proprietas alicuius hominis, alia enim generalissima habent hoc. Comparatio autem animalis ad hoc animal quando animali additur designatio singularis non considerata in hoc animali rationalitate quæ facit ipsum hominem, est sicut comparatio generis ad indiuidua propria, quæ ex se habet & non mediante specie: tunc enim animal prædicatur de hoc animali immediatè, vt species de suis indiuiduis immediatè prædicatur: & tunc non prædicatur vt genus, generis enim prædicatio est de differentibus specie: animal igitur genus est in comparatione singulorum animalium secundum quod facta sunt rationalia, vel in alia specie constituta. *Quomodo animal prædicatur de hoc animali vt species.*

Similiter autem rationale comparatum ad hoc rationale non considerata animalitate in hoc rationali, prædicatur de eo vt species, secundum intentionem quam diximus, quòd differentia aliquando vt species accipitur, & non prædicatur tunc vt differentia. Differentia enim est animalium singulorum specie differentium. Diximus autem rationale hoc considerari considerata animalitate. Similiter autem & risibile prædicatur de illo risibili non considerato secundum quod est homo: non est enim proprium nisi hominis & indiuiduorum. Adhuc autem risibile comparatum est prædicatum vt species. Similiter etiam album quod est communiter accidens huic albo in singulari designato, est prædicatum sicut species & non vt accidens. Accidens enim commune non est accidens, nisi ei quod est subiectum ipsius denominatum ab ipso vt dicatur ab ipso vt sit album: non autem est accidens huic albo non considerato subiecto in quo est, illi enim comparatur vt species.

CAPVT II.

Qualiter hæc omnia quinque vniuersalia adinuicem miscentur.

OPortet autem scire, quòd hæc quinque non tantum coincidunt omnia vel plura in vnum, sed etiam inter se quodammodo commiscentur. Et hoc fit multis modis. Genus enim commiscetur aliquando cum differentia. Apprehensiuum enim est quasi quædam differentia hominis quod est rationale. Omne enim rationale, apprehensiuum est, & non conuertitur. Et similiter animatum siue habens animam, est genus rationalis, & prædicatur in quid de rationali: & tunc est genus differentiæ. Et patet, quòd accidit ei vt differentia generis superioris: animatum enim differentia est corporis quod est vnum de generibus mediis. *Genus commiscetur differentiæ.*

Genus commiscetur accidenti.

mediis. Aliquando etiam commiscetur genus cum accidente sicut color qui est genus eorum quæ accidunt homini, quæ sunt vt albedo, & nigredo, & huiusmodi. Hæc autem compositio siue commixtio differt à prima: non enim sic potest esse, quòd genus differentiæ constitutiuæ sit genus constitutiuum speciei: oportet autem, quòd genus accidentis sit genus accidentis ad ipsam speciem accidentis constitutiuum. Genus ergo differentiæ est aliquando differentia constitutiua generis vel speciei, & præter hoc genus accidentis aliquando est accidentis generi, & aliquando speciei, sicut hoc ipsum apprehensiuum est constitutiuum animalis habentis apprehensionem per spiritum, vel intellectum, & color est accidentis animalis, & hominis cum sit genus color specialium. Permixtio autem generis cum proprietate est sicut admirans in actu admirantis, quod se habet vt genus ad ridens in actu: & tunc vociferans ex appetitu se habet vt genus ad hinnibile, quod est proprium equi. *Genus commiscetur proprio.*

Differentia autem aliquando miscetur cum genere, sicut sensibile quod est differentia gradibilium, miscetur cum rationali. Miscetur etiam aliquando cum proprietate, sicut comparatio trium ad duos rectos angulos trianguli, qui tres angulos habet æquales duobus rectis. Hæc enim est differentia eius quod est proprietas trianguli rectilinei. Aliquando autem miscetur cum accidente, sicut disgregatiuum visus, quod est differentia albedinis, quod accidit visui.

Proprietas etiam aliquando miscetur cum genere: grossibile enim est differentia animalis quod est genus hominis, & est proprium homini quod conuenit omni non soli. Etiam aliquando miscetur cum differentia & cum specie: quia si desit proprium speciei, & cum est communior proprio species, hoc fit cum differentia fuerit communior. Cuius exemplum est diuidi in duo æqualia, quod est paris numeri. Alienando autem miscetur cum accidente communi: visibile enim est proprietas colorati: coloratum autem est accidens commune communi.

Accidens autem aliquando miscetur cum genere, nec propter hoc definit esse accidens speciei: est enim accidens speciei, nec tamen est commune accidens generi, sed est proprietas generis: & est aliquid quod est accidens commune vtrique, generi scilicet & speciei; & cum hoc etiam similiter accidens differentiæ & proprietatis.

CAPVT III.

Qualiter hæc quinque sunt naturæ quædam, & qualiter vniuersalia, & qualiter intelligibilia, & qualiter simplicia.

Vniuersalia primo in esse naturæ simplicis consi-

ATrendendum autem est, quòd omnia quinque tripliciter considerari possunt. Si enim in se accipiantur, ita quòd ipsa res siue natura sine aliquo respectu sibi compositi accipiantur, & ipsa natura simplex consideretur, sic sunt naturæ quædam ista quinque, & præcipuè genera, & species quæ absoluto intellectu assequi possunt: tamen de aliis est verum quando non accipitur id quod est differentia in ratione differentiæ, sed in ratione entis vel naturæ cuiusdam: & hoc est verum de proprio quando accipitur id quod est proprium non in proprij ratione, sed in simplicitate cuiusdam entis: & hoc etiam verum est de accidente quando accipitur vt pars entis, & non in ratione qua addit ad substantiam. Sic ergo hæc præaccepta sunt naturæ quædam, vt dicunt Auicenna, & Alpharabius. *derantur, & per hoc habent rationem naturæ.*

Si autem accipiunt hæc prædicta secundum quod naturæ illi simplici additur apticudo ad hoc quod sint in pluribus inferioribus: tunc illa iam efficiuntur vniuersalia, quia vniuersale ab habere aptitudinem dicitur vniuersale, & non ab actu quo efficiatur actu vniuersale. Vtrum autem hæc aptitudo sit in re quæ sua simplicitate apta sit existere in pluribus, & per multiplicationem differentiæ diuidentis, vel per diuisionem materiæ in pluribus actu efficiatur: vel sit in solo intellectu, ita quòd nihil naturæ sit in pluribus, sed solus intellectus similitudinem naturæ vnius ad eandem naturam in specie in alio accipiat, & in seipso assimilet, quæstio fuit. Et primo quidem modo illi dixerunt qui reales vocabantur. Secundo autem modo dixerunt hi qui dicebantur nominales. Et hoc ad præsens non est differendum: tamen in præcedentibus in tractatu communi de vniuersalibus hoc sustinuimus quod dixerunt reales. Quocunque autem modo, patet quòd simplex natura non est vniuersale, sed natura accepta in tali aptitudine. *Secundo considerantur in esse aptitudinis ad multa, & per hoc habent rationem vniuersalis.*

Hæc autem eadem natura accepta in lumine intelligentiæ, cuius ipsa est splendor quidam & radius, secundum quod dicimus, quod omnis forma siue natura simplex splendor est, & radius intelligentiæ in anima similis sibi in esse spirituali, siue intellectuali, propter hoc quod ipsa natura per intellectualem naturam quæ in ipsa est vt pars essentialis eius, operatur ad esse spirituale, sicut lumen in perspicuo operatur colorem secundum esse spirituale, quem tamen in corpore terminato operatur secundum esse materiale ipsius: eò quod actus actiuorum sunt in patientibus bene dispositis secundum possibilitatem recipientium actus illos, & non secundum potentiam agentis. Hoc ergo modo ista quinque vel sunt naturæ simplices, vel vniuersalia, vel intellectus quidam in anima existentes. *Tertio considerantur in esse luminis intelligentiæ, cuius ipsa sunt splendor, & per hoc habent esse spirituale.*

Sciendum est autem, quòd hæc quinque in lumine intelligentiæ accepta, sunt absque omni multiplicitate: sed per hoc quod in singularibus terminantur ad materiam, secundum esse diuiduntur, & sic agunt multiplicitatem per hoc quod in quoliber sunt secundum totum esse ipsorum, & secundum totam essentiam: & sic quidem secundum se sunt ante omnem multitudinem. Per hoc autem quod *Quarto considerantur in esse indiuidui designati per indiuiduantia, & per hoc habent rationem particularis, & indiuidui.*

quod in ſenſibilibus, & in materia efficiuntur ad quantitatem actus intelligentiæ operantis in natura, per hoc efficiuntur multa ſecundum diuerſas multiplicationes ſpeciei vel indiuidui.

Quomodo naturæ ſimplices in ſe acceptæ non ſunt vniuerſalia nec ſingularia: ſed quod ſint vniuerſalia, vel ſingularia, habent à reſpectu qui additur naturæ ſimplici.

Si ergo in ſe accipiantur, naturæ ſunt ſimplices, & nec ſingularia, vel vniuerſalia. Si enim in natura ſimplici haberent quod eſſent vniuerſalia, cum natura ſimplex non ſit niſi vnum, vniuerſale non eſſet niſi vnum, nec poſſet eſſe in multis & de multis, quod eſt contra rationem vniuerſalis. Si autem à natura ſimplici haberent quod eſſent ſingularia, non poſſet vniuerſale eſſe niſi vnum ſingulare, & omnia alia ſimilia illi non reciperent prædicationem illius, quod iterum eſſe non poteſt. A natura igitur ſimplici nec habent quod ſint vniuerſalia, nec quod ſint ſingularia, ſed habent hoc à reſpectu qui additur naturæ ſimplici, vt dictum eſt.

Natura illa ſimplices in ſe nec ſunt in intellectu nec extra in intellectum.

Adhuc autem ſecundum quod ſunt naturæ ſimplices & ſeparatæ, nec ſunt in intellectu, nec extra ipſum, ſed ſecundum quod ſunt in lumine intelligentiæ agentis, & lumine ſuo facientis omnes formas, ſic ſunt vt mouentia potentialem intellectum qui eſt anima: & per hæc anima intellectuali conuertente ſe ad ipſas efficiuntur in anima, dummodo non ſit impedimentum in anima intellectuali, prout intellectus eſt ſicut adepta: & ſic accipit vniuerſale quod eſt in intellectu: & ideò oportet, quod ſit natura illa à ſenſibilibus, & materialibus, & particularibus ſeparata & abſtracta, & in ſolo accepta lumine intelligentiæ, cuius luminis ipſa eſt ſplendor & effectus. Et cum intellectus componit cum e aptitudinem exiſtendi in pluribus: tunc accipit eam vt vniuerſale locum, & ratiocinatur de ipſa ſicut de vniuerſali. Et per oppoſitum illius accipit particulare ipſius, quando componit cum ea illa quæ determinant ipſam ad materiam hanc, & illam, & indiuiduantia, quorum collectio in pluribus non poteſt inueniri, & per quæ afficitur hoc aliquid deſignatum.

Natura ſimplex in quadruplici eſſe accipitur.

Et ſic illa natura ſimplex in quadruplici eſſe accipitur, ſcilicet in eſſe naturæ ſimplicis, & in eſſe aptitudinis ad multa, & in eſſe luminis intelligentiæ cuius ipſa eſt ſplendor, & in eſſe indiuidui deſignati per indiuiduantia: & ideo habet rationem naturæ per primum, & habet rationem vniuerſalis per ſecundum, & rationem intellectus ſpecularini per tertium, & rationem particularis, & indiuidui per quartum. Et quamuis hoc ad primam pertineat philoſophiam, tamen hic poſuimus, vt doctrina ſit magis perfecta: & quia hoc quidam Arabes præcipui in doctrina de vniuerſalibus poſuerunt. Cum autem primus actus rationis ſit ordinare dicibilia, vt in antehabitis diximus, iam rationes ordinabilium executi ſumus: de dicibilibus autem ordinandis in generibus, & ſpeciebus, differentiis, propriis, & accidentibus, deinceps attingemus ad pertractandum.

LIBER II.

DE PRÆDICAMENTIS.

TRACTATVS I.

De antecedentibus ad ſcientiam Libri prædicamentorum.

CAPVT I.

De intentione libri, & ordine, & modo, & aliis quæ quæri conſueuerunt.

IN antehabitis dictum eſt, quod logica eſt ſcientia per quam docetur qualiter per cognitum deueniatur ad notitiam incogniti. Et hoc duobus fit modis, ſecundum quod duo ſunt quæ quando ſunt incognita, deſideramus cognoſcere, ſcilicet complexum, & incomplexum. Et incomplexum incognitum cognoſci non poteſt, niſi diffinitione, vel quacunque notione. Complexum autem incognitum cognoſci non poteſt, niſi argumentatione. Dictum eſt etiam ad hoc, quòd ratio (quæ eſt virtus vnum cum alio complectens) non poteſt deuenire ad inſtrumentum quo cognitionem incogniti eliciat ex cognito, niſi tribus actibus, qui ſunt ordinare vnum ad alterum, componere vnum cum altero, & colligere compoſita ſecundum diſcurſum qui fit ex vno in alterum. Sic enim & non aliter accipiet cognitionem incogniti per id quod eſt cognitum.

Ratio non poteſt deuenire ad cognita nem incognita, niſi tribus actibus.

Primus

Primus igitur actus qui eſt ordinare vnum componibile cum alio, perficitur duobus modis: & ordo ipſe duobus fit modis. Primum quod exigitur ad actum rationis ordinantis eſt ratio quæ ſumitur ex ipſa forma ordinabilium: & hæc ratio trahitur ex vniuerſali & particulari: per hoc enim quod vniuerſale eſt quod eſt in multis, & de multis, ratio ordinis accipitur prædicati ad ſubiectum: & de hoc iam quantum ad præſentem ſpectat intentionem determinatum eſt. Sequitur igitur nunc determinare de his quæ ſecundum rationem præmiſſam ad ſeinuicem ſunt ordinanda ſecundum genera, ſpecies, differentias, propria, & accidentia: hoc enim ſolum eſt in quo perficitur rationis ordinatio. Et ideò hic ordinabilia ad ſubiici, & prædicari ſunt ordinanda, & determinanda ſecundum omnem ſui diuerſitatem, quæ conſiſtit in decem generibus prædicabilium ſiue prædicamentorum.

Quia autem iam in antecedentibus ad logicam probatum eſt, quòd ad ſcientiam incogniti per cognitum non deuenitur, niſi per diſpoſitum ſermonem ad ſignificandum, ſiue homo inquirat apud ſeipſum per interius diſpoſitum ſermonem, ſiue inquirat apud alium per ſermonem exterius prolatum: ſequitur de neceſſitate, quòd ordo prædicabilium non poteſt determinari, niſi ſecundum quod ſub voce habet prædicabile deſignari. Rebus enim inquiſitiue incognitis vti non poſſumus: eò quod nec finitæ ſunt nobis, nec præſentes: & ideò ſignis & vocibus vti oportet. Propter quod prædicabilia oportet conſiderare ſecundū quod vocibus ſignificantur: propter quod dicit Boetius, quòd hæc ſcientia, ſcilicet libri prædicamentorum, eſt de decem primis vocibus, prima genera rerum ſignificantibus: ordo enim non eſt in rebus ipſis, ſed oportet, quòd ratio ponat ordinem ſicut & facit complexionem, & collectionem compoſitorum.

Quid ſit ſubiectum huius libri.

Et ex his planum eſt quid ſit huius libri ſubiectum: eſt enim ſubiectum ordinabile in ratione prædicabilis, vel ſubiicibilis, ſecundum quod ſtat ſub voce talem ordinem ſignante. Et ſic patet qualiter iſta ſcientia eſt vna ab vno ſubiecto.

Partes ſubiecti.

Partes autem huius ſubiecti ſunt ordinabilia ſecundum diuerſum modum prædicandi in ſubſtantia, & accidente, & in accidentibus ſecundum omnia nouem genera accidentium. Et ſic multitudo infinita reſtringitur in decem genera, vt dicit Boet. decem autem in duo prædicabilia, ſubſtantiam ſcilicet, & accidens: & duo in vnum prædicabile, ſcilicet ordinatum ad compoſitionem ſecundum rationem prædicabilis, vel determinatum ex vniuerſali, & particulari, vel ſubiicibili, & prædicabili. Ex hoc etiam patet quæ ſit cauſa ſuſcepti operis: non enim eſt componibile prædicabile cum ſubiicibili, niſi per ordinem vnius ad alterum: & ideò de ipſis ordinabilibus in genere & ſpecie oportuit determinare.

Finis operis huius.

Patet etiam quis finis vltimus, & quis eſt finis propinquus. Vltimus enim eſt vt ex ordinatis ratio accipiatur compoſitionis ad enūtiationem, quæ ſola inter orationes verum ſignificat: & vlterior adhuc finis eſt, vt ex compoſitis eliciatur collectio conſequentiæ vnius ex altero, per quam accipiatur ſcientia complexi quod ignotum eſt. Finis autem propinquus eſt, qui eſt terminus operis, vt ſcientia habeatur ordinabilium ſecundum omne genus, ſecundum quod poteſt eſſe diuerſus modus prædicandi, vel diuerſus ordo prædicabilis ad ſubiectum de quo prædicatur: quæ ſcientia libri prædicamentorum eſt proprius finis.

Modus doctrinæ huius libri.

Modus autem iſtius ſcientiæ oportet, quòd ex fine ſumatur: eſt enim ille modus eligendus, quo in materia propoſita poteſt deuenire quis ad finem intentionis. Eſt igitur (cum ſit de incomplexis) diffinitiuus quidē ſecundum quod ex prioribus ſecundum naturam procedit: diuiſiuus autem ſecundum quod notificat quod eſt prius per ſua poſteriora quæ ſunt in ipſo. Et primus quidem, ſcilicet diffinitiuus, notificat rei ſubſtantiam & eſſe. Secundus autem, ſcilicet diuiſiuus, notificat rei poſſe: quia non perfectè cognoſcitur res, niſi cognoſcatur ſecundum eſſe, & ſecundum poſſe. Tertius autem modus, non propter ſcibile, ſed propter eum qui ſcire quærit, apponetur à nobis, & appoſitus eſt ab anteceſſoribus, vt facilior ſit doctrina, & ille eſt exemplorum poſitiuus.

Dubitatio.

Eſt autem dubitatio quorundam, vtrum de generibus (quæ vt dicit Porphyrius ſunt prima rerum principia) poſſit haberi ſcientia? eo quod ſcientia eſt habitus concluſionis per cauſas & principia demonſtratus. Cum igitur iſta ſint principia prima rerum, non ſunt alia priora eis per quæ demonſtrentur de eis paſſiones. Et ſic de iſtis non videtur poſſe dari ſcientia, ſed in ſcientia debent eſſe ſuppoſita.

Solutio.

Sed hoc ſoluere non eſt difficile: hæc enim ſecundum rem, & ſecundum quod ſunt naturæ quædam & partes entis ſunt prima principia: ſecundum quod ſunt aliquid prædicabile vel ordinabile in genere ſecundum hunc vel illum modum prædicandi vel ſubiiciendi, ſic non conſiderantur vt principia, & habent multas proprietates & paſſiones quæ ſunt demonſtrabiles de ipſis: & hoc modo agemus de ipſis hîc. Prout autem ſunt partes entis & principia diuerſitatis rerum, ſic de ipſis agit primus Philoſophus, ſicut ſcire poteſt, qui in metaphyſica ſtudendi ponit intentionem: quod non pertinet ad præſens negotiū, quod logicus habet conſiderare.

Quomodo de decem primis generibus habetur ſcientia in logica: & quomodo illa diuerſimode conſiderantur à Logico & à Metaphyſico.

Modus procedendi Auctoris, & quem ex Philoſophis imitetur.

Sic ergo tractantes de prædicabili ſecundum quod ſtat ſub voce deſignatiua prædicabilis ſecundum modum prædicandi diuerſum in genere & ſpecie ordinabilis, ſequimur ſicut in aliis ſectam Philoſophorum qui Peripatetici vocantur, & maximè Ariſt. qui huius ſectæ princeps & primus inuentor fuiſſe perhibetur, nihilominus apponentes quæcunque benè dicta à poſterioribus poterimus inuenire: procedemus enim & per modum ſcientiæ, & per modum artis. Per modum quidem ſcientiæ in hoc quod conſiderabimus ſubiectum, & partes principales ſubiecti, oſtendentes quæ paſſiones inſunt eis, & proprietates ex principiis huic ſcientiæ propriis. Viam autem artis tenebimus in hoc quod colligemus prin

principia ad vnum finem operis tendentia: quod opus quidem est ordinatio prædicabilium ad finem compositionis, & intellectionis syllogismi, per quem per scientiam cogniti potest quis deuenire ad notitiam incogniti, sicut sæpe diximus. Iam autem ad propositum accedamus: sufficit enim & multa prælibasse.

CAPVT II.

Qualiter præmittitur de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis, & quæ sint æquiuoca.

Quare oportuit de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis tractare.

CVm igitur in hoc agendum sit de prædicabili qualiter ordinandum sit in genere, & prædicabile in triplex commune reducatur, scilicet in ens, & vnum, in quæ secundum vnam rationem reduci non potest: & in commune quod est commune sicut genus quod recipit prædicationem sui vniuersalis secundum nomen & rationem, quod quidem est vniuocum: & tertio in id quod est commune sicut subiectum de quo prædicatur accidens, quod de subiecto non prædicatur, nisi secundum denominationem. Oportet nos de istis tribus præmittere, vt postea facilius videri possit, quid in quo sicut in genere contineatur, vel quid ad aliud sicut ad subiectum reducatur, vel quid nominis & rei suscipiat prædicationem.

Quare primo de æquiuocis, secundo de vniuocis, & tertio de denominatiuis egit.

Quia autem primum omnium quod prædicatur est ens, quod vniuocè de omnibus non prædicatur, vt in scientia vniuersalium dictum est, ideò primo de æquiuocis dici oportet. Et iterum propter hoc vt sciatur quid de quo vt genus vel species vel differentia, vel proprium, vel accidens non prædicatur: quamuis vniuocum sit ante æquiuocum, sicut vnum ante multa: tamen secundum intentionem huius doctrinæ æquiuocum est ante vniuocum, quia per æquiuocum prædicabile reducitur ad ens & vnum quod est ante omne genus. Per vniuocum autem reducitur ad omne quod est commune vt genus. Per denominatiuum autem vel per eius rationem omnia accidentis prædicata respiciunt substantiam. Et per istas tres communitates omnium prædicabilium vniuersitas redit ad vnius communis aliquo modo prædicationem, & omnia quæ ad vnum subiicibile respiciunt, oportet quod id respiciant aliquo trium modorum.

Æquiuoca ergo dicuntur, &c Æquiuoca quid, & quare sic dicuntur: & explanatio differentiæ istarum.

Dico ergo, quia verum est quod in scientia vniuersalium dictum est, quòd siquis omnia entia vocet æquiuocè, & non vniuocè nuncupabit, oportet de æquiuocis præmittere. Æquiuoca ergo dicuntur, quorum solum nomen est commune, secundum nomen verò illud ratio substantiæ est diuersa. Dicuntur ergo æquiuoca quasi nomen (quod secundum vocem est) ex æquo quoad imponentem habentia. Et ideo et am additur, quòd dicuntur, & non sunt: quia quod est in dictione, commune est eis: in esse autem quod dicitur per nomen, non est communitas secundum æquã participationem: quamuis enim æquiuocum actuali multiplicitate multa dicat, tamen nihil omnium illorum æqua participatione participatur ab his quæ in nomine significantur: propter quod æquiuoca dicuntur, quia æqualiter nomen habentia, esse nominis non æqua suscipiunt participatione.

Propter quod etiam additur, quorum solum nomen est cõmune: nomen enim quamuis dicatur quasi notamen, eò quod aliquam notam rei facit quantũ ad actum significantis & imponentis nomen, eò quod imponens nomen secundum aliquid proprietatis rei affectus est quando nomen imponitur: quia etiam significatio rei quæ intenditur per nomen, formam dat nomini. Tamen hæc non sunt de intrinsecis ipsi nomini secundum quod nomen est solum, sed potius intrinseca sunt nomini literatio talis siue compositio nominis ex litera & syllaba & accentu, quæ sunt intrinseca nomini vt nomen est. Quibus iam perfectis quantum ad substantiam nominis tunc primum refert nomen ad id quo affectus est ille siue quod concepit ille qui nomen imposuit: & ideò in æquiuocis solum nomen secundum quod consistit in sono literarum & syllabarum & accentu, est commune, & absque æqua parcicipatione alicuius rei quæ importatur in nomine: & ideo dicitur æquiuocum.

Significatio nõ est intrinseca nominis vt solum nomen est: sed ei intrinseca vt sic, ex literis, syllabis, & accentu compositio.

Et quamuis forte principaliter in æquiuoco vnũ importetur, & alia non principaliter: tamẽ quia non æqua ratione multa dicta in nomine nomen illud participant, est etiã aliqua species æquiuocationis: & hoc est quod additur in æquiuocorum ratione ibi, ratio substantiæ est diuersa secundum id nomen. Omne enim nomen aliquid significat pro substantia, & aliquid pro qualitate, cum omne nomen substantiam significet cum qualitate: & id quidem cui imponitur nomen est significata substantia ipsius: proprietas autem eiusdem rei siue substantię quę afficit imponentẽ dum nomẽ imponit, est qualitas significata per nomẽ.

Quid sit substantia quæ significat nomen, & quid qualitas cum qua significat.

Quando ergo idem est nomen quantum ad ea quæ sunt nominis in litera, & accentu: & id quod significantur in nomine, non est idem vel æquè participatum ab illis quibus nomen imponitur, nec etiam proprietas à qua impositum est, omninò eadem est, quamuis fortè referatur ad vnum: tunc nomen est æquiuocum: quia ratio substantiæ cui nomen imponitur (quæ est ratio substantialis à qua nomen imponitur) sic duobus modis est secundum aliquid vel simpliciter diuersa: substantia enim aliqua (vt diximus) est secundum aliquid per modum quo rationi subsłat, cui nomen ipsum imponitur: & illius ratio diuersa est quando non penitus est eadem: & adhuc à quo nomen imponitur quod est nominis qualitas, & substantialis ratio quæ datur de nomine secundum illud quod nomen est. Quando ergo illa etiam non penitus est eadem, iterum ratio substantiæ, hoc est, substantialis ratio nominis est diuersa: ita quod nihil rei cui nomen imponitur, æqualiter participant significata per nomen.

Ex quo patet, quòd æquiuocorum multi sunt

Æquiuocæ multipliciter sunt, à consilio, à casu.

sunt modi siue species. Sunt enim æquiuoca idem quidem secundum rem, sed non æquè participantia, hoc est, per eandem rationem de omnibus æqualiter datam, sed potius quendam modum illius (de quo datur ratio) habentia: sicut ens dicitur æquiuocè de omnibus entibus per se, & in alio existentibus, eò quod per se ens solum naturæ est ens, alij autem quædam modi sunt illius entis, & non entia vera & principalia. Hoc modo sanum in animali, & vrina, & dieta, & medicina dicitur æquiuocè: quia sanum naturæ est animalis: alia autem quendam modum dicunt sanitatis, significatiua & conseruatiua sanitatis, vel vt sanitatis perfectiua, vel aliquo alio modo qui in animali est, se habentia. Si enim medicus dicitur æquiuocè de eo qui perfecta (quæ in ipso est) medicina operatur, & de vetula medicum imitante, & clystere quod vt instrumentum perficit operationem & actum medici, & de quibusdam aliis modis aliquem modum participantibus. Sic etiam ens & vnum dicuntur æquiuocè, eò quod ens & vnum primo est id quod per se est ens & vnum: alia autem dicuntur ens & vnum, quia ad id sicut ad subiectum aliquo modo entitatis referuntur, vel sicut mensura illius, vel sicut dispositio, vel sicut respectus, vel aliquo alio modo, quæ sunt in illo sicut in subiecto. Et hic quidem modus vocatur multiplex dictum secundum analogiam, siue proportionem ad vnum quod principaliter in nomine significatur.

Quomodo in æquiuocis à casu licet substantia significata non sit vna, qualitas tamen à qua nomen imponitur, est vna solum per similitudinem.

Alius autem modus est æquiuocorum, quæ Boetius vocat à casu & fortuna æquiuoca, quando scilicet idem nomen casu & fortuna diuersis imponitur, quorum substantia cui nomen imponitur, non est vna, nec vnius respicientis ad vnum, vel etiam diuersorum respicientium ad vnum: sed tamen qualitas qua nomen illud diuersis imponitur, per similitudinem translationis est vna, vt canis quod imponitur latrabili, & marinis, & cælesti: & eorum substantia cui nomen imponitur, non est vna, sed diuersa genere proximo & specie. Et proprietas siue qualitas à qua nomen imponitur, non nisi per similitudinem translationis est vna. Verbi gratia mordax esse, quod conuenit omni quod dentibus mordet: per translationem autem conuenit ei quod mordet qualitate & respectu nociuo. Sic ergo patet qualiter æquiuoca sunt, quorum solum nomen commune est, & ratio substantiæ secundum illud nomen, scilicet significata, est diuersa, hoc est, non est penitus eadem & æqualiter non secundum magis & minus participata.

Obiectio.

Sunt tamen qui contra ea quæ dicta sunt, opponunt sophisticè dicentes, quòd significatio perfectio nominis est dans ei speciem & esse, vt videtur. Et ideo nomen quasi notamen dicitur, quia notam facit rei, & diffinitur per significare quando dicitur, quòd nomen significat substantiam cum qualitate. Si autem sic est: tunc mutata significatione videtur murari id quod nomini dat speciem & formam: mutata autem specie & forma, mutatur id quod specificatum & formatum est: & sic mutata significatione, videtur quòd idem nomen remanere non possit. Et hæc præcipuè videntur

in his quæ relatiuè dicuntur adinuicem, sicut signum & significatum, in quibus cum significatum proprium mutatur, videtur quòd signum mutari necesse sit: quia in vanum & in cassum erit significatio ipsius, quando ad significatum non referetur. Hoc autem præcipuè in vocibus & nominibus esse videtur: quia voces sunt notæ passionum & conceptionum quæ sunt in anima: res autem sunt causæ passionis & conceptionis animæ: ideo videtur, quod passiones & conceptiones animæ mutentur rebus mutatis. Mutatis autem conceptibus & passionibus animæ, videtur quòd necesse sit voces (quæ signa conceptum sunt) mutari. Hoc & huiusmodi plurima possunt obiici, quæ omnia leuissima soluuntur solutione, dummodo ea quæ dicta sunt, bene intelligantur. *1. periher. com. 1*

Solutio.

Dicendum ergo est, quòd nomen habet materiam vocẽ in qua formatur: habet autem formam literaturam quam dat actus imponentis ad significandum hoc vel illud. Et hæc materia & hæc forma semper manet in nomine quandiu est vox & nomen: & hæc manent in æquiuoco secundum nomen & materiam nominis eadem semper in communi. Dicitur autem significatum aliquando significatio, & hæc in signis quidem naturalibus manet eadem: in his autem quæ ad placitum sunt, aliquando est diuersa, eò quod placitum non est stans & vno modo causas habens: & propter hoc manente nomine eodem secundum propriam materiam & propriam formam, non est necesse, quòd idem habeat significatum: & ideo non est necesse, quòd eadem sit relatio talis signi ad significatum, sed potest esse relatio diuersa.

Quomodo sit idem nomen manere secũdum propriam materiam & formam, licet non habeat idem significatum.

Quia tamen quilibet instituens signum ad actum refert significandi, quamuis non referat ad hoc quod idem significet, & nomen est vox ad actum significandi relata, vox autem non habet illam relationem: ideo non dicitur in diffinitione æquiuocorum, quòd æquiuoca dicuntur, quorum sola vox communis est, sed quorum solum nomen est commune, vt actus significantis per institutionem importetur per nomen, quod quasi notam faciens dicitur: quod per vocem non importaretur. Et quia significatum est perfectio nominis secunda, ad quam vt signum refertur, ideo mutari potest nomine non mutato: & cum mutatur significatio, necesse est relationem signi mutari ad significatum: & sic nomen erit æquiuocum manente nomine vno & eodem secundum primam & substantialem materiam, & secundum primam & substantialem formam, & non diffinitiuam substantiæ nominatæ per significatum nominis. Et ratio substantialis data per qualitatem (qua nomen est in tali substantia significata) est alia & alia secundum illud nomen quod ad significandum ista duo referrur ad talia significanda per nomen vnum & idem.

Quare in diffinitione æquiuocorũ dicitur, quòd æquiuoca sit quorum solum nomen, &c. & non dicitur quorum sola vox.

Huius autem exemplum propositæ intentioni conueniens est sicut dicitur homo animal, & sicut dicitur imago quæ picta est ad imaginem hominis vel animalis: quamuis enim dicat Zeno in logica sua, quòd multi sunt modi æquiuocationis: tamen vnus & primus modus est propinquior vniuoco, qui

Licet multi sint modi æquiuocationis secũdum

Nouem in logica tua, primus examen modus est analogorum.

est multipliciter dicti per analogiam siue proportionem ad vnam & ab vno: sicut sunt omnia in ente æquiuoca, & sicut est animal homo & quod pingitur: pictum enim animal dicitur, cuius similitudo ab vno eodem transformetur, & quando pictum ad naturale animal refertur secundum repræsentationis quendam modum, sicut ens verè est vnum, & alia sunt entia ab illo dicta, & ad illud secundum aliquem modum entitatis naturæ entis ad illum relata.

Hoc est ergo quod dicit Aristot. quòd æquiuoca dicuntur, quorum solum nomen commune est: secundum tamen illud nomen ratio substantiæ diuersa est; vt animal homo, & quod pingitur: horum enim solum nomen (quod est animal) commune est, secundum nomen verò quod impositum est ad significandum, ratio diffinitiua substantiæ significatæ est diuersa: si enim aliquis assignet per propriam diffinitionem quid secundum quidditatem, & esse vtrumque eorum diuisim sit, quo siue qua proprietate sunt dicta animalia, propriam vtriusque diuisim & non vnam vtrique communem assignabit rationem diffinitiuam: de homine enim dicet, quod est animal rationale mortale: de picto autem, quod est imago per similitudinem lineamentorum & coloris hominem repræsentans. Et per hoc igitur patet, quòd prædicabile ad rationem generis reduci non potest, quia transcendit omne genus, & est omnium generum principium.

Quare diffinuit æquiuoca & non æquiuocum.

Quod autem hic dicimus, quòd æquiuoca dicuntur, & non dicimus, quòd æquiuocum dicitur in singulari, cum tamen vnum nomen sit per propriam formam: ratio est, quia hîc intendimus de prædicabili siue dicibili incomplexo secundum quod ordinabile est in genus vel commune vniuocum, vel per denominationem de vno prædicatum: & istæ sunt res non à vocibus vel dictionibus absolutæ, sed per voces significatæ: & quia res multæ sunt ad idem nomen relatæ, ideò magis & competentius dicimus in plurali, quam in singulari: æquiuoca enim sunt res sub vno nomine æquiuocatæ. Et quod dicitur, solum nomen commune est, intendimus excludere rationem substantiæ designatæ per nomen: quæ ratio substantialis est quando datur per ea quæ sunt substantiæ, quæ sunt genus & differentiæ. Ex his patere potest, quare æquiuocatio propter pluralitatem significatorum actualem operatur multiplicitatem: sed de hoc tractabitur in elenchis.

In æquiuoca est æquiuocum de vniuoco, per quod æquiuocum ad vnum ea reducitur.

Adhuc autem quia in æquiuoco manet eadem forma quæ est actus significandi ad placitum instituentis secundum respectum ad aliquid rei signatæ, quod ratio fuit instituendi signum id, de facili patet, quòd in omni æquiuoco, sicut diximus, aliquid est de vniuoco per quod æquiuocum ad vniuocum habet reduci: vnum enim signum diuersis ad significandum ponentes, necesse est ad aliquid vnum respicere, quod aliquo modo est in illis, quæ substantia & ratione substantiæ diuersa sunt.

Hæc igitur sic dicta sunt æquiuoca, & de his sufficit quod dictum est quantum ad præsentem intentionem spectat: pertractabitur autem de aliis in elenchis. Est autem notandum, quòd quamuis in diffinitione æquiuocorum dictum sit, quòd ratio substantiæ sit diuersa, non tamen dicitur ratio substantiæ diffinitio vera data per genus & differentiam: sed generaliter dicitur ratio quæcunque notificatio, quæ maioris & melioris declarationis est quam ipsum nomen absolutè positum. Et secundum hunc modum accepta ratione indiuidua habent rationem & æquiuocationem in vno nomine: cum tamen ratio eorum à collectione accidentium sumpta, non sit vna secundum nomen illud in quo communicant. Hæc sunt igitur æquiuoca, per quæ omnia reducuntur non ad genus, sed ad transcendentia omne genus, quæ sunt ens & vnum, vt dicit Aristot.

Quid per rationem substantiæ intelligendum, & quomodo indiuidua habent æquiuocationem in vno nomine.

CAPVT III.

De vniuocatis.

VNiuoca autem sunt, per quorum rationem prædicabile ordinatur in genere vno, quod sibi subiectis nomen suum dat & diffinitionem: & sine hac ratione vniuoci non esset reductio prædicabilium ad genus vnum prædicatum de omnibus illis quæ sunt generis illius: & ideò diffinitur sic ab Aristot. quòd vniuoca dicuntur, quorum nomen commune est, & secundum nomen illud eadem est substantiæ ratio siue diffinitio. Et dicuntur vniuoca per oppositum modum ad æquiuoca, res scilicet vniuocatæ in nomine vno, vt res ipsa ad dici & ad sermonem referatur: quia aliter non esset logicum quod dicitur: quia res in se considerata, non secundum quod stat sub dictione, non ad logicum, sed ad Philosophum pertinet. Et ideò additur, dicuntur: & non dicitur, vniuoca sunt. Adhuc autem quia sermones finiti sunt quoad nos, res autem infinitæ, vt dicit Aristot. in elenchis, necesse est plures res in genere & specie & numero vno secundum modum significari. Quando ergo plures res in vna natura (quæ causa impositionis nominis est) conueniunt in vnum nomen, erunt illa vniuoca. Et quia plura sunt vno nomine nominata, ideo dicuntur magis conuenienter in plurali vniuoca, quam in singulari vniuocum.

Vniuoca verò dicuntur, &c.

Quid per vniuoca intelligendum.

Cap. 1.

Quare diffinuit vniuoca & non vniuocum.

Quod autem additur, quorum nomen commune est: dicitur nomen quasi notamen, quod est de re quæ est causa impositionis nominis in pluribus illis: hæc enim natura in omnibus illis est vna, & non per prius & posterius participata: propter quod nomen tale simpliciter commune est omnibus illis, nihil nominans in vno quod non nominetur in altero.

Quod autem dicitur, & ratio substantiæ est eadem, ratio quidem substantiæ duo dicit, sicut prius in diffinitione æquiuocorum: dicit enim ratio non tantum diffinitionem, sed etiam quamcunque declarationem quæ datur de eo quod nominatur per nomen vt dicit etiam formam à qua nomen ponitur, quam oportet eandem esse: & ita & nomen & natura & ratio impositionis nominis erit vna in talibus vt sic:

Ratio substantiæ est eadem, &c.

&

& ratio substantiæ est ratio substantialis addens simul in his quæ sunt vniuoca: & quòd illa natura in eis sit participata æqualiter quæ non secundum magis & minus, nec secundum prius aut posterius sit in ipsis, sed vno modo sicut esse est vnum.

Quod si magis & minus susciperet, non esset vnum omninò, sicut in antehabitis determinatum est in libro de vniuersalibus. Quamuis enim nulla comparentur, nisi per aliquod vnum quod est in illis: tamen illud vnum quod est in eis, secundum magis & minus non potest esse de esse ipsorum. Et ideò ratio ipsius non est ratio substantiæ ipsorum. Substantia enim eorum consistit in participatione generis & participatione differentiæ, quæ sunt actus & potentia constituentia substantiam, eò quod termini esse substantialis sunt esse omnium eorum quæ sunt, sicut homo dicitur animal, & bos dicitur animal: ita quòd animal nomen vnius naturæ notam facit quæ æqualiter est in homine & boue, quæ quidem natura est substantia animata sensibilis: & ideò si explicetur natura siue substantia quæ dicitur per nomen, sicut nomen est commune, sic explicans nomen ratio siue diffinitio erit communis æqualiter vtrique: vnde si quis assignet vtriusque rationem, hominis scilicet & bouis, secundum hoc quod sunt animalia, hoc est, secundum naturam de qua notam facit nomen commune quod est animal, eandem de necessitate assignabit hominis scilicet & bouis rationem diffinitiuam. Et similiter est de Sorte, & Platone in hoc nomine homo. Et sic est in omnibus quæ vt genus vel species sunt, vel vt differentia, vel vt proprium vel vt accidens sub eodem nomine prædicantur, vt dicunt Auicen. & Algazel: si enim dicatur, Sortes est albus, & Cicero est albus: si ratio sumatur secundum nomen commune, prædicatum de Sorte & Platone erit vna & eadem ratio. Idem si dico Sortem esse risibilem, & idem erit si dicam Sortem esse rationalem: & vt generaliter dicatur, omne quod vt vniuersale de multis & de sibi subiectis prædicatur, vniuocè dicatur.

Tex. com. 3.

Subiectio.

Sunt tamen qui sophisticè contra hoc obiiciunt dicentes, quòd quia verè est nomen à forma impositum: diuersorum autem diuersæ sunt formæ: & ideò, vt dicunt, diuersa vnum nomen habere non possunt. Ad quod leuissime respondetur, quòd diuersorum in eo quod diuersa sunt, diuersæ sunt formæ, & diuersa nomina cum formis illis imposita. Sed nihil prohibet diuersa non in eo in quo diuersa sunt, sed in eo in quo vnum sunt, vnum habere nomen: sicut habent vnam formam: & ideò diuersa indiuidua in forma speciei nihil prohiber habere nomen vnum speciei: & quæ diuersa sunt specie, nihil prohibet habere vnam formam generis: & ideò vnum habere nomen generis: & sic est in aliis. Et ideò necesse est, quòd secundum illam formam de qua notam facit nomen, diuersa habeant vnam & eandem illius substantiæ rationem diffinitiuam. Diffinitio enim illa non plura dicit explicitè quam nomen id nomine implicitè.

Solutio.

Nõ inconuenit diuersa in forma habere vnũ nomen.

Obiectio.

Si autem contra hoc aliquis adhuc obiiciat dicens, quòd impossibile est vnam esse naturam siue formam generis in pluribus speciebus, & sic impossibile sit vnum esse nomen generis, quod dicatur de pluribus specie differentibus: & hoc probatur per hoc quod dicitur, vnum idem non simul actu habet contraria. Natura autem generis est vna & eadem: & ideò si est in pluribus specie differentibus actu, & vna eadem ratio, vnum & idem actu simul habet contraria: habet enim rationale in homine, & irrationale in boue vel asino: & cum hoc esse non possit, non potest esse nomen generis vnum in homine & boue. Hæc autem confirmari videntur per hoc quod dicit Aristot. primo de anima, quòd ratio animalis secundum vnumquodque animal est altera & altera: falsum est ergo, quòd sit nomen vnum & ratio vna.

Solutio.

Hæc autem & similia non est difficile soluere: dicimus enim, quòd vna natura generis est in diuersis specie differentibus & numero. Et quod dicitur, quòd idem non simul habet contraria, intelligitur de eodem numero, & non de eodem genere vel specie. Et hoc quidem iam in antehabitis in libro de prædicabilibus determinatum est. Et quod dicit Aristot. quòd ratio animalis secundum vnumquodque est altera, sic putandum est: ratio animalis secundum vnumquodque, hoc est, secundum esse quod habet in vnoquoque figillarim, est altera: hoc enim verum est non tantum in specie, sed etiam in indiuiduo: quia sic animal non accipitur vt essentia generis, sed vt habet esse specialе vel singulare in specie, vel in indiuiduo: sic autem non est genus, quia est in illo tantum, & non extra illud in alio: & ideò sic non est in esse vniuersalis, sed particularis: quia quamuis hoc quod est in vno, sit in alio vniuersali: tamen non secundum quod est in vno, est in alio, vt in tractatu de vniuersalibus est determinatum. Relinquitur ergo vniuoca esse, quorum & nomen commune est, & ratio substantiæ eadem.

Noto intellectum illius propositionis, idem simul non habet contraria.

Quomodo intelligitur illud dictum Philosophi, ratio animalis secundum vnumquodque est altera.

Attendendum autem est, quòd quamuis multiuoca siue synonima & diuersiuoca non sunt de his quibus prædicabile ordinatur in linea generis, eò quod synonima respiciunt vnum particulare vel speciale per diuersas proprietates quæ sunt in illo multis significatæ nominibus: diuersiuoca autem, sicut diuersa sunt nomina, sic diuersis attribuuntur: tamen quia Auicen. & Algazel. & Ioan. Damascenus in suis prædicamentis ponunt ista, & nos ea hîc ponemus non ad necessitatem scientiæ, sed ad doctrinæ perfectionem. Sunt igitur multiuoca siue synonima, quando multa nomina vni rei attribuuntur, vt ensis, mucro, spata, gladius: vel Marcus, Tullius, Cicero: his enim nominibus idem significatur secundum diuersas proprietates quæ sunt in illo. Diuersiuoca autem sunt, quando diuersa nomina diuersis attribuuntur, vt lignum, homo, lapis, & huiusmodi. Sed his non indigemus ad istius scientiæ necessitatem, in qua (sicut in geometricis facit Euclides) non præmittimus nisi diffinitiones eorum quæ requiruntur ad ordinationem prædicabilis ad vnum quod est in illo ordine prædicabile siue dicibile primo, sicut est principium transcendens quod in omnibus

Multiuoca vel synonima quæ sint.

Diuersiuoca quæ sint.

principiis est, & sicut est generalissimum: propter primum enim oportet ponere rationem æquiuocorum, propter secundum autem necessaria est vniuocorum ratio.

CAPVT IV.

De denominatiuis.

Tex com. 1. QVia vero sicut dicit Arist. in prima philosophia, lib. 9. omnia accidentium genera reducuntur ad substantiam, vt ad subiectum vnum omnium aliorum per prædicabile quod inter vniuersalia vocatur accidens, & hoc non potest fieri nisi per denominationem factam à principali: propter hoc in scientia ista in qua intendimus de prædicabilium ordine, oportet etiam præmittere diffinitionem denominatiuorum. Dicimus ergo, quod denominatiua dicuntur, quæcunque ab aliquo principali solo casu differentia secundum nomen ad casum inflexum habent appellationem, vt à grammatica (quæ principale nomen est scientiæ literarum ad rectè loquendum, & ad rectè scribendum) dicitur grammaticus per inflexionem quæ in finis est mutatione. Cum enim dicitur denominatiuum, propter compositionem propositionis de notatur transitio siue diuersitas quæ est inter essentiam denominantem & inter essentiam denominatam. Et ideò quæ sunt eiusdem naturæ denominationis non suscipiunt prædicationem vel appellationem: & ideò homo non dicitur humanus ab humanitate, sed dicitur essentialiter homo & animal rationale, & omnia quæ secundum essentiam prædicantur. Et quia etiam proprium essentiale est, quamuis non sit de essentia, ideò non congruè dicitur homo risibilitatus. In accidentibus etiam secundum quod ordinata sunt in generibus suis & speciebus, non recipiunt denominationis rationem: albedo enim nec dicitur alba, nec dicitur colorata, sed dicitur color, & sic de omnibus aliis. Sed quando natura aliena quæ est post esse alterius, intelligitur & significatur quasi circumposita, scilicet composita per vnius naturæ ad alienam congregationem: tunc fit denominatio, vt dicitur homo albus, vel alba quod est res alba. Hæc igitur sicut vniuoca & æquiuoca, quia multitudinem essentiarum significantur, competentius diffiniuntur in plurali, vt dicantur denominatiua, quam singulari vt dicatur denominatiuum.

Et addidimus, dicuntur, quia totum quod hîc intendimus, ad dici principaliter, & non ad esse refertur, sicut in præhabitis. Et quod additur, quæcunque, significat indefinitam accidentium multitudinem, à quibus fit denominatio. Et quod dicitur, ab aliquo, denotat nomen accidentis secundum quod in sua puritate & principalitate significatur. Dicit enim Auicen. in 6. de naturalibus, vbi agit de anima, quòd intellectus accidentis est absolutus, quamuis esse accidentis sit dependès. Et quod subditur, solo casu differentia, dicitur hic casus quæcunque inflexio nominis secundum finem nominis siue dictionis: siue fiat per declinationem, siue fiat per declinationem, vt à iustitia deriuatur iustus, vel verius dicendo à iustitia formatur iustus. Quamuis secundum grammaticam iustitia deriuetur à iusto: tamen secundum naturam & rationem denominationis, & denominati, à iustitia formatur iustus. Grammaticus enim nominum modos & formas attendit: & quia in declinatione sic declinatur iustus, ti, addita tia fit iustitia: ideò dicit iustitiam formari vel deriuari à iusto: hoc enim modo iustum à iustitia formari non potest. Natura autem denominationis è contrario est: quia denominans est alienam naturam informans: & ideò nomen illius naturæ præintelligere oportet, vt fine aliter in dictione inflexo denominatio fiat, sicut iustum dicitur cadens per inflexionem finis à iustitia, & album ab albedine, & sic est ab omnibus aliis. Fit autem hæc inflexio in fine dictionis, & non in principio: quia inflexio finis principale significatum non mutat, sed modum significandi tantum, vt patet in omni declinatione quando casus declinant à recto, & à seinuicem secundum ordinem casuum. Casus autem à principio dictionis mutaret totum significatum, & non tantum significandi modum: sicut si diceretur iustitia, prudentia, & huiusmodi, in quibus idē terminus est & principium diuersum, & ideò diuersum significatū. Et hoc notatur per hoc quod dicitur, solo casu differentia: per hoc enim non differunt in principali significato, sed in modo significandi tantum. In denominatione ergo hæc tria necessaria sunt, scilicet natura aliena, subiecto extrinsecus aptata & circumposita, in principali & denominatiuo eadem res significata, & diuersis modis significandi.

Quod autem additur, secundum nomen, intelligitur secundum modum nominis qui est inflexio finis, qui casus vocatur. Et quod additur, habent appellationem, p[illegible]oc quod dicitur, habent, notatur habitus extra applicatus. Et quod dicitur, appellationem (quæ dicitur quasi ad pulsum, & componitur ab à præpositione, & pello, pellis) notat, quòd alienum pulsum sit ad id quod denominatur, sicut & nomen proprium appellatio vocatur propriè, quia ex collectione accidentium ad id significandum appulsum est. Nomen enim commune propter hoc dicitur appellatiuum, eò quod in eo multa pelluntur in vnum: & ideò est commune multorum. Verius autem exemplum est, vt à grammatica quod est nomen principale, grammaticus formatur per finis inflexionem, & à fortitudine formatur fortis, & sic est in omnibus aliis accidentalibus denominationibus.

Ex his autem quæ dicta sunt patet, quòd in substantialibus non potest esse denominatio: substantialia enim sola pertinent ad eandem naturam. Et si obiicitur, quòd in substantialibus quædam significantur concretè, quædam autem abstractè, vt homo, & humanitas: in quo videtur homo per inflexionem casus deriuari ab humanitate. Dicendum, quòd hæc inflexio facta est ad similitudinem accidentis, & non de ipsa rei natura: homo enim non prædicatur de sibi subiectis, vt ab alio deriuatum,

Quæ sunt eiusdem naturæ non possunt se denominare.
Vide quæ dicuntur à D. Alberto 2. topi. c. 2.
Homo non dicitur denominatiuè ab humanitate humanæ, nec à risibilitate risibilitatus
Quare diffiniuntur in plurali numero denominatiua: & explanatio totius diffinitionis.
Intellectus accidentis est absolutus, licet eius esse sit dependēs.
Remanet dubium.
Licet iustitia deriuetur à iusto vt dicunt grammatici, tamen iustū denominatur à iustitia, vt dicunt logici.
Diuersitas in fine dictionum variat tantum modum significandi, & non significatum
Tria sunt necessaria ad denominationem.
Habent appellationē, &c.
In substantialibus non est denominatio cum pertineant ad eandem naturam.
Obiectio.
Solutio.

tum, sed prædicatur vt esse substantiale eius de quo prædicatur: & ideò iste modus intelligendi in re non potest poni, sed per similationem ad accidens est imaginatus & fictus, vt forma significetur, & formatum in eo quod est formatum per formam, hoc igitur est denominatiuum.

CAPVT V.

De diuisione ordinabilium & non ordinabilium in prædicamento.

CVm autem quidam sint ordinabilia in prædicamento, quædam autem non in vno, sed in pluribus: quædam verò neque in vno, neque in pluribus: oportet nos hîc diuisionem ponere, vt sciamus quæ pertinent ad prædicabilium ordinem, & quæ ad prædicabilium non ordinem, sed compositionem. Sunt enim prædicabilia per intellectum accepta. Hic ergo intellectus potest esse simplex intelligentia, siue simplex per intellectum intuitus: vel compositus intellectus, vnum cum alio iungens & componens. Et penes hæc duo sumuntur diuisio, quod eorum quæ dicuntur, & stant sub dictione intellectus, alia quidem sine complexione dicuntur, alia verò dicuntur cum complexione. Quamuis enim res omnes incomplexæ sint: tamen compositionem formæ cum materia vel prædicati cū subiecto non potest significare intellectus, nisi per notam complexionem. Complexio autem est designatio vnius cum altero vel in altero: sicut cum dicitur, homo currit, vel homo vincit: in his enim vocibus notatur cursus inesse homini & victoria, vt actus inest agenti. Et hanc complexionem componens facit intellectus: & non est in re per modum compositionis, quæ media sit inter hominem agentem & actum eiusdem. Ea verò quæ sine complexione sunt, exemplariter sunt, sicut cum per se dicimus homo, & per se vincit, per se currit, vt in tractatu de antecedentibus ad logicam satis dictum est, vbi diffinitum est complexum & incomplexum. Incomplexum autem sub voce conceptum, est ordinabile in prædicamento aliquo. Complexum autem pertinet ad intellectum componentem secundum naturam compositionis.

Eorum quæ sunt alia quidem, &c. Prima diuisio antepraedicamentalis.

Secunda diuisio.

Aliam autem præmittemus diuisionem secundum rationem illam dictam, secundum quam aliud ponitur in eodem vel diuerso prædicamento. Et hanc dabimus quadrimembrem super duas diuisiones bimembres fundatam. Est enim prædicabilium quæ in prædicamento vel ad subiectum vnum ordinantur aliud substantia, aliud accidens, aliud vniuersale, aliud particulare. Et est accidens vniuersale, & accidens particulare; & est substantia vniuersale, & est substantia quæ est particulare per coniunctionem membrorum diuidentium in duabus diuisionibus inductis. Et ideo egreditur quadrimembris diuisio, quòd eorum quæ sunt in natura & quidditate sua, alia de subiecto quodam dicuntur, & non sunt in subiecto aliquo, sicut substantia vniuersalis, sicut homo vniuersale vel species de subiecto, hoc est, sibi secundum totam lineam iacto dicitur, quando homo dicitur de aliquo homine, sicut cum dicitur per indiuiduum vagum, aliquis homo est homo: vel per indiuiduum significatum, sicut cum dicitur, Sortes est homo. In subiecto verò nullo est; sicut accidens in subiecto est quod sui esse causam habet subiectum: quando enim homo prædicatur de aliquo homine, prædicatum est causa & essentia subiecti, & non accipit sui esse causam à subiecto. Alia autem per oppositionem ad ista in subiecto quidem sunt, sed de nullo dicuntur vt de subiecto, ordinata prædicatione: sed si dicuntur de aliquo, est sicut indiuiduum quod prædicatur de seipso.

Quid sit esse in subiecto.

Et vt melius intelligatur explanando dicimus quid est esse in subiecto. In subiecto enim sunt, quorum dependentia secundum esse est ad subiectum: & hæc sunt quæ cum in aliquo sunt, non sunt in eo sicut quædam pars essentialis vel integralis: quia nihil conferunt ad esse subiecti in quo sunt: & impossibile est aliquid huiusmodi esse secundum actum sine eo in quo est: quia ab eo in quo est, accipit esse quod non habet extra ipsum, sicut accidens quod (vt vult Aristoteles) potius est esse quam essentia. Et huius exemplum est accidens particulare, quod non indiuiduatur nisi per subiectum, sicut quædam hæc grammatica, quæ vt in subiecto est in anima, siue in quadam anima grammaticam in se habente scientiam. De subiecto verò nullo dicitur: quia non prædicatur nisi particulari prædicatione quæ non est ordinata prædicatio. Et similiter quoddam album vel hoc album vt in subiecto est in corpore vel quodam corpore. Omnis enim color in corpore est determinato: quia, sicut dicitur in libro de sensu & sensato, color est extremitas perspicui in determinato corpore. De subiecto verò nullo dicitur cum sit particulare. Alia verò de subiecto quodam dicuntur, & in subiecto quodam sunt, vt accidens vniuersale, vt scientia in subiecto est in anima, quia est accidens anima: de subiecto vero dicitur vt de grammatica, de qua prædicatur sicut genus de specie. Alia verò neque in subiecto quidem sunt, neque de subiecto dicitur, sicut substantia particularis, vt aliquis homo, vel aliquis equus: nihil enim horum quæ sunt particulares substantiæ, neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur: simpliciter enim & vniuersaliter quæ sunt indiuidua & secundum numerum singularia, hoc est, quæ sunt vnum numero, non dicuntur de aliquo vt de subiecto, cum in descendendo vltima sint, nec habeant sub se de quo dicantur. Nihil tamen prohibet quin quædam eorum in subiecto sint, quando accidentia particularia sunt: quædam enim grammatica, vt Donati, in subiecto est in anima Donati. Hac igitur diuisione cognoscuntur quæ in genere sunt vniuersalia, & particularia in eodem, quæ prædicantur vt accidentia in vtrisque generibus, & quæ prædicantur vt particularia.

Dubitatio. Solutio.

Si autem quæritur, quæ est ista diuisio? Dici potest, quòd est, similis ei quæ est generis in species. Cum autem commune diuiditur, potius

tius dicitur, eorum quæ sunt, quam eorum quæ dicuntur: quia potius sunt ista secundum esse, quam secundum dici: quia esse sic vel sic in alio est causa eius, quod est dici vel prædicari. Et accipiuntur secundum hanc diuisionem quæ sunt in linea prædicamentali, vt genus & species, & non individuum. Et accipiuntur etiam ea quæ sunt extra genus, vt accidentia, & quæ secundum accidens prædicatur, sicut ea quæ sunt in generibus accidentium, prædicantur de subiecto.

Obiectio. Si autem obijcitur, quod subiectum in hac diuisione non accipitur in vna & eadem ratione: eo quod subiectum accidentis, & subiectū vniuersalis, non vno modo substant, nec habent vnam & eandem rationem substandi. Dicimus, quòd vna & communis ratio substandi est in vtrique, sed specialis non est vnam hoc enim vna est, quòd subiectum in se fundat & sustinet prædicatum quoad esse verum: quod est esse actu in natura. Sic enim & substantia secunda est in prima, & accidens in subiecto. Differt autem in speciali quoad hoc, quòd secunda substantia est causa essentiæ & esse primæ: subiectum autem est causa accidentis secundum esse quod habet: diuisio autem secundum partes quas habet, notificat quæ & qualiter locantur in linea prædicamentali, sicut dictum est.

Solutio.

Hæc igitur omnia vt diffinitiones quædam his quæ dicentur ordini prædicabilium præmissa sunt: quia etiam diuisiones ad hoc fiunt vt diffinitiones partium & diuidentium habeantur, per quas sciatur qualiter & quo ordine in genere ponenda sunt.

CAPVT VI.

De principiis vel suppositionibus quæ debent præmitti ordini prædicabilium,

Quando alterum de altero prædicatur, &c. SVppositiones autem sunt duæ quæ pro principiis præmittendæ sunt ordini prædicabilium. Quarum vna quidem est, quòd quãdo alterum de altero prædicatur vt de proprio sibi in recta linea subiecto, & directè & substantialiter substante secundum omnium quinque vniuersalium respectum ad ea quæ directè sub ipsis sunt, quæcunq; de eo quod prædicatur dicuntur recto ordine & substantiali, omnia etiam dici de subiecto necesse est. Hęc quidem in scientia de vniuersalibus secundum omnem modum prædicandi quinque vniuersalium dedimus exempla, vt homo vt species prædicatur de quodam homine: animal autē in eodem ordine de homine prædicatur vt genus, & substãtia de animali; necesse est, quòd animal & substantia de quodam homine vt differentia: sensibile autem & virale & animatum de rationali vt genera & differentiæ: necesse est, quòd & hæc de quodam homine prædicentur. Similiter risibile de quodam homine prædicatur vt proprium: de risibili autem admirativum vt genus, & de hoc suspensiuum ad apprehensa, & ad hoc secundum naturam

Prima suppositio ante prædicamentalis.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Ad primam.

Corpus aequiuoce dicitur de substantia & quantitate.

Ad secundam.

Ad tertiam.

Ad quartã.

Obiectio.

Solutio quorundam & bona, & est Aristot. 6. topicorum.

Aliter quãtum ad exemplum obiectionis.

Subalternorum verò generum &c.

Sufficientia prædicamentorum: & quod non sint plura quam decem.

desiderationis: necesse est, quòd & hæc de quodam homine prædicentur. Similiter album de quodam homine vt accidens prædicatur: de albo autem coloratum: de colorato autem quale: oportet igitur, quòd & hæc de quodam homine prædicentur. Et generaliter loquendo quæcunque secundum rectam lineam ordine indiuidui ad speciem & speciei ad genus de prædicato quocunque dici possunt.

Amtliatio regulæ vel suppositionis secundum Auicen. & Algaz. Et sicut Auicen. & Algazel dicunt, in negatione est similiter, dummodo negentur ea de prædicato quæcunque sunt secundum formam speciei aut generis prædicato opposita: vt si quidam homo non est lapis: lapis autem est inanimatum: necesse est, quòd quidam homo non sit inanimatum. Similiter est in ordine differentiarum & propriorum & accidentium: sicut si homo est rationale: rationale autem non est insensibile: & sic de aliis: sequitur quòd homo non sit insensibile. Et hoc est facile videre in omnibus: sicut si homo est risibile: risibile autem non potest esse non admirativum: sequitur, quod quidam homo non possit esse non admirativum. Et si homo est: album autem non est non coloratum: sequitur, quòd homo non est non coloratum: & sic est in omnibus. Et hoc principio vtimur ad ponendam rectam lineam prædicamentalem, & ad sciendum quæ extra lineam sunt prædicamentalem.

Solutio argumentorum quæ solent fieri contra regulam vel suppositionem positam Ex his autem facile patet, quòd non sequitur, quidam homo est homo: homo est species: ergo quidam homo est species. Et homo est animal, & animal est genus: ergo homo est genus. Non enim species prædicatur de homine vt subiecto secundum rectum ordinem prædicamentalem, sed prædicatur de ipso vt accidens extraneum ab hoc ordine: & ideo in tali argumento est fallacia accidentis.

Illud principium quando alterum de altero prædicatur, &c. est principium in syllogismis primæ figuræ. Et per hoc etiam principium prima figura inuenietur in syllogismis, sicut patebit in doctrina priorum analyticorum.

Alterum autem principium est, quòd diuersorum generum, & non subalternatim positorum diuersæ sunt species & differentiæ: sicut enim diuersa sunt genera, animal, & scientia, secundum diuersa prædicamenta: vnum enim est genus in prædicamento substantiæ, & alterum est genus in prædicamento qualitatis, & non sunt in eadem prædicamenti linea subalternatim posita, ita quòd vnum sub altero directè contineatur: & ideò habent diuersas differentias non ad inuicem vt inferius & superius ordinatas. Animalis enim species sunt homo, & equus: differentiæ autem vt gressibile, quadrupes, & volatile. Scientiæ verò nulla harum specierum, vel differentiarum est. Hæ species scientiæ sunt grammatica, logica, & physica: differentiæ verò demonstratiuum, opinabile, probabile, & huiusmodi. Scientia enim vna non differt ab alia in eo quod vna bipes sit, & alia non, sed volatium: & similiter est de omnibus generibus non subalternatim positis, quæ non in eadem linea continentur prædicamentali.

Diuersorum generum, & non, &c.

Secunda suppositio ante prædicamentalis.

Obiectiones contra se Ad hæc tamen quæ dicta sunt, instantiæ feruntur, sed sophisticæ sunt. Quarum prima

est

est de corpore quod ponitur species substantiæ, & species quantitatis, quæ sunt diuersa genera, & non subalternatim posita. Secunda est de scientia quæ ponitur & species qualitatis & relationis. Tertia est de quadrato quod est differentia figuræ, vt in secundo Euclidis dicitur, & est differentia numeri, vt secundo arithmeticæ. Quarta est de rectangulo quod ponitur differentia trianguli, vt patet in primo Euclidis, & ponitur differentia quadranguli, vt patet Euclidis secundo.

Omnes autem istæ instantiæ sunt sophisticæ: quia corpus secundum quod est species substantiæ, & secundum quod est species quantitatis, æquiuocum est, & non sumitur secundum vnam rationem. Corpus enim quod est in genere substantiæ, est substantia mensurata tribus diametris, ad rectos angulos se secantibus. Secundum autem quod est in genere quantitatis, est ipsa trina dimensio. Similiter scientia relata ad scibile, species est relationis, & secundum quod est qualitas scientis, est in genere qualitatis. Quadratum autem non dicitur de numeris, nisi transumptiuè, & non propriè. Similiter autem & rectangulum non eodem modo dicitur de triangulo, & de quadrangulo: quadrangulo enim conuenit per se & semper, triangulo autem accidit: quæritur enim triangulo, & per accidens.

Quidam etiam instant de rationali quod, vt dicunt, conuenit mortali & immortali, vt dictum est in scientia de vniuersalibus. Sed ad hoc quidam dicunt, quòd alterna & subalterna sunt subalternatim posita, & in eadem linea prædicamentali: quamuis enim vnum horum sub altero non ponatur, tamen ambo ponuntur sub eodem genere superiori sicut sub substantia: & ita intelligitur quando dicitur non subalternatim positorum, ita quòd sit sensus: diuersorum generum, & non subalternatim positorum, hoc est, non sub eodem communi, quod supra ipsa sit, positorum: & ita oportet dicere secundum Stoicos & Epicuros. In veritate tamen rationale non conuenit incorporeo, & corporeo secundum vnam, & eandem rationem: sed hoc determinare est libri causarum.

Subalternorum verò generum, quorum vel vnum ponitur sub altero, vel ambo ponuntur sub vno superiori communi genere, nihil prohibet easdem esse differentias. Superiora enim genera de inferioribus prædicantur: propter quod secundum principium prius inductum quæcunque prædicantur de ipso prædicato differentiæ vt diuisiuæ, prædicantur etiam de subiecto vt constitutiuæ. Sed diuisiuæ de genere prædicantur sub disiunctione, vt substantia aut corporea, aut incorporea: de specie autem suppositæ altera differentiarum prædicatur vt constitutiua, vt de corpore corporeum, & de animali animatum & sensibile. Hæc igitur sunt quæ vt suppositiones præmittere volumus ordinationi prædicabilium.

CAPVT VII.

De enumeratione generum in quæ prædicabilia reducuntur.

Eorum verò quæ secundum nullam complexionem dicuntur, &c. Ens incomplexum dictum in decem prædicamentis, non habet complexionem orationis perfectæ, nec imperfectæ, nec diffinitionis, sed simpliciter incomplexum. HIs ita præmissis iam genera, in quæ prædicabilium vniuersitas reduci habet, inueniemus. Dicimus igitur, quòd eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur, ita quòd nec habeant complexionem orationis perfectæ, nec imperfectæ, nec complexionem diffinitionis, sed simpliciter incomplexa sunt, vnum tantum significantia, & nihil cum ipso, singulum secundum seipsum in individuo acceptum aut substantiam significat, aut quãtitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid, aut vbi, aut quando, aut situm esse, aut habitum, aut facere, aut pati significat. Horum autem (vt figuraliter hinc superficialiter per exemplorum positionem sit manifestatio) est substantia quidem, vt homo, & quæcunque res per se existens. Quantitas autem, vt bicubitum, & tricubitum, & quodliber, quod continuè vel discretè mensurat magnitudinem vel multitudinem. Qualitas verò est, vt album, vel nigrum, & huiusmodi. Ad aliquid autem sine relatiuum, vt duplum, dimidium, æquale, maius, & minus, & huiusmodi. Vbi verò, vt in loco, sicut in foro, vel in theatro, vel sursum, & deorsum, & huiusmodi. Quando verò, vt heri, vel hodie, & cras, vel olim, & nunc, & huiusmodi. Situm verò esse vel positum esse, vt sedet, iacet, stat, & huiusmodi. Habere autem, vt calceatus, tunicatus, armatus, & huiusmodi. Facere verò, vt secare, vel vri, celefieri, infrigidari, vel huiusmodi.

Ad hæc omnia habent reduci prædicabilia sicut ad prima suæ coordinationis genera, & prima rerum illius principia: quamuis enim multi laborauerint, vt rationem ponant, quare numerus principiorum omnium rerum stat in decem: nos quantum possumus studebimus ex propriis horum generum modis prædicandi ostendere huius numeri rationem. Notandum igitur est, quòd iste numerus non est nisi prædicabilium, quæ vt vniuersalia de subiectis prædicantur. Propter quod si aliquid est quod de nullo prædicatur vt vniuersale, nec de ipso potest aliquid prædicari vt de subiecto & particulari vel specie, illud non est in aliquo istorum generum, sed ante hæc, & causa omnium istorum, sicut causa prima, Deus scilicet excedens omnia, qui nec est vniuersale, nec particulare, nec species, nec genus, nec differentia, nec porentia, nec actus alicuius: & verè non est aliquid vt substantia, vel vt accidens alicuius, sed est omnium efficiens, & tale principium per suam scientiam actiuam & per intellectum vniuersaliter agentem. Hæc autem in libro de causis habent probari. Si quæ etiam sunt formæ separatæ res formantes, & à rebus separatæ nullo modo miscibiles, ad quas ipsæ res sicut ad sigilla quædam formantur, & rebus non insunt, sicut dixit Plato, illæ de rebus non prædicantur, eò quod nihil sunt rerum. Et non potest aliquid de aliquo prædicari, quod nihil

Formæ separatæ non sunt substantiæ nisi æquiuocè, nec sunt in genere, nec prædicantur de rebus nisi æquiuocè.

ipsius est. Illæ etiam non sunt in genere, nec ad aliquod genus reducibiles. Et si dicuntur substantiæ, erit æquiuocum nomen substantiæ ad istas substantias. Hoc autem in prima philosophia habet determinari. Omnia autem quæ vniuersalia sunt, vel vniuersalium subiecta quæcunque aliquo modo sunt in quibusdam, & in quibus vt in subiectis sunt, quocunque modo, illa reducuntur ad ista decem genera, quæ sunt numerata, & exeunt ab eis sicut à primis suis essentialibus principiis.

Quando transfidexin dicuntur analogicè de decem generibus.

Sunt iterum quædam non ad vnum genus reducibilia, sed sunt in omnibus, sicut ens, & vnum, & res, & aliquid, quæ dicuntur non genera, sed vt principia quædam per prius & posterius de generibus illis dicta. Et ista genera primæ partes dicuntur illorum, & illa non æqualiter prædicantur de istis, sed secundum prius & posterius dicta: ita quod sunt in vno rectè & verè, & non sunt in aliis nisi per analogiam & proportionem habitudinis quia se habent ad vnum principium.

Aliqua etiam sunt in pluribus generibus, sed in quocunque sunt verè illius generis, sicut motus qui in loco est vbi fluens, in qualitate quale fluens, in quantitate quantum fluens. Et ipsa mutatio in substantia est aliquo modo substantia fluens.

Sufficientia prædicamentorum.

His ita prælibatis dicimus, quòd prædicabile de aliquo, aut est substantia, aut est accidens: & hæc diuisio est per opposita immediatè, quæ reducuntur ad affirmationem & negationem, sicut ens per se, & non per se. Ens autem per se, vt per se ens prædicabile est substantia, & est genus omnium primum, & aliorum omnium quoddam principium. Ens autem non per se prædicabile vel subiicibile, est accidens de necessitate: & hoc est ens in alio vt in subiecto, quod in duo secundum Aristot. diuidi habet. Accidens quidem aut est accidens secundum inesse, aut secundum aliquem modum ad aliud se habere.

Si autem est accidens siue aliquod cadens secundum absolutè inesse: tunc aut inest secundum materiam, quæ potentia diuisibilis est & extensibilis & numerabilis ad formarum susceptionem, quæ inquantum potentia primo inuenitur in materia: aut inest absolutè secundum potentiam formæ, quæ est perfectiua materiæ ad actum & operationem. Si primo modo inest, sic est quantitas. Si autem secundo modo inest, tunc est qualitas quæ dispositio est substantiæ ad operationes aliquas & ad actus.

Si autem non est accidens secundum esse absolutum, hoc cadit ad substantiam secundum id quod est aliquo modo habere se substantiam ad aliud: tunc non potest esse nisi duobus modis; aut enim id aliquo modo se habere ad aliud, tanquam à substantia comparata ad aliud: aut ab illo extrinseco comparato ad substantiam de qua prædicatur. Si primo modo: tunc iterum non est nisi duobus modis: aut enim est in comparatione simplici ad aliud, aut secundum comparationem partium ad totum in seipso consideratum. Et si est secundo modo, est situs vel positio. Si autem est primo: aut secundum comparationem ortam à forma, aut secundum compattionem ortam à toto simul. Et si est prædicabile secundum comparationem ortam à forma, est actio: vnde dicit Auerr. in commento super physicam Aristot. quòd actio nihil aliud est, nisi comparatio agentis ad patiens. Si autem comparatio illa est orta à materia: tunc est passio: propter quod idem Auerr. dicit, quòd passio est comparatio patientis ad agens secundum quod agens est. Si autem oritur à toto, non potest oriri, nisi per aliquem actum totius, quo innascitur comparatio illa: & tunc est ad aliquid siue relatio. Si autem oritur comparatio ab aliquo extrinseco comparato ad subiectum, de quo fit prædicatio: illud extrinsecum, aut est adiacens tantum, aut adiacens & applicatum. Si autem est adiacens tantum, & ex adiacentia simplici comparatum: aut est adiacens ei quod est esse quod est cum motu & esse distenso. Si primo quidem est ortum ab adiacentia extrinseca, tunc est vbi. Si autem comparatio est orta ab adiacentia extrinseci secundo modo, tunc est prædicamentum quando. Si autem oritur ab adiacente extrinseco & applicato, tunc est prædicamentum habitus. Nec possunt plura prædicari secundum adiacentiam extrinsecam.

phys. com. 20.

Affirmatio & negatio formaliter non sunt nisi in intellectu.

Tex. com. 8

Verum proprio & alicui naturæ non permixto.

Tex. com. 21.

Est autem aduertendum, quòd singula eorum quæ dicta sunt, quando vt singula & incomplexa accipiuntur, in nulla dicuntur affirmatione vel negatione: quia affirmatio non est nisi vnius prædicati de aliquo: negatio autem non est nisi diuisionis ostensio: diuisionis, dico, alicuius ab aliquo: horum enim prædicabilium complexione vel compositione adinuicem fit affirmatio vel negatio: & sine huiusmodi terminus prædicari non potest. Propter quod affirmatio & negatio non sunt formaliter & actualiter in rebus, sed in anima siue intellectu componente aliquid cum aliquo, vel diuidente aliquid ab aliquo. Propter quod omnis affirmatio videtur vera esse, vel falsa: & similiter omnis negatio. Propter quod etiam in 6. primæ philosophiæ dicitur, quòd verum & falsum sunt in anima, & non in rebus. Et hoc est verum de hoc vero quod est adæquatio rerum complexarum cum intellectu componente vel diuidente. Ea autem quæ sunt de numero eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur, sed incomplexo & indiuisibili intuitu intellectus accipiuntur, hoc modo veritatis vel falsitatis neque vera sunt, neque falsa. Incomplexa autem sunt, vt homo, album, currit. Possunt tamen alio modo esse vera vel falsa, secundum quod verum dicimus purum, alienæ naturæ non permixtum, vel existens & non apparens tantum, sicut dicimus verum aurum, alienæ naturæ non permixtum, & dicimus verum esse & in veritate quod ita existit secundum actum sicut apparet: & dicimus verum phantasma esse, quod apparet & non existit, sicut lemures, & somnia, & melancholicis visa; verum enim sic cum ente conuertitur, & repugnat impuro & vano. Hinc est, quòd Aristot. in 3. de anima dicit, quòd intelligentia indiuisibilium est in quibus non est verum: in quibus autem verum est & falsum, iam compositio quædam intellectuum est.

TRACTA

TRACTATVS II.

De substantia quæ est primum prædicabile.

CAPVT I.

In qua significatione substantia accipiatur.

IAm de prædicabilibus secundum ordinationem eorum ad vnum quod est generalissimum in ordine illo, tractandum est. Quia autem omnium prima est substantia, ideo primo de substantia dicamus. Est autem substantiæ triplex consideratio. Vna quidem secundum quod substantia est pars entis prima, & principalis, quæ in se vera est, & causa est omnibus aliis existendi. Secunda autem secundum quod substantia prædicabile est primum, ad quod est reductio omnium prædicabilium suæ coordinationis. Tertia autem secundum quod substantia primum subiectum est, ad quod sicut ad subiectum omnium quocunque modo prædicabilium est reductio, sicut ad id de quo est prædicatio.

Substantia triplicitèr consideratur.

Substantia primo modo.

Primo quidem igitur modo substantia est ens per se existens, nec in alio, nec ab alio suæ existentiæ causam habens: & hoc modo substantia est primum & verè ens, & est essentia inuariabilis & incorruptibilis, quæ omnibus aliis causa est existendi. Est autem actus simplex primæ causæ, per quem omnia subsistunt quæ per se sunt: & talem actum ad similitudinem substantiæ suæ producit prima causa: & est per se existens, quia non per aliud vel ab alio est quod sit causatum, sed ipsum est causatum primum in modo existendi ad similitudinem primæ substantiæ productum. Et hæc substantia simplex est essentia, sicut habetur ex libro causarum. Et hæc substantia secundum processum habet materialitatem & variabilitatem & particularitatem: quorum nihil habet secundum quod in prima causa est, & secundum hoc quod est ab ipsa. Et sic de substantia agitur, vbi sensibilis substantia ad insensibilem reducitur, & insensibilis ad intellectualem, & intellectualis ad diuinam: cuiusmodi tractatus de substantia pertinet ad primum Philosophum.

Substantia secundo modo.

Secundo modo substantia est primum commune prædicabile, ad quod omne prædicabile (quod est substantia) reducitur. Et quia nihil prædicatur de aliquo, nisi quod est eorum ipsius, & forma totius quæ eorum dicit ipsius, & esse ipsius quod est in potentia vel actu. Cum subiectum autem primum in substantia (de quo omnia alia prædicantur) sit compositum, oportet, quòd & proprium primum prædicatum sit compositum, & forma totius totum esse totius dicens secundum quod est ipsius totum, in quo prædicatio potest designari: & hæc est substantia de qua intendit logicus. Hæc autem substantia est primum quod supponitur vel subiicitur in tota coordinatione eorum, quæ substantia dicitur formabile differentiis in species & genera subalterna per ordinem descensus & species specialissimas & individua: hoc enim est genus formabile in omnia quæ sunt suæ coordinationis genera & species & individua. Et cuilibet potest patere, quod hæc totius illius coordinationis est primum principium & est compositum: quia aliter non esset in se per se existens. Est autem compositum formale à forma, quæ dicit totum esse secundum primam notionem substantiæ, in qua ratio substantiæ intelligi potest.

Si autem quæritur, quæ sint componentia ipsum, cum nihil habeat ante se, ex quo componi possit? Dicendum, quòd nihil extrinsecum ei ante se habet: intra se tamen habet intellectum componentium ipsum. Est enim ens, & est per se, quod addit super ens intellectualem compositionem: quia ex ente est, & ex eo quod est per se, est hoc. Et, vt dicit Boëtius, aliud habet quo est aliquid, aliud habet quo hoc est: & hæc est forma compositionis eius, quia nihil habet materiæ, quamuis habeat id quod est & esse. Et hæc est prima notio substantiæ quæ de omnibus prædicatur quæ in recta linea prædicamentali sunt in prædicamento substantiæ. Sunt tamen quæ dicuntur substantiæ, non quia hanc substantiæ recipiunt vel participant rationem, sed quia sunt principia essentialiter constituentia substantiam, sicut forma dicitur substantia, & materia dicitur substantia, vt dicit Aristot. in 2. de anima. Sed hæc non sunt in substantia secundum rectum ordinem prædicamenti, sed reducuntur ad substantiam vt principia substantiæ per hanc dignitatem, quòd nihil quod per sui essentiam facit substantiam, est non substantia. Hoc igitur modo substantia consideratur à logico, & est præsentis intentionis.

Dubitatio.

Solutio.

Tex. com. 2. *Materia & forma non sunt substantiæ nisi reductiuè.*

Tertio autem modo substantia dicitur ab actu substandi: & tunc dicitur substantia quæ per se substat, & omnibus aliis quæ substant, das quòd substant: & hoc modo substantia individua est substantia prima, à qua tamen nulla, vt infertur patebit, est prædicatio: sed omnis subiicibilitas omnium quæ quibuscunque subiiciuntur, est ab ipsa. Et quia nos in hoc libro intendimus de prædicabilium secundum suas coordinationes reductione ad vnum, ideò hanc

Substantia tertio modo.

hanc substantiam primam oportet ponere: quæ tamen vltima est secundum ordinem primo & secundo modo dictæ substantiæ.

Differentia substantiæ primo modo ab aliis duobus modis: & de quæ substantia ea consideretur hic, & de quæ in metaphys.

Secundum ergò primam intentionem substantia est essentia, quæ nec genus est, nec species, nec individuum, sed est simplex. Secundo autem modo dicta substantia composita est, & est primum genus omnibus sequentibus differentiis formabile & determinabile ad esse specierum & individuorum. Tertio autem modo dicta substantia, est determinata materia & superficie & loco ad hoc singulare vel illud. Et primo quidem modo substantia nec est quale quid, nec hoc aliquid, sed simplex essentia. Secundo autem modo est substantia quale quid, ab eo quod formatur habens quid, & à formante habens quale. Tertio autem modo est hoc aliquid. Principia autem substantiæ propria sunt id quod est quid & formabile, quod est non materia quidem, sed materiæ proportionem habens in eo quod sustinet se formans, & in eo quod formabile est: & secundum principium quod est dans esse habens proportionem ad actum formæ, qui est determinate ad esse, & finire, & distinguere, sicut dicunt Auic. & Alfarabius. Hæc autem quæ dicta sunt, valdè notanda sunt: quia soluuntur per ea multæ quæstiones. Hic igitur tertiò & secundo modo tractabimus de substantia primum modum primo philosopho relinquentes.

CAPVT II.

De substantia prima quid sit, & declaratio diffinitionis eius.

Substantia verò est quæ propriè principaliter, &c.

INcipientes igitur à prima subiecta, dicimus quòd substantia quæ propriè & principaliter & maximè & tertio modo substantia dicitur, est quæ nec de aliquo sibi directo subiecto in quo sit per naturam & intellectum prædicatur, nec est in subiecto aliquo. Et per hoc quod dicitur propriè substantia, excluditur substantia quæ non est propriè substantia, sed substantiale primum in quolibet genere, sicut color substantiale est albedini, & mensura substantialis est pedis, vel cubiti, vel alicuius alterius speciei mensuræ. Dicitur autem principaliter ad secundæ substantiæ exclusionem, quæ substantia est ab actu substandi dicta per primam substantiam. Et dicitur maxima, eo quod pluribus substat quam aliqua alia: quia substat communiter accidentibus, quæ non sunt nisi accidentia individui. Per hoc autem quod de subiecto non dicitur, habet quod est individua verè in natura secundum actum existens, & non habet actu intellectus existentiam vt vniuersale. Per hoc autem quod non est in subiecto, habet quod est per se ens, & non in alio nec ab alio existentiam habens. Hæc igitur est prima substantia, cuius exemplum est vt aliquis homo, vel aliquis equus.

Quid sit substantia prima, & declaratio diffinitionis eius.

Negat de subiecto dicitur, neque in subiecto est, &c.

Quod autem per negationem diffinitur, cum dicitur, quæ neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est: causa est, quia sicut prima est in substando, ita vltima est in essendo. Et ideò in substando per affirmationem affirmantem aliquid quod sibi causa esset substandi, diffiniri non potuit. Nec etiam potuit diffiniri per aliquid quod sibi essent causa de aliquo prædicandi: quia de nullo prædicatur: vltimum enim in ordine essendi, non potest habere aliquid sub se cui essentialiter insit. Inesse autem essentialiter, causa est quòd aliquid de aliquo vt genus vel species essentialiter prædicetur: perfectum autem esse in actu vltimo secundum naturam & sustentans omnia alia, causa est quòd in nullo sit vt accidens. His ergo de causis sic per duas negationes oportuit ipsam diffiniri: quæ tamen negationes infinitæ non sunt, quia finitæ sunt ab his quæ in eadem diffinitione ponuntur.

Error Iosephus substantiam primam diffinisse negatiuè.

Differentia inter dici non de subiecto, & non dici de subiecto.

Attende autem, quòd non est idem non dici de subiecto, & dici non de subiecto: non dici de subiecto enim est quod dici quidem potest & prædicari, sed non habet sub se in quo sit essentialiter secundum ordinem lineæ prædicamenti de quo prædicetur. Dici autem non de subiecto, hoc est quod à prima substantia nulla est ordinata prædicatio: ideo dicitur, quòd neque de subiecto est. Quia autem nullo modo sibi conuenit inesse, cum omnia alia sibi insint, & saluentur in esse naturæ per hoc quod sibi insunt aliquo modo, ideo impossibile fuit ipsam primam substantiam inesse alicui. Et sicut diximus, hoc est substantiæ propriè & non appropriatè: quod enim non propriè sed appropriatè substantia est, & non secundum naturam & secundum essentialitatem suã substantia est, sed habet ad id quod est quædam substantia proportionalitatem, sicut color se habet ad albedinem quando diffinitur albedo: & ideo dicit Arist. 1. topic. quòd siquis albedine posita, dixerit per diffinitionem quod positum est, colorem esse, quid est dicit, sed quale significat. Non enim est substantia, sed proportionem habet ad substantiam, quæ est causa substantiæ per hoc quod in diffinitione speciei essentialiter est sicut genus in specie: & hoc est per similitudinem proportionis, & non per naturæ veritatem.

Quare substantia prima dicitur propriè substantia, & est expositio Boë ij hic.

Cap. 7.

Cum verò dicitur principaliter substantia, principale dicitur id quod est primum & per se non per aliud neque per accidens substandi & fundandi principium: hoc enim non habet ab alio sicut substãtia secunda ab alio habet quod substat, non quidé quod in ea sit nisi in potentia, quia prima substantia non est in secunda, neq; secundum actum, neq; secundum intellectum: sed habet à prima substantia secundum quod ipsa quę dicitur secunda substantia, quędam notio est totius primæ substantiæ, totum esse suum dicens in potentia non in actu: in actu enim non dicitur totũ esse ipsius nisi nomine individui, potentia autem est ab actu aliquo primo in ordine rerum omnium & generum. Et sicut diximus, maximè dicitur: quia omnibus quæ insunt, substat quocunque modo aliquid sit in aliquo, & saluat in esse omnia secundum naturam, quod solum esse est perfectum & verum: & tale esse non habet secunda substantia, prout secunda substantia est: & ideo in tali esse fundare non potest aliquid.

Quod

Quare dixit auctor, & non dixit est.

Quod autem in diffinitione ponitur dicitur, & non ponitur est: causa est, quia diffinitio datur de substantia secundum quod innotescit per nomen substantiæ, & non datur secundum principia, quæ substantiam in esse substantiæ cõstituunt: secundum autem quod innotescit in nomine, magis conuenit dici quam esse.

Quare exemplificauit de substantia prima per individuum vagum, & non per signatum vel nominatũ.

Exempla autem non sunt posita de individuo signato, sed de individuo vago: ideò quia hoc individuum habet aliquid de natura speciei, vt in scientia de vniuersalibus dicimus: & ideò attingit naturam incorruptionis & æternitatis: & sic magis conuenit scientiæ: taliter enim descendente à generalissimis vsque ad specialissima iubet Plato quiescere: eò quod de talibus propter suam infinitatem non potest esse disciplina. Habet etiam individuum vagum aliquid de speciei prædicatione: propter quod in doctrina prædicabilium conuenientius est exemplum per individuum vagum, quam per individuum signatum. Hoc est igitur substantia ad quam est omnium aliorum prædicabilium reductio: & non est substantia secunda ad quod omnia reduci possunt; & ideo dicitur esse prima: & in ordine reductionis omnium ad vnum, primam ipsam esse necesse est. Hæc igitur sint dicta de prima substantia.

CAPVT III.

De secundis substantiis quæ sint, & qualiter ipsa solæ prædicantur de primis nomine & ratione.

Secundæ autem substantiæ dicuntur species, &c.

SEcundæ vero substantiæ dicuntur species in qui/ fuillæ quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt: sicut contentum est in communi continente, quod supposita sua vt partes continet subiectiuas, sicut species continet individua quæ sunt sub ipsa specie. Ergo species sunt secundæ substantiæ, & genera ipsarum, quæ ipsas species continent, sunt secundæ substantiæ: vt aliquis homo in specie quidem est in homine contentum: cum autem sit animal speciei illius genus, erit etiam in animali sicut in genere: & ideò animal est secunda substantia. Secundæ igitur substantiæ dicuntur, vt homo species, & animal genus, & sic est de omnibus aliis speciebus & generibus.

Tres sunt substantiæ formales.

Attendendum autem, quòd secundum veritatem sunt tres substantiæ formales. Sunt enim formæ quæ sunt tantum formantes: & illæ sunt primæ formæ procedentes à lumine agentis intellectus ad rei constitutionem, sicut lumen quod est coloris formalis & substantialis causa procedens ad corpus terminatum in perspicuo. Et sunt formæ substantiales quæ sunt cum eo ingredientes in esse rei & constituentes, quæ sunt sicut lumen causa coloris, qui iam diffunditur in superficie perspicui: & illæ sunt coniunctæ substantiæ formales rei ipsius, quæ substantialiter est constituta. Et similiter substantiæ formales quæ sunt rem constituentes, quæ sunt sicut color est immutatiuus visus vel motiuus secundum actum lucidi siue perspicui, qui abstractus à colorato corpore determinato secundum esse spirituale est in perspicuo, & secundum esse speciei & animale siue intentionale est in oculo percipiente colorem.

Quare dicuntur secundæ substantiæ.

Primæ igitur magis sunt facientes, virtutem causatiuam siue formatiuam habentes à lumine intellectus agentis: & istæ de re constitutæ non prædicantur. Secundæ autem formæ sunt materiam & compositum perficientes, in composito quiescentes: & ideò non prædicantur de re in qua sunt sicut nec primæ. Tertiæ sunt à rebus abstractæ, & sunt rerum constitutarum intentiones & notiones: & ideò prædicantur de ipsis nomine, & ratione: propter quod etiam secundæ substantiæ dicuntur, non quia simpliciter substantiæ sint sicut primæ, sed quia sunt secundæ, hoc est, hoc secundo loco substantiæ, sicut primæ substantiæ dicuntur primæ, quæ primo loco vel ordine dicuntur substantiæ, perfectam participantes substantiæ rationem.

Ad perfectam rationem perfectæ substantiæ tria requiruntur.

Ad perfectam autem substantiam & rationem perfectæ substantiæ tria requiruntur: quorum vnum & primum est, quòd perfectissimum esse in natura, & actu habeant, & non esse intentionale vel intellectuale tantum: & hoc esse non habent species & genera secundum quod huiusmodi. Secundum autem est, quòd secundum se subsistet, & in se fundet ad esse quæcumque sunt rerum. Hoc non habent secundæ substantiæ: quia fundantur in primis, & non fundant eas in esse. Tertium est, quòd aliis fundandi & substandi virtutem tribuant: sicut quòd secundæ substantiæ consequenter substant accidentibus, consequenter habent à primis. Consequenter autem dico: quia sicut in generatione hic generat hunc secundum naturam, sed quia hic generans est homo, & hic generatus est homo, ideò consequenter sequitur, quòd homo generat hominem: ita hic homo est albus, & quia hic est homo, & hoc album est album, ideò sequitur, quòd homo est albus, cum tamen albedo sit de accidentibus individui, & non de accidentibus speciei, nec accidit speciei, nisi differentia individui. Et sic non est de proprio: quia secundum naturam proprij primò accidit speciei, & per speciem venit ad individuum. Sic ergo secunda substantia dicitur, quod secundo stat, vt substantia communis non æqualiter prædicetur de prima substantia & de secunda: vt cum dicitur, substantiarum alia prima, alia secunda, sit diuisio multipliciter dicti secundum hoc quod substantia dicitur ab actu & causa substandi: & in hac intentione hic dicitur substantia, aut sequeretur non esse verum quod in sequentibus probabitur, quod scilicet destructis primis substantiis impossibile sit aliquid aliorum remanere.

Obiectio.

Obiicitur tamen sophisticè contra ea quæ dicta sunt: quia prius sunt quæ sunt causæ & diffinientia, quam causata & diffinita: secundæ autem substantiæ sunt causæ, quare substantiæ primæ sunt substantiæ, sunt enim genera

nera diffinientia species, species autem sunt totum esse formale & formaliter substantiæ individuorum: videtur ergo, quòd illæ quæ sunt substantiæ secundæ, vocatæ, sunt primæ: & quæ sunt primæ vocatæ, sunt secundæ. Et ad hoc dicunt sophisticè quidam, quòd secundum ordinem & rationem essendi proculdubio illæ quæ dicuntur secundæ, sunt primæ, sicut probat obiectio: & illæ quæ sunt primæ vocatæ, sunt secundæ: sed secundum actum substandi, & subsistendi individua substantiæ sunt primæ substantiæ, & species & genera sunt secundæ. Sed aliter dicendum est, quòd hic communis substantia potest esse intentio eius substantiæ quæ est in re & causa formalis & notio rei: & sic secunda substantia erit prima, & prima secunda: vel potest esse vniuersale abstractum à re, & sic est consequens esse rei & vniuersale, & non est subiectum, sed accidens, vt in prima philosophia dicit Arist. lib. 7. sic ergo vniuersale quod est genus, & vniuersale quod est species, accepta vt notiones essentiales formæ totius esse rei in potentia vel in actu, secundæ substantiæ sunt, hoc est, secundo substantes, & secundo in esse naturæ & actu subsistentes: & hoc modo intelligit Aristot. Substantiam autem quæ communis est ad primam & secundam, non diffinit Arist. quia multipliciter est dicta de illis.

Solutio.

Aliter.

Tex. com. 48.

Remanet dubium.

Manifestū est autem ex his quæ dicta sunt, &c.

Ex his autem quæ in præhabitis determinata sunt, manifestum est, quia eorum quæ de subiecto dicuntur, necesse est & vnum nomen & vnam rationem prædicari de subiecto: vt de aliquo homine particulari, & ratio diffinitiua & nomen prædicatur hominis: quod exemplo probatur, quia quidam homo homo est, & sic nomen prædicatur: & est animal rationale mortale, & sic prædicatur ratio. Aliter enim non esset verum quod in præhabitis determinatum est per illud principium: dum alterum de altero vt de subiecto prædicatur, quæcunque de prædicato dicuntur, omnia de subiecto dicuntur: tale enim prædicatum est in diffinitione subiecti, & ideò dat subiecto & nomen & rationem, sicut in physicis ostensum est. Eorum verò quæ sunt in subiecto directè in linea recta prædicamentali suppositò, vt in pluribus neque nomen, neque ratio prædicatur de his, quibus insunt subiectis: in abstractis enim neque nomen prædicatur, neque ratio: quia corpus non est albedo, neque anima grammatica. In quibusdam verò sicut in concretis nihil prohibet aliquando prædicari nomen accidentalitèr de subiectis in quibus sunt: rationem verò diffinitiuam ipsorum prædicari de ipsis est impossibile. Cuius exemplum est vt album, quod cum in subiecto sit corpore, prædicatur nomine de subiecto: dicitur enim vera prædicatione accidentali, corpus est album: ratio verò diffinitiua albi nunquam prædicatur de corpore. Huius autem causa pro certo est, quòd subiectum hinc & inde non dicitur secundum vnam & eandem rationem: cum enim quod est de subiecto, dicatur dare nomen & rationem subiecto, dicitur subiectum in recta linea secundum prædicabilium essentialium ordinem suppositum: cum autem dicitur, quòd ea quæ sunt in subiecto, non dant rationem suam subiecto, quamuis aliquando dent nomen, non dicitur subiectum ens in se perfectum & occasio & aliquo modo causa alterum à substantia existendi in ipso, vt dicit Auicenna. Et quia non eodem modo dicitur subiectum, non est mirabile si diuerso modo prædicatur.

Videtur tamen inconueniens quod dicitur, si loco nominis ponatur diffinitio, quod facere licet, vt docet Arist. in topicis, tunc videbitur, quòd de necessitate tale prædicatum subiecto suo dat nomen & rationem. Si enim dicatur, corpus est album, & album est coloratum disgregatiuum visus, videtur sequi, quòd corpus sit colbratum disgregatiuum visus. Ad hoc autem quidam respondere nituntur, quòd accidens rationem non habet, & quod rationem diffinitiuam substantiæ dare non potest. Quod autem rationem non habeat, nituntur probare per Arist. in 7. primæ philosophiæ, qui videtur hoc idem dicere & probare: quia in diffinitione accidentis præcipuè per denominationem prædicati cadit subiectum: est enim album corpus albedine coloratum: & hìc diffinitur tale accidens, quod oportet, quod per accidens sibi essentiale diffiniatur, sicut album per coloratum. Si ergo in intellectu albi èst corpus propter hoc quod accidentis esse est inesse, oportet etiam, quod in colorato intelligatur corpus per eandem rationem: & adhuc tertio intelligatur in eo quod dicitur visus disgregatiuum, quia etiam hoc est accidens: & sic corpus album erit corpus coloratum & corpus visus disgregatiuum: talis autem diffinitio in qua idem multoties dicitur, nulla est: nulla ergo est diffinitio accidentis.

Obiectio:

6. topicorum c. 18.

Solutio.

Tex. c. 17.

Sed ista solutio contra Aristotelem est: quia Aristot. dicit, aliquando nomine, nunquam autem de subiecto cui inest prædicatur ratione: & sic supponit accidens habere rationem. Dicens ergo, quòd accidens ideò de subiecto cui inest non prædicatur ratione, quia non habet rationem, est contra Aristot. Adhuc autem in primo topicorum dicit, quòd albedine posita siquis dixerit quod positum est, colorem esse, quid etiam dicit: & qui dixerit quod positum est, colorem diffusum in clara superficie esse, quid dicit albedinis per diffinitionem: vel si dixerit album esse coloratum disgregatiuum visus, dicit diffinitionem albi per causam datam: & hæ sunt rationes diffinitiuæ.

Improbatio eius.

Cap. 7.

Dicendum ergo secundum doctrinam Arist. quòd accidens habet rationem, etsi non habet rationem secundum perfectam rationem diffinitionis sicut substantia: diffinitio autem accidentis sumitur ex principiis subiecti quæ sunt causa accidentis: & sicut accidens & inest subiecto, & demonstratur de subiecto per causam quam dicit accidentis diffinitio. Quãdo autem dicit Aristot. quòd accidens nomine prædicatur aliquando, nunquam autem ratione, intelligit, quòd nihil prædicatur ratione, nisi quod rationem suam dat subiecto sicut dat nomen: quod scilicet sicut nomen dicit id quod est essentiale subiecto, ita & ratio illius nominis dicat omnia quæ sunt in subiecto,

Solutio vera, & est etiam Boetij.

Quomodo intelligit Arist. quòd accidens nomine prædicatur quandoque, nunquam autem ratione.

subiecto essentialia, ita quod nihil ponatur in ratione quod non sit de essentia subiecti, aut sicut potentia, aut sicut actus. Sic autem accidens etsi nomen det, nunquam dat rationem: quia quæ sunt essentialia accidenti, sunt accidentalia subiecto, & extra naturam eius: nulla autem est ratio talis. Nominis autem prædicatio in accidentali non repugnat: sed prædicatio rationis vt ratio est, penitus repugnat accidentali prædicationi. Si enim prædicetur diffinitio vt diffinitio, non prædicatur nisi de suo diffinito. De hoc autem non prædicatur, nisi vt substantia ipsius & quidditas. Hic ergo est intellectus, quod dat quidem nomen, cui non repugnat accidentalis prædicatio, quia nomen prout notio potest substantialiter & accidentaliter prædicari; hoc nunquam dat rationem vt rationem, quia ratio accidentali repugnat prædicationi.

CAPVT IV.

Quod destructis primis substantiis impossibile sit aliquid aliorum remanere.

Cætera verò omnia de substantiis, &c.

MAnifestum est autem ex his quæ dicta sunt, quòd cætera prædicabilia omnia siue substantiæ, siue differentia, siue accidentia propria, vel communia: aut dicuntur de principalibus & primis substantiis vt de subiectis sibi directè in linea prædicamentali, sicut substantiæ secundæ: aut sunt in eis sicut in subiectis ab accidentibus quæ insunt denominatis. Sequitur igitur hæc consequentia, si secundæ substantiæ sunt de primis, & accidentia in primis, substantiæ primæ sunt: ergo à destructione consequentis si primæ substantiæ non sunt, impossibile est esse aliquid eorum, siue sit de numero secundarum substantiarum, siue sit de numero accidentium.

Hoc autem facile manifestum fiet ex his quæ nunc dicenda sunt. Proponantur igitur singula cæterorum, quæ sunt alia à primis substantiis. Et primò proponatur de secundis substantiis quæ prædicantur de primis. Dic quòd animal de homine prædicatur vt genus de specie: prædicabitur ergo vtrumque istorum, animal scilicet & homo, quæ sunt genus & species, & secundæ substantiæ, etiam de quodam homine vt de particulari. Si enim diceretur, quòd non de aliquo prædicatur (quod est oppositum contradictoriè eius quod est prædicari de aliquo, cum non de aliquo & de nullo prædicari æquipolleant) sequeretur, quòd animal de nullo prædicatur homine: & sic non prædicabitur animal de homine: datum autem erat quod de homine prædicaretur: prædicabitur ergo & de quodam homine: non autem prædicabitur aliquid de aliquo, nisi per hoc quod inest illi secundum doctrinam, quæ iam præcessit de vniuersalibus: animal igitur & homo sunt in quodam homine.

Similiter probatur de accidente quod est in prima substantia: est enim color in corpore: igitur in aliquo corpore. Si autem non in aliquo est singulorum corporum, sequitur quòd in nullo est corpore: & sic omnino non est in corpore: datum autem fuerat, quòd erat in corpore: sequitur igitur, quod est in aliquo corpore. Quæcunque autem sunt in aliquo, non habent esse extra illud. Substantiæ autem quæ sunt secundæ substantiæ & accidentia, sunt in prima substantia secundum esse. Nullum igitur habent esse extra illius esse: omnia igitur alia de substantiis principalibus dicuntur, aut in eis sunt sicut in subiectis: ergo non existentibus primis substantiis, ita quòd nulla primarum substantiarum sit, impossibile est esse vel remanere in esse aliquod aliorum. Sed omnia alia aut de subiectis primis substantiis dicuntur, aut in subiectis eis sunt: & quæcunque altero istorum modorum se habent ad primam substantiam, non habent esse nisi in prima substantia, & non habent esse extra ipsam: sed si non sit prima substantia, tunc non habent esse in prima substantia: ergo destructa prima substantia secundum esse, nihil remanet secundarum substantiarum vel accidentium.

Si ergo primæ substantiæ non sunt, &c.

Vtrum destructis primis substantiis sit impossibile alia remanere:

Et hoc quidem contrarium videtur ad illud quod in doctrina de quinque vniuersalibus dictum est, quòd scilicet destructo quolibet homine & qualibet alia specie animalis & quolibet individuo, adhuc remanet animal: remanet enim substantia animata sensibilis.

Prima obiectio.

Adhuc autem secundæ substantiæ priora sunt: quia sunt de constitutione vltimorum quæ dicuntur substantiæ primæ. Sed posterioribus destructis non sequitur destructio eorum quæ priora sunt.

Secunda.

Adhuc ab inferioribus non valet ad superius argumentationis processus, nisi affirmando & non negando. Si autem vera sunt quæ hìc dicuntur, tunc locus ab inferiori ad superius valet destruendo siue negando: quod est inconueniens: arguitur enim sic, inferius non est: ergo superius non est: quod non sequitur, sed è conuerso, superius non est: ergo inferius non est.

Tertia.

Ad hæc autem dicendum, sicut in doctrina vniuersalium meminimus nos dixisse, quòd superiora esse actuale secundum naturam non habent, & esse perfectum vltima perfectione, nisi in individuis, quæ sola perfectum esse in natura attingunt, & quòd omnia quæ sunt in genere & specie, esse habent in potentia & indeterminatum & confusum & fluidum quousque illud attingunt: & ideò illis non existentibus, nihil aliorum habet esse actuale in natura & determinatum.

Ad primam.

Ad ea autem quæ contra hoc obiiciunt, dicendum, quòd priora secundum naturam non destruuntur vt priora, destructis sequentibus posterioribus, secundum esse priorum: & sic destructis individuis remanet esse eorum quæ natura priora sunt individuis, & destructis speciebus remanet esse eorum quæ speciebus priora sunt secundum esse illud quo priora sunt eis: hoc autem est esse intellectuale quo sunt genera & species, & non est esse actuale perfectum in natura: quoad hoc enim destruun-

Ad secundam.

tur destructis primis, quia tale esse non habent nisi in primis.

Ad tertiam. Ex quibus patet differentia inter locum ab inferiori, ad suum superius, & locum a partibus ad suã totum.

Ad hoc autem quod obiicitur de loco ab inferiori ad superius, qui non valet nisi affirmando: dicimus, quòd hoc verum est: sed non est locus ab inferiori, sed est locus à partibus sufficienter enumeratis sicut hic: hoc non habet esse nisi in a, & b. & c. si igitur nec est a, nec b, nec c, sequitur necessario ipsum non esse: & hoc quidem est verum. Sic ergo verum est quantum ad esse actuale in natura perfectum, quòd destructis primis & principalibus substantiis impossibile est aliquid aliorum secundum esse tale remanere.

Obiectio.

Siquis autem opponat & dicat, quòd non sequitur, quòd si non remaneat secundum tale esse, quòd non remaneat secundum esse simpliciter. Dicendum, quòd tale esse est esse simpliciter, & omne aliud esse est esse secundum quid: vnde si secundum tale esse non remaneret, simpliciter quidem non remaneret, sed maneret secundum quid: & sic loquitur Aristoteles.

Solutio.

CAPVT V.

Quod species sint magis substantiæ quam genera, non sic autem species specialissima respectu alterius specialissimæ.

Secundarum substantiarum, &c. Quòd species sint magis substantiæ quam genera.

SEcundarum verò substantiarum magis sunt substantiæ species quam genera propter eandem rationem quæ dicta est: species enim propinquior est primæ substantiæ quam genus secundum descensum in linea prædicamentali: & quia propinquior est, magis determinat de esse ipsius. Et hoc probatur per hoc quod siquis interrogatus de prima substantia quid est, vt quid est, aliquis homo, assignet respondens ad quæstionem quid est prima substantia, euidentius & manifestius assignabit quid est prima substantia, speciem proferens in responsione, quam proferendo genus: species enim est totum formale esse cuiusdam hominis: esse autem hominis in genere non est totum sed secundum partem, & est communitate generis confusum: vnde sicut determinatius est esse cuiusdam hominis in quodam homine, quam in homine: sic determinatius est esse cuiusdam hominis in specie, quam in genere: assignando ergo hominem manifestius assignabis quid est quidam homo, quam assignando animal esse in specie: sicut esse hominem magis est proprium alicui homini, quam esse in genere vt esse animal: esse namque animal, est esse communius & magis confusum & indeterminatum quam esse hominem, sicut patet in similibus inducendo. Cum enim interrogatus fueris, quid sit aliqua arbor? & dixeris aliquam arborem esse secundum speciem, manifestius & certius quid est quædam arbor assignabis, quam si dixeris plantam esse. Ergo à simili & quendam hominem assignando dicens esse hominem, manifestius quidem assignabis quid est, quam si dixeris eundem animal esse.

Amplius hoc quidem probatur alia ratione: principales enim substantiæ ideò principales dicuntur, eò quod omnibus aliis subsunt & subiectæ sunt, & alia omnia aut de his prædicantur, aut sunt in ipsis, sicut dictum est: ideò enim maximè substantiæ in physicis sunt vocatæ. Sicut autem primæ substantiæ in subsidendo & fundando in esse actuali ad omnia alia se habent: sic & species se habent ad genera: subiacet enim generi species vt determinans confusionem eius ad esse formale vltimum: & hoc probatur ex hoc quod genera de speciebus prædicantur sicut magis commune de minus communi, & sicut totum de parte cuius est totum. Species autem de generibus minimè prædicantur, eò quod non conuertitur, quòd sicut genus de specie vniuersaliter prædicatur, sic prædicetur species de genere. Sequitur ergo ex his, quòd species magis dicit substantiam & quid est primæ substantiæ, quam genus.

Obiectio.

Videtur tamen contra hoc obiici: quia in quæstione quid est, magis dicit causam qui assignat causam illam quæ per se causa est, quam si assignat causam quæ per illam priorem habet quod est causa: sed generalissimum quòd est omnium principium, per seipsum causa est in quæstione quid est, omnia alia inferiora per id sunt causa: & sic magis videtur dicere quid est, assignans genus, quam assignans speciem: quod si concedatur, contrarium est huic quod dictum est. Adhuc autem cum in inferiori sit superius actu & intellectu, qui assignat id quod inferius est, assignat etiam id quod superius est: qui autem assignat quod superius, nec actu nec intellectu assignat quod inferius est: quia non est in ipso nisi secundum potentiam: plus igitur causam eius quod quid est assignat qui assignat speciem, quam ille qui assignat genus: & hoc est concedendum. Et quod obiicitur, quòd qui assignat quod inferius est, assignat quod per aliud causa est. Dicendum quod inferius non est per aliud causa quod sit extra ipsum: & ideò non est causa omnino per aliud, sed per seipsum. Si autem esset per aliquid extra seipsum, tunc esset causa omninò per aliud: & ideò in quæstione quid est, melius assignat causam qui dicit speciem quam qui dicit genus. Manifestum est igitur, quòd inter secundas substantias magis est substantia species, quam genus.

Solutio.

Ipsarum verò specierum, &c. Vna species specialissima non est magis substantia reliqua speciei specialissimæ.

Sed ipsarum specierum quæcunque sunt species specialissimæ, ita quòd nullo modo possunt esse genera, nihil magis altera quam altera est substantia: quia quælibet illarum æqualiter totum est esse suorum indiuiduorum in forma vltima determinatum, cui in esse indiuidui nihil additur nisi materia & accidens indiuiduans. Quod probatur inducendo: quia si interrogatus fueris de aliquo homine quid est, & de aliquo equo quid est, nihil familiarius assignabis ad esse huius hominis pertinens siue determinans respondendo de aliquo homine ipsum hominem, quam de aliquo equo equum: æquè enim determinatum & certum est esse cuiusdam hominis in homine, & esse

esse cuiusdam equi in equo. Æquè igitur homo & equus, quæ sunt species specialissimæ, substantiæ sunt quantum ad actum subsistendi. Similiter autem & principalium substantiarum vnius speciei quam alterius speciei, quæ ambæ sunt specialissimæ & non subalternæ subalternatim positæ, nihil magis principalis est substantia vnius speciei, quam principalis substantia alterius speciei, & magis vel minus substantia principalis, quam altera: nihil enim magis est substantia principalis aliquis homo, quam aliquis bos, vel aliquis equus, sed æquè sunt principales substantiæ omnia individua specierum.

Remanet dubium. Non datur tertia, quarta, quinta, & sexta substantia, sed tantum prima & secunda.

Sed non sic est in generibus: quamuis enim genus sit generis superius vsque ad generalissimum, non tamen sequitur, quòd genus generis sit tertia substantia, & genus illius generis sit quarta substantia, & sic ascendendo sit quinta, & sexta, ita quòd vltima sit generalissimum: quia in formis communibus quæ prædicantur, non est nisi confusum & determinatum per vltimum actum: & ideò non sunt nisi duæ in genere substantiæ secundum magis & minus, determinata quidem quæ est species, & indeterminata quæ est genus: sed hoc verum est, quod in confuso est confusum, confusius, & confusissimum: sed hæc non faciunt gradum secundum speciem differentem: quia pluribus illorum confusum est & indeterminatum: merito ergo ea quæ ascendendo post principales substantias, sunt inferiorum species & genera, dicuntur substantiæ, & sola illa sunt substantiæ secundæ: sola enim hæc indicant secundum quæstionem factam per quid est, principalem substantiam confuso esse & indeterminato inter ea quæ de principali substantia prædicantur: omnia enim prædicabilia prædicantur in quale: aliquem enim hominem assignando quid est, demonstrabit aliquid familiarius & certius si speciem & hominem esse dicat, quam genus, dicendo quòd sit animal. Aliorum verò prædicabilium quæ secundum accidens prædicantur, eò quod in subiecto sunt, quicquid assignauerit respondendo ad interrogationem factam per quid, quilibet assignabit extraneè: nec erit de essentia primæ substantiæ, videlicet de quidditate eius. Ex opposito ergo ista de causa species & genera solum secundæ substantiæ dicuntur.

Amplius autem hoc idem etiam hoc modo probatur: quia principales substantiæ ab actu subsistendi substantiæ sunt vocatæ, ideò dicuntur principales substantiæ, quia omnibus scilicet aliis subiacent prædicatis, siue essentialibus, siue accidentalibus. Sicut autem primæ substantiæ ad omnia alia prædicata se habent in subiacendo, ita species & genera principalium substantiarum ad reliqua alia accidentia, scilicet prædicata se habent: quia de speciebus & generibus omnia reliqua accidentalia prædicata, prædicantur per modum qui supra determinatus est: aliquem enim hominem dices esse grammaticum: ergo & hominem & animal grammaticum dicis, sicut nuper ante probatum est: similiter etiam est in aliis accidentalibus prædicatis. Secundum igitur locum in subsistendo species habent & genera: ideò secundæ dicuntur substantiæ, & omnes dicuntur substantiæ, & nullæ tertiæ, vel quartæ.

CAPVT VI.

De hoc communi substantiæ quod est in subiecto non esse.

Primo tanguntur proprietates substantiæ prout ipsa est prædicabilis.

HIs determinatis de principalibus & secundis substantiis, iam nunc proprietates siue passiones genus substantiæ consequentes relinquitur determinare. Tangemus igitur prius proprietates quæcunque substantiæ conueniunt inquantum est in prædicabilibus: quia illæ sunt huic nostræ intentioni magis propriæ. Quia verò proprium est conueniens omni & semper, ideò ea quæ propriè dicuntur esse, tori generi & tori coordinationi substantiæ, sunt speciebus & generibus communia.

Primo proprietas substantia. Commune est autem omni substantiæ, &c. Subiectum quare sic dicitur, & quomodo duplicitèr capitur.

Dicamus igitur, quòd commune est omni substantiæ in subiecto non esse eo modo quo accidens est in subiecto. Iam enim ante distinximus, quod subiectum dicitur secundum nomen, idem quod subtus iactum siue suppositum: & sic natura communis in suo inferiori est sicut in subiecto, sicut genus in specie, & species in individuo, & vniuersaliter secunda substantia in inferiori & particulari. Dicitur autem subiectum ens in se completum, quod est accidentis vel alterius causa existendi in eo: & hoc modo non nisi accidens est in subiecto: & sic omni substantiæ tam secundæ quam primæ commune est in subiecto non esse.

Hoc autem patet inductione. Principalis substantia quæ est particulare substantiæ, neque de subiecto dicitur, quia nihil sibi substat vt suppositum: neque est in subiecto sicut accidens esse est in subiecto esse, quia est per se existens. Secundarum verò substantiarum similiter manifestum est, quòd nulla est in subiecto sic dicto subiecto quod est ens completum, quod alij dat esse in seipso, quod esse non habet nisi insit ei. Homo enim qui est substantia secunda, dicitur quidem de subiecto, prout suppositum dicitur subiectum quando de aliquo homine prædicatur, vt cum dicitur, aliquis homo est homo. Sed non est in aliquo homine vt in subiecto, prout subiectum dicit ens completum, alij dans esse per hoc quod est in ipso, & non haberet esse nisi in ipso esset. Cuius probatio est: quia sicut homo quod est secunda substantia, non est in aliquo homine, ita quod accipiat ab aliquo homine esse, quod non haberet nisi in ipso esset: homo enim prout substantia secunda & species est esse individuorum & esse alicuius hominis, dans esse particularibus: & ideo impossibile est, quòd esse accipiat propter hoc quod insit eis. Similiter autem & animal quod est substantia secunda vt genus, de subiecto quidem dicitur de aliquo homine vel aliquo animali, sed non inest alicui animali vel homini vt accidens in subiecto.

Remanet dubium.

Et secundum hoc patet, quòd si fiat talis ar-

gumentatio, scilicet, substantia secunda est in prima: & prima substantia est subiectum secundæ: ergo est in ea sicut in subiecto: peccat secundum fallaciam æquiuocationis: quia substantia in prima stat pro supposito, in conclusione autem stat pro subiecto in se completo, quod est subiectum accidentis.

Amplius sicut antehabitum est, eorum quidem quæ in subiecto sunt vt accidens est in subiecto, nomen quidem nil prohibet aliquando prædicari de subiecto in quo sunt, rationem vero eorum prædicari de subiecto, ita quod prædicetur vt ratio subiecti, est impossibile, sicut ante ostensum est. Secundarum verò substantiarum prædicatur de subiecto quod est suppositum, & nomen & ratio diffinitiua: quod patet; quia nomen hominis quod est substantia secunda, prædicatur de aliquo homine, aliquis enim homo est homo: & ratio similiter, quia aliquis homo est animal rationale & mortale: igitur secunda substantia non est de numero eorum quæ in subiecto sunt sicut accidens est in subiecto.

Hoc autem quod est in subiecto non esse, est quidem proprium quod conuenit omni substantiæ & semper, sed non conuenit soli: conuenit enim etiam differentiæ quæ in prædicamento substantiæ secundum rectam lineam prædicabilium in superstando & substando non est: differentia enim in subiecto non est: bipes enim & gressibile, quæ sunt differentiæ animalis mobilis diuisiuæ, & speciei hominis differentiæ constitutiuæ, dicuntur & prædicantur de subiecto in quo sunt quod est subiectum, vt suppositum de homine: in subiecto autem nullo sunt, prout subiectum in se completum dat esse accidenti quod est in potentia: differentia enim in specie dat esse actu speciei: quia, sicut in scientia vniuersalium determinatum est, differentia est quod ad esse conducis, & quod eius quod est esse rei pars est: igitur nec bipes, nec gressibile in homine est, ita quod per inesse accipiat quod sit: confert enim speciei esse differentia, & non accipit ab ipsa: si enim acciperet esse à subiecta sibi specie, oporteret quod species acciperetur in diffinitione differentiæ sicut subiectum recipitur in diffinitione accidentis: hoc autem non sit: sed potius differentia recipitur in diffinitione speciei: patet igitur, quòd non inest speciei vt accidens. Adhuc autem de quocunque prædicatur differentia vt de subiecto nomine, de eodem prædicatur ratio siue diffinitio differentiæ, sicut patet exemplo: quia si gressibile de homine dicitur siue prædicatur, tunc etiam ratio diffinitiua gressibilis de homine prædicatur, quæ est pedibus mobile voluntate siue appetitu secundum processiuum motum: est enim homo gressibilis, homo mobilis voluntate motu processiuo.

Dubitatio. Potest autem hic oriri dubium, vtrum differentia sit substantia? Videtur enim ipsam non esse substantiam propter hoc quod dicitur, hoc quod est in subiecto non esse, non soli substantiæ conuenit, sed etiam differentiæ: per hoc enim videtur differentiam substantiam non esse. Sed hoc iam in scientia vniuersalium sufficienter determinatum est. Est enim differentia illa quæ magis proprie differentia est, secundum id quod est. & secundum suam naturam substantia, quæ est forma substantialis, quæ dat esse actu substantiæ toti, & hoc modo totius esse: quod autem est notio designans totum esse in actu, differentia est: & ideo de toto prædicatur. Si tamen differentia prout relata ad genus consideratur, cuius qualitas est in ipsius potestate consistens, sic se habet ad genus vt perfectum esse generis consequens: & ideò in hac comparatione comparatur ad genus vt qualitas accidentis inseparabilis: quæ tamen qualitas secundum naturam qualitatis qualitas non est, sed est qualitas essentialis propter hoc quod generis potentia, potentia imperfecti est, cuius imperfectio ad actum perficitur determinata potentia generis per coniunctam sibi differentiam: & hoc modo substantialis forma est habens modum qualitatis. Comparata autem ad speciem quam in suo esse constituit, qualitas est etiam essentialis & substantia: quia nihil constituit in esse nisi substantia: & quia sic habet modum qualitatis & effectum substantiæ, ideò non secundum suam totam rationem substantia est. Et quia est simplex & non composita, ideò in directa linea coordinationis prædicabilium substantiæ cadere non potest secundum ordinem superstandi & substandi: quia non respicit ad genus substantiæ, sicut ad sui esse principium, ideò per se genus esse non potest: prima enim genera sunt prima rerum principia. Respiciens autem ad aliud vt ad sui principium in quo est, primum principium esse non potest: & sic non potest esse genus. Cum ergo respiciat ad genus non sicut generi suppositum, sed sicut ad id in quo est sicut in potestate naturali, relinquitur necessario, quòd sit in linea laterali: & ideò neque in genere est, neque omninò extranea & separata à genere. Et huius quidem doctrinam in scientia vniuersalium tradidimus in tractatu de differentia: sed intantum hic dic dicimus, inquantum intentioni præsenti est necessarium. Quia igitur in genere substantiæ non est, propter hoc dicitur, quòd in subiecto non esse non solum conuenit substantiæ, sed etiam differentiæ.

genere substantia sit substantia, an qualitas

Quare differentia non ponitur in recta linea prædicamentali.

Sed est aliquid quod conturbare posset secundum hanc doctrinam: ita quod aliquis posset moueri de substantiarum principalium partibus, vt est manus, pes, & huiusmodi, vel etiam sicut materia & forma, ex quibus fit substantia composita. illæ enim partes in substantia composita videntur esse sicut in subiecto: non enim habent esse partium nisi in composito, manus enim abscissa non est manus: & ita forte aliquis putaret, quòd secundum hanc doctrinam cogamur multipliciter eas dicere non esse substantias & conuersim, per hanc rationem, quòd non sint sicut substantiæ. Ea enim quæ tanquam partes essentiales vel integrales sunt in aliquo, per hoc quod sic sunt in toto, non habent esse in subiecto: est enim alius modus essendi aliquid in aliquo sicut pars in toto, & alius modus essendi in aliquo sicut accidens in subiecto, vt in 4. physicorum determinatur.

Solutio. Vtrum differentia de

Sciendum

Pars non habet esse in actu, nisi dum est in toto.

Sciendum tamen est, quòd pars non est in actu nisi quando est in toto. sed est in potentia pars & non secundum actum quando non est in toto: & sic à toto accipit actum & rationem: actus autem ipsius & forma est operatio ipsius quam habet secundum formam, sicut oculi videre, & radicis alimentum trahere, & folij fructum à caumate defendere, & manus opus intellectus imperatum perficere, & huiusmodi: & potestates adhuc partes habent in toto, & non habent quando in toto non sunt: & ideò abscissæ partes, æquiocè nomina illa recipiunt quæ habent in toto: sed quod in toto aliquo modo recipiunt nomen & rationem, est à toto: hoc autem non facit accidens quando est in toto vt in subiecto. Et ideo æquiuocatio est quando dicitur pars in toto, & quando dicitur accidens esse in toto; accidens enim non est forma partis, sed totius: quia subiectum accidentis est ens in se completum: completum autem est totum compositum. Est autem adhuc etiam est dissimilitudo: quia partes in toto siue sint essentiales, siue integrales, totum constituunt secundum esse: & ideo substantiæ sunt totius: accidens enim non est in toto sicut constituens ipsum secundum substantiam, sed est sicut constitutiuum in esse quomodocunque per substantium, & ideo in diffinitione accidentis recipitur subiectum sicut causa; est accidentis: in diffinitione autem compositi recipiuntur partes sicut principia cognoscendi totum: quia eadem sunt principia cognoscendi & essendi, sicut dicitur in principio physicorum; dicit autem Aristot. quòd compositum & totum cognoscimus cum scimus ex quibus, & quot, & ex qualibus est.

Esse in æquiuocè dicitur de partibus respectu totius, & de accidente respectu subiecti.

In primo. rex. com. 1.

Obiectio. Ex his autem quidam errantes obiiciunt, vt dicit Gregorius Nissenus, Quæcunque vt endelechia sunt in aliquo, aut vt accidens sunt in aliquo, aut sicut forma materialis quæ habet esse extra ipsam: anima autem vt endelechia habet esse in corpore: aut ergo est in ipso sicut accidens in subiecto, aut sicut forma materialis; & quodcunque horum detur, sequitur quod non habet esse nisi in corpore, & non habet esse extra ipsum. Ad hoc autem quidam respondere nituntur dicentes, quod anima habet esse in corpore sicut motiuum in moto, sicut rex in regno, & nauta in naui: & ideò separabilis est à corpore, & separata habet esse in seipsa.

Solutio.

Improbatio. Sed salua pace istorum isti non soluunt obiectionem: quia obiectio sic procedit dicens, quod quæcunque vt endelechia sunt in corpore, &c. motiuum autem in moto est sicut endelechia: anima autem in secundo de anima dicitur esse endelechia corporis organici, potentia vitam habentis. Et hoc dictum est de anima, non secundum quod est anima, sed secundum quod est corporis animati forma: & ideò dicit Aristot. quòd sic diffinita anima est in habitu, & sicut somnus, & sicut figura elementalis: & est diffinitio ad demonstrationem se habens sicut conclusio: & ideò in sequentibus corrigit eam Arist. dicens, quòd anima secundum substantiam secùdum quod anima substantia est, diffinitur sic, Anima est

Tex. com.

principium & causa vitæ, scilicet, talis qualis ipsa anima est: vegetabilis enim est causa & principium vitæ vegetabilis, & sensibilis principium & causa vitæ est sensibili.: quæ vitæ non sunt sine corpore: & ideò illæ animæ non sunt principia & causæ talis vitæ, nisi in corpore: anima autem intellectualis principium & causa talis vitæ est sine corpore: intelligentia enim perficitur sine aliquo corpore, & est ab omni corporali subiecto separata: si igitur principium & causa talis vitæ est, & secundum seipsam talis vita erit principium & causa: separata igitur à corpore talis vitæ est causa & principium.

Aliter. Ad obiectum autem dicendum, quòd anima intellectualis non est endelechia corporis, nisi per suum actum, qui est influso sensus & motus in corpus: & isti sunt actus ipsius secundum id quod est pars & potentia ipsius, sicut vegetabile & sensibile: actus autem & operatio ipsius secundum id quod est in substantia, est secundum id quod intellectualis est: & hic actus & hæc operatio est sine corpore. Hæc autem quamuis ad propositum non sint; tamen propter obiectionem remouendam posita sunt, vt perfectior sit doctrina.

CAPVT VII.

De proprio substantiæ & differentiæ quod est vniuocè prædicari.

Inest autem substantiis & differentiis, &c.

ADhuc autem est proprium quod conuenit semper, sed non soli, neque omni: soli quidem non conuenit, quia conuenit substantiæ & differentiæ: non autem omni conuenit, quia non conuenit principali substantiæ. Hoc autem proprium (quod inest quidem vt proprium substantiis quæ à subsstando & superstando substantiæ dicuntur, & inest differentiis quæ à subsstando directè in genere esse non dicuntur) est quòd omnia prædicata quæ sunt ex ipsis & de numero eorum sunt, vniuocè prædicantur de his de quibus prædicantur: omnia enim prædicata quæ sunt ab his, hoc est, substantia & differentiis sumpta, aut prædicantur de individuis, aut de speciebus, generaliter dicta specie ad subalternã & specialissimam. Hoc autem proprium non omni conuenit substantiæ: quia non conuenit principali substantiæ quæ est substantia individua. A principali namque substantia nulla est prædicatio: quia individuum de nullo prædicatur: & si nulla est prædicatio sumpta de principali substantia, tunc non prædicatur vniuocè de aliquo, eò quod de nullo vt sibi subiecto prædicatur ipsa: est enim omnium nouissimum subiectum, & ideò habere non potest aliquid quod sibi sit subiectum, prout subiectum dicitur secundum naturam substans suppositum, nec potest dici de subiecto: omne autem quod vniuocè prædicatur de aliquo, de ipso dicitur vt de subiecto: prima igitur substantia de nullo vniuocè prædicatur. Et sic habentur duæ conditiones, scilicet quod non prædicatur, &

quod non prædicatur vniuocè.

Obiectio. Hunc autem videtur contrarium esse quod in libro de quinque vniuersalibus dicit Porphyr. quod scilicet individuum de vno solo, hoc est, de seipso prædicatur. Sed hoc in scientia quam de vniuersalibus scripsimus, solutum est. Ibidem enim diximus, quod aliquid prædicari de seipso naturali prædicatione non contingit, siue essentiali prædicatione. Quia in tali prædicatione prædicatum debet esse de ratione subiecti & principium constituendi & cognoscendi ipsum. Hoc autem non potest esse quando idem de seipso prædicatur. Eodem modo quando subiectum est de ratione prædicati, tunc subiectum est principium cognoscendi prædicatum: & hoc iterum esse non potest quando idem de se prædicatur: non enim potest esse nisi prædicatio per accidens si prædicatio est: non enim ibi prædicatur proprius effectus de causa. Sed per accidens non est prædicatio: quia nec prædicatum est accidens subiecti, nec subiectum est accidens prædicati. Et sic nec est prædicatio per se, nec per accidens: ergo nulla. Et hoc quidem verum est: quia quando individuum de se prædicatur, significatur idem sibi inesse: quod nullo modo potest intelligi: quia nihil inest sibipsi, vt in 4. physicorum dicit Aristot. Sed quod dicit Porphyrius, intelligendum est de inordinata prædicatione, quæ non est vniuersalis alicuius prædicatio: & tunc illa prædicatio reducitur ad artem, vt idem secundum id quo est intelligatur prædicari: & hoc est cum dicitur, hic homo est hic homo, vel Sortes est Sortes, vt sensus sit, quia hic homo secundum id quod est res naturæ est hic homo quo habet esse hominis, vel Sortes secundum quod est hic Sortes, est Sortes quo habet esse Sortis, hoc est, secundum quod est sub individuantibus significantibus ipsum esse Sortem. De talibus prædicationibus hic non loquimur.

Solutio. Quomodo idem non prædicatur de seipso, nec per se, nec per accidens.

Textum. 7. Quomodo individuum potest prædicari.

Verificatio dicti Boëtij. Hoc autem modo loquendo, vt dicit Boëtius, nullæ sunt propositiones veriores his, in quibus idem de seipso prædicatur: quia in talibus idem secundum id quo est, de eo quod est prædicatur: esse enim quo est id quod est, ab eo quod est, inseparabile est per intellectum: & ideò semper est vera, & vt quidam dicunt, à nullo nisi à seipsa talis propositio suam habet veritatem: semper enim verum est hoc, homo est homo, domus est domus: quia esse in eo quod est, semper accipitur per intellectum: & ideò æterna est talium veritas propositionum, vt dicunt quidam.

Patet igitur qualiter est & qualiter non est à prima & principali substantia prædicatio. Quod autem vniuocè non prædicatur, facilè probatur per hoc quod non habet aliquid sub se suppositum, in quo sit vt genus, vel differentia, quod causa est vniuocæ prædicationis. Cum autem aliquo modo de se prædicatur, non tamen prædicatur vt ens de ratione suiipsius, & sic vniuocè de se non potest prædicari.

Quod autem omnis prædicatio quæ sumitur de secundis substantiis & differentiis sit vniuoca, probatur per inductionem: quia quæcunque sunt de numero secundarii substantiarum, sunt species, vel genera: & species quidem essentialiter prædicatur de pluribus differentibus numero solo, & hæc sunt individua: genera autem prædicantur & de speciebus & de individuis substantiali prædicatione, quia genus prædicatur de pluribus differentibus specie. Similiter etiam differentiæ prædicantur de speciebus & individuis specierum quas constituunt sicut essentiæ formales quæ insunt speciebus & individuis: & quando species de primis substantiis prædicantur, tunc primæ substantiæ suscipiunt rationem specierum, quia species individuo dat nomen suum & rationem: & similiter quando genera de speciebus prædicantur & individuis, species suscipiunt rationes generum propter eandem causam, quia per hoc quod genus essentialiter est in specie & actu & intellectu, genus speciei dat nomen suum & suam rationem per illam quæ præmissa est dignitatem, scilicet quod quando alterum de altero prædicatur vt de subiecto, quæcunque substantialiter de prædicato prædicantur, omnia de subiecto dicuntur eodem modo & ordine prædicationis. Similiter autem quando differentia prædicatur de speciebus & individuis, per hoc quod essentialiter vt actus est in illis, tunc diffinitiuam rationem differentiæ suscipiunt & species & individua, quia ipsa differentia, vt actus & vt forma est essentialiter in illis. Sed iam habitum est, quòd vniuoca sunt, quorum nomen est commune & vnum, & ratio diffinitiua secundum id nomen data est eadem. Nomine autem vno & ratione vna prædicantur secundæ substantiæ & differentiæ: ergo omnia prædicata quæ à substantiis secundis & differentiis ordinata prædicatione sumpta sunt, vniuocè dicuntur siue prædicantur.

Remanet dubium. Attende autem, quod quamuis differentia non sumatur vt genus, & subiectum in recta linea stando supra & subtus non habeat, sed sit à latere respiciens talem lineam: tamen differentia subiectum habet cui inest, de quo est vt prædicabile & vt quoddam vniuersale, & sic de illo prædicatur vniuocè.

Quomodò differentia possit prædicari secundum veritatem cum carent tempore. Adhuc autem notandum est, quod quamuis differentia non habeat genus quod in ipsa sit per intellectum, & sic non habeat veram diffinitionem qua prædicetur: tamen habet assignationem nomen suum per essentialia sua formatiua per causam essentialem, sicut quod dicitur quod ad esse conducit, & quod eius quod est esse rei pars est. Hæc enim assignatio per causam data est, secundum quod ipsa differentia est causa esse, & per hanc vniuocè habet prædicari: & cui convenit prædicatio sui nominis, in ipso est differentia per hanc eandem rationem completam, scilicet quod differentia id ad esse conducit, & quod ipsa differentia esse illius rei pars est essentialis. Sic enim intelligitur quid prædicari nomine & ratione, sic scilicet vt subiectum de quo prædicatio fit, sicut participat prædicatum nomine, sic participet ipsum ratione.

CAPVT

CAPVT VIII.

De proprio substantiæ quod est significare hoc aliquid.

OMnibus autem iam habitis proprietatibus quæ substantiam secundum quod est vnum prædicabilium consequuntur, nunc restat videre de proprietatibus ipsius secundum quod ipsa est substantia absque hoc quod consideretur vt prædicabile vel vnum prædicabilium siue prædicamentorum. Dico igitur, quòd omnis substantia videtur hoc aliquid significare: hoc autem aliquid significare conuenit quidem soli substantiæ, sed non conuenit omni: quia sicut vniuocè prædicari conuenit secundæ substantiæ & non primæ, ita hoc aliquid significare conuenit primæ substantiæ & non secundæ, quamuis conuenire videatur etiam ipsi substantiæ secundæ. Et in primis quidem indubitabile est & verum vniuersaliter, quoniam primæ substantiæ hoc aliquid significant: quia habent materiam terminatam & signatam accidentibus & indiuiduantibus, per quæ sunt hic & nunc, & per quæ singula earum est vnum numero, & hic & nunc, in quo, vt dicit Boëtius, non inuenitur diuersitas in numerando: quod non conuenit ei quod est specie vel genere vnum, quod nec habet materiam determinatam neque signatam, & ideò diuisione materiæ agit in indiuiduorum pluralitatem, & diuisione differentiarum genus diuidentium in specierum pluralitatem, ita quod vnitas numeri non seruatur in ipsis. Prima igitur substantia quod sit hæc, habet ab indiuiduatione & terminatione indiuiduantium: quòd autem aliquid in forma, habet à specie quæ est in ipsa, & est esse ipsius, & sic propriè dicitur hoc aliquid: vnde dicit Boëtius in lib. de hebdomadibus, Omne quod est, ab alio habet quòd est, & ab alio quòd hoc est: quòd enim hoc est, per designationem est huius, quia hoc est: quòd autem est, non potest esse nisi per hoc quod est sibi causa essendi.

Omnis substantia videtur hoc aliquid, &c.

Significare hoc aliquid est proprietas substantiæ, secundum quod ipsa substantia est.

Vnde habet prima substantia quòd hoc aliquid significet.

In secundis autem substantiis videtur quidem sub appellationis figura similiter nomen hoc aliquid significare, quando aliquis dixerit nominans hominem vel animal: non tamen verum est, quòd nomen substantiæ secundæ significet hoc aliquid: sed nomen secundæ substantiæ magis significat quale aliquid, & non hoc aliquid. Id enim quod vt subiectum in nomine significatur, neque vnum est numero, quemadmodum vnum numero est quod nomine primæ substantiæ subiectum significatur: subiectum enim nominis speciei prædicatur de pluribus numero in quibus actu esse & simul significatur. & animal quod est subiectum nomini generis, & de pluribus dicitur specie differentibus & numero, in quibus est actu & simul.

Quid per appellationis figuram intelligendum.

Dico autem appellationis figuram, non vt quidam dicunt nominis institutionem, quam dicunt primò in indiuiduis factam esse, eò quod nomina prius dicunt institura fuisse ad indiuiduorum significationem. Sed dico appellationis figuram, similem nominis formationem ad significandam speciem & ad significandum indiuiduum. Natura enim, vt dicit Damasc. dupliciter consideratur, in se scilicet, & in atomo siue indiuiduo: & in vtraque consideratione simili nomine natura designatur. Natura enim communis in se considerata homo dicitur, & considerata in atomo hic homo dicitur: & quia vna est, non differens nisi communi & determinato, propter hoc vno nomine designari eam oportuit: & hoc vocatur appellationis figura. Et hæc appellationis figura nobis etiam causa deceptionis est in fallacia figuræ dictionis: quia sæpè quale quid vt hoc aliquid interpretamur.

Quomodo species & indiuiduum substantiæ idem videntur significare sub nomine similitudinis.

Figura appellationis est causa fallaciæ figuræ dictionis.

Huius autem figuræ appellationis causa est; quia & genus & differentia & species & indiuiduum videntur idem & eandem naturam significare. Genus enim dicit formam in materia indeterminata diffusam: & talis esto compositi ipsum genus est notio quædam: & ideò prædicatur de toto, quia totum dicit modo qui dictus est. Differentia autem dicit formam & actum ad materiam indeterminatè relatam & inclinatam, & quasi ad talem materiam reflexam: propter quod & hæc dicit totum esse totius compositi, & ideò etiam ipsa de toto prædicatur. Species autem dicit formam in materia quæ ad actum vltimum stat vt perfecta, sed non est terminis limitata, & loco & tempore determinata: & ideo & hæc dicit totum esse, & est notio totius & non partis, & ideò de toto prædicatur. Indiuiduum autem dicit formam in materia determinata, limitantibus locis & differentia temporis & septem indiuiduantibus designatam, quæ in scientia de vniuersalibus determinata sunt. Et quia sic vnum in omnibus est secundis & primis substantiis & differentiis, oportuit quòd similis esset appellationis figura.

Quia est in omnibus quod sub appellationis figura designatur.

Quamuis autem vnum sit in omnibus quod sub appellationis figura designatur per nomen, non tamen vnus est ipsius modus quo est in omnibus aliis: non enim idem modus consusi est & stantis ad actum vltimum, nec idem modus est communis indeterminati limitibus substantiæ numeri & terminis. Et ideo non semper est verum hoc sub appellationis figura designari. Propterea secunda substantia quamuis significare videatur hoc aliquid, attamen non significat hoc aliquid sed quale quid, scilicet quid per id quod primum formabile subiicitur in ipso quod est indeterminatum & confusum: & quod sit quale, per qualitatem essentialem habet, aut secundum potestatem, aut secundum actum differentiæ determinantis ipsum ad actum, sed non determinantis ipsum limitibus temporalibus vel corporalibus, sicut linea, & superficies, & locus, & tempus, & patria, & parentela, & nomen, & huiusmodi, quibus aliquid diffinitum & determinatum hoc aliquid efficitur, & hic & nunc circumscriptum vel diffinitum suæ existentiæ limitibus, vltra quod nihil est de sua substantia. Aliter autem aliquantulum differentia significat quale quid quod dicit Auicen.

Quomodo secunda substantia significat quale quid.

cen. hæc enim suo nomine dicit quale: quid autem quod est subiectum formabile, non dicit nisi per effectum, quia scilicet in actu facit ipsum.

Dubitatio. Sed hic adhuc surgit quæstio de generalissimo: hoc enim in se non habet differentiam, & sic videtur dicere quid & non quale quid. *Solutio. Quomodo substantia generalissima significat quale quid cum careat differentia.* Sed ad hoc reddetur, quòd differentiam quæ formabile est, in se habet per potestatem, & sic aliquo modo habet eam: & inquantum habet eam, intantum quale quid significat.

Cum autem dicimus, quòd substantia secunda & differentia significat quale quid sub appellationis figura, non intelligimus, quòd sic significet quale quid, sicut album quod sub appellationis figura videtur qualitatem circa substantiam significare: quia album per qualitatem quam circa substantiam significat, non significat nisi qualitatem quæ vere & secundum se qualitas est, & accidens subiecti illius circa quod ponitur qualitas illa in figura appellationis per denominationem significatur: quale autem quod significat animal, vel homo, vel rationale, est qualitas essentialis quæ significat quandam substantiam illa qualitate perfectam. Sed per illam qualitatem in genere secundum appellationis figuram signatam fit plus in hoc determinatio: quia determinatur genus ad plura significanda quoad ambitum communitatis quam in specie: tam enim species quam genus qualitate differentiæ determinantur: sed genus per suam qualitatem determinatur ad significandum plus quam species, quia genus sua qualitate determinat sibi subiecta differentia specie & numero, qualitas autem quæ speciei communitatem determinat, non determinat speciem nisi ad hoc vt contineat differentia solo numero. Et ideò dicens animal plus complectitur in animalis qualitate, quam dicens hominem complectitur in hominis essentiali qualitate: quamuis vtriusque qualitas communis sit multorum.

Aliud est quale quod significat secunda substantia circa primam, & aliud quod significatur per qualitates.

CAPVT IX.

De proprio substantiæ quod est substantiæ nihil esse contrarium.

NVnc dicendum videtur de proprietatibus substantiæ secundum quod substat accidentibus, & est subiectum generum aliorum: quia enim vt dicit Aristot. in fine primi physicorum, subiectum nullum est contrarium, & ideo subiectum est contrariorum: sic ineest substantiæ & proprium eius nihil illi esse contrarium. Hoc autem probatur inductione, quia nil possit esse contrarium primæ substantiæ, eò quod maximè substat: & ei quod substat vtrique contrario, nullum potest esse contrarium, sequitur quòd nec fingi posset (si fingere liceret) primæ & principali substantiæ aliquid esse contrarium, vt alicui homini nihil est vel potest esse contrarium. At verò nec homini qui est substantia secunda, & generaliter secundæ substantiæ aliquid potest esse contrarium: nec animali quod est genus, aliquod est contrarium.

Tex. com. 67.

Ineſt autem substantiis nihil illis esse contrarium, &c.

Obiectio. Obiiciunt autem quidam, quòd non corrumpitur aliquid nisi contrarium contrario: substantia autem corrumpitur: ergo contrarium habet à quo corrumpatur. Adhuc autem vt in secundo de generatione habetur, ignis aquæ contrarius est, & aër terræ: hæc autem substantiæ: ergo substantia substantiæ est contraria. Multa autem talia sophistica obiici possunt: quæ omnia soluit Aristot. in fine primi physicorum. Subiecto enim communi nihil potest esse contrarium secundum seipsum, sed contrarietatem habet in dispositionibus suarum qualitatum, & sic vnum corrumpitur ab alio, & contrarium agit in contrarium, vt grossum in subtile, & graue in leue, & calidum in frigidum, & sic de aliis. Hæc autem contrarietas non est substantiæ quæ subiectum est: quia si esset alicui contrarium, non posset vtrique contrariorum esse subiectum.

Tex. com. 24.

Solutio.

Tex. com. 67. & 82.

Et attende, quòd multipliciter dicitur contrarietas: primò perfecta distantia oppositarum differentiarum in eodem genere, cuius subiectum est primum genus, ad quòd illa contraria sicut ad vnum genus reducuntur, & sicut ad vnum subiectum, in quo illa contraria sunt potestate & non actu, sicut videtur Aristot. dicere in 10. primæ philosophiæ, quòd in omni genere primo est vna contrarietas prima. Et secundum hanc contrarietatem proprium est substantiæ (secundum quod substat & subiectum est) non habere contrarium. Secundum autem quod substantia dicitur essentialis forma quæ est differentia, sic habet contrarium: quia vna differentia est alij contraria. Sed hoc modo de substantia non loquimur hîc: quia non ponimus differentiam esse in genere substantiæ, secundum quod de substantiis loquimur vt de substare & de subiecto. Primam autem Philosophus hoc modo dictam contrarietatem considerat, qui ad vnum genus reducit ea quæ sunt eiusdem rationis substantiæ aliquo modo. Dicitur etiam contrarietas habitus & priuatio, siue contrariæ formæ circa eandem materiam quæ substat vtrique: & est substantia à substando dicta, & illi iterum conuenit neutri esse contraria, vt probatur in fine primi physicorum. Dicitur etiam contrarietas distantia completa passionum & qualitatum circa idem subiectum, quod manens vnum & idem, receptibile est vtriusque contrariorum, vt albi & nigri, & calidi & frigidi, & huiusmodi: & iterum ei quod vtrique contrariorum substat, conuenit nulli esse contrarium: & iste est verus intellectus Aristot. qui hæc omnia dicit & probat rationibus quæ inductæ sunt.

Contrarietas tripliciter dicitur.

Tex. com. 13. & 1 phys. tex. 50. & 56.

Tex. com. 7.

Quamuis hoc autem substantiæ proprium sit & conueniat omni substantiæ substanti, non est tamen conueniens soli substantiæ, sed est proprium multorum aliorum: quantitas enim nihil habet contrarium, neque linea, neque superficies, neque corpus, & sic de aliis. Simili inductione probatur in discretis. Nihil est numero denario contrarium, neque quinario, & sic de aliis.

Non est autē hoc substantiæ proprium, &c.

Obiectio tertia. Habent tamen hæc omnia vel habere videntur

Nisi quis multa paucis, &c.

dentur sophisticas instantias: quia aliquis fortè in discretis multa paucis diceret esse contraria, vel magnum paruo, vel breue longo: quæ qualiter opponantur, in 10. primæ philosophiæ determinari habet. Sed hîc dicendum, quòd hæc oppositam quantitatem non dicunt, sed qualitates circa quantitatem dictas. Quod autem quantitas nihil habeat contrarium, à simili probatur, sicut probatum est de substantia: quantitas enim his subiicitur, vel substantia gratia quantitatis suæ secundum quod est quanta: sic nulli istorum est contrarium.

Solutio textus.

Vnde concluditur generaliter, quòd determinatorum ad naturam & speciem quantitatis, nullum penitus nulli ad quantitatis naturam & speciem quantitatis determinato est vel esse potest contrarium: sed hoc modo possit esse contrarium, sicut & solo illo modo substantiæ detur habere contrarium: sed prout substantia subiectum & substans potest habere contrarium: quod esse non potest, sicut probatum est hîc. Hoc igitur modo & non aliter intelligenda sunt dicta Aristotelis.

CAPVT X.

De proprio substantiæ quod est non recipere magis & minus.

Videtur autē substantia non suscipere magis, &c.

ESt iterum aliquid substantiæ proprium, quod quidem omni, sed non soli conuenit: videtur enim substantia nec magis nec minus suscipere per intensionem & remissionem. Hoc autem ideò non dico, quòd vna substantia à substando dicta non magis sit substantia quam alia: hoc enim in antehabitis iam dictum est, quia prima substantia magis est substantia quam secunda. Sed ideo dicimus illud proprium omni substantiæ conueniens esse: quia vnaquæque substantia, siue secunda, siue prima sit, hoc ipsum quod est, non dicitur magis nunc esse & minus tunc vel alio tempore, per hoc quod est secundum esse substantiale intendi & remitti: homo enim nec nec ipse à se, nec alter homo ab altero per intensionem & remissionem dicitur magis & minus homo, sicut bonum & album & idem à se in diuersis temporibus, & vnum ab altero dicitur magis & minus album, & bonum per intensionem & remissionem dicitur magis & minus bonum. Substantia vero siue prima siue secunda, hoc modo per intensionem non dicitur magis & minus substantia: hæc enim nihil penitus dicitur nunc magis & minus homo per intensionem & remissionem, quam prius homo fuit: propter quod generaliter concluditur, quòd substantia in hoc quod substantia est, non suscipit magis & minus.

Quare substantia non suscipit magis aut minus.

Huius autem causa est, quòd præhabitum est, quòd substantiæ non conuenit habere contrarium: minus enim secundum intensionem est habens de contrario plus, & magis est de contrario minus habens: ita quod contrarium large accipiat. In quibusdam enim est oppositio vt priuatio & habitus, sicut inter bonum & malum: in quibusdam tamen duo motus oppositi ad idem & ab eodem sunt contrarij, & sic suscipit magis & minus, secundum quod ista aduerbia sunt bonum & malum, & hoc modo intensa & remissa intercipiunt de contrario: in quibusdam sunt contraria per formas contrarias, & illis est intensio & remissio per hoc quod intercipiunt motum in omni medio de extremis contrariis abiiciendo vnum & accipiendo reliquum, secundum quod dicit Aristot. in 4. topicorum, albius est nigro impermixtius. Et hoc modo substantia non potest suscipere magis & minus: cuius causa in scientia de vniuersalibus reddita est à Porphyrio: quia omne esse substantiale semper idem & simul est: & ideò non potest suscipere magis & minus: quia, sicut probat Auicenna, si magis susciperet, sequeretur quòd ipsum esse substantiale plus formæ substantiali appropinquaret per ipsius formæ adeptionem: quod falsum est, cum nihil medium habeat, inter esse enim & non esse nihil est medium, sicut inter album & nigrum multa sunt media: & ideò secundum esse substantiale non potest esse intensio, neque remissio in aliquo.

Cap. 2.

Obiectio prima. Adhuc cum opponitur: quia generatio & corruptio sunt mutationes in substantia: omnis autem motio successiua est sicut tempus, quod est mensuratio ipsius: in tali autem successione est recessus ab vno fine, & accessus ad alium continuè: hoc autem magis & minus esse videtur secundum intensionem & remissionem: ergo in esse substantiali videtur esse intensio & remissio.

Secunda. Adhuc autem vna substantia miscibilis est cum altera, vt in secundo de generatione circa principium dicit Aristot. quod & probat. Mixta autem necessariò intenduntur & remittuntur, vt ex dictis eius haberur ibidem. Subsstantia ergo recipere videtur magis & minus, & intensum & remissum.

Tex. com. 8.

Ad primam: Hæc omnia & similia sophisticè obiiciuntur: quia de necessitate est concludens illa probatio quæ probat substantiam non recipere magis & minus, per hoc quod non habet contrarium. Ad hoc ergo quod dicitur de mutatione, dicendum quòd mutatio & generatio & corruptio dicuntur vno quidem modo vt vtrumque est mutatio simplex, quæ (vt dicit Auerr. super lib. de sensu & sensato) est finis motus, & non motus. Finis autem motus est, in quo motus est in motum esse & non in moueri; & hæc mutatio est simplex inter esse & non esse, inter quæ nihil potest esse medium: & ideò in hoc non est intensio & remissio. Et ideo dicit Aristot. in 5. physic. quòd generatio & corruptio non sunt motus, sed mutationes. Est autem mutatio modo dicta siue generatio & corruptio immixta motui, qui est alteratio, sicut quando de semine alterato paulatim fit animal vel homo: & tunc intensio & remissio non referrur ad esse & non esse substantiæ, sed potius ad qualitates actiuas vel passiuas, quibus perficitur talis generatio. Et hoc est quòd qualitates actiuæ & passiuæ materiam alterant & mouent prout sunt instrumenta substantialis formæ, quæ vt formans & artifex est in semine. Et tunc forma substantialis dicitur etiam in successione non gratia sui, sed gratia instrumento

Motu distinctionem de mutatione.

Tex. com. 8. 10. & 18.

instrumentorum suorum quæ sunt qualitates actiuè vel passiuè agentes, vel patientes in materia seminis. Et hoc modo dicit Aristot. in 15. animalium, quod non est viuum & animal simul, & quòd non est animal & homo simul: non quod aliquid sit medium inter viuum & non viuum, vel inter esse animal & non esse animal, & inter esse hominem & non esse hominem: sed quia actione primarum qualitatum prout instrumenta cæli sunt, vel formatiuæ virtutis quæ est in semine, materia prius accedit ad potentiam & ad actum vnius quòd est viuum, & postea ad potentiam & ad actum alterius quod est animal: & hoc non est intendi & remitti, sed potius in eadem forma secundum potentiam & actum plus & minus accedere ad veram nominis impositionem.

Cap. 3.

Ad secundum.

Quod autem obiicitur de mixtione substantiarum animalis, nihil penitus facit ad propositum: quia in mixto non fit intensio & remissio secundum substantias mixtorum, sed secundum qualitates illarum substantiarum. Et ideò intentio refertur ad qualitates, & non ad substantias. Patet igitur, quòd substantiæ conuenit nec magis nec minus recipere.

CAPVT XI.

De proprietate substantiæ quæ est, quòd substantia secundum sui mutationem eadem numero manens, susceptibilis est contrariorum.

MAximè autem substantiæ proprium esse videtur, quod & propriè proprium est, & conuenit omni & soli & semper, cum vnum & idem numero sit contrariorum susceptiuum, vel susceptibile esse. Dico autem, quòd cum vnum sit à quo sit contraria potentia suscipiendi. Hoc autem habet substantia ab eo quod ipsa est subiectum ens in se completum: & hoc habet à specie inquantum est substantia, & hoc est inquantum est substantia: quia prima substantia est ex eo quod iam subsstat accidentibus indiuiduantibus. Et ideò dico numero propter primam substantiam, in qua est secunda, & in qua veritatem accipit substandi & habet.

Maximè vero substantiæ proprium videtur esse, &c.

Ex hoc patet, quòd substantia secunda inquantum est in prima, est ens vniuersale perfectum, & ex genere formato, & differentia ad perfectum esse formantem consistit. Ex hoc autem virtutem accipit substandi accidentibus, quod non haberet si in seipsa ens perfectum non esset, quia quod in se perfectum non est, alij dare non potest esse per hoc quod existit in eo. Sic igitur ens in se perfectum & idem numero est per materiæ indiuidantis diuisionem: ita quod inquantum secunda substantia est in prima, sit vnum perfectum: inquantum est indiuiduata per indiuisam & vnam materiam, sit idem numero.

Sic esse vnum & idem numero subiicibile propriis contrariis est propriè proprium substantiæ secundum quod dicitur substantia ab actu substandi, sicut in antehabitis dictum est. Et in aliis quidem rebus aliorum prædimentorum non habebit nec inuenict quis quod proferat cui hoc proprium conueniat. Quæcunque res generum aliorum non sunt substantiæ ab actu substandi dictæ, ita scilicet quod res alterius generis sit contrariorum susceptibilis, cum sit in se manens vnum & idem numero. Velut si quæramus in rebus quæ sunt in genere qualitatis, & dicamus, quòd color cum sit manens vnum & idem numero, non erit album & nigrum per successionem, vt videlicet sit actu album, & postea actu nigrum.

Sed fortè si est color medius, in se habebit album & nigrũ permixta: sed hoc est contraria permixta, & in potentia habere, & non habere actum vtrumque per successionem manente eodem subiecto. Similiter siquis proferat de genere actionis aliquid, quod contrariorum videatur esse susceptiuum, & dicat, quòd eadem actio praua sit & studiosa, sicut actio voluntatis deliberatiuæ: dicimus, quòd eadem actio numero manens vna numero, non potest esse per successionem praua modo, & postea studiosa: quia prauum & studiosum sunt accidentia inseparabilia ab actione: & ideò actio praua eadem manens nunquam erit studiosa, sed alia similitudinis illi in causa (in eo quod est voluntaria) potest esse studiosa. Similiter vna & eadem numero linea, non erit recta & curua per successionem: & similiter est in omnibus aliis rebus aliorum generum quæ non sunt substantia. Sola autem substantia cum sit vna & eadem numero manens in subiecto quod est substantia, capax est contrariorum, vt modo sit sub vno, & postea ipsa eadem numero sit sub alio, vt patet inductione, vt quidam homo qui est prima substantia cum sit vnus & idem numero aliquando quidem est albus, aliquando autem niger: & aliquando calidus, & aliquando frigidus. Similiter secundum contraria morum aliquando quidem prauus, & postea studiosus, & non simul prauus studiosus. In aliis autem prædicamentis nullum tale ens inuenitur.

Remouet dubium.

Forsitan autem aliquis instãs contra ea quæ dicta sunt, dicet orationem quæ est in genere discretæ quantitatis, vel visum siue opinionem quæ est in genere qualitatis, tale aliquid esse secundum quod eadem oratio manens numero eadem, videtur esse vera, & postea falsa per successionem, & sic suscipere contraria. Nec modo fiat vis verum verum & falsum contrariè vel priuatiuè opposita sunt: velut si dicamus in exemplo, quòd hæc oratio aliquem sedere dum sedet est vera, & eadem oratio manens eadem numero per syllabas & dictionum operationem, falsa erit illo non sedente. Similiter autem est de visu opinantis alicuius. Siquis enim opinetur sedere aliquẽ, dum sedet, verum opinabitur: quę opinio manens eadem in anima opinantis, falsa erit illo surgente, si eiusdem opinionis visum de eodem surgente retineat, quem prius illo sedente habuit.

Obiectis textus. In aliis autem nullis aliquid tale, &c.

Sed

Solutio textus.

Sed ad hoc dicendum, quòd etiam si quis hoc suscipiens concedat eandem orationem esse, vel eandem opinionem, quæ sic contraria suscipiat (quod tamen falsum est, sicut inferius patebit: quia verum & falsum est in talibus sicut in signo, & non in subiecto.) Dicimus tamen, quod hoc dato differentia est in modo suscipiendi contraria. Nam ea quæ in substantiis sunt, ipsa quidem mutata & alterata secundùm seipsa susceptibilia sunt contrariorum: quando enim id modo quod est frigidum, est factum de eo quod prius erat calidum, ipsum subiectum secundum seipsum mutatum est, alteratum enim est: & quod ex albo fit nigrum, ipsum alterum & alteratum est factum. Similiter est quando ex prauo per alterationem fit studiosum, & similiter est in omnibus aliis quæ de contrario mutantur in contrarium. Vnde id quod mutationem secundum seipsum suscipiens est, susceptibile sit contrariorum: sed oratio quidem & opinio, in quibus est verum & falsum sicut in signo ex ratione alterius ad ipsa, ipsa quidem immobilia perseuerant, & in nullo mutata. Cum verò res mouetur & mutatur, ex cuius relatione ad ipsa vera vel falsa efficiuntur, sit contratium circa orationem & opinionem: oratio enim quæ est, quòd sedet aliquis, vel aliquem sedere, semper eadem permanet in nullo mutata. Cum verò res quam significat oratio, mota vel mutata sit, fit oratio ex relatione rei ad ipsam tanquam ad signum, aliquando vera, & aliquando falsa: in talibus enim verum est ex adæquatione signi ad significatum: & ideo mutato significato verum vel falsum efficitur signum: sicut dicit Boet. de dextro & sinistro: res enim quæ modo à dextris est, nulla mutatione facta in ipsa, fit sinistra, si res quæ modo à dextris est, transeat in sinistram, me semper manente immobili. Propter quod hoc solius & solummodo substantiæ proprium est, & nullius alterius, quod propter sui (prout subiectum est vnum & idem manens in substantia) mutationem in formis accidentalibus factam, captabilis vel susceptibilis sit contrariorum, & non propter alterius mutationem quod in aliquo respectu aliquo modo se habeat ad ipsam.

Quomodo sola substantia est susceptibilis contrariorum eadem numero manens cum sui alteratione.

Aliter ex est secunda solutio textus.

Siquis ergo non concedens suscipiat, dicens aliquo modo orationem & opinionem esse susceptibilia contrariorum, suscipit & concedit hoc quod non simpliciter est verum. Oratio namque & opinio non dicuntur susceptibilia esse contrariorum in eo quod ipsa secundum seipsa aliquid recipiant, sed in eo quod circa altera alia quædam (quæ sunt significata orationis vel opinionis) fit facta passio quædam secundum mutationem. Et paetiquia in eo quod res significata per orationem vel opinionem sic est vel non est prout in oratione vel opinione signata est, oratio vel opinio vera vel falsa dicitur, & non in eo quod ipsa oratio vel opinio manet eadem in substantia, & mutata in accidentibus captabilis vel susceptibilis sit contrariorum. Simpliciter autem oratio vel opinio secundum se considerata nullo modo mouentur vel mutantur. Propter quod oratio vel opinio secundum seipsa non erunt susceptibilia contrariorum, cum nulla penitus in eis facta sit passio alterationis. Verum substantia contrariorum susceptibilis est in eo quod ipsa secundum seipsam contraria secundum suiipsius passionem & alterationem suscipiat: quod inducendo manifestum est in exemplis: animal enim vnum & idem manens in substantia, languorem suscipit & sanitatem, aliquid passum & motum & alteratum secundum qualitatem quæ est dispositio & habitus. Similiter suscipit candorem siue albedinem & nigredinem, passum & alteratum secundum qualitates quæ sunt passio vel passibilis qualitas. Et similiter vnumquodque talium ipsa substantia manens eadem, contrariorum receptibilis esse dicitur, quod secundum sui mutationem in qualitatibus alteratur. Proprium igitur est substantiæ cum vnum & idem sit numero, secundum suam mutationem susceptibile esse contrariorum.

Oratio & opinio non suscipiant veritatem aut falsitatem, sed ita denominantur ab eo quod est in re.

CAPVT XII.

De dubitationibus circa ea quæ dicta sunt, quod substantia suscipit contraria.

Obiectio. Prima.

OBiicitur contra ea quæ dicta sunt: quia non videtur omni substantiæ conuenire, quod secundum sui mutationem est susceptibilis contrariorum: forma enim substantialis substantia est, tamen non secundum sui mutationem susceptibilis est contrariorum.

Secunda.

Adhuc autem & intelligentia substantia est, & non secundum sui mutationem susceptibilis est contrariorum. Similiter etiam Deus siue prima causa non secundum sui mutationem susceptibilis est contrariorum.

Tertia.

Similiter corpora cælestia quæ directè cadunt in prædicamento vt composita, substantia sunt: & tamen secundum sui mutationem non sunt susceptibilia contrariorum, vt videtur: quia corpus cæleste, vt dicit Auer. non est susceptibile contrariorum.

Quarta.

Adhuc etiam quod dicitur, quòd substantiæ nihil est contrarium, videtur habere instantiam: quia differentia est substantia, & tamen habet contrarium. Quod enim differentia substantia sit, per hoc probatur, quòd quicquid essentialiter est pars substantiæ, substantia est: differentia autem est pars substantiæ, quia est pars speciei, quoniam constituit speciem, ergo est substantia: & tamen habet contrarium, quia rationale mortale contraria sunt, & fundantur super formas contrarias. Omnia enim ista prædictis videntur contraria esse.

Solutio.

Sed ad hæc omnia dicendum, quòd doctrina habita de substantia secundum quod est prædicamentum, stat immobili virtute: ista autem quæ inducta sunt, instantiæ sunt sophisticæ. Quod igitur obiicitur de forma, dicendum quòd forma & materia non sunt in genere substantiæ, prout substantia est de numero prædicabilium. Forma ista vt forma

Ad primum.

prout

prout est pars & principium compositi, de generibus, de speciebus, & indiuiduis non prædicatur. Similiter est dicendum de materia quæ nullo modo prædicatur: & si esset in genere substantiæ prædicabilis, proculdubio oporteret, quòd prædicaretur. Vnde forma & materia sunt in genere substantiæ vt principia substantiæ reducta ad genus, prout genus quod est substantia est res verè per se existens, & non prout est vnum prædicabilium. Proprietas autem substantiæ signatur prout est de numero prædicabilium, aut prout est res verè non absoluta à prædicatione. Sed nullo modo forma & materia sic se habent ad substantiam: & ideò non est mirum si non conuenit eis proprietas assignata substantiæ, aut prout est prædicabile, aut prout est res verè non absoluta à prædicatione. Si autem absoluta accipiatur à ratione prædicabilis, non erit de consideratione logici, sed primi Philosophi.

Ad secundam.

Quod autem de prima causa obiicitur, quæ est Deus, dicendum quòd prima causa non materia est, nec forma, nec compositum, nec vniuersale, nec particulare, nec species, nec genus, nec indiuiduum, nec differentia: & ideò nullo modo est in genere, vel reductum ad genus, sed ante omne genus & supra omne genus. Et quando omnia resoluuntur ad ens, non est illud ens substantia prima quod est Deus, sed ens de quo dicitur in lib. de causis, quòd est creatum primum: & ante ens istud est creator creati talis: & ideò cum dicitur, Deus est substantia, intelligitur quòd ipse est ens per se & à se existens & in seipso, & quòd alia quæ dicantur substantiæ non sunt substantiæ, nisi per analogiam & proportionem ad ipsum vere ens & substantiam quæ Deus est: & secundum quod propinquius & similius sunt per se apta ad ipsum, sic verius attingitur esse per seipsa. Quare hoc modo Deus non est substantia prout est vnum prædicabilium: & ideò non est mirum si non conuenit Deo substantiæ proprium.

Ad hoc autem quod de intelligentia dicitur, planum est respondere, si intelligentia accipiatur propriè secundum intelligentiæ rationem. Sic enim intelligentia est agens intellectus, qui est essentia potius quam substantia, & non habet compositionem nisi eam quæ est ex esse & quod est, & est res consistens in lumine esse propriè: & hoc non est in genere vniuocè cum aliis quæ sunt in genere, sed reducitur ad genus, & suscipit nomen generis secundum analogiam & proportionem sicut causa prima. Et hæc solutio est secundum intentionem philosophiæ Peripateticorum, qui de intelligentiis bene sunt locuti.

Opinio quorundam Arabum & Hebræorum de intelligentiis. Vide Chrysost. hom. 1. in Ioan.

Quidam autem Arabes, & quidam Iudæi, de intelligentiis secundum rationem suæ legis loquuntur, quod nullo modo probare possunt ex alicuius philosophiæ principiis, dicentes intelligentias Angelos esse, qui localiter mouentur, & mittuntur ad homines, quod à Stoïcis secundo, & ab Epicuriis primo ortum habuit & assumpsit, & ab his qui leges posuerunt. Et secundum istos intelligentia habens est genus & species & indiuiduum. Et genus quidem est in intelligentia omnibus communis. Species autem sunt intelligentiæ in diuersis ordinibus distributæ: & quæ in vno ordine sunt, eiusdem sunt speciei: & diuersæ sunt in specie, quæ in diuersis ordinibus sunt constitutæ. Et indiuidua specierum sunt singulares intelligentiæ siue Angeli: & illis, vt dicunt, conuenit substantiæ proprium: quia quamuis iustitia Dei sint confirmatæ in bono vel in malo, tamen natura sunt vertibiles ad vtrumque, vt dicit Dio. Ad hæc autem hoc aduenit, quòd non rectè intelligunt illud Platonis in 2. timæi. Dei Deorum quorum opifex paterque ego: natura quidem mutabiles, voluntate autem mea sic permanentes. Sed Plato loquitur de mutabilitate quam sustinet omne quod creatum vel causatum est, quod ex se nihil est, & id quod est, & esse suum est per relationem ad causam primam. Hæc autem subtiliter determinari habent in prima philosophia in illa parte vbi agitur de fluxu entium à causa prima.

Ad tertiam.

Quod autem de corporibus cælestibus obiicitur, dicendum, quòd illa prout composita, sunt in genere substantiæ secundum rectam lineam & ordinem prædicabilium, & sic sunt proprietatis substantiæ susceptiua corpora cælestia: primæ enim differentiæ contrariorum sunt secundum situm, & differentiæ situs: vnde etiam per situs contrarietates omnia alia contraria, vt dicit Auer. diffiniuntur per maximè distare: distantia enim in situ causa est omnis distantiæ omnium aliorum generum. Differentiæ autem situs contrariæ sunt, vt dextrum & sinistrum, ante & retro, sursum & deorsum, vt dicit Arist. & horum contrariorum sui mutationem corpus cæleste est susceptiuum: sed sua mutatio non est nisi ad vbi, quia non est in potentia nisi ab vbi & nunc: quamuis Auer. de substantia orbis dicat, quòd Mesahalach probat in lib. de sphæra mota, quòd corpus cæleste susceptibile sit raritatis & densitatis secundum suæ substantiæ mutationem.

5. physic. com. 59.

Quomodo corpus cæleste est susceptiuum contrariorum.

Nota quomodo raritas & densitas æquiuocè reperiuntur in cælo & elementis.

Sed hoc verum est, secundum quod hæc raritas, & hæc densitas sunt æquiuocæ, & ad minus non vniuocæ ad raritatem & densitatem quæ sunt in elementis: densitas enim & raritas in elementis mutant substantiam sicut raritate transit aqua in aërem, & aër in ignem: sed in cælestibus non dicunt nisi situm partium in toto corpore, & non mutationem à forma cælesti in formam aliam. Est enim densum in cælo, cuius partes positionem habent propinquam: propter quod sol spissus esse dicitur. Rarum autem, cuius partes secundum positionem stant remotæ: & ideò substantia circulorum cælestium dicitur esse peruia plus raritate & peruietate omnium elementorum & elementatorum.

Ad quartam.

Quod autem de differentia obiicitur, in præcedentibus est solutum: secundum enim contrarietatem distantium perfectè quæ prima est in quolibet genere, sic differentia contraria est differentiæ: & hoc modo differentia non est in genere nisi per reductionem ad genus,

Quomodo differentia

substantiali aliquid est contrarium: & quomodo non.

nus, vt sæpius iam in doctrina ista & in doctrina de vniuersalibus dictum est. Si autem sumantur contraria qualitates quæ mutuo se expellunt ab eodem susceptibili, quod potentia vtrumque natum est recipere, sic differentia differentiæ non est contraria, sed aliquid habet proportionale ad contrarietatem hoc modo dictam, inquantum differentiæ oppositæ natæ sunt fieri circa idem genus, & non possunt simul esse actu in illo, genus enim proportionatur materiæ, sicut olim sæpius dictum est.

Ex his ergò manifestum est, quòd propriè proprium substantiæ est secundum sui mutationem susceptibile esse contrariorum, & quod hæc conuenit omni & soli & semper illi substantiæ quæ cadit in genere substantiæ, prout ipsa est prædicamentum, vel prout ipsa est ens constitutum, & non absolutum à ratione prædicamentali.

CAPVT XIII.

De dubitationibus quæ sunt circa hoc, quòd oratio suscipit verum & falsum.

DE hoc etiam quod dictum est, quòd oratio susceptibilis est veri & falsi, vna & eadem manens ad rei significatæ mutationem, multæ sunt dubitationes, quæ videlicet sit res significata, & qualiter significatum sit in oratione. Est enim oratio hæc quæ verum & falsum significat, sola oratio quæ enuntiatio vel interpretatio vocatur.

Obiectiones. Prima.

Videtur enim, quòd oratio in significando non mutatur per hoc quod res mutatur significata: hæc enim oratio, ego sedeo, significat me sedere dum sedeo: nec minus significat me sedere dum non sedeo, sed æqualiter & semper significat me sedere: ergo in significando quod significat, nunquam mutatur: facit enim semper quod à prima institutione accepit significare, quòd ego sedeo, & hoc semper & immobiliter agit: vno ergo modo se habet ad hoc significandum, siue ego sedeam, siue non sedeam. Quod autem vno modo se habet in significando, non modo est verum, & modo falsum secundum rei mutationem. Videtur igitur, quòd oratio non est susceptiua veri & falsi ad rei mutationem.

Secunda.

Adhuc, Omne signum est verum, quando ita significat prout est institutum significare. Sed hæc oratio, ego sedeo, instituta est vt significet me sedere, siue sedeam, siue non sedeam. Siue ergo sedeam, siue non, facit quod incepit facere à prima institutione: sed tunc est significatiua veri, quando significat sicut incepit significare: igitur siue sedeam, siue non, hæc oratio, ego sedeo, semper est vera significando.

Tertia.

Adhuc, Sicut oratio est significatiua rei, ita significatiua est conceptus siue cogitationis siue opinionis eius qui profert orationem illam: eò quod voces sunt notæ passionum quæ sunt in anima. Ergo sicut est susceptiua veri & falsi ad rei mutationem: ita est susceptiua veri & falsi ad conceptus vel cogitationis siue opinionis mutationem illius qui profert orationem: sicut enim est verum quod est adæquatio vocum & rerum significatarum per voces, sic est verum quod est adæquatio vocum & conceptus prolati per voces. Videtur ergo, quòd hæc oratio, ego sedeo, mutetur de vero in falsum, & è conuerso, quando ille qui profert eam mutatur secundum opinionem, quòd sedeam, vel quòd non sedeam. Et hoc iam in hac oratione dixit Pythagoras, qui posuit verum & falsum in dictione opinando vel non opinando id quod dictum est in voce significante.

Quarta. Lib. de veritate cap. 2.

Secundum autem eundem modum videtur Anselmus probare: quia verum in signo est immobile, & vnum in omni signo significante: signum enim verum est quando significat hoc quod significare accipit in primæ sapientiæ veritate: sed signum semper hoc significat quod accipit in prima veritate significare: ergo quando significat hoc, siue res sit, siue non sit, semper est verum in significando: siue ergo res sit, siue non sit, oratio quæ est signum, semper vera est in significando: non ergo ad rei mutationem oratio susceptibilis est veri vel falsi, vt videtur.

Quinta.

Adhuc autem secundum hoc videtur, quòd vna veritas significetur & sit in omnibus veris: omne enim signum significat quod significare accipit in prima veritate: quod autem in prima veritate est, vnum & idem est, non diuersum: idem ergo & vnum significatur in omnibus veris, vt videtur.

Sexta.

Adhuc, Idem est & vnum quod immobile est ad omnium rerum mutationem: significare autem hoc quod accipit significare in prima veritate, immobile est ad omnium rerum mutationem: ergo idem & vnum est, quod significatur in omni signo significante: hoc autem non potest nisi veritas prima, vt videtur: videtur ergo, quòd veritas prima significetur in omni oratione significante: & sic totum falsum esse videtur quod dictum est, quòd scilicet oratio verum & falsum significat in eo quod res significata est vel non est. Hæc & huiusmodi sophismata multa induci possunt contra ea quæ determinata sunt, si rationes Heraclìti & Pythagoræ & Anselmi in lib. de veritate considerentur.

Solutio. Veritas significata quia.

Ad hæc ergo & huiusmodi dicendum videtur, quòd veritas signi, quod est enuntiatio, vel dictum enuntiationis, est adæquatio vocis significantis & rei significatæ per vocem: & ideò verum & falsum in voce est sicut in signo relato ad rem significatam: propter quod etiam mutatur significatio ad rei significatæ mutationem, sicut superius dictum est: & nunc manente oratione vna & eadem ad rei mutationem, mutatur de vero in falsum, & è conuerso de falso in verum.

Ad primam.

Ad id autem quod obiicitur, quòd idem semper significat, siue sit res, siue non sit, dicendum quòd hoc verum est: sed significatio non est vera vel falsa in hoc quod ipsa idem significet, sed in hoc est significatio vera vel falsa, quòd rei adæquatur, vel non adæquatur significatio: & ideo inæquali

facta re cui signum non adæquatur, falsa est oratio.

Ad secundam. Ad hoc autem quod obiicitur, quòd significat quod accipit à prima institutione, dicendum quod à prima institutione accepit vt rem per sui adæquationem ad rem significaret: & quando non adæquatur rei, tunc non facit signum illud quod facere accipit à prima institutione: nemo enim signum sic instituit significare vt vagam & non rei significatæ æquatam habeat significationem: vnde quando rei non adæquatur, tunc fallit ab hoc quod accepit à prima institutione: non enim instituta est tantum significare, sed instituta est vt per significationis adæquationem significet rem vt est, nec magis nec minus. Ad hoc enim sermo inuentus est, vt dum rebus in communicando nobis inuicem vti non possumus propter rerum infinitatem, & propter hoc quod plures res non semper habemus, sermonibus pro rebus veremur, quando conceptus & affectiones quas de rebus habemus nobis inuicem pandere & communicare volemus: & hoc iam ante nos dixit Plato in Timæo.

Dicit Plato in Timæo, & est etiam Arist. primo elenchorum.

Ad tertiam.

Quod autem obiicitur de hoc, quòd sermo semper significat hoc quod in prima veritate significare accepit, dicendum quòd in ordinatione primæ veritatis non accepit significare vaga tantum significatione, sed significare rem sicut est ratione rei, significatione rei adæquata: & hoc dico salua fide Anselmi. Et ideo falsi & veri susceptiua efficitur per mutationem rei. Si autem non accepisset nisi adæquationem instituentis & signi instituti ad significandum, tunc aliquo modo esset verum quod dicitur, sed hoc meo iudicio nõ est verum.

Contra Anselm. in lib. de veritate.

Ad quartam. Ad hoc autem quod dicitur, quòd verum est in adæquatione intellectus vel conceptus ad signum quod conceptum significat, dicendum quòd conceptus vel intellectus vel opinio vel quocunque modo dici possit id quod est in anima (cuius voces prolatæ signa sunt) non absoluitur à rebus quæ sunt causa conceptuum: & ideo illis prout conceptæ sunt res adæquatur; non enim sermo inuentus est ad significandum conceptum fictum, qui non est nisi in concipiente: quia sermo inutilis esset, quia per sermonem audiens nullam de re conciperet veritatem vel significationem. Et ideo dictum Pythagoræ & Heracliti non habet veritatem: quia dixerunt, quòd verum est in apprehendendo vel opinando secundum quod opinio est opinantis passio: sed hoc verum est, quòd verum est in opinando vel concipiendo secundum quod conceptus vel opinio est rei significatæ æquata passio vel conceptio: & ideo sermo talis conceptui æquatus, æquatus est etiam rei: & ideo dicit Aristot. quòd veritas est adæquatio rei ad intellectum.

Contra Pythagoram & Heraclitum.

Ad quintam. Ad hoc autem quod dicit, quòd omnia sunt vera prima veritate, quia signa sunt primæ veritatis in hoc quod significant quod in prima veritate acceperunt significare: dicendum vt prius, quòd in prima veritate acceperunt, quòd significent res, & adæquata significatione significent verum, & non adæquata significent falsum. Et ideo mutata significatione signi mutatur adæquatio. Et quod dicunt de immobilitate veritatis, dicendum quòd illa immobilitas non est nisi circa significandum relatũ ad significandum, & non circa signum rei significatæ æquatum vel non æquatum: & ideò signo illo manente immobilis est veritas: sed illa prima veritas esse potest, quia corrumpitur & mutatur mutato signo.

Ad sextam. Ad id autem quod dicitur, quòd omne signum significat id ad quod significare ordinarum est in prima veritate, dicendum quòd quamuis hoc concedatur, non sequitur, quòd omnia sint vera prima veritate, quia in prima veritate ordinatur, quòd oratio significet res per æqualitatem ad ipsas prout sunt vel non sunt: & sic in prima veritate voces ad res significandas referuntur. Si autem veritas non esset nisi adæquatio vocis ad primam veritatem in significando tantum: tunc posset aliquo modo verum esse quod dicitur. Hæc igitur de prædicamento substantiæ dicta sufficiant.

TRACTATVS III.

De quantitate.

CAPVT I.

De diuisione quantitatis.

INTER prædicabilia quæ sunt de natura accidentium substantiæ, primum occurrit prædicabile quod est quantitas, eò quod hoc immediatè sequitur, vt dicit Rabbi Moyses: cum enim substantia potentia diuisibilis sit secundum id quod est ex parte subiecti & materiæ quæ subsat & secundis substantiis & accidentibus: potentia autem diuisibile non reducitur ad actum vt actu diuisibile fiat siue efficiatur nisi per quantitatem, oportet quòd primum quod accidit substantiæ, sit quantitas.

Quare post substantiam immediatè egit de quantitate.

Adhuc, Cum materia, vt dicit Auicen. in sufficientia sua, subiiciatur generationi & generaliter mutationi inquantum potentia est trinæ dimensionis, & non actu formata ad aliquod

aliquod esse, per generationem actu fiet trinæ dimensionis: oportet quòd id quod primum ad materiam accidit vt formarum motus, & ipsius motus sit receptibile, & sit quantitas, quia aliter mobile non esset nisi esset quantum: eò quòd Aristot. probat in 6. physico. quòd nihil est mobile nisi quantum. His igitur rationibus immediatè post substantiam quantitas est ordinanda.

Tex. com. 32.

Adhuc autem propter hoc quod formarum alterationis non est receptibilis nisi per quantitatem, quia in ipsa substantia existentes, quantæ efficiuntur per quantitatem quæ iam inest subiecto, sicut albedo, & caliditas, & huiusmodi. His rationibus rationabiliter immediatè post substantiam ponitur quantitas: inter accidentium enim genera nullum est penitus absolutum nisi quantitas & qualitas. Qualitatis autem præcipuè quantum ad duas species illius quæ sunt passio vel passibilis qualitas, & forma vel circa aliquid constans figura, non est susceptibilis substantia nisi mediante quantitate: & ideo immediatius adhæret substantiæ quantitas, quam aliquod aliorum generum accidentis.

Inter accidentia nullum est absolutum nisi quantitas & qualitas.

Quare diuisit quantitatem & non diffinit.

Quia autem quantitas multarum diuisionum est, oportet primò nos notificare quantitatem per diuisionem ipsius: quia si per diffinitionem notificaremus eam, non possumus dicere, nisi quia est mensura substantiæ: & cum ratio mensurandi non sit per vnum modum in continuo & discreto, & in habente positionem in partibus & in non habente, non habemus, quòd vna ratio esset quantitatis secundum quod in genere accipitur diffinitium. Cum enim, vt dicit Aristot. vnumquodque mensuretur sui generis minimo, oportet quòd sicut differunt mensurata, sic etiam differant mensuræ, & eodem modo differat in eis mensurandi ratio: non habentes ergo quantitatis in genere sumptæ diffinitionem, vt aliquo modo declaretur, oportet quòd ex posterioribus notificetur per diuisionem.

10 metaph. com. 3. & 4.

Quantitatis aliud continuum, &c. Remouet dubium.

Hac igitur necessitate coacti dicimus quantitatem in genere per differentias primas diuidentes, quòd quantitatis aliud continuum, aliud discretum. Non autem dicimus diuidendo, quòd quantitas diuiditur continuitate, & discretione: quia continuitas & discretio non sunt prædicabilia de quantitate, cum sint formæ abstractionis modo significatæ, quæ non sunt in genere quantitatis, sed nominentur qualitates quæ dicuntur circa quantitates.

Sic igitur tangentes quæ in genere sunt quantitatis, dicimus quòd quantitatis aliud continuum, aliud discretum. Antequam autem has partes per diffinitiones assignemus quid sunt, oportet aliam subiicere diuisionem, cuius partes communicant vtrumque istorum diuidentium: & hoc est, quòd quantitatis aliud quidem est ex habentibus siue de numero eorum quæ habent positionem in partibus, & aliud ex partibus non habentibus positionem, sicut patebit inferius.

Punctum & vnitas non sunt in genere quantitatis nisi reductiuè.

Has autem inducentes diuisiones, nullam de vnitate & puncto faciemus mentionem: quia hæc in genere quantitatis non sunt, nisi per reductionem ad genus, sicut principia generis ad genus reducuntur. Continuum enim habens positionem fluit à puncto sicut ab indiuisibili corporali principio. Discretum autem habens ordinem in partibus loco positionis sicut numerus, caulatur ab vnitate sicut à sua discretionis essentiali principio. Et hæc omnia inferius erunt manifesta.

Et quia habere positionem in partibus accidit continuis vel continuæ quantitati, & eidem accidit non habere positionem in partibus, ideo explanari non poterant membra primæ diuisionis, nisi prius daretur & altera. His autem ita per duas diuisiones præmissis, est consequens membra istarum explanare siue declarare diuisionum: & quia ratio discreti (vt Boëtius in prologo Arithmeticæ dixit, & ante eum dixerat Pythagoras in consistentia) constat numerorum proportionibus, ideo prius declaranda est discreta quantitas, præcipuè propter hoc quod principium istius quod est vnitas, simplicius est quam essentiale principium continuæ quantitatis quod est punctus: vnitas enim est indiuisibile simplex, non habens positionem: punctum autem est indiuisibile positum, siue positionem habens.

Remouet dubium.

Quare prius de discreta quantitate quam de continua egit.

Quòd autem diximus diuidentes, quòd quantitatis aliud est continuum, aliud est discretum, præmisimus continuum discreto quoad nos: quoad nos enim cognoscimus numerum diuisione continui, vt dicit Aristot. in 4. physicorum, cum tamen vnitas cuius iteratio caulat essentialiter totum numerum quoad naturam rei, simplicior sit, quam punctum cuius fluxus causat essentialiter continuum. Hac igitur consideratione dicimus in primis describendo discretum per exemplum, quòd discreta quantitas est vt numerus habens ordinem, & oratio habens voces & ordinem & rationem. Continua verò quantitas est, vt exemplariter declaretur, vt linea, superficies, & corpus.

Tex. com. 112.

Amplius autem præter hæc tempus & locus: hæc enim præter dicta aliam suæ continuitatis habent causam: illa enim habent causam suæ continuitatis inter se & inter suam continuitatem essentialiter contentam, vt linea punctum, & superficies lineam, & corpus superficiem: locus autem in sua continuitate habet terminum corporis locati qui non est locus, & tempus continuatur continuitate motus: motus autem continuatur continuitate mobilis & continuitate magnitudinis inter duos terminos motus existentis. Hac igitur de causa dicitur, quòd præter hæc sunt tempus & locus. Hęc autem inferius melius patebunt, quando de singulorum istorum sigillatim loquemur continuitatibus.

Quomodo tempus & locus habent aliam suæ continuitatis causam, quàm linea, superficies, & corpus.

***

CAPVT II.

Qualiter numerus & oratio sunt quantitates discretæ.

Quomodo numerus sit quantitas.

QVod autem numerus sit quantitas discreta, sic probatur: primo quidem quod sit quantitas: quia quo mensurante redditur quantitas discretorum, illud per se est quantitas: numero autem redditur quantitas equi, canum, hominum, & de aliis quæ discreta sunt, & sub vna forma continuitatis non continentur; numerus igitur est quantitas. Et quòd sit discreta quantitas, probatur per hoc, quod continuum & discretum sunt oppositæ

…od sit

…, primo circa primum genus quan-

…artium.

…autem sunt quantitates, & non … discretæ: quia discretionem non cognoscimus nisi privatione continui, oportet quod hoc probetur continuitatis privatione. Dico ergo, quod partium numeri nullus est continuus terminus indivisibilis, ad quem vltra vnum copulentur, ita quod sit terminus partis vnius & finis ad quem finitur continuatio eius, & sit terminus alterius vt à quo incipit ipsius continuatio. Hoc autè probatur inductiue & exemplariter, sicut quinque & quinque si ponantur particulæ numeri decem siue denarij: istæ particulæ nullum habent communem terminum, qui sit vnius partis finis, & alterius principium vt continuans: prima enim quinque in ordine vnitatem ad quam finiuntur, non habent eandem à qua inchoantur quinque sequentia secundum substantiam, sed diuisim habent eam & discretam ab vnitate à qua incipit quinarius sequens: & sic est de omnibus partibus denarij. Semper enim partes denarij quocunque modo accipiantur, semper discretæ sunt, sicut si accipiantur septem & tria, vel duo & octo, vel sex & quatuor, vel decem vnitates, semper non copulatæ & non continuatæ accipiunt: ita quòd singulæ in suis discretionibus nullo modo continuantur aliquo modo copulatæ. Numerus igitur est discreta quantitas: & iste numerus est formalis, qui est vnus, duo, tres, &c. quo reddimus eorum quæ numerantur quantitatem discretionis. De hoc tamen inferius plenius erit manifestum.

…enim nume…i nullus est communis, &c.

Similiter autem & oratio discreta est quantitas, & est de numero discretorum, ita quòd omnes eius particulæ sunt abinuicem separatæ. Quare autem siue propter quid oratio sit in genere quantitatis, manifestum est: omne enim cuius quantitas mensurante aliquo & certificante mensuratur, est quantitas & in genere quantitatis. Sonus autem literæ & syllabæ siue brevis sit, vel longa, mora pronuntiationis mensuratur. Ergo oratio consistens ex his, est quantitas & in genere quantitatis. Dico autem orationem cum voce prolatam, siue, quod idem est, prolatione vocis, siue vocali pronuntiatione: sic enim non est vnus sonus vel vox continuè sonans vel vocans, sed est aggregata & discreta vocatione sonorum, qui sonus discretorum elementorum in literis & syllabis sua multitudine & ordine conficiunt hoc totum quod est dictio vel oratio. Sic enim diuisio literæ cum diuisione literæ non est continuum, sed ab eo discretum, & cum eo compositum conficit syllabas, & syllaba cum syllaba composita conficit dictionem, & eo modo dictio cum dictione conficit orationem: in omnibus enim his syllaba, dictione, & oratione constitutio fit totius, discretorum congregatione & ordine. Quod manifestum est ex hoc quod soni elementorum & syllabarum & dictionum & orationum ad nullum communem terminum copulantur. Si enim dicam, baculus, vel virga, discrete sonant omnia literæ elementa, & nihil est continuans inter ea, quo continuante vnus sonus alteri copuletur. Et similiter est de sono literarum in syllaba, & sono syllabarum in dictione, & sono dictionum in oratione: nullus enim terminus est ad quem syllabæ copulentur in pronuntiatione, sed semper vnaquæque diuisa manet secundum seipsam discreta.

Quòd oratio sit quantitas discreta loquendo de oratione vocali.

Sed hic aduertendum est, quod quamuis discretæ maneant omnes particulæ orationis, & numeri: tamen sub vna forma specifica discretionis vinciuntur, numerus enim vnitatis constituitur aggregatione & ordine, & quæcunque vnitas est congregationis ordinatæ terminus, in quo stat aggregatio vt in complente vnitate illa, vt finis & complementum est forma numeri illius, vt in quinario quinta, & in denario dena, & sic de aliis. Et ideo dicit Aristot. in 5. primæ Philosophiæ, quod decem non est tria & septem, aut bis quinque, aut octo & duo: sed oportet accipere formam in vnitate vltima prout est finis aggregationis ordinatæ ad vnitatem illam, quæ complementum est talis aggregationis.

Quomodo partes orationis & numeri sub vna forma specifica discretionis vinciuntur.

Forma numeri quid.

Tex. c. 19.

Similiter autem in oratione prolata est in literata pronuntiatione: illa enim est aggregatio sonorum, elementorum, syllabarum, & dictionum, ad vnum totum complens ordinatam aggregationem, sicut literarum in syllaba est vnum complens, & syllabarum in dictione est complens vnum, à quo dicitur dictio vna in tota syllabarum aggregatione. Similiter & dictionum in oratione est complens vnum, à quo tota illa aggregatio distinctorum & ordinatorum sonorum dicitur oratio vna, cum cuiuslibet elementi vel syllabæ sonus maneat in se distinctus, & nec continuus, nec permixtus, ita quòd vnus est brevis, & alter longus, & vnus est brevi brevior, alter vero longo longior est: & in talibus nihil facit vnum nisi ordo ad vnum: & ideo ista extensa aggregatio secundum seipsam quantitas est discreta sicut numerus: propter quod oratio est quantitas, cuius indivisibile non est vnum, cuius iteratio facit illam aggregationem, sed indivisibilia multa sunt quæ sunt soni elementorum in literis, & soni syllabarum in dictionibus, & soni dictionum in oratione, sed inter ea solum indivisibile est litera vel literæ elementum, à quo ordinato cum alio fit syllaba, & à syllaba ordinata cum alia fit dictio, & à dictione ordinata cum alia fit oratio.

Sed

Sed inter elementa literarum non est vnum indivisibile, quod per substantiam iteratum, totam compleat illam aggregationem, sicut est vnitas in numero. Nisi aliquis dicat vnum alicuius literæ elementum esse primum, quod syllabaliter iteretur in omnibus aliarum literarum elementis, & quod elementa aliarum literarum constant ex iteratione illius. Sed hoc quamuis aliqui dixerint, tamen falsum est, & probari non potest. Ideo nos sic dicimus orationem ordine multorum cõponi indivisibilium secundum sonum elementorum, & in hoc orationem differre à numero, & esse ab ipso numero diuersum secundum speciem quantitatis.

Quomodo dicitur oratio à numero secundum esse diuersam in speciem quantitatis.

Obiectio. Solutio.

Si autem obiicitur, quòd omnis quantitas procedit ab indivisibili: dicendum, quòd hoc verum est, quòd sicut numerus ab vnitate, & continuum à puncto, & tempus ab instanti, sic oratio procedit ab indivisibili literati soni: sed hoc indivisibile non est elementum alicuius literæ, cuius elementum iteratum faciat talem orationis quantitatem, sed indivisibile cuius ratio in quolibet sono seruatur cuiuslibet literæ cum alia in tali pronuntiatione aggregatæ.

Hinc enim Democritus & Leucippus, & alij quidam atomos ponentes, principium non dixerunt vnum atomum aliquod principium, sed multos figura & ordine differentes & sic omnia constituentes. Et suæ rationis dederunt exemplum in literis: in literato enim sono siue pronuntiatione non est aliquod vnum indivisibile causa aggregationis, sed multa figura, sono, & ordine differentia. Sic enim oratio est quantitas mensurata syllaba, vel litera longa, vel breui pronuntiationis, & distincta in tota congerie talis aggregationis, & est quantitas in seipsa, ita quòd substantia sua & quidditas quantitas est prædicto modo à numero differens. Istæ sunt ergo duæ primæ species discretæ quantitatis.

CAPVT III.

Qualiter linea, superficies, & corpus, sunt quantitates continuæ.

Quare prius egit de discreta quantitate.

NVnc restat dicere qualiter continuæ quantitates sunt linea, superficies, & corpus. De discreta enim prius conueniens fuit dicere, propter hoc quod indivisibile à quo perficitur numerus, & indivisibile à quo perficitur oratio, simpliciora sunt, quam indivisibile à quo perficitur continuum: vnitas enim est indivisibile, nec possessionem habens in continuo, nec continuans ea quorum est terminus. Literatus etiam indivisibilis est sonus, nec indivisibile in continuo positum positionem habens, nec continuans ea quorum est terminus vel principium: quia si est principium, non est à quo fit continuatio: & si est medium, non est vnum & idem finis vnius & principium alterius, sicut est punctus continuans: & si finis est, non est terminus, ad quem continuè copuletur in forma continuationis continuum: & ideò & ipsum indivisibile soni literati simplicius est puncto: propter quod naturalis ordo exigit, quod prius de numero, & postea de oratione, & tertiò de speciebus continuæ quantitatis diceretur.

Remouet falsam opinionem circa ordinem specierum quantitatis.

Quod autem quidam dicunt, quòd ideò prius fuit dicendum de numero: quia numerus est in corpore, & in incorporeis inuenitur, & non continuum, & quòd res ab institutione mundi proportionibus numerorum factæ sunt. Rationes ista non sunt veræ, nec ad propositum facientes, & fundatæ super falsum: sed de illis videatur, quod tales asserunt rationes.

Hac igitur quam nos dicimus necessitate, quòd linea de numero continuorum est: potest enim à quolibet sumi cõtinuus terminus; ad quem omnes quæ sub vna forma continuitatis sunt particulæ lineæ, copulantur. Hic autem communis terminus est punctum, cuius fluxus in continuum, vel ductus facit lineam: & ideò linea quamuis in puncta non diuidatur, tamen non potest diuidi nisi in puncto: quia linea vbique substantialiter punctus est substantialiter, dico, à substantia quæ est quasi materia: punctus enim extensus siue protensus in continuum, est linea, cuius ipsa protensio quantitas est, & substantia protensa punctus est. Et sic linea est ex vno substantiali quasi subiecto quod est punctus, & ex vno formali quod est protensio extensa in continuum quod est continuatio: & hoc quidem est linea, & ideò quia vbique substantia lineæ materialis est punctus, vbicunque sumatur punctus non absolutus ab extensione in continuum, ibi punctum est in ratione finis & principij: finis quidem ad anterius, & principium ad posterius. Communis ergo terminus est istius copulationis partis anterioris cum sequente per totum continuum: & quid punctum est indivisibile positum, ideo tota intellectualis & realis eius extensio in tota longitudine substantiæ seruat indivisibilitatem. Propter quod linea secundum latitudinem & profunditatem est indivisibilis, solum diuisibilis longitudine, quam causat non punctum, sed puncti extensio & fluxus in continuum: quia ista extensio formam continuitatis dat, quæ secundum seipsam diuisibilis est semper.

Linea verò continuum est. Et non potest, &c.

Quomodo part. s linea copulantur in termino communi.

Similiter superficies quantitas est continua: generatur enim expansione lineæ ad latum in continuum, siue ex fluxu lineæ vel ductu lineæ, vt dicit Euclides: & sic erit latitudo sine profunditate, vbique ex duabus lineis ad rectum angulum se secantibus mensurata: quæ quia fluit ab indivisibili secundum profundum, ideò profundum non habet: quia autem fluit à diuisibili secundum longum, ideo secundum longum habet diuisibilitatem: & quia fluxus illius lineæ est ad latus & non ad punctum quod est terminus lineæ, & fluxus est continuus, ideò continuitatem habet superficies in latum, & ex illa superficies est: continuitas enim quæ est in longum in superficie, est ex linea: & ideò substantia superficiei est linea, sicut punctum est substantia lineæ: propter quod vndecunque

Quomodo causatur superficies.

diuiditur superficies, erit linea diuidens ipsam sicut punctum diuidit lineam: & vbicunque accipiantur duæ partes in superficie, erit linea copulans partes illas, & est communis terminus copulationis earum: est enim principium vnius ex quo est continuitas eius, & est finis alterius ad quem est continuatio eius: planum namque est, quod superficiei particulæ ad quendam communem terminum dicto modo copulantur. Dicitur planum superficies, eò quod fluxu lineæ intelligatur sterni sicut in planum, nulla partium eius super alteram eminente. Talis igitur est intellectus superficiei secundum quod est species continui.

Quare superficies dicitur planum.

Quomodo caussatur corpus mathematicum.

Similiter autem & in corpore est sumere communem terminum particulas corporis copulantem: corpus enim est ipsa trina dimensio, quæ fit tribus diametris in omni parte corporis ad rectum angulum se contingentibus & se secantibus, vna in longum, & altera in latum à puncto præcedentis, & tertia in profundum ab angulo prædictarum protractis: generatur enim ex fluxu vel protensione superficiei, non in longum, vel in latum, sed in profundum mota vel protensa superficie. Et ideo dicebat Plato, quod substantia corporis secundum id quod est, est superficies, sicut punctum est substantia lineæ, & linea substantia superficiei: & ideò diuiditur corpus vt corpus est superficie, sicut superficies linea, & linea puncto, & vbicunque partes duas accipias corporis, illæ habent superficiem ad quam est continuitas præcedentis, & à qua incipit continuitas sequentis. Est ergo illa superficies in corpore communis terminus, qui est finis vnius & principium alterius: & ideò est aliquid vnius, & aliquid alterius: propter quod communis terminus continuorum vocatur. Si autem communem in corpore terminum accipere vis secundum latum: tunc vt iam ante dictum est, fumes terminum copulationis lineam. Si autem vis terminum communem copulationis accipere in longum, necesse est, quòd accipias communem punctum, qui copulat partes in longum.

Punctum non est pars lineæ, nec linea superficiei: nec superficies corporis.

Punctum igitur quamuis nulla pars sit lineæ, tamen est aliquid lineæ, quia est terminus lineæ, & copulans partes eius: & secundum id quod punctum positionem habet in continuo, sic est substantia lineæ, sed formale esse est continuitas in longum, & illa est à fluxu intellectuali puncti in continuum. Et omni eodem modo se habet linea ad superficiem, ita quòd non est pars aliqua superficiei, & tamen est aliquid eius, tum quia est terminus eius copulationis, tum etiam in hoc quod est substantia superficiei, & forma continuitatis quam ponit circa substantiam. est ab intellectuali fluxu lineæ ad latus lineæ, & non ad punctum. Secundum eundem modum etiam se habet superficies ad corpus, & in hoc quod est communis copulationis terminus, & in hoc quod est corporis substantia materialis, circa quam ponitur forma continuitatis corporis ex fluxu intellectuali superficiei in profundum.

Ratio quare continuum sit diuisibile in infinitum.

Ex hoc patet, quòd continuum diuiditur in infinitum inquantum continuum est: in quocunque enim termino accipiatur indiuisibile, terminus est copulationis: etit ergo per consequens causa continuitatis, eò quod intelligitur in ratione finis & principij, quod non potest intelligi nisi per hoc quod fluit ex vno in alterum: ratio ergo diuisionis non aufert formam continuitatis: remanente forma continuitatis ponitur diuisibile: quæcunque ergo diuidi intelligantur, semper ponitur ad hoc indiuisibile.

Remouet dubium.

Non autem moueat quemquam, quòd hoc dicimus fieri secundum intellectum, cum in hoc lib. loquimur de decem generibus rerum principiis, ad quæ omnia prædicabilia reducuntur: omnia enim abstracta & mathematica sunt accepta secundum intellectum: secundum enim esse in natura hoc vel hoc non inuenitur nisi in sola luce, vt quidam dicunt, quamuis dictum eorum cum Philosophis non concordet. Quamuis ergo ista accepta sint secundum intellectum: iste tamen intellectus à specialibus rebus caussatus est, & ad esse refertur: quia dicit naturam & esse rei vt est hoc quod est, vt est significatum per nomen quod est notio prædicabilis: & ideò dicit Aristot. sic, Abstrahentium non est mendacium. Quinimo est certissime verum, quamuis secundum esse ista non inueniantur distincta in natura: insunt enim hoc modo quo determinata sunt in ipsa substantia quantorum.

2. phys. tex. com. 18.

Quare non fuit dare quartam quantitatis continuæ Speciem ex seipsa habentem continuitatem.

Attendendum etiam, quòd non potest esse quarta species quantitatis continuæ habentis in partibus positionem & ex seipsa continuitatem & substantiam circa quam ponit formam communitatis & continuitatis: quia non est motum intelligere alicuius aliquo modo indiuisibilis, nisi vel in longum, vel in latum, vel in profundum: altum enim est à profundo terminis tantum differens: & ideò non sunt nisi tres species huius quantitatis, à quibus prædicabilia sumi possint.

Sciendum est etiam, quòd linea est quantitas vnius diuisibilitatis, superficies autem est quantitas duarum diuisionum, & corpus quantitas est trium diuisionum propter caussas quæ in antehabitis sunt determinatæ.

CAPVT IV.

Qualiter tempus est quantitas continua.

Est autem talium & locus & tempus, &c.

EST autem de numero talium quantitatum continuarum & tempus & locus: præsens enim tempus copulatur & ad præteritum, & ad futurum per instans medium quod est terminus talis copulationis. Accipimus autem hic præsens, tempus diuisibile, quod adiacet motui & actioni præsenti. Præteritum autem dicimus, quod terminatur ad præsens per instans quod est præteriti finis & principium præsentis: & præsens etiam copulatur ad futurum per instans quod est finis præsentis & principium futuri: & sic totum tempus continuum

cinuum est. Sicut enim in aliis continuis fluxus continui est ab vno aliquo secundum aliquem modum indiuisibili, ita est etiam in tempore.

Tempus habet extensionem à motu, & motus à spatio distantiæ quæ est inter motus extrema.

Intelligendum igitur est, quòd si non esset motus, non esset tempus, & motus extensio est caussa extensionis temporis, sicut motus etiam est caussa temporis. Motus autem est in eo quod mouetur sicut in subiecto. Est autem id quod fertur siue mouetur, idem secundum substantiam in toto motu: secundum esse autem ipsius secundum quod motus est in ipso, protensum & procedens est de ante in spatio in post, siue de anteriori parte spatij in posteriorem non interrumpendo. Protensio autem, vt sæpè diximus, caussa est quantitatis. Protensum est partim hic & partim ibi, continua & non interrupta protensione. Quod autem sic diuisibile est, continuum est. Motus igitur (qui secundum esse protensum inest ei quod mouetur) est continuus, non ex seipso, sed ex spatio distantiæ quæ est inter duo motus extrema. Cum autem sit continuum & quantum aliquo modo, sequitur quòd sit eius aliquid mensura: & quia omne quantum habet mensurans proprium secundum propriam diuisionem, sicut secundum spatium continuum ad modum lineæ vel superficiei vel corporis, habet vlnam vel palmam vel pedem, vel decempedam & aliquid talium: propter quod in omnem diametrum certa redditur quantitas ipsius, nec certificari potest nisi secundum hoc quod diuiditur. Oportet igitur, quòd per hunc modum mensurans motum, secundum esse quod habet in eo quod mouetur, sit certificans quantitatem ipsius.

In eo quod mouetur prout motus est actus eius tria sunt.

In eo autem quod mouetur secundum quod motus est actus eius, sunt tria, scilicet indiuisibilis substantia ipsius quod mouetur, quæ eadem manet in toto motu: & esse protensum in spatio continuo, & diuisio prioris quod accipit in spatio quòd derelinquit continuè, à posteriori quod iam accepit in illo protendendo. Si ergo sic debeat mensurari, tria sunt in mensura reddente quantitatem ipsius: quia aliter mensura rei mensuratæ non esset adæquata: mensurans autem ipsum sic non potest sibi esse intrinsecum, eò quod intrinsecum est altetius generis: est enim in motu locali intrinsecum motui vbi fluens, & hoc non est secundum sui naturam in genere quantitatis, sed in genere vbi: & ideò motus in vbi non est in genere quantitatis, sed est in genere vbi. In alteratione autem est quale fluens quod per fluxum non amittit proprij generis naturam: & ideo sicut quale est in qualitate, sic & motus in qualitate. Similiter & motus augmenti quamuis sit in quantitate, non tamen sic est in quantitate, quòd motus faciat ipsum in quantitate esse tanquam in genere, sed potius per hoc est in genere, quia est quantum continuum positionem habens in partibus fluens sicut corpus quod per fluxum non amittit naturam corporis. Et ideò motus non per partem motus vel per substantiam est in genere vel specie quantitatis, sed per hoc quod est quantum fluens quod fluxu non amittit naturam fluentis. Similiter est in generatione & corruptione, quæ sunt mutationes in substantia: propter quod dicit Aristot. quod via in naturam dicitur natura, cum motus & mutatio non possit habere mensurans circa quod sit substantia motus, & circa quod ponat motus suam continuitatem. Relinquitur igitur, quòd habeat mensurans extrinsecum adiacens: & hoc vocatur tempus, & tempus in sua substantia & suo esse diuersa &-linea & superficie & corpore.

2. phys. tex. com. 14.

Instans quid & quare sic dicitur.

Quod ergo per intellectum adiacet ei quod defertur & in toto motu est idem per substantiam, cum hoc semper obiiciatur præsentiæ accipientis ipsum, est præsens quod vocatur instans quasi non stans, sicut & id quod mouetur, non stat quandiu motus est eius actus. Quod autem adiacet protensioni eius, quod secundum quod mouetur, est continuè protensum à retro in ante, illud est & vocatur tempus. Et id quod adiacet ei quod est in spatio accepto in retro, vocatur in tempore prius vel præteritum. Et quod adiacet ei quod in motu est in spatio accepto in ante, est & vocatur futurum. Et quod adiacet ei quod obiicitur præsentiæ accipientis in protensione motus & spatij, vocatur præsens tempus. Cum tamen tria ista, præteritum, præsens, & futurum, non sunt diuersa & separata, non sunt discreta, sed sunt simul copulata. Copulatorum autem semper est communis terminus, qui est finis vnius & principium alterius, & est aliquid vtriusque & neutrius per se, id copulans particulas temporis vocatur indiuisibile instans, quod quidem secundum se est substantia temporis, sicut punctus est substantia lineæ, qui fluxu suo caussa est continuitatis quæ est forma successionis continuæ quæ ponitur circa substantiam instantis, sicut dictum est in aliis continuis. Sicut autem vlna iterata est numerus reddens quantitatem continui: ità instans distinguens prius & posterius in motu protensum super partes motus, iteratur & certificat quantitatem motus. Et ideò dicit Aristot. in 4. phys. quòd tempus est numerus motus propter prius & posterius.

Tempus. Tempus præteritum. Tempus futurum. Tempus præsens.

Tex. com. 101.

Et ideo non est inconueniens, quòd tempus sit continuum, & tamen sit numerus: quia est numerus sicut vlna panni, vel alterius mensurati per vlnam. Et quando dicitur, quòd tempus est continuum, & tempus est numerus, non intelligitur, quòd secundum vnum & idem sit continuum & numerus: secundum enim quòd adiacet protensioni eius quod mouetur, est continuum: secundum autem quod instanti copulante distinguitur id quod est ante ab eo quod est post, & iteratur hoc in toto motu, sic est numerus. Et quando dicitur, quòd est numerus, non dicitur, nec intelligitur, quòd simpliciter sit numerus, sed quod est numerus motus per esse motus: sed motus per prius & posterius, quod iteratur in motu sicut id quod mouetur in toto spatio motus. Propter quod non sequitur, quòd tempus sit simpliciter continua quantitas. Et ideo manifestum est, quòd non est in duobus generibus primis quantitatis ex æquo, scilicet in genere continui, & in genere discreti: sed simpliciter est in genere continui, & secundum aliquid accipit formam

Quomodo tempus est continuum, licet sit numerus secundum Aristot. alter tamen & aliter est vtrumque.

Quomodo tempus non est numerus absolutè, sed numerus motus.

discreti. Patet etiam qualiter fluit tempus ab hoc indiuisibili quod est instans.

Dubitatio. Sed remanet quæstio, quare motus non ponatur esse in genere quantitatis sicut tempus? præcipue cum multis rationibus probet

a.t.com.33. Arist. in 5. physic. motum esse diuisibilem in infinitum, & cum expressè dicat motum esse speciem quantitatis in 5. primæ philosophiæ.

Ter. com. 28. Sed ad hoc per ante dicta facilis est responsio: si enim conderetur id quod dat motui speciem & nomen, & per consequens dat ei genus; eo quod species & genus ad vnam pertinent naturam: tunc videbitur causa eius quod quæritur. Quale enim dat alterationi nomen & speciem, propter quod dicitur in genere alteratio, & secundum speciem calefactio, vel albatio. Et sic similiter est vbi quod motui locali dat nomen & speciem & genus. Et similiter in augmentatione. Et sic de est videre in omnibus aliis sicut motus per accidens qui in omnibus eli generibus. Continuitas autem motus non est a natura illa quæ fluit, sed potius est causata à processione illius in quo est motus vt in subiecto: subiectum autem non est aliquid de essentia illius quod est in ipso: & ideo motus proprium & sibi determinatum genus non habet. Alia autem quæ dicenda erant de tempore, vel ad physicum pertinent, vel ad metaphysicum: & ideo illuc differantur: in 4. enim physicorum determinabitur natura temporis: in parte autem illa primæ philosophiæ quæ est de causis, determinabitur qualiter tempus se habet ad æternitatem, & qualiter se habet nunc temporis ad nunc æternitatis. Quantum autem pertinet ad intentionem logicam de tempore sufficere videtur quod modo dictum est.

Solutio. Quare motus non ponitur hic in prædicamento quantitatis.

a.t.com.57. vsque in finem.

CAPVT V.

Qualiter locus est quantitas continua.

Locus quid. NVnc autem videndum est qualiter locus est continua quantitas. Locus est quidem vbi continentur corporis locati particulæ, qui locus distantia est in qua distenditur tota corporis quantitas, ita quod nihil corporis vel partium corporis est extra illam distantiam secundum longum, latum, & profundum corporis: est enim tanta illa distantia, quantum est corpus, & nec minor nec maior, sed in toto est corpore comensurata: sicut distantiæ diametrorum corporum quæ sit protensa inter spatium diametrorum loci & corporis, secundum esse quidem est vna & eadem, vt probatur, distantiæ locali. Et hæc quidem distantia loci & corporis secundum esse quidem est vna & eadem, vt probat

a.t.com.79. Aristot. in 4. physicorum contra Philosophum loquens qui Xutos vocatur. Quamuis autem secundum esse sit eadem, differt tamen superficiebus continentibus, & differt actu mensuræ & ratione mensurandi. Superficie quidem: quia loci superficies est extra locatum, & continens & tangens vndique locatum. Superficies autem locati est intra locatum, & est aliquid eius, & est contenta non continens. Actu autem mensurandi: quia omnes diametri distantiæ quæ vocatur locus, sunt mensuræ mensurantes in longum, latum, & profundum, & nulla est mensurata. Omnes autem diametri eius quod locatum est, sunt diametri mensuratæ & contentæ: & sic mensuratum non mensurat distantiam loci, sed quantitatem corporis, non vt locatam, sed secundum quod ipsum est quantum.

Locus prout est de prædicamento quantitatis, quid & quomodo ab aliis speciebus quantitatis distinguitur.

Sic autem accipiendo locum, est locus mathematica quantitas, copulata punctis vsque ad centrum locati eius: quia diametri secundum esse sunt eædem cum diametris ad idem centrum copulatis: quia centrum loci & centrum locati idem sunt secundum esse: differunt autem secundum actum & rationem: & quia distantia locati est continua quantitas, necesse est quòd locus sit continua quantitas in hoc differens ab aliis quòd non ex se, sed ex distantia diametrorum corporis vsque ad centrum suam habet copulationem. Aliæ autem distantiæ linearum & superficierum & corporum ex seipsis & inter seipsa suam habent copulationem & suas copulationes. Sunt enim diametri secundum aliquid differentes quæ diuersa habent suæ protractionis principia: diameter enim distantiæ loci suæ productionis principium habet superficiem extra continentem: diameter autem distantiæ quæ est distantia locati, suæ protractionis principium habet superficiem locati intra locatum existentem: vnum autem est centrum vtrorumque secundum esse & non secundum actum, vt dictum est. Et sic locus erit diuersa secundum modum istum quantitas ab omnibus aliis speciebus continuæ quantitatis: sic enim mathematica abstractione separatur loci quantitas à quantitate locati. Et sic est verum quod dicitur, quòd singulæ particulæ loci continent singulas particulas corporis locati. Et ideò tam loci quàm corporis locati particulæ ad vnum terminum copulantur. Et sic loquendo de loco mathematicis dandus est locus, vt in prima philosophia dicit Aristoteles.

Locus naturalis quid. Est autem aliter consideratus locus quando est de consideratione naturalis Philosophi, secundum quod scilicet locus est, ad quem & ex quo est motus: sic enim est superficies continentis corporis habens in se virtutes omnium continentium tam cælorum quam elementorum circundantium, per quas virtutes generat & saluat id quod locatum est in ipso: & de hoc loco hîc Aristot. non loquitur, quia per illas proprietates non est in genere quantitatis, quamuis in seipso sit quantus. Primo igitur modo considerando locum continua quantitas erit locus, eò quod particulæ eius quæcunque ad vnum communem terminum copulantur, & est speciale genus quantitatis propter causam in antehabitis assignatam.

Locus mathematicus est de consideratione logici.

CAPVT

CAPVT VI.

Qualiter quædam quantitates habent positionem in partibus, & quædam non.

Amplius autem aliqua quidem constant, &c.

AMplius autem aliqua de numero speciesrum quantitatis continue ex particulis quæ in eis sunt, constant ex talibus positionem habentibus in continuo cuius sunt particulæ. Alia verò quæ sunt de genere & de numero quantitatum, constant etiam ex particulis positionem non habentibus in continuo vel discreto, cuius sunt particulæ.

Quantitas habens positionem tria concernit.

Positionem autem habere tria concernit, scilicet vt assignetur vbi in continuo sita sit particula, & vt vna pars permaneat stans in eodem continuo cum altera, & vt teneatur cum altera copulatione. Et quodcunque horum trium deficiat, non habebit in partibus positionem. Positio enim dicit ordinem: & propter hoc oportet vt assignetur vbi in continuò posita sit. Positio autem in continuo dicit permanentiam, quia positum est fixum immobile secundum esse: & ideò oportet vt dicat permanentiam. Positio autem in continuo dicit copulationem vnius cum alio: & ideò oportet vt dicat copulatorum connexionem per communem terminum, qui aliquid est vtriusque copulatorum.

Ex his patet, quòd lineæ quidem particulæ positionem habent in continuo quod est linea, & ad seinuicem sunt habentes positionem: Singulum namque signatum in particulis lineæ situm est alicubi, vel ante in linea, vel post: & permanentibus partibus sic positis sic habes vnde sumas partem permanentem, & assignes in continuo vnumquodque quod est de numero particularum, vbi siue in qua parte ordine partium in loco situm est suppositum: & hoc planum est valdè & facile ad intelligendum. Et habes vnde assignes ad quam particulam, & per quem communem terminum cæteræ quæcunque particulæ sumptæ fuerint, copulantur: quod planissimum est ex prædictis. Similiter autem & particulæ plani siue superficiei quandam secundum latitudinem habent positionem. Similiter namque sicut & in linea facilè ostenditur, vbi iacent in superficie positæ, & quæ sunt quæ copulantur adinuicem, & quo copulante vt communi termino. In linea enim copulat punctum: in superficie autem copulat linea & communis terminus. Soliditatis quoque siue corporis particulæ eodem modo & eadem de causa habent positionem & permanentiam & copulationem. Et loci particulæ secundum quod mathematicè sumitur locus, talem in partibus habent positionem & permanentiam & copulationem.

In numero autem in partibus positionem & permanentiam & copulationem non potest quisquam per intellectum perspicere: cuius causa est, quod natura partium numeri repugnat ad tria quæ dicta sunt: & ideò non inuenitur quod particulæ numeri positionem habeant adinuicem. Primo enim deficit situs in continuo alicubi: quia vnitas (cuius iteratio facit numerum) non est indiuisibile habens in continuo positionem, sed potius à natura positionis penitus separatum: & ideò non potest dici, quòd vnitas vel pars numeri sit sita alicubi in continuo. Nec potest dici, quod aliquæ particulæ numeri ad seinuicem in aliquo (quod aliquid vtriusque sit) habeant connexionem siue copulationem, sicut in capitulo de discretione numeri est probatum: sed omnes particulæ manentes discretæ & separatæ adinuicem, ad vnum vltimum habent ordinem, cuius additione perficitur species numeri.

Sed nec ea quæ sunt particulæ temporis habent in suis partibus positionem: quia quâuis habeant connexionem & terminum communem in quo connectuntur & continuatur, tamen nullam habent in esse permanentiam: quod autem in esse non permanet, de illo non potest dici vbi situm sit. Nusquam enim situm est, quod secundum esse non est.

Obiectio. Solutio. Quomodò partes temporis copulantur ad terminum communem cum non stent.

Sed secundum hoc videtur, quod non habeat copulationem vel connexionem: quia quod secundum esse non est, nulli potest copulari. Sed ad hoc dicendum est, quòd in successione est quod copulatur, & in successione esse, est secundum aliquid esse. Est & præteriti in hoc quod copulat vsque ad quid ficut ad finem (quem intra se vt aliquid sui habet) ipsa successio: & similiter futurum cui copulantur est secundum successionis principium: quod iterum ipsa successio futuri intra se habet vt aliquid sui, quia est successionis principium: & sic in instanti (quod est medium, scilicet finis præteriti, & principium futuri) copulantur præteritum & futurum. Et aliquo modo est præteriti successio in præsenti vt in termino, & successio futuri est in eodem sicut in principio. Sic ergo copulationem habent partes temporis: & tamen nullam habent permanentiam, neque possessionem.

Nota tamen, quòd successio præteriti imperfectè melius est in præsenti, quam successio præteriti perfecti & futuri: ideò respectu primi dantur amplius, non autem respectu aliorum.

Sed in hoc conueniunt cum partibus numeri, quòd ordinem quendam dicas habere particulas temporis in eo quod quædam sunt priores & quædam posteriores tam in præterito quam in futuro, sed priores in præterito sunt à præsenti longinquiores, priores autem in futuro sunt quæ ad præsens sunt priores: & sic aliquid particularum temporis est prius, & aliquid suarum particularum est posterius. Sic etiam de numero similiter est, quod scilicet in particulis numeri non est positio, sed ordo enumerationis: quia prius enumeratur vnus quam duo, & prius duo quam tres, & sic de aliis numeri partibus: & sic est in numero quod vnitati quæ iteratur in numero est propinquius: & sic ordinem quendam habebunt numeri partes, positionem verò non habebunt aliquo modò, nec etiam copulationem siue connexionem, nec communem terminum, qui aliquid sit vtriusque partis, prioris scilicet & posterioris: & ideo manent partes diuisæ discretæ. Quod etiam ostendit ratio nominis numeri. Numerus enim dicitur quasi

Numerus quare sic dicatur.

numus verus, hoc est, diuisionis: quia quæcunque

que vnitates in partibus numeri inueniuntur diuisæ & segregatæ. Patet igitur, quòd nullam huiusmodi partes perficiunt positionem.

Similiter & oratio se habet in partibus suis: hæc enim in discretione partium conuenit cum numero, in successione autem conuenit cum tempore quò pronuntiatur orationis pronuntiatio: & ideo partes eius discretæ sunt, & non permanentes. Oratio igitur est de numero eorum quæ dicta sunt, quæ scilicet in partibus non habent positionem. Nihil enim permanent particulæ orationis & minus stare possunt quam particulæ temporis: quia ad minus in tempore est accipere nunc vel præsens instans, in quo aliquo modo est præteritum, & aliquo modo est futurum. Sed in oratione nihil est accipere aliquo modo: cum omnia indiuisibilia elementorum discreta sunt, & in nullo connexa, sed quodlibet eorum dictum est & transit, & ideo non potest amplius sumi vt denominetur permanens: propter quod nulla erit positio particularum orationis: propter quod nihil re permanet particularum eius. Et sic probatum est inducendo quod intendimus, quòd scilicet alia de genere quantitatis constant ex particulis quæ in eis sunt essentialiter positionem habentibus ad seinuicem: alia autem eiusdem generis constant ex particulis non habentibus ad seinuicem positionem.

CAPVT VII.

De dubitationibus circa ea quæ dicta sunt de linea.

Dubitatio.

QVia autem quantitates de quibus dictum est sunt mensuræ substantiæ, antequam dicamus de proprietatibus, in se habent dubitationes quæ sunt circa ipsas determinatæ. Et primo de linea: hæc enim videtur extensio infinita secundum longitudinem, cum dicat Euclides, quòd licet lineam protrahere in infinitum & continuum & directum. Adhuc cursus puncti, qui mathematicam facit lineam, non sistit in continuo. Videtur ergo, quòd procedat in infinitum. Sed contra hoc videtur esse, quòd natura & intellectus abhorrent infinitum. Ergo videtur, quòd linea sit de his quæ abhorret intellectus. Sed quæstio penitus nulla est: quia linea non est infinita in actu, sed secundum potentiam, per hoc solum quod in continuo secundum quod continuum est, assignari non potest ei terminus ad quem stat protractio ipsius. Et propterea dicit Euclides, quia licet lineam in infinitum producere in continuum & directum: tale autem infinitum aliquid potentia est: nec natura abhorret neque intellectus.

Solutio. Linea non est infinita in actu, sed solum in potentia.

Dubitatio.

Adhuc autem dubitant quidam, vtrum linea sit mensura substantiæ corporalis? si enim non est mensura, cum per nullam aliam dispositionem possit reduci ad subiectum quod est substantia, videbitur quòd non sit accidens: constat autem, quòd nec est substantia: ergo nihil est, quod stare non potest. Si autem est mensura: tunc videtur, quod sit imperfecta: quia corpus mensuratur longo, lato, & profundo: linea autem est longitudo tantum. Ad hoc autem dicendum, quòd linea est prima & perfecta mensura substantiæ. Est enim linea mensurans in longum, & mensurans in latum, & mensurans in profundum. Dicit autem Auic. in sufficientia, quòd corpus mensuratur tribus diametris. Diametri autem lineæ sunt. Ergo corpus mensuratur lineis, & incrementum omnis corporis naturalis est secundum extensionem trium diametrorum & omnium natura constantium: terminus est & ratio magnitudinis & augmenti. Quòd autem superficies mensuratur, hoc est secundum totam corporis extensionem inter diametros mensurantes in altum, in latum, in profundum. Et quod corporea quantitas mensurat corpoream substantiam, hoc est secundum repletionem quantitatiuam quæ secundum intellectum est inter omnes superficies. Et sic dicendum est de istis mensuris substantiæ. Nec dicendum, vt quidam male dicunt, quòd linea sit mensura non separata à superficie actu vel corporea quantitate: & ideo iuncta cum aliis sit mensura perfecti corporis, quamuis in esse non sit separata à superficie & corpore, tamen in actu mensurandi secundum naturam & intellectum separata in eo modo quo diximus: & ideo specialis species est quantitatis continuæ.

Solutio. Quomodo linea mensurat in longum, latum, & profundum, licet communiter dicatur longitudo.

3. Dubitatio.

Dubitant etiam quidam, quid linea habeat pro materia & pro forma? dicentes, quòd in linea non sunt nisi duæ partes, scilicet lineæ quæ copulantur, & communis terminus copulationis: aut ergo erunt ei partes pro materia, aut terminus copulans. Dicunt autem, quòd terminus copulans non potest esse lineæ pro materia: eò quod terminus copulans est punctus: linea autem non est ex punctis, vt probat. Arist. Si autem partes copulatæ erunt pro materia, adhuc sequitur maior abusio: partes enim lineæ sunt lineæ: ergo linea est materia lineæ: & illa linea iterum habet materiam: ergo illius lineæ erunt materia lineæ, & ibitur in infinitum, aut erit idem materia suiipsius, quod absurdum est: ergo videtur, quòd nullo modo possunt esse lineæ. Adhuc autem si punctum dicatur forma lineæ, videtur inconueniens esse: quia ea quæ sunt ex materia & forma, non possunt intelligi id quod sunt sine forma: potest autem intelligi linea sine puncto si intelligatur longitudo infinita ex vtraque parte.

6. physic. tex. com. 1.

4. Dubitatio. A. te com. 1.

Vlterius etiam quæritur, vtrum linea possit esse ex punctis, & videtur per Arist. in 6. physic. quod non: quia non se tangentium non est continuatio: punctum autem non tangit punctum. Aut enim tangeret secundum partem, aut secundum totum. Si secundum partem, sequitur quòd punctum habet partem: quod falsum est: quia dicit Euclides, quòd punctum est cuius pars non est. Si autem secundum totum tangitur, hoc est iterum impossibile: quia contactus est eorum quorum vltima sunt simul, & sic puncta se tangentia haberent vltima: sed quicquid habet vltimum, aliud est ipsum, & aliud est vltimum ipsius: igitur

igitur punctum est aliud ab vltimo ipsius: & sic iterum sequitur, quòd punctum secundum quantitatem partes habet: vltimum scilicet & id quod habet vltimum: non ergo linea componitur ex punctis.

5. dubitatio.

Si hoc autem conceditur, tunc quæritur, quare numerus componitur ex indiuisibilibus, & continuum ex indiuisibilibus componi non potest?

Solutio tertiæ dub.

Hoc autem facile est soluere si ad memoriam reuocentur quæ de natura continuæ quantitatis dicta sunt. Dicendum enim pro certo, quòd linea forma est, & non habet materiam ex qua fit: & ideo quæstio nulla est. Si autem sic formaretur quæstio, quid habeat linea pro substantia secundum id quod est, & quid pro formali principio? tunc quæstio valet: & quod dicatur, quòd partes lineæ sunt in ea vt substantia materialis, omninò est impossibile & stultum dicere: quia, sicut obiectum est, partes lineæ sunt lineæ, & oportet de illis idem quærere: vnde hoc est stultum. Sed dicendum, quòd sicut in tempore substantia temporis est nunc, ita in linea mathematicè per intellectum generata & constituta, substantia lineæ punctum est fluens in continuum: & sicut esse temporis fluens successio est, ita in linea esse formale lineæ est continuitas circa puncta copulatiua posita per fluxum puncti intellectualem. Cuius probatio est: quia id est formale principium in quolibet, per quod in sui generis specie ponitur: linea autem ponitur in specie quantitatis per longitudinis cõtinuum: longitudinis igitur cõtinuum est forma ipsius. Continuum autem non fit nisi ad vnum communem terminum copulatione: & copulatio non fit nisi fluxu extenso: fluxus ergo intellectualis puncti facit continuitatem in linea, & punctum est substantia ipsius: & hoc est verum. Et dicere, quòd punctum est forma, & partes materia, deliramentum est: nec punctum nisi fluens ponitur in diffinitione lineæ secundum quod linea est longitudo, cuius medium non exit ab extremis, cuius extrema sunt duo puncta.

Quomodo punctum est substantia lineæ, & quid sit formale principium in linea.

Ad quartam.

Adhuc autem quod quæritur, vtrum linea sit ex punctis? Dicendum, quòd hoc est impossibile, sicut probatur quod linea constet ex punctis integraliter componentibus lineam: quia ex indiuisibilibus non fit continuum diuisibile: sed hoc modo quo dictum est, non est impossibile: quia secundum hoc puncta sunt substantiæ positæ in linea, circa quæ ponitur continuatio, sicut circa terminum in quo fit copulatio: & hoc modo fit omne continuum ex indiuisibili in se posito, circa quod (sicut terminum in quo fit copulatio) ponitur forma continui.

Ad quintam. Quare numerus fit ex indiuisibilibus, non sic autem continuum.

Ad hoc autem quod quæritur, quare numerus fit ex indiuisibilibus, & non linea, vel aliud continuum? Dicendum, quòd sicut in antehabitis dictum est, hoc est ideo, quia numerus est discretum, & indiuisibilia in numero manent discreta & non faciunt vnum nisi aggregatione ad vnum complens summam ordinatam ad id, sicut superius dictum est.

CAPVT VIII.

De dubitationibus quæ sunt circa dicta de superficie & corpore.

Prima dubitatio.

EOdem modo quæritur, vtrum superficies habeat lineam pro materia, & sit materiale principium ad corpus, sicut videtur Plato dicere, & quidam alij Philosophorum? Hoc enim videtur ex modo loquendi: quia superficies est longitudo & latitudo sine profunditate: & constat, quòd latitudo dat speciem superficiei: quod autem ante speciem est, materiale totum est: longitudo igitur materialis est ad latitudinem: & per idem concluditur, quòd superficies est materialis ad quantitatem corporis. Adhuc autem quæritur mathematicè loquendo, an superficies producitur ex linea, & corpus ex superficie? Si enim vnum ex alio producatur, videtur quod vnum sit materiale ad aliud.

Secunda.

Adhuc autem quæritur, an ista simul & secundum actum possunt esse in eodem: quia si linea inest, tunc inest longitudo sine latitudine: & sic cum superficies latitudo sit, videtur non posse inesse superficies. Et similiter eadem ratione superficies si insit, videtur quòd non possit inesse profunditas.

Tertia.

Adhuc autem quæritur, quare profundum non est sine longitudine, sicut longitudo sine latitudine, & latitudo sine profunditate?

Quarta.

Quærunt etiam quidam, propter quid non sunt nisi tres dimensiones?

Quinta.

Quæritur etiam, in quo differt corpus quod est substantia, à corpore quod est quantitas?

Sexta.

Adhuc autem vlterius quæruntur, vtrum quantitas sit in substantia ex parte materiæ, vel ex parte formæ, vel ex parte compositi? Non enim videtur aduenire ex parte materiæ: non enim possibile est aliquid esse substantiam in potentia, & quantum esse in actu. Materia autem est substantia in potentia: non ergo erit in actu quanta. Adhuc autem esse receptibile alicuius diminuit & priuatum est à forma recipienda: materia autem receptibilis est quantitatis: ergo in seipsa ab omni quantitate est priuata. Hæc & huiusmodi sunt, quæ quæruntur à quibusdam.

Ad primam.

Ad hæc autem & huiusmodi soluendo, dicendum est, quòd linea pro certo materialis est ad superficiem, hoc modo quo superficies quæ formalis essentia est, potest habere materiale principium, ex quo mathematicè generetur: fit enim superficies ex motu lineæ ad latus. Et attende, quòd superficies secundum quod superficies est, non fit ex linea ducta in seipsam: ex linea enim ducta in seipsam, siue ex ductu lineæ in seipsam, fit hæc superficies secundum speciem determinata quæ est quadratum, & ex tali ductu non fit superficies secundum quod est superficies in genere sumpta: nec iterum ex ductu lineæ finitæ in continuum ad latus lineæ facto non fit superficies secundum quod superficies est in genere, sed

Quod superficies fiat ex motu lineæ secundum latus in continuum & non aliter.

ex

ex talis lineæ ductu vel motu fit superficies finita tantæ mensuræ in latum, quantæ mensuræ est linea in longum: relinquitur igitur quod superficies secundum quod superficies, fiat ex motu lineæ secundum latus in continuum.

Obiectio. Si autem obiicitur, quòd terminus communis in quo copulantur superficiei partes, est linea: & ille terminus est habens actum formæ, quia copulare actus formæ est. Dicendum est igitur, quòd sicut de puncto diximus, quod superficies non habet materiam ex qua fit, sed ipse punctus & ipsa linea dupliciter considerantur, scilicet prout subsistentiæ positæ in continuo: & sic accipit linea à puncto, & superficies à linea substantiam quæ est id quod est. Possunt & hæc considerari prout termini copulantes: & sic accipitur ab eis esse formale quantitatis illius quæ est linea, vel illius quæ est superficies: & sic habet actum formæ qui est copulare: & non est inconueniens, quod vnum & idem vtrumque horum perficiat in consideratione diuersa.

Solutio. Quomodo punctus est materia & forma lineæ, sed diuersimodè.

Obiectio. Solutio. Si autem obiicitur, quòd materia non coincidit in vnam rem cum forma: absurdum est: quia non est materia ex qua fit res, sed tantum est hæc substantia secundum id quod est, & secundum quod est id quod est: & hæc in vno esse possunt secundum diuersa quæ sunt in ipso, sicut est expressè exemplum nunc temporis, quod secundum quod adiacet ei quod fertur, est substantia temporis, & secundum quod fluit, causat esse temporis: & per eundem modum dicimus, quòd superficies habet se ad corpus.

Quomodo nunc est substantia temporis & causat esse temporis.

Ad hoc autem quod quæritur, vtrum simul in vno ingeniantur istæ dimensiones? Dicendum quòd sic. Et cum infertur, quòd aliquid est longum, & non latum. Dicendum quòd nihil valet: quia affirmationes quæ in harum dimensionum diffinitionibus ponuntur, & negationes non opponuntur: quia non sunt relatæ ad idem & secundum idem. Et quando dicitur, quòd linea est longitudo sinè latitudine, non negatur nisi latitudo lineæ & non superficiei: & ideo dimensiones simul sunt in eodem.

Ad secundam.

Ad quartam. Quare non sunt nisi tres dimensiones. Ad hoc autem quod quæritur, quare vltra tres dimensiones non est quarta dimensio? Dicendum quòd hoc ideo est, quia non sunt, nec possunt esse plures quam sex differentiæ positionis, quæ sunt sursum & deorsum, dextrum sinistrum, ante & retro: inter quas non possunt esse nisi tres dimensiones: & hoc iam probauit Aristot. in 2. de cælo & mundo. Mathematicè autem loquendo de propriis quantitatis, dicendum est, quòd ad vnum angulum rectum non possunt conuenire siue concurrere nisi tres lineæ rectæ in diuersa protractæ, quarum quælibet directe protrahitur in continuum ad diuersa positum, vna scilicet secundum longitudinem, & vna secundum latitudinem, & tertia secundum altitudinem & profunditatem. Non enim potest intelligi quarta positio continui in quod protrahatur diameter mensurans substantiam: & ideò dicit Aristot. in lib. de cælo & mundo, quòd perfectio est in istis secundum tres cæli motus, ab Austro scilicet in Aquilonem, qui est motus profunditatis, quia ante est nobis in Aquilone, & Auster est retro: & iste est motus de tropico in tropicum per æquinoctialem. Et motus à dextro in sinistrum, qui est motus latitudinis cæli & planetarum. Sed planetæ dextrum suum habent in Occidente, & sinistrum in Oriente primi cæli. Et motus sursum & deorsum qui est motus totius sphæræ secundum totum luminis & virtutis cælestis ad centrum: propter quod perfectio est in tribus dimensionibus. Et quia perfectus est, vt dicit Aristot. cui nihil addi potest, ideo quarta addi non potest dimensio.

Tex. com. 12.

Ante Aquilonem, retro Auster, dextrum Oriens, sinistrum Occidens, sursum à cētro, deorsum ad centrum.

5. metaph. tex. com. 21.

Ad tertiam. Quare latitudo non est sine longitudine. Ad hoc autem quod quærebatur, quare latitudo non est sine longitudine, sicut econtra? Dicendum quòd hoc est idem quærere, quare secundum non est sine primo, sicut primum est sine secundo? quia latum & secundum generatur ex longo & primo: & id ex quo generatur, manet in generato, & non econtra. Latum enim ad quod oportet latus moueatur, semper in superficie motum facit latum, & nunquam perficiet longitudinem sine latitudine: sed motum extra superficiem, ad aliam positionem mouebitur, aut sursum extra superficiem, aut in profundum subtus superficiem: & tunc quia mouetur ad aliam positionem, faciet aliam quantitatis speciem: & sic linea non ad positionem longitudinis mota, sed ad aliam positionem faciet superficiem.

Ad quintam. Ad hoc autem quod quæritur, in quo differat substantia corpus, & corpus quantitas, superius iam dictum est: quia materia prout est subiectum generationis, est habens potentia & non actu tres dimensiones: corpus autem quantitatis est ipsa trina dimensio.

Ad sextum. Ad hoc autem quod quæritur, vtrum ex parte materiæ, vel formæ, vel compositi adueniat quantitas substantiæ? Dicendum sicut in antehabitis, quòd potentia suscipiendi est à materia, quæ potentia diuisibilis est: actus autem disponendi quamlibet partium in situ & dimensione propria ne effluant partes à terminatione totius, est à forma terminante partes materiæ ad situm proprium ordinatæ: ipsa autem dispositio partium in situ & ordine, est totius, & vtriusque, tam formæ scilicet quam materiæ secundum quod totum sunt. Et sic patet omnium solutio.

CAPVT IX.

De dubitationibus quæ sunt circa hoc quod dicitur, quod tempus est continua quantitas.

1. argumentum. COntra hoc etiam quòd tempus dicitur esse quantitas, opponunt quidam dicentes, quòd cuius partes non sunt, ipsum non est: partes autem temporis non sunt: præteritum namque non est, quia præteriit & abiit in non esse: futurum autem nondum est, sed expectatur: præsens autem est indiuisibile nunc,

nunc, quod non potest esse pars continui si quælibet pars continui diuisibilis est sicut ipsum continuum: ergo nulla pars temporis est: & sic ipsum tempus non est: & sic vlterius non continua quantitas est.

Secundum. Si fortè aliquis dicat, quòd præsens est pars temporis, in quo tempus habet esse aliquo modo. Contra hoc esse videtur, quòd in aliis continuis id in quo copulantur partes continui, est indiuisibile & non pars continui, sicut punctum in linea: præsens autem est in quo copulantur partes temporis, præteritum, & futurum: ergo præsens est indiuisibile tempus, & non pars ipsius.

Tertium. Adhuc omne compositum ex aliquibus vt partibus, est diuisibile in his ex quibus vt partibus compositum est: tempus autem non est diuisibile in nunc: ergo non est compositum ex nunc sicut ex partibus vel parte.

Quartum. A t. com. 24. vsque ad 32. Adhuc quælibet pars continui est alia ab eiusdem continui parte cui continuatur: nunc autem, vt probat Aristot. 6. physic. non continuatur cum nunc: ergo nunc præsens non est pars continui.

Quintum. Adhuc autem nunc non potest esse continuum ad nunc, vel cum nunc: continua enim sunt, quorum vltima sunt vnum: nunc autem cum sit indiuisibile non habet vltimum: igitur cum alio non habebit vltimum idem: & sic nunc non potest esse pars temporis.

Sextum. Adhuc etiam concesso, quòd nunc est pars temporis, & quod sit id quod de tempore est accipere, adhuc non sequitur, quod tempus sit actu: quia, vt dicit Aristot. nunc in tempore non est in actu, sed potentia.

4. physi. tex. com. 104. In oppositum. Si propter hoc dicatur, quod tempus non est, & ideò non est species continuæ quantitatis: in oppositum obiicitur: quia constat, quòd motus est continuus diuisibilis, sicut constat ex 6. physic. Aut ergo est mensura, aut mensuratum aliquod. Si est mensura, non potest esse mensura nisi aut eius quod mouetur, aut magnitudinis super quam est motus. Et constat, quòd neutro modo potest esse mensura: mensura enim & mensuratum sunt eiusdem generis: id autem quod mouetur, est permanens. Similiter autem & magnitudo de permanentibus est. Motus autem est de numero successiuorum. Si modo dicatur motus mensuratum quoddam esse, tunc erit aliqua mensura mensurans ipsum: sed constat, quòd nec id quod mouetur, nec magnitudo super quam est motus propter causas quæ dictæ sunt: cum ergo non sit inuenire mensuram eiusdem generis cum motu nisi tempus, erit tempus mensura eius successiua sicut motus. Ex quo sequitur, quòd tempus est: quia esse mensuram non est determinatio diminuens ad esse, sed in esse constituens.

A t. com. 33.

Solutio. Dicimus igitur his consentientes, quòd tempus est, sed est secundum esse successiui, sicut & motus cuius ipsum est mensura.

Ad primum argumentum. Ad id autem quod obiicitur de partibus temporis, quæ non sunt: dicendum quòd totum secundum quod in genere totum accipitur, non dependet ab esse partium actu: hoc enim non habet nisi totum in partibus permanens. Et hoc non habet totum successiuum, quod non dependet à constitutione partium nisi secundum quod sunt in ordine. Et tales partes habet tempus. Successiuum enim totum est dum fit, & habet esse permixtum potentia: & ideò non oportet, quòd partes simul actu habeant.

Ad secundum, tertiū, quartum, & quintum, & sextum. Ad hoc autem quod quæritur, vtrum nunc sit pars temporis? Dicendum quòd præsens accipitur vt diuisibile tempus, de quo dicit Priscianus, quòd præsens est cuius pars præteriit, & pars in instanti est, & pars in futuro: & hæc copulantur præterito & futuro. Est etiam præsens nunc indiuisibile, & hoc non copulatur, sed copulat: & hoc quidem est aliquid temporis, sed non est aliqua pars temporis: & secundum hoc facile est soluere obiecta.

Obiectio. Si autem quis obiiciat dicens, quòd tempus est numerus motus, & ita discreta & non continua quantitas: est satis responsum per antedicta. Est enim tempus numerus continui primo numeratus, & posteà numerans: numeratus quidem à priori & posteriori in magnitudine & motu: numerans autem & certificans quantitatem motus. Taliter autem numeratus numerus non est discreta quantitas, sed continua. Sic ergo tempus est continua quantitas, & non discreta. Multa autem de tempore quæ dicenda videntur, ad naturalem pertinent Philosophum. Quædam nuper in præhabitis dicta sunt. Hæc igitur ad intentionem istam sufficiant.

Solutio. Quomodo tempus est quantitas cōtinua, cum sit numerus motus.

CAPVT X.

De dubitationibus circa ea quæ dicta sunt de loco, & de his quæ habent positionem in partibus, & quæ non.

Prima dubitatio. DVbitatur etiam de his quæ dicta sunt de loco, & de his quæ dicta sunt de quantitatibus positionem habentibus in suis partibus. De loco quidem dubitatur: quia cum locus sit superficies continentis corporis, videtur quòd impossibile sit ad eundem terminum copulari particulas loci, ad quas particulæ locati copulantur: secundum enim esse non est vnus communis finis continentis & contenti. Et si dicatur, vt quidam dicunt, quòd superficies vltima corporis continentis est terminus, ad quem sicut ad terminum intrinsecum copulantur partes loci, & eadem superficies est terminus extra ad quem copulantur particulæ locati. Hoc videtur absurdum esse: quia ea quæ copulantur in vno communi termino, vel ad vnum communem terminum, continuantur in illo & sunt continua adinuicem: locus autem & locatum hoc modo sumpta in communi termino non continuantur: ergo superficies interior corporis continentis non est communis terminus ad quem copulantur loci particulæ & locati, nisi æquinoctialis terminus accipiatur in loco & in aliis continuis.

Reprobatio quorundam eius improbatio.

Secunda. Eodem autem modo dubitatur de his quæ positionem dicuntur habere, & de his quæ

positionem dicuntur non habere : numerus enim ; etiam ordinem videtur habere, cum habeat partium permanentiam & ordinem.

Tertia. Adhuc autem non est positio nisi habentium locum : non habent autem locum linea & superficies : quia locus est tantum corporum : videtur igitur, quod linea & superficies in partibus positionem non habeant.

Quarta. Tex. com. 18. Vlterius etiam quæritur, cum in 5. primæ philosophiæ motus dicatur quantitas, videtur quòd plures sunt species continuæ quantitatis quam superius assignatæ.

Quinta. Adhuc autem tempus continuitatem habet à motu : motus autem à spatio in quo est, quod est distantia continua inter duos terminos motus : videtur igitur, quod tam motus quam tempus non sunt quantitates continuæ, nisi per aliud & per accidens : non ergo debent poni species continuæ quantitatis : quia species recipit prædicationem generis per se & non secundum accidens : istæ autem sunt per accidens quantitates.

Sexta. Adhuc autem sicut motus & tempus sunt quantitates per aliud & per accidens : sic etiam albedo est quanta : quia quanta est superficies, tantam albedinem esse dices.

Ad primam. Locus duplex, scilicet naturalis, & mathematicus. Ad hæc autem & similia dicendum, quòd absque dubio, sicut superius ostensum est, duæ sunt loci considerationes. Vna quidem mathematica, secundum quam locus est quantitas longum habens & latum & profundum secundum corporis locati dimensiones. Alia est physica de loco consideratio, secundum quod locus quæritur propter motum, vt dicit Aristot. & si non esset motus, non quæreretur locus. Et de loco secundum vtramque istarum considerationum intentionem dictum est in antehabitis. Quia autem dicitur esse communis terminus ad quem particulæ loci & particulæ locati copulantur, superficies interior locantis, & exterior locati : hoc potest esse in consideratione loci physica : sed hoc non sufficit in consideratione logica & mathematica : quia proculdubio quacunque in communi termino copulantur, vnum efficiuntur continuitate : locus autem physicus cum locato physico, non efficitur per continuationem vnum. Et ideo oportet dicere, sicut superius dictum est, scilicet quòd communis terminus est vsque ad quem omnes loci particulæ continuantur sicut centrum loci, in quo etiam solo virtutes loci physici, vt Astronomus dicit, congregantur per lineas à circumferentia loci productas. Ad quem etiam terminum continuantur particulæ locati : propter quod Arist. probauit vnam numero esse distantiam loci & locati : quod negabant illi qui ponebant vacuum. Dicuntur tamen lineæ siue diametri illius distantiæ aliter esse loci, & aliter locati. Loci enim sunt vt continentis, & virtutem continuè per diametros illos influentis omnibus locati particulis. Dicuntur autem esse corporis locati sicut contenti, & continuè virtutem recipientis, ne defluant particulæ à finibus & virtutibus suis.

4. physic. tex. com. 32 *4. physic. à tex. com 79. vsque ad tex. com. 87*

Ad secundum. Quantitas habens in Ad hoc autem quod quæritur de positionem habentibus & non habentibus : dicendum pro certo, quod habens positionem, tria exigit & requirit, scilicet situm, ordinem, & permanentiam : & quia numeri partes non habent situm, eò quod vnitas est indiuisibile non habens positionem vel situm, ideò quamuis habeant permanentiam & ordinem, tamen non dicuntur habere positionem : & quia partes orationis & temporis & motus non habent situm nec permanentiam, quamuis habeant ordinem, non dicuntur habere positionem. *partibus positionem trium requirit, situm, ordinem, & permanentiam.*

Quod autem obiicitur, quòd situs est habentium locum, hoc verum est. Sed habere locum dupliciter dicitur secundum quod locus est quantitas. Dicitur enim habere locum quod secundum seipsum loco continetur secundum omnes loci differentias : & sic solum corpus locatum habet locum. Dicitur etiam habere locum, cui assignatur principium medium & vltimum secundum aliquas loci dimensiones siue distantias : & sic linea & superficies habent situm & positionem in loco : & hoc modo intelligitur quando dicitur, quòd particulæ lineæ habent in loco positionem, & similiter particulæ superficiei. *Ad tertiam. Quomodo linea & superficies habeant positionem in loco.*

Ad id autem quòd de motu quæritur, dicendum quod motus est quantitas per accidens, habens continuitatem à spatio quod est inter duos terminos motus : & quamuis sic habeat per accidens, tamen habet eam intra essentiam suam, ita quod sibi est essentialis, & ideò in veritate esse motus vt motus quantitas est. Quantum ad id quod fluit in motu, aliud est quod est vbi, vel quale, vel quantum, & in mutatione est substantia. Ideò motus quantum ad id quod in motu est (vt substantia fluens) non est quantitas : & ideo apud logicum qui considerat secundum suam substantiam ad quod genus reducatur motus, non est quantitas : & ideò inter species continuæ quantitatis non ponitur. *Ad quartam. Quare motus cum sit quantitas non fuit enumeratus à Philosopho hic. Vide 5. met. tex. 18.*

De his autem quæ quanta dicuntur per accidens, vel quia quantitate distenduntur propter subiecti distensionem, hîc notandum est, quòd secundum suum esse & secundum id quod sunt, non in eis est intrinseca & essentialis quantitas, sicut tempori, & motui : quamuis in hoc differant, quòd tempori intrinseca est, & secundum id quod est, & secundum esse : nunc enim quod est substantia temporis, non est absolutum à distensione fluxus. Motui autem est intrinseca distensio secundum esse motus, & non secundum. id quod est. Aliis autem non est sic : quia illa sunt formæ aduenientes materiæ non secundum quod simpliciter substantia est, sed secundum quod est materia & subiectum iam actu quantum : & ideò denominationem recipiunt à subiecti quantitate : quia talis forma est in maiori maior, & in minori minor. Quæ autem aduenient materiæ secundum quod materia est, & non secundum quod est quanta, sicut humanitas, non sunt in maiori maior, & in minori minor. In substantialibus autem hoc in sola reperitur materia, quæ in maiori maior est, & in minori minor : & hoc non est in forma substantiali. *Ad quintam.*

Et per hoc etiam patet, quòd quantitas aduenit substantiæ ex parte materiæ, & non ex parte *Forma substantialis aduenit ma-*

parte formæ : quinimo forma substantialis aduenit materiæ secundum ordinem naturæ ante quantitatem, & ideò distribuit partes materiæ secundum diametros à natura determinatos & mensuratos. Hoc igitur est quod dixit Aristot. de his quæ sunt quantitates per accidens ; dicens quòd propriè quantitates sunt hæ solæ quas diximus superius. *scire ante quantitatem.*

Ad sextam. Alia verò omnia quæ quanta dicuntur, secundum accidens quanta & quantites dicuntur. Huius autem signum est, quòd alia quanta non dicimus, nisi aspicientes per intellectum ad hæc quæ propriè sunt & dicuntur quantitates, ab his quæ sunt propriè quantitates, alia quæ sunt per accidens quanta, denominantes, vt multum dicitur aliquid album, & multa albedo, eò quod superficies in qua est albedo est multa. Sic & actio dicitur longa, eò quod tempus mensurans eam & longum & multum fit : & hoc modo dicitur etiam motus multus : quamuis de motu aliter fit quam de aliis, vt patet ex supradictis. Non enim singulum horum per se quantitas dicitur, quòd secundum id quod est, & secundum suum essentiale esse fit quantitas, sed quia quanta dicuntur his quodammodo dimensa : vt si quis interrogatus fuerit quanta fit actio, assigner quantitatem eius quantitate temporis, dicens eam esse annuam vel diurnam. Et interrogatus, quantum fit album, designabit quantum fit album definiens quantitatem superficiei : quanta enim fuerit superficies, tantum in dimensione album esse dicet. Propterea solæ propriè, & secundum se dicuntur quantitates ipsæ, quæ in præhabitis dictæ sunt. Aliorum vero nihil per se dicitur quantitas : sed si fortè aliquid aliorum dicatur quantitas, hoc erit per accidens siue accidentali denominatione.

CAPVT XI.

De proprio quantitatis quod est non habere contrarium.

POstquam de speciebus quantitatis quantum ad intentionem logici spectat, expeditum est ruxta modum quem in declaratione substantiæ tenuimus, sequitur declarare hoc prædicabile quod est quantitas per proprietates ipsum consequentes. Quamuis autem consequatur ipsum ex hoc quod est accidens, in subiecto esse, sicut substantiam consequebatur in subiecto non esse : tamen hanc proprietatem non assignamus, quia non conuenit quantitati per hoc quod quantitas est, sed conuenit ei per hoc quod est accidens, & ideò non potest esse consequens quantitatem secundum quod quantitas est : sed in subiecto non esse proprium est substantiæ, quia consequitur ipsam substantiam secundum quod substantia est. *Esse in subiecto non est proprium quantitatis.*

Vniuocè prædicari non est attribuendum alicui accidenti. Adhuc autem vniuocè prædicari de sibi subiectis, substantiam sequitur per hoc quod substantia est. Sed hoc non assignatur quantitati nec aliis accidentium generibus propter duas rationes : quarum vna est communis, quia ex quo vniuocè prædicari sequitur substantiam, prout est genus prædicabilium suæ coordinationis, vt dicunt quidam, & quod sequitur alia genera inquantum prædicabilium suæ coordinationis sunt principia : & ex quo facile hoc scitur, non oportuit ad hoc studere vt poneretur in aliis generibus hoc consequens proprium. Secunda ratio melior est, quòd accidens propriè perfectam non habet rationem, sed sola substantia : ideò cum vniuocè prædicari sit prædicari nomine & ratione, non conuenit hoc generibus accidentium quæ nec propriè nec perfectè habent rationem. *Amplius quantitati nihil est contrarium &c.*

Conuenit autem quantitati secundum id quod quantitas est, quòd secundum essentiam quantitatis nihil habet contrarium, ita quod sunt in genere quantitatis formæ contrariæ, quarum vtraque sit quantitas, sicut in genere qualitatis sunt formæ contrariæ, quarum vtraque est qualitas. Et huius causa est : quod materia per hoc quod est substantia simplex, non est susceptibilis contrarietatis, sed per hoc quod est quanta : & nisi sit quanta, non suscipit contraria : quia contraria sunt agentia & patientia, quæ non conueniunt nisi ei quod mouetur : non mouetur autem nisi diuisibile, vt probatur in sexto physicorum : diuisibile autem est quantum actu : non ergo suscipit nisi quod actu quantum est : & ideò oportet, quòd quantitas sit in materia ante omnem propriè sumptam contrarietatem. Et quod est ante omne contrarium, illud non potest habere contrarium. Igitur quantitas secundum quod quantitas non potest habere contrarium. *Quomodo quantitati nihil est contrarium, & quare.* *Tex. com. 32.*

Hoc autem non tantum ratione, sed inductione probatur. In definitis enim hoc est in determinatis per speciem quantitatis hoc quod diximus, manifestum est. Determinatis enim nihil est contrarium, vt bicubito, & tricubito, vel lineæ, vel superficiei, vel corpori. His enim & omnibus quæ sunt similia alicui talium in hoc quod determinatæ sunt species quantitatum, nihil est contrarium, sicut patet, quibus nec inueniri potest contrarium in quantitate.

Nisi fortè aliquis multa paucis in genere discretæ quantitatis dicat esse contraria, vel magnum paruo dicat esse contrarium in genere quantitatis continuæ. Hoc tamen esse non potest : quia ea quæ sunt contraria, formas habent maximè distantes. Multa autem dicunt multitudinem, & pauca similiter dicunt multitudinem, quamuis non tantam : vnde si quæratur in quo vt in genere sit paucum, diceretur, quòd in genere multitudinis : est enim paucum multitudo reducta vel restricta ad non multos : quoniam vtrumque tam multum quam paucum dicunt vnum, quamuis non eodem modo. Similiter autem de magno & paruo, quorum vtrumque dicit magnitudinem : sed magnum dicit magnitudinem perfectam, paruum autem dicit magnitudinem imperfectam. Contraria autem quæ verè contraria sunt, non dicunt circa formam vnam in specie perfectum & imperfectum : sed vtrumque contrariorum ab altero *Obiectio sexta.* *Solutio quæ non ponitur in textu.*

est absolutum, & æque perfectum actu contrarietatis. Et hæc est vera causa: quare multum & paucum & magnum & paruum contraria esse non possunt.

Aliter, & est solutio textus.

Cum autem hoc dicimus, quòd horum nominum quæ dicta sunt secundum formam significatam in nomine nihil est quantitas: hæc enim nomina non designant formas quantitatis, sed potius formas circa quanta, quibus ipsa sunt ad aliquid secundum veritatem, quamuis in modo significandi non dicant modum dependentiæ secundum modum quo illa quæ dicuntur ad aliquid dependentiam habent ad alia, sicut ipso nomine dependentiam dicunt dominus seruus, pater filius: multum enim significat id quod ad alterum est, quamuis in nomine modum non importet quo ad alterum est. Et similiter est in pauco: & eodem modo est in paruo & in magno.

Quòd magnum & paruum sunt ad aliquid.

Quod autem ad aliquid sint ea quæ dicuntur magna & parua, probatur inductione: nihil enim inuenitur in omnibus magnis & paruis, quod per seipsum absolutè semper dicatur magnum, & ad omnia magnum: quod enim simpliciter est aliquid, ad omnia est id, sicut simpliciter calidum ad omnia est calidum, & simpliciter album ad omnia est album, & sic de aliis omnibus. Sed magnum non ad omnia magnum est, sed alicui comparatum dicitur non magnum. Sequitur igitur, quòd magnum non est simpliciter & secundum formam absolutam magnum dictum. Huius autem probatio est per inductionem in eo quod mons, qui simpliciter magnus videtur, non fit aliquid magnum simpliciter & sine comparatione dictum: sed mons dicitur paruus, maiori comparatus: & granum milij quod simpliciter paruum videtur, dicitur magnum granum papaueris vel ruthæ comparatum. Dicitur autem milium magnum, non ideo quod simpliciter magnum sit, sed ideò quod comparatum rebus sui generis, dicatur magnum: & mons paruus dicitur, non quia simpliciter paruus sit, & absolutè, sed quia comparatus rebus sui generis, hoc est, aliis montibus, vt Caucaso, aut Olympo, paruus sit respectu illorum. Patet igitur, quòd magnum & paruum talia sunt, quorum est ad aliud relatio secundum veritatem, quamuis modum dependentiæ ad aliud non importent in nomine: nam si per se & absolutè magnum & paruum dicerentur, nunquam quidam diceretur mons paruus ad aliquid aliud comparatus, nec milium ad aliud granum comparatum dicereretur magnum, sicut album nulli comparatum dicitur nigrum, & calidum nulli comparatum dicitur frigidum.

Et similiter est de multo & pauco: quia iidem secundum numeri quantitatem, id est, homines multi dicuntur & pauci. Si enim in vico sunt, verbi gratia viginti homines, multi homines dicuntur: & si sunt in ciuitate, dicuntur pauci: quia ciuitas requirit multo plures habitatores quam vicus, sicut in politicis dicit Arist. & ideo qui multi sunt in vico, pauci sunt in ciuitate, quamuis fortè illi qui sunt in ciuitate, sint multiplices ad illos qui sunt in vico; tripli enim vel quadrupli ad eos qui sunt in vico, adhuc pauci sunt in ciuitate. Eodem autem modo de his qui sunt in domo & in theatro, qui est locus ad speculandum ludos & facta tyronum: & illa multitudo hominum quæ multa est in domo vltra numerum qui requiritur in patrefamilias & vxore & filiis & clientibus ad domus dispensationem, & hæc eadem multitudo pauca dicitur esse in theatro: quia ad speculandum in theatrum multo plures de diuersis domibus & vicis habent conuenire: & propter hoc si de tribus domibus tantum ad theatrum conueniant, pauci dicuntur: cum tamen sint multo plures ad eos qui in vna domo sunt ad dispensationem domus pertinentes. Patet ergo, quòd multum & paucum, & magnum, & paruum, sunt ad aliud comparata, & non dicunt formas specierum quantitatis absolutas, sicut continuum, & discretum, & linea, & superficies, & tempus, & locus, vel sicut bicubitum, vel tricubitum, vel vnus, duo, tres, vel aliquid huiusmodi.

Amplius bicubitum & tricubitum & vnúquodque eorum quæ numerauimus, significant quantitates sub formis quæ essentialiter sunt quantitates. Multum verò & paucum, & magnum & paruum, secundum nomina sua non significant quantitates principaliter, sed significant ad aliquid circa quantitatem dictum. Multum ergo & paucum, & magnum & paruum, non significant quantitates contrarias.

Quòd magnum non contrarietur paruo, nec multum pauco.

Amplius hoc etiam ostenditur deducendo ad impossibile. Detur enim ab aliquo, quòd ea quæ dicta sunt, sint quantitates: tunc sequitur, quòd non sunt contraria: id enim quod non contingit sumere per seipsum & absolutè, sed oportet semper sumere ad alterius relationem, quomodo potest intelligi quod sic dependenti aliquid sit contrarium, cum ea quæ verè sunt contraria, maximè distent eorum quæ sunt sub eodem genere, & vnum eorum non dependeat ad reliquum, & sit aliud genus oppositionis contrarietas quam est oppositio relatiuorum. Propter quod etiamsi concedatur, quòd quantitates sint ista quæ dicta sunt, adhuc non sequitur, quòd quantitas habeat contrarium: quia ista non sunt contraria, sed opposita secundum relationem. Et haberur virtute huius argumentationis non quod quidam dicunt, quòd ea quæ sunt ad aliquid, non habeant contrarium, vel quod ea quæ sunt ad aliquid, non suscipiant contrarium: tamen hoc etiam est verum, quòd quæcunque sunt ad aliquid secundum modum & veritatem simul, non suscipiunt contrarium: sed ea quæ sunt ad aliquid secundum modum, & sunt in alio genere secundum veritatem, possunt habere contrarium.

Terminus dictus in relatione ad alterum non potest dici contrarius alteri: quia tunc contrarietas esset relatiua oppositio.

Quomodo ea quæ sunt ad aliquid secundum modum tantum, & non secundum veritatem, suscipiunt contraria.

Amplius adhuc per deductionem ad impossibile idem probatur: quia si detur, quòd magnum & paruum sint contraria, continget siue sequetur, quòd idem simul actu recipit contraria: & sequitur, quòd eadem ipsa sibimet sunt contraria. Contingit enim idem simul esse magnum & paruum: quia aliquid ad hoc quidem comparatum est paruum, ad aliud vero comparatum est magnum: & si est contrarium,

In 1. c. 1.

tium, vt prius dictum est, semper est contrarium: quia comparatio non dat ei formam contrarietatis, nisi habeat eam. Sequitur ergo, quòd simpliciter idem erit magnum & paruum si magnum & paruum sint contraria.

Obiectio. Videtur autem forte alicui, quod hæc non valeat argumentatio, sed procedit secundum modum sophisticum qui vocatur ignorantia elenchi, sicut hoc est leue ad hoc: & non est leue ad illud: ergo est leue & non leue, vel leue & graue. *Solutio.* Sed hoc iam exclusum est per hoc quòd diximus, quòd contrarium ad hoc sequitur simpliciter esse contrarium, sicut calidum ad hoc sequitur esse simpliciter calidum. Quod autem sequantur prædicta inconuenientia probatur ex hoc, quòd contingit aliquid ad hoc quidem comparatum esse magnum, & ad aliud comparatum esse paruum: & si hæc sunt contraria, sequitur quòd idem simpliciter est magnum & paruum simul: & sic simul eidem insunt contraria. Sed contra hoc est, quòd nihil est quod videtur in eodem tempore simul suscipere contraria posse, cum contraria sint quæ se mutuò expellunt ab eodem susceptibili: quamuis enim substantia susceptibilis sit contrariorum secundum sui mutationem, non tamen in vno eodemque tempore & secundum idem suscipit contraria, sed in diuersis temporibus: mutatur enim de vno in aliud per vices temporum: nullus enim simul sanus & æger est, nec albus & niger. Et sic patet inducendo in omnibus aliis, quòd nihil simul in eodem tempore contraria suscipit.

Contingit etiam, vt diximus, eadem sibiipsis esse contraria: nam si magnum paruo est contrarium, hoc iam probatum est, quòd ipsum simul magnum & paruum est: sequitur quòd ipsum sibiipsi contrarium est. Et hoc sequitur ex hoc: quia si comparatum alicui, formam recipit contrarij, illud simpliciter habet formam illam, & vt alij comparatum habet formam alterius contrarij, sequitur quòd simpliciter etiam habet illam, quia contrariæ formæ quibus insunt, simpliciter insunt, eò quod non sunt formæ comparationis, vt dicit Auic. sed sunt qualitates absolutæ. Est autem impossibile idem sibiipsi esse contrarium: non enim est magnum paruo contrarium: & per eandem rationem multum non erit pauco siue exiguo contrarium. Propter quod quamuis quilibet dicat hæc non esse opposita, adhuc stabit hoc quod dictum est, quòd quantitati nihil est contrarium: sequitur enim inconueniens, & ostenditur, quòd non sunt contraria ea quæ in genere quantitatis dixit esse contraria.

CAPVT XII.

De dubitationibus quæ sunt circa prædicta.

Argumentū primum. CONtra hæc tamen quidam obiiciunt dicentes motum esse in genere quantitatis, qui dicitur esse augumentum, vel diminutio. Motus autem est de contrario in contrarium, vt in 5. physic. probat Aristot. videtur igitur, quòd quantitas quantitati sit contraria.

Secundum. Adhuc autem quia quantitas corrumpitur, arguitur quòd quantitati sit contrarium: non autem corrumpitur per se nisi contrarium à contrario: habet igitur quantitas contrarium.

Solutio primi. Sed ad hoc dicendum, quòd quantitas quantitati non est contraria per se, sed circa quantum ratio perfecti & ratio imperfecti sunt cōtraria. Vnde etiam & libro de anima habetur, quòd termini inter quos est motus augumenti & decrementi, sunt magis relationes quam quātitates, vbi dicit Arist. quòd omniū natura constantium est terminus & ratio magnitūdinis & augmenti. Nec motus exigit, quòd sit inter terminos contrarios secundum esse, sed sufficit quòd sint contrarij secundum rationem. Vnde magnum paruo non contrariatur, nisi inquantum paruum est in ratione imperfecti, magnum autem in ratione perfecti.

Vide 8. phy. tex. cō. 61. & D. Albertum ibi. 2. de anima. tex. com. 42.

Solutio secundi. Ad aliud autem dicendum, quòd quantitas non corrumpit quantitatem nisi per contrarias qualitates actiuas & passiuas, quæ sunt in quanto, & non per hoc quod vtrumque est quantum.

Obiectio Arist. quam non soluit. Maximè autē videtur aliquis vrgere, quòd circa locum quem quantitatem esse diximus, sit talis contrarietas quæ sit quantitatis, ita quod locus loco sit contrarius: sursum enim prout locus est & loci differentia, ponunt antiqui Philosophi contrarium esse ad locum qui in medio est, quem deorsum dicunt. Ratio autem quare hæc duo loca dicuntur esse contraria, est ex eo quod multa & maxima distantia sit ad mundi terminos: quia circa circumferentiam est vbique sursum, & circa centrum similiter vbique deorsum: & ideo videntur antiqui Philosophi etiam aliorum contrariorum diffinitionem per hoc quod contraria maximè distant transumendo distantiam ad diffinitionem aliorum contrariorum proferre ab his quæ loco distant ad illa quæ non loco, sed essentiali distant repugnantia, & sunt de numero eorum quæ sunt sub eodem genere. Et hanc quidem instantiam contra dicta sua ponit Arist. sed non eam determinat. Sed oportet nos inuestigare verum instantia vera sit aut non, & quæ sit causa quod eam tangit Aristot. & non soluit neque determinat.

Solutio quorundam. Ad hoc autem quidam dicunt, quòd instantia non valet multiplicitèr. Et quia hoc parere omnibus dicunt, ideo eandem Aristotelem non dicunt determinare. Dicunt autem primam causam esse quare non valet: quia falsum supponit in hoc quod multa vel maxima distantia sit circumferentiæ ad medium: hæc enim distantia non est nisi semidiametri: maxima autem distantia est secundum totam diametrum quæ producitur de summo circumferentiæ, sicut ad multum eiusdem, sicut de cæli distantia vsque ad cælum.

Dicunt etiam, quòd secunda causa est quare non valet: quia distantia in loco; & distantia essentialis repugnantiæ in contrariis, non est sumpta vniuocè. Vnde sic transferentes peccant secundum æquiuocationem: quod verum dicunt etiam parum peritis manifestum esse: propter quod dicunt Aristot. hanc instantiam

vt eam quæ manifestè nulla sit, transire.

Improbatio aliorum. Sed hoc dictum procedit ex magno errore. Si enim taceamus de antiquis Auerroës in duobus locis, scilicet super physicam, & super primam philosophiam dicit ad contrariorum diffinitionem ab his quæ in loco sunt contraria, distantiam esse transumptam. Et si forte hoc non curetur, nec attendatur, quid dicetur de omnium contrariorum vera diffinitione, cum dicantur contraria esse, quæ maximè distant eorum quæ sunt sub eodem genere? Scimus, quòd distantia propriè est in loco primo. Si ergo transferatur ad alia, constat quòd à loco transfertur ad illa: primum enim transfertur ad secundum propter aliquam similitudinem, & non secundum ad primum: quia sic translationis esset translatio, quod est inconueniens. Adhuc autem quòd maximè distent medium & circumferentia, in multis locis dicit Aristot. & quòd vbique circa circumferentiam est locus sursum. Igitur circa hemisphærium esse sursum, & circa hemisphærium esse sub terra, non distant penes sursum & deorsum, quia vtrumque est sursum: nec tota diameter distinguit sursum & deorsum, sed semidiameter. Scimus autem, quòd in loco maximè distant sursum & deorsum, sicut dextrum & sinistrum, & sicut ante & retro: & ideò dicta ista valdè sunt erronea. Scimus enim, quòd in lib. de cælo & mundo probatur, quòd ad medium motus contrarius est ei qui est à medio ad circumferentiam: & sunt motus contrarij qui sunt ad contraria: ergo locus circa medium, contrarius est ei qui est circa circumferentiam: & sic adhuc stat dictum antiquorum. Adhuc prima contraria probantur esse ea quæ in loco sunt contraria (quæ sunt causa omnium aliorum) in metaphysicis & in physica. Videtur ergo, quòd stet & perfecta sit ista instantia, & ab Aristot. per hoc quod contra eam nihil dicit, videtur esse approbata.

Aliâ solutio. Adhuc autem quod in veritate dictum est de quantitatis proprietate, stat immobili veritate, & instantia prima est bona valdè & subtilis: & verum est, quòd distantia à contrariis in loco ad aliorum contrariorum diffinitionem est transumpta, sicut antiqui dixerunt: sed quod locus sursum est contrarius loco deorsum, non ex natura est qua locus est locus, sed ex hac natura qua locus distat à loco: locus enim non distat à loco per hoc quod locus est, sed per hoc quod distantia à principio facit contrariam naturam & formam in ipsa, sicut natura densi & grauis & frigidi & aliorum, quæ vt dicit Auicen. si abscindantur, sistunt motum, & faciunt immobilitatem in his quæ ibi sunt: sursum autem cum sit circa principium motus propter prope esse ad principium, in his qui sursum, oppositas inducunt naturas & formas. Non ergo sequitur ex dicta instantia, quòd quantitas secundum quod quantitas est suscipiat contrarium: sed circa differentias situs eiusdem quantitatis quæ locus est, sunt rationes & formæ contrariæ, propter quas inter tales differentias loci motus est. Et hoc quidem non soluit Aristot. quia ante solutum est in simili de magno & paruo, prout magni & paruum sunt rationes perfecti & imperfecti circa motum augmenti & diminutionis.

Quomodo locus sursum contrarius est loco deorsum.

Quod enim sursum & deorsum non maximè distent secundum loci proprietates & motus, error intolerabilis est, & destruens totam philosophiam quæ est de mobili recto, quæ in 3. & 4. cæli & mundi determinatur.

Ad hoc autem quod dicunt, quòd distantia æquiuocè sumitur in loco & aliis contrariis: dicendum quòd non sumitur omnino æquiuocè: sed distantia est per se in loco, in aliis autem quæ distant essentiali repugnantia est distantia per comparationem ad illam: & sic est de multis, vt probat Aristot. in 10. primæ philosophiæ. Sic ergo intelligenda est dicta instantia. *Tex. com. 16*

CAPVT XIII.

De eo quod quantitati conuenit non suscipere magis & minus.

Sed non videtur quantitas suscipere magis. SEd adhuc non videtur quantitas suscipere magis & minus siue intensionem & remissionem, sicut nec substantia, vt patet inductione & exemplari declaratione, vt bicubitum: neque enim est vnum alio magis vel minus bicubitum: neque in numero est magis vel minus, vnus enim trinarius non est magis vnus trinarius quam alius, nec tria dicuntur magis vel minus tria quam quinque dicuntur quinque: neque tempus vnum quodcunque dicitur magis vel minus tempus quam aliud, vt dies non dicitur magis tempus vel dies quam annus dicatur tempus vel annus: neque in his omnibus quæ superius dicta sunt, vt oratio, linea, superficies, & locus, omnino nullum est quod secundum magis & minus dicatur siue secundum intensionem & remissionem: propter quod quantitas non potest recipere magis & minus.

Quare quantitas non suscipit magis & minus. Huius autem vna causa est, quia omne quod suscipit magis & minus, siue intensionem & remissionem, oportet quòd sit in eo intensio & remissio ex vna duarum causarum, scilicet aut ex actione contrariorum in ipsum, quorum vnum confortatur, & alterum debilitatur, & sic intenduntur & remittuntur quæ causantur ab actionibus eorum: aut fit intensio & remissio à mixtione contrariorum, sicut in doctrina de vniuersalibus dictum est. Nuper autem in præhabitis diximus, quòd quantitas est in subiecto secundum naturam antequam substantia sit susceptibilis contrariorum, vel mutationis secundum contraria. Sicut igitur subiectum non intenditur vel remittitur ab actione contrariorum, ita nec quantitas intendi potest vel remitti. Adhuc omne quod intenditur, non intenditur nisi à suo simili: & omne quod remittitur, non remittitur nisi à suo contrario: quantitas autem non habet contrarium, non habet etiam simile, quod suo contrario contrarium est, simile enim dicitur quod in qualitate est vnum.

Obiectio. Obiiciunt tamen quidam contra hoc dicentes, quòd in quacunque natura est maximè, in eadem etiam est magis & minus. In natura autem

autem quantitatis alicuius est maximè. Ergo & magis & minus. In quarto enim Euclidis in quo agitur de inscriptione figuræ, dicitur siue ostenditur, quòd circulus maximè distat à figuris angularibus: & ostenditur, quantumcunque figura fiat poligonia, quòd vsque ad capacitatem circuli non deueniet, etiamsi in infinitum multiplicentur anguli: est ergo in quantitate illa magis & minus secundum accessum ad circuli capacitatem, & sic videtur

Soluitur. quantitas suscipere magis & minus. Sed hoc citius soluitur, si bene natura quantitatis secundum quod est quantitas attendatur: circulatio enim & angulatio non sunt quantitates, sed qualitates circa quantitatem dictæ secundum illam qualitatis speciem quæ est forma seu circa aliquid constans figura: & ideò magis illud & minus non est quantitas, sed qualitas, & est secundum maiorem vel minorem recessum ab angulatione.

Alia obiectio. Obiiciunt autem quidam, quod in multitudine magis est quinque & minus tria: & hæc sunt in numero qui est quantitas: ergo quantitas videtur suscipere magis & minus. Ad

Solutio. quod dicendum, quòd hîc magis & minus est æquiuocum ad illud magis & minus, quod est secundum intensionem & remissionem: magis enim in multitudine est secundum totius extensionem in plura, magis autem & minus in intensione & remissione est secundum accessum vel recessum à contrario vel ad veram nominis impositionem.

Quomodo quantitas non est hoc aliquid. Attendendum autem, quòd quamuis quantitas subiiciatur contrarietati quæ facit magis & minus, tamen non potest esse proprium quantitatis, quòd sit hoc aliquid & numero vnum, sicut hoc conuenit primæ substantiæ: & hoc est ideò quia quantitas & vniuersaliter omne accidens, non enumeratur, nec efficitur numero vnum per aliud quod sit suæ essentiæ, sed potiùs per hoc quod est in substantia sicut in subiecto: substantia autem numeratur per materiam; & per eandem efficitur numero vna, & ipsa est aliquid suæ essentiæ: & propter hoc esse hoc aliquid & numero esse vnum remanet proprium propriè substantiæ.

Accidentia individuantur per subiecta, & substantia per materiam.

Suscipere contraria secundum sui mutationem non conuenit quantitati vt proprium. Adhuc autem intelligendum est, quòd quamuis substantia contrarietati subiiciatur mediante qualitate, & similiter mediante quantitate subiiciatur motui: tamen secundum sui mutationem suscipere contraria, non potest esse proprium quantitatis, sed solius substantiæ. Et huius causa est: quia quantitas nec vna numero, nec vna specie vltima siue specialissima, subiicitur contrariis: quod patet in curuo & recto, quibus non subiicitur nec vna numero linea, nec vna specie vltima. Et similiter est in numero pari & impari circa numerum, quibus nec vnus numero, nec vnus specie vltima subiicitur numerus, sed vnus tantùm genere vel specie subalterna. Substantia autem vna & eadem numero secundum sui mutationem subiicitur contrariis.

Quædam accidentia alia à quantitate, efficiuntur quanta per accidens: quia Est igitur proprium substantiæ & non quantitatis: quamuis enim hoc accidens quod est quantitas, sit iuxta substantiam propinquissimum, tamen non est substantia: sed substantia mediante eo quibusdam aliis subsistat accidentibus: & hæc efficiuntur quanta per accidens, per hoc quod sunt in maiori subiecto maiora, & in minori minora. *in maiori quantitate, sunt maiora, & in minori minora.*

Sunt autem & alia multa quantitatem consequentia, sicut diuidi, vel augeri in infinitum: in continuo quidem diuidi, in numero autem augeri: quia enim continuum diuiditur in infinitum: & quia diuisum additur partibus acceptis per diuisionem, ideò vt dicit Aristot. numerus augetur in infinitum. Quæ quidem consequentia quia non sunt quantitatis vt est prædicabile, sed vt est quædam natura, hîc non ponuntur à nobis.

CAPVT XIV.

De proprio quantitatis quod est secundum eam æquale vel inæquale dici.

Proprium maximè quantitatis est, quod æquale & inæquale dicitur, &c. PRoprium autem maximè quantitatis est, quia æquale & inæquale secundum eam dicuntur quæcunque eiusdem sunt quantitatis siue discretæ siue continuæ: vnde hoc est proprium quod conuenit omni soli & semper. Hoc autem inductione probatur: quia singulum eorum quæ propriè quantitates sunt dictæ secundum diuersas quantitatis species in præcedentibus, dicitur æquale & inæquale. Similiter autem & in aliis quæ sunt quantitates per accidens, quæ suprædicta sunt, in singulis sigillatim dicitur æquale vel inæquale, secundum quod referuntur ad quantitatem: nam affectio quæ est corporis vel animæ passio, & dispositio quæ est qualitatis passio animalis vel corporalis, non multum dicitur æqualis vel inæqualis: non enim propriè dicitur, quòd æquales sint duo in actione, quando circa idem sunt affecti, nisi affectio referatur ad tempus. Similiter etiam de duobus dispositis ad idem non multum propriè dicitur, quòd æqualiter dispositi sint, vel inæqualiter. Sed propriè dicitur, similiter sunt affecti, & similiter sunt dispositi. Similiter album æquale & inæquale secundum seipsum, nisi referatur ad quantitatem superficiei, non multum dicitur: quia non dicitur nisi per accidens: secundum seipsum enim propriè dicitur simile vel dissimile: quia vt dicit Aristot. in primo primæ philosophiæ, vnum in substantia facit idem, vnum autem in quantitate facit æquale, & vnum in qualitate facit simile. Propter quod quantitatis est proprium secundum se æquale vel inæquale dici. *Vnum in substantia facit idem. Vnum in quantitate facit æquale. Vnum in qualitate facit simile.*

Cum autem, vt dictum est, vnum in substantia faciat idem, sicut vnum in quantitate facit æquale, debet etiam substantiæ proprium esse secundum eam dici idem vel diuersum: quod non videtur esse verum, cum etiam idem inueniatur in accidente sicut in substantia, sicut idem genere, & idem specie, & idem numero, vt album & visus disgregatiuum. *Obiectiones contra dicta. Prima.*

Adhuc autem secundum hoc secundum qualitatem simile vel dissimile dici, videtur esse proprium qualitatis: quod iterum non videtur conuenire, cum homines sint similes in rationalitate, & similes in humanitate, cum *Secunda.*

dicat Boëtius, quòd species similitudo essentialis est indiuiduorum. Adhuc sunt similia in positione & habitu quæcunque nunc habent differentiam in positione vel habitu: non ergo simile vel dissimile dici est secundum solam qualitatem, nec idem vel diuersum dici secundum solam est substantiam: & tunc videtur mirabile si æquale vel inæquale dici secundum solam sit quantitatem.

Tertia. Adhuc autem secundum virtutem secundum quod virtus est vltimum potentiæ videtur æquale vel inæquale dici: cum tamen virtus sit qualitas: dicitur enim Hercules cum Achille vel Aiace, & Socrates cum Platone æqualis virtutis vel honestatis vel inæqualis: & sic non secundum solam quantitatem videtur æquale vel inæquale dici.

Quarta. Adhuc autem cum æquale vel inæquale sint dicta secundum proportionem, videtur secundum hoc quod proportionale esse quantitatis est proprium, & multi modi proportionum videntur in genere esse: magis ergo proprium quantitatis erit secundum eam proportionale dici, quam æquale vel inæquale: quia proportionale esse in plus est & communius quam esse æquale vel inæquale.

Ad primam. Ad hæc autem & huiusmodi dici potest, quòd idem vel diuersum non potest esse substantiæ proprium propter rationem quæ inducta est: quia secundum quod substantia quæ est quid, est in aliis generibus, ita etiam idem vel diuersum est in eis.

Ad secundam. Similiter dicendum est de simili in qualitate: est enim qualitas & quale multipliciter dictum, & est qualitas substantialis secundum quam quale dicitur, & similiter in positione & habitu, actione & passione, sicut dictum est: & ideò secundum eam simile vel dissimile dici non est proprium qualitatis secundum quod qualitas est genus determinatum. Sic autem non est in genere quantitatis secundum eam æquale vel inæquale dici: hoc enim soli conuenit quantitati propriè, & non multum conuenit aliis generibus: quia non conuenit eis per se, sed secundum quod referuntur ad quantitatem.

Ad tertiam. Ad hoc autem quod obiicitur de quantitate virtutis, dicendum quòd quantitas æquiuocè dicitur de quantitate dimensionis, & quantitate virtutis: quia vtraque mensuratur per partium diuisionem, sed quantitas dimensionis mensuratur per dimensionem partium quas habet in seipsa, sicut dicimus, spatium habet tricubitum vel tricubitorum longitudinem, quæ est spatium per partes sibi æquales & intrinsecas mensurantes ad certum numerum reddentes: quantitas autem virtutis mensuratur ad partes quas extra se habet in virtutis obiecto: sicut si aliquis quærat, quantus est Hercules, vel quantæ est virtutis: dicimus quod potest in decem, & in tot potest Achilles qui æqualem cum Hercule habet virtutem. Sic etiam dicimus de virtute morali, quòd tantæ virtutis Socrates est, quod etiam sensum vel motum omnis excludit inhonesti. Et dicimus, quòd Cato secundum eundem modum est æqualis in virtute Socrati. Hoc autem per similitudinem quandam dictum est: non enim est propriè æquale, sed simile: & attenditur similitudo etiam virtutis extensione vel intensione, seu perfectione, vel radicatione, vel puritate, vel in aliquo talium.

Ad quartam. Ad id autem quod de proportionali obiicitur, dicendum quòd hoc proprium esse non potest: quia non omnis quantitas cuilibet quantitati proportionalis est: sed omnis quantitas cum quantitate (cui comparabilis est) æqualis est vel inæqualis: & quod dicunt, quòd æquale vel inæquale propriè numeratur, & quod æquale prius est in numero, omninò falsum est: quia dicit Euclides, quòd æqualia sunt quæ sibiinuicem supposita non se excedunt, nec exceduntur: & hoc conuenit æqualiter continuo sicut discreto.

TRACTATVS IV.

De prædicamento ad aliquid.

CAPVT VI.

Quomodo ad aliquid sit prædicamentum.

TRACTATVRIS nobis de coordinatione prædicabilium quæ sunt in genere ad aliquid, primum occurrit nobis omnium antiquorum dissensio circa prædicamentum ad aliquid. *Opinio Zeno.* Zeno enim & quidam alij hoc prædicamentum dicebant non esse prædicamentum, sed esse secundum rationem aliis prædicamentis immixtum ex eorum adinuicem comparatione. Et cum prima genera sint voces, primarum rerum genera significantes: *Prima eius ratio.* cum autem hoc genus non significet vt ens ab aliis separatum, sed vt aliis immixtum, videtur quòd significatum eius non sit ens quod sit de primis partibus entis. Adhuc autem ad idem induxit, quòd ad aliquid consistit in comparatione: comparatio autem materiæ inest comparatæ: comparatio ergo secundum intellectum comparata & res in qua est comparatio ponit secundum intellectum ante se: quod

quòd autem ſecundum intellectum aliquid ponit ante ſe præter ſubiectum, non eſt primum genus: videtur ergo, quòd ad aliquid non ſit principium generis alicuius accidentis: id enim in quo ſit comparatio & comparationis rationem ponit ante ſe quæ non eſt ſubiectum, ſed aliquid de intellectu accidentis in quo ſit comparatio. Hoc autem comfirmabat per hunc modum: ſi enim comparetur. a. ad. b. oportet quòd aut ſecundum ſeipſum comparetur ei, aut mediante aliquo quod ſit ratio comparationis. Non ſeipſo: quia ſic quodlibet ad aliquid comparabitur: & nihil erit abſolutum: ergo comparetur. a. ad. b. mediante. c. oportebit igitur, quòd. c. ſit ratio comparationis. a. ad. b. ſi ergo non eſt. c. non erit comparatio.: intelligitur ergo. c. ineſſe. a. & b. ante comparationem: nihil autem talium ante quod ſecundum intellectum eſt accidens, eſt genus primum accidentis: ergo ad aliquid non eſt genus accidentis.

Secundò. Adhuc nullum generum accidentis eſt accidens alterius: comparatio autem ſiue ad aliquid accidit omnibus generibus accidentis, ſicut per ſe patet: igitur ad aliquid non eſt generaliſſimum inter genera accidentis.

Tertiò. Adhuc autem ad aliquid coaccidit omnibus ex hoc quod in eis ſunt genera & ſpecies, & totum & pars: videtur ergo, quòd ad aliquid ſit quoddam coaccidens omnibus aliis ex ipſa coordinatione generum & ſpecierum: non ergo per ſe conſtituit genus, vt videtur.

Quartò. Adhuc quia genus & ſpecies ſunt in omnibus, non dicimus quia generalitas ſit genus: & ſimiliter non dicimus, quòd ſpecialitas conſtituat genus, vel etiam differentia, vel proprium, vel accidens: omnia enim hæc circuunt genera ratione modi prædicandi qui inuenitur in ipſis: à ſimili ergo ex quo ad aliquid eſt accidens commune quod accidit omnibus ex comparatione prædicabilium adinuicem, non debet eſſe genus, ſed generum aliorum quoddam accidens.

Quinto. Adhuc autem fortius obiecerunt quidam poſteriorum, ſicut Auicen. & Alpharabius, dicentes quòd nulla forma quæ ſit ens, eſt in re quæ non ſit abſoluta ſecundum eſſe quod habet in ipſa, ſicut patet inducendo de calido, frigido, albo, & nigro, & omnibus aliis: ſed comparatio quæ ſit rerum adinuicem ſecundum formas quæ ſunt in rebus, ſit actu rationis, quæ dicit, quòd in quibus non eſt vna qualitas ſunt diſſimilia, & in quibus eſt vna ſunt ſimilia: comparationis ergo forma quæ eſt in his quæ ſunt ad aliquid, non eſt res, ſed ratio, vt videtur: quia nihil eſt extra animam comparantis vnum alteri: generaliſſima autem prima genera rerum ſignificant: ad aliquid autem non eſt ens ratum apud naturam extra, ſed ens rationis: ad aliquid ergo non poteſt eſſe generaliſſimum de talibus quæ ſunt apud animam rebus; quia ſic generaliſſima non ſignificarent prima genera rerum ſimpliciter.

Ex his & ſimilibus rationibus moti fuerunt antiqui & ferè omnes præter Platonem & Ariſtot. qui dixerunt ad aliquid non eſſe genus quod ſit prima pars accidentis vel vna de primis: ſed dixerunt ipſum ex habitudinibus aliorum generum adinuicem per actum rationis comparantis vnum ad alterum omnibus aliis eſſe immixtum, ita quòd dicunt ad aliquid non eſſe vnum de generibus primis, ſicut tangit Auerroës ſuper 5. primæ philoſophiæ Ariſtotelis.

Nos autem Platoni & Ariſtoteli conſentientes, dicimus ad aliquid eſſe generaliſſimum, & eſſe vnum de primis generibus accidentis: eò quod tam Porphyrius, quam etiam Ariſtot. & Auicenna dicunt, quòd accidens duobus modis prædicatur de eo cuius eſt accidens, & duobus modis cauſatur à ſubiecto. Quoddam enim eſt forma abſoluta & non per aliquid eſt accidens; niſi quia in ſubiecto ſequitur eſſe perfectum ſubiecti in ſuis ſubſtantialibus: & ideò eſt accidens, quia non poteſt eſſe de ſubſtantia rei quod ſequitur perfectum eſſe: & ſic quantitas eſt accidens, & qualitas, & huiuſmodi. Quoddam autem eſt accidens, non quia ſequatur eſſe rei perfectum, nec quia ſequitur ad rem niſi gratia ſubſtantialium, ſed ex aliquo quod eſt extrinſecus ſe habens ad rei ſubſtantialia, ſicut hoc ad hoc quod aliquid ſit eius quod ſe habet vt primum, aliud vt ſecundum, vel vnum vt totum, & aliud vt pars, vel vt conueniens vel differens ab alio, ſequitur ab extrinſeco quòd vnum ſit comparabile ad aliquid ſecundum ipſam rem: quæ comparatio ad actum reducitur quando actu per rationem comparantur: & à tali accidente quod ſic accidit rebus propriè cauſatur ad aliquid: & propter hoc quod tale accidens inuenitur in multis, propter hoc putatur eſſe omnibus aliis immixtum: cum tamen ſit modus accidentis ab aliis accidentium modis diſtinctus: & ideò proprium accidens ſignificat, quod in genere ſuo eſt primum. Nec mouear quenquam quod ab omnibus aliis eſt cauſatum: & ideò videbitur fortè non eſſe generis vnius, ſed omnium: non enim cauſatur ab omnibus vt diuiſa & diſcreta ſunt, ſed cauſatur ab eis vt vnum, & vna ratione communi eſt in eis: & hæc comparabilitas vel ratio comparationis: & quod ſic ſequitur ad rem, eſt ad aliquid, & non abſolutum.

Com. 10. Opinio Ariſtot. & Platonis quòd ad aliquid ſit generaliſſimum.

Ad hoc quod obiicit Zeno, dicendum quòd ad aliquid non relinquit ante ſe aliquid quod ſit de intellectu ipſius, ſicut genus vel ſicut magis cõmune eſt de intellectu ſpeciei vel minus communis quod relinquitur ante ſe: ſed relinquit ante ſe illud quod eſt cauſa talis accidentis: & hæc eſt ratio comparationis, ſiue id in quo ſit comparatio. Hoc autem non impedit, quin ſit genus ſpeciale accidentis: quia quodlibet genus accidentis ante ſe relinquit in ſubiecto cauſam per quam efficitur in ſubiecto.

Ad argumenta Zenonis. Ad primum

Ad hoc quod dicitur, quòd nullum genus accidentis eſt accidens alterius. Dicendum, quòd ſi dicatur, quòd vnum genus accidentis non accidit alteri vt ſubiecto: dicendum, quòd hoc verum eſt: ſed quod vnum genus non mediante altero fiat in ſubiecto, hoc eſt falſum, ſicut patet in actione, & paſſione, & vbi, & quando, & in multis aliis. Et ſic ſimiliter nihil prohibet, quin ad aliquid in ſubiecto ſit mediante aliquo alio: hoc enim non impedit intellectum

Ad ſecundum.

intellectum generaliſſimi : generaliſſimum enim vt generaliſſimum facit talis modus prædicandi per ſe vel per accidens qui ad alium nullum modum reduci poteſt, ſed eſt ipſe ſecundum ſeipſum modus prædicandi alicuius ſpecialis : & ſic patet, quod ſignificant generaliſſima prima rerum principia ſpeciali & diſtincto modo prædicabilium, & ſignificant prima rerum principia vel per ſe vel per accidens: quia prædicabilia vt prædicata, ſunt diſtincta ſecundum primos modos prædicabilium.

Ad tertium. & quartum.

Ad hoc vero quod obiicitur, quòd coaccidit ad aliquid omnibus generibus, ſicut eſſe genus, & eſſe ſpeciem, eſt in omnibus. Dicendum, quòd non eſt verum : quia genus & ſpecies accidunt ſecundum ſuas rationes ex ſpeciali modo prædicandi vniuerſaliter ſecundum rem ipſam, quæ ad alios modos reduci non poſſit. Ad aliquid autem ponit modum vniuerſalem ſuæ coordinationis, qui ad nullum alium modum reduci poteſt : & ideo ad aliquid non eſt coaccidens modus prædicandi, ſed eſt modus prædicandi per ſe diſtinctus cuiuſdam generis accidentis.

Ad quintum.

Ad hoc autem quod poſterius obiiciunt, dicendum videtur, quòd per comparationem dupliciter eſt conſiderare, ſecundum aptitudinem ſcilicet, & ſecundum actum. Secundum aptitudinem quidem eſt in rebus, & iamdudum ſupra in ſcientia vniuerſalium determinarum eſt, quòd aptitudo ſola ſufficit ad modum prædicandi, conſtituendi, & cauſandi. Secundum actum autem comparatio eſt in ratione vel anima comparantis : & actus ille non facit, quòd non ſecundum aptitudinem ſit in rebus comparatis : & ideo ſecundum aptitudinem quidem eſt in rebus : ſecundum perfectionem autem eſt in ratione. Et hoc multos decipit in iſto prædicamento : & eſt quod dicit Ariſtot. quòd quædam inſunt vt accidens, quædam autem vt quodammodo ſe habere ad alterum. Et bene concedendum eſt, quòd accidens iſtud minus habet de ente quam aliud quod eſt abſolutum : ſed ex hoc non ſequitur, quòd nihil habeat, & ſecundum quod habet de ente accidentali non ponat modum prædicabilium ab aliis prædicabilibus accidentis diſtinctum & ſeparatum.

CAPVT II.

Quid hoc genus habeat de ente, & quid in eo ſit generaliſſimum, & quid ſubalternum, & quid ſpecialiſſimum, & quid individuum.

Conſequenter determinandum eſt quid de ente ſignificet hoc genus, & quid ſit generaliſſimum, & quid ſpecialiſſimum, & quid ſubalternum, & quid individuum. Hæc enim ad omnem coordinationem pertinent generaliſſimorum : omne enim generaliſſimum aliquam ſignificat partem entis : & in omni coordinatione prædicabilium aliquid eſt vt generaliſſimum, & aliquid vt ſubalternum, & aliquid vt ſpecialiſſimum, & aliquid vt individuum. Aliter enim modus prædicandi prædicabilium completus non eſſet niſi diſtinctus eſſet ab aliis, & non ſtaret in infimo, nec ſtaret in ſummo niſi per media deſcenderet ordinatè quæ ſunt ſubalterna & ſpecialiſſima.

Ad aliquid minus habet de ente quã qualitas vel quantitas.

Manifeſtum autem eſt ex præinductis, quòd ad aliquid minus de ente habet quam quantitas vel qualitas : quia illa ſignificant ens actu perfectè quieſcens in ſubiecto quod eſt ſubſtantia : & tale ens non ſignificat ad aliquid, ſed potius id quod ſecundum aptitudinem & cauſam eſt in ſubiecto : perfectio autem eius eſt in ratione comparante : propterea non quieſcit in ſubiecto, ſed habet ad id quod extra ſubiectum eſt comparationem, & ideo minus de ente ſignificat quam aliud genus, & præcipuè quando non fundatur in ſubſtantia niſi per actum ſubſtantialem, ſicut pater, quod nihil fundatur in ſubſtantia, & non habet cauſam niſi actum ſubſtantialem qui eſt actiua generatio : & cum actus ſit in agente, per hoc quod eſt ab agente ſit propter hoc quod tale ad aliquid in ſubiecto vel nihil vel parum reducit comparationis : ex hoc enim quod ille generauit, ſequitur quod pater ſit : & ex hoc quod alter eſt genitus, ſequitur quòd ſit filius: ita tamen, quòd neuter nec generans nec genitus formam aliquam receperit, vel aliquid paſſus ſit ſecundum aliquod accidens : quia per actum ſubſtantialem & effectum actus ſit huiuſmodi comparatio : & quia vel nihil in ſimplicibus ſicut materia, vel parum valdè in his quæ materialia ſunt inducit comparationis, patet quòd minus de ente habet quam ſignificata aliorum generum accidentis: quamuis etiam aliquando fundetur ſuper formam accidentalem in ſubiecto præſuppoſitam, cum dicitur, quòd iſti ſunt ſimiles, quia vterque albus eſt : & tunc quidem eſt relatio compoſiti ex ſubiecto & accidente, ſed ipſa de ſe non maiorem affert comparationem niſi comparabilitatis illius quæ eſt ſecundum aptitudinem, ſicut paulo ante diximus : & ideò de ſe minimum quid ſignificat entis, quod tamen modum ſpecialem importat prædicationis: propter quod oportet ipſum eſſe diſtinctum ab aliis prædicamentis : ille enim modus in multis inuenitur quæ ordinabilia ſunt ſecundum illum modum in genera & ſpecies & individua.

Obiectio.

Si autem aliquis obiiciat, dicens quòd ſecundum ea quæ dicta ſunt, accidens prædicatur per prius & poſterius de ad aliquid, & de aliis generibus accidentium, quod videtur inconueniens, cum omnia genera accidentium ex æquo referantur ad vnam accidentis diuiſionem. Dicendum eſt, quòd ſecundum hanc communem rationem accidentis (quod accidens eſt quod vt conſequens ſubſtantiale eſſe cadit ad ſubſtantiam vt ad ſubiectum) ſic æqualiter participant accidentis prædicationem omnia genera accidentium : ſed ſecundum hoc quod accidentia primorum generum ſignificant quaſdam ſpecies vel partes entis primas quæ non ſunt de eſſe ſubſtantiæ, ſic non participant æqualiter modum accidentis nouem genera, quæ accidentium genera dicuntur:

Solutio. Quomodo accidens prædicatur æqualiter de nouem generibus accidentium, & quomodo non.

Ex quo patet individua eſſe in prædicamento.

Quomodo accidentia participant accidentaliter prædicationem & entis, oppoſito modo.

cuntur : ſic enim nec entis prædicationem æqualiter participant : quia quælibet ſunt entia, & quædam ſignificantia ſunt non ens quidem principaliter, ſed quomodo ſe habeat ens ad aliud : & illa ſunt minus entia quam illa quæ ſignificant ens in aliquo abſoluto quieſcens : & ſecundum hunc modum participant entis prædicationem. Accidentis autem prædicationem participant è conuerſo : ſicut enim accidens per ſe minus habet de ratione accidentis, quam accidens per accidens : ita plus habet de accidente quod eſt accidens ex comparabilitate, quam id quod ſolum ex hoc accidit, quia eſt in alio, non ſicut quædam pars eſſe ipſius : & per prius & per plus accidentalitatis prædicatur accidens de ad aliquid quam de aliis generibus accidentis.

Quomodo ad aliquid verius eſt generaliſſimum huius prædicamenti quam relatio vel relatiuum.

Generaliſſimum autem in huius prædicabilis coordinatione eſt ad aliquid, vel relatiuum, vel minus propriè, vt dicunt quidam, relatio : ſed notandum, quòd nullo nomine ita expreſsè ſignificatur generaliſſimum ſicut per hoc quod eſt ad aliquid, quod eſt præpoſitio cum caſuali : hoc enim duo importat quę ſunt in relatiuo, diuerſitatem ſcilicet per tranſitionem quam notat præpoſitio, & terminationem comparationis quam notat caſus accuſatiuus, cum dicitur ad aliquid.

Obiectio.

Et ſi obiicitur, quòd in nomine hoc quod eſt ad aliquid non importatur id quod comparatur ad aliquid, neque etiam ratio comparationis, ſed tantum diuerſitas comparatorum, & id ad quod refertur comparatio. Dicendum ; quod hoc quod competentius poteſt importari in nomine comparatiuo de ſe & ratione ſua formali eſt ad aliud : & id quod comparatur ad aliud, non eſt niſi materialiter in ipſo. Nomina autem imponuntur ab eo quod formaliter ſignificatur in ipſis, & non ab eo quod eſt in eis vt materiale : ratio autem comparationis, vt ante dictum eſt, non reſpicit comparationem niſi vt cauſa & non vt forma : & ideo etiam non debet ſignificari in nomine, quia eſt extra formam illam à qua imponitur nomen : & ideo aptius nominatur hoc genus nomine ad aliquid, quam aliquo alio nomine quo poſſit nominari.

Solutio.

Et ſciendum, quod vt dicunt Porphyrius & Alexand. Pla. inuenit hoc nomen, cum relatio tunc vocaretur. Relatio autem nominari non debet : quia ſicut nec alia genera in abſtracto ſignificata prædicabilia ſunt, ita nec iſtud : abſtracta enim ſignificant eſſentias ſimplices quæ ſecundum hoc quod ſic ſignificantur, non ſunt formæ totius eſſe ſignificatiuæ & notiones alicuius totius eſſe, ipſius totum eſſentiale vel accidentale ſignificantes. Ab antiquis autem relatiuum dicebatur, quod, vt dictum eſt, emendauit Plato conſiderans, quòd relatiuum eſt dictum quaſi antecedentis reductiuum, vt dicitur in grammaticis : & hoc non conſideratur in comparatione niſi materialiter : id autem ad quod refertur, eſt ſicut finis qui formalis eſt in eo quod terminat & finit comparationem : propter quod melius ad aliquid quam relatiuum nominatur.

Plato fuit inuentor huius nominis, ad aliquid, vt placet Porphyr. & Alexandro.

Quare genera in abſtracto ſignificata non ſunt prædicabilia.

Quid generaliſſimum.

Habet ergo iſtorum prædicabilium coordinatio ad aliquid pro generaliſſimo. Ad aliquid autem dici ſecundum id quod ſunt, & ad aliquid dici quomodolibet ad aliud, ſunt prima diuidentia generaliſſimum, & cum eo ſubalterna genera & ſpecies conſtituentia : vt ſpecialiſſimum autem habet ad aliquid, quorum hoc ipſum quod ſunt ad aliquid ſunt : vt individua autem habet hoc ſic ad aliquid eſſe & id ſic, vt pater, filius, dominus, ſeruus.

In hoc prædicamento, quæ ſubalterna, quæ ſpecialiſſima, & quæ individua.

Attendendum autem valdè eſt, quòd quædam ſignificant comparationem quæ ſunt ad aliquid vt conceptum tantum, & iſta dicuntur abſoluta, ſicut hoc ipſum quod dico relatio, vel comparatio : & ideo illa non referuntur ad aliquid, ſed abſolutas dicunt ſuas ſignificationes. Alia ſignificant relationem vt exercitam, & ſecundum actum comparatam, ſicut iſta, ad aliquid, vel relatiuum. Quædam etiam ſignificant eam vt in potentia ad exercendum, ſicut hoc ipſum relatiuum, quod potentiam actiuam ad referendum ſignificat. Et ex hoc iterum eſt, quòd aptiſſimè hoc genus vocatur ad aliquid, & minus aptè relatiuum. Sed cum dicitur relatio, minimum habet congruentiæ nomen illud.

Relatio ſignificat comparationem vt conceptã tantum, ad aliquid ſignificat comparationem vt actu exercitam, relatiuum verò ſignificat eam vt in potentia ad exercendum.

Ex hoc igitur vlterius patet ratio ordinis, quòd poſt prædicamentum quantitatis inter genera accidentium prædicamentum hoc eſt ordinandum : quia ſcilicet quantitas propinquiſſima eſt ſubſtantiæ, cum ſubſtantia ordinanda eſt. Propter quod etiam quantitatis diffinitiones quamuis concernant materiam, non tamen concernunt hanc vel illam ſenſibilem, & ſunt propter hoc de neceſſitate mathematicæ ſcientiæ. Aliorum autem accidentium diffinitiones & paſſiones concernunt materiam ſenſibilem & habent plus de accidentalitate, & minus appropinquant ad ſubſtantiam. Et cum inter illa plus habet de accidentalitate ad aliquid, vt dictum eſt, iſteritò præponitur inter illa. Et hoc dico ſalua pace Boetij, qui aliam cauſam aſſignat huius ordinationis : dicit enim, quòd quia in ordine diſcretæ quantitatis eſt primum & ſecundum, quæ relationem & comparationem dicunt : & quia tam in prædicamento ſubſtantiæ quam in prædicamento quantitatis reſultant genus & ſpecies quæ ſunt relatiua : ideo ſtatim poſt iſta duo ponitur relatio, quamuis qualitas ſecundum naturam qualitatis ſit ante relationem. Quæ ratio non eſt ſufficiens, ſicut cuilibet benè conſideranti facilè patere poteſt.

Ordinatio huius prædicamenti.

Damnat Boetium in aſſignatione cauſe ordinis huius prædicamenti.

CAPVT III.

De diffinitione dicente quid eſt ad aliquid ſecundum Platonem.

Ad aliquid autem ſecundum diffinitionem quam Plato dedit ſic diffinitur. Ad aliquid talia dicuntur quæcunque hoc ipſum quod ſunt, aliorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud, ſupple, dicuntur. Et quod dicat Plato, quòd ad aliquid talia dicuntur, & non dicit hæc vel illa, notat quòd ad aliud non refertur ſubſtantia ſola : quia non eſt in ſubſtan

Ad aliquid talia dicuntur, &c. Quare dixit talia & non hæc vel illa.

substantia, vt substantia est, causa relationis, sed substantia cum forma accidentis quæ est causa relationis, refertur ad aliud: & ideò dicit talia, & non dicit hæc vel illa. Quod autem dicit, dicuntur, notat quòd diffinitur, vt prædicabile, quod per dici, & non per esse habet diffiniri: & ideo dicit, dicuntur, & non dicit sunt. Quod autem addit quæcunque, notat, quòd semper in diuersitate & pluralitate eorum quæ adinuicem ad conuertentiam dicuntur, consistit relatio. Quod autem addit hoc ipsum quod sunt, notat ea quæ secundum esse sunt relata ad alia. Secundum esse autem relata sunt ad alia, quæ non habent aliud esse quam relationis siue ad aliquid, sicut patet in nullo gener. accidentis habet aliud esse nisi paternitatis, cuius esse totum est ad alterum, & non fundatur super aliquod aliud esse accidentis, sicut æqualis vel similis, quod fundatur vel super vnam quantitatem quæ est in pluribus, vel super vnam qualitatem quæ est in pluribus, & sicut idem quod præsupponit vnam substantiam in qua fundatur. Sed pater, filius, dominus, & seruus, & quæcunque ex seipsis non dicunt nisi accidens comparationis ad aliud, illa secundum hoc quod sunt aliorum dicuntur genitiuè. Quia genitiuus secundum suum nomen dicit id quod est alterius sicut finis & terminus in quo finitur generatio, & sic est ad aliquid aliorum, vt patet ex prius habitis. Quod autem addit dicuntur, dicit propter modum prædicandi quem specialem inter genera habet accidentium.

Quare dicit dicuntur, & non sunt.

Quare dicit quæcunq; &c.

Quare dicit hoc ipsum quod sunt. Quid sint relata secundum esse.

Quia autem non omnia comparata ad aliud sunt hoc modo aliorum, sed etiam dicuntur secundum alios casus ad aliquid vt secundum datiuum, accusatiuum, & ablatiuum, quæ non sunt adeò verè comparata ad aliud secundum totum esse suum, & tamen aliquo modo sunt ad aliquid, sicut illi, vel ad illud, vel ab illo: ideo necessarium fuit per disiunctiuam coniunctionem coniunctam & congregatam esse diffinitionem, per quam quidem orationis notaretur coniunctio, sensus vero disiunctio: & sic notaretur diuisio eorum quæ sunt ad aliquid, quæ sunt duorum modorum. Et ideo subiungit, vel quomodolibet aliter ad aliud dicuntur, hoc est, secundum aliorum casuum habitudinem: & quæ non adeò verè sunt relatiua, quòd secundum totum esse suum sint ad aliud: sed fundantur in quodam esse quod non est ad aliud, sicut diximus. Hæc autem diffinitio declaratur exemplorum positione & eorum quæ sunt ad aliquid inductione. Eorum enim quæcunque hoc ipsum quod sunt, aliorum vel alterius sunt secundum genitiuum casum. Exemplum est, vt maius quod ratione comparationis quam dicit, secundum id quod est, alterius est: est enim maius minoris, vel minore maius: & minus maioris, vel maiore minus: quia Græci non habent ablatiuum, sed genitiuo vtuntur tam pro genitiuo, quam pro ablatiuo. Maius igitur secundum id quod est, est alterius siue dicitur aliquo maius. Secundum exemplum est vt duplum, hoc est secundum id quod est alterius dicitur: alicuius enim sicut dimidij, vel subdupli duplum dicitur. Similiter autem secundum totum esse aliorum sunt, quæcunque sunt huiusmodi siue his similia.

Quare dicit vel quomodolibet aliter ad aliud.

At vero secundum secundam partem diffinitionis & hæc ad aliquid sunt, quamuis non ita verè & ita perfectè sicut alia quæ dicta sunt: dicunturque exempla illorum, vt habitus, affectus, disciplina, positio: hæc enim omnia quæ exemplariter dicta sunt, hoc ipsum quod sunt, secundum ipsam comparationem aliorum dicuntur, & non dicuntur aliter ad aliud per hoc ipsum quod sunt, quia nomina eorum imposita sunt de tali comparatione: sed dicuntur secundum alios casus: habitus enim dicitur secundum genitiuum casum: dicitur enim alicuius habitus, eo quod dicitur habentis habitus, & habens habitum, habens dicitur secundum accusatiuum, & disciplina alicuius disciplina, sed conuertentia secundum ablatiuum casum, dicitur enim disciplina disciplinati disciplina, sed disciplinatum non dicitur disciplinæ disciplinatu, sed dicitur disciplinatum disciplina disciplinatum, per ablatiuum per quem notatur habitudo causæ formalis. Similiter positio alicuius positio est: est enim partium ordinatarum positio, & positæ partes sunt positione positæ: quia partes ordinatæ in toto positione sunt ordinatæ: & iterum fit conuersio per ablatiuum, sed & alia similiter relatiua se habent.

Concludatur ergo per exempla declarata diffinitio. Ad aliquid ergo sunt quæcunque hoc ipsum quod sunt, & quod in eorum nomine importatur, aliorum dicuntur secundum genitiuum casum, vel quomodolibet aliter secundum alium casum ad aliud se habent, vt mons magnus, non secundum genitiuum, vel datiuum, sed secundum accusatiuum ad alium montem comparatus: magnum enim ad aliud secundum accusatiuum dicitur, & simile ad aliquid dicitur simile secundum datiuum casum, dicitur enim simile simili simile, & æquale æquali æquale, & idem eidem idem, & è conuerso: & omnia talia quæcunque secundum aliquem casum ad seinuicem referuntur, dicuntur ad aliquid secundum similitudinem istorum.

In quibus datiuus eandem habitudinem dicit cum genitiuo, in illis vnus est modus relationis secundum illos casus.

Attendendum autem est in quibus datiuus habitudinem vnam & eandem dicit cum genitiuo, quòd in illis in genitiuo & datiuo vnus modus est in relatione siue eorum quæ sunt ad aliquid, vt pater filio vel filij, & filius patri vel patris. In his tamen posset esse deceptio: quia dictum est, quòd accubitus & statio & sessio & similia, positiones quædam sunt & ordinatio partium in toto, & dictum est, quòd positio ad aliquid est, sed ab his sumpta quæ sunt iacere & stare & accumbere, quę dicunt accidens inclinarum ad subiectum verbaliter vt actum significatum, positiones non sunt secundum suum nomen, sed denominatiuè sunt dicta verbaliter ab his quę sunt positiones veræ, vt sessio, statio, & accubitus. Sedet enim cui inest sessio vt actus, & accumbit cui inest accubitus vt actus: cui autem inest per id quod inest, recipit denominationem vel nominaliter vel verbaliter vel participialiter, vt sedet, stat, accumbit, sedens, stans,

Obiectio. Sunt autem & accubitus & statio, &c.

stans, accumbens: & hæc non dicuntur ad aliquid, quia sedens vel qui sedet, ad nullum comparatus sedet: & similiter est de aliis quæ per eundem modum dicuntur.

Hanc diffinitionem Platonis Aristot. insimulatur.

Hæc igitur diffinitio est Platonis, eorum quæ sunt ad aliud, quam tamen secundum aliquid calumniatus est Arist. sicut patebit in sequentibus: eò quod secundum eam quædam substantiæ videntur esse ad aliquid, sicut in sequentibus huius tractatus ostendetur.

CAPVT IV.

De proprio eius quod est ad aliquid, quod est suscipere contrarietatem.

Ineſt autem contrarietas in relatione, &c. Contrarietas est in relatiuis secundum dici, & non in relatiuis secundum esse.

Sic itaque declarata diffinitione Platonis eorum quæ sunt ad aliquid, manifestandum est hoc prædicamentum per sua propria consequentia ipsum, siue sint communia, non propriè propria, siue etiam propriè propria. Dicimus itaque, quòd ineſt contrarietas in relatione, sed non ineſt his quæ secundum id quod sunt totum & perfectum, sunt aliorum, quæ sola sunt verè & secundum totum esse ad aliquid: sed est secundum alia quæ secundum aliquid sui sunt relatiua, & secundum aliquid sunt alterius prædicamenti: & per id quod sunt alterius prædicamenti, ineſt susceptibile esse contrarietatis. Vt autem hoc pateat in exemplis, virtus vitio contrarium est, cum vtrumque eorum, tam virtus scilicet quam vitium, aliquo modo ad aliquid est: est enim virtus virtuosi virtus, & virtuosus virtute virtuosus: sic enim disciplina est contraria ignorantiæ, & scientia inscientiæ, cum tam disciplina quam scientia sint ad aliquid, quia disciplina disciplinati est disciplina, & scientia scibilis est scientia, & disciplinarum disciplina est disciplinatum, & scibile scientia scibile.

Relatiua habentia contrarium, non sunt secundum totum esse relatiua.

Huius autem est id quod diximus ratio, quòd nec virtus nec disciplina nec scientia secundum totum esse suum sunt alterius vel ad aliquid: virtus siquidem est habitus in mente consistens secundum suum esse, & sic est in prædicamento qualitatis, & hoc modo suscipit contrarietatem. Addit autem supra rationem habitus relatiuam comparationem ad alterum sicut ad actum, in quo perfecta est virtus secundum optimum, & sic est alicuius virtus, vt comparati ad actum per virtutis habitum, & sic propriè est virtuosi vel studiosi virtus, sicut securis secantis vel ædificantis est securis vel instrumentum. Et similiter sicut disciplina potest considerari secundum quod est habitus cognitiuus: & hoc est esse suum per quod in prædicamento qualitatis reponitur, & habet ignorantiam contrariam, & non illam quæ est puræ priuationis, sed illam quæ est contrariæ dispositionis secundum principia; hoc est, illius qui dispositus & informatus est contrariis principiorum, & ideò ignorat: & erit tunc disciplina habitus disciplinabilis sicut mathematicorum, & ignorantia contraria dispositio ad eandem. Scientia autem est habitus conclusionis, & similiter considerata vt habitus intellectus est in prædicamento qualitatis, & sic suscipit contrarium, & necessariò est necessaria dispositio circa eandem. Vtrumque autem horum supra esse talis habitus intellectus addit esse virtutis intellectiuæ, qua potens efficitur quis ad actum intellectus: & sic est relatiuum, quia sic scientia est scientis potentia ad scibile, & sic est disciplina disciplinati virtus ad disciplinam perceptibile, & quoad hoc esse non habet contrarium.

Disciplina contrariatur ignorantiæ quæ est dispositionis & non negationis.

Ex hoc patet, quòd non est simile de albo quod quidam dicunt & de albedine, quod ita possit dici, quòd albedo sit albi albedo, & album albedine album, & sic posset dici relatiue: ex hoc enim quod aliquid sit alicuius ad hoc quod sit relatiuum, oportet quod ipsius sit vt perfecti vel instrumenti ad alterum, & quod sit ab ipso vt instrumentum vel organum. Sic autem non est albedo albi, sed est albi vt formatiuum, nec perficit ad actum qui sit eius quod est album: sed agit in ipso proprium albedinis actum, qui nullo modo est actus eius quod est album: albedinis enim actus est disgregare visum, & ille actus non est albi, hoc est, eius quod est album. Sic autem non est de virtute, & disciplina, & scientia, quæ vt virtutes sunt electiuæ vel intellectiuæ, organa vel instrumenta quædam sunt ad actum rationis vel electiuæ voluntatis: & ideò supra esse habitus addunt rationem relationis. Et sic est de affectu ad affectibile: quia affectus dicit instrumentaliter expediens voluntatem ad hoc quod inclinetur ad volitum, & inhæreat illi: ideò affectus est affecti ad affectibile affectus, & habet modum eius quod est ad aliquid, quamuis non secundum totum esse suum sit ad aliquid.

Nota.

Non omne quod est alicuius, est relatiuum, sed oportet vt sit illius vt perfecti.

Sic ergo relatiua secundum modum relatiua existentia, non secundum veritatem sui esse, suscipiunt contrarietatem: sed hoc proprium nec soli conuenit, nec omni. Soli quidem non conuenit: quia conuenit quantitati. Non omni autem conuenit: quia non conuenit relatiuis quæ secundum esse & secundum veritatem & non secundum solum modum sunt ad aliquid: duplo enim siue duplici, quod secundum veritatem est relatiuum, & similiter triplici & subduplici & huiusmodi nihil est contrarium, neque alicui talium quæ secundum totum id quod sunt, ad aliquid sunt, sicut pater filius, frater soror, dominus seruus, & alia his similia. Sic ergo neque omni, nec soli conuenit ista proprietas, sed conuenit quibusdam quæ secundum modum solum sunt ad aliquid.

Habere contrarium non est proprium relationum.

***

CAPVT V.

De proprio relatiuorum quod est suscipere magis & minus.

Videtur autem magis & minus suscipere, &c.

ALia autem similis huic proprietas nec soli nec omni conueniens proprietas est, quòd videntur relatiua & magis & minus suscipere, quod inductione probatur, & exemplorum positione. Simile enim & magis & minus dicitur: vnus enim magis & minus similis est alteri cui similis est, & ad quem dicitur. Similiter autem & inæquale magis & minus dicitur. Quamuis enim æquale sit vno modo tantum secundum quod alteri supponitum nec excedit nec exceditur, propter quod æquale secundum veritatem non suscipit magis & minus: tamen inæquale magis vel minus est, secundum quod plus vel minus recedit ab æqualitate. Sed simile & dissimile vtrũque recipit, scilicet magis & minus, sicut album & nigrum, iustum & iniustum. Sed non sic rectum & curuum, si verè & propriè sumatur rectum, vt diffinit Plato, cuius medium ab extremis non exit: hoc enim significat vt in termino sicut & æquale: sed contraria illorum suscipiunt magis & minus secundum recessum ab illo quod significat rem suam vt in termino. Simile ergo & inæquale, vt dictum est, magis & minus suscipiunt. Cum tamen vtrũque sit relatiuum secundum modum, & non secundum esse totum. Simile enim ponit vnã qualitatem subiectam similitudini, quæ non est ad aliquid, & æquale ponit vnam quantitatem subiectam æqualitati, quæ non est ad aliquid: & per os positum dissimile & inæquale diuersas supponunt qualitates & quantitates, cum sint relatiua secundum modum. Simile enim dicitur alicui simile, & ad alterum: æquale autem alicui æquale ad aliquid.

Æquale tiet ad aliquid, propriè tamen non suscipit magis & minus, sed tenet inæquale.

Simile & æquale dicuntur relatiua secundum modum tantum, & non secundum esse.

Quomodo suscipere magis & minus conuenit solum relatiuis secundum dici.

Hoc autem proprium non omnibus relatiuis conuenit. Non enim relatiua suscipiunt magis & minus, nisi ea sola quæ secundum modum & non secundum totum esse sunt relatiua. Vnde non omnia relatiua secundum vnam similitudinem suscipiunt magis & minus, vt duplex, subduplex: nec aliquid talium relatiuorum quæ secundum veritatem & modum simul sunt reliqua.

Hoc idem colligitur 4. topic. c. 9.

Hoc autem proprium causatur ex præcedente: quia minus suscipere est plus habere de contrario: magis verò suscipere est minus habere de contrario. Multa autem accidunt relatiuis quæ secundum solum modum sunt relatiua, quæ non accidunt eis quæ secundum veritatem & modum sunt relatiua, propter hoc quod ineſt eis etiam aliquid quod est alterius prædicamenti, quod non ineſt aliis quæ secundum totum id quod sunt, relatiua sunt, sicut ista duo consequentia de quibus iam pertractatum est. Et similiter quod quædam eorum sunt relatiua intrinseca, & quædam extrinseca. Dico autem relatiua intrinseca, quæ intra se claudunt per significata sua ea ad quæ referuntur, quæ dicuntur sua correlatiua: sicut cum dicitur, isti sunt similes, hoc est, iste illi, & ille isti, vel isti sunt æquales; quod non est inuenire in his quæ verè & secundum esse & secundum modum relatiua sunt, sicut pater & filius, dominus & seruus, causa & causatum, principium & principiatum, & alia huiusmodi: non enim dicitur, isti sunt patres, ita quòd iste illius, & ille istius: & ista sunt dupla, ita quod hoc ad illud, & illud ad istud.

Quæ sint relatiua intrinseca.

Obiiciunt tamen quidam contra ea quæ dicta sunt de contrarietate, dicentes quòd Aristot. dicit, quòd motus secundum accidens est in omnibus prædicamentis: ergo motus secundum accidens est etiam in ad aliquid: & vbi est motus, est aliquo modo contrarium: ergo quæ sunt ad aliquid secundum veritatem, etiam aliquo modo suscipiunt contrarium. Ad quod dicendum est, quòd quamuis motus secundum accidens sit in omnibus, tamen non est vno modo in omnibus. In ad aliquid ergo est motus, vt dicit Aristot. quia per motum inducitur, vt pater per generationem, & huiusmodi, sicut per motum ad formam alij conformem.

Obiectio

Solutio.

Quomodo in ad aliquid est motus. Vide 5. physicorũ t. com. 10.

Quomodo relatiuè opposita possint suscipere magis & minus, & habere contrarietatem, cũ oppositio relatiua & contraria sint diuersa.

Est autem attendendum, quòd hæc duo propria, suscipere contrarium, & suscipere magis & minus, vt in pluribus se concomitantur: quia suscipere magis & minus, vt dictum est, causatur ex hoc quod est plus vel minus habere de contrario. Vnde contingit, quòd quamuis oppositio relatiua non sit oppositio contrarietatis: nec è conuerso, quod contraria nunquam possunt simul esse relatiuè opposita (quod ex hoc patet, quia contraria nata sunt fieri circa idem, relatiuè autem opposita circa diuersa: & contraria non possunt esse in eodem simul actu, relatiuè autem opposita possunt, dummodo respectus fiat ad diuersa: est enim idem pater & filius respectu diuersorum) tamen relatiuè opposita secundum modum & non secundum esse & veritatem, secundum id quod non sunt relatiua, possunt habere contraria & suscipere magis & minus: quia non habent vnam simplicem oppositionem, sicut contraria: sed sunt duo, & ratione vnius suscipiunt contraria magis & minus, ratione autem alterius non.

Quædam ad aliquid suscipiunt magis & minus secundum genus non autem secũdum speciẽ.

Adhuc autem notandum, quòd inæquale recipit magis & minus: cum tamen quantitas supra quam fundatur ad aliquid, magis & minus non suscipiat: & hoc ideò quia hoc modo quo ad aliquid fundatur supra quantitatem, est magis & minus in quantitate, sicut in quantitate quæ est numerus, est maior & minor, ita inæqualior est quæ in pluribus partibus mensuræ quantitatis ab æquali recedit: & ideò inæquale hoc modo dicitur magis & minus inæquale.

Boët. aliter dicit de hoc.

Si autem aliquis sic arguat, vbi est magis & minus, possibilis est motus: sed in ad aliquid non est motus: ergo etiam in ad aliquid non est magis & minus. Iam autem ad hoc satis responsum est: quia in his quæ sunt verè ad aliquid, non est motus, nisi sicut in his quæ per motum inducuntur, & non sic quòd termini motus sint ad aliquid. In his autem quæ sunt ad aliquid secundum solum modum, potest esse motus, non secundum quod sunt ad aliquid, sed secundum quod sunt in genere qualitatis,

Obiectio.

Solutio.

litatis, vt dictum est: in talibus autem ad aliquid aliquando recipit magis & minus secundum genus, & non secundum speciem: quia inæquale est magis & minus: duplum autem & triplum non dicuntur secundum magis & minus: & hoc est ideò quia certa est dispositio in specie quæ non est in genere: non enim dicitur magis & minus duplum, quia certa mensurâ ponitur in specie quæ non ponebatur in genere inæqualitatis: certa enim mensura est dupli vel subtripli, quæ non potest esse magis & minus: incerta autem importatur per inæquale, cui addi potest & minui. Hoc est igitur quod circa ista duo propria est notandum.

CAPVT VI.

De proprio relatiuorum quod est dici ad conuertentiam.

Omnia autem relatiua ad conuertentiam dicuntur, &c.

PRoprie autem proprium relatiuorum quod omni & soli & semper conuenit ei quod est ad aliquid, siue secundum modum solum, siue secundum modum & veritatem sit ad aliquid, est ad conuertentiam dici. Sed conuertentia & conuertibilitas & conuersio in hoc differunt, quòd conuertentia dicitur eorum quæ adinuicem referuntur per habitudinem, vt sicut primum refertur ad secundum, ita secundum refertur ad primum sub eodem casu vel diuerso, sicut in antehabitis dictum est.

Quid conuertibilitas.

Conuertibilitas autem proprij & speciei cuius est proprium est, quòd sicut vnum sequitur ad alterum, ita sequetur alterum ad primum, vt vtrumque sit antecedens & consequens ad alterum.

Quid conuersio.

Conuersio autem in trãspositione subiecti in prædicatum, & è conuerso, sub eadem qualitate, & quantitate, vel diuersis.

Dici ad cõuertentiam omnibus cõuenit relatiuis & solis & semper, licet sub habitudine diuersorum casuum.

Dici autem ad conuertentiam conuenit his quæ sunt ad aliquid secundum veritatem vel secundum modum tantum: quod conuenit omni soli & semper, etiamsi non æqualiter sint ad aliquid, sed vnum per se referatur ad aliquid, & aliud non per se sed mediante primo referatur ad primum: sicut scientia ad scibile per se refertur: scibile autem ad scientiam non refertur nisi mediante scientia. Hoc autem inferius declarabitur.

Declaratur autem per exempla & inductionem, quòd ad aliquid ad conuertentiam dicuntur, & primum in his quæ secundum veritatem sunt ad aliquid: dicitur enim seruus domini seruus, & dominus serui dominus, & duplum dimidij dupplum, & è conuerso dimidium dupli dimidium: & hoc est secundum casum genitiuum qui maximè præpositus est relatiuis. Quædam etiam ad conuertentiam dicuntur secundum ablatiuum, vt maius minore maius, & minus maiore minus. Similiter autem est in omnibus aliis quæ quocunque modo sunt ad aliquid: omnia enim dicuntur ad conuertentiam, quamuis diuerso casu referantur in relatione adinuicem secundum figuram locutionis, vt diximus, vt disciplina dicitur disciplinati disciplina secundum genitiuum: sed è conuerso oportet mutare casum, vt dicatur disciplinatum disciplina disciplinatum secundum ablatiuum: disciplina enim refertur ad disciplinatum in habitudine genitiui, disciplinatum autem ad disciplinam in habitudine ablatiui. Et similiter sensus dicitur. sensati sensus: è conuerso autem secundum ablatiuum dicitur sensatum sensu sensatum, & scientia scibilis scientia, quia scibile non dependet per se ad scientiam nisi inquantum de ipso est scientia, propterea non refertur ad scientiam nisi mediante scientia, vt dicatur scibile scientia scibile. Et similiter se habet sensatum ad sensum, & in aliis talibus est simile. In relatiuis enim sic est, quòd quandoque vnũ dependet ad aliud simpliciter, & alterum non secundum seipsum dependeat ad illud, nisi secundum quod stat sub forma primi: eò quod relatio non est æqualiter in vtroque extremorum, sed in vno est secundum esse, & in alio non est nisi secundum rationem secundum quam primum refertur ad ipsum, vt dicitur scientia scibilis scientia, & scibile non dicitur scientiæ scibile, sed dicitur scibile scientia scibile: quæ propter diuersam habitudinem necesse est mutare genitiuum in ablatiuum. Et similiter sensus sensibilis sensus dicitur: sensibile autem è conuerso dicitur sensu sensibile.

Quomodo in quibusdã relatiuis non est æqualis dependentia, sed vnum magis dependet ab altero, quàm è conuerso.

Quod autem nũquam sub recto ad rectum fit conuertentia, ratio est: quia rectus ad rectum non ponit transitum siue diuersitatem quam semper exigunt relatiua, sed rectus ad obliquum notat diuersitatem. Si enim sic diceretur, scientia est scibile, falsa esset locutio, & è conuerso. Mutationis etiam casuum causa est multitudo habitudinum in casibus diuersis assignatarum. Cum enim dicitur, scientia scibilis scientia, notatur quòd scientia est scibilis vt subiecti vel obiecti. Cum autem conuertentia fit, vt dicatur, scibile scientia est scibile vt forma quæ ponitur circa ipsum, vel verius forma quæ à scibili causatur in scientre: quia scibile secundum formam efficitur in intellectu scientis.

Quare non fit conuertentia sub recto casu in relatiuis.

Quare in relatiuis quiescentibus mutatur casus in conuertentia.

Siquis autem obiiciat, quòd tales modos constructionum considerare habet grammaticus, & ad logicum non pertinet. Dicendum quòd secundum quod huiusmodi habitudines ex diuersa fiunt constructione, considerat eas grammaticus: secundum autem quod voces in hoc significant diuersas rerum prædicationes & prædicabilium modos, eas habet considerare logicus. Sic igitur ad conuertentiam dicuntur ea quæ sunt ad aliquid.

Obiectio.

Solutio.

Est tamen in his aliquando in figura vocis impedimentum, quod aliquando remouetur conuertentia secundum dictionem: vnde aliquories videbitur esse non verum, quòd relatiua secundum conuertentiam dicantur, nisi conuenienter secundum nominis figuram & casum assignetur ad id ad quod dicitur secundum nomen & casum. Nisi ergo peccet is qui assignat, ita quòd non referat ad hoc ad quod dicitur secundum nomen & casum, tunc videbitur conuerti, sicut manifestum est in ala, quæ quia organum volandi dicit ipso nomine, patet quod alterius est quod vtitur ea ad volandum & non est absolutè dicta: quia si esset ab-

Quandoque non apparet conuertentia in relatiuis propter mutilam assignationem correlatiuorum.

solutè, etiam abscissa adhuc esset ala: quod falsum est. Quia igitur ala non sua, sed alterius est, nec sibi sed alteri ala est, si assignetur quod si auis ala, peccatum est in assignatione: & ideò non conuertitur: quia prima assignatio non fuit conueniens, quando dicebatur ala auis ala: & ideò non conuertitur, vt dicatur, auis alæ auis. Non enim in eo quod auis est, dicitur alæ auis, sed in eo quod alata est: multorum enim etiam animalium aliorum alæ sunt, quæ tamen non sunt aues, nec in genere auium continentur. Propter quod si conuenienter secundum nomen & casum assignetur ala ad id cuius est, statim conuertitur, vt si ala alati ala dicatur: tunc enim conuertitur, vt dicatur secundum ablatiuum casum, alatum ala alatum.

Quando in assignatione correlatiuum oportet fingere nomina.

Vnde etiam in talibus in quibus nomina non sunt posita, aliqua necesse est fingere nomina secundum conuenientem assignationem, vt in remo patet, quod quia instrumentum dicit id quod alterius est vel alteri est. Si igitur sic assignetur, vt dicatur, remus nauis remus, non erit secundum rem & nomen & casum conueniens assignatio: neque enim remus dicitur nauis in eo quod nauis: sunt enim naues, quarum remi non sunt, sicut magnæ naues, quas lintres vocant quæ malis mouentur & velis, & remis impelli non possunt: & ideo quia non conueniens fuit assignatio, non conuertitur, vt dicatur, nauis remi nauis. Sed fortè conuenienter erit facta assignatio, si sic dicendo assignetur, remus remitæ rei remus, aut quomodoliber aliter secundum conuenientem vocis assignationem dictum sit, vt si remitæ non placet, dicatur rematæ: ad placitum enim fingentis nomina talis fit assignatio: nomen enim in talibus non est positum, sed conuertitur si nomen secundum figuram dictionis & secundum conuenientem casum assignetur: sicut enim remus remiti remus est, ita remitum remo remitum est. Similiter autem est in aliis, quæ hoc ipsum quod sunt, aliorum sunt, & non absoluta sunt hoc quod sunt, nec sibi in se habent hoc quod sunt: in talibus enim omnibus conuertentia fit si conuenienter assignetur, vt caput, quod quia membrum & organum est, non sibi, sed alteri & alterius est: ideo caput capitati est, & non est caput animalis caput: quia non in eo quod aliquid animal est, caput est: multa enim animalia sunt capita non habentia, sicut omnia genera ostreorum conchiliorum, vt purpuræ, mures, & alia multa. Sic autem formasse facilius sumitur conuertentia, vt quando nomina non sunt posita, vel formetur ab illis quibus nomina posita sunt, vel fingatur & figuretur ab his quæ conuertuntur, sicut patet in his quæ dicta sunt, sicut formatum est ab anima animatum, & à remo remitum.

Quod omnia ad aliquid dicantur ad conuertentiam si conuenienter assignentur. Prima ratio.

Ex his igitur vniuersaliter cõcluditur, quòd omnia quæ dicuntur ad aliquid, si conuenienter secundum figuram appellationis & casum assignentur, ad conuertẽtiam dicuntur: nam si ad quodcunque assignentur ad quod non dicuntur, & non assignentur ad id ad quod dicuntur, non sit conuertentia. Quod sic probatur per locum à maiori. Quia etiam in his quæ indubitanter conuertibilia dicuntur, & quibus nomina posita sunt secundum quæ fit conuertentia, non fit conuertentia nisi ad eadem quæ sunt, sub conuenienti referantur assignatione, vt si assignentur ad ea quæ extrinseca sunt & accidunt his ad quæ sunt per se illa relata, & non assignentur ad ea ad quæ sunt referenda secundum hoc quod sunt aliorum, vt patet. Si enim seruus ad hoc quod ad aliquid est indubitanter, si non referatur ad dominum ad quem dicitur & cuius est secundũ hoc quod ad aliquid est, sed quia accidit domino hominem esse, referatur ad hominem, vt sic dicatur, seruus hominis seruus, vel dicatur, seruus bipedis seruus, vel alicuius talium quod accidit domino ad quæ non per se refertur secundum dependentiam quam important in nomine, non fit conuertentia: eò quod ad hoc non erat conueniens assignatio: multi enim sunt homines & bipedalia non habentia seruum.

Secunda ratio.

Amplius si id quod est ad aliquid indubitanter, conuenienter assignetur ad id ad quod est & ad quod dicitur, omnibus aliis circumscriptis & remotis quæ accidunt illi, relicto illo solummodo ad quod secundum conuertentiam assignari habet, semper ad ipsum dicetur secundum conuertentiam, vt si seruus ad dominum dicatur, omnibus aliis circumscriptis quæ accidunt domino ad quem dicitur seruus, vt circumscribantur ab eo esse bipedem, vel scientem, vel disciplinæ perceptibilem, vel hominem, vel animal, relinquatur autem hoc solum quod dominus est, tunc adhuc secundum conuertentiam dicetur: seruus enim domini seruus est. Similiter econtra si seruus assignetur ad aliquid ad quod non conuenienter dicitur secundum quod seruus est, omnibus aliis circumscriptis vel remotis, quæ illi accidunt ad quod non conuenienter assignatus est, & solum illud remanere ponatur ad quod non conuenienter relatus est, relinquitur quod non dicitur ad illud. Verbi gratia: assignetur enim seruus hominis seruus, & ala auis ala, & circumscribatur ab eo esse dominum, patet quod iam statim seruus ad hominem non dicitur: cum enim dominus non sit, sequitur seruum non esse: quia relatiua posita se ponunt, & perempta se perimunt, vt in sequentibus erit manifestum. Similiter est de aue, hoc non tribuatur alæ, sed alatam esse: & sic ala est auis vt alata est & non auis. Et hoc patet per antedicta: si enim aui assignetur, tunc iam amplius non erit ala ad aliquid siue alicuius ala, nisi dicatur alati ala, & alatum ala alatum: cum enim ponitur, quòd nihil est alatum, sequitur quòd ala nihil erit: quia hoc erit ala alterius, & non suiipsius.

Ex dictis igitur concluditur, quòd id quod est ad aliquid, oportet conuenienter assignare ad id quod est, & non ad aliud: & sic si vtique est nomen positum, facilis erit assignatio secundum conuertentiam: si autem non sit nomen vtique positum relatiuorum, fortè necessarium erit nomina fingere si ad conuertentiam dici debeant relatiua. Si autem sic secundum figuram appellationis & casus conuenienter adinuicem reddantur siue referantur,

tur: tunc manifestum est, quòd omnia relatiua conuersim, hoc est, secundum conuertentiam dicuntur adinuicem.

CAPVT VII.

De proprio relatiuorum quod est simul esse natura.

Videtur autem ad aliquid simul esse natura, &c.

EX his autem quæ dicta sunt, quod scilicet relatiua ad conuertentiam dicuntur, sequitur aliud proprium relatiuorum, quod est quòd relatiua siue ad aliquid videntur simul esse natura. Quod autem secundum conuertentiam dicuntur, & quod simul sunt natura, differunt in hoc, quòd conuertentia est in hoc secundum mutuam relationem eorum adinuicem & appellatione & casu: sed simul sunt natura in hoc, quòd secundum quod relata sunt, in esse & non esse, siue in ortu & occasu, vt dicit Auicen. simul sunt, ita quòd posito vno in esse secundum quod relatiuum est, & positum est aliud secundum quod refertur ad illud: & destructo vno secundum quod relatiuum est, destruitur & aliud secundum relationem secundum quam refertur ad illud. Et in aliis pluribus hoc verum est: quia simul sunt natura secundum dictum modum: & dicitur, quòd posito vno ponitur & reliquum, & destructo vno destruitur reliquum. Cum enim sit duplum, sequitur quòd sit dimidium, & è conuerso: & cum sit seruus vt seruus, sequitur quòd sit dominus secundum quod dominus, & è conuerso cum dominus vt dominus est, sequitur quòd sit seruus vt seruus. Similiter autem est in aliis: secundum hoc enim quod relatiua sunt, simul se auferunt abinuicem: quia sicut posita se ponunt, sic ablata se auferunt, vt patet inductione, & exemplo: cum enim sit duplum, sequitur quòd sit dimidium: & cum non sit duplum, sequitur quod non sit dimidium, & è conuerso. Similiter autem est in omnibus aliis quæcunque talia sunt, quod secundum veritatem, & secundum id quod sunt, aliorum sunt.

Quomodo simul esse natura non cõuenit omnibus relatiuis.

Et non in omnibus hoc verum esse videtur: in quibusdam enim quæ modum habent relatiuorum, hoc verum esse non videtur, quòd sic simul sint natura, quòd posita se ponant, & destructa se perimant. Instantia enim esse videtur: quia cum scibile sit, non est scientia: & si sit relatum scibile ad scientiam, videtur tamen scibile non simul natura cum scientia esse, sed natura scibile prius est quam scientia: cuius probatio est: quia nos vt in pluribus non accipimus scientias de rebus, nisi rebus iam subsistentibus: eò quod non possumus reales scientias accipere, nisi ex principiis rerum intellectu acceptis: & sic oportet res scibiles prius esse, quam nostra scientia de rebus. Dico autem in pluribus sic esse: quia si aliqua scientia non est de rebus quæ extra nos sunt, sed de rebus quæ sunt à nobis, in his pro certo oportet, quòd scientia præcedat scibile, sicut est in ethicis, ad quorum essentiam præcedit scire & velle. Hoc in realibus scientiis gene-

Remanet dubium.

raliter verum est, quòd scibile secundum hoc quod est, videtur præcedere nostram scientiam quæ est de scibili ipso. In paucis ergo vel fortè nullis potest aliquis recipere simul cum scibili esse scientiam. In paucis autem dico propter moralia: in nullis autem 5 quòd etiam in illis aliquo modo scibile vt conceptum, quamuis non vt in esse positum, est ante scientiam.

Quomodo in paucis aut nullis scientia præcedit scibile.

Amplius autem hoc idem probatur alio modo: quia à scibili ad scientiam non conuertitur consequentia: scibile autem sublatum simul aufert scientiam: nam si scibile non sit, scientia non est, eò quod nulla scientia est quæ non sit de aliquo scibili: si vero è conuerso scientia non sit, nihil prohibet adhuc scibile esse: vt enim dicit Boet. multa sunt scibilia, quorum scientiæ non sunt inuentæ, sicut potest intelligi in circuli quadratura, quod etsi scibile sit, scientia tamen de ea nondum inuenta est.

Multa sunt scibilia quorum non est scientia, vt placet Boëtio.

Amplius hoc idem probatur à minori arguendo sic: minus videtur, quòd animali sublato auferatur scientia, quam quod scibili sublato auferatur scientia: ergo multo magis auferetur ablato scibili: omni enim animali sublato non potest esse scientia: sed posito quod nullum sit animal, & nulla sit scientia, adhuc contingit plurima esse quæ sunt de numero scibilium.

Similiter autem his habent se relatiua quæ sunt circa sensum & sensibile quod ad sensum refertur. Sensibile enim prius videtur natura esse quam sensus secundum actum factus: quia de hoc sensu loquimur, & non de eo qui est potentia sentientis: sensibile enim obiectum agens in sensum, prius est sensu & prius secundum naturam quam sensus: & ideo sensibile intereemptum simul interimit secundum actum sensum secundum actum factum. Sensus autem secundum actum factus intereemptus, sensibile non interimit. Cuius causa est: quia sensus secundum actum factus, non est nisi circa corpus quod sensu percipitur, & sensus secundum actum facti in corpore aliquo sensibili sunt quidem per qualitates sensibiles quæ sensum faciunt secundum actum. Cum ergo corpus sensibile nullum sit, necesse est quòd nullus sensus sit secundum actum factus: peremptο ergo sensibili perimitur sensus secundum actum factus: ergo sensibile peremptum simul secum perimit sensum. Sensus verò peremptus non necessariò perimit sensibile: quia nullo sensu secundum actum existente, multa adhuc sensibilia sunt.

Et hoc patet iterum à minori arguendo: quia minus videtur, quòd animali peremptο remaneat sensibile non peremptum, quam quod peremptο sensu sensibile perimatur: animali autem peremptο omnis sensus perimitur: sensibile autem adhuc est & permanet: multa enim adhuc remanent corpora calida & dulcia & amara & omnia alia quæ sunt secundum qualitates sensibiles dispositasque omnia sunt sensibilia.

Sensatũ pro habente sensum.

Amplius ad hoc idem facit, quòd sensus fit cum sensato siue cum eo quod habet sensum: hoc enim sensatum dicimus: simul enim

sit animal cum sensu : quia propter sensum dicitur & est animal, vt dicit Auicen. Sensibile autem ante est per naturam quam esset animal vel sensus : quia ex sensibilibus generatur animal & sensus : ignis enim & aqua & huiusmodi elementa ex quibus constat materialiter, secundum naturam sunt antequam sit animal. Ergo sensibile videtur esse prius quam sensus.

Remouet dubia.

Attendendum autem, quòd omnia relatiua, sicut dictum est, sunt simul natura secundum quod sunt relatiua, quamuis non sint simul secundum quod simpliciter sunt. Sunt enim relatiua ea quæ sunt prius & posterius, quæ quidem secundum esse suum nunquam possunt simul esse, tamen prius in ratione prioris simul est cum eo quod eo est posterius in ratione posteriorис : & hoc modo posita se ponunt, & perempta se perimunt.

Quomodo prius & posterius sunt simul natura.

Quomodo scibile & scientia, sensibile & sensus sunt simul natura formaliter capta : sed non materialiter capta.

Hoc autem quod de scibili & scientia dictum est, & de sensibili & sensu, sic intelligendum est, quòd scibile quidem & sensibile possunt accipi secundum hoc quod stant in esse substantiali, vel secundum hoc quod stant sub forma scientiæ & sensus: & hoc est dicere, quòd possunt accipi materialiter, vel formaliter. Si accipiuntur materialiter : tunc scibile præcedit scientiam, & sensibile sensum, sicut in antehabitis dictum est : quia scibile est causa scientiæ, & sensibile causa est sensus secundum actum facti. Si autem accipiuntur hæc formaliter secundum quod scibile quidem stat sub forma scientiæ, sensibile autem sub forma sensus, sic sunt simul natura : & hoc solo modo sunt correlatiua & non aliter. Et similiter est de causa & causato, & principio & principiato & multis aliis.

Notabile mentis alicuius gradum : quid per naturam intelligitur cum dicitur relationem esse simul natura.

Attendendum etiam est, quòd natura (cum dicitur, quòd relatiua sunt simul natura) non supponit nisi formam relationis : vnde simul sunt natura, quæ simul sunt secundum formam siue secundum naturam relationis : quia ad naturam eorum quæ sunt relata aduinuicem, non sunt simul : & secundum naturam illam aliquando vnum est prius, & alterum posterius, vt dictum est de causa & causato, & principio & principiato, & patre & filio, & præcipuè in hoc quod est prius & in hoc quod est posterius.

Multa sunt relatiua in genere, quæ non sunt relatiua in specie.

Adhuc autem scias, quòd hoc argumentum non valet : scibile dicitur secundum potentiam : potentia refertur ad actum, vt dicit Aristot. in 10. primæ philosophiæ : ergo scibile refertur ad scientiam secundum actum : quia multa sunt relatiua in genere, quæ non sunt relatiua in specie, vt patet in scientia quæ refertur, & grammatica quæ non est relata.

CAPVT VIII.

De disputatione contra diffinitionem Platonis inductam & correctionem eius dicti.

Habet autem quæstionem, &c.

HAber autem quæstionem siue dubitationem, verum secundum superius inductam Platonis diffinitionem nulla substantia ad aliquid dicatur, quemadmodum videtur ex substantiæ ratione quæ est ens per se subsistens : & quod est per se subsistens, est absolutum, & sibi apud seipsum & esse suum non est ex hoc quod sit ad alterum. Sic ergo videtur, quòd nulla sit ad aliquid, siue sit prima substantia, siue secunda : siue significetur substantia de toto, siue de parte, suo nomine semper est ens per seipsum, & non est alterі.

Si autem hoc conceditur esse verum, tunc adhuc remanet ad oppositum disputatio secundum superius inductam diffinitionem, quæ dicit ad aliquid esse, quæcunque hoc ipsum quod sunt, aliorum dicuntur : quia si hæc diffinitio est bene assignata, substantia videtur ad aliquid esse secundum quasdam substantias de parte & non de toto significantes. Cuius probatio est : quia in primis substantiis verum est, quòd non dicuntur ad aliquid, siue de toto siue de partibus significetur primarum substantiarum : aliquis enim homo non dicitur alicuius aliquis homo, cum tamen per genitiuum maximè dicantur ad aliquid in his quæ sunt relatiua : neque aliquis bos alicuius aliquis bos, quia homo & bos rationem substantiæ important in nominibus suis, & nihil additum dicunt substantiæ per quod ad aliquid referantur : & ideò etiam non grammaticè dicitur, alicuius aliquis bos, nec alicuius aliquis homo : quia genitiuus in talibus nullam habet notare habitudinem secundum quam fiat constructio. Similiter autem est etiam in partibus quæ sunt vt primæ substantiæ partes : quædam enim manus non dicitur alicuius quædam manus, sed simpliciter dicitur alicuius manus. Et illius causa est : quia quamuis dicat substantiam quæ est pars alicuius totius, & in nomine manus per rationem manus vt est organum intellectus & organum organorum, importetur comparatio ad mototem manus, per quod efficitur motor, ita quòd non absoluta sit à relatione, tamen per hoc quod dicitur, quædam manus, fit singularis manus : & est idem quædam manus, quod hæc manus demonstrata, & demonstratione determinatur ad hoc quod sub sensu est, quod secundum quod sub sensu est, non refertur ad alterum : & ideò nihil est dictu, alicuius quædam manus : & hæc est vera causa. Nec est curandum de hoc quod alij dicunt in loco isto.

Et ideo supra in cap. 6. dicit, quòd genitiuus est maximè propositus relatiuus.

Quare quædam manus dicitur alicuius manus, & non alicuius quædam manus.

Per eandem etiam rationem quoddam caput non dicitur alicuius quoddam caput : quia quamuis caput sit dicens substantiam sub comparatione ad mototem cuius est caput, cum tamen refertur ad hoc singulare per hoc quod dicitur quoddam caput, quod idem est quod hoc caput, non dicitur nisi sub accidentibus quibus demonstratur : & per hoc non dicitur ad aliquid : quia comparatio quam dicit in nomine, non est demonstrabile accidens : & ideò non dicitur alicuius quoddam caput, sed dicitur alicuius caput sine determinatione ad hoc singulare propter comparationem quam importat nomen, quando absque determinatione ponitur ad singulare : tunc enim est nomen organi siue organicæ partis quæ semper secundum rationem sui nominis refertur ad aliquid cuius

Quare quoddam caput non dicitur alicuius quoddã caput, sed alicuius caput.

cuius est organum : talia enim quæ talem in nomine important comparationem, dicuntur ad aliquid, vt dixit Plato.

Similiter autem manifestum est in secundis substantiis quæ de toto significant, quòd non dicuntur ad aliquid : & hoc patet inducendo in pluribus, vt homo non dicitur secundum nomen alicuius homo : quia homo absolutè nominat substantiam, & per rationem nominis nullam addit supra substantiam comparationem quæ in nomine significetur. Et per eandem rationem non dicitur bos alicuius bos sub nomine bouis, vel lignum alicuius lignum sub nomine ligni : sed hoc si alicuius dicitur, erit sub alio nomine, comparationem ad aliquid in modo significandi importante, vt si dicatur possessio, quia possessio importat ad possessorem comparationem, dicitur enim possessor possessionis possessor, & possessio possessoris possessio. In his igitur substantiis manifestum est, quoniam sub nominibus primæ & secundæ substantiæ non sunt ad aliquid.

Verum nomina partiũ organicarũ sunt ad aliquid.

In aliquibus autem secundis substantiis de parte organicâ & non de toto significantibus habet aliquam dubitationem propter hoc quod nomen partis organicæ non dicit substantiam nisi stantem sub comparatione, quæ quia importatur in nomine, necesse est quòd semper dicatur ad aliquid, quamuis secundum esse suum quod est substantiale, scilicet esse ex carnibus & ossibus non sint ad aliquid : talia ergo dicuntur ad aliquid & non sunt ad aliquid secundum id quod sunt siue secundum esse substantiale à quo imponitur nomen. Sic ergo caput dicitur alicuius caput, & manus alicuius manus, & singula nomina partium organicarum sunt huiusmodi secundum dici relata ad aliquid & non secundum esse : propter quod hoc nomina partium organicarum secundæ substantiæ fortasse ad aliquid esse alicui videbitur.

Plato concessit nomina partium organicarũ esse ad aliquid : quia credidit, quòd sicut est in dici per nomen, ita sit secundum esse.

Videtur enim fortasse alicui, quòd sicut est in dici per nomen, ita sit secundum esse : quod tamen non est verum vt patebit inferius : cum hoc fuerit causa deceptionis Platonis, qui omnia talia dicebat esse ad aliquid propter modum eorum quæ sunt ad aliquid quæ important in dictione. Si ergo aliquis concedat, quòd diffinitio eorum quæ sunt ad aliquid, sufficienter est assignata, ita quod conuertibilis sit cum his quæ sunt ad aliquid, aut nimis difficile aut impossibile est soluere quin secundum illam diffinitionem aliqua substantia sit ad aliquid. Si enim quæcunque ad aliquid dicuntur secundum nomen, & ad aliquid sunt secundum esse & veritatem, vt dixit Plato, impossibile est euadere quin pes, manus, & caput (quæ sunt secundæ substantiæ) sint ad aliquid, & præcipuè si concedatur quòd est idem dici ad aliquid, & esse ad aliquid. Si autem dicatur, quod dici ad aliquid secundum nomen connotans relationem, non sit esse ad aliquid secundum veritatem, adhuc difficile erit soluere vel euadere quin aliquæ secundæ substantiæ sint ad aliquid : quia nomen manus & nomen capitis & nomen pedis & huiusmodi, quamuis materialiter dicant substantias tanquam id cui imponitur nomen, tamen formaliter quantum ad proprietatem à qua imponitur nomen, dicunt id quod refertur ad aliud, quia dicunt id quod dicunt per modum organi & officialis membri ad actum aliquem : tale autem nomen dicit relationem ad aliquid, scilicet ad mototem cuius est tale organum. Boëtius tamen & Alexand. dicere videntur, quòd cum dicitur, aut nimis difficile, aut impossibile est soluere, quòd vnum dicitur ad alterius expressionem : ac si diceretur, nimis difficile est, & vt expressius dicatur, impossibile est soluere.

Alia diffinitio eorum quæ sunt ad aliquid, & est Aristot.

Si autem dicatur, quòd inducta diffinitio non sufficienter siue conuertibiliter est assignata : sed sit corrigenda : quia sunt ad aliquid, quibus hoc ipsum esse est ad aliquid quodammodo se habere, & non solum dici, tunc fortasse aliquid dicetur. Et dici potest contra illa, scilicet quod substantiæ secundæ sicut substantiæ non sunt ad aliquid nisi secundum modum quendam qui est in dictione : quia tunc ista nomina, pes, manus, & caput, partes substantiæ principaliter significant, & substantia non est composita nisi ex substantijs, & secundariò per modum significandi connotant cum principali significatione id quod dicitur ad aliquid : & hoc quidem est verum. Ea autem quæ sunt ad aliquid, in principali significatione dicunt id quod suum principale esse est ad aliquid, & esse suum habet ab eo ad quod est, & non à seipso, nec in seipso, sicut pater, & filius, & dimidium, & huiusmodi.

Differentia inter diffinitionẽ eorum quæ sunt ad aliquid datam à Platone, & istam Arist.

Hæc autem diffinitio differt ab alia quæ præinducta est : quia prior diffinitio sequitur omnia relatiua, siue secundum veritatem sint aliquid, siue secundum modum solum : sed non propter hoc inest omnibus relatiuis, quod hoc ipsum quod sunt secundum totum suum esse, aliorum dicantur : hoc enim non omnibus conuenit relatiuis : quædam enim connotant cum principali significatione modum relatiuorum, & non secundum veritatem. Hoc Plato videtur ignorare.

Caput, manus quidem, & huiusmodi organa, non sunt ad aliquid nisi connotatiuè, sed principali significatione dicunt substantiam.

Et sic caput & manus connotant id quod dicitur ad aliquid : principali autem significatione dicunt substantiam. Et hæc est vera solutio difficultatis inductæ : quia sic reducitur nomen relationis ad rem quæ est vna de rebus primis vel de primis generibus rerum, quæ significare contingit per vnam de primis vocibus prædicabilium.

CAPVT IX.

De proprio verorum relatiuorum quod est siquis nouerit vnum eorum diffinire, & reliquum nosset diffinite.

Ex his autem, &c.

EX his autem potest haberi, quod ex quo eorum quæ sunt verè ad aliquid, esse & quidditas est ad aliquid, quod siquis diffinitè, hoc est, determinatè per veram diffinitionem, nouit vnum eorum quæ sunt ad aliquid, sequitur quòd id ad quod est & ad quod dicitur, per veram diffinitionem sciturus est : &

Iuxta illud Aristo. in topica. sua vnum relationum ex tribus dissert per reliquum, a tribus autem differentiam habet per aliud.

hoc est vnum relatiuum diffiniti non quidem per reliquum, sed diffiniri ad reliquum: nec intellectus quidditatis siue diffinitionis eius stat vt determinatum nisi determinari significetur ad alterum, sicut cum dico, pater filij pater, & filius patris filius. Palam ergo hoc est quod dictum est. Si enim nouit aliquis diffinitè id quòd ad aliquid est secundum veritatem & esse suum, hoc est, si esse talis quod ad aliquid est, diffinitum & certum quodammodo habet, hoc est, secundum relationem se habere, ita quòd hi duo esse principale relationis, necesse sit sequitur, quòd etiam nouit diffinitè ad quod se habet illud quodammodo siue secundum relationem: & hoc non sequitur nisi quia diffinitè non ponitur primum, nisi alterum ponatur determinatè secundum vocem secundum esse diffinitam. Si enim non nouit hoc ad quod id quodammodo, hoc est, secundum relationem se habet cum diffinitè ponatur in diffinitione, idem est sciturus si id quod dicit esse ad aliquid, se habet ad id secundum esse. Hoc autem palam est per inductionem in singulis, vt in hoc quod est duplum: siquis enim diffinitè nouit, quòd hoc est duplum, & diffinitè intellectus quidditatis eius assignatur secundum nomen certum ad id cuius est duplum, sequitur quod nox ipsa assignatione nouit & hoc cuius est duplum: quia hoc certa nominatione exprimitur in dupli assignatione, cum dicitur, duplum dimidij duplum. Si autem nihil siue nullo modo diffinito & certo nouit cuius est duplum, sequitur quòd etiam omnino non nouit, quod id est duplum quod duplum esse dicebat. Similiter etiam si nouit diffinitè in comparatiuo, quod hoc melius vel maius est, sequitur etiam, quòd diffinitè cognouit quo melius est: quia comparatio aliter vaga esset, quæ significatur in comparatiuo, cum nulla possit esse comparatio nisi finita in terminis: quia aliter comparationis non habet intellectum. Propter quod generaliter concluditur, quòd est necessarium, quod siquis diffinitè nouit vnum relatiuorum, etiam id ad quod dicitur, secundum relationem diffinitè cognoscere necessarium est.

Obiectio.

Si autem obiicitur contra hoc, quod relatiua opposita sunt: opposita enim nata non sunt seinuicem diffinire. Dicendum, quòd vnius cuiusque rei debet esse diffinitio secundum modum quidditatis ipsius: esse autem & quidditas relationis non est esse absolutum & quidditas absoluta, nec ex genere & differentia constituitur sicut ens absolutum, sed sicut ens dependens, & quòd plus est sicut dependentia quædam ad aliud, & dependentia est ei pro genere, & correlatiuum ad quod est, sibi est pro differentia finiente ipsum vt actu sit relatiuum: & ideò sic non per ipsum sed ad ipsum diffinitur, sicut in esse & quiditate est ad ipsum: & hoc modo vtrumque diffinitur per reliquum. Nec tamen sequitur, quòd vnum sit notius altero, vel prius altero, vel simplicius altero, secundum quod esse vtriusque finitur & determinatur per reliquum: nec est inconueniens, quòd id quod est ad aliquid, non diffiniatur sicut prædicamenta alia: quia esse suum non est sicut esse aliorum.

Dependentia est pro genere relationis correlatiua autem pro differentia.

Vtrumque relatiuum diffinitur per reliquum, id est, ad reliquum: non tamen vtrum est notius aut prius reliquo. Vide 6. topic. c. 5.

Ex his autem manifestum est, quod manus & caput & similia quæ sunt de numero eorum quæ sunt substantia sicut partes substantiæ secundæ, hoc ipsum quod sunt secundum esse substantiale quod in nomine principaliter significatur, potest sciri diffinitè secundum quod est pars componens substantiam: & propter hoc non est necessarium scire hoc ad quod dicuntur: quia non habent relationem nisi in connotato in nomine, & non in principali significatione: & ideò in ratione capitis & in ratione manus quantum ad principalem significationem non est dici diffinitè cuius est hoc caput, & cuius est hæc manus: quia caput & manus diffiniuntur non ad id cuius est caput & cuius est manus: & sic non potest diffiniri pater vel duplum: vel melius propter quod sequitur, quod secundum veritatem & esse suum principale non sunt ad aliquid. Si autem hæc quæ sunt partes substantiæ secundæ, non sunt de numero relatiuorum, cum de illis magis videatur quã de alijs, necesse est dicere, quòd nulla substantiarum primarum vel secundarum sit ad aliquid secundum veritatem.

Considera hoc: quia apparet quod contradicat sibi in cap. precedenti, vbi dixit quod caput, manus, & huiusmodi possunt capi materialiter, & formaliter.

Tamen fortassè difficile est de huiusmodi relatiuis confidenter, hoc est, ratione certa aliquid determinare propter similitudinem eorum quæ dicuntur ad aliquid, ad ea quæ sunt ad aliquid secundum veritatem, nisi sæpè subtiliter pertractata sint, vt distinguantur ea quæ dicuntur ad aliquid ex connotato, ab his quę dicuntur ad aliquid secundum esse totum & quidditatem & secudum veritatem. Pertractando autem subtiliter dubitare de singulis horum quid hoc vel id sit non erit inutile: quia sic inuenitur veritas eorum quæ dicuntur ad aliquid, & eorum quæ sunt ad aliquid secũdum esse suę quidditatis & secundum veritatem. Propter quod dicit Aristo. in 1. topicorum, quòd potentes ad vtramque partem dubitare, de facili speculabuntur quid sit verum, & quid sit falsum in vnoquoque. *Cap. 2.*

Nota.

Attendendum tamen, quòd multis modis dicitur ad aliquid, scilicet vt ad finem & actum propter quem est, sicut oculus ad videndum, & secutis ad incidendum, & multæ substantiæ sunt ad aliquid. Dicitur etiam ad aliquid vt materia ad formam, & sic propria materia est ad propriam formam. Et dicitur ad aliquid ex connotato cum principali suo esse, sicut caput, & manus. Et dicitur ad aliquid secundum principale & totum esse, sicut pater, & duplum: & sic nulla substantia est ad aliquid, vt dictum est. Sic igitur corrigi debet diffinitio: non enim facit esse prædicamentum, habere in aliquo alicuius prædicamenti modum: quia etiam differentiæ substantiales habent qualitatis modum, & non propter hoc sunt de prædicamento qualitatis.

Ad aliquid multipliciter dicitur: vt ad finem, vt materia ad formam, ex connotato, & secundum totum esse.

CAPVT

CAPVT X.

De dubitabilibus quæ sunt circa prædicta.

Prima obiectio.

EST autem dubitatio quæ oritur ex his quæ dicta sunt: si enim relatiua siue ad aliquid sunt quæcunq; hoc ipsum quod sunt, alterius sunt, & ex comparatione ad aliquid habent esse: tunc videtur, quòd vnum accidens aliquo modo habet esse in duobus subiectis, ita tamen quod remanet idem in essentia: qua enim ratione est in vno, eadem ratione est in alio: dicitur enim pater filij pater: nec potest vno subiecto determinari vel diffiniri.

Secunda.

Adhuc autem videtur, quòd secundum hoc duæ oppositæ relationes sunt vna numero relatio, sicut paternitas quæ est in patre respectu filij, & filiatio quæ est in filio respectu patris.

Tertia.

Item videtur, quòd filiatio & paternitas non differant nisi penes terminos, sicut via quæ est à Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas, quæ eadem est, quamuis terminis differat.

Quarta.

Adhuc quæcunque comparationes ab eisdem comparatis & eadem causa comparationis sunt, essentialiter illa sunt eadem: sed paternitas & filiatio & vniuersaliter quæcunque relationes vel correlationes ab eisdem comparatis & eadem causa comparationis contrahunt esse: videtur ergo, quòd eædem sint in essentia.

Quinta.

Adhuc autem quæritur, si paternitas relatio est, ad quid refertur? si dicatur, quòd ad ad filiationem, videtur quòd falsum sit: quia relationes generantur ex motu aliquo: sed circa filiationem non fit motus, sed circa filiũ.

Sexta.

Adhuc filius refertur ad patrem filiatione: si igitur filiatio etiam refertur, aliqua relatione refertur, & relationis est relatio, & hoc procedet in infinitum.

Septima.

Adhuc generatione actiua pater efficitur pater, & fit paternitas in ipso: & si generat alium filium, eadem ratione fit in ipso noua paternitas, & eadem ratio est de tertio, ac deinceps: videtur ergo, quòd multæ paternitates secundum idem fiunt in eodem. Sed contra hoc est: quia duo accidentia eiusdem speciei non possunt esse simul in eodem secundum idem, sicut duæ albedines: fiunt enim vnum accidens: quia nec essentiæ ac substantiæ possunt habere differentiam. Ergo etiam duæ vel plures paternitates in eodem secundum idem esse non possunt.

Vltima.

Si dicatur, quòd distinguuntur respectu diuersorum filiorum, contra hoc est: quia secundum quod sunt in patre, per hoc distingui non possunt. Adhuc autem relatio accidens est genere, quia in subiecto est: & postea est comparatio ad alterum: ergo habet in se duo: & sic generalissimum est compositum, vt videtur.

Responsio ad primum.

Ad hæc autem & his similia dicendum videtur, quòd vnum accidens non est in duobus subiectis vt subiectis, sed vnum in vno vt subiecto, & in altero non vt in subiecto, sed sicut in termino & fine ad quę sumitur dependentia ipsius, sicut paternitas est in patre vt in subiecto, & in filio vt in termino ad quem sumitur dependentia ipsius: & sic filiatio est in filio vt in subiecto, in patre autem sicut in termino finiente dependentiam ipsius: & hoc est ad patrem & non in patre: & sic pater cadit in diffinitione filij, & è conuerso. Nec est inconueniens, quòd hoc modo diuerso vnum accidens ad duo se habeat.

Stat idem accidens esse duorum, vnius vt subiecti, & alterius vt termini.

Ad secundam.

Ad aliud dicendum, quòd duæ oppositæ relationes, siue correlationes non sunt vna: comparatio enim relationis in medio duorum relatiuorum nihil est: quia, sicut iam dictum est, relatio in vno non est, sicut in subiecto, & non extenditur essentialiter ad aliud: sed vnum dependet ad ipsum secundũ intellectum.

Ad tertiam.

Et quod obiicitur de eadem via quæ est de Thebis ad Athenas, & è conuerso. Dicendum, quòd omninò simile non est, nisi in terminis: medium autem extensum non habet, sed per extensionem non habet nisi inclinationem dependentiæ vnius ad alterum: & ideò non est omnino simile.

Ad quartam, & quintam, & sextam.

Ad aliud autem dicendum, quòd paternitas, & relatio, & huiusmodi abstracta, sunt de prædicamento relationis in genere vel in specie, vt concepta, & non vt exercita: & ideò talia ad nihil referuntur, sed ipsis vt formis ea quæ referuntur adinuicem, scilicet relatiua, referuntur, relatio relatione, & pater paternitate, & huiusmodi: & ideò non itur in infinitum.

Paternitas & relatio & huiusmodi relatiua vt concepta non referuntur, sed ipsis alia referuntur.

Ad septimam.

Ad aliud dicendum, quòd multæ paternitates non fiunt in vno: cum enim vnum sit principium ex quo generat pater, & actus generationis specie vnus ad omnes genituras, vna erit paternitas ad omnes: sed multi filij multis filiationibus numero referuntur ad ipsum vnum patrem.

Obiectio.

Et si obiicitur, quòd mortuo filio non est pater: & ponamus, quòd vnus filiorum moriatur, tunc videtur semper, quòd vna paternitas destruitur, & manet. Dicendum, quòd non est verum: non enim facta tali positione destruitur paternitas simpliciter, sed destruitur respectus eius ad hoc: & hoc non est destrui simpliciter.

Solutio.

Alia obiectio.

Et si secundo obiicitur, quòd paternitas non est nisi respectus: & si destruitur quoad respectum, tunc videtur destrui simpliciter. Dicendum, quòd hoc non est verum: manet enim adhuc in causa: & ideo non simpliciter destructa est: dico enim, quòd manet in causa ad effectũ reducta respectu aliorum filiorum.

Solutio.

Ad vltimam.

Ad vltimum dicendum, quòd relatio est accidens: & ita oportet, quòd aliquid addatur accidenti per quod fiat huius generis accidens: & sic omne generalissimum est compositorum ex duobus intelligibilibus: propter quod generalissima dicuntur species entis: vnde etiam propria non assignantur eis nisi prout sunt species entis: quia omne proprium causatur à specie, vt dicit Boet. species autem habet duos intellectus, sicut sæpè in scientia de vniuersalibus dictum est.

Generalissima dicuntur species entis, nec propria eis assignantur nisi prout sunt species entis.

TRACTATVS

TRACTATVS V.

De qualitate.

CAPVT I.

Quid sit qualitas, & secundum quam intentionem sit vnum de decem prædicamentis.

Ratio ordinis huius prædicamenti qualitatis.

POSTQVAM iam dictum est de quantitate quæ cum substantia proxima ordinanda fuit, eò quod substantia nec motui & alterationi secundum quam fiunt formæ accidentales multæ in substantia, per quantitatem subiicitur, eò quod non mouetur, nisi quantum, vt probat Arist. in 6. phys. Postquam etiam ad aliquid determinatum est, quod alteram partem accidentis importat, quod est ad aliquid quodammodo se habere: nunc de qualitate restat dicendum, eò quod per qualitates actiuas & passiuas ad agere & pati substantia disponitur, quæ sunt sequentia prædicamenta: per ad aliquid autem quodammodo efficitur susceptibilis vbi, & quando, situs, & habitus. Et ideo ista quatuor prædicamenta quasi principia disponentia ad illa sex quæ sequuntur, præmittuntur. In quantitate enim determinatur de esse quod accidenti conuenit. In ad aliquid autem determinatur ad aliquid se habere, à quo non absoluuntur vbi, & quando, situs, & habitus. In qualitate disponitur substantia ad agere & pati, quæ duo qualitatem consequuntur. Hæc igitur quatuor præcedunt, vt substantiam ad sequentia disponentia. Et quia ad aliquid se habere accidit ex comparatione suæ substantiæ ad aliquid: qualitas autem ex hoc quod est actiua vel passiua ab alio vel in aliud: ideo ad aliquid ordinatur ante qualitatem.

Quare ad aliquid præcessit qualitatem.

Intellectus descriptionis qualitatis.

Assignando igitur qualitatis descriptionem dicimus, quòd qualitatem describens, dico secundum quam vt formam accidentalē quales dicimur per denominationem. Non enim (vt diximus) in antehabitis denominatio à substantia fieri potest, eò quod forma substantialis abstrahi non potest, eò quod est in ratione subiecti de quo prædicatur, siue sumpta in potentia vt notio totius, sicut signatur in differentia, siue sit notio totius implicitè, sicut significatur in specie: siue sit notio totius explicitè, sicut significatur in diffinitione: & ideo non secundum illam quales vt quales dicimur, sed potius quod vel quale quid dicimur. Et quia differentia secundum Porphyr. & antiquos non in quale tantum, sed in quale quid prædicatur: quia quamuis prædicetur in quale, tamen quid efficitur in eo de quo prædicatur. Quantitas autem non est secundum quam quales dicimur, sed secundum quam quanti vel aliquanti dicimur. Ad aliquid autem & alia prædicamenta sunt secundum quæ dicimur ad aliquid nos aliquo modo habere: quia comparatione vnius ad alterum non absoluuntur. Et ideo soli qualitati conuenit, quòd secundum eam simpliciter & absolutè quales dicimur: hoc enim nec substantiæ, neque quantitati, neque ad aliquid simpliciter conuenit: quia forma substantialis vel differentia non dicuntur simpliciter quale, sed quale quid, vt diximus. Alia autem prædicamenta & formæ accidentales & prædicamenta accidentalia, aut dicunt id secundum quod formæ accidentales, & prædicamenta accidentalia qualitatem accipiunt per accidens in subiecto, quamuis non insit nisi substantiæ: aut dicunt id quod est ad aliquid se habere.

Differentia non in quale tantum prædicatur, sed in quale quid: nec aliquod aliud prædicamentum prædicatur in quale nisi qualitas.

Ex quo patet, quòd septem sunt prædicamenta respectiua.

Tertius autem modus prædicationis remansit, qui est quales dici: secundum quem modum actiuum & passiuum substantia quæ est subiectum, efficitur. Et iste modus inter simplices modos prædicandi remansit solus. Simplices autem dico, qui in suis prædicandi modis nihil aliud concipiunt, nisi vnum modum simplicem. Omnes enim sex alij modi prædicandi aliquid præter se concipiunt in subiecto de quo prædicantur, sicut actio principium actionis, passio principium passionis, & quando, & vbi, & situs, & habitus concipiunt vnius ad alterum comparationem. Isti autem quatuor prædicandi modi simplices sunt, sicut substantia in quid, quantitas subiecti in quantitatem dimensionum, ad aliquid comparationem, & qualitas qualitatem secundum quam affecta vel disposita substantia perfecta est ad agere & pati. Et quia antecedentes tres modi sunt substantiæ vt substantia est, ideò prius de ipsis erat agendum. Quia verò qualitas non est substantiæ, vt substantia est in seipsa vel comparata, sed est ipsius, vt perficitur ad id quod est agere & pati, propter hoc quarto loco de hoc prædicamento est agendum.

Quatuor tantum sunt modi prædicandi simplices, scilicet substantia, quantitas, qualitas, & ad aliquid: alia autem sex principia aliquid præter se concipiunt in prædicando.

Alia ratio ordinis prædicamenti qualitatis.

Sic ergo qualitatem describens dico secundum quam simpliciter nos, qui homines sumus, quales dicimur: quia quamuis & alia qualia dicantur secundum aliquam qualitatem, tamen non omnia omnium qualitatum sunt susceptiua: sed solus homo inter ea quæ nota nobis sunt, contrariarum est qualitatum susce-

Quare dixit secundum quam quales dicimur. & non dixit actus vel qualia.

Solus homo est susceptiuus omnium qualitatum inter omnia animalia.

ptiuus: habitus enim & dispositionis secundum omnes species habitus & dispositionis non est susceptiuus nisi homo, & non alia existentia nota nobis. Hæc est igitur causa: quia sic dicimus, quòd qualitas est secundum quam quales dicimur: & non dicitur, secundum quam qualia dicuntur.

Obiectio. Solutio.

Et quod posset obiici, quòd differentia est secundum quam quales dicimur: iam solutum est: non enim secundum differentiam simpliciter quales dicimur, sed etiam quid: quia vt dicit Porphyrius, differentia est quod ad esse substantiale conducit, & quod eius quod est esse rei pars est: omnis autem alia forma accidentalis quamuis in quale prædicetur omne accidens, non tamen dicit quale simpliciter, sed potius vel quantum, vel aliquo modo se habere addit supra quale quod prædicat præter solam qualitatem accidentalem: & ideò sola qualitas per quale secundum eam dici recta diffinitione diffinitur.

Obiectio.

Si autē aliquis obiiciat, quòd quale est quod à qualitate quale dicitur, & quale per qualitatem, & qualitas per quale diffinitur: & est idem notius & ignotius altero, & è cōuerso, & idem notius & ignotius seipso. Facile est respondere secundū antedicta, quòd scilicet quando quale per qualitatem diffinitur, datur diffinitio ex notioribus simpliciter: quando autem è conuerso qualitas per quale diffinitur, tunc datur per notiora quoad nos: & hoc modo non est inconueniens idem esse notius & ignotius altero, nec seipso.

Solutio. Quomodo vtraque diffinitio & qualis per qualitatem & qualitas per quale, est per notiora.

In qua intentione qualitas vel quale sit prædicamentum.

Ab his autem facile est intelligere in qua intentione qualitas vel quale sit prædicamentum: est enim qualitas vel quale prædicamentum secundum quod est prædicans simpliciter quale & nihil aliud: hoc enim est solum quale accidentale omninò absolutum à comparatione & quantitate quæ possint ipsum ad aliud genus prædicamenti determinare, sicut diximus.

Quare non dixit quantitatem esse secundum quam quanti dicimur sicut dixit de qualitate.

Ex hoc autem facile patet quare de prædicamento quantitatis non diximus, quantitas est secundum quam quanti dicimur: quantitas enim in quale prædicatur, eò quod est accidens: sed id quale materiale est in ipsa ad quantitatem per quam ad genus prædicamenti determinatur. Et ab illo communi quanto vnius modi non poterat haberi communis denominatio: quia aliter fit denominatio à quantitate discreta, & aliter à continua. Adhuc autem quantitas est propinquissima substantiæ: & ideò subiectum potius constituit secundum esse quo substare potest motui qui est secundum accidentia, quam denominet propriè loquendo. Qualitas autem continet terminos motus secundum quos fit substantiæ denominatio.

Obiectio. Solutio. Quomodo motus est in quantitate. Denominatio secundum quale simpliciter soli conuenit qualitati: aliis autem non nisi per determinationem ad aliquod aliud formale.

Et siquis obiiciat, quòd motus etiam est in quantitate, & sic deberet esse denominato. Iam in antehabitis hoc solutum est, quòd motus non est in quantitate secundum quod est quantitas, sed secundum rationem perfecti & imperfecti quæ sunt qualitates in quantitate. Contingit ergo propriè soli qualitati simpliciter secundum quale denominatio, & secundum hoc simplex prædicatum ipsa est prædicamentum: quia etsi in aliis prædicamentis quale prædicatur, tamen ad aliquod aliud formale determinatur.

CAPVT II.

Qualiter qualitas multipliciter dicitur, & de speciebus eius.

Est autem qualitas, &c.

EST autem qualitas secundum quod sic in communi accipitur vt prædicamentum, de numero eorum quæ multipliciter dicuntur. Non autem sic dicitur multipliciter, vt æquiuocum, vel analogum quod per prius & posterius dicitur: sed est multipliciter dictum vt genus, quod per diuersas differentias in ea diuiditur quæ sunt sub ipso æqualiter, ita quòd æquè exeunt ab ipso, & non vnum per aliud. Sic enim sunt quatuor genera vel species qualitatis: quorum nullum per alterum participat qualitatis prædicationem: & ideò species qualitatis ab hoc communi quod est qualitas, exeunt vt multitudo. Propter quod dicimus, quòd qualitas de istis dicitur vt de multis, & non vt de vno per quod de aliis dicatur, sicut substantia, vel aliud genus: quia etiam in quantitate quantitas continua non fit mensura substantiæ nisi quantitas continua fiat numerus. Et in aliquid ad ea quæ sunt ad aliquid secundum modum, oportet quod respiciatur ad ea quæ sunt ad aliquid secundum veritatem: & sic ad vnum ordinantur. In qualitate autem statim commune multiplicatur in quatuor, quorum vnum non participat commune per alterum, sed sunt coæqualia sub ipso quod commune est.

Qualitas est multipliciter dicta, id est, habēs sub se multas species subalternas.

Quare dixit qualitatem esse multipliciter dictam, id est, dici de multis: & hoc non dixit de aliis.

Et si quæritur, secundum artem diuidendi cuius sit diuisio, quando diuiditur qualitas in quatuor genera vel species qualitatis? Constat, quòd non potest reduci nisi ad generis in suas species diuisionem: sed illæ quatuor species sunt coæquæ sub genere, & nulla alteri subalterna.

Obiectio. Solutio.

Si autem obiicitur, quòd diuisio debet esse bimembris. Dicimus, quòd hoc verum est quando datur omninò per differentias in genere vel specie constituentes: has enim oportet esse oppositas per affirmationem & negationem, sicut rationale & irrationale: quando autem datur diuisio accidentis in modos vel species quibus accidens efficitur in substantia, non oportet: quia illi modi non sunt finiti, nec finitam stantem & ordinantem habent causam. Et ideo oportet dare talem dispositionem per modum multiplicitatis & multitudinis: & sic est de speciebus qualis & qualitatis; nam in qualitate talis conuenit diuisio. Et hæc est causa quod (sicut dicunt Alexand. & Boēt.) ipse Aristot. hoc prædicamentum intitulauit de quali & qualitate: quia qualitas non cognoscitur nisi ex modis eius quod est quale, cum de modis substantiæ qualitas hæc vel illa causetur.

Obiectio. Solutio. Quomodo intelligitur illud dictū, quòd diuisio debet esse bimembris.

Quare hoc prædicamentum intitulatur de qualitate & quali.

Prima autem harum est, quæ communius respicit substantiam, quæ habitus & dispositio dicitur: hæc enim incorporeæ substantiæ conue-

nit

uenit & corporeæ rei quæ est ex vtrisque composita, vt homo. Et conuenit secundum animam & secundum corpus: quia scientia & virtus secundum animam inſunt homini, & sanitas & complexio quæ sunt habitus & dispositiones, inſunt homini secundum corpora. Habitus igitur & dispositio primæ sunt species qualitatis.

Prima species qualitatis.

Et vna quidem species, &c.

Quamuis autem circa idem sunt habitus & dispositio, & ideo dicuntur vna species qualitatis: tamen quia oppositum modum vel oppositos modos dicunt circa idem subiectum in quo sunt, & quod secundum ea quale dicitur, vnum nomen habere non possunt, quia oppositа non significat nomen vnum, vt dicit Arist. in 4. primæ philosophiæ. Et hæc est causa quare vnus modus dicitur habitus, & alius modus dicitur dispositio. Habitus autem est nomen perfecti in hac specie: dispositio autem est nomen imperfecti. Et ideo principale nomen est habitus, & secundarium quod adhuc est in fieri, est dispositio. In quocunque autem sunt (vt dictum est) circa idem sunt, non ex æquo, sed secundum quod subiectum per ea quale efficitur: hoc enim mouetur ad hoc, & est in fieri: & postquam perfectè ad hoc natum est & in facto esse, & tunc est perfectum: & ideo quandiu est in fieri, est in dispositione: quando autem est in facto esse, tunc est in habitu. Habitus igitur est actus quidam, dispositio autem est admixta potentiæ.

Quare prima species qualitatis nominatur duobus nominibus.

Tex. com. 27.

Differunt habitus, &c.

Quomodo differt habitus à dispositione.

Ex quo patet, quòd habitus differt à dispositione: eò quod habitus diuturnior est & permanentior in subiecto in quo est: quod fit vel vsu temporis, vel radicatione in subiecto quæ fit per remotionem eorum quæ impediunt subiectum ad expeditè agendum id cuius accipit habitum: dicit enim Auerr. 3. de anima, Habitus est quo quis aliquid agit quando voluerit. Vnde habitus est qualitas qualem faciens potentiam ad perfectè agendum effectum illius potentiæ proprium, siue sit potentia animæ, siue corporis. Tales sunt habitus intellectuales, vel rationales, vel opinatiui, vel virtutes quæ insunt secundum voluntatem, & secundum alias partes appetitus, sicut est concupiscibilis & irascibilis, & etiam secundum rationem secundum quod ipsa est rationem participans: quia secundum hanc ordinatiua est aliorum: & est in ea sicut virtus moralis quæ dicitur iustitia. Scientia enim & virtus secundum suum nomen videntur esse de numero eorum quæ sunt permanentia, & sicut perfecta, & stantia & radicata in subiecto: & videntur esse de numero eorum quæ difficile mouentur, siue remouentur à subiecto. Huiusmodi autem exemplum est vt si dicamus aliquem mediocriter scientiam sumere: sumens enim eam non fortiter non tenet: quia de facili delebile est, quod ad perfectum non est acceptum: sed postquam sumpta est, difficile mobilis est à subiecto, nisi fortè fiat grandis permutatio per aliquam amentiam, aut apoplexiam, vel aliud huiusmodi. Et quia non nisi magnis accidentibus mutatur, propter hoc quidem non omninò immobilis est, sed difficile mobilis esse videtur.

Com. 18.

Remanet dubium.

Per ægritudines autem maximè fiunt huiusmodi permutationes: quia quamuis tales habitus insint secundum animam, quia tamen corpus organum est animæ, permutatio corporis impedit animæ operationes & corrumpit habitus tales. Talis etiam habitus (cum perfectè & ad actum expeditum habetur) dicitur. Similiter dicitur & virtus, quæ est fortitudo, & iustitia, vel castitas, & huiusmodi, quæ sunt de numero talium, quæ scilicet dicunt perfectiones ad proprium & generalem actum, siue sit naturæ, siue sit artis, sicut visus habitus est naturalis, & scientia & virtus habitus sunt acquisiti, & sanitas habitus corporis & ægritudo. Similiter quando talia perficientia potentias animæ vel corporis ad actus sibi debitos, radicata sunt & adepta sic, vt non facilè possint à subiecto remoueri nec facilè permutari nisi ex magnis permutationibus: tunc dicuntur habitus: eò quod tunc habeantur adeptione perfecta: & quia tunc potentia quæ ante nutabat in actu & fluctuabat, stat in ipsis, sicut in forma perficiente & perfecta ad operationes illius potentiæ.

Habitus quando sic dicantur.

Affectiones verò dicuntur siue dispositiones, quando subiectum non nisi aliqualiter est affectum vel dispositum per illa, & potentia nondum adepta est perfectè, sed continuè disponitur ad aliud. Et ideo tales dispositiones vel affectiones sunt facilè & citò etiam paruis occasionibus permutabiles in contrarium, sicut calor quando primum afficit corpus, & non transiuit in habitū, sicut in ethico in quo habetur calor vt habitus: & sicut frigiditas quæ primo afficit id quod tangit, & adhuc non transiuit in habitum, sicut in eo qui frigida paralysi dissolutus est: & sicut sanitas quæ est habitus & medietates temperatæ ad naturam complexionis, & ægritudo quæ est huiusmodi medietatis distemperantia, & alia huiusmodi: circa enim talia quandiu dispositiones sunt, afficitur homo quodammodo tactu metaphorico ad non magnam immutationem: cito enim & facili occasione permutatur homo talibus, sicut cum ex calido frigidus fit, & è conuerso: & sic facilè ex sanitate in aliquam ægritudinem transit. Similiter autem est in aliis habitibus per modum habitus dictis. Dispositio enim quodliber talium dicitur, nisi forte in his quæ dicta sunt sic fiat, quòd contingat ea per longitudinem temporis transferri in aliquod simile naturæ cuiuscunque, quod secundum ea quale dicitur: tunc enim vincit potentiam, & stat in eo potentia sicut in vltimo perfecto: & tunc est habitus: & tunc aliquis secundum ista efficitur insanabilis, hoc est, non facilè sanabilis & permutabilis ad formam habitus: talis enim affectus siue dispositio afficiens quemcunque, non de facili mobilis efficitur: & est talis quem quilibet rectè loquens habitudinem vel habitum potius quam affectum vel dispositionem nominat.

Affectiones verò, &c.

Quod autem ipsa sua substantiali ratione velint habitudines nominari & non dispositiones, manifestum est quando sunt difficile mobilia & tempore diuturniora per quod transeunt in modum naturæ. Et hoc patet inductione: namque in disciplinabilibus qui disciplinas etiam non multum sunt retinentes, sed

sed adhuc ab eis facilè mobiles sunt per oblivionem, dicuntur habitum scientiæ disciplinalis non habere, quamuis ad disciplinam sint vel pejus, vel melius fortè dispositi & affecti. Propter quod patet, quòd differt habitus à dispositione non formaliter, sed in hoc quod dispositio facile mobile aliquid est: illud autem quod est habitus, diuturnius radicatum est, & ideò difficilè mobile.

Sunt autem habitus etiã dispositiones, &c.

Quomodo dispositio est quasi genus ad habitum.

Habent autem ad inuicem habitus & dispositio secundum quod qualem faciunt substantiam, quodammodo sicut inferius & superius: & ideò ad idem & ad eandem pertinent speciem. Habitus enim sunt aliquo modo dispositiones: sed dispositiones non necesse est esse habitus. Dispositio enim est id quod disponit ad aliquod agendum: & cum habitus perficiat & inclinet potentiam ad actum siue operationem, est habitus secundum hoc dispositio. Propter quod dicit Tullius, quod habitus est dispositio perfecti ad optimum. Et hoc modo vult Aristot. in ethicis, quòd habitus est dispositio ad felicitatem. Sed dispositiones non necesse est esse habitus: cuius probatio est: quia qui retinent habitum, sunt etiam quodammodo dispositi: quia dispositio dicit ordinationem potentiæ ad actum. Vnde habitum habentes, dispositi sunt, pejus vel melius ad ea quæ habent, habitum. Qui autem quodammodo dispositi sunt, non sequitur omninò siue vniuersaliter quod retineant habitum. Et huius causa est, quòd dispositio nomine suo non dicit nisi ordinationem potentiæ ad actum: & hoc potest esse vel plenè adeptum, & sic est habitus, vel non plenè, & sic non addit aliquid super commune nomen dispositionis, & vocatur nomine communi dispositio: & inquantum deficit à perfecto, opponitur habitui, & ideò nomen habitus non meretur.

Quomodo dispositio est quasi genus ad habitum, quandoque citra distinguatur ab habitum.

CAPVT III.

De dubitationibus quæ sunt circa prædicta.

Prima dubitatio.

EST autem in his quæ dicta sunt multa dubitatio. Est enim primum dubium, cum vna species qualitatis sit vna forma simplex, videtur quòd vnico & simplici nomine habeat nominari. Et videtur, quòd hæc species vnum simplex nomen habere debeat, vt dicatur habitus vel dispositio tantum altero nomine: non autem dicitur habitus & dispositio tanquam vtrumque nomen conueniat per copulatiuam coniunctionem.

Secunda.

Adhuc propter hoc quod est facilè mobile vel difficile, videtur quod non deberet nomen geminari vel variari: quia hæc accidunt eidem, & propter accidens nomen substantiale variari non debet, vt videtur.

Tertia.

Adhuc autem cum ex similibus actibus similes relinquantur dispositiones & habitus, videtur quòd tam habitus quam dispositio habeant causam efficientem quæ formaliter agit vnum: cum autem formaliter agens non nisi ad formam suam agat in eo in quod agit & formam suam inducit, videtur quòd dispositio & habitus sint vnius formæ sed à forma nomina imponuntur. Videtur igitur, quòd vno nomine formali debeant nominari. Et hoc quidem concesserunt antiqui, vt videtur Boëtius innuere, & hoc quod nos dicimus dispositionem & habitum, communi nomine applicationem nominauerunt.

Antiqui habitum & dispositionem simplici nomine applicationem dixerunt.

Quarta.

Vlterius etiam quæritur, cum ex dispositione fiat habitus, qualiter fiat habitus ex dispositione: quia enim ex actibus relinquuntur dispositiones, oportet quòd aliquid formale relinquat primus actus, & aliquid secundus, & sic deinceps: aut ergo idem est quod relinquitur ex actibus, aut non est idem. Si idem, sequitur quòd idem simpliciter secundum formam agatur à multis agentibus tempore diuisis: quod non est intelligibile: idem enim & vnum non potest habere multas causas æquè propinquas secundum vnum & idem genus causalitatis. Si autem diuersa sunt quæ relinquuntur ex actibus: tunc quæritur, quid illa vniat in vna habitus substantia? hoc enim non potest facere subiectum: quia vnitas subiecti non facit accidentium vnitatem: quia in vno & eodem subiecto multa sunt accidentia & genere & specie differentia.

Quinta.

Adhuc quæratur, quot actus, vel quid siue quantum tempus exigitur ad hoc quod de dispositione fiat habitus?

Sexta.

Adhuc secundum Aristot. in 2. de anima. cum aliquis de non sciente fit sciens, est motus quidam: in alteratione autem est motus, in quo est quale post quale, & forma post formam, & continuè fluxus de potentia ad actum: & secundum hoc videtur, quòd operationes habitum inducentes secundum formam scientiæ vel virtutis continuè alterent potentiam animæ & animam, donec veniat in actum perfectum scientiæ vel virtutis, & hoc fit ex dispositione fieri habitum, quòd dispositio sit sicut motus, & habitus sit sicut finis motus, quando est in motum esse in actu perfecto. Sed si hoc conceditur: tunc videtur, quòd operationes quæ disponunt, non sint continuæ, sed interruptæ: & qui sic accipit habitum, non mouetur motu continuo, sed interrupto: & videtur, quod multoties sit in motum esse, & sic multoties in habitu, vt videtur.

Tex. com. 57.

Septima.

Adhuc multi sunt habitus qui non fiunt ex præcedentibus dispositionibus, sicut habitus infusi & concreati: & sic non semper est habitus ex dispositione.

Octaua.

Adhuc vlterius quæritur de hoc quod videtur dicere Aristot. dispositiones esse affectiones: & videtur, quòd calidum & frigidum, siue calorem & frigus vocet dispositiones & habitus, quæ sunt potius in tertia specie qualitatis, quæ est passio *vel* passibilis qualitas. Si autem dicatur, quòd sunt in prima specie & in tertia secundum aliquem modum. Contra hunc modum hoc est quod supra in antehabitis determinatum est, quòd scilicet diuersorum generum non subalternatim positorum diuersæ sunt species & differentiæ: dispositio autem & habitus, & passio vel passibilis qualitas, diuersa sunt qualitatis genera & non subalternatim posita.

Ad primam. Ad hæc autem & similia dicendum videtur, quòd dispositio & habitus sunt vna species & prima qualitatis, quæ facit quale secundum accidentale in denominationem. Sunt autem vna species ab vna forma qua informatur subiectum in specie: quia dispositio eiusdem speciei est cum habitu, sicut si dispositus sit aliquis scibili logico vel geometrico, idem scibile perfectè habet quando scientiam habet in habitu. Vnde scibile in dispositione, & scibile in habitu est eiusdem formæ in scientia: & propter hoc etiam vna species & non duæ sunt qualitatis habitus & dispositio. Nominatur autem duobus modis: quia ipsa non nominatur tantum quale quod talis qualitas relinquit in subiecto secundum formam: sed nominatur & hoc accidens secundum quod est id quale in subiecto, secundum hoc quod perfectè subiectum habet illud vel imperfectè. Quæ duo quia modum habent oppositum, vno nomine nominari non possunt, sed vnum est imperfectum, alterum perfectum ad actum: habens enim habitum sine impedimento agit cum voluerit, dispositus autem agit impeditè. Et quia, vt dictum est, ad vnam formam pertinent habitus & dispositio, ideò nomina perfecti & imperfecti per copulatiuam coniunguntur coniunctionem, quia indifferenter per esse per ecti & imperfecti quæ in motu vno ordinantur ad vnum finem: ideò dispositio materialis est ad habitum, & dispositio est actus imperfecti: habitus autem est actus perfecti & constituti. Hæc est ergo causa duorum nominum & ordinis dispositionis ad habitum, & copulationis quæ coniungit inter duo nomina.

Quare prima species qualitatis fuit nominata duobus modis.

Quare per copulatiuã coniunctionem coniunguntur habitus & dispositio.

Ad secundam. Ad id autem quod obiicitur, quòd facilè esse mobile vel difficilè sunt accidentia quaris, secundum quod est in substantia. Dicendum, quòd hoc verum est: sed quia nomina ab his accidentibus imponuntur, propterea necesse fuit dari duo nomina. Et quod obiicitur, quòd duo sunt nomina illius qualis secundum formam. Dicendum, quòd hoc verum est: sed sunt nomina qualitatis illius, secundum quod quale quod dicit qualitatem illam, radicatum est in subiecto: & a talibus accidentibus sæpè fiunt impositiones nominum, maximè autem in accidentibus quorum propria nominatio & etiam diffinitio est, quòd nominentur secundum quod sunt in subiecto à quo & in quo esse & nomen & diffinitionem accipiunt: & hæc est causa, quòd duo sunt nomina illius speciei, quæ tamen in forma vnum sunt & in fine.

In accidentibus sanè vnitate formæ multiplicantur nomina propter eorum multiplicem modum essendi in subiecto.

Ad tertiam. Ad hoc autem quod obiicitur, quòd ex similibus actibus similes relinquuntur dispositiones & habitus. Dicendum, quòd verum est: & verum est etiam, quòd sunt vnius formæ: sed non semper à forma est nominatio: quandoque enim sicut dictum est, fit denominatio ab accidente formam consequente, & sic fit hic quando dicitur dispositio & habitus. Ad hoc quod dicitur, quod antiqui hanc speciem vno nomine applicationis nominauerunt. Dicendum, quòd hoc verum est: & ideò per errorem decepti istas species dixerunt non esse species qualitatis, sed dixerunt eas per modos distingui per quos efficiuntur in substantia, siue per modos per quos insunt subiecto: & quia prima species est per modum acquisitionis per ipsas subiecti operationes, & quod per operationes acquiritur, subiecto paulatim applicatur, ideò primam speciem applicationem communi nomine dispositionis & habitus notauerunt. Et quia secunda species est de potentia consequente esse substantiales, per quod efficitur aliquid potens ad agendum vel patiendum, ideò illam communi nomine naturalem aptitudinem dixerunt. Quia verò tertia est de his quæ casu agunt in sensibus passiones, vel aguntur ab illis, ideo illam speciem communi nomine vocauerunt casum. Quia autem per quartam speciem componitur substantia in partibus secundum certitudinem terminationum suæ quantitatis, ideò illam communi nomine vocauerunt compositionem. Et quamuis hoc illa ratione quæ dicta est, verum sit, tamen patet, quòd illa nomina communia non dicunt species & formas differentes qualitate & quali quod à qualitate quale dicitur, & sic habent propriè distingui secundum quod etiam species quantitatis, & eius quod est ad aliquid distinctæ sunt: hæc autem in modo distinguendo vnum nomen habere non possunt.

Denominatio non semper sumitur à forma, sed quandoque ab accidente formam consequente.

Quomodo quidam dixerunt species qualitatis non esse species, sed modos.

Quomodo antiqui vocabant species qualitatis nomine applicationis, scilicet primam applicationem, secundam aptitudinem, tertiam casum, quartã compositionem.

Ad quartam. Ad hoc autem quod vlterius quæritur de relatione dispositionum & habituum ex actibus siue operationibus, dicendum quòd verum est, quòd ex similibus actibus similes relinquuntur habitus & dispositiones. Actus autem inducunt dispositiones & habitus duobus modis. Vno modo dispositiones & habitus contrarios à subiecto quod est potentia secundum quam fit operatio remouendo: & hunc modum dixerunt Socrat. & Plato, qui dixerunt scientias & virtutes ineſſe per naturam, & per studium & exercitium depurari subiectum vt eluceat in anima quod est per naturam, sicut lapis pretiosus politione quidem nihil accipit, sed cum abstergitur ab eo quod impurum est, tunc micat in eo puritas naturalis. Hic est ergo vnus modus quo contrariæ dispositiones remouentur. Secundus autem modus est quo generatur in actu forma in anima, quæ est operationi formæ similis, sicut in eo quod mouetur forma motoris secundum actum, quæ antequam moueret motum, non fuit in eo quòd mouetur nisi secundum potentiam: & sic de potentia ad speciem operationis educitur anima in dispositione & habitu. Ad hoc autem quod quæritur, verum idem sit quod relinquitur ex primo actu cum eo quod relinquitur ex secundo, & sic deinceps? videtur secundum Arist. quòd idem est in substantia formæ, sed diuersum secundum esse: esse enim relictum ex prima operatione, magis est permixtum potentiæ quam relictum ex secunda, sicut in motu quod est iuxta principium, magis in potentia est quam id quod est iuxta finem. Quod autem vlterius infertur, quòd vnum & idem sic habet multas causas secundum genus causalitatis. Dicendum, quòd nihil est inconueniens: dummodo illud idem sit diuersum secundum esse:

Socrates & Plato viluerunt scientias & virtutes ineſſe per naturam nobis.

esse: quia sunt diuersa agentia efficitur in esse, & esse diuerso quousque stet in actu vltimo: & sic in vno alterato possunt esse diuersa non specie, sed numero alterantia, & in vno augmentato possunt esse diuersa non specie, sed numero augmentantia: & hoc nihil est inconueniens. Sed quod simul in vna & eadem hora sint diuersa, & æquè immediata secundum vnum & idem genus causalitatis in idem eodem modo agentia, hoc esse non potest.

Ad quintam. Ad hoc autem quod quæritur, quot numero actus vel quantum tempus requiritur ad hoc quod ex dispositione fiat habitus? Dicendum, quòd non est determinare: quia subiecta non æquè habilia sunt ad habitus susceptionem: & ideo in vno plura, in alio verò pauciora requiruntur.

Ad sextam. De motu augmenti quomodo sit continuus: & de hoc vide etiam 3. physic. com. 6. & D. Albert. ibi. Ad hoc quod quæritur de talis motus continuitate vel interpositione. Dicendum, quòd nihil prohibet motum hunc ex parte mobilis esse continuum, & ex parte motoris esse interruptum. Hoc dicit Auer. super 2. de anima, & super librum de generatione & corruptione, quod si aliquis per annum augeatur per spatium cubiti, non est necesse quod hoc qualibet septimana, & quolibet die & qualibet hora proportionaliter secundum diuisionem temporis augeatur: aliquando enim minus, aliquando plus augetur, cum semper exeat de imperfecto ad perfectum, vel exeundo à dispositione contraria, vel augmentum accipiendo. Ita etiam dicendum est hic, quòd motus est continuus ex parte mobilis continuè deponendo dispositiones contrarias, vel speciem mouentis actipiendo: sed non oportet, quòd motor semper maneat actu: quia forma quam primo impressit ipsa in se habes virtutem motoris, mouet actu, sicut est virtus mouens in semine: propter quod non sequitur, quòd motus sit aliquando ex parte mobilis interruptus. Et ideo dicit Boëtius, quòd scientia principiorum in sensibilibus seminalem sensualem habet virtutem ad scientias.

Ad septimã. Ad hoc autem quod dicitur, quòd multi sunt habitus connaturales & concreati, qui ex dispositionibus non videntur relinqui. Dicendum, quòd multi habitus connaturales ex dispositionibus relinquuntur naturalibus, vt habitus visus ad quem per principia alterantia disponitur oculus intuentis ex humorum oculi adunatione. Quidam etiam sunt ad quos subiectum per naturam statim dum esse disposítum est, & illi fundantur in dispositionibus suis, quamuis habeant dispositiones se tempore præcedentes.

Ad vltimã. Dispositio dicitur affectio per similitudinem quãdam. Ad hoc autem quod dispositio dicitur affectio ab Aristot. Dicendum, quòd hoc dictum est per quandam similitudinem: quia sicut affectio est per suam operationem aliquid faciens, hoc est quod actione appropinquat, sed id in quod agit, nondum per actionem suam ad formam suam conuertitur: ita dispositio est quædam patientis & moti ordinatio ad actum agentis quem nondum perfectè adeptum est: & per hanc similitudinem dispositio dicitur affectio. Et quod dicitur de calido & frigido per affectionem vel per modum habitus susceptro, totum per similitudinem dictum est ad modum accipiendi habitum & dispositionem: & non est ideo dictum, quòd calor & frigus per se sint habitus & dispositiones, sed ideò quia receptio eorum in subiecto aliquando est per modum dispositionis, aliquando per modum habitus. Et ex his patet solutio quæstionum.

Quomodo calor & frigus sunt dispositiones.

CAPVT IV.

De alio genere qualitatis quod naturalis potentia vel impotentia dicitur.

Aliud verò genus qualitatis, &c. ALiud verò genus non quidem generalissimum, sed genus subalternum est, quod dicimus naturalem potentiam vel impotentiam. Est enim quædam qualitas in substantialibus principiis rei radicata, quæ totum substantiale esse constitutum & perfectum consequitur, secundum quam quales, hoc est, potentes dicuntur ad facilè faciendum vel patiendum, & non facilè faciendo ea quæ sunt secundum naturam vel naturæ conseruationem. Et quando quidem talis potentia causatur ex victoria formæ super materiam quam formam perfectè ad se terminat & tenet terminatam, ita quod contrariis resistit alterationibus: tunc vocatur talis qualitas naturalis potentia: naturalis quidem, quia in naturalibus principiis radicatur: potentia autem est, quia est vigor & valor formæ super materiam ad agendum ea quæ sunt secundum naturam sine impedimento. Per oppositum autem naturalis impotentia causatur ex victoria materiæ & priuationis super formam quam contraria impedit dispositio: quam materiam perfectè comprehendere & ad se terminare non potest: & ideo vigor diminuitur ad actiones naturales, & facilè patitur, & vincitur à contrariis. Et dicitur naturalis impotentia, non quia natura huius defectus principium sit, sed quia natura impeditur contrariis dispositionibus ne ad talem vigorem possit peruenire.

Quid sit naturalis potentia vel impotentia, & ex quibus causis causatur.

Hoc igitur genus & non species dicitur: quia conuenientia in genere minor est quam conuenientia in specie, conuenientia enim in genere conueniunt in potentia materiæ, conuenientia enim in specie conueniunt in actu & forma: & quia naturalis potentia vel impotentia non conueniunt nisi in potentia materiæ, ideò dicuntur genus, quia in solo genere conueniunt. Et quia non vniuntur in vno hæc duo, ideò non per copulatiuam, sed per disiunctiuam disiunguntur coniunctionem.

Quare Arist. vocauit eam genus, & nõ speciem.

Quare dixit, potentia vel impotentia, & non dixit potentia & impotentia.

Naturalis igitur potentia est qualitas secundum quam habentes eam potentes ad naturalia dicuntur. Naturalis in potentia etiam quales facit secundum quam eam habentes impotentes dicuntur ad naturalia. Hæc igitur à principiis habita species, aliud est genus qualitatis secundum quod quales dicimus aliquos pugillatores, qui ex ipsis principiis naturam constituentibus apti sunt fortes ictus dare, vt qui fortiora & exercitata ad morum facilem habent brachia & non impedita: & secundum quod dicimus quosdam ex naturalium

Qui sint pugillatores.

Qui sint boni cursores. Qui sint salubres, & qui sani vel insalubres.

lium principiorum dispositione cursores, qui valdè longa & agilia & mobilia habent crura, & non magnum pondus corporis quod lassitudinem inducat. Et secundum quod quosdam dicimus salubres siue saluos, vt quorum caro proportionalis est in membris & densa & vestita vndique modico adipe: hæc enim non recipit contraria, & fortiter tenet temperamentum complexionis, & à se repellit nociua. Contrarios autem horum in carnis dispositione dicimus insalubres vel ægrotatiuos secundum naturalem impotentiam: quia nihil horum quæ dicta sunt perficere possunt per potentiam naturalem, hoc modo dicimus sanatiuos vel ægrotatiuos. Et simpliciter siue vniuersaliter dicimus omnia illa: & secundum hãc qualitatem qualiacunq; dicuntur potentia vel impotentia secundum qualitatem quę dicitur naturalis potentia vel imporentia. Hos enim dicimus sic potentes vel imporentes, quod aliquo modo sunt dispositi per aliquid generatum in ipsis.

Vnde non propter dispositionem aduenientem dicimus vnumquodque illorum naturaliter potens vel imporens, sicut illi qui per artem vel exercitium efficiuntur pugillatores vel cursores, vel operatione medicinæ fiunt sanatiui vel ægrotatiui: sed ideò dicuntur tales, quod habeant potentiam naturalem in principiis naturalibus fundatam ad facere quid facile eorum quæ sunt secundum naturam, vel nihil pati eorum quæ sunt contra naturam: sicut pugillatores vel cursores ex naturali potentia dicuntur, non quod sint dispositi arte vel exercitio, sed quia habent naturalem potentiam in principiis naturalibus fundatam hoc facile faciendi siue naturali impedimento: sicut etiam dicuntur sanatiui, eò quod habeant potentiam naturalem, vt contra sanitatem aliquibus leuibus accidentibus patiantur. Ægrotaui autem dicuntur qui ad hoc ipsum habent imporentiam naturalem, nihil scilicet contra sanitatem patiendi. Similiter autem his dicitur durum & molle, & similiter his fese habent secundum potentiam naturalem. Durum enim dicitur, quod à constantia partium habet potentiam naturalem quod non cito fecerur vel diuidatur: molle autem, eò quod cedit citò tangenti, & dicitur eiusdem fecationis passiuum, inquantum ad resistendum habet imporentiam naturalem: & sic de aliis.

CAPVT V.

De dubitationibus quæ sunt circa secundum genus qualitatis.

Prima dubitatio.

ORitur autem dubium circa prædicta: quia cum naturalis potentia vel impotentia sint in primis principiis rei constituentibus radicata, habitus autem & dispositio fiunt acquisita tempore, indigentia, & doctrina, & exercitio assuetudinis, videtur quòd naturalis potentia vel impotentia propinquiora sunt substantiæ quam habitus & dispositio. Videtur ergo quòd naturalis potentia vel impotentia debeat esse prima species qualitatis & non secunda.

Secunda.

Ad hoc idem facit, quòd potentia naturalis præcedit esse: dispositio autem & habitus esse rei consequuntur: videtur ergo, quòd potentia naturalis vel impotentia prima qualitatis species esse deberet.

Tertia.

Adhuc omnis dispositio & habitus supponit ante se potentiam naturalem vel impotentiam. His igitur rationibus prior videtur esse species qualitatis, quæ est naturalis potentia vel impotentia.

Quarta.

Vlterius autem quæritur, vtrum potentia naturalis sit qualitas? potentia enim naturalis est à forma vincente super materiam, vt dictum est: hoc autem modo potentia naturalis est rationalitas, & intellectus, & ratio, & voluntas, & huiusmodi, vt generaliter dicatur, omnis potestas animæ secundum omnem partem ipsius, vt adhuc generalius dicas, omnis potestas formæ secundum quod actionis principium est forma: hæc autem omnia partes substantiales esse dicuntur, & non qualitates.

Quinta.

Adhuc dicit Auer super secundo de anima, quòd omnis diuersitas organorum quæ est in corpore, est propter diuersitatem potestatum quæ sunt in anima: sicut ergo se habent partes corporis ad corpus, sic se habent partes animæ ad animam: partes autem corporis substantiæ sunt constituentes & integrantes corpus organicum: partes igitur animæ substantiæ sunt integrantes potestatem animæ: & sic non sunt qualitates animam consequentes: & similiter est de aliis potentiis naturalibus formarum substantialium quarumcunque.

Sexta.

Eodem modo obiicitur de impotentiis naturalibus formarum: hoc enim nomen fundatur in priuatione, & non videtur fundari in aliquo ente vel in aliqua entis specie: videtur ergo, quòd non sit qualitas aliqua.

Septima. Hanc obiectionem non soluit D. Albertus. Possemus tamen dici eadem, quòd potentia attenditur penes resistentiam, impotentia autem penes non resistentiã: cum autem durum resistat sectioni, videtur habere potentiam naturalem: molle uero cum cedat & non resistat sectioni, videtur habere naturalem impotentiam. Responsio ad primam. Tex. com. 5.

Adhuc autem non videtur rationabiliter dictum quod dictum est, quòd scilicet durum est, quod potest habere potentiam naturalem ad non secari, & quod molle eiusdem rei habet impotentiam: quia eodem modo potest dici, quòd molle habet potentiam naturalem ad facilè secari, & quòd durum eiusdem rei habet impotentiam.

Vlterius etiam quæritur, cum potentia se magis teneat ex parte materiæ quam ex parte formæ, videtur quòd potentia naturalis debeat esse ex victoria materiæ super formam potius quam è contra.

Vlterius etiam adhuc quæritur, quare hæc species vel genus qualitatis vno nomine non nominatur, vt diceretur aptitudo, sicut Socrates & Plato & alij antiqui nominauerunt?

Ad hæc autem & similia dicendum est, quòd habitus est prima species qualitatis, propter hoc quod ipsæ formæ substantiales in materia sunt vt habitus, sicut dicit Aristot. in 2. de anima, quòd ănima secundum quod est endelechia, inest vt habitus, & secundum hoc forma substantialis inest vt qualitas materiæ, & hoc modo differentia est vt qualitas generis.

Quare dispositio & habitus præcedunt naturalem potentiam vel impotentiam.

ris. Quia ergo dispositio & habitus modum suum ponunt in primis substantiæ compositæ principiis, quæ sola subsistat accidentibus, ideò sunt prima species qualitatis. Potentia autem naturalis est consequens esse compositi: est enim consequens ad actum quem forma habet in composito & ad actus consequentes naturam compositi, ideò potentia naturalis est secunda species & non prima. Et quod obiicitur de tempore & doctrina, non est verum de omni eo quòd habet modum habitus, sed est verum de habitu acquisito tantum.

Ad secundam.

Ad hoc autem quod obiicitur, quòd potentia naturalis præcedit esse. Dicendum, quòd hæc est potentia materiæ ad formam & ad esse: & hæc non est naturalis potentia, sed hæc potentia est consequens semper esse.

Ad tertiam.

Ad hoc autem quod dicitur, quòd omnis habitus inest secundum aliquam potentiam. Dicendum quòd verum est hoc: sed non oportet, quòd illa potentia sit esse consequens: quia forma vt habitus inest secundum potentiam esse præcedentem: sed hoc verum est, quòd aliquis habitus vt acquisitus vel infusus inest secundum potentiam quæ consequitur ad esse: sed ex hoc non sequitur, quòd generaliter potentia consequens esse sit ante habitum, vt patet per antedicta.

Ad quartam.

Ad hoc autem quod vlterius quæritur, si potentia naturalis sit qualitas? Dicendum, quòd potentia naturalis ad actus esse consequens, est qualitas & accidens, secundum quod omne illud est accidens quod sequitur ad esse perfectum: quia non est de substantia: hæc autem qualitas fluit à substantialibus sicut proprium fluit ab essentialibus speciei.

Ex quo patet quod potentiæ animæ sunt realiter diffinitæ ab essentia eius secundum D. Albert.

Et quod obiicitur de partibus animæ. Dicendum, quòd anima non habet partes essentiales cum sit substantia simplex: sed secundum quod anima est eorum potestatiuum, sic vires eius intellectus, & voluntas, & sensibilis, & vegetabilis sunt partes eius potestatiuæ, & sic dicuntur potentiæ naturales radicatæ in substantia ipsius: & tamen qualitates, quia sunt ad actus esse consequentes.

Ad quintam. Quomodo non est omnino similitudo partium corporis cum corpore, & partium animæ ad animam.

Et quod dicitur, sicut se habent partes corporis ad corpus: sic partes animæ ad animam: hoc est verum secundum aliquid, & secundum aliquid non est verum: quoad hoc enim verum est, quòd anima comparatur ad corpus, vt principium vitæ & motus: sic enim fluunt potentiæ ab anima, quibus influit vitam & morum corpori: quæ integrant potestatem & virtutem eius, sicut corpus inquantum mobile ab anima & vitam recipiens, non potest esse simplex, sed oportet, quòd à natura eius fluat diuersitas complexionis & compositionis organorum, quibus recipiat diuersimodè vitam & morum: & hæ sunt partes organici corporis inquantum est organicum, & non inquantum est corpus: & hoc modo sic potentiæ sequuntur naturam corporis & substantiam animæ, sicut operatio organorum sequitur naturam corporis: & hoc modo verumque integratur partibus suis potestatiuis. Sed quoad modum communem non est verum: quia potentiæ animæ naturam animæ consequuntur, non vt partes naturales, sed vt proprietates naturam animæ constituentes, sed naturam animæ non derelinquentes: organa autem corporis materiales sunt partes corporis, materialiter ipsum constituentes. Et primo modo loquitur Auer. & non secundo. Idem dicendum de omnibus potentiis naturalibus à forma substantiali post esse substantiale ad actus consequentes fluentibus.

Ad sextam. Quomodo naturalis impotentia non fundatur in priuatione secundum esse sed solum secundum nomen.

Ad hoc autem quod obiicitur de naturali impotentia, dicendum quòd quamuis quantum ad nomen fundetur in priuatione, tamen secundum esse fundatur in contrario quòd est contraria qualitas in materia potentiam naturalem impediens.

Ad septimam. Potentiæ ad esse secundum plus & minus materia autem potentia autem ad agendum plus secundum ex parte formæ. Adhuc autem. Quare secunda species qualitatis non fuit nominata hoc solo nomine, aptitudo.

Ad hoc autem quod dicitur, quòd potentia se magis tenet ex parte materiæ. Dicendum, quòd hæc non est potentia ad agendum quæ est esse consequens, sed potius est potentia ad esse, sicut dictum est in capitulo præcedenti: vnde per hoc patet solutio.

Ad hoc autem quod quæritur de nomine antiquorum, qui istam speciem vocabant aptitudinem. Dicendum, quòd non est nomen vsquequaque conueniens: quia aptitudo non est nomen vniuocum ad potentiam & impotentiam: quia si aliquid est aptum ad agendum, per hoc ipsum non habet aliquid commune isti & illi, per quod erit aptum ad patiendum.

CAPVT VI.

De tertia specie qualitatis quæ est passio vel passibilis qualitas.

Tertia vero species, &c. Quare vocauit passionem & passibilem qualitatem vnam tantum.

TErtia vero species qualitatis est quæ dicitur passio & passibilis qualitas. Hanc enim vnam speciem ponimus, ideo quod formæ qualitatis non differunt, sed sunt eiusdem speciei qualitatis, & aliquando eadem numero qualitas: primo enim est passio, & postea passibilis qualitas. Quia ergo neque in qualitate, neque in quali (quod secundum eas dicitur) specie differunt, ideò dicimus eas esse species & non genus, & vnam speciem hæc duo dicimus esse. Et non coniungemus ea disiunctiua coniunctione, sed copulatiua, vt ponantur ad idem pertinere. Tamen quia passio est afficiens & citò transiens qualitas, passibilis autem qualitas est durans & radicata in subiecto, qui modi sunt oppositi, ad idem nomen non possunt reduci, eò quod hoc nomen ab oppositis rei proprietatibus imponeretur & opposita significaret: ideò duobus modis copulatis hanc speciem designamus. De qualitate enim non possumus loqui nisi sicut de accidente, quod semper in comparatione ad substantiam habet determinari: & ideò oportet, quòd determinetur per modos quibus est in subiecto. Sic igitur dicunt, quòd certia species qualitatis est passibiles qualitates, quæ iam in subiecto radicatæ & firmatæ sunt & passiones.

Quare coniunxit eas per copulatiuam. Quare non vocauit hanc speciem vno nomine.

Huius autem manifestatio est inductione & exemplo. Sunt enim huiusmodi vt dulcedo, amaritudo, austeritas, siue acuitas in sa-

poribus extremis & mediis omnibus, & qui his qui inducti sunt cognati sunt, vt salsedo, ponticitas, & sapor pinguis. Amplius autem secundum tactum calor, & frigiditas, & his similia: secundum visum albedo, & nigredo. Odores autem qui inferunt olfactui passionem, iuxta sapores determinantur, vt dicit Arist. in 2. de anima. & in lib. de sensu & sensato. Differentiæ enim sonorum non inducuntur hic: quia quamuis inferant passionem auditui, tamen ex primis qualitatibus (quæ primo sunt actiuæ & passiuæ, & virtute earum agit quod agit, & patitur quod patitur) non causantur: & ideò etiam non transmutant substantiam nisi per accidens, sicut aer cum tonitruo, vt dicit Aristot. scindit lignum.

Remouet dubia. Primum. Tex. com. 93. secundum Vide 7. phys. com. 14.

3. methe. textum.

Quoniam autem hæc quæ dicta sunt sensibilia, sunt qualitates, manifestum est per descriptionem quam primo dedimus de qualitate: quæcunque enim subiecta suscipiunt illa quæ ita dicta sunt qualitates, & quæcunque etiam informantur ipsis, secundum ipsa qualia dicuntur. Qualitas autem est secundum quam quales dicimur. Igitur ista sunt qualitates. Hoc autem inductione probatur & exemplo, vt mel: ex hoc enim quòd subiectum mellis dulcedinem suscipit, dicitur secundum hoc quale, quia dulce. Eodem modo dicitur corpus album, quia suscipit albedinem se informantem. Similiter autem se habet in cæteris omnibus quæ enumerata sunt.

Passibiles qualitates quare sic dicuntur.

Hæc autem non ideò passibiles qualitates dicuntur, quòd subiecta & obiecta quæ ea suscipiunt vt formas aliquid patiantur vel passa sint accidentali passione vel aliqua alia (quamuis naturali passione digestionis habitu passa sint) sed ideò dicuntur passibiles qualitates, quia passiones inferunt sensui: non enim ideò dicitur dulce, quia aliquid ab extrinseco passum sit, & quod hanc sibi impressit dulcedinem. Similiter autem est de omnibus quæ sunt huiusmodi olfactui vel gustui passionem inferentia. Similiter autem est de calore & frigore in igne vel glacie vel aqua: hæc enim omnia non ideò passibiles qualitates dicuntur, quòd ea subiecta quæ suscipiunt ea, aliquid passa sint extrinsecus: sed ideo quoniam singula eorum quæ dicta sunt, secundum alicuius sensus qualitatem in ipso sensu passionis alicuius ad sensus immutationem perfectiua sunt: & ideò passibiles qualitates dicuntur. Patet hoc inductione: dulcedo enim passionem quandam secundum gustum efficit ad gustus immutationem. Sic facit calor qui passionem facit secundum tactum: & similiter aliæ qualitates tangibiles. Albedo autem & nigredo & alij colores medij non similiter (his quæ dicta sunt) passibiles qualitates dicuntur: non enim sic agunt in subiectum secundum esse materiale, quòd suis qualitatibus informent visum: visus enim albi non est albus, quemadmodum gustus dulcis est dulcis, & sicut tactus calidi est calidus: & ideo in visu non perficiunt colores passibiles qualitates. Sed ostenduntur colores passibiles qualitates: quia ipsi colores qui sunt qualitates, innascitur in nobis ex passionibus quibusdam præcedentibus in nobis. Quod non multæ colorum mutationes sunt in nobis per aliquam passionem præcedentem, est manifestum per inductionem experimenti: erubescens enim aliquis rubeus factus est, cum erubescentia sit timor in turpi perpetrato: timor autè passione & fuga cordis secundū systolem propellens sanguinem in faciem. Et similiter timens aliquis factus est pallidus sanguine à facie ad cor retracto. Similiter vnumquodque talium colorū aliqua innascitur passione: & si tales colores talibus innascūtur passionibus, probatur, quòd si aliquis est naturaliter aliquid similium passus, quod scilicet sanguinem diffundat in facie, vel ad cor reducat sanguinem, illum naturaliter oportet habere similem colorem illi qui passione verecundiæ vel timoris rufus vel pallidus factus est: quod ex hoc constat, quòd quæ affectio naturæ facta est ad verecundiā in expulsione sanguinis ad frontem circa corpus, eadem etiam causa sit etiam secundum naturalem affectionem: ita quòd color naturalis sit similis ei qui ex passione animæ vel cordis naturalem recipit colorem.

Quomodo colores non dicuntur passibiles qualitates secundum quas obiecta aliorum sensuum sic dicuntur.

Quomodo æstus inducit quandoque ruborem permanentem.

Generaliter autem loquendo quęcunque qualitates sunt de numero talium casuum, hoc est, quæ ex talibus casibus passionum sumpserunt principium ab aliquibus passionibus difficile mobilibus & permanētibus in subiecto, illæ dicuntur passibiles qualitates. Quamuis enim secundum naturalem substantiam siue subsistentiam in primis complexionibus pallor aut nigredo facta est in aliquo: tamen passibiles qualitates dicuntur secundum primam qualitatis rationem: quales enim dicimur secundum tales colores siue qualitates, siue etiam inducta sint talia per accidens, sicut propter longam ægritudinem quæ facit pallorem. Aut propter æstum qui inducit rubo-rem qui aliquando in facie comburit sanguinem, ita quòd remanet, & stantem & permanentem ruborem inducit, aut aliquid simile his: propter quod nigredo vel pallor contingit, non facilè præterit, ita quod immutabile vel difficulter mutabile manet. Ista dicuntur passibiles qualitates: secundum tales enim qualitates dicimur quales simpliciter, sicut secundum eas quæ à passionibus naturalibus inducuntur.

Quæ sint passibiles qualitates.

Quæ sint passiones.

Quæcunque verò sunt de numero talium qualitatum quæ cito tranſeunt & citò de facili soluuntur, dicuntur passiones: non enim secundum hās dicuntur quales, sed potius aliquid passi: nullus enim simpliciter dicitur rubeus propter hoc, quia ex verecundia rubeus factus est. Similiter ille cui pallor subitus propter timorem venit, non simpliciter dicitur pallidus siue qualis secundum pallorem, sed magis dicitur conuenienter quod aliquid passus sit, non ad denominationem, sed ad subitam mutationem. Ea propter huiusmodi subitæ mutationes dicuntur conuenienter passiones: non autem conuenienter dicuntur qualitates, quia non simpliciter quales dicimur secundum eas. Hoc ergo modo se habet de passionibus & passibilibus qualitatibus corporis.

Ad simi

Ad similitudinem autem horum se habet etiam de passionibus & passibilibus qualitatibus quæ inducuntur secundum accidētia animæ, hoc est, quarum principium est in anima, quamuis mutatio sit in corpore: quæcunque enim talium mox siue subito in nascēdo fiunt, ab aliquibus aduenientibus passionibus fiunt subito, vt dementia siue insania, vel ira, & aliæ huiusmodi passiones, si qualitates dicuntur illatæ per sensum & phantasiam vel opinionem: secundum enim talia quales dicimur & denominamur: dicimur enim iracundi & dementes & insani. Similiter autem est si quæcunque alienationes & insaniæ non naturaliter sunt factæ, sed sunt aliquibus casibus inductæ, vt ex visu, vel terrore sonorum, vel his similibus, & sunt difficilè prætereuntes, vel etiam omnino immobiles: omnia huiusmodi sunt dicenda passibiles qualitates, eò quod secundum tales qualitates quales dicimur & denominamur. Quæcunque verò talium passiōnum sunt ex his quæ citius prætereunt & facilè subiectum derelinquunt, passiones dicuntur & non passibiles qualitates. Huius exemplum est vt siquis fortè contristatus ab aliquo iniuriam inferente, iracundior solito effectus sit: hic enim non dicitur propter hoc iracundus per denominationem qua in huiusmodi occasionata passione iracundior est solito, sed magis dicitur secundum iram aliquid passus: propter quod talia passiones quidem dicuntur, sed non passibiles qualitates.

CAPVT VII.

De dubitationibus circa tertiam speciem qualitatis.

Prima dubitatio.

Est autem circa ea quæ dicta sunt dubitatio. Passio enim per se est genus generalissimum, & ideo non videtur posse esse species qualitatis.

Secunda.

Adhuc autem passibile est potens pati vel habens aptitudinem ad patiendum: qualitas autem nulla pati potest: sed secundum eam est passio: videtur ergo, quòd nulla sit passibilis qualitas.

Tertia.

Adhūc autem aut passio inducit qualitatem coloris, aut si non inducit, tunc remanet tantum passio, & non habet in qualitate determinari: si autem inducit, constat quòd ille color qualitas est, & sic passio est passibilis qualitas, & sic malè distinguitur inter passionem & passibilem qualitatem.

Quarta.

Adhuc secundū passionem videtur aliquis dici qualis: est enim passio hæc in aliquo genere: constat, quòd non nisi in genere qualitatis: sed qualitas est secundum quam quales dicimur: ergo secundum passionem dicimur quales: & sic nulla est distinctio inducta inter passionem & passibilem qualitatem.

Quinta.

Adhuc dubium est de hoc quod albedo & nigredo non dicuntur qualitates, eò quod passiones inferant sensibus: hæc enim sunt obiecta visus: visus autem est potentia passiua: obiectum igitur quod est proprium agens in visum infert visui passionem: & secundum hoc dicuntur colores passibiles qualitates, sicut alia, & ex simili causa, vt videtur.

Sexta.

Adhuc autem istæ passiones dicuntur inferentes vel illatæ: colores autem fæpè inferunt passiones, vt concupiscentias, & delectationes, & tristitias, & huiusmodi: & sic iterum patet, quòd sunt qualitates sensibiles ex eadē causa qua alia sensibilia dicūtur passibiles qualitates.

Septima.

Adhuc autem quæritur, quare tertia species qualitatis non dicatur forma, aut circa aliquid constans figura? Terminatio substantiæ est secundum qualitatem: passio verò & passibilis qualitas à casu passionis innascuntur: & ita videtur quarta species propinquior esse substātiæ, quam passio vel passibilis qualitas: non ergo ista est tertia, sed quarta (vt videtur) species qualitatis.

Octaua.

Adhuc quæritur, quare non vno nomine hæc species nomibatur, cum omnes antiqui, & etiam Arist. illa communi nomine casus appellauerint?

Ad primam. Passio duplex, pro sexto prædicamento, pro tertio specie qualitatis.

Ad hæc autem & similia dicendum est, quòd passio secundum quod est prædicamentum, est effectus illatioque actionis in id quod patitur: & sic non sumitur passio quæ est species qualitatis, sed pro forma qualitatis quæ afficit subiectum ex hoc quod aliquid passum est, quod est causa affectionis illius, vel ex eo quod affectui subiectum ex ipsa affectione inducit passionem quæ continet subiectum secundum complexionantia vel componentia subiectum, sicut ira inducta ab aliquo circunstante accendit sanguinem circa cor & immiscet vaporem fellis ad vindictæ appetitum. Et ideo æquiuocatio est in passione, quæ secundum quod est effectus agentis genus est: secūdum autem quod affectio commotione facta vel commotionem inducens est species qualitatis.

Ad secundam.

Ad aliud dicendum quod non dicitur passibilis qualitas eo quod ipsa qualitas aliquid patiatur: sed (sicut dictum est) quod vel passione inducitur vel passionem inducit: & quia sic passioni coniuncta est, vt causa vel effectus: ideo dicitur passibilis qualitas.

Ad tertiam. Passio est qualitas secundum essentiam, non tamen secundum quod ab ipso quale aliquid dicitur.

Ad aliud dicendum, quòd passio inducit id quod est qualitas secundum essentiam: sed nō est qualitas secundum quod ab ipso quale dicitur denominatiuè: quia denominationes nō sunt nisi ab his quæ insunt simpliciter: simpliciter autem non inest quod non est in subiecto radicatum & firmatum: quia sic non sequitur, iste est affectus rubore ex verecundia: ergo est rubeus.

Ad quartam.

Et per hoc patet solutio ad sequens: est enim id quod inducitur ex passione, in genere qualitatis: sed non secundum quod quale simpliciter, sed secundum hoc denominatiuè prædicatur.

Ad quintam.

Ad id autem quod vlterius dubitatur de albedine & nigredine, satis in antehabito capitulo respōnsum est. Et quod dicitur, quòd passiones inferunt visui. Dicendum, quòd illæ sunt passiones secundum quid & non simpliciter: quia sunt talia in visu secundum esse spirituale, & ideò motum & passionem simpliciter non inducunt.

Ad ſecundum. Viſibilia vi ſui non allicunt delectationes & concupiſcentias. Sed proprie ſigna delectabilium.

Ad hoc autem quod obiicitur, quòd inducunt delectationes & concupiſcentias. Dicendum, quòd hoc eſt per accidens: non enim hoc faciunt inquantum viſibilia tantum, ſed inquantum ſunt ſigna delectabilium ſecundum guſtum & ſecundum tactum: ſecundum quid enim, & non ſimpliciter eſt delectatio in viſu ſecundum quod viſus mouetur à viſibili tantum.

Ad ſeptimũ.

Ad id autem quod vlterius quæritur de ordine iſtarum ſpecierum qualitatis. Dicendum, quòd ordo eſt primæ ſpeciei ad ſecundam qui in præhabitis determinatus eſt. Quia autem de numero naturalium potentiarum ſunt ſenſibiles vires animæ, & iſtis inferuntur paſſiones per paſſibiles qualitates; ideo ſtatim tertiam ſpeciem qualitatis oportuit eſſe paſſionem vel paſſibilem qualitatem, ſicut actiuum proprium ſequitur ſuum paſſiuum proprium quod infert ei paſſionem: quia actiuum ſuam propriam formam dat paſſiuo, & verumque refertur ad alterum & cognoſcitur per alterum: propter quod tertium ſtatim ſequitur poſt ſecundum. Adhuc cum obiicitur, quòd ſecundum hoc etiam tertia deberet eſſe quarta: quia actus ſunt prius potentiis ſecundum rationem & obiecta actibus. Sed ad hoc dicendum, quòd hoc verum eſſet; niſi potentia naturalis hic accideretur ſecundum quod radicatur in ſubſtantialibus principiis ſubſtantiæ: ſecundum hoc enim determinatur hoc accidens, ſecundum quod ſubſtantiæ propinquius eſt: & ideò ſecundum hunc ordinem potentia naturalis eſt ante paſſibilem qualitatem.

Nota rationem ordinis in tertia ſpecie qualitatis.

Ad octauum. Quare tertia ſpecies qualitatis non habet vnum ſimplex nomen.

Ad hoc autem quod vltimo quæritur de nomine, dicendum quòd de qualitate hic intendimus ſecũdum quod denominatiuè quale ab ea dicitur: & ideo de qualitate hic non intenditur in comparatione ad cauſam per quam inducitur, ſed potius ſecundum modum quo inhæret ſubiecto ad denominationem per quale: ſed non dicitur caſus hic qualitas, niſi in comparatione ad cauſam per quam inducitur: quia caſualis eſt. Hæc igitur caſus non vocatur. Secundum autem quod eſt in ſubiecto, non habet modum vnum, ſed diuerſum & compoſitum ſecundum quod denominat ſubiectum ſimpliciter, & ſecundum quid, hoc eſt, vt nunc. Oppoſiti autem modi eodem nomine non poſſunt comprehendi. Vno ergo nomine non poterat conuenienter nominari, ſed duobus, quæ ſunt paſſio & paſſibilis qualitas.

CAPVT VIII.

De quarto genere qualitatis quod eſt forma, vel circa aliquid conſtans figura.

Quartum verò, &c.

QVartum vero genus qualitatis eſt forma & circa aliquid conſtans figura. Hoc autem genus qualitatis, ſicut in prima philoſophia dicit Ariſt. conſequens eſt ſpeciem ſubſtantialem in omni corporea ſubſtantia: quia ſicut corporeæ ſubſtantiæ differunt ſpeciebus, ita differunt figuris: & quorum eſt vna ſpecies in communi, horum eſt in communi figura vna, tam in toto, quam in membris: ſicut hominis figura vna, & capræ, aſini, & ſic de aliis. Iterè hoc dicitur genus non ſpecies: quia multa valdè comprehendit.

Quare hanc quartam ſpeciem vocauit nomine generis.

Differunt autem hæc: quia modus terminationis linearum in ſuperficie vel corpore referri poteſt ad intra, ad formam ſcilicet ſubſtantialem; quæ tam in toto quam in partibus, cauſa eſt quare dicitur vel ſit membrum hoc vel illud, vel etiam totum formetur: & ſic dicetur forma. Poteſt etiam referri ad extra, ad quantitatem ſcilicet ſic vel ſic terminatam in tales vel tales angulos, & ſic dicitur figura. Vnde patet, quòd vnum & idem ſecundum id quod qualitas eſt figura & forma, ſed ſecundum eſſe differt: quia relatum ad intra quod continet & terminat, eſt forma: relatum autem ad extra, quo talibus vel talibus angulis terminatum aptum eſt ad hos motus vel illos ſecundum hos actus vel alios, ſic dicitur figura.

Quomodo differt forma à figura: prout forma eſt de quarta ſpecie qualitatis.

Oportet autem ſcire, quòd figura dicitur dupliciter. Secundum id quod eſt quantitas terminata: & ſic dicitur id quod eſt in genere quantitatis. Eſt etiam figura ſecundum id quo eſt figura terminatio quantitatis: & hoc modo non dicit niſi id quod eſt in genere qualitatis: ſed hæc qualitas eſt circa quantitatem poſita. Forma autem quamuis idem ſit ſubiecto, differt tamen ratione, nec dicitur forma niſi ſecundum quod cauſata eſt à forma ſubſtantiali actu continenti intrinſeca. Et ideo forma dicit id quod eſt qualitatis, & non quantitatis.

Quomodo figura diuerſimodè capta, eſt de prædicamento quantitatis & qualitatis.

Quare forma non dicit quantitatem ſicut figura, cum ſit idem cum figura.

Hæc autem ideo genus dicuntur: quia in actibus & ratione non conueniunt: continere enim quod eſt formæ, non conuenit niſi genere cum ſic vel ſic angularum eſſe acuto angulo vel recto vel hebete: hoc enim non dicitur, quia contineat, ſed quia ſic vel ſic pungat vel tangat: propter quod non eſt conuenientia ſpeciei, ſed generis inter illa ſic ſumpta. Quia tamen hæc vnum ſunt in eo quod eſt forma & figura, propter hoc non diſiunctiua coniunctione coniunguntur. Duobus autem modis nominatur & non vno: quia continere ad intra, & ſic vel ſic pungere extra, non ſunt reducibilia in vnam proprietatem cui nomen vnum commune imponatur.

Quare dicitur quartum genus, & non quarta ſpecies.

Quare diſiunctiua non coniunguntur.

Quare nominat duobus nominibus.

Dicitur autem figura, eò quod ad extra refertur: circa aliquid conſtans, quia in exterioribus terminationibus linearum concludit & terminat exterius in circuitu, & conſtant terminationes eius ad puncta in quibus concurrunt lineæ terminatæ. Hæc ergo eſt ratio omnium iſtorum. Hæc autem propriè corporum ſunt & ſuperficierum quæ pluribus lineis terminantur.

Quare dicitur figura, & quare circa aliquid conſtans.

Amplius autem adhuc in lineis etiam inueniuntur quædam quæ in hoc modo qualitatis ſunt ponenda, ſicut rectitudo, & curuitas: rectum enim eſt, cuius extrema tegunt media, ita quòd poſtea videri non poſſunt, ſi rectorum extremitates directè aciebus oculorum opponantur. Et hoc dictum eſt Platonis. Hoc autem

Quid rectum ſecundum Platonem.

autem magis eſt forma quam figura, quamuis rationem figuræ habeat ſecundum quod ad extra vndique terminatur in puncto vno. Curuitas autem ex duabus ſemper componitur formis: habet enim formam concauam ſubtus, & habet formam conuexam exterius. Et ideo omne curuum compoſitæ eſt formæ. Figuras autem habet tot, quot habet curuitates: quia tot habet terminationes ad angulos diuiſos. Tale etiam eſt quod his ſimile eſt, ſicut circulare, vel ſphæricum, & generaliter loquendo rotundum: omnia enim hæc formam habent concaui ad interius, & figuram conuexi ad exterius. Quod hæ autem qualitates ſint ſecundum quod talium ſunt formæ & figuræ, probatur ex hoc quod ſecundum vnumquodque talium id dicitur quale quod informatum eſt ex his, ſicut patet inductione & exemplo: triangulum enim vel quadrangulum vel rotundum eſſe quale aliquid dicitur. Similiter autem & rectum vel curuum eſſe qualis habet prædicationem. Et ſimiliter eſt in aliis ſecundum formam vel figuram hoc modo dictis.

Curuum eſt compoſitæ formæ.

Vide in ſex principiis c. de poſitione.

Rarum autem & ſpiſſum & aſperum & lene fortaſsè putabuntur apud aliquos qualitates principaliter ſignificare: quàuis à linea habeant ad hoc quod qualitatem principaliter ſignificent: ſignificant enim primo poſitionem, & ſecundario qualitatem partium in loco & in toto poſitarum: & ideo non pertinent ad diuiſionem eorum in quæ ponuntur ea quæ principaliter ſunt in qualitate: hæc enim (vt dictum eſt) quandam poſitionem partium in toto & loco primo principaliter ſignificant quodammodo & non qualitatem: ſpiſſum enim ſiue denſum dicitur, eò quod partes materiales ad ſeinuicem ſunt propinqua poſitione: rarum verò per oppoſitum dicitur, eò quod partes materiales ad ſeinuicem diſtant in toto: & hæc duo ſic ſecundum poſitionem partium intrinſecarum ſic dicuntur. Lene autem & aſperum ſecundum poſitionem quandam partium exteriorum: lene quidem eò quod in rectum vel æquè ſecundum lineam vel ſuperficiem ſibi partes iacent exteriores, & vna ſuper alteram non eminet: aſperum verò per oppoſitum huius dicitur, ideo quòd vna quidem extremarum partium in linea vel ſuperficie ſuperiore eſt ſuper aliam eminendo porrecta: alia verò eſt inferior & ſimul ſuper alia eſt depreſſa. Poſitiones igitur dicuntur primò: & ſi qualitates dicuntur, hoc eſt ſecundario. Hæ igitur ſunt quatuor ſpecies qualitatis quæ communiter inueniuntur.

Denſum & rarum quid.

Lene & aſperum quid.

Et fortaſſe alij quidam modi qualitatum apparebunt: quia quale multipliciter dicitur de ſubſtantiali & accidentali qualitate: & ideo multi ſunt eiuſdem modi: ſed quia maximè & principalius dicuntur qualitates & quales hi qui dicti ſunt modi: concludatur ergo generaliter, quòd ſpecies vel genera qualitatum ſunt quæ prædicta ſunt.

***

CAPVT IX.

De dubitationibus quæ ſunt circa quartam ſpeciem qualitatis.

Prima dubitatio.

Est autem in his dubitatio, cum forma ſit principium ſubſtantiæ vniuſcuiuſque, qualiter poſſit eſſe ſpecies qualitatis: potius enim reducenda eſt ad genus ſubſtantiæ, quam qualitatis.

Secunda.

Adhuc autem cum figura ſit de mathematicis: nihil autem ſit mathematicum niſi quantitas diſcreta vel continua: videtur figura eſſe aliquid in genere quantitatis, & non qualitatis.

Tertia.

Adhuc autem nihil ens videtur addere forma vel figura ſuper quantitatem: quia quod lineæ ſic in acutum vel rectum angulum iungantur, non addit quanto ens, ſed rationem: & ſic videtur, quòd non ſunt ſpecies in genere qualitatis.

Quarta.

Adhuc autem quod de aſpero & leni dictum eſt, omninò contradicit ei quod dictum eſt in ſex principiis de ſitu vel poſitione, vbi dicitur, quòd aſperum & lene, & rarum & denſum, non poſitiones dicunt, ſed qualitates circa poſitiones dictas.

Quinta.

Vlterius quæritur, qualiter numerus ſpecierum qualitatis accipiatur?

Ad primam.

Sed ad hæc & ſimilia dicendum eſt, quòd forma dicitur ſecundum id quod forma ſecundum rationem & ſubſtantiam: & ſic forma eſt principium eſſe & ſubſtantiæ in omni eo quod eſt: & quia ſubſtantia vera eſt, propter hoc forma eſt principium eſſe & ſubſtantiæ veræ, & ſecundum aliquid eſt principium aliorum quo eſt vnumquodque eorum. Dicitur enim forma quaſi foris manens ſecundum nomen: & ſic modus continentiæ in terminatione linearum & ſuperficierum dicitur forma: & hæc forma eſt ſpecies qualitatis.

Quomodo forma eſt ſpecies qualitatis.

Ad hoc autem quod dicitur, quòd figura nihil addit ſupra quantitatem. Dicendum, quòd falſum eſt: addit enim modum qualitatis qui non eſt quantitas, qui eſt acutum, vel rectum, vel hebes in angulis, vel rotundum, vel planum: quæ non ſunt rationes tantum, ſed ſunt res: vnde etiam aliter & aliter immutant proprium ſenſum tactus: omnis autem immutatio ſenſus proprij eſt per qualitatem.

Ad tertium. Quomodo figura addit ſupra quantitatem.

Ad hoc autem quod de mathematica obiicitur, dicendum, quòd figura non ratione figuræ mathematica eſt, ſed ratione quantitatis cuius eſt qualitas, & ab ipſa abſolui non poteſt. Vel poteſt dici, ſicut dictum eſt, quòd figura eſt mathematica ſecundum quod eſt quantitas terminata: ſecundum autem quod eſt terminatio quanti, ſic eſt qualitas, & hoc modo non conſideratur à mathematico.

Ad ſecundam.

Aliter.

Ad hoc autem quod de ſex principiis obiicitur, dicendum, quòd ſicut dictum eſt, aſperum & lene, & denſum & rarum, poſitiones dicunt partium materiæ interius & exterius, ſed ſecundario dicunt qualitates: quia ſic vel ſic agunt

Ad quartum. Quomodo rarũ & denſum & huiſmodi ſit.

Principaliter Positiones, secundariò verò qualites es.

gunt in sensum: & hoc consideratur in lib. sex principiorum: & ideò dicuntur qualitates: quia lene est quod suauiter immutat, asperum quod immutat cum punctione, & densum est quod visu non penetratur, rarum autem quod vbique est peruium: & ideo in comparatione ad sensum ita dicuntur qualitates: sed tamen quia positio causa est, quod sic vel sic sensus istos immutent, ideo illa principaliter sunt positiones, secundariò qualitates.

Ad quindam. Sufficientia quatuor specierum qualitatis continens in se numerum & ordinem illarum.

Ad hoc autem quod quæritur, penes quid istæ species qualitatis accipiantur? Dicendum, quòd numerus & ordo sic simul accipi possunt: aut enim accipitur penes formale principium substantiæ, aut penes materiale, ex quo omne accidens accipi habet penes modum substantiæ à qua causatur. Si autem accipitur penes principium formale, hoc non potest esse nisi duobus modis: aut enim accipitur penes modum quo perficit forma materiam, aut penes modum quo forma principium est agendi in composito quod perfectum est. Si primo modo, forma non habet se ad materiam nisi vt dispositio vel habitus: & penes hunc modum est prima species accepta qualitatis. Si autem secundo modo est, à forma effluunt potentiæ naturales: & sic est secunda species qualitatis accepta. Illæ ergo potentiæ aut accipiuntur in se aut secundum quod propria actiua inferunt eis proprias passiones. Et primo modo est iterum secunda species qualitatis: secundo autem modo tertia inducitur species qualitatis. Si verò ex parte materiæ sumatur quæ per se est corporea, & necesse est, quòd sit secundum relationem ad formam quæ continet & terminat materiam: tunc inducitur quarta species quæ est forma vel circa aliquid constans figura. Et istæ sunt quatuor species qualitatis, secundum quas aliquid vt frequentius quale dicitur, & à quibus propriè accipitur modus iste prædicamenti qui est proprius qualitatis. Si qui autem alij modi qualitatis inueniuntur, facilè reducuntur ad istos.

Antiqui vocauerunt quartã speciem qualitatis vno nomine, scilicet compositionem.

Sciendum, quod antiqui hanc vltimam qualitatis speciem vno communi nomine vocauerunt compositionem: sed quia duos actus includit, vnum ad intùs qui est formæ, alterum ad extra qui est figuræ, ideo conuenientius duobus modis nominatur. Quare etiam genus melius dicitur, quam species, iam in antehabito capitulo dictum est.

Sufficientia aliorum quæ tamen est imperfecta.

Quod autem quidam has species accipiunt penes ea quæ sunt in nobis in anima, quidam per acquisitionem primam speciem, & secundum ea quæ insunt naturæ secundam speciem, & in corpore quidem per motum tertiam speciem, vel per materiæ terminum quartam speciem: potest dicere qui vult, sed rationem perfectam non videtur habere.

Habita in.

Sed de hoc quæri potest, quare secundum solam tertiam speciem qualitatis quæ passio vel passibilis qualitas, fit alteratio præhabita, sicut dicit Aristot. 7. physic. & non secundum aliam speciem qualitatis? Et hæc quidè quamuis pertineat ad Philosophum determinare & non ad logicum, tamen dici potest, quòd in habitu & dispositione alteratio esse non potest: quia dispositio & habitus sunt ad perfectionem secundum propriæ naturæ actum, qui est ratio vel rationis actus: & ideo attingens esse perfectum non est propriè alteratus physicè, sed in esse connaturali & proprio perfectus. Ferè eadem ratione non potest esse alteratio in specie secunda: potentiæ enim naturales radicantur in forma substantiali, secundum quod ipsa in eo quod perfectum est conuertitur in principium agendi: & ideò consequuntur esse perfectum sicut id quod est esse substantiale consequens, cum perfectio ipsius sit perfectio in illis: propter quod etiam attingens esse perfectum naturalis potentiæ perfectus est, & diminutus ab illo secundum esse corruptus vel in via corruptionis. In quarta etiam specie motus esse non potest: quia circa quantitatem est qualitas quæ à quantitate non absoluitur: sed quantitati nihil est contrarium, ita quod nec illi speciei contrarium est aliquid.

Quomodo in secunda specie non est alteratio.

Quomodo in quarta specie non est alteratio.

Obiectio. Solutio. Inter quæ sit alteratio physica.

Et si obiicitur de recto & curuo, & aspero & leni, & raro & denso. Patet, quòd illæ qualitates nec actiuæ nec passiuæ sunt, neque absoluuntur à positione & situ: & ideò in talibus non potest esse motus alterationis: quia alteratio physica non est nisi inter contraria agentia & patientia adinuicem: & hoc est quod intendit Aristot. in 7. physicorum, siquis bene dicta sua inspiciat.

Tex. com. 15.

CAPVT X.

De quali quod dicitur secundum qualitatem.

Titulus huius tractatus secundum Alexand.

QVia autem, vt dicit Alexand. Aristot. ipse istum tractatum intitulauit de quali & qualitate, & nos iam determinauimus de speciebus qualitatis secundum quam quales dicimur, restat nunc determinare de quali quod denominatiuè ab his speciebus dicitur qualitatis. Dicimus ergo, quòd qualia dicuntur quæ secundum qualitates dictas dicuntur denominatiuè: denominatiue autem, quia simpliciter subiectum ab eis denominatur, vel quomodolibet aliter ab his dicuntur informata. Difficile enim est eam quæ ab accidente denominationem simpliciter fieri: multis enim modis accidens inest, ita quod non denominat, vt si inest secundum partem, vt Æthiops est albus dentes: vel si inest vt nunc & non simpliciter, vt rubeus ex verecundia nunc, non sequitur, quòd sit rubeus. Licet aliquando etiam hoc fit ex parte accidentis, quòd ab ipso fieri denominatio non potest, quamuis simpliciter insit & non secundum quid, vt in sequentibus patebit. Et ideo quale secundum istas qualitatis species (aut dicatur secundum istam denominationem aut quomodolibet aliter dicatur ab his) dicitur qualitas vt informans subiectum per concretionem significans: quale enim & qualitas idem prædicatur, quamuis in modo differant: quale enim dicit qualitatem subiectum informantem, qualitas autem dicit qualitatem simpliciter.

Qualia verò sunt, &c.

Accidentia non denominant simpliciter & uno modo.

Quid sit quale.

Idem formaliter significat qualitas & quale.

Et siquis obiiciat, quodquale dicit duo, subiectum

Obiectio.

Solutio. Qualitas & quale ad istud prædicamentum pertinent.

subiectum scilicet, & qualitatem. Dicendum, quòd non dicit principaliter & formaliter nisi qualitatem: sed quia dicit qualitatem in concretione ad subiectum, ideo dicitur ex consequenti de subiecto facere significationem. Propter quod etiam quale cum qualitate ad idem pertinet prædicamentum.

Quomodo sint quædã qualia: non tamen sic dicta denominatiuè à qualitatibus.

In pluribus tamen qualitatibus, penè etiam in omnibus qualia dicuntur denominatiuè à qualitatibus, vt à candore candidus, & à grammatica grammaticus, & à iustitia iustus dicitur denominatiuè, & similiter in aliis multis. In aliquibus verò hoc non conuenit secundum vocem, quamuis similiter fit secundum esse. Et huius causa est, quod qualitatibus nomina talia posita non sunt, quæ solo casu differentia secundum appellationem possint inflecti & informari in nomina denominatiua, sicut dicitur cursor, aut sicut dicitur pugillator, non quidem dictus ab actu vel officio currendi vel pugillandi, sed ab ipsa qualitate quæ est naturalis potentia hoc faciendi: hæc enim qualitas nomine proprio non est designata, ita quod nomen secundum valitudinem naturalem ad hæc exercenda significet illam propriam qualitatem: non enim sunt talibus valitudinibus (quæ qualitas sunt) posita nomina secundum quas quales dicuntur & cursor & pugil siue pugillator: sed nomina illa sunt disciplinarum nomina, sicut cursoriæ & pugillatoriæ artis: & hæc non sunt nomina illius vel illarum qualitatum, qua vel quibus dicuntur illi quales, qui affecti sunt illa qualitate, quæ est naturalis potentia ad illa facienda. A nomine autem artis vel disciplinæ denominari potest, qui artis istius vel disciplinæ est ignarus, sicut frequenter contingit, quod habens naturalem potentiam ad aliquid artis, illius ignarus est, quæ docet operationem eandem ad quam habet quis naturalem potentiam: pugillatoria enim dicitur disciplina pugillandi, sed quales in hac qualitate dicuntur, non qui sunt de arte siue disciplina illa, sed qui afficiuntur per informationem qualitate quæ dicitur potentia naturalis ad pugnandum, sicut dicitur pugil vel cursor qui forte nihil sciuit de arte siue disciplina illa: & ideo à disciplina non accipiunt denominationem vt dicantur cursores vel pugilles.

Alia qualia non dicta denominatiuè à qualitatibus.

Alij autem etiam posito nomine qualitatis non adhuc quales illa qualitate dicuntur denominatiuè, ita quòd nomen qualis secundum figuram appellationis à nomine qualitatis determinetur. Sicut patet in nomine quod est virtus, à quo nomine si denominatio fiat non dicitur virtuosus, sed secundum alios dicitur studiosus, nomine formato à genere virtutis quod est studium, vel quod verius est nomine formato à virtutis causa, quæ est studium. Et secundum posteriores dicitur virtuosus, quamuis non simplicem dicat denominationem, sed cum denominatione notat plenitudinem. Virtutem enim habens studiosus dicitur: sed non dicitur denominatiuè simplici denominatione à virtute: sed si à virtute dicatur, dicetur virtuosus: quod nomen plenitudinem significat, & non facit simplicem denominationem. Huius autem causa est, quia in virtutibus & vitiis politicis nos domini & causa sumus operum quibus efficiuntur virtutes: quia virtutes per studium fiunt in nobis: quod studium, vt dicit Tullius, est vehemens applicatio animi ad aliquid discendum vel faciendum: ideo antiqui nomina imponentes, virtuosos intellectuali virtute vel morali vtl heroica, dixerunt studiosos nomine communi. Virtuosi autem dicuntur non ita conuenienter: quia virtus nominat vltimum in bono, vt dicit Aristot. & hoc non est ita generale vt primum. Consignificata autem plenitudo adiungitur in talibus, propter hoc quod dicit Aristot. quod nec intellectualis virtus quæ est prudentia, potest esse sine moralibus, nec morales possunt esse sine prudentia: quia moralis contingit finem, prudentia autem eligit ea, & docet per quæ & qualiter ad finem deuenitur: & ideo in quocunque est virtus, quandam plenitudinem virtutis esse oportet. Propter quod illam denominationem conuenientes fuit, nomine plenitudinem connotante formari. Et dicitur studiosus & non studialis, & virtuosus & non virtualis. In pluribus autem denominatiuis non est sic: sed denominatiua eorum à nominibus formantur qualitatum quæ insunt ipsis. Concluditur ergo generaliter, quòd quæcunque dicuntur qualia, aut dicuntur denominatiuè à prædictis quatuor speciebus qualitatis, aut aliquo modo, sinut dictum est; dicuntur aliter ab illis qualitatibus quæ dictæ sunt.

Quomodo studiosus denominetur à virtute sicut à causa, improprie denominatio.

Studium quid.

Quare à virtute non dicitur denominatiuè virtuosus, sed studiosus.

CAPVT XI.

De proprio qualitatis quod est suscipere contrarium.

Inest contrarietas, &c.

POstquam autem iam de quali & qualitate secundum diffinitionem & diuisionem in species determinatum est, consequenter de quali & qualitate secundum suas consequentes proprietates & passiones est determinandum, & primo de proprio quod nec soli nec omni conuenit, quod est esse qualitati contrarietatem. Dicimus igitur, quod inest qualitati & quali contrarietas secundum quod est quale, sicut iustitia iniustitiæ est contraria, & albedo nigredini. Quamuis iniustitia priuationis habeat nomen, tamen hæc priuatio in contrario fundatur habitu, cuius nomen proprium non est positum: & sic iustitia contraria est iniustitiæ. Ita & ipsa quæ secundum qualitates has qualia dicuntur, sunt contraria, sicut iniustum contrariatur iusto, & album nigro. Patet igitur, quòd in prima & tertia specie qualitatis est contrarietas. Non est autem hoc proprium in omnibus qualitatibus primæ & tertiæ speciei, secundum quod contrarietas est distantia & oppositio completa eorum quæ sunt in eodem genere: rubeo enim vel pallido aut huiusmodi coloribus mediis nihil est contrarium, cum tamen sint qualitates & in genere qualitatis.

Quomodo iniustitia contrariatur iustitiæ, licet quod nomẽ priuatiuè opponantur.

Obiectio.

Si autem obiicitur, quòd iustitia & iniustitia non sunt contrariæ: quia motus alterationis

est

Solutio. Alteratio largè dicta est in prima specie qualitatis.

est inter contraria: in prima autem specie, vt iam antehabitum est, non est alterario. Dicemus ad hoc, quòd alteratio physica non est in prima specie qualitatis: alteratio autem largè dicta est in prima specie, secundum quod alteratio est, quando subiecto eodem manente mutatio fit in suis passionibus vel qualitatibus. Sic enim quando de iusto fit iniustus, alteratio facta est: non enim sufficit ad alterationem physicam, quòd sit inter contraria, sed cum hoc exigitur, quòd cõtraria sint adinuicem actiua & passiua secundum actionem & passionem à substantia abiicientem, & subiectum continuè à contrario in contrarium transmutantem.

Requiritur ad physicã alterationem.

Obiectio.

Ad hoc autem quod diximus de coloribus mediis nihil esse nontrarium: cum tamen in 5. phys. dicatur, quòd medium comparatum extremo, contrarium est: & cum in ethicis dicatur, quòd medium vtrique extremorum contrarium est. Non debet aliquis instare: quia hìc contrarium accipimus quod secundum maximam distantiam contrarium est. Hoc autem est simplex, nihil de contrario habens admixtum: & secundum hunc modum medium nec opponitur medio nec extremo. In physicis autem contraria accipienda sunt secundum potentiam & actum vbi est motus: & ideo ibi contrarium est id quod aliquid participat contrarij, & est potentia ad alterum: secundum hoc enim mouetur ad ipsum vt ad contrarium.

Fex com. 52.

Solutio. Contrarium duplex: extremi ad extremum, medij ad extremum.

Contrarium in physicis quid.

Quod autem in ethicis dicitur, quòd medium vtrique extremorum contrarium est, ideo dictum est, quòd quamuis virtus sit medium quantum ad actum & circunstantias, tamen secundum bonum & rationem boni est extremum: & sic ambobus extremis opponitur vt extremum: quia sic ambo extrema sunt in genere mali.

Quomodo medium & virtus contrariatur vtrique extremorum.

Amplius generaliter verum est, quòd si ex contrariis vnum fuerit quale, & reliquum illi contrarium est quale: cum contraria sint in eodem genere. Hoc autem palam est & manifestum proponenti siue inducenti alia contraria ab his quæ dicta sunt in singulis generibus contraria suscipientibus: semper enim contraria in eodem sunt genere: nam si iustitia contraria est iniustitiæ, & iustitia est quale quoddam siue qualitas, sequitur quòd etiam iniustitia est quale & qualitas est quædam: nulli enim aliorum prædicamentorum sicut generi aptari potest iniustitia vt species vel indiuiduum: iustitia enim neque est quantitas, neque ad aliquid, nec vbi, nec omninò siue vniuersaliter aliquid de numero prædicamentorum, nisi quale & qualitas, & illud idem secundum genus prædicamenti est etiam iustitia. Et sic est in omnibus aliis contrariis quæ sunt secundum quale vel secundum qualitatem.

Obiectio. Quòd rarum & densum sint propriè contraria.

Ex hoc autem fortè videbitur alicui, quòd prima contraria sint in qualitate: & contra hoc videtur esse, quòd prima contraria videntur esse rarum & densum: hæc enim videntur præcedere calidum & frigidum, & inducere ipsa: quia rarum efficitur calidum, & spissum efficitur frigidum. Sed ad hoc dicendum,

Solutio.

quòd in veritate prima contraria verè secundum actionem & passionem sunt contraria in qualitate & non in positione: quia contrariorum est mutuò se expellere ab eodem susceptibili: expulsio autem hæc fieri non potest, nisi per actionem & passionem: & ideo ea quæ verè sunt contraria, sunt actiua & passiua adinuicem: & hæc prima contraria sunt calidum & frigidum: & subiecta eorum passiua sunt humidum & siccum, quorum vtrumque respicit vtrumque illorum vt subiectum: humidum enim est subiectum calidi & est subiectum frigidi, & siccum est subiectum calidi & est subiectum frigidi in materia elementali: calidum est effectiuum rari, & frigidum est effectiuum spissi: & sic prima simpliciter contrarietas est in qualitate: prima autem dispositio materiæ est in positione quæ non absoluitur à qualitate quæ est rarum & densum.

Vide 2. phys. cam. 15. vbi vult propriæ qualitates esse prima contraria.

Si autem quis dicat, quòd leue & graue sint prima contraria, eò quod motus localis sursum & deorsum sunt ad formam: leue autem mouetur sursum, graue autem deorsum. Hoc omninò nihil est, & est determinatum in physicis, quòd motus sursum non causatur à leuitate, nec motus deorsum à grauitate, sed potius à generante vel remouente prohibens: & ideo prius aliquo modo habet formam generantis antequam habeat motum quæ est consequens formam generantis. Et ideo leue & graue non sunt prima contraria mouentia, sed potius leue causatur in materia per rarum, & graue causatur in materia per densum: & sic adhuc remanet, quòd calidum & frigidum quæ sunt in tertia specie qualitatis sunt contraria.

Obiectio.

Solutio.

Exquæritur, quod elementa metiuntur de potentia accidentali à generante vel à remouente prohibens.

Si quis verò adhuc obiiciat, & dicat contra hoc, quòd si simpliciter calidum & simpliciter frigidum quorum neutrum de suo contrario habet aliquid admixtum, sunt contraria prima, tunc sequitur, quòd nata sunt fieri circa subiectum vnum & idem: non autem simpliciter calidum, & simpliciter frigidum nata sunt fieri circa idem: nullum enim elementum est quod manens in substantia eiusdem elementi hoc natum sit suscipere: ergo ista non sunt contraria prima, ignis enim habet non admixtam caliditatem, & non potest habere frigiditatem & caliditatem. Ad hoc dicendum, quòd secundum quod caliditas & frigiditas sunt qualitates primæ, sic opponuntur circa materiam primam elementorum: & circa illam nata sunt fieri: secundum autem quod sunt in generatis primis quæ sunt elementa, sic sunt potentiæ naturales consequentes esse elementorum: & ideo elementis manentibus non deserunt substantias elementorum: & hoc modo circa idem nata sunt fieri, & mutuò seinuicem expellentia ab eodem.

Caliditas & frigiditas sunt contraria circa materiam primam, sed circa elementa sunt potius potentiæ naturales.

Ex hoc autem quod in qualitate est contrarietas prima, intelligitur, quòd contrarietas in omnibus aliis generibus in quibus est, non est nisi in ratione qualitatis: primum verò est causa omnium aliorum in quolibet genere in quo est primum. Vnde etiam in quantitate ratione motus augmenti & decrementi non est

Contrarietas est primo in in qualitate,

In aliis autem prædicamentis est ratione qualitatis.

est contrarietas nisi secundum qualitatem, sicut in tractatu de quantitate dictum est. Et si contraria sunt in vbi vel in situ, oportet quòd sint in eis secundum quod non absoluuntur à qualitate. De his autem disputatio pertinet ad physicum, vel metaphysicum, & non ad logicum: logicus enim non considerat contraria, nisi secundum quod sunt in eodem genere maximè distantia: & non considerat ea secundum quod prima & non prima.

CAPVT XII.

De secundo proprio quod est suscipere magis & minus.

Suscipit autem qualitas magis & minus, &c.

SVscipit autem qualitas magis & minus: & hæc est secunda proprietas ex ea quæ præcessit causata. Quod autè quale magis & minus susciptat, patet inductione: album enim magis & minus alterum altero dicitur secundum albedinis intensionem & remissionem, & similiter iustum magis & minus alterum altero dicitur secundum intensionem iustitiæ, & remissionem. Hoc autem non tantum est in ipsis quæ qualia sunt sicut alba & iusta, sed etiam ipsa quæ sunt qualitates (à quibus talia dicuntur qualia) suscipiunt in seipsis, sicut quæ dicuntur crementa & diminutiones in seipsis. Et dicit Boër. quòd hæc fuit sententia Platonis. *Boëtius ex sententia Platonis.* Hoc autem declaratur exemplo, cum, sicut dicunt, candidum quod est candor, fit candidum, contingit, vt dicunt, illum candorem magis intendi per maiorem (vt dicit Nico. Peripatheticus) luminis contrarij admixtionem. *Nicolaus Peripateticus.*

Quamuis autem hoc sit quoddam qualitatis proprium, non tamen conuenit omni qualitati, sed plura sunt quæ suscipiunt magis & minus, & non omnia quæ sunt qualitates: iustitia enim cum sit qualitas si dicatur (secundum quod in abstracto significatur) suscipere magis & minus, potest quilibet ambigere vtrum verum sit an falsum quod dicitur. Similiter autem est etiam in aliis qualitatibus quæ afficiunt per inhærentiam subiecta in quibus sunt, quando per modum abstractionis significantur, vt iustitia, albedo, sanitas, & huiusmodi. Quidam namque dubitant de talibus, vtrum magis & minus suscipiant: quidam enim iustitiam à iustitia & albedinem ab albedine aiunt non multum dici secundum magis & minus, ita quòd vna iustitia sit magis iustitia quam alia, vel vna albedo magis albedo quam alia: neque dicunt vnam sanitatem ab alia sanitate dici secundum magis & minus. Et causa etiam dicti est, quòd nomen vniuscuiusque abstractorum imponitur in termino, & non potest intendi & remitti: isti autem dicunt, quòd intensio & remissio secundum magis & minus accidit qualitatibus secundum quod sunt in subiecto recipiente ipsas qualitates: dicunt enim alterum altero magis & minus sanitatem & iustitiam habere, secundum quod vnum dicimus altero saniorem & iustiorem. Sic etiam dicunt & grammaticam & alias qualitates (quæ subiecta in quibus sunt afficiunt, & ideo affectus generaliter dicuntur) secundum magis & minus inesse. Licet tamen antiqui diuersa circa ista sentiant: tamen hoc indubitanter verum est, quòd subiecta (quæ secundum illos affectus qualitatum dicuntur qualia) illa proculdubio secundum quasdam qualitates recipiunt magis & minus, & in prima & in tertia specie qualitatis: hoc enim modo vnus alio dicitur grammaticior, qui magis habet grammaticam: & sic vnus dicitur iustior & sanior, & sic est in multis aliis primæ & tertiæ speciei qualitatibus.

Quare qualitates in abstracto non possunt intendi & remitti.

Sed non est hoc in quarta specie qualitatis: triangulus enim & quadrangulus secundum quod denominatiuè dicta sunt à triangulatione & quadrangulatione, sic dicuntur qualia, & non qualitates: & sic dicta non videntur magis & minus suscipere triangulus & quadrangulus, neque aliquod denominatum ab aliis figuris, vt circulus, vel pentagonum, vel exagonum: hæc enim non dicuntur secundum prædicationem, nisi de illis quæ diffinitionem eorum recipiunt: hæc autem omnia sunt in termino: vnde omnia de quibus prædicatur circulus nomine & ratione qualitatis, æqualiter & non secundum magis & minus sunt & dicuntur circulus. Ea autem quæ sunt de numero eorum quæ circuli nomen & rationem non recipiunt, illa inquantum non sunt circulus, & non secundum magis & minus, sed æqualiter circulus negatur in ipsis. Hoc autem patet per exempla: quadratum enim & quadrangulum circuli nomen & rationem non recipiunt, sed ab vtrisque negatur circulus: & ideò quadratum non magis & minus est circulus quam quadrangulus. Est enim quadratum figura quatuor lineis æqualibus & quatuor rectis angulis conclusa. Et quadrangulus est figura quatuor rectis lineis, quarum duæ oppositæ sunt æquales sibiinuicem, aliis non oppositis inæquales, & quatuor rectis angulis contenta. Et neutra istarum suscipit circuli nomen. Quia circulus est figura plana, vna linea contenta, in cuius medio punctus est qui vocatur centrum, à quo omnes lineæ rectæ ductæ ad circumferentiam sunt æquales. Et hæc ratio neque quadrato conuenit, neque quadrangulo, quod altera parte longius est. Et ideo æqualiter & non secundum magis & minus quadratum & quadrangulum non sunt circulus: nulla enim talium figurarum recipit diffinitiuam rationem circuli. Simpliciter autem loquendo siue vniuersaliter si vtraq; ista nullo modo recipiunt huiusmodi quod propositum est, hoc est, circuli rationem secundū al quem modum: tunc sequitur, quòd alterum istorum non dicitur secundum magis & minus esse circulus: quia quod secundum magis & minus esse vel non esse non dicitur, aliquo modo participat nomen & rationem eius quod participat secundum magis & minus. Concluditur ergo, quòd non omnia qualia suscipiunt magis & minus. Horum itaque prædictorum proprium nihil est proprie proprium qualitatis; neutrum enim illorum conuenit omni & soli & semper. Est autem attendendum, quòd sicut dicit Boet. ab Alex. accipiens

Quid quadratum.

Quid quadrangulus.

Quid circulus.

Nota triplicem opinionem.

Item circa qualitatem, quomodo suscipiat magis & minus.

in commento libri prædicamentorum, fuerunt tres sectæ antiquorum circa hoc. Plato enim qui ponebat formas, dixit intensionem & remissionem fieri in qualitatibus maximè primæ speciei, sicut circa habitus & dispositiones, quæ dona dixit esse deorum, sicut expresse legitur in lib. qui Menoni ascribitur, per immissionem boni diuini plus & plus, sicut albedo plus & plus est albedo, cui immittitur plus & plus de claritate luminis, & sic dixit intendi omnes virtutes. Alij autem quidam Epicuri dixerunt per incrementa partium subiecti fieri intensionem, vt albedo vel iustitia sit plus & minus, quæ plus & minus occupat & informat de partibus subiecti. Media autem Arist. & Peripateticorum opinio est, quòd intentio fiat circa qualitatem secundùm inhærentiam. Qualitas inhæret subiecto dupliciter: ex parte subiecti, & ex parte qualitatis. Ex parte subiecti quidem ex hoc, quòd plus & minus aptatur qualitati recipiendæ. Ex parte autem qualitatis dupliciter: si enim habet contrarium, tunc plus & minus intenditur secundum maiorem & minorem contrarij admixtionem: si autem non habet contrarium, tunc plus intenditur secundum maiorem vel minorem accessum ad naturæ terminum, cui nomen, & à qua nomen imponitur: & hoc est dicere ad veram nominis impositionem. Positio autem Platonis non habet hic probari nec improbari, sed in prima philosophia. Hic autem dici potest, quòd si additione doni diuini fieret intensio in qualitate, difficile esset valdè dicere qualiter addendum ei (cui additur) coniungeretur: & tamen illud quod augetur, augeatur per additum aliquod. Adhuc difficile esset inuenire qualiter differt augens ab aucto, vel vtrum virtus augens esset in augente vel in eo quod augetur, & alia multa difficilia sunt circa illud, quamuis theologizantes hanc opinionem sequi videantur. Quod autem dicunt Epicuri, probabilius dictum fuit, quamuis in hoc non perfectum sit, quod dicunt secundum partes quantitatiuas subiecti magis & minus in qualitate esse, cum videamus paruum albius esse quam magnum, sicut margarita fulgens albior est multa cerusa. Media ergo Peripateticorum opinio vera est & tenenda. Ad hanc enim pauciora sequuntur inconuenientia.

Opinio Platonis.

Opinio Epicureorum.

Opinio Peripateticorum.

Contra opinionem Platonis.

Contra Epicureos.

CAPVT XIII.

De propriè proprio qualitatis quod est secundum eam dici simile vel dissimile.

PRopriè autem proprium qualitatis est (quod & omni conuenit & soli) secundum qualitatem qualia similia, aut dissimilia dici. Vnum enim in qualitate est simile, sicut vnum in substantia est idem, & vnum in quantitate est æquale. Aut igitur in diuersis est eadem qualitas, aut diuersa. Si eadem, tunc dicuntur illa sic affecta similia. Si autem diuersa, tunc dicuntur illa sic affecta dissimilia: vt etiam dicit Boet. similitudo est rerum differentium substantia & subiecto qualitas eadem. Similia igitur & dissimilia secundum solas dicuntur qualitates: simile enim & dissimile alterum alteri non est secundum aliquod aliud prædicamentum, nisi secundum illud quod est quale secundum prædicamentũ qualitatis. Propriè ergo proprium qualitatis est, secundum eam simile vel dissimile alterum altero dici.

Similia vero & dissimilia, &c.

Differentia inter simile, & æquale.

Quid sit similitudo secundum Boet.

Cum autem dicitur, quòd similitudo est eadem qualitas in differentibus substantia & esse, non potest accipi eadem numero qualitas: quia eadem numero qualitas non potest esse in differentibus numero, cum qualitas sicut & alia accidentia numerentur numero subiecti. Nec sufficit, quòd sit eadem genere: quia sic omnia essent similia: nihil enim est quòd aliquam non suscipiat qualitatem. Relinquitur, quòd similia sunt, quorum qualitas est vna specie. Vnde quandocunq; ostendentes erimus conuenientiam diuersorum in vna qualitatis specie, dummodo simpliciter & non secundum quid insit vtrique, ostendemus quoniam illa sunt similia. Si autem qualitas illi vni ineesset secundum quid, & alteri simpliciter: tunc per vnam qualitatem quæ sic ineesset vtrique non probaretur, quòd illa essent similia, nisi secundum quid: quia aliter Æthyops qui est albus secundum dentes, & nix quæ est alba simpliciter, essent similia, quod est falsum: & ideo etiam grammaticus perfectus, non est similis grammatico discipulo in grammatica, sed dissimilis, & in aliis est similiter.

Quomodo intelligitur dissimile similitudini.

Sed obiiciunt quidam de hoc quod Boet. dicit, quòd species est essentialis similitudo indiuiduorum, & genus est essentialis similitudo specierum. Ergo secundum genus & speciem aliquid dicetur simile alteri & dissimile, cum tamen genus & species non sint qualitates eorum quorum sunt genera & species. Ad quod dicendum, quòd similitudo primo & per se est in qualitate & secundum qualitatem, per posterius autem in his quæ (quamuis essentialiter non sint qualitates) habent tamen modum prædicationis in quale, sicut sunt formæ substantiales. Et si dicatur, quòd nec genus nec species prædicatur in quale, sed in quid. Dicendum, quòd prædicari in quid non habent inquantum sunt formæ, sed inquantum sunt formalia vel formata per differentiam constitutiuam quæ est forma. Quod autem similitudines sunt specierum vel indiuiduorum, habent inquantum sunt formæ & qualitates essentiales specierum vel indiuiduorum. Hoc igitur est propriè proprium.

Obiectio.

Solutio.

Quomodo species est similitudo indiuiduorum, & genus specierum, cum similitudo non sit nisi ratione qualitatis.

Genus & species non prædicantur in quid in quantum sunt forma.

CAPVT XIV.

De exclusione erroris qui posset esse circa prædicta.

CIrca autem ea quæ dicta sunt, non decet aliquem turbari tanquam nos nobis contrarium dicamus, ea esse genera permixta qui prius distincta esse determinauimus, quando diximus

Dubitatio textus.

Vtrum habitus sit qualitas an ad aliquid.

At verò non decet conturbari, &c.

diximus diuersorum generum non subalternatim positorum diuersas esse species & differentias: hæc enim adhuc certa sunt & firma veritate confirmata & stabilita. Nemo ergo de hoc conturbetur, quòd de qualitate propositum facientes & tractantes, multa de relatiuis interposuimus: habitus enim & dispositiones quæ sunt in prima specie qualitatis, sunt de numero eorum quæ sunt ad aliquid: habitus enim alicuius habitus. In omnibus enim talibus penè ipsa genera ad aliquid dicuntur: nihil autem eorum in talibus quæ singularia sunt, ad aliquid sunt: aliter species secundum nomina specierum non dicuntur ad aliquid: sed in generibus & secundum nomina generum sunt ad aliquid: nam cum disciplina sit genus intellectualium habituum, disciplina hoc ipsum quod est, alterius dicitur, & ad aliquid: dicitur etiam disciplina alicuius disciplina, quia disciplina dicitur alicuius disciplinati disciplina: sed eorum quæ sunt in hoc genere quod est disciplina singularia siue specialia, nihil hoc ipsum quod est, alterius dicitur, vt aliqua grammatica non dicitur alterius secundum quod est grammatica: non enim dicitur grammatica alicuius quædam grammatica, nec musica: sed quædam grammatica dicitur alicuius disciplina, non alicuius grammatica: & musica dicitur alicuius disciplina, non alicuius musica.

Solutio textus.

Habitus & dispositiones sunt ad aliquid genericè capta, sed quantum ad species sunt qualitates.

Propter quod quæcunque istarum singularium per se sunt qualitates, & non sunt ad aliquid. Huius autem causa est: quia singulariter accepta, vt quædam grammatica, & quædam musica, in seipsis claudunt ea quorum sunt, & ad quæ dicuntur: & ideo negatorie extrinsecus apponeretur. Hæc tamen in specie & in singulari qualitates sunt: quia secundum ea quales dicimur cum hæc habemus, & secundum quod habemus ea vt adepta, quales dicimur secundum ea: scientes enim dicimur, eò quod habemus singulas scientias: scientes autem dici, est quales dici secundum scientias. Propter quod hæc etiam erunt qualitates, quamuis secundum genus dicantur ad aliquid. Et hoc est secundum singulas scientias secundum quas etiam dicuntur quales & scientes. Hoc autem secundum quod quales dicimur secundum quod huiusmodi est, non est de numero eorum quæ sunt ad aliquid. Amplius adhuc alia causa est, quòd non oporter ex talibus conturbari: quia nihil est inconueniens si contingat idem & quale & relatiuum esse secundum diuersa quæ sunt in illo: secundum enim diuersa quæ sunt in ipso, nihil prohibet idem ipsum diuersis generibus enumerare: & sic grammatica, vt est scientia recte scribendi rectéque componendi, quales nos facit, & est in genere qualitatis: vt autem est disciplina, est in eo quod est ad aliquid. Et similiter album per hoc quod subiectum dicit, in substantia est: per hoc autem quod quale dicit subiectum, est in qualitate. Hæc ergo de quali & qualitate dicta sunt.

Alia solutio textus.

Nihil prohibet idem esse in diuersis prædicamentis ratione diuersorum quæ sunt in ipso vt album.

TRACTATVS VI.

De aliis sex prædicamentis in communi.

CAPVT I.

De agere & pati.

Quid prædicat substantia & quid quantitas.

HABITIS quatuor vocibus quatuor genera rerum significantibus, in quibus substantia prædicat id quod simpliciter est ens & per seipsum. Quantitas prædicat ens in alio per quod ipsa subiicitur & substat multis aliis accidentibus, & etiam motui, quia illi non subiicitur substantia simpliciter, sed substantia quanta: & omnibus illis quæ dicunt formas quæ in maiori quantitate maiores, & in minori minores sunt, sicut sunt omnes qualitates actiuæ & passiuæ, per hanc subiicitur motui & mutationi: quia illis subiicitur materia quantitate determinata: propter quod etiam quantum separatam rationem habet à physico, & est secundum rationem ante ipsum, sicut metaphysicum ante physicum.

Recipit autem facere, &c.

D. Alber. Mag. Logica.

Ad aliquid autem prædicat id quod est comparatum ad aliquid qui modus immixtus est omnibus sex prædicamentis: & ideo vt principium ad alia præmitti debuit. Habita etiam qualitate & qualibus, quæ etiam generalem modum prædicandi in quale habent, qui quodammodo inest omnibus aliis. Propterea etiam præmitti debuit, vt hic substantia præcederet vt omni subiectum, quantitas vt subiectum ad physicum, ad aliquid autem vt modus aliorum comparatus, quale autem & qualitas vt modum prædicandi dans residuis omnibus.

Quid prædicat ad aliquid.

Quid prædicat qualitas.

Ordo quatuor prædicamentorum primorum.

Restat enim dicere de his quæ non habent res absolutas prædicare nec modum prædicandi habent ab illis absolutum: habent enim modum relationis & qualitatis, & addunt aliquid super vtrumque, per quod efficiuntur specialia prædicamenta. Propter quod ipsa sex genera causantur ab aliis quatuor, quæ præhabita sunt, & non causantur ab ipsis sicut inferiora causantur à superioribus: quia si hoc ita esset, continerentur in eis, sicut in suis generibus.

Sex principia habent modum relationis & qualitatis & addunt aliquid super illa.

Quomodo sex principia causantur ab aliis quatuor.

bus: sed causantur ex comparationibus supradictorum generum ad aliud: cum tamen secundum causam eandem vel diuersam non dicantur ad conuertentiam. Sicut actio à forma vel qualitate substantiali, vel accidentali comparata ad id quod actioni subiicitur. Passio à materia vel subiecto quod agenti subiicitur, & in qualitate accidentali actio à potentia naturali, passio à naturali impotentia. Quando verò non à tempore, sed à temporis adiacentia. Vbi autem non à loco, sed à loci circumscriptione. Positio autem à partibus secundum ordinem comparatis inter se & toto & in loco. Habitus autem comparatione extrinsecorum ad totum subiectum. De quibus omnibus non magnum hîc oportet facere tractatum, eò quòd hic specialiter intendimus de quatuor quæ aliorum sex sunt causa, posteà autem in alio libro de aliis sex est tractandum. Inter hæc primum est prædicamentum actionis, quod est de facere: & quia actio est in patiens per effectum procedens virtus agentis, ideò cum hoc genere oportet etiam de pati determinare.

Vnde causatur actio. *Vnde passio.* *Vnde quando & vbi.* *Vnde posit & habitus.*

Sciendum, quòd Aristot. in 6. ethic. ponit distinctionem inter agere & facere: & dicit, quòd actio est propriè in humanis voluntatibus, sicut sunt consiliari, & eligere, velle & huiusmodi, de quibus est prudentia virtus: facere autem quia virtus efficientis per effectum procedit in patiens, sicut materiam extrinsecam, sicut est fecare, vel dolare, vel aliquid talium de quibus cum certa ratione est ars mechanica. Sed quia nos hîc non consideramus nisi prædicationis modum, hîc generaliter intendimus de facere vel agere, prout communiter se habent ad vtrumque, scilicet agere, & facere: & dicimus omnem illam vocem agere vel facere prædicare, quæ significat actiuam virtutem in effectum procedere ab agente in id quod agenti secundum illam virtutem subiicitur, sicut est intelligere, fecare, & vrere secundum totum illum modum quo significare potest secundum totum suum decluium, & secundum omnem modum verbalem suum vel etiam participialem: quia etiam participium significat cum actione & tempore, sicut arans, vel secans, siue quodcunque tale similem illis habens suæ prædicationis significationem: iste enim modus significandi rem prædicabilem non potest reduci ad aliquod aliud prædicamentum: per oppositum autem passionem quæ est ab actore receptio ad simplicem actus agentis receptionem, siue ex hoc immutetur patiens, vt in actione physica passum immutatur in aliud vt in physicis, siue non immutatur.

Differentia inter agere & facere. *Actio hic sumitur prout est communis ad agere & facere.*

Sed logicè loquendo de pati communiter sumitur prout est vox rem prædicamenti significans, quæ est susceptio actus agentis simpliciter prout est suscipiens ipsum tantum: hic enim modus ad nullum aliud reduci potest prædicamentum: & propterea enumerata sunt hæc duo inter prædicamenta: quia sic dicuntur & prædicantur prima quidem rerum principia: principium enim est illud in quo suæ coordinationis secundum communitatem est reductio, & quod ad nullum vt genus reduci potest. Sic ergo eius quod est agere accepto, distinctio est in agentibus: eò quod virtus agentis in effectum procedens ab ipso, aliquando per seipsum agit, sicut agit intelligentia & anima. Aliquando autem processus est ab ipsa per qualitatem agentem, sicut est agere à calefaciente vel infrigidante. Et quandoque est processus ab hoc agente per organum & instrumentum, vt secare significat agere, & ad omnia communiter sumitur facere vel agere quando est prædicamentum. Et similiter id quod est pati conuenienter significatur per verbum, & non ita conuenienter per nomen: melius enim dicitur agere vel facere, quam actio vel factio: & melius dicitur pati, quam passio: quia nominaliter significant vt in quiete & sine tempore, quod non conuenit cum agere & pati.

Quare conuenientius dicitur agere & pati, quàm actio & passio.

His enim sic determinatis non videtur aliud dici debere hîc de agere & pati, nisi quod suscipiunt contrarietates facere & pati: eò quod contrariis virtutibus causantur: & quia recipiunt contrarietatem, necessarium est, quòd etiam recipiant magis & minus siue intensionem & remissionem: quia actiones & passiones contrariarum virtutum sunt contrariæ, sicut calefacere contrarium est ad infrigidare, eò quod calidum contrarium est frigido. Et humectare ad exiccare contrarium est, eò quod humidum est contrarium ficco? & sic se habent albificare & nigrificare & actiones omnium contrariorum sic. se habent adinuicem. Et sic est in actionibus animæ: quia sic delectare contrarium est ad contristare: & ideò agere & pati recipiunt contrarietatem: quia sicut calefacere contrarium est ad frigefacere, ita calefieri contrarium est ad frigefieri: & sic delectari contrarium est ad contristari, sicut delectare ad contristare. Quia recipere contrarium est causa eius quod est recipere magis & minus, sicut sæpè dictum est, ideo ista recipiunt magis & minus, quamuis intensionem non recipiant secundum gradus operationis, tamen ipsum agere, & ipsum pati sunt res recipientes magis & minus: & hæc intensio causatur ex intensione virtutis in agendo & intensione virtutis passiuæ in patiendo: & sic calefacere est magis & minus, & in passione contristari, & calefieri est secundum magis & minus. Recipit ergo magis & minus facere & pati.

Quare simul determinauit de agere & pati.

De his autem duobus simul determinare oportuit: quia vnum est causa alterius, & alterum est effectus ipsius: tamen illud quod prædicat vnum istorum, non continetur sub alio sicut sub genere. De his igitur duobus quantum ad præsentem spectat intentionem tantum hæc dicta sunt.

CAPVT II.

De aliis prædicamentis quatuor in communi.

Situs quid.

DE situm autem esse (hoc est positum esse secundum ordinem partium adinuicem & in toto & in loco totius & partium) dictum est

est in his quæ ad aliquid sunt, & quædam sunt quæ sunt relationes, quædam denominatiuè à positionibus dicuntur sicut asperum & lene, ratum & densum, & huiusmodi quæcunque situs partium in toto & in loco significant.

Quando quid.

De reliquis autem prædicamentis quæ sunt quando, & vbi, & habere (eo quòd manifesta sunt) nihil aliud in hoc loco dici oportet, quam quæ in principio in antehabitis dicta sunt: quia scilicet vnumquodque illorum vnum per se significat prædicamentum. Quando quidem non tempus significat, sed esse temporis secundum aliquam temporis differentiam, vt heri quidem fuisse, aut cras futurum esse, aut longè à præsenti, aut propè, & à prætèrito, similiter olim fuisse, aut iam, aut dudum, & aliquid huiusmodi: hoc enim prædicamentum nullum aliorum significat. Et similiter est de vbi, vt hic esse, aut esse in foro, aut in theatro, & quæ huiusmodi habent prædicationem: sic enim significant: vbi enim non est locus, sed in loco aliqualiter esse situm: & quando non est tempus, sed in tempore esse: & ideo speciale oportet esse prædicamentum.

Vbi quid.

Habere quid.

Habere autem comparationem habentis significat ad habitum circundantem, quamuis habere dicatur multipliciter, sicut in sequentibus istius libri determinabitur: prædicamentum enim eius quod est habere, non dicit nisi relationem ad habitum exteriorem qui se mutat ad figuram & circundationem habentis, & hoc est habere, sicut dicimus vel bene vel male habere vestimentum ad necessitatem vel decus habentis. Sic enim generalis vox est ens prædicans quod in nullo aliorum prædicatur: & ideo hic secundum intentionem huius libri nihil aliud de his esse videtur dicendum, quam quæ in principio in enumeratione prædicamentorum dicta sunt, scilicet quòd hoc habere significat & prædicat calceatum esse vel armatum esse. Vbi autem prædicat in loco esse. Quando etiam heri vel cras vel hodie esse, & alia quædam quæ de his dicta sunt in istius libri parte prima, vbi prædicamenta enumerata sunt. De propositis itaque generibus ea quæ dicta sunt sufficiant. Adhuc etiam in lib. sex principiorum sigillatim tractabimus de his de quibus hîc non est tractatum.

TRACTATVS VII.

De postprædicamentis.

CAPVT I.

Quæ sint & quot tractanda in hoc tractatu.

Quotiesautem solet opponi, &c.

MOTVS igitur iam determinatis, quæ de prædicamentis dicenda esse videbantur, inquantum prædicamentum est sub vno communi nomine prædicabilium coordinario. Non enim omnia quocunque modo coordinata reducuntur ad genus vnum: ideoque post prædicamenta oportuit sequi tractatum de his quæ quidem coordinanda sunt, sed ad vnum genus prædicamenti reduci non possunt. Et hæc sunt opposita, quæ in pluribus generibus inueniuntur, & ea quæ sunt prius & posterius, & ea quæ sunt simul, & motus, & habitus: hæc enim omnia talia sunt cum ipsis nominibus coordinabilitatem habentia, & tamen ad vnum aliquod genus prædicamenti reduci non possunt.

Necessitas post prædicamentorũ & numerus.

Quod postpredicamenta pertinent ad logicum. Oppositio quæ est inter entia, est de consideratione logici; li-

De his igitur quinque necesse est tractatum facere specialem secundum quod ad logicum pertinent: quamuis enim opposita, sint in rebus & in entibus quæ considerat metaphysica, tamen oppositio quæ ponitur inter ea intentionis est: & cum intentio rationem dicat cuiusdam ordinationis, & illam habet logicus considerare. Et similiter est de his quæ sunt simul in omnibus: ea quidem quæ sunt opposita per prius vel posterius & simul, sunt in natura rerum: forma autem & intentio oppositionis & prioritatis & simul ponitur à ratione. Motus autem secundum omnes sui differentias est in natura. Reductio autem ad vniuersale & ad genus oportet quòd sit in ratione: & ideo motus cum sit prædicabile quidem de multis, oportet quod secundum hoc à logico & secundum formam coordinationis prædicabilium tractaretur. Est autem adhuc coordinatio eius quod inest cum eo cui inest sicut habitum in habente: quod licet ex parte habentis sit secundum genus vnum, tamen ex parte habiti est secundum modos multos ad vnum & idem genus non reducibiles: & ideo oportuit etiam tractare de habere secundum rationē coordinationis eius quod habetur ad id quod habet. Et sic complerur omnis coordinabilium & prædicabilium coordinatio, quam sequitur actus rationis, qui est prædicabilium rerum de quibus prædicatur compositio.

ea entia illæ sint de consideratione metaphysici. Quomodo motus considerat. logico.

Sufficientia post prædicamentorum.

Accipiuntur autem eorum quinque coordinationes penes quæ sunt in pluribus generibus aliquo modo coordinationis vnam rationem habentibus: hæc enim aut penes omnium generum diuersitatem sunt accepta, aut penes ea quæ sunt in generibus contenta, aut penes aliorum coordinationem ad substantiam.

tiam. Si accipiuntur penes omnium generum diuersitatem, cum sicut dicit Boëtius, oppositio sit prima causa diuersitatis, tunc est oppositio: quia omnia diuersa per diuisionem quæ est per opposita, exeunt ab vno aliquo, & est oppositio causa diuersitatis. Si autem sumitur ratio coordinationis penes illud quod est in quolibet genere, aut sumitur penes naturam eorum quæ sunt ordinata in genere, aut penes ea in quibus stat coordinatio & per quæ fit diuisio coordinatorum. Et si primò sumitur: tunc cum ordinata in genere non sint nisi genus & species, inducitur tractatus de eo quod est prius & posterius: quia genus se habet in coordinatione sicut prius, & species sicut posterius, & prius & posterius est ratio coordinationis eorum in genere vno. Si autem sumitur penes ea in quibus stat coordinatio tota, & per quæ fit diuisio coordinatorum: tunc erit tractatus de simul: quia etiam & indiuidua in quibus stat coordinatio sunt simul natura, & differentiæ per quas fit diuisio coordinatorum, ex quo sunt oppositæ simul exeuntes ex eodem genere, sunt simul natura. Hic ergo de necessitate tractandum est de eo quod est simul. Quia autem in omni natura cuiuslibet generis est potentia & actus, & inter hęc aliquo modo motus (& ideo etiam motus est in omnibus generibus) ideo necesse fuit etiam de illa ratione coordinationis prædicabilium determinare: & ideo oportuit tractare de motu secundum motus communitatem quam in motibus ponit ratio coordinationis prædicabilia ad vnum commune quod in generibus pluribus inuenitur. Si autem est secundum ordinationem illorum generum ad primum quæ est etiam coordinatio quam ratio ponit, sic logico necesse fuit tractare de habere, & in his sufficientia est coordinationis prædicabilium.

Ordo capitulorum.

Et per ipsam diuisionem patet ordo capitulorum istorum: quia prius est id quod sumitur secundum ipsorum generum diuersitatem, quam quod sumitur penes ea quæ sunt in genere: & sic oppositio est ante omnia alia. Adhuc prius est quod est in genere secundum substantiam suæ coordinationis, quam id quod est in genere secundum reductionem ad ens generis: & sic prius & simul sunt ante reliqua. Adhuc quod est in genere secundum reductionem ad commune quod est hoc genus, vel id, est ante reductionem ad vnum quod est habens vt subiectum: & sic capitulum de motu est ante capitulum de habere. Patet igitur sufficientia postprædicamentorum & ordo eorum adinuicem: quia etiam prius est ante simul: quia in coordinatione prius sunt ipsa coordinata secundum rationem, quam ea in quibus stat coordinatio: & de his hac de causa quæ dicta tractandum est.

CAPVT II.

De oppositione in communi & generibus oppositorum.

Quomodo oppositio est

INter illa ergo primo tractandum est de oppositione, quæ forma est & intentio rationis posita supra ea quæ opposita sunt: ideo inquantum stat super ea quæ sunt entia aliquo modo forma est entis: inquantum autem actualis oppositio est comparatio rationis, qua vnum oppositorum comparatur alteri, tunc est forma & intentio quæ attingit & non ens, inquantum ens opponitur non enti tam in contradictoriis, quam in priuatiuè oppositis, & etiam in contrariis secundum quod contraria ad priuationem & habitum reducuntur. Hoc enim non est inconueniens, quòd intentio vel forma quę potentialiter est in rebus & actualiter in ratione, sit & entis & non entis: quia ratio comparans vnum alteri, comparationem facere non potest nisi respiciat & stet aliquo modo super vtrumque: & sic quidem oppositio simpliciter est forma entis, secundum quid autem etiam est non entis.

forma entis, & quomodo est forma non entis.

Quomodo oppositio est forma vnius, & quomodo multorum.

Ex his etiam patet, quòd oppositio aliquo modo forma est vnius, & aliquo modo multorum: est enim vnius secundum quod vnum consideratur oppositum alteri, sed non est forma quæ absolutè sit in vno, hoc est, in vno respectu alterius. Est etiam oppositio multorum: quia dicimus, quod illa vel illa sunt opposita, & hoc est, quòd per rationem vtriusque oppositorum comparata est ad alterum & stat sic in oppositis: hoc enim modo forma quæ non est absoluta, potest esse multorum.

Oppositio est ad aliquid secundum genus considerata, licet species eius non sint ad aliquid.

Ex his etiam patet, quòd oppositio inquantum oppositio secundum genus est ad aliquid: quamuis species oppositionis non sint ad aliquid, nisi mediante genere, hoc est, reduplicatione ad genus, sic vt dicatur, quòd contrarietas inquantum est oppositio, est ad aliquid, secundum quod in antehabitis dictum est, quòd grammatica secundum quod est disciplina est ad aliquid, & non secundum quod est grammatica vel hæc scientia.

Obiectio prima.

Et si quis obiciat, quòd relatio est forma eorum quorum vtrumque est ens actu: oppositio autem potest esse eorum quorum alterum est non ens: & quod ideo oppositio non sit relatio. Adhuc autem quia relatio est secundum genus vnum tantum: oppositio autem est in pluribus generibus, & quod ideo oppositio non est relatio. Dicendum, quòd hæ argumentationes non valent: quia oppositio, sicut ante dictum est, est intentio quam ponit ratio super res: & ideo relatio quæ ponitur ibi à ratione, intentio est, & talis relatio est relatio entis, quod (vt oppositum est & non vt res) est in ratione: & tale ens sufficit relationi quæ est posita super intentiones. Ad aliud autem dicendum, quòd quamuis relatio sit vnum genus, non tamen propter hoc sequitur, quòd relatiua sint in genere vno omni modo: oppositio autem est distantia relatorum adinuicem, & hoc modo est in diuersis prædicamentis. Sic ergo patet quid sit oppositio: est enim, vt dicit Boet. hoc habens, quòd opposita non possunt esse simul in vno & eodem: vnde oppositio est repugnantia vel essentialis distantia aliquorum se non permittentium esse in eodem simul.

Secunda.

Solutio prima.

Quomodo oppositio, licet sit relatio, non tamen requirit vtrumque extremum esse in actu.

Solutio secunda.

Nunc ergo quærendum est secundum oppositionis diuisionem, quoties siue quot modis solet vnum opponi alteri. Dicitur autem alterum

alterum alteri siue vnum alteri opponi quadrupliciter, hoc est, vno quatuor modorum: aut enim opponitur vt ad aliquid, aut vt contraria, aut vt habitus & priuatio, aut vt affirmatio & negatio. Oppositio enim (quæ est forma rationis secundum intentiones quæ in ratione sunt, quæ respicit tam ens quam non ens) aut est inter ea quæ actu sunt, aut inter ea quorum vnum est, & alterum non est. Si enim est inter ea quæ actu sunt, & suis formis repugnantiam habent oppositionis: tunc aut se sunt expellentia ab eodem susceptibili secundum potentiam & actum: aut expellentia se secundum actum, non secundum potentiam. Si primo modo: tunc est oppositio secundum ad aliquid, sicut patet in patre & filio. Idem enim respectu eiusdem patet nec est nec potest esse & filius. Si autem se expellant ab eodem secundum actum, & non secundum potentiam: tunc est oppositio contrarietatis. Et istæ duæ, quia sunt super ens, aliis duabus oppositionibus præordinandæ sunt: & quia oppositio relationis expellit oppositum secundum actum & potentiam, contrarietas autem secundum actum tantum, ideo oppositio relationis ponitur ante oppositionem contrarietatis. Si autem est inter ens simpliciter, & non ens: tunc aut est inter ens simpliciter & non ens secundum quid, aut inter ens simpliciter & non ens simpliciter. Et primo quidem modo est oppositio inter habitum & priuationę, quæ licet priuet habitum, relinquit tamę subiectum. Et si est secundo modo: tunc est oppositio inter affirmationem & negationem, in quibus affirmatio dicit ens, negatio autem impliciter non ens: & habent ordinem secundum quod plus vel minus habent de ente: & hoc modo priuatio & habitus sunt ante affirmationem & negationem.

Sufficientia oppositionum quæ sunt secundum quatuor modos.

Quare prius de relatiuis oppositis & contrariis determinabit, & quare ante contraria præponit relatiue opposita.

Quomodo priuatio & habitus sunt ante affirmationę & negationem. Alia sufficientia.

Quare vltimo de contrarietate.

Vel si placet, dici potest, quòd oppositio aut est inter complexa, aut inter incomplexa. Si inter complexa: tunc est oppositio conditionis. Et quia in hac parte complexa secundum logicos non intenduntur nisi secundum potentiam: tractatur enim de ordinabilibus ad complexionem, propter hoc oppositio contradictionis ponitur vltimò, vt minus intenta. Si autem est inter incomplexa: aut est inter ea quæ secundum formam opponuntur ratione repugnantiæ formarum, vel ratione perfecti secundum formam & imperfecti. Si secundo modo: tunc est oppositio priuationis & habitus. Si primo modo, aut est oppositio secundum formas quæ sunt formam & totum consequentes, aut secundum formas materiam respicientes, in qua fiant secundum potentiam materiæ ad vtrumque per motum & mutationem. Et primo quidem modo est oppositio ad aliquid. Secundo autem modo est oppositio quæ est contrarietas. Potest etiam pluribus aliis modis sumi diuisio oppositionis: & hoc quia valdè facile est cuilibet consideranti naturas oppositorum, ideo pertransimus.

Remouet dubium.

Vt autem figillatim illa per exempla declarentur, vnumquodque istorum oppositorum opponitur, vt relatiuè id quod est dimidium & duplum: vt contraria autem, vt malum & bonum. Quamuis enim malum, vt Aristot. dicit in 3. metaphys. sit priuatio boni: tamen secundum quod bonum est in habitibus & actibus sunt contraria: quia malus habitus ex malis relinquitur actibus & est qualitas quædam in anima, sicut malus actus est operatio quædam ab anima elicita: & sic contrariè opponitur malum ad bonum, prout est bonum in oppositis habitibus & actibus ad malum. Et hoc est accipere id quod est malum, & id quod est bonum: si enim accipiatur vtrumque istorum formaliter, scilicet vnde malum, & vnde bonum: tunc forma tam in anima quam in habitu & in actu, malum ad bonum priuatiuè opponitur & in corpore & in natura tota, sicut probant similiter & Arist. & Dionysius: quia etiam in corpore malum priuatio est, & in tota natura non est nisi priuatio: sed hoc non est præsentis intentionis: sufficit enim quòd bonum & malum secundum id quod sunt contraria sunt. Secundum priuationem autem & habitum opponuntur, vt cæcitas opponitur visui, cæcitas enim est priuatio visus in eo quod natum est habere visum. Vt affirmatio autem & negatio opponuntur, vt sedet, non sedet: quæcunque affirmatio affirmat, negatio negat: & econtra quæcunque negat negatio, affirmat affirmatio. Hi igitur figuraliter superficialiter dicti sunt modi oppositionum.

Quomodo bonum & malum opponuntur contrarie & priuatiue.

Dubitatio.

Si autem quæratur, quæ sit diuisio oppositionis in quatuor oppositis. Dicendum, quòd communiter dicitur, quòd sit diuisi sicut generis in species. Sed secundum veritatem per prius & posterius diuiditur in suos modos: quia oppositio de esse & non esse siue secundum affirmationem & negationem, est plus habens de oppositione omnibus aliis. Et oppositio secundum habitum & priuationem, quæ est oppositio secundum esse & non esse secundum quid, post hoc plus habet de oppositione. Oppositio autem secundum esse & non esse minus habet: & in tali oppositione plus habent ea quæ sunt actu contraria potentia esse in eodem, quam illa quæ sunt relatiua quæ nec actu nec potentia possunt esse in eodem: quia quātūs actu & potentia simul esse non possint, tamen formalem contrarietatem non tantam habent quantam contraria quæ se mutuò expellunt: quia relatiua se mutuò non expellunt, eò quod se in eodem non contingunt, & ideo formas non habent inuicem actiuas & passiuas. Ex his iterum patet quædam sufficientia oppositionum & ordo ipsarum, secundū quod plus vel minus habent de oppositione: quæ enim minus habent prius, & quæ plus habent posterius ordinantur.

Solutio.

Diuisio oppositionis est diuisio analogi.

CAPVT III.

De relatiuè oppositis.

Quæcunque igitur vt relatiua, &c.

DIcamus ergo primo de relatiuè oppositis, quòd quæcunque vt relatiuè opponuntur, ea ipsa quæ sunt, oppositorum sunt, & dicuntur secundum eundem casum vel quoliber aliter ad aliud secundum eundem casum vel diuersum: vt duplum & dimidium, hoc ipsum quod est vtrumque ipsorum, alterius dicitur:

citur duplum: dicitur enim dimidij duplum: & hæc sunt verè ad aliquid secundum hoc ipsum quod sunt: sed etiam secundum dici disciplina quodammodo secundum alium casum dicitur disciplinati disciplina, & disciplinatus disciplina disciplinatus, & disciplina disciplinato est opposita secundum relationem: quæ disciplina dicitur hoc ipsum quod est disciplinati, & disciplinatum hoc ipsum quod est secundum quod disciplinatum est stans sub forma disciplinæ, ad suum oppositum siue correlatiuum est, quamuis non secundum eundem casum, quia non dicitur disciplinatum disciplinæ disciplinatum, sed disciplina disciplinatum: disciplinatum enim dicimus aliquem non disciplinæ disciplinatum, sed disciplina disciplinatum per ablatiuum casum conuertentiam facientes.

Concludamus igitur generaliter, quòd quæcunque relatiuè opposita sunt, hoc ipsum quod sunt, aliorum dicuntur secundum genitiuum, aut quomodocunque aliter dicantur ad inuicem secundum aliquem alium casum. Hæc autem differunt ab omnibus alijs modis oppositionis, & præcipuè a contrarijs: contraria enim non aliorum dicuntur, sed dicuntur cõtraria esse sibi vel ad inuicem: non enim dicitur bonum mali bonum, sed dicitur bonum malo contrarium, neque album dicitur nigri album, sed dicitur album nigro contrarium: ex quo patet, quod hæ duæ adinuicem differunt oppositiones.

Obiectio. Si autem quis obiiciat, dicens quòd opposita se mutuo perimunt & expellunt: relatiua autem posita se ponunt, & interempta se interimunt: & sic relatiua non sunt opposita. Soluendum, sicut in antehabitis dictum est, quòd relatiua in hoc habent virtutẽ & naturam oppositorum, quòd se expellunt actu & potestate ab eodem susceptibili siue subiecto, & quod posita se ponant, non habent ab eo quod sunt opposita, sed habent ab eo quod à seinuicem dependent secundum intellectum: quia sic vtrumque est finis & terminus alterius, & sic vnum non potest poni sine reliquo: quia quod ponitur esse finitum per intellectum alterius, non ponitur esse finitum ante intellectum illius, nec habet esse sine illo: hac etiam necessitate fit, quòd destructa se perimunt: destructo enim vno alterum non est in esse finitum: nihil autem est actu nisi quod finitum est in esse: igitur quod non est finitum in esse, non est: quod finitum est intellectu, finitum est & in esse, quia per idem intelliguntur res per quod sunt in esse, sicut dicitur 1. physic.

Solutio. Quomodo relatiua sunt opposita cum non se expellant, imo se ponant.

Text. com. Obiectio. Obiicitur tamen contra ea quæ dicta sunt, quòd contraria vt contraria adinuicem referuntur: quia contrarietas est forma relationis: & ideo quæcunque sunt contraria inquantum sunt contraria, sunt etiam relatiua. Sed ad hoc dicendum, sicut prius: quia contraria vt opposita adinuicem referuntur, & sunt relatiua secundum genus, & non secundum speciem, aut secundum individuum. Et quando dicitur, quòd contraria vt contraria sunt ad aliquid, locutio est duplex: ex eò quod illud quod dicitur (secundum quod) potest facere

Solutio.

Quomodo hæc propositio, contraria sunt ad aliquid, est duplex.

reduplicationem contrarietatis vt est oppositio, aut vt hæc oppositio in se designata. Et primo quidem modo vera est hæc, contraria vt contraria sunt relatiua, sed tunc non sequitur conclusio, quòd oppositio relationis sit oppositio contrarietatis. Si autem facit reduplicationem huius contrarietatis, tunc est falsa hæc, contraria secundum quod contraria sunt relatiuè opposita, & soluitur per interemptionem propositionis: & ideò patet, quòd non probat. Quamuis enim ex falso sequatur aliquando conclusio, tamen nihil probatur. Hoc igitur est primum genus oppositionis inter quatuor quæ dicta sunt. Et cum omnia opposita nata sint fieri circa idem, hæc quæ dicuntur relatiuè opposita, semper sunt in diuersis, & non sunt nata fieri circa idem, nisi in hoc quod adinuicem referuntur & sunt adinuicem hoc ipsum quod sunt. Quod autem mutuo se expellant actu & potentia essendi an eodem, iam in antehabitis expositum est, & qualiter conueniat relatiuis.

Quomodo relatiuè opposita inter. alia opposita non sunt nata fieri circa idem.

CAPVT IV.

De contrarijs, siue de oppositione contrarietatis.

DE contrarijs verò oppositis tractantes nos non oportet diffinire contrarietatis oppositionem: quia iam in tractatu de quantitate ab opinione antiquorum constat, quòd contraria sunt quæ posita sub eodem proximo genere, vere maximè distant à seinuicem. Quia etiam quamuis medium comparatum extremo sit contrarium, tamen inquantum distat, distare non habet, nisi inquantum participat aliud contrarium quod maximè distat: & sic medium ab extremo non distat nisi ratione maximæ distantiæ. Et sic omnia quæ distant sub eodem genere proximo: aut sunt extrema maximè distantia: aut si non sunt extrema, distant tamen per ea quæ maximè distant, hoc est, participatione extremorum. Nata autem sunt fieri circa idem susceptibile, siue subiectum, quod est potentia vtrumque contrariorum: quia quorum est vnum genus proximum, horum est vna potentia: quia genus est potentia in quo potestate est vtrumque, & à quo per diuisionem per oppositas differentias factam exit & educitur vtrumque. Sic ergo constat de substantiali diffinitione contrariorum.

Quæcunque vero contraria, &c.

Quomodo potest teneri, quod medium & extrema maximè distant, vel saltem ratione maximè distantium distant.

Dico autem, quòd contrariorum quædam sunt circa suum subiectum siue susceptibile immediata, quædam autem mediata, hoc est, quòd quædam sunt quorum alterum necesse semper est inesse suo susceptibili, quædam autem sunt talia quòd alterum non est necesse inesse, sed potest inesse medium quod neutrum est extremorum. Horum autem quorum necesse est inesse alterum eorum, nullum est medium: quorum autem alterum non est necesse inesse, horum medium est aliquid.

Contraria duplicia, scilicet, mediata, & immediata.

Vt autem figuraliter per exempla quæ dicta sunt declarentur, contrariorum immediatorum

ram in physicis quidem exemplum est langor & sanitas circa animal complexionatum in corpore: hæc enim circa corpus animalis nata sunt fieri, & necessarium est alterum inesse corpori animalis vel langorem vel sanitatem. Nec latet vos, quòd Gal. inter sanum & ægrum ponit medium quod est neutrum. Verbi gratia, quando animal est actu sanum, sed dispositum ad ægritudinem: vel è conuerso, quando est actu ægrum, sed dispositum ad sanitatem: vel quando est in toto & secundum partem ægrum, vel è conuerso, vel aliquo alio tali modo se habens. Omnia enim contraria quæ fundantur super æquale & inæquale, necessario sunt immediata, sicut & æquale & inæquale esse sunt immediata, quia ad affirmationem & negationem reducuntur, & sunt contradictoria in genere, quamuis simpliciter non sint contradictoria. Sanum autem & ægrum fundata sunt super æquale & inæquale: quia sanum est, quod est in æqualitate complexionis: ægrum autem, quod ab æqualitate decessit: & hoc modo neutrum non est medium, sed est ægrum non multùm distans à sano, vel sanum non multum distans ab ægro: & hoc considerat Philosophus &c. secundum illam partem physicæ quæ medicina est. Intentiones sani & ægri prout contrarietas est inter eas, considerat logicus: quia simpliciter sunt fundatæ super æquale & inæquale, logicus dicit esse immediatas.

Medici ponunt medium inter sanum & ægrum.

Quæ sint contraria immediata, & quomodo talia contraria sunt contradictoria in genere.

Obiectio, quòd nulla contraria sint immediata. Est autem obiectio contra ea quæ dicta sunt, in physicis: quia motus semper est de contrario in contrarium: motus autem omnis medium habet: quia omne quod mouetur de extremo siue contrario in extremum contrarium, prius est in medio, quam in extremo: & sic nulla sunt in physicis contraria quæ medium non habeant, vt videtur. Et hoc quidem verum est per hunc modum, quo procedit obiectio, scilicet secundum hoc quod contraria comparantur ab subiectum, quod potentia est sub vtroque contrariorum successiuè: & sic contratia prout eorum est motus considerantur à physico, & sic habent medium: sed secundum intentiones suas formales quandoque sunt immediata.

Solutio. Contraria per comparationem ad subiectum, & prout eorum est motus considerantur à physico, & sic habent medium: sed secundum intentiones suas formales quandoque sunt immediata.

Sicut autem sanum & ægrum sunt immediata circa corpus animalis, sic par & impar circa numerum immediatè opponuntur & de numero prædicantur immediatè, ita quod omnis numerus est par vel impar, propter eandem causam, quia numerus par est, qui in duo æqualia diuiditur: impar autem, qui in duo æqualia non diuiditur, sed in duo inæqualia: & sic fundatur par & impar super æquale & inæquale: horum enim alterum necessarium est esse in numero, sicut abundans & perfectum. Dico autem hic abundans, non prout est passio quædam numeri, secundum quam dicitur numerus omnis aut esse perfectus, aut esse diminutus. Non sic enim accipimus hic abundans & perfectum, sed secundum quod perfectum est æquale, abundans autem distans ab æqualitate: sic enim par numerus perfectus est, quia perfectè stat super æquale: impar autem imperfectus, quia vnitate abundans super æquale: impar autem numerus, vt dicit Pythagoras, est qui in duo æqualia non diuiditur, impediente ea quæ intercedit vnitate. Nihil ergo est in medio istorum inter sanitatem scilicet & langorem, nec inter numerum sic abundantem & perfectum, & imparem & parem.

Quid per abundans & perfectũ.

Contrariorum autem quorum nõ est necessarium alterum inesse susceptibi illorum, est aliquid medium propter miscibilitatem extremorum, sicut album & nigrum cum sint cõtraria, in corpore terminato habent fieri sicut in susceptibili: & non est necessarium alterum inesse corpori: non enim omne corpus terminatum aut album, aut nigrum est, sed aliquando medio colore figuratum. Similiter autem prauum & studiosum prædicantur vt contraria de homine & de aliis multis: vnumquodque enim studiosum est quod est perfectum sua connaturali virtute ad proprium & connaturalem actum, sicut homo ad actum hominis, & leo ad actum leonis, & miles ad actum militis, & philosophus ad actum philosophi, & sic est in omnibus aliis.

Hæc tamen contraria, prauum & studiosum, sunt mediata: quia non est necessarium hominem aut studiosum, aut prauum esse: & similiter est de aliis quæ praua dicuntur vel studiosa. Possunt enim esse media, ita quòd neque praua neque studiosa sunt, sicut sunt corpora ad virtutem sui actus disposita, neque etiam contrarium habitum habentia, sicut dicit Auer. quia rusticus qui ad ciuilitatem & curialitatem & virtutem hominis non est dispositus, nec est bonus nec malus, nec prauus nec studiosus. Hesiodistæ autem philosophia theologizantium sequentes, dicunt inter bonum & malum, siue inter prauum & studiosum non esse medium: non enim dicunt aliquod bonum bonum bonitate naturæ simplicis, sed bonum dicunt virtute perfectum ad actum omnem: qui autem ab illo deficit cum debeat esse perfectus, dicunt esse malum omissionis malitia ad minus, quia studium virtutis non fecit quod debuit: prauum autem dicunt bonum ad praui actum in nocentia perfectum: & sic dicunt Theologi nostri temporis. Physicè autem loquendo medium est inter prauũ & studiosum sicut dictum est. Est ergo horum contrariorum medium: albi quidem & nigri medium est fuscum, & pallidum, & sunt alij medij colores, sicut viride, & glaucum, & hyacinthinum, & croceum. Praui verò & studiosi medium est, quod nec prauum nec studiosum est, sicut diximus.

Quomodo inter prauũ & studiosũ datur medium.

Vide 5. metaph cum 27 & 10. meta. com. 16.

Hesiodistæ theologizantes aiunt inter prauum & studiosum, seu inter bonum & malum non esse medium.

Sed

In aliquibus ita ius nomina posita, &c

Sed in aliquibus contrariis nomina mediorum inter media sunt posita, & sunt, quorum formæ sunt miscibiles ad formam medij terminatam, sicut inter album & nigrum nominantur media fuscum, & pallidum, & alia huiusmodi. In contrariis autem, quorum scilicet formæ non sunt miscibiles ad medij determinationem, non est in idoneum assignare mediorum nomina: cum tamen sint media secundum rei veritatem. Hoc medium in talibus habet determinari per abnegationem vtriusque summorum siue extremorum: summa enim sunt maximè in summo distantia abinuicem, sicut si dicerem intermedium boni & mali esse quod nec bonum nec malum est, sicut rusticus nec bonus dicitur similiter nec malus: vel sicut diceremus inter iustum & iniustum esse secundum generalem iustitiam, quæ idem est omni virtuti, quia nec iustum nec iniustum est id quod ad ciuilem iustitiam non est dispositum. Quamuis enim talia contraria sint miscibilia, eò quod in omni motu extrema aliquo modo miscibilia sunt, quia aliter inter ea non essent motus: tamen ad formam medij determinabilia non sunt, quia non est status in mediis ipsorum ad speciem determinati medij secundum medij formam.

Contraria media per participationem habent nomina imposita, sed media per abnegationem extremorum contrariorum non habent nomina imposita.

Ex quo patet quod duplex est medium, scilicet secundum motum, & secundum speciem

In omnibus autem sensibilibus contrariis media sunt vel plura vel pauciora secundum doctrinam quæ traditur in lib. de sensu & sensato. Quia contraria in illis sunt simplices formæ extremorum: in aliis autem quæ fundantur super quasdam habitudines æqualitatis vel inæqualitatis, non potest esse medium. Quamuis dicant ethici virtutem esse medium duarum malitiarum, quæ tamen non miscetur ex duabus malitiis, quia virtus secundum bonitationem non est medium, sed extremum. In actu autem & medio habitus medium est, nisi mixtum ex duabus malitiis secundum medium duarum malitiarum in circunstantiis actus quas medio modo participat duarum malitiarum, quarum vna est secundum abundantiam, altera est secundum defectum. Hæc igitur & talis est oppositio contrarietatis.

Quomodo virtus est medium inter duas malitias, & quomodo extremum.

CAPVT V.

De priuatiuè oppositis.

Priuatio verò & habitus, &c.

PRiuatio verò & habitus secundum quod oppositionis species esse dicuntur, habent fieri circa idem aliquod quod susceptiuum propriè est ipsius habitus secundum naturam, sicut visio & cæcitas circa idem sunt habitus per naturam susceptiuum, quod est oculus. Oculus enim per naturam susceptibilis est visus: propter quod Philosophus dicit, quòd si oculus esset animal, visus esset anima eius: vade sicut mors & vita opponuntur circa idem quod per naturam vitæ susceptibile est, ita visus & cæcitas opponuntur circa oculum, & auditus & surditas circa aurem, & caluum esse & comatum esse circa frontem, quia per humiditatem naturæ cerebri frons nata est esse comata. Vniuersaliter autem loquendo de omnibus taliter oppositis sciendum, quòd in quocunque secundum naturæ principia & naturæ ordinem nascitur habitus vel habet nasci, circa hoc secundum eadem principia & eundem ordinem habet fieri vtrumque istorum oppositorum, habitus scilicet & priuatio, habitus scilicet constantibus principiis & constante ordine secundum naturæ determinationem, priuatio autem secundum corruptionem vtrumque, scilicet principiorum & ordinis determinati à natura.

4. de anima. tex com. 9.

Quod verò ordo requiratur in talibus, patet ex hoc, quia tunc dicimus priuari vniquodque suo habitu in illo tempore quo id quod natum est habere aliquem habitum, tunc non habet eum. Et si ante tempus determinatum ad habere habitum non habet, tunc dicimus, quòd non est priuatum: edentulum enim dicimus non eum qui non habet dentes in quocunque tempore, sed eum qui non habet dentes in tempore in quo natus est habere dentes secundum naturam: neque cæcum dicimus, qui in quocunque tempore non habet visum, sed eum qui non habet in tempore in quo secundum naturam conuenit eum habere visum vel dentes. Cum enim natura, vt dicit Aristot. nec abundet in superfluis, nec deficiat in necessariis, & omnia mensurantur periodo, vt dicit Aristot. 2. de generatio. & corrupt. si in tempore in quo natus est habere, non habet, priuatus pro certo est principio naturæ ad operandum: si ante periodum deficit, non est priuatus naturali principio, sed materia in qua comparabatur naturæ principium, ad tam breue tempus complere non potuit. Propter quod pueros primæ plantationis dentes proicientes, edentulos non dicimus, quia manet in eis principium dentium generatiuum. Quædam enim sunt generationes siue quædam generata, quæ mox nata nec dentes, nec visum habent, sicut est canis natus, lupus, & catus: & homo quamuis habeat visum, non habet adhuc adunatum, sed dentes mox natus non habet: & tales nati non propter hoc dicuntur edentuli, nec cæci, propter hoc quod non significat corruptionem principij vel membri in quo est priuatio & habitus, sed significat breuitatem periodi in qua non poterat compleri organum ad habitus perfectionem.

3. de anima. tex. com. 45. Tex. com. 57.

Quomodo ordo est inter habitum & priuationē, & quomodo priuatio non est sola carentia habitus.

Sic ergo opponuntur priuatio & habitus, quòd priuatio dicit principiorum habitus corruptionem in eo in quo tunc natus est esse habitus. Et hoc est tripliciter secundum quod dicit Aristot. in 5. primæ philosophiæ, scilicet circa idem numero, vt cæcum circa videns, hoc est, visum habens: vel circa idem genere, sicut talpa dicitur mus cæcus, non quod nata sit videre, sed quod genus eius (quod est animal) natum est habere visum: tertio circa genus remotum, sicut planta dicitur habere visum, quia viuum natum est habere visum, cum videre sit de operationibus vitæ, quas natum est suscipere viuum secundum quod viuum. His igitur modis priuatio opponitur habitui, quando scilicet habitus priuatur priuatione principiorum ipsius habitus: propter quod etiam videns non opponitur priuatiuè ad non videns; quia aliquid est non videns & visu non

Priuatio dicit principiorum habitus corruptionē, & hoc vel circa idem numero, circa idem genere propinquo, vel remoto.

Non videns in plus se habet, quam cæcus.

non vtens, & hoc non est priuatum visu: & est non videns, principia visus nec habens ex genere nec ex specie, sicut lapis est non videns: & sic videns & non videns opposita sunt secundum affirmationem & negationem, & non secundum priuationem & habitum. Ad hoc ergo quòd priuatio & habitus sint opposita, oportet quòd sint circa idem habitus per naturam susceptibile, cuius susceptionis præcorruptiua sit priuatio. Et hæc est causa, quòd habitus secundum ordinem naturæ præcedit priuationem, & priuatio comparatur ad habitum sicut secundum, quia primum est habitus. Non oportet autem habitum præcedere actu, sed in ordine principiorum naturæ: si enim actu semper oporteret præcedere habitum, tunc nullus esset cæcus vel surdus à natiuitate, quod falsum est.

Quomodo habitus præcedit priuationem

Quomodo priuari & habere habitum, non est idem quod priuatio & habitus.

Priuari autem & habere habitum non est omnino idem, quod priuatio & habitus: quamuis inter ea sit idem modus oppositionis. Habitus est visus: visus autem essentialiter non est habere visum. Similiter priuatio est cæcitas, quia cæcitas suscipit prædicationem priuationis, sicut species suscipit prædicationem generis. Habere igitur visum non est visus. Cæcum vero esse & priuari visu, non est cæcitas vel priuatio: si enim idem esset cæcitas & cæcum esse essentialiter, tunc vtrumque eorum de altero prædicaretur: & de quocunque prædicaretur vnum, de eodem prædicaretur reliquum: hoc autem minimè vel nequaquam conuenit, cæcum enim esse vel priuari visu dicitur homo; cæcitas verò nullo modo dicitur homo. Et per hoc patet, quòd priuatio priuat habitum in se, & in principiis habitus relinquit subiectum, circa quod est potentia, & illud nihil est priuationis. Hæc tamen scilicet cæcum esse & visum habere, opposita sunt tanquam priuatio & habitus: modus enim oppositionis in vtroque idem est: cæcitas enim opponitur visui, sicut cæcum esse opponitur ad visum habere. Sed in hoc est differentia, quòd cæcitas & visus nominant ipsa opposita secundum priuationem & habitum: cæcum autem esse & visum habere, nominant subiectum secundum quod stat sub priuatione & habitu, quasi denominatum ab ipsis: & ideò cum subiectum ex se non habeat oppositionem ad seipsum, nec subiectum possit opponi subiecto, relinquitur quòd non est ibi oppositio nisi priuationis & habitus, quæ circa subiectum posita esse significatur; & ideò necessarium est, quòd idem modus oppositionis sit inter cæcitatem & visum, & inter cæcum esse & visum habere, siue inter priuari visu & videre siue habitum habere.

Quomodo cæcitas & visus conueniunt cum cæcum esse & visum habere, & quomodo differunt ab eis.

Quomodo oppositio priuatiua non est oppositio contraria, licet priuatio saluetur in contrario.

Attendendum autem, quòd hæc oppositio non est contrariorum oppositio: quamuis enim priuatio saluetur in contrario, sicut cum dicitur, quòd ex non albo fit album, dico quòd potest esse album, & hoc est nigrum: tamen nigrum & album prout sunt formæ contrariæ actu, sunt etiam repugnantes sibiinuicem, & sic opponuntur vt contraria. Sed inquantum est idem in illis quæ participant vtramque illarum formarum vt perfectum & imperfectum & vt formabile ad speciem, sicut est lux:

Quomodo priuatio est principium. tarum nãtu-

ralium & inchoatiue formarum.

vel logicè loquendo genus quod est in vtraque specierum vt potentia, & vt formabile ad speciem: sic opponuntur vt priuatio & habitus: & sic de vno potest fieri reliquum, sicut actus de potentia: sic enim vtrumque fit ex altero, sicut non hoc potens, potest tamen esse id, & vtrumque inchoatione, & principium sui esse habet in reliquo: & hæc priuatio quæ est vnum de principiis motus, præcedit habitum secundum naturam: & quia materia nunquam est sine forma, ideò priuatio talis est fundata secundum modum quem dicimus in forma contraria vel disparata: & ideò dicit Philosophus, quòd quorumcunque est genus vnum, illorum est materia vna. Patet igitur, quòd priuatio & habitus specialem habent modum oppositionis distinctum à modo oppositionis contrariorum.

CAPVT VI.

De oppositione secundum contradictionem.

Non autem quod sub affirmatione, &c.

QVartum autem genus oppositionis est secundum contradictionem: quod quia complexum est, non adeò proposito conuenit huic tractatui. In hac enim parte loquentes logicè, non intendimus nisi de prædicabilium ordinatione, secundum quod prædicabilia rerum prædicamentorum significatiua sunt, & ad res habent reduci: & quia res oppositæ sunt sub contradictoriis, ideò tractando de oppositis, oportuit tractare de contradictoriis secundum quod sub contradictoriis res substant oppositæ. Et ideò sciendum, quòd id quod secundum rem sub affirmatione est, & id quod secundum rem est sub negatione, non est idem quod affirmatio & negatio: cuius probatio est: quia affirmatio est oratio affirmatiua, negatio (quæ est contradictoria) est oratio negatiua: horum autem quæ sunt affirmatione & negatione, sunt vt res affirmatæ & negatæ: nullum enim est oratio, sed potius res quæ subiacet orationi, sicut significatum substat signo.

Quare oportuit tractare de contradictoriis, cum sint complexa.

Affirmatio & negatio tripliciter dicitur, scilicet pro quatuor propositionis, pro specie oppositionis, pro parte.

Sciendum enim, quòd affirmatio tripliciter dicitur, & similiter negatio. Dicitur enim affirmatio affirmationis qualitas & forma in parte per assertionem compositionis; & hoc modo affirmatio qualitas est propositionis, & per oppositum negatio dicitur qualitas vel forma diuisionis compositorum, & est qualitas negatiuæ propositionis. Aliquando dicitur affirmatio enuntiatiua oratio dicens vnum de altero: & sic affirmatio species est propositionis. Aliquando dicitur affirmatio pars negationis, quando scilicet idem negatur in negatiua, quod affirmatur in affirmatiua: & sic affirmatio & negatio sunt oppositæ circa idem: quamuis affirmatio non opponatur negationi vt pars est, tamen oppositio est in hoc quod id quod significatur esse in vna, significatur non esse in altera: non inesse autem & inesse sunt opposita per affirmationem & negationem.

Obiectio.

Siquis autem obiiciat, quòd inter affirma-

tio est ante negationem: non enim negat negatio, nisi ea affirmat affirmatio: & videtur, quod opposita sint eodem affirmationem & negationem, sunt circa idem ordine, & sic sunt opposita vt priuatio & habitus, sicut patet per ante dicta. Dicendum, quod quando dicitur, quod opposita vt priuatio sunt circa idem ordine, intelligitur, quod ordo ille sit in rebus à natura determinatis: ordo autem qui est inter affirmationem & negationem, non est talis, sed est ordo rationis: quia scilicet negatio non negat, nisi quod affirmat affirmatio in quocunque tempore: & hoc non est in oppositione priuationis & habitus. Hæc igitur genera oppositionis distincta sunt adinuicem: & in argumento est paralogismus æquiuocus, & quod aliter & aliter hinc & inde sumitur ordo. Quamuis autem sicut dictum est, quod substat affirmationi, non sit affirmatio: & quod substat negationi, non sit negatio: tamen concedendum, quod ea quæ substant affirmationi & negationi, sunt opposita tanquam affirmatio & negatio: & est in eisdem modus oppositionis, qui est etiam in contradictoriis: sicut enim affirmat o aduersus negationem est opposita, vt quod sedet, est oppositum ei quod non sedet: sic & res quæ sub vtraque positæ sunt, affirmatione scilicet & negatione, eundem habent modum oppositionis, vt sedere opponatur ad non sedere respectu eiusdem & circa idem.

Solutio. Ordo qui est inter priuationē & habitum, est à natura: non autem qui est inter affirmationem & negationē est ratione.

Obiectio.

Si autem quis quærat dicendo, quod ex quo affirmatio & negatio in sermone sunt complexa, in quibus est natura contradictionis oppositionis, in rebus autem est modus illius oppositionis, videtur quod hæc oppositio prima sit in sermone, & non in re nisi per consequens & non per veritatem, sed per aliquem modum ipsius tantum: etiam hoc aliqui aliquando concesserunt. Sed contra hoc est, quod dicit auctoritas Platonis: quia non sermoni res, sed rei sermo subiectus est: quia sermo non est nisi propter res significandas: & sicut in antehabitis dictum est, in eo quod res est vel non est, oratio vera vel falsa est: & sic videtur primum esse in re, & consequenter in sermone: & hoc est concedendum. Et propter hoc dicendū, quòd contradictio non est in sermone, nisi secundum quod refertur ad rem, & est in re sicut in causa, in sermone autem sicut in signo rei. Adhuc autem attendendum est, quòd in re est sicut in causa & non in compositione & diuisione: res enim est in re vel separata à re, sicut compositione media quæ diuersa sit à rebus compositis, sed notam compositionis vel notam diuisionis ponit anima, vt dicit Aristot. in 6. primæ philosophiæ. Et ideo tria sunt in oppositione secundum affirmationem & negationem, scilicet quod ad rem referantur eandem affirmatio & negatio, & ad eundem intellectum componentem & diuidentem, & quod obseruetur in sermone identitas significandi in affirmatione & negatione: quia res est causa, intellectus autem componens & diuidens, & sermo signum compositionis & diuisionis.

Soluti. Contradictio est in re sicut in causa, & in sermone vt in signo.

Tex. com. 8 Tria requisita in oppositione contradictoria.

Quare 2. ff. minus affirmatione per

Attendendū autem, quòd diffinientes affirmationem & negationem, vtuntur genere remoto dicentes, quòd affirmatio est oratio affirmatiua, & non dicentes, quòd est enuntiatio: quia volentes ostendere, quòd affirmatio & negatio oppositæ sunt, melius ostenditur ex genere quod est oratio, quia hoc commune est vtrique, affirmationi scilicet & negationi: enuntiatio autem species est orationis: & propriè loquendo nihil enuntiatur in enuntiatione negatiua, sed potius negatur in enuntiatione aliquid de aliquo: & quod enuntiatum est in affirmatione, negatur in negatione.

orationem, & non per enuntiationem.

Adhuc notandum, quòd cum dicitur, affirmatio est oratio affirmatiua, ponitur affirmatio pro specie enuntiationis siue propositionis, cuius genus est oratio. Cum autem subiungitur affirmatiua, ponitur affirmatio pro qualitate propositionis quæ ad quale informat & denominat orationem.

Notandum.

Et si dicat aliquis, quòd aliæ orationum sunt affirmatiuæ. Dicendum, quòd non sunt: quia non affirmant verum vel falsum. Vnde cum dicitur, vtinam non moriar, non est negatum aliquid, sed optatum est de non moriendo. Similiter etiam cum dicitur, non fac hoc, vel non facias aliquid aliud, nihil negatur, sed imperium vel præceptum est de non faciendo. Et idem est in affirmatiuis, cum dicitur, fac hoc, vel vtinam facias: hoc enim nihil est dictum, sed præceptum vel optatum de aliquo fiendo vel faciendo: & in talibus non propriè est affirmatio vel negatio, sicut dictum est: quia si insit per modum affirmationis vel negationis, totum significat affectum mentis, qui per modum verbi importatur quod ponitur in oratione.

Obiectio. Solutio. Quomodo oratio optatiua vel imperatiua non sunt affirmatiua vel negatiua.

CAPVT VII.

De differentia oppositionis secundum priuationem & habitum, ab oppositione relationis & contrarietatis.

Sic determinatis generibus oppositionum videndum est in quibus differant à seinuicem & inter seipsa. Quod autem priuatio & habitus non sic, vel eodem modo opponantur vt ad aliquid, sed hæc duo genera oppositionis sunt diuersa, manifestum est, accipiendo primo differentiam siue differentiæ rationem ex ipsis quæ opposita sunt: visus enim qui opponitur cæcitati vt habitus priuationi, non dicitur hoc ipsum quod est visus sui oppositi quod est cæcitas secundum aliquem casum siue secundum genitiuum, siue secundum alium casum, non dicitur ad ipsum: non enim dicitur visus cæcitatis visus, nec cæcitati visus, nec ad cæcitatem visus, nec cæcitate visus: nullus enim horum habituum ad rem referri potest, & ad id quod est visus secundum quod est visus: aliter autem non potest visus hoc ipsum quod est ad alterum esse. Similiter autem nec cæcitas dicitur hoc ipsum quod est cæcitas visionis, nec secundum aliquem alium casum dicitur alterius hoc

Quod priuatiuè oppositi non opponantur ad aliquid.

Cæcitas aliquo modo dicitur ad aliud.

hoc ipsum quod est. Sed cæcitas dicitur priuatio visionis, & sic secundum genus aliquo modo est alterius, sed non secundum speciem: Huius autem causa in antehabitis in tractatu de relatione dicta est: quia aliquando in ratione nominis speciei clauditur vel concipitur id cuius est, & ad quod dicitur: & tunc incongruè extrinsecus opponentur.

Amplius adhuc ab ipsis oppositis rationem inducendo, sicut patet ex præhabitis, ad aliquid omnia dicuntur reciprocè ad conuertentiam: propter quod & cæcitas si esset de numero eorum quæ sunt hoc ipsum quod sunt ad aliquid, conuerteretur vtique ad illud ad quod hoc dicitur secundum ipsum hoc quod est: non autem conuertitur: non enim dicitur visus cæcitatis visus, sicut paulò ante probatum est: ergo nec cæcitas hoc ipsum quod est, ad aliquid est. Sumitur autem modus oppositionis eorum quæ sunt ad aliquid, ex hoc ipso quod sunt ad aliquid. Cum ergo modus oppositionis priuationis & habitus ex hoc non sumitur, patet quod alia est oppositio relationis, & eorum quæ opponuntur vt priuatio & habitus.

Quod priuatiuè opposita non opponantur vt contraria.

Quoniam autem ea quæ opponuntur vt priuatio & habitus, non opponuntur vt contraria, ex his quæ dicentur manifestum: contraria enim sunt aut mediata, aut immediata: quorum autem contrariorum nihil est medium, sicut contrariorum quæ sunt immediata, necesse est semper alterum contrariorum inesse subiecto susceptibili in quo nata sunt fieri illa immediata contraria, aut sunt in quibus & de quibus prædicari per denominationem videntur: alterum enim illorum semper de talibus prædicatur vel ambo sub disiunctione: semper enim secundum omne tempus eorum contrariorum nihil est medium, quorum alterum omni tempore necesse est inesse susceptibili, & quorum alterum semper est necesse de susceptibili prædicari, sicut patet de langore & sanitate circa animal, & abundanti siue impari & perfecto siue pari circa numerum. Contrariorum verò quorum aliquid est medium, nunquam secundum aliquod tempus necesse est alterum inesse: semper enim potest inesse medium, quod neutrum est contrariorum: non enim necesse est omni vel alicui susceptibili aut candidum siue album, vel nigrum inesse: quia potest inesse fuscum, vel pallidum. Similiter non est necesse omni vel alicui susceptibili inesse calidum, vel frigidum: quia potest inesse tepidum, quod nec calidum est, nec frigidum: horum enim & similium cōtrariorum medium nihil prohibet inesse quod neutrum est extremorum. Sed eorum, vt diximus, est aliquid medium, quorum non est necesse alterum semper inesse susceptibili, exceptis his quibus naturaliter inest vnum contrariorum, sicut inest igni calidum, & sicut inest per naturam nisi candidam esse. In talibus autem necessarium est alterum inesse, & illius oppositum non conuenit inesse, siue impossibile est inesse sine substantiæ corruptione. Non enim possibile est ignem esse frigidum, ita quòd maneat ignis substantia, vel niuem esse nigram, ita quod maneat substantia niuis: multa enim etiam alia susceptibilia sunt calidi & candoris, præter ea quibus alterum inest per naturam. Et tunc ex his quæ dicta sunt patet, quod non omni susceptibili verum est alterum inesse contrariorum mediatorum, sed his solum susceptibilibus, quibus alterum inest per naturam: & his determinatè inest vnum, & non alterum conuenit inesse.

In contrariis mediatis quādoque vnum inest de necessitate susceptibili.

In priuatione & habitu nihil eorum quæ dicta sunt de contrariis immediatis, verum est. Susceptibili enim priuationis & habitus non semper necessarium alterum, hoc est, priuationem vel habitum inesse: quia hæc non sunt in eo nisi in tempore determinato: sed animal mox natum nondum habet tempus determinatum ad videndum à natura, neque cæcum neque visum habens dicitur esse. Propter quod sequitur, quòd priuatio & habitus non sunt de numero talium contrariorum, quorum nihil est medium: quia illorum omni tempore necesse est alterum inesse sine susceptibili. Sed neque sunt priuatio & habitus de numero talium contrariorum, quorum aliquid est medium: omni enim susceptibili priuationis & habitus, necessarium est vnum inesse vel habitum vel priuationem, postquam venerit tempus in quo ipsum susceptibile natum est ad habendum habitum: sic enim aut cæcum, aut habens visionem dicitur: & tunc non conuenit necessariò determinatè inesse alterum, scilicet visum determinatè, vel cæcum determinatè: sed indeterminatè alterutrum necessariò inerit: est enim vel videns, vel cæcum indeterminatè. In contrariis autem in quibus est medium, nunquam secundum aliquod tempus est necessarium alterum inesse, quia semper potest inesse medium: sed quibusdam susceptibilibus alterum contrariorum mediatorum determinatè conuenit inesse, sicut diximus, cui illud inest per naturam. Propter quod palam est, quod ea quæ priuatiuè opposita sunt, secundum neutrum modum habent oppositionem: nec enim semper alterum inest, sicut contrariorum immediatorum: neque vnquam necessarium est alterum inesse, sicut in contrariis mediatis se habet oppositio.

Amplius adhuc idem probatur, in contrariis siue mediatis siue immediatis, existente & manente secundum substantiam susceptibili, possibile est ex alterutro in alterutrum fieri alterationis mutationem, nisi alterum contrariorum insit naturaliter, sicut igni inest calidum per naturam. Nam in contrariis immediatis animal quod sanum est modo, possibil est languere, mutatum ex sanitate in langorem: & in contrariis mediatis possibile est id quod modo candidum est, nigrum fieri & mutari ex candore in nigredinem, & similiter calidum possibile est fieri frigidum, & è conuerso, & id quod est studiosum possibile est fieri prauum, & è conuerso, ex prauo possibile est fieri studiosum, quod tamen negat Plato in libro qui dicitur Mennonis, sed non est negabile si ponamus virtutem ex assuetudine fieri: secundum hoc enim prauus ad meliores

Plato negauit ex prauo posse fieri studiosum.

liores exercitationes siue assuefactiones bonorum operum deductus, & in virtutibus intelligibilibus deductus ad meliores doctrinas & consimilia & electiones, quamuis fortè primò modicum quid proficiat vt melior sit. Si verò saltim semper siue continuum modicum crementum sumpserit, palam est quia aut perfectè mutabitur & studiosus erit perfectè, aut satis multum accipiet incrementum, ità quod operabitur vt studiosus. Si enim assuetudine fiet benè mobilior ad virtutem, vt ea quæ virtutis sunt facilè faciat & gaudeat: vel etiam si homò non est, sed tamen quodcunque incrementum sumat, palam est, quòd aut perfectè mutabitur, aut satis multum sumit incrementum, quòd sufficit ad virtutis acceptionem. Si enim à principio sumat aliquod incrementum; verisimile est apud eum accipere incrementum si perseueraverit in exercitio actuum bonorum: & cum hoc semper fit continuè, sic perfectè restituitur in contrarium habitum, nisi fortè tempore siue suspensus, siue decurtatus sit: quia non in æquali tempore omnes æqualiter proficiunt, eò quod vnus minus habilis est quam alter, quia naturalia moralibus multum cooperantur. Sic se habet in contrariis.

Sed in priuatione & habitu hoc quod dictum est, nullo modo conuenit: impossibile est enim in priuatione & habitu indifferenter mutationem ex alterutro in alterum fieri: ab habitu enim mutatio fit in priuationem, à priuatione verò in habitum mutationem fieri est impossibile. Cæcus enim qui factus est, nunquam rursus videbit: nec cum quis caluus factus est, vnquam rursus efficitur in capite comatus: nec edentulus sine dentibus quis factus, rursus dentes ei orti sunt vt fieret dentatus.

CAPVT VIII.

De dubitabilibus quæ sunt circa ea quæ dicta sunt.

QVamuis per ea quæ dicta sunt, nihil intendamus probare nisi quòd priuatiue opposita nec sunt opposita vt relatiua, nec vt contraria: tamen propter doctrinæ facilitatem bene se habet dubia quæ sunt circa ea quæ dicta sunt, determinare. Quæ autem causa sit, quod quædam contrariorum sunt mediata, & quædam immediata, iam in antehabitis determinatum est.

Causa quare aliquod contrariorum inest à natura.

Quod autem alterum contrariorum ineat alicui per naturam, hæc causa est: quia ineſt vt potentia naturalis: & hoc accipitur ex probatione quam fecit Aristot. in fine tertij metheororum. In substantialibus enim ignis ex hoc quod elementum est motu distensum vt vsque ad vltimum rarefactum, radicatur calidum in summo, nec separabile est ab ipso, manente substantia, qua ignis est ignis: quia manente substantia formali manet illud, quod vt naturalis potentia in substantia radicatum est.

Obiectio, quòd ignis possit esse ignis & non calidus.

Et si quis obiciat, quòd calor, quia est accidens in vno, in nullo potest esse substantia: & sic non est substantia in igne, sed accidens: & sic calor est in igne non sicut quædam pars: & ideò videtur, quòd ignis possit esse ignis & non calidus: quia accidens est, vt dicit Porphyrius, quod adest & abest præter subiecti corruptionem. Dicendum est, quòd est accidens naturale & proprietas essentialis ignis consequens & non derelinquens. Quid autem non sit in eò sicut quædam pars, concedendum est: quia non potest esse pars, id quod est totum esse effectum consequens. Quod autem dicit Porphyrius, dicit de accidente communi; quod non est proprium, videlicet naturale: & ideo vt accidens non habet inseparabilitatem, sed inseparabilitatem habet ab eo quod est naturale.

Solutio. Calor est accidens naturale & proprietas essentialis ignis.

Corollarium contra Alex. de quo vide 5. physic. com. 10.

Pater autem ex hoc, quòd falsa est opinio eorum qui dicunt primas qualitates esse formas substantiales elementorum: formæ enim substantiales corporum nullum habent contrarium: hæc autem adinuicem sibi contraria sunt.

Calor inest igni per naturam non suum, sed per naturam ignis.

Sciendum etiam ea inesse per naturam non eius quod ineſt, sed per naturam subiecti cui ineſt, sicut diximus: & sic insunt omnibus omnes potentiæ naturales.

Obiectio.

Si quis autem dicat, quòd sicut igni per naturam ineſt calidum, ita aquæ per naturam ineſt frigidum: sicut ergo aqua frigida per naturam potest calefieri vt sit actu calida sine substantiæ corruptione, ita ignis deberet posse actu infrigidari per naturam vt esset actu frigidus præter substantiæ corruptionem. Ad hoc autem dicendum, quòd inter elementa, vt dicit Aristot. metheororum solus ignis est formalis, & alia contraria sunt materia: & ideò quod radicatur in ipso, profundius radicatur quam in aliis: & ideò ab aliis manentibus in substantia separantur suę qualitates secundum actum, & remanent secundum radices in potentia redeunte ad actum, quando alterans cessat ab alteratione. Et ideo aqua calefacta, cessante calefaciente, per seipsam rursus efficitur frigida. Ignis autem quia rarissimus est, & quia alterationem infrigidantis recipiens in profundum sui, propter hoc quod valdè formale est, statim infrigidatus inspissatur & corrumpitur ab ignis substantia & forma: quod post ignem facit aër secundum modum proportionalem. Aqua autem & terra, quia spissa sunt, non ita in profundum sui suscipiunt alterationes eorum quibus mutantur: & ideo actu efficiuntur in forma alterante, & cum hoc diu actu tenent qualitates & potentias naturales proprias.

Solutio.

Tex. com. 5. Quæ ignis non potest infrigidari, sed bene aqua calefieri.

Quod autem diximus ex prauo fieri studiosum si à principio propter exercitationes in bonis actibus incrementum incipiat, propter Socratem & Platonem dictum est, qui dixerunt virtutem secundam quam homo studiosus est, nec discibile, nec assuescibile bonum esse, sed virtutem esse donum deorum immortalium: assuetudine autem & doctrina hominem parari ad virtutem, eò quod dij non iuuant inertes & pigros, sed seipsos extendentes & parantes ad virtutem.

Nota opinionem Socrat. & Platonis dicentium virtutem esse donum Dei.

Adhuc

Priuatio duplex: priuans habitum & aptitudinem, & priuans esse actu tantum.

Adhuc autem quod dictum est, à priuatione in habitum regressum non posse fieri, intelligendum hoc quod est dictum de priuatione quæ priuat & habitum & subiecti ad habitum aptitudinem, siue quæ priuat principia per quæ subiectum habitudinem habet ad habitus susceptionem, sicut cæcitas ad visum se habet: & talis priuatio sequitur habitum tempore & natura: hæc enim priuatio non reliquit subiectum sine habilitate ad habitum. Est autem alia priuatio quæ non priuat habitum, sed essentiam secundum esse actu habitum: & hæc est in qua est inchoatio habitus secundum potentiam, & ex qua educitur habitus, & ab hac in omni motu & mutatione fit processus in habitum secundum actum per motum quo mouetur subiectum susceptibile actus de potentia ad actum: & hæc priuatio semper præcedit habitum tempore & motu, & etiam natura materiæ & potentiæ: & de hac priuatione nos hic non loquimur, quia in toto non priuat habitum. Nec etiam inter talem priuationem & suum habitum est plena oppositio priuatiuè oppositorum. Nos autem hic loquimur de differentia modorum oppositionis: & ideo non loquimur de priuatione & habitu, nisi secundum quod plenà habent adinuicem huiusmodi oppositionem. Alia verò quæ dicta sunt, per se sunt manifesta.

A priuatione priuantis habitum & aptitudinem ad habitum impossibile est regressus, sed non à priuatione in qua est inchoatio habitus.

Quomodo niui ineſt per naturam candidum esse.

Quod autem de niue dictum est, quòd per naturam ineſt ei candidam esse: hoc namque est, quia nix materialiter generatur de perspicuo indurato & concusso per minima: perspicuum autem concussum & induratum per indurationem efficitur vbique in superficie clara luminis receptiuum: & hæc est natura & naturalis causa albedinis: per hanc ergo naturam ineſt niui candidam esse.

Tex. com. 9.

CAPVT IX.

De differentia contradictionis ad alias oppositiones, & vtrum veritas sit ab æterno.

HIs habitis ostendenda est differentia contradictionis ad omnes alias oppositiones. Dicamus ergo, quòd in affirmatione & negatione semper siue sit subiectum de quo sit affirmatio & negatio, siue non sit, vna quidem pars contradictionis est vera, & altera falsa: de quolibet enim siue existente siue non existente dicitur affirmatio vel negatio vera: & de nullo simul ambo vera vel falsa sunt contradictoria, vt in 4. primæ philosophiæ probatum est: siue enim sit Socrates, siue non sit, de Socrate vnum contradictoriorum est verum, aliud autem falsum: palam enim est cum dicitur Socratem (dum ipse est Socrates) languere, & Socratem non languere, quòd alterum istorum falsum est, & alterum verum. Similiter si Socrates ponitur non esse, & dicatur, quòd Socrates languet vel non languet, alterum est verum, & alterum est falsum: languere enim Socratem quando non est Socrates, falsum est: & non languere Socratem verum est. Propter hoc in his solum quæ sunt opposita contradictoriè, propriùm est, semper ineſum eorum verum, & alterum falsum esse, & nunquam esse simul vera, vel simul falsa.

Primum contradictoriorum.

Sunt tamen quidà contra hoc fortiter obiicientes, & sunt nò antiqui, sed moderni: Augustinus enim per hoc ipsum quod hic dicitur, probat immortalé esse veritatē dicēs, quòd aut veritas seu per erat, aut nó semper erat. Si semper erat, hinc fit propositum, quòd veritas immortalis fuit ab æterno. Si autem hæc est falsa, veritas semper erat, cius cōtradictoria est vera, hæc scilicet, veritas non semper erat. Et si hæc est vera, aliquid erat verum: verum autem non est nisi in veritate: ergo veritas erat quando non erat veritas, quod falsum est. Inconueniens etiam est idem, ex quo sequitur id, quod scilicet non semper erat veritas: veritas igitur semper erat. Eodem modo probatur, quòd veritas semper erit: aut enim semper erit veritas, aut non semper erit. Si semper erit, habetur propositum. Si autem non semper erit, tunc hæc est falsa, veritas semper erit: ergo eius contradictoria est vera, hæc scilicet, veritas non semper erit. Et si hæc est vera, aliquid est verum: non autem verum nisi veritate: ergo veritas est quæ non erit veritas, quod est impossibile. Fallum ergo fuit quod prius dictum est, hoc scilicet quod non semper erit veritas: veritas ergo est æterna & immortalis est. Et hoc sequitur de veritate propositionis & de veritate enuntiabilis, quæ veritates non sunt veritas increata.

Obiectiones quod veritas sit immortalis. Lib 2. solil. cap. 2.

Si autem hoc concedatur: tunc obiciunt moderni probantes, quòd plura quam vnum erunt ab æterno sic. Simus enim ante mundum: tunc si hæc est vera mundum futurum esse, vel hæc propositio, mundus erit: & si est vera, sequitur, quòd ante mundum fuit aliquid verum. Si autem non est vera: tunc sequitur, quod eius contradictoria est vera: & sic iterum sequitur, quòd aliquid est verum, & quòd veritas illius fuit ante mundum, aut non fuit nisi æternum, & æternitas ab æterno: ergo aliquid fuit verum cuius veritas fuit: sed tam enuntiabile quàm propositio sunt creata, & creatæ veritatis. Ergo aliquid creatum fuit ab æterno.

Obiectiones in oppositum facta à modernis.

Si autem hæc quidem concedatur, statim sequitur inconueniens quod dicit Plato, quod est creatum, est factum: omne autem factum incepit: ergo creatum incepit: quod autem incepit, non est æternum: ergo creatum non est æternum: enuntiabile siue propositio creatum: ergo non est æternum: & si propositio & enuntiabile non est æternum, tunc veritas sua non fuit ab æterno: & sic videtur sequi, quòd veritas propositionis sit ab æterno, & non sit ab æterno.

Solutio quarundam quam hic non sequitur D. albertus libet 8. phys. t. 1. ram sequentes.

Ad hoc autem quidam dij dixerunt, quòd veritas enuntiabilis & propositionis non erat ab æterno: & causam assignant dicentes, quòd veritas enuntiabilis & propositionis esse non potest nisi existente enuntiabili & propositione. Ante mundum autem ab æterno non fuit enuntiabile, nec propositio: & ideò quando dicit, si hæc non est vera, veritas erit, contra-

dictoria erit vera. Dicunt, quòd hoc non sequitur: quia contradictoria est propositio vel enuntiabile: ante mundum autem nec fuit vera hæc neque alia: quia propositio nulla fuit. Similiter dicunt de futuro, quòd veritas non erit quando non erit mundus si ponatur totus mundus ad nihilum redigi.

Improbatio solutionis.

Et si verum est quod dicunt isti: tunc ista doctrina de contradictoriis non est generaliter vera: & sequitur, quod oppositionis contradictionis est medium in quo nec vnum, nec alterum contradictoriorum est verum vel falsum: & multa sequuntur inconuenientia contra hoc principium, quòd de quolibet affirmatio vel negatio vera, & de nullo simul; & si hoc principium non est firmæ veritatis, nihil est certæ veritatis in demonstrationibus: quia, vt dicit Aristot. huic principio sicut primo innititur omnis demonstratio.

Ideò non dicimus, quòd doctrina quæ hic traditur, certissimæ est veritatis, & quòd argumentationes August. procedunt, & sunt necessariæ. Sed dicendum, quòd res de quibus affirmatio & negatio dicuntur, sunt in esse & in ipsa rerum ordinabilitate. Et hoc manifestum est per Auicen. & Algazel. & Alfarab. dicentes (sicut est verum) quòd quando prædicatum concipitur in ratione subiecti, talis propositio vera est siue re existente, siue non existente: siue enim homo sit & animal, siue non sit homo & animal, hæc semper vera est, homo est animal, & animal est animatum sensibile & viuum & substantia: & ideo sequitur, homo est animal, & animal viuum, & viuum substantia: ergo homo est substantia. Sed si vlterius inferatur, & substantia est ens: ergo homo est ens. Dicunt, quòd non sequitur: quia ens vel entia esse accidit homini & animali, & non per se clauditur in intellectu eorum. Cum verò dicitur, homo est animal, sufficit ad veritatem propositionis substantialis ordinatio prædicati ad subiectum. Cum autem additur, animal est ens, & ens non est de ratione animalis vel hominis, non est enim ibi ordo substantialis vnius ad alterum: & ideò si animal est ens, vel homo est ens, oportet quòd sit ens actu: & hoc est contra hypothesim: posuimus enim, quòd non sit homo vel animal.

Opinio D. Alberti & confirmatio rationum Augustini. Nota dicit Auic. Alga. & Alfar.

Esse ens accidit homini & animali.

Solutio ad obiectionem inducta.

Hanc igitur doctrinam sequentes dicimus, quòd ordinabilitas rerum in prædicatum & subiectum, æqualiter est cum rebus existentibus & rebus non existentibus, dum non sint impossibiles ad essendum: & ideò ante mundum hæc propositio, mundus erit, fuit in ipsa rerum ordinabilitate. Et si quæratur, in quo erat illa rerum ordinabilitas quando non erant res? Dicendum, quòd fuit in ipsis rerum rationibus. Si autem de illis rationibus vlterius quæritur, Dicendum, quòd fuerunt in sapientia creantis & ordinantis. Si autem vlterius inferatur, quòd in sapientia primi intellectus fuerunt vt vnum, & non vt ordinarum vnum ad alterum. Dicendum, quòd res in sapientia intellectus primæ causæ dupliciter considerantur, scilicet vt res consideratæ in producendo, vel vt intellectus quo intelliguntur. Et primo quidem modo passibiles ad pluralitatem & ordinem non quidem in actu ordinantis, sed qui est in ordinabilibus: & hoc modo possibile est veritatis esse de ipsis, & enuntiabiles sunt ad veritatem, quamuis nunquam fuit enuntiatio, & sic enuntiabile ad rem reductum, & similiter propositio possunt esse ab æterno: & tamen vnum solum est actu ab æterno. Et quod quæritur, vtrum tale sit creatum, vel non? Dicendum, quòd creabile, & non creatum secundum rerum ordines: & hoc quamuis sit in creatore, tamen ratione differt à creatore: quia creator non creabilis est, nec creatus. Si autem hæc quæ sunt in intellectu creantis accipiantur vt intellectus, cum creator non intelligat nisi seipsum, tunc verum est, quòd res in creatore sunt per modum creatoris, & non sunt vnum nec multa, nec ordinata nec inordinata, sed sunt idem quod ipse.

Quomodo hic dicta Auicen. concordant cum Porphyrio.

Et hæc est Auicennæ doctrina, quæ concordat cum Porphyrio, qui dicit, quòd nulla species existente animal potest intelligi substantia animata sensibilis. Et constat, quod non loquitur de intellectu intelligentis: quia sic nihil diceret: quia si nulla species est animalis, nihil est intelligens. Sed loquitur de intellectu intelligibilis: quia secundum naturæ ordinem nulla specie existente, adhuc quantum est in se, intellectualiter manet substantia animata sensibilis.

CAPVT X.

De contrariis propter bonum & malum, quæ specialem modum habent contrarietatis.

IN moribus autem contrarium est quidem bono malum, vt accipiatur bonum in habitu virtutis & actu, & malum in habitu & actu vitij oppositi ad virtutem. Hoc autem palam est, quod scilicet bono malum contrarium est per inductionem singulorum: in corpore enim quamuis non sunt virtutes & vitia: tamen sunt ea quæ virtutibus & vitiis proportionantur, vt sensibilitati sensuum prudentia, robori corporis fortitudo, rectitudini corporis & membrorum ordinationi iustitia, sanitati temperantia, eò quod sanitas consistit in temperantia complexionis: & sic sanitati vt bono opponitur langor vt malum, & in anima iustitiæ vt bono opponitur iniustitia vt malum, & fortitudini in vtroque, corpore scilicet & anima, vt bono opponitur debilitas vt malum, debilitas enim cordis timor est vel timiditas. Similiter autem inuenitur in omnibus aliis: semper enim opponitur bono malum.

Cōtrarium autem est bono malum, &c.

Nequaquam autem bono opponitur bonum: cuius causa est: quia bonum est, vt dicit Aristot. in 2. ethicorum, ex vna sola & tota causa, ex causa actus & actu, & circunstantiis agentis & actus in fine congregata: & hoc est in omnibus quorum est aliqua virtus in actu, siue sint corporalia, siue animantia, hoc est, ad animam pertinentia, siue etiam sint intellectualia siue diuina, vt dicit Dionysius: & ideo

Quare bono non opponitur bonum, sed bene malo quando quæ opponitur malum.

ideo bonum est vniforme: vniforme autem vniformi non opponitur nec opponi potest, quia vniforme vniformi conuenit, & non potest esse oppositum: & ideo dicit Aristot. quòd omnia consonantia vera & bona sunt. Fallum autem statim dissonat vero, & malum statim dissonat bono. Intelliguntur autem hæc omnia de bono & malo dictis simpliciter, & non de bono & malo dictis per accidens vt hic & nunc: quia sic nihil prohibet esse idem malum & bonum, sicut secari & vri quæ mala sunt, sunt tamen bona & nunc & hic. De talibus autem disputari habet in ethicis: sed hoc sufficit scire tantum, quia malum bono opponitur, bono autem bonum nunquam opponitur.

Bonum per accidens potest opponi bono per accidens.

Malo aliquando opponitur bonum, & aliquando malum.

Malo autem aliquando opponitur bonum, & aliquando malum est contrario oppositum malo: egestas enim cum sit malum in ciuibus, quia impedit ciuiles actus: superabundantia quæ impedit actus felicitatis contemplatiuæ, & ideò etiam est malum, est contrariè opposita. Sed in paucis hoc tale est, quibus aduertens de facili inspicere potest. In pluribus vero semper bonum malo contrarium est. Non enim inuenitur nisi in ethicis & ciuilibus & œconomicis malum malo contrarium, & in illis quæ ad ciuilia, vel ethica habent analogiam siue proportionem: in aliis autem omnibus malum bono est contrarium. Nunquam autem inuenitur bono bonum contrarium, sed concors est: in eo enim quod bonum est vno modo & ex tota & sola causa, bonum est indiuisibile & æqualitati proportionale: æquali autem non opponitur æquale, sed inæquale. Propter quod in stichia bonorum Pythagor. posuit æquale, inæquale autem posuit in stichia malorum.

Malum non opponitur malo nisi in moralibus.

Vide 5. phys. de hoc in com. 23. si vnum contrariūm est in natura, non est necessarium & alterum esse in natura.

Amplius autem in contrariis considerando non est necessarium, quòd si alterum contrariorum sit, quòd reliquum sit ex necessitate. Si enim ponamus omnia animalia esse sana: tunc per talem hypothesim sanitas est, sed langor non est. Similiter si ponamus omne corpus terminatum esse album: tunc albedo quidem est, nigredo autem non est: quia si esset, oporteret, quòd esset in aliquo corpore terminato: & talia posuimus omnia esse alba. Hæc autem in complexis videre possumus. Si enim Socratem esse sanum contrarium est ad id quod est Sortem languere, eò quod idem modus oppositionis in contrariis incomplexis, & in contrariis complexis quando prædicantur de eodem: tunc sicut per complexionem dicimus Socratem sanum esse & Socratem languere: cum non sit possibile, quòd hæc simul insint eidem in eodem tempore, non est possibile, quòd cum alterum sit, quòd simul cum hoc sit & reliquum. Cum enim sit & verum sit sanum esse Socratem: tunc pro eodem tempore est impossibile languere Socratem: aliter enim simul secundum actum inessent contraria.

Quamodo omnia contraria habent fieri circa idem genere, aut specie, aut numero.

Quamuis autem simul non insint secundum actum, palam est autem, quòd omnia contraria habent fieri circa idem aut specie, aut genere: circa enim idem numero nata sunt fieri contraria, vt circa subiectum: sed circa idem specie habent fieri contraria quædam sicut circa id quod est essentialiter constituens formas contrarias, sicut albedo & nigredo circa lucem, & sicut acutum & graue in sonis circa absonum quod est in vtrisque, & sicut amarum & dulce circa humidum digestum quod est in saporibus & sic in multis aliis. Habent etiam fieri circa idem genere: quia contraria sunt in eodem genere proximo vel remoto: langor namque & sanitas circa corpus animalis natura habent fieri, & sic sunt circa idem genere, scilicet animalis. Albedo autem & nigredo habent fieri in corpore terminato quod non est idem specie, sed remoto genere: non enim omnia terminata corpora sunt eadem specie propinqua. Iustitia vero & iniustitia habent fieri in anima, quæ est eadem specie specialissima: quia non fiunt nisi circa hominis animam, quæ eadem est specie specialissima. Et sic contraria fiunt circa idem numero, & circa idem specie, & circa idem genere.

Propriū contrarium est, vt sint, vel in proximo genere, vel in contrariis generibus, vel quod ipsa sint contraria genera.

Adhuc autem consideratio in his quæ propria sunt contrariis, necessarium est omnia contraria in proximo esse? vel in contrariis generibus proximis: vel oportet, quod ipsa contraria secundum se sint contraria genera. Album enim & nigrum in eodem sunt genere proximo: color enim est genus horum contrariorum. Iustitia autem & iniustitia quæ sunt contraria, sunt in contrariis generibus proximis, quia iustitia est in genere virtutis, iniustitia autem in genere virij: virtus autem & vitium sunt contraria genera, iustitiæ enim genus est virtus, iniustitiæ autem genus est nequitia siue vitium. Bonum vero & malum simpliciter & secundum se accepta siue vniuersaliter, non sunt in aliquo sicut in genere, sed ipsa secundum seipsa sunt contraria genera, & sic sunt genera aliorum existentia, ad quæ alia multa vel omnia sicut ad genera reducuntur.

§

CAPVT XI.

De dubitabilibus quæ sunt circa ea quæ dicta sunt de bono & malo.

EST autem apud multos antiquissima quæstio, quo genere oppositionis opponuntur bonum & malum. Et si considerentur verba Aristot. in 13. primæ philosophiæ, & verba Dionysij Areopagitæ in libro de diuinis nominibus. cap. 4. & verba August. in secundo libro de libero arbitrio, & verba Petri Apostoli in capitulo de elementis contra Simonem magum, similiter autem verba Pythagoræ in stichia bonorum & malorum, planum est, quòd omnes hi concorditer dicunt, ad quod etiam Aristot. Socratem & Platonem inducit, quòd malum priuatiuè & non contrariè opponitur bono, & quòd malum est nihil secundum se, nec accidens, nec substantia, sed priuatio. Priuatio autem secundum se nihil est penitus. Cum enim sit in aliquo non est in eo sicut ens accidens, vel ens substantia, sed est in eo sicut habitus

Quod malū opponatur bono priuatiuè & non contrariè.

Ad id ad quod vadit.

bitus priuatio: & hoc est idem sicut formitas & deformitas inesse dicitur in eo qui mutilatus siue denasatus est: quia Græcè muti, Latinè sonat nasus: constat autem, quòd denasatio non dicit inesse ens vt accidens, nec est ens vt substantia, quæ est forma vel materia vel compositum, sed solum ex defectu habitus debiti relinquit deformitatem & turpitudinem.

Omnes autem supra memorati auctores deducunt hanc quæstionem ad hoc, quòd in nullo nihil est malum, & non est aliquid ens magis in eo cuius est priuatio, quam in eo cuius non est priuatio, sicut cæcitas non est magis aliquid ens in oculo, quam in lapide: quamuis in oculo relinquat turpitudinem siue deformitatem, in lapide autem non relinquit turpitudinem aliquam.

Cap. 4. de diuin. nom. Dionysius igitur præ cæteris subtilius de malo agens, ostendit hoc in natura corporis & in natura Angeli, quam quidam vocant intelligentiam, quamuis Angelus secundum quod lex Moysi & Christi de Angelis loquitur, non sunt intelligentiæ, secundum quod Philosophi locuti sunt de intelligentiis. Hæc autem in libro causarum habent determinari. Est autem via disputationis Dionysij in hoc, quòd sumamus bonum naturæ in corpore, & bonum animæ, & bonum Angeli, & videbimus, quòd malum non dicit vel ponit aliquam formam, vel aliquod ens, quod sit substantia vel accidens contrarium bono, siue illi formæ quam dicit bonum, sed in omnibus malum nihil ponit penitus nisi boni ademptionem, siue corruptionem, & detractionem siue diminutionem, siue aliquo quocunque modo potest nominari priuatio.

Vide in 2. d. 3. a. 3.

Rationes Dionysij de tenebris, quod malum nihil sit.

Vt hæc perfectius intelligantur, dicamus quòd entium quædam sunt essentiæ siue existentiæ, & quædam sunt entia quæ in illis essentiis existunt. Essentiæ quidem sunt formæ simplices, vt genera, & species, & differentiæ, intelligentiæ, & anima, & huiusmodi, quibus secundum se non accidit corruptio, sed si corrumpuntur, tunc corrumpuntur per accidens secundum quod sunt in esse eorum quæ sunt per harmoniam & compositionem cum his in quibus sunt, quibus datur esse secundum hoc quod sunt. His autem quæ sunt composita in quibus essentiæ sunt, accidit corruptio per dissolutionem harmoniæ & compositionis, quæ sunt in his quæ sunt. Et ideo dicit Dionysius vbi de malo loquitur, quod non corrumpitur qui existentium, sed corruptio est ablatio vel dissolutio modi & harmoniæ quæ sunt circa ea quæ ab essentiis esse non habent.

Quid bonum corporis secundum Dionysium, & quid malum.

Est ergo bonum formale corporis quo corpus dicitur bonum, habitudo perfecta ad esse & ad opus corporis modis & harmoniis quæ sunt ad hoc quod corpus perfectum sit in esse & ad corpus. Corruptio autem istius non est nisi harmonialis & commensurationis disiunctio vel corruptio: & hoc non dicit nisi priuationem & corruptionem puram, & non essentiam aliquam ad quam fiat harmonia alicuius, sicut ad essentiam dantem esse alicui. Malum igitur corporis non est essentia aliqua, sed corruptio modi, & commensurationis, & harmoniæ.

Quid bonum animæ, & quid malum.

Similiter est in anima bonum, & perfectum animæ est per essentiam, quæ est ratio, vel rationabilitas, & competentius dicitur ratio. Bonum igitur animæ in animam in omnibus viribus suis secundum esse & agere commensuratam esse rationi vt ordinantis omnia ratione. Malum igitur animæ non est nisi istius modi, & commensurationis, & harmoniæ corruptio, & non contraria aliqua forma ad quam anima commensurata & proportionata mala sit & faciat malum. Malum igitur animæ sicut corporis non est nisi priuatio, & non est aliquid quod sit substantia vel accidens.

Quid bonum Angeli, & quid malum.

Eodem modo accipitur bonum Angeli. Bonum Angeli est commensuratum esse sub essentia quæ est intellectus agens purus & mundus: & bonum Angeli est, quòd sit in esse & viribus & actu & opere commensurationes habens ad talem intelligentiam vel intellectum. Malum autem Angeli non est aliqua forma illi commensurationi contraria, ad quam, & sub qua constituatur Angelus malus vt malus sit in esse & opere, sed malum Angeli est violatio huiusmodi commensurationis & harmoniæ, quod non est nisi corruptio & priuatio.

Condemnatio Manichæi.

Malum igitur in omnibus opponitur bono sicut priuatio, & non sicut contrarium. Et in hoc omnes Auctores condemnant Manichæum, qui dixit essentiam esse mali sicut essentia est boni, & dixit mala per naturam quandam essentialem esse mala, ad quam naturam & formam harmoniantur & constituuntur vt non possint esse non mala. Hic igitur est error, & veritas est, quòd malum in omnibus non est nisi priuatio modi & commensurationis ad bonum. Idcirco autem quia corruptis modis & harmoniis & commensurationibus in his quæ sunt ad aliquid commensurata & harmoniata, adhuc remanent ipsa quæ mensurata erant possibilia ad commensurationem: & hoc est quoddam ad donum ordinatum. Ad bonum autem esse ordinabile secundum naturam est, quod bonũ (sicut Arist. dicit) est quod est ad bonum.

Quid malum secundum Dionys. & quid secundum Pythag.

Ideo dixit Dionysius, quòd malum est bonum diminutum & declinatum & particulatum & imperfectum. Aristot. dicit Pythagorã inducens, quòd bonum est locus mali, & malum locus boni, sicut oculus est locus cæcitatis & visus. Et sicut dicit Dionysius, hoc modo malum corporis est contra naturam esse. Malum autem animæ est contra rationem esse, & malum angeli est contra intellectum esse, sicut malum claudæ tibiæ contra gressum & esse tibiæ esse. Similiter autem est in febribus & aliis malis corporis quæ secundum quod mala sunt, nihil sunt nisi corruptio commensurationis complexionis in humoribus, vel compositionis in partibus & membris. Febris enim ex hoc quod est secundum naturam putridus humor vaporans per corpus, non est malum corporis: quia in bono & sano accidit humori, quòd vaporaliter per corpus diffundatur: sed ex hoc quod vaporario corrumpit & impedit modos & harmoniam & commensurationem

veræ

veræ secundum naturam sanitatis corporis, ex hoc habet mali rationem.

Patet igitur, quòd verum est quod dicit Dionysius, quòd malum nunquam est, & quod non habet causam formalem vel efficientem, sed incausale, & præter intentionem, & præter voluntatem, & infœcundum, & pigrum, & quòd non est nisi priuatio incidens ex defectu boni. Hæc igitur dicta de malo extracta sunt à nobis ex verbis antiquorum. Et patet, quòd innegabiliter verum est quod dicunt. Qualiter autem bonum conuertatur cum ente, hic non potest determinari secundum huius scientiæ principia: nec nos hic loquimur de tali bono, sed potius de bono quod est vniuscuiusque rei bonum seruiens ad harmoniam commensurationis, quam habet secundum propriam essentiam perficientem ipsum in esse & actu qui est secundum essentiæ suæ rationem.

Bonum transcendens non addit supra ens nisi relationem ad finem.

Quod etiam quidam dicunt, quòd bonitas dicat formam additam super id quod est, & ideò ista sit vera prædicatio, bonitas est bona, falsum est, & non intelligitur quod dicunt. Bonum enim super ens siue id quod est, non addit nisi relationem ad finem & perfectum ad actum, sicut dictum est: sed hoc in libro de causis habet determinari.

Quomodo bonum & malum sunt contraria, & non priuatiue opposita.

Qualiter verò in hac doctrina prædicamentorum bonum & malum dicantur esse contraria, non autem opposita secundum priuationem & habitum, nunc dicendum est. Præmittendum est autem, quòd malum vt malum ad aliquid est: malum enim vt malum, sicut dictum est, non est nisi priuatio, sicut probatum est per Auctores. Id autem quod est malum, est actus corruptus circa modos & harmonias & commensurationes ad formam boni: & in illo in quo est actus, relinquit consimiles habitus: & illi sunt mali habitus: & hoc modo est contrarietas inter bonum & malum, sicut inter contraria, non quod contrarius actus & habitus habeant aliquam formam ex qua mali sunt, sed quia inquantum actus vel habitus sunt, relinquunt aliquid eius in corpore vel in anima, hoc est, qualitatem aliquam quæ quia boni forma priuata est, & cum qualitas sit, dicitur esse contraria: sicut claudicatio gressus est contrarius incessui recto, quia gressus est quod est ens actu & caret perfectione rectitudinis quod est priuatio. Sic autem omnia contraria reduci habent ad priuationem & habitum, vt dicit Aristot. 4. metaphysicæ: quia albedo habitus est & forma est cum diffusione lucis in superficie: nigredo autem priuatio est, quia est priuatio diffusionis lucis in superficie ymbrosa. Hoc ergo modo dictum est, quòd album & nigrum sunt contraria, & similiter bonum & malum in actibus & habitibus. Et hoc modo doctrina de malo hic posita intelligitur.

Tex. com. 4.

Bonum & malum sunt genera contraria in moribus.

Quod autem dictũ est, quòd bonum & malum sunt genera contraria, constat quod non intelligitur de generalissimis: quia sic essent plura genera quam decem: sed intelligitur, quòd sunt genera aliorum quæ sunt bona & in moribus, eò quod omnia quæ sunt in moribus, ad hæc tanquam ad genera reducuntur.

Quomodo virtus contrariatur duobus vitiis, cum ipsa sit medium & non extremum.

Et quod bonum in moribus, contrarium est duobus malis, non est ex hoc quod medium est, sed est ex hoc quod extremum est in ratione boni perfecti, vt dicit Aristot. sic vtrique opponitur extremitati vt extremum & maximè distans ab vtraque. Hoc autem quantum spectat ad istam intentionem interponendum erat de bono & malo: reliqua enim in prima philosophia sunt determinanda.

CAPVT XII.

De multiplicitate eius quod est prius.

Necessitas huius capitulis de priori.

POstquam determinatum est de oppositis quæ sunt, diuersorum generum, dicendum de multiplicitate eius quod est prius. Quia penes eius rationem fit ordo eorum quæ sunt in vno genere secundum coordinationem prædicabilium secundum quod species est sub genere & individuum sub specie. Ex hoc enim priori & posteriori proprium accipiunt modum prædicandi, qui maximè in hoc libro est attendẽdus. Determinatis modis prioris sunt per oppositum etiam modi posterioris determinati: quia non dicitur prius nisi respectu sui posterioris.

Prius alterum altero, &c.

Prius dicitur in quatuor significata, & non est genus ad illa, sed analogum.

Dicimus igitur, quòd prius dicitur vnum altero quadrupliciter: & in hoc quod dicitur quadrupliciter, non diuisionem intelligimus in species, sed est diuisio multipliciter dicta: & prius tempore magis habet de ratione prioris, & secundo & tertio & quarto habent plus secundum ordinem quo enumerabitur à nobis. Prius enim de modis prioris nõ dicitur æqualiter secundum vnam rationem, sicut innuit Aristot. in quinto primæ philosophiæ, vbi distinguit prius inter multipliciter dicta.

Tex. com. 16.

Primus autem modus qui & principalis & primus est, qui secundum tempus, secundum quem prius alterum altero dicitur quod est antiquius & senius eo secundum tempus. In ordine enim partium temporis prius est præteritum quod ad præsens continuatur, futuro quod adhuc expectatur vt fiat: & ideò secundum ordinem temporis prius est quod in præterito longius distat a nunc, sicut dicit Aristoteles, quòd bella Mediæ fuerunt ante bella Troiæ, & bella Troiæ fuerunt ante bella Romana & priora eis: & quia hic prius est sumptum secundum rationem numerantis quod extrinsecus adiacet vt mensurans, & quicquid prius est secundum numerum mensurantis est simpliciter prius, ideò iste modus est principalis, ad cuius comparationem & proportionem sine analogiam omnes alij modi prioris dicuntur. Hoc ergo modo prius dicitur, cuius tempus est in præteritum. Amplius & prius quod est senius: & hoc modo æternitas est ante tempus duratione, & ea quæ sunt æterna, sunt ante temporalia. Sunt autem secundum sui naturam æternæ rerum essentiæ, vt genera quæ sunt prima rerum principia: istis enim non potest assignari tempus vt numerus mensurans: quia in tempore esse, vt dicit Philosophus in 4. physicorum, est esse in quadam parte temporis mensurandi.

Prius tempore est simpliciter & principaliter prius.

Tex. com. 114.

Sic igitur antiquiora sunt genera omnibus.

Secundo autem dicitur prius, quod non conuertitur secundum subsistendi consequentiam. Subsistendi autem consequentiam dico vt si vnum ponatur actu sui ipsius esse secundum esse, quòd alterum propter hoc necesse sit ponere subsistere secundum esse, sicut dicimus, quòd vnum est prius duobus: duobus enim existentibus mox vnum consequens est esse & subsistere: vno verò existente non est necessarium duo esse vel subsistere. Et hic modus est inter inferius & superius in coordinatione prædicabilium: quia inferius est, sicut duo, quorum alterum est id quod directè est super ipsum, & alterum differentia constitutiua: vnde posito inferiori in esse ponitur suum superius: sed non conuertitur, quòd posito superiori in esse ponatur inferius esse necessario: quia superius concipitur in inferiori, sicut vnum in duobus: sed inferius non concipitur in superiori nisi vt potentia, sicut duo in vno sunt potentia: & ideò non conuertitur consequentia ab vno existente, vt necessario propter hoc sit reliquum: & inter illa prius esse videtur non id à quo conuertitur consequentia, & hoc est vnum: ab illo enim ad duo consequentia non conuertitur.

Superius concipitur in suo inferiori, sicut vnum in duobus.

Tertio autem modo dicitur prius secundum quendam ordinem. Dico autem quendam ordinem: quia in omni priori est ordo: & ideò ordo simpliciter non facit specialem modum prioris, sed ordo quidam, non inquantum est ordo, sed inquantum est quidam ordo. Sic ergo tertio modo dicitur prius quod est quoad nos prius, vt in disciplinis demonstrantibus & orationibus rhetoricis: in demonstrantibus enim disciplinis est prius & posterius per quendam doctrinæ ordinem: elementa enim in geometria priora sunt his quæ per ordinem describuntur: elementa enim sunt vt punctum, linea, circulus, angulus, & huiusmodi, quæ præcedunt ordine elementali descriptiones & compositiones figurarum angularium, figuræ enim per ordinem describuntur, secundum quod ex vna probatur altera, sicut triangulus, aut quadratum, vel quadrangulum, vel quadratum, aut circulum: quia centrum dicti circuli per triangulum inuenitur. Sic igitur in grammatica elementa literarum priora sunt syllabis, & syllabæ dictionibus, & dictiones orationibus: & in oratione rhetorica hoc modo procemium prius est narratione, & narratio prior est partitione. Hic autem modus prioritatis est inter principia generum, & ipsa rerum genera quæ ex illis principiis constituuntur. Principia autem sunt potentia & actus: ens enim est quodlibet genus potentia, & efficitur actu illud per actum rem generis illius complentem & constituentem.

Amplius supra ea quæ dicta sunt in quibus dicitur prius secundum ipsam naturam rei, & esse videtur prius & dici secundum aliquid additum sibi quod est ad bene esse, sic quod honorabilius & melius naturaliter secundum illam additam ad esse naturam prius esse videtur: consueuerunt enim plurimi, quorum iudicium non potest esse in toto falsum, & ideò pro auctoritate sumendum: consueuerunt, inquam, nobiliores & ex se magis ex causa dilectos priores dicere & vocare. Et attende si non ex causa diliguntur plus, non propter hoc dicerentur priores: & ideò causa facit priores & non dilectio: quia dilectio secundum se non discernit inter priores & posteriores.

Vtrum autem duo æqualiter diligi possunt aut non, factum est quærere: quia vbi dilectio vna & vna ratio diligendi & æqualis sit in duobus, pro certo æqualiter diliguntur. Si autem dilectio est simpliciter, non discernunt vnum à pluribus, nec plura ab vno. Hic autem modus est in prædicamentis secundum ordinem substantiæ ante aliqua: quia honorabilior & melior est omnibus. Isti ergo sunt quatuor modi prioris, qui ab antiquis dicti sunt, & sunt magis famosi & vulgari.

Vtrum duo possunt æqualiter diligi.

Dicit autem Boetius, quòd his modis quinque addidit Aristot. qui ante tempus suum non fuit. Dicit igitur Aristot. quòd videtur præter eos quatuor modos prioris qui dicti sunt alter quintus esse modus prioris: inter illa enim quæ conuertuntur secundum essentiæ consequentiam id quod alteri causa est quomodolibet secundum quodcunque genus causæ, idem dignè prius dicitur illo. Causa enim actu causans & effectus conuertuntur secundum essentiæ consequentiam: & in talibus posita causa ponitur effectus, vel posito effectu ponitur causa. In talibus igitur dignum est vt causa natura siue naturali ordine prior sit quam effectus. Quod autem quædam huiusmodi sint, palam est: hominem namque esse conuertitur secùdum essentiæ consequentiam, ad hoc quod est veram orationem esse de hoc quod est hominem esse: nam si homo est secundum rem, vera est oratio qua dicitur, quòd homo est. Oratio autem nequaquam est causa vt homo sit secundum rem, sed potius res sic se habens causa est vt oratio sit: dum enim res est aut non est, vera vel falsa dicitur oratio quæ rem significat, sicut in antehabitis dictum est: & sic prius dicitur causa prius. Necesse est igitur vt nisi secundum quinque modos speciales prius alterum altero dicatur. Hic autem modus prioris est inter substantiam & accidens: quia accidens est à substantia causatum.

Quintus modus prioris additus fuit ab Arist. vt dicit Boëtius.

Sunt autem & alij modi priorum sicut prius in motu, prius in spatio, vel prius in loco, & in prima philosophia distinguitur vnumquodque quoties dicitur, & non hic habent determinari: quia ad prædicamentorum genera non referuntur.

Hi autem omnes referuntur, sicut dictum est: essentiæ enim entium quæ constituunt genera, referuntur ad prædicamenta: & sic aut referuntur ad suas essentias, aut ad ea quæ sunt inter genera adinuicem vnum genus ad alterum. Et primo quidem est modus primus. Secundo autem modo secundus est modus. Et tertius, quia ad intrinseca potest referri genus duplex, scilicet ad intrinseca secundum esse, & sic modus tertius, vel ad intrinseca secundum ambitum continentiæ, & sic secundus est etiam ante tertium: qui in coordina-

Sufficientia modorum prioris.

tione

tione prædicabilium est magis intentus. Secundum ordinem autem substantiæ ad alia genera duplex est ordo, scilicet secundum quod substantia comparatur aliis secundum dignitatem quam habet ad alia: & sic est quartus modus. Et secundum quod est causa aliorum: & sic est quintus modus. Nec sunt plures modi: quia non possunt esse plures modi comparationis generum secundum quod genera sunt principia prima, sub quibus fiunt prædicabilium coordinationes. Alij autem aliter dicunt, sed non est curandum.

CAPVT XIII.

De modis eius quod dicitur simul secundum quod spectat ad doctrinam prædicamentorum.

EOdem autem modo determinandum est de hoc quod aliqua dicantur simul secundum quod pertinent ad doctrinam prædicamentorum. Dicamus igitur, quòd simul esse non est oppositum ad prius, sed disparatum est ad ipsum: prius enim opponitur ad id quod est posterius, & è conuerso. Et neutrum illorum est simul in prædicabilium coordinatione, aut non est simul secundum locum, nec simul secundum sensuum voluntatem, nec secundum dignitatem, ideò de talibus præterendum est: sed est simul secundum coæuitatem, & non secundum naturam, & ideò hæc duo sola tractanda sunt.

Prius & simul sunt disparata.

Dicimus igitur, quòd simul dicuntur simpliciter & propriè, quæ sunt coæua, siue quorum generatio siue generarum esse est in eodem tempore in quo simul sint genita & manentia, sicut dicimus coæquæua eodem tempore vel periodo mensurata esse simul. Si enim vno tempore generata essent, & statim alterum periret, non dicerentur simul esse tempore: quia generatio est ad esse perfectum ordinata. Nec dicuntur illorum generationes simul, quorum esse perfectum non simul durat in tempore. Hæc igitur coæquæuitate simul sunt omnia quæ ab vno communi exeunt per vnam & essentialem diuisionem, sunt inter se coæquæua: sicut species specialissimæ inter se sunt coæquæuæ, neutrum enim nec prius nec posterius est altero: quæ etiam ætanica vocantur ab antiquis, quasi vnius ætatis. Hæc igitur dicuntur simul secundum tempus. Naturaliter autem sunt simul dupliciter: sunt enim simul quæcunque secundum id quod sunt, ad consequentiam dicuntur siue conuertentiam, & secundum hunc modum alterum non est causa alterius, sed seinuicem ponunt, & seinuicem perimunt. Si enim in hac consequentia alterum esset causa alterius, vtrumque esset causa alterius: & tamen in esse substantiali alterum potest esse causa alterius. Talitèr autem simul sunt duplum & dimidium & alia relatiua quæ secundum naturam relationis posita se ponunt, & perempta se perimunt: duplum enim conuertitur ad dimidium, & è conuerso: nam cum est duplum sic est dimidium, & è conuerso cum est dimidium, est duplum: & secundum hanc relationis consequentiam neutrum est alterius causa vt sic: sed natura relationis simul facit esse vtrumque, & hæc simul sunt secundum quandam naturam quæ fundatur super substantiam vtriusque relatiuorum adinuicem.

Simul autem dicuntur, &c.

Dicuntur autem alio modo simul natura simpliciter secundum id quod substantialiter natura ipsorum est, illa quæ in vna & eadem diuisione ex eodem genere ex diuerso siue ex oppositio diuiduntur ad seinuicem, & illa sunt quæ immediata diuisione idem genus diuidunt: ex diuerso enim siue ex oppositio dicuntur diuidi, quæcunque sunt sumpta secundum eandem diuisionem ex vno genere, sicut sub animali tanquam genere secundum vnam diuisionem gressibile, volatile, aquatile siue natabile: horum nullum ad alterum erit per alterum, sed animal participatur immediatè, & sunt coæquæua in illo: & ideò è diuerso diuidi dicuntur: quia sunt ex eodem genere æqua immediate: animal enim æqualiter diuiditur in gressibile, & volatile, & aquatile siue natabile: & nihil horum prius & posterius est altero in animali, sed simul per naturam animalitatis hæc esse videntur.

Singulum autem istorum rursus vlteriori diuisione diuiditur in species, gressibile simul & volatile & aquatile sic: gressibile in hominem & equum, volatile in aquilam & vespertilionem, quorum vnum est habens alas membranales, alterum autem pennatas: aquatile autem in pisces natantes pennis, & in ea quæ natant motu pedum sicut ranæ. Erunt ergo & illa diuidentia simul naturaliter in illo quod diuidunt. Simul ergo natura sunt, quæcunque sub genere vel specie secundum eandem diuisionem sumpta sunt. Genera verò diuisa semper priora sunt diuidentibus ipsa: non enim conuertuntur secundum quod est esse consequentiam ipsorum quæ simul sunt natura. Quod manifestum est inductione & exemplo: cum enim sit aquatile, sequitur quòd sit animal: cum autem sit animal, non necesse est esse aquatile, quia non conuertitur affirmatio à superiori ad inferius.

Generaliter ergo concludendo simul secundum naturam dicuntur quæcunque conuertuntur adinuicem secundum quod est esse consequentiam relationis, sed neque quæcunque causa est alterum alteri vt sit, sed relatio est causa vtriusque. Et secundo dicuntur simul natura: quia eodem genere è diuerso diuiduntur adinuicem. Et simpliciter simul sunt, quorum generatio in eodem est tempore. Patet autem cuilibet qualiter prædicamenta conueniunt: simul enim tempore est individuis simul: quam etiam adinuicem relatis in quolibet genere.

Simul autem natura diuisio generis in speciebus coæquauis: nec in coordinatione prædicabilium potest esse simul pluribus modis.

CAPVT

CAPVT XIV.

De post prædicamento quod est motus.

Motus sex sunt species, &c.

POstquam iam tractatum est de illis consequentibus prædicamenta quæ accidunt siue conueniunt omnibus prædicamentis per id quod comparantur adinuicem genera vel ea quæ in generibus sunt, nunc determinandum est de eo quod est consequens prædicamenta per esse quod prædicatur in illis, ex quo prædicamenta sunt principia omnium eorum, quorum sunt principia, sequitur quod omne esse rerum prædicetur in illis, & significatur nominibus prædicamentorum. Est autem duplex, scilicet esse fluens, & esse simpliciter & stans: & prædicamentum quidem genere specie & individuo prædicat esse stans: & hoc sufficienter in prædicamentis determinatum est. Est autem, vt dicit Auicenna, esse fluens quod non est simpliciter actus, sed permixtus potentiæ: qui modus significandi esse & prædicandi ordinatione generum & specierum & individuorum determinari non potuit, eò quod omnia illa significant & prædicant quod similiter suo modo actu est: propter quod oportuit vt hoc esse sit designatum, & prædicatum in aliquo post prædicamenta consequente consignificaretur: & hoc est in toto prædicamentis, quot sunt quæ possunt habere res suas, & esse quod prædicatur permixtum potentiæ.

Quare motus non possit esse unum prædicamentum.

De hoc ergo tractantes tractabimus de motu quantum pertinet ad præsentem speculationem: subtiliter enim de motu ad Physicum tractare pertinet: cum enim in quolibet sit vt potentia primo distans ab actu, nec deuenire possit potentia ad actum nisi per motum, oportet ponere quod motus sit. Adhuc autem omne passiuum, actum agentis aut nullo modo recipit, aut it per motum ad actum agentis. Constat autem, quòd passiuum suscipit actum agentis. Ergo suscipit per motum. Ergo oportet ponere, quòd sit motus. Adhuc tempus esse ponitur: tempus autem non est continuum nisi per motum: quare oportet ponere, quòd motus sit. Si autem est motus, & in prædicamentis determinandum de omni voce quæ esse prædicat rei alicuius, oportet in prædicamentis determinare de modis motus, & cuius modi esse prædicatur in modis illis, & ad quæ prædicamenta reducatur.

Quid motus sit.

Quare non diffiniatur motus.

Motus hic sumitur large.

Dicentes autem de motu secundum hunc modum non oportet nos diffinire motum: quia vna & eadem ratione de sex modis motuum siue speciebus non prædicatur: motum enim hic extenso nomine sumimus pro omni eo quod dicit quodcunque esse fluens de potentia ad actum, siue id esse sit substanciale, siue accidentale: tale enim esse inquantum est fluens, in communi vnum modum habet quo significetur, & quo per nomen significans ipsum secundum quod fluens est prædicetur: & hoc modo in hac scientia habet determinari. Dicamus ergo sic multiplicitatem motus determinantes, quòd motus extenso nomine motus sunt sex species, scilicet generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, secundum locum mutatio. Generatio quidem & corruptio in substantia sunt, & vno modo sunt, & dicuntur mutationes, non motus. Alio autem modo motus extenso nomine motus possunt appellari. Si enim sunt in substantia solum: tunc non possunt esse nisi aut de non substantia ad substantiam secundum esse substantiæ, vel è conuerso de substantia ad non substantiam: & quia hi termini dicuntur opponi secundum affirmationem & negationem, inter quas nullum medium est, hæc mutatio non habet medium, sed est de termino a quo ad terminum ad quem, sine medio. Adhuc autem sequitur, quod non sit in tempore, sed in nunc: quia omne tempus habet medium: & velox in tempore diuidit tempus & motum: nunc autem est finis, temporis ad quem continuatur tempus: sequitur ergo, quòd talis mutatio sit finis motus: sicut enim nunc se habet ad tempus, ita mutatio se habet ad motum: & hæc est probatio Auerrois super physicam in commento. Si autem generatio acciptatur vt immixta alterationi qua alteratur materia eius quod generatur per qualitates generantis, tunc motus dici potest: & sic hic nos loquimur de generatione, quia sicut esse fluens.

Species motus quot.

Generatio & corruptio non sunt motus, nisi extenso vocabulo, sed prius sunt mutationes.

Quomodo generatio improprie accepta est motus.

Iuxta hunc modum planè intelligitur qualiter corruptio sit mutatio & non motus, & qualiter possit dici motus, & qualiter dicit esse substantiale fluens secundum quod dicit Arist. quòd in tali fluxu non est viuum & animal simul in motu, & non est animal & homo simul in motu generationis. Et oppositio modo est in corruptione: quia corruptio in vno modo est mutatio de substantia ad non substantiam, & sic est finis motus. Et alio modo est immixta motui alterationis corrumpentis id quod est secundum qualitates suas alterantes in virtute corrumpentis: & sic est alteratio paulatim abiiciens à substantia, & in fine quando est substantia in abiectum esse, tunc facta est corruptio secundum substantiam. Sic igitur patet qualiter generatio & corruptio sunt motus & qualiter mutationes.

Alij autem omnes motus sunt saluato subiecto in esse substantiali subiecto ad aliquod esse secundum quantitatis perfectionem, aut secundum qualitates, aut secundum vbi. Et illi sunt propriè motus: quia mobile secundum quod mobile est ens perfectum in esse substantiali, & potentia existens in esse quanti vel qualis vel vbi: & motus est actus eius secundum quod huiusmodi: & ideò in quantitate secundum rationem perfecti & imperfecti est augmentum & diminutio: & augmentum est motus naturalis: diminutio autem à perfecto est esse motus innaturalis.

Alteratio autem non nominatur nominibus oppositis, sed vno nomine communi, quod est secundum qualitatem cuius terminus secundum naturam vel vltra quem non debet esse, est calidum, vel frigidum, vel humidum, vel siccum, & sic de aliis qualitatibus quæ cauQuare alteratio non nominatur nominibus oppositis, sicut augmentatio & diminutio.

fantur

fantur ab istis: tamen non est ratione determinata. Quia tamen tempore complexionatum variatur & simpliciter in simplicibus, & ideò dicit Aristot. quòd non est eadem sanitas in mane & vespere: quia sanitas est habitus fundatus super calidi & frigidi, humidi & ficci complexione: & ideo in genere determinatur, & non in specie, & dicitur alteratio: qualitas enim in genere non habet contrarium, sed in specie. Et quamuis quantitas non habeat contrarium, nec in genere, nec in specie: tamen in ratione termini naturalis & defectus ab isto suscipitur circa quantitatem qualitatis contrarietatis. Ideo ergo in communi dicitur alteratio.

5. physic. text. com. 37.

Huius ratio potest esse: quia si qualitas in genere haberet contrarium, tunc ipsa esset in genere superiori, quod est falsum: & de hoc vide D. Albert. 5. phys. tra. 1. c. 11.

Et hæ quidem mutationes sunt secundum ea quæ insunt substantiæ aut substantialiter; aut accidentaliter: & si accidentaliter aut secundum quantitatem, aut secundum qualitatem: relatio enim non prædicat aliquid quod absolutè insit secundum quod est, sed ipsum esse ad aliquid: & patet, quod ad ea quæ insunt substantiæ pluribus modis non potest esse motus. Si autem est secundum ea quæ extrinsecus adiacent substantiæ: tunc non potest esse secundum quando: quia quando causatur à tempore, & tempus est mensura motus, & non potest esse secundum quando, nisi esset secundum motum; & sic motus esset ad motum: & hoc procederet in infinitum, quod esse non potest. Nec potest esse secundum actionem: quia actio est operatio agentis & mouentis, & motus non est in agente sicut in subiecto. Non potest esse secundum passionem: quia passio est causa motus. Nec potest secundum positionem: quia positio partium in toto & in loco non mutatur nisi per generationem & corruptionem, vt patet. Nec secundum habitum: quia habitus mutatur ad subiectum, & non mutat ipsum. Relinquitur ergo, quòd sit secundum vbi in quo totum mobile saluatum transfertur de loco ad locum: & ideò per se non possunt esse nisi sex species vel modi motus, secundum quod motus dicit esse vel vbi etiam fluens.

Non est motus, ad quando, ad actionem, ad passionem, ad positionē, ad habitum.

Non possunt esse nisi sex modi motus.

Alij itaque motus, &c.

Palam autem est, quòd motus alij & alij sunt diuersi adinuicem, & vnus non incidit in alterius intentionem: non enim potest esse, quòd generatio sit corruptio: quia generatio est via in esse, & corruptio est via ab esse in non esse. Nec augmentum potest esse diminutio: quia augmentum est via ad debitam secundum naturam quantitatem: diminutio autem est ab illa. Nec alteratio est secundum locum mutatio: quia alteratum manens in loco eodem in passionibus motum vel mutatum est: in loci autem mutatione totum secundum se translatum est ad alium locum. Quamuis autem dicatur, quòd tot sunt species motus, quot sunt species entis, eò quod in quolibet prædicamento est deuenire de potentia ad actum: tamen illi sunt motus per accidens & non per se, & sunt infiniti: & ideò per artem fieri non possunt, sed aliis motibus sunt adiuncti.

Quomodo intelligitur illud dictum tertij physicorum. com. 3. tot sunt species motus, quot sunt species entis.

In alteratione verò habet quandam secundum quosdam quæstionem. Dubitant enim quidam, ne forte necessarium sit id quod alteratur per aliquam reliquarum mutationum alterari, & non secundum ipsam alterationem. Hoc autem quamuis dicant quidam, tamen non est verum: & hoc experiri possumus in nobis ipsis: accidit enim nobis pene secundum qualitates omnes passionum animæ & corporis alterati absque eo quod aliqua aliarum mutationum mutemur: non enim augeri necessarium est quod secundum passiones qualitatum mouetur: nec necessarium est minui secundum id quod mouetur secundum passibiles qualitates. Similiter autem est & in aliis motibus: quia non est necesse alteratum secundum locum moueri, vel generari, vel corrumpi. Propter quod patet, quòd alteratio alia est mutatio quæ est præter omnes alios motus, & separata ab omnibus aliis. Nam si alteratio esset eadem cum aliqua aliarum mutationum, oporteret id quod alteratur, augeri, vel minui: vel oporteret, quòd cum alteratur, fieret quædam aliarum consequentium ad alterationem mutationum. Sed hoc non est necessarium: quia potest alterari nulla aliarum mutationum facta in ipso.

In alteratione verò habet dubitationem, &c.

Quamodo non fit generatio vel corruptio, augmentatio vel diminutio secundum locum mutatum, nisi fiat alteratio.

Similiter autem sciendum, quòd id quod augetur, non aliqua aliarum mutationum mouetur, sicut quod minuitur, vel generatur, vel corrumpitur, vel quod mouetur secundum locum physicè secundum quòd motus secundum locum est à generante, proculdubio prius oportet alterari in omnibus physicis: quia non fit generatio, vel corruptio, vel augmentum, vel diminutio, vel loci mutatio quæ est à natura, nisi alteratione præcedente quæ disponit generabile vel corruptibile vel augens & auctum & diminuens & diminutum & secundum locum motum ad hoc quod mutetur.

Et quamuis sit hoc necessarium in physicis: tamen in mathematicis sunt quædam crescentia in plus & additamentum suæ quantitatis, quę non alterantur de qualitate in qualitatem aliam; sicut patet in secundo Euclidis, quòd quadrangulum circumpositio gnomone creuit quidem, sed in nullo est factum alteratum: quia de figura in figuram non est mutatum. Est enim gnomon secundum Euclidem supplementum quadranguli quod est altera parte longius ad inueniendum quantitatem quadranguli: & si hoc circumponitur quidem ad quadrangulum, est quidem quadrangulum maius factum, sed tamen à figura sua secundum speciem quadranguli non est mutatum: & ideò non est alteratum, quia secundum aliam speciem qualitatis alterari non posset nisi secundum figuram.

Gnomō quid secundum Euclidem.



Gnomō quid secundum Boët.

Boëtius tamen dicit, quòd gnomō est tres partes quadrati, sicut si quadratum mediis lineis ad media latera quadrati terminatis in quatuor quadrata diuideretur, tria quadrata illorum quatuor dicit esse gnomonis figuram, cui si quartum

tum quadratum addatur, gnomon quidē creuit, sed nulla alteratio scientia est secundum figuræ siue quadrati in aliam figuram mutationem. Similiter autem est in aliis huiusmodi mutationibus: & patet, quòd omnes istæ mutationes sunt aliæ, & diuersæ abinuicem, nec sunt aliæ per se mutationes, nisi istæ sex quæ dictæ sunt.

CAPVT XV.

De his quæ motibus opposita sunt.

Est autem simpliciter quidē motui, &c.

MOtus autem considerario duplex est: cōsideratur simpliciter siue vniuersaliter prout abstrahit ab hoc motu & illo. Cōsideratur etiā secundum speciē prout est hic vel ille motus. Dicamus igitur, quòd motui simpliciter considerato contrarium est quies. Dico autem contrarium large sumendo prout priuatio dicitur in physicis contrarium: quod enim est quies, est priuatio motus: ideo quia mouens ad formam contraria quiete veniente quam inducere intendit, cessat à mouendo: & sic cessat & priuatur motus in eo quod motus est; & quia status est in forma vel in loco ad quem fit motus, sicut in contrario ei cuius motus incipit, ideò contrarium dicitur esse quies ad motum: cum tamen quies secundum se non sit contrarium, sed potius est priuatio motus.

Quando quies cōtrariatur motui. Vide tamen D. Alb. 5 physic. tra. 1. c. 11.

Obiectio.

Contra quod tamen quidam obiciunt dicentes, quòd cessatio motus est negatio motus ab eo quod possibile est mouere, & non mouetur & terminauit motum ad nunc in quo est in motum esse, sed in eo quod mouetur eadem aptitudo est, quia etiam illud aptum est moueri: idem ergo est subiectum in eo quod possibile est moueri, & in eo quod mouetur: vtrūque enim est aptum natum moueri, & quies non est nisi negatio motus ab vtroque: quies ergo videtur contradictorie opponi motui, & non priuatiuè, vel contrariè. Hæc autem eadem argumentatio fieri potest in omnibus priuatiuè oppositis. Sed ad hoc dicendum, quòd quies vel priuatiuè vel contrariè opponitur motui, sicut dictum est. Et cum dicitur, quòd eadem aptitudo vel potentia ad motum est in eo quod aptum natū est moueri & non mouetur, & in eo quod actu mouetur. Dicendum, quod hoc falsum est: non enim eadem potentia est ante actum & cum actu existens: & sic affirmatio & negatio non sunt omnino de eodem: & sic non potest esse contradictio. Opponitur igitur quies motui priuatiuè vel contrariè prout simpliciter consideratur.

Solutio.

Quare generatio & corruptio nō sunt motus, natio & posteriori.

Ex quo manifestum est, quòd generatio & corruptio motus non sunt, sed fines motuum: quia non opponitur generationi quies, sed corruptio. Motibus autem (si per singulas species motus considerātur) opponitur non quies, sed in contrarium motus, vt generationi opponitur corruptio, quia generatio est via in substātiam, corruptio autem est motus in contrarium, à substantia scilicet in non substantiam: & similiter opponitur augmentatio diminutioni, quia augmentum est existentis magnitudinis additamentum: diminutio autem est in contrarium, scilicet ab existente secundum naturam magnitudine decrementum.

Motui localiter simpliciter opponitur quies.

Mutationi autem quæ est per locum, maximè videtur quies esse opposita. Et hæc causa est: quia hic est simplex motus vel mutatio, in quo totum mobile secundum substantiam & quantitatem & qualitatem (quæ in ipso) transfertur: & ideò etiam quies illi simpliciter opponitur: quia sicut talis motus simpliciter est motus & causa mōtuum aliorum, ita talis quies simpliciter est quies. Motus autem alij sunt motus quidam & in quodam, & quietes sunt quietes in quodam.

Dubium est qualiter ei-cui motus localiter opponitur alius motus localis.

Quamuis autem loci mutationi simpliciter quies est opposita: tamen cuidam loci mutationi quæ recta est, sicut sursum vel deorsum, fortassis etiam opponitur in contrarium secundum locum mutatio, vt loci mutatio quæ est inferius, opponitur loci mutationi quæ est superius: & quæ est superius, opponitur ei quæ est inferius. Hoc autem certum non est vtrum fit propter contrarietatem loci vt locus; vel propter contrarias qualitates loco accidentes, sicut superius in tractatu de quantitate dictum est. Vel fortè ideò dubium est: quia contraria aptasunt fieri circa idem numero: motus autem localis est à generante, & non reiteratur idem numero quod naturaliter ascendit sursum, & quod naturaliter descendit deorsum: quia id quod sic mouetur secundum illos motus, habet substantiam corruptibilem.

Reliquo vero prius assignatorum motuum, &c.

Reliquo vero prius assignatorum motuum, hoc est alterationi non est facile assignare cōtrarium, quod scilicet motui secundum se sit contrarium. Qualitati enim secundum quod est in genere, non est contrarium. Alteratio autem secundum se est motus in qualitate secūdum quod est qualitas, cui quies non est contrarium: quia sit motus aliquis secundum aliquam qualitatem, tam in simplicibus agentibus in se inuicem, quam in compositis in quibus continua est alteratio propter componentium continuam actionem & passionem. Si autem habet contrarium, hoc est, secundum quod hic est motus, vt motus dealbationis contrariatur motui denigrationis. Videtur ergo, quòd nihil sit contrarium tali motui nisi quis opponi dicat quietem in hac qualitate motui ad eādem: sed ista non est quies simpliciter, vt dictum est: aut sic dicat aliquis, quòd motui ad qualitatem hanc vel illam opponitur motus qui est in contrarium qualitatis huius vel illius: & propter hoc dicit, quòd mutatio secundum qualitatem, & quies secundum qualitatem sunt oppositæ: aut quòd oppositi sint motus qui sunt in contrarium qualitatis illius, ad quam fuit motus: sicut album fieri contrariū est ad id quod est nigrum fieri secundum alterationem, iccirco quod in contrarium qualitatis mutatio facta est.

A tex. com. 13.

Hæc autem cum studio in 5. physic. habent determinari. Ad propositam intentionem, vt sciatur de esse fluente qualiter prædicetur, satis dictum est: esse enim fluens non habet aliud genus entis quam esse stans, quamuis habeat alium modum.

Quare motus non fuit

Et ideò motus non est per se prædicamentum,

prædicamentum per se, & quare de eo determinatur in postprædicamentis.

tum, sed in genere illo in quo esse suum determinatur: & quia hæc non ad vnum, sed ad plura reducuntur, ideò de motu in tractatu de postprædicamentis fuit determinandum.

CAPVT XVI.

De habere & de modis eius.

Habere autem, &c.

QVamuis habitus sit prædicamentum speciale prædicans quod causatur ex habitudine circumdantis extrinsecus, quod circũdans habet figuram & modum circumdati: tamen habere multis modis dicitur etiam secundum res aliorum prædicamentorum: ideò in postprædicamentorum tractatu oportet tractare de habere.

Quare de habere tractatur in postprædicamentis cum habitus sit prædicamentum.

Dicamus ergo, quòd habere multis modis dicitur. Aut enim dicitur eum habere habitum, & dicimur nos habere secundum primam qualitatis speciem: & sic dicitur, quòd est in facultate habentis ad actum: dicit enim Auer. super 3. de anima, quòd habitus est quo quis aliquid agit quando voluerit. Et Victorinus actorem dicit quem habitus facilem facit ad agendum. Aut dicitur secundum affectum in tertia specie qualitatis: quia nos dicimur habere id quod nos afficit, sicut dicimur nos habere calorem, vel frigus. Aut secundum aliam aliquam speciem qualitatis, qualitatem enim inhærentem habenti dicitur habere id cui inhæret qualitas: dicuntur enim scientes disciplinam scientiæ habere, & studiosi dicuntur habere virtutem, sicut diximus, quando in facultate eorum est agere secundum disciplinam & secundùm virtutem. Aut secundo modo dicitur habere secundum quantitatem quæ inest vt mensura, sicut dicitur habere qui habet magnitudinem: dicitur enim talis habere bicubitalem quantitatem, aut tricubitalem. Aut dicitur habere secundum ea quæ circa corpus sunt vt mutata secundum figuram corporis, vt habetur vestimentum, vel tunica: quæ omnia mutantur ad habentem, & non mutant eum, vt dicit Augustinus. & iuxta hunc modum est id quod habetur in decorem, vt quod circundat membrum, sicut habetur anulus in digito. Adhuc autem alio modo dicitur sicut totum habet partes præcipuè organicas quæ sunt ad actum, vt manum, aut pedem, quando habentur ad vsum manus & pedes. Dicitur etiam habere secundum quod in vase mensurante quantitatem & continente, sicut dicitur quis habere granum tritici in modio, aut sicut vinum dicitur quis habere in lagena: vinum enim in lagena habere dicimur, & in modio grana tritici: quia lagena continet & mensurat vinum, & modius triticum. Hæc igitur omnia diuersimode habere dicuntur diuersi, & diuersis secundum omnia. Hic est vnus modus prædicandi. Dicitur etiam alio modo habere per modum quo habetur possessio, sicut domũ & agrum habere dicimur: & hic est specialis modus habendi & valdè proprius. Adhuc autem dicitur habere sicut vir vxorem dicitur habere, aut vxor virum, mutuo contractu inter virum & vxorem. Sed modus iste qui dictus est, videtur alienissimus inter omnes modos habendi qui dicti sunt: nihil enim aliud dicimus virum habere vxorem, nisi quia cohabitant simul ad ciuiles & œconomicos actus: & hoc modo habens habetur eodem modo quo habet: & per eundem contractum qui habet efficitur habitus: & hoc non est in aliquo aliorum modorum. Fortè tamen adhuc apparebunt & alij modi eius quod est habere: sed qui magis consueuerunt dici & vsitati sunt apud sapientes sunt isti, qui penè omnes enumerati sunt: & si qui alij sunt, reducuntur ad istos.

Com. 18.

Modus prius ipsis habere.

Sufficientia modorum habitus.

Modi autem habendi qui dicti sunt, sic accipiuntur. In omnibus enim habens aliquo modo est principium habiti, & habitum est ad naturam habentis, quando propriè habetur: aut igitur secundum naturam est principium, aut secundum voluntatem, aut simul secundum naturam & voluntatem. Si enim principium est secundum naturam: aut secundum qualitatem cuius natura est principium, & sic est modus primus: aut secundum quantitatem, & sic est modus secundus. Nec plures sunt secundum naturam: quia cum habens differat ab habito, oportet quòd substantia sit habens, & qualitas vel quantitas sint habita. Alia verò prædicamenta non prædicant aliquid absolutum. Si autem natura cum voluntate est principium: tunc est modus quintus, in quo membrum habetur à natura: visus autem refertur ad voluntatem. Si autem sola voluntas est principium: tunc est respectu principij extrinseci quod extrinsecus se habet ad habentem: aut igitur habitum habens est ex ipso quod habet, aut non. Si sic, est tunc modus octauus. Si non, & est de extrinsecis: aut ergo habitum mutatur ad formam habentis, aut non. Si sic: aut est ad necessitatem, aut decorem. Si est ad necessitatem: tunc est tertius modus. Si est ad decorem: tunc est modus quartus. Si vero mutatur habitum ad habentem: aut habitum habetur per modum contenti, sicut in vase mensurante: aut per modum habitus tantum. Si per modum contenti: tunc est modus nonus. Si secundo modo: tunc est modus septimus. Multis autem aliis modis potest accipi numerus modorum habendi: sed quia parua vis est in talibus, ideo illa sufficiant.

LIBER

DE SEX PRINCIPIIS.

TRACTATVS I.

De forma.

CAPVT I.

Quare hic liber dicatur liber sex principiorum.

VAMVIS de ordine prædicabilium iam in prædicamentis sufficienter quantum est de intentione logici determinatum sit: tamen ad faciliorem doctrinam, vt de singulis cognoscatur quæ prædicantur, & qualiter singulum prædicabilium in genere & specie & individuo ad vnum commune (quod principium illorum est) ordinatur, iterum determinabimus in speciali de sex, de quibus in prædicamentorum libro non nisi breuiter & per modum exemplarem tactum est. Sicut autem in prædicamentorum libro secuti & profecuti sumus scientiam Arist. sic in hoc libro sequimur Gilbertum Porretanum, qui ea (quæ de sex principiis dicuntur) inuenit & compositi ad faciliorem intellectum eorum quæ in libro prædicamentorum succinctè dicta esse videbantur, quæ quamuis omissa esse potuissent, tamen propter vtilitatem studentium hunc laborem assumpsimus. Ideo hæc etiam ad informationem studentium cum aliis explanamus.

Intentio Auctoris.

Quem Auctorem sequatur in hoc libro.

Dubitatio quare hæc sex dicuntur principia, & non prædicamenta. Solutio.

Quæritur autem, quare hæc sex principia dicuntur, cum alia quatuor de quibus dictum est in libro prædicamentorum prædicamenta sint vocata. Multi quidem multas assignauerunt rationes: secundum enim Porretani doctrinam decem prima genera sunt decem rerum principia, in quibus stat omnis resolutio, & quæ sunt primæ essentiæ sua essentialite constituentes, & quæ suæ communitatis ambitu omnia continentes quæ ordinabilia sunt ad prædicati & subiecti determinationem: de quorum coordinatione, vt diximus, in prima parte logicæ est tractandum: eò quod ratio non colligit nisi quæ antepositi, nec componit nisi quæ ante ordinauit secundum comparabilium rationem. Propter quod ratio qua fit ordinatio primum in Porphyrio tradita est. Ordinatio autem prout est in ordinatis, traditur in scientia libri prædicamentorum, & in scientia sex principiorum, & in scientia diuisionum. Cum autem omnis ordinatio subiectorum & suppositorum sit ad vnum & stet in vno, id in quo stat ordinatio in summo, est primum & principium omnium aliorum. Sed dicitur genus inquantum est primum formabile subiectum ad omnium contentorum determinationem in forma speciei & individui. Dicitur autem principium inquantum est primum constituens & essentians omnia quæ sunt suæ coordinationis, in quibus ipsum secundum actum & intellectum (vt principians essentias eorum) continetur.

Illud ad quod stat ordinatio subiectorum in prædicamẽto positorum dicitur genus & dicitur principium.

Cum autẽ omnia generalissima hoc modo dicãtur, tamen quædam plus & magis propriè dicuntur genera, & quædam magis principia. Substantia enim, qualitas, & quantitas, dicuntur magis genera, eò quod absolutè sunt in his contentis suis actu & intellectu contenta: quod proprium generis est secundum quod genus est cui species supponitur. Principia verò dicuntur ex consequenti: quia non principiant simpliciter & quoad esse, sed potius è conuerso quoad esse à suis inferioribus sunt principiata. Relatio autem genus est hoc modo quo alia, & non adeò propriè vt alia potest esse vel dici principium: quia secundum esse semper fundatur in alio quodam, & vt frequẽter fundatur in generibus aliis & rebus generum aliorum.

Quomodo quædam generalissima magis dicũtur genera, & quædam magis dicũtur principia.

Relatio est genus, & potest dici principium.

Residua verò sex non propriè dicuntur genera: quia non dicuntur simpliciter contenta in aliis secundum actum & intellectum sicut id quod est de ratione eorum, sicut patet singulorum inductione. Actio enim non dicit quid contentum in substantia aliorum, nec passio, nec vbi, nec quando, nec situs, nec habitus: sed dicuntur aliquo modo se habere per modum principij eius cuius sunt. Actio enim cum sit in actu, dicit principium à quo agens efficit id quod agit. Similiter passio cum sit in patiente, dicit id quo patiens mouetur ad formam agentis, & non dicit quid existens de ratione substantiæ alicuius: & ideo passio suo nomine non genus dicit, sed principium. Similiter est de vbi: quia procedit à loco, nec locus est principium nisi eius quod est in loco, loca

locatum autem comparatur ad locum cum est in vbi: & ideò vbi cum sit de extrinseci, genus autem de intrinsecis substantiæ, plus nominatur principium quam genus. Eodem modo est de quando quod procedit à tempore. Tempus autem est numerus motus: motus autem est actus eius quod mouetur, deducens ipsum ad formam mouentis. Et ideo quando quod est in eo quod est in tempore, per comparationem ad tempus etiam non nominat aliquid de substantia quod sit vt genus, sed nominat principium per motum cuius ipsum est mensura. Positio verò dicit partium ordinationem in loco & in toto, & dicit principium plus quam genus: quia motus & actio & passio transmutãtia ea in quæ operantur, sunt causa ordinis partium ad formam totius: & ideo positio non dicit quid positi, sed secundum nomen suum quod est positio, dicit principium essentiæ totius quod principiatur à partium positione in toto & in loco. Habitus autem ad id cuius est habitus nihil dicit quod sit quid habentis secundum quod genus est quid eius cuius est genus, sed dicit principium conseruationis habentis. Et propter hoc cum alia dicant principia ad eorum esse quorum sunt, hoc vltimum dicit principium conseruationis. Ideo potius dicuntur principia quam generã. Propter quod etiam potius formæ sunt, hoc est, foris manentes, quam sint essentiæ.

Sufficientia sex principiorum.

Hæc autem sic accipi possunt. Aut enim sunt principia ad esse, aut ad bene esse. Si ad esse: aut ex parte agentis, & sic erit actio: aut ex parte eius quod agitur: & hoc dupliciter, scilicet secundum quod est suscipiens actum agentis, aut secundum effectum qui actum agentis consequitur. Si primo modo: aut secundum ipsam actionem quã suscipit patiens, & sic est passio: aut secundum mensuram extrinsecus adiacentem, aut secundum effectum quem facit actio in substantia & partibus patientis. Si secundum mensuram adiacentem: aut est secundum mensuram actionis vel passionis secundum quod huius, & sic est quando: aut secundum mensuram passi siue eius quod patitur, & sic est vbi. Si autem est secundum effectum quem facit agens in ipso patiente: tunc est positio: quia ex actione agentis & patione patientis situantur partes in passo ad susceptionem formæ quam imprimit agens & efficitur vna supra, & altera infra: & vna dextra, & altera sinistra, secundum quod operatur in eo virtus agentis. Si autem dicit principium non ad esse, sed ad bene esse, sic est habitus. Quamuis autem sic nominibus suis dicant principia, tamen suæ coordinationis (inquantum nominibus suis significatur esse) prædicant principia, & contenta actui & intellectu in eo de quo prædicantur, dicuntur genera: & ideò nominibus suis dicuntur principia, & res quas signant, sunt genera.

Quomodo sunt genera & quomodo principia.

Dubitatio quomodo hic scientia est vna cum sit de sex. Solutio.

Si autem quis quærat, qualiter hæc scientia est vna quæ est de sex principiis? Dicendum, quòd ista sex vniuntur in intentione principij: & sic nihil prohibet de sex vnam esse scientiam.

Sicut autem & in aliis, sic & in his modus philosophiæ tenendus est. Philosophi enim est (vt dicit Aristor.) non accipere nisi sermonem demonstratiuum, vt scilicet de subiecto & de partibus subiecti passiones & differentiæ demonstrentur ad habendam notitiam perfectam de his quæ traduntur: & ideò etiam singulorum diffinitiones ponendæ sunt, ex quibus sicut ex mediis probetur omne quod docendum est. Hoc enim modo perficitur anima secundum partem contemplatiuam, quæ est vltimum felicitatis ipsius, vt docet Arist. 10. ethic.

Modus docẽdi in hoc libro.

Cap. 10.

Quod autem quidam dicunt de arte, vtrum scilicet per modum artis procedat philosophia; stultum est: quia ars non est nisi in factis supra materiam exteriorem, cum dicat Arist. quòd ars est cum ratione factiuum principium: & hoc modo facere non est agere.

6. Ethic. c. 5.

CAPVT II.

De forma quid sit, & qualiter hic agitur de ipsa.

FOrma est, &c. Volentes igitur de sex principiis determinare quæ omnia formæ sunt & quasi extrinseca his quorum sunt, eò quod non sunt de esse & substantia eorum quorum sunt, & forma dicitur (vt Plato dicit) quasi foris manens, oportet nos inchoare à formæ determinatione vt sciatur à quo sicut à primo genere accipiunt originem. Dicit enim Boet. in principio de Trinitate, quòd propriè non dicuntur formæ nisi quæ sunt separatæ: illæ autem quæ in materia sunt, propriè dicuntur imagines; eò quod ad illas sunt per assimilationem & imitationem productæ. Hæc autem quæ principia vocamus, omnia sunt extra substantiam agentis, & passio nihil est de substantia patientis: & de quando, & vbi similiter est, quorum neutrum est aliquid de natura eorum quæ vbi sunt & quando. Situs autem propter hoc extrinsecum est, quia dicit ordinem partium in loco, & hoc est extra substantiam partium & totius. De habitu autem nullum est dubium, quin sit de extrinsecis. Cum igitur omnia ista foris maneant, omnia hæc secundum nomen formæ prædicationem formæ participant, & sicut dicuntur principia, sic etiam formæ dicuntur.

Forma quare sic dicitur secundum Platonem. Quare inchoanda à forma.

Forma non dicitur nisi separata præloquendo secundum Boet. quæ vero sunt in materia propriè dicuntur imagines.

Non potest autem dicta forma hoc modo determinari, nisi generaliter forma diffiniatur & per diffinitionem deueniatur ad intentionem formæ de qua est intentio. Generaliter igitur de forma loquentes dicimus, secundum quod logicus loqui debet de forma, quòd forma est compositioni contingens, simplici & inuariabili, essentia consistens: formam enim logica diffinimus diffinitione: logicè enim loquendo forma est intentio quæ dat esse formale totius, & ipsa notio totius, vt dictum est in scientia de vniuersalibus. Dico autem, quòd dicit esse totius siue hoc esse sit substantiale, siue accidentale, siue sit esse potentiale, siue actuale, sicut animal dicit esse totius potentiale, & rationale dicit esse totius hominis actuale.

Forma est cõpositioni contingens, &c.

Formæ quid sit logicè loquendo.

Formæ totius quæ sint.

actuale. Homo autem dicit totum compositum ex vtroque. Album autem dicit esse totius accidentale. Et risibile dicit esse totius accidentale naturæ & speciei.

Quare dixit compositionis.

Hoc autem tale esse non est nisi compositioni contingens, hoc est, composito siue ex compositione: quia si parti compositionis siue compositi contingeret, non esset prædicabile

Quare dixit contingens.

de toto, nec totius esse posset dici notio. Et dico contingens, non quod semper forma hæc contingat siue per accidens composito adueniat secundum id quod est forma: quia sic est species, vel accidens, vel proprium, vel differentia, vel genus: & ideo non semper contingit, sed aliquando est substantia. Sed ideo contingit: quia modus accipiendi eam vt est totius notio, semper est accidens & semper contingens. Est enim vniuersale quod est ante rem,

Vniuersale triplex ante rem, in re post rem.

& hoc est causa rei per se vel per accidens. Et est vniuersale quod est in re, & hoc est substantia rei vel accidentis inclinatum ad substantiam. Et est vniuersale quod est post rem, & hoc est vniuersale à re ipsa per intellectum separatum, & hoc contingit rei, & est accidentale rei: hoc enim nihil aliud est nisi acceptio vniuersalis formæ siue hic siue nunc: quæ acceptio rei simplex & separata à particulari &

Forma partis non prædicatur de toto, scilicet in recto.

particularibus: & hoc modo forma est dicta vniuersale quod intellectus ordinat in genere & specie, & cuius coordinationem reducit ad prædicamentum vel ad principium: & hoc modo forma est formale esse totius acceptum per intellectum, quod non contingit accipere in ratione formæ quæ est forma partis: quia hæc forma est materiæ in particulari, & non de toto prædicabilis. Sic ergo forma in communi ad esse substantiale vel accidentale totius accepta, prædicabilis de toto & non de parte, est forma quæ est compositioni contingens.

Quare addit simplici essentia.

Quod autem additur, quòd sit simplici essentia consistens, ideò est: quia tale esse quamuis totius sit compositi, tamen ex parte formæ acceptum est, & non ex parte materiæ. Non autem accipitur ex parte formæ prout pars est compositi, sed accipitur à forma prout est causa totius esse, totum ambiens & terminans ad esse: & quia forma illa nihil est nisi forma quamuis sit totius, ideò nullum habet principium compositionis in se, sed est essentia simplex, quamuis non sit essentia simplicis, sed compositi: hoc enim modo materia non est

Materia potentia habet partem & partem, sed forma nec actum nec potentia habet partem. Obiectio. Solutio. Quomodo species est forma cum habeat partes.

essentia simplex, quia materia ad minus potentia habet partem & partem, forma autem nec potentia nec actu partem & partem habet: & ideò huic formæ conuenit, & non materiæ.

Si autem obijcitur, quòd species est forma, & tamen partem habet, quia genus & differentiam. Dicimus, quòd istæ partes non sunt diuisæ in specie: quia idem quod est in genere, est vt confusum & indeterminatum, & in specie specificatum & determinatum. Sed genus dicit vt confusum, & differentia vt determinans, & species vt determinatum: & hæc in esse formali non differunt, quamuis differentium sint, sicut differt natura determinabilis à natura determinantis & à natura determinati. Differentia est determinans & non determinat, nisi per formale quod est actu, & determinat formale quod est potentia. Et species determinata non dicit nisi formale sic determinatum. Et si aliquid aliud diceret, non prædicaretur genus de specie, nec differentia de specie prædicaretur: & ideo constat, quòd idem formale dicunt hæc tria. Et quia differentia est in genere potestate: & potestate esse in alio secundum potestatem causæ formalis, est in ipso esse secundum inchoationem, & inchoatio formæ & perfectio sunt idem in substantia formæ, diuersa in esse: ideo vnum & idem est in potentia & actu. Et ideo diffinitio illa est vnum & multa: & quoad hoc secundum substantiam simplex est essentia, quamuis sint in ea illa quæ differunt natura secundum ea. Et ideo dicitur, quòd forma est simplici essentia consistens.

Genus & differentia non sunt partes diuisæ in specie. Imo genus species & differentia eadem dicuntur. Quomodo genus differentia & species dicuntur idem formale. Inchoatio formæ & perfectio eiusdem sitz idem in substantia formæ, & differunt in esse. Quare dixit, inuariabilis.

Est autem inuariabilis: quia nihil variatur secundum mutationem, nisi materia vel subiectum ex materia & forma compositum: forma autem (prout vniuersale forma est) neutrum horum est: & ideo per se immutabilis est essentia. Variatur tamen per accidens, dum aliquando secundum esse quod est in hoc vel in illo, generatur vel corrumpitur. Sed de variatione quæ est secundum accidens nos hic non loquimur. Aliter autem probatur, quòd forma quæ est vniuersale siue sit accidentale siue substantiale, est contingens composito, & non est compositum. Talis enim forma compositio siue compositum non est: quia vnumquodque compositum adueniens alteri composito maius aliquid facit aut secundum essentiam, aut secundum quantitatem: forma autem aduenies compositioni minimè facit maius aliquid: ergo forma non est compositum, sed contingens siue compositioni, siue composito. Quod autem forma aduenies composito non faciat maius aliquid, probatur tam in forma accidentali, quam in forma substantiali. In accidentali quidem: quia in eo quod album est non dicitur maius vel minus factum, quam si non esset album, sed dicitur esse alteratum solum. In substantialibus autem: quia in hoc quod corpus & anima coniuncta fit homo, non dicitur maius vel minus factum, sed perfectum in forma speciei.

Compositio enim non est, &c. Quod forma contingat composito & non sit compositum. Solet obiici de aqua addita cineri vel farinæ. vide D. Alb. 4. phys. tract. de vacuo. c. 1.

Hoc tamen habet dubitationē: quia forma vniuersalis aduenies est essentia quædam: & ideo illud cui aduenit, esse auctum videtur secundum essentiam. Ad hoc dicendum, quòd vbiuersale est posterius eo cuius est vniuersale, quamuis ipsa natura vniuersalis sit prius eo de quo prædicatur, & inquantum vniuersale non habet esse nisi intentionale, siue vt dicit Boët. notionale hoc non est esse secundum naturam: & ideo nullum essentiale addit secundum quod est notio ei quod est secundum naturam. Hoc autem est planum intelligere ex his quæ sæpius in scientia vniuersalium dicta sunt.

Obiectio. Solutio.

Quia vero de quibusdam aliis quæ sunt formæ vniuersales contingit idem proferre, quod scilicet in hoc sunt simplices essentiæ, quod non sunt compositæ ex materia & forma, sicut in anima hominis quæ hoc modo composita non est: ideo in diffinitione dictum est,

Dixit inuariabilis etiā ad excludendum animam.

est, inuariabili essentia consistens: in anima enim hominis secundum partem sensibilem quæ est in ea, alteratio contrarietatis secundum motum passionum inuenitur, vt tristitiæ & gaudij: quamuis enim motus passionum gaudij & tristitiæ sint coniuncti & non animæ, vt subiecti, vt dicit Aristot. in primo de anima: tamen vt dicit Auerr. in his compatitur anima corpori, & sic aliquo modo variatur: & ideo non est forma prout hîc de forma loquimur.

Tex. com. 12.

Dicit compositioni contingens, vt excluderet animam mundi.

Adhuc autem quoniam, sicut dicunt quidam, aliquid est quod est subiectum simplici, & nulli est subiectum variationi, sicut dicunt in ea quæ est mundi anima quam & simplicem & inuariabilem esse dicunt: ideo vt hanc de qua hîc loquimur formam, ab omnibus aliis dissociarem & diuiderem, addidi compositioni contingens. De mundi enim anima quid sit

Quid sit anima mundi.

& qualiter, longum & difficile est determinare, & pertinet ad primum Philosophum secundum eam partem in qua de causis primariis & vniuersalibus determinatur. Breuiter tamen dicimus, quòd non causa prima est, nec est aliqua intelligentia, sed motor mobilis primi quod est sibi principium vitæ & motus in omnibus, sicut dicitur in lib. de causis, & hæc anima non contingens est compositioni siue composito, sed est forma vnius quod est primum cælum: propter quod forma quæ est vniuersale esse non potest: quia vniuersale est forma contingens composito, & non est forma partis, vt sæpius dictum est. Præinducta igitur de forma data diffinitio erit terminus: dicitur enim terminus illa diffinitio quæ includit terminos esse illius diffiniti. Hæc enim diffinitio neque superfluum nec minus aliquid quam ad esse formæ declarandum sufficit, videbitur continere siquis subtiliter & non superstitiosè voluerit inuestigare.

De qua forma vera sit diffinitio data.

Notandum tamen hoc, quòd ea quæ dicta sunt, non sunt vera de forma substantiali, nec accidentali: sed vera sunt de forma quæ est vniuersale, siue sit substantia, siue accidens, prout ipsum est prædicabile vt genus, vel differentia, vel proprium, vel accidens in quocunque genere vel principio prædicabilium.

CAPVT III.

De dubitatione vtrum forma sit variabilis.

Dubitatio textus.

HAbet autem dubitationem ex prædictis occasionatam: loquentes enim de forma secundum quod ad accidentalem & substantialem communis est, & secundum quod est vniuersale prædicabile siue in quid, siue in quale, eò quod ipsa significatur vt notio totius esse rei secundum quod & oratio forma est, & albedo de illa albedine prædicata, & secundum quod ratio formalis & opinio forma animæ est, de hac vel de illa ratione vel opinione prædicata. Dicendo igitur de tali forma quod inuariabilis sit, videtur esse instantia in pluribus. Videtur enim, quòd plures formæ variabiles sint siue mutabiles in contraria. Nam eadem oratio veri & falsi susceptiua est, me sedere omninò vera est dum sedeo, & eadem falsa dum non sedeo. Similiter autem & eadem albedo claritatis & obscuritatis susceptiua est. Et ratio formalis siue opinio vna susceptiua eius veri videtur quod est in re, & falsi quod non est in re: cum tamen omnia hæc formæ sint totius esse notiones & de toto prædicabiles: & sic sunt compositioni contingentes.

Solutio textus.

Sed ad hoc dicitur, vt dictum est, quòd forma est inuariabili essentia consistēs. Et quod dicitur de albedine, non est vt dicitur. Non enim eadem albedo secundum id quod est forma, claritatis & obscuritatis susceptiua est: sed duæ albedines sunt in subiecto, quarum vna clarior est, & altera obscurior ex opacitate & claritate subiecti: nam nihil differt albedinem claram dicere, & subiectum siue susciens claram dicere, cum albedo secundum esse albedinis vnum & idem eodem modo se habeat: obscuratur enim & clarificatur ex subiecti obscuritate vel claritate: & illa quæ est ea obscurior, non eadem numero albedo illi quæ est clarior. Et simile huic est quod dicitur in 5. physic. quòd non eadem sanitas est

Tex. com. 17.

in mane & in vespere, eò quod in humoribus animalis non manet eadem æqualitas, quamuis susceptiuum sanitatis sit idem in mane & in vespere, non tamen sub eadem forma sanitatis.

Non est eadem sanitas mane & vespere.

Similiter autem eodem modo ratio siue opinio & vna numero oratio secundum mutationem sui non susceptiua veri & falsi quod in re est vel non est, sed potius, sicut perihermen. dicit Philosophus, oratio quæ est in voce, est nota & signum passionum quæ sunt in anima, quæ passiones illatæ sunt in animam ex formis rerum conceptis. Et ideo veritas in ratione vel in mente vel opinione est adæquatio rerum vel opinionum vel conceptorum. Et falsitas in mente vel opinione est inæqualitas mentis & rerum. Et similiter veritas in oratione est adæquatio signi rem in voce significantis & rei significatæ. Et ideo de vero in falsum mutatur, non secundum sui mutationem, sed sicut mutantur signa per mutationem eorum ad quæ referuntur. In eo ergo quod res significata est vel non est, in hoc mens siue opinio & oratio vera vel falsa sunt absque omni variatione opinionis vel orationis. Et huius exemplum dat Boët. sicut vno aliquo immobili existente & altero transeunte ad oppositum latus, efficitur dexter qui prius erat sinister, absque omni sua variatione, ex sola alterius mutatione quæ refertur ad ipsum, vt dexter vel sinister secundum situm. De his autem in aliis à nobis dictum est.

In primo cap.

Veritas in mente quid, & similiter falsitas. Veritas in oratione quid.

Exemplum Boët. quòd opinio & oratio sunt vera vel falsa sine sui mutatione.

Est tamen hîc intelligendum, quòd duplex veritas est in oratione: est enim veritas signi prout signum est simpliciter ad actum signi relatum, & non ad hoc vel ad illud significandum, sicut dicitur verum signum quod non fallit in actu significandi. Et hanc veritatem, vt probat Anselm. oratio non amittit propter rei significatæ mutationem: hæc enim oratio me sedere, verum signum est eius quod ego sedeam, siue sedeam, siue non sedeam: semper enim significat quod sedeam, & in hoc non

Nota quomodo duplex est veritas, & ex hoc possunt solui argumenta.

fallit: quia hoc significat rectè & verè: quia hoc inquantum signum accepit significare: signum enim verum est quod rectè significat id quod habet significare, & in hoc non fallit. Est autem alia veritas in signo relato ad hoc significādum & adæquata illi, sicut hæc oratio, ego sedeo, adæquata est rei dū sedeo: & hoc mutatur ipsius rei mutatione: & de hac loquimur hîc, & nō de prima: prima enim immobilis manet manente signo: propter quod etiā primam quidam putabant esse veritatem & vnam & eandem in omnibus veris signis, quamuis hoc dubium sit, cum signum sit rectum & verum quando significat id quod in prima veritate omnia instituente & ordinante accepit signare, & sic signum sit rectitudo signi ad relata ad primam sui causam exemplarem, tamen relatio potest numerari incipiendo à prima veritate, & sic est vna: potest etiam numerari ex parte signorum relatorum, & sic cadit in multitudinem & sic numeratur simpliciter: & ideò simpliciter est multæ, & secundum aliquid est vna.

CAPVT IV.

Quid sit substantiale, & per consequens quid accidentale.

SVbstantiale verò, &c. Quia vero omnis forma quæ est totū & notio totius & quę prędicatur de aliquo, aut est substantialis, aut accidentalis, oportet hîc loqui de substantiali quid sit, & per consequens etiam determinare quid sit accidentale. Dicimus ergo, quòd substantiale secundum suum nomen est id quod habet modum substantiæ in eo cui est substantiale, & hoc aliquando est substantia, & aliquando non substantia secundum materiam, habet tamen modum substantiæ. Substantia quidem est, quando est in genere substantiæ, vt animal & substantia est & substantiale homini, & homo & substantia est & substantiale Sorti. Et similiter rationale est substantiale homini & Sorti. Est autem aliquando non substātia habens modum substantiæ, sicut color se habet ad albedinem, & sicut qualitas se habet ad cōlorem, vel disgregatiuum visus se habet ad albedinem, & sicut extremitatem perspicui esse se habet ad albedinem, & sicut extremitatem perspicui esse se habet ad colorem. Est enim genus substantiale vt materia, & differentia est substantiale vt forma. Dicitur tamen substantiale aliter, scilicet quod sicut in causa per se est in aliquo, sicut risibile substantiale dicitur homini quod in natura hominis est sicut per se causa: & id nec substantia est, nec modum habet substantiæ in construendo substantiam, sed inquantum ad inesse inseparabiliter habet modum substantiæ. Adhuc autem quarto modo dicitur substantiale, quod inest in ratione diffinitiua loco differentiæ, quamuis nihil sit de essentia & esse ipsius, sicut nasus substantiale est simo, & oculus luscо, & tibia claudo, & dorsum gibbo, & generaliter substantia proprio accidenti.

Substantiale quid & quomodo dicitur quatuor modis.

Primus modus

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Et quia sic dicitur substantiale aliquando quod non est substantia, habens tamen aliquē substantiæ modum, ideo dicit Boēt. quòd substantiale medium est inter substantiam & accidens, sed non est medium per abnegationem vtriusque extremorum dictum secundum propriam ipsius naturam & entitatem: quia tale medium esse non potest, eò quod omne quod est, est substantia, vel accidens secundum naturam suæ entitatis: sed est medium per hoc quod aliquid vtriusque participat, sicut diximus, habet enim naturam accidentis, & modum substantiæ.

Substantiale est medium participans inter substantiam & accidens secundum Boēt.

Oppositis autem modis dicitur accidentale, scilicet quod natura est aliquando substantia & habet modum accidentis, sicut extraneum quod gratia alterius inest vel conuenit, sicut digitus sextus, qui quamuis sit substantia, tamen quia per formationem manus non fit, sed per abundantiā materiæ, ideo accidentale est. Est etiam accidentale quod naturam & modum habet accidentis, sicut albedo Socratis: vel quod inest & non per causam per se & propriam.

Accidentale dicitur quatuor modis, sicut & substantiale.

His igitur modis cum dicatur substantiale & accidentale, dicimus quòd substantiale est, quod confert esse compositioni, hoc est, composito ex quadam compositione. Dico autem, quòd confert esse, sicut genus vel materia, & sicut differentia siue forma composito, quod ex genere & differentia, vel ex materia & forma componitur. Et dico ex quadam compositione, quia vera quidem compositio est ex materia & forma, quæ inter se diuisæ sunt natura, & neutrum est principium alterius. Quædā autem compositio & non simpliciter compositio ex genere est & differentia: quia differentia sicut in inchoatione est in genere essentialiter, & genus est principium ipsius ex quo per intellectum agentem educitur, & propter hoc non absolutam facit compositionem: & ideò diffinitum ex genere & differentia, est vnum & non multa: idem enim est in potentia & in actu, nec alia essentia est differentia nisi quæ in generis formalis potestate continetur. Hoc ergo substantiale vt in pluribus est, & hoc impossibile est deesse rei illi cui est substantiale. Hoc autem patet in formalibus, sicut ratio ineſt homini, & sensus animali, siue horum similia in aliis. Et in accidentibus quidem exemplum est vt continuum in continuis est linea, superficie, & corpore: & discretum in discretis oratione & numero. Si autem hoc quod dictum est, substantiale est, quod confert esse rei, & quod non potest abesse rei: tunc substantialium quoddam est sicut materia, & quoddam sicut forma, sicut corpus quidem substantiale est homini sicut materia, anima est substantiale homini sicut forma, & sicut est corpus homini substantiale, & anima similiter. Et quia naturali compositioni respondet compositio logica siue rationalis, & ideo ratio siue rationale esset substantiale homini, & animal genus similiter. Hæc autem in aliis expedita sunt in scientia libri qui de categoriis inscriptus est. Sed hîc aliquid de his dicere oportuit: quia per ista accipimus principia qualiter quædam in sex principiis habent ordinari, &

Vera compositio est ex materia & forma: sed compositis ex genere & differentia, est quædam compositio, & non simpliciter.

Differentia est in genere vt in inchoatione, ex quo per intellectum agentē educitur.

Compositioni naturali correspondet compositio logica.

Quare hic diffinuit substantiale.

ri, & quædam excludi à talium coordinatione: quæcunque enim ab aliquo principio sic pendent, quòd principium illis confert esse, & quod esse eorum non potest esse sine illo principio, procul dubio hæc sunt de talium principiorum coordinatione. Quæ verò non respiciunt ipsa nisi fortè per accidens, ad aliud sicut ad genus & principium ordinantur, vel fortè secundum aliud sunt in vno, & secundū aliud sunt in alio: nihil enim prohibet vnum & idem esse in diuersis prædicamentis secundum diuersa quæ sunt in ipso: quorum vnum fortè est substantiale, reliquum autem accidentale, sicut corpus album bicubitum, quod in eo quod corpus est, in substantia est: in eo vero quod album est, & quale & qualitas est: & in eo quod bicubitum, est in prædicamento quātitatis. Et hoc iam sæpius in aliis tam isagogis quam in categoriis determinatum est. Hac igitur de causa à nobis hîc de substantiali & accidentali introductum est.

Non inconuenit idem esse in pluribus prædicamentis secundum diuersa quæ sunt in ipso.

CAPVT V.

De origine formarum, verum sint à natura vel ab operatione artis.

VIdetur autem quædam forma siue sit substantialis, siue sit accidentalis (quæ vt vniuersale accepta est, & sicut est idem toti de quo prædicatur) à natura esse producta. Quædam autem ab actu siue artis operatione. Ratio enim siue rationale forma est à natura in ipso rationali producta. Similiter etiam quæ in accidentium formis. Color enim forma est naturalis à natura producta. Et similiter passio alia in genere qualitatis, sicut color, odor, & sapor, & huiusmodi, & sanitas, & ægritudo: in omnibus enim talibus patet, quod hæ formæ tam substantiales quam accidentales à natura sunt. Aliæ autem formæ ab actu siue ab operatione nostra sunt, sicut domus, & cyphus, lectulus, & huiusmodi. In quibusdam dubitatio est, verum à natura, an ab actu siue opere artis incipiant, sicut in figura incisionis, sicut quando sculptus est lapis vel Hector. In talibus enim ratio dubitationis est: quia quòd à natura tales figuræ sint, videtur ex hoc quòd ars in talibus nihil apponit ad materiam: & ideo quod per naturam insuit, manet: quia quod ars in talibus facit, totum consistit in auferendo & separando partes quasdam à subiecto. Et quia nihil de opere artis apponit, non videtur esse de opere artis in figurato. Et ideo tales figuræ videntur esse à natura, & non ab arte.

Dubitatio text.

De figura incisionis virum sit a natura, vel ab arte

Ad hoc autem dicendum est, quòd in talibus figuræ hoc est subiectum, & materia figuratum non est ab actu siue ab opere artis. Sentiti autem figuras & apparere, est ab actu siue artis operatione: id enim quod in materia est, totum à natura est, cui nil ab arte additum est. Sed additur separatum ab ipso. Et si ab his quæ in toto naturalia sunt, aliqua separentur & nihil addatur eisdem, ea quæ relinquuntur, naturalia & à natura sunt. Figura ergo talis secundum omnia quæ in ipsa sunt, videtur esse à natura. Quod autem visu sentiatur sic vel sic lineis terminata, non potest esse nisi ab actu & artis operatione: quia natura non fecit talem linearum terminationem. Hoc autem quod dicitur, valet idem ac si dicatur, quòd materia figuræ à natura est, & ipsa figura prout figura terminatio est quanti, est ab actu, siue artis operatione. Et hæc est veritas: quia quamuis ars nihil addat materiale, tamen separando confert ad esse figuræ; ad cuius esse formale magis confert partium separatio quā appositio alicuius materiæ: quia figuram non dicimus esse tale quid quod habeat materiam ex qua sit, sed in qua sit tantum. Ad esse autem formale figuræ magis confert ablatio siue separatio partium materialium, quam collatio partium materialium aliquarum.

Siluius.

Quomodo figura incisionis est ab arte, & quomodo à natura.

Sed quamuis sic dicamus de figura incisionis, quæ in separatione partium subiecti consistit: tamen constat, quòd quæcunque talium figurarum coniunctionis est & non separationis tantum, sicut dicimus domus figuram lectuli vel tripodis & huiusmodi, quia in illis aliquid ars per appositionis modum operatur, istæ ab actu & operatione sunt artis & non naturæ. Sic ergo dicendum est de figura incisionis, quæ sola partium incisione producitur ad actum. Sic ergo quæ sunt sicut figura incisionis, manifestum est. Et ideò dixit Empedocles in omnibus quæ formam ab arte sumunt, naturam esse materiam, formam vero accidens. Si planteretur lignum lectuli, non pullulabit lectulus, sed lignum. Cum igitur natura sit ex qua pullulat pullulans, erit natura lignum, & non forma artis quæ est in lectulo.

Figura coniunctionis est ab arte, & non à natura.

Dictum Emped. & etiā Auer. 2. de anim. com. 8.

Vide 2. phy. sic. 2. & com. 13.

Talis autem determinatio non valet in cōmunibus siue in vniuersalibus, quæ sunt in pluribus, & sunt de pluribus, quæ prædicantur de illis: essentia enim communis siue vniuersalis eorum quæ in pluribus sunt, prædicata de illis, non potest esse ab artis operatione: quia talem essentiam impossibile est esse ab artis operatione, cō quod omnis forma artis est accidens; talis autem forma substantialis est, & per se ineſt illis quorum est forma. Adhuc autem talis forma communis à natura nō videtur fieri: iccirco quod ea quæ à naturæ potentia producuntur, ab actu creantis & generantis videntur fieri, & principium sumunt à creante vel generante. Creantis autem & generantis tunc semper est particulare & non vniuersale. Non igitur ab opere naturæ sunt, vt videmus. Si autem dicatur, quòd creaturæ sunt huiusmodi formæ vniuersales & communes, palam statim potest esse cuilibet, quòd hoc nō est verum: quia cum terminus creationis siue generationis non sit vniuersale, sed particulare, nihil potest assignari rationis, nihil exempli qualiter commune sit creatum vel generatum. Oportet igitur dicere, quòd naturales, & à natura huiusmodi formæ sunt perfectæ, & non ab artis operatione vel à proposito.

Virum vniuersalia sint à natura, vel ab arte.

Solutio text.

Quomodo vniuersalia sunt à natura, sed naturā in ipsis occultè operatur.

Sed dicendum videtur, quòd natura in talibus occultè operatur, & hæc est natura particularis; in agente quidem & patiente intendit

dit hunc & producit: vniuersalis autem quæ hunc ordinat ad esse diuinum, intendit simplex & vniuersale. Et quia natura vniuersalis operatur in particulari, ideò quoniam natura particularis producit hunc, & quia hic est homo, natura vniuersalis producit hunc in homine, & sic de alijs. Et hoc modo per consequens producitur id quod est vniuersale, quamuis non sit vniuersale secundum quod est in isto, sicut in scientia de vniuersalibus dictum est. Est autem vniuersale aptitudine existendi in multis siue pluribus. Cum autem actu per generationem diuidatur materia, efficitur in pluribus actu, & hoc facit natura occultè.

Duplex causa, quòd natura occultè operatur in vniuersalibus.

Duabus autem de causis natura in his occultè dicitur operari: quarum vna est, quòd actus semper particularium sunt. Et ideò natura particularis operans est manifesta. Sed cum particularis operatur natura, non operatur nisi virtute naturæ vniuersalis quæ est in ea occulta, & non nisi per intellectum considerata: & sic natura vniuersalis est operans occultè. Secunda autem causa est, quod operatur à natura est particulare sentibus manifestum: id autem quo est illud habens formam speciei & naturæ, est occultum, & per consequens generatum: & ideò hic generat hunc, & hoc est manifestum. Sed quia hic generans est homo, ideò hic genitus est homo: quia aliter generatio non esset vniuoca: & hoc est occultum quoad nos, solo intellectu acceptum: & ideò dicimus naturam occultè in talibus operari. Sicut enim ex coniunctione plurium vnam rationem vnitatis habentium (sicut plures equi, aut plures homines) efficitur quædam discretionis constitutio, quæ priorum (ex quibus illa fit coniunctio) conficitur, quæ vniuscuiusque illorum excedit quantitatem discretam, ita quod omnia simul sunt maioris quantitatis quam singulum illorum: sic ex discretione singularium quæ vnum sunt in specie vel genere (quando comparantur adinuicem in forma in qua essentialiter similia sunt) vnum commune omnibus intelligitur: quod tamen in singulis est totum, quod singularium priorum excedit prædicationem in hoc quod quodlibet singularium de vno solo, illud verò (quod similitudo eorum est) de multis prædicatur. Propter quod omnis communitas talis naturalis est: quia ex singularitate, hoc est, ex singularium essentiali similitudine procedit. Et sic singularitas in vno, similis causa est communitatis. Natura autem est causa talis singularis. Et ideò natura causa est communitatis: quia quicquid est causa causæ, est causa causati à causa illa per aliquem modum. Singularitas autem creationi siue generationi coæquatur: quia tam inuis generationis & creationis est singulare.

Natura aperta non artis quandoque attingit.

Subtiliter autem speculantes sicut naturam in operationibus vel in actionibus artis operari inuenimus, eò quod in animalibus rationis expertibus inuenimus naturam operam artis attingentem, sicut in casulis apum & nidis hirundinum; & hoc habet natura inquantum est opus & instrumentum intelligentiæ. Sic etiam inuenimus creaturarum omnium creatorem primum operantem in creatura. Et hoc deprehendimus ex ipso actu creatoris. Videmus enim quòd numero quodam & proportione totam stabiliuit naturam, quæ proportio non nisi sapientiæ est creatoris. Quod enim intelligentia operatur ad hanc huius vel illius naturæ proportionem, non habet intelligentia inquantum intelligentia est, sed habet inquantum est diuina: hæc enim sapientia illius est qui cuncta proportionibus propriis disponit & producit & ordinat. Sed hæc hactenus à nobis ad explanationem dictorum dicta sufficiant. Alterius enim hæc & altioris sunt inquisitionis: pertinent enim & hæc ad hanc partem primæ philosophiæ, quæ est de causis vniuersalibus & primis.

CAPVT VI.

De formarum prædicabilium diuisione, de quibus hic intenditur.

FOrmatum vero, &c. His autem sic determinatis de prædicabilibus formis accipienda est formatum diuisio, vt sciatur de quibus formis intenditur in libro isto. Dicamus ergo, quòd forma quæ est vniuersale siue substantiale siue accidentale, alia quidem est in subiecto vt accidens, & dicitur de alio vt de subiecto, quod est pars subiectiua ipsius, & dicitur siue prædicatur in quid, vt scientia quidem in subiecto est in anima hoc modo quo accidens est in subiecto, & de subiecto dicitur, vt de grammatica quæ est scientiæ species & pars subiectiua. Et talis forma est accidens vniuersale subiecto in quo est in quale, & speciei quæ sibi subest in quid comparatum. Quædam verò forma in subiecto est vt accidens, & de subiecto siue de parte subiectiua nulla dicitur siue prædicatur, vt albedo Sortis. Et similiter his quæcunque formarum sunt sicut individua: hæc enim comparantur quidem ad subiectum in quo sunt, & de illo prædicantur in quale: sed non ad id quod subsit eis possunt comparari: quia individuo nihil subsitat, eò quod ipsum est vltimum subsitans. Quædam verò talium formarum de subiecto quidem dicuntur, in subiecto verò nullo sunt, sicut formæ substantiales quæ non sunt in subiecto vt accidens: quia conferunt ad esse, & eius quod est esse rei pars sunt. Dicuntur autem de subiecto: quia prædicantur in quale substantiale, vt differentia: vel in quid, sicut genus. Et huius formæ exemplum est sicut rationale & mortale, & aliæ differentiæ substantiales.

Earum vero formarum quæ quidem in subiecto sunt vt accidentia, & de subiecto indicibilia sunt, eò quod nihil substantiale subiectum sibi continent, vt accidentales formæ individuæ: alia quidem sensibilia sunt, hoc est, sensu proprio vel communi perceptibilia, alia insensibilia quæ nullo sensu proprio vel communi sunt perceptibilia. Sensibile enim est, quod sensu aliquo comprehenditur, vt albedo Sortis, vel sapor huius, vel calor, vel etiam percussio. Hæc sunt secundum sensum

sum tactus percepta, vel percussio quæ est sonus hic vel ille, vel dulcedo, vel odor, vel quæcunque talium, quod proprio vel communi sensu percipitur, vt magnitudo, vel figura, motus, vel quies, numerus, vel aliquid talium. Insensibilia verò sunt quæ non sensu, sed ratione simplici vel intellectu comprehenduntur, vt doctrina & disciplina, quæ secundum intellectum sunt in anima. Et similiter etiam virtus siue intellectualis, siue moralis, siue etiam œconomica. Nulla enim talium sensu perceptibilis est. Simpliciter autem siue vniuersaliter nihil quod est de numero eorum quæ de subiecto dicuntur siue vniuersale vt vniuersale est, sensibile est. Vniuersale enim secundum quod abstrahit ab hoc & ab illo, non nisi in intellectu est. Et ideo dicit Boët. quòd particulare est dum sentitur, vniuersale dum intelligitur. Hæc autem omnia in his quæ sunt de anima, habent determinari & declarari.

Ex his autem quæ iam hic per diuisionem posita sunt, manifestum est, quòd quædam quæ sunt de numero formarum particularium, sita sunt alicubi secundum partem determinatam in subiecto in quo sunt, sicut nigredo in pupilla oculi. Quædam verò talium particularium formarum tales sunt, quòd difficile est assignare secundum quam partem subiecti sitæ sunt, vt scientia, paternitas, & similia, vt filiatio.

Paternitas & filiatio in quo sint vt in subiecto.

Nisi fortè dicatur, quòd sitæ sunt in generantium & componentium complexione. Paternitas enim pro certo est forma relationis quæ secundum totum inest, & non secundum partem. Cuius causa est: quia ab actu generationis actiuæ innascitur generanti. Actus autem totius est, & non partis. Similiter autem filiatio inest secundum totum ei qui nascitur propter generationem passiuam quæ totius est. Sunt tamen secundum causam & non secundum subiectum hæc sita in complexione generantis, quæ complexio est causa complexionis seminis: & secundum causam sunt sitæ in compositione generantium, quæ compositio attenditur in situ & ordine membrorum in quibus semen manifestatur ad generationem, sicut sunt membra quæ dicuntur vasa seminaria.

Quomodo paternitas & filiatio sunt in complexione & compositione.

Scientia secundum habilitatem subi sita sit.

Scientia autem secundum actum quidem accepta, situm non habet: sed accepta secundum habilitatem, sita est in complexione scientis, quia subtilium humorum & spirituum magis sunt habiles ad sciendum: propter quod etiam Alexander dixit intellectum potentialem, præparationem quandam esse in corpore. Dicunt tamen aliqui scientiam sitam esse in toto, & non in parte: quia in ea est intellectus accipiens vt lumen intelligentiæ & phantasma à quo accipit: & sic esse dicitur in toto quod pertinet ad intelligentem: quia nec sine anima est, nec sine corpore, nec sine intelligentia. De his autem hic non multum curandum est, quia non sunt ad propositum.

Dē hac opinione Alexandr 3. de anim. com. 5.

Sufficientia decem prædicamentorum posita in textu.

Hoc autem aduertendum est: quia singula eorum quæ dicta sunt, notatio quædam siue notamen vel nomen est incomplexionis quæ est in voce. Singulum enim eorum nota est incomplexæ vocis, & non significatur oratione complexa. Hoc autem sic incomplexa voce notatum, aut erit subsistens, hoc est, substantia: aut alteri contingens, hoc est, accidens. Eorum verò quæ contingunt, hoc est, subiecto accidunt, singulum aut extrinsecus, hoc est, per extrinsecam causam aduenit substantiæ: aut simpliciter secundum esse & causam intra substantiam consideratur, sicut intra substantiam cui inest secundum esse & causam consideratur linea, superficies, & corpus quod est in trina dimensione: causatur enim quantitas à materia, & est de mensurantibus intrinsecus. Similiter etiam de qualitatibus est, quæ causantur à forma & disponunt substantiam intrinsecus. Eorum verò quæ secundum substantiam extrinsecus contingunt siue aduenunt substantiæ, illa sunt aut actus qui est agere, aut pati siue passio, aut dispositio siue situs, aut esse alicubi siue vbi, aut in mora, siue quando, vt olim, heri, hodie: quia, sicut dicit Priscianus, tempus est mensura mutabilium rerum: & sicut quando causatur à tempore, vel sumitur secundum habere. Non enim plura sunt de extrinsecis accidentibus substantiæ: & ideò non sunt nisi sex principia: Hoc autem iam in antehabitis istius libri probatum est. De his autem prædicabilibus quæ subsistunt, vt est substantia, & ea quæ in genere substantiæ continentur. Similiter autem & de his quæ non extrinsecus aduenium, sed solum sunt secundum causam & esse in his in quibus sunt per existentiam, in eo libro qui de categoriis dicitur siue inscribitur, sufficienter est disputatum & determinatum. Et similiter de aliquid, quod vt frequenter per intrinseca innascitur. De reliquis verò quæ per extrinseca substantiæ frequentius aduenium (quæ etiam ideo prædicabilium nomen non habent, sed principiorum, eò quod non prædicant aliquid simpliciter inhærens, sed quod aliqualiter se habet ad aliud) continuè in sequentibus erit dicendum.

CAPVT VII.

De inuentione formæ ad intellectum dictorum.

AD intellectum autem omnium quæ dicta sunt, sciendum est, quòd formæ nomen & rationem primi inuenerunt Stoici, & ante eos qui Philosophi fuerunt Epicuri, omnem causam ad materiam referentes. Videntes enim quòd nihil est in materia per quod id quod formabile formatur, & quòd materia formabilis formantis se formæ causa esse non potest, dixerunt formas à materia esse separatas: eò quod quæcunque sunt in materia formæ, in materiam inductæ sunt: & idcò non possunt esse causæ formationis materiæ. Id enim quod per se & substantialiter & secundum seipsum causa est formationis, non est formatum, sed formans secundum seipsum: & ideò tales formas indifferenter formantes extra materiam esse posuerunt, & separatas in lumine primorum agentium intellectuum existentes: ex quibus sicut ex quodam sigillo omnium formæ quæ formantur, produci habent.

Quantitas causatur à materia, & qualitas à forma.

Qui primitus inuenerunt nomen & rationem formæ.

Has

Has autem formas [illegible] omnia formabilia & formantia, & omne agentium intellectum [illegible] formandi & ideo [illegible] esse principia formalia [illegible] vera hæretica sectatio & [illegible] lolii color expandit vel [illegible] colorata [illegible] secundum [illegible] ut & verum est quod doctores non [illegible] tendit, sed ni attentu[illegible] humanis expiandantur super corpora [illegible] propter quæ [illegible] Pythagoræ [illegible] est, superemmanentem nominaverunt. Hoc [illegible] modo dixerunt à separatis formas: per intelligentias agentis [illegible] formas, efficientes materiales, & ideo materiales formas non vere dici formas, sed veraciter formarum imagines: sed tam separatas, quam imagines earum de rebus prædicari: separatas quidem, eò quod in materia lumine intelligentiæ, quod penetrat omnia est rerum, infunduntur omnibus, & faciunt esse, & sunt principia cognoscendi ipsorum: imagines autem ideo quod sunt similitudines illarum, & sunt in materia secundum esse, & mutabiles secundum mutationem materiæ. Sed quod imagines sunt principia cognoscendi ea quorum formæ sunt, hoc habent à formis separatis, quæ stabiles & certa sunt causæ rerum.

Hæretica sectatio circa de anima super text. comm. solus per dicta eius ibi per quæ concedunt Auicen. & Alexand. cum Auempace & Auer.

Expositio quorundam.

Talem igitur formam dicunt aliqui esse formam, quæ compositioni contingit, eo quod super compositum lumine intelligentiæ diffunditur: & quod hæc sit quæ simplex & inuariabili esse consistit, quia simplex est quod in lumine intelligentiæ est: & inuariabile est, quod variatione materiæ non variatur: quia quamuis materia varietur sub ista forma, tamen ipsa non innititur nisi lumini intelligentiæ, & non variatur, sicut videmus in arte à coloratis variatis non variari colores, eò quod soli innituntur lumini, quod est in perspicuo non inquantum est elementum, vel elementatum, vel corpus mutabile secundum formam, sed secundum quod perspicuum communicat cum perpetuo superius corpore. Hæc autem istorum expositio non facit ad propositum: quia talis forma non est diuisibilis in substantialem & accidentalem, nec vniuersalem & particularem.

Improbatio expositionis.

Expositio aliorum.

Ideo alij dicunt, quòd forma quæ est cõpositioni contingens, est forma accidentalis. Accidens enim est, quod est in aliquo quod perfectum est secundum esse, vt dicit Auicen. Et ideò etiam accidens est: quia totum esse & perfectum consequitur. Et quia id quod perfectum est, compositum est, ideo dicunt, quod hæc forma non contingit nisi secundum substantiam cõpositionis, vt scilicet compositio secundum accidens semper sibi præsupponat compositionem secundum substantiam. Qualitercunque autem hæc forma simplici & inuariabili essentia contingat, non est facilè probare: cum accidens, vt probat Aristot. in 11. prima philosophiæ, non sit essentia, sed esse: nec omninò est simplex essentia, in cuius ratione semper est subiectum nec materiale omninò esse possit, quòd secundum esse semper innititur ei quod continuè variatur. Ideo enim dicit Arist. quod non est eadem sanitas in mane, & in vespere: quia sanitas complexioni animalis innititur, quod continuè variatur propter agentium & patientium continuam actionem & passionem. Adhuc autem hæc forma accidentalis non recipit diuisiones formæ generaliter, quæ inductæ sunt.

Impropriatio eorum & quod diffinitio data de forma, non possit intelligi ut forma accidentalis. 5. physic. text com. 37.

Oportet igitur dici, quòd forma de qua loquimur sumus, sit forma quæ est vniuersale. Hæc forma totius forma est, & non partis, & compositio ipsa in composito materialis est ad illam, sicut compositum ex anima rationali & corpore materiale est ad hominem: aliter enim prædicabile non esset, nisi esset intentio non partis, sed totius: & hæc est forma rationis & logica. Forma vero quæ in physicis principium est, forma partis est, & non totius. Et quia hæc forma est totius, ideo diffinitio quæ talis formæ est, dicit quidditatem & continet in se tam potentialia quam actualia, & tã materialia relata ad formam quam formalia relata ad materiam, sicut animal rationale & mortale, animal enim potentiale & materiale est, alia autem sunt actualia siue formalia. Hoc est igitur compositioni contingere hoc modo quo dictum est ad minus compositioni eius quod est & quo est, de quibus in libro de causis habet plene determinari. Et hæc forma consistit & est essentia lumine intelligentiæ nitens, & consistens inuariabilis per se vel per proprium esse suum, variata per accidens secundum esse quod habet in hoc vel in illo. Hæc etiam forma diuisibilis est omni formæ diuisione quæ determinata est. Et hæc forma est, ratione cuius omne quod ordinatur in genere vel specie, rationem recipit suæ coordinationis. De hac igitur intelligendum est omne quod de forma hic dictum est.

Diffinitio datæ de forma est intelligenda de forma logica, quæ certatur formæ totius.

TRACTA

TRACTATVS II.

De actione.

CAPVT I.

An actio sit prædicamentum vel principium.

ACTIO vero, &c. His igitur quæ de forma dicuntur sic præmissis, iam de singulis quæ in categoriis dicta non sunt, restat dicendum. Et primum de actione quæ inter alia videtur cum his quæ extrinsecus substantiæ accidunt conuenire. Causatur enim à naturali potentia rei: naturalis autem potentia radicatur in ipsa rei substantia. Et attende, quòd quidam dicunt actionem non esse principium, eò quod principium nihil ponit ante se causans præcedens ipsum. Actio autem & agens & potentiam naturalem agentis ante se ponit per intellectum.

A quo causatur actio. Prima obiectio.

Secunda. 3. physic. text. com. 11.

Dicunt etiam, quòd Aristot. dicere videtur, quòd actio & passio idem sunt numero, sicut via quæ est à Thebis ad Athenas, eadem numero est quæ est ab Athenis ad Thebas. Sic cum actio sit comparatio agentis ad patiens, & passio sit econtra comparatio patientis ad agens, videtur actio idem numero esse passioni. Et sic ista duo principia non sunt dicenda duo, sed vnum & idem numero: diuersa tamen per terminos.

Tertia.

Adhuc quia motus est actus agentis quo mouetur patiens, & est actus patientis quo mouetur ab agente, videtur quòd motus sit vna natura actionis & passionis: & quorum vna est natura, illa sunt vnum videtur ex hoc, quòd actio & passio sint principium & prædicamentum vnum, & quòd hoc prædicamentum sit motus.

Quarta.

Adhuc etiam congruentius videtur esse, quòd motus sit prædicamentum quam actio: quia motus sic est actus mouentis secundum quem mota substantia agit: & sic videtur motus esse causa actionis in id quod subiicitur, quia si non moueret, non ageret in ipsum. Est ergo motus causa actionis, & sic principium respectu actionis. Congruentius ergo videtur dici, quòd motus sit prædicamentum, quã actio, vel passio.

Quare actio fuit primum inter principia.

Ad hæc autem & similia dicendum est, quòd actio est principium & primum inter principia, sicut dictum est: eò quod ab intrinseco formali causatur: passio autem causatur ab intrinseco materiali, & ideò posteriori modo se habet ad substantiam: & quia substantia composita ex formali & materiali consistit, & in omni natura, vt dicit Aristot. est aliquid quo est agere, & aliquid quo est pati & fieri, ideò substantiæ proprium est agere & pati. Et quod dicit, quòd actio ante se aliquid ponit, scilicet naturalem potẽtiam. Dicendum, quòd verum est, quòd præponit sibi naturalem potentiam secundum efficientem causam, sed non præponit sibi eam vt formale suæ communitatis principium. Efficiens autem causa, quia nihil sui ponit in effectu, necessè causa vnitatis rei nec diuersitatis in effectu, ideo non propter hoc impeditur, quin actio possit esse principium, & sit principium formale totius illius coordinationis, quæ rem suam dicunt vt facere vel agere: hæc enim non in prædicamento qualitatis, sed in genere actionis coordinantur: hoc enim modo decem genera dicuntur prima rerum principia, quia sunt primæ formæ, ad quarum modum prædicationis omnia sibi similia reduci habent, vt in illam communem formam coordinabilia.

3. de anima. text. com. 17.

Ad primam obiectionem.

Quod autem obiicitur, quòd eadem sit actio & passio. Dicendum, quòd non sunt eadem nisi in materia quæ est quidem in qua est actio sicut in subiecto ad quod dirigitur & ad quod terminatur actio agentis, & ipsa eadem materia quæ subiectum est passionis. Propter talem autem materiæ identitatem non oportet, quòd idem formale principium sit actionis & passionis, inquantum vnum est actio, & alterum est passio. Hoc enim impossibile est. Oppositi enim modi formales sunt actionis & passionis. Quia modus & forma actionis est sicut imprimentis & influentis. Modus autem passionis est sicut impressi vel influxi: propter quod etiam voces hæc significantes, diuersa sunt prædicamenta vel principia.

Actio & passio sunt idem in materia, licet formaliter distinguantur.

Et quod obiicitur de motu, dicẽdum quòd motus non sicut vna natura & vna forma est mouentis & moti, nec agentis & patientis. Est enim actus perfectus prout est actus mouentis & agentis: etiam est actus imperfectus prout est actus mobilis & patientis: & quia non est vtriusque vt vna natura, ideò non potest esse causa, quòd vnum sit principium vel prædicamentum actio in agente, & passio in patiente. Motus etiam in se non est vnius formæ & naturæ: quia non est alicuius speciei entis perfectæ, sed fluxus de natura in naturam, & de forma in formam, & de potentia in actum. Et ideo per vnitatem naturæ motus nihil probari potest de vnitate vel diuersitate principiorum vel prædicamentorum.

Ad tertiam & quartam. Nota quomodo motus est actus perfectus & quomodo imperfectus.

Motus non est vnius formæ.

Et quod obiicitur per similitudinem viæ duorum terminorum, quod eadem numero sit actio & passio. Dicendum, quòd non est simile:

male; quia in via substantia materiæ & substantia formæ manet eadem, nihil habens diuersum nisi terminos: motus autem secundum formam non manet idem. Vnde secundum alias formas mutatur id quod denigratur, & id quod dealbatur. Et similiter est quod secundum aliam formam est passum comparatum ad agens, & agens comparatum ad patiens: propter quod diuersa sunt prædicamenta. Actio enim semper est perfecti, secundum quod est in agente sicut in causa & subiecto. Passio autem semper est imperfecti, secundum quod est in patiente sicut in subiecto & mobili. Ex his omnibus igitur quæ dicta sunt, relinquitur quod actio sit speciale prædicamentum.

Actio est perfecti, passio autem imperfecti.

Vtrum actio an agere sit prædicamentum, & quomodo dicendum. Et de hoc vide supra in prædicamentis tract. 6. c. 1.

Differt autem agere ab actione in hoc, quòd actio dicit actionem vt conceptam: agere autem actionem dicit vt exercitam. Et hoc modo secundo est prædicamentum. Quia sic specialem modum dicit prædicationis, qui ad alium aliquem de decem modis prædicandi reduci non potest: qui modus vt voce designatur, dat vocem primam quæ est vna decem vocum vnius primorum generum significatiua. Actio autem vt conceptus designatiua, non dicit illum modum prædicationis: & ideo nomine actionis principium illud non propriè designatur, sed agere nominatur verbaliter significando, quia non designat actionem vt exercitam.

Differentia inter agere & facere.

Attendendum etiam, quòd quamuis agere secundum Aristot. in 6. ethic. differat à facere: agere enim sit actione pertinente ad voluntatem vel electionem, facere autem est operari super alienam vel extrinsecam materiam: tamen prout hic sumitur agere & facere, pro eodem accipiuntur. Vnum enim modum in communi habent prædicationis, ad quem ordinantur omnia prædicabilia ipsorum secundum genus & species. Omne enim illud quod procedit continue ab agente vel operante in patiens, vocatur hic actio vel agere. Et hoc est quod dicit Auer. quòd actio est effectiua comparatio agentis ad patiens. Sic enim actio est fluens operatio ab agente in patiens: & idcò quia est agentis forma fluens in patiens, ideo mouetur patiens: sicut mouet generans per se vel per accidens id in quo inducit formam suam: & hoc mouens est agens, & motus mouentis est actio eius. Et similiter intelligens est agens, & intelligere actio est: & faciens est agens, & facere est actio eius. Et in hoc ambitu communitatis dicit agere vel facere genus generalissimum principium quoddam: & vox ipsa significat vnam primarum rerum quæ communitate sua multa, vt genera, & species, & individua complectitur vna coordinatione sub primo communi contenta. Cuius subalterna genera sunt agere, quando propriè accipitur quod actio est operatio electionis. Et alterum genus est facere secundum quod facere est in extrinseca materia per artem operari. Species autem sunt sicut secare ligna vel corpora, & sicut vrere, & huiusmodi. Individua verò sunt sicut sectio facta à Sorte hæc vel illa, & alia huiusmodi. Hoc igitur accidens prædicamentum ad nullum aliud genus est reducibile, & secundum hunc modum actio est in agente, sicut in causa, non quidem vt stans & quiescens in ipsa, sicut quantitas vel qualitas vel relatio, sed est in agente, vt procedens vt fluens ab ipso continuè in patiens.

Agere vt communius ad agere & facere propriè est genus ipsorum.

Quæ sint eius individua generalia & species & individua.

Actio est in agente vt in causa & non vt in subiecto, sed est in passo vt in subiecto.

Adhuc autem attendendum est, quod vniuscuiusque perfecti secundum formam forma dicitur actus & ab actu nomen verbale formatur actio: & ideo actio est secundum formam agentis operatio procedens ab agente in patiens. Et ideo forma semper est principium actionis. Sic igitur accipiendum est actionis prædicamentum siue principium.

Actio est nomen verbale secundum formam formatum ab actu.

CAPVT II.

Quid sit actio secundum diffinitionem.

Actio autem in tali communitate generalissima accepta à Gilberto Porretano sic diffinitur, Actio est secundum quam in id, quod subiicitur agere dicimur. Est autem qualiscunque hæc descriptio assignatio maioris declarationis quam nomen. Et cum dicitur, secundum quam, importatur modus causæ formalis. Agens enim informatur actione cum actio nil sit nisi effectus processus potentiæ agentis secundum formam quæ est principium actionis & passionis: eò quod omnis actio vt actio transit in patiens, & omne actiuum hoc modo est transitiuum. Quia autem in patiens transit, ideo additur, in id quod subiicitur. Subiicitur enim agenti patiens quod suam recipit actionem. Et agentis virtus prævalet super ipsum & imprimit ei per actionem formam. Et quia virtus agentis penetrat in patiens & transmutat ipsum, ideo dicitur, in patiens, & non ad patiens, vel supra patiens. Dicitur autem, agere dicimur, vt denotetur, quòd agens hoc modo denominatur ab actione sicut subsântia denominata recipit accidentis prædicationem: & sic agens ab actione denominatiuè dicitur & prædicatur, & est prædicatio accidentis de subiecto in quo est: hoc enim modo subiectum cadit in diffinitionem accidentis, vt docet Aristot. in 7. primæ philosophiæ. t.c. 17. Sic dicitur secans in id quod secatur: & sic dicitur vrens in id quod vrit, quia vstio procedit ab ipso in id quod vritur: & sic est in aliis.

Actio est secundum quam, &c.

Quare dixit secundum quam.

Quare dixit in id quod subijcitur.

Quare dixit ad id, & non in id.

Quare dixit agere dicimur.

Sunt tamen quidam sophistæ obiicientes cõtra inductam assignationem, dicentes quòd qualitas quæ est naturalis potentia, est secundum quam in id quod subiicitur agere dicimur: & sic videtur naturalis potentia actio esse.

Hic colligitur, quod actio sit in agente vt in subiecto, vt in fine cap. præcedentis videtur allegare.

Prima obiectio.

Adhuc, Forma est secundum quam in id quod subiicitur agere dicimur: & sic forma videtur esse actio, quod est falsum.

Secunda.

Adhuc, Ars est secundum quam in id quod subiicitur, agere dicimur: & ita ars actio videtur esse.

Tertia.

Adhuc instrumentum, vt gladius, vel fossorium, est secundum quod in id quod subiicitur

Quarta.

citur agere dicimur: instrumentum ergo actio videtur esse.

Quinta.

Adhuc, Manus vel pes est secundum quem in id quod subiicitur agere dicimur: ergo tale membrorum actio esse videtur.

Solutio prima.

Ad omnia autem hæc & his similia soluitur per inductam istius assignationis explanationem, quod scilicet cum dicitur, actio est secundum quam in id quod subiicitur agere dicimur, hoc quod dico (secundum quam) notat agentis formalem denominationem, vt à secando dicitur secans, & ab vrendo dicitur vrens, & sic de aliis. Et in actionibus animæ à docendo dicitur docens, & ab intelligendo intelligens, & sic de aliis. Hoc enim quamuis sine passione non fit, quia recipere pati est: tamen prout intelligere est processus actualis intellectus in intellectum ista dicuntur actiones a quibus agens denominatur. Hæc igitur est solutio ad prædicta: quia secundum naturalem potentiam non dicimur agere secundum actum. Sed nota, quòd naturalis potentia potentiale principium est actionis.

Quid notetur by secundum quam.

Nota quomodo intelligere est actio: & quomodo est passio.

Secundum naturalem potentiam non dicimur agere: quia ipsa est potentiale principium actionis & non actualis.

Ad secundam.

Similiter etiam soluitur id quod de forma obiicitur, quòd cum dicitur, quòd forma est secundum quam agere dicimur, hoc quod dico, secundum quam, non notat id quod formaliter denominat id quod est agens secundum actum, sed notat tunc id quod perfectum est vt agere possit: & ideo forma quæ est principium actionis, non denominatur agens vt est agens in effectu.

Ad tertiam.

Hoc etiam modo soluitur id quod de arte obiicitur: quia ars non dicit nisi facultatem ad actionem, & non dicit id quod est actu agens.

Ad quartam Equinitatem.

Similiter soluitur id quod obiicitur de instrumento. Instrumentum enim non facit agere agentem, nec denominat ipsum, sed dicit causam mediam coadiuuantem in actione. Et ideo hoc quod dico, secundum quam, non vniuocè sumitur in diffinitione & obiectis contra diffinitionem.

Obiectio.

Si autem aliquis obiiciat dicens, quòd hoc dico, secundum quam, infinitum est, & ideo non est causa notitiæ, sed potius ignorantiæ: diffinitiones autem causa innotescendi fiunt: & sic hoc quod dico (secundum quam) non potest esse actionis diffinitiuum. Dicendum igitur, quòd quia actio est vnum de primis principiis, ideo non potest habere diffinitum & certum aliquid per quod diffiniatur: sed infinitum potest habere, quod tamen finitè determinetur ab eis quæ in oratione eadem posita sunt. Et hoc modo determinatum & diffinitum potest esse innotescendi principium.

Soluitur.

Et si obiicitur, quòd idem ponitur in diffinitione suiipsius cum dicitur, actio est secundum quam agere dicimur: agere & actio in re non differunt, quamuis differant in modo significandi. Dicendum est ad hoc, quòd agere per modum significandi dicit actionem vt exercitam, & hoc modo notior est nobis quam sit quando significatur vt conceptus quidam: & sic diuersificatum ponitur agere in diffinitione actionis.

Obiectio.

Solutio. Quomodo agere ponitur in diffinitione actionis.

Si autem adhuc quis obiiciat dicens, quòd hæc diffinitio non valet, cum non data sit per genus & differentiam: diffinitiones enim per genus & differentiam debent dari. Attendat qui sic obiicit, quòd diximus istam diffinitionem non esse, diffinitionem propriè, sed diximus esse qualemcunque assignationem, quæ maioris declarationis est quam nomen. Tales autem assignationes non dantur per genus & differentiam, sed per alia, sicut accidentia, vel causam, vel effectum, vel signum. Et generaliter per omnia illa quibus aliquo modo innotescere potest assignatum melius & expressius, quam innotescat per nomen. Sic igitur actio est secundum quam in id quod subiicitur agere dicimur.

Obiectio.

Solutio. Diffinitio actionis non est propria diffinitio, sed quædam assignatio.

Assignationes quæ non sunt veræ diffinitiones, possunt dari per accidentia, vel causam, vel effectum, vel signum.

CAPVT III.

De diuisione actionis in actionem corporis & in actionem animæ.

Est autem, &c. Actio autem sic in genere accepta, diuiditur in actionem animæ, & in actionem corporis, siue in actionem animalem & actionem corporalem: hæc enim sunt primæ & formales differentiæ actionis. Et hoc modo actio animæ dicitur omnis actio non corporalis, siue sit intellectus, siue sit animæ, vt viuificare, mouere prout anima mouet motu processiuo, vel vegetando, vel sensificando, hoc enim viuificare est: & talis actio est non corporalis, quia non est secundum aliquam formam corporis, & quando nominat agentem, non denominat aliqua forma corporali, sed forma vitæ alicuius, vt viuens, vel dirigens, vel augens, vel aliquid tale. Actio autem corporis denominatur à corporali forma, sicut dicitur calefaciens, vel dealbans, vel aliquid tale. Istæ igitur primæ sunt differentiæ & species actionum, omnem actionem sub se continentes. Omnis enim actio hoc modo aut est animalis, aut corporalis. Et hæc sunt subalterna genera & subalternæ species huius prædicamenti.

Prima & formales differentiæ actionis quæ sunt, & quæ sit actio anima.

Actio corporis quæ sit.

Differt autem actio corporis ab actione animæ in hoc, quòd actio corporis necessariò est mouens ipsum in quo est sicut in causa & subiecto: & illud non est agens nisi motu suo agat: & immobile existens nihil agit: quia sicut dicit Arist. in 16. animalium. Si non tangit, non agit, & sic non sequitur alteratio. Et quia corpus non agit nisi motu suo, oportet quod in actione corporis ipsum agens mobile sit, & vt moueatur id corpus in quo sicut in agente denominato ab ipsa actione est ipsa actio: sicut secans non secat nisi moueatur, & vrens mouetur ipsa vstione actiua: oportet enim quòd accedat ad id quod vritur, & accedere est moueri. Aliquo igitur modo moueri inuenitur, quod corporali agit actione. Anima autem talia incorporalia dũ agit, immobilis est & non mouetur: mouet tamen corpus viuificando, & mouendo secundum locum in motu processiuo & aliis vitæ motibus est ipsa immobilis. Cuius causa est: quia essentialis sibi est om-

Quomodo differt actio corporis ab actione animæ.

Ex quo tangit, quòd actio corporalis sit per contactum.

Quod agit actione corporali, aliquo modo mouetur.

Quare anima

ma immobilis sit, cum corpus ma-
neat: corpus autem cum mouet, ne-
cesse est mouere.

nis actio vitæ, & anima per substantiam suam & secundum seipsam mouet motu vitæ, & non indiget vt ad aliquid moueatur quo accipiat formam vel locum secundum quem fiat motus principium: propter quod agit propria animæ actione sine motu quo moueatur. Sic autem actio non est in corpore: quia corpus per seipsum non est agens principium: & ideò indiget motu quo moueatur ad formam qua fiat agens principium, & sic indiget instrumento quod ab eo qui vtitur ipso, formam motus accipiat. Et ideò manus mota prius ad formam motoris mouetur vt motu corporis inducat formam primi motoris in patiens. Animales autem actiones simplices sunt, quibus anima per seipsam est causa: & ideo tales actiones agens non oportet moueri animam. Hæc igitur differentia est inter animæ & corporis actiones.

Quod anima sit immobilis motu corporis, probatio inductiua.

Quod autem anima immobilis sit motu corporis, probatur inducendo. Anima enim dum agit, non mouet id in quo est actio, sicut animam, sed coniunctum. Ipsa verò anima dum agit, immobilis est: & quamuis sit immobilis; tamen mouet corpus motu vitæ & motu secundum locum si sit perfecta anima. Anima verò in seipsa permanet immutabilis, & non mouetur motu quo mouet. Et ideo in suo ordine probatur esse mouens principium. Non enim mouetur anima secundum locum, nec secundum aliorum motuum quemquam, incrementum suscipiendo vel diminutionem, cum non sit quanta. Nec mouetur recto motu de loco vno ad oppositum locum transeundo: locus enim locans corpus est, cuius superficies locans locus est, & in se non locat nisi cui principium & medium & finis assignatur secundum partes loci circumscribentis. Anima autem est non corpus, nec habens principium, medium, & finem secundum loci terminos. Non ergo potest secundum locum moueri. Et propter hoc nullam loci mutationem potest suscipere anima: non enim mouetur aliquid secundum locum hoc modo nisi corpus, & mouetur secundum locum in eo quod transit de loco ad locum. Non ergo aliquo modo mouetur anima, nisi forte motu alterationis, qui tamen motus, vt in antehabitis diximus, non est animæ, sed coniuncti, in quo tamen aliquo modo communicat anima, sicut in præhabitis determinatum est.

Anima non mouetur, nisi forte motu alterationis.

Obiectio.

Obiiciunt tamen quidam contra prædicta: quia superiora corpora mouent inferiora: & tamen motu illo non mouentur. Si autem superiora corpora mouent, constat quòd est motus corporis, & non mouent motu corporeo. Sed ad hoc dicendum est, quòd corpora superiora mouent motu virtutis suorum motorum, & sic agunt mota & acta motu & actione motoris sui. Vel dicatur, quòd talis motus est virtutis quæ est à specie: & sic quamuis sit corporis, tamen non est qualitatis corporalis, sed virtutis incorporeæ. Et ideo in ipso non est necesse corpus moueri: quia non est corporalis actio, sed incorporea.

Solutio.

Aliter.

Dubium.

Adhuc autem dubium videtur, quòd videre, audire, & sapere, & imaginari, sunt animæ actiones: & tamen in his omnibus mouetur id in quo est actio, & non est immobile. Sed hoc leue est soluere: huiusmodi enim actiones omnes vere & secundum materiam sunt passiones; quia omnes in corpore consistunt potius quam in actione. Et cum in talibus est id quod mouetur, non mouetur motu physico, sed potius motu intentionis qui est motus secundum rationem.

Solutio.

Siquis autem quærat, qualis sit ista diuisio actionis in actionem animæ & actionem corporis: Dicendum est, quòd si corpus non dicat nisi agens, & anima similiter: tunc diuisio accidentis est in subiecta. Si autem dicat anima agens, & corpus agens formam actionis, ita quòd actio animæ sit actio secundum rationem animalis, corporis autem actio sit actio corporalis: tunc diuisio potest esse generis in species: & sic sumitur hic. Et ideo diximus, quòd ista diuisio dat prima subalterna genera in hoc generalissimo quòd est actio. Hæc est igitur diuisio actionis, ita quòd actio animæ est agentis immobilis. Actio autem corporis est agentis moti, eò quod corpus non agit nisi motum.

Dubium.

Solutio.

Qualis sit diuisio actionis data.

Obiectio.

Obiiciunt autem quidam contra ea quæ dicta sunt, dicentes, quòd substantia in eo quod substantia, nec est actiua, nec est passiua: eò quod actio & passio sunt contrariorum, substantia autem non habet contrarium. Videtur igitur, quòd actio nec sit animæ, nec nec corporis secundum quod huiusmodi. Ad hoc autem est dicendum, quòd (sicut ante dictum est) actio hîc largè sumitur, secundum quod etiam mouere est agere. Actio animæ idem est quod mouere: & sic competit animæ agere. Si autem actio sumatur strictè pro actione physica: tunc verum est, quòd actio est contrariorum & inter contraria. Actione ergo largè accepta substantia agit: quia, sicut dicit Damascenus, nulla substantia est quæ propria destituatur operatione. Et ideò probat Aristot. quòd vnumquodque habet actum & actionem propriam ad quam est virtus ipsius.

Solutio.

Quomodo actio hic diuisa non est inter contraria.

CAPVT IV.

De imagine in speculo vbi videtur esse instantia contra prædicta.

HOc autem, &c. Contra ea vero quæ dicta sunt, quod scilicet non potest non corpus corpore moueri, videtur esse instantia. Habet enim dubitationem in quibusdam, vtrum generaliter verum sit non corpus corpore moueri non posse: eò quod speculo (quod est corpus) immobile permanente, videtur in speculo fieri motus imaginis, quæ est non corpus, ad mutationes oppositas secundum locum: videtur enim moueri à dextro in sinistrum ad motum inspectoris speculi, & à profundo ad superficiem si inspector speculi accedat & recedat à speculo. Mouetur igitur non corpus motu corporis secundum locum, ita quòd principium, medium, & finis assignantur ei secundum locum. Et siquidem concedatur in speculo esse imaginem sicut in recipiente

Obiectio textus.

recipiente & sicut in loco: tunc vel impossibile, vel valdè difficile erit soluere dubitationem: quia tunc sequitur, quòd motu speculi imago moueatur: quia sicut dicit Aristot. mouentibus nobis mouentur ea quæ in nobis sunt, & vase moto necesse est moueri quod est in vase. Si autem in speculo dicatur esse imago, erit speculum locus imaginis sicut vas. Est enim locus vt locus, & est locus vt vas, sicut probatum est in 4. physic. Si autem dicatur in speculo non esse imago, quamuis hoc aliquo modo verum sit, tamen apud imperitum vulgus, quod iudicium sensus sequitur potius quam rationem, erit hic error intolerabilis, quia visus nuntiat imaginem esse in speculo.

4. top. c.

Com. 23.

Solutio obiectionis.

Ad hanc autem dubitationem soluendam oportet vti his quæ in libro de sensu & sensato, subtilius declarata sunt. Lumen enim per hoc quod est forma cælestis (cuius esse spirituale est) habet virtutem conferendi esse spirituale perspicuo ei quod materialiter est in corpore materiali terminato. Transparens autem terminatum politum & corrasum lumen sibi incidens reflectere habet ad purum angulum. Hic ergo contingit, quòd lux vel lumen imaginem abstrahit ab esse materiali, & in perspicuo dat ei esse spirituale, & hoc est esse lucis vel luminis. Incidens ergo in speculo terminato cum traducere imaginem per speculum non possit, à superficie polita speculi reflectitur: & sic apparet imago sub duobus sitibus: vno quidem luminis incidentis ab inspectore in speculum, altero verò situ luminis reflexi à speculo ad inspectorem. Et ideo imago illa est in corpore quidem inspectoris materialiter. In lumine autem perspicui quod est medium inter inspectorem & speculum, est sicut in deferente & secundum esse spirituale quod habet in lumine perspicui. In speculo autem est sicut in terminante radium incidentem, & reflectente radium reflexum ad inspectorem.

Quomodo imago est in speculo, & in perspicuo, & in inspectore, diuersimodè tamen.

Quomodo ejusdem imago in speculo terminato.

Propter quod motu speculi non mouetur: quia non est in ipso sicut in subiecto, sed tantum sicut in reflectente: & ideò est in ipso secundum punctum in quo fit reflexio. Et quantitas imaginis quæ apparet, quantitas est intentionalis, & non quantitas distensa per mensuram. Quantitatis autem intentio est indiuisibilis & inest secundum indiuisibile: propter quod totum hemisphærium apparet in paruo speculo & in pupilla oculi muris, quod esse non posset si imago distensam & materialem haberet quantitatem. Cum enim in angulo radij incidentis in superficie speculi & radij reflexi à speculo non sit nisi punctum, constat quòd in puncto videtur imago in speculo, cum tamen quantitas imaginis tota videatur. Et hoc esse non potest, nisi ideò quia imago quæ apparet, intentio est imaginis, & non imago, sicut dictum est. Et quia ad quemliber punctum speculi talis sit reflexio, ideò imago tota videtur in qualibet speculi parte & quoliber puncto.

Quare imago non mouetur ad motum speculi.

Quare in paruo speculo potest apparere totum hemisphærium, & quælibet res quamuis magna.

Imago quæ apparet in speculo non est propriè imago, sed intentio imaginis, & hæc apparet in puncto speculi.

Causa igitur imaginis est dicenda quod est contra speculum: & illo moto imago videtur moueri. Reflexio autem fit à speculi superficie, in qua non est imago, sicut in subiecto, sed sicut in puncto à quo fit reflexio. Et ideo cum mouetur speculum, non mouetur imago, sed in eodem situ successiuè puncta obiicientur à quibus eiusdem imaginis continuè fit reflexio. Et ideò imago speculi stare videtur immobilis.

Quod autem dicitur, quòd incredibilis error fiat in vulgo si imago in speculo esse non dicatur. Dici potest, quòd hoc verum est si nullo modo in speculo esse diceretur. Nos autem dicimus, quòd est in speculo per aliquem modum, scilicet sicut in repræsentante per reflexionem. Patet ergo qualiter adhuc stat in veritate inducta propositio, scilicet quod impossibile est non corpus corpore moueri. Sic ergo patet, quòd alia est actio animæ, & alia corporis.

CAPVT V.

De proprio actionis, quod est actionem in motu esse & motum in actione, & qualiter motus sit quale & qualitas.

SCire autem oportet, quòd ex quo motus est perfectus actus mouentis, & actio est effectus processus agentis in patiens, quo mouens imprimit motum in id quod mouetur, & actionem in id quod patitur: & sic mouendo agit, & agendo mouet: & sic omne quod est in motu, in actione est. In motu est secundum quod motus est actus mouentis: & actio quidem à mouente procedens in id quod patitur: & sic moueri à mouente est actio impressa ab agente. Si quid igitur hoc modo mouetur, agit necessario: quia virtute formæ mouentis seipsum agit ad formam agentis primi, sicut semen virtute generantis agit se ad formam primi generantis. Sic ergo generando omnis actio quandiu est in fieri ab agente est in motu, qui est actus mouentis in id quod mouetur: & omnis motus qui est actus perfectus mouentis, firmatur & stabilitur in actione quæ est in fieri, & est id quod procedit ab agente in patiens.

Mouens mouendo agit, & agendo mouet.

Propter quod proprium actionis secundum quod est in fieri, est esse in motu, secundum quod motus continuus est processus formæ mouentis in id quod mouetur: sicut etiam è conuerso proprium est motus secundum quod est actus mouentis, in actione esse secundum quod actio processus est formæ agentis in patiens. Sic enim separari non possunt physicus motus & actio: nec motus generaliter sumptus ab actione generaliter sumpta: quia hoc modo mouere est agere, & è conuerso. Hoc autem palam est in omnibus actionibus his in quibus aliquid agitur siue generatur ad formam agentis: quia in omnibus his continuis processus virtutis actiuæ & motiuæ in patiens & motum est actio, & motus est forma inducta post formam, vt dicit Auerroes. Et sic est actio post actionem.

Proprium est actionis in motu esse, & proprium est motus esse in actione.

Sed in his quæ corrumpuntur, in quibus continua

Obiectio textus.

continua est abiectio substantiæ fortè aliquis obiiciet, quòd ibi non sit actio, quamuis sit motus: quia in talibus nil agitur vt videtur, sed potius deagitur, vel corrumpitur id quod actum fuerat. Et ideo qui destruit, in motu quidem continuè est, & mouet id quod destruit, sed nil agere videtur: nil enim in talibus efficit, sed potius id quod factum est destruit. Solutio autem huius est, quod actio secundum quod est actus agentis, non exigit quid agat ad formam agentis, sed potius exigit in quid agat, hoc est, in quid imprimat suam actionem: & illam sic impressam patienti aliquando destruit, sicut quando contrarium inuenit ipsum patiens ad formam agentis: & aliquando construit, sicut quando aptat patiens ad formam suscipiendam agentis: & sic destruere est & agere: & sic relinquitur verum esse quod dictum est, quod omnis actio in motu, & omnis motus in actione fundatur. Est autem hîc considerandum, quòd hoc quod dictum est, non est verum secundum quod motus est actus mobilis imperfectus: quia sic moueri non est agere, sed pati: & si hoc modo actus in motu esset, cum motus hoc modo sit in patiente, sequitur quòd actio esset in patiente. Et quia id agit cui inest actio, sequeretur quòd patiens esset agens, & actio esset passiq: quæ omnia inconuenientia sunt: & ideò inconueniens est primum, ex quo sequuntur omnia hæc, scilicet quod actio sit in motu secundum quod motus est actus mobilis.

Solutio. Non omnis actio exigit quid agat cum quandoque solum destruat, sed semper exigit in quid agat.

Sed contra, istud consequens non videtur inconueniens, imo necessarium, vt dicit ipse supra in hoc tract. c. 2. Considera in hoc, & colue ex dictis supra.

Quamuis autem actio sit in motu quodammodo, & motus in actione: tamen actio non est motus, sed quale. Hoc autem probatur ex hoc, quòd quiescere est quale propter quod etiam motus simpliciter acceptus quale quoddam est: quod patet per hoc principium, quod quæcunque contrariorum suscipiunt oppositionem, illa eiusdem generis suscipiunt prædicationem, quia contraria sunt in eodem genere. Et ideo cum quiescere sit quale in qualitate, etiam erit moueri quale in qualitate. Actio autem non est quale vel qualitas. Actio igitur non est motus.

Quomodo motus est in omnibus generibus, & quomodo in quatuor tantum, & quomodo in genere qualitatis.

Est autem hic attendendum, quòd motus secundum quod est actus imperfecti, in omnibus est generibus: eò quod in omnibus est potentia & actus, & potentia exiens in actum mouetur, & motus est actus eius. Et cum potentia & actus sint eiusdem generis, sicut imperfectum & perfectum eiusdem naturæ sunt, oportet quòd motus hoc modo sumptus sit in omnibus generibus. Motus autem secundum speciem naturæ quæ mouetur, vel ad quam est motus, consideratus est in quatuor generibus, scilicet substantia, quantitate, qualitate, & vbi. Sed motus secundum quod est forma mouentis à mouente procedens in id quod mouetur, est qualitas secundum quam quale dicitur mouens: & hoc modo dicitur hic, quòd motus est qualitas: & hic est motus logicè sumptus. Sic enim quies est status in forma mouentis, quod est quale esse secundum morum & mouentis formam.

Dubita ib.

Sed tunc quæret fortasse aliquis, secundum quam speciem qualitatis motus sit qualitas? Non enim potest esse forma vel circa aliquid constans figura. Nec potest esse passio vel passibilis qualitas inferens vel illata, sicut cuilibet patet. Nec potest esse naturalis potentia vel impotentia: quia hæc in substantialibus est radicata. Relinquitur igitur, quòd sit habitus vel dispositio. Et hoc quidem est verum, maxime secundum quod motus est actus perfecti, & perfectus est habitus: secundum autem quod est actus imperfecti & imperfectus, dispositio disponens & promouens ad habitum qui est actus perfectus.

Solutio. Nota secundum quam speciem qualitatis motus sit qualitas.

CAPVT VI.

De proprio actionis, quòd omnis actio efficit passionem & qualiter generatur.

NAturalis verò, &c. Naturalis autem proprietas actionis quæ in ipsa natura actionis fundata est, & quæ omni conuenit & soli & semper, est id quod actionis est passionem ex se in id quod subiicitur sibi vt patiens inferre. Dicitur autem ex se: quia secundum quod est forma agentis secundum quod agens est. Et ideo hic secundum substantiam actionis hoc conuenit ei. Omnis enim actio passionis est alicuius effectiua: quia aliter non tenderet in patiens ab agente, nisi susciperetur ad transmutationem in patiente: & tale suscipere pati est, & susceptio est passio. Efficit ergo actio passionem, & omne quod per se & secundum suam substantiam passionem infert, est actio. Quamuis enim gladius & ignis passionem inferant, non tamen sunt passiones vel actiones: quia non faciunt hoc secundum substantiam suam, sed vt instrumenta, sicut in præhabitis dictum est.

Quare dixit ex se.

Sed contingit aliquando actionem effici & causari ab actione sicut calefacere ignis causa est, quòd lapis ignitus calefaciat: sicut etiam patet in his quæ per se mouentur vt animalia quæ principium sui motus habent in seipsis, & ideo per se mouentur, vt dicit Aristot. in 8. phys. Sæpè enim actio animalis quod per se mouetur, fit effectrix eius actionis quæ est actio per aliud. Verbi gratia actio illata ab animali aliquo, sicut impulsus, vel morsus, vel alicuius impetus, causatur ab actione ipsius animalis, sicut à cursu, vel ambulatione, vel pedis percussione, vel etiam dentium compressione, vel aliquo huiusmodi: & sic actio efficit actionem. Sumit enim principium actio alteri illata, ab ea actione quam agit animal in seipso.

Quomodo actio quandoque fit ab actione.

Ter. com. 27 & 28.

Et si fortè aliquis diceret, quòd animal non agit in seipso, sed potius patitur. Nil interest quantum ad propositam intentionem. Si enim dicatur pati, sequitur quòd hæc passio est illatio actionis. Et quod est causa causæ, est causa causati: vnde si passio est causa exterioris actionis, erit actio quæ illius passionis effectrix est, effectiua illius exterioris actionis. Et sic habetur, quòd actio aliquando efficit actionem, dummodo primus animalis actus vel prima actio principium sit passionis quæ exterioris actionis est effectiua. Quamuis autem actus

(qui

(qui est actio pura agentis) sit primordiale principium. Pati autem (quod causatur ab actione) principium permixtum: quia & factum est & facit: factum quidem ab actione prima, faciens autem actionem exteriorem, propter quod relinquitur quod actus (qui est actio prima) & passionis & actionis est generatiuus. Et huius est exemplum sicut ambulat animal, & ambulando colliditur, & collisum cornu vel pede ferit. Sic igitur contingit per accidens actionem esse factiuam actionis: per se autem passionis est factiua. Facere verò id quod quale est, &c.

Actio per accidens est factiua actionis: per se autem passionis est factiua.

Nihil est actiuum proprie nisi qualitas de tertia specie.

Nec tamen sequitur, quòd actio sit in prædicamento qualitatis: quia quod est causa efficiens alicuius, est extra ipsum, & ideo per ipsum non ponitur in genere. Sed si esset formale principium ipsius: tunc per ipsum posset poni in genere vel in specie. Hoc ergo modo facere vel agere gignitur à qualitate: & hoc modo non est inconueniens rem vnius prædicamenti à re alterius prædicamenti generari: cum tamen non propter hoc sit in eodem genere à quo causatur.

Remouet dubium. Nihil ponitur in genere vel specie per principium effectiuum, sed bene per formale.

Non inconueniens rem vnius prædicamenti, gigni ex re alterius prædicamenti: nec propter hoc sequitur rem esse in duobus prædicamentis.

Sic enim qualitatum quarundam particularium est effectrix positio, & etiam aliquarum quantitatum. Qualitates enim in specie consideratæ, sicut asperitas, vel lene, siue lenitas, & huiusmodi, qualia sunt à qualitate dicta. Et hæc causantur à positione, ex eo scilicet quòd partes in superficie secundum æquè vel non secundum æquè positæ sunt.

Qualitatū autem particularium, &c.

Similiter etiam à positione efficiuntur quantitates in particulari consideratæ, sicut linea, superficies, & corpus: partibus enim æquè in longitudinis specie positis causatur linea. Si autem ponantur ad duos diametros longitudinis & latitudinis, fit superficies. Si autem in tres, fit corpus. Quamuis ergo non generaliter qualitas & quantitas causentur à positione: tamen particulariter quædam qualitates & quædam quantitates causantur à positione. Nec tamen propter hoc sunt in genere positionis. Similiter autem quantitas est effectrix aliquando quantitatis, sicut linea corporis facit latitudinem, & trina dimensio corporis facit in corpore quod est substantia, longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Similiter autem qualitas aliquando facit qualitatem, & calor ignis facit calorem in aqua.

Quomodo qualitates & quantitates aliquæ causantur à positione: nec tamen propter hoc sunt in genere positionis.

Quomodo quantitas facit quantitatem, & qualitas qualitatem.

Situs autem siue positio aliquando facit pati & agere. Cuius exemplum est, quòd in dispositione componibilium in corporibus

Quomodo situs facit agere & pati.

quæ ex contrariis primis qualitatibus mixta sunt, fit plorum simplicium (quæ mixta sunt) continua quadam generatio vno alterum transmutante: quam generationem siue transmutationem necesse est in motiua actione, ita quòd continuè vnum moueat alterum, & moueatur ab illo, & continuè vnum agat in aliud, & patiatur.

Eius autem quod est vbi, locus causa est: cum tamen locus sit quantitas, & vbi sit aliud genus prædicamenti. Eius autem quod est quando, causa est tempus: & hæc sunt genera diuersa. Similiter autem eius quod est habere, vt indutum esse, vel calceatum esse, causa est aliquo modo corpus: quia habitus mutatur à corporis figura, & quæritur propter corpus. Et sic multiplicitet res vnius prædicamenti, causa est rei alterius prædicamenti. Nec tamen propter hoc effectus cum causa est in eodem genere.

Ei causatur à loco. Quando causatur à tempore. Habitus causatur à corpore.

Eorum verò quæ in subiecto (eo quod non sunt accidentia) causa quidem quare prima sunt, est corruptio sine generatione: quia prima creata sunt: quam creationem non præcessit generatio, sed secuta est corruptio. Corruptio autem causa est talium: quia si in esse indiuidui subsistere possent, non essent generabilia, sed in esse indiuidui manere non possunt, ideò generabilia facta sunt. Vnde generatio non fuit quidem in primis creatis, sed generatio fuit & est in his quæ mox subsistunt post primorum constitutionem. Statim enim in illis fuit generationis propagatio.

Eorum verò quæ in subiecto non sunt, &c.

Eorum verò quæ de his prædicata, &c.

Communium autem vniuersalium quæ de primis substantiis prædicantur quæ sunt secundæ substantiæ, causa sunt ipsæ primæ substantiæ secundum esse, à quibus nulla ex his est prædicatio: sicut omnes particulares homines sunt generatio illius hominis, qui est omnibus communis & ad omnes vniuersalis: quamuis enim secundum actum sit in quolibet, tamen secundum quòd actu communis est & actu prædicatur de multis vel de omnibus, tunc oportet, quòd singulis conueniat: & sic communitas à singularitate procedit, & generatur siue ex ipsa efficitur.

Communia fiunt à singularitate.

In omnibus autem his considerandum est, quòd est aliquando generatio vniuoca, sicut calor generat calorem. Aliquando autem æquiuoca, sicut positio generat qualitatem, & è conuerso. Aliquando autem generatio naturalis, sicut cum linea generat superficiem. Aliquando est generatio rationis & naturæ alicuius, sicut cum commune generatur à singularium multitudine.

Generatio vniuoca, æquiuoca, naturalis, rationis.

Omnia autem hæc inducta sunt ad hoc quod sciatur non esse hoc de coordinatione principiorum vel prædicamentorum, quod attendatur ratio ordinis secundum causam efficientem, sed potius secundum hoc quod inferius claudit in se superius actu & intellectu. Talis enim ordo necessariò fiat in vno summo quod est coordinatorum primum principium, & stat in quibusdam vltimis, quæ non sunt de intellectu alicuius.

Ratio ordinis in prædicamentis non attenditur secundum causam efficientem.

CAPVT VII.

De propriis communibus actionis & passionis.

REcipit autem, &c. Consequenter his quæ dicta sunt determinanda est actio per propria, quæ quidem omni conueniunt, sed nec soli conueniunt actioni: hæ enim passiones quæ propria sunt verè propter hoc hîc postponuntur, quia verè sunt propria principia, per quæ illa quæ causa sunt, probari habent de actione. Determinantes autem de his dicimus, quòd facere & pati recipiunt contrarietatem, & recipiunt magis & minus, siue intensionem & remissionem. Contrarietatem quidem recipiunt tam in effectu actionum, quam in substantia & forma: in effectu enim secare siue vrere seu etiam eradicare, contrarium est ad plantare, & sic actio actioni contraria est in effectu: & similiter plantari & secari sunt passiones contrariæ in effectu. In substantia autem actionis & forma calefacere contrarium est ad frigefacere, & exiccare ad humida facere: & in passionibus calefieri contrarium est ad frigefieri, & exiccari ad humida fieri. Sic etiam vrere contrarium est ad humidum facere.

Similiter autem actio & passio recipiunt magis & minus: calefacere enim magis & minus dicitur. Et est calefactio intensior & remissior. Similiter autem est in passione: quia calefieri & infrigidari est magis & minus intensiori & remissiori calefactione vel infrigidatione: & sic est in siccari & humidum fieri. Et similiter in passionibus illatis, sicut in tristari & gaudere dicitur magis & minus.

Obiectio. Siquis autem dicat tristitiam & gaudium non esse passiones quæ sunt in prædicamento passionis, sed potius in qualitate: & ideò non deberent hîc induci. Dicemus ad illum, quòd tristitia & gaudium non sunt sine motu & actione cordis & passione. Cor enim in his agit & patitur secundum motus, qui dicuntur diastoles & systoles: & secundum hæc reducuntur ad genera actionis & passionis. Hæc igitur de prædicamento actionis dicta sufficiant.

Solutio. Quomodo gaudium & tristitia reducuntur ad genera actionis & passionis.

TRACTATVS III.

De passione.

CAPVT I.

Quid sit passio secundum quod est prædicamentum.

Ratio ordinis. PAssio est, &c. Post principium quod est actio ponitur principium quod est passio sicut effectus post causam. Dicamus ergo, quòd passio quæ est prædicamentum, est effectus illatioque actionis. Duo enim sunt in passione, scilicet forma agentis à patiente suscepta: & quoad hoc est passio effectus actionis. Est etiam motus secundum quod est actus imperfecti & imperfectus in patiente: & hic motus continuè fluit à mouente in patiens quod mouetur: & quoad hoc est passio continua illatio actionis. Et hæc ambo simul faciunt, quia assignatio passionis est effectus illatioque actionis. Et sicut diximus in antehabitis, hæc non est vera passionis diffinitio, quia generalissima veram diffinitionem habere non possunt: sed est qualiscunque assignatio quæ maioris est declarationis quam nomen. Sicut autem in prædictis declaratum est, quòd cum dicitur, actio est secundum quam in id quod subiicitur agere dicimur: ita dicimus hîc, quòd passio est id quod infertur ab agente secundum quod est agens: & hæc est forma agentis vt agens est: & hæc variatur secundum formam agentis: & alia erit in agente per se, & alia passio in agente per accidens, & alia secundum agens æquiuocum, & alia secundum agens æquiuocum, & alia secundum actionem animæ, & alia secundum actionem corporis.

Quare dixit effectus, & quare illatio.

Passio non propriè diffinitur.

Hic colligitur idem esse actionem & passionem. Sed hoc generaliter verum est, quòd passio est secundum formam agentis vt agens est. Et ideo agens & patiens in forma communicant, & forma quæ est actus agentis, est passio patientis secundum quod ab agente est recepta: sed in agente est vt perfecta, in patiente est vt via ad perfectionem. Et hoc generaliter verum est, ita quod etiam verberans inferat ictum formæ imaginatæ ab ipso quando dedit ictum. Et ideo dicit Aristot. quòd in talibus est plaga ex plaga, & vulnus ex vulnere, & sic de aliis. Hæc est causa, quòd quidam dixerunt idem esse actionem & passionem, terminis tantum differentes. Sed de hoc in priori tractatu de actione satis dictum est.

Secundum quam hæc magis patiuntur, &c. Est ergo passio effectus illatioque actionis, secundum quam illationem actionis quædam quidem patiuntur quæ susceptiua siue susceptibilia sunt formæ agentis & actionis ad sui transmutationem: quædam autem minimè, hoc est, non passibilia, quæ scilicet formæ agentis

agentis & actionis ad sui mutationem non sunt susceptibilia, sicut ea quorum non est materia vna, vt dicit Aristot. hæc enim nec agunt, nec patiuntur adinuicem. Sed ea quorum est materia vna communis, agunt & patiuntur adinuicem. Et ideo in illis quædam sunt plus passibilia ab agentibus: quædam autem minus secundum quod differentes mixtiones & complexiones ad animæ actiones in diuersis secundum commixtionum & complexionum differentias. Sicut enim dicit Plato secundum merita materiæ dantur & formæ. Et ideo bruta meliores & magis æquales accipientia complexiones ex primarum qualitatum actionibus & passionibus, sunt animantiora, hoc est, in viribus animæ & actibus potentiùs operantia, quam arbores minus passam ad æqualitatem habentes complexionem. Et homines eò quòd optimè passi sunt ad æqualitatem tactus, ita quod medium complexionis hominis & æqualitati cæli proportionatus est: adhuc est animantior bruto in virtutibus animæ nobilioribus, & nobilius operans quam bruta. Et sicut semper melius ad æqualitatem passa per actionem & passionem primorum complexionantium, sic expeditiora sunt in operationibus animæ. Non enim dicuntur animantiora, ita quod anima quæ est substantialis forma insit secundum magis & minus, æqualiter enim asinus participat animam & homo: sed ideo dicuntur quædam animantiora quibusdam, quæ expeditius & nobilius agunt secundum animæ potentiam.

Quomodo passio firmatur in motu, sed aliter quam actio.

Omnia autem quæ in præcedenti tractatu de actione siue generatione dicta sunt, eadem dici possunt de passione, quæ est ab illa actione cuius illâ passio est effectus & illatio, scilicet quod in motu firmatur, sed aliter quam actio. Actio enim firmatur in motu qui est actus mobilis & actus imperfecti: id enim quod mouetur, patitur & fit vel simpliciter vel secundum aliquid, sicut id quod mouetur in loco secundum quod patitur, scilicet de potentia in actum exeundo, maximè secundum quod motus localis est à generante. In aliis autem motibus patitur simpliciter & secundum subiectum. Similiter illud quod dictum est, quòd est actio animæ, & actio corporis. Similiter est passio animæ, & passio corporis: passio quidem animæ est quæ ab anima incipit, vt cor in motu, quoniam mouet secundum systolem. Similiter est in tristitia, & gaudio, & spe: in omnibus enim his anima concipiens bonum vel malum etiam patitur in his. Passio autem corporis est sicut vri, & infrigidari, & percuti, & huiusmodi. Et ideo dicta de actione dicuntur de passione, non quidem recta appellatione, sed transmutata: vt quod vocabat actiuam potentiam, hoc vocet passiuam: sicut mutatur appellatio quando dicitur calefacere, & quando dicitur calefieri, & vrere & vri, & sic de aliis. Sic etiam est id quod dictum est, quòd sicut naturalis proprietas est actionis ex se passionem inferre, ita naturalis proprietas est passionis inferri ab actione. Et sic est in omnibus aliis. Et hoc modo quæcunque dicta sunt de actione siue de generatione, omnia de passione dici possunt. Dico autem actionem, generationem quandam esse: quia in omni actione generatio est formæ agentis in eo quod patitur si agit vniuocè. Si autem agit æquiuoce: tunc est actio per accidens, & non secundum intentionem agentis: & de hoc non est curandum, quia est infinitum: nisi forte æquiuocum ad vniuocum reducatur: & tunc eadem sunt re. Et tunc verum erit generaliter, quòd agens vt agens est, formam suam imprimit in patiente.

Quomodo intelligitur illud dictum.

Naturalis proprietas passionis quæ sit.

Quare dixit actionem esse quandã generationem. Nota, quòd actio aquiuoca est per accidens, & præter intentionem agentis.

Quorum non est vna materia, illa nec agunt, nec patiuntur.

Dictum Plat. Brutum est animantius planta, & rationale irrationali.

Quæ sit passio animæ, & quæ corporis.

CAPVT II.

De multiplicitate eius quod dicitur passio.

EST enim, &c. Est autem passio de numero eorum quæ multipliciter dicuntur. Animæ enim actionum vnaquæque passio dicitur: quas tamen secundum intentionem prædicamenti actionis sub actione locamus, sicut est amor, & odium, & tristari, & gaudere, quæ omnia passibiles actiones animæ vocamus: hæc enim omnia passiones sunt secundum quod à conceptis sunt illatæ. Concepta enim vel concepta sunt vt bona, vel concepta sunt vt mala. Si vt bona sunt concepta, aut concepta sunt vt præsentia ad vsum vel fructum, aut vt absentia. Si sunt concepta vt præsentia ad vsum vel fructum, dilatatur ad illa cor, & diffunditur spiritus, & effunditur cor per diastolem super illa: & sic est gaudium. Si autem concipitur vt non præsens: tunc ad ipsum dirigitur cor, & erigitur spiritus, & fit passio quæ spes vocatur. Si verò concipitur vt malum vt contrarium: tunc iterum aut concipitur vt præsens & nocumentum inferens, aut vt futurum & expectatum. Si primo modo: tunc elicit passionem doloris vel tristitiæ. Si autem concipitur vt futurum: tunc elicit passionem timoris. In omnibus his tamen agit anima fugiendo, vel se contrahendo, vel aperiendo, vel dilatando se ad vsum vel expectationem.

Quomodo actiones animæ dicuntur actiones, & passiones, vel passibiles actiones.

Quomodo causatur gaudium.

Quomodo spes, quomodo dolor, vel tristitia.

Quomodo timor.

Et ideò hæ sunt animæ passibiles actiones: & ideo sunt passibiles, quia motibus vel actionibus conceptorum innascuntur. Actiones autem sunt: quia in his agit anima in corpus & mouet corpus secundum systolem & diastolem, sicut diximus. Sic igitur dicitur animæ actio receptio boni vel mali inducens fugam vel apprehensionem boni vel mali concepti. Sic enim amare agere quoddam est passione amati inductum, & odire agere est passione tristabilis præsentis inductum. Et hoc modo tristari passibilis actio est, & gaudere hoc modo actio inducta est conceptu conuenientis. Et hoc modo delectari est actio animæ ex coniunctione conuenientis cum conueniente inducta: propter quod Aristot. in 7. ethicor. dicit delectationem esse in genere operationis. Dicit enim quòd delectatio est operatio proprij & connaturalis habitus non impedita. Et hoc modo dicitur passio à Græco patin, quod Latinè sonat recipere, & est passio omne quod animæ infertur ex receptis sensibilibus vel aliter apprehensis ad apprehensionem vel fu-

Quare actiones animæ dicuntur passiones, & quare actiones.

Cap. 14. Delectatio est in genere operationis, & quid sit. Passio unde dicatur.

gam mouentibus. Et sic mortuum vitium animæ motus vel fuga quibus sic mouent cor, ora, dicuntur patibiles actiones. & hic passio large dicitur.

Passio propriè quid & de hoc significato vide 5 met. tex. com. 26.

Propriè autem dicitur passio quod in naturam siue contra naturam agit vt contrarium & nocuum naturæ, sicut id quod punit: pœna enim non dicitur mala, nisi quia contraria est bono naturæ & adimit illud & diminuit, siue sit natura communis, siue sit natura animæ, siue sit natura corporis. Et sic passio est dissoluens connectum, vel animæ naturam contrarium vel distemperatum vel diuisionem continuitatis corporis inducens: sicut passio dicitur morbus febris & ægritudo contraria complexioni, vel contraria compositioni corporis. Et hoc modo passio non dicitur a receptione simpliciter, sed dicitur à receptione contrarij & nocentis agentis ad corruptionem naturæ vel esse secundum quod Boet. diffinit esse dicens, Esse est quod ordinem retinet seruatque naturam.

Passio vt dicit nocumentum, non dicitur à receptione simpliciter, sed à receptione nocui.

Remanet dubium, quia diffinitio passionis non possumus:

Hanc tamen distinctionem passionis ante diffinitionem passionis non possumus: quia secundum vtrumque modum passionis conuenit diffinitio, secundum quod passio est effectus illationque actionis: passio enim vt dictum est, prima est generatio, hoc est, primum quod ingeneratur patienti ex actione directa ad ipsum ex agente. Et quamuis forma quæ ingeneratur patienti, primo sit in agente, non tamen propter hoc passio est in agente: quia secundum quod est in agente agens est: & actio est processus eius in patiens. Sed secundum quod recepta est in patiente per actionem agentis, sic est passio & dispositio patientis. Est ergo hæc forma passio in eo in quod agitur, hoc est, in eo quod suscipit actum siue actionem operantis siue agentis vt impressam sibi ab agente: percutiens enim dans ictum pati non dicitur, sed potius id quod est vt materia siue agenti subiectum quod vt patiens suscipit ictum percutientis. Et hæc quæ dicta sunt de passione, sufficiant. Ea enim quæ relinquuntur, tractantur & tractata sunt in præcedenti tractatu qui est de generatione vel actione: ibi enim dictum est qualiter suscipit contrarium, & qualiter suscipit magis & minus.

multiplicia sunt prius distinguenda, quam diffinienda. Non est autē in agente, &c. Passio non est in agente.

TRACTATVS IV.

De quando.

CAPVT I.

Quid sit quando secundum quod est principium vel prædicamentum.



VANDO vero, &c. Quando vero secundum quod est principium vel prædicamentum est id quod in eo quod tempore vel alia duratione mensuratur, ex mensurante duratione relinquitur in eo quod sic mensuratur: non enim relinquitur ex adiacentia temporis tantum, sed etiam ex adiacentia æternitatis & æuiternitatis, vt patebit inferius: dicimus enim, Deus fuit, Deus est, Deus erit. Et in omnibus his significamus in præterito Deum fuisse & in futuro & in præsenti quando. Quicquid igitur est, quod prædicatur in re temporali vel æterna vel æuiterna ex duratione causatum in ipsa, vocatur quando generalissimum, sub cuius ambitu communitatis continentur & genera & species ipsius & individua, sicut genera sunt fuisse, esse, & fore. Species autem tunc fuisse, vel nunc esse, vel tunc fore. Individua autem hunc fuisse, vel hunc esse, vel hunc fore. Et ad hunc ambitum prædicationis multa reducuntur, quæ nullius alterius generis per se prædicationem suscipiunt, sicut olim fuisse, dudum, iam, & futurum longinquum vel propinquum. Quia igitur hoc genus rerum sic prima voce significatum, ad nullum aliorum generum reduci potest, relinquitur quòd ipsum sit per se prædicamentum & suorum coordinationum prædicabilium primum principium. Hoc igitur quando ex adiacentia temporis vel alterius durationis esse mensurantis relinquitur.

Quando non derelinquitur tantum ex adiacentia temporis, sed etiam æternitatis, & æuiternitatis.

Quando generalissimum quid, & quæ eius genera, species, & individua.

Locus est (vt in lib. de intelligibilibus dicitur) mensura entis quod non est distensum secundum durationem intelligentiæ, sed totum simul in loco comprehensum accipitur per intellectum. Tempus autem est mensura entis secundum esse quod accipitur vt protensum duratione, eò quod esse est actus entis. Potentia autem essendi in omnibus protensa intelligitur ad mensuram durationis vel per se vel per aliud. Per se quidem in his in quibus esse non totum simul est, sed fit continuè. Ad aliud autem in quibus esse totum simul est, quod distingui non potest nisi ad inferiora, quorum esse excedit secundum indeficientiam, sicut cum dicitur Deum fuisse qui non defuit, & Deum fore qui non decrit. Ea autem quorum totum esse simul est, quædam sunt, quorum esse & posse & actus totum est vnum simul, & horum mensura est æternitas. Quædam autem quorum esse quidem simul est & posse quod habent ad esse, sed agere non est simul, sicut quidam dicunt intelligentiæ sed verum exemplum & philosophicum est de corpore cælesti.

Locus quid.

Tempus quid.

Diuisio eorum quorum esse est simul.

Et

Quæ sint æuiterna.

Et hæc dicuntur à Philosophis æuiterna, & ipsorum mensura est æuum: & ab his in his quibus istæ mensuræ extrinsecus adiacent, relinquitur quoddam quod comparationem talis durationis dicit ab ipsa, & illorum comparationem ad durationem: & hoc vocatur quando. Quia solum tempus inter hæc tria substantialiter diuiditur, & differentias accipit, pene's quas ipsum quando distinguitur in species. Propter quod non per æternitatem aut æuiternitatem, sed per tempus quando diffinitur: quia etiam æternitas & æuiternitas non distinguuntur per formalas differentias nisi ad temporis distinctionem.

Quare diffinuit quando per tempus & non per æternitatem vel æuiternitatem.

Quare dixit ex adiacētia temporis.

Quod autem dicitur, quòd ex adiacentia temporis relinquitur, non est idem quod ex tempore adiacenti: quia ex illo modo loquendi modus infectiuus temporis non determinatur: quando autem est temporis infectio quam facit in temporali, secundum quod dicimus vnum fuisse & alterum esse, & vnum dicimus senem & alterum iuuenem, non quod senex vel iuuenis quando dicant, sed ex tempore per quando, diu vel non diu fuisse causatur senectus & iuuentus. Dicitur autem adiacens, eò quod non est tempus aliquod intrinsecatum qualitatum, sed potius extrinsecus adiacens quæ est in periodo secundum quod est mensura esse eius quod est: & ideò dicitur adiacere & non dicitur inesse. Adiacere autem dicitur: quia vndique iacet vt mensura totum esse mensurans, ita quod nulla pars esse sit cui non adiaceat, & in toto esse suam relinquit infectionem secundum substantiam alicuius quando à tempore præsenti, præterito, vel futuro causatam. Sic ergo dicitur quando secundum quod prædicamentum est, & prædicat rem illam quam relinquit in subiecto, secundum quod ipsi subiecto adiacet mensura durationis. Et hoc est quod dicitur, quòd quando est id quod ex adiacentia temporis relinquitur: ita quod tempus pro omni mensura quæ adiacet extrinsecus secundum quod id quod est mensura ipsius, erit esse & non entis: esse enim est vt actus entis & non vt ens: sicut enim diximus, esse est actus entis quod est: & ideo vt est actus, refertur ad durationem, ens autem est durans & habens esse.

Per infectionem intelligit impressionem vel dispositionem.

Quare quādo dicitur adiacētia & non inesse.

Tempus non est quando. Tempus autem quando non est, &c.

Et quia causa non est effectus, & quando est quod ex adiacentia temporis relinquitur, sequitur quòd quando non est tempus, secundum quòd tempus & quando coniunctas habent rationes diffinitiuas sicut effectus & causa: sicut patet, quòd tempus quidem præteritum quando non est, effectus autem præteriti & infectio quam relinquit in eo quod est præteritum, est quando, sicut heri fuisti, vel pridie, vel ante annum, vel olim, vel nuper, vel aliquid huiusmodi. Similiter instans quodcunque vel nunc quando non est, sed secundum actum eius vel actus, æquale vel inæquale est, sicut dicitur tempus esse vel fuisse vel fore, & non quando: quia sic est tempus vt numerus eius quod est in tempore: sed effectus illius temporis æqualis vel inæqualis est quando. In tempore enim esse, vt dicit Aristot. est quadam parte temporis mensurari: &, sic tempus inæquale si excellit, est mensurario, & secundum quod sic adiacet mensurato, sic relinquit infectionem in re temporali per motum cuius est tempus numerus. Et hæc infectio secundum comparationem ad differentiam temporis ex qua relinquitur quando absolutè quidem in subiecto consideratum, vocatur ætas.

Instans non est quando:

Quid sit esse in tempore. 4. physic. tex. com. 115.

Ætas quid.

Et idem instans non est tempus, sed in instanti esse relinquit quando præsentis, vt nunc esse: quamuis nunc non sit tempus vel aliqua pars ipsius, tamen quia nunc adiacet ei quod mouetur, vel quod est, cuius actus esse est cui adiacet tempus: & ideò quoad adiacentiam extrinsecus non est differentia temporis. Et ideò instans quando relinquit sicut & præteritum. Similiter & futurum tempus quando non est, sed potius id quod vt temporale futurum est: quoniam contingere necessitate motus & numeri motus necessarium est quantum est de temporis successione, secundum quod dicitur aliquid futurum esse. Sic igitur quando est quod ex adiacentia temporis relinquitur ex futuro, sicut cito, vel diu post præsens esse. Patet igitur ex his quæ dicta sunt, quid sit quando secundum quod est principium vel prædicamentum.

Instans relinquit quādo sicut præteritum.

CAPVT II.

De speciebus ac differentiis eius quod est quando.

EST igitur, &c. Diuisio autem eius quod est quando, multiplex est. Prima est diuisio quæ accipitur secundum adiacentias eorum ex quibus causatur, sicut cum dicitur, quòd aliud est quando æternitatis, & aliud quando temporis. Quando quod est æternitatis, sicut cum dicitur Deum ab æterno fuisse, & Deum semper fore, & Deum nunc esse. Æternitas enim quamquam sit indiuisibilis & simplex & inextensa, eò quod nihil sui habet extra præsens nunc instans, & sese non mouens, neque per influxum se in aliquid extendens continuum quod sit in fieri sicut motus: tamen in sui simplicitate stando non deficit, nec deest alicui præsenti, nec defuit alicui præterito, nec decrit alicui futuro. Æternitas tamen est mensura existentium temporalium & æuiternorum non per extensionem, sed per indeficientiam. Et ideo cuius tempus est mensura adæquata, eius mensura est æternitas non adæquata, sed excellens secundum principium, medium, & finem. Et hoc est in substantia omnium stantium & necessariorum secundum illum modum quo necessaria sunt. Et quia sic est mensura temporalium, vt diximus, propter hoc quando æternitatis distinguitur per accidens in differentias temporis, & dicitur id quod est æternum fuisse, & esse, & fore.

Quādo æternitatis quid

Æternitas.

Æternitas est mensura temporaliū inadæquata.

Quare quæ sic aeternitatis diuiditur per differentias temporis.

Sed hîc attendendum est, quòd quando dicitur quod est Deus: vel prima causa quæ est necessariò est cælum, & generatum illud est, hoc quòd dico quando, significat quando æternitatis: quia hoc est in mensura & æuiterni

Exemplū de quādo æternitatis.

&

& temporalis, vt dictum est, & non potest significare quando temporis: quia tempus nulla potest esse mensura necessario siue æterni. Similiter quando dicimus, quando cælum est generatum, hoc ipsum quod dico quando significat quando æuiternitatis, non temporis: quia æuiternum mensura est temporalium excellens: ideo referri potest ad temporalia. Tempus autem non est mensura æuiternorum: & ideo quando temporis in æuiternis nihil significat: & sic distinguitur ad differentias temporis per indeficientiam sicut mensura superior excellens indiuisa in se, distinguitur ad diuisiones mensuræ inferioris quæ secundum se per proprium est diuisibilis. Hæc est ergo prima distinctio eius quod est quando. Sicut enim æternitas se habet ad æternum quod omnibus modis indiuisibile est & necessarium, sic se habet æuiternitas ad æuiternum: quod quidem quodammodo non est simul, quia quamuis substantia sit in nunc æternitatis, tamen actus eius essentialis qui est motus, est in tempore, & potentia ad motum relata est ad nunc temporis quod continuè fluit. Sic igitur per illud distinguitur quando æternitatis & quando æuiternitatis. Et attendendum, quòd sicut æternitas ad tempus se habet, & nunc æternitatis ad nunc temporis: ita se habet quando æternitatis ad quando temporis.

Exemplum de quando æuiternitatis.

Quando æternitatis & quando æuiternitatis distinguuntur.

Esse essentiæ est in nunc æternitatis vel æuiternitatis.

Sed notandum est, quòd esse rerum & eorum quæ generantur & corrumpuntur, dupliciter considerari potest. Si enim consideretur secundum quod est simplex actus essentiæ simplicis: tunc proculdubio indiuisibile est & totum simul: & ideo est in nunc æternitatis vel æuiternitatis, & sic non amittit aliquid in præteritum, nec expectat aliquid in futurum, sed simul est totum nil sui extendens extra ipsum. Si autem consideratur prout in huiusmodi est materia permixta contrariis, sic est esse fluidum, quòd non est simpliciter, sed aliquid habuit in præterito quod non habet, & aliquid habebit in futuro quod nondum habuit in præterito vel præsenti, & sic recipit differentias temporis, & dicitur fuit, est, vel erit.

Esse essentiæ est in tempore.

Ex his ita traditis accedamus ad certificationem diuisionis eius quod est quando temporis. Hoc autem sic diuiditur, quod est quando aliud ex eo quod abiit, hoc est, ex præterito: aliud autem quando est ex eo quod nunc instat & quod præsens est: aliud autem ex eo quod contingere necesse est pro temporis successione, & est quando de futuro, & est quando relictum ex differentiis temporum. Ipsæ autem temporum differentiæ non habent quando. Dictum est etiam in categoriis, quòd præteritum & futurum quantitates sunt in genere quantitatis vt species contentæ. Et dictum est ibidem, quòd sunt continuæ quantitates. Continuatur enim præteritum ad præsens: & videtur innuere, quòd præteritum sit permanentiam habens: manet enim quod est continuum existenti. Sed intelligendum, quòd non est dictum de præterito quod continuum est existenti, ideo quod maneat vel quod in partibus habeat aliquam permanentiam: sed ideo dictum est continuum esse ad præsens, quia in excessu suo, hoc est, in vltimo suo in quo continuum est præsenti, non præterit: in illo enim continuatur præsenti nunc. Similiter est de futuro quod in principio sui continuatur ad præsens nunc.

Est autem quando, &c. Diuisio quando temporis.

Hoc autem signum est, quòd omnia quando præterita copulantur præsenti vel per se, vel per aliud: præteritum etiam est quod præsenti continuè est & continuatur ad præsens. Præteritum autem imperfectum quod secundum finem non extenditur in præsens, & ad præsens non terminatur. Præteritum autem pluſquam perfectum illud quod in præterito ad præsens terminatum est, & per præteritum refertur ad præsens. De futuro autem dicimus relinqui quando secundum infectionem ex tempore relictam: quamuis enim futurum nondum sit, tamen ex successione quam habet ad præsens, necesse est contingere, quod quantum ad substantiam ipsius quando accipiendam tantundem valet ac si instaret. Nulla enim quantum ad quando accipienda differentia est in eo quod manet instans, in eo quod futurum est, & in eo quod abiit in præterito: vnum enim nunc est tota substantia temporis: esse autem temporis caufatur à fluxu nunc: & ideò quamlibet partem ipsius relinquit quando in eo quod est in tempore: propter quod de futuris agitur & determinatur, cum tamen futurum nondum sit, & secundum futurum aliquid dicitur, & ipsa futura fortiuntur nuncupationem & nomen existentium. Et ideò quando accipitur à futuro sicut à præsenti: quia ex ipso fluxu temporis erit certificatum futurum tempus. Sicut dicimus, cras erit nauale bellum, heri obiit Sortes: hæc enim quando significant. Sic ergo aliquid dicitur quando secundum id quòd futurum est: ideò, sicut dicimus, futurum necessariò secundum successionem nascitur de eo quod est iam præsens. Hoc etiam fluit in futurum continuo fluxu & necessario, & per necessitatem motus primi. Vnde dicimus, Callias disputabit cras, vel Callias non disputabit cras, actiones nostras ad futurum tempus referentes sicut ad præsens: eò quod certi sumus de successione futuri: disputabit enim futuram significat actionem cuius actionis adhuc nihil est in substantialibus actionibus illius.

Quomodo quando accipitur à futuro.

Sic ergo patet, quòd ex omni differentia temporis quando relinquitur: vnde est in eo quod est in tempore, sicut in mensura & numero. Sic enim cum tempus sit causa corruptionis per motum qui distare facit à principio, tempus infectionem talis distantiæ reliquit in re temporali. Hæc igitur infectio duobus modis potest considerari. Vno quidem modo absolutè secundum quod est infectio vt forma existens in subiecto existens in re temporali: & sic est ætas. Alio modo prout ipsum in quo est, comparatur per illud ad tempus vel differentiam temporis ex quo relinquitur: & sic est quando & aliquando, quæ importantur, cum dicitur olim fuisse, vel ante hoc fuisse vel esse, vel postea fore. Et hoc modo quando est prædicamentum, vt in antehabitis dictum est, & secundum hoc sua communitate

Infectio derelicta à tempore in re temporali, dupliciter consideratur, vt quando, vt ætas.

Quando quod est prædicamentum, amlit

æterna, & æuiterna, & temporalia.

munitate ambit quãdo ex æternitate, & quando ex æuiternitate, & quando ex parte, & vnam rem genetalium prædicat, quæ cum aliis diuidunt generalissima in decem genera prima. Quamuis enim æternitas sit in æterno sicut differens per substantiam ab ipso, & non secundum rationem nominis, dicit durationem extrinsecam adiacentem: & ipsum esse indeficiens omnibus mensurari potest. Sic relinquitur ex eo modo eius quod est quando, sicut dicimus id quòd est omnibus modis, necesse est esse semper fuisse secundum esse præteritum, & semper esse secundum esse præsens, & semper secundum esse futurum. De tempore autem in 4. physicorum disputatum est: de æternitate autem in libro de causis dictum est.

CAPVT II.

De differentia inter vbi, & quando, & qualiter vnum quando differt ab alio.

Quando quod relinquitur ex præsenti; semper est cum ipso præsenti: sed quando derelictum ex præterito, aut futuro, nunquam est cum aliquo illorum.

Differt autem quando ab eo quod est vbi in hoc, quòd in quocunque tempus est relinquens suam infectionem, sicut in quocunque est fuit vel fuisse vel fore vel in præsenti esse, eò quod illa quando in eodem sicut in subiecto quod denominat est quando, & in eodem fuit vel erit vel esse vel fuisse vel fore, eò quod illa quando secundum tempora illa vel tempus dicuntur. Quando enim ex instanti præsenti nunc est semper cum ipso præsenti nunc. Vnde cum dicimus, quando es? respondetur nunc sum. Quando autem quæ relinquuntur ex eo quod abiit & quod futurum expectatur, nunquam sunt cum temporibus ex quibus relinquuntur, sicut patet inquirentibus à nobis & dicentibus, quando legisti, quando fuisti? notamus quando quod est cum præsenti nunc: & respondetur tempus præteritum dicendo, tunc fui, olim fui, vel iam fui. Similiter quærentibus nobis, & dicentibus, quando leges, vel quando eris? quando est cum præsenti nunc, & respondetur tempus futurum, sicut post annum, vel diem, vel mensem. Vnde hæc duo quando nunquam insimul erunt cum temporibus ex quibus relinquuntur.

Quando & tempus præterit est numerus semper sunt in eodem subiecto: non sic autem vbi & locus. Locus non est in loco vt in subiecto, sed in continente cuius ipse est vltimum.

Hoc tamen generale est, quòd quando & tempus secundum quod est numerus, sunt in eodem sicut in subiecto. Vbi vero & locus à quo sicut à causa fit ipsum vbi, nunquam sunt in eodem sicut in subiecto. Vbi enim sicut in subiecto est in circumscripto & locato corpore. Locus autem, qui est vltima superficies continentis, non est in locato extenso sicut in subiecto, sed est in complectente & continente, cuius vltimum est superficies locans.

Quomodo tempus diuersimodè captum est in diuersis subiectis.

Hîc est tamen attendendum, quòd tempus vt continuum, & vt forma extra mensurans, est in subiecto in primo moru & mobili: vt mensurans autem & numerans essentialiter in temporalibus, sicut numerus materialis, tam decem ones, quam decem canes, quamuis formalis numerus & forma numeri & species sit vna, sicut vnum tempus est ouium temporalium, vt vnum numerans vel mensurans, quãuis mensurante modo tot sunt temporalia quot quando. Et hoc modo dicitur temporale (secundum quod constat sub tempore sicut sub numero) habere quando: & quando hoc modo est in ipso sicut in subiecto: & tempus hoc modo sumptum in temporali semper est in eodem in quo est quando. Vbi autem nunquam est in eodem in quo est locus. Sed, vt dicit Anselmus, nunc æternitatis se habet ad nunc temporis & ad totum tempus, sicut se habet nunc temporis & ad omnem locum & ad omnia quæ in loco sunt. Nunc enim temporis vt indiuisibile continet locum & locata omnia quæ valdè diuisibilia sunt: eò quod per vnum quod est in omnibus mensura est eorum, & hoc est esse, cuius propria mensura est tempus, vel æternum, vel æuiternum. Similiter nunc æternitatis quod indiuisibile est, per indeficientiam comprehendit nunc temporis, & totum præsens per hoc quod duratio fluens sicut à causa & exclusio fluet à durationc stante vel indiuisibili. Et hoc est quod dicit Boet. in consolatione philosophiæ. Qui tempus ab æuo ire iubes.

Quomodo se habet nunc æternitatis ad nunc temporis, & ad totum tempus.

Est etiam adhuc considerandum, quòd illud quando quòd relinquitur ex eo quod est præteritum, differt ab eo quod relinquitur ex futuro, in hoc, quia quando quod ex futuro est, præteritò est semper prius: quando autem quod est ex præterito, est posterius quam futurum. Si autem vnum & idem quando secundum substantiam temporis accipiatur, hoc est, in nunc quod est substantia: tunc quando vnum & idem: primum quidem ex futuro, secundum vero ex præsenti, posterius verò ex præterito secundum periodi circulationem, in quo futurum est, aut præsens, aut præteritum: quemadmodũ & tempus primum quod est futurum, posteà præsens quando futurum aduenit, deinde præteritum cum præsens abiit. Et sicut in tempore sic est indeficientia æternitatis quando ad temporis differentias recipit distinctionem, siue enim diuisibilis secundum se mensura est, siue indiuisibilis, nihil differt: quia non ex hoc relinquit quando quod est simplex vel compositum, sed ex hoc quod vt extrinsecus adiacens est esse mensura in eo quod est: sic enim suæ indeficientiæ relinquit impressionem in eo quod est, per quam id quod habet esse, mensuræ extrinsecus adiacenti sic vel sic comparatur: & hoc est quando secundum quod est prædicamentum.

Distat autem, quando, quod ex præterito, &c.

Sunt tamen qui dicunt, quòd vnum & idem est quando æternitatis & temporis differentia per accidens, hoc scilicet quod in æternitate vt stans, in tempore autem vt fluens continuè. Sed hanc positionem opinamur esse falsam, nisi dicant nunc æternitatis exemplariter & causaliter esse in nunc temporis. Sed tunc ex hoc non sequetur, quòd sit idem nunc secundum substantiam, sed secundum formam tantum, hoc modo quo exemplum & exemplatum in forma non secundum genus vel speciem, sed secundum proportionem similia esse possunt.

Opinio quorundam falsa.

CAPVT

CAPVT IV.

De diuisione ipsius quando comparata ad tempus à quo causatur.

SIcut autem tempus est aliud compositum, aliud verò simplex: & compositum quidem est, quod est in composita actione, hoc est, quod compositæ actionis est mensura: simplex vero tempus est quod procedit cum actione simplici, cuius ipsum est mensura: ita & quando quod ex adiacentia temporis relinquitur, aliud est simplex, & aliud est compositum. Simplex quidem quod in momento esse & in nunc esse dicitur. Compositum autem quod ex composito tempore relinquitur, vt in hora esse, vel in die, vel hebdomada, vel mense, vel anno, & similibus.

Quid sit quando simplex & quid compositum

Primum obiectio.

Hæc autem quæ dicta sunt, sophisticam habent calumniam. Si enim obijcitur, actio est in motu, & omnis motus in actione firmatur, vt in tractatu de actione dictum est: nullus autem motus simplex est: videbitur, quòd actio nulla simplex esse possit, sed omnis actio composita.

Secunda.

Adhuc, cum omne tempus sit continuum, & quælibet pars continui sit continua & composita, videtur quòd nullum sit simplex tempus.

Tertia.

Adhuc autem dicitur, quòd simplex tempus sit sicut in momento & in nunc esse: est autem momentum indiuisibile tempus: & sic momentum nec est tempus, nec pars temporis, & sic nec erit tempus: & sequitur viterius, quòd quando non sit simplex.

Quarta. Tex. com. 210. & 121.

Adhuc de nunc dicit Arist. in 4. physic. quòd non est tempus, nec pars temporis, sed temporis substantia: & sic videtur habere calumniam quod hîc dicitur.

Ad primam.

Ad hæc & similia dicendum est, quòd est actio simplex, & actio composita. Actio enim generantis prout generatio est finis motus, & non motus, est verè actio quæ est generatio, & simplex est omnino & impartibilis, & est de non esse in esse simplex & non composita mutatio. Et simpliciter est actio creantis secundum quod est creans. Et similiter dicit Auer. de illuminatione adhuc vel ad illum locum prout est finis motus localis quo mouetur illuminans, quod est actio simplex, non habens aliquam diuisionem, sicut omnis continui finis simplex est, & cum quodliber illorum verè actio sit. Quod autem inducit, quòd omnis actio in motu, & omnis motus in actione firmatur. Ibidem in tractatu de actione patet solutio: hoc enim intelligas de motu secundum quod motus est actus perfecti & perfectus: hoc autem est secundum quod est actus mouentis, & non eius quòd mouetur.

Illuminatio est actio simplex.

Quomodo intelligitur quòd omnis actio est in motu, & è contra.

Motus prout est actus mouentis est simplex & non continuus: motus verò actus secundum esse scilicet, & secundum substantiam. Secundum esse quidem acceptum, verum est, quòd nullum est tempus simplex, sed omne tempus compositum: secundum substantiam autem est aliquod tempus simplex, nunc scilicet & momentum, quod (sicut iam ante diximus) à tempore non differt in hoc quod ex ipso quando relinquitur sicut ex tempore: & sic intelligitur cum dicitur, tempus est simplex, & quando simplex.

moti sic est continuus & compositus. Ad secundam, & alias.

Quidam autem aliter dixerunt, quòd actio simplex, scilicet ad nos, & non simplex quoad nos, quæ repente fit, hoc est, in tempore cuius distinctio est imperceptibilis. Et similiter dicunt de tempore simplici. Et hæc fuga est, & non verum quod dicunt est. Sunt enim multæ actiones simplices, sicut patet per ea quæ inducta sunt: & simpliciter cum verbo substantiuo dicitur, sum, es, est: tamen totum suum condeclineum dicit substantiam vt actum & actionem: quæ actio si accipiatur vt essentiæ actio vel actus, non potest intelligi nisi simplex actio: & cum hoc actio temporalis vel simplex tempus, quod adiacentia est mensura eius, relinquit quando. Sicut enim tempus adiacet mobili, sic ei quod mouetur secundum quod vnum est in toto motu, adiacet mensurans nunc: & ideò quandò relinquit nunc sicut tempus: & quoad hoc quod est substantia temporis quando ex se relinquens, hoc tempus esse dicitur. Sic ergo intelligendum est, quod hîc dictum est.

Solutio quorundam quæ est fuga.

Amplius autem adhuc & in hoc conueniunt tempus & quando, quòd quemadmodum temporis partes sibiinuicem sine mora, siue continuè succedunt: similiter sibiipsa quando, quæ ex temporibus relinquuntur: quando enim quod est in præterito, & quando quod est in futuro, copulatiuè reducuntur siue copulantur ad præsens nunc, sicut partes continui copulantur ad punctum: non autem sic copularentur nisi talis esset successio ex præterito in præsens, & ex præsenti in futurum, vel è conuerso futuri in præsens, & præsentis in præteritum. Variabilis enim est successio secundum periodum: secundum actiones autem quæ tempore mensurantur, est ex præterito in præsens, & ex præsenti in futurum.

Amplius quemadmodum temporis partes, &c.

Quamuis tempus & quando in his quæ dicta sunt conueniant: tamen tempus differt ab eo quod est quando: quia quod in tempore est, in eo est sicut in numero numerante: & quia numerus est mensura numerati, ideo secundum tempus aliquid est mensurabile, sicut dicimus, quòd aliquis est annuus ex tempore siue mensura temporis, & aliquis diurnus, & aliquis est hebdomadalis mensurati: & aliquando sine distinctione numeri dicimus, quòd motus est multus, eo quod motus ille multo tempore permaneat siue duret. Secundum quando autem nihil mensuratur, sed simpliciter quando vel aliquando esse vel fuisse vel fore dicitur: & hoc secundum idem secundum quod temporale vel variabile variatur temporale: & secundum idem etiam quando variatur: & sic aliud est ex præterito, aliud ex præsenti, aliud ex futuro.

Differentia inter tempus & quando. Differt autem tempus ab eo quod est quando, &c.

CAPVT

CAPVT V.

De propriis quando quæ sunt non suscipere magis vel minus, & non habere contrarium.

INest autem, &c. Proprium autem quod conuenit omni & non soli eius quod est quando, est, quòd ineſt ei quod est quando non suscipere magis & minus, sicut nec tempori conuenit magis & minus suscipere. Non enim dies vna magis vel minus dicitur dies quam alia, nec vna hora magis vel minus tempus quam alia, & sic de aliis. Et similiter est in quando: non enim quando præteriti dicitur magis vel minus quando, quam præsentis vel futuri: nec tempus mensuratum dicitur secundum magis & minus sicut diurnum, quam alterum: nec vnum dicitur diurnius altero. Et similiter autem est de omnibus aliis. Concluditur ergo generaliter, quòd omni quando ineſt non suscipere magis & minus. Et quia non suscipere magis & minus causatur ab eo quod est non habere contrarium, ideò etiam quando nihil habet contrarium. Et hoc est etiam proprium quando quod conuenit omni & non soli.

Quando quoque nihil est cõtrarium, &c.

Non suscipere magis & minus causatur ab eo quod est non habere contrarium.

Hoc autem sic probatur: quia vnum & idem quando quantum ad substantiam nunc (ex quo relinquitur quando) est ex præsenti, & futuro, & ex præterito: quia idem quod futurum est, efficitur præsens & præteritum. Et hoc est propter id quod est substantia temporis, quod idem est toto tempore. De eodem autem indiuisibili secundum substantiam est impossibile prædicari duas contrarietates: & cum ipsum prædicetur de se, impossibile quod habeat contrarium quod prædicetur de eodem. Amplius autem contraria in eodem nunquam insimul erunt: vnum enim natum est expellere alterum de eodem susceptibili. Quando autem quod secundum præsens, & quod est secundum præteritum, & quod est secundum futurum, in eodem insimul erunt: quia, sicut dictum est, quando est non in tempore, sed in re temporali. Et ideo in vna & eadem re est quando secundum futurum, & quando secundum præsens, & quando secundum præteritum: & simul & semel dicitur, quòd fuit futurum, & est præsens, & transit in præteritum. Hoc autem esse non posset si esset vnum quando contrarium alteri quando secundum formam & speciem. Idem enim quod est hoc fuisse, verum est quod est permansurum. Contrariorum autem ratio est nunquam in eodem simul existere, neque dici de eodem secundum idem & in eodem tempore: propter quod generaliter concluditur, quòd contrarietas in hoc genere quod est quando, non enuntiabitur.

Prima obiectio.

Sunt tamen sophistæ contra hæc quæ dicta sunt disputantes, dicentes tempus esse causam corruptionis in omnibus in quibus est. Vbicunque est causa corruptionis (secundum quod corruptio motus est vel mutatio) est magis & minus & contrarium. Videtur ergo quod tempori conueniat magis & minus suscipere & contrarium.

Secunda.

Adhuc ad hoc inducunt, quòd tempus facit distare à principio: distare autem secundum magis & minus: tempus igitur suscipere videtur magis & minus: & per consequens quando videtur magis & minus suscipere.

Ad primam.

Ad hæc dicendum, quòd valdè sophistica sunt quæ inducuntur: sicut enim probatum est, ita quando nec magis nec minus suscipit nec contrarium habet. Et quando dicitur, quòd tempus est causa corruptionis, hoc non est verum, nec Aristot. hoc dicit simpliciter, sed quod est magis causa corruptionis quam generationis: & hoc non per se, sed per motum cuius est mensura.

Quomodo intelligendum est tempus esse causam corruptionis.

Ad secundam.

Et similiter etiam per motum est causa distantiæ à principio constituentis: & ideò non sequitur, quòd tempus secundum seipsum suscipiat magis & minus, vel contrarium.

Licet quando non habeat contrarium, tamen habet modos contrariorum.

Est autem notandum, quòd quamuis quando non habeat contrarium, nec suscipiat magis & minus: tamen idem quod est quando, modos suscipit: qui sunt modi quidem contrarij, sicut punctum indiuisibile, & idem habet modum inchoantis & modum finientis siue terminantis: præteriti enim & præsentialitas & futuritio sunt modi oppositi: sed in talibus non sunt formæ & species contrariæ: nec potest esse in talibus magis & eius quod est quando: nec hîc oportet determinare, quia est manifestum ex præinductis.

Quando non est in tempore, sed in re temporali.

Et hoc est quod proprium est eius quod est quando, relinqui ex adiacentia temporis, & non esse in tempore, sed in re temporali secundum comparationem quam habet ad tempus vel ad temporis differentias. Et tale proprium est etiam quando succedere ad quando, sicut succedit tempus ad tempus, & alia similia his: quæ omnia facile est determinare ex prædictis: quando enim, sicut dictum est, non est tempus, sed infectio quædam vel impressio relicta in eo quod temporale est, secundum quam ad tempus vel ad differentias temporis habet referri. Et ideo coniunctas habent rationes tempus & quando.

Tempus & quando habent coniunctas rationes.

CAPVT VI.

De subiecto eius quod est quando.

EST autem quando, &c. Si autem quæritur, in quo est vt in proprio subiecto? Dicamus, quòd quando quod ex tempore relinquitur, proprie est in omni eo quod incipit esse. Dico autem incipere esse per naturam sicut incipiunt esse quæ generantur vel fiunt per artem vel electionem siue voluntatem: vniuersalia enim suæ habent principia inceptionis, sicut priuationem & materiam. Quæcunque autem incipiunt quidem, & talia suæ inceptionis non habent principia, non oportet, quòd insit eis quando

Quæ incipiũt per naturam.

Quæ sit differentia quãdo æternitatis vel æuiternitatis, & quæ quando temporis.

quod est ex parte: quamuis conueniat eis quando æternitatis & æuiternitatis per distinctionem accidentalem qua distinguitur ad temporis differentias, sicut in antehabitis dictum est. Talia autem sunt intelligentiæ & substantiæ corporum cælestium.

Quomodo intelligitur illud, quod omne quod est citra primum, est mutabile.

Alia verò generabilia & corruptibilia secundum suas substantias & secundum suas actiones & opera quando temporis suscipiunt, eò quod tempore variantur. Cum autem dicit Damascen. quòd omne creabile variabile est, & hoc idem dicit Plato, & dicit Boët. quòd omne quod est citra primum, est mutabile, non intelligitur de mutabilitate temporis vel quando, sed potius naturæ quæ causata est, quæ ex se non habet vnde sit, vel vnde stare possit. Sic ergo omne quod incipit, habens suæ inceptionis principia, materiam & priuationem, recipit in se quando quod relinquitur ex tempore. Tale autem est omne siue vniuersum corpus quod incipit modo prædicto: aliter enim incipiens esse, non habet principia suæ inceptionis intra se: & ideò de illis non habet loqui Philosophus: quia Philosophus non determinat aliquid nisi id quod suæ determinationis principia habet intra seipsum. Sic igitur vniuersum corpus quod sic recipit, aliquando est, & est in tempore: quod probatur ex hoc, quòd temporum suscipit variationem periodi cælestis: hoc enim corpus variatur in æstu æstatis ad calorem, ariditatem, & caliditatem, in vere ad calidum & humidum, & in autumno ad frigidum & siccum: propter quod tunc plantæ folio defluunt, & destruuntur in hyeme ad frigidum & humidum. Talia enim per generationem incipientia sic secundum tempora alterationes suscipiunt: & ideò de ipsis quando denominatiuè prædicatur.

Hæc tota intellige quãtum ad quid est, non autem quãtum ad si est: nam fuit tantæ æstimatio, & creditur à naturali quantum ad si est, vt patet primo physic. com. vltim.

Quomodo in anima est quando secundũ quod ipsa attingit corpus.

Similiter autem est etiam in anima secundum quod ipsa attingit ad corpus sic incipiens: anima enim, vt dicitur in libro de causis, est in horizonte æternitatis & temporis: & ideò in actionibus & passionibus suis attingit tempus, & sic etiam conuenit ei quando. Hoc autem patet in animæ parte speculatiua, quæ tamen magis separata videtur esse à corpore, quam pars motiua quæ corpore vtitur in motu. Secundum enim partem speculatiuam videmus, quòd quidam acutius speculantur in vere, sicut melancholici: eò quod tunc spiritus qui deferunt formas speculationis, subtiliantur & mobiles fiunt ex calido, & humectantur ex humido, vt facilius formas recipiant. Econtra quidam in hyeme acutius speculantur, & illi

Quare melancholici acutius speculantur in vere.

Quare cholerici acutius speculantur in hyeme.

sunt cholerici, quibus calor choleræ quando commultiplicatur, commiscet operationes, & siccitas formarum impedit bonam receptionem. Sed in hyeme vincente frigore temperatur calor operationes commiscens, ita vt non commisceat, sed bene moueat. Et humore hyemis inducente phlegma, temperatur siccitas ad bonam susceptionem & bonam retentionem ex naturali siccitate choleræ. Quidam autem in æstate acutius contemplantur, sicut phlegmatici, quorum frigus calido seu calore excellente temperatur vt bene moueat spiritus, & humor multus temperatur sicco vt & bene recipiat ex naturali humido & bene retineat ex temporali sicco. Quidam autem in autumno acutius speculantur, vt sanguinei, quibus calorem sanguinis temperat moderata autumni frigiditas. Humorem autem sanguinis exuberantem ad temperantiam restringit moderata autumni siccitas. Hæ autem varietates sunt secundum varietatem instrumenti, hoc est, corporis quo pro instrumento in operationibus suis vtitur anima coniuncta corpori. Sequitur enim anima coniuncta corpori, corporis complexiones.

Quare phlegmatici acutius in æstate.

Quare sanguinei acutius in autumno.

Quare melancholici efficiuntur dementiores in autumno.

Et ideo qui aridæ, siue siccæ, siue gelidæ, siue frigidæ sunt complexionis siue compagnis in corpore, sæpè fiunt dementiores seipsis in autumno, ita quod minus valent in operationibus mentis: eo quod tempus autumni multiplicat melancholiam quæ spiritus habet obscuros & tacitos, & frigore augetur frigus, ita quod sistit motum spirituum: & siccitas tunc auget siccitatem complexionis vt non sit bonæ receptionis. Quibus verò sanguis principatur, in vere sunt seipsis dementiores: quia tunc calor temporis auget calorem complexionis vt minus moueat, & ideò operationes permixtas faciat: & humor temporis auget humorem complexionis vt quidem bene recipiat, sed non bene teneat. Similiter est de aliis: quia phlegmatici in hyeme fiunt dementiores propter duplex frigus temporis & complexionis, quod sistit motum spiritus & inspissat eundem: & propter duplex humidum quod facit non bene retinere formas. Similiter autem in aliis, dummodo attendatur similitudo complexionis animalium & temporum. Erit ergo in tempore quicquid temporum suscipiens variationes, alteratur secundum temporis aut temporum qualitatem, siue illud sit in corporis complexione vel natura, siue etiam sit in operationibus vel passionibus animæ.

Quare sanguinei in vere.

Quare phlegmatici in hyeme.

TRACTA

TRACTATVS V.

De vbi.

CAPVT I.

Qualiter vbi sit prædicamentum, & quid sit vbi.

Quid sit vbi, & quid circunscriptio corporis.

VBI verò quod causatur ab extrinsecus adiacenti, quod adiacet ei, quod non adiacet sine duratione rei, est circunscriptio corporis à loci circunscriptione procedens. Dico autem circunscriptionem corporis esse corporis quidem talem conuenientiam secundum quod assignantur contento principium & medium secundum vltimum corporis continentis, vt sicut totum est in toto, ita primum sit in primo, & medium in medio, & extremum in extremo, & indiuisibile in indiuisibili, & compositum in composito.

Quid sit circunscribi, & quomodo est triplex circumscriptio.

Ad hoc autem intelligendum, qualiter sit & qualiter esse dicat id quod est vbi secundum quod est vbi: intelligendum est, quòd circunscribi est figurari, quod ex toto continetur ad figuram continentis, & è conuerso. Et ideò est triplex circunscriptio. Est enim circunscriptio corporis continentis, & hæc est actio quædam. Et est circunscriptio circunscripti, & est quædam passio. Et est circunscriptio procedens & causata ab vtraque istarum, & est commensuratio locati ad locum, secundum quam loco in se & in communi vel huic particulari loco comparatur. Et hæc circunscriptio est vbi secundum quod est speciale prædicamentum: quia hæc est vna specierum entis quæ est prædicamentum quando, sub voce designatur, hoc enim modo omne quod est alicubi, vbi dicitur esse: & hoc esse comparatum sic ad locum in nullo aliorum prædicamentorum ponitur. Sic ergo verum est quod dicitur, quòd vbi secundum quod est prædicamentum circunscriptio est à loci circunscriptione & non immediatè à loco procedens. Cum igitur de tribus fiat mentio, de loco scilicet, & locato, & de loci circunscriptione, locus quidem secundum subiectum & secundum substantiam est in corpore quod capit, hoc est, quod continet & locat. Est enim vltimum corporis continentis & ambientis in quo capit id quod continet, hoc est, locatum & circunscribit: & ex hoc sequitur, quòd in loco est quicquid à loco circunscribitur, vt dictum est. Sicut autem in antehabito tractatu dictum est, non in eodem secundum substantiam & subiectum est locus & vbi: locus enim est in eo quod capit & continet & circunscribit. Vbi verò est in eo quod capitur & continetur & circunscribitur, & ab alio exteriori complectitur.

Vbi non præcisè à loco, sed à loci circunscriptione.

Locus vnus est in subiecto in quo est vbi.

Locus autem non videtur adesse vel non conuenire animæ, vel alicui rei incorporeæ. Anima enim & aliæ substantiæ incorporeæ nusquam est sicut in loco. Propterea quod nullum locum occupat circunscriptiuè, ita quod medium eius sit in medio, & totum in toto. Omne enim quod sic occupando totum in loco toto est, locum sic occupat & implet, quòd ipse locus (si est illius rei proprius locus) aliud cum illa re quidem quæ eodem modo in eodem loco sit, continere non potest: & sic anima nullum locum occupat, nec implet locum aliquem. Animatum autem plenum anima prout anima est vitæ & motus principium localiter potest capere, vt cibum, & potum, & aërem ad spirandum. Anima igitur in ipso corpore non est sicut locatum in loco, sed ipsa anima est in corpore sicut vitæ & motus principium: nullo enim modo contingere posset, quòd locus impletus aliquo implente ipsum aliud cum illo locatum corpus capere possit & complecti siue continere, nisi id quod prius occupauerat & implebat, prius cedat & aliud locum eius subintret. Hoc autem patet per exemplum: granum enim modio adueniens vt vas & loco, nullo modo recipitur in modio sicut in vase & loco, aëre qui prius vas implebat in vase quiescente: & sic est de vino, & aqua, & cado, & oleo, & de omnibus aliis huiusmodi similibus: aëre enim primo excusso granum & aliud in vase continendum recipitur vtique: quia duo corpora in eodem loco esse non possunt. Quia sicut probauimus determinatiuè in 4. physic. si duo corpora essent in eodem loco, sequitur de necessitate, quod duo corpora essent vnum & idem corpus numero. Sed hoc hic supponatur: hoc enim probare est scientiæ naturalis.

Videtur vbi non omni adesse, &c.

Quod anima non sit in corpore sicut locatum in loco.

Duo corpora non possunt simul esse in eodem loco. Sup. text. com. 76.

Sicut autem duo corpora non possunt simul esse in eodem loco, ita quidem nec idem corpus potest esse in locis diuersis simul actu. Cuius probatio est: quia si est in vno loco ab alio separato, tunc termini illius corporis sunt in loco illo contenti, & nihil de illo est extra ipsum. Si autem hoc esset in loco alio, existerent termini eius intra locum illum & extra illum, quod est intra vnum totum & secundum se intra vnum & non intra illud consistere simul & semel, quod est affirmationem & negationem de eodem simul veram

Vnũ corpus non potest simul esse in diuersis locis.

esse, quod est impossibile. Ergo & hoc est impossibile, quòd idem corpus in diuersis locis simul possit existere.

Ex hoc autem sequitur, quòd anima nullatenus erit localis cum nullum locum occupet & impleat sicut locatum implet & occupat locum. Similiter omnia ea quæ à corporis ratione secundum quantitatem (dicendo quod corpus est mensuratum dimensione trina) dissentiunt siue recedunt, sed sicut simplicia & indiuisibilia secundum quantitatem diffiniuntur, in nullo sunt sicut in loco: aër enim omnia talia loci circumscriptione: quia non possunt assignari principium & medium & vltimum in loco. Hoc est igitur vbi secundum quod est prædicamentum vel principium.

CAPVT II.

De dubitationibus circa inducta, scilicet quod idem corpus simul possit esse in diuersis locis.

Dubitatio textus.

MOuet autem, &c. Potest autem aliquis mouere dubitationem de his quæ dicta sunt, quòd non potest idem corpus in diuersis locis esse simul & semel. Vox enim in auribus diuersorum est simul & semel. Vox autem cũ sit aër ictus, vt dicit Priscianus, sine aëre nunquam & nusquam esse potest. Ego nec in auribus est sine aëre. Ego & aër ictus est in auribus diuersorum. Cum igitur vna vox formetur in aëre vno & eodem modo, videbitur vnus & idem aër numero esse in auribus diuersorum. Aër autem corpus. Idem ego & vnum numero corpus simul & semel videtur esse in locis multis & diuersis.

Solutio textus.

Ad hæc autem soluentes dicimus, quòd vox omninò vna & eadem simul & semel in diuersis aëris partibus nec formari, nec esse possit. Si ergo concedamus vnam & eandem vocem numero simul & semel sentiri in auribus diuersorum, obligati etiam erimus concedere vnam & eandem particulam aëris in qua vox illa formatur, ad aures diuersorum & in locis diuersis simul & semel peruenire, & in auribus diuersorum esse. Sed hoc est impossibile: quia impossibile est id quod est simpliciter vnum & idem corpus numero, posse esse simul & totum in pluribus locis: quia impossibile est ipsum esse alicubi quam vbi est. Ad hoc deducti sumus, quòd de duobus alterum necesse concedere est, scilicet aut quòd diuersa sunt quæ vocante vno aliquo in auribus diuersorum sentiuntur, aut quòd vnum & idem corpus numero in pluribus locis & diuersis simul & semel inueniatur. Eligitur autem inter hæc duo à quolibet rectè philosophante, quòd diuersa sunt quæ sentiuntur à diuersis, & sunt diuersa numero, non figura vocis & specie, nec diuersa accentu sicut acumine vocis vel grossitie, sed sunt diuersa numero ad vnam figurã vocis quæ primi vocantis vox figurata formata & vno acumine & grossitie generata, & hoc imaginabiliter, & similiter vnam vocem ab illa generari ad primæ vocis imaginem & similitudinem: & sic diuersa sunt quæ sentiuntur, quorum tamen quodlibet sentitur imagine & similitudine vocis quæ primi vocantis est: propter quod idem in auribus non sentitur.

Eadem vox numero non auditur à diuersis hominibus.

Ratio quæ mouet D. Alberti.

Obiectio textus.

Ex hoc autem sequitur, quòd secunda & tertia, & sic deinceps vox in aëre imaginatur, & similiter formata à voce primi vocantis non est immediatè vox animalis ab ipso vocãte animali formata: eo quod ab animali immediatè non profertur: & sic sequitur, quòd aliqua vox sit quæ non sit animalis vox: quod est contrarium his quæ in lib. de anima tractantur, vbi dicitur, quòd vox est sonus ab ore animalis prolatus, &c. Ad hoc autem dicimus, quòd omnis vox est animalis vocantis: nec aliquis ab initio audiuit vnquam vocem cum omnia silerent animalia siue in animalium silentio: propter quod & animalis esse dicitur omnis vxor, eò quod omnis vox generatur proferente & vocante aliquo animali. Originaliter autem & causaliter omnis vox quæ auditur à pluribus, est animalis, & vna similitudine & figura & accentu. Substantialiter autem per substantiam materiæ in qua formatur, plures sunt voces formatæ in omni circumciso aëre. Et sic vniuscuiusque animalis vox ad aures diuersorum dirigitur, quæ originaliter vnius est, sed non contingens, sed est potius impossibile, quòd vna numero vox sit simul in auribus diuersorum: & hæc est solutio dubitationis.

In 2. text com. 87. Solutio textus.

Quomodo vox quæ auditur, est vna, & quomodo plures.

Est tamen hîc attendendum, quòd quædam sunt in loco per se, & quædam per aliud vel per accidens. Per se enim sunt in loco ea quæ à loco in principium, medium, & vltimum, secundum loci particulas describuntur. Et hæc sunt corpora in exterioribus suis continente indigentia secundum naturam, quorum motus est ad locum sicut ad generans & saluans. Per accidens autem & per aliud sunt in loco quæcunque non sunt ita circumscriptibilia, vel sunt in his, vel sunt eorum quæ sic circumscribuntur per locum à circumferentibus, sicut anima, & accidentia corporis. Anima enim non est in corpore sicut in loco, sed sicut principiũ vitæ & motus. Et ideo corpus non determinatur ei sicut locus: & ideo neque est in eo sicut vbique in ipso, nec sicut ipso alicubi existens, sed est in ipso sicut in eo quo operatur operatione essentiali operationes principij vitæ & motus, & secundum hoc est in toto tota. Est autem viuere multiplex, scilicet vegetari, loco moueri, sentire, & intelligere: qui sunt actus spiritualis vitæ, qui fiunt spiritualibus potentiis & organis: & secundum hoc nõ est in toto tota, sed in vno est membro quoad vnum, & in altero quoad alterum. Sic ergo anima non est in loco nisi per accidens & per aliud: quia scilicet corpus est in loco in quo ipsa est non sicut in loco, sed sicut in eo quod viuificat & mouet.

Quæ sint in loco per se, & quæ per accidens.

Quomodo anima est in corpore, & quomodo est in loco per accidens.

Quomodo anima est tota in toto corpore, & quomodo non.

Accidentia enim corporis per accidens sunt in loco & in loco per accidens secundũ magis & minus: per accidens enim sicut quædã accidẽtia situalia, vt linea, superficies, & generaliter quantitas, & qualitas situalis, vt albedo, sapor, & odor, & huiusmodi quæ in magno sunt maiora, & in paruo minora, & hæc minus per accidens

Quomodo accidentia sunt in loco per accidẽs, secundum magis & minus.

eidens sunt in loco quam ea quæ situalia non sunt, vt scientia, virtus, & huiusmodi.

Quomodo eadem quæstio de visis, quæ fuit de auditis, scilicet virum idem numero visibile videatur à diuersis.

Eorum autem quæ sunt per accidens in loco, sicut species visibilium quæ sunt in aëre, non sicut in loco, sed potius sunt in ipso sicut medio deferente. Et quia aër deferens est in loco, ideò etiam ista per accidens dicuntur esse in loco. Et quia aër deferens simul videtur esse in oculis multorum loco distantium, ideo eadem quæstio est de visis in diuersis locis & in diuersis oculis, quæ est de auditis in auribus diuersorum. Et quamuis visibile sit in aëre perspicuo secundum esse spirituale, sonus autem secundum esse plus materiale, tamen secundum esse spirituale non potest vnũ & idem terminarum simul esse in diuersis locis, nisi illud sit in diuersis locis, in quo est siue secundum esse materiale siue secundum spirituale. Sensibile enim non est substantia vt per se existere possit: sed semper oportet, quòd sit in aliquo sicut in subiecto. Et ideo oportet illud dubitabile soluere sicut prius, quod vnum scilicet generatur ab alio ad imaginem & similitudinem ipsius: & sic originaliter est vnum, materialiter autem multa, quod est in sensibus diuersorum. Talia autem sunt in loco per accidens, & ideò diuersificantur per materiam quando sunt in locis diuersis.

Solutio quæstionis de visibili.

Quæ sint in loco diffinitiuè secundum Damascen.

Ioan. autem Dama. dicit quædam esse in loco diffinitiuè: & hæc quidem essentialiter non sunt in loco, sed quantum est de se sunt vbique & semper: quia nullum locum neque aliquam differentiam temporis in suo esse determinant, sicut intelligentiæ, & substantiæ quæ dicuntur Angeli, quæ quamuis ex se sibi locum non determinent, tamen per materiam circa quam operantur, ad locum referuntur. Sunt enim essentialiter ibi vbi operantur, siue sensibiliter, siue intellectualiter, siue spiritualiter operentur. Et quia hæc in loco sunt gratia alterius, ideò per aliud referuntur ad locum: per aliud autem referri vocat Arist. per accidens. Sunt etiam in loco quæ nullo istorum modorum sunt in loco, sed sunt in aliquo eorum ad quæ referuntur loci principia, sicut punctus, & superficies, & linea sunt in loco. Sunt enim principia copulationis dimensionum loci ad dimensiones locati: eò quod dictum est in prædicamentis, quòd particulæ loci copulantur ad eundem communem terminum ad quem & particulæ locati copulantur, eò quod vna numero est distantia loci & locati. His itaque modis aliquid dicitur esse in loco. Non autem hic distinguimus omnes modos quibus aliquid dicitur esse in aliquo: quia hoc magis pertinet ad 4. physicorum, & non ad logicum.

Quid sit per se in loco.

Ex hoc videtur velle, quod locus habeat profundum: & ideò considera quomodo accepit locum.

Sed ex dictis patet, quòd aliquid per se & propriè dicitur esse in loco, quod sic refertur ad locum, quòd indiuisibile quo copulatur locus, sicut punctus, refertur ad indiuisibile quo copulatur locatum, & longitudo loci ad longitudinem locati, & latitudo loci ad latitudinem locati, & profundum vnius ad profundum alterius. Et hæc circumscriptio actiuè in loco est, vel sicut in forma: potest autem sumi sicut in formato in locato: & sic secundum eundem comparabile est locatum ad locum. Et hanc comparationem dicit vbi secundum quod est prædicamentum.

Quomodo punctus linea & superficies sunt in loco.

Et sic potest quilibet aduertere qualiter particulæ essentiales corporis quanti locati copulantur particulis loci: puncta enim locati aptantur punctis loci, & linea lineis, & superficies superficiebus, & profunda profundis, & vt breuiter dicatur, dimensiones dimensionibus, & diametri diametris. Et ex hoc patet, quòd duo corpora simul in eodem loco esse non possunt: quia se tangunt, quòd puncti & dimensiones duorum corporum efficerentur essentialiter eædem, & sic duo corpora essent essentialiter vnum corpus, quod est impossibile. Hoc autem demonstrati habet in 4. phys. Eorum etiam quæ sunt in loco per se multi sunt modi, vt in sufficientia dicit Auicen. de quibus nos in sequentibus faciemus mentionem quantum ad præsentem spectat intentionem: eò quod eorum sub tilis tractatus pertinet ad scientiam physicorum.

Super t. c. 76.

CAPVT III.

De diuisione eius quod est vbi, in vbi simplex, & compositum.

Quid vbi simplex, & quid compositum.

VBi autem, &c. Diuiditur autem sic vbi, quòd aliquod est vbi simplex, & aliud compositum. Simplex vbi est quod à simplici loco procedit, sicut est punctus simplex, linea autem & superficies quo simplicia & quo composita, trina autem dimensio simpliciter composita est. Compositum autem vbi est quod procedit à loco composito: ex quo enim vbi est circumscriptio procedens à loci circumscriptione, consequens est, quòd à simplici loco procedat simplex vbi, & à composito loco procedat vbi compositum. Quia verò iam in prædicamentis ostensum est, quòd locus est quantitas, & nulla quantitas ita simplex est, quòd non habeat quantitatiuas partes, ideo oportet nos determinare quid locum simplicem appellamus.

Quid locum simplicem appellamus.

Malus intellectus quorundam.

Non enim hic est male intelligendum, sicut quidam malè dicunt, quòd locus simplex dicitur nõ simplex, sed quoad nos qui secundũ sensum est indiuisibilis à nobis. Hoc nihil est dictum in logicis nisi secundum intellectum simpliciter accedere. Sed dicitur, quòd locus simplex est origo, & constitutio eius quod est de numero continuorum. Constat autem ex his quæ de quantitate in prædicamentis dicta sunt, quòd origo omnium continuorum est indiuisibile simplex. Locus ergo indiuisibilis simplex, est indiuisibile simplex, quod est origo & constitutio continuitatis loci secundum quod est quantitas. Hoc autem indiuisibile dicitur locus indiuisibilis: quia satis diximus quando locatum egreditur à loco ad locum, non refertur ad locum nisi quia particulæ eius ad loci terminum copulantur: & secundum hoc indiuisibile locati refertur ad loci indiuisibile, & diuisibile locati ad loci diuisibile. Locus enim compositus & totus, vt dictum est in prædicamentis, habet particulas ad eundem

Id est, ponere illam expositionem, est intendere secundum intellectum.

Locus compositus quid.

dem terminum copulatas, ad quem & particulæ corporis locati coniunguntur siue copulantur. Et huius causa est: quia vna numero est distantia loci & locati. Hic autem terminus copulationis est punctum. Loci igitur partes copulatæ iuxta punctum vel in puncto necesse est heri vel copulari. Erit itaque locus simplex, in quo punctum adiacens, puncto locati adiacere constabit.

Obiectio. Si autem aliquis obiiciat, quòd Arist. non dicit punctum esse in loco: & si in loco esse diceretur, non differret locus puncti ab ipso puncto. Dicitur, quòd non dicitur punctum esse in loco per se vt contentum, sed est in loco vt ad quem vt ad loci punctum contenti in loco referatur, & quoad hoc dicitur locus, vt patet ex antehabitis. Et quia ad aliud non possunt loci particulæ & locati copulari nisi ad punctum loci. Ad dictum etiam Arist. dicendum, quòd punctum non est in loco per se: & si per se esset in loco, tunc sequeretur, quòd idem esset punctum & locus puncti. Nos autem dicimus, quòd non est in loco nisi secundum quod refertur ad copulationem particularum loci & locati: & sic dicitur locus simplex, & non quod locus simplex per se sit, locus enim simplex non est, sed est oppositio in adiecto & priuat rationem loci. Et ideo locus simplex est locus secundum aliquid: quia scilicet ad loci & locati refertur copulationem.

Solutio. Punctus non est in loco vt contentus, sed vt relatus ad punctum loci.

Loci particulæ claudunt, continent, & terminant. Manifestum autem est ex inductis, quòd loci particulæ non tantum quantitatiuæ, sed etiam essentiales prout est quantitas, vt punctum, & linea; & superficies, claudunt, & continent, & terminant. Et sic loca simplicia punctualia vel linealia vel superficialia, sunt occupatiua & contentiua & terminatiua eius quod est minimum & simplex corporis contenti & locati. Sic enim punctus ad punctum, & linea ad lineam, & superficies refertur ad superficiem, & profundum ad profundum, & diameter ad diametrum, & sic de aliis. Et hæc quidem secundum distantiam loci & locati eadem sunt subſtantialiter, relata autem ad continens & contentum differentiam habent loci & locati. Ex his autem omnibus concluditur, quòd locus non potest esse sine corpore: oportet enim quòd superficies alicuius corporis vltimum sit. Et quia non potest esse vacuum, oportet quòd alicuius sit sicut contenti in ipso sicut in loco. Et similiter soliditas corporea videtur non posse esse sine loco, hoc est, quin sit in aliquo sicut in loco.

Locus non potest esse sine corpore, nec è contra.

Obiectio sophistica. Et hoc sophisticè quidam improbare videntur, dicentes quòd omne terminatum in figura & quantitate est terminatum ad aliquid in quo finis est suæ terminationis: in nullo autem quod in mundo est, finis potest esse suæ terminationis: quia si intra est, essentiale est, & in ipso est esse suum: finis autem siue terminus est in quo nihil est de esse vel natura rei: oportet igitur, quòd terminet ad aliquid extra, & illud iterum ad aliud, & sic in infinitum, & sic infinitos mundos dixerunt extra cælum esse. Hoc autem non concordat dictis Peripateticorum. Et ideo dicendum, quòd non omne terminatum terminatur ad extra, sed vltimum non habet terminum nisi superficiē quæ est terminus intra. Et quod ante dicitur, quòd terminus intra est in quo non deficit esse terminati. Dicendum quod non oportet, quòd in ipso esse deficiat, sed quod deficiat ad ipsum, ita quod vltra ipsum nihil sit de esse: & ideo in vltima superficie est terminus & esse & loci.

Solutio. Hæc autem omnia probantur primo de cælo & mundo, & requiruntur: quia ad sciendam istam non requiritur nisi scire, quòd ita sit: ex naturalibus autem pendet probatio illorum. Nos autem propter facilem doctrinam istorum adhuc dicemus de istis quæ multipliciter sunt in loco, & quæ per se & naturaliter sunt in loco, sicut diximus. Adhuc etiam quodammodo latur locus: & per omnia ista adhuc de loco quædam sunt inquirenda dubitabilia ex quibus faciliter intelliguntur quæ dicta sunt.

CAPVT IV.

Vtrum primum cælum sit in loco, & qualiter diuersimodè sit in loco.

Quæstio. COntentio autem, &c. Cum autem dictum sit, quòd locus & vbi semper sunt in diuersis, locus enim semper est in locante corpore, vbi autem in locato, oritur hîc contentio de vltima in ascendendo sphæra, quæ eadem prima est in descendendo: vtrum ipsa in locante sit aliquo, vel non? Locus enim semper est in locantis corpore. Si enim non non est in loco, tunc non est etiam in vbi: & si non est in vbi, tunc videtur sequi, quòd non moueatur in vbi & secundū locum, & hoc est contra omnes Philosophos. Si autem in loco esse dicatur vt vbi, sic videtur esse falsum: quia locus est superficies exterioris corporis quæ est extra locatum: sed nihil videtur esse extra superficiem vltimæ sphæræ, cum ipsa vltimus sit terminus omnium. Si dicatur, quòd ipsa superficies locati locus sit. Hoc stare non poterit: quia iam determinatur, quòd locus & locatum semper diuersa sunt & diuersorum: & ideo superficies locati, cum ipsius locati sit, non potest esse locus, sed quoddam locati vel locatum. Consitentibus igitur aliquibus sphæram vltimam localem esse, proculdubio confitendum est & confiteri oportet, quòd vltimam sphæram sit aliud corpus circundans, quod vltra sphæram locum contineat. Sed constat, quòd vltra vltimam sphæram nihil aliud est nisi præter ipsam sphæram & diuersum ab ipsa. Oportet ergo dicere, quòd vltima sphæra in alio sicut in loco non est. Extremitas ergo vltimæ sphæræ non est in loco neque localis.

Hæc opinionem attribuit Ptolo. 4. Phy. sua. t. 60. 41. ipse Galil. & in hac ipsum redarguit. Et dicunt quidam extremam superficiem & locum corporis cælestis superficiem esse, & ipsam in loco non esse, quod est contra omnia quæ dicta sunt: quia tunc locus est aliquid locati, cum locatum moueatur ad locum, commouebitur ad aliquid quod intra se habet, quod est impossibile & contra naturam. Et ideo dicunt quidam, quod huiusmodi insolitum

tum est, & occultum est nuntiare aliquid certum de istis, cum ista propter elongationem nobis sint insensibilia.

Quomodo elementa, & mixta sunt in loco. Sciendum autem de istis, quòd ea quæ sunt in loco, multipliciter sunt in loco. Quædam enim sunt in loco sicut in generante & saluante: & quia à generante & saluante motus est localis, ideo talia mouentur ad locum, & sic in loco sunt mobilia motu recto, quæ indigent continenti exteriori vt saluentur, & sic elementa & elementata mobilia motu recto sunt in loco. Alio modo sunt in loco quæcunque sunt vt locus & vas continens & saluans quæ sunt contenta ab ipso per virtutem saluantis primi, & sic sunt in loco quæcunque sit saluant, vt incorruptibilia existentia & in se omnia talia continentia, & sic est in loco totum corpus cæleste, quod in se saluatiuum est omnium aliorum, & ideo mouetur circa locum. In his autem quæ primo modo sunt in loco, duo sunt motus. Vnus quidem ad substantiam saluantis, qui est motus à medio.

Quomodo totum corpus cæleste est in loco.

Motus à medio est ad substantiam saluantis: motus verò ad medium est ad virtutem saluantis. Alius autem ad virtutem saluantis, qui est motus ad medium: virtus enim sphæræ cælestis non congregatur nisi in medio quod est centrum sphæræ cælestis. His itaque duobus modis sunt in loco, quæcunque mouentur, ad locum vel in loco. Eorum autem quæ sunt in loco sicut saluantia & circundantia, quædam sunt sicut saluans per se, sicut prima siue vltima sphæra: quædam autem sunt locus vt vas saluans & non per se sed per aliud, sicut sphæræ inferiores, quæ habent alias extrinsecus circundantes.

Quomodo orbes inferiores, & quomodo prima sphæra sunt in loco. Secundum hoc ergo dicendum, quòd prima sphæra est in loco vt primus locus & vas, & hoc est in loco, quia refertur ad locum, hoc est, ad loci distantiam sicut primum saluatiuum & omnium generatiuum secundum formam, & non sic refertur ad locum sicut habens extrinsecus circundans, virtute cuius sit saluatiuum & generatiuum. Et hæc est vera solutio huius quæstionis.

Ad rationes probantes primam sphæram non esse in loco. Ad hoc autem quod obiicitur, quòd locus & vbi sunt in alio & in alio. Dicendum, quòd hoc intelligendum est de his quæ sunt in loco sicut saluante & continente: in his enim saluans & continens non possunt esse idem cum saluato & contento. In his autem quæ sunt in loco, hoc est, referuntur ad locum sicut saluantia & continentia, non est generaliter verum, sed est verum in his quæ saluant & continent non per seipsa: in his autem quæ per seipsa ita non est verum, sed etiam sunt locus pluſquam locatum, & vt locus quidem ad rationem loci referuntur.

Aliud est moueri in loco, & aliud ad locum. Ad hoc autem quod obiicitur ita moueri in loco vel secundum locum. Dicendum, quòd verum est, sed aliud est moueri in loco, vel secundum locum, aliud est moueri ad locum. Hæc enim vel ideo mouentur, quia mouentur in loci distantia vndique æqualiter circa medium: vel mouentur secundum locum, quia mouentur secundum loci differentias & situs, quæ sunt ante & retro secundum situm polorum, & à dextro & sinistro secundum distantiam Orientis & Occidentis, & huiusmodi. Non autem mouentur sic in loco, quod ad locum aliquem moueantur. His itaque modis sunt in loco, quæcunque per se in loco esse dicuntur. Nec oportet, quòd prima sphæra quæ per se habet loci rationem & non locari, habeat extra se continens in quo sit sicut in loco continentis: nec propter hoc ibitur in infinitum, quia statur in prima sphæra, quæ per se continet & saluat.

CAPVT V.

De proprietatibus vbi, quæ sunt non suscipere magis & minus & non habere contrarium.

Quod vbi non suscipiat magis & minus. CAret autem vbi intensione & remissione, ita quòd non dicitur secundum magis & minus. Et hoc probatur ex hoc quod non dicimus inter ea quæ in loco sunt, alterum altero magis esse in loco: non enim magis est in loco quod est sursum, quam quod deorsum: nec magis est in loco quod mouetur circulariter, quod id quod mouetur motu recto. Sed aliter, & aliter dicitur esse in loco non secundum magis & minus. Quamuis ergo vnum secundum quantitatem maiorem locum possideat quam reliquum, non tamen magis est in loco vnum quam alterum: quanto enim aliquid magis fuerit formale quam alterum, vt superiora quam inferiora, tanto possidet maiorem locum, sicut aqua excedit quam terra, & aër quam aqua, & ignis quam aër, & cælum maximum obtinet locum: magis enim & minus secundum intensionem & remissionem dictum, non dicitur secundum vbi vel secundum aliquam quantitatem, sed dicitur secundum qualitatem quæ potest intendi ex propriis secundum sui subiecti causas, vel remitti. Hoc igitur modo vbi proprium est (quod conuenit omni, sed non soli) magis & minus non suscipere.

Quid vbi non habeat contrarium. Inest autem vbi nihil esse contrarium, &c. Similiter autem proprium erit vbi non habere contrarium. Hoc proprium conuenit omni & semper, sed non soli. In loco autem esse (quod est causa eius quod est vbi) contrarietas non est. Quod autem nulli alij sit contrarium, per se manifestum est: quia contraria sunt in eodem genere. Alia autem à loco non sunt in eodem genere cum loco. Probatur autem etiā hoc: quia si habet contrarium, hoc erit secundum quod antiquis visum est, quòd sursum ad deorsum sit contrarium propter hoc quod multum distare videtur id quod est sursum esse ab eo quod est deorsum, quemadmodum maximè distare videntur sursum & deorsum. Propter hoc contrarietas quæ est in vbi, maximè videtur pluribus circa sursum esse & circa deorsum. Sursum enim esse vbi est, & deorsum esse similiter etiam vbi est. In his ergo maximè videtur contrarietas in vbi: & quantitatis contrarietas maximè videtur esse circa locum.

Si autem sursum & deorsum concedant esse contraria, sequitur inconueniens, quòd scilicet in eodem numero simul contingit esse duo contraria: sursum enim & deorsum di-

uersis respectibus sunt in eodem loco vel vbi. Idē enim locus numerò est sursum & deorsum ad diuersa sumptus vel comparatus, sicut patet in exemplo: quia turris altitudo sursum est ad nos comparata aspicientibus ab imo in sublime: comparata autem ad sphæræ cælestis altitudinem est interius & deorsum. Amplius ex hoc sequitur, quod idem sibimet ipsi erit contrarium. Si enim sursum & deorsum contraria sunt, cum idem numero locus sursum & deorsum sit, colligitur per syllogismum idem sibimet esse contrarium. Nulla igitur contrarietas est in vbi. De his autem omnibus patet (quæ dicta sunt) quòd contraria sunt secundum formas suas absolutas contraria, & hoc non variatur in ipsis per respectum ad hoc vel ad aliud. Et ideo si sursum & deorsum contraria essent, essent in eis formæ contrariæ, quæ in eodem esse non possunt, siue comparentur ad diuersa, siue non comparentur. De his tamen omnibus quantum ad logici spectat intentionem, in libro prædicamentorum in tract. de quantitate, satis determinatum est. Ex his igitur patet de omnibus propriis eius quod est vbi. Si autem quærat aliquis, quare hîc non designatur proprè proprium eius quod est vbi, & similiter in quando, cum proprium commune cognoscatur ex eo quod est verè proprium, & sic ponendum esset verius proprium quam commune. Dici potest, sicut dictum est in tractatu de quando, quòd scilicet proprie proprium vbi intelligitur satis ex prædictis, quòd scilicet conuenit ei æquale esse ad id in quo est, hoc est, ad corpus quod est causa vbi per circunscriptionem, quod vbi est circunscriptum, & conuenit ei æquale esse ad id ex quo sicut ex causa procedit, & alia huiusmodi quæ facile est assignare. Posset tamen dici in ambobus his principiis, quando scilicet & vbi, quòd substantia eorum in comparatione est considerata: & non multum substantiæ habet in ratione, & minus habet in esse naturali: & ideo in substantia istorum non multa radicantur proprie proprie sicut in illis quæ habent absolutas essentias: & ideò maximè substantia habet talia propria, & quantitas post substantiam, & post quantitatem qualitas, & ad aliquid habet ea secundum dici. Alia autem non habent de propriis huiusmodi: & ideò non ponuntur. Et ideo puto, quòd hæc ratio vera est: quia hîc proprie propria non ponuntur. Et hæc de vbi dicta sufficiant.

Si aliqua duo sunt cōtraria, non tollitur illa contrarietas per respectū illorum ad diuersa.

Quare non assignauit propria quarto modo ipsius vbi & quando. Solutio.

Aliter.

Ex quibus patet quæ habēat verè propria, & quæ non.

Obiectio.

TRACTATVS VI.

De positione.

CAPVT I.

Quid sit positio secundum quod est prædicamentum.

Situs est cōmunior quàm positio, tamen non est esse genus.

POsitio secundum quod est principium vel prædicamentum, est quidam situs partium & generationis ordinatio. Situs enim communior est quam positio sit: quia situs dicit ordinationem partium quantitatis, & in mathematicis magis refertur ad locum quam ad partes superficiei inter se vel in loco comparatas. Sic autem mathematica situm habent. Et quia magis dicit ordinationem in loco, propter hoc differentiæ loci dicuntur etiam differentiæ situs, sicut sursum & deorsum, & dextrorsum & sinistrorsum, & ante & retro. Cum autem sic communiter dicatur situs magis quam positio, non tamen ad positionem generis habet communitatem, quia tunc positio non esset genus primum: sed habet analogiæ communitatem; propter quod prius dicitur de naturalibus, & posterius de mathematicis. Adhuc cum situs per prius dicat ordinationem partium in loco, & per posterius dicat ordinationem in toto. Positio autem è conuerso per prius dicit ordinationem partium in toto & per posterius dicit ordinationem in loco. Propter hoc vt determinetur situs, in assignatione positionis dicitur, quòd positio est situs partium quidam. Non omnis situs est proprie & principialiter dicta positio, sed est quidam, vt dictum est.

Quare dixit positionē esse situm quendam.

Quare differentia loci dicuntur esse differentiæ situs.

Differentiæ inter situ & positionē.

Si autem obiicitur, quòd secundum hoc nomen ambiguum ponitur in diffinitione, quod est situs. Dicendum, quòd (sicut sæpè dictum est) assignationes generalissimorum non sunt diffinitiones propriè acceptæ, sed sunt assignationes qualescunque declarationis maioris quam nomen. Et in talibus assignationibus talia ambigua determinata sic à parte suæ ambiguitatis poni consueuerunt. Et ideo dicit, quòd est situs. Nec situs est idem quod positio: quia sic assignatio esset nugatoria: sed vocamus quod positio ex sui communitate, quæ tamen non generis est, vt dictum est.

Obiectio.

Solutio.

Quod autem dicitur partium situs, ideò est, quod positio plus dicit ordinationem partium in toto quam in loco, & determinatur ad hoc situs & restringitur cum dicitur quidam situs.

Quare dixit situs partiū quidam.

Quod autem dicitur & generationis ordinatio, ideo dicit, quòd generatio eius quod habet partes & integrales & quantitatem, est ex

Quare dixit & generationis ordinatio.

ex partium ordinata compositione, nec generari potest nisi per hanc. Et ideò generatio ipsa per formatiuam virtutem (quæ in generatione operatur ad formam generati) operatur talium partium ordinationem. Et ideo generatio hîc ponitur vt talis ordinationis propria causa. Et ideò male dicunt qui exponunt generationem pro generante. In aliis autem quibus non est generatio, & tamen est partium ordinatio, similis causa est: forma enim totum terminans, causa est ordinationis partium ad hunc vel illum situm, cum omne quod habet partes, ex partibus componatur suis, siue sit generabile, siue sit ingenerabile. Tunc distinguendum est, quòd quoddam compositum habet sua componentia actu intra se, non ante se nisi per naturam & intellectum: & hoc modo est generatum. Et quoddam est quod sua componentia habet actu ante & extra se, & hoc est generabile. Et propter hoc quando partes conueniunt ad compositionem, tunc generatur ex ipsis. Sic ergo intelligendum est cum dicitur, & quædam generationis in partibus scilicet generantibus ordinatio.

Reprehensio quorundam. Quæ sit causa positionis in his quæ non generantur.

Quod autem copulatio in medio ponitur, & per hoc id quod dicitur in assignatione, non videtur esse vnum, sed congregatum ex pluribus non essentialiter vnum constituentibus. Dicendum, quòd copulatio quæ in medio ponitur, notat expositionem, & non diuersorum copulationem. Hoc enim quod est positionem quendam situm esse, id est, & non omnem situm esse positionem. Posset esse dubium quis & qualis situs esset: & ideò additur, &, hoc est, id est generationis ordinatio, quæ partes adinuicem ordinat & ad totum vt sub forma totius formæ debito modo terminatæ ad totum constituendum. Dico autem partium adinuicem: quia oportet partem duplicem habere ordinationem, vnam scilicet ad compatere cum qua secum conuenienter constituit totum in quantitate & figura. Alium autem habet ordinem ad formam totius omnes partes terminantem ad esse totius & omnes partes continentem. Nomen enim quod talis ordinationis formam dicit, secundum quam partes adinuicem & ad totum referuntur primo & ad locum quem habent in loco totius, illud idem nomen rectè prædicat positionem, sicut supra vel infra in toto poni, vel æquè, vel non æquè, siue intra extrema poni siue extra extrema, vel huiusmodi. Hoc igitur est genus positionis.

Ly & tenetur expositiuè in diffinitione positionis.

Quare dixit partium adinuicem: & quomodo partes habēt duplicem ordinem.

Quid sit generalissimū positionis, quæ subalterna, quæ species, & quæ individua.

Huius autem subalterna sunt vel æquè vel non æquè poni, vel flexè vel rectè poni, sicut stante, vel sedente. Specialissima autem sunt, vt sessio, vel statio. Individua verò, vt statio Sor. sessio Platonis, & huiusmodi.

CAPVT II.

De his quæ sunt positiones veræ, & de his quæ videntur & non sunt.

SEcundum autem, &c. Positio igitur est secundum quam alia dicuntur sedentia & stantia & adiacentia quæ verè dicuntur positiones. Quia sedens est, cuius spondiles rectè tenibus porriguntur, sed crura non porriguntur ad inferiora ad sustentationem. Iacens autem, cuius dextrum vel sinistrum reliquo incumbit lateri. Stans autem, cuius superiora rectè cruribus incumbunt. Accumbens autem, positio est composita ex adiacere & sedere, sicut reclinatio à dorso facta, cum tamen adhuc inferioribus superiora insidant.

Quomodo sedēs iacens stans & accumbens dicuntur positiones.

Secundum etiam positionem dicuntur lenia vel aspera, vel quomodolibet aliter secundum situm disposita, hoc est, secundum ordinem partium posita: quamuis lenitas & asperitas multipliciter possint considerari, sicut dictum est in prædicamentis. Possunt enim considerari secundum ordinationem quam facit generatio totius ex partibus, & pro certo positiones sunt. Possunt etiam considerari secundum hoc quod in sensu agunt per acutum, vel hebes, vel non angulos, & sic proculdubio sunt passibiles qualitates. Possunt etiam considerari per modum quo componunt totius figuram & claudunt in angulo terminationem, & sic pro certo sunt qualitates quæ sunt formæ vel circa aliquid constantes figuræ.

Quomodo aspera & lene dicunt positionem, & dicūtur passibiles qualitates & etiā dicunt qualitates de quarta specie secundum quod diuersimodè considerantur.

Attendendum est, quòd sedere & iacere & alia quæ à positione denominatiuè dicuntur, positiones non sunt, sed à positionibus denominatiuè dicta & de substantia posita prædicata.

Ex his autem quæ dicta sunt solet induci quæstio de curuo & recto, aspero & leni, quadrangulo & triangulo, bicubito & tricubito, & magno & paruo, & breui & longo, verum ista dicant differentias positionum vel non: omnia enim hæc quandam partium positionem siue dispositionem significare videntur, & ita videntur differentias positionis prædicare. Curuum enim vt dicit Plato, est cuius medium exit ab extremis, & sic partium mediarum dicit ordinem ad extremes. Rectum autem est, vt idem dicit Plato, cuius extrema medium tegunt ne videri possit cum extremo: & hoc iterum dicit ordinem mediorum ad extrema. Asperum vero, cuius partes non in vna iacent superficie plana, sed extra superficiem porriguntur: quod iterum partis expressæ & partis eminentis ad superficiem dicit ordinationem. Lene autem est, cuius partes æquè iacent in planitie. Quadrangulum autem & triangulum & poliangulum considerari possunt tripliciter. Si considerentur secundum latera recte ad angulos terminata, positionem partium videntur dicere. Si autem considerentur clausionis linearum modus, tunc dicunt figuram & qualitatem. Si autem ad actum referuntur prout agunt in sensum, tunc videntur hæc dicere passibiles qualitates. Bicubitum autem & tricubitum & sic deinceps dupliciter considerantur, scilicet prout dicunt species quantitatis quæ substantiæ mensura est, vel prout sunt termini inuicem membrorum totum constituentium, sicut iunctura manus ad brachium, & brachij ad iuncturam: sic enim ordinem dicunt quantorum ad talem modum quantitatis totum constituentium, & sic videntur dicere positiones. Eodem modo considerantur

Dubitatio textus.

Recte situs quid secundum Platonem.

Asperum lene quid.

Triangu'us, quadrangulus & huiusmodi tripliciter considerantur.

Bicubitum tricubitum. dupliciter.

derantur magnum vel parvum vel simpliciter secundum quantitatem, & secundum sunt positiones. Considerantur etiam secundum proportiones ad partes & ad totum secundum quod magnum cum toto vel parvum constituit, & sic videntur dicere positiones. Idem enim per omnia de brevi & longo. Si enim considerantur simpliciter, dicunt quantitates. Si autem secundum proportionem, vt auris brevis rotundo capiti, & ô. longo capiti auris longa, sic aliquo modo differentias videntur dicere positionum. Sic ergo asperum dicitur, cuius partes supereminent sibinuicem. Lene autem dicitur, cuius particulæ æqualiter porrectæ sunt. Et eodem modo est de omnibus his quæ partium in toto & in loco totius dicunt quandam ordinationem.

Magnum parvum dupliciter.

Brevelongum dupliciter.

Solutio textus.

Attendendum ad quæstionis inductæ solutionem, quòd non omnia quæ dicta sunt, dicunt positiones vel positionis differentias, sed sunt qualia atque etiam qualitates circa situm existentes. Ex eo enim quòd partes sic vel sic in toto vel in loco totius dispositæ sunt, ex eodem tales vel tales sensibus inferunt passiones, pungendo, vel non pungendo: & ex eodem quod sic sensibus passiones inferunt, talia siue qualia esse à sensibus iudicantur. Et ideo in talibus positio partium est causa talis vel talis sensus, & non è conuerso eò quod tales sensibus inferunt passiones & sunt talia secundum sensum, efficitur quod sunt aspera vel lenia, vel bicubita vel tricubita. Vnde positio causa est sensibilitatis, & non è conuerso. Similiter autem est in aliis huiusmodi, quæ partium habent dispositionem in toto & in loco totius. Est ergo vnumquodque prædictorum non positio principaliter, sed erit dicens quale quoddam circa positionem vel situm. Hoc autem ideo quia nomen magis est impositum effectui quam causæ, eò quod sensui effectus magis notus est, quam causa. Vnde cum situs causa sit sensibilitatis in tactu, quod scilicet sic vel sic secundum tactum id quod positum est, sentiatur, erunt ista nomina qualitatum ex situ & circa situm causatarum & dictarum.

Situum oppositum videtur dicere in tractatu de qualitate. c. 8. solutio patet ex dictis hic.

CAPVT III.

De proprio communi positionis quod est non suscipere contrarietatem.

Videtur autem positio siue situs contrarietatem habere secundum apparentiam: sedere enim ad id quod est stare, videtur esse contrarium secundum quandam contrariorum rationem. Contraria enim sunt, quæ in vno & eodem individuo & in eodem tempore impossibile est reperire, sed vicissim eidem possunt inesse. Sedens autem postquam surrexerit, stare poterit, & stans sedere postquam steterit: sed aliquo sedente impossibile est aliquem eundem stare dum sedet: & sic cum sessio & statio vicissim eidem inesse possint & nulli simul, videntur esse contraria sessio & statio: & videtur habere positio contrarium, quia vna species positionis alteri esse videtur contraria.

Dubitatio textus.

Si autem propter hanc rationem huiusmodi quæ dicta sunt ponamus esse contraria, cogemur recipere inconuenientia hæc quæ dicentur. Primum quidem, quod idem secundum idem pluribus sit contrarium. Quamuis enim Aristot. in 5. ethic. dicat, quòd vnum potest esse pluribus contrarium, sicut inuoluntarium per ignorantiam, & inuoluntarium per violentiam opponuntur ambo inuoluntaria voluntario, non intendit Aristot. quòd secundum idem duo opponantur vni: quia hoc est impossibile. Hoc autem in his quæ dicta sunt si concedunturesse contraria, sequitur quòd secundum vnum & idem duo opponantur vni contrariè. Si enim confirmamus contraria secundum regulas contrariorum, inuenimus quod id quod est stare, non magis est sedere contrarium quam accumbere. Sicut autem sedere & stare nunquam sunt in eodem simul, ita neque stare & accumbere vel sedere: & secundum huiusmodi dispurationem nulla inerit situi siue positioni contrarietas: quia hoc proculdubio verum est, quòd tantum vnum vni secundum idem opponitur & eodem oppositionis genere.

Cap. 1. Quomodo vnum potest pluribus esse contrarium secundum Phil. sophū. 3 ethic. & qu modo hoc intelligendū.

Adhuc autem fortassè dicet aliquis, quòd non inconueniens est nec insolitum vnum esse pluribus contrarium: pallidum enim ad album & nigrum videtur esse contrarium per hanc regulam contrariorum & rationem, quod sint in eodem genere proximo quod est color, & nunquam simul secundum idem inueniuntur in eodem, sed mutuo se expellunt ab eodem susceptibili & vicissim possunt vni & eidem inesse quod secundum ea transmutatur. Ex hoc fortè videtur, quòd vnum pluribus possit esse contrarium secundum idem.

Obiectio textus Quod vni plura sint contraria.

Quod tamen non est verum: quia pallidum ad nigrum & album non est contrarium secundum quod contraria sunt quæ maximè distant sub eodem genere. Horum enim vnum nihil participat de reliquo, sicut album & nigrum, calidum & frigidum, & dulce & amarum, & alia his similia. Pallidum enim & alij medij colores ex albo & nigro conficiuntur & commiscentur: propter quòd necessarium est in quocunque pallidum est, in eodem esse aliquo modo album & nigrum. Similiter autem est de cæteris coloribus mediis. Non ergo videtur esse contrarium albo & nigro. Et veritas huius est: quia Aristot. dicit in 5. physic. quòd medium comparatum extremo est extremum: quia comparatur extremo propter oppositionem alterius extremi, quod est in ipso essentialiter constituens ipsum. Et sic pallidum comparatur nigro per album quod est in ipso, & opponitur ei contrarietatis modo aliquo: & comparatur albo per nigrum quod est in ipso, & opponitur ei contrarietatis modo quodam secundum non plenam oppositionem, sicut habent simplicia extrema quæ maximè distant eorum quæ sunt sub eodem genere. Patet autem ex hoc, quòd pallidum non opponitur pluribus secundum idem, sed secundum plura quæ sunt in ipso: & hoc non est inconueniens.

Solutio textus.

Tex. com. 52.

Quomodo pallidū opponitur albo & nigro.

Quomodo medium opponitur pluribus extremis sed non secundū idem sed secundum plura.

Amplius

Amplius autem & ad ea quæ inducta sunt dici potest, scilicet quòd contrariorum ratio & regula est, quòd circa idem nata sunt existere quod est susceptibile vtriusque, nisi alterum insit per naturam, vt in prædicamentis dictum est. Sedere autem & iacere si concedantur esse opposita ex alia ratione, tamen ex hoc patet quòd non sunt contraria: quia non semper circa idem specie & numero nata sunt fieri, sed seiuncta sunt susceptibilia eorum. In quibusdam enim sedere rationalibus conuenit propriè: iacere autem & accumbere etiam conuenit irrationalibus quæ rationalibus sunt aduersa. Huius autem signum, quòd equus & homo in hoc similia sunt, quod sine dubio probata ratione conuenit vtrisque & iacere & accumbere. Sedere autem non propriè conuenit nisi homini soli. Aliquid igitur iacet & accumbit, cui sedere non conuenit, sicut equus. Sedere igitur & stare & accumbere non semper nata sunt fieri circa idem. Sequitur ergo, quòd hæc non verè sunt contraria, quamuis modum aliquem habeant contrariorum. Sic ergo situi vel positioni conuenit non habere contrarium: & in argumento primo quo stare & sedere probari videntur esse contraria, paralogismus est constans ex eo quod non sufficienter enumerantur ea quæ exiguntur ad hoc quod aliqua verè sint contraria. Et hoc est proprium commune quod conuenit omni semper, sed non conuenit soli, sed plurib⁹ etiam aliis prædicamentis.

Alia solutio textus ad priorem obiectionem. Tract. de qualitate c. 11.

Sedere propriè conuenit rationalibus. Iacere autem & accumbere conuenit etiam irrationalibus.

CAPVT IV.

De proprio positionis quod est non suscipere magis & minus.

Adhuc autem communiter proprium positionis est, neque cum magis, neque cum minus dici per comparationem intensionis & remissionis. Sedere namque cum sit positio quædam, non magis & minus est positio, quam accumbere, vel stare, quæ etiam sunt positiones. Similiter autem in eadem specie positionis sedens vel stans, non dicitur minus altero magis sedens vel stans. Et vniuersaliter loquendo secundum nullam positionem dicitur aliquid secundum magis vel minus altero. Sicut ergo ab inductione concluditur, quòd positioni proprium est non suscipere magis & minus: habere enim contrarium causa est eius quod est magis & minus secundum quod minus est magis habere de contrario, vt dicit Aristot.

Iuxta illud 4. topic. albius est illud quod nigro est impermixtius.

CAPVT V.

De propriè proprio positionis, quod est substantiæ proximè assistere.

Magis autem & conuertibile proprium quod conuenit omni soli & semper, videtur proprium esse positionis substantiæ proximè assistere inter ea quæ assistunt substantiæ. Quædam enim accidentia dicuntur esse quæ simpliciter insunt: quædam autem assistunt plus quàm insunt, quæ non simpliciter sunt, nec causantur ab extrinsecis subiecti, sed causata ab intrinseco secundum ea subiecta comparantur ad alia, sicut & relatio, & quando, & vbi, & positio, & habitus. Et est hæc distinctio quam primus inuenit Auctor libri sex principium Gilbertus Porre.

Accidentium quædam insunt, & quædam assistunt, & hæc distinctio inuenta fuit à Gilb. Porretano.

Proprium igitur positionis est, quòd inter assistentia proximè substantiæ assistat, ac proximius assistat substantiæ omnibus aliis formis quæ assistere substantiæ suppositæ sunt. Hoc autem syllogismo probatur per diffinitionem positionis: substantiæ enim positio nihil aliud est quam naturalis substantiæ secundum hanc vel illam positionem ordo. Naturalis enim ordo secundum sessionem est sessio, & naturalis ordo secundum stationem est statio, & sic de aliis positionibus. Hæc autem naturalis ordinatio vel à principio quidem compositionis substantiæ innata est ipsi substantiæ: aut innata est ipsi substantiæ consueto motu naturæ. A principio quidem compositionis, sicut in leni, & aspero, vel æqualibus secundum superficiem, vel inæqualibus secundum eandem, sicut sunt plana, & hispida: naturæ autem motu flexura membrorum, sicut est sessio, & statio, & alia huiusmodi.

Quomodo positio proximius assistit substantiæ.

Et quia propriè proprium conuertibile est, ideo sequitur, quòd quicquid proximè substantiæ inter assistentia assistens est, id secundum veritatem positio est, quæ huius rationis propriam suscipit prædicationem: inter assistentia enim proximum substantiæ dicitur positio, & non inter inhærentia: non enim habent positionem nisi pro quantitate distensa: & sic patet, quòd quantitatem sibi vt substantiæ proximiorem supponit positio. Adhuc cum quantitas causetur à forma in composito, positio autem sit ordinatio compositorum, quorum actiua est causa, quantitas non proximior est substantiæ quam positio, præcipuè cùm non tantum dicat ordinationem partium in toto, sed etiam ordinationem partium in loco: quem locum habent partes in loco totius.

Assistere autem dixit Gilb. has formas quæ rationem non trahunt ab hoc quod insunt substantiæ, sed ab eo quod per ipsas substantia ad aliquid extra se ens comparatur, sicut relatio, & quando, & vbi, & positio, & habitus, quorum nullum nomine suo dicit, quod insit, sed nomine sui generis tantum vel substantiæ vel accidentis, sed nomine proprio dicit substantiæ comparationem exterius ad aliquid, sicut relatio, & quando, & vbi, & huiusmodi. Relatio enim vt relatio & non vt accidens substantiæ dicit comparationem secundum id quod est. Et similiter est de aliis, quamuis non relationis dicat compositionem, sed loci, vel temporis, vel ordinis, vel alicuius huiusmodi. Et quia hæ formæ assistunt potius quam insunt, ideo dixit idem Gilb. quòd secundum tales mutationes formarum non propriè muratur substantia, sed talibus formis mutatis substantia manet immutabilis, sicut

Quid per formas assistentes intellexerit Gilbertus: & quæ sunt istæ.

patet

pater est viuente filio, & non pater filio mortuo fine mutatione sui. Sic etiam dixit de aliis, vt quando, & vbi, quibus nihil mutatur eorum quæ in substantia sunt quando mutatio fit secundum quando vel vbi, nec est in substantia vel accidente (quod fit in his) fieri mutationem necesse: quod esse non posset si simpliciter istæ aut aliæ formæ inessent. Dixit ergo Gilb. quòd non insunt propriè, sed assistunt quasi extrinsecus: & ideò mutationes secundum ipsas possibile est fieri, nulla mutatione facta in substantia vel in aliquo accidente ipsis.

Quomodo differunt assistere positio, quando, vbi, & habitus.

Inter assistentia autem positio, vt dictum est, proximius assistit, & inter omnia relatio proximius assistit: quia sola ista secundum id quod est non est nisi alterius. Quando autem & vbi medio modo assistunt: quia in his in subiecto fit aliqua mutatio. Aliquid enim in præterito abiicitur, & aliquid acquiritur in futuro. Et similiter vbi totum mutatur de loco ad locum. Sed habitus plus assistit quam relatio: quia habitus mutatur ad formam habentis. Actio autem & passio cum sint à principiis interioribus, non numerantur inter accidentia vicissim, sed inter ea quæ insunt simpliciter absolue. Hæc igitur de positione dicta sunt.

Actio & passio non assistunt, sed insunt.

TRACTATVS VII.

De habitu.

CAPVT I.

Quid sit habitus secundum quod est prædicamentum.

HABITVS autem est corporum & eorum quæ circa corpus sunt adiacentia, secundum quam hæc habere, illa verò haberi dicuntur: habitus enim est habentis, & in habente est habitus, & de illo prædicatur per denominationem. Vnde secundum quod est accidentis, sic est in habente vt accidens in subiecto. Cum autem dicitur, quod habitus est corporum, hoc ipsum quod dico corporum, est in habitudine causæ finalis; quia propter corpus quæritur habitus. Cum autem dicitur, & eorum quæ circa corpus sunt, tangitur causa materialis, scilicet ex qua sumitur habitus. Et cum dicitur adiacentia, tangitur modus accidentis illius quod est habitus. Adiacentia enim habitus ad corpus dicit naturam illius accidentis: hoc enim adiacens est vt camisia, & ab hac dicitur camsiatus: & aliquid adiacet vt tunica, & ab hoc dicitur tunicatus, & similiter armatus, calceatus, & alia huiusmodi. Habitus igitur secundum quod est prædicamentum, est habitudo corporis ad circunstans, quod figuram corporis talem vel talem accipit: quia ab hac vel ab ista figura dicitur caparus, vel tunicatus, vel calceatus, vel aliter secundum habitum vestitus. Forma igitur quæ est in corpore vestito, secundum quam ad circunstans extra cõparatur & denominatur, est res huius prædicamenti, & nomen significans illud huius prædicamenti nomen existit. Hoc igitur prædicamenti nomen est significatum: & patet quòd talis forma in nullo aliorum importatur prædicamentorum: & propter hoc specialiter exigit prædicamentum, quod est vnum de generalissimis, cuius subalterna sunt vestitum esse, & armatum esse. Specialissima sunt autem esse tunicatum, caparum, loricatum. Indiuidua autem loricatum esse Sortem, vel Platonem esse tunicatum, & huiusmodi. Quod autem additur, secundum quam hæc dicuntur habere, hoc autem haberi, specificatio est habitudinis inter habens & habitum: in hoc enim quod est figuram dans & vt causa finalis dicitur habens: hoc autem quod figuram est accipiens alterius propter alterum assumptum, dicitur habitum.

Quare dixit corporum: & quare eorum quæ circa corpus sunt.

Quare dixit adiacentia.

Quid sit habitus secundum quod prædicamentum.

Quid generalissimum huius prædicamenti, quæ subalterna, quæ specialissima, & individua.

Quare dixit secundum quam hæc habere, illa verò haberi dicuntur.

Hoc autem speciale est in hoc prædicamento siue principio, quia hoc simpliciter inesse dicitur, siue sit secundum totum, siue sit secundum particularem diuisionem: in aliis autem quod secundum totum inest, simpliciter dicitur inesse: quod autem secundum partem inest, non simpliciter, sed secundum quid dicitur inesse, vt Æthyops albus est secundum quid & non simpliciter albus: hic autem quod secundum partem inest, simpliciter dicitur inesse, vt calceatus secundum pedem, simpliciter dicitur calceatus, & anulatus secundum digitum, simpliciter anulatus dicitur esse. Est igitur habitus simpliciter, siue sit secundum totum, siue sit secundum partem dictum, vt anulatum quidem esse secundum digitum, & calceatum esse quod inest secundum partem, cum tamen vtrumque dicatur simpliciter.

Quomodo inesse secundum partem est simpliciter inesse in habitibus: non autem in aliis.

His autem neque rebus quæ habitus sunt & formis quæ habitum prædicant, simplicia quidem nomina imposita sunt, quibus ea quæ habitus verè sunt appellentur. Simplicia autem dico nomina, quæ verè primitiua sunt, & vnum tantum significantia absolutè, non in comparatione ad alia. Talia enim nomina non habent genera & species habitus, sed dicuntur

Quomodo speciebus habitus non sunt imposita nomina simplicia.

tur habitus nomina, vt armatio, & calceatio, quorum primum ab armis deriuatur, & habitudinem significat: quia corpus armis proportionatur & comparatur. Secundum autem deriuatur à calceo & habitudinem notat, qua pars corporis calceo comparatur. Secundum autem deriuatur à calceo & habitudinem notat, qua pars corporis calceo comparatur & proportionatur. Et similiter autem est in reliquis omnibus, quæ generum vel specierum habitus nomina esse dicuntur, vt vestitio, caparatio, tunicatio, & huiusmodi. Propter hoc enim quod ex duobus causatur, & vni debetur vt habenti, reliquo autem vt habito, ideò ab vno simplici nomen imponi non potuit: sed oportuit, quòd ab aliis deriuaretur. Quia verò habentis est habitus & non habiti, ideò oportuit, quòd denominatiuè nominaretur vt capatus, calceatus, & huiusmodi.

Quare nomina habitus non fuerunt ab vno simplici imposita.

Quia verò in exterioribus est habitus non interioribus, ideo id quod est secundum partem in quibusdam refertur ad totum: quia qui secundum pedem calceatus est, simpliciter dicitur calceatus esse: & galeatus simpliciter dicitur, qui secundum caput galeatus est. Hoc autem est in his in quibus habitus partis est pro toto. Calceatus enim secundum pedes, pro toto est calceatus, quia pedes totum protegunt, & anulatus secundum digitum, simpliciter est anulatus, quia anulus digiti est ornamentum totius. In quibus autem id quod est partis, ad totum referri, non potest, non ita: protectus enim secundum lumbos, non simpliciter est protectus, vt velum capitis habens, est simpliciter velatus: & similiter est in aliis.

Quare in quibusdam habitibus tale secundum partem est tale simpliciter, & in quibusdam non.

In naturalibus autem quamuis intrinseca & extrinseca circundantur, tamen est habitus secundum modum, & non secundum veritatem, vt carnatus, & incarnatus, & inossatus, & medullatus: hæc enim non verè sunt habitus, sed partes corporis secundum substantiam constitutam, quamuis ad modum habitus sint dicta ista. Et ideo ista non dicuntur habitus, sed partes substantiæ dicuntur ad modum habitus, vt dictum est.

Quomodo partes substantiæ corporis non sunt habitus, sed ad modum habitus.

CAPVT II.

De propriis communibus habitus, quæ sunt suscipere magis & minus, & non habere contrarium.

SVscipit autem habitus magis & minus secundum aliquem modum, sed est proprium quod non conuenit soli, nec semper: dicitur enim eques pedite armatior, eò quod magis paratus est ad defendendum & ad impugnandum: quia instrumento bellico quod est equus paratus est; & equo vtitur vt habitu armorum magis quam vtatur eo vt vehiculo: & hoc modo equus vt instrumentum bellicum est in genere habitus, sicut & gladius cum dicitur aliquis gladiatus, vel lancearus, vel aliquo alio instrumento bellico denominatus: & hoc modo secundum aliam speciem habitus calceatior est, qui caligis & calceamentis vtitur, quam qui solis vtitur caligis. Hoc autem contingit habitui secundum aliquas species ipsius: in quibusdam enim habitibus non est verum: quia cum magis & minus prædicentur, sicut vestitum esse, vel tunicatum esse, & similia. Vnus enim alio vestitior non est qui pluribus vtitur vestibus, quam qui pauciori-bus: vel qui melioribus, quam qui pauperioribus vtetur indumentis. In habitu enim quædam in specie comparantur secundum magis & minus: vestitum enim esse genus est ad tunicatum, & togatum, & pelliceatum: sicut armatum genus est ad loricatum, vel gladiatum, & lanceatum, vel in equestri bello esse, vt ita dicam, de externarum vel equitu. Sed in genere armorum recipit magis & minus secundum genus & speciem. Sed in genere vestimenti in neutro suscipit magis & minus. In genere autem calceamentorum suscipit magis & minus.

Quomodo in genere armorum secundum genus & speciem suscipit magis & minus, & in genere calceamentorum.

Videtur tamen etiam, quòd in genere vestimentorum suscipit magis & minus: dicitur enim vnum magis vestitum esse quam aliud, & alterum minus vestitum, sicut dicimus vnum magis calceatum quam aliud. Adhuc autem quæratur causa, cum vnus sit armatior quam alius, & vnus calceatior quam alius, quare vnus vestitior quam alius non est?

Prima obiectio.

Secunda.

Ad hoc autem dicendum, quòd vestimentum refertur in vno vsu tantum, qui est calorem fouendo tegere: tegitur autem corpus simpliciter & totum vno quocunque vestimento, & non tegitur plus pluribus quam vno: & ideo quoad hunc actum habitus cum magis & minus non prædicatur. In calceis autem & armis non sic est. Arma enim non ad vnum sunt bell. actum, sed quædam sunt impugnationis, quædam defensionis, quædam talis vel talis inuasionis. Et hæc omnia respiciunt bellum & belli proprios actus in defensione & in impugnatione: & ideo armatior est, qui ad plura (quæ belli sunt) paratior est. Similiter est de calceamentis quæ non quærantur ad tegimen pedis tantum, sed etiam ad viæ expeditionem, vt pes melius & à nocumentis defendatur & facilius moueatur & in præsenti motu minus arceatur: & hoc modo calceatior est, qui ad plura talia ex calceis & caligis paratior est. Similiter etiam in ornatu, quòd ornatior est, qui ad plures decores ornatior & paratior. Sed in vestitu vt vestitus est, non est nisi vsus vnus, qui est tegenda conseruare, & ita corpus tegitur vno sicut pluribus, & ita vno sicut multis: nec minus tectus est qui vno tegit, dumodo vno totus & per totum tegatur, quam qui multis tegitur. & vestitum esse non est cum magis & minus. Hoc igitur proprium est quod nec conuenit omni, nec soli, nec semper.

Ad primam, & secundam.

Quare habitus in genere vestimentorum non suscipit magis & minus, sed bene habitus in genere armorum, & calceamentorum, & ornamenti.

Habitui autem nihil est contrarium: & hoc est proprium quod conuenit omni & semper, sed non soli. Hoc autem probatur inducendo & exemplorum positione. Armatio enim non est contraria vestitioni vel calceationi: quia si esset contraria, non posset simul esse in eodem. Idem autem simul & semel est armatus, calceatus, & vestitus. Quod autem aliis nihil est contrarium habitibus, palam est. Simile est in aliis sicut in istis, sicut

facile est videre adiacentes species & genera habitus. Et quia non suscipit contrarium, ideo etiam non simpliciter suscipit magis & minus. Magis enim & minus sunt secundum vnam & eandem formam separatam a contrario magis & minus. Quando autem dicimus aliquem esse magis ornatum, vel calceatum, vel ornatum non dicimus secundum vnam aliquem eandem formam, quæ inest habenti habitum: sed hoc refertur ad actum quo proficit armatus vel calceatus vel ornatus: & hoc non est per habitum, sed per missio propriè: quamuis enim propriè sit vna ad actum hunc vel illum, cui præparantia non sint vnum nisi inquantum sunt armantia vel calceantia vel ornantia, tamen quia hæc non armant vel calceant vel ornant secundum vnam & eandem potentiam præhendi vel eundi vel ornandi, ideo non relinquunt formam vnam nisi in comparatione ad actum vnum communem, vt dictum est. Et ideo etiam non proprie habitus suscipit magis & minus, sed per comparationem ad actus perfectionem, vt dictum est.

Habitus non suscipit contrarietatem.

Remouet dubium quomodo habitus nihil recipiat magis & minus, cum alii put habeat.

Solutio quæ non propriè habitus recipit magis & minus.

Hoc autem extra hoc plane videri potest: quia non habet simpliciter contrarium, nisi genus quod est qualitas: ideo etiam nihil simpliciter suscipit magis & minus nisi qualitas habitus ergo non suscipit magis & minus, nisi in comparatione ad actum, cuius in comparatione ad quem habitus est perfectior. Quod etiam actio & passio suscipiunt magis & minus, ideo oportet, quia actio & passio causantur ab actuis & passiuis qualitatibus.

De hoc vide supra tractatu de qualitate.

CAPVT III.

De propriè proprio habitus quod est semper in pluribus esse.

PRoprium autem habitus est quod conuenit omni soli & semper, quod in pluribus sit quod non in vno, scilicet in corpore sicut habente, & in his quæ circa corpus sunt habita, sicut in vestitu, & armis, & ornatu: nec vnquam potest esse in vno nisi cum alio: habitus enim est forma quæ non inest habenti, nisi sit cum eo quod actu habetur vt circundans corpus: & hoc non est in aliquo coordinationis prædicamento, sicut facile patet in omnibus, vt in vbi, & quando. Sed in vbi quidem vbi est in eo quod est in loco, & nullo modo est in loco: cuius ritio: quia locus non est vbi vel alicubi: quia aliter iretur in infinitum. Similiter quando est in tempore sicut in causa: sed tamen non necessario est cum tempore: quando enim ex præterito non necesse est esse cum præterito: quia id præterit. Sed in habitu nunquam verè inest habitus habenti, nisi quãdo habitus circundat habentem.

Habitus est in pluribus, scilicet in habente & re habita circa corpus.

Vbi est in loco, & nõ in loco.

Quando est in tempore sicut in causa: sed tamen non necessario est cum tempore

Quomodo corpus adiacet habitui, & contra diuersimode tamen.

Soli igitur habitui conuenit hoc non in vno, sed in pluribus semper existere: habitus enim est adiacentia corporis, & est eorum quæ sunt circa corpus. Adiacet autem corpus habitui vt causans figuram totius vel figuram membri quod induitur vel armatur vel ornatur: habitus autem adiacet corpori vt circũdans ipsum, & sic verum quodammodo adiacet alteri. Et hæc adiacentia duplex causa est adiacentiæ quæ est habitus, vade corpus adiacet habitui, & habitus corpori. Et hæ duæ adiacentiæ causant adiacentiam totius importatur per nomina specierum earum habitus, vt loricatus, anulatus, tunicatus, & generaliter armatus, vestitus, vel ornatus. Quod autem habitus in pluribus semper sit secundum eandem diuisionem quæ est in partibus, non quidem in partibus talibus politionem, vt quidam male dicunt: sed ideo vt quia diuisio est in his partibus in quibus vt partitis & diuisis est habitus: & hæc sunt habens quidem in parte vna, & habitus in parte alia, quæ subsistunt aliter diuisa sunt & nullo modo vnita. Quod autem genus vel principium sic sit in pluribus, in paucis inuenies. Non enim inuenies rem alicuius principij vel prædicamenti sic esse in pluribus, nisi in quadam quantitate, & in quibusdam quæ sunt ad aliquid. In ad aliquid quidem vt figuraliter dicatur secundum quod apparet in primo aspectu, vt similitudo, & dissimilitudo, æqualitas, inæqualitas, differentia, conuenientia: hæc omnia in pluribus sunt similibus & dissimilibus, æqualibus & inæqualibus, vel aliter adinuicem se habentibus: quæ tamen omnia vniuntur in vno quod est qualitas eadem vel diuersa quæ est causa omnium illorum. Quantitas autem quæ in pluribus actu est, vt numerus qui est in numeralibus, vt in his quæ in actu plura sunt & numerantur, quæ quidem in pluralitate aguntur secundum vnitatum earundem multifariam secundum discretionem assumptionem. Discretio enim vnitatis facit numerum.

Quomodo cauſans habitus quæ est tractamentica.

Quomodo habitus sit per se in pluribus, & reprobatio male intellectus quo quidam in hoc.

Pauca principia representantur quæ sunt in pluribus.

Quomodo ad aliquid sunt in pluribus.

Quomodo quantitas sunt in pluribus.

Et taliter non est in habitu. Ibi enim actu plura sunt, quæ non multiplicantur secundum vnam vnitatis assumptionem. Vnde quamuis simpliciter nihil inuenias quod tot distribui possit partibus vt numerum, eò quod in infinitum excrescit vnitatum appositione. Et quamuis etiam concederemus, quòd quantitas quædam & relatio in pluribus consistit, non tamen omnis quantitas & relatio talis est, quòd semper sit in pluribus. Continua enim quantitas non est in pluribus, nec omnis relatio. Idem enim refertur ad id quod est idem, & pater ad filium, & non in pluribus consistit singul in actu ex seinuicem existentibus. Habitus autem talis est omnis quòd semper consistit in pluribus seinuicem complectentibus. Consistit enim in corpore & his quæ circa corpus sunt, quæ nec idem supponunt ex quo causantur vt ea quæ sunt ad aliquid. Nec etiam multiplicantur ex vnius & eiusdem materiali vnitate. Hoc autem manifestum est ex eo, quòd omnis habitus consistens est in corpore habente & his quæ circa corpora sunt. Et hoc quia sit in pluribus nullam vnitatem habentibus, nec super vnam fundatur, habitus nomen sortitur, & nulli alij prædicamento sic conuenit esse in pluribus. Omnis enim adiacentia mutua corporis & eorum quæ circa corpus sunt, habitus nomen sortitur: propter quod proprium est habitus & vere proprium adiacentia corporis & eorum quæ circa corpus existunt

Quomodo aliquo modo habitus est in pluribus quam relatio & quantitas.

existunt secundum eam quæ partium est diuisionem. Verum quod circa corpus existit, multas habet diuisiones non tantum materiales, sed etiam formales, vt secundum armationem, vestitionem, bellationem, ornationem, & ludum qui habitu profertur. In omnibus enim his proprium est habitus in pluribus existere quæ ad vnitatem nullam possunt reduci: & hoc non conuenit alicui alij prædicamento: nomen enim ipsum habitus à pluribus trahit rationem, ab habente scilicet, & ab eo quod habetur.

Remouet dubium.

Et licet habens non multiplicetur secundum subiectum, tamen secundum formas & officia multiplicatur, vt aliud habet textor, & aliud habet coriarius, & aliud pistor, & aliud habet ciuis, & aliud œconomicus, & aliud politicus qui gubernat ciuitates, & sic de aliis. Propter quod hoc prædicamentum semper in pluribus, quæ in actu simul sunt consistit, & illud vere proprium est quod nulli conuenit aliorum, ita quod scilicet secundum plures potentias consideratur habens, & secundum has pluribus indiget, & plura habet ad potentiarum illarum exigentiam secundum diuersitatem potentiarum ipsius habitus, secundum quod se habet amictu, vel armatione, vel ornatu: nemo enim amicitur simplici vno, nec armatur vno simplici, nec ornatur vno simplici ornamento: sed semper habens vult consistere in pluribus potentiis, & habitus in pluralitate instrumentorum.

CAPVT IV.

De modis quibus dicitur habere.

DIcitur autem, &c. Habere autem non est habitus prædidamentum, quamuis habitus habetur: & hîc omninò distinguendi sunt modi habendi. Dicitur autem habere multis modis: sicut aliquis dicitur habere alterationem & affectionem ex alteratione relictam, vt albedinem, vel nigredinem. Quia autem similis est modus habendi quantitatem per modum ad subiectum sicut & qualitatem, propter hoc ad eundem modum reducitur habere qualitatem & magnitudinem & longitudinem, quod scilicet quantitas sit mensura qualitatis, cum nihil aliud sit albedinem habere vel longitudinem vel latitudinem, quam album esse vel longum vel latum: quia cum albedo sit forma corporalis, per accidens dicitur cum quantitate subiecti: & sic duo modi in prædicamentis determinati habere, hîc reducuntur ad vnum.

Primus modus habendi.

Hic coniungit in vnum duos modos habendi quos seiunxerat in postpredicamentis cap. vltimo.

Secundus modus habendi.

Secundo etiam modo dicitur habere sicut vas dicitur habere aliquid: & quamuis hoc multipliciter sit in liquidis & aridis & in aliis huiusmodi, tamen in communi vna tantum est habitudo habentis ad habitum, sicut modius dicitur habere granum, vel lagena vinum: in huiusmodi enim nihil aliud est habere quàm continere, & nihil aliud haberi quam contineri.

Tertius modus.

Habere tertio modo dicitur secundum partem & non secundum totum, quamuis habitus ad totius decorem referatur, sicut in membro. Verbi gratia in digito anulum habere dicimur, vel in fronte vel in pede ornatum vel in aure: hæc enim omnia reducuntur ad vnum communem modum. Cum enim dicimur in digito habere anulum, tantundem valet ac si digitus in anulo sit & habeatur: & quia etiam membrum organicum ad vsum totius habetur, ad eundem modum reducitur habere membrum.

Dicitur autem habere quarto modo vt vxorem: hic tamen insolitus est habendi modus, vt in prædicamentis dictum est, vt quod habetur habens est, & habere dicatur: & hoc quidem habere nihil aliud est quam cohabitare.

Quartus modus.

Si ergo primus modus in duos diuidatur, vt in prædicamentis dictum est: tunc modi habere qui magis & communiter dici consueuerũt, quinario numero terminantur. Si autem pro vno modo ponantur duo qui prædicti sunt: runc subintelligitur modus qui omnibus manifestus est, sicut habere possessionem: & iterum sunt quinque: vel ex prioribus relinquitur modus qui est habitus prout est prædicamentum, vt modi habendi quinario terminentur. Et fortasse erunt apparentes alij modi habendi præter hos qui dicti sunt numerati: & hos inueniendos relinquimus diligentiæ legentis. In prædicamentis septem positi sunt, hic autem quinque qui magis competunt sex principiis quæ sunt determinata. Principia enim actus sunt & operationem habent ad substantiam: & de hoc congruit modo primo. Principium enim fluidum ens & dispersum est, & de assistentibus plus quam inhærentibus: & ad hoc facit modus tertius. Principium enim plus etiam assistit quam insit: & sic quodammodo cohabitant: & ad hoc facit modus quartus. Coniunctus autem modus secundum veram intentionem est, qui est circundans extrinsecus: & ad hoc facit modus quintus. Alij autem modi qui sunt vt totum habet partem vel huiusmodi non hic ponuntur: quia hoc modo non est accidens in subiecto, sicut quædam pars: & ideò ad principiorum habitum iste modus nullam habet positionem.

Quot sint modi ipsius habere.

Remouet dubium. Modi habendi qui magis conueniunt sex principiis.

Quæ autem notanda sunt ad materiam quæ de habere in prædicamentis dicta sunt, quod scilicet habens in omni genere habendi est principium eius quod habetur: hoc autem non nisi accidentis extrinsecus assistentis est quod habetur. Et hoc potest considerari secundum se, vel secundum essentiam, vel secundum modum assistendi substantiæ. Si primo cum esse eiusdem sit inesse: sic accipitur modus primus. Si autem in essentia consistere cum essentia fluida & dispersa: & quod hoc sumitur modus scilicet qui continetur in subiecto, vt non fluat & dispergatur. Si autem modus inhærendi consideretur: tunc dupliciter consideratur, scilicet quantum ad causam, & quantum ad effectum: & tunc his duobus modis consideratur, scilicet secundum id quod est: & sic est modus proprius qui ex habitis relinquitur. Si autem consideretur secundum modum qui inest: tunc est similis modus insolitus,

Sufficientia modorum ipsius habere.

litus, qui non est nisi quodammodo cohabitare, sicut vxor viro.

Hæc igitur de sex principiis quæ in prædicamentorum scientia dimissa sunt, dicta sufficiant: si qua enim alia sunt & aliqua principia sunt scientiarum & demonstrationum, in eo libro qui de analyticis posterioribus est, determinari habent & ibi requirantur. Si qua autem alia omissa sunt, vel in libro prædicamentorum dicta sunt, vel magis propria sunt primo philosopho, & in 5. primæ philosophiæ libro habent determinari, vbi distinguitur quoties dicitur vnumquodque quod est pars vel species entis.

TRACTATVS VIII.

De magis & minus.

CAPVT I.

De opinionibus antiquorum de eo quod est magis & minus.

DICITVR autem, &c. Quia verò in hac scientia & de formis accidentalibus in genere, & de principiis quæ in pluribus formæ sunt assistentes, quæ secundum singula secuti sumus: formis autem accidentalibus quibusdam conuenit magis & minus suscipere: ideò bene se habet de magis & minus determinare, vt eorum quæ dicta sunt in prædicamentis & hîc, facilior sit doctrina. De cõtrarietate & oppositione quæ causa est cius quod est magis & minus susciperc, in prædicamentis satis determinatum est. Sicut autem dicit Boëc. ab Alexand. affirmans, tres apud antiquos de magis & minus susceptæ sunt opiniones. Eorum quidem vna qui dicebant, quòd in omni in quo inuenitur magis & minus, inuenitur aliquo modo materia cuius quantitas, vt dicunt, ex indiuisibilibus consistit, vbi plura similia in vno conueniunt, id dicunt intendi: & vbi pauciora sunt, illud dicunt remitti: & ideo albissima sunt in quibus plura indiuisibilia concurrunt albedinis. Remitti autem vbi conueniunt pauciora. Et hæc quidem opinio, vt dicit Boëc. fuit Platonis. Videtur autem ab antiquo Anaxagora deriuata, qui dixit simile simili generari, & omnia esse in omnibus, sed latere: & ideò etiam intendi & remitti, quodcunque secundum quod plus & minus apparet de ipso simili.

Opinio Platonis & Anaxagoræ de magis & minus.

Secundi dixerunt, quòd formæ neque crescunt, neque decrescunt, nec intenduntur, neque remittuntur, sed potius sumunt subiectorum crementa vel decrementa: quod enim est in partibus bene digestis puris & luminosis crescit: & quod tales ad augmentum recipit, hoc intenditur ad albedinem: & quòd tales partes ad augmentum sui non recipit, hoc remittitur.

Secunda opinio.

Tertij verò dicebant non omnibus formis fieri intensiones & remissiones, sed in his quæ mediæ sunt: & ideo dicunt certissimas scientiarum vel artium & virtutum non intendi nec remitti, sicut est grammatica perfecta vel iustitia: sed medio modo non perfectè habitas intendi, sicut de dispositione fit habitus medius.

Tertia opinio.

Istæ ergo fuerunt opiniones de magis & minus antiquorum, & ad harum imitationem opinionum dixerunt etiam posteriores, quòd de magis & minus suscipere tripliciter aiunt: quidam quòd ea quæ magis & minus suscipiunt secundum eorum subiectorum augmentum (quæ substantiæ dicuntur) magis & minus suscipiunt: & hoc est iuxta modum secundum qui dictus est in opinionibus antiquorum, & hoc est intelligendum sicut ante est expositum.

Dicitur autem magis minus. suscipere, &c.

Aliter autem & alij dicunt ipsas formas quæ in subiecto suscipiuntur, in ipso quidem suscipiente subiecto secundum seipsas minui & crescere, non crescente vel diminuente subiecto: & hæc opinio sumpta est iuxta primam Platonis & Anaxagoræ opinionem: & hoc maximè dicebant in qualitatibus incorporeis, vt scientia, & virtute, quæ dona deorum esse dicebant: & in his primo data per secundo addita auget: & hanc esse intensionem & remissionem.

Alij autem videntes intendi multas qualitates ex causis mutantibus subiectum, dicebant intensionem & remissionem & magis & minus fieri secundum vtrumque istorum, vt quidam asserunt secundum subiecti incrementum & decrementum: & illam superius inductam opinionem conantur imitari: quia motus aliquis & subiecti est & formæ quæ in subiecto: subiecti quidem vt eius quod mouetur, formæ autem vt eius quod accipitur in motu.

A primis inchoantes, &c.

Inchoantes à primis debemus igitur manifestare quæ istarum sententiarum rata sit in veritate, & firma argumentationis confirmatione: sic enim melius sciemus quod verum sit de istis. Hoc tamen præsciendum, quòd si quis primam & secundam destruxerit opinionem: tunc etiam destructa est tertia opinio quæ etiam nihil est nisi duarum, primæ scilicet

licet & secundæ coniunctio vel compositio.

Improbatio primæ opinionis.

Dicò ergo, quòd non dicuntur formæ vel cum magis & minus dici sine intensione & remissione: quod est valdè inconueniens: quia substantia nec recipit nec magis nec minus, vt in prædicamentis dictum est: hæ enim frequenter in partibus substantiæ incrementum & diminutionem recipiunt. Amplius autem equus & alia animalia & augmenti & diminutionis motus frequenter sustinent: & lapis quidem non suscipit augmentum vel decrementum, nisi numeri: & tunc dicitur equus maior vel minor lapide, qui nunquam accipit augmentum: & hoc non fieret si secundum hoc fieret intensio quæ secundum corporum duorum adinuicem non est in eo nisi quod non est in ambobus. Et ideo si intensiuè diceretur equus maior lapide, oporteret, quòd vtrumque secundum eandem rationem acciperet magnitudinem: quod falsum est: hoc igitur falsum est, quòd per subiecti incrementum aliquid recipiat intensionem & remissionem vel magis & minus. Adhuc autem mons vnus alio monte maior & minor dicitur, cum neuter per augmentum vel decrementum crescat vel decrescat. Amplius quidem margarita albior equo dicitur, qui tamen pedem album habet, qui est maior quam margarita: hoc autem non ideo dicitur, quod in quantitate essentiæ vel in subiecto equus à margarita superetur, cum etiam pes maior est quam tota margarita, sed quia margaritæ albedo plus candet quam albedo equi vel pedis equi. Ex his autem oportet colligi per rationem, quòd vel pronuntietur, quòd margarita equo albior sit in eo quod vincat equum in magnitudine subiecti, quod falsum est, cum è conuerso equus quantitate subiecti vincat margaritam: vel dicatur, quòd non est verũ, quòd margarita sit albior equo, quod est contra sensum: vel dicatur, quòd nihil omninò dicitur magis & minus, siue secundum intensionem & remissionem secundum magnitudinem subiectorum vel paruitatem, neque secundum incrementum vel decrementum. Et hoc est verum: palam enim quòd secundum magnitudinem subiecti margarita non dicitur albior quam equus: & tamen non est falsum, quòd margarita sit albior equo. Relinquit igitur, quòd nihil dicitur secundum magis & minus secundum subiecti magnitudinem vel paruitatem, & constat primam opinionem falsam, & non veram causam eius quod est magis & minus assignasse.

Improbatio secundæ opinionis. Amplius autem neque, &c.

Amplius autem nec secunda opinio vera est: non enim magis potest dici & minus secundum quantitatem qualitatum quæ inficiunt subiectum vel afficiunt. Si enim secundum magnitudinem albedinis vel alicuius accidentis exterioris (quæ formæ sunt corporales & in minori maiores, & minori minores) aliquis diceretur albior alio vel propter paruitatem albedinis diceretur minus album alterum altero, vel quomodolibet aliter diceretur secundum comparationem formæ, sic procul dubio diceretur homo vel equus vel aliquid aliud album magnum magis album vel albius quam margarita: accidit enim maior quantitas albedinis equo quam margaritæ. Amplius magis & minus dicitur alterum altero non secundum subiecti vel secundum accidentis decrementum, vel quod maius & paruius dicitur in formis secundum intensionem & remissionem. Quia enim non secundum subiecti crementum vel decrementum vel magnitudinem vel paruitatem aliquid alio magis vel minus dicatur, manifestum est in his quæ dicta sunt. Potest etiam patere ex dictis, quòd vnum non magis & minus dicitur ad aliud propter amplioremaccidentis quantitatem quam forma corporalis habet in subiecto: quantitas enim formæ corporalis vltra subiectum protendi non potest: quia tunc accidens non esset in subiecto, quod est impossibile: quod patet in quantitate, quæ tamen videtur esse per se magis quam aliquod aliorum accidentium: & illa non potest: ergo nulla alia forma accidentalis. Quod autem quantitas sine subiecto non sit, hoc patet ex hoc, quia terminus quantitatis est corpus cui inest quantitas, ita quod de quantitate nihil inuenitur extra corpus quantum: quod patet ex hoc, quòd omne quantum magnum vel paruum est: paruitas autem quantitatis tota supponitur in paruo corpore, & vltra subiectum paruum nihil dictæ paruitatis porrigitur: quanto igitur subiectum, quod est substantia quanta, paruius efficitur, tanto etiam paruitas quantitatis (quæ in subiecto est) minoratur. Patet itaque, quòd nihil cum magis & minus prædicatur, neque secundum subiecti vel accidentis solum augmentum vel diminutionem.

Improbatio tertiæ opinionis.

Propter quod concluditur, quòd neque minus sit secundum vtrumque istorum modorum simul, sicut tertia dixit opinio.

CAPVT II.

De causa intensionis & remissionis.

OPORTET igitur, &c. Reprobatis igitur opinionibus & refutatis quibusdam non veris, alia inuenire oportet de his quæ cum magis & minus dicuntur secundum intensionem & remissionem. Huiusmodi verò sunt ea quæ sunt in voce, siue nomine imposito illi formæ, quæ dicitur cum magis & minus. Formæ enim quæ aduenientes substantiæ & accidentales sunt, nominibus propriis designantur, tunc magis & minus non contingit illis formis secundum augmentum subiecti inesse vel diminutionem, sed potius secundum impositionem nominum illorum quæ in voce sunt illarum formarum significatiua. Omnis enim impositio nominis est à forma: & ideo non est significat positum formam, vt album primum significat albedine coloratum: vnde quæcunque priori & principali nominis impositioni significatione propinquiora sunt, magis simplicitatem & veritatem illius attingunt, & illa cum magis dicuntur & minus: cum minus autem forma illa prædicatur de his quæ à primaria nominis impositione remotiora sunt, vt album quodcunque magis est quod nomine significante quod album est similitudine propinquius est:

minus autem quo talis naturæ dissimilius est: album autem simpliciter dicitur in quo est pura albedo: quanto igitur ad vocis primam & nominis impositionem aliquod accidens puriori albedine inficitur vel afficitur, tantò etiam candidus & albius esse pronunciatur & iudicatur vel assignabitur: & hoc quidem est in omnibus formis aduenientibus substantiæ quæ cum magis & minus dicuntur. Quantitas autem quæ cum magis & minus non dicitur, excipitur ab hac: quia paruius secundum quãtitatem esse dicitur id quod aliis secundum quantitatem staturæ comparatum, ipsis in quantitate deficere dicitur: quicquid igitur est quod quantitatis mensur. superatur, id cõtinuò paruius pronuntiatur secundum quantitatis in corpore & quantitate decrementum. Et similiter est in aliis secundum quantitatem comparatis siue secundum longitudinem, siue secundum latitudinem, siue secundum profunditatem. In omnibus autem aliis quæ intensionem & remissionem habent, est intensio & remissio secundum accessum vel recessum ad veram nominis impositionem, vt paulò ante dictum est.

Quot modis fit intensio, & remissio.

Siendum autem multos esse modos intensionis & remissionis. Et ideò notandum, quòd quæcunque adinuicem comparantur secundum magis & minus, comparantur secundum quod sunt vnum aliquo modo, aut genere, aut specie, aut analogia siue proportione: vnum quidem specie, vt album quidem in quo vnum albius est quam reliquum: vnum autem analogia ad vnum, sicut intellectuale, vnum enim intellectualius est alio, sicut intelligentia per essentiam est intelligentior quam intelligentia per adeptionem intellectus: intellectualius & rationalius est id quod per essentiam est rationale, quam id quod participando dicitur rationale, vt dicit Aristot. in 3. ethicorum. Sic igitur oportet vnum semper esse vnitate secundum analogiam, quæ comparantur adinuicem secundum magis & minus. Sed ea quæ sunt vnum genere vel specie, comparantur secundum vnam formam quæ est in illis: quæ autem sunt vnum secundum analogiam, non habent quidem vnam formam, sed per formam dictam secundum prius & posterius comparantur secundum magis & minus ad vnum actũ, qui est intelligere in intellectualibus, vel ratiocinari in rationalibus. Comparatio enim fit etiam secundum duo non in genere dicta, scilicet secundum purius & minus purum: participare formam simpliciter, vel participare formam secundum comparationem ad actum. Et primo quidem modo est intensio secundum accessum ad veram nominis impositionem. Et hoc idem est quod secundum recessum contrarij permixtione, sicut cum dicitur album albius. Aut fit ad actus expeditionem: & hoc modo intensio fit secundum quod subiectum magis fit dispositum ad actum, & secundum hoc solum secundum subiecti dispositionem fit intensio vel remissio.

His igitur modis cum fiat intensio (secundum omnem modum simul dicendo) fit intensio vel remissio secundum hoc quod res in qua est intensio, fit vel in effectu vel in forma accedente ad veram nominis impositionem: quia impositio nominis nominat formam quæ sine impedimento expedita est ad agendum illius formæ proprium actum & effectum. Fit autem comparatio ad veram nominis impositionem duobus modis, scilicet secundum recessum quidem à contrario in his quæ non habent ad quod accedant, vel secundum accessum, vel secundum vtrumque istorum simul. Secundum accessum quidem in eo quod non habet contrarium, sicut bonum melius: non enim bonum verè habet contrarium, sed priuatiue oppositum. Si enim haberet contrarium: tunc esset illud in alio quo termino in quo esset status. Sed nihil summum est malum aut in quo sit status mali. Secundum recessum autem à contrario fit status mali: nam secundum recessum à contrario comparatur secundum magis & minus, scilicet malus, peior, pessimus. Non enim aliquid est in mali termino ad quod ista comparentur, sed secundum recessum ab optimo talem accipiunt comparationem.

Secundum autem istorum vtrumque simul est comparatio in qualitatibus accidentis, siue sint per se actiuæ & passiuæ, siue secundum suas causas, vt calidius & frigidius, humidius & siccius, albius & nigrius, & huiusmodi in saporibus & odoribus. Hæc enim omnia simul in saporibus & odoribus secundum recessum à contrario, & secundum accessum ad veram nominis impositionem tractantur. Comparatur enim in talibus omnibus recessus à contrario secundum eundem modum, sicut accessus ad veram nominis impositionem.

CAPVT III.

De causa quare quædam non comparantur secundum magis & minus.

Dubitatio textus.

DVbitabit autem aliquis quamobrem, quædam cum magis & minus dicuntur & comparantur, sicut quædam qualitates, & quædam alia, vt actio & passio, & quidam habitus, substantiæ verò minime: quia substantia secundum totum suum genus nec magis nec minus suscipit. Hoc autem contingit: quia substantiarum nomina omnia in termino imponuntur, vltra quem transire impossibile est: forma enim substantiæ quæ in ipso nomine significatur, vt actus materiæ est, quæ totam imperfectionem terminat materiæ: & ideò quod totam terminat, terminus est in ipsa forma, & nihil manet de materia quod interminatum sit: & ideò magis habere non potest: propterea acceptio ipsa etiam ipsius formæ in momento est, & magis finis motus quam mutatio est. Forma autem accidentalis substantiæ aduenit iam existenti, & non terminat potentiam subiecti, vt non sit susceptibile magis & minus secundum quod eius quod est magis & minus est susceptibilis: & ideò in forma accidentali comparatio est semper secundum magis & minus.

Solutio textus.

Quomodo omnia substantiarum nomina imponuntur in termino.

Sicut

Quomodo nomina quorundam accidentium imponuntur in termino.

Sicut autem in substantiis est, quòd impositio earum in termino est: ita est de quibusdam accidentibus, quæ ideò sine magis & minus dicuntur, quia in termino est eorum impositio, vt in quarta specie qualitatis quadrangulum, & triangulum, & similia: non enim dicitur vnum altero magis & minus secundum hoc quod in figuræ nomine sunt, in quò est nominum impositio: conuenit tamen vnum esse quadrangularius altero: sed hoc non secundum quod sunt nomina figuratum, sed secundum quod denominatiuum & designatiuum est substantiarum: quia quadrangulatum corpus dicitur, & quadrangulum qualitas nuncupatur, quæ est forma, vel circa aliquid constans figura: sed cum dicitur quadrangulum est figura vel qualitas, species recipit sui generis prædicamentum. Dicitur etiam corpus quadrangulum quadrangulariter: & hoc dicitur per denominationem & secundum subiecti dispositionem maiorem vel minorem: vnde quadrangula alteratio est in his accidentibus quæ non recipiunt compositionem.

Eadem ratio vetat & impedit, quæ dicta superius est: quia si impositio huiusmodi nominum in termino facta est, vltra quem transgredi non licet (quadrangulum enim & quadratum non nisi tamen positis lateribus & angulis formatur æqualibus: & hoc non est nisi vno & eodem modo, quo scilicet minus vel plus habeat) nec triangulum quadratum, nec quadrangulum esse dici potest. Et similiter est in aliis accidentibus quæ comparationem cum magis & minus habere non possunt: & ideò non comparantur cum magis & minus. Huiusmodi autem signum est, quòd etiam in his quæ comparantur, si quid comparationem notat in termino, excessu huius vltrius comparari non potest, sicut est videre in superlatiuis, albissimus, & nigerrimus: & omnia scilicet quæ secundum superabundantiam dicuntur, vni soli conueniunt, & sine magis & minus dicuntur. Impositio enim superlatiuorum cum sit in termino, vltra quem terminum (quia indiuisibilis est) porrigi vlterius in aliquod secundum id in quo est comparatio participans, impossibile est: falso enim & non impossibili posito nullum sequitur impossibile. Vnde si possibile esset istud quod est in termino porrigi vlterius in aliquid eiusdem naturæ secundum magis, quod ex hoc sequeretur, esset falsum, & non impossibile. Est autem terminus omnis indiuisibilis. Sic ergo id quod est in termino, vlterius porrigitur, vt indiuisibile. Sed per indiuisibile nihil additur & nihil intenditur secundum magis & minus: quia si omnes puncti componantur, nullam magnitudinem faciunt: eò quod punctus puncto compositus, nihil auget: & punctus à puncto demptus, nihil diminuit. Et similiter cum terminus alicuius vlterius dicitur porrigi, nil auget de forma vel minuit: quia terminus est indiuisibilis, cui nec addi, nec diminui potest. Et hæc igitur causa est intensionis & remissionis.

Possibile enim si contingit, &c.

CAPVT IV.

De distinctione generationis ab alteratione per quam intensio & remissio fit.

ESt enim, &c. Ad sciendum autem, quòd magis & minus non est eius quod in ipso est termino, oportet scire distinctionem generationis ab altera generatione, quæ causa est eius quod est cum magis & minus. Dicimus igitur, quòd est generatio simpliciter in substantia, & etiam corruptio simpliciter. Sed generatio simpliciter non fit congregatione atomorum simpliciter indiuisibilium, ex quibus fiant accidentia quæ magis & minus suscipiant: nec etiam corruptio in talibus fit segregatione atomorum, ex quibus causatur remissio intensorum, sicut dicebant Democritus & Leucippus, qui formas accidentales secundum substantiam intendi & remitti dicebant, & generari & corrumpi congregatione & segregatione atomorum: & sic dicebant intendi cum procedit ad esse, remitti autem quando recedit ab esse formæ. Et hoc dicebant atomorum congregatione & segregatione: quamuis non sic fiat intensio & remissio, nec etiam generatio & corruptio.

Opin. Democriti & Leucippi de intensione & remissione de qua vide primo de gener. t. 5. 6. & 7.

Sed potius generatio est & corruptio, quando totum compositum ex materia & forma transmutatur in totum, sicut est videre in ære specificato, hoc est, per formam quæ est species determinata. Quando igitur totum compositum transmutatur in aliud compositum, sicut ær secundum speciem & materiam in aquam: tunc est generatio simpliciter. Quamuis enim materia secundum quod est materia vel substantia quædam, non immutetur, vt dicit Aristot. in fine primi physicorum, tamen secundum quod ipsa stans modo sub hac forma mutatur: quia efficitur sub alia: & sic forma corrupti mutatur, dum abiicitur: materia autem eiusdem corrupti mutatur, dum transit ad aliam formam: & sic totum mutatur. In subiecto enim quod, vt dicit Auic. est ens in se complerum, & secundum esse substantiæ factum, sunt duo, quorum vnum est forma quæ est species secundum rationem, hoc est, secundum quam accipitur esse in se completum, & secundum esse substantiale perfectum, hoc est, secundum quam accipitur diffinitio. Aliud autem est ens secundum subiecti naturam. Subiectum est enim quod subsistat, sed quod subsistendi naturam non haberet nisi ab eo quod primum subsistit, & hæc est materia. Quando igitur in his duobus substantialibus modo prædicto est transmutatio, tunc fit generatio & corruptio secundum veritatem & simpliciter.

Vide primo de gener. tex. com. 23.

Text. c. 28. Quomodo in generationes simpliciter transmutatur totum in totum. In subiecto vero duo sunt, &c.

Tamen simplex generatio dicitur duobus modis. Vno quidem modo secundum quod simpliciter opponitur ad secundum quid: & sic simpliciter generatio dicitur substantiæ, & secundum quid generatio dicitur secundum accidens. Aut alio modo dicitur simplex generatio simplicis generatio, non quidem simpli-

Generatio simplex duplicitur.

citer simpliçis, quia hoc immobile est, sed simplicis, secundum quod spirituale respectu incorporei dicitur simplex, sicut ignis primo & aer secundo simpliciter dicuntur respectu aquæ & terræ. Et hoc modo dicitur simplex vel simpliciter generatio huius generati, vt ignis, hoc est, quod est ignis, magis est spirituale aliquid & species & simplex, quam terra. Et hoc modo generatio simplex opponitur materiali & compositæ. His ergo modis generatio dicitur simplex. Secundum autem quod generatio simplex opponitur generationi secundum quid, sic est generatio, sicut diçimus quando de musico per musicæ obliuionem fit immusicum, quod musicum corruptum est: & hoc modo immusicus est generatus saluato subiecto vno & eodem in vtroque: hoc enim secundum subiectum manet idem. Siquidem igitur in his musica & oppositum eius immusica (inter quæ est motus) non esset passio & qualitas secundum seipsam, sed essent formæ substantiales, proculdubio in his esset generatio simplex & substantialis, in aliis autem corruptio esset: generatio enim quando ex immusico fieret musicus: corruptio autem quando ex musico fit immusicus. Ideò autem quia hoc non est, sed musica est quædam omnis passio siue qualitas accidentalis, ideò hominis musici generatio est generatio & non simplex, & corruptio ad immusicum est corruptio quædam & non simplex. Nùc enim quia hominis manentis in subiecto vno & eodem musica est passio & immusica similiter, ideò tales motus alterationis & non generationis sunt. Hoc autem ex hoc probatur, quod hyle maximè est subiectum generationis & corruptionis susceptibile, sed subiectum alterationis non est hyle, sed potius substantiæ individua composita ex materia & forma siue hyle & specie. Et quia subiecta sunt diuersa, ideò etiam mutationes genere diuersæ sunt. Et propter hoc discens musicam vel aliam scientiam, non dicitur generari simpliciter, sed secundum quid generari dicitur: disciplinabiliter enim generatur, & non simpliciter.

Vide 1. de generat. text. com. 18. 19. & 20.

Est autem hyle, &c.

Hæc autem quæ de speciebus nominum dici videbantur ad intentionem logicam facientia, satis determinata sunt in prædicamentis: dictum est enim, quòd quædam significant hoc aliquid & substantiam: quædam autem significant quale in genere qualitatis. Quæcunque igitur non substantiam, sed accidentia significant, non dicuntur in suis mutationibus simpliciter generati vel corrumpi secundum illa, sed secundum quid, vt dictum est: & in his potest esse magis & minus secundum aliqua accidentium genera, cum in his accidentibus in quibus non generatio sed alteratio est, aliquid est quod inest secundum naturam, sicut igni inest secundum naturam sursum moueri: & sicut calidum inest igni. Et in his talibus mutatio qualitatis inducit substantiæ mutationem: & ideo in illis mutatio facit generationem quæ simpliciter generatio: sed hæc generatio alterationi est immixta & complementum illius generationis est finis alterationis. In omnibus autem aliis generationibus non est generatio nisi secundum quid.

CAPVT vlt.

De causa quæ mouit Auctorem huius libri, & de formis assistentibus ac de inhærentibus.

AD omnium autem eorum quæ dicta sunt intelligentiam, sciendu quod Gilbertus Portetanus propter hoc compilauit scientiam sex principiorum: quia vidit, quòd ea quæ ad ad substantiam referuntur vt accidentia, duobus modis referuntur ad ipsam: quædam enim ipso nomine dicunt aliquid quod est substantiæ & non substantia, sicut qualitas quæ ipso nomine dicit substantiæ dispositionem, quantitas autem quæ dicit ipso nomine substantiam solam modificatam sensibus, nunquam inuenitur. In multis qualitatibus disponitur cælum, & elementa & mixta in quantitatibus debitis descendunt. Quædam autem alia quæ ipso nomine nihil dicunt in substantia, sed dicunt, quòd ipsa substantia aliquo modo ad aliquid se habet: & quia hæc nihil nomine suo prædicant substantiæ inhærens, dicebat quòd illa dicunt formas assistentes substantiæ, & quasi extrinsecus respicientes substantiam ex quodam alio ad substantiam comparato. Et ideo harum formarum mutatio nec alterationem nec generationem simpliciter inducit, sed tantum alium modum ad aliquid se habendi. Est igitur generatio simpliciter in substantia, in qualitate quę contrarium habet & magis & minus suscipit, est alteratio. In aliis autem neutrum simpliciter, sed mutatio in his alium inducit modum se habendi ad aliquid.

Quid per formas assistentes intellexerit.

Quòd autem has formas dicit assistere & non inesse, non intellexit, quòd non esset accidentia, sed quod non esset accidens secundum quod accidens est id quod simpliciter est in alio, non sicut pars quædam: sic enim sunt accidentia quantitas & qualitas. Sed dixit accidentia esse secundum quod accidens est quocunque modo ad substantiam. Et sic relatio & alia accidentia sunt: quia non dicunt nisi ad aliquid comparationem, & non dicunt aliquid quod insit simpliciter: propter quod has formas assistentes potius quam inhærentes vocauit. Actio enim comparatio est agentis ad patiens, & passio comparatio patientis ad agens, vbi comparatio locati ad locum, & quando comparatio temporalis ad tempus vel differentiam temporis, positio autem comparatio partium ad totum & ad locum totius, habitus autem comparatio habentis ad circundans habitum. Hoc igitur modo posuit formas assistentes. Et de his propter hoc quod alium modum habeant prædicationis, complenit scientiam sex principiorum.

LIBER

LIBER I.

PERIHERMENIAS.

TRACTATVS I.

De his quæ præmitti debent ad librum.

CAPVT I.

In quo ordine est inter libros logicos.

SICVT à principio istius scientiæ determinatum est, logicæ intentio est docere qualiter quis veniat ad notitiam ignoti per notum: quod quidem in omni philosophia intenditur, quamuis id formaliter non doceatur nisi in logica: propter quod dicit Aristot. quòd logica modus philosophiæ est. Et quia logica est scientia per quam aliquis venit ad notitiam ignoti per notum. Ignotum autem duplex proùt est in dictione, incomplexum scilicet, & complexum. Incomplexum autem sciri non potest nisi diffinitione. Et complexum sciri non potest nisi syllogismo & demonstratione. Sicut ad diffinitionem habendam necessarium fuit præmittere diffinibilium & diffinientium inuentionem & acceptionem: ad quod necessarium fuit ponere ea secundum quorum rationem prædicabilia reducuntur ad ordinem, & secundo fuit necessarium ponere qualiter ipsa prædicabilia ordinata sunt, & tertio qualiter ex diuisione colligitur cuiuslibet incomplexi diffinitio. Ita in modo quo venitur in notitiam complexi, necesse est primo tractare de his quæ vt posita & præsuppositia accipit syllogismus, per quem venitur in notitiam complexi ignoti: & huiusmodi sunt interpretatio & enuntiatio, & ea quæ circunstant interpretationem & enuntiationem. Interpretatio autem & enuntiatio inquantum talia sunt, non sunt syllogismo concluſa ad manifestationem ignoti: quia si hoc esset verum, sequeretur quòd omnis interpretatio & omnis enuntiatio esset vel posset esse alicuius syllogismi conclusio, quod non est verum. Sed potius interpretatio dicitur oratio, quæ de re vt est in verbis loquitur ad explanationem: propter quod componitur à præpositione inter & præ-

Interpretatio & enuntiatio inquantum talia, non sunt in syllogismo concluſa.

Interpretatio quid & vnde.

tor: prætor autem est qui princeps est, & præit præcipiendo, vt dicit Papias: quia quæcunque oratio est quæ præit cum modo dicendo & exponendo de re prout est vel non est, & quod de ea tenendum est, illa interpretatio vocatur, eò quod prætor est qui vt princeps & præceptor publicè & publica præcipit omnino do quo præcipiendum est, hoc est, vniuersaliter, particulariter, & secundum affirmationem & negationem.

Differentia inter enuntiationem & interpretationem.

Propter hoc secundum aliquid differt ab enuntiatione. Interpretatio enim fit multis modis, vt dictum est. Enuntiatio autem non dicit nisi aliquid de aliquo dici vel prædicari. Et quamuis enuntiatio sit potissima interpretatio, non tamen conuertitur cum interpretatione quæ dicit expositionem rei per omnem modum, siue in parte, sicut in nomine vel in verbo, siue in toto, sicut in qualitate affirmationis vel negationis: siue in quantitate, sicut inesse vniuersaliter particulariter, siue finitè, siue infinitè, siue vna oratione, siue non vna: quorum nihil nomine suo dicit enuntiatio. Interpretatio autem secundum optimum suum posse non fit, nisi fiat omnibus modis qui dicti sunt.

Inscriptio huius lib. & causa eius.

Propter quod quia interpretatio continet in se omnia quæ dicta sunt, inscribitur iste liber melius de interpretatione, quam de enuntiatione. Multa enim in eo determinantur quæ non conueniunt enuntiationi secundum quod enuntiatio est, sicut patet ex his quæ dicta sunt. Dicitur tamen etiam de enuntiatione sicut de quo est potissimè, sicut dicit Auerr. quòd philosophia est de ente secundum quod est commune omni, sicut de communi subiecto ad quod reducuntur omnia quæcunque in scientia determinantur: & est de substantia, sicut de speciali subiecto, de quo potissimum intenditur in scientia illa. Multipliciter enim datur alicui scientiæ subiectum, & non vno modo, scilicet quòd subiectum est de cuius partibus in scientia probantur passiones, vel quod potissimum intenditur: propter quod de omnibus aliis determinatur in scientia. Et dicitur subiectum quod dignissimum est inter ea de quibus tractat scientia, sicut metaphysi-

Multipliciter datur subiectum scientiæ.

ca.

ea dicitur theologia, quia in dignissima sua parte tractat de divinis.

Quomodo differt propositio ab enuntiatione & interpretatione.

Hoc autem dicto modo interpretatio & enuntiatio differunt secundum rationem à propositione. Propositio enim est enuntiatio stans sub forma syllogismi. Et illa multa accidunt quæ non accidunt interpretationi vel enuntiationi, sicut est habitudo trium terminorum qui sunt in prædicato & in subjecto, sine qua habitudine non sunt partes syllogismi: & de talibus determinatur in libro priorum, ubi de forma syllogismi & de ejus potestate agitur. Interpretationi autem non convenit hoc, nec etiam enuntiationi: sed potius si interpretatio est, convenit ei interpretari affirmando & negando vniuersaliter & particulariter, finitè & infinitè, & vt vna est & multæ, & vt contradictoria, & contraria, & huiusmodi, sine quibus perfecta dare non sit interpretatio per sermonem. Et ideò quia hæc sunt sine syllogismi complexione & figura, in his ad syllogismum vt ad totum non debent reduci: & ideò quoad hoc non in libro priorum, sed in libro proprio, qui perihermenias dicitur, habent hæc ipsa tractari: tales enim passiones non accidunt ex syllogismo, sed ex hoc quod interpretatio est, & accideret ei quamuis nunquam esset syllogismus.

Quare de enuntiatione & interpretatione agitur hic, & non in lib. priorum: è contrario autem de propositione. Hic liber ordinatur in librum priorum materialiter & finaliter.

Ordinatur tamen hic liber ad librum priorum, sicut prædicamentorum & principiorum libri ad istum: quia sicut ex ordinatis prædicabilibus subiecta & prædicata accipiuntur ex quibus interpretatio, sic ex interpretationibus & enuntiationibus ordinatis fit syllogismus. Et ideo materialiter & finaliter ordinatur ad syllogismum interpretatio. Dico autem materialiter non vt materia propinqua vel necessaria (sic enim ad syllogismum se habet propositio) sed sicut materia remota potens esse sub forma syllogismi. Finaliter autem ordinatur: quia quæritur propter syllogismum, in quo posita elicit ignoti notitiam, vt dictum est. Sumitur enim penes secundum rationis actum, qui est componere & dividere, & est intellectus compositus: quia sicut Aristot. in 3. de anima dicit, intelligentia indivisibilium est in quibus non est verum vel falsum est: etiam compositio quædam intelligibilium est, & in hac compositione interpretantur ea quæ sibi invicem insunt secundum rem; interpretatio enim omnis est secundum totum & partem & quantitatem & qualitatem & oppositionem & veritatis expressionem, quæ sunt assumenda ad declarationem ignoti quod est complexum.

Enuntiatio est materia remota syllogismi: propositio autem est eius materia propinqua.

Tex. com. 21.

Subiectum commune huius libri quid sit, & quare hic liber dicitur perihermenias.

Et quia hæc omnia ambit interpretatio & enuntiatio, ideò interpretatio commune subiectum est huius scientiæ. Dicitur autem perihermenias à peri quod est de Græca præpositione, & hermenias interpretatio, hoc est, de interpretatione: quia Græci ablativum non habent, sed genitivo vtuntur pro ablativo.

Ordo huius libri inter alios libros logicæ.

Ex iam dictis quatuor quæstionum patet solutio vel quinque, scilicet de quo sit vt subiecto, & quis libri titulus, & quis finis, & quem ordinem habet in libris logicæ. Cum enim logica in tria ordinetur, scilicet in scientiam incomplexorum, quæ per diffinitionem habetur, de quibus iam dictum est: & in scientiam complexorum, quæ in duo dividitur, scilicet in scientiam interpretationis eorum per quæ devenitur in complexorum notitiam, & in scientiarum syllogismi per quam quis ducitur ad complexorum cognitionem, quæ post hunc librum traderetur: constat, quod ista scientia secundum locum obtinet in scientia per quam venitur per notum in cognitionem ignotorum. Est enim de interpretatione eorum quæ in syllogismo assumuntur ad notitiam ignotorum habendam.

Quare non determinatur de interpretatione in libro priorum.

Patet etiam solutio quæstionis qua quæri potest, quare non de interpretatione in eodem libro cum syllogismo determinatur? Non enim determinatur in hoc libro de interpretatione secundum quod stat sub forma syllogismi, vel secundum quod proxima illi. Sed potius determinatur de ea secundum passiones proprias, quæ conveniunt ei non secundum quod est materia syllogismi, sed conveniunt ei secundum seipsam, scilicet vt interpretatio per eam fit rerum colligibilium in syllogismo ad eliciendum notitiam ignoti per notum. Omnis enim scientia intellectiua fit ex præexistenti cognitione.

Cui parti philosophiæ supponatur hic liber.

Patet etiam solutio huius quod quæri potest, cui parti philosophiæ supponatur? non enim est pars philosophiæ essentialis vel realis, sed rationalis siue sermocinalis: considerat enim ens stans sub sermone: interpretatio enim valet ad habendam cognitionem ignoti complexi per notum complexum, quod quidem notum est in sermone interpretatio. Medium ergo locum obtinet inter libros logicæ, cui accidens ministrat subiicibile & prædicabile. Et posterioribus iste liber ministrat quod in syllogismo colligitur.

Quod eratio non sit subiectum huius libri, vt voluit Andronicus Rhodius.

Patet etiam (vt dicit Boët.) quòd non bene dicit Andronicus, qui dicit huius libri subiectum esse orationem. Multæ enim sunt orationes & orationis partes, de quibus hîc nihil intenditur vel tractatur, & quæ magis ad grammaticam ordinantur si ordinentur ad finem congrui, vel ad rhetorem si ordinentur ad finem leporis, vel ad poëticum pertinent si ordinentur ad illa quæ prouocant ad abominationem vel delectationem vel ad aliquam imaginabilem vtilitatem. Oratio ergo non est subiectum: multæ enim orationes non sunt interpretatiuæ vel enuntiatiuæ, vt deprecatiua, optatiua, coniunctiua, & infinitiua.

Consuetudo quærendi de nomine auctoris emanauit à Pythagoricis, & est res superflua: quia res non habet firmitatem à causa effectiua, sed à ratione: & ideo dicebat Seneca in de cardinalibus virtutibus quis dicat, sed quid dicat intendito.

Quod autem de auctore quædam quærunt, superuacuum est & nunquam ab aliquo Philosopho quæsitum est nisi in scholis Pythagoræ: quia in illis scholis nihil recipiebatur nisi quod fecit Pythagoras. Ab aliis autem hoc quæsitum non est: à quocunque enim dicta erant, recipiebantur, dummodo probatæ veritatis haberent rationem. Causa enim efficiens extra rem est, & ab ea res non habet firmitatem vel infirmitatem, sed potius à ratione dictorum. Fuit autem Aristot. huius scientiæ primus auctor. Et ideò non verum dicit Andronicus, hunc librum aliis attribuens. Et sic patet de ordine, & cui parti philosophiæ supponatur, & de auctore, & de subiecto, & de titulo.

Error Andronici qui hûc lib. dixit non fuisse Aristot.

CAPVT

CAPVT II.

De modo scientiæ & fine.

DE modo etiam scientiæ determinandum est. Dicendum autem, quòd interpretationis modo procedendum est in hoc libro. Hic enim interpretatio omnium est quæ enuntiationem circunstant, siue secundum partes, siue secundum totam enuntiationem. Est tamen in eodem modus scientiæ in hoc, quòd tam de enuntiatione siue interpretatione, quam etiam de partibus hîc probantur passiones & proprietates, qui modus est scientiæ.

Quæstio.

Quamûis quidam obiiciant, quòd in scientia demonstratiua non probantur passiones aliquæ de subiecto secundum se, sed de partibus eius, vt in geometria Euclidis de continua quantitate nihil probatur, sed de partibus, vt de triangulo, & circulo, & quadrato, & de proportionabili quantitate & commensurabili, & sic de aliis. Sed ad hoc dicendum est, quòd in scientia demonstratiua potest fieri demonstratio de subiecto secundum se, dummodo illa scientia in se contineat principia subiecti illius. Sic autem non est in geometria: quia non considerat principia quantitatis continuæ, sed ea considerat metaphysicus, & quantitatem continuam accipit geometer à metaphysico; ideo de partibus illius & non de ipsa quantitate probat passiones. Alia autem scientia quæ subiectum & principia subiecti considerat, de subiecto & de partibus potest probare passiones. Et ideo potest probare passiones de interpretatione vel enuntiatione, & de partibus eius, quæ considerat principia interpretationis & enuntiationis.

S. Iustin. Quomodo una scientia probat passiones de subiecto alterius alicuius non.

Prima obiectio.

Et si obiiceret adhuc aliquis, quòd pars tractanda est cum toto: totum autem enuntiationis est syllogismus, ad cuius venit compositionem: ideo cum syllogismo in lib. priorum debet tractari. Adhuc autem propositio necessaria quæ est materia demonstrationis, in eodem lib. tractatur cum syllogismo demonstratiuo: & propositio probabilis in eodem libro cum syllogismo dialectico: & sic videtur, quòd enuntiatio quæ est propositio simplex, non ad hoc vel illud determinata, determinari debet cum syllogismo similiter in lib. priorum, & non deberet esse scientia specialis.

Secunda.

Solutio primæ & secundæ.

Sed hæc omnia de facili soluuntur per antedicta: propositio enim vt simpliciter propositio, non est interpretatio, vel enuntiatio, sed potius est propositio, quæ in habitudine terminorum se habet ad aliam quæ secum in syllogismo compars est in habitudine terminorum in syllogismi complexionem & figuram ordinabilium: & hoc modo de propositione in libro priorum determinatur: hoc autem modo non dicitur interpretatio vel enuntiatio: sed potius dicitur illud quod de re (sicut est vel non est) facit interpretationem. Et sub hoc actu ordinabilis quidem est ad syllogismum remotè, sed non est sub dispositione propinqua: & ideo inquantum talis est, multa accidunt ei quæ non accidunt propositioni secundum quod est propositio. Et quoad illas passiones conueniens fuit in libro speciali de enuntiatione tractare. Sunt tamen omnes huiusmodi disputationes de circunstantiis scientiæ, & non de ipsa materia de qua tractatur. Et ideo parum faciunt ad veram scientiam de hoc quod quæritur. Nec etiam antiqui inueniuntur de talibus inquisiuisse.

Hæc dicta sunt etiam in præcedenti capitulo.

Modus scientiæ huius.

Talis autem modus scientiæ, sicut dictum est, hic obseruatur. Potest etiam dici, quòd hic mos artis est: quia ars est circa generationes rerum per artem constitutarum: hic autem principia dantur & præcepta quibus constituitur interpretatio siue enuntiatio. Est etiam diffinitiuus, & exemplorum inductiuus. Et inuentiuus quoad hoc, quòd habitudinibus quibusdam docet inuenire, & quæ sit interpretatio, & quæ eius oppositiones sint, & vnitas & pluralitas ipsius, & alia huiusmodi. Est etiam resolutiuus: quia docet resoluere interpretationem in partes. Et alij huiusmodi de facili multi inueniuntur: principaliter tamen modum obseruat doctrinæ, qui est per modum scientiæ considerantis subiectum & partes subiecti, de quibus per principia propria probat passiones. Modus etiam est, vt dicit Boët. qui propter breuitatem sententiarum obscurior est quibusdam aliis lib.

Ex quo patet quod non docemur resoluere solùm in lib. priorum, & posteriorii, nec inuenire solùm in lib. topic.

Quare autè liber ille denominetur à resolutione & inuentione & non alijs, indices considerationes.

Notandum est, quòd substantialis principalis huius scientiæ finis est constituere orationem interpretatiuam de re sub sermone veram interpretationem & perfectam perficiente, vt diximus. Vlterius autem habet finem: quia ordinatur ad syllogismum per quem scitur ignotum per notum in oratione interpretatiua.

Finis huius libri & epilogus dictorum.

Et sic determinatum est de forma, materia, & fine, & causa efficiente, & etiam cuius philosophiæ sit pars, & quo loco ordinata, & quem actum rationis in logica perficiat, & quod debet in speciali libro tractari. Et hæc sunt quæ præambula sunt ad propositum. Nos autem sicut in aliis prosequamur dicta Aristot. & exponendo & supplendo vbi diminuta sunt & breuia, & probando vbi opportunum, & alios doctores inducendo, & vt generaliter dicatur, omnia faciendo quæ ad doctrinæ faciunt facilitatem & perfectionem. Et omnino sequemur Aristot. ordinem sicut facimus in aliis. Patet autem ex dictis quid sit propriè interpretatio, & patet etiam, quòd enuntiatio est potissima interpretatio.

Dubitatio.

Est etiam circa modum dubium: quia Aristot. in quibusdam libris in quibus tractat ea quæ non concernunt materiam, ponit terminos transcendentes, sicut. a. b. c. sicut patet in libro priorum. Hic autem vbi docet de interpretatione non concernente materiam determinatam, sed simpliciter, non vtitur terminis transcendentibus, sed ponit terminos secundum determinatam materiam.

Solutio.

Respondetur, quòd hoc est ideo: quia syllogismus vt syllogismus est, formaliter non est variabilis secundum materiam in qua est, sed est forma æqualiter respiciens omnem materiam. Et ideò termini determinatæ materiæ tali formæ

Quare in hoc lib. non exemplificat in terminis ignoto, sicut fecit in lib. priorum.

formæ non competunt. Sed de interpretatione hîc agitur prout est vox ad significationem rei relata a qua accipit & affirmationé, & negationem, & vniuersalitatem, & particularitatem & multitudinem: & ideo oportet, quòd secundùm diuersitatem significationis diuersis terminis fiat constitutio interpretationis: ideo transcendentes terminis sibi non congruùt, præcipuè, quia interpretatio non est perfecta, cum de re prout est non interpretatur: hoc autem transcendentibus terminis fieri non potest.

Ad deueniendum in notitiam ignoti per notum tria requiruntur.

Intelligendum est, quòd ad hoc quod aliquis deueniat ad notitiam ignoti per notum, exiguntur tria. Primum quidem interpretatio rerum per vocem interpretatiuam. Secundum, copulatio eorum quæ interpretata sunt ad consequentiam vnius cum altero. Tertium, probatio, quod sic sit & non aliter. Et primum quidem fit in perihermenias, secùdum in prioribus, tertium autem diuersimodè in posterioribus & topicis. Et sic scitur iſtius scientiæ ordo ad consequentes.

Quæ tractantur in prædicamentis inchoant significationem à re & terminantur in voce: è contra verò se habent quæ hic determinantur.

Differt autem modus significandi in voce in prædicamentis & hic. In prædicamentis enim est inchoatio significationis à re, & terminatur in voce. Est enim liber prædicamentorum de decem vocibus prima principia significantibus, & secundum rerum proprietates non vocum. Hic autem in scientia de interpretatione (eo quod interpretatio fit per sermonem) est inchoatio à sermone siue voce, & terminatur in rem: quia aliter non esset interpretatio. Et propter hoc multa dicuntur de interpretatione, quæ accidunt ei inquantum est in voce. Sic ergo patet de modo huius scientiæ.

CAPVT III.

De parte proœmiali.

PRocedentes ad tractandum de interpretatione siue enuntiatione determinabimus primo de enuntiatione siue interpretatione simplici, antequam quicquam dicamus de interpretatione ad maximam contracta. Et determinabimus quæ conueniunt vt partes vel vt passiones enuntiationi simplici. Ad tractandum ergo de enuntiatione oportet primum constituere, quid sit nomen, & quid sit verbum, secundum acceptionem logicam: quia compositum non cognoscitur nisi sciatur ex quot & qualibus est: quia principia esse compositi sunt componentia. Et quia sunt principia in esse, sunt etiam principia sciendi rem illam, cuius ista sunt principia. His igitur rationibus præcognoscere oportet & constituere, quid nomen, & quid verbum. Adhuc autem quia enuntiatio est, in qua enuntiatur aliquid de aliquo. Nomen autem est de quo enuntiatur. Verbum autem est quod de alio enuntiatur. Et sic nomen & verbum (sub ratione enuntiati & de quo enuntiatur) cadunt in diffinitione enuntiationis: propter quod primum oportet constituere, quid nomen, quid verbum. Posteà immediatè, quia verbum non enuntiatur de nomine nisi mediante compositione cui accidunt affirmatio & negatio, oportet determinare, quid affirmatio, & quid negatio, quæ sunt circa compositionem, & sunt oppositionis principia: quæ quidem oppositio licet sit inter affirmationem & negationem æqualiter, tamen oppositio non causatur nec completur nisi inter negationem. Ens enim non est causa oppositionis alicuius, sed potius non ens ad ens relatum: & ideo completur oppositio in negatione propterea in diuisione & proœmio isto negatio præponitur affirmationi.

Primum oportet constituere quid sit nomen, &c.

Quare hic agatur de nomine & verbo, duplex ratio.

Affirmatio & negatio sunt oppositionis principia: quæ oppositio causatur & completur in negatione.

Quod autem quidam dicunt duplicem esse causam negationis, defectum scilicet generalem esse, sicut antequam mundus esset nihil fuit de esse mundi: & defectum particularem, scilicet quod non fuit hoc vel illud. Et dicunt, quòd negatio quæ causatur à defectu generali, præcedit affirmationem, sicut mundi esse est post non esse mundi. Negatio autem causata à defectu particulari, sequitur affirmationem quam semper sibi præponit. Hoc trufa est, & nihil valet ad propositum: quia constat, quòd Peripatetici de defectu generalis esse nihil loquuntur, nec de negatione ab illo defectu causata: vnde hoc est friuolum. Sed primo modo dicendum, quòd scilicet quamuis negatio affirmationem sequatur secundum naturam, tamen quia oppositio completur in negatione, propter hoc aliquando præponitur affirmationi, præcipuè vbi agitur de affirmatione & negatione, prout sunt principium oppositionis sicut sit hîc. Dico autem de affirmatione & negatione quæ sunt oppositæ tanquam materialia ad enuntiationem, eò quod nomen quidem est subiectum, verbum autem prædicatum. Est autem enuntiationis pars compositio, cui accidunt affirmatio & negatio, quæ quia partes sunt enuntiationis vel partium accidentia siue passiones, vocamus materialia enuntiationis principia: & ideo de illis præmitti oportet & constituere, & posteà de formalibus consequenter tractare secundum differentiam & speciem diffiniendam (quæ est enuntiatio) & secundum genus proprium quod est oratio.

Quare philosophus in hoc proœmio præponit negationem affirmationi. Vide tamen Boet. in secunda editione: quia aliam causam assignat.

Opinio Siriani & Philoreny de duplici negatione, teste Boetio hic: & eius impugnatio.

Vnde cum dicimus, quod primum oportet constituere, intelligimus primum in ratione principij constituentis. Et cum dicimus, oportet, intelligimus, quòd hoc habet necessitatem suppositionis siue finis. Si enim debeat cognosci interpretatio, tunc oportet sic fieri: non tamen hoc est necessarium simpliciter, secundum quod necessarium est quod non potest non esse. Propter hoc autem, quòd dicimus constituere, intelligitur, quòd hæc constituuntur, quæ ipsa contestatione sunt hæc quæ sunt. Nomen autem à grammatici contestatione non sufficit ad hoc quod pars enuntiationis sit constitutiua, si significat substantiam cum qualitate, substantiam eius cui imponitur, & qualitatem à qua imponitur: & sic non facit nisi notitiam de re cuius est nomen: nec hoc modo aliquid enuntiatur de ipso. Nomen autem prout hîc statuitur, statuitur secundum formam qua de ipso aliquid potest

Quare dixit primum, & quare oportet.

Quare dixit constituere, & quomodo nomen apud dialecticum aliter constituit, quam apud grammaticum.

potest enuntiari, & ideo constitutione dialectica talem accipit formam nomen & verbum.

Affirmatio & negatio non primo constituunt enuntiationem: quia

Constitutis autem his postea consequenter intendendum quid sit affirmatio & negatio. Hæc enim (cum qualitates sint) non primo constituunt enuntiationem, sed consequenter: quia accidunt compositioni enuntiationis. Et huiusmodi principijs sic habitis enuntiationis materialibus, circa quæ ponitur forma enuntiationis, intendendum est de formalibus principiis, quid scilicet enuntiatio secundum differentias constitutiuas quæ in nomine speciei importantur, & quid oratio quæ est genus enuntiationis contrahendum per differentias ad enuntiationis constitutionem.

accidunt compositioni eius.

TRACTATVS II.

De inuestigatione principiorum communium diffinientium partes enuntiationis, & de nomine, & verbo, & oratione.

CAPVT I.

De diffinientibus principium enuntiationis.

VOCEM autem aliqua vox sit significatiua ad placitum quæ sine institutione nihil significat, sic probatur: quia ea quæ sunt extra animam, sunt res à natura causatæ, agentes suas cognitiones in anima, per vniuersale abstractum à singulari, vel per sensibile quod accipit sensus à quo intellectus per reflexionem ad sensum accipit vniuersale. Sic enim res extra imprimit & agit quodammodo in animam, & infert ei passionem: eò quod anima secundum mentem & intellectum passiua & receptiua est. Et quia sic intellectus patitur & recipit à re extra, ideo dicuntur passiones formæ & intentiones rerum quæ sic sunt in anima. Et quia voces articulatæ non possunt formari nisi ab intelligente & concipiente rem & recipiente passionem secundum formam rei cognitæ, ideo voces articulatæ à tali constituuntur intellectu: non constituit autem vocem articulatam nisi ad significandam speciem rei & passionem, quam à re intra se concepit.

Quare intentiones rerum in anima existentium dicuntur passiones.

Quomodo voces sunt notæ passionum animæ. Sunt ergò ea quæ sunt in voce, &c.

Vox ergo quæ sic ad rem significandam imponitur, non est passionis quam ipse intellectus à re concepit. Et sic ea quæ sunt in voce, à tali intellectu ad significandum constituta, sunt notæ passionum earum quæ à rebus conceptæ sunt in anima: res autem speciem suam generat in anima, & intellectus specie illa informatus instituit vocem: vnde passio animæ species est rei: & vox significans ad institutionem intellectus sic formati dicit notam passionis quæ est in anima: & ideo ipsa vox instituta efficitur signum & similitudo rei in eo qui audit. Vnde quod est nota passionis in ore dicentis, est signum & similitudo rei in aure audientis. Sic ergo voces sunt notæ earum passionum quæ sunt in anima.

Quomodo literæ sunt notæ vocum literatarum.

Literæ autem & figuræ sunt etiam ad placitum: & ideo figuræ tales & voces inuentæ sunt, per quas ea quæ dici debent, valeant rectis syllabis pronuntiari ad vocem literatam, quam informat vox articulata siue ad placitum significatiua. Et ideo sicut vox articulata significatiua est ad placitum, ita & figuræ literarum. Sunt enim literæ sic vel sic complexæ notæ vocum ad placitum significatiuarum, siue eorum quæ sunt in voce, hoc est, rerum ipsa voce significatarum, ita vt voces sint notæ passionum, & literæ sunt notæ vocum secundum quod stant sub forma vocis literatæ & articulatæ.

Quæ passiones animæ sunt eædem apud omnes.

Et ex hoc patet, quòd quemadmodum literæ non omnibus vel apud omnes sunt eædem, eò quod nec conceptus nec intellectus eas concipiendo apud omnes est idem: ita nulla vox literata & articulata est omnibus eadem: sed primæ conceptiones illorum (quorum voces immediatè notæ sunt) hæ apud omnes eædem sunt, sicut animæ passiones. Quia generata quæ vnius formæ habent generans, eadem sunt in forma & specie, passiones sunt similitudines rerum in anima. Res verò se habent in anima per similitudinem generantis. Cum ergo res vbique & apud omnes sunt eædem, eædem in specie generabunt passiones, & ideò conceptiones ad omnes res rectè concipiendas eædem sunt in specie. Et similiter etiam res apud omnes & vbique sunt in specie, quarum passiones animæ sunt notæ: quia rerum sunt similitudines in animalibus à rebus generatæ. Institutio autem nostra nihil variat in rebus naturæ. De talibus autem qualiter à rebus rerum similitudines generantur in anima, 3. lib. de anima satis dictum est, vbi determinatum est, quòd res non sunt in anima, sed similitudines rerum. Alterius enim negotij sunt illa, & ad physicum pertinent. Tex.c.38.

Sic ergo patet, quòd ea quæ sunt constituenda à nobis, voces sunt, & per hoc quod illæ voces sunt notæ, & nulla vox est nota nisi

quæ significatiua est, habemus quia ea quæ constituenda a nobis sunt, in voce significatiua sicut in genere, debent constitui.

Quomodo voces apud logicum sunt immediatè notæ conceptuum apud grammaticum rerum.

Per hoc autem, quòd notæ sunt passionum quæ ex intentionibus rerum causantur in anima, habetur quòd non primo sunt notæ rerum, sed potius primo sunt notæ similitudinum quæ sunt in anima, & per similitudines istas ad res referuntur. Et in hoc differunt notæ hic consideratæ a consideratione grammatici, qui considerat voces istas secundum quod sunt signa rerum immediatè: & ideò dicit, quòd nomen significat substantiam cum qualitate. Logicus autem, quod est vox significans ad placitum.

Et per hoc patet, quòd logicus non præsupponit ista à præcedenti scientia, grammatica scilicet, sed constituit per diffinitiones proprias constituentes ista secundum esse quo constituere possunt. & componere enuntiationem. Consideratur enim vox significatiua ad placitum dupliciter, scilicet secundum institutionem & vsum, & secundum causam institutionis. Secundum institutionem quidem & vsum nota est conceptus qui est in anima. Instituens autem non habet respectum in instituendo nisi ad id vel illud quod iam in anima concepit. Et vtens voce in loquendo, vt dicit Plato, non vtitur ea nisi vt pandat conceptum, quo nunc anima est affecta siue passa est. Causa autem institutionis: quia cum res efferre non possumus, vt nobis inuicem communicemus, rerū præsentatione, inuentæ sunt voces articulatæ, quibus ipsas res siue intentiones rerum exprimamus, vt nobis inuicem vocibus communicemus. Et hoc modo vltimo voces ad significata rerum referuntur. Et ideò iam ex his quæ dicta sunt, habitum est, quòd constituenda per diffinitionem (ad enuntiationis generationem) sunt in voce tanquam in genere, & in voce significante mentis conceptum quæ est passio facta in anima à rebus extra: & ideo est vox articulata significatiua ad rei designationem relata. Et quia non est apud omnes eadem vox relata ad idem designandum, sed variatur, oportet quòd causam suæ institutionis habeat variabilem, quæ est voluntas ad placitum instituentis.

Nota hanc distinctionem: quia per eam soluuntur multæ argumentæ, & saluatur, quòd voces primo significent res, & etiam quòd primo significent conceptus sub diuersis respectibus.

Dictum Auicen.

Propter quod dicit Auic. quòd vox literata sine placito instituentis nihil significat penitus: quia tamen alteri non facit signum de re, nisi sub determinata figura vocis certificatiua, ideo oportet talem vocem esse literatam, quia non nisi sub elementis literarum habent figuræ certitudinem, sine qua certitudine non potest esse rei certum signum. Et quia literæ describunt figuram vocis in prolatione, & quasi (vt ita dicam) depingunt eam, ideo sicut vox ipsa literata sic literæ sunt ab institutione: & ideò non sunt eædem apud omnes, sed mutantur sicut & ipsæ figuratæ ad literas mutantur voces.

Quomodo sonus in plus se habet quam vox, & quomodo vox est diuersa, scilicet

Quamuis ergo vox sit sonus, tamen (quia sonus non est nisi fractio & ictus actis à percutiente solido plano percussus, tympanum auris immutans) non omnis sonus est vox: quia vox est sonus ab ore animalis, cum imagine alicuius significationis prolatus. Hæc enim imago potest esse affectiua & mouens ad immutationem vel fugam: & tunc vox significat passionem gaudij, vel doloris, vel tristitiæ, sicut plerumque significant voces brutorum, & etiam rationalium quorundam, vt gemitus, & ea quæ importantur per interiectiones. Imaginatio potest etiam esse à re accepta in qua accipit ratio veritatem vel falsitatem, vel cuiuslibet rei verum conceptum: & hoc modo sonus cum imaginatione sermonis prolatus non est nisi hominis, etiam illa sola vox verè erit vox.

articulata & inarticulata.

Voces semper sunt significatiuæ, li et aliquæ dicantur non significatiuæ.

Voces ergo semper sunt significatiuæ: significant enim ad minus seipsas: sed illæ voces quæ (quamuis literatæ sint) non habent institutionem ad aliquid significandum, nec proferuntur cum imagine alicuius designandi per voces, non dicuntur voces significatiuæ, vt ba ba blicteri: quæ exempla consueuerunt poni, quia non sunt instituta ad aliquid designandum. Significatiuarum autem vocum quædam designant non per institutionem, sed per naturam, vt illæ quas diximus, vt est gemitus, & exclamatio in dolore vel gaudio, vel in vocibus brutorum: & illæ tamen fiunt signa suæ significationis si per institutionem accipiantur, & efficiuntur significatiuæ conceptus, vt euge, & aliæ interiectiones quæ affectu significant, non vt affectum, sed vt conceptum affectus, voce literata designatum. Vocum autem quæ per institutionem sunt significatiuæ omnis diuersitatis sunt significatiuæ. Articulata vox dicitur: quia articulatim signum rei facit. Sed ad hoc quod certum fiat signum, oportet quod literata fiat signis elementaliter compositis ex elementis literarum, quæ non sunt eædem apud omnes: & sic iam habemus, quòd constituendæ à nobis sunt significatiuæ voces literatæ, quæ non sunt eædem apud omnes.

Vocum significatiuarum quædam significant per naturam.

Quomodo voces brutorum significant affectus tamen si per institutionem accipiantur, significant conceptum affectus.

Vox articulata quare sic dicitur.

Quare non dixit, primum oportet constituere, quid dictio, vel terminus.

Hæc est causa, quòd non oportuit dicere, quòd primum oportet constituere, quid dictio, vel quid terminus: sed diximus, quòd oportet constituere, quid nomen, & quid verbum. Non enim hic de omni dictione quæ pars orationis est, intendimus, sed tantum de his secundum quod de eis enuntiatur aliquid, vel ipsa de aliquo enuntiantur; sicut sunt nomen, & verbum, & horum compositio. Nec de termino intendimus: quia non resoluendo procedimus, sed potius enuntiationem generando ex suæ generationis principiis: propter quod etiam à simplicibus inchoamus.

Remouet dubium.

Quamuis præmisimus, quòd etiam oportet constituere, quid oratio, & quid enuntiatio, quæ composita sunt. Non diximus hæc præconstituenda esse, prout composita sunt, sed prout hæc sunt formalia principia vt genus & differentia eorum quæ cadunt in diffinitione enuntiationis, siue interpretationis: & hac via generationis & collectionis eorum quæ ad interpretationis diffinitionem pertinent, procedemus.

Habito ergo iam, quòd tales sint voces, & quod sunt voces significatiuæ, & quod sunt significatiuæ passionum primo, & per consequens sunt significatiuæ rerum, & quod sunt ad placitum, & non per id quod est idem apud omnes.

omnes. Habito etiam, quòd sunt voces articulatæ & literatæ. Restat vlterius de aliis inuestigare, scilicet vtrum sint complexæ, vel incomplexæ.

CAPVT II.

De voce incomplexa quæ nec verum nec falsum significat.

Est autem quemadmodum in anima, &c.

QVia ergo voces logicè loquendo significant ea quæ sunt in anima vt passiones, hoc quod cõtingit in anima secundum passiones, hoc idē cõtingit in voce passiones designãte. In anima autem contingit intellectus passionum simplicium & indiuisibilium, siue (vt ita dicam) incompositorum, sicut est intellectus hominis, vel ligni, vel alterius: qui intellectus idem est quod rei per mentem intuitus in similitudine ea quæ apud animam, qui intellectus est sine vero & falso: quia (sicut dicit Aristot. in 3. de anima) intelligentia indiuisibilium & incomplexorum est, in quibus neque verum neque falsum est: & vbi verum & falsum est iam compositio quædam intelligibilium est. Et quia hoc contingit in anima quæ res componit & diuidit, quòd aliquoties intellectus est sine vero & falso, aliquoties autem cum vero & falso, ita quod necessarium est horum alterum intellectui inesse, scilicet quando concipit hoc de hoc dici vel negari, oportet quod in voce significatiua talis intellectus idem contingat, quòd scilicet aliqua vox sit articulata & literata incomplexa, vt homo, & asinus: quædam autem cum vero & falso significant, vt interpretatio vel enuntiatio indicatiua, vt homo currit, & homo non dormit.

Intellectus simplicium quare sic dicitur. Text. com. 21.

Non omnis oratio significat verum vel falsum, sed solum indicatiua.

Non tamen omnis vox literata & articulata complexa statim verum vel falsum significat: quia nec deprecatiua, nec optatiua, nec coniunctiua, nec infinitiua, cum vero vel falso significant, cum tamen sint voces complexæ: sed aliquoties vox complexa significatiua ad placitum semper cum vero & falso significat, quando est indicatiua, hoc de hoc enuntians, quæ de re facit interpretationem perfectam. Voces verò significatiuæ ad placitum sunt nomina & verba, & consimilia sunt in hoc quod sunt notæ consimiles intellectui qui est sine compositione, sicut est homo, vel asinus, quando non additur aliquid, sed vtrumque per se solum accipitur: tunc enim neutrum eorum est verum vel falsum, & hoc quando nihil est additum quod affirmetur vel negetur de his.

Huius autem probatio est per locum à maiori. Videtur enim magis, quòd composita dictio aliquid cum vero & falso significet, quam simplex & incomposita: nihil autem cum vero & falso significat composita: ergo nec simplex. Quod autem composita cum vero & falso nihil significet, probo exemplo: hircocerus enim compositum est ex hirco & cervo: & tamen cum dico hircoceruus, nec verum nec falsum significat, nisi aliquid negatum addam vel affirmatum de hircoceruo: ergo nec aliqua dictio incomplexa aliquid cum verò & falso significabit: non enim aliquid talium significabit cum vero & falso, si non addatur incomplexo aliquod esse vel non esse per compositionem vel simpliciter, vel secundum tempus.

Quid per additum simpliciter intelligat Aristot.

Simpliciter autem aliquid addi dico quod ineſt per seipsum & semper, vt homo est animal: hæc enim enuntiatio semper est vera, siue homo sit, siue homo non sit, vt in antehabitis libris dictum est: quia prædicatum semper est in subiecto simpliciter & actu & intellectu. Secundum tempus autem additur, quod secundum tempus inest & non simpliciter, sicut cum dicitur, homo est: quia esse accidit homini secundum tempus, & non simpliciter: vel cum dicitur, homo currit. Et hic est verus huius dicti intellectus, in quo concordant Alexander, Auicen. & Boët. Alij tamen dicunt, quòd simpliciter de aliquo dicitur quod secundum tempus simplex dicitur de eo, sicut secundum præsens quod non est tempus, sed temporis continuatio. Secundum tempus dicitur de eo quod dicitur secundum præteritum vel futurum. Tertij etiam dicunt, quòd simpliciter dicitur de re quod dicitur sine determinatione huius vel illius esse, vt homo est. Secundum tempus autem quod determinatè accidit secundum ea quæ fiunt in tempore, vt homo est hodie. Sic ergo patet, quòd nominis vel verbi partes nihil extra totum significant, exemplo compositi nominis pars extra nihil significabat, & quòd nullum talium significat cum vero vel falso quando per se ponitur.

Prima expositio.

Secunda expositio.

Quomodo partes nominis compositi separatæ nihil significant.

De his autem multa in principio istius nostræ logicæ dicta sunt: nihil enim dicitur significare quod de intellectu sui totius nihil significat, sicut cum dicitur dominus, neque dosyllaba, neque mi, neque nus, aliquid significant de intellecta totius, vel secundum partem vel secundum totum. Sic etiam cum dicitur hircoceruus, nec hircus nec cervus aliquid significant de intellectu totius: hircus enim non significat partem quæ est hircus, & cervus aliam partem, sed vtrumque per se nihil de toto significat, sed ambo coniuncta significant indiuisibile intellectum hircocerui totius.

Adhuc autem vt omnia ista facilius intelligantur, reuocandum est ad memoriam quod in scientia vniuersalium dictum est: ibi enim dictum est, quòd compositionis in voce causa est inhærentia, qua vnum secundum rem inest alij. Et quamuis vnum secundum rem inest alij sine aliqua media compositione, tamen intellectus nec sibi nec alij significare potest hoc sermone interiori apud se, nec voce exteriori apud alium, nisi ponat vnum dici de alio mediante compositione, quam compositionem primo facit intellectus componens, & sicut facit eam apud se, ita designat eam per sermonem extrinsecum apud alium. Et quia hoc quod est apud intellectum sermo nuntiat per signum, ideò sermo exterior apud Græcos angelus intelligentiæ vocatur. Et quia compositio primo est in anima, ideo dicit Aristot. 3. de anima, quòd vbi verum & falsum est, iam compositio quædam intellectuum est. Et in 6. philosophiæ primæ dicit, quòd verum & falsum sunt in anima: sicut enim in agente compositionem, est in anima: sicut in signo autem

Text. com. 22. Text. com. 8.

Quomodo verum & falsum sint in anima, in voce, & in rebus diuersimodè tamen.

est in voce enuntiatiua: sicut autem in causa est in rebus extra: quia hoc quod vnum est in alio in rebus extra, hoc est causa compositionis.

Est tamen alia veritas incomplexorum, qua esse verum est rei impermixtum. Et adhuc multis modis dicitur verum, de quibus alibi dictum est: sed non sunt præsentis intentionis. Hic enim non loquimur nisi de veritate quæ est adæquatio sermonis & intellectus: quia illa in sermone causatur à passione quæ est in anima à rebus extra, quæ sunt proprie actiua in potentiam animæ, quæ acceptionis potentia est & passiua. Et ideo quod agitur in anima ab extra hoc modo passio vocatur. Et ideo prout refertur ad rem, est similitudo: prout autem est in anima, est passio: & prout in voce causatur ab anima, vocatur nota in ore dicentis: prout procedit in aurem audientis, vocatur signum.

Quod agitur in anima à re extra dicitur similitudo, passio, nota, & signum respectu diuersorum.

Si autem quis quærat, quare non est ita in aliis obiectis aliorum sensuum sicut in auditum? Dicendum, quòd obiecta aliorum sensuum secundum nihil sui causantur ab anima, sed à re extra: & nihil in ea facit anima, nisi quod recipit ea. In vocibus autem institutionem quandam facit ipsa anima. Et nota quam facit vox, est ab anima. Non autem sic est in visu, vel olfactu, vel gustu, aut tactu. Hoc autem in voce facit anima: quia in nullo aliorum sensibilium potest habere notam omnium nisi in auditu: visibile enim, nec audibile, nec gustabile, nec odorabile, repræsentat, nec tangibile: solum autem obiectum auditus per institutionem fit omnium signum, & quodammodo omnia est: & ideo in auditu est id in quo omnes sibi suos effectus & conceptus communicant. Et hi in anima dicuntur passiones. Dicitur tamen passio dupliciter, vt dicit Aspasius in lib. primo de passionibus animæ. Vno modo dicitur passio forma quam infert obiectum potentiæ passiuæ, siue sit sensibilis, siue intelligibilis, sicut visibile passionem infert sensui, & intelligibile passionem infert intellectui possibili. Alio modo dicitur passio motus animæ quo mouetur in corpus, & motum ostendit motu spirituum & sanguinis, sicut dicitur passio iræ, passio concupiscentiæ, passio gaudij, & tristitiæ, misericordiæ, & timoris, & aliorum huiusmodi, illo sensu quo dicimus pati quod mouetur secundum cordis diastolem vel systolem: & hoc modo nos hic non loquimur de passione.

Dubita 10. Solutio. Quare obiecta auditus inter alia sensibilia meruit esse signum conceptuum animæ.

Passio animæ dupliciter dicitur secundùm Aspasium.

Epilogus dictorum.

His sic determinatis plana sunt satis ea quæ dicta sunt. Scimus enim, quod nomen & verbum præconstituenda sunt, & enuntiatio & oratio, & quòd hæc in communi causa sunt in hoc genere quod est vox significatiua ad placitum. Sed quædam eorum sunt vox quæ est sine vero & falso, sicut nomen & verbum: quædam autem illorum sunt vox quæ est aliquando cum vero vel falso, vt oratio, quædam autem semper sunt vel cum vero vel cum falso, vt interpretatio vel enuntiatio. Scimus enim etiam, quòd vox significatiua logicè loquendo nota est passionum animæ & signum rei, & quod illa quæ sunt in anima sunt passiones à rebus in animam actæ: sed non sunt passiones animam commouentes ad fugam vel prosecutionem alicuius. Scimus etiam qualiter veritas sit in rebus sicut in causa, qualiter in anima sicut in efficiente compositionem, & qualiter in oratione sicut in signo. Hæc autem pro parte in prædicamentis dicta sunt, & in sex principiis. Et ideo ista hic sufficiant ad præsentem intentionem.

CAPVT III.

De dubitabilibus quæ sunt circa ea quæ dicta sunt.

QVamuis autem in prædictis iam dubia maiora soluta sint, tamen propter doctrinæ bonitatem adhuc soluemus quasdam sophisticas importunitates, quæ videntur esse contra prædicata. Obiiciunt enim quidam dicentes, quòd intellectus siue passiones intellectus non sunt eædem apud omnes. Accidens enim variatur secundum subiecti diuersitatem: passio autem est accidens intellectualis animæ: anima intellectualis verò non est eadem apud omnes: igitur nec passiones eædem sunt apud omnes.

Prima obiectio.

Adhuc probare videntur, quòd voces sunt eædem apud omnes: quia hæc vox, homo, à quocunque pronuntietur, semper est eadem: & similiter est de aliis vocibus pronuntiatis.

Secunda.

Adhuc autem instant probantes, quòd res non sunt eædem apud omnes: quia climata & loca habitabilia & inhabitabilia variant species & naturas rerum apud diuersos: ergo res non sunt eædem apud omnes.

Tertia.

Adhuc autem ex quo similitudines rerum quæ sunt passiones in anima sunt eædem apud omnes, sequitur quòd scientiæ rerum erunt eædem apud omnes: igitur doctrinæ rerum erunt eædem apud omnes: quod manifestè apparet esse falsum.

Quarta.

Ad hæc autem & consimilia non est difficile respondere per antedicta. Et quamuis hic multa ab aliis dicta sint, nos tamen secundum propositam intentionem dicimus, quòd illud manet idem apud omnes quod ex nobis, id est, ex voluntate nostra, & ex institutione nostra non accipit diuersitatem. Et quia passionum in anima generatio est ad modum naturæ in hoc quod ad speciem mouentis generatur in anima passio, & res similiter non à nobis est, sed à natura, ideò res & passiones manent eædem apud omnes, non eædem numero, vel proprio, vel genere, sed natura causante, vel extra vel in anima, & à voluntate hominis non diuersificatæ.

Solutio ad tertiam.

Quomodo intelligēdum est, quòd res & passiones animæ sint eadem apud omnes.

Et quod dicitur, quòd non est vna anima apud omnes, dicendum quòd hoc modo loquendi falsum est. Est enim vna anima apud omnes vnitate naturæ producentis, sed non vnitate numeri.

Ad primam.

Ad id autem quod obiicitur de voce, quòd sit eadem apud omnes, dicendum est, quòd vocis est duplex consideratio. Vna quidem secundum vocis substantiam secundum quod est discreta quantitas: & sic vox est vna de

Vox dupliciter consideratur, & quomodò diuersimodè consideratur.

Est eadem apud omnes & diuersa.

de rebus naturæ & eadem apud omnes. Alio modò consideratur vox prout institutum signum ad significandum sub certa figura & certis elementis, & sic est ad placitum, & non eadem apud omnes. Quamuis enim tympanum auris pulset inquantum est res naturæ & secundum quod est acuta vel grauis, quod accidit ei inquantum est res naturæ: tamen non ordinatur ad designandum animæ & intellectus passionem, nisi inquantum est figurata & certis elementis determinata, & sic significatiua. Et est solius hominis sic vocare: propter quod animalium brutorum imperfecta ratione voces sunt: quia sunt inarticulatæ, & nullius ad extra designatiuæ, sed in vocante significant affectum. Secundum hoc ergo quod voces à nobis sunt, sic diuersæ sunt secundum institutionem diuersorum.

Ad quartam. Quomodo eiusdem scibilis est eadē scientia apud omnes non tamē eadem doctrina.

Ad id autem quod obiicitur de scientia, quòd sit eadem apud omnes, dicendum quod scientia sequitur naturas rerum de quibus est scientia, & sic non diuersificatur à nostra institutione, & ideò remanet hoc modo eadem apud omnes. Sed non sequitur hoc de doctrina: quia doctrina est actus docentis, qui procedit à voluntate quæ non est eadem apud omnes: & ideo vnum & idem scibile vnus docet sic, & alter aliter.

Redit ad solutionē primæ.

Quod autem dicitur, quòd vnus intellectus est apud omnes vel non est, altioris est negotij quam hic possit determinari. Tamen quantum nunc sufficit, dicimus quòd intellectus qui est potentia intelligibilis, non est idem apud omnes, nec intellectus speculatiuus qui est species in anima potest esse idem apud omnes, nisi per modum qui supra paulo ante dictus est. Sed intellectus relatus ad intelligibile, est idem apud omnes per hoc quod intelligibile est idem apud omnes.

Aliæ obiectiones. Prima.

Quærunt autem adhuc vlterius sic circa præinducta, qualiter intellectus aliquoties dicatur sine vero & sine falso, & non sit dictum; quòd res aliquoties sit sine vero vel falso?

Secunda.

Adhuc autem qualiter dicatur circa compositionem & diuisionem esse veritas & falsitas? aut. enim verum & falsum sunt circa compositionem & diuisionem sicut circa eadem, aut sicut circa diuersa. Si dicatur, quòd sunt sicut circa eadem, tunc affirmatio & negatio erunt eædem, quod falsum est, cum dicant Porphyr. & Boët. quòd sunt oppositæ species enuntiationis. Si autem sunt sicut circa diuersa, tunc videtur, quòd non idem neget negatio quod affirmat affirmatio: quod esse non potest, quia non opponerentur, nisi circa idem essent numero & specie.

Ad primam. 2. metaph. tex. com. 4. Res nunquam est sine vero nec falso sed bene vox & intellectus: & ideo philosophus dixit aliquoties in vtrumque esse sine vero & falso, non dixit hoc de re ipsa.

Ad hoc autem dicendum, quòd sicut se habet res ad esse, ita se habet ad veritatem, vt dicit Aristot. & sicut se habet ad non esse, sic se habet ad falsitatem: & quia non simul se habet ad esse & non esse, ideo nunquam res simul est & non est, sed ad esse tantum si est, vel ad non esse tantum si non est: ideo nunquam res est sine vero vel falso: sed verum & falsum sunt in rebus sicut in causa, vt in antehabitis dictum est. Intellectus autem cum sit species specierum intelligibilium, vt manus organum organorum, operatur in intelligibilibus & sine complexione & cum complexione accipiendo eas, & ita designat in voce: & ideo intellectus & vox sine vero & falso sunt aliquoties, aliquoties aut. in cum vero & falso: res autem altero modo semper, scilicet cum vero vel cum falso.

Ad secundam. Compositio & diuisio sunt analoga ad propositiones & ad notas.

Ad illud autem quod de compositione obiiciunt, dicendum quòd compositio & diuisio sunt nomina multiliciter dicta per analogiam. Aliquando enim compositio significat actum vel compositum & vnum de alio affirmatiuè prædicatum: & hoc modo compositio est propositio vel enuntiatio affirmatiua, & per oppositum diuisio est propositio negatiua: & hoc modo compositio & diuisio sunt diuersæ propositiones. Aliquando etiam compositio significat notam compositionis in propositione, & sic quidem substantialiter compositio est in diuisione, vt probat obiectio: & ideo dicit Arist. quòd omnino est in negatione diuisio. Et quamuis substantialiter est idem, tamen virtute & actu sunt oppositæ, propter oppositas qualitates affirmationis & negationis. Cum ergo dicitur, quod verum & falsum sunt circa compositionem & diuisionem, debet circa exponi per in, quæ est præpositio notans continentiam: quia sunt in compositione & diuisione, & non in eo quod simplex & incomplexum est. Sunt autem in eo sicut in relatiuo relatio est, sicut diximus in prædicamentis: & ideo eo quod res est vel non est, oratio vera vel falsa est. Ad hoc autem intelligendum oportet scire, quòd compositio non est causa veritatis in propositione vera, nec etiam diuisio, sed potius adæquatio compositionis cum intellectu componente, & cum re extra, & non adæquatio est causa falsitatis. Et quia talis relatio est causa veritatis & falsitatis, & relationes sunt assistentes extrinsecus, ideo fortè dicitur, quòd verum & falsum sunt circa compositionem & diuisionem.

Quæ sit causa veritatis in propositione vera, & quare dicitur, quòd verū & falsum sunt circa compositionem & diuisionem.

Sophistæ etiam dubitant de hoc quod dicitur, quòd incomplexum neque verum neque falsum est: quia in verbi primæ vel secundæ personæ determinatum intelligitur suppositum, vt cum dico, lego, est idem quod ego lego: legis, id est, tu legis: lego igitur est incomplexum quod significat verum vel falsum. Eadem est obiectio de verbis exceptæ actionis, vt fulminat, tonat, & de verbis impersonalibus, vt legitur: quæ omnia incomplexa sunt, & tamen habent vim perfectæ enuntiationis: & sic cum vero vel falso videntur esse quædam incomplexa.

Dubitatio sophistarum, quòd aliqua incomplexa significant verum vel falsum.

Ad hæc autem facile est respondere: quia quamuis aliqua virtutem habeant perfectæ orationis secundum grammaticum, tamen non habent virtutem perfectæ orationis secundum dialecticum. In verbis enim primæ vel secundæ personæ certum intelligitur suppositum, propter hoc quia per consignificatum verbi determinatur: verbum enim primæ personæ refert actum suum ad substantiam cuius est idem actus: & ideo suppositum determinatum est per verbum. Et similiter est de verbis secundæ personæ, in quibus etiam ex consignificato determinatur suppositum. Et ideo

Solutio vtrā.

Verba primæ & secundæ personæ.

tale incomplexum iam secundum causam & virtutem complexum est. Et hoc modo verum & falsum sunt circa ea, scilicet vt sunt complexa, & non prout sunt incomplexa.

Verba excepta actionis. Idem est de verbis exceptæ actionis, quæ non consignificato, sed ex significato verbi quod vni soli conuenit, determinant sibi suppositum. In verbis etiam impersonalibus idem est. Non enim dicuntur impersonalia, quia nullius personæ sint actus: quia hoc est impossibile, cum agere & pati sint proprium substantiæ: sed dicuntur impersonalia, quia certam personam non determinant, primam scilicet, vel secundam, vel tertiam, vt cum dicitur, legitur, sensus est, quòd ab aliquo legitur: & sic iterum verbum ratione actus determinat sibi suppositum infinitum: & hoc cum verbo sufficit ad complexionem in qua est verum vel falsum: & hanc puto esse veram istius dubitationis solutionem.

Verba impersonalia quare sic dicantur.

Solutio quæstionis. Dicunt tamen quidam, quòd quamuis in illis verbis perfecta sit oratio quantum ad grammaticum, non tamen est perfecta quantum ad dialecticum: quia grammaticus non intendit de perfectione orationis quoad actū, & cuius est actus, qui per verbum ex consignificato vel significato determinari potest. Dialecticus autem intendit de perfectione orationis secundum relationem ad intellectum & ad rem, secundum quem modum non est oratio perfecta nisi quæ secundum actum enuntiat aliquid de aliquo. Hæc enim propriè interpretatio vocatur, quæ de intellectu & de re interpretatur sicut est vel non est.

CAPVT IV.

De diffinitione nominis & eius declaratione.

Ad quæ fiat resolutio in categoria, ad quæ in grammatica, & ad quæ in logica. TRactando ergo de enuntiatione de qua hic intendimus, dicemus primo de principiis materialibus ipsius, quæ sunt nomen & verbum, in quibus stat & ad quæ stat resolutio enuntiationis. In categoriis enim quia de vocibus agitur, vt stant sub significatione rerum, oportet quòd resolutio stet ad decem quæ sunt prima rerum principia per voces significata. In grammaticis autem cum quia de omni oratione constructa ex dictionibus congruè agitur, necesse est quod resolutio stet ad octo partes orationis. In logicis autem in quibus sunt verum & falsum, non nisi de enuntiatione intenditur, cuius principia non sunt nisi id de quo enuntiatur, & quod de aliquo enuntiatur vt inhærens vel diuisum ab ipso. Id autem de quo enuntiatur, nomen est: & quod de alio enuntiatur, verbum est: & ideo resolutio enuntiationis stat ad nomen & ad verbum.

Quare prius agit de nomine quam de verbo. Prius autem est de quo enuntiatur, quam id quod enuntiatur de ipso: & quia subiectum est nomen sicut ens, & id quod de alio enuntiatur est sicut esse quoddam inhærens: prius autem est id cui aliquid inhæret, quam id quod inhæret: & ideo præposuimus tractatum nominis ante tractatum verbi, sicut ens est ante esse quod est actus entis: verbum enim vt actus nominis est cui apponitur, sicut agenti illum actum.

Dicamus ergo totam simul præmittentes nominis diffinitionem, quòd nomen est vox significatiua ad placitum, sine tempore, cuius nulla pars est significatiua separatè. In hac diffinitione ab antiquis Peripateticis data, non diffinitur nomen secundum quod dictio vel secundum quod pars orationis. Et huius quidem hæc causa est: quia dictio ad rem dictam refertur, nomen autem secundum logicum ad intellectum refertur à quo formatur vt sit nota conceptus illius. Pars autem orationis non dicitur: quia pars dicit ordinabile in toto ad debitam totius constructionem: debita autem est congrua: hoc enim debitum habet ex hoc quod est constructiua ad designandum de re & modo orantis, secundum quod modus varium dicit affectum pronuntiantis orationem, vel indicatiuè, vel deprecatiuè, vel in alio affectu pronuntiantis orationem. Hîc autem sic non intenditur de nomine & verbo, & de oratione, sed potius prout sunt indicia passionū intellectus.

Nomen est vox, &c.

Quod non diffinitur nomen hic secundum quod dictio vel pars orationis, sed potius vt indicium passionis intellectus.

Primum autem quod procedit ab intellectu ad declarandum passionem quæ est in ipso intellectu, est vox: & ideo hîc per vocem nomen & verbum propriè habent diffiniri.

Quare nomen & verbum diffiniuntur hîc per vocem.

Alia enim ratio huius est, & magis conueniens: agitur enim hîc de his quæ ad placitum significant, & quibus signis vtimur pro rebus, vt in antehabitis dictum est: talia autem non nisi in voce formabilia sunt: & ideo talium diffinitio est per vocem vt per propriam materiam. Quamuis enim in naturalibus materia non prædicetur de eo cuius est materia, eò quod forma in naturis est substantia quæ dat esse & nomen & rationem. In artibus tamen & in his quæ sunt à voluntate, quia voluntas substantiam non dat, sed accidens quoddam compositionis, vel sculpturæ, vel incisionis, prædicatur materia: quia ipsa est tota substantia talium: & ideo anulus dicitur aurum, & ciphus argentum, domus lingna & lapides. Et sic hîc vt materia prædicatur vox de nomine, non quidem materia ex qua, sed sicut materia in qua formatur nomen. In talibus enim vbi forma substantialis materiæ non additur, per quam materia ad aliam speciem & substantiam trahitur, fit diuisio specierum per materiam, sicut domorum alia lignea, alia lapidea, & sic de aliis similibus.

Prima ratio.

Secunda ratio

Vide 2. de anima, com. 8.

Quomodo vox prædicatur de nomine & verbo vt materia.

Si quis tamen dicat, quòd in diffinitione nominis vox ponitur vt genus nihil errat: per differentias enim diuisum genus distrahitur in species. Diuidimus autem sic: vocum alia significatiua, alia non. Significatiuarum alia ad placitum, alia non. Significatiuarum ad placitum alia complexa, alia non. Et incomplexarum alia sine tempore, alia cum tempore: & sic per diuisiones differentiarum accipiuntur species quæ sunt nomen & verbum, licet per immediatam vocis diuisionem non statim possent accipi. Sic ergo nomen est vox vel materialiter, vel formaliter, secundum quod genus est vox.

Potest etiam dici, quòd vox ponitur in diffinitione illorum vt genus.

Quod

Quare dixit significatiua. Quod autem additur, significatiua, ad exclusionem additur non significatiuæ vocis. Et de hoc quidem in prædictis dictum est: quia quamuis omnis vox significet seipsam aut vocantem, tamen illa dicitur significatiua quæ instituta est ad passionem intellectus quæ est similitudo rei significandæ. Alia autem quæ licet sit literata, tamen quia adhuc non est instituta, dicitur non significatiua.

Quare dixit ad placitum, & differentia inter voluntatem & placitum. Et quod additur, ad placitum, hoc est, ad voluntatem instituentis, sicut in prædictis dictum est. Et quærunt quidam, quæ est differentia inter voluntatem & ad placitum? Et dicitur, quòd voluntas dicit animi appetitum ab interiori tendentem ad extra: placitum autem dicit affectum quem facit id quod appetitur procedentem à mouente extra ad intus; & placitum ideo est voluntas, quia patitur in volito.

Ly ad, notat triplex genus causæ cum dicitur ad placitum. Et cum dicitur, ad placitum, ista præpositio [ad] notat simul tres causas, finalem scilicet, eò quod finis significationis est vt satis fiat pro placito per nomen quod rem designet: & causam efficientem, eò quod placitum est instituens & faciens, quod rem illam designet: & causam formalem, quia secundum formam passionis qua affecta est anima instituentis, significat, secundum quod dicit Arist. in 2. phys. quòd tres causæ, scilicet efficiens, formalis, & finalis, coincidunt in vnam rem & eandem.

Tex. com. 70. & 2. meta. tex. 32.

Quod oportet talem vocem esse literatam. Sic ergo est vox significatiua ad placitum. Sed attende, quòd oportet, quòd sit signum certum: quia aliter de re non certificaret. Non fit autem certum nisi per literationem qua in hanc vel illam vocem figuratur. Oportet ergo, quòd sit vox literata: si enim sine literatione proferretur, non esset distincta, nec ad hoc significandum vel illud. Et ideo ad hoc quod certum esset signum, oportet quòd talis vox sit literata ad certificationem audientis: voci enim secundum quod est signum tantum ad intellectum rei relatum, accidit quod literata sit.

Dubitatio. Quod autem additur, sine tempore, videtur peccatum esse propter hoc quod sine tempore est priuatio quæ in negatione fundatur: diffinitiones autem per priuationem & negationem non debent assignari: quia diffinitio dicit esse, priuatio autem & negatio tollunt esse ab his quorum sunt. Sed notandum, quod hæc priuatio sine tempore fundatur in habitu & affirmatione, hac scilicet qua significat rem suam in quiete, & non in motu vt verbum: & talis priuatio sic in habitu & affirmatione fundata, nō tollit esse: & hoc modo ponitur in diffinitione. Et per hoc habet nomen, quòd est enuntiationis subiectū: quia sic habet esse stans & fixum, & manens est substantia in seipsa, de qua aliquid potest enuntiari quod insit ei. Quod autem significat cum tempore, significat cum motu: motus autem esse in fieri est quod ab altero est, & non est secundum seipsum: & ideo potest quidem enuntiari de altero, sed nihil potest enuntiari de ipso secundum quod verbaliter accipitur: propter hoc ergo quod nomen significat substantiam, de qua enuntiatur, quod enuntiatur, oportuit nomen significare rem sine tempore.

Solutio. Possumus in diffinitionibus vti priuatione fundata in habitu.

Quare dixit sine tempore.

Quod autem dicitur, cuius nulla pars est significatiua separata, ideo dicitur, quia significatio nominis sic refertur ad totum nomen, ita quod non ad partes: pars enim prima siue syllaba siue litera non habet primam partem significati, & secunda pars secundum, & sic deinceps: sicut cum dico, dominus, hoc ipsum do, quod prima syllaba est, non habet primam tertiam significationis, & mi quod est secunda syllaba secundam, & nus, quod est tertia syllaba, non habet vltimam tertiam: & sic nomen totum dicit & habet totam significationem: quia nulla pars separata habet aliquid significationis, neque secundum totum, neque secundum partem: & ideo nihil penitus retinet de significatione totius.

Quare dixit cuius nulla pars significat separata.

Ratio Auic. quare pars nominis separata à toto nihil significat de conceptu totius. Hæc autē causa est (vt dicit Auic.) quia institutio est causa significationis in nomine: nō est autē institutum vt pars aliquid significet separata, sed vt totum significet totum: & ideo pars nihil significat. Et quia ars imitatur naturam, in natura inuenitur similiter, sicut in motibus animalium, vt in volatu, qui non fit ab vna parte diuisim secundum vnam partem, & ab altera parte altera pars, sed ab vtraque ala mota simul. Mixtum etiam non fit ab aliquo tantum miscibili, nec ab vno secundum vnam partem mixtionis, & ab altero secundum aliam partem: sed cum quodlibet est, cum quolibet perficitur mixtio. Non ergo significatio infusa est nomini sic, quòd sit conueniens partibus, sicut est in homogeniis, in quibus quælibet pars habet nomen & rationem totius, vt ignis, vel aër: quælibet enim pars ignis est ignis, & quælibet pars aëris est aër. Nec iterum est infusa significatio vt in heterogeniis, in quibus pars vnæ habet partem vnam totius, & alteram alterā, sicut caput & pes & cor in corpore hominis, sed sic est totius, quòd nullius partis est, nec secundum totam significationem, nec secundum partem.

Probatio Arist. ad idem, & est ratio à maiori. Hoc autem probatur per locum à maiori: quia si ita est in composito, in quo magis videntur partes aliquid significare de toto, quam in simplici: tunc multo magis hoc est in simplici. Cuius exemplum est in hoc nomine compositio equiferus: ferus enim (prout est pars nominis compositi huius quod est equiferus) nihil significat per se separatum de significatione totius: & hoc ideo est, quia hoc nomen equiferus impositum est equo à qualitate feritatis immixtæ in qualitatem equinam: & quia vt immixtam non significat ferus, ideo de toto nihil significat. Nomen enim non est impositum à duabus qualitatibus diuisis, sed vnitis: & ideo quia vnam diuisam significat, nihil significat de totius nominis significatione. Nihil ergo significat ferus quando est pars compositi nominis quemadmodum per se aliquid significat, quando est pars orationis istius quæ est equus ferus. In hac enim est pars orationis, & per se sumptum vt nomen, aliquid significat de toto significato orationis. Significatum enim orationi sic conuenit, quòd est in oratione secundum partes, & vna pars vnam partem dicit significationis, & altera reliquam.

In nomine enim quod est equiferus, &c.

Quare in hoc nomine, equiferus. ly ferus nihil significat. sed bene in hac oratione equus ferus.

Quamuis autem sit dictum, quod nec in

At vero non

quemadmodum in simplicibus, &c.

compositis nec in simplicibus pars aliquid significet de totius significatione, nullus existimet, quòd per omnia sit simile in partibus compositorum & simplicium nominum, nomen enim compositum est quod diuiditur in duas partes intelligibiles eiusdem sensus capaces: simplex autem quod sic diuidi non potest. Et ideo non quemadmodum se habet in simplicibus, ita se habet omninò in compositis. In simplicibus enim pars nullo modo est significatiua. In compositis autem pars separata prout est nomen & per se sumpta, vult quidem aptitudine institutionis aliquid separatim significare, sed tamen nullius est significatiua, quod sit de tota significatione compositi, vel secundum totum, vel secundum partem: cuius causa nuper dicta est.

Quare dicit secundum placitum, & nomen vnde dicitur.

Quod autem additur, secundum placitum, ideo additur, quia nomini vt est sonus vocantis & res naturæ non accidit siue conuenit significare: vnde sic nomen non est, quia notam non facit nomen enim à notamine quod facit dicitur, & ad hoc quod aliquid significet, oportet quod nota fiat per ipsum: & tunc est nota passionum quæ sunt in anima: quia sicut dicit Plato, sermo impositus est ad hoc vt præsto sint mutuæ voluntatis indicia. Ab institutione ergo oportet nomen esse significatiuum, & non à natura: quia etiam illiterati soni aliquos designant affectus, vel passiones in eis: & tamen nullus talis sonus est nomen: vox enim secundum plenam vocis significationem brutis non conuenit, vt paulo ante dictum est.

Dictum Platonis.

CAPVT V.

Quid sit nomen infinitum, & quare non est nomen apud logicum.

Non homo vero non est nomen, &c.

Quomodo nomen infinitum non est nomen & quare.

Visa autem sic diffinitione nominis posita & exposita, patet quod secundum hanc diffinitionem nomen infinitũ non est nomen. Quia nomen significat substantiam cum qualitate, & nisi hoc modo significet, de ipso nihil certum posset enuntiari: propter quod quia nomen infinitum deficit in hoc quod nõ est finitæ qualitatis, & de quo aliquid enuntiari potest, patet quod nomen infinitum non perfectam habet nominis rationem: quia non est finitæ qualitatis: ideo dicimus, quòd non homo, quod est nomen infinitum, non est nomen secundum perfectam rationem nominis. Sed tamen quamuis nomen non est etiam alia pars orationis: & ideo nomen infinitum cadit à perfecta ratione nominis, & non est alia pars orationis, & non est ei nomen impositum, quo illud appellari oporteat in partibus orationis. Ideo, si placet, vocetur nomen infinitum, vt & habeat rationem nominis quoad modum grammaticæ, & quoad dialecticum extra perfectam rationem nominis extrahatur. Hoc ergo modo dicitur nomen non simpliciter, sed nomen infinitum. Non enim simpliciter negatio est, quia negatio nihil reliquit: nec etiam oratio, quia negatio cum dicitur non homo, per compositionem adiungitur ei quod est homo, & vna dictio est non homo, & non oratio: & ideo cum perfectam rationem nominis non habeat, sit secundum nostram institutionem nomen infinitum.

Nomen infinitum habet rationem nominis quoad grammaticam, non autem quoad dialecticam.

Dubitatio prima.

De hoc autem nomine infinito multæ sunt dubitationes. Et inter eas prima est, per quid negatio nomini per compositionem possit adiungi? Sed ad hoc statim prompta est responsio:

Solutio. Sicut in verbo quod prædicatur intelligitur ly est, ita in nomine quod subijcitur intelligitur ly ens.

quia sicut in verbo quolibet prædicato intelligitur nota compositionis, quæ est est, sicut cum dico, homo currit, sensus est, homo est currens: ita in nomine quod subijcitur, intelligitur ens, sicut cum dico, homo currit, sensus est, homo ens vel existens currit, & ratione huius potest ei addi negatio quæ facit nomen infinitum.

Secunda.

Si autem quæratur per quid differt nomen infinitum in logicis, à nomine infinito quod vocatur infinitum in grammaticis? Dicendum, quòd in grammaticis nomen est infinitum, vt quis, & qualis, quod ab omni determinato numero finitum est, vt quis vel qualis duorũ vel trium vel quatuor, & sic de quolibet alio. Nomen autem infinitum in logicis est illud, cuius priuata est determinata qualitas, & relicta substantia infinita, quæ substantia infinita supponitur per hoc quod dico ens: vnde non homo est ens non habens formam humanitatis.

Solutio.

Differentia inter nomen infinitum in grammaticis & in dialecticis.

Tertia.

Et ideo quæritur cum non homo sit nomen, nomen autem infinitum ad aliam partem orationis reduci non potest nisi ad nomen, quid habeat pro substantia, & quid habeat pro qualitate? Dicendum, quòd substantiam habet indeterminatam. & infinitam, & priuationem qualitatis habet pro qualitate: & hoc sufficit apud grammaticum, ad hoc quod aliquid sit nomen, quamuis apud logicum non sufficiat ad perfectam nominis rationem. Et cum dicitur, quod nomen infinitum significat substantiam infinitam, non oportet, quòd illa substantia sit aliquid in rerum natura: sed sufficit, quòd sit aliquid in apprehensione vel dictione, secundum quod dicimus, quod chimera est aliquid, & priuationes & negationes sunt aliquid, per hoc quod aliquid habent in apprehensione: hoc enim modo substantia dicitur infinita, quia ad nullam formam entis finita est.

Solutio.

Substantia infinita quam significat nomen infinitum, non est aliquid in rerum natura: sed sufficit, quod sit in apprehensione.

Quæstio, vtrum nomen infinitum aliquid ponat.

Propter quod quæritur, vtrum nomen infinitum aliquid ponat, aut non? Et dicunt quidam, quòd ponit aliquid, ad hoc adducentes rationes: quia Aristot. dicit in fine priorum, quòd differt dicere, est non æquale, & non est æquale: quia negatio non est æquale, nihil ponit: terminus autem infinitus non æquale, ponit aliquid.

Secunda ratio.

Secundo dicunt & inducunt hoc quod communiter dicitur & verum est, quòd differt negatio ab infinitiuo, & priuatiuo: negatio enim cum sit extra genus, nihil ponit. Infinitum autem cum sit negatio in genere & communitate entis, aliquid ponit, scilicet ens infinitum. Priuatio etiam in genere est, & ponit subiectum cum aptitudine & dispositione ad habitum, vt cæcum. Ex quo accipitur, quòd infinitum aliquid ponit.

Differentia inter negationem, priuationem, & infinitationem.

Si autem

In oppositum. Prima ratio.

Si autem hoc concedatur, videbitur contrarium per hoc, quod omnis nominis impositio est à forma, sicut hoc nomen homo, à forma impositum est. Ab eadem forma imponitur & nomen habitus, & nomen priuationis habitus eiusdem: cum ergo dicitur non homo, illud nomen etiam imponitur ab hominis forma. Sed differentia est in hoc, quod vnum imponitur ab ipsa forma secundum se: alterum à priuatione formæ eiusdem. Si autem hoc nomen homo, à forma secundum se imponatur, vbicunque inuenitur hæc forma homo, illud est homo, & de illo enuntiatur quod homo est. Et ab opposito vbicunque inuenitur priuatio non homo, de illo enuntiatur quod est non homo. Non homo enim inuenitur & in ente & in non ente æqualiter: non ens est non homo, & ens diuersum ab homine, est non homo: ergo non homo æqualiter dicitur de ente & de non ente: ergo neutrum determinat. Et si non determinat nec ens, nec non ens, nihil ponit: ergo non homo nihil ponit.

Secunda ratio.

Adhuc autem si vnum nomen potest esse infinitum, quod aliquid ponat: tunc omne nomen potest esse infinitum, ita quod aliquid ponat; quia vna & eadem ratio est de vno & de omni nomine: sed ens est nomen: si ergò infinitetur vt dicatur non ens, aliquid ponet non ens secundum quod est nomen infinitum: ponet ergo aliquid quod est non entis: ergo est aliquid commune enti & non enti: nihil autem est commune enti & non enti: ergo nihil ponit penitus: vel reliquitur, quod sit non ens in rerum natura.

Tertia ratio.

Adhuc autem cum dico, homo, dico formam: & cum dico hic homo, dico formam in hac materia: & in talibus idem est esse hominis & huius hominis, sicut est idem esse vniuersalis & particularis in quo est vniuersale: sed vniuersale in quo est, & particulare est id quod est: sublato ergo vniuersali quod est in particulari, necesse est, quòd particulare secundum id quod est ab vniuersali auferatur. Cum autem dicitur non homo, auferrur homo quo hic homo est hic homo: ergo & auferrur hic homo: & sic non remanente homine non remanet hic homo: ergo cum dico non homo, nec ponitur vniuersale nec particulare: & omne quod est aut est vniuersale aut particulare alicuius naturæ: videtur ergo, quòd non homo nihil ponat quod alicuius naturæ sit.

Quarta ratio.

Adhuc autem logicè obiicitur, quòd si non homo aliquid ponat, cum hæc propositio sit vera, omnis homo est animal, erit hæc vera per conuersionem per contrapositionem factam, omne non animal est non homo: & lapis est non animal: ergo lapis est non homo: ergo à primo si omnis homo est animal, lapis est non homo, & est aliquid quod non sequitur: & ideo cum consequentia ista sequitur, si non homo aliquid ponat: ergo videtur, quòd non homo nihil ponit.

Solutio quæstionis.

Ad hæc autem & consimilia dici consueuit communiter & bene satis conuenienter, quòd est differentia in nominibus infinitis. Aut enim sunt substantiua, aut adiectiua. In substantiuis quidem nomen nihil ponit quod est infinitum, propter hoc quod qualitas illius nominis quando priuatur, priuatur & ipsum quod est determinatum qualitate illa: & sic ablata qualitate qua est, priuatur & ipsa substantia secundum id quod est. Et quia nomen infinitum priuat qualitatem, priuat etiam substantiam secundum id quod est, & sic nihil ponit quod in rerum natura sit. Et si dicitur, quòd relinquit substantiam infinitam, dicendum quòd illam non relinquit nisi sub apprehensione, secundum quod supponitur per hoc nomen ens infinitum, & secundum hoc non est in rerum natura. In adiectiuis autem quæ qualitatem habent finitam, & substantiam habent infinitam, negata qualitate non necessariò negatur substantia secundum id quod est: & ideo in talibus aliquid ponit. Vnde cum dicitur non æquale, vel non simile, sensus est, ens quod non est æquale, & ens quod non est simile. Et de talibus infinitis loquitur Aristot. in fine priorum, sed non de substantiuis infinitis. Sic ergo aliquando aliquid ponit, sicut in adiectiuis, & aliquando nihil ponit, sicut in substantiuis: & sic videtur infinitum nomen commune esse enti & non enti, quod non est inconueniens hoc modo quo infinitum est commune enti & non enti: quia licet aliquando relinquat ens, non tamen relinquit ens quod sit aliquid in rerum natura. Ex hoc patet qualiter facit negationem in genere entis & cuiusmodi entis.

Quomodo in substantiuis, nomen infinitum nihil ponit.

Quomodo in adiectiuis nomen infinitum aliquid ponit.

Sed tunc quæritur, cum (quando dicitur nullus & neuter) negatio veniat in nominis compositionem, sicut quando dicitur non homo, qualiter in vno facit terminum infinitum, & non in alio? Hoc autem soluere non est difficile: quia cum dicitur, nullus, neuter, distributio quæ importatur per signum distributionum, diuidit supposita subiecti in comparationem ad prædicatum: & ideo negat prædicatum à partibus subiecti, & non negat qualitatem subiecti: & ideo non facit nomen infinitum. Cum autem dicitur non homo, negatur qualitas nominis in seipso. Propterea nomen infinitum est non homo. Sic ergo patet, quòd nomen infinitum priuat qualitatem, & relinquit substantiam infinitam, quæ supponitur per hoc nomen ens infinitum: secundum quod cadit sub apprehensione & locutione quod non est ens in natura: sicut dicimus, quòd idem est ens aliquo modo circa quod est intellectus, & de quo est locutio: & sic aliquando affirmatio entis negationi similis est, sicut cum dico, videns tenebras: videtur enim ibi esse affirmatio visionis. Cum autem consideratur, quòd tenebræ nihil sunt, scitur quòd videns tenebras nihil videt: & nihil videns non videt: & sic videns tenebras, non videt: ideo cum dicitur non homo, intelligendo non hominem (cum non homo nihil ponat) nihil intelligit.

Obiectio.

Solutio. Quare istæ omnis nullus, neuter & huiusmodi, non sunt infinitæ, sicut non homo.

Affirmatio entis quandoque est similis negationi.

Sed attende, quod licet nihil ponat & nihil significet, non tamen est vox non significatiua, vt bu ba baf: quia vox non significatiua, non excitat intellectum ad aliquid de aliquo intelligendum, sed non homo excitat ad intelligendum de hoc quod est priuatæ qualitatis, quod

Licet nomen infinitum nihil significet, excitat tamen intellectum ad aliquid intelligendum,

& in hoc differt à voce non significativa.

quod tamen in rerum natura nihil est, quamuis sit in apprehensione: & hoc modo opinio est circa id quod est in apprehensione tantum. Et est simile sicut quando dicimus innominabile, hoc nihil est, & tamen præcipit cadit in apprehensione per suum oppositum quod est nominabile, ad aliquid excitat intellectum. Hoc modo apparet qualiter aliquid ponit, & qualiter nihil ponit nomen infinitum.

Transcendentia non possunt infinitari.

Attendendum tamen est, quòd nomina transcendentia infinitari non possunt, sicut res, ens, & aliquid: quia ablata qualitate istorum nominum cum infinita sint, non potest relinqui etiam secundum apprehensionem substantia infinita: propterea infinitari non possunt.

Notaquæ requiruntur ad hoc quod nomen possit infinitari.

Ad hoc enim quod aliquod nomen infinitetur, oportet quòd habeat qualitatem determinatam quam non habent res ens & aliquid. Oportet etiam, quòd habeant ordinatam qualitatem ad substantiam finiendam & determinandam: & ideo omnis & quilibet & nullus & nemo infinitari non possunt: quia huiusmodi qualitatem non habent. Oportet etiam, quòd non fuerit ante infinitum: & ideo partes indeclinabiles, vt coniunctio, præpositio, & huiusmodi, infinitari non possunt: quia esse infinitarentur: quia ex seipsis infinita sunt. Et ideo etiam adiectiuum quoad substantiam quam habet infinitam, non infinitatur per ablationem qualitatis, sed remanet substantia infinita, de qua tollitur qualitas: propter quod infinitatio talis æquipollet negationi.

Causa præcipua quare nomen infinitum nihil ponat.

Attendendum etiam, quòd nomen finitum determinatæ & circumscriptæ est significationis: & per hoc quod infinitatur, efficitur incircumscriptæ significationis, quæ nec ad ens, nec ad non ens finiri potest: & hæc est præcipuè causa, quod nihil ponit nomen infinitum.

Quid per substantiam & quid per qualitatem in significato nominis intelligendum.

Et adhuc notandum est, quòd cum dicitur, quòd nomen significat substantiam cum qualitate, substantia nominis est id quod est & quod supponitur in nomine: qualitas autem est id quo est id quod est: quæ in pluribus non sunt accipienda in abstracto, sed in concreto, sicut si dicamus, quòd homo est quo id quod est homo, est homo: & sic apparet, quod ablata qualitate ista quæ dicitur per hoc nomen homo, non remanet homo id quod est homo, & per consequens nihil relinquitur positum de homine: quia quicquid ponitur per finitum, cum dicitur homo, tollitur per infinitum cum dicitur non homo. Et cum dicitur, quòd non homo est ens non homo, sicut ante diximus, illud ens non est rei vel naturæ, sed ens in apprehensione animæ: & hoc non est aliquid vel ens simpliciter, sed est ens in opinione, de quo ratiocinari & loqui possumus, sicut in antehabitis dictum est.

Primum notandum.

Ad habendum perfectam notitiam partium infinitarum sciendum primo de infinitatione terminorum, & præcipuè nominis & verbi, quòd negatio est tollens verbi vel nominis formam, & relinquens substantiam quæ est in hoc communi quod est ens, secundum quod ipsum est commune ad ens secundum naturam, & ens rationis vel in ratione vel in dictione significatiua quocunque modo: hoc enim ens est infinitum, hoc est, ad nullam certam formam determinatum, quamuis per negationem tollatur significatio, & per consequens finitas quæ primo fuit: tamen per appositionem negationis quæ pro forma additur supra substantiam infinitam, generatur alia dictio quæ est nomen vel verbum infinitum, & hoc pro forma vel qualitate habet ipsam priuationem, & sic significat substantiam cum qualitate. Et similiter verbum quod significat esse & agere, priuationem in agere significatam pro esse habet & agere, & dicitur nomen infinitum & verbum infinitum.

Quomodo negatio infinitans relinquit in nomine & ver- bo substantiam, & tollit aerii formam vel qualitatem.

Secundum notandum de differētia inter negationem negantem, & infinitantem.

Secundo notandum, quòd quamuis vna negatio possit negare duas compositiones, vt cum dicitur, non qui currit mouetur: hoc tamen non facit negatio nisi sit libera non cadens in compositionem alicuius partis in illa oratione positæ, & nisi secunda compositio sit determinatio alicuius partis primæ compositionis: negatio autem infinitans cadit in compositionem termini infiniti, & ideo extra illum nihil negat: & ideò negatio illa simul duas dictiones infinitare non potest, vt cum dicitur, non homo albus, vel non lignum album: quamuis enim neget duas compositiones prædicati ad subiectum, istæ compositiones dicunt esse & non entis compositionem. Entis enim compositio duplex est. Vna quidem ex substantialibus forma & materia: alia ex accidente & substantia, quæ est adiectiui cum subiecto, & illam tollit infinitans negatio: & ideo coniuncta cum termino accidentalis compositionis, nihil extra illam respicere potest: sed libera existens negatio ad vtramque partem compositionis esse, quæ est ex prædicato & subiecto, & determinatione partis illius compositionis simul, ita quod vnam per alteram negare potest.

Tertiū notandū, quòd partes indeclinabiles non possunt infinitari.

Tertio notandum, quòd partes indeclinabiles (eo quod infinitæ sunt significationis in se, nec finitur earum significatio nisi per adiuncta) infinitari non possunt: negatio enim infinitans semper cadit in compositionem infiniti termini, & aliquid relinquit, & aliquid tollit, quod in parte indeclinabili esse non potest: non enim significat quandam compositionem vel entis vel esse ad quam referri possit negatio.

Quartū notandū, quòd pronomina non possunt infinitari.

Quarto notandum, quòd pronomen de se meram significat substantiam: & cum qualitas quam acquirit per demonstrationem vel relationem pronominis, non fit de pronominis significatione, non potest infinitari: quia infinita est, & nullam habet positam siue circumscriptam significationem. Et si dicat Aristot. aliquando non hoc, non intendit, quòd pronomen infinitetur, sed quod infinitetur nomen quodcunque demonstratum vel datum, vt hoc non lignum, & hoc non album. Et quod sub nomine comprehenditur à dialectico pronomen, hoc non facit, quod pronomen fiat nomen, sed quod suppleat vicem nominis in supponendo. Et ideo quamuis nomen infinitetur, non tamen infinitari potest pronomen. Si enim infinitaretur cum negatio infinitans tollat formam inferiorem finitam, & relinquat superiorem infinitam, sicut ens est forma, se-

quereatur

queretur quòd pronomen haberet compositam substantiam ex forma superiori & inferiori, & sic significaret substantiam cum qualitate, & esset nomen: quod absurdum est: & ideo infinitari non potest.

Quintò notandū quòd non omne nomen possit infinitari.

Quinto notandum, quòd non omne nomen infinitari potest. Ad infinitationem enim nominis duo exiguntur, quorum vnum est, quòd in eo quod infinitandum est, significetur qualitas vnica, quæ in se finita est & substantiam significatam finiat ad vnum aliquo modo. Secundum autem, quòd non sit negatum: quia si negatum: esset, negatio superueniens ad infinitandum tolleret negationem, & illa ablata remaneret nomen finitum.

Signa distributiua non infinitantur.

Ex his patet per primam suppositionem, quòd signa distributiua, omnis, & huiusmodi, non possunt infinitari: quia dicunt dispositionem subiecti secundum quod subiectum est, & non habent circumscriptam significationem; sicut etiam nomina infinita, quis, & qualis, & huiusmodi, infinitari non possunt.

Transcendentia non possunt infinitari quo modo capta, licet alio modo possint.

Adhuc autem cum nomen infinitum priuet inferiorem formam finitam, & relinquat superiorem infinitam, & hoc nomen ens superius nihil habeat, propriè infinitari non potest. Similiter autem est de aliis nominibus, vnum, res, & aliquid, vt dicit Auicen. sed tamen si ens accipitur vt nomen huius rei quæ est ens: tunc potest priuari: quia priuatur ens actu, & relinquit commune ad ens actu, & ens imaginatum, vel sermone quocunque modo significatum, quod est nomen infinitum.

Vnum, aliquid, res, quid addant super ens.

Et similiter est de eo quod est vnum & aliquid, & plus quod vnum addit super ens indiuisionem, & aliquid addit super ens particularizatum, & res addit super ens ratum: gratia quorum possunt illa nomina infinitari.

Terminum portãtes naturam simplicē possunt infinitari.

Quamuis enim quædam nomina simplicem naturam & nullam significent compositionem, & negatio siue negans siue infinitans velit inuenire compositionem aliquam: tamen illa nomina possunt infinitari: talia enim nomina sunt Deus, albedo, linea, & huiusmodi. Quamuis enim in re significent non esse compositionem: tamen habent substantiam, quia sunt id quod sunt: & habent qualitatem formam qua sunt id quo sunt formaliter: & sic habent quod est, & quo est illud quod est: & hanc compositionem requirit negatio infinitans. Habent etiam potentias quibus determinatè vel indeterminatè sunt, quarum compositionem tollit in eis infinitans negatio.

Sextum notandum. Quomodo substantiua infinitata de se nihil significant, quāuis aliquid secum compatiantur.

Sexto notandum, quòd nomen aliud substatiuum, aliud adiectiuum. In substantiuis autem est substantialis qualitas, quæ non essentialiter differt à substantia quam nomen significat: & ideo ablata qualitate substantiali, etiam substantia nominis tollitur, & quantum de se nihil relinquitur nisi infinitum ens: quod tamen compatitur secum suppositionem eius quod actu non sub forma negata est, sicut non homo est lignum: de se tamen illam substantiam non significat, & ideo de se nihil significat, quamuis aliquid secum compatiatur. Et ideo non sequitur si aliquis sic arguat, omnis homo est animal: ergo omne non animal est non homo: sed lapis est non animal: ergo lapis est non homo: & lapis non est homo: ergo lapis est: ergo à primo si homo est animal, lapis est: hæc enim ideo non valet, quia terminus infinitus de se nihil ponit neque significat, quamuis secum aliquid compatiatur illa forma carens quam priuat. Adiectiuum autem (cuius qualitas essentialiter differt à substantia infinita quam significat) relinquit aliquid, substantiam scilicet infinitam: quod patet per expositionem: non album enim est res non alba. Si tamen adiectiuum est denominatum à forma substantiali, vt rationale sensibile animatum, & sic de aliis, idem est iudicium de eo quod de substantiis, quòd de se nihil ponit. Quia tamen priuatio quæ est in ipso, saluatur in ente, & inclinationem ponit ad subiectum in quo est illa priuatio, quod tamen de se non significat dictio priuatiua, ideo terminus priuatiuus non est negatiuus, nec oratio in qua ponitur terminus priuatiuus est negatiua, sed affirmatiua. Ens autem in communitate acceptum non infinitatur propriè, nisi accipiatur pro ente actu, vt ante dictum est: quia si communitate sua infinitaretur, nihil penitus relinqueret: & hoc non est negationis infinitantis propriè, sed negationis, eò quod dictum est, quòd nomen infinitum nihil significat: & qui dicit homo, aliquid positum significat: qui autem dicit non homo, quod positum est tollit, & nihil ponit nisi priuationem, quæ de se nihil significat. Et hoc intelligitur de nomine absoluto secundum se accepto. Si enim ponatur in oratione vt subiectum vel prædicatum: tunc oportet, quòd aliquid significet, vt cum dicitur, non homo est album, non homo currit, vel currens est non homo.

Quomodo adiectiua accidentalia infinitata relinquunt aliquid, substantialia autem idem habent iudicium cum substantiuis.

Ens in sui communitate accepti non potest infinitari.

Septimo notandum, quòd aliter dicitur nomen priuatiuum apud grammaticum, & aliter nomen infinitum secundum logicum: nomen enim priuatiuum apud grammaticum significat substantiam cum qualitate, & vtrumque significat positiuè. Nomen infinitum apud logicum nec substantiam nec qualitatem significat verè, sed priuationem qualitatis & substantiam non significat veram, sed significat substantiam communem ad veram substantiam & ad eam quæ est in opinione vel dictione, de qua loqui contingit & quoquo modo imaginari: & ideo, vt dicit Boet. nomen infinitum dicitur tam de ente quam non ente.

Septimum notandū est differentia inter nomen priuatiuum apud grammaticos, & infinitum apud logicos.

Octauo notandum, quòd negatio veniens in compositionem nominis aliquando facit puram negationem, vt cum dicitur, neuter, nemo, & huiusmodi: & aliquando facit infinitatem & non puram negationem, vt cum dicitur, non homo. Huius enim pro certo ratio est: quia aliquando negat & remouet prædicatum ab omnibus partibus nominis suppositi: & tunc facit puram negationem. Quando autem negat qualitatem essentialem quæ est in compositione substantiæ significatæ per nomen, tunc fit terminus infinitus.

Octauum notandum. Quomodo negatio quādoque negat, & quandoque infinitat.

Nono notandum de terminis priuatiuis, quòd differunt à terminis infinitis: quia quamuis omne nomen significet per modum cuiusdam habitus, & omnis habitus priuari possit, sicut id quod significat substantiam cum qualitate potest priuari qualitate: tamen quia habitus

Nonum notandum. Differentia terminorum priuatiuorum & infinitorum.

bitus dicit id quod actu est in substantia, & maxime quia priuatio dicit potentiam ad receptionem habitus ieiunatam, ideò non potest propriè loquendo priuari nisi terminus accidentalis, vt iniustum, impium, & huiusmodi: & tunc priuatio illa nomine abstracto significatur, vt iniustitia, impietas: & ideo non dicitur inhomo, vel insubstantia: & ideo talis terminus talem substantiam significat realem cum potentia ad habitum, quod non facit terminus infinitus, vt dictum est, siue fuerit substantiuum, siue adiectiuum denominatum à forma substantiali, vt rationale, irrationale, insensibile, inanimatum, & huiusmodi, sicut patet ex prædictis: non enim relinquunt substantiam cum potentia redeundi ad habitum, sed tollunt potentiam & qualitatem, & relinquunt substantiam significatam per ens commune ad ens verè, & secundum puram imaginationem. Pura autem negatio nihil penitus quantum est de se relinquit. Adiectiuum autem formatum à forma accidentali priuatiuum, tollit habitum, & relinquit substantiam infinitam realem cum potentia ad habitum reuertendi.

Decimum notandum de infinitatione & priuatione participium.

Decimo notandum de infinitate participij sicut de infinitate adiectiui significantis formam accidentalem, quòd quamuis nomina priuatiua & infinita in talibus non multum sint posita, si tamen ponerentur, tunc sic illa infinitarentur & priuatiua efficerentur.

Vndecimum notandū de infinitatione verbi. Nota quomodo hoc verbum, est, quandoque potest infinitari, & quandoque non.

Vndecimo notandum de verbi infinitatione, quòd quamuis dicatur, quòd verbum infinitum priuat actionem in specie significatam, & quòd relinquit actionem in genere significatam: tamen hoc non est verum, sed relinquit actionem in communitate ad ens vel esse in actu & secundum imaginationem & locutionem: & ideo infinitatur hoc verbum, est, quando esse in actu significat, sicut hoc nomen ens, quando ens actu significat. Et sicut non infinitatur ens in communi ad ens actu & secundum imaginationem, ita nec infinitatur hoc verbum esse quando significat esse in tali communitate, quia ex tali infinitatione nihil relinqueretur.

Nota de quibusdam verbis communibus ad ens & non ens quomodo possunt infinitari.

Adhuc sunt quædam verba quæ per suas significationes possunt poni circa ens & non ens, sicut opinatur, scire, conuenit, & huiusmodi: & quia illa hoc habent ex suis formis per potentiam significatiuam, & non ex negatiua particula infinitatem, ideo etiam illa infinitari possunt: quia suas formas per modum finitum significant: & ideo recipiunt infinitationem.

Quomodo quæda verba significēt negationem cōceptam possunt infinitari.

Adhuc cum quædam verba significent negationem infinitam & conceptam & non vt exercitam, sicut negare, annihilare, & priuari, & huiusmodi: tamen quia non significant negationem nisi positiuè per formas negationis, etiam ipsa possunt accipere infinitantem particulam priuantem illam determinatam priuationis formam, vt non negat, non annihilat, non priuat.

Verba exceptæ actionis non possunt infinitari.

Sed de verbo exceptæ actionis notandum, quòd determinat sibi certum suppositum: & ideo addita sibi negatione negatur res verbi à determinato suppositio & actuali: & sic fit hæc negatio pura, & non infinitans verbum: propter quod verbum exceptæ actionis meo iudicio infinitari non potest.

Duodecimū notandum quomodo verbum in oratione positum non potest infinitari: & similiter verba primæ & secundæ personæ.

Duodecimo notandum, quòd cum dicat Boët. quòd verbum infinitum in oratione positum non fit infinitum: sed negatio quæ ei coniungitur, efficitur negans suppositum & rem verbi à determinato, suppositio. Eadem ratione verbum primæ vel secundæ personæ in quibus determinata intelliguntur suppositia, non debent dici posse infinitari. Et si adueniat negatio, erit negans rem verbi à suppositio determinato: quod etiam causa est in verbo exceptæ actionis in tertia persona, quod infinitari non potest: quia negatio negans efficitur. Nisi forte aliquis velit dicere, quòd omnis dictio per compositionem recipiens negationem, est infinita: quia sic etiam verba exceptæ actionis & verba primæ vel secundæ personæ infinitantur: sed tunc non erit realis differentia talis verbi ad verbum purè negatiuum siue puræ negationis.

Obiectio quod verbū non possit infinitari.

Decimotertiū notandum, quòd cum dicitur verbum infinitum, vt non currit, exponibile est altero duorum modorum, scilicet quod idem est non currit, quod est non currens. Si primo quidem modo exponitur, tunc magis infirmitatur participium quam verbum. Si autem secundo modo, tunc non differt à pura negatione, & ideò videtur nihil ponere, maxime quia dicit Arist. quòd æqualiter est in eo quod est & in eo quod non est: hoc enim esse non posset si aliquid poneret: quia nihil est cōmune esse & nō esse, sicut nec enti & non enti.

Solutio quomodo ly non currit exponitur per ly non est currens, & quomodo hoc non est verbum puræ negationis: quia licet nihil ponat, aliquid tamen relinquit.

Si dicatur, quòd est actio generalis & specialis, & verbum infinitum tollit specialem, & relinquit generalem secundum rem: hoc dictum non est in omnibus verbis infinitis generale: non enim contingit huic verbo, est, quod tamen secundum aliquem modum infinitatur, vt prius dictum est. Adhuc autem quando dico non currit, verum est quando nihil penitus agitur, & quando aliud agitur à cursu: & sic non potest ponere actionem generalem. Et ideo de hoc dicendum videtur, quòd nihil ponit in rerum natura: aliquid tamen ponit secundum rationem & locutionem sicut priuationem actus, quæ compatitur secum aliquid quod non est illa actio: & hoc tamen de se non ponit, sed relinquit, ita quod hoc non priuat: sed negatio pura nihil ponit neque aliquid relinquit, siue secundum rem, siue secundum rationem. Vnde non currit, exponi habet sic, non est currens: & non sic, est non currens: non tamen est verbum puræ negationis: cuius causa iam dicta est: quia enim in quolibet est quod non est vel quod est, ideo nihil ponit.

Obiectio.

Si aliquis opponat dicens, quòd sicut nomina se habent ad infinitationem, ita & verba: & ita sicut quodlibet nomen potest infinitari, ita quodlibet verbum. Dicendum quòd nomina diuersarum sunt naturarum ad infinitationem, & sic non est de verbis: & ita quamuis aliquod nomen infinitum ponat aliquid, non tamen sequitur ex hoc, quod aliquid ponat verbum infinitum. Dico autem aliquid quod sit in rerum natura & simpliciter ens. Verbum

Solutio.

tamen

tamen infinitum in oratione cum dicat aliquid alicui inesse, vel per modum quo aliquid inest alteri, aliquid ponit, & aliquid simpliciter negat, sicut apparet ex supradictis: sed non sequitur, quòd ideo verbum infinitum secundum se aliquid ponat, sed potius magis priuat.

14 Notandū. Verum verbum infinitum in oratione differat à seipso negato.

Decimoquarto notādum de hoc quod quæri solet, vtrum verbum infinitum in oratione differat ab ipso verbo simpliciter negato, vel non differat ab ipso? Verbum enim significat esse obliquatum & ad ens siue existēs: propter quod si ponatur illud ens & esse in oratione, statim adueniente negatione remouetur res verbi secundum esse à tali ente: & cum primo insit tale esse, & postea fit negatio, fit remotio rei verbi ab actuali suppositō. Et sic verbum infinitum non differt à verbo purè negato. Adhuc autem ideo; quia si actuali compositioni (quæ est inter actualiter entia) superueniat negatio, ipsa negat verbum ab alio faciens simpliciter orationem negatiuam: sed sic est quando verbum infinitum in oratione ponitur: propter quod secundum Boëtium ibi pura est negatiō: & hoc videtur esse verum. Sed notandum quod quamuis verbum infinitum in oratione negatum sit, hoc non habet à se, sed ab extremis quæ actualiter in oratione significantur: & ideo alterum necessariò ab altero per negationem remouetur: verbum autem quod ponitur negatiuum, & quod est purè negatiuum, ex se habet quod actualiter negat aliquid ab aliquo, & de se habet quod facit orationem negatiuam.

Sic ergo patere possunt ea quæ de infinitis verbis videntur esse quærenda, & quæ sit natura terminorum infinitorum tam in generali quam in speciali consideratorum, & quæ sit natura terminorum priuatiuorum, & quomodo se habeat ad terminos infinitos.

CAPVT VI.

De casu nominis.

Diximus autem in diffinitione nominis, finita & recta. Cum enim duo sint in nomine secundum perfectam nominis rationem, substantia scilicet, & qualitas, infinitum nomen esse non potest, de quo aliquid enuntietur propter defectum qualitatis. Similiter casus nominis siue nomen obliquum, nomen hic esse non potest: quia deficit in significatione substantiæ, quam ita designari oportet, vt de ea aliquid enuntiabile sit: quod non potest fieri nisi in recto: genitiuus enim non significat substantiam, sed aliquid esse ipsius. Similiter dariuus non significat substantiam, sed significat aliquid esse illi. Et eodem modo accusatiuus non significat substantiam, sed aliquid ad ipsam. Et ideo nullus casus directè significat substantiam nisi rectus, qui significat eam prout aliquid est enuntiabile de ea.

Quare nomen infinitum & obliqui casus nō sunt nomina apud dialecticos.

Sic autem non est in casu verbi secundum præteritum & futurum: præter tum enim & futurum cum recto rectam faciunt enuntiationem, vt homo legit, homo leget, & huius causam dicunt quidam esse: quia rectum verbum est in casu verbi quod est nunc præsens: vnde præsens de præterito præteritum est, vt dicunt, & præsens de futuro futurum est: & hæc verba derisibilia sunt, licet idem nunc secundum substantiam sit substantia tēporis, tamen hoc aliam formam & aliud esse habet in præterito & aliud in futuro. Propterea dicendum, quòd non est ita in verbo sicut in nomine: quia verbum dicit hoc quod inest alteri: & hoc facit æqualiter per omnem differentiam temporis in modo indicatiuo, qui etiam enuntiatiuus dicitur: ideo per rationem modi habet, quòd per totum modum indicatiuum habet virtutem recti. In aliis autem modis ab illa cadit virtute. Et hæc est causa quare cum verbo præteriti temporis vel futuri temporis perfecta est enuntiatio. Verbum enim per hoc quod verbum est, semper alterius est vt actus vel passio, & non significatur vt hoc vel illud: & hanc obliquitatem habet in omnibus: sed quod cadit à modo significandi per præteritum & futurum, non facit ipsum obliquari in obliquo ab inhærentia quam dicit in præsenti: & ideo perfecta est enuntiatio secūdum quodlibet dictorum temporum, dummodo sit secundum modum enuntiatiuum: sed cum cadit à modo, tunc non est interpretatio vel enuntiatio, sed vel deprecatio, vel optatio, vel dubitatio, vel aliquid tale: & ideò cum modis illis non est enuntiatio. Hoc ergo modo dicitur ab Arist. quod Caronis & Caroni, & quæcunque talia sunt de casibus nominis obliquis, & non sunt nomina, scil. casus nominis, qui substantiam (secundum quod aliquid enuntiari potest de ipsa) supponere non possunt.

Quare casus verborum sunt verba, expositio quorundam & mala.

Expositio vera.

Totus modus indicatiuus verbi habet virtutem recti.

Et ratio quidem nominis in recto & in obliquo in multis quidem est eadem, quia significatum est idem: sed in hoc differt, quia obliquus coniunctus cum est vel erit vel fuit, hoc est, cum verbo præsenti præteriro vel futuro, neque veram neque falsam facit orationem. Nomen verò adiunctum cum est vel fuit vel erit, semper vel verum vel falsum est. Et si dicā Caronis est, vel non est, nondum verum dico vel mentior: quia est locutio incongrua quæ nihil significat.

Nomen in recto & in obliquo conueniunt in significato, & differunt in multis.

Si autem obiicitur de huiusmodi orationibus, regis est hoc facere. Dicendum est, quòd omnes tales appositum habent pro suppositō: & infinitiuus cum casu in virtute est rectus: vnde sensus est. Hoc facere est regis.

Obiectio. Solutio.

TRACTATVS III.

De verbo.

CAPVT I.

Qualiter verbum est de consideratione logica.

INTERPRETATIO (quæ de re sicut est vel non est interpretatur) non potest fieri solo nomine, sed oportet, quòd verbum adiungatur: quia verbum per hoc quod significat agere vel pati (quod est substantiæ nominis proprium) significat illud quod inest nomini. Inesse autem in eo quod inest, causa est prædicationis de altero, sicut in scientia vniuersalium dictum est: & ideo interpretatio de esse vel non esse rei non nisi per verbum fieri potest. Propter quod de verbo in scientia de interpretatione determinari conuenientes est: quia est alterum interpretationis elementum.

Obiectio. Et si obiiciatur, quòd verbum non semper est prædicatum quod de altero dicitur, sed vt frequenter prædicantur nomina; vt homo est animal, Sortes est homo, homo est rationale vel risibile vel album, & sic de aliis quæ sub quinque vniuersalibus & prædicatis continentur. Facile est soluere: quia prædicatum est duplex, scilicet materiale, & formale. Formale quidem est, quod intra se concipit formam per quam retorquet ad alterum cui inest, & de quo est vt de subiecto: hæc autem forma non est nisi compositio: & hanc formam verbum (per hoc quod alterius est) in se concipit. Et ideo solum verbum prædicatum formale est. Hoc autem probatur exemplo: quia cum dicitur, homo currit, sensus est, homo est currens, vt participium sit res verbi prædicata materialiter: ipsum autem quod dico (est) quod est nota compositionis, formam dicit qua res verbi refertur ad subiectum sicut inhærens sibi vel aliquid eius, & vt aliquid quod de ipso sit: talis autem forma non est concepta in significato nominis.

Solutio. *Nota distinctionem de prædicato formale & materiali. Et quid sit vtrumque, & quomodo solum verbum est prædicatum formale.*

Dubitatio. Si autem quæritur ratio, quare compositio magis concipitur in verbo quam in nomine, præcipuè cum compositio media sit inter cõposita, & æqualiter videatur vtrumque extremorum respicere? Dicendum cum Dionysio, quòd nulla compositio est à primo: sed omnis compositio incipit & principiatur à secundo. Primum enim vt primum nulli inest: sed secundum potest inesse. Adhuc quia per verbum significatur id quod inest, ideo in secundo concipitur compositio & non in primo.

Solutio.

Obiectio. Si ergo aliquis dicat, quòd verè quinque sunt prædicata quæ sunt verè vniuersalia, & sic non solum verbum est prædicatum. Patet responsio: quia omnia illa materialiter sunt prædicata: solum autem verbum est prædicatum formaliter propter iam inductam rationem. Vnde etiam nec pronomen nec participium formaliter est prædicatum: propter quod de istis in logicis vt de partibus interpretationis non determinatur.

Solutio. *Quare de pronomine & participio hic non agit.*

Quare non determinatur hic de verbo vt prædicatum, & de nomine vt subiectum. Determinantes ergo de verbo secundum logici intentionem & de nomine, non vocamus ea subiectum & prædicatum: quamuis tamen nomen sit subiectum de quo alterum est, & verbum prædicatum quod est de altero: quia subiectum in ratione subiecti non est nisi prout est in enuntiatione & stat sub forma enuntiationis: & similiter est de prædicato si in ratione prædicati accipiatur: & hoc modo notitia subiecti & prædicati pendet ex notitia enuntiationis: & sic subiectum & prædicatum sunt posteriora in ratione quam enuntiatio & non priora. Cum ergo hic quærebamus elementa enuntiationis quæ in ratione priora sunt composito, determinamus ista elementa sub ratione nominis & verbi, & non sub ratione subiecti & prædicati.

Quare in hoc lib. non determinatur de aliis partibus orationis. Patet etiam ex dictis, quare de aliis partibus orationis non determinamus. Illæ enim vel non significant aliquid, vel sunt consignificantes tantum cum aliis vt partes indeclinabiles. Si enim dicam in, vel supra, vel olim vel vnde, vel &, vel ergo, nihil penitus significat nisi addatur aliquid circa quod ponitur modus quem illa pars importat, sicut si dicatur in domo, vel supra stagnum, vel olim fuit bellum Troiæ, vel aliquod tale. Pronomen autem quia significat substantiam meram siue puram, non veram de re potest facere interpretationem, & ideo ad logicum non pertinet nisi prout finitum demonstratione vel relatione ponitur pro nomine finito: propter quod etiam propriè loquendo pronomen infinitari non potest: quia quod per seipsum infinitum est, superflue infinitaretur. Participium autem res verbi est, quæ in verbo materialiter continetur: & ideo nec formaliter nec materialiter est elementum constituens enuntiationem: propter quod de talibus non determinat logicus.

Quomodo grammaticus diuersimodè de verbo pertractat à logico. Sicut autem de nomine tractamus, sic etiam de verbo tractabimus secundum potissimam verbi acceptionem, & non secundum quod ipsum considerat grammaticus: quia grammaticus considerat ipsum ad finem congruæ orationis, & ideo accidentia verbi perquirit secundum

secundum quod verbum congruæ vel incongruæ enuntiationis potest esse principium: logicus autem refert ea ad finem veri vel falsi, per quæ fit interpretatio: & ideo non considerabimus de verbo nisi illa quæ faciunt ad hanc intentionem.

CAPVT II.

Quid (per diffinitionem logicam) sit verbum.

Verbum est, &c.

Dicamus ergo, quòd verbum logicè consideratum est quod cõsignificat tempus, cuius pars extra nihil significat, & est semper eorum nota quæ de altero predicantur. Hæc autem diffinitio ab Alpharabio sic exponitur, quòd consignificare tempus dicit duo: vnum ex intentione principali, & alterum ex consequenti. Ex principali intentione consignificare tempus dicit, quòd non est significare tempus vel significare rem quæ necessariò est in tempore, sed per modum quo cum tempore, hoc est, per modum agere vel moueri: quia hoc nomen cursus significat id quod nenecessariò est in tempore, tamen significat illud vt essentiam separatam à tempore, quia significat rem suam totam simul & non distensam in tempore. Hoc autem non fit nisi significando eam vt agere vel moueri: quia sic agere in agente significatum est in fieri, & illius tẽpus est mensura. Ex consequenti dicitur hoc quod præsupponit, scilicet quod verbum est vox significatiua ad placitum: quia vt dicit Auicen. verbum quod hoc modo consignificat cum tempore, non habet ex se, sed à placito imponentis.

Expositio diffinitionis verbi secundum Alpharabium.

Vtrum illa particula: vox significatiua ad placitum debeat præsupponi in diffinitione verbi. Aliter enim sensit Alphar. & Auicen. de hoc: & aliter quidam alij.

Sunt tamen qui dicunt, quòd verbum habet duo, scilicet rem verbi significare: & hoc dicunt, quòd habet à placito: sed postquam ad significandum rem suam determinatum est, rem suam significare cum tempore vel consignificare tempus habet ex necessitate: quia suum significatum necessario significatur in aliqua differentia temporis esse: omne enim agere & pati in aliqua differentia temporis est, cum dicat Philosophus in 4. physic. quòd idem est esse in tempore, & quadam parte temporis mensurari.

Tex. com. 115.

Quare dixit verbum esse notam eorũ quæ de altero dicuntur.

Quod autem dicitur, quòd est semper eorum quæ de altero dicuntur nota, propter compositionem dictum est quæ concipitur in verbo: per hanc enim rem suam retorquet ad subiectum cui inest. Inesse autem est causa prædicationis de altero. Et ideo per rem suam & compositionem nota est eorum quæ de subiecto prædicantur per hoc quod in subiecto sunt.

Non curris autem & non laborat, &c.

Quomodo verbum infinitum non est verbum

Sunt autem quæ verba videntur, sed secundum potissimam verbi rationem verba non sunt: verbum enim secundum potissimam sui rationem est per quod aliquid intelligitur de subiecto, & secundum hoc non currit, non laborat, verbum dici non potest. Et similiter cætera verba infinita. Sed tali parti orationis siue tali verbi differentiæ nomen propriè non est impositum. In hoc enim cum verbo conuenit, quod semper consignificat tempus, & in hoc quod semper est prædicatum de aliquo. Et ideo, si placet, dicatur verbum infinitum. quia nec ad esse nec ad non esse finitur. Et hoc est ideo quia similiter siue æqualiter est in quolibet & quod est & quod non est. Huius autem causa est: quia sicut in nomine infinito priuatur forma & remanet substãtia infinita, quæ nec ad ens, nec ad non ens finita est, quæ designatur per hoc nomen ens, secundum quod communiter dicit id quod est siue in natura siue in ratione vel æstimatione sola, de qua cogitari vel sermo haberi potest: ita verbum infinitum priuat rem verbi, & relinquit actum infinitum ordinatum ad substantiam infinitam, ratione cuius consignificat tempus & compositionem in se habet, per quam sic infinitum actum retorquet ad subiectum: & per hoc est nota eorum quæ de subiecto dicuntur. Sed quia nullam rem verbi significat finitam, ideò per ipsum nihil est interpretabile de subiecto, & ideò non potest esse pars interpretationis.

secundum potissimam verbi rationem.

Quare curret & currebat & huiusmodi non sunt verba secundum logicos.

Similiter autem & curret & currebat & alij casus verbi à verbo declinati, non sunt verba secundum intentionem logicam, sed casus verbi. Et huius causa non est quam dicunt quidam, quòd vnicuique innatum sit magis interpretari præsens quam præteritum vel futurum. Sed hæc est vera causa, quòd nihil potest prædicari de re vel etiam vere interpretari per influere, vel infore: sed quicquid prædicatur de re vel interpretatur de ea, hoc non fit nisi per inesse. Et ideo influisse vel infore sunt casus verbi, & non verba, secundum quod verbum est pars orationis vel interpretationis. Attendit enim logicus declinationem secundum tempus in verbo: quia accidit verbo secundum significatum proprium: declinatio autem secundum personas aut secundum numeros aut secundum agentia & patientia & declinatio secundum modos accidit verbo secundum affectus agentis: & ideò de illis non curat logicus.

Quod autem dicit, cuius nulla pars extra significat, sicut in diffinitione non inis intelligitur, ita scilicet, quod nulla dictio quæ verbum est, significat quòd secundum partem vel secundum totum sit de intellectu totius: & ideo etiam hoc hic exponi non oportet.

Sicut autem verbum infinitum non est verbum secundum logicum, ita verba præteriti temporis & verba futuri temporis non sunt verba secundum logicum: quia non significat præsens (per quod potest solum aliquid interpretari, quod insit, vel potest probari inesse) sed significant duo tempora, quæ præsens tempus complectuntur. Præsens abiit in præteritum & extenditur in futurum, & sic præteritum & futurum significant duo tempora quæ complectuntur præsens, & quorum ipsum præsens continuatio est, & quæ pro certo non sunt simpliciter, sed secundum quid sunt, secundum quod ad id quod est substantia temporis & complectentia ipsum reducuntur. Et siquidem secundum naturale esse temporis accipiantur, tunc primum est nunc præsens quod

Quomò ho præsens est prius præterito & futuro, & quomodo futurum & præteritum sunt prioria præsenti.

quod abiit secundum esse finis in præteritum, & secundum esse principij extenditur in futurum. Si autem tempus accipiatur in temporali quod prius in potentia quam in actu fit, quoad hoc prius est futurum, & deinde præsens, vltimò præteritum. Si autem tempus accipiatur vt iporum periodi generatorum, tunc prius est præteritum, deinde præsens, & vltimò expectatur futurum.

Sed in hoc cauendum est: quia in ordine quo præteritum & futurum propter hoc verbum de præterito & verbum de futuro faciunt rectum, vt male dicunt quidam: non enim propter hoc verbum est rectum vel non rectum, sed propter hoc est rectum, quia quidem per inesse (quod significat) rectam de eo quod est vel non est facit interpretationem: quod in præterito fieri non potest, neque in futuro: quia per infuisse nihil secundum rem potest interpretari de re: quia non sequitur, hoc infuit illi: ergo potest prædicari de ipso: & similiter est de futuro, vt cuilibet patet: & ideò solum præsens rectam facit interpretationem. Eodem modo id quod diximus de infinito, quòd non est verbum, ideò diximus, quia ablata forma & re verbi non remanet nisi priuatio vt actus cum compositione quæ ad nihil finita est. Et ideo æqualiter est in eo quod est & quod non est, non quidem vt contradictio siue vt affirmatio & negatio: quia illius nihil est medium secundum se, sed est in vtroque & quod est & quod non est sicut ad neutrum finitum.

Hoc videtur contra dicta supra in 2. vbi secundi tractat. vbi dicit quod totus modus indicatiuus habet virtutem recti. bene considera. & solues.

Obiectio. Solutio. Quomodo negatio non est infinita simpliciter: sicut nomen & verbum infinitata.

Et si dicat aliquis, quod etiam negatio infinita est. Dicendum, quòd negatio infinita est per hoc quòd nihil ponit: sed per hoc finitatur, quod ea quæ negat siue diuidit abinuicem, sunt finitæ significationis: & hoc modo nomen infinitum & verbum infinitum non sunt finita: vnde apparet quod non est similiter. Et si ratio ponatur in forma argumenti, erit fallacia æquiuocationis. Similiter etiam verbum per in se conceptâ compositionem est semper nota eorum quæ de altero dicuntur vt de subiecto: & est nota eorum quæ de altero dicuntur per hoc quod est in altero vt actus vel passio, sicut diximus. Sic ergo intelligitur inducta verbi diffinitio.

Quare verbum non potest infinitari in oratione sicut extra. Sed hoc videtur contra dicta supra ca. 5. secundi tract. vbi dicit in 14. notabili, quod verbum potest in oratione infinitari, & quæritur vtrum eius infinitatio differat ab eius negatione. Respondetur quod hic intelligit verbum non

Sciendum etiam, quòd verbum infinitum non potest esse in oratione infinitum: cuius ratio est: quia cum negatio est quæ per compositionem est in verbo infinito, non refertur nisi ad rem siue ad formam verbi, & tollendo illam relinquit verbum infinitum, quod nec ad ens aliquod, nec ad non ens aliquod finitum est. Et hoc ideo est: quia verbum secundum se sumptum non concipit determinatam compositionem & finitam, quæ determinata sit per sua componentia siue composita: & ideo ad compositionem referri non potest negatio, sed ad rem & formam verbi. Et ideo in oratione compositio quæ est in verbo finita est: & ideò in oratione necesse est negationem referri ad compositionem: quia eiusdem est diuisio, cuius est compositio: & ideo negatio tunc faciet orationem negatiuam, & non verbum infinitum.

Obiectio.

Attendendum etiam, quòd si verbum aliquod est de se infinitum, illud infinitari non potest, sicut nec nomen de se infinitum. Et ideo sicut ens infinitari non potest, ita nec hoc verbum est. Talis igitur est diffinitio verbi secundum logicos.

esse in oratione infinitari, nisi etiã negetur: sed bene extra orationem. Ly est, non potest infinitari sicut nec ly ens.

CAPVT III.

Quia verba secundum se dicta nomina sunt.

ipsa vero secundum se verba, &c.

IPsa verba secundum se dicta, hoc est, secundum se sola accepta (non in oratione vt partes orationis posita) nomina sunt. Cuius probatio: quia significant aliquod determinatum quod proprium est nominis, notam scilicet. Et si quæratur, Quid est nomen huius verbi quod est amo: dicetur, quòd nomen eius amor est: & dicimus, hoc verbum amo, est actiuum verbum. Et talia sic dicta ostendunt, quòd verba secundum se accepta (& non ad subiecta per compositionem reflexa) sunt accepta vt nomina. Huius probatio: quia qui primo verbo imposuit tale nomen, & similiter qui simplici dictione dicit vel nominat verbum, talem intendit constituere intellectum, vt scilicet nomine illo tale verbum significetur. Et qui audit sic dicentem & nominantem verbum, quiescit in tali intellectu simplici, & non quærit amplius. Si enim dicam verbum, & quæratur quod verbum, & dicatur quod amo vel lego, verbum audiens statim quiescit, non autem quiesceret nisi esset sciens, quòd amo determinati & certi verbi nomen est: & ideò per intellectum simplicem quiescit in illo. Verbum autem per se sumptum nondum significat verum vel falsum: non enim significat de re si est, vel si non est per negationem.

Et huius causa est: quia verbum per se sumptum, neque est signum esse rei, neque signum non esse. Et esse quidem per affirmationem, non esse quidem per negationem. Ad hoc autem quod significetur vt esse, oportet quod actu componatur cùm re cuius esse secundum aliquem actum vel passionem significat: & tunc proprie est verbum: quia tunc concepit compositionem determinatam ad id cuius est: vnde secundum se sumptum nihil habet de verbi significatione. Hoc autem à maiori probatur sic. Si enim aliquod verbum per se aliquid significet de intentione verbi, tunc maximè videtur, quòd id verbum per se sumptum significet quod concipitur in omni verbo, & hoc est hoc verbum, est: sed si hoc verbum, est, purum & simplex dixeris, ipsum quidem nihil est & nihil finitum significat. Cum significet enim infinitè quadam compositione, quam sine extremis non est intelligere, vt Auicen. dicit, si dicam, est, nihil penitus significat, nisi addatur quid est vel substantiali vel accidentali prædicato vt dicatur, est lapis, est album, vel est rationale, vel aliquid huiusmodi. Tamen huius alia ratio est: quia compositio est medium coniungens composita: non coniungit autem nisi per rationem compositorum: & sic

sic compositionis ratio sumitur à compositis: sic ergo verissimè intelligitur illud quod dicitur de verbis secundum se dictis, quòd nomina sunt.

Vide S. Th. quia hanc improbat opinionem.

Sunt tamen qui dicunt, quod verba secundum se dicta sunt verba in re verbi per infinitum accepta, vt amare, vel legere. Et dicunt illa in vi nominum esse: quia subiicibilia sunt sicut nomina: vt cum dicitur, legere est bonum, vel aliquid huiusmodi. Sed primum melius est: quia ille est intellectus Philosophorum.

Obiectio.

Contra hoc tamen quod dictum est, quòd verbum secundum se sumptum non significat esse vel non esse, obiicitur per instantiam de verbis exceptæ actionis, vt fulminat, tonat. Sed ad hoc facilis est responsio: qui a verbum illud non habet hoc inquantum verbum est, sed inquantum est exceptæ actionis.

Solutio.

Alia obiectio.

Adhuc autem si de verbis primæ vel secundæ personæ obiicitur, in quibus determinatum est suppositum. Eodem modo soluitur.

Solutio.

Hoc enim non habent illa verba inquantum verba, sed inquantum determinant certum ágens. Et ideò non est instantia de istis.

Hæc igitur de verbo dicta sunt quantum ad naturam interpretationis, de qua hîc principaliter quærimus: quia enim non interpretamur nisi aliquid quod est vt esse, de alio quod est vt ens, & nomen significat vt ens, verbum autem vt esse, ideo non oportet huius plures partes interpretationis quærere. Pronomen non significat vt ens finitum & perfectum. Participium autem non significat vt esse per comparationem ad id ad quod est reductum: & ideo non perfecta ratione sunt elementa interpretationis: propter quod de illis omittendum est. Habitis autem elementis interpretationis nunc ea sunt quærenda quæ formalia sunt principia interpretationis.

Quare hic egit solum de nomine & verbo, & non de aliis partibus orationis.

TRACTATVS IV.

De enuntiatione.

CAPVT I.

De diffinitione orationis quæ est genus enuntiationis.

Quam orationem hic diffiniat, & quare D. Albertus & Filoxenus sunt vnius opinionis in hoc. Boet. autem & S. Th. volunt, quòd hic diffiniatur oratio communis ad perfectam & imperfectam. Oratio est vox, &c. Ly dictio est æquiuocum nomen: & quia Arist. sæpè accipit ly dicere pro affirmare: ne quis intelligeret ly dictio pro affirmare, addidit non vi affirmatio: & est expositio Alexandri.

HAbitis autem his quæ ad elementa enuntiationis pertinent siue interpretationis, nunc inuestigandum est quid sit interpretatio. Et quia interpretatio in oratione est sicut in genere diffinitiuo, ideo ab oratione incipiendum est. Et quia immediatum genus interpretationis est oratio perfecta, ideo quæremus orationis perfectæ diffinitionem secundum logicum. Sic enim compositum correspondebit componentibus: quia cum diffiniuimus nomen & verbum, diffinimus, prout sunt elementa orationis perfectissimæ: propterea etiam de oratione loquentes vt de perfecta loquimur.

Dicamus ergo, quòd oratio, quæ genus proximum est ad interpretationem, est vox significatiua, cuius partium aliquid separatim significat vt dictio, non vt affirmatio. Dictio enim æquiuoca est: quia dictio est pronuntiatio cuiuslibet dictionis, vt nominis vel verbi. Dictio etiam est enuntiatio affirmatiua alicuius de aliquo: & vt hanc multitudinem distinguamus, dicimus vt dictio quæ separatim aliquid simplici intellectu significat: sed secundum quod dicitur dictio etiam affirmatio alicuius de aliquo (in qua aliquid dicitur de aliquo) sic non significat aliquid separatim, quia sic significaret verum vel falsum: sed significat aliquid separatum secundum quod totum significatur in partibus. Dico autem hoc quod dictum est exponendo vt homo quod est dictio simplicem intellectum constituens: & ideo significat aliquid: sed non significat sic aliquid, quoniam est affirmatiuè vel negatiuè: sed tunc erit affirmatio vel negatio si aliquid addatur vt aliquod affirmatum vel negatum de homine. Quamuis enim dicamus, quòd partes orationis aliquid significant, non intelligimus hoc nisi de partibus orationis, ex quibus immediate componitur oratio quæ sunt dictiones. Et non intelligimus de partibus partium, sicut de vna nominis syllaba quæ pars dictionis est: quia sicut diximus, syllaba dictionis neque partem neque aliquid in toto habet de significato dictionis.

Remouet dubium. Sed non vna nominis syllaba, &c.

Et hoc apparet per locum à maiori: quia si in aliquibus aliquid significaret per se syllaba de intellectu totius, magis videretur quod hoc fieret in duplicibus siue compositis, quam in aliis. Et in his non significat aliquid separatim. Ergo nec in aliis. Sicut in hoc nomine, forex, rex per se sumptum nihil significat, neque secundum totum, neque secundum partem de intellectu totius. Et ideo nec aliorum nominum pars dictionis aliquid per se separatim significat: non significat quidem pars compositæ dictionis aliquid separatim, hoc est dictu, id quod est pars secundum quod pars est nihil significat de intentione totius.

Quomodo intelligitur, quòd pars nominis separata non significat.

Cum autem dicimus orationem significatiuam, non dicimus eam significatiuam vt instrumentum, sed sicut dictum est, dicimus eam

Non sicut instrumentum, &c.

significatiuam esse ad placitum: omne enim instrumentum alicuius causæ est instrumentum & naturaliter & accidentaliter est ordinatum ad vnum & non ad aliud. Vox autem literata & articulata, siue sit dictio siue oratio non est ad vnum: quia quod in vno idiomate sonat vnum, in alio sonat statim oppositum vel aliud: & ideo non est significatiua vt instrumentum, sed ad placitum.

Hoc dicitur propter Platonem qui voluit orationem naturaliter significare eò sit instrumentum virtutis naturalis, vt inquit Boëtius.

In diffinitione tamen orationis non dicitur, quòd significatiua sit ad placitum: quia significare ad placitum conuenit sibi ex partibus plus quam ex seipsa: quia cum partes significent ad placitum, accepta illa significatione de natura dictionum significat oratio illud quod significant partes: sed tamen quia origo significationis ad placitum est, ideo per partes attribuitur ei ad placitum significare. In diffinitione tamen non ponitur: quia in diffinitione non ponuntur nisi ea quæ immediatè conueniunt diffinito. Hæc ergo est oratio secundum quòd est genus interpretationis siue enuntiationis. Oratio autem imperfecta neque perfectè est vox significatiua, neque aliquid aliorum perfectè conuenit ei.

Quare non dicitur in diffinitione orationis, quòd sit significatiua ad placitum.

Obiectio est quam etiã tangunt Boët. & S. Thom. Solutio quæ fuit Anto. Alexandri. Porphyrius tamen & Asphasius dicerunt hic Arist. diffinisse orationem simplicem tãquam priorem.

Obiicitur tamen sophistæ contra hanc diffinitionem dicentes, quòd oratio quæ coniunctione vna est, vt Sortes currit aut dormit: aut si Sortes stertit, Sortes dormit aut Sortes currit aut legit. Hæ enim omnes orationes perfectæ sunt, & eius partes significant separatim vt affirmatio. Ad hoc dicendum, quòd orationis perfectæ inducta est diffinitio, siue sit simpliciter vna, siue coniunctione vna. Sed in diffinitione orationis dicitur, cuius aliquid partium separatim significat, non vt affirmatio: & ex hoc non sequitur, quòd oratio perfecta nullam habeat partem significantem vt affirmatio, quia partitiua constructio hoc impedit: sed quod per se & proximè partes componentes orationem vt oratio est, aliquid significent, non vt affirmatio, sed vt dictio simplicis intellectus.

Enũtiatiua non omnis, sed in qua, &c.

Ex hic patet, quòd secundum D. Alb. Aristot. hic innuit diuisionem orationis perfectæ in deprecatiuã, imperatiuã, interrogatiuam, vocatiuã & enuntiatiuam secundã Boët. autem & S. Thom. hic tantummodo diuisio orationis communis ad perfectam & imperfectam.

Hæc autem oratio perfecta quæ diffinita est, diuiditur: non enim omnis oratio enuntiatiua est, sed illa sola inter perfectas orationes enuntiatio est, in qua indicatiuè verum vel falsum est significatum: hoc enim non omnibus inest perfectis orationibus. Deprecatio enim seu deprecatiua oratio perfecta est, quia perfectum sensum generat: & tamen neque vera neque falsa est, quia neque verum neque falsum significat. Et similiter est de aliis orationibus, vt de optatiua & coniunctiua. Omnes enim tales orationes quæ non dicunt neque verum neque falsum (quod solum logicus vt finem intendit) relinquantur: de talibus enim rhetor vel poëta conuenientius speculatur: cum tales valeãt ad supplicationem iudicis vel actoris vel rei, & non ad significationem veritatis vel falsitatis. Enuntiatiua enim quæ veritatem & falsitatem significat, sola est præsentis speculationis.

Orationes quæ non dicunt verum vel falsum pertinent ad rhetores vel poëtas.

CAPVT II.

De diffinitione enuntiationis in speciebus eius.

HAbitis autem his quæ ad esse & diffinitionem pertinent orationis, iam tractandum est de diuisione & partibus siue speciebus ipsius. Primò notandum est, quòd secundum tria quæ sunt in enuntiatione, tripliciter habet diuidi. Si enim attenditur penes componentia ipsam: tunc pro certo diuiditur, quòd enuntiationum alia simplex, alia composita, & alia plures, simpliciter & quodammodo vna. Si enim vna est ratio enuntiationis & vnius tantum enuntiationis: tunc sicut vnum non diuiditur in multa, ita enuntiatio non diuiditur in plures: quia plures enuntiationes non sunt enuntiatio, sed enuntiationes: diuidens enim debet participare diuisum, & nomen suum recipere. Si autem attenditur qualitas enuntiationis: tunc enim diuiditur enuntiatio per affirmationem & negationem: & has omnes exequamur diuisiones.

Tripliciter diuiditur enuntiatio secundum tria quæ sunt in ea

Sciendum ergo, quòd enuntiationum alia est simplex vna, & alia vna est coniunctione, & alia plures. Vel sic diuidi potest, quod alia est vna, & alia plures. Vnarum autem alia simplex vna, alia coniunctione vna. Vna autem quæ simplex vna & primo loco vna est, ipsa est in qua vnum prædicatum de vno subiecto dicitur, vel negatur, vt homo currit, vel homo non est animal. Composita verò siue plures in qua vel plura de vno, vel vnum de pluribus, vel plura de pluribus dicuntur. Et hoc est duobus modis: eo quod plura possunt esse per coniunctionem copulata, vel sine coniunctione coniuncta sub vna prolatione, vt si dicam, Sortes & Plato currunt: vel si dicam, Sortes currit & disputat: vel si dicam, Sortes & Plato currunt & disputant: vel sine coniunctione si dicam, homo albus muficus legit: vel si dicam, homo albus muficus est crispus citharœdus. Tales ergo sunt plures & inconiunctæ & coniunctæ per coniunctionem. Vnarum autem quædam sunt simpliciter vnæ, & quædam coniunctione vnæ. Simpliciter autem vnæ sunt quæ à simplici & ab vna forma compositionis simplicis sunt, vt homo est animal. Coniunctione autem vnæ sunt, in quibus consequentia (quam notat coniunctio) facit vnitatem: & hoc non est nisi in conditionali & disiunctiua: quia in conditionali sequentia ex ordine naturali antecedentis ad consequens consequentia contingunt se in vno: in disiunctiua autem ex oppositione non manet pluralitas, sed altero destructo inferrur reliquum & manet vnum. Et secundum Boëtium & Auicennam & Algazelem istæ duæ solæ coniunctiones faciunt vnam coniunctione enuntiationem, & non copulatiua: quia in copulatis nulla est vnitas nisi aggregationis, quæ simpliciter est pluralitas, & non vnitas. Potest etiam dici, quòd sicut in naturis quædam sunt à forma simplici, sicut elementum: quædam à formis

Enuntiatio coniunctione vna non est nisi conditionalis & disiunctiua, non autem & copulatiua secũdum B ët. Auic. & Alga.

formis ordinis diuersarum ad vnum per cõpositionem vel complexionẽ, sicut est in heterogeniis: sic sunt duæ vnitates in enuntiatione. Et ideo quædam est simpliciter vna, quædam autem coniunctione vna: & quædam coniunctæ, & quædam inconiunctæ siue coniunctione prolatæ: sed hoc parum facit ad propositum.

Sed attendendum, quòd enuntiationum vnarum, quædam sunt vnæ significatione & non voce; & quædam voce & non significatione, & quædam voce & significatione simul. Significatione & non voce vna est hæc, animal rationale mortale est homo: hæc enim est vna vnitate significationis, quamuis non vnitate vocis, eo quod omnia diffinientia vniuntur vnitate vltimæ differentiæ quæ realis & naturalis & essentialis est vnitas. Vocis autem & non significationis vnitate vna est in cuius subiecto & prædicato est terminus multa significans, vt canis. Vocis autem & significationis vnitate vna est in qua simpliciter vnum prædicatur de vno quod non est æquiuocum vel multiplex.

Obiectio.

Sed secundum ea quæ dicta sunt videtur, quòd hæc non sit vna, Sortes albus currit: quia Sortes & album non sunt simpliciter vnum, sed aggregarum. Ad quod dicendum, quod non est vnum primo, sed per accidens, sicut per accidens vnum est vnum. Si autem tunc obiicitur, quod hæc etiam est vna, homo albus musicus currit. Dicendum, quòd non est verum: quia album & musicum propter hoc quod sunt duo accidẽtia ordinem essentialem non habentia ad seinuicem, faciunt duo subiecta: & sic propositio non est vna, sed plures. Sic autem non est hic, homo albus coloratus currit: & ideo illa est vna vnitate per accidens.

Solutio. Obiectio.

Solutio.

Est autem vna prima oratio, &c.

His itaque prænotatis facile est inuenire enuntiationis diuisionem, & partes eius diuidentes. Dicimus enim, quòd illa quæ vna est & prima oratio enuntiatiua, est affirmatio, & deinde negatio: quia quamuis affirmatio & negatio sint species coæquæuæ enuntiationis, & sic ex æquo se habent ad genus quod est enuntiatio: tamen si comparentur adinuicem, & per id quo sunt & ex quo sunt, affirmatio est ante negationem: quia sicut pars eius & causa ipsius: & ideò prius est affirmatio, & deinde negatio. Aliæ vero quæ sunt vnæ enuntiationes, sunt coniunctione vnæ. Habetur ergo hæc diuisio enuntiationis: enuntiationum quædam sunt simpliciter & primo vnæ, aliæ sunt coniunctione potius vnitæ quam vnæ. Sed siue primo modo sit vna, siue secundo modo, siue etiam non vna.

Quamodo affirmatio est prior negatione cũ sint species coæquæuæ. Vide etiam S. Thom hic.

Obiectio.

Hic sciendum, quòd ex pluribus nominibus tantum, vel ex verbis pluribus tantum non potest esse oratio enuntiatiua: sed necesse est orationem enuntiatiuam esse ex nomine & ex verbo, vel ex nomine & casu verbi. Et si aliquis obiiciat, quòd oratio enuntiatiua sit ex nomine infinito (quod non est nomen) & verbo: vt cum dico, non homo currit. Obiectio non valet: quia non est enuntiatio de nomine infinito. Vel nomen infinitum quamuis non sit nomen ad interpretandum, tamen nomen est ad qualitercunque enuntiandum. Non omnem enim amittit virtutem nominis.

Solutio. Necesse est autem omnem orationem, &c. Quare autẽ non probatur.

Quod autem sine verbo per sola nomina non fiat enuntiatio, probatur à maiori. Si enim aliqua oratio sine verbo faceret enuntiationem, hoc magis faceret oratio diffinitiua: quia illa dicit esse. Oratio autem diffinitiua enuntiationem non facit. Ergo nec aliqua aliarum. Cuius exemplum, est: quia rationi hominis quæ est animal gressibile bipes si non addatur est, vel fuit, vel aliquod verbum, nondum faciet enuntiationem: cum enim sic dicitur animal gressibile bipes, totum illud est vnum quoddam & non multa: quia vnitate vltimæ differentiæ totum vnum est. Et quia sic vnum est & non multa, ideò non potest dicere vnum de vno: & hoc est de substantia enuntiationis, quòd aliquid de alio dicatur. Et cum solum verbum nota sit dicendi vnum de altero, non potest esse enuntiatio sine verbo vel casu verbi. Ratio enim diffinitiua non propter hoc vnum est simpliciter, quia partes illius orationis quæ sunt voces & nomina ea posita propinquè, hoc est, sine distantia proferuntur vel sine coniunctione copulante: sed ideo, vt diximus, sunt vnum, quia præcedentes & generales vniuntur & determinantur vltima differentia quæ est vnus simplex actus. Sed tamen causam determinare, quare diffinitio est vnum & non multa, alterius est negotij: in 7. enim primæ philosophiæ est hoc determinandum.

Nisi enuntiationem non posse esse sine nomine. Vide S. Th. hic qui dat tres responsiones.

Text. com. 42.

Secundum ergo ea quæ dicta sunt, tunc vna oratio enuntiatiua est, quando vnum prædicatum de vno subiecto dici significat suæ compositionis simplicitate. Si autem aliter vel plura de vno, vel vnum de pluribus, vel plura de pluribus dici significat vel negat, non potest simpliciter esse vna: sed si est vna, erit vna coniunctione vel terminorum vel enuntiationum, sicut diximus. Plures autem est illa enuntiatio, quæ pluralitatem in his quæ de se dicuntur significat vel in subiecto, vel in prædicato, vel in vtroque. Plures autem quæ sunt coniunctæ per coniunctionem copulatiuam. Et plures sunt quæ inconiunctæ sunt, & tamen vel plura de vno, vel vnum de pluribus, vel plura de pluribus dici significant.

Est autem vna oratio enuntiatiua, &c.

Adhuc autem inconiunctæ & coniunctæ alio modo dicuntur, vt dicunt quidam, ita quòd coniunctæ sunt quæ sine distantia vna proferuntur prolatione: inconiunctæ autem quia in pluribus proferuntur cum interruptione continuæ prolationis.

Sicut autem enuntiatio non est sine nomine & verbo, ita solo nomine vel solo verbo nunquam potest fieri enuntiatio: quia nomen est dictio vna sola, & verbum est dictio vna sola. Non enim nomine vel verbo simplici voce contingit aliquid enuntiare vel aliquid enuntiatiuè proferre: siue proferat hoc ad alium interrogatus ab eo, siue proferat hoc apud semetipsum non interrogatus. Per simplex ergo verbum non fit enuntiatiua oratio: quia simplici intellectu non potest aliquid enuntiari.

Nomen ergo & verbum, &c.

Harum autem enuntiationum vnarum siue simpliciter vnæ, siue coniunctione, illa enuntiatio dicitur simplex in qua aliquid vnum de aliquo vno prædicari significatur, sicut in simplici categorica affirmatiua: vel aliquid

Harum autem hæc quidē tim. plex, &c.

vnum prædicatum negari significatur ab aliquo vno subiecto, sicut in simplici categorica negatiua. Hæc autem alia, scilicet quæ etiam vna est, est composita & connuncta ex his vel terminis vel propositionibus, sicut dictum est: & tales hypotheticæ conditionales sunt vel disiunctiuæ: quia in illis fit syllogismus hypotheticus. Est enim simplex enuntiatio vox significatiua de eo quod est aliquid secundum affirmationem, vel non est secudum negationem, vel fuit, vel erit, quemadmodum tempora seu differentiæ temporum sunt diuersæ quæ accidunt verbis, sicut in antehabitis dictum est. Per qualitatem autem diuiditur enuntiatio in affirmatiuam enuntiatiuam, & negatiuam enuntiatiuam. Affirmatio autem est enuntiatio alicuius prædicati de aliquo subiecto. Negatio vero est enuntiatio alicuius ab aliquo per diuisionem. Istæ ergo sunt species enuntiationum.

TRACTATVS V.

De passione partium enuntiationis quæ est oppositio.

CAPVT I.

Quod omni affirmationi negatio est opposita, & è conuerso.

Quoniam autem est enuntiare, &c.

ONTINGIT autem enuntiare & id quod verum est esse, sicut enuntiatur Deum esse. Contingit autem etiam enuntiare id quod verum est, non esse, vt si dicam Deum non esse, enuntio id quod est, non esse. Contingit etiam enuntiare aliquando id quod non est, esse, vt si dicam chimeram esse. Et iterum contingit enuntiare quod non est, non esse, vt si dicam chimeram non esse. Dicit enim Auic. quòd ista quatuor sic diuersificantur: quia contingit quod est enuntiare esse, in affirmatiua enuntiatione. Et contingit quod est, nō esse enuntiare in eiusdē negatiua. Et cōtingit enuntiare quod nō est, esse in affirmatiua negatiuè opposita. Et contingit enuntiare quod non est, non esse in negatione negationi opposita, vt nullus homo albus est, non nullus homo albus est. Sic ergo tali modo affirmando & negando de esse & non esse contingit enuntiatiuam facere orationem. Et sicut hæc diuersitas contingit circa enuntiationes quæ sunt de præsenti, sic contingit circa alia tempora quæ sunt extra præsens quæ sunt præteritum & futurum. In omni enim differentia temporis enuntiatiua oratione omne quod quis affirmauerit, negare contingit. Et omne quod quis negauerit, contingit enuntiatiua oratione affirmare: & hoc est secundum oppositionem in genere acceptam. Manifestum ergo est, quòd omni affirmationi negatio est opposita, & omni negationi opposita est affirmatio secundum quodlibet genus oppositionis: quia hoc est verum tam in contradictione, quam in contrarietate

Oppositio prout est passio enuntiationis quid sit.

Ex hoc patet quid est oppositio. Est enim oppositio (secundum quod est passio enuntiationis, & secundum quod hic intenditur de oppositione) affirmatio & negatio oppositæ. Et quia negatur in vna quod in alia affirmatur, ideo in communi aliquando vtraque oppositio dicitur contradictio quando species pro genere ponitur propter rationem quam diximus. Cum autem dicimus, quòd oppositio est affirmatio & negatio oppositæ, dico oppositionem esse, quando est vnius & eiusdem prædicati de eodem subiecto non æquiuocè accepto. Et omnia talia attenduntur circa oppositionem, quæcunque in elenchis attendenda esse determinauimus, quando loquebamur de elencho qui syllogismus est cōtradictionis. Et quæ attēdenda sunt circa sophisticas importunitates: quia importunus fortius instat. Et ideo oportet, quòd oppositio sit eiusdem de eodem, & circa idem & secundum idem, eodem tempore. Tunc enim vera est oppositio quamuis de elencho adhuc non sit determinatum, cum ea quæ dicta sunt attenduntur penes elenchum: & ideo iam secundum rationem elenchi sunt declarata & determinata quæ sunt de ratione elenchi. Ista ergo est oppositio quæ accidit circa partes enuntiationis.

Hæc autem oppositio dicitur multipliter secundum vniuersale & particulare, affirmatiuum & negatiuum. Subiectorum enim in enuntiationibus & prædicatorum sunt hæc quidem vniuersalia, ista verò singularia. Dico autem exponendo, quòd vniuersale est subiectum vel prædicatum quod de pluribus natum est prædicari & inesse: quia vniuersale est, quod est in multis & de multis. Singulare vero est, quod non est sic, sed ab ipso nulla est prædicatio, quemadmodum in antehabitis dictum est. Verbi gratia vt homo quidem vniuersale est subiectum vel prædicatum: quia natum est esse in pluribus & dici de pluribus. Plato enim est de numero eorū quæ sunt singularia: quia non aptum natum est dici de pluribus & esse in pluribus: & ideo aliud est vniuersale subiectum & prædicatum, & aliud est singulare. Cum autem enuntiatio fiat de quolibet & quolibet modo, necesse est, quòd aliquando enuntietur de aliquo, quòd insit aliquod

Hoc dato idē poneretur in assignatione sui ipsius: nam in ly opposite includitur oppositio.

Respondetur quòd hoc nō conuenit de eodem diuersimodè sumpto. S. Thom. autem vnit, quòd contradict. hic capitur pro determinata specie oppositionis.

Quoniam autem hæc quod sunt rerum vniuersalia, &c.

aliquod prædicatum alicui subiecto secundum omnem modum quo ei potest inesse & non inesse: necesse est ergo, quòd aliquoties enuntietur inesse aliquid alicui aliorum quæ sunt vniuersalia subiecta, vt si aliquid enuntiatur esse homo. Aliquoties autem necesse est enuntiare inesse aliquid alicui eorum quæ sunt singularia, vt si aliquid enuntiatur inesse Platoni.

Quæ sint propositiones contrariæ. Si ego vniuersaliter enuntiet, &c.

Ex his ergo diuisio sumitur oppositionum quæ sunt enuntiationis. Si enim aliquis enuntiet in vniuersali vniuersaliter, quoniam est & non est, vniuersaliter affirmando, & vniuersaliter negando: tunc erunt contrariæ enuntiationes. Dico autem exponendo, quòd in vniuersali enuntiatio fit vniuersaliter, quādo vniuersale subiectum est, & per signum distributiuum capitur vt stet pro partibus quæ diuisim participant prædicatum distributum & confusum, etiam affirmando & negando, vt omnis homo albus est, nullus homo albus est. Quando autem oppositio siue contradictio fit in vniuersalibus terminis non vniuersaliter per signum distributiuum distributis, non sunt cōtrariæ enuntiationes, sed in aliud cadunt genus oppositionis. Dico autem exponendo per exemplum in vniuersali siue de vniuersali enūtiationem fieri & affirmando & negando, vt homo albus est, non est homo albus. Et sunt ordinandæ istæ propositiones siue enuntiationes ad debitum sisum terminorum, qui est subiecti & prædicati, vt dicatur sic, homo est albus, homo non est albus. Et quod hæ indefinitæ particularibus æquipollent his, scilicet quidam homo est albus, quidam homo non est albus: hæ enim non sunt contrariæ enuntiationes, sed subcontrariæ: quia quamuis non sint contrariæ propositiones, subiecta tamen & prædicata quæ in eis signantur, contingit esse contraria in qualitate: quia id quod affirmatur de vno in vna, negatur de eodem in altera: & talis oppositio habet modum contrariorum in qualitate. Et quia in omni oppositione sic fit, quod idem negatur de eodem in vna quod de illo affirmatur in reliqua, ideo ab Aristot. sæpè contradictio extenso nomine pro omni ponitur oppositione. In talibus ergo quæ sunt subcontrariæ cum vniuersale sit subiectū propositionis: non tamen sine distributione vtitur vniuersaliter enuntiatione: quia sine signo vniuersali subiectum actu non est distributum ad standum pro particularibus, quamuis de natura sit aptum natum stare pro multis inquantum appellatiuum siue commune est & vniuersale.

Quare sæpè contradictio capitur pro oppositione apud Arist.

Quæ sint subcontrariæ. Quando autem in vniuersalibus nō vniuersaliter.

Ly omnis nō est vniuersale, sed signum vniuersalitatis. Quare ly omnis & huiusmodi signa distributiua non sunt vniuersalia, secundū Auicen.

Hoc enim signum distributiuum quod est omnis, non est vniuersale propriè loquendo: sed est signum per quod stat pro particularibus vniuersaliter vniuersale, cui tale signum est adiunctum. Causa autem quare non est vniuersale, est: quia quamuis secundum grammaticum sit nomen appellatiuum, hoc est, multis secundum naturæ suæ aptitudinem cōueniens: tamen est secundum formam infinitum, nullam enim naturam vnam dicit: propter quod (omnis) naturæ communis est distributiuum. Vniuersale autem est quod est in multis & de multis suæ naturæ suppositis: & ideò omnis, & nullus, & huiusmodi signa vniuersalia esse non possunt, sed sunt signa designantia vtrum vniuersale sit acceptum vniuersaliter vel particulariter secundum sua suppositа: & hæc sunt verba Auicennæ.

Quare signū vniuersale non sit ponendum à parte prædicati.

In subiecto vniuersali signum distributiuū ordinandum: quia per diuisionem subiecti prædicatum partibus attribuitur subiecti, vt diuisim participent id per prædicationem & non in prædicato ponendum: quia cum prædicatum formaliter sit acceptum, non propriè diuiditur, nisi alterius, hoc est, subiecti diuisione. sed inæqualiter redditur subiecto & partibus eius. Vnde id quod est vniuersale, prædicari potest, vt omnis homo est animal: sed vniuersale vniuersaliter acceptum non potest prædicari: nulla enim vera affirmatio esse potest, in qua de vniuersali aliquo prædicato prædicetur siue prædicatio fiat: quoniam vniuersaliter sic patet, quod falsum est, omnis homo est omne animal, & si ponatur, quòd nullum animal sit nisi homo. Cum enim homo subijciatur gratia partium suarum, & prædicata formaliter accipiantur, oporteret quod quilibet homo esset omne animal, quod falsum est.

Obiectio.

Obiiciunt tamen quidam & instant per hanc, nullus homo est nullum animal: quod probatur per hoc quod eius contradictoria est falsa, hæc scilicet, non nullus homo est nullum animal: ex hac enim sequitur hæc, aliquis homo est nullum animal, quæ est falsa & contradictoria primæ. Sed ad hoc soluere non est difficile si hæc propositio, nullus homo est nullū animal, debitè ordinetur sic, quòd vtraq; negatio feratur ad compositionem sic, nullus homo nullum est animal: hæc enim æquipollet huic, omnis homo non nullum animal est. Et ex hac sequitur hæc, quod quilibet homo est aliquod animal, quæ vera est: & in hoc sensu sua contradictoria est falsa, sicut apparet cuilibet: & sic constat, quòd signum vniuersale ad prædicatum non est ponendum.

Solutio.

Ex omnibus quæ inducta sunt in hoc capitulo, apparet, quòd oppositio est passio partium enuntiationis: ex quo contingit enuntiare secundum omnem modum oppositionis & contradictoriæ & contrariæ & subcontrariæ. Nunc ergo dandæ sunt leges harum oppositionum.

CAPVT II.

De legibus & consequentiis dictarum oppositionum.

Opponi autem affirmationem, &c.

OPponi ergo dico affirmationem & negationem contradictoriè: quoniam vna vniuersaliter significat, & alia contradicens ei significat non vniuersaliter, sed particulariter, vel indefinitè, vel singulariter, vt cum dicitur, omnis homo est albus: huic enim contradictorie opponitur & immediatè hæc, non omnis homo est albus: & huic æquipollet hæc, quidam homo non est albus, quæ etiam contradictoria est non immediatè, sed mediante illa cui æquipollet. Similiter si dicam, omnis homo albus est, Sortes albus non est,

Quomodo istæ propositiones, omnis homo est albus, contradicit immediatè hæc, nō omnis homo est albus: mediatè autem contra-

contra

dicunt sibi illa, aliquis homo non est albus. Socrates non est albus.

Ex quo patet, quòd particulare affirmatiua nō contradicit immediatè vniuersali negatiuæ sed vnæ quæ est æquipollens: & sic dicas de vniuersali affirmatiua & particulari negatiua.

Contrariæ verò, &c. Quæ sint propositiones contrariæ & quæ sit earum lex.

contradictio est: quia affirmatio fuit prædicati de qualitercunque parte subiecti: & Sortes est pars subiecti: sequitur enim, Sortes non est albus, ergo quidam homo non est albus, & ergo non omnis homo est albus: & hæc est contradictio primæ. Et similis est oppositio inter vniuersalem negatiuam & particularem affirmatiuam, vt quidam homo est albus, & nullus homo est albus. Huic enim quidam homo est albus, immediatè opponitur hæc, non quidam homo est albus: nulla autem æquipollet, nullus homo est albus, quæ est contradictoria per illam cui æquipollet: & sic est in aliis.

Contrariè vero dico opponi in enuntiationibus vniuersalem affirmatiuam & vniuersalem negatiuam. Dico autem vniuersalem quæ designat quoniam vniuersaliter, vt cum dicitur, omnis homo est iustus. Et cum dicitur, nullus homo iustus est. Inter has enim contrarietatis est oppositio: propterea quod sunt ambæ vniuersales. Et non est possibile, quòd istæ vnquam sint simul veræ in aliqua materia: quia si prædicatum est essentiale subiecto, tunc erit necessaria, & erit vna vera, & altera falsa, vt cum dicitur, omnis homo est animal, nullus homo est animal. Si autem prædicatum repugnet subiecto: tunc est impossibilis materia, & erit negatiua vera, & affirmatiua falsa. Si autem prædicatum est accidentale subiecto: tunc enuntiatio erit in materia contingenti, & tunc erunt ambæ simul falsæ, si accipiatur accidens ad vtrumlibet, videlicet cum dicitur, omnis homo est albus, nullus homo est albus. Hæ enim sunt contrariæ, & sunt ambæ falsæ.

His vero oppositis, &c. Quæ sint subcontrariæ, & quæ earum lex.

Oppositæ autem contrariis in modo signi vniuersalis sunt subcontrariæ: quia vtraque illarum est particularis, cum vtraque contrariarum sit vniuersalis. Et illarum lex est, quòd ambæ possunt simul esse veræ in materia contingenti: sunt enim simul veræ istæ, non omnis homo albus est, & quidam homo albus est. Hæc enim non omnis homo albus est, æquipollet huic, quidam homo non est albus, quæ est subcontraria istius, quidam homo est albus: & sunt ambæ veræ in materia contingenti ad vtrumlibet.

Qua sit lex contradictionum in vniuersalibus. Quæcunq; contradictiones, &c.

Resumentes de contradictoriè oppositis, dicimus, quòd quæcunque enuntiationes contradictiones siue contradictoriè oppositæ, & sunt vniuersalium subiectorum & vniuersaliter distributorum, in his necesse est semper vnam enuntiationem esse veram & alteram falsam in omni materia: per illud principium quod dicitur, De quolibet affirmatio vel negatio est vera, & de nullo simul ambæ, vt omnis homo iustus est, & quidam homo iustus non est: & omnis homo animal est, & quidam homo animal non est: nullus homo lapis est, & quidam homo lapis est.

Qua lex contradictionum in singularibus. Et quæcunque in singularibus, &c.

Similiter autem est in contradictoriis enuntiationibus quæcunque sunt in singularibus subiectis, vt Sortes est albus, & Sortes non est albus. In omnibus enim talibus contradictoriis semper vna est vera, & reliqua est falsa in omni materia. Quæcunque vero contradictiones siue oppositiones, quia contradictio extenso nomine contradictionis dicitur de omni oppositione communiter, quæ ergo talium oppositionum sunt quidem in enuntiationibus vniuersalibus (in quibus subiecta sunt vniuersalia, sed non vniuersaliter distributa) non semper in omni materia contingit vnam esse veram & alteram falsam: quia ambæ tales possunt simul esse veræ, vt quæ sunt subcontrariæ. Simul enim est verum dicere, quod homo est albus, & quod homo non est albus: & cum indefinita æquipolleat particulari, simul erit verum dicere, quidam homo est albus, & quidam homo non est albus. Et similiter est verum dicere, quòd homo est probus, & quod homo non est probus: quia si moribus est turpis, tunc probus non est. Et eodem modò simul erit verum dicere, quòd homo est pulcher secundum corpus, & quod homo non est pulcher. Si enim fœdus corpore est (quod frequenter contingit) sequitur tunc, quòd non est pulcher. Similiter autem est in permanentibus quæ contingentibus causis fiunt & talibus accidit esse: & in talibus simul veræ sunt istæ, quoddam contingentium est, & quodam contingentium non est: quia quod sic est (dum adhuc est in fieri) non est. Et sic patet in multis, quòd subcontrariæ (in quibus non enuntiatur vniuersale vniuersaliter) simul veræ esse possunt.

Obiectio textus. Videbitur autem inconueniens, &c.

Hoc tamen si prima facie & non subtiliter inspiciatur, videbitur esse inconueniens. Et hoc iccirco est: quia hæc enuntiatio, non est homo albus, videtur per æquipollentiam significare idem quod nemo est homo albus, siue quòd nullus homo est albus: hæc enim nemo est albus, neque idem est cum hac, non est homo albus, neque simul verificatur cum hac, est homo albus. Impossibile est enim has duas verificari simul: quia contradictoriæ sunt. Hoc autem ideo contingit: quia cum dicitur, non est homo albus, negatio, quia præcedit subiectum, videtur formaliter respicere subiectum & negare: & sic idem est, non est homo albus, quod nemo est albus. Sed, sicut diximus, si termini enuntiationum istarum debitè ordinentur: tunc hoc non contingit: vt si ista, non est homo albus, resoluatur in hanc, homo non est albus, & tunc non est eadem cum hac, nemo est albus: & verificatur simul cum sua subcontrariè opposita, homo est albus: quia tunc negatio non refertur ad formam subiecti, sed ad compositionem.

Solutio.

Vnius affirmationis est vna tantum negatio principalis. Boëtius hoc intelligit in contradictoriis. S. Thom. autem & D. Alb. videntur hoc intelligere in omni genere oppositionis. Quam vnitatem requirant propositiones oppositæ.

Adhuc autem in contradictoriis & in aliis oppositionibus attendendum est, quòd vna negatio vnius & eiusdem debet esse affirmationis. Et probatur per hoc: quia si affirmatio & negatio sunt oppositæ, oportet quòd illud idem neget negatio, quod affirmauit affirmatio: & sic non potest esse nisi vna negatio vnius affirmationis. Et si plures aliquando fiunt voce, sunt tamen ad vnam primam reductæ, sicut paulò ante dictum est. Oportet etiam, quòd affirmatio & negatio sint de eodem subiecto, siue hoc sit subiectum de aliquo singularium, vt de Sorte vel Platone, siue sit de aliquo vniuersalium subiectorum, vt de homine, vel de asino: siue etiam illud subiectum vniuersale sit suppositum vniuersaliter distributum, siue sit non

non distributum. In omnibus enim his requirit vnitatem & identitatem oppositio, non quidem tantum generis vel speciei, sed numeri: quia oppositio circa idem numero vult esse.

Et si quis obiiciat, quòd omnis homo currit, & quidam homo non currit, vel Sortes non currit, non sunt circa idem numero, sed circa idem genere vel specie. Dicendum, quòd hoc falsum est: quia cum dicitur, omnis homo currit, homo stat ibi pro quolibet suo supposito: & ideò stat pro illo cui supponitur quando dicitur, Sortes currit, vel quidam homo currit. Si ergo omnis homo currit, tunc aliquis homo currit: & si quidam homo non currit, tunc quidam homo currit & non currit: & hæc est contradictio. Similiter si omnis homo currit, tunc Sortes currit: & si cum hoc Sortes non currit: tunc sequitur, quòd Sortes currit & non currit: & hæc est cóntradictio. Oportet ergo, quòd oppositio sit circa idem numero, vt diximus.

Propositiones oppositæ debent esse de eidem extremis.

Huius autem exemplaris ratio seu declaratio est, sicut si dicam, Sortes est albus, & Sortes non est albus. Si autem aliquid aliud prædicatum dicam de eodem subiecto, vel idem prædicatum de alio subiecto, non erit talis enuntiatio isti opposita, sed alia & separata & diuersa per disparationem ab ipsa. Sicut si dicam de Sorte, quòd est musicus: & dicam de Platone, quòd est albus: neutra enim istarum opponitur huic, Sortes non est albus, vel huic, Plato non est musicus.

Quomodo vnius propositionis plures sint contradictoria, non tamen æquè immediatè.

Huic ergo affirmationi quæ est, omnis homo albus est, contradictorie & immediatè opponitur negatio eiusdem de eodem quæ est, non omnis homo albus est: & per illam sua æquipollens quæ est, quidam homo non est albus. Illi verò quæ est, aliquis homo est albus, contradictoriè opponitur illa quæ est, non aliquis homo est albus, immediatè & per illam sua æquipollens quæ est, nullus homo est albus. Et illi indefinitæ quæ est, homo albus est, contradictoriè opponitur illa quæ est, non homo albus est; quia hæc æquipollet vniuersali, nullus homo albus est, secundum quod negatio formaliter respicit subiectum.

Nota, quòd S. Thom. videtur velle istas, homo est albus, non homo est albus esse subcontrarias: & falsum, quòd sint oppositæ. Vide ipsum. Expositio tamen D. Alb. est minus dubitabilis.

Manifestum ergo, sicut diximus, quoniam affirmationi vni vna negatio opposita est: & si sunt plures secundum æquipollentiam, reducuntur ad vnam & eandem. Manifestum est etiam, quòd enuntiationum aliæ sunt contrariæ, aliæ contradictoriæ. Nam subcontrariæ sunt, quæ sub contrariis continentur. Dictum est etiam, quæ sunt contrariæ, & quæ contradictoriæ. Adhuc autem est determinatum quando siue in quibus non semper significat verum vel falsum contradictio, vel oppositio quæ extenso nomine contradictio vocatur. Dictum est etiam quare siue propter quid. Et dictum est etiam, quando vna earum est vera vel falsa de necessitate.

Manifestum est autè, &c.

Dubitatio.

Si autem quæratur, quæ oppositio est maior, vel contradictionis, vel contrarietatis, eò quòd contrarietas vniuersaliter, contradictio verò particulariter contradicit vniuersali. Dicendum, quòd oppositio contradictionis maior est omnibus: eò quod illa nullum habet medium quin semper diuidat per verum & falsum. Contrarietas verò habet medium, in quo non diuidit extrema, sed ambo erunt falsa. Et quod dicitur, quòd vniuersaliter negat quod vniuersaliter affirmatum est, dicitur quòd hoc non est prædicatum coniungere vni vniuersaliter & remouere ab altero secundum rem & veritatem: sed est tantum secundum signum & non secundum rem: in contradictione autem remouentur ab inuicem oppositionis extrema per veritatem. Et sic patet, quòd in aliquo coniungibilia sunt extrema contrariorum, quia in falso: in nullo autem coniunguntur extrema contradictionis neque in vero neque in falso.

Solutio. Quomodo oppositio contradictionis est maior oppositione contrarietatis.

Adhuc autem notandum est, quòd quamuis indefinita æquipolleat particulari, tamen non est idem dicere, homo currit & non homo currit: & quidem homo currit, & quidam homo non currit: quia per signum particulare trahitur vniuersale subiectum ad standum pro supposito, quod tamen ad hoc non trahitur quando stat per seipsum sine particulari signo: & ideo tunc potest respici materialiter vel formaliter à negatione quæ opponitur ei in eadem enuntiatione. Vnde non est idem dicere, homo est albus, & non homo est albus, cum istis, quidam homo est albus, & quidam homo non est albus: & sic in aliis iudicandum est.

CAPVT III.

Vtrum semper altera contradictoriarum determinatè est vera.

NVnc autè determinatè relinquitur, vtrum altera contradictoriarum sit semper determinatè vera, alia falsa. Ad hoc autem declarandum sumemus extenso nomine contradictorias, secundum quod illæ (quæ sub vnitate vocis sunt, quamuis non sint sub vnitate significationis) contradictoriæ dicuntur, quando differunt per affirmationem & negationem.

Contradictoria largè accepta sunt etiam in æquiuocis.

Quod autem altera non necessariò sit vera, sic probatur. Resumatur enim illud quod dictum est in præcedenti capitulo, quòd vna est affirmatio vel negatio, quæ vnum prædicatum de vno subiecto significat siue significando enuntiat. Et hoc duobus modis, scilicet vel sic, quòd subiectum sit vniuersale vniuersaliter sicut contradicunt istæ, omnis homo est albus, non omnis homo est albus. Signum enim vniuersale additum subiecto non facit compositam enuntiationem, cum non dicat aliquam formam vel ens determinatum, sed formæ subiecti distributionem, vel etiam cum significat non vniuersaliter, vt quando particularis opponitur vniuersali, vt quidam homo albus est, nullus homo albus est. Et quia etiam ista, non omnis homo albus est, æquipollet particulari: & hæc, non nullus homo albus est, particulari æquipollet. In his enim albus quòd est prædicatum, significat vnum & idem de eodem subiecto quod est homo.

Vna autem est affirmatio, &c.

Si verò propositio significatione subiecti quidem

quidem plures sit: cum tamen voce & nomine subiecti sit vna, vt si duobus vnum nomen sit impositum, ex quibus duobus non sit vnum, nec potest fieri vnum, sicut in diffinitione ex genere & differentia sit vnum: tunc secundum significationem non est vna affirmatio, in qua vni prædicato subiicitur tale subiectum: quia propter duas impositiones actu factas nomen illud vtrumque illorum actu significat, & sic plura significat actu. Et huius exemplum est, vt si quis imponat hoc nomen, tunica, homini & equo duabus actualibus impositionibus, & dicat, tunica est alba, vel tunica non est alba: non est simpliciter affirmatio vel negatio: quia significatione actuali non est vna: quia quamuis dicat Boëtius, quòd termino semel sumpto non contingit vti æquiuocè, tamen nihil prohibet quin duo duabus acceptionibus termini possint vti æquiuocè: & sic inter respondentem & opponentem possit accipi æquiuocè: & sic non est inter eos contradictio: quia affirmationem & negationem non referunt ad idem: secundum hoc enim nihil refert dicere, tunica est alba, quam homo & equus est albus diuisim, vt sit sensus, quòd homo est albus, & quòd equus est albus. Sic ergo hæc enuntiatio, homo & equus est albus, multa significet propter diuersa & explicita subiecta plura. Manifestum est, quoniam & prima multa significat propter multas vnius nominis institutiones ad plura significanda. Institutio enim principalis est in significatione nominis, cum nomen sit vox significatiua ad placitum, & non à natura. Æquali enim ratione qua significat vnum, significat & reliquum. Vnde vel vtrumque significat, vel neutrum, vel significat id quod sit ex duobus: sed non significat neutrum, nec quòd sit ex vtraque, quia non sit vnum aliquod ex duobus, homine scilicet & equo: ergo significat acta vtrumque. Propter quod in his & in talibus æquiuocis non necesse est hanc quidem propositionem contradictionis vnam partem esse veram determinatè, aliam verò falsam determinatè: sed vtraque dubia est. Et, sicut diximus, largè hîc accipimus contradictionem, prout contradictio in vnitate vocis consistit, & non vniuocæ significationis; & hæc est quæ videtur contradictoria, & non est.

Quomodo intelligendum sit illud Boëtij, quòd termino semel sumpto non contingit vti æquiuocè.

In his autem non æquiuocis quæ vel sunt secundum præsens, vel facta sunt secundum præteritum, eò quod illa nullam sui partem habent in potentia dependentem ad futurum, vt homo est, vel homo fuit, vel homo non est, vel homo non fuit, si affirmatio & negatio ad idem referantur, necesse est vel affirmationem vel negationem determinatè veram vel falsam esse. Dicimus tamen præsentia vel facta, quæ nullam, vt diximus, dependentiam habent ad futurum: quia si aliquam ad futurum habent dependentiam, non simpliciter sunt, vel facta sunt, sed sunt & facta sunt secundum quid. Simpliciter autem sunt in potentia, & dependent in futurum, sicut ea quæ præsentia vel facta sunt in astrorum dispositione, quæ adhuc secundum causas inferiores & secundum effectum dependent in futurum, & multis modis, vt dicit Ptolemæus, possunt impediri. Idem est de his quæ modo prophetico enuntiantur.

Quæ sint præsentia vel facta dependentia à futuro.

In talibus ergo quæ sunt & facta sunt non habentia dependentiam ad futurum, necesse est alteram partem esse veram determinatè, & alteram falsam. In vniuersalibus quidem contradictoriis vniuersaliter, vt cum dico, omnis homo currit, non omnis homo currit: nullus homo currit, non nullus homo currit. In talibus enim semper est necesse hanc quidem determinatè esse veram, illam verò sibi contradictorie oppositam, determinatè necesse est esse falsam. In his verò quæ sunt singularia etiam alteram necesse est determinatè esse veram, & alteram falsam, vt Sortes currit, Sortes non currit, quemadmodum iam antèdictum est. In his verò enuntiationibus, quæ quidem in vniuersalibus subiectis non vniuersaliter distributis dicuntur siue enuntiantur, sicut antè diximus in æquiuocis, non est necesse alteram esse veram, vt iam immediatè antedictum est de his.

CAPVT IV.

Vtrum in singularibus contingentibus de futuro sit determinata veritas.

In singularibus de futuris &c.

IN singularibus verò & futuris non est similiter determinata veritas in altera contradictoriarum. Singularia verò quæ secundum esse suum & causam futura sunt contingentia sunt, & ideò ad vtrumlibet se habent, & neutrum eorum determinatè verum vel falsum est. Si enim in talibus omnis affirmatio esset determinatè vera vel falsa, & essent necessaria esse, sequeretur quòd omne contingens singulare & futurum, necesse esset esse vel non esse: quod falsum est, cùm contingens possit esse & non esse, hoc est, possit esse, & similiter possit non esse: quia aliter non esset contingens. Ponamus enim quòd hic quidem aliquis dicat aliquid esse futurum, ille verò siue alius dicat illud non esse futurum, siue neget illud futurum esse: hoc sic dictum per affirmationem & negationem est dictum. Manifestum est enim quòd alter istorum verum dicit: & sic manifestum est verum dicere alterum istorum: quia aut erit, aut non erit, per hoc principium quod in 4. primæ philosophiæ est probatum à text. com. 19. quòd omnis affirmatio vel negatio pro altera parte de quoliber vera vel falsa est, & quod vtraque, affirmatio scilicet, & negatio nunquam simul de aliquo vera erunt. Vnde in talibus contingentibus non erunt affirmatio & negatio contradictoriæ simul veræ. Hoc autem tali probatur ratione: si enim verum est de aliquo dicere, quoniam album est, vel ex ex opposito, quoniam non album est: tunc necesse est alterum illorum verum esse, scilicet quòd sit album, vel quod non sit album, quodcunque fuerit verum dicere de ipso. Et si necesse est alterum illorum esse verum, quod scilicet est album, vel non est album: tunc alterum verum est vel affirmare vel negare de ipso. Si enim est album, vere affirmatur album

Dixit quæ secundum suum esse & causam futura sunt ad excludendum singulares necessarias & impossibiles, quarum altera contradictoria est determinatè vera & reliqua falsa: dicit tamen S. Thomas, quòd Aristoteles de singularibus, sæpe non facit mentionem de materia contingenti, quia omnes sciunt illa esse materiam quæ conuenit singularibus: imo secundum Alex. & Porphyrium per singularia dedit intelligere contingentia.

bum de ipso. Si verò non est album : tunc album verè negatur : quia si non est album, qui dicit esse album, ipse mentitur : & si mentitur dicendo esse album, tunc non est album: propter quod necesse est aut affirmationem aut negationem determinatè veram esse vel falsam.

Si ergo propter hoc necesse est affirmationem vel negationem esse veram determinatè vel falsam de futuro : tunc sequitur, quòd nihil fit à casu, & sequitur, quòd nihil fit ad vtrumlibet. Si enim duorum alter dicat siue affirmet aliquid esse futurum, & alter neget illud esse futurum, vt nauale bellum : oportet, quòd aut qui dicit siue affirmat illud futurum esse, verus sit in affirmando : aut qui negat illud futurum esse, in negando illud futurum esse verus sit : quia simul ambo verificari non possunt. Res enim ipsa causa est veritatis vel falsitatis: & dicere affirmatiuum vel negatiuum nihil facit ad hoc quod res sic vel non sic eueniat : propter dicere siue affirmare res non magis sic vel sic habebit se. Et ideo si in singularibus & contingentibus de futurò altera pars contradictionis necessariò & determinatè sit vera, quodcunque eueniet, necesse est, quòd eueniat & non possit non euenire, & sic nihil erit à casu & nihil erit ad vtrumlibet.

Amplius si est albus nunc, &c.

Amplius hoc idem probatur ex ipsa re per alium modum. Si enim de aliquo est verum dicere, quoniam nunc est album, de eodem primo ante hoc nunc verum fuit dicere, quoniam hoc erit album : quia omne præsens antequam veniret, fuit futurum. Si enim detur, quòd nunquam fuit futurum, sequitur quòd nunquam veniet tempus præsens in quo posset dici de eo quod est album : ergo de quolibet illorum quæ facta sunt in præsenti aliquo, semper in omni præterito (quod est ante hoc nunc in quo facta sunt) fuit semper verum dicere de illo, quoniam ipsum est, vel erit : quia in præsenti in quo est vel factum est, verum est dicere de ipso, quia est. In præterito autem quod fuit ante hoc præsens, verum fuit dicere, quoniam erit : semper ergo verum est & fuit verum dicere, quoniam est vel erit. Inde arguitur vlterius : quia de quocunque semper est verum dicere, quoniam est vel erit, illud ineuitabiliter & immutabiliter se habet ad esse & fieri : quod autem ineuitabiliter & immutabiliter se habet ad esse & fieri, hoc non potest non esse, & non potest non futurum esse. Et ex hac ratione iterum arguitur vlterius : quia quòd non potest non esse & quod non potest non fieri, impossibile est non esse, & impossibile est non fieri : & quod impossibile est non esse vel impossibile est non fieri, necesse est fieri vel necesse est esse : omnia ergo quæ futura sunt & in aliquo præsenti erunt, necesse est fieri. Inter ea ergo quæ fiunt vel sunt in aliquo præsenti, nihil est quod ad vtrumlibet se habeat, scilicet ad fieri, & ad non fieri, & nihil in talibus fit à casu. Si enim detur, quòd aliquid talium fit à casu, & quod se habeat ad vtrumlibet, hoc est, ad fieri & ad non fieri, sequeretur, quòd non esset ex necessitate : probatum autem est, quòd ex necessitate eueniet, si altera pars contradictionis necessariò & determinatè sit vera.

D. Alber. Mag. Logica.

At vero nec quoniam, &c.

Si verò aliquis hæc inconuenientia fugiens dicere velit, quòd in talibus singularibus & contingentibus de futuro neutra pars contradictionis est vera, sed ambæ falsa : vt si dicatur, quòd futurum contingens in singularibus, nec erit, nec non erit : hoc nullo modo conuenit dicere : quia ex hoc sequuntur plura inconuenientia, quorum vnum & primum & maximum est, quòd in contradictoriis secundum hoc eueniet, quòd affirmatio sit falsa, quando etiam negatio illi opposita erit non vera : & sic contradictoriæ ambæ sunt falsæ : quod est impossibile. Et è conuerso etiam sequitur, quòd cum negatio in contradictoriis est falsa, sibi opposita affirmatio est non vera, sed falsa : & sic omnis demonstrationis destruitur primum principium, quod est, quòd non contingit contradictionem simul veram vel falsam esse.

Adhuc si verum est, &c.

Adhuc autem inducitur alia ratio : si enim verum est dicere de aliquo, quoniam ipsum album & magnum, oportet quod ipsum sit vtrumque illorum : quia copulatiua non verificatur nisi eius vtraque pars sit vera. Si ergo verum est dicere de aliquo, quòd cras erit album & magnum, oportet quod vtrumque illorum fiat cras. Si verò dicatur, quòd neutrum eorum cras erit, & dicatur, quòd neque erit cras, neque non erit cras, tunc sequitur, quòd non est ad vtrumlibet : quia nec negatio erit, nec affirmatio. Et detur de hoc exemplum in nauali bello, quod cras fieri potest & non fieri potest : sequitur enim ex hoc quod dicitur quod neutra contradictoriarum est vera, sed ambæ falsæ, quia nauale bellum cras oportet, vel necesse sit neque fieri neque non fieri : quod falsum est, quia necesse est nauale bellum cras fieri vel non fieri.

Quæ verò contingunt inconuenientia, &c.

Inconuenientia ergo quæ sequuntur siue contingunt ex hoc quod in singularibus & contingentibus de futuro altera pars determinatè necessariò sit vera, hæc sunt quæ dicta sunt : hæc enim inconuenientia sequuntur si dicatur, quòd omnis affirmationis & negationis (siue in his contradictoriis quæ dicuntur per oppositionem contradictionis in vniuersalibus subiectis vniuersaliter sumptis, siue in his sunt per oppositionem contradictionis acceptæ quæ sunt singularia) necesse est oppositarum contradictione enuntiationum hanc determinatè esse veram, alteram autem determinatè necesse est esse falsam. Si autem sic esset, in his quæ fiunt nihil se haberet ad vtrumlibet, & quod posset fieri & quod posset non fieri : sed secundum hæc omnia quæ fiunt vel sunt, vel essent & fierent ex necessitate.

CAPVT V.

De inconuenientibus quæ sequuntur ex parte eorum quorum nos causa sumus.

Quare non oportebit neque consiliari, &c.

ADhuc autem quorum nos causa sumus ostenditur, quoniam non necesse est hanc vel illam contradictoriarum in contingentibus veram vel falsam esse : si enim omnia vel

ex necessitate erunt, vel ex necessitate non erunt: tunc non oportet nos de aliquo consiliari: quia consiliorum est, vt dicit Aristot. in
3 ethic. c. 6. ethicis, de operationibus per nos possibilibus aliter fieri.

Adhuc si sic esset sicut dictum est, non oporteret nos negotiari de aliquo acquirendo nobis: non enim negotiamur de aliquo nisi quod est possibile nos habere, & quod etiam possumus non habere. Ad quid enim consiliaremur vel negotiaremur: quia si consiliabimur vel negotiemur, erit necessariò alterum contradictoriorum. Et si non consiliemur & non negotiemur, adhuc nihilominus erit necessarium quod futurum est. Nihil enim prohibet vel in futurum propinquum futurum, vel in remotum, sicut in millesimum annum aliqua dicere futura esse, vel non esse futura.

Et tunc ex dictis sequitur, quòd quodlibet alterum eorum quæ sunt partes contradictionis, erit ex necessitate quodcunque fuit illud de quo verum erat dicere in præterito, quòd
Si vero nec erit, vel quod non erit. Si ergo erit, tunc de
[illegible]e dicere. necessitate erit. Si vero non erit, de necessitate non erit. Tunc enim in dicere aliqua & proferre voce contradictoria nulla est differentia, ita scilicet, quod aliquis dicat affirmationem vel negationem, vel non dixerit: propter dicere enim in re nihil eueniet. Sed manifestum est, quòd in ipsa re & causis rerum ita se habet, vel quod fit, vel quod non fit: vnde in ipsa re est & non in hoc quod vnus quidem aliquis vnum contradictoriorum dixerit siue affirmauerit, ille vero alius isti contradicens idem negauerit: non enim propter hominis negare vel affirmare sic erit vt affirmatur, vel sic non erit vt negatur: sed, sicut diximus, sic fieri vel non fieri prius est in ipsis causis rerum contingentibus vel necessariis.

Nec iterum in hoc est differentia si dicatur futurum in mill. simum annum vel in quamlibet partem temporis magnam vel paruam: quia si altera pars necessario erit vera determinatè, tunc post quantumcunque temporis fiat, semper verum erit dicere, quòd sit de necessitate. Et si in omni tempore præterito quod est antequam fiat sic se habet, quòd vnum contradictoriorum verè dicatur fieri: tunc sequitur, quòd illud necesse est fieri: vnumquodque autem eorum quæ sunt sic se habet, quòd antequam fiat verum est dicere, quòd erit siue fiet: sequitur, quòd vnumquodque quod fit, ex necessitate fit. Si enim sic est, tunc quandocunque aliquis dixerit de aliquo, quòd illud erit, sequitur quod sic erit, quòd non potest non fieri si hoc determinate est futurum: quod enim iam nunc factum est, de illo semper in omni præterito quod fuit antequam fieret verum erat dicere, quòd hoc erit, & fuit falsum dicere, quod hoc non erit.

Quod si hæc non sunt possibilia, &c. Si autem hæc inconuenientia quæ inducta sunt possibilia non sunt, sequitur quòd impossibile est in futuris contingentibus alteram partem contradictionis esse de necessitate veram: sed si erit contingens, erit & potuit non esse. Quod autem omne quod contingenter euenit, possibile sit non euenire, probatur ex nobis: multa enim contingentia sunt operabilia per nos, & nos sumus principium & causa illorum: quod probatur ex hoc, quòd de talibus consiliamur qualiter vtilius fiant: quod non faceremus si aliter euenire non posset. Probatur etiam ex hoc, quòd nos per voluntatem agimus talia: voluntas non est principium vno modo se habens: quod enim aliquis vult, potest non velle: & quòd per voluntatem agit, potest non agere.

Adhuc autem aliter probatur idem generali ratione. Omnino enim siue vniuersaliter in his quæ non semper actu sunt, nec in se nec in suis causis semper sic est, quòd ea possibile est esse, & possibile est ea non esse, sicut est videre in omnibus in quibus vtrumque est contingens, & esse scilicet, & non esse. In talibus autem etiam contingit, quòd possibile est ea fieri, & possibile est ea non fieri: & etiam in sensu sunt nobis manifesta multa singularia quæ sic se habent, sicut est hoc, quòd hanc vestem quamcunque datam possibile est incidi violenter, & tamen potest esse, quòd non incidetur: possibile est enim, quòd exteratur vsu & vetustate consumatur & non incidatur. Similiter autem est possibile hanc vestem non incidi: non enim esset possibile, quòd vsu & vetustate extereretur siue consumeretur, nisi possibile esset eam non incidi: propter quod etiam in aliis futuris quæ dicuntur secundum potentiam ad esse & ad non esse, sic est, quòd talia possibile est esse, & possibile est non esse. Cum ergo multa talia sint, manifestum est, quòd non omnia contradictoria in singularibus & de futuro de necessitate sic eueniunt, quòd alterum de necessitate sit futurum: sed aliqua quidem se habent ad vtrumlibet, esse scilicet, & non esse: & non magis est in talibus affirmatio quam negatio. Alia verò contingentia quædam sunt, quæ magis se habent ad vnum quam ad reliquum, ita quod vnum magis & in pluribus contingit, alterum verò minimè siue in paucioribus contingit fieri: sed tamen nihilominus vtrumque illorum contingens est fieri & non fieri, & neutrum est de necessitate.

CAPVT IV.

De determinatione dubitationis inductæ.

Necessitas duplex: suppositionis, absoluta. AD omnium autem eorum quæ inducta sunt determinationem prænotandum, quòd duplex est necessitas. Quædam est necessitas rei quæ res in se necessaria est: eò quod habet causam stantem & necessariam. Alia autem est necessitas positionis, quæ est ex determinatione aliqua. Et huius exemplum est, quòd esse quidem quod est quando est necessarium est, sicut necesse est Sortem sedere, quando sedet. Et similiter est in negatione, illud quod non est quando non est necessarium est non esse, sicut Sortem non sedere quando non sedet. Nec tamen propter illam necessitatem omne quod est, necesse est esse simpliciter: nec omne quod non est, necessarium est simpliciter non esse secundum necessitatem quæ ipsius rei necessitas & absoluta est. Hæc enim duo non sunt idem, scilicet necessarium esse quod est quando est, & similiter aliquid esse de necessitate. Et similiter se habet in eo quod non est: quia non est idem id quod non est necesse non esse quando non est, & similiter aliquid non esse necessarium non esse.

Igitur esse quod est quando est, &c.

Eodem autem modo & similiter in contradictione: sub disiunctione enim alterum contradictoriorum necessarium est esse, & sub disiunctione alterum necessarium est non esse: sed non determinatè hoc vel illud necessarium est esse vel fieri, sed vtrumque est & fit contingenter.

Vult dicere, quod in contradictoriis necesse est alterum esse verè necessitate disiunctionis & non necessitate disiunctorum. vt dicit in fine huius capituli.

Vnde cum dicitur, quòd necesse est esse alterum contradictoriorum, si necessitas referatur ad disiunctionem indeterminatè, verum est quòd dicitur. Si autem referatur ad disiuncta determinatè, tunc est falsum quod dicitur. Vnde omne contradictorium necesse est esse vel non esse sub disiunctione indeterminatè. Similiter est in eo quod factum est: quia necesse est fore vel non fore sub disiunctione indeterminatè. Non tamen propter hoc diuidendo disiuncta contingit dicere, quòd alterum determinatum necesse sit fieri vel futurum esse. Huius autem exemplum est, quòd

Dico autem futurū esse nauale bellum, &c.

nauale bellum futurum est cras, vel nauale bellum non futurum est cras, sub determinata disiunctione est necessarium. Non tamen propter hoc disiuncta determinatè sunt necessaria: non enim necesse est nauale bellum cras esse, nec iterum necesse est nauale bellum non esse cras.

Quare quodam simili ter, &c.

Cum ergo orationes similiter veræ sunt quemadmodum & res: quia in eo quod res est vel non est, oratio vera vel falsa dicitur, & sic se habent orationes ad necessitatem & contingentiam sicut & res. Et ex hoc concluditur, quòd quæcunque res sic se habent, quòd sunt ad vtrumlibet, hoc est, quod contraria eorum vel opposita queant vel possint contingere de illis rebus, si fiant orationes siue enuntiationes contradictoriæ, necesse est, quòd contradictoria similiter se habeant sicut res, hoc est, quod vtrumque eorum determinatè acceptum & possit esse & possit non esse. Hoc autem contingit in contingenti materia tantum: hæc enim sunt talia, quòd nec semper sunt, nec semper non sunt: sed aliquando sunt, & aliquando non sunt: quia ad vtrumlibet potentia vel possibilia sunt. In talibus enim necesse est sub disiunctione indeterminatè alteram partem esse falsam, & alteram veram. Non enim determinatè hoc est falsum, vel illud quod èst sibi oppositum: quia vtrumque contingit: sed ambo sunt ad vtrumlibet, hoc est, ad esse & non esse se habentia. Et potest esse in talibus aliquando: & contingit quidem in talibus aliquando, quòd altera pars contradictionis magis in pluribus est vera quam alia: non tamen ex hoc sequitur, quòd illa determinatè secundum actum vera sit, sed quòd contingit veram esse. Ex omnibus autem quæ dicta sunt manifestum est, quòd non est necessarium, quòd omnes affirmationes & negationes oppositarum contradictoriarum ita se habeant, quòd vna sit determinatè vera, & alia

determinatè sit falsa. Sic enim non habet se in his quæ sunt, nec in his quæ non sunt, quæ sunt possibilia esse & non esse: sed in his est necessitas disiunctionis & non disiunctorum: & in his se habet quemadmodum dictum est.

CAPVT VII.

De solutione dubitabilium quæ sunt circa prædicta.

CIrca, ista quæ dicta sunt multæ sunt dubitationes sophisticæ, quædam ad propositum quidem facientes: sed solui non possunt ex huius scientiæ principiis. Obiiciunt enim *Obiectio.* sophistæ dicentes, quòd hæc est per se, futura contingentia sunt futura. Si autem est per se, modificari potest modo necessitatis, vt dicatur, contingentia futura necessariò sunt futura, & sic contingentia necessariò euenient. Sed *Solutio.* ad hoc dicendum, quòd cum dicitur, futura contingentia sunt futura, hæc non est per se, nisi futura contingentia formaliter accipiantur, scilicet prout sunt sub forma futuritionis: quia tunc futurum de necessitate est futurum: & hoc modo recipit necessitatis modum: & sic procedit argumentum. Si autem fiat materialiter pro his quæ sunt futura & contingentia: tunc contingenter euenient & non recipiunt modum necessitatis. Dicunt *Alia solutio.* tamen aliter quidam, quòd futura contingentia de necessitate eueniunt hoc modo quo sunt futura, hoc est, contingenter: & sic necessarium est hoc vel illud euenire, sed non necessariò alterum determinatè vt prius dictum est.

Obiiciunt tamen adhuc de singularibus & futuris sic, Antichristus erit vel non erit necessariò: ergo vel erit necessariò, vel non erit necessariò. Sed ad hoc iam dictum est, quòd *Obiectio* *Solutio.* cum dicitur, Antichristus erit vel non erit necessariò, potest esse necessitas disiunctionis coniuncti, & sic est vera: vel necessitas disiunctorum diuisim, & sic est falsa.

Obiiciunt adhuc quidam, quòd enuntiatio de præterito non sit vera: quia sicut se habet res ad esse, ita se habet ad veritatem. Præteritum autem non est, sed abiit in non esse. Ergo non potest esse verum. Adhuc autem quæritur, *Alia obiectio.* qualiter verbum præteritum determinatè sit & non fuerit, cum neutrum eorum sit. *Secunda obiectio.*

Ad hoc autem dicendum, quòd licet præteritum secundum se præterierit, non tamen præteriit ex præteritione sua: & sic accidit enuntiationi: & hoc modo determinatè verum est quod est de præterito. Ad aliud dicendum, quòd non est simile de præterito & futuro: quia futurum nunquam fuit: & ideò nec in se nec in futuritione sua determinatum est: sed præteritum ad minus in præteritione sua determinatum est. *Solutio prima.* *Solutio secunda.*

Quærunt etiam hic quidam de necessitate ordinis causarum, de fato, de fortuna, de consilio, de casu, de certitudine diuinæ prouidentiæ in singularibus & voluntariis contingentibus. Sed de his hic quærere fultum

est : quia quæstiones istæ ex istius scientiæ principiis (cum logica procedat ex communibus quæ in pluribus vel in omnibus inueniuntur) non possunt determinari : ista autem determinari volunt ex propriis.

Colligat dicta in hoc primo lib.

Iam ergo dicta sunt omnia quæ ad constitutionem enuntiationis pertinent & substantiam tam diffinitiuè quam diuisiuè : & determinatæ sunt species enuntiationis quæ sunt partes substantiales eius: dictū est enim quæ est enūtiatio vna & plures, & quæ simplex & quæ composita, & quæ affirmatiua & quę negatiua, & quæ coniunctione vna & quæ enuntiationes inconiunctæ. Et quia accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est, ideo etiam de propria passione specierum & partium enuntiationis determinatum est, hoc est, de oppositione secundum omnem modum oppositionis quæ enuntiationi accidere potest. Hæc autem omnia pertinent ad constitutionem perfectam enuntiationis secundum substantiam, & id quod proximè est consequens substantiam. Quædam autem sunt quæ enuntiationi conueniunt, non ex specie vel substantia, sed ex comparatione oppositionum adinuicem, vel ex ipsius oppositionis multiplicatione, sicut consequentia vnius ad aliam. Et hæc sub alterius libri principio determinabimus. Hæc igitur de cōstitutione enuntiationis dicta à nobis sufficiant ad præsentem intentionem.

Quare determinauit

de oppositionibus enuntiationum.

Ordinat se ad secūdum librum.

LIBER II.

PERIHERMENIAS.

TRACTATVS I.

De consequentiis enuntiationum de inesse.

CAPVT I.

Qualiter sumendæ sunt enuntiationes de inesse, inter quas est consequentia, quæ sunt vnæ, & in quibus est secundum est adiacens.

PAm autem determinatis omnibus quæ ad enuntiationis constitutionem pertinent, tam elementaliter, sicut nomen & verbum, quam formaliter, sicut oratio. Determinatis etiam his quæ pertinent ad diuisionem ipsius, eò quod diuisio fit in partes formales quæ est per differentias exeuntes à genere, sicut est enuntiatio vna & plures, & enuntiatio simplex & composita, & sicut enuntiatio affirmatiua & negatiua. Determinata etiam oppositione quæ est passio immediatè consequens qualitatem speciem enuntiationis : quia ex affirmatione & negatione, eò quod talium accidentium cognitio multum valet ad cognitionem eius quod quid est, quia propria passio fluit à principiis essentialibus speciei. Nunc sub alterius libri principio de consequentiis enuntiationum. Quoniam enim consequentia non sequitur enuntiationem inquantum est enuntiatio in genere accepta. Nec sequitur species enuntiationis inquantum in specie considerantur. Sed sequitur enuntiationem per aliquam additionem (ad subiectum vel ad prædicatum factam) vel negationis infinitantis subiectum vel prædicatum, vel casus, hoc est, obliqui alicuius qui ponitur in prædicato vel in subiecto : vel per additionem alicuius quod faciat vnum subiectum plura, vel vnum prædicatum facit plura: vel per additionem modi, scilicet possibile, vel contingens, vel necesse, vel impossibile : quæ omnia diminuunt rationem primæ vel simplicis & perfectissimæ enuntiationis. Ex his enim omnibus multiplicatur modus oppositionis in enuntiationibus & multiplicatur æquipollentia in ipsis : & ex his multiplicatur consequentia. Multiplicatis his quæ dicta sunt per indefinitum scilicet, vniuersale, particulare, & singulare. Et quia sic consequentia non accidit enuntiationi in genere vel in specie secundum quod huiusmodi, ideo de consequentia in eodem libro cum enuntiationis constitutione non erat determinandum. Quia tamen sequitur enuntiationem variatam ex additione aliqua ad ea quæ constituunt enuntiationem, ideo in eadem scientia tractandum est de consequentia in qua determinatūr de enuntiatione sub alterius libri principio.

Oppositio est passio immediatè consequens qualitatem speciem enuntiationis.

Quare non tractauit de consequētia enuntiatiōnū in primo lib. sed tantum in secundo.

Tractantes ergo de consequentiis enuntiationis prius determinabimus consequentias earum

Ordo dicendorum, causa ordinis.

earum enuntiationum quæ sunt de inesse : & in his ordo est : prius enim tractandum est de his in quibus prædicatum de vno dicitur subiecto, quam de illis in quibus vel vnum prædicatum dicitur de pluribus subiectis, vel in quibus plura prædicata dicuntur de vno subiecto. Adhuc illæ (in quibus vnum prædicātum de vno dicitur subiecto) duobus modis sunt acceptæ. Sunt enim in quibus simplex verbum, est, est nota compositionis : & sunt in quibus est aliud verbum, scilicet : currit, vel ambulat. Et quia hoc verbum est, est tanquam radix omnium verborum, primo dicendum de enuntiationum consequentiis in quibus hoc verbum est, facit diuersitatem, quam de his in quibus aliud verbum causa diuersitatis est. Adhuc autem diuersitas est in enuntiationibus in quibus hoc verbum, est, facit diuersitatem: quia hoc verbum, est, aliquando est secundum adiacens, & aliquando est tertium adiacens. Et ideo primo sumendæ sunt enuntiationes in quibus hoc verbum, est, est secundum adiacens : quia illæ omnibus sunt simpliciores & priores. Et quia res non difficilis, sed intricata est tractare de his, ideò quantum possibile est, studebimus facilitati & ordini, vt faciliter & ordinatè ista tractentur.

Quoniam autem est aliquo affirmatio.

Incipientes ergo dicimus, quoniam affirmatio siue enuntiatio affirmatiua quæ est vna & simplex, est significans aliquid vnum prædicatum de aliquo vno subiecto. Hoc autem subiectum est nomen finitum & rectum, vel innominabile sicut nomen infinitum, quod innominabile dicimus, quia nihil nominat. Dicit enim Boët. Si dico homo, rem constituo. Si autem dico non homo, constitutionē tollo, & nihil entium vel non entiū pono : propter quod nomen infinitum innominabile vocamus. Sic ergo subiectum talis enuntiationis variatur in duo, scilicet in nomen, & innominabile. Prædicatum autem variari non potest : quia hoc verbum, est, prædicatum est in talibus, & illud infinitari non potest, vt patet per antedicta. Significat enim quandam compositionem infinitam, quam sine compositis non est intelligere, & infinitum infinitari non potest. Sic ergo variato subiecto per finitum & infinitum in tali enuntiatione in qua, est, est secundum adiacens in affirmatione siue in affirmatiua enuntiatione, oportet vnum prædicatum simplex de vno subiecto dici.

Quare nomen infinitum dicitur innominabile. Et hæc est expositio Boëtij & S. Thom.

Quomodo nomen infinitum nō est verè nomen, sed secundū quid apud logicū.

Remouet hic dubium, vtrum scilicet in propositionibus de secundo adiacente possit fieri variatio penes verbum est finitum vel infinitum.

In præcedentibus autem antecedentis libri dictum est, quid est nomen, & quid innominabile est : non homo enim secundum logici intentionem non dico nomen : nec tamen in aliam cadit partem orationis : sed dicitur nomen infinitum, quod est nomen secundum aliquid, quia significat substantiam cum qualitate : sed non habet nominis perfectionem, scilicet quòd significet & interpretetur quæ sit illa qualitas qua substantia nominis habet determinari : & quia finitam tollit qualitatem quæ in homine est humanitas, & nullam ponit, ideo non interpretatur & significat substantiam nisi infinitam, cuius qualitas ipsa est infinitas : sed talis qualitas sufficit ad hoc quod sit nomen secundum intentionem grammatici, quæ modos plusquam res attendit. Hoc enim modo nomen infinitum significat id quod quodammodo est vnum : & talis vnitas sufficit ad vnitatem subiecti in propositione siue in enuntiatione vna. Similiter autem dico de verbo infinito, sicut est non currit, quod quidem non est verbum secundum logici intentionem, & tamen in aliam non incidit orationis partem : & ideo dicitur verbum infinitum. Ex quo ergo subiectum sic variatur per finitum & infinitum, sequitur quod omnis generaliter enuntiatio est vel ex nomine & verbo finitis, vel infinito nomine & finito verbo.

Quod verbū in oratione non potest infinitari & quæ huius causa. Nota tamen ne fiat contradictio inter hæc & dicta in precedenti lib. quòd intelligit hic verbum non posse infinitari in oratione infinitatione diffinita negatione, hoc est, quòd sic infinitetur, quòd non negetur.

Infinitum enim verbum (vt iamdudum dictum est) in oratione non potest esse infinitum. Et huius causa est : quia sublata per negationem re verbi infinitantem non remanet nisi verbi radix quæ est, est. Et hæc est nota compositionis infinita : quam sine compositis non est intelligere : propter quod in talibus nihil affirmatur & negatio ad ipsam fieri non potest : quia non dicit nisi verbi reflexionem ad subiectum, quæ si negaretur, nec verbum esset verbum, nec posset esse prædicatum, & destrueretur enuntiatio. Et ideo cum verbum infinitum ponitur in oratione, oportet quòd negatio feratur ad compositionem, & rem prædicati neget inesse subiecto : & sic fit negatio infinitans. Omnis ergo enuntiatio vel est ex nomine & verbo, vel ex infinito nomine & verbo.

Præter verbum, &c.

Præter verbum autem nulla potest esse affirmatiua enuntiatio vel negatiua. In primis autem enuntiationibus hoc verbum est, vel hoc verbum fuit, vel hoc verbum erit, vt quidam dicunt, sunt potentia in præsenti, & præteritionem suam vel futuritionem determinant ad præsens. Et alia huiusmodi verba similiter faciunt : & ideo illa sunt potētia componere ipsam enuntiationem : eò quod illa ex proprio suo significato consignificant tempus in quo prædicatum inest subiecto.

Secundum hæc ergo quæ dicta sunt primum omnium enuntiationum est affirmatio & negatio, scilicet est homo, non est homo: & sic ordinentur, homo est, homo non est: illæ enim oppositæ enuntiationes omnibus sunt simpliciores, & ideo omnibus priores. Deinde autem sunt illæ quæ sunt de infinito subiecto, vt est nō homo, non est non homo, & sic ordinētur secundum proprietatem Latini sermonis, non homo est, non homo non est. Post illas autem sunt quæ maiorem habent additionem vt quæ sunt de vniuersali vniuersaliter sumpto, vt est omnis homo, non est omnis homo, & sic ordinentur, omnis homo est, omnis homo non est : & eædem sumptæ de infinito subiecto vt sic dicam, est omnis non homo, & non est omnis non homo, quæ sic ordinandæ sunt, omnis non homo est, omnis non homo non est. Et similis variatio est secundum præteritum & futurum quæ sunt tempora extrinseca præsenti nunc : quia vnum præcedit ipsum, & alterum sequitur ipsum.

Quare tacuit de particularibus : de singularibus etiam tacuit, vt inquit S. Th. quia non potest in eis inueniri omnis differentia & ex parte qualitatis & ex parte quantitatis.

De particulari autem signo non facimus variationem : quia nihil addit supra terminum indefinitum, nisi quendam vagum respectum vniuersalis ad particulare, quem etiam inde-

terminate importat vniuersale indefinitum: sed vniuersale signum ponit pro omnibus vniuersalibus distributorem, & formam quandam ponit circa vniuersale, quam vniuersale non habet ex seipso. Istæ sunt ergo primæ enuntiationes quatuor, homo est, homo non est, non homo est, non homo non est: quæ quatuor si multiplicetur per indefinitum, particulare, vniuersale, & singulare, faciunt 16 quæ sunt illæ, homo est, homo non est: non homo est, non homo non est: omnis homo est, omnis homo non est: omnis nō homo est, omnis nō homo non est: quidā homo est, quidam homo non est: quidam nō homo est, quidam non homo non est: Sortes est, Sortes non est: non Sortes est, non Sortes non est. Quatuor enim indefinitæ, & quatuor vniuersales, & quatuor particulares, & quatuor singulares, in vniuerso faciunt 16. Quāuis enim particulare non addat supra indefinitum, nisi quod dictum est: tamen variat oppositionem, & per consequens etiam variat consequentiam. Hæ ergo omnium sunt primæ in quibus hoc verbum, est, secundum adiacens est prædicatum.

Enuntiationes de secundo adiacente multiplicate secundum subiectum sunt 16.

Quare in precedenti numero propositionum de secundo adiacente enumerauit etiam partes singulares. Regulæ consequentiæ in propositionibus de secundo adiacente.

In his autem omnibus facile est aduertere, quòd ad affirmatiuam definito subiecto sequitur negatiua de infinito subiecto, & è conuerso ad negatiuam de subiecto infinito sequitur affirmatiua de subiecto finito, tam in indefinitis, quam in vniuersalibus, quam etiam in particularibus & singularibus. Hæc ergo de simplicibus enuntiationibus de inesse in quibus hoc verbum, est, secundum adiacens est prædicatum, & de consequentiis earum dicta sunt & sufficiant.

CAPVT II.

De multiplicatione, & consequentia enuntiationum in quibus est tertium est adiacens.

Quando autem est tertium adiacens, &c.

QVando hoc verbum, est, tertium adiacens est prædicatum, dupliciter dicuntur fieri oppositiones: vel quia fiunt ex parte subiecti & prædicati finitis vel infinitis: vel quia fiunt in duplo plures, quia fiunt octo, scilicet cum istæ primæ fuerint tantum quatuor. Attende autem, quòd hoc verbum, est, tertium adiacens dicitur in propositione in qua hoc verbum, est, non est prædicatum, id est, res prædicata: sed est tantum nota compositionis prædicati cum subiecto, vt cum dicitur, homo est albus. Et tunc dicitur tertium adiacens nos ordine, sed numero: ordine enim secundum est adiacens. Sed quia coniungibilia sunt ante coniunctionem eorum, & componibilia ante compositionem, cum compositionem nō sit intelligere sine compositis, hoc modo loquendo hoc verbum, est (cum sit nota compositionis quam sine compositis non est intelligere) etiam ordine est tertium adiacens. Exemplariter ergo declarando dico, quòd prædicto modo duplices fiunt oppositiones, vt est iustus homo. In hac enim affirmatione nota vel verbum prædicatum de subiecto est tertium adiacens. Vnde nota compositionis est vnum de tribus. Et quando sic fit, necesse est primas oppositiones quatuor esse, quarum duæ quælibet ad affirmationem & negationem sese adinuicem habent secundum consequentiam: duæ autem minimè se habent secundum consequentiam. Habent autem sese ad consequentiam vt propositiones priuatiuæ. Priuatiuas autem dicimus sicut iniustus, quod priuatiuū est & non infinitum. Dico autem hoc explanando: quia hoc verbum, est, adiacebit aut prædicato finito quod est iustum, aut prædicato infinito quod est non iustum. Et si affirmationes hoc modo sunt quatuor, sequitur quòd negationes etiam erunt quatuor, & sic inter affirmationes & negationes necessario sunt octo.

Hic breuiter se expedit circa expositionem verborum exstus, super quæ vera B. e. & S. Thom multas asserunt expositiones. Vide eos.

Hoc autem quod dictum est, facilius intelligimus ex his dispositionibus enuntiationum quæ subscriptæ sunt, vt dicamus, est iustus homo, quæ sic ordinanda est, homo est iustus: huius autem negatio est, non est iustus homo, siue homo non est iustus. Alia autem cum prædicato infinito quæ est, est non iustus homo, siue hæc, homo est non iustus, affirmatiua est de infinito prædicato: huius enim negatio est, non est non iustus homo, siue homo non est non iustus: hoc enim verbum, est, in talibus, vt tertium adiacens adiacet, & iusto prædicato finito & non iusto quod est prædicatum infinitum, adiacet vt tertium adiacens. Hæc ergo omnia sic se habent quemadmodum in resolutoriis prioribus circa propositiones dictum est.

Similiter autem sic se habet, &c.

Omnia autem eodem modo se habent quātum ad prædicatum finitum & infinitum, quando affirmatio, id est, affirmatiua enuntiatio est vniuersalis nominis: & voco, vniuersalis, quando sumitur vniuersaliter per signum distributiuum, vt omnis homo iustus est, non omnis homo iustus est, quæ sunt affirmatio & negatio oppositæ de subiecto & prædicato finitis. Est omnis homo non iustus, non est omnis homo non iustus: quæ sunt oppositæ per affirmationem & negationem de prædicato infinito. Sed in talibus non contingit similiter sicut in prioribus angulares esse veras simul sicut contingit in prioribus. Contingit tamen angulares veras esse simul aliquando. Istæ ergo duæ quæ sunt, est iustus, & est non iustus, sunt oppositæ & faciunt duas oppositiones & quatuor oppositas.

Aliæ autem ad non homo, &c.

Aliæ autem duæ oppositiones & quatuor oppositas habent aliquid additum siue compositionem siue coniunctionem ad non homo, sicut ad subiectum infinitum. Dico autem aliquod additum: quia infinitum subiectum non propriè subiectum est, cum quo propriè aliquid componi possit: habet tamen prædicatum ad ipsum additum, vt compositum cum ipso faciat enuntiationis modum & non perfectam enuntiationem. Tales autem sunt, vt iustus est non homo, siue non homo est iustus: & negatiua huius, non est iustus non homo, siue non homo non est iustus. Similiter quando infinitum prædicatum dicitur vel non dicitur inesse subiecto infinito per affirmationem & negationem, vt sicut dicam, est non iustus non

non homo, siue non homo est non iustus, quæ est affirmatiua, & huius negatiua opposita est, non est non iustus non homo, siue non homo non est non iustus. Hæ ergo octo sunt, scilicet, homo est iustus, homo non est iustus: homo est non iustus, homo non est non iustus: non homo est iustus, nō homo nō est iustus: nō homo est nō iustus, non homo non est nō iustus.

Magis autem plures, &c.

Magis autem in his plures in quibus hoc verbum, est, tertium est adiacens, non sunt oppositæ siue per oppositionem affirmationis & negationis acceptæ: quia plures esse non possunt. Hæ ergo in quibus hoc verbum, est, tertium est adiacens, sunt extra illas, hoc est, extra numerum illarum in quibus hoc verbum, est, secundum est adiacens: & illæ quæ sunt de finito subiecto vel prædicato, sunt extra illas quæ sunt de subiecto & prædicato infinitis, & alia habent opposita & alias consequentias: & sic sunt extra illas quæ ipsæ secundum se sunt enuntiationes perfectæ, sicut illæ quæ sunt de finitis subiecto & prædicato. Sūt autē extra eas nomine infinito quod est in eis sicut est nō homo. Cū termino enim infinito nō fit enuntiatio quæ secundū seipsā sit enuntiatio perfecta.

Numerus omnium propositionū de inesse est 48.

Accipe ergo illas octo quæ sunt, homo est iustus, homo non est iustus: non homo est iustus, non homo non est iustus: homo est non iustus, homo non est non iustus: non homo est non iustus, non homo non est non iustus, & multiplica per hæc quatuor, indefinitum, vniuersale signum, particulare, & singulare, ita quod quælibet inductarum affirmatiuarum & negatiuarum accipiatur & indefinitè, & quælibet vniuersaliter, & quælibet particulariter, & quælibet singulariter, & erunt quāter octo, scilicet indefinitæ, quatuor affirmatiuę, & quatuor negatiuæ, & octo vniuersales per eundem modum, & per eundem modum octo particulares, & similiter octo singulares, & erunt in vniuerso 32. quia quater octo faciunt 32. quæ prius inductis 16. in quibus hoc verbum, est, secundum adiacens prædicatur, faciunt 48. enuntiationes de inesse, nec possunt esse plures. Sunt autem sic disponendæ, vt quælibet negatiua opposita directè & in eadem linea stet contra suam affirmatiuam sic vt fiat talis figura: quia per hanc intelligibilius fit quod dicitur quando ad oculum demonstratur. Sic ergo disponantur.

Homo est.	Non homo est.
Homo non est.	Non homo non est.
Omnis homo est.	Omnis nō homo est.
Omnis homo non est.	Omnis non homo nō est.
Quidam homo est.	Quidam homo non est.
Quidam non homo est.	Quidam non homo non est.
Sortes est.	Non Sortes est.
Sortes non est.	Non Sortes non est.
Quidam homo est iustus.	Quidam homo non est iustus.
Quidam non homo est iustus.	Quidam non homo non est iustus.
Quidam homo est non iustus.	Quidam homo non est non iustus.
Quidam non homo est non iustus.	Quidam non homo non est non iustus.
Sortes est iustus.	Sortes non est iustus.
Non sortes est iustus.	Non Sortes non est iustus.
Sortes est non iustus.	Sortes non est non iustus.
Non Sortes est non iustus.	Non Sortes non est non iustus.
Homo est iustus.	Homo non est iustus.
Non homo est iustus.	Non homo non est iustus.
Homo est non iustus.	Homo non est non iustus.
Non homo est non iustus.	Non homo non est non iustus.
Omnis homo est iustus.	Omnis homo non est iustus.
Omnis non homo est iustus.	Omnis non homo non est iustus.
Omnis homo est non iustus.	Omnis homo non est non iustus.
Omnis non homo est non iustus.	Omnis non homo non est non iustus.

In his contingit angulares, hoc est, in angulis directè oppositas, non semper esse veras simul. Contingit tamen aliquando: quia in contingenti materia particulares (quæ sunt subcontrariæ angulariter oppositæ) simul sunt veræ, vt quidam homo est iustus, quidam homo non est iustus.

Numero de consequentiis fundatis in propositionibus de inesse super regulas æquipollentiarū.

Hæc autem patent quæ sequuntur adinuicē, & quę non per rationes æquipollentiarum. Hæc enim homo est iustus, sequitur hanc, homo non est non iustus. Et similiter ista, homo non est iustus, sequitur hanc, homo est non iustus. Quia negatiua de prædicato finito & affirmatiua de prædicato infinito æquipollent, & vna sequitur aliam. Similiter ista sequitur ad hanc, & è contra, omnis homo non est non iustus, & omnis homo est iustus: & similiter ista, non omnis homo est iustus, sequitur ad hanc, quidam homo non est iustus: & similiter hæc, non quidam homo est iustus, sequitur ad hanc, omnis homo non est iustus, vel nullus homo est iustus.

Quomodo ex diuersa positione negationis fiunt æquipollentia in propositionibus: & ex his accipiuntur regulæ modernorum de æquipollentiis, & habentur rationes illarum regularum.

Et sic facile est videre in omnibus inductis quæ & ad quas sequuntur, & quæ nō sequuntur adinuicem secundum æquipollentiarum rationes. Et hoc maximè cōtingit ex negationis diuersa positione: quia (cum negatio sit forma enuntiationis non tantum informans, sed etiā transmutās eam) negatio tollit illud cui cōponitur. Et ideo cum dicitur, nō homo est iustus, negatur hic terminus homo formaliter, & hoc modo, non homo nullus homo est, & non quidam homo nullus est homo. Cum autem postponitur, non negat præcedens, sed negat prædicatum à partibus subiecti, vel vniuersaliter, vel particulariter: & ideo omnis homo non currit, valet illam, nullus homo currit: & sic est cum dicitur, non quidam homo currit, negatur particularitas, & relinquitur vniuersalitas: & ideò non quidam homo est iustus, valet

hanc, nullus homo est iustus. Et sic facile est videre in omnibus considerata positione negationis.

Adhuc autem in talibus aliquando duæ negationes æquipollent vni affirmationi propter causam quam diximus: quia scilicet negatio non est est tantum formans id supra quod cadit, sed etiam transmutans: & ideò si superuenit negationi tollit eam: & quia transmutare non potest nisi in oppositum, ideò transmutat ad valorem affirmationis, sicut hæc, non omnis homo non currit, valet hanc, quidam homo currit: & hæc, non quidam homo non currit, valet hanc, omnis homo currit: & sic est in omnibus. Sic ergo de oppositionibus & consequentiis enuntiationis de inesse (in quibus hoc verbum, est, secundum est adiacens vel tertium adiacens) sit dictum.

CAPVT III.

De his enuntiationibus in quibus hoc verbum, est non ponitur, sed aliud.

In his in quibus est non contingit, &c.

IN his autem enuntiationibus in quibus hoc verbum, est, non ponitur, sed aliud quodcunque verbum, vt currit, vel legit, vel ambulat, tot quoad oppositionem & consequentiam faciunt enuntiationes secundum quod dictum est (si sicut dictum est ponantur) ac si hoc verbum, est, adderetur, sicut est videre exemplariter, si dicatur, currit omnis homo, non currit omnis homo: quæ sic sunt ordinandæ, omnis homo currit, omnis homo non currit: & sic cum subiecto infinito, currit omnis non homo, non currit omnis non homo: & sic ordinentur, omnis non homo currit, omnis non homo non currit. Variatio tamen ista non debet fieri nisi ponendo negationem infinitantem ad vniuersale quod sit in subiecto: quia cum hoc formæ sit finitæ & determinatæ, potest infinitari: sed negatio infinitans non debet poni ad signum vniuersale distributiuum vel etiam particulare: quia illa non dicunt qualitates & formas determinatas & finitas, sed cuilibet applicabiles: & ideò quia sunt non finitæ, infinitari non possunt.

Nota infinitas debet apponi subiecto & non signo subiecti.

Obiectio.

Si autem quis obiiciat, quòd verbum in oratione nõ potest esse infinitũ, vt dicit Boet. & sic ista variatio non potest esse ex parte prædicati finiti vel infiniti. Dicendũ, quòd nec hoc dictũ est, quòd tanta fiat variatio sicut in præhabitis, sed quia ex parte subiecti finiti & infiniti simile est in istis & in illis. Dicunt aliqui quòd si verbum resoluatur in hoc verbum, est, & in suum participium: tunc per omnia idem faciunt istæ cum illis. Est enim idem, homo currit, & quod homo est currens. Sic ergo dicendum, quòd in his fit variatio vt non negatio non ad signum, sed ad vniuersale referatur, quando est infinitans: eò quod signum distributiuum, non significat vniuersale quod est formæ circumscriptæ & finitæ, sed significat quoniam vniuersaliter, & distribuitur vniuersale cui adiungitur, & ideo est infinitæ & circumscriptæ formæ, quæ infinitari non potest.

Solutio.

Aliter.

Sic ergo pluralitas enuntiationum de inesse in quibus hoc verbum, est, est secundum vel tertium adiacens, crescit in 48. enuntiationes, quarum 16. sunt quando hoc verbum, est, secundum adiacens est; & 32. quando est tertium adiacens: quæ inter se habent oppositionem per affirmationem & negationem: & quædam consequuntur ad qualdam, propter multiplicationem negationis & situm, diuersas facientes æquipollentias, sicut cuilibet consideranti facile est videre, si in figura disponat oppositam contra oppositam, & postea oppositam vni reducat ad æquipollentiam oppositæ alterius. Et ex hoc quod aliud verbum in enuntiatione ponitur, quam hoc verbum, est, non surgit nouus numerus enuntiationum, vel noua oppositio, vel noua consequentia, quæ ex prædictis facile haberi non possit: propositiones enim facile est describere contra seinuicem, & oppositas contrariè vel subcontrariè vel contradictoriè sibinuicem opponere, & æquipollentes ad consequentiam adaptare per lineas ab vna ad aliam tractas, in dispositione siue figura in qua describuntur.

Numerus propositionũ multiplicatarum ex parte extremi vel extremorum secundum finitum & infinitum.

Et sciendum, quòd ex situ negationis infinitantis ad signum distributiuum non potest fieri enuntiationum variatio: eò quod signum infinitari non potest. Sic manifestum est cum dicitur, currit homo, non currit homo: quæ subcontrariæ sunt. Et similiter cum eædem ponantur cum subiecto infinito sic, currit non homo, non currit non homo: quæ etiam sunt subcontrariæ. Istæ ergo quatuor indefinitæ ab illis quæ sunt vniuersales & contrariæ non differunt, nisi quod illæ vniuersaliter sunt distributiuæ, & istæ non sunt vniuersaliter distributæ: & non differunt abinuicem in hoc, quòd istæ de vniuersali subiecto sunt, & illæ non: quia tam illæ quam istæ conueniunt in hoc quod sunt de subiecto quod est vniuersale.

Ex quo sequitur, quòd ista signa, omnis, nullus, & quæcunque alia talia fuerint, non significant vniuersale determinatæ & communis formæ, sed significant quoniam vniuersaliter, & similiter particularia signa significant quoniam particulariter. In his enuntiationibus quæ suprà inductæ sunt, signum distributiuum nihil aliud significat, nisi quoniam vniuersaliter de homine vel non homine, vel affirmat vel negat, ille qui enuntiat.

Ex quo sequitur etiam, quòd cætera illa quæ enuntiationem variant, vel oppositionem, vel consequentiam, oportet apponi istis in quibus est aliud verbum quam hoc verbum, est, quæcunque apponuntur illis in quibus hoc verbum, est, tertium adiacens cum subiecto & prædicato ponitur. Omnia ergo quæcunque apponuntur circa oppositiones & consequentias illarum quæ sunt cum verbo est, quod est tertium adiacens, sunt etiam in his in quibus aliud verbum ponitur quam hoc verbum, est.

Hoc autem adhuc probatur per hoc quod consequentiæ sunt eædem in illis in quibus est aliud verbum, & in illis in quibus ponitur hoc verbum, est. Patet, quòd affirmatio vniuersalis

Quoniam vero cõtraria est, &c.

salis contraria est negationi vniuersali, vt hæc quæ dicit quoniam omne animal est iustum, contraria est isti quæ dicit quoniam nullum animal est iustum. De his manifestum est, quòd consequuntur legem contrariorum: quoniam nunquam simul erunt veræ, nec possunt esse simul in eodem tempore, hoc est, ita quòd simul sint in eodem tempore: illæ autem quæ oppositæ sunt, sunt ambæ particulares, & ideò aliquando in contingenti materia possunt esse simul veræ, vt quidam homo est iustus, quidam homo non est iustus: vel quoddam animal est iustum, & non omne animal est iustum: quia hæc, non omne animal est iustum, valet istam, quoddam animal non est iustum. Et in talibus eam quidem quæ est, nullus homo iustus est, sequitur illa quæ est, homo est non iustus, & istam quæ est, omnis homo est non iustus: quia negatiua & affirmatiua de prædicato oppositio æquipollent. Illam verò quæ est, aliquis homo iustus est, sequitur illa quæ est opposita præcedenti, hæc scilicet, non omnis homo est non iustus: hæc enim æquipollet illi, quidam homo est iustus. Ista tamen consequentia est in his quæ fiunt cum constantia subiecti; scilicet quòd aliquis homo sit vel aliquod animal. Eadem autem penitus opposita & contraria sunt & in his in quibus aliud verbum ponitur, quam hoc verbum, est.

Sequitur verò eam, &c.

Nota hanc limitationẽ: quia deseruit etiam regulæ 5. situs in præcedẽti capitulo.

CAPVT IV.

De remotione errorum qui possunt esse circa ea quæ dicta sunt.

Ex his colligitur, quòd in singularibus nõ refert præponere aut postponere negationem.

Manifestum est quoniam etiã in singulatibus, &c.

CIrca ea quæ dicta sunt multi possunt esse errores. Ex hoc enim quòd negatio præposita vel postposita facit differentiam oppositionis & consequentiæ in vniuersalibus & particularibus & indefinitis, posset etiam credi, quòd similiter negatio faceret differentiam oppositionis & consequentiæ præposita vel postposita in singularibus: quod non est verum. Manifestum est enim, quòd si in singularibus aliquis interrogatus potest negare hoc de quo interrogatus est, tunc etiam potest idem affirmare de singulari eodem. Huius exemplum est, vt si dicam, Putasne Socrates sapiens est? Et respondeatur, non, negando concluditur statim dicendo, Socrates sapiens non est: vel igitur Socrates non sapiens est: & est idem si negatio præponatur vel postponatur.

In vniuersalibus verò illa quæ similiter dicitur per positionem negationis non est vera, vt si dicam, Putasne omnis homo sapiens est? Si respondeas tunc, non: si tunc inferam & dicam, ergo omnis homo non est sapiens, postponendo negationem post subiectum distributum, male infero: quia vtraque falsa est, & illa quæ dicit, omnis homo est sapiens, & illa quæ dicit, omnis homo non est sapiens, quia æquiualet illi, nullus homo est sapiens: quæ contrariæ sunt & simul falsæ: & ideo ipsa non fuit opposita contradictoriè illi quam dicit respondens. Sed cum interrogatus an homo sapiens est? dicit, non, inferre debuit, igitur non omnis homo sapiens est: hæc enim est contradictoriè opposita illi, omnis homo sapiens est. Et sic patet, quoniam situs negationis in vniuersalibus facit oppositionis & consequentiæ diuersitatem, & non in singularibus.

Illæ verò enuntiationes quæ secundum infinita, &c.

Est etiam error ex infinitatione negationis: quia posset aliquis credere, quòd negationes infinitantes essent veræ negationes, & propositiones de infinito subiecto vel prædicato essent veræ negatiuæ: & hoc non est verum. Illæ enim dictiones finitæ & infinitæ quæ sunt sibi contraiacentes secundum nomina infinita vel secundum verba infinita, vt in eo quod est non homo, vel non iustum (quæ sunt nomina infinita contraiacentia ad hoc homo & iustum) videntur esse negationes quæ sine nomine & verbo accipiuntur: & hoc inducit in errorem. Videntur enim similia negationibus, & tamen non sunt veræ negationes simpliciter: necesse est enim semper negationem esse veram vel falsam in contradictione, & nunquã simul cum affirmatione est vera vel falsa. Qui verò dixerat, non homo, per terminum infinitum nihil dixit penitus per dictionem de homine: sed potius cum dicitur, homo, aliquid ponitur: & cum dicitur, non homo, quod dictum est tollitur, & nihil ponitur per dictionem: & ideò de homine nihil magis sed minus verum fuit, vel in toto de homine falsum, secundum quod verum conuertitur cum ente, & falsum cum non ente, quando verum & falsum sunt in incomplexis: & ideo negatio non est in termino infinito nisi aliquid addatur: tunc enim potest fieri vera affirmatio vel vera negatio, vt cum dicitur, non homo currit, non homo currit.

Negationes infinitantes non sunt veræ negationes.

Qui dicit non homo, minus verè dicit quam qui dicit, homo, capiẽdo verum vt conuertitur cum ente.

Posset etiam esse error ex hoc quod dictum est, quòd illa de prædicato infinito sequitur negatiuam de prædicato finito. Fortè enim putaret aliquis, quòd etiam de infinito subiecto affirmatiua sequeretur negatiuam de subiecto finito, & non est ita. Hæc enim qua dicitur, omnis non homo est iustus, nulli illorum idem in consequendo vel in æquipollendo significat quæ sunt de subiecto finito negatiuæ: & similiter nec negatio contradictorie opposita, quæ est non omnis non homo est iustus, alicui illarum quæ sunt de subiecto finito idem in consequendo significant: & ideò non illa de subiecto finito idem in consequendo significat illi de subiecto finito. Et ideo non ita de finito & infinito subiectò accipitur consequentia inter affirmatiuam & negatiuam, sicut accipitur consequentia inter istas quæ sunt de infinito prædicato & finito. Sed vniuersalis affirmatiua de vtroque, subiecto scilicet, & prædicato infinitis, significat idem quod vniuersalis negatiua de subiecto infinito & prædicato finito: & ideo seinuicem consequuntur, omnis non iustus est non homo, & nullus est iustus non homo: & sic sunt ordinandæ, omnis non homo est non iustus, & nullus non homo est iustus. Istæ ergo duæ idem in consequendo significant.

Significat autem, est omnis homo, &c.

Quia verò dictum est supra, quod transpositio negationis variat oppositionem & consequentiam, posset aliquis credere, quòd transposita

Transposita verò nomina, &c.

posita nomina & verba non idem facerent: quod non est verum. Ergo illi errori succurrendum est dicendo, quod transposita nomina & verba secundum se accepta secundum oppositionem & consequentiam idem significant, sicut patet in istis, homo albus est, & est albus homo: quæ sic ordinandæ sunt, homo est albus, & album est homo. Si enim hoc negetur & dicatur, quòd nomina & verba transposita non idem significant, sequitur inconueniens, hoc scilicet, quòd multæ negationes erunt vnius & eiusdem affirmationis: & hoc est inconueniens: quia in prædictis ostensum est vnius affirmationis vnam esse negationem per contradictionem oppositam. Eius enim enuntiationis quæ est, est albus homo, negatio per contradictionem opposita est, hæc scilicet, non est albus homo, in qua idem negatur de eodem quod affirmabatur de eodem in affirmatiua. Eius verò enuntiationis quæ est, homo est albus, in qua verum transpositum est, negatio est aut eadem ei quæ est, est albus homo, aut alia. Si eadem, tunc haberur propositum, quòd nomina & verba transposita idem in consequendo & oppositione significant. Si autem non est eadem, tunc arguo sic, quia illius quæ est, homo est albus (si ipsa non est eadem illi quæ est, est albus homo in consequendo) oportet, quòd alia sit negatio quam illa quæ negat hanc, est albus nomo. Aut ergo negatio sua est illa qua dicitur, non est non homo albus: vel illa quæ est, non est homo albus: sed hæc quidem non est non homo albus, est negatio alterius propositionis, quæ est, est non homo albus, quæ est affirmatiua. Alia verò quæ dicit, non est homo albus, est negatio alterius enuntiationis, scilicet quæ dicit, homo est albus, & hæc sequitur ad hanc, est albus homo: & sic duarum affirmationum sunt duæ negationes: & si hæ ambæ sunt negationes vnius & eiusdem, tunc sequitur, quod duæ negationes sunt vnius affirmationis: quod est inconueniens. Relinquitur igitur, quòd istæ in consequendo sunt vna & eadem, est albus homo, & est homo albus.

Quomodo intelligendū, quòd transpositio nominis vel verbo eadem est affirmatio & negatio.

Manifestum est ergo, quòd transposito nomine vel verbo si non aliquid impediat, eadem est affirmatio & eadem negatio. Et hoc est verum quantum ad hoc quod idem significant & idem habent oppositum, & idem consequens si nihil sit ibi nisi transpositio: sequitur enim ista, album est homo, hanc, homo est albus. Si autem ex constructione aliquorum transposita fiat amphibologia, vel compositio, vel diuisio: tunc non est ibi sola transpositio: & tunc non est verum quod dicitur. Hæc ergo de enuntiationibus de inesse in quibus prædicatum vnum de vno dicitur subiecto, dicta sint. Ex his ergo facilè est similia conspicere.

CAPVT V.

De consequentia enuntiationum in quibus plura de vno vel vnum de pluribus dicitur.

His autem habitis determinandum est de enuntiationibus in quibus vel plura de vno subiecto prædicata dicuntur, vel de pluribus subiectis vnum dicitur prædicatum. Cum enim quatuor sint secundum hæc enuntiationum differentiæ, scilicet quòd vnum de vno, vel plura de pluribus, vel plura de vno, vel vnum de pluribus dicatur: iam satis dictum est de eis in quibus vnum de vno dicitur. In quibus autem plura de pluribus dicuntur hîc omittimus: quia non intendimus nisi de enuntiatione quæ aliquo modo est vna: illa verò in qua plura dicuntur de pluribus, nullo modo est vna: ideò non est tractandum de ipsa. Cum ergo de his in quibus vnum de vno dicitur iam tractatum sit. De his ergo in quibus de vno plura, vel vnum de pluribus dicitur, nunc relinquitur esse dicendum.

Quare nihil dixit de enuntiationibus in quibus plura de pluribus.

Dicamus ergo si non est affirmare vel negare vnum de pluribus, vel plura de vno, sed semper plura de pluribus affirmare vel negare: tunc talis affirmatio & negatio non est vna aliquo modo: quia non est vna ex parte subiecti, nec est vna ex parte prædicati: & de tali enuntiatione hîc non intendimus. In talibus autem dico vnum non quod est vnum voce tantum, sicut in æquiuocis, sicut si vnum nomen pluribus impositum sit, quod tamen actu plura & æque principaliter significat, ex quibus pluribus non fit vnum per essentiam vel per accidens, sicut si dicam interrupta pronuntiatione vel prolatione, animal & mansuetum & bipes: hæc enim sic prolata vnam enuntiationem non faciunt: quia vnumquodque eorum significatur vt actus: actus autem vt actus nihil vnum constituunt. Si autem pronuntientur continuè vt actus & potentia, vt dicatur animal mansuetum bipes, ex his vnum fit quod vno nomine dicitur, quod est homo, quod nomen non plura significat, sed vnum: quia actus & potentia sunt vnum. Et ideo dixi fortasse: quia si hoc nomen, homo, esset animali & mansueto & bipedi impositum diuisim vt actibus, non oporteret esse in significando vnum, nec in supponendo, nec in prædicando. Quando autem imponitur his quæ dicta sunt sicut potentiæ & actui, tunc stat pro vno, siue sit subiectum, siue prædicatum. Ex albo & ambulante non fit vnum subiectum: quia nec faciunt vnum secundum substantiam vel essentiam, nec vnum per accidens: quia quamuis homo & album & ambulans possint esse vnum subiectum secundum substantiam quæ substat vtrique, tamen in enuntiatione veram rationem supponendi siue substandi verbo non habent homo albus, & homo ambulans: & ideo aliud subiectum est homo albus, & aliud homo ambulans, & aliud album ambulans.

Vide Bekium quem aliter exposuit ly fortasse.

Propter

Propter quod etiam si aliquis de tali subiecto quod est plura, affirmet aliquid verum prædicatum, non propter hoc erit affirmatio vna. Similiter autem est si taliter, vt dictum est, plura prædicet de vno subiecto: plures enim est illa enuntiatio in qua vnum de pluribus, vel in qua plura de vno, vel in qua plura de pluribus prædicantur, sicut in priori huius scientiæ libro determinatum est. In talibus ergo enuntiationibus quæ non vnæ, sed plures sunt, vox quidem vna est quando vna & non interpolata fit pronuntiatio: sed tamen affirmationes vel negationes sunt multæ. Quod autem plures sit huiusmodi enuntiatio ex hoc patet: quia si omnis dialectica interrogatio est responsionis petitio: & hoc modo perit opponens, fieri sibi responsionem quo interrogat: petit enim à respondente propositionem affirmatiuam vel negatiuam quæ est altera pars contradictionis. Tunc si ita est, sicut dictum est, quòd propositio affirmatiua non est nisi vnius contradictionis: quia vna propositio non habet nisi vnam contradictorie oppositã: tunc huiusmodi interrogationi quæ plura significat, vt dictum est, non erit vna dialectica responsio, sicut nec vna fuit interrogatio. Quamuis fortè in toto siue in pluribus illis quæ supponuntur vel prædicantur sit vna: quia à sophistis qui cauendi sunt, posset argui talis responsio. De his autem qualiter interrogandum & qualiter respondendum sit, in dialecticis topicis dictũ est. In topicis autem elenchis (quia & sophistici & elenchi topica sunt quædam) dictũ est de interrogatione plures vt vna.

Si ergo dialectica interrogatione, &c.

Ex hoc loco colligitur, quòd dialecticus non interrogat nisi vnam partem contradictionis. Contrarium huius habetur primo topic. c 3. in fine.

Respondetur, quòd si dialecticus interrogat per propositionem dialecticam, tũc tantum vnã interrogat explicitè: si autem per propriam dialecticam, tunt plura interrogat exclicitè. Vocat sophisticos elenchos topica quædam.

Patet etiam similiter, quòd propter hoc quòd dialectica interrogatio petitio est responsionis per alteram partem contradictionis (quancunque partem respondẽs elegerit) quod de quæstione quid est non est dialectica interrogatio, vt si quis interrogẽt, quid est animal per diffinitionem & substantiam? In dialectica autem interrogatione oportet respondentem ex data quacunque dialectica interrogatione eligere vtram velit partem contradictionis. In tali enim interrogatione oportet interrogationem determinare vtrum homo sit animal de quo interrogat, vel non: hoc autem non licet in quæstione quid est, in qua est determinata responsio diffinitionis.

Similiter autem manifestum, &c.

Contra: diffinitor est prædicatum dialecticum, vt patet primo topico. Ergo dialecticus interrogat per quid est. Vide Iohann. Grammaticum & Themistium. 2. posteriorum. circa principium prælutionis huius.

Ex omnibus autem inductis constat, quòd plures enuntiatio de qua hic intendimus, est in qua vel plura de vno vel de pluribus vnum enuntiatur. Istæ enim enuntiationes aliquid de vnitate habent: & ideo de his intendimus ad præsens. Quæramus ergo de illis, vtrum ea plura quæ composita siue coniuncta prædicantur de aliquo vno subiecto, prædicentur diuisa de eodem subiecto communi. Ad hoc autem determinandum accipiamus illud quod iam determinatum est, quod scilicet quædam prædicantur composita de vno subiecto quæ sic coniuncta sunt, vt omne siue totum prædicamentum siue totum prædicatum fiat ex omnibus illis vel substantialiter vel essentialiter, ita quod quodlibet suppositorum coniunctorum extra compositionem diuisim acceptum per se inferat subiectum quando sumitur extra compositionem. Si enim quæramus sic aut enuntiemus quòd eorum quæ coniuncta prædicantur plura de vno subiecto coniuncta siue composita, quædam de toto composito prædicantur diuisim, & quædam coniunctim: conuenientia non prædicantur de toto diuisim, quæ sic differentia sunt inter hæc & illa, vt de homine verum est dicere quod est animal bipes: & iterum verum est dicere extra siue diuisim, quod homo est animal, & quod homo est bipes. Et similiter de hoc toto coniuncto quod est animal bipes, verum est dicere, quòd est animal: quia animal bipes est animal. Et iterum de hoc eodem verum est dicere, quòd est bipes: quia animal bipes est bipes, diuisim prædicatum. & de homine (quod implicitè est animal bipes) verum est dicere, quòd est animal diuisim, & quod est bipes: hæc enim coniunctim & sine interruptione prolata prædicatur, prout vnum est ex ipsis, siue prout ipsa sunt vnum. Similiter cum dicitur coniunctim homo albus, de hoc prædicatur diuisim & albus & homo: quia homo albus est albus, & homo albus est homo. Et hæc etiam prædicantur vt vnum subiecto & vnum per accidens: quia album non habet rationem supponendi vel substandi nisi per subiectum in quo est: & ideo hoc fuit subiecto vnum siue substando: & non multiplicatur in eis ratio substandi cum non sint vnum per substantiam & essentiam.

Hoc autem in omnibus non est similiter. Si enim dicam, iste est citharœdus bonus, hæc quidem coniunctim prædicantur de isto homine: & tamen diuisim non valet prædicatio. Si enim dicam, iste est citharœdus bonus, vera est prædicatio si ficta in re sicut enuntiatur in prædicatione: tamen non sequitur, iste est citharœdus bonus: igitur iste est citharœdus, & iste est bonus: nec sequitur etiam, est citharœdus & est bonus, ergo est citharœdus bonus. Si enim concedatur, quòd quotiescunque duorum vel plurium alterutrum coniunctim dicatur de aliquo, vtrumque duorum vel vtrunque trium quæ coniuncta dicuntur, diuisim de eodem prædicantur, multa sequuntur inconuenientia. Sequitur enim primo in talibus, quòd nugatio in multis erit explicita: nam de homine coniunctim & diuisim verum est dicere, & quod est homo, & quod est albus. Si ergo vtrunque illorum diuisim verum est dicere de toto coniuncto: tunc verum est dicere de hoc homine albo, quòd est homo, & quod est albus, & sic homo albus est homo: & hoc est iterum coniungere, vt dicatur, homo albus homo: & de hoc coniuncto verum est dicere iterum diuisim, quod est homo: ergo homo homo albus, est homo: ergo est homo, homo homo albus. Et similiter est de eo quod est album: quia homo albus est album: & de hoc toto dicetur album: ergo homo albus albus est albus: & hoc procedit in infinitum. Et similiter si dicam, homo est musicus ambulans quæ coniunctim conueniunt homini. Et si de toto coniuncto ea quæ coniuncta sunt, prædicantur diuisim, nugatio erit, & nugando procedetur in infinitum: hæc enim & implicita siue coniunctim sunt conuenientia subiecto: quia

Sed non si citharœdus, &c.

subie

subiecto actu & intellectu & voce sunt coniuncta. Si iterum dicantur de eo diuisim, erit nugatio explicita & expressa.

Amplius si Sortes est & homo & bipes, &c.

Amplius autem in substantialibus ex quibus fit vnum per substantiam, idem sequitur inconueniens, si de toto coniuncto diuisim prædicentur, qua compolita subiecto conueniunt. Si enim propter hoc quod Socrates diuisim & homo est, & bipes, etiam homo bipes est homo & bipes: & sic homo bipes est homo: & de hoc coniuncto iterum prædicatur homo: & sic homo bipes est homo homo bipes: & eadem ratione erit homo bipes homo homo homo bipes: & sic procederetur nugando in infinitum per hunc modum. Manifestum est ergo, quod plura contingunt inconuenientia si quis ponat complexionem, hoc est, compositam prædicationem fieri de his quæ diuisim toti composito conueniunt, sicut iam in parte ostensum est.

Quod si de composito cõponentia diuisim prædicantur tam in accidentibus prædicatis quam in substantialibus, amplius hoc etiam deducetur ad nugationem implicitam: si enim quæcunque prædicantur coniunctim, prædicantur etiam diuisim: cum sciamus, quòd Socrates est & homo diuisim, & bipes diuisim, secundũ hoc Socrates erit homo bipes cõiunctim: & de hoc toto coniuncto prædicatur & homo & bipes: ergo Socrates homo bipes erit homo & erit bipes: & iterum illa coniunctim dicentur de Socrate homine bipede: ergo Socrates erit homo homo bipes bipes: & hoc procedet in infinitum sicut prius. Adhuc in homine actu & intellectu est bipes. addere ergo non oportet: & si addatur, erit nugatio. Si enim sic dicatur, Socrates est homo, per hoc quod dico homo, ponitur & bipes: & bipes etiã additur: ergo Socrates est homo bipes bipes. Similiter statim nominato Socrate intelligitur homo: si enim dicam, Socrates homo, sequitur quòd Socrates est homo homo: & sic in infinitum. Et scias, quòd hunc modum sic ponit Alpharabius nec aliter exponi potest quod perspicuè sit verum quod hic ponitur.

Expositio Alpharabij.

Eorum igitur quæ prædicantur, &c.

Quæcunque ergo sunt de numero eorum quæ prædicantur, vel quæcunque sunt etiam de numero subiectorum de quibus illa prædicantur, sunt talia quæ secundum accidens prædicantur de aliquo: vel talia sunt, quòd secundum accidens prædicatur vnum eorum de reliquo, hæc diuisim conuenientia non erunt vnum coniunctim prædicatum: vt si dicam diuisim, homo est albus, & homo est musicus, non erit idem compositum prædicatum musicus & albus: quia ista sunt accidentia eidem, & è conuerso: & vnum eorum non est sicut potentia, & alterum vt actus: & idcò non faciunt vnum coniunctum prædicatum: vnde quamuis aliquando sit verum dicere album esse musicum, hoc est, quod aliquis albus est musicus, non tamen propter hoc erit vnum coniunctum prædicatum ex his quæ sunt album & musicum, sicut vnum fit ex potentia & actu, vt si dicatur coloratum album: hæc enim coniuncta sicut actus & potentia vnum actum faciunt prædicatum.

Ex quo sequitur, quòd nec illa quæ superius inducta sunt, cum dicitur si citharœdus bonus sit, non fuit simpliciter vnum, hoc est, vniuersaliter vnum prædicatum: quoniam hoc quod dico bonus, non semper dicit bonitatem citharœdi: sed quando simpliciter prædicatur sine eo cui adiungitur circa quod ponit formam suæ bonitatis, dicit bonitatem eius quo prædicatur, vt cum dicitur, homo est bonus, dicit hominis bonitatem & non citharœdi. Et ideo si illa prædicentur diuisim sicut coniunctim, vt cum dicitur, homo citharœdus bonus: ita diceretur homo citharœdus, & homo bonus, variaretur secundum æquiuocationem hoc quod dico, bonus: bonus enim per prius & posterius dicitur de bono moris. & de bono citharœdi: quia (vt dicit Arist.) alia est virtus hominis in bono, & alia est virtus citharœdi: vnde non simpliciter vnum sunt bonum & citharœdus sicut actus & potentia, sicut vnum sunt animal & bipes, si bipes ponatur differentia constitutiua, quæ cum genere speciem constituat: quia tunc vnum prædicatum coniunctum sunt animal bipes, sicut cum dicitur, homo est animal rationale: sic enim non adinuicem se habent citharœdus & bonus. Accidentalis ergo prædicatio impedit, quòd conuenientia diuisim non semper prædicantur coniunctim. Propter quod etiam quia accidit animali hominem esse, dicunt quidam, quòd bene dicitur, Sortes est homo, & est animal: tamen non dicitur, Sortes est homo animal, impediente nugatione: quia animal actu & intellectu supponitur in homine: & ideo si est homo animal, erit homo animal animal: & procederet nugando in infinitum. Sed quia in animali non supponitur actu homo & intellectu, sed potentia solum, bene dicitur Socrates animal homo: quia se habent adinuicem vt vnum substantiale: homo enim dicit actum eius quod in potentia est in animali.

Non valet hæc consequentia. Sortes est homo & Sortes est animal: ergo Sortes est homo animal, propter nugationem compositionis.

Amplius nec quæcunque, &c.

Amplius autem adhuc in talibus prædicatis quæ plura sunt & composita, aduertendum est, si sunt in aliquo sicut in subiecto per intellectum vel voce vel intellectu suppositа: tunc enim ex coniunctis non licet inferre diuisum: propter quam considerationem vitatur nugatio: quia sic non sequitur, quod album frequenter dicatur nec homo: nec aliquid aliud quod est in aliquo. Hoc autem est sicut si dicam de aliquo vt Cicerone, Cicero albus est homo albus. Et si est homo albus, & est homo & est albus, & inferam: ergo Cicero albus est homo albus, homo albus: vel si dicam sic, Cicero homo est animal bipes: ergo est animal & est bipes: & sic est Cicero homo animal animal bipes. Diuisim ergo conuenientia cum eis quæ insunt, non licet componere: in homine enim per intellectum sunt & actu supponuntur & animal & bipes. Verumtamen aliquando verum est dicere vel prædicare prædicata composita de aliquo, & etiam diuisim siue simpliciter sine compositione. Sicut enim verum est dicere quẽdam esse hominem simpliciter sine cõpositione: aut sicut verum est dicere quendam qui est albus, hominem esse album simpliciter sine compositione: ita verum est dicere quendam hominem album esse album, ita quod

ita quod album prædicetur de eo diuisim sicut coniunctim cum homine: bene enim sequitur, Cicero est homo albus: ergo est albus.

Non ſemper, &c.

Hoc autem non semper nec in omnibus prædicatis compositis verum est dicere: falsum enim est quotiescunque in prædicato est oppositio in adiecto, quod vt compositum coniungitur prædicato: tunc enim argumentum non valet à composito ad diuisum, vt si dicam, iste est homo mortuus, non sequitur, ergo est homo, & est mortuus: eò quod hoc quod dico mortuus, priuat rationem hominis simpliciter, & sic est oppositum homini. Quando autem in talibus prædicatis compositis non est aliquid compositorum in altero componente, ex quo sequitur contradictio vel priuatio alterius: tunc verum est inferre diuisim coniuncta: & quando quidem oppositio est in adiecto ad prædicatum, semper est falsum, quod procedatur à composito coniuncto ad diuisum. Sed quando in adiecto non est oppositio, non semper est verum, quòd ex composito diuisum inferatur. Si enim dicam sic, Homerus est aliquid vt poëta, vel Homerus est poëta, non est oppositio in adiecto prædicati, quia esse vt poëta non est oppositum ad aliquid quod prædicatur de Homero: non tamen sequitur, Homerus est aliquid vt poëta: ergo est aliquid, & est poëta: quia esse vt poëtam accidit Homero: & ideo ex tali accidente non infertur esse simpliciter: quia esse vt poëtam Homero est esse secundum quid, & hoc non infert esse simpliciter. Adhuc autem ponitur expressius aliud exemplum quod est. Homerus viuit vt poëta, non sequitur, ergo viuit: viuere enim vt poëta est viuere in memoria poëtis quam fecit.

Quare in quantiſcunque, &c. Dixit ſi diffinitiones pro nominibus ponantur, vt dicit B. vt daret modum cognoſcendi oppoſitionem in adiecto ſi eſſet occulta: & eſt regula primi top. ſecundum D. Albert. aute dixit hoc, vt reſtringeret regulã ſuam ad prædicata eſſentialia tantũmodo.

Ex his autem quæ dicta sunt accipitur, quòd in quantiscunque vel quibuscunque prædicatis compositis non est contrarietas vel aliquo modo oppositio in adiecto quod componitur cum prædicato, considerandum in talibus si diffinitiones prædicatorum illorum prædicentur de subiecto, & possunt poni loco nominum. Si enim sic est: tunc ista per se & substantialiter prædicantur, & tunc à composito prædicato potest inferri diuisum secundum se: quia talia non prædicantur secundum accidens. Quod simpliciter non est, non potest concludi esse propter aliquod opinabile aliquo modo, sicut diximus de Homero, qui viuit in opinione, hoc est, in fama hominum: talis enim opinio est accidens Homero: & non est de eo quod sit, si est de Homero quod simpliciter non sit, sed sit secundum accidens aliquod.

Item sun prædicata loco quorum dicitur ponere suas diffinitiones.

Nota regulas quando ex diuisis bene infertur coniuncta, & quando non.

Quia ante iam multa de his & diffusa dicta sunt, in omnibus talibus prædicatis data est talis doctrina à quibusdam, quòd considerandum est in prædicatis compositis quæ duo sunt vel plura: aut enim ambo erunt substantialia; aut ambo accidentalia: aut vnum substantiale, & aliud accidentale. Et liquidem ambo sunt substantialia: aut sunt conuertibilia inter se, aut non. Et si quidem sunt conuertibilia, ex diuisim conuenientibus non potest inferri prædicatum coniunctum impediente nugatione, vt si dicam, iste est homo & est risibilis: igitur est homo risibilis. Si autem substantialia sint & non conuertibilia: tunc vnum est in plus, & aliud in minus: & tunc considerandum est, quòd vnum illorum in composito prædicato præordinetur alij. Si autem præponitur magis commune, & apponitur ei magis commune: tunc ex diuisim conuenientibus bene concluditur coniunctum, vt iste est animal & est homo: igitur est animal homo: quia homo non concipitur in ratione animalis, sed in prædicato animali apponitur ad determinationem. Si autem præponitur minus commune quod in se claudit magis commune: tunc ex diuisim conuenientibus non infertur coniunctum impediente nugatione, vt iste est homo & est animal, non sequitur: ergo est homo animal impediente nugatione implicita. Si autem ambo prædicata accidentalia sunt, debet considerari si vnum inest subiecto per alterum vel non. Et si quidem vnum inest per alterum: tunc illud quod inest per alterum, est de ratione illius quod inest per ipsum: & tunc ex diuisim conuenientibus infertur coniunctum. Si præponatur in coniuncto illud per quod inest alterum: quia illud est magis commune, vt si dicam, iste est coloratus & est albus: ergo iste est coloratus albus. Si autem è conuerso minus commune præponatur: tunc non sequitur propter nugationem. Si autem ambo sunt accidentalia, & vnum non inest per alterum: tunc nunquam valet processus à diuisim conuenientibus ad coniunctum, vt si dicam, iste est albus, & est musicus: ergo est albus musicus. Hæc de consequentia enuntiationum quæ sunt de inesse dicta sufficiant.

TRACTATVS II.

De consequentia modalium.

CAPVT I.

Quæ sint modales enuntiationes.

POST consequentias enuntiationum de ineile quæ simpliciores sunt, tractandum est de enuntiationibus modalibus, quæ ex additione modi alicuius dicuntur modales. Et ideo primo videndum est, quis modus faciat propositionem modalem. Et quot sunt tales modi: & cuius sunt modi, prædicati scilicet, vel subiecti, vel compositionis. Et quid sit prædicatum in enuntiatione modali, & quid subiectum sit in ea, & alia huiusmodi: quia sine his non potest fieri oppositio modalium vel consequentia.

Prima dubitatio.

Secunda. Tertia. Quarta.

Dicamus ergo, quòd dupliciter dicitur enũtiatiõ modalis, scilicet à modo compositionis, & à modo rei prædicatæ. A modo autem rei prædicatæ, vt quando dicitur, Sortes legit benè vel altè vel malè: & hic modus: quia nõ modificat totam enuntiationem, sed tantum rem prædicati, non potest facere totam enuntiationem modalem. Est autem modus compositionis, qui specialis modus est disponens & in formam specialem ponens compositionem, sicut possibile, contingens, necessarium, & impossibile, verum, & falsum. Et hi modi speciales specialiter constituunt illam enuntiationem, quæ specialiter modalis vocatur. Quatuor enim primi illorum modorum compositionem (quæ consignificat tempus) ampliant extra tempus præsens. Possibile enim & contingens ampliant præsens ad futurum, & ad esse, & ad non esse: quia contingens est futurum, & potest esse, & non esse. Necessarium autem & impossibile ampliant compositionem ad omne tempus: quia necessarium & impossibile ponunt compositionem in omne tempus: & ideo illi sunt modi speciales facientes totam enuntiationem modalem, necessarium simpliciter omni tempore inesse, & impossibile simpliciter nunquam inesse. Et quia tales modi sunt modi compositionis, & compositio formaliter ambit composita, & est principium intelligendi ea secundum quod stant sub compositione, & sic modus compositionis est modus totius enuntiationis: & ideo isti modi totam modificant enuntiationem & totam faciunt modalem. Verum autem & falsum quamuis sint modi compositionem determinantes; tamen quia non ampliant compositionem secundum tempus, nec in specialem aliquem modum formant compositionem, sed dicunt generalem modum illarum de inesse, ideo non sunt modi speciales, sed sunt modi quidam non facientes propositionem modalem nisi secundum quid: quia in eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa: sed non in eo quod res est vel non est, oratio dicitur possibilis vel contingens, necessaria vel impossibilis. Sed potius in eo quod sic vel sic res se habet ad suam causam, in eo oratio formata siue complexa de re est possibilis vel contingens, vel de necessario vel de impossibili. Et ideo isti quatuor modi, possibile, contingens, necessarium, & impossibile, speciales sunt modi quibus enuntiatio dicitur modalis.

Ad primam & tertiam. Modus duplex, scilicet compositionis; & rei prædicati.

Quando possibile, impossibile, necessarium, & contingẽs ampliãt extra tẽpus, licet diuersimodè.

Verum & falsum non ampliant secundum tẽpus: ideo non sunt speciales modi nec faciunt propositionem modalem nisi secundum quid.

Ex hoc etiam accipitur, quòd negatio quæ refertur ad compositionem, non facit enuntiationem modalem: quia non ampliat eam secundum tempus, nec etiam informat modo speciali, sed simpliciter diuidit ipsam in forma in qua est significata. Ex his ergo patet, quòd modalis enuntiatio dupliciter dicitur, scilicet generaliter & specialiter. Et generaliter quidem modalis dicitur à modo generaliter sumpto, siue sit modus prædicati, siue compositionis. Specialiter autem modalis dicitur quatuor modis qui dicti sunt: quia denominatio fit à specie, & non à genere. Ex hoc autem vlterius patet, quòd enuntiatio modalis substantialiter & per sua constituentia differt ab enuntiatione de ineſſe simplici: quia modus est substantialis enuntiationi modali, & est substantiale constitutiuum.

Quare negatio non facit enuntiationem modalem.

Enuntiatio dicitur modalis dupliciter.

Enuntiatio modalis differt ab illa de ineſſe substantialiter per modum.

Quatuor autem sunt tales modi: quia in compositione non est nisi esse. Quod autem dicit esse, aut dicit esse permixtum potentiæ, aut quod est in actu perfecto. Si primo modo: tunc est esse possibile, vel contingens. Et hæc duo differunt in hoc, quòd possibile determinat esse secundum se: & contingens autem in comparatione ad causam non stantem: vnde esse non stans, est possibile: contingens autem est, quod non habet causam stantem. Si autem est esse perfectum secundum actum: aut accipitur in ipso esse, & sic est necessarium: aut accipitur in ipso non esse, quod ad simpliciter esse est oppositum, & sic est impossibile. Contingens autem & possibile non possunt accipi secundum diuisionem esse & non esse: quia vtrunque dicit esse permixtum cũ non esse. Hi sunt ergo modi modalẽ facientes enuntiationem, & facientes enuntiationem differre modalem ab enuntiatione de ineſſe, & oppositionem modalis ab oppositione illius quæ est de ineſſe, & consequentiam illius à consequentia quæ est in illis de ineſſe.

Ad secundam, vbi nota sufficientiam modorum facientium modalem propositionem, & in quo differt possibile & contingens.

Si

Ad quantam solutio Boëtij & Alpharabij.

Modus est prædicatũ in enũtiatione modali: sed contra.

Si sic esset, tũc non esset modus.

Patet: quia idem non potest esse modus enũtiationis & extremũ eiusdem: cum modus sit determinatio, & extremũ sit determinabile.

Solue ex dictis D. Alb. infra in c. 6.

Quomodo modus est determinatio compositionis, & cum hoc prædicatum enuntiationis.

Obiectio.

Solutio Alexandri notanda.

Si autem quæritur, quid sit prædicatum in enuntiatione modali, dicimus cum Boëtio & Alpharabio, quòd modus est prædicatum inesse, & esse vel non esse subiecta sunt, vt patet, cum dicitur, Sortem currere est possibile: quia accusatiuus casus cum infinitiuo reddunt suppositum huic verbo, est.

Si autem obiicitur contra hoc: quia modus est determinatio compositionis: prædicatum est alterum compositorum: & ideo determinatio compositionis esse non potest. Dicendum est, quòd in propositione modali duplex est compositio, scilicet vna dicti quod subiicitur: quia sicut dicit Aristot. nihil aliud est dicere Sortem ambulare, quam Sortem ambulantem esse: & sic esse & non esse cum compositione subiiciuntur in enuntiatione modali, & illius compositionis modus est determinatio, & non compositionis quæ est compositio enuntiationis; & ideo potest esse & determinatio compositionis dicti & prædicatum enuntiationis.

Et si dicitur, quòd prædicatum non est determinatio compositionis. Ad hoc respondet Alexander, quòd verum est quando prædicatum prædicatur vt esse, & non vt modus, sicut currit cum dicitur, homo currit: vel sicut album cum dicitur, homo est albus. In enuntiatione autem modali quia non subiicitur substantia cui insit prædicatum, sed subiicitur dictum cum sua compositione, prædicatum modus prædicatur non vt esse, quia hoc dicit prædicatum dicti: sed prædicatur vt modus esse quod dicit compositio dicti: & ideo & est prædicatum & est modus compositionis. Et hæc solutio notanda est: quia ad multa valet & hic & in scientia libri priorum.

Obiectio.

Solutio.

Si autem adhuc obiicitur: quia secundũ hoc omnis talis enuntiatio est singularis: de enuntiationibus autem singularibus non est syllogismus: & sic de modalibus non potest fieri syllogismus. Dicendum, quòd enuntiationis modalis duplex est subiectum, scilicet subiectum locutionis, & subiectum enuntiationis. Dico autem subiectum locutionis id de quo est locutio, sicut in hac, Sortem currere, de Sorte fit locutio: & ideo subiectum locutionis est Sortes. Subiectum autem enuntiationis non est quod supponitur infinitiuo, sed potius subiectum est totum dictum, hoc est, casus cum infinitiuo. Hoc ergo secundo modo enuntiatio modalis singularis est, & hoc modo non fit ex modalibus syllogismus: quia in complexione & figura syllogismi non sumitur medium sub toto dicto, nec minor extremitas sub medio: sed assumitur sub subiecto dicti sic, omnem hominem possibile est currere: Sortes est homo: ergo Sortem possibile est currere. Et ab hoc subiecto sumendo quantitatem, dictum est talis quantitatis, sicut est sua præiacens enuntiatio à qua formatur, vt hic Sortem currere est possibile, dictum est singulare: quia formatur ab hac, Sortes currit. Hæc autem vniuersalis, omnem hominem currere, quia formatur ab hac sua præiacente, omnis homo currit: & sic fit syllogismus de enuntiatione siue propositione modali.

Quomodo propositio modalis est singularis: & sic non potest ingredi syllogismum: & quomodo non est singularis: & hoc iuxta diuersitatẽ subiecti locutionis & enuntiationis.

Obiectio.

Si autem adhuc contra ea quæ dicta sunt,

obiicitur, quòd secundum hoc omnis propositio modalis est composita, & non duplex ex compositione & diuisione: & sic omnes tales essent simpliciter falsæ, sicut non currentem currere est possibile, non legentem legere est possibile. Dicendum, quòd hoc non sequitur in prædicato quod non vt esse, sed vt modus prædicatur: quia quod vt modus prædicatur, non prædicatur vt modus sui, sed aliorum: & ideo ad alia potest referri, vel sub diuisione, vel sub compositione, sicut patet cuilibet parum consideranti. Sunt tamen qui propter inductas rationes dicunt modos non esse prædicata: sed de dictis eorum non curamus: quia nec commentatoribus concordant, nec innituntur veritati.

Solutio.

Ex hoc pate: error modernorum dicentium propositionem non esse de sensu diuiso nisi quando modus medius inter partes dicti, nec esse de sensu compositi nisi modus totaliter præcedat, aut finaliter sequatur: nam vbicunque ponatur modus, propositio semper est distinguenda iuxta compositionem & diuisionem, vt etiam innuit D. Alb. hic, & colligitur primo elen.

Sciendum etiam, quòd omne dictum est singulare secundum quantitatem: quia appellatio eius est similis appellationi termini singularis: sub hoc enim communi quod est dictum hoc, omnem hominem currere, non appellat nisi pro hoc eodem dicto quod est, omnem hominem currere: & non potest appellare pro alio: quia non est dictum nisi huius singularis propositionis quæ est, omnis homo currit. Non sic autem est in enuntiatione de ineſſe: quia illius subiectum est vniuersale vel singulare: vniuersale autem est vniuersaliter acceptum, aut particulariter, aut indefinitè quoad appellata sua: & ideo quantitatem ab his accipit. Sic igitur de modali enuntiatione est intelligendum.

Quomodo omne dictũ propositionis modalis est singulariter. His vero determinatis, &c.

CAPVT II.

Qualiter sumenda sit oppositio modalium.

HIs autem sic determinatis perspiciendum est quemadmodum siue qualiter se habeant affirmationes & negationes adinuicem secundum oppositionem contradictionis. Huius autem exemplum est vt quæramus qualiter hæ se habeant adinuicem secundum oppositionem, quæ sunt, possibile est esse, non possibile est esse, contingens est esse, & non contingere esse, & de impossibili & necessario similiter, vt si dicam, necesse est esse, & non necesse est esse: impossibile esse, & non impossibile esse: siue accipiantur cum modo nominali, siue cum modo aduerbiali: hoc enim idem est secundum præsentem intentionem, vt si dicam, Sortes currit contingenter: siue dicam, Sortem currere est contingens: & sic de aliis modis siue aduerbialiter, siue nominaliter accipiantur. Talium ergo enuntiationum modi sumendi sunt quantum ad oppositionem & consequentiam.

Dubitatio circa de oppositione modalium.

Hæc enim habent aliquas speciales dubitationes: quia non similiter sumuntur oppositiones in his & in illis de ineſſe: nam si enuntiationum (quæ complectuntur ex subiecto & præterito complectente) ea compositione illæ contradictiones sunt siue sint sibiinuicem oppositæ secundum contradictionem. Quæcunque (secundum esse quod affirmatur in vna, & secundum non esse quod negatur in altera)

contra seinuicem ex opposito disponuntur, sicut in illis quæ sunt de ineſſe dictum est: tunc similis erit oppositio in illis quæ sunt de ineſſe, & in modalibus: & hoc est impossibile. Huius autem exemplum ponamus dicentes, quòd in illis quæ sunt de ineſſe eius quod est esse hominem, oppolita negatio est, non esse hominem: & non est eius negatio propositio illa quæ est esse non hominem, quia ista est affirmatiua sicut prima, quamuis sit de infinito prædicato: & hoc est in illis de ineſſe in quibus hoc verbum est, secundum adiacens prædicatur: esse enim hominem idem est quod est hominem esse. Similiter est in illis in quibus hoc verbum, est, est tertium adiacens: quia eius quod est esse album hominem, siue hominem esse album negatio est non esse album hominem, siue hominem non esse album: & non illa quæ dicit esse non album hominem, siue hominem esse non album: quia vtraque est affirmatiua, quamuis vna sit de prædicato finito, & alia de prædicato infinito.

Si enim secundum hunc modum esset in modalibus oppositio sumenda, ita quod negatio ad esse (quod affirmat affirmatio) referatur, cum in contradictione semper aut dictio siue affirmatio aut negatio sit vera, cum falsum sit dicere hominem lignum, verum erit dicere de homine hominem non esse lignum. Si autem hoc modo est in his in quibus hoc verbum, est, secundum v. l tertium adiacens prædicatur: tunc etiam hoc idem verum est in enuntiationibus in quibus hoc verbum, est, non additur, nec vt secundum, nec vt tertium adiacens, sed aliud verbum ponitur. In his enim enuntiationibus idem (quoad modum oppositionis) faciet aliud verbum quod ponitur loco esse sine hoc verbo, est, sicut patet in exemplis: eius enim quæ est, ambulat homo, siue homo ambulat, negatio contradictoria non est, ambulat non homo: sed potius illa quæ dicit, non ambulat homo: nihil enim quantum ad oppositionem differt dicere hominem ambulare, & hominem esse ambulantem: siue homo ambulat, & homo est ambulans.

Caret dicti nem pro affirmatione de hoc dictum est in prin primo huius tract. de enun tatione. cap. prima.

Si ergo in omnibus, scilicet de ineſſe & modalibus enuntiationibus sic secundum esse & non esse sumeretur oppositio, sequeretur inconueniens quòd contradictoriè oppositæ aliquando erunt simul veræ. Si enim est verum, quòd secundum esse & non esse in modalibus sumitur oppositio: tunc sequitur, quòd eius quæ est, possibile est esse, negatio est, possibile est non esse: & illa quæ est, non possibile est esse, in qua negatur modus, non erit eius negatio. Sed contra hoc est quod dicitur, quòd idem possibile est esse, & possibile est non esse: omne enim quod possibile est diuidi, & possibile ambulare, possibile est etiam non diuidi, & possibile non ambulare. Ratio autem & causa huius est: quia quod sic est ad vtrumlibet possibile, non semper est in actu: quinimo in potentia est, quæ se habet ad esse & ad non esse: propter quod in taliter possibili inerit etiam negatio secundum potentiam intermixta: & sic quod ambulat, potest non ambulare: potest ergo illud quod est ambulabile secundum potentiam, etiam non ambulare: & illud quod sic est diuisibile secundum potentiam, potest non diuidi. At vero sicut in antehabitis probatum est, impossibile est, quòd de eodem veræ sint simul oppositæ affirmationes & negationes: quia si datur, contradictoria possunt esse simul vera. Non ergo illius affirmationis quæ dicta est, ista est negatio quæ pro eius negatione inducta est, quia sunt simul veræ quando dictum in vtraque in potentia sumitur. Contingit enim secundum hoc siue sequitur, quòd vnum & idem verè simul dicitur & affirmatur & negatur simul de eodem, quod est impossibile: aut quod oportet negare, quòd in modalibus sumatur oppositio secundum esse & non esse, & quod affirmationes & negationes contradictoriè oppositæ in modalibus non fiunt secundum esse & non esse: sed oportet dicere, quòd fiant in talibus affirmationes & negationes oppositæ secundum hoc quod negatio refertur ad modum. Inter hæc autem duo impossibilius est contradictorias esse simul veras, quam quod negatio ad modum referatur. Erit ergo magis eligendum, quòd negatio ad modum referatur, quam quod contradictoria simul esse vera concedantur.

Non igitur est illa negatio, &c.

Huic enim quod negatio ad modum referatur non obstat nisi hoc quod negatio ad compositionem habet referri, & modus non est compositio. Et hoc facile soluitur: quia quamuis modus non sit compositio, tamen vt dictum est, modus est compositionis: & sic negatio mediante modo refertur ad compositionem.

Obiectio quod negatio non attendatur penes modum in modalibus. Solutio.

Secundum hoc ergo quod dictum est, negatio contradictoria eius quæ est, est possibile esse, siue possibile est esse, ista est quæ est, non possibile esse, siue non possibile est esse. Eadem autem ratio est in ea quæ est, contingens est esse: est enim illius negatio, non contingens est esse: & in aliis quoque modalibus est omnino similiter accipienda oppositio, vt in necessario & impossibili. In omnibus enim talibus modalibus fiunt oppositiones per affirmationes & negationes modi oppositi, sicut fiunt in his quæ de ineſſe sunt oppositiones secundum esse & non esse. Oppositiones enim modorum determinantium compositionem in modalibus fiunt, sicut esse & non esse se habent in enuntiationibus de ineſſe: vt sicut in illis de ineſſe res subiectæ compositioni subiectum sunt & prædicatum, vt subiectum homo, & prædicatum album: eodem modo hoc loco in modalibus fiunt subiecta enuntiationis modalis dicta, esse vel non esse significantia. Contingens verò & possibile & necessarium & impossibile sunt oppositiones determinantes dicti compositionem: propter quod prædicata sunt eo modo quo ante dictum est: & quemadmodum in illis de ineſſe secundum esse vel non esse contingit esse veritatem vel falsitatem, ita in istis quæ sunt modales contingit esse veritatem & falsitatem secundum modorum affirmationem vel negationem.

Eius vero quæ est impossibile non esse, &c.

Secundum ergo ea quæ dicta sunt illius quæ dicit, possibile est non esse, negatio est, non possibile est non esse. Aliæ autem duæ quæ sunt, possibile est esse, & possibile est non esse, non sunt contraiacentes sibiinuicem secundum

dum contradictionem: quod ex hoc apparet: quæ simul veræ sunt, & videntur sequi adinuicem. Idem enim simul & semel possibile est esse, & possibile est non esse: sed possibile esse, & non possibile esse, nunquam sunt vel possunt esse simul veræ. Istæ ergo contradictoriè sunt oppositæ quæ sumuntur secundum modi affirmationem & negationem. Similiter autem possibile est non esse, & non possibile est non esse, nunquam sunt simul veræ. Hæ ergo sunt oppositæ per contradictionem, & istæ etiam sumuntur secundum modi affirmationem & negationem. Similiter autem est in ea quæ dicit, necessarium est esse: huius enim non ea quæ dicit, necessarium est non esse, contradictoria est, sed ea quæ dicit, non necessarium esse. Eius autem quæ dicit, necessarium non esse, oppolita contradictoriè est quæ negat modum & dicit, non necessarium est non esse. Similiter eius quæ dicit, impossibile est esse, non est illa contradictoria quæ dicit, impossibile est non esse: sed ea quæ negat modum & dicit, non impossibile est esse. Et similiter ea quæ dicit, impossibile est non esse, illa est contradictoria eius quæ dicit cum negato modo, non impossibile est non esse.

Eundum ordinem fiũt, &c.

Vniuersaliter quidem ergo & regulariter in modalibus quidem esse & non esse oportet ponere quemadmodum subiecta quæ supponant, & de quibus enuntiatur modus, quemadmodum iam super dictum est: sed affirmationem & negationem facientes hoc quod diximus in modalibus (hoc est, contradictionis oppositionem) oportet apponere siue referre ad vnum tantummodo, hoc est, ad modum vnum & eundem, & non ad esse vel non esse: & sic illas oportet putare, hoc est, repræsentare oppositas dictiones siue affirmationes siue negationes contradictoriè oppositas, quæ sunt cum modi affirmatione & negatione. Verbi gratia possibile, non possibile: contingens, non contingens: impossibile, non impossibile; necessarium, non necessarium: verum, non verum: falsum, non falsum: hi quamuis enim non simpliciter sunt modi, tamen sunt modi quidam.

Prima linea modalium consequentium se secundum antiquos.

Dicamus ergo, quòd consequentiæ secundum aliquos fiunt inter modales secundum ordinem quem ponunt inter eas, ita vt sic disponantur, scilicet vt illi quæ est possibile esse, statim iungatur vel subiungatur ista quæ est contingit esse: contingere enim esse conuertitur cum illa quæ est possibile esse: & vtraque istarum antecedit & sequitur ad aliam. Tertio subiungatur ea quæ est, non impossibile est esse. Et his quarto loco subiunxerunt illam quæ est, non necesse esse. Et has quatuor in prima linea posuerunt quasi seinuicem consequentes.

Secunda linea.

Deinde in secunda linea posuerunt primo illam de negatiuo dicto, & affirmato modo, quæ est, possibile non esse: & subiunxerunt illam quæ est de contingenti, quæ est, contingens non esse. Et illi tertio subiunxerunt illam de impossibili negato modo, quæ est, non impossibile non esse. Et illi quarto subiunxerunt illam de necessario, negato modo, quæ est, non necesse non esse. Similiter has in secunda linea disposuerunt.

Tertia linea.

Illi vero quæ est de possibili modo negato & dicto affirmato quæ est, non possibile esse, coniunxerunt istam per eundem modum, non contingens esse: & illi coniunxerunt eam quæ est de impossibili modo affirmato, & de dicto affirmato, quæ est, impossibile esse: & illi subiunxerunt istam quæ est de necessario modo affirmato & negato dicto, quæ est, necessarium non esse. Et has quatuor in tertia linea posuerunt.

Quarta linea.

Illi vero quæ est de possibili modo negato in negatiuo dicto, quæ est, non possibile non esse, coniunxerunt de contingenti modo negato in negatiuo dicto, quæ est, non contingit non esse. Et huic tertio, sicut consequentem subiunxerunt illam de impossibili modo affirmato & dicto negato, quæ est, impossibile non esse. Et huic subiunxerant illam de necessario modo affirmato & dicto affirmatiuo quæ est, necessarium est esse. Et ex his quartam constituunt consequentium se lineam. Hæc autem considerari facilius possunt ex subscriptione talis figuræ quæ sequitur.

CAPVT III.

De consequentiis modalium secundum opinionem antiquorum.

Consequentiæ vero se.

NVnc autem post determinationem oppositionum modalium de consequentiis earum determinandum est. Quia vero quidam antiquorum in aliquo errasse videntur circa consequentias modalium, ideo primo disponamus consequentias secundum quod antiqui disposuerunt eas, & ostendamus quid verum & quid falsum est in consequentiis eorum, & postea disponamus consequentias secundum veritatem. Sic enim melius declarabitur quod intendimus.

Possibile est esse.	Contingens est esse.
Possibile est non esse.	Contingens est non esse.
Non possibile est esse.	Non contingens est esse.
Non possibile est non esse.	Non contingens est non esse.
Non impossibile est esse.	Non necesse est esse.
Non impossibile est non esse.	Non necesse est non esse.
Impossibile est esse.	Necesse est non esse.
Impossibile est non esse.	Necesse est esse.

Ergo impossibile & non impossibile, &c.

In hac autem dispositione videamus quid bene se habet, & quid non bene. Dicamus ergo, quòd sicut dicunt impossibile & non impossibile, hoc est, impossibile affirmatum, & impossibile negatum, bene sequuntur ad illud quod est contingens & possibile, & ad non contingens

tingens & non possibile, sicut dicunt antiqui. Et sequuntur ista conuersim, ita quod quælibet earum & antecedit ad aliam & consequitur eam. Sequuntur autem se contradictorie, ita quod negatio impossibilis quæ est contradictoria ad impossibile affirmatum, sequitur affirmatum possibile & cõtingens. Hanc enim enuntiationem possibile esse cum modo & dicto affirmatis vtrisque, sequitur illa quæ est de negato modo cum affirmato dicto quæ est cõtradictoria ad hanc, impossibile est esse. Vnde negatio impossibilis, sequitur affirmationem possibilis & contingentis; & negationem possibilis & contingentis, sequitur affirmatio impossibilis: & similiter affirmationem possibilis & contingentis, sequitur negatio impossibilis. Hanc enim qua dicitur possibile esse, sequitur non impossibile esse. Et similiter illud quod dicit non possibile esse, sequitur impossibile esse. Hæc enim quæ dicit impossibile esse, affirmatio est. Hæc autem quæ dicit non possibile esse negatio est. Diximus autẽ super, quòd in talibus negatio de possibili, sequitur affirmationem de impossibili, & affirmatio sequitur negationem. Hoc enim bene dictum est ab antiquis in omnibus quatuor consequentium se linen.

Necessarium verò quendam, &c. *Antiqui errant in consequentijs modalium secundum positionem de necessario primo ordinis.*

Et vt breuiter dicatur in nulla linea peccatum est nisi in prima: & hoc non nisi ad quartam, scilicet de necessario. Et ideò considerandum qualiter secundum consequentiam se habeat illa quæ de necessario. Hoc autem manifestum est cuilibet consideranti, quòd non eodem modo se habent secundum consequentiam vt illi dixerunt. Sed potius illæ quidem de modo necessitatis contrario modo se quuntur de impossibili, & non contradictorie. Contradictorie autem sumptæ modales de necessario sunt extra consequentiam, & non sequuntur ad illas de impossibili. Hoc autem sic probatur. Accipiatur enim hæc, necesse est non esse: illius eam negatio contradictoria non est hæc, non necesse est esse. Contingit enim in eodem aliquando vtrasque istas esse veras: necesse enim est hominem non esse lignum, & etiam non necesse est hominem esse lignum, quæ simul de eodem sunt veræ, & per consequens non sunt contradictoriæ: & sic contingit vtrasque simul esse veras: quia omne quod necesse est non esse, non est necesse esse.

Causa autem est, &c. Huius autem causa est, quare non sequitur ista de necesse, illam de impossibili secundum dispositionem antiquorum: quia non contradictorie, sed contrariè opponuntur: & ideò negatione postposita ad modum reducuntur, vt idem valentia & æquipollentia: enuntiatio quæ est de impossibili & necessario. Et ideò impossibile est & necessario non esse quæ sunt de modis affirmatis & dictis contrario modo dispositis per affirmationem & negationem redduntur sibi per consequentiam, & idem valent per æquipollentiam. Huius autem exemplum, vt sic dicam, impossibile est esse de modo & dicto affirmatis, huic opponam de necessario dictum contrarium, hoc est, negarum, ista se sequuntur: & ideò illi quæ est impossibile esse, redditur ea quæ est necessarium non esse: sicut hominem impossibile est esse lapidem, sequitur, quòd hominem necesse est non esse lapidem: quia istæ idem valent. Sic ergo congruè se sequuntur & videm valent.

Impossibile est necessarium esse valentia secundum applicantur dicta consequentia modis habentes.

Adhuc autem declaratur per ad impossibile deductionem: quia si aliquid impossibile est esse, sequitur, quòd hoc idem necesse est non esse. Si verò aliquid impossibile est non esse, sequitur, quòd illud necessarium est esse: & hoc est contrarium illius quæ est necessarium non esse. Patet ergo quod impossibile est ponat necessarium consequentias: eo quod opponuntur per contradictionem, hoc est, per modi affirmationem & negationem: quia illa sola oppositionem contradictionis faciunt, sicut in antehabitis probatum est. Affirmatio autem dicti & negatio faciunt contrarietatem, hoc est, modum contrarietatis: & ideo impossibile sic (vt antiqui ponere dicuntur) necessario contradiceret: quod patet: quia quod est necesse esse, possibile est esse, quantum ad consequentiam. *Adcerte impossibile, &c.*

Et si aliquis ad hoc contradicat, oportet quòd det oppositum, quod possit stare cum præmisso: & sic dabit negationem eius quod est, possibile est esse, quæ est, non possibile est esse. Necessarium enim est in omnibus de quolibet affirmare vel negare, hoc est, de quolibet affirmationem & negationem in contradictoriis esse veram. Propter quod sequitur, quòd si aliquid non possibile est esse, sequitur quòd illud impossibile est esse: quia in talibus æquivalent non possibile & impossibile: & sic quòd illud quod impossibile est esse & non possibile est esse, necesse est esse, quod est valde inconueniens: igitur hypothesis fuit inconueniens; quæ fuit, quòd oppositum huius quod est possibile esse, sequitur ad hoc quod est necesse esse: ergo ad hoc quod est necessariũ esse, sequitur possibile esse, sicut dictum est. Hanc autem quæ dicit, aliquid possibile est esse, sequitur illa quæ dicit, non impossibile est esse. Hæc vero quæ dicit, non impossibile est esse, sequitur illam quæ dicit, non necesse est esse: & ideo secundum antiquos contingit virtute argumentationis illius à primo ad vltimum, quod illud quod non est necessarium esse, necesse est esse, quod est valde inconueniens: quia sic contradictoria essent vera. Sic ergo patet, quòd in ordine necessarij ad impossibile fallit consequentia antiquorum. *Nam si non negatio sequitur, &c.*

CAPVT IV.

Corrigitur error antiquorum, & ostenditur vera consequentia modalium.

His autem habitis veram dispositionem modalium & veram consequentiam nos oportet inuestigare. Dicamus igitur, quòd necessarium esse non sequitur ad possibile esse: neque etiam ad possibile esse, sequitur necessarium non esse. Illi enim quæ dicit possibile aliquid esse, vtraque ista contingit accidere siue sequi, scilicet possibile esse, & possibile non esse. Hæc autem quæ dicit, necesse est nõ esse, sequitur ad hanc, non possibile est esse: illud enim quod est, non possibile est esse, sequitur ad hanc, non possibile est esse: illud enim quod est, nõn possibile est esse, sequitur ad hãc, impossibile est esse, & hanc sequitur, necesse est non esse: huius autem negatio est, non necesse est non esse. Sic ergo dispositæ contradictiones sequuntur secundum prædictum modum: & nihil penitus impossibile contingit siue sequitur, sic, vt diximus, dispositis. Est autem hæc dispositio in figura vt facilius videatur quod dictum est. *Ad oppositum.*

Prima linea.
Possibile est esse.
Non possibile est esse.
Contingit esse.
Non contingit esse.

Tertia linea.
Non impossibile est esse.
Impossibile est esse.
Non necesse est esse.
Necesse est non esse.
Æquipollent.

Secunda linea.
Possibile est non esse.
Non possibile est non esse.
Contingit non esse.
Non contingit non esse.

Quarta linea.
Non impossibile est non esse.
Impossibile est non esse.
Non necesse est non esse.
Necesse est esse.
Æquipollent.

In hac dispositione semper superior consequitur ad tertiam ad se inferiorem, & nihil sequitur inconueniens. Prima enim linea sequitur tertiam, & secunda quartam per omnes modos possibilis, contingentis, & impossibilis, & necessarij. Et sic etiã correctus est error antiquorum, & vera consequentia modalium est dispositi hoc modo.

Si autem consequentiæ adinuicem accipiantur aliter quam dictum est, vt si prima linea comparetur ad secundam, & secunda ad tertiam, fallit consequentia. Eodem modo si prima comparetur ad quartam, & secunda ad tertiam, consequentia non valebit. Hoc autem facile patet cuilibet intuenti. Si autem voluerit consequentias inuenire, prædicto modo infallibiliter inueniet. Sic ergo disponendæ sunt.

CAPVT V.

Soluitur dubitatio de consequentia possibilis ad necesse esse.

Dubitatio. textus. virum ad necesse esse sequatur possibile esse. Dubitabit autem, &c. Argumentum.

Dvbitabit autem aliquis forsasse, an sit verum quod dictum est, quòd scilicet possibile esse sequitur ad necesse esse: & ideo ostendamus primo, quod sequitur ad ipsum: & posteà ponamus ad hoc rationes, quod non sequitur ad ipsum, quæ sunt apparentes: & posteà huius dubitationis ponamus solutionẽ & determinationem. Quod ergo possibile esse sequitur ad necesse esse, probatur deducendo ad impossibile. Si enim detur, quòd non sequitur ad ipsum, hoc est, si detur, quòd possibile non sequitur ad necesse esse: tunc oportet, quòd contradictio siue contradictorium eius quod est possibile esse, verificetur cum necesse esse: hoc autem est non possibile esse. Erunt ergo istæ duæ simul veræ, necesse esse, & nõ possibile esse, & erunt simul veræ de eodẽ. Sequitur ergo, quòd illud quod est necesse esse, non possibile est esse: & quod nõ possibile est esse, impossibile est esse: ergo quod necesse, est esse, impossibile est esse: & quod impossibile est esse, necesse est non esse: ergo quod necesse est esse, necesse est non esse, quod est omnino inconueniens: ergo etiam hypothesis fuit impossibilis & inconueniens, quę posuit, quòd impossibile non sequitur ad necesse esse. Si fortè dicat aliquis, quòd huiusmodi enuntiationis, possibile est esse, non est contradictoria hæc, non possibile est esse, sed hæc, possibile est non esse. Quamuis hoc falsum sit: tunc adhuc sequitur inconueniens, si hoc detur: quia secundum hoc sequitur, necesse est esse: ergo possibile est non esse: quod autem necesse est esse, impossibile est non esse: & quod impossibile est esse, necesse est non esse. Sequitur ergo quod necesse est non esse, & necesse est esse, quod est valde inconueniens: hypothesis ergo fuit impossibilis quæ ponit, quòd possibile esse, nõ sequitur ad necesse esse. *At vero rursus idem, &c.*

Si autem hoc concedatur, videtur accidere inconueniens: quia quod possibile est esse, cum hoc etiam possibile est non esse: cuius exemplum est quod possibile est incidi, cum hoc etiam est possibile non incidi: & hunc hominem possibile est ambulare, & possibile est non ambulare. Et hoc generabile possibile est esse, & possibile est non esse. Si ergo possibile esse sequatur ad necesse esse, sequitur ad id quod necesse est esse, possibile esse, & possibile non esse: ergo quod necesse est esse, possibile est nõ esse: quod autem possibile est non esse, non necesse est esse: ergo quod necesse est esse, non necesse est esse: & sic contradictoria erunt simul vera, quod est falsum. Omni ergo modo hypothesis est impossibilis quæ dicit, quòd possibile sequitur ad necesse esse. Et oportet nos respondere rationi quæ videtur probare oppositum.

Solutio dubij. Manifestum autem, quod omne possibile, &c.

Ad solutionem autem huius dubitationis in primis dicimus, quod cuilibet etiam parum scienti manifestum est, quod non omnis potestas siue potentia qua aliquid possibile dicitur ad aliquid, valet ad opposita. In quibusdam autem hoc non est verum, sicut patet in quibusdam eorum quæ habent potestates naturales à forma naturali, quæ de necessitate actiua est. Et non habent potestates animales siue rationales quæ sunt animæ rationalis, quæ maxime libera est & ex materia non obligatur ad agendum hoc vel illud, sed potest agere hoc vel illud, & etiam oppositum. Et potest agere hoc & potest non agere hoc per voluntatis libertatem. Quæcunque ergo non habent tales potestates, sed naturales, cum natura non sit nisi ad vnum, non possunt nisi ad vnum: & hoc necessario faciunt, & non possunt non facere illud, sicut ignis calefactibilis siue calefactius est.

Per potentias irrationales intelligit non animales, vel naturales.

Patet ergo, quòd quæcunque habent irrationales, hoc est, non rationales siue non animales potestates, sed naturales & à forma naturali, illa non sunt ad oppositа secundum suas potentias. Sed quæcunque rationales habent potestates, sunt ad oppositа, & oppositorum esse possunt secundum vnam & eandem potentiam & manentem vnam: quia illa (quæ ex se non obligatur ad vnum) est oppositorum. Sed quæcunque non rationalibus siue irrationalibus possunt potestatibus, non omnia, nec semper secundum vnam & eandem potestatem sunt ad oppositа, sicut diximus de igne, quòd calefactiuus est, & nō frigefactiuus, nec etiam potest esse non calefactiuus. Non omnia tamen quæ naturalibus & irrationalibus potentijs possunt, semper ad vnum sunt: sed ea quæcunque possunt actuis potentijs (quæ à forma sunt) ad vnum sunt: & quæcunq; sunt semper in actu perfecto. Quæcunq; autem secundum potentiam passiuam possibilia sunt, illa ad vtrumque oppositorum se habent. Nec hoc quod dictum est, quòd irrationales siue naturales potentiæ ad oppositа non sunt, ideo generaliter dictum est, quia verum sit: sed ideò dictum est, quòd ferretur instantia ad hoc quod dicitur, quod omnis potentia qua aliquid possibile est, oppositorum est, & ad oppositа. Patet enim, quòd etiam potentiæ quæ in eadem specie sunt, sicut naturales quæ inquantum contrarionales siue animales diuidunt hoc commune quòd est potentia, non omnes sunt ad oppositа.

Vide Boet. quia saluat hoc de potentijs actiuis, scilicet quod possunt in oppositа aliqua potentia actiua irrationalis.

Quædam verò potestates, &c. Possibile est analogum.

Ad solutionem ergo inductæ dubitationis sciendum, quòd potentia & possibile æquiuocè dicitur ad ea de quibus dicitur secundum potentiam actiuam, & potentiam passiuam, hoc modo quo est cum dicitur aliquid commune, quod secundum prius & posterius conuenit his de quibus prædicatur. Est enim possibile agere quod est in actu ipso, sicut dicimus aliquem possibile ambulare, eò quod iam ambulat. Et vniuersaliter loquendo sicut dicimus, hoc possibile vel posse esse, quod iam in actu est. Aliud autem dicimus possibile quod non est in actu, sed fortitan erit in actu, sicut dicimus possibile ambulare quando non ambulat, sed fortitan ambulabit. Illud enim quod à potentia materiali est possibile, ad oppositа se habet: & tale possibile est in his quæ mobilia sunt secundum substantiam motam, sicut generabilia & corruptibilia. Aliud verò possibile est quod est secundum potentiam actiuam quæ in actu est, & in perpetuis & incorruptibilibus. In vtrisque tamen his verum est dicere, quòd vtrumque eorum est possibile. Possibile enim est ambulare quod iam ambulat, & possibile est ambulare quod ambulabit: & sic possibile communitate analogiæ commune est ad vtrumque.

Dicendum ergo, quòd hoc possibile quod est ante actum & nōn in actu, non est verum dicere de necessario, sicut probatum est. Sed hoc quod est in actu, sequitur ad necessarium, sicut à principio probatum est. Quia ergo partem subiectiuam sequitur suum vniuersale, quod vt commune genus vel analogum prædicatur de ipsa: & possibile est sicut vniuersale ad id quod est in actu sicut necessarium, & ad id quod est ante actum, sicut possibile ad vtrumlibet. Oportet ergo concedere, quòd possibile vt commune & vniuersale sequatur ad necessarium, quamuis possibile non omnino, hoc est, pro omni specie possibilis sequitur ad necessarium.

Et est quidem fortasse, &c.

Et quod plus est ex dictis habetur, quòd illud quod est necesse vel non necesse est esse, principium est omnium aliorum ad hoc quod sint vel non sint: & sic oportet quod omnia alia considerentur vt consequentia ad necessarium esse vel non esse. Et secundum hoc oportet disponere consequentias secundum hunc modum: necesse est esse, non possibile est non esse: non contingens est non esse, impossibile est non esse. Sic in secunda linea necesse est non esse, non possibile est esse: non contingens est esse, impossibile est esse. In tertia vero non necesse est esse, possibile est non esse: contingit non esse, non impossibile non esse. In quarta vero non necesse est non esse, possibile est esse: contingit esse, non impossibile est esse.

Dispositio consequentiarum in propositionibus de possibili, impossibili, necessario, & contingenti.

Manifestum ex his quæ dicta sunt, &c. A. t. c. 13.

Manifestum autem vlterius est ex his quæ dicta sunt, quòd ea quæ necessaria sunt, actu sunt & non habent potestatem ante actum: propter quod si priora sunt ea quæ actu sunt his quæ potestate sunt, sicut in 9. primæ philosophiæ determinatum est (quia quæ semper actu sunt, sempiterna sunt) sequitur, quòd necessaria priora sunt his possibilibus, quæ ante actum sunt possibilia: & hæc quidem quæ sempiterna sunt, sic semper actu sunt, eo quod sine potestate materiali sunt possibilia. Alia verò generabilia sunt possibilia, ita quod fiunt in actu: & quando sunt in actu, sunt adhuc cum potestate ad oppositum actum: quia talis actus non perficit potentiam sic, quod non relinquat in ea possibilitatem ad oppositum actum. Et in his ipsis actus & ea quæ sunt in actu naturali, priora sunt his quæ potentia sunt: quamuis tempore potentia esse, sit prius quam in actu esse in eodem: quia est potentia prius & actu posterius. Quædam verò nunquam sunt in actu perfecto, sed sunt potentia solum, sicut potentia diuisionis in infinitum in continuo & potentia excrescendi in infinitum

Quædam sunt quæ nunquam sunt in actu perfecto.

tum in numero, & sicut est in motu & tempore.

Obiectio quam tägit etiã Boetius & solut. Solutio.

Et si obiiciatur, quòd frustra est potentia quæ non potest reduci ad actum. Hoc facile soluitur: quia si talis potentia nullo modo reduceretur ad actum: tunc verum esset quod obiicitur. Istæ autem potentiæ continuè exeunt in actum imperfectum, & nunquam stant in actu perfecto, per quem nihil remaneat de potentia.

Ex his omnibus patet hoc quod diximus, quòd possibile esse vt vniuersale & commune, sequitur ad necesse, quamuis non omne possibile sequatur ad necessarium. Et hoc per eandem rationem patet, quod contingens esse, sequitur etiam ad necesse esse: quia possibile esse & contingens esse consequuntur reciprocem, sicut patet per omnes dispositiones consequentiarum quæ in antehabitis determinatæ sunt. Hæc autem vt melius intelligantur, oportet quòd interponatur de distinctione possibilis & contingentis.

CAPVT VI.

De distinctione possibilis, & de differentia possibilis & contingentis.

Ens diuiditur per ens possibile, & ens necesse esse secundum Auic.

AD intelligentiam ergo eorum quæ dicta sunt attende, quòd sicut dicit Auic. ens possibile diuidit ens cum eo quod est ens necesse. Et cum ens necesse sit quod nullo modo est in potentia, erit ens necesse quod nullam habet causam: quia ens quod habet causam quocunque modo, est in potentia comparatum ad causam illam secundum id quod est in ea. Et per oppositum ens possibile est, quod habet causam, & possibile est secundum quod comparatur ad causam illam, & secundum quod per esse dependet ab illa: & sic omnia causata possibilia sunt: & hoc modo ens necesse, non est ens possibile, nec è conuerso: quia impossibile est, quòd non causatum sit causatum, vel quod ens causatum sit non causatum.

Quid sit ens necesse, & quid ens possibile.

Quid sit necesse esse in enuntiationibus, & quomodo tale habet causam sibique.

Dicitur autem aliter necesse esse in enuntiationibus, quando scilicet coinhærentia prædicati cum subiecto inuitabilis & necessaria est. Tale necessitatium non est ens necesse: quia tale necessarium esse nihil prohibet habere causam: quinimo illud possibile prædicatur de eo quod est necesse esse causam habente.

Quid sit possibile ad operationem, & quomodo tale est dupliciter, scilicet à forma naturali, & ab anima.

Alio modo aliquid dicitur possibile non ad esse, sed ad operationem vel actionem: & quia actio vel operatio non est nisi secundum potentiam actiuam, hoc modo dicitur possibile quod aliquid agendi habet potestatem siue facultatem: & hoc est dupliciter. Iam enim illa facultas siue potestas inest ex forma naturali, aut ex anima rationali vel sensibili. Et si inest à formā naturali: tunc agit per necessitatem, & quantum est de se non potest non agere: quia secundum talem potentiam quantum est de se semper in actu est. Et si aliquando non agit, hoc est per accidens: quia scilicet non habet in quod agat: & ideò hoc possibile secundum se non est ad oppositа, siue illa sumantur vt contraria, siue vt contradictoria: tale enim possibile non agit aliquid, & suum contrarium vt calidum & frigidum: & non possunt agere & non agere simul, quæ sunt contradictoria. Si autem est ab anima: tunc non potest esse ab anima vegetabili: quia illa vt naturā per necessitatem agit. Quamuis autem actiones animæ sunt oppositæ, sicut ambulare, vel non ambulare: videre, vel non videre: imitari aliquid, vel fugere: tamen quia vbi sensibilis est præter rationem, ibi agitur à natura, & ideo in multis vno modo se habet, sicut hirundo vnā nidum facit sicut alia, & in tempore quo vna facit, facit & alia, & non inuenitur, quod aliqua tunc non faciat: ideo non ità apparet in potentijs animæ sensibilis, sicut in potentijs rationis. Illæ enim à natura aguntur: sed ipsa ratio domina est suarum operationum, & potest agere & potest non agere, & agere hoc & oppositum illius per vnam & eandem potestatem, qua possibilis dicitur ad operationes. His ergo modis dicitur possibile secundum potentiam actiuam. Et hoc quidem quod est secundum potentiam naturalem irrationalem, non remouetur à necessario, sed id quod est secundum potentiam animalem & maximè rationalem.

Anima vegetatiua operatur per necessitatem vt natura, & similiter sensitiua quādo est præter rationem.

Quia sit possibile secundum potentiam materialem.

Dicitur adhuc possibile secundum potentiam materialem ad esse, quæ, inquam, potentia est cum priuatione, sicut possibile fieri vel generari vel possibile esse: & hoc (quia cum priuatione est) est ad esse & ad non esse: & sequitur quod possibile est esse, & possibile est non esse: & hoc possibile secundum modum opponitur ei quod est necesse esse.

Possibile secundum potentiam rationalem & actiuam, & possibile secundum potentiam materialem est duplex, scilicet ante actum, & in actu existens.

Et attende, quòd siue possibile actiuè dicatur secundum potentiam actiuam, quæ est rationalis & ad oppositа, siue secundum potentiam materialem dispositam vel indispositam, vtroque modo dupliciter accipitur, scilicet vt ante actum, vel vt in actu existens: & huius exemplum est quod dicitur de aliquo, possibile est eum ambulare quando sedet vel iacet: & dicitur de eo, quòd possibile est eum ambulare quando iam ambulat. Dicitur etiam de aliquo, quòd possibile est eum fieri vel esse antequam sit: & dicitur de aliquo, quòd possibile est eum esse quando est, & ante actum plus habet de potestate & de potentia. Quando autem est in actu, plus habet de actu quam potentia. Et ideo ante actum acceptum est ad oppositа & remouetur à necessario. In actu autem existens maiorem habet accessum ad necessarium quod semper in actu est. Cum defectu tamen: quia deficit ab eo, sicut illud quod est in actu permixto cum potentia, deficit ab eo quod est in actu puro: & quia accedit ad necessarium, cum reduplicatione actus fit necessarium, sicut dicimus, quòd hominem necessarium est ambulare dum ambulat.

Quid sit illud possibile quod sequitur ad necessarium.

Omnibus ergo dictis modis dicitur possibile. Possibile autem in genere acceptum abstrahit ab omnibus his, & habet ad ista vel communitatem generis vel communitatem analogiæ. Et ideò sicut animal prædicatur de homine, & vniuersale prædicatur de particulari: nec tamen oportet, quòd secundum omnes suas species prædicetur de ipso: animal enim

enim de homine non prædicatur secundum speciem animalis quæ est asinus: ita possibile in genere acceptum (quod commune est ad omnes modos possibilium qui dicti sunt) prædicatur de necessario: & sic possibile in communi acceptum sequitur ad necessarium.

Quæ sit differentia inter possibile & contingens. Vide Boëtium hic: quia aliter ponit differentiam inter ista.

Adhuc autem contingens esse convertitur cum possibile esse: & non est verum quod quidam dicunt, quòd contingens differat à possibili in hoc, quòd contingens dicat extensionem temporis in futurum, & possibile non dicat illud: possibile enim ante actum acceptum extenditur in futurum. Sed in hoc differunt possibile & contingens: quia possibile simpliciter dicit potentiam vel agentem vel materialem, & variatur secundum potentiæ talis varietatem. Contingens autem respicit causam quæ non est per se causa: & ideò distinguitur secundum causæ distinctionem. Si autem est causa non per se ad esse disposita & inclinata, dicitur contingens natum fieri vt in pluribus. Si autem causa est indisposita & non inclinata ad vnum plus quam ad aliud, dicitur contingens ad vtrumlibet. In hoc ergo differt à possibili, & facit modum diuersum ab ipso.

Quid sit contingens natum, & quid ad vtrumlibet.

Quomodo necessarium & impossibile sunt vniuersalia.

De necessario & impossibili dictum est in præcedentibus: quia vniuersaliter respiciunt omne tempus, & quoad tempus sunt vniuersalia, licet non secundum distributionem subiectorum. Et idem est, quòd negatio præposita vel postposita facit contrarietatem vel contradictionem: contrarietatem præposita, & postposita contradictionem, vt Sortem non necesse est esse, & Sortem esse est necesse: hoc autem non est de aliis.

Quomodo propositio modalis est singularis.

Notandum est, quòd sicut diximus in præhabitis, quòd appellatio dicti de quo prædicatur modus, vt modus compositionis ipsius dicti, est appellatio termini discreti sub hoc communi quod est dictum vel enuntiabile: & ideo hæc est singularis, omnem hominem currere est contingens. Et ideò notandum, quòd quatuor modis propositio siue enuntiatio dicitur singularis. Primus modus est quando subiectum siue suppositum significatione sua (per qualitatem quam significat) est discretum, vt Sortes legit. Secundo modo dicitur singularis quoad significationem alicuius discretionem facientis circa terminum communem in subiecto positum, sicut cum dicitur, ille homo legit. Pronomina enim discretiua sunt & maximè per demonstrationem. Tertiò modo dicitur singularis quando subiectum simpliciter stat pro essentia simplici quam significat cum dicitur, homo est species. Quarto modo dicitur singularis quando priuatur à termino communi qui est in subiecto, hoc quod est prædicari de pluribus, quod solum facit per terminum vniuersalem siue communem, sicut cum dicitur, omnem hominem currere est possibile. Huius enim dicti quod subiicitur, appellatio, est appellatio termini discreti.

Quotuor modis enuntiatio potest dici singularis.

Hæc propositio singularis homo est species.

Quomodo modalis propositio efficitur omnis quantitatis ex situ negationis: & hoc quoad tempus, licet quoad suppositæ sit singularis.

Quamuis autem sic singulares sint modales enuntiationes, tamen ex situ negationis efficiuntur omnis quantitatis, hoc est, & vniuersalis & particularis: & hoc est ab vniuersalitate temporis, & non appellationis. Vnde omnes quæ sunt in prima linea primæ dispositionis, superius determinatæ sunt particulares affirmatiuæ. De prima enim linea sunt istæ, possibile est esse, contingens est esse, non impossibile est esse, non necesse est non esse. Omnes autem quæ sunt in secunda linea sunt particulares negatiuæ, vt possibile est non esse, contingens est non esse: non impossibile est non esse, non necesse est esse. Omnes autem quæ sunt in tertia linea, sunt vniuersales negatiuæ, scilicet non possibile est esse, non contingens est esse: impossibile est esse, necesse est non esse. Omnes autem quæ sunt in quarta linea sunt vniuersales affirmatiuæ, scilicet non possibile est non esse, non contingens est non esse: impossibile est non esse, necesse est esse: & accipienda est quantitas quoad tempus & non quoad supposita, sicut diximus in antehabitis.

Licet modalis sit singularis quoad totum dictum, tamen quoad subiectum dicti potest esse cuiuscunque quantitatis. Non mentuenit, quod idem si modus & prædicatum respectu diuersorum.

Attendendum etiam est, quòd quamuis modalis enuntiatio sit singularis quoad totum dictum: tamen quoad subiectum dicti potest esse vniuersalis vel particularis vel indefinita vel singularis: vniuersalis, vt omnem hominem currere: particularis, vt aliquem hominem currere: indefinita, vt hominem currere: singularis, vt Sortem currere. Modus enim quamuis sit prædicatum enuntiationis, tamen est modus dicti qui ad compositionem dicti habet referri. Hoc enim non est inconueniens, quod aliquid respectu diuersorum sit prædicatum & modus.

CAPVT VII.

Qualiter est oppositio contrarietatis & contradictionis.

QVia omnis consequentia secundum oppositionem variatur, sicut in antehabitis dictum est, & oppositio secundum aliquos accipitur in rebus contrariis, sicut contraria sunt bonum & malum, iustum & iniustum, album & nigrum. Diximus autem nos in præhabitis, quòd sumenda est secundum oppositionem affirmationis & negationis: ideo oportet nos hic quærere qualiter sumenda sit oppositio, ne ignorata oppositione fiat error in consequentiis.

Acceptio ēntrarij largè. Quæstio textus. Verum autem contraria, &c.

Accipiamus ergo nomen contrarij largè, ita quod comprehendat contradictionem & contrarietatem strictè dictam. Et quæramus, vtrum contraria est affirmatio negationi siue oratio orationi, quamuis non differant per affirmationem & negationem: quia si contraria sunt quæ de rebus contrariis enuntiantur, affirmatio erit contraria affirmationi, & negatio negationi, sicut statim in sequentibus erit manifestum. Ponamus autem hoc in exemplis, vt facilius intelligatur. Quæramus ergo, vtrum illi enuntiationi quæ dicit, quoniam omnis homo iustus est, sit illa contraria quæ opponitur ei secundum modum negationis eiusdem prædicati de eodem subiecto, sicut illa quæ dicit, quoniam nullus homo iustus est, aut ista non sit eius contraria, sed potius illa quæ contrariam rem enuntiat de eodem subiecto, sicut

sicut si diceretur, omnis homo iustus est, esse contraria isti quæ dicit, omnis homo iniustus est. Et in singularibus similiter contingit quæri, sicut cum dicitur, Callias iustus est, vtrum illi contraria siue contradictoria est illa quæ dicit, Callias iustus non est, quæ idem prædicatum negat de eodem subiecto: vel illa quæ contrarium enuntiat de eodem subiecto, sicut cum dicitur, Callias iustus est, Callias iniustus est. Quæramus ergo, quæ illarum alteri sit contraria.

Ponamus ergo primo rationes ad hoc, quod oppositiones contrarietatis sumendæ sunt penes res contrarias. Sicut enim dictum est in primo huius scientiæ libro apud logicum (qui significationes nominum accipit ab institutione facta ad placitum & ad conceptum instituentis) ea quæ sunt in voce, sequuntur ea quæ sunt in anima: & conceptus qui sunt in anima, causantur à rebus extra: & sic erit opinio siue conceptus contraria opinioni quæ est de rebus contrariis relatis ad idem subiectum: & sic opinio quæ dicit, quoniam omnis homo iustus est, contraria est ei quæ dicit, quoniam omnis homo est iniustus. Si ergo ea quæ sunt in voce, vt diximus, sequuntur ea quæ sunt in anima: tunc videtur, quòd similiter sit in affirmationibus quæ sunt in voce, quod contrarias in eis sumenda sit secundum res contrarias. Si autem in anima non sit opinio contraria opinioni quæ est de contraria re: tunc etiam vna affirmatio non est contraria alteri, propter hoc quod est de re contraria. Sed potius affirmationi erit contraria illa negatio quæ dicta est, sicut nullus homo iustus est, erit contraria ad hanc, omnis homo iustus est.

Reducit quæstionem motam de enuntiationibus ad quæstionē de opinionibus: & opinio hic sumitur largè.

Et quia ea quæ sunt in voce, sequuntur ea quæ sunt in anima immediatè, propter hoc oportet quærere quæ opinio vera sit quæ falsæ opinioni sic contrariatur. Opinionem ergo hic largè vocamus quemliber animæ conceptū siue verum siue falsum, qui sit de rebus apprehensis in anima. Oportet autem quærere, vtrū opinio affirmans aliquid de aliquo sit contraria negationi, quæ negat idem de eodem quod affirmauit affirmatio: aut non sit illi contraria, sed ei quæ contrariam rem de eodem opinatur. Dico autem in exemplis ponendo hoc modo, est quædam opinio siue conceptus de bono, quòd bonum est, & hæc est opinio vera. Alia est conceptio boni etiam, quoniam bonum non est bonum, & hæc est falsa opinio. Est etiam alia falsa quæ est de bono, quoniam malum est: ex quo ergo duæ falsæ sunt. Quæramus quæ illarum contraria est opinioni quæ dicit & concedit de bono, quoniam bonum est.

Natura arbitrari, &c. Opiniones nō sunt contrariæ: quia de cōtrariis rebus: sed quia non est opinatum cōtrario modo: & in hoc apparet solutio quæstionis textus quoad opinionis.

Dicamus ergo, quòd arbitrari, quòd in hoc diffinianrur & determinentur opiniones, quòd contrariæ sint, propter hoc quod de rebus contrariis sint, est falsum: quod sic probatur. Et supponamus, quòd verum vero non contrariatur, & quod vnum vni est contrarium primo & immediatè. Opinio enim de bono, quoniam bonum est, & opinio de malo, quoniam malum est, sunt opiniones de rebus contrariis: & tamen forsitan sunt ambæ vna in specie, & forma vnitatis: quamuis materialiter sint diuersæ. Sed in hoc quantum ad propositam intentionem non est vis: quia siue sint ambæ vna opinio, siue plures, constat quòd ambæ veræ sunt: verum autem vero non contrariatur. Cum ergo sint de rebus contrariis, patet quod contrariæ opiniones siue conceptiones non determinantur per hoc quod contrariorum sunt, hoc est, de rebus contrariis: sed magis determinantur per hoc quod contrariæ, hoc est, per modum contrarij se habent adinuicem secundum affirmationem & negationem, vt scilicet negatio idem de eodem neget, quod affirmat affirmatio. Si ergo opinio vera est bono, quoniam bonum est: & quæritur, quæ sit eius contraria: quamuis multas secundum rem habeat contrarias, tamen nulla est proxima esse eius contraria, nisi illa quæ dicit, quoniam bonum non est bonum, & negat idem de eodem. Quod autem multæ sint secundum res contrarias, ex hoc apparet, quoniam de bono possumus opinari quod bonum est album, vel quid inhonestum, vel quid turpe, vel quid inutile, vel quid non expediens, vel non expetibile, vel aliud quodcunque, quòd nec bonum est nec bonum esse potest. Infinita enim talia possunt concipi de bono, & quæ sunt bona, & quæ non sunt bona, sicut iam ostensum est. Bonum enim honestum est, expetibile est, finis est, vtile est: & talia infinita verè de bono opinari possunt. Aliquis potest etiam opinari, quòd bonum malum est, & non expediens, & inhonestum: & talia infinita quæ nec bono conueniunt, nec possunt conuenire. In omnibus his nulla erit contraria, nisi illa quæ negat idem prædicatum de eodem subiecto, & dicit, quoniam bonū non bonū est.

Solutio quæstionis textus quoad enuntiationes. Sed in quibus est, &c.

Determinando autem istam quæstionem, vtrum scilicet in rebus contrariis, vel in modo enuntiandi contrario attenditur contrarietas in enuntiationibus: Dicimus, quòd oppositio contrarietatis vel contradictionis attenditur penes ea in quibus est prima fallacia siue falsitas. Et dico primam quæ per se est & non per aliud: quod enim per aliud est, hoc accidit & non contingit per se & primo. Prima autem falsitas est in oppositione affirmationis & negationis in enuntiationibus. Est enim prima fallacia siue falsitas ex quibus fiunt generationes rerum contrariarum. Generationes autem primo & per se fiunt in terminis, qui differunt per affirmationem & negationem: homo enim fit ex non homine, & album ex non albo, & musicum ex non musico. Et quod generatio in aliquibus fit ex contrario, hoc est per accidens: album enim non fit ex nigro, nisi quia accidit nigro non album esse. Et huius ratio est: quia generatio fit ex priuatione: priuatio autem per negationem enuntiatur. Ex oppositis ergo fiunt generationes: & ergo primo & per se fallacia siue falsitas est ex oppositio per affirmationem & negationem: & illa quæ est oppositio quæ est contrariarum rerum enuntiatarum de eodem, est fallacia siue falsitas, quæ accidit per illam quæ est inter affirmationem & negationem. Si ergo dicamus de bono, quòd bonum est. Et dicamus, quòd bonum

Generatio per accidens fit ex contrario: propter quæ to. scilicet fit ex priuatione quæ enuntiatur per negationem.

Ista propositio, bonum est bonum,

est vera per se & primo: falsa, quoniam non est malum, est vera per aliud, id est, ratione primæ: & ideo prima est vera per se.

bonum malum non est, hoc quod dicimus, quòd bonum bonum est, per se est & primo: quia prædicatum non totum conceptum est cum subiecto, sed etiam eum subiecto est idem, & ideo per se & primo. Sed cum dicimus, quòd bonum non est malum, non negatur de ipso malum; nisi propter hoc quod bonum est bonum, & bonum est malo contrarium. Et ideò simul in eodem esse non possunt: & ideò non propter se & primo negatur malum de bono, sed propter aliud: & ideò per accidens: bono enim accidit malum non esse, propter hoc quod bonum est bonum. In vnoquoque autem genere illud quod secundum se est verum, magis est verum quam illud quod secundum accidens est verum: & magis est falsum quod secundum se est falsum, quam illud quod secundum accidens est falsum. Et cum contraria & contradictoria sint eorum quæ maximè distant in vero & falso: & erit opinio vera quæ est boni, quoniam bonum est bonum, et opinioni quæ est boni, quoniam bonum non est bonum, maximè contraria. Oportet ergo, quòd secundum affirmationem & negationem eiusdem de eodem accipiatur tam contrarietas quam contradictio. Illa enim quæ est de bono, quoniam non bonum est, secundum se & primo falsa est: illa quæ dicit de bono, quòd malum est, est falsa per accidens: magis ergo erit falsa de eo quod bonum est, quæ est negationis, quam ea quæ est, quòd bonum contrarium aliquod bono est vt malum: falsa autem magis est quæ circa singula (quæ sunt partes subiecti) habet oppositionem contrariam. Sunt enim contraria quæ plurimum distant secundum idem subiectum.

Hæc propositio, bonum non est bonum, est magis falsa quam ista, bonum est malum: quia secunda non est falsa nisi ratione primæ.

Quomodo ista propositio, bonum est malum, est aliquo modo contraria illi, bonum est bonum: non tamen primo est ei contraria, sed per accidens.

Quod si etiam detur, quòd altera harum (illa scilicet quæ dicit, quoniam bonum malum est) etiam est contraria illi quæ dicit, quoniam bonum est bonum: tamen ex præmissis sequitur, quòd illa quæ contrariatur ei per modum contradictionis, est magis contraria quam illa quæ enuntiat de bono contrarium secundum esse: magis enim contraria primo & per se contraria est. Et sic inter istas duas, bonum est bonum, & bonum non est bonum, est prima contrarietas. Altera autem quæ est, quod bonum malum est, non est contraria, nisi quia est implicita huic quæ dicit, quoniam bonum non est bonum: quia ex hoc quod bonum non est bonum, ei quod non est bonum, accidit esse malum: & sic non est contraria nisi per aliud: & hoc est per accidens esse contrarium. Cum enim dicit bonum esse malum, necesse est, quòd opinetur ideo accidere esse malum, quia non est bonum: & si esset bonum, non accideret ei esse malum.

Amplius si in aliis, &c. Si contrarium capiatur pro quadam communi ad verè contrarium & contradictoria.

Amplius si in aliis quæ non habent contrarium, est accipere contrarium secundum res contrarias: tunc etiam in istis quæ habent contrarium, bene dictum est: quia contraria secundum res contrarias accipiuntur. Si enim est ars generalis contrariam enuntiationem accipiendi, oportet quòd vbique in omni materia vno & eodem modo accipiantur: & ideò aut vbique erunt contraria, aut nusquam. In his verò in quibus non est contrarium secundum rem, sicut substantiæ, oportet accipere contrarium per affirmationem & negationem, sicut de ea quæ est eius opinio, quæ putat siue opinatur hominem non esse hominem, quæ est contraria ei quæ opinatur hominem esse hominem. Si ergo in tali materia per affirmationem & negationem sumitur contrarietas in enuntiationibus, sequitur quòd in omnibus contrarietas secundum contradictionem affirmationis & negationis accipiatur.

vt dicit D. Alb. sine huius capitulo ista ratio nulla videtur esse: ens nihil est, assumere quod non habeat contrarium hoc modo. Respondetur, quòd hic non capit contrarium illo modo, vt dictum est in principio huius rationis: quia loquitur de incomplexis dum dicit mihi quæ non habent contrarium, &c. D. Albertus autem dicit contrarium hic accipi largè, & hoc intelligit de contrario prout conuenit complexis, scilicet pro propositione contraria: & sensus est, quòd contrarium, id est, propositio contraria capitur pro communi ad propositionem verè contrariam & ad contradictoriam.

Amplius similiter se habent in veritate opinio boni quæ dicit, quòd bonum bonum est, & opinio quæ dicit de non bono, quòd non bonum est. Et similiter ad has se habet in falsitate opinio dicens, quòd bonum non est bonum: & quæ dicit, quòd non bonum bonum est. Quæramus ergo, quæ sit contraria huic veræ opinioni, quæ dicit, quòd non bonum non est bonum: ea enim quæ dicit, quoniam non bonum malum est, non potest eius esse contraria: hæc enim, quòd non bonum non est bonum, & illa quæ dicit, quòd non bonum malum est, aliquando sunt simul veræ: vera autem opinio veræ non contrariatur: quia verum vero non potest esse contrarium: quoddam autem non bonum est malum, sicut iniustitia non bonum est, quod malum est. Et ideò si essent contrariæ quæ dictæ sunt, contingeret contrarias esse simul veras: quod nunquam esse potest in aliqua materia. Adhuc autem illi opinioni veræ quæ dicit, quòd non bonum non bonum est, nec ista potest esse contraria quæ dicit, quod non bonum non malum est. Hæ enim duæ etiam sunt simul veræ: indifferens enim est, est non bonum, & est malum. Relinquitur ergo ex omnibus his, quòd illi veræ opinioni quæ est non boni, quod non est, contraria sit hæc quæ dicit, quod non bonum bonum est. Similiter & illi quæ dicit, quòd bonum bonum est, contraria est illa quæ dicit, bonum non bonum est: & sic per oppositionem affirmationis & negationis de eodem & secundum idem est accipienda contrarietas, & non secundum res contrarias quæ de eodem enuntiantur.

Manifestum est etiam, quòd nihil differentiæ est quantum ad contrarietatis acceptionem, etiamsi vniuersaliter ponamus affirmationem: huic enim vniuersali affirmationi vniuersalis negatio erit contraria, sicut illi opinioni quæ opinatur, quoniam omne quod est bonum bonum est, siue quod omne bonum bonum est, est illa contraria quæ opinatur, quòd nihil eorum quæ bona sunt bonum est, siue quod nullum bonum bonum est: nam illa opinio quæ est de bono dicens, quoniam bonum bonum est (si vniuersaliter sit acceptum bonum) eadem est ei quæ dicit, quòd quicquid bonum est bonum est, siue quod omne bonum est bonum. Et sic se habet in non bono: quia si ponamus non bonum vniuersaliter, siue pro omni non bono, idem est dicere non bonum esse non bonum, quod omne non bonum esse non bonum.

Propter

Propter quod si in opinione siue in conceptione animæ sic se habet, quòd contraria est affirmatio negationi, & contradictoria, vt dictum est, oportet, quòd in enuntiatione vocali eodem modo accipiatur oppositio contrarietatis & contradictionis, & non in contrariis rebus de eodem enuntiatis: affirmationes enim & negationes quæ sunt in voce, sunt notæ earum affirmationum & negationum quæ sunt in anima, sicut sæpè dictum est. Manifestum est ergo, quòd affirmationi contraria est illa negatio quæ est circa idem vniuersalè vniuersaliter acceptum; sicut ei quæ est, quòniam omne bonum est bonum, vel ei quæ est, quoniam omnis homo bonus est, illæ sunt contrariæ quæ dicunt, nullum bonum bonum est, & quoniam nullus homo bonus est. Contradictoriæ autem earum duarum sunt quæ dicunt, quoniam non omne bonum bonum est, & quoniam non omnis homo bonus est. Manifestum autem ex prædictis, quoniam veram opinionem vel enuntiationem non contingit esse contrariã veræ opinioni vel enuntiationi. Contraria enim sunt quæ sunt opposita circa idem subiectum. Circa autem idem subiectum contingit benè plura verè dicere eundem, vt quoniam bonum est bonum, & quoniam non est malum, & quoniam non est non bonum, & pluribus aliis modis. Sed contraria quæ verè & primo contraria sunt, non contingit eidem inesse simul: & ideò veræ ambæ contrariæ simul esse non possunt: propter quod vera vero non sunt contraria.

Quomodo negatio aliter accipitur in contrariis, & aliter in contradictoriis.

Et attende, quòd in isto vltimo capitulo ferè vbique contrarium accipimus largè, quod sub se continet contrarium & contradictorium: & hoc ideo factum est, quia ostendimus contrarium in enuntiationibus debere accipi secundum modum affirmationis & negationis, & non secundum res contrarias de eodem enuntiatas. Iste autem modus idem est quoad affirmationem & negationem tam in contrariis quam in contradictoriis, nisi quod in contrariis propter hoc quod vniuersales sunt, negatio negat prædicatum materialiter respiciendo subiectum pro partibus distributis. In contradictoriis autem negatio formalis est, & non materialis, & negat prædicatum de subiecto secundum formam accepto.

Iam ergo partes duæ logicæ perfectæ sunt, scilicet de scientia deueniendi in ignotum incomplexum per diffinitionem accepram per diuisionem, & de scientia interpretationis. Oportet enim generaliter interpretatum esse omne per cuius notitiam potest quis deuenire in cognitionem ignoti. Et quia iam præmissum est omne quod exigitur ad interpretationem, oportet nos attingere ad naturam syllogismi & demonstrationis per quam quis potest venire in cognitionem ignoti, quod est complexum.

LIBER I.

PRIORVM ANALYTICORVM.

TRACTATVS I.

De his quæ præmittenda sunt ad artem.

CAPVT I.

De subiecto & modo & nomine libri.

TRACTATVRI de scientia syllogistica oportet primum scire, quod primo tractantium est de syllogismo dupliciter, qui super rationem & inferentiam syllogismi nihil addit. Primo determinandum, & postea de speciebus syllogismi, quæ secundum materiam dererminantur agendum est, qui sunt syllogismus demonstratiuus in materia necessaria, & syllogismus dialecticus in materia probabili: & tandem de syllogismo sophistico & tentatiuo dicemus, qui imitantur secundum apparentiam syllogismum dialecticum: & in his perficietur scientia syllogistica. In libro ergo quod dicitur priorum analyticorum, agemus de syllogismo simpliciter non contracto ad aliquam materiam.

Obiectio.

Et si aliquis obiiciat, quòd tota logica est de syllogismo simpliciter: & sic aliquis librorum logicæ de syllogismo simpliciter esse

non debet. Facile est respondere: quia logica tota est de syllogismo simpliciter, secundum quod simpliciter est idem quod vniuersaliter acceptum: quia de syllogismo in communi & in genere vel de partibus tota pertracta logica. Secundum autem quod simpliciter dicitur simplex formale à sua accepimus simplicitate formali, non tractat de syllogismo simpliciter tota logica, sed determinatur in vno horum eius: sic enim acceptus syllogismus simplex proprias habet passiones quæ de ipso per propria principia sunt probandæ, vt fiat de ipso scientia specialis. Sic ergo tractabimus de ipso: & per hoc patet libri subiectum & materia.

Solutio. Quomodo tota logica est de syllogismo simpliciter, & eorum habet priorum, sed diuersimode capiendo, by simpliciter ex quo patet quid sit subiectum huius libri.

Modus autem noster erit diffinitiuus & diuisiuus, & collectiuus: & pro re natæ pro tempore, vt facilior sit doctrina, rit etiam exemplorum suppositiuus. Per totum autem erit resolutorius: quia ista tota scientia resolutoria est.

Modus doctrinæ huius libri.

Attendendum est autem cum omnis & tota logica sit scientia disserendi, & hæc diuidatur in scientiam inueniendi, & in scientiam iudicandi quod inuentum est. Inuentiuum autem fiat per localem habitudinem terminorum adinuicem, iudicium autem fiat per resolutionem: & quamuis inuentio quoad nos prior sit resolutione, eò quod non potest resolui & iudicari nisi quod iam inuentum est, tamen quia omnis resolutio est ad priora secundum naturam, quia non resolumur nisi vel posteriora in prius, vel compositum in simplex, vel materiale in suum formale principium: & ideò ars resoluendi & iudicandi secundum rationem resolutionis est ante artem inueniendi. Nec potest esse nisi duplex resolutio, resolutio scilicet rei concluſæ in principia & causas per quas concludit, & syllogismi collecti iam & constituti in principia formalia, syllogismi inquantum syllogismus est non possunt esse nisi duæ resolutoriæ scientiæ. Secundum rationem autem prior est resolutio in formalia syllogismi, quam rei concluſæ in principia rei, præcipuè in logica quæ scientia rationis est. Et ideo liber in quo docetur resolutio formalis syllogismi in figuram & modum syllogismi, quæ formalia sunt ad ipsum syllogismum secundum esse syllogismi inquantum syllogismus est, vocatur liber priorum analyticorum. Alter autem vbi docetur resolutio rei concluſæ in sua principia & causas, vocatur liber posteriorum analyticorum. Sic ergo patet de subiecto & modo & nomine siue titulo libri.

Resolutio duplex, scilicet prior & posterior.

Ratio inscriptionis huius libri & libri posteriorum.

De auctore autem non magna vis est nisi hoc quòd sicut in omnibus aliis Peripateticos & maximè Aristotelem secuti sumus, ita faciemus adhuc. Fruolus quidem abstinentes, quæcunque autem ad bonitatem doctrinæ faciunt, diligenter ponamus.

Quem auctorem sequatur in hoc libro.

Finis enim noster quem in alio intendimus est, vt artem syllogizandi resolutoriam sine impedimento sciat, qui hunc librum legerit.

Finis huius libri in alio, & in auctore ipso.

Finis vero in nobis est, vt perfectè tradita sit ars syllogizandi syllogismo simplici. Et hæc de prælibandis ante librum dicta sint à nobis.

CAPVT II.

De his de quibus est intentio huius scientiæ.

VT autem sciatur quando in hac scientia finem habeamus intentum, ea de quibus est intentio hæc sunt duo in genere, scilicet de quibus principaliter est intentio sunt demonstratio & disciplina demonstratiua: & propter illa secundaria intentione oportet de his in quæ fit resolutio quæ sunt propositio ad quam fit immediata syllogismi resolutio. Et deinde oportet dicere quid terminus ad quem fit secunda resolutio, quæ est propositionis in terminos. Quos etiam terminos & non nomen & verbum vocamus: quia hic intendimus de ipsis non secundum quod constituunt enuntiationem, sed potius secundum quod in ipsis, sicut in vltimis indiuisibilibus stat resolutio: & hoc modo propositio non est terminus quàuis ad ipsam fiat resolutio. Et deinde oportet considerare quid est syllogismus per substantiã & diffinitionem: quia resolui nõ potest, cuius ignoratur substantialis compositio. Et oportet considerare quis syllogismus perfectus, & quis imperfectus, quæ sunt syllogismi passiones, quia cognitio propriorum accidentium multum confert ad scientiam quid est & substantiæ. Primo etiam considerandæ principia syllogismi inquantum syllogismus est decursus rationis in conclusionem. Ad hoc autem exigitur quid sit in toto esse vel non esse vnum in alio, siue hoc in illo. Et iterum dicendum est quid est quod dicimus de omni vel de nullo prædicari: sine his enim non potest esse decursus syllogisticus. Cum autem dicimus, quòd intentio nostra est circa demonstrationem & disciplinam demonstratiuam, vocamus demonstrationem syllogismi demonstratiui constitutionem, disciplinam autem demonstratiuam vocamus scientiam hoc docentem.

Primum oportet dicere, &c.

Quid nomine termini hic intelligatur: & quare non vocauit terminos nomen & verbum.

Differentia inter demonstrationem & demonstratiuam disciplinam.

Si autẽ aliquis hic obiiciat: quia ars resoluendi non potest tradi nisi per syllogismum: & sic syllogismum oportet esse ante artem syllogizandi: & sic ad constitutionẽ syllogismi arte non indigemus. Et ad hoc dicẽdum, quod omnis homo in persuadendo in ipsa sua ratione quædam seminaria habet ad syllogizandum & persuadendum, tum per experientiam, tum per communes animi conceptiones, quæ sunt apud animam: & ex illo syllogismo qui quasi per naturam ineſt, primo inuenta est omnis ars syllogizandi & aliæ artes: & in illis est status: & ideò hoc non procedit in infinitum. Sic igitur præmissum est de intentis à nobis, siue sint intenta principaliter, siue sint intenta propter illa quæ principaliter sunt intenta: de his enim omnibus ante principale propositum agendum: quia nisi ista primo sciantur, non potest sciri decursus syllogisticus, sicut in præhabitis ostensum est.

Obiectio.

Solutio.

Hoc est ergo de quo est intentum, primum quidem circa demonstrationem. Præpositio

Præpositio circa dicit diligentem considerationem.

positio circa, dicit motum circumspicientis rationis in circuitu, & nihil omittentis de his quæ circa talem disciplinam consideranda. De autem propositio dicit materiam: quia materia de qua vltimo & finali intentione intendimus, demonstratio est, quæ efficacissimè probat: syllogismus autem simplex infert solum & nihil probat: & ideò in via in qua deuenitur in notitiam ignoti per notum, vltima intentio stat in demonstratione, & alia ordinantur ad illam. Hæc autem quæ dicta, dicta sunt ad intentionis nostræ manifestationem: nec sunt hic considerationes de quibus sit curandum.

CAPVT III.

Quid est propositio.

SEcundum ordinem de his exequentes, dicimus primo, quòd quamuis propositio & enuntiatio non differant secundum substantiam & secundum id quod sunt propositio & enuntiatio, differunt tamen secundum esse, & secundum intentiones nominum: quia enuntiatio secundum esse enuntiationis & secundum rationem nominis refertur ad rem designatam & interpretatam per enuntiationem, propositio autem dicit orationem indicatiuã non ad rem designatam relatam, sed pro altero (quod per ipsam probatur) positam, sicut præmissa virtutem & rationem habet principij comparata ad conclusionem. Enuntiatio autem ad rem non habet rationem principij, sed potius virtutem signi: & ideò formaliter loquendo accidit enuntiationi propositionẽ fieri vel esse: sed enuntiare de re designata enuntiationi est essentiale. Et quia hic vtimur enuntiatione prout ponitur vt scientiæ conclusionis principium, ideò hic vocamus propositionem, quod in perihermenias vocauimus enuntiationem: quia ibi de indicatiua oratione intendimus secundum rationem signi, quod de rebus enuntiando interpretatur sicut sunt, vel sicut non sunt.

Quomodo propositio & enuntiatio differunt.

Vide primo periherm. c. 1. vbi de hac differentia.

Sic ego sumpta propositione dicimus, quòd propositio est oratio affirmatiua vel negatiua alicuius de aliquo: & hoc debet accipi diuisim sic, quòd propositio affirmatiua sit affirmatiua siue affirmatio alicuius prædicati de aliquo subiecto, & quòd propositio negatiua sit negatiua siue negatio alicuius de aliquo: si enim negatio est alicuius, tunc negatio est & diuisio alicuius ab aliquo. Et ideo cum dicitur, alicuius de aliquo propositio quantum ad subiectum vniuocè stat, & in affirmatiua & in negatiua: quantum autem ad relationem prædicati ad subiectum non stat omninò vniuocè: quia in affirmatiua notat inhærentiam prædicati ad subiectum, in negatiua autem notat remotionem.

Propositio igitur est oratio, &c.

Diffinitio propositionis, & eius explanatio.

Attendendum autem est, quòd cum inferius non ponatur in diffinitione sui superioris, tamen affirmatiua & negatiua quæ sunt partes propositionis subiectiuæ, ponuntur in assignatione propositionis: quia de diffinitione propositionis subſtantialis est, quòd sit oratio alicuius prædicati de aliquo subiecto. Quod autem ita sit probatur à partibus ipsius: est enim in affirmatiua, & in negatiua est iterum alicuius de aliquo.

Quomodo propositio diffinitur per affirmationem & negationem.

Vt ergo simul detur diffinitio, & omnibus conuenire probetur, ideo in diffinitione ponitur affirmatiua & negatiua. Et ideo inferius non ponitur in diffinitione sui superioris vt diffinitiuum, sed potius vt diuisiuum, vt ex partibus diuisis generalis siue vniuersalis probetur esse diffinitio: & hoc modo inferius benè ponitur in assignatione superioris.

Inferius potest poni in diffinitione superioris vt diuisiuum.

Si autem quæratur, cum multis modis diuidatur enuntiatio per vnam & plures, & compositam & simplicem, & vniuersalem & particulalem, quare de his nulla mentio fit in assignatione propositionis, sed tantum de affirmatiua & negatiua? Facilè est respondere: quia aliæ diuisiones non fiunt per ita essentialia propositioni, sicut quando diuiditur per affirmatiuum & negatiuum: ista enim respiciunt compositionem quæ formalis est in propositione: & ideo sunt qualitates essentiales propositioni. Vniuersale autem & particulare accidunt propositioni ex subiecto, & similiter vna vel plures propositio ex subiecto vel prædicato, & similiter simplex & composita: & ideo non ita essentialiter specificant enuntiationem sicut affirmatiuum & negatiuum, nec tantum faciunt ad diuersificationem syllogismi in figura & modo sicut affirmatiuum & negatiuum: & ideo ista potius quam alia ponuntur in assignatione propositionis.

Dubitatio.

Solutio.

Affirmatio & negatio sunt qualitates essentiales propositionis.

Quod autem dicitur, oratio, hoc in diffinitione propositionis ponitur vt genus proximum: quia intelligitur de oratione duplici perfectione perfecta, constitutione in perfectionem orationis, & constitutione in perfectionem significationis. Dico autem constitutionem in perfectionem perfectæ orationis, quod sit ex nomine & verbo perfectam notitiam faciente de affectu pronuntiantis: sicut cum dicitur, fac hoc, per orationem imperatiuam perfectè designatur imperantis affectus: & cum dicitur, vtinam bonus essem, perfectè designatur optantis affectus, & sic de aliis. Et dico orationis constitutæ in perfectionem significationis, propter orationem indicatiuam, quæ non fit ad indicandum affectum pronuntiantis primo &, principaliter, sed potius ad esse designandum sicut est: & ex consequenti per rei enuntiationem fit iudicium affectus indicantis rem, sicut est in esse vel non esse. De tali igitur oratione intelligitur: quia apud logicum non est alia consideratia oratio.

Oratio genus proximum propositionis propter duplicis perfectionis esse perfectæ.

Si vero quæritur, quare non dicitur enuntiatio? Dicendum, quòd enuntiatio secundum esse & substantiam non est genus ad propositionem, sed potius secundum substantiam conuertitur enuntiatio cum propositione: & ideo si in diffinitione poneretur, diffiniretur idẽ per seipsum. Potest tamen etiam dici quod prius dictum est: quia enuntiatio dicit relationem ad significatum, & propositio dicit relationem principij ad conclusionem: & quoad hanc rationem enuntiatio in diffinitione propositionis non debet poni, quia sic diuersita-

Dubitatio.

Solutio.

tem & oppositionem quandam habet ad propositionem: sed oratio perfecta perfectionibus dictis genus est substantiale ad enuntiationem & ad propositionem, & ideò talis oratio ponitur in propositionis diffinitione.

Propositio autem sic diffinita & accepta, sic diuiditur, quòd hæc quidem est vniuersalis, & alia particularis, & alia indefinita. Singularem autem hic non pono: quia illa non est syllogistica, & ideò pro conclusione syllogismi non posita, & ideò non propriè habet nomen & rationem propositionis. Quia si aliquando fortè in syllogismo ponitur, non ponitur vt singularis, sed vt particulare ad hoc vel illud determinatum: particulare enim est quod substantialiter sub vniuersali accipitur, vt sub omni homine quidam homo. Singulare autem nec immediatè, nec per se sumitur sub vniuersali: quia si dicam, omnis homo currit, non assumitur Sortes, nisi per hoc quod Sortes est quidam homo: nec quidam homo determinatur ad Sortem, nisi per hoc quod accidit cuidam homini Sortem esse.

Singularis propositio non ponitur in syllogismo. vide tamen infra tract. 3. c. 2. versus fin.

Quomodo dicat particularis ad indefinitam.

Attendendum etiam, quod quamuis indefinita æquipolleat particulari: tamen nec æquipollentia secundum valorem comparatur ad suppositа sub subiecto accepta: quia vtraque pro vno verificatur. Sed secundum signi determinationem opponitur particularis indefinitæ: quia cum dicitur, quidam homo, vniuersale per signum inclinatum est ad standum pro partibus, & huiusmodi inclinationem nō habet in ea quæ est indefinita. Hæ igitur species sunt propositionis secundum quantitatem penes quam attenditur decursus syllogisticus, vniuersale, particulare, & indefinitum.

Obiectio.

Et si aliquis obiiciat, quòd ars imitatur naturam: & cum indefinitum nihil sit in natura, videtur quod etiam in arte nihil esse debeat indefinitum. Dicendum, quòd ista obiectio procedit ac si indefinitum idem sit quod infinitum: & hoc non est verum: quia infinitum dicitur à priuatione finis intus & extra finientis, cuius vltimum non est accipere. Indefinitum autem dicitur à priuatione certificantis ipsum ad hoc vel illud, sicut neutrum genus dicitur indefinitum, hoc est, incertum ad formam masculini & fœminini: & sic dicitur propositio indefinita, nec ad vniuersale vel particulare certificata per signum ad alterum dictorum certificans subiecti quantitatem: & hoc modo indefinitum & est in natura, & in arte necessarium.

Solutio.

Infinitum & indefinitum differunt.

Dico autem vniuersalem, &c.

Per exempla autem declarantur quæ dicta sunt. Dico autem describendo vniuersalem propositionem, quæ omni aut nulli inesse significat. Si enim vniuersale quod est subiectum, accipitur distributum, vt secundum quamliber partem ipsius insit ei prædicatum, sicut cum dicitur, omnis homo currit, & sic significat prædicatum inesse subiecto: tunc est vniuersalis affirmatiua. Si autem significat nulli parti subiecti inesse prædicatum, sed à qualibet parte subiecti remoueri: tunc habet quidem subiectum ad standum pro qualibet parte distributum per vniuersale signum, sed per negationem quæ est in signo respicientem compositionem, prædicatum remouetur à qualibet parte diuisim, sicut cum dico, nullus homo currit, remouetur cursus à quolibet homine. Particularem propositionem dico quæ significat prædicatum inesse subiecto sub determinatione subiecti ad partem, aut significat non omni sed parti inesse affirmatiuè vel negatiuè, vt cum dicitur, quidam homo currit, aut non omnis homo currit: ita quòd negatio signum distributiuum formaliter respicit: sic enim negat vniuersalitatem in ratione vniuersalitatis, & relinquit partem sub distributione acceptam. Indefinitam autem dico propositionem, quæ prædicatur inesse vel non esse, & significat sine certificatione ad vniuersaliter standum vel particulariter: & hoc est vniuersali subiecto accepto sine signo vniuersali vel particulari, sicut affirmatiua indefinita est, à qua formatur hoc dictum, contrariorum esse eandem disciplinam. Propositio autem est, contrariorum eadem est disciplina. Indefinita autem negatiua est, à qua formatur hoc dictum, voluptatem non esse bonum: & propositio est, voluptas non est bonum.

Diuidendo autem propositionem non per species, sed per proprietates suas, est quædam propositio dialectica, & quædam demonstratiua, secundum quod est in materia probabili vel necessaria. Et dicam omnem illam propositionem dialecticam, quæ non sumit, sed interrogat consensum respondentis an sumendum esse concedat, sicut est propositio sophistica, & etiam tentatiua: omnes enim illæ hoc modo dialecticæ dicuntur propositiones: quia in hoc conueniunt, quòd consensum respondentis interrogant: quod non facit demonstrator, qui propter ipsam rei necessitatem sumit & de consensu respondentis non curat: quia in talibus oportet discentem credere, & non in ipso contradicere.

Propositio dialectica & demonstratiua quid, & quomodo differant.

Propositiones sophistica & etiam tentatiua dicuntur dialectice secundum modum loquendi Arist. hic.

Vnde in hoc differt propositio demonstratiua à dialectica: quoniam demonstratiua propositio est sumptio alterius partis contradictionis quæcunque est vera & necessaria: non enim interrogat respondentis consensum, sed ex ipsa rei veritate & necessitate sumit quasi concessam ille qui demonstrat. Dialectica verò propositio non sic sumi potest: quia non habet rei certitudinem, sed ex consensu procedit respondentis: & ideo dialectica propositio est cum interrogatione alterius partis contradictionis quomodocunque scilicet concedere velit respondens. Huius autem vera causa est: quia necessitas in propositione non est ab homine, sed à re ipsa: probabilitas autem erit ab homine: probabile enim est, quòd videtur omnibus aut pluribus aut maximè notis: & ideò in probabilibus oportet, quod habeatur respondentis condisputantis nobiscum consensus.

Differt autem demonstratiua, &c.

Quare dialectica propositio est cum interrogatione, non autem demonstratiua.

Quamuis autem sic differant dialectica & demonstratiua propositiones: tamen in hoc non distabit vna ab alia, quin eiusdem figuræ & eiusdem modi fiat ex vtraque formalis & simplex syllogismus, hoc est, syllogismus qui formaliter est applicabilis vtrique, scilicet tam demonstratiuo quam dialectico syllogismis: vterque enim, scilicet & qui demonstrat, &

Nihil autem distabit, &c. Syllogismus dialecticus & demonstratiuus sunt vnum formaliter, licet materialiter differant.

& qui consensus interrogat, syllogizant, & vnus syllogismus simplex & formalis est demonstratiuus & dialecticus, quamuis non sit vna species materialis syllogismi in vtroque istorum, sed vnum sunt in forma simplicis syllogismi, sicut isosceles & isopleurus sunt vna figura, quamuis non sint vnus triangulus, sicut dicit Arist. Manifestum est enim quod & qui demonstrat & qui interrogat, syllogizans, seruat formam syllogismi simplicis in figura & modo: & qui syllogizat in propositionibus, sumit aliquid de aliquo affirmatiue esse, vel negatiue non esse. Quia igitur omnis syllogizans sumit vel concessam à respondente vel acceptam ab ipsius rei necessitate, sequitur quòd syllogistica propositio est simpliciter sua vniuersaliter affirmatio aut negatio alicuius de aliquo, vel alicuius ab aliquo secundum modum qui dictus est, scilicet quod vel consensu sumit interrogatam, vel ab ipsa necessitate accipit concessam. Demonstratiua autem propositio est, si aut per se vera sit, aut si non per se vera est, quod tamen sit per primas propositiones per se veras sic sumpta & probata. Dialectica autem propositio in percunctante quidem & quærente quam partem contradictionis concedat respondens est interrogatio: quia consensum oportet inquirere. Syllogizanti autem (eo quod syllogizans sumit concessum ante per interrogationem & colligit ea in quæ iam consensit respondens) est sumptio apparentis quoad respondentem, & est sumptio probabilis quoad rei probabilitatem, quemadmodum in topicis dictum est, vbi de interrogatione & probabili ex intentione est determinatum.

rialiter differant.

Quare erit quidem syllogistica, &c.

Quid igitur propositio & quid differt, &c.

Quid igitur propositio secundum se, & quid differt propositio syllogistica in syllogismo simplici & formali posita, à demonstratiua & dialectica, subtiliter quidem in sequentibus dicetur: ad præsentem verò vtilitatem, in qua non intendimus nisi prælibare ea quæ necessaria sunt ad propositum, sufficiunt ea quæ nunc à nobis de propositione determinata sunt. Hoc enim solum scire oportet, quòd propositio syllogistica (quæ syllogistica dicitur à simplici forma syllogismi) nullius significationis est ratio determinata: sed sumitur à terminis transcendentibus, sicut in a. & b. & c. & huiusmodi, quæ nihil in se significant nec materiam aliquam determinant: sed materia cui illa forma primo applicabilis est, duplex est, scilicet necessaria, & probabilis. Et ideo non sunt syllogisticæ propositiones syllogismi, scilicet simplicis & demonstratiui & dialectici.

Quid sit propositio syllogistica.

CAPVT IV.

Quid est terminus.

Terminum autem voco in quem, &c.

TErminum verò voco in quem resoluitur sicut in terminum vltimum propositio: sicut terminus est prædicatum & subiectum de quo prædicatur, hoc est, fit prædicatio, & hoc prædicato apposito per inhærentiam subiecto, sicut fit in propositione affirmatiua, vel prædicato diuiso à subiecto, sicut fit in propositione negatiua: & hoc est vel secundum esse sicut in affirmatiua, vel secundum non esse sicut in negatiua. Proximæ enim partes & substantiales propositionis non sunt nomen & verbum: quia propositio dicit aliquid de aliquo: & ideo pars eius est subiectum quod dicit id de quo aliquid dicitur sub ratione qua subsilat illi quod dicitur de ipso: & talem rationem non habet nomen, vt nomen est. Similiter prædicatum dicit id quod de alio dicitur sub ratione inhærendi qua dicitur de subiecto, quod non dicit verbum inquantum verbum est: & ideò proximæ partes propositionis sunt subiectum & prædicatum, & non nomen & verbum. Quod autem dicitur apposito vel diuiso esse vel non esse, non dicitur nisi propterea quod affirmatiua vel negatiua potest esse propositio.

Proximæ partes propositionis sunt subiectum & prædicatum, & non nomen & verbum.

Tamen sciendum, quòd esse & non esse quod notat cohærentiam vel diuisionem prædicati à subiecto, cum prædicato semper claudit, sicut in perihermenias est dictum. Sic & si prædicatum secundum se rorum consideretur secundum quod refertur ad subiectum, duo habet in se, scilicet esse vel non esse, quod notat inhærentiam vel diuisionem prædicati à subiecto, vel cum subiecto, & cum hoc dicit rem quæ esse vel non esse illud specificat, vt Sortes legit, sensus est, est legens: & esse specificatur lectione, & hoc est prædicatum totum simul, esse scilicet, & id quod esse specificat: quia sicut in scientia perihermenias determinatum est, compositio (quæ esse dicit & significat in hoc verbo, est) tenet se ex parte prædicati, & aliquando etiam per seipsum prædicatur sicut in propositionibus in quibus non tertium, sed secundum adiacens prædicatur, vt homo est, non homo est: & hoc est tam in affirmatiuis apposito esse significante, quam in negatiuis in quibus significat non esse. Hic est igitur terminus in quo fiat resolutio propositionis syllogisticæ quoad figuram quæ cognoscitur habitudine & positione terminorum.

CAPVT V.

De syllogismo quid sit secundum diffinitionem.

Syllogismus autem qui componitur immediatè quidem ex propositionibus & mediatè ex terminis, in vniuersali quidem & non in hac vel illa materia acceptus, est oratio in qua quibusdam positis aliud quid ab his quæ posita sunt, ex necessitate accidit ab his quæ posita sunt. Accidit autem eo siue ideò quod hæc sunt posita, scilicet & præmissa: ista enim debent in syllogismo esse causa consequentiæ conclusionis: hoc est enim dictum, eo quod hæc sunt, quod scilicet sit conclusionem propter hæc contingere siue sequi. Propter

Syllogismus autem est oratio in qua, &c.

hæc autem quæ posita sunt sequi siue contingere tunc accidit, quando nullius termini vel propositionis apponendæ extrinsecus indiget præter ea quæ sunt de substantia syllogismi in figura & modo, quæ sunt tres termini, & duæ propositiones.

Quare syllogismus dicitur oratio & non orationes.

Hæc autem sic explanantur, quòd syllogismus dicitur oratio, & non orationes: quia quamuis in syllogismo ponantur duæ propositiones, quæ sunt orationes & non oratio: tamen prout in syllogismo ponuntur, non ponuntur vt orationes, sed vt oratio propter tres causas. Quarum prima & potissima est: quia vniuntur in medio vniente extremitates in omni figura: & quæ sunt vnita in formali principio, non sunt principaliter multa, sed potius simpliciter vnum, materialiter autem & secundum aliquid multa. Secunda causa est: quia minor vt restringens maiorem in syllogismo ponitur: quod autem restringit & coarctat aliud, non cadit cum eo in numerum: & sic iterum ambæ propositiones coarctantur ad vnum. Tertia causa est: quia ambæ præmissæ referuntur ad vnam orationem quæ est conclusio: & quæ in vno fine vniuntur, non simpliciter sunt diuersa, sed relata ad vnum finem: & ideo syllogismus congruentius dicitur oratio quam orationes, præcipuè quia syllogismus est vnum ordine ad vnum: & ideò quæ componunt ipsum, ordine adinuicem & ad vnum sunt vnum.

Quare dixit in qua.

Quod autem dicitur, in qua, dicitur propter necessarias propositiones, quæ ad probandum vel declarandum inducuntur, quæ non sunt intra syllogismum, sed extra substantiam ipsius.

Quare dixit quibusdam.

Quod autem dicitur, quibusdam, dicitur propter enthymema, in quo non quædam orationes, sed potius vna propositio ponitur: & ex illa concluditur sicut in syllogismis fit rhetoricis.

Quare dixit positis.

Quod autem dicitur, positis, hoc duo dicit positum est enim quod est ordine congruo secundum ordinem & locum dispositum: & sic per hoc quod dicitur, positis, omnes excluduntur inutiles coniugationes: quia in illis nulla propositionum in ordine & loco bene est disposita. Positum etiam dicit idem quod concessum, & sic ponitur ibi propter syllogismum dialecticum, cuius propositiones interrogant respondentis consensum: propter quod etiam Boetius in topicis, vbi eandem ponit diffinitionem, addit dicens positis & concessis.

Quare dixit aliud.

Aliud autem ab his quæ posita sunt, additur, propter conclusionem quæ quamuis materialiter non simpliciter sit aliud à præmissis, quia componitur ex maiori & minori extremitatibus quæ sunt partes maioris & minoris propositionis, tamen formaliter est aliud à præmissis, sicut effectus & principiatum aliud sunt a causa & principio à quibus causantur & principiantur. Dicitur autem etiam aliud propter eius quod est in principio petitionem, non quidem secundum quod est locus sophisticus, sed secundum quod est peccatum contra syllogismum, sicut in sequentibus istius scientiæ in 2. libro determinabitur.

Quod autem dicitur ex necessitate accidere vel sequi, de necessitate consequentiæ intelligitur, & non de necessitate rei, vel consequentis. Hoc etiam quod dicitur de necessitate accidere, dicitur propter inductionem & exemplum, in quibus consequentia non est necessaria.

Quod autem additur, eo quod hæc sunt, quæ sunt causa illationis & consequentiæ, dicitur propter non causam vt causam, non inquantum est locus sophisticus, sed potius vt non causa vt causa peccatum est contra syllogismum, sicut in secundo huius scientiæ libro determinabitur. Et sic patet qualiter dicta diffinitio syllogismi esse syllogismi diffinit, & ipsum ab omnibus aliis excludit.

Dicitur enim propter ea quæ præmissa sunt contingere, ita quod hoc idem est quod nullius extrinseci, termini scilicet vel propositionis indigere, vt fiat, hoc est, vt appareat necessaria, hoc est, necessario concludens. Et quamuis non indigeat extrinseco quod sit propositio vel terminus: tamen vt appareat necessarium quod in se necessarium est, indiget aliquando syllogismi vel propositionis proprietate, sicut est conuersio in propositione, & sicut est reductio in syllogismo: aliter enim syllogismi secundæ & tertiæ figuræ non apparebunt necessarij, nisi ad primam figuram reducantur. Hæc est igitur assignatio data de syllogismo.

Aliter etiam à quibusdam exponitur inducta diffinitio, & multis modis: sed ad præsentem speculationem sufficit quod dictum est. Sed hoc aduertendum, quòd dicta syllogismi diffinitio generaliter conuenit omni syllogismo, & maximè illi quem dicimus esse simplicem: quia ille nullam habet necessitatem, nisi illam quæ dicitur necessitas illationis simplicis ex figura & modo: alij autem particulares syllogismi probationem rei conclusæ habent præter necessitatem illationis.

Ex hoc loco colligitur simpliciter esse syllogismum, scilicet illativum tantum, qualis est syllogismus incentricus, & illatiuũ probatiuum quæ est syllogismus constans ex veris præcedens.

CAPVT VI.

Quis syllogismus est perfectus & quis imperfectus.

Diuidendo autem syllogismum, quòd quidam syllogismus est perfectus, & quidam imperfectus, non dicitur diuidi syllogismus secundum speciem, sed secundum apparentiam quoad nos. Omnis syllogismus qui habet tres terminos & duas propositiones dispositas in modo & figura quacunque trium figurarum, perfectus est in esse syllogismi, & non indiget ad esse syllogismi. Syllogismus tamen tertiæ figuræ vel secundæ imperfectus dicitur quoad hoc quod appareat eius consequentia, indiget aliquando reductione ad aliquem modum primæ figuræ, & aliqua conuersione propositionum, vt apparcat necessaria eius consequentia: & ideo vterque tam perfectus quam imperfectus syllogismus est, & rationem habet syllogismi, eò quod de substantialibus syllogismi neutri aliquid deest: &

Perfectum vero voco syllogismum, &c.

Diuisio syllogismi in perfectum & imperfectum est diuisio secundum quoad nos.

& imperfectus non dicitur imperfectus, nisi quoad bene esse, & non quoad esse.

Sic ergo diuidendo syllogismum dicimus, quod perfectum voco syllogismum, qui nullius alicuius siue alterius indiget præter ea quæ sumpta sunt in terminis & propositionibus: quamuis enim alius in esse syllogismi sit perfectus, tamen quantum ad præsentem intentionem spectat hunc voco perfectum, qui etiam in apparentia perfectus est ex his quæ continet intra seipsum ad hoc vt appareat necessarium, hoc est, quòd consequentia qua concludit, appareat necessaria. Imperfectum autem illum voco syllogismum, qui non ad hoc vt sit syllogismus, sed ad hoc vt appareat nobis necessarium, indiget vno vel pluribus, siue indiget vnius vel plurium secundum Græcos, qui carent ablatiuo, & genitiuum ponunt pro ablatiuo. Dico autem vnius: quia aliquando non indiget nisi sola propositionum conuersione ad hoc quod reducatur in syllogismum perfectum: aliquando indiget plurium, vt reducatur, sicut conuersione & transpositione, sicut patebit in sequentibus, vbi dicitur de syllogismorum imperfectorum secundæ & tertiæ figuræ ad perfectos reductione, qui in prima figura perfecti sunt.

Hæc autem quibus indiget, necessaria sunt & necessariam faciunt syllogismi consequentiam per sumptos terminos, quorum habitudine & situ naturali constituitur figura. Non autem necessaria sunt per sumptas & positas in syllogismo propositiones: quia in conuersione quando per conuersionem reducitur syllogismus imperfectus ad perfectum, non manent eædem propositiones: quia conuersa & illa in quam conuertitur, non sunt propositio vna: quamuis termini iidem maneant & eundem situm naturalem seruent, vel intra extrema, vel ante ea, vel post ipsa. Isti igitur & tales sunt syllogismi perfecti & imperfecti.

Conuersa & conuertens nõ sunt vna propositio.

CAPVT VII.

De in toto esse, & de omni, & de nullo prædicari, quæ sunt syllogismorum perfectorum principia.

Post hæc dicamus de principiis syllogismorum perfectorum & imperfectorum: quia de illis etiam antequam de syllogismis tradamus, oportet quædam præcognoscere. Principia autem syllogismorum perfectorum sunt duo, scilicet dici de omni, & dici de nullo. De istis igitur primo determinandum est. Dicimus igitur, quòd in toto esse vnum in altero, & vnum prædicari de omni altero idem est quoad suppositum & quoad substantiam. Differunt tamen ratione: quia in toto esse alterum in altero dicit comparationem subiecti ad prædicatum, eò quod subiectum est in prædicato propriè loquendo, sicut materia in forma continente. De omni autem prædicari dicit comparationem prædicati ad subiectum, eò quod de omni prædicari est quoddam dici de altero: de altero autem dici est prædicatum de subiecto dici, sicut patet per antedicta.

In toto autem esse alterum altero, &c.

In toto esse & dici de omni, ratione differunt.

Obiectio.

Si autem quis obiiciat, quòd de omni est dispositio subiecti & condicio pertinens ad subiectum, & ideò non possit dici re comparationem prædicati ad subiectum: sed magis è conuerso dicere videtur comparationem subiecti ad prædicatum. Dicendum, quòd quamuis signum distribuat utrumque ad subiectum referatur: tamen dici de omni proprium est prædicati: quia dici de omni non est aliud, nisi prædicatum cuilibet parti subiecti inesse, & quod pro qualibet parte stet subiect, hoc facit signum vniuersale distributiuum: & ideo dici pertinet ad prædicatum, & etiam dici de omni: sed quod pro qualibet parte prædicatum attribuatur subiecto, facit signum distributiuum. Dicimus igitur de omni prædicari, quando nihil est sumere subiecti, hoc est, partium subiecti, de quo alterum quod est prædicatum non dicatur.

Solutio.

Et attende, quòd quamuis omne & totum sint ambo signa distributiua vniuersaliter: tamen in hoc differunt, quòd totum propriè distribuit pro partibus integralibus, omne autem pro partibus subiectiuis. Similiter autem non est idem dicere, quando nihil est sumere subiecti, & dicere, quando nihil est sumere sub subiecto: quia quando dicitur sic, quando nihil est sumere subiecti, tunc intelligitur, quod nulla partium subiecti excipitur siue sit integralis siue subiectiua: quia & integralis est aliquid subiecti, & etiam subiectiua aliquid est subiecti. Quando autem dicitur, quando nihil est sumere sub subiecto, non stat nisi pro partibus subiectiuis: quia illæ solæ sumuntur sub subiecto sicut communi: integrales autem non sumuntur sub subiecto, quia totum subiectum non prædicatur de ipsis. Et ideo in toto esse melius explanatur sic dicendo, quod in toto esse & de omni prædicari est, quando nihil est sumere subiecti de quo prædicatum non dicatur, quam si sic dicatur, quòd in toto esse & de omni prædicari est, quando nihil est sumere sub subiecto de quo prædicatum non dicatur.

Differentia inter omne & totum.

Differunt nihil subiecti & nihil sub subiecto.

Obiectio.

Hæc autem quæ dicta sunt omnia videntur conuenire indefinitæ propositioni quando sumitur in materia necessaria, cum sic dico, homo est animal, nihil est sumere subiecti de quo prædicatum non dicatur, & sic talis indefinita videtur esse vniuersalis. Et ad hoc dicendum, quòd cum dicitur, quòd dici de omni est quando nihil est sumere subiecti de quo prædicatum non dicatur, quòd tunc stat subiectum actualiter pro partibus, quia actu distributum est pro partibus; sed cum subiectum est indefinitum, non stat pro partibus nisi potentialiter & habitualiter: & idcò indefinita non est vniuersalis actu, etiam quando est in materia necessaria. Eodem autem modo dicendum est de eo quod est de nullo prædicari,

* *
*

Solutio.

Indefinita non est vniuersalis actu etiam quando est in materia necessaria.

CAPVT VIII.

Qualiter conuersio principium est imperfecti syllogismi, & quid sit conuersio.

QVia conuersio propositionum in terminis eisdem facta est principium per quod perficitur syllogismus imperfectus, oportet præmittere de conuersione & tractare de ipsa inter alia principia syllogismorum, de quibus tractatur ante doctrinam syllogismi simpliciter: & ideo videndum est quid sit conuersio.

Conuersio quid.

Est autem conuersio propositionis in terminis sicut terminorum transpositio, vt subiectum fiat prædicatum, & è conuerso de prædicato fiat subiectum: per hoc enim syllogismi secundæ & tertiæ figuræ imperfecti reducuntur ad primam figuram, cuius syllogismi perfecti sunt secundum euidentiam necessitatis consequentiæ, qua syllogismi sequitur conclusio, vt si dicam, nullum. a.b. & nullum. b.a. vel quoddam. a. b. & quoddam. b. a. vel omne. a. b. & quoddam. b. a. his enim modis fiunt conuersiones propositionum in terminis eisdem.

Conuersio per contrapositionem non est conuersio hoc modo.

Propter quod etiam conuersionem per contrapositionem hic conuersionem non vocamus: quia in tali conuersione iidem termini non manent, sicut si dicam, omnis homo animal, & conuertam reflectendo oppositum de opposito, & dicam, omne non animal non homo: non homo enim & non animal non sunt iidem termini cum his, homo animal, qui sunt termini eius propositionis quæ est conuersa. Hæc igitur quæ est per contrapositionem conuersio, non est conuersio nisi valde extensa & communi significatione huius nominis conuersio, vt omnis reflexio propositionis conuersio dicatur: quæ siue in terminis siue in oppositis terminorum prædicatum reflectitur in subiectum. Hoc autem modo hic non loquimur de conuersione, sed tantum de illa quæ est in eisdem terminis, sicut eorundem terminorum transpositio: hæc enim propriè dicitur conuersio: de illa vero est quæ per contrapositionem, omittimus.

Tres sunt viæ perficiendi syllogismos imperfectos.

Attendendum, quòd quamuis tres viæ sint perficiendi syllogismos imperfectos, scilicet conuersio, expositio, & deductio ad impossibile, tamen non præmittimus hic nisi de conuersione: quia expositio est per aliquod sensibile determinatum: sensus autem in nobis sunt: & ideò sensibilium non oportet tradere doctrinam. Deductio autem ad impossibile syllogizandi est modus quidam: & ideo non ante artem syllogizandi doceri potest, sed potius ex ipsa arte iam tradita ducendus est talis syllogizandi modus. Dicamus igitur quod iam diximus, quid conuersio per diffinitionem.

Instrumenta logica sunt diffinitio, diuisio, & argumentatio.

Sed adhuc restat dicendum in quo genere sit instrumentorum artis & doctrinæ. Dudum enim determinatum est, quod logica est scientia docens per notum deuenire ad ignoti cognitionem. Hoc autem est aut incomplexum, vel complexum. Et si est incomplexum, deuenitur in cognitionem ipsius diffinitione, vel diuisione, vel vtroque modo, sicut in scientia diuisionum dictum est. Et si est complexum, deuenitur in cognitionem ipsius argumentatione. Si ergo conuersio est vnum principiorum doctrinæ logicæ: tunc oportet, quòd doceat venire ex cognito ad incognitum: erit ergo aliquod dictorum trium, scilicet aut diffinitio, aut diuisio, aut argumentum: constat autem, quòd non est diffinitio vel diuisio: videtur ergo, quod incidat in genus argumenti: & hoc multi concesserunt.

Dicentes conuersionem ad instrumenta quod est entimema reduci.

Et si quæritur ab eis, in specie cuius sit argumentationis: Dicunt, quòd in specie siue genere sit enthimematis. Non enim habet tres terminos actu & duas propositiones, vt possit dici syllogismus: nec infert ex simili aliquo, vt possit dici exemplum: nec inducit partes, vt inferat vniuersale sicut inductio. Si igitur est argumentatio aliqua, relinquitur quod sit enthimema.

Obiectio.

Si autem obiicitur istis, quòd enthimema habet tres terminos secundum rationem, sicut syllogismus, propter retentam in animo siue in mente propositionem, à qua etiam enthimema vocatur: & si illa apponatur, tunc enthimema habet tres terminos & duas propositiones, & erit syllogismus: propter quod enthimema est potentia syllogismus: conuersio autem si fiat in terminis non habet nisi duos terminos: & ideo conuersio ad enthimema non potest reduci. Respondent isti qui dicunt conuersionem esse enthimema, quòd conuersio habet duos terminos actu & tres secundum rationem: quia vnus in duplici sumitur ratione, sicut in syllogismo ex oppositis duo sunt termini tantum, & tres secundum rationem, eò quod vnus sumitur in duplici ratione, sicut si dicam, nulla disciplina studiosa: omnis disciplina studiosa: ergo nulla disciplina est disciplina. Vel nulla voluptas bonum: omnis voluptas bonum: ergo nulla voluptas est voluptas. Et hoc modo dicunt de conuersione, quòd habet duos terminos numero & actu, sed tres secundum rationem: si enim dicam sic, nullam. a.b. nullum. b.a. a. quidem qui alter terminus in duplici sumitur ratione, & ideò efficitur syllogismus per additionem minoris propositionis sic, nullum b.a. omne a.a. ergo nullum a.b. quæ est conuersa primæ propositionis quæ dixit nullum b. a. & est iste syllogismus primus secundæ figuræ: & sic enthimema quod est conuersio simplex vniuersalis negatiuæ, est potentia syllogismus primus secundæ figuræ. Similiter est de enthimemate quod est conuersio vniuersalis affirmatiuæ, illius enthimema est hoc, omne b.a. ergo aliquod a.b. hoc enim enthimema est iuxta primum modum tertiæ figuræ: & fit syllogismus primus tertiæ figuræ per additionem maioris sic, omne b. a. omne b. b. ergo aliquod a. est b. quæ fuit in quam conuertebatur vniuersalis affirmatiua. Et sic dicunt, quòd conuersio est enthimema quoddam quod reducibile est dicto modo in syllogismum.

Solutio.

Similitudo inter syllogismum ex oppositis & conuersionem secundum quosdam.

Contrà istos tamen obiicitur: quia si conuersio est enthimema, & enthimema illud perficitur reducendo ipsum ad syllogismum imperfectum

Contrà illos.

perfectum secundæ vel tertiæ figuræ, constat quod perficitur syllogismo imperfecto: sed & ille syllogismus cum sit imperfectus, habet perfici per reductionem ad primam figuram: & hic non potest fieri nisi per conuersionem alterius propositionis: ergo conuersio perficit syllogismum imperfectum: & syllogismus imperfectus perficit enthimema, quod est conuersio: ergo inter syllogismum & conuersionem est circularis perfectio: quia vtrumque perficit alterum: & vtrumque perficitur ab altero: quod est valde inconueniens. Sequitur enim, quòd vtrumque est perfectum, & non perfectum: quod esse non potest: quia contradictoria non verificantur de eodem simul.

Instantia bona.

Si fortè aliquis adhuc respondeat, quòd non est inconueniens, quia & syllogismus perficiat enthimema quod est conuersio, & è conuerso conuersio perficiat syllogismum: quia non est vna & in vna ratione sumpta perfectio: quia syllogismus perficit conuersionem quæ est enthimema quoad necessitatem consequendi & inferendi conclusionem, quia hanc necessitatem enthimema de se non habet: sed conuersio perficit syllogismum non quoad necessitatem, quia illam de se habet syllogismus, sed perficit ipsum quoad necessitatis euidentiam, quia hanc non habet nisi reducatur per conuersionem ad primam figuram: & sic cum non secundum idem perficiantur à seinuicem, non est inconueniens, quòd vtrumque perficiat aliud & perficiatur ab illo. Si inquam, aliquis sic dicat, videtur contra hoc esse, quòd cum syllogismus conferat enthimemati necessitatem, non potest conferre necessitatem quam non habet: non habet necessitatem nisi per conuersionem per quam reducitur ad perfectionem: de se ergo syllogismus non habet necessitatem sicut imperfectus: ergo perfectionem non confert enthimemati, quod est conuersio, sed per conuersionem: ergo oportet, quòd conuersio secundum se sit perfecta & euidentis necessitatis: & sic non accipit perfectionem à syllogismo hoc enthimema quod est conuersio. Si enim diceretur, quòd conuersio perficiens syllogismum imperfectum non de se haberet necessitatem, sed acciperet eam ab alio, oporteret, quòd illud abiret in infinitum.

Contra.

Ad hoc tamen etiam respondere isti conantur dicentes, quòd pro certo enthimema quod est conuersio, perfectionem consequentiæ & necessitatem accipit à syllogismo. Sed syllogismus imperfectus non accipit nisi euidentiam necessitatis à conuersione: sed conuersio à reductione in syllogismum perfectum accipit necessitatem consequentiæ.

Conuersio non est enthimema nec alia argumentatio.

Quamuis autem hanc viam multi tenuerint, tamen nobis magis videtur, quòd conuersio non sit formaliter loquendo enthimema, neque etiam aliqua argumentatio, & quod conuersio in doctrina siue arte nihil probat: sed sumit conuersam: nec inter conuersas simpliciter est diuersitas sicut inter probans & probatum, sed conuersio sumptio est eiusdem secundum situm transmutati. Et propter hoc dicendum esse videtur, quod conuersio est proprietas & habitudo eorundem terminorum per esse & non esse in affirmatiua & negatiua coniunctorum secundum situm diuersum: conuersio enim primo est terminorum, sicut in præhabitis dictum est, propositionem in terminis conuerti: sed hoc per sequentia magis erit manifestum: conuertitur enim propositio per sumptos terminos, & non per sumptas propositiones. Hoc autem maximè videtur ex hoc probari, quòd si conuersio esset enthimema, oporteret illud enthimema reduci in syllogismum imperfectum, & illum syllogismum imperfectum per conuersionem oporteret reduci in syllogismum perfectum. Si autem conuertitur altera propositio syllogismi imperfecti, & sic reducitur, conuersa erit eadem cum enthimematis conuersione, quod est conuersio, & syllogismi qui formatus est ex enthimemate. Illa ergo conuersio non erit aliud à præmissis, quod est contra syllogismi diffinitionem datam in antehabitis, vbi dictum est, quòd syllogismus est oratio in qua quibusdam positis aliud necesse est accidere. Et sic videtur, quòd conuersio nulla sit argumentatio, sed quædam terminorum primò & propositionis per consequens passio, & quod non probat, sed sumit idem ex eodem, differente tamen secundum situm terminorum.

Conuersio est passio terminorum primo & ex consequenti propositionum.

Dicendum igitur, quòd conuersio non est argumentum: omne enim argumentum reducibile est in syllogismum: & ideo oportet, quòd in omni argumento sint termini ex quibus fiant duæ propositiones, & vna conuersio diuersa à præmissis quæ non sunt in conuersione: & talis consequentia quæ est ex tribus terminis & duabus propositionibus ad inferendam conuersionem à præmissis diuersam, est in omni argumentatione, & est substantialis ei: propter hoc quod omnis argumentatio habet reduciad syllogismum. Cum igitur conuersio non sic habeat tres terminos & duas propositiones à conuersione diuersas, non potest habere talem virtutem consequentiæ.

Quomodo conuersio est quædam modus consequentiæ.

Est autem & alius modus consequentiæ qui est conuertentiæ consequentia, quando aliquid sub vno situ partium sequitur ad seipsum sub alio partium situ: & hoc modo vna propositio infert suam conuersam, quæ eadem est illi quamuis sub vno situ partium est magis nota, & sub alio situ minus nota: & secundum quod est magis nota, infert suam conuersam sub alio situ minus notam.

Contra: sic, esset ergo facere fidē: & sic posset reduci ad argumentationem.

Respondetur, quòd aliqualem facit fidem: tamen propriè non probat: quia inter conuertentem & conuersam non est tanta distinctio, quanta requiritur inter probans & probatū: & sic negatur secunda consequentia.

CAPVT IX.

De conuersione propositionum secundum terminos.

QVoniam autem (sicut in perihermen. dictum est) omnis propositio significat aut simpliciter inesse sine modo aliquo determinante compositionem, aut significat necessario inesse modo necessitatis determinante compositionem, aut significat contingenter inesse modo contingentis determinante compositionem: oportet determinare conuersionem in istis, qualiter videlicet illæ propositiones

Quoniam autem omnis propositio aut est, &c.

Quare non sequitur de conuersione indefinitæ & singularis.

nes conuertuntur. Et non dicimus aliquid de indefinita: quia eandem cum particulari habet conuersionem. Nec dicimus aliquid de singulari: quia ad sensum determinatur, & ideo sub arte non cadit.

Istarum autem propositiones siue sint de inesse simpliciter, siue de modo necessitatis vel contingentis, quædam quidem sunt affirmatiuæ, quædam autem negatiuæ secundum vnamquamque allocutionem siue propositionem, hoc est, de inesse, & de necessario, & contingenti. Rursum autem vlterius diuidendo per quantitatem tam earum quæ sunt de inesse, quam illarum quæ sunt de necessario & contingenti, affirmatiuarum & negatiuarum quædam sunt vniuersales, & quædam particulares, & quædam indefinitæ: oportet de omni harum conuersione tractare.

Vniuersale autem priuatiuã, &c.

Dico igitur, quòd vniuersalem quidem priuatiuam siue negatiuam necesse est in eisdem terminis conuerti manente eadem quantitate & qualitate, mutato tantum situ terminorum: & hæc vocatur conuersio simplex, in qua nihil mutatur nisi situs terminorum, sicut si dicam, quòd nulla voluptas est bonum, & conuertam in hanc, nullum bonum voluptas. Prædicatiuam autem siue affirmatiuam conuerti quidem est necessarium, sed non sub eadem quantitate, sed sub eadem qualitate: vnde non conuertitur vniuersaliter sed particulariter, vt si detur, quòd omnis voluptas bonum, conuertitur & bonum quoddam esse voluptatem: & hæc est conuersio vniuersalis in particularem. Particularium autem propositionum duæ sunt, affirmatiua scilicet, & negatiua. Et affirmatiuam quidem particularium necesse est simpliciter conuerti manente eadem quantitate & qualitate, sicut quædam voluptas est bonum, & bonum quoddam necesse est esse voluptatem. Particularem autem priuatiuam siue negatiuam non necessarium conuerti, vel potius (quod melius dicitur) necesse est particularem negatiuam non conuerti: cuius probatio est per exemplum: quia dato, quòd homo non inest alicui animali, sicut patet, quòd aliquod animal non est homo, non propter hoc sequitur, quòd animal non insit alicui homini, ita quod aliquis homo non sit animal.

Hoc autem quod dictum est, probatur per syllogismum deducentem ad impossibile: & primo ostendamus hoc in vniuersali priuatiua siue negatiua. Et quia de syllogismo loquimur simplici, qui tantum formaliter syllogismus est, & in omni materia habet poni, & nullius materiæ est proprius, ideo terminis vtimur transcendentibus, nihil & omnia significantibus. Nihil dico, quia nullam determinant materiam. Omnia vero dico significantibus: quia omnibus materiis sunt applicabiles, sicut sunt a, b, c. Et in his secundum consuetudinem Aristot. semper primus est prædicatum, secundus autem de quo prædicatur. Hos igitur terminos accipientes dicimus, quòd priuatiua siue vniuersalis negatiua sit hæc quæ designatur per a. b. si enim nulli eorum quæ sunt b. inest a, dico, quòd per conuertentiam sequitur, quòd nulli eorum quæ sunt a. inesit b, & hoc est dictu, quòd nullum b. est a. sequitur per conuertentiam, quòd nullam a. est b. Et si dicatur, quòd non sequitur, detur oppositum: hoc enim potest stare cum præmissa si non sequitur: oppositum autem est, aliquod a. est b. & sic aliquid sumptum sub a. est b. sit illud c. sequitur ergo, quòd c. quod erat b. est a. ergo non fuit verum, quòd nullum b. esset a. hoc autem est contra hypothesim: quia datum fuit, quòd nullum b. esset a. quia aliter contradictoria verificabuntur de eodem: ex quo c. directè sumitur sub a. oportet, quòd c. sit aliquid eorum quæ sunt a. sicut Sortes est aliquid eorum quæ sunt animal.

Quare Aristot. vtitur terminis ignotis, & hoc idem declarat Auerroes & Boet. in lib. de syllogismo categorico.

Primũ ergo sit priuatiua vniuersalis a. b.

Similiter autem probatur, quòd vniuersalis affirmatiua conuertitur in particularem affirmatiuam: sed non est simplex conuersio: quia non est eadem quantitas in conuersa, & in ea in quam conuertitur, vt causa exempli si dicam, quòd omni b. inest a. hoc est, quòd omne b. est a. conuertitur in hanc, quòd alicui a. inest b. siue quod aliquod a. est b. Si enim detur, quòd non sequitur, detur oppositum: hoc enim potest stare cum præmissa si primum non sequebatur: oppositum autem contradictoriè est, nullum a. est b. hoc enim contradictorium est ad hoc, aliquod a. est b. & hoc non potest stare cum hoc, omne b. est a. & ex hac sequitur, quòd nullum b. est a. erunt ergo simul veræ, omne b. est a. & nullum b. est a. quod esse non potest, cum sint contrariæ. Contrariæ autem non possunt simul esse veræ.

Si vero omni b. inest a.

Similiter autem & si particularis.

Eodem modo probatur, quòd particularis affirmatiua conuertitur simpliciter. Si enim detur, quòd inest a. alicui b. hoc est, quod aliquod b. est a. tunc necesse est per conuertentiam, quod etiam b. insit alicui eorum quæ sunt a. hoc est, quòd aliquod a. sit b. Si enim dicatur, quòd hoc non sequitur: tunc dare oportet, quòd oppositum conclusionis stare potest cum præmisso: oppositum autem conclusionis est, quòd b. nulli eorum quæ sunt a. insit, hoc est, quòd nullum a. sit b. & cum vniuersalis negatiua conuertitur in hanc, nullum b. est a. & hæc non potest stare cum hac, aliquod b. est a. quia est eius contradictoria. Oportet igitur, quòd simpliciter conuertatur particularis affirmatiua.

Si autem a. alicui, &c. Hoc intelligo gratia firmæ & non gratia materiæ vt dicit Auer. hic.

Particularis autem negatiua non est conuertibilis, neque simpliciter, neque in aliam quantitatem. Si enim concedatur, quòd a. non inest alicui eorum quæ sunt b. hoc est, aliquod b. non est a. non est necesse, quòd & b. non insit alicui a. hoc est, quod aliquod a. non sit b. & hoc vt facilior sit doctrina, ponamus in terminis: sit enim b. animal, a. verò sit homo. Homo igitur non omni inest animali, quia non omne animal est homo: animal vero ineſt omni homini, quia omnis homo est animal.

CAPVT X.

De solutione instantiarum quæ videntur esse contra inductas conuersiones.

Primum argumentum.

SOphisticæ tamen quædam instantiæ contra inductas conuersiones esse videntur: si enim

enim vniuersalis negatiua generaliter conuertitur simpliciter in omni materia & allocutione siue enuntiatione: tunc sequitur semper si ea est vera quæ conuertitur, est etiam illa vera in quam conuertitur: est autem hæc vera, nullus senex erit puer: ergo & hæc est vera, nullus puer erit senex, quæ apertè falsa est.

Secundum.

Sed similiter est de his, nullum dolium est in vino: & sequitur ex hoc, quòd nullum vinum est in dolio, quod apertè falsum est. Quidam etiam ponunt hanc, nullus ciuis est fœmina: ergo nulla fœmina est ciuis: sed hoc non est adeo expressum, quia ciuis est communis generis.

Tertium.

Similiter autem contra hoc quod dictum est, quòd non conuertitur particularis negatiua videtur obiici: dictum est enim quòd conuertitur vniuersalis negatiua: accipiam ergo illam, nullum b. est a. & ex illa inferam istam, quoddam b. non est a. & accipiam conuersam primæ, hanc scilicet, nullum a. est b. & ex illa inferam hanc, quoddam a. non est b. & arguo sic, si nullum b. est a. ergo aliquod b. non est a. & si nullum a. est b. aliquod a. non est b. ergo à secundo ad quartum, si aliquod b. non est a. aliquod a. non est b. & sic videtur conuerti particularis negatiua: quod iam ante negatum fuit.

Nullum b. est a. aliquod b. non est a. Nullus a. est b. aliquod a. non est b.



Solutio primi.

Ad hæc autem soluenda & similia duo prænotanda sunt, scilicet regulæ appellationum & consequentiarum. Regulæ autem appellationum sunt, quòd nomen homo supponens verbo præteriti vel futuri temporis potest appellare pro homine qui est, vel qui fuit, si verbum est præteriti temporis: vel pro homine qui est, vel qui futurus est, si est verbum futuri temporis. Adhuc autem verbum resoluendum est ad verbum substantiuum præsentis temporis. Et secundum has regulas cum dicitur, nullus puer erit senex, sensus est, quòd nullus existens puer vel futurus puer est senex: & hæc vera est sicut sua conuersa, hæc scilicet nullus senex erit puer: est enim sensus, quòd nullus existens iam senex vel futurus senex est puer.

Regula appellationum.

Solutio secundi.

Similiter cum dicitur, nullum dolium est in vino secundum ea quæ dicta sunt non conuertitur in hanc, nullum vinum est in dolio, sed potius in hanc, nullum existens in vino est dolium: quia & in conuersa & in ea in quam conuertitur, oportet vnam obseruare habitudinem terminorum.

Similiter etiam ad id quod obiicitur in particulari negatiua, non est difficile respondere: quia non est verum, si duo sunt quorum vnum sequitur ad alterum, quod propter hoc omne quod sequitur ad consequens, sequitur etiam ad antecedens, nisi in consequentia tali, in qua vnum substantialiter sequitur ad alterum: & ideo non sequitur, si ad vniuersalem negatiuam sequitur particularis negatiua, & si ad conuersam vniuersalis negatiuæ sequitur conuersa particularis negatiuæ, quòd propter hoc ad particularem negatiuam sequatur conuersa particularis negatiuæ: sed peccat argumentum secundum consequens: quia quod particularis sequitur ad vniuersalem, non est ex conuersione, sed ex hoc quod vniuersalis infert particularem: quando autem particularis ponitur antecedens: tunc non potest inferre conuersam generaliter, sicut in terminis antehabitis probatum est: & ideò patet, quòd istæ instantiæ non interimunt hoc quod dictum est.

Solutio tertij.

Vult dicere, quòd variatur modus arguendi, & ideo non valet argumentum. Posset etiam dici, quòd argumentum à commutatione propositione non valet nisi in numeris.

CAPVT XI.

De conuersione propositionum de necessario.

Ratio ordinis.

POst propositionum de inesse simpliciter conuersionem determinandum est de conuersione propositionum de necessario: quia istæ similem cum illis quæ sunt de inesse simpliciter: illæ autem de contingente conuersionem habent dissimilem: & ideo conuersio illarum quæ sunt de necessario inesse, subiungenda est conuersioni illarum quæ sunt de inesse. Dicamus igitur, quòd eadem se habebit conuersio in necessariis propositionibus siue in propositionibus quæ sunt de modo necessitatis, sicut in illis de inesse: quia vniuersalis priuatiua siue negatiua de necessario vniuersaliter & simpliciter conuertitur sicut vniuersalis negatiua de inesse. Affirmatiuarum autem propositionum de necessario, quarum vna est vniuersalis affirmatiua & altera particularis affirmatiua, vtraque per eundem modum conuertitur, sicut vniuersalis affirmatiua & sicut particularis affirmatiua de inesse simpliciter: conuertitur enim vtraque particulariter, hoc est, per particularem affirmatiuam.

Eodem autem modo se habet, &c.

Horum autem quæ dicta sunt exempla sunt hæc. Accipiamus enim vniuersalem negatiuam de necessario: & sit hæc, a. nulli b. necesse est inesse: siue hæc, necesse est nullum b. esse a. tunc sequitur per conuersionem, quòd necesse est b. nulli a. inesse: siue sic, necesse est nullum a. esse b. aut enim hoc sequitur, aut non. Si sequitur, habetur propositum. Si non sequitur: tunc oppositum conclusionis stabit cum præmissa. Detur ergo oppositum conclusionis, & est hæc, quod b. contingit alicui a. hoc est, quod aliquod a. est b. vel quod aliquod a. contingit esse b. oppositum enim conclusionis est, non necesse est nullum a. esse b. sed hæc conuertitur cum illa, contingit aliquod a. esse b. & si contingit aliquod a. esse b. tunc etiam contingit è conuerso aliquod b. esse a. hæc autem

Nam si necesse est a. nulli b.

autem condicit primę, huic scilicet de necessitate nullum b. esse a. & sic pateret, quòd sequitur, de necessitate (nullum a. est b. ergo de necessitate nullum b. est a.

Quare vocantur modales negatiuæ hic illæ in quibus negatur verbum & non modus.

Non enim vocamus hic propositiones negatiuas quæ sunt de modo negato, sed eas quæ sunt negatiuæ de dicto siue de esse vel non esse: cuius ratio est: quia propositiones de necessario, quæ sunt de modo negato, ficut cum dicitur, non necesse est a. esse b. vel non necesse est a. non esse b. secundum ipsam rem & realem compositionem sunt de contingenti: hæc enim, non necesse est esse, æquiualet illi quæ dicit, contingit non esse: & similiter illa quæ est negatiua modi contingentis secundum rem est de necessario, vt patet: quia hæc, non contingit esse, æquipollet illi quæ dicit, necesse est non esse. Et ideo in tota ista scientia libri huius negatiuæ & affirmatiuæ dicuntur negatiuæ vel affirmatiuæ de esse & non esse, & non de affirmatione vel negatione modi. Eodem autem modo est de vniuersali affirmatiua & particulari affirmatiua de necessario, quod conuertuntur particulariter sicut illæ de inesse. Si enim detur, quòd a. ex necessitate inest omni vel alicui b. vt sic dicatur, de necessitate omne b. est a. vel sic in particulari, de necessitate aliquod b. est a. sequitur tam ex vniuersali affirmatiua quam ex particulari affirmatiua, quòd ex necessitate aliquod a. est b. Si autem dicat aliquis, quòd non sequitur, & quod non necessario aliquod a. est b. tunc etiam sequitur, quòd non necessario b. est a. datum autem fuit, quòd vel omne vel aliquod b. necessario fuit a.

Remouet vltiorem dubitationem.

Nec conturbetur aliquis, quòd probantes hic quod vniuersalis negatiua de necessario conuertitur simpliciter, vtimur in probatione contingente: cum tamen nihil adhuc probatum sit vel determinatum de conuersione contingentis. Non enim fundamus probationem nostram super conuersionem contingentis, sed potius super ad impossibile deductionem sic: si necesse est nullum b. esse a, erit conuersa de necessario, quod nullum a. est b. de necessitate. Et si detur oppositum, quòd scilicet non necessario nullum a. est b. tunc aliquod a. continget esse b. ponatur ergo inesse, quod aliquod a. sit b. ergo etiam aliquod b. est a. quia particularis affirmatiua de inesse conuertitur simpliciter: hæc autem, aliquod a. est b, non potest stare cum prima, nullum a. de necessitate est b. Et talis probatio procedit: quia si contingit poni, potest accidere, & nihil sequi debet impossibile: sequitur autem impossibile, sicut ostensum est: quia si nullum b. de necessitate est a. tunc hæc est vera, nullum b. est a. & sic illæ erunt simul veræ, nullum b. est a. & aliquod b. est a. quod est impossibile: conuertitur ergo vniuersalis negatiua simpliciter.

Et eodem modo probatur, quòd vniuersalis affirmatiua conuertitur particulariter: detur enim, quod de necessitate omne b. est a, dico quod sequitur ad hoc a. de necessitate est b. vel detur oppositum, hoc scilicet non de necessitate aliquod a. est b. sequitur quod aliquod a. contingit non esse b. ponatur ergo: erit ergo hæc vera, non aliquod a. est b. datum autem fuit, quòd omne b. de necessitate fuit a: ergo cum illa de necessario relinquat & ponat illam quæ est de inesse ante se, erit hæc vera, omne b. est a. sed hæc conuertitur particulariter, vt in antehabitis ostensum est: ergo ex hac, omne b. est a. inferetur illa, aliquod a. est b. & hæc non potest stare cum vltima quæ dicit, non aliquod a. est b.

Eodem modo probatur, quòd particularis affirmatiua conuertitur simpliciter in particularem: & hæc est probatio quâ intendimus.

CAPVT XII.

De distinctione modorum quibus accipitur contingens.

Io contingentibus vero quoniam multipliciter, &c.

ANtequam autem determinemus conuersionem propositionum de contingenti, oportet nos distinguere modos contingentis: eo quod multipliciter dicitur, & non in omnibus modis similem habent propositiones de contingenti conuersionem. Dicamus igitur, quòd est contingens quod est necessarium: quia ad necessarium esse sequitur contingere esse: & est contingens non necessarium, quod se habet ad vtrumlibet, hoc est, ad esse & ad non esse: & hoc est duorum modorum, scilicet contingens natum, & contingens infinitum, quod æqualiter se habet ad esse & ad non esse. Et tertio modo dicitur contingens possibile, quod iam in præcedentibus ostendimus, est quasi genus ad necessarium, & ad non necessarium: ostendimus enim, quod possibile sequitur ad necessarium, sicut genus siue vniuersale ad speciem suam: & hoc iamdudum in perihermenias probatum est: & cum contingens sit conuertibile cum possibili, erit etiam contingens hoc sicut genus commune ad contingens necessarium & ad contingens non necessarium, hoc est, ad contingens natum & ad contingens infinitum.

Contingens possibile, commune, & altiùs dictum sunt.

Et attende, quòd ista distinctio contingentis est potius modorum contingentis, quam specierum: & sic est accipienda diuisio. Contingens dicitur secundum genus commune, aut secundum acceptionem specialem. Si dicitur secundum genus commune: tunc est contingens quod conuertitur cum possibili, & hoc vocatur contingens commune: & quidam vocant ipsum actum, eò quod non descendit ad modum specialem: & multa accidunt siue conueniunt ei ratione communitatis talis, quę non conueniunt specialibus modis contingentis: & ratione talium (quæ sibi singulariter conueniunt) ponitur hic cum aliis modis contingentis: quamuis enim sit commune in singulis inuentum, tamen ratione eorum quæ sibi propter talem communitatem conueniũt, facit modum specialem diuersum ab aliis modis contingentis.

Contingens necessarium.

Alius autem contingentis modus est, quo dicitur contingere id quod est necessarium: quia sequitur si aliquid necesse est esse, quòd illud idem contingit esse: quod sic probatur. Ponatur enim talis consequentia, si necesse illud

est esse, contingit esse: quæ sequitur, aut non sequitur. Si sequitur, habetur propositum. Si non sequitur, detur oppositum: hoc enim stabit cum primo. Oppositum autem eius quod est contingere esse, est non contingit esse: sed quod non contingit esse, non possibile est esse: & quod non possibile est esse, impossibile est esse: & quod impossibile est esse, necesse est non esse: & hoc non est compossibile primo, quod est necesse esse: quia sequeretur, quòd id quod necesse est esse, non necesse est esse: quia quod necesse est non esse, non necesse est esse. Iste est ergo vnus specialis & secundus modus acceptionis contingentis.

Contingens non necessarium.

Tertio modo dicitur contingens specialiter, quod est non necessarium, & non impossibile: non necessarium quidem ad esse, & non impossibile ad non esse. Et hoc tertio modo dictum contingens diuiditur in duo, scilicet in contingens natum quod plus se habet ad esse quam ad non esse, tamen ad esse non habet necessitatem, sed potest non esse. Et dicitur contingens infinitum ad esse & ad non esse se habens æqualiter. Propter quod vocatur contingens ad vtrumlicet. Et vtrumque istorum contingentium est contingens non necessarium. Sunt ergo isti modi contingentis, commune scilicet quod cum possibili conuertitur: & speciale contingens, quod sequitur ad necessarium: & contingens non necessarium, quod est duplex, natum scilicet & infinitum.

Obiectio.

Siquis autem obiiciat, quod Arist. dicit, quòd id quod contingit esse, contingit non esse? & ideò si contingens sequitur ad necessarium: tunc ista consequentia valebit, quod necesse est esse, contingit esse: & quod contingit esse, contingit non esse: ergo quod necesse est esse, contingit non esse: sed quod contingit non esse, non necesse est esse: ergo quod necesse est esse, non necesse est esse. Sic inquam si aliquis obiiciat, in 2. libro perihermenias solutum est, vbi determinatur qualiter possibile sequitur ad necessarium: non enim possibile quod se habet ad vtrumlibet, sequitur ad necessarium, sed possibile commune ad necessarium & ad non necessarium. Et similiter dicendum hic quod contingens commune quod conuertitur cum possibili, sequitur ad necessarium. Id autem quod est non necessarium, vt natum & infinitum, non sequitur ad necessarium: quia illud conuertitur ad oppositas qualitates, & quod contingit esse, contingit non esse: & quod contingit omni, contingit etiam nulli: quæ ei quod est necesse esse, conuenire non possunt.

Solutio. Tract. 2. c. 5. & 6.

Obiectio.

Adhuc autem si quis obiiciat dicens, quòd impossibile est non necessarium: & ita videtur

Solutio.

impossibile esse contingens. Non valet argumentario: quia non necessarium valdè commune est, & multa habet sub ipso, scilicet & impossibile, & contingens natum, & contingens infinitum. Et argumentum procedit ac si stet pro impossibili tantum. Vnde peccat secundum locum sophisticum consequentis.

* * *

D. Alber. Mag. Logica.

CAPVT XIII.

De conuersione propositionum affirmatiuarum de contingenti.

In affirmatiuis quidem similiter se habet, &c.

HIs ita prælibatis dicamus de conuersione propositionum affirmatiuarum, vniuersalis scilicet, & particularis de contingenti. Dico ergo, quòd in affirmatiuis, vniuersali scilicet affirmatiua, & particulari affirmatiua de contingenti conuersio similiter se habebit in omnibus, sicut in illis de necessario. Et hoc est dicere, quòd tam vniuersalis, quam particularis de contingenti particulariter conuertitur sic. Si enim detur, quod a. contingit omni b. hoc est, quòd omne b. contingit esse a. sequitur necessario, quòd aliquod a. contingit esse b. Similiter si detur, quòd aliquod b. contingit esse a. sequitur conuertendo, quòd aliquod a. contingit esse b. Si enim non sequitur: tunc oppositum stabit cum præmisso. Oppositum autem vltimæ constitutionis est, quod nullum a. contingit esse b. Tunc ex hac, sicut ex antecedente sequitur, quod nullũ b. contingit esse a. quæ non potest stare cum hac, omne b. contingit esse a. & hoc quidem in consimili ostensum est prius in conuersione illarum de necessario.

Ad hoc autem intelligendum notandum est, quòd cum dicitur, omne b. contingit esse a. contingens accipitur aut pro necessario, aut pro possibili quod est commune vt genus ad vtrumque istorum. Si accipitur pro necessario: tunc quando dicitur, omne vel aliquod b. contingit esse a. ergo aliquod a. contingit esse b. eadem est conuersioni propositionis de necessario affirmatiuæ: & quando probatur propositio affirmatiua de contingenti, sicut dictum est, conuerti in hanc, aliquod a. contingit esse b. & dicitur, quod detur oppositum si sic non conuerti dicatur: & sumit oppositum, hanc scilicet, non contingit aliquod a. esse b. & inferretur ex hac dicendo: ergo non contingit aliquod b. esse a. idem est ac si diceretur, non necesse est aliquod a. esse b. ergo non necesse est aliquod b. esse a. Et est idem ac si diceretur, si antecedẽs est possibile, oportet quòd consequens sit possibile: & per hoc quod est possibile, erit etiam contingens: quia possibile & contingens conuertuntur. Hoc autem in antehabito capitulo ostensum est non sub conuersione contingentis, sed sub conuersione necessarij ad quod sequitur tale contingens.

Adhuc autem si accipiatur contingens in genere quod stat pro possibili: tunc iterum planum est, quòd conuertuntur tam vniuersalis affirmatiua quam particularis affirmatiua de contingenti possibili in particularem affirmatiuam de eodem contingenti: & tunc cum in probatione conuersionis dicitur, non contingit aliquod a. esse b. ergo non contingit aliquod b. esse a. idem est ac si diceretur, necesse est nullum a. esse b. ergo necesse nullum b. esse a. quia quod sic non contingit esse, non

possibile est esse: & quod non possibile est esse, impossibile est esse: & quod impossibile est esse, necesse est non esse: & hoc totum ostensum est prius in vniuersalis negatiuæ de necessario conuersione.

Si autem accipiatur contingens pro non necessario, hoc est, pro contingenti nato vel infinito quòd se habet ad esse & ad non esse, & tali contingenti opponitur tam necessarium quam impossibile: tunc in probatione conuersionis oppositum conuersionis accepti, hæc scilicet, non contingit aliquod a. esse b. potest esse verum duplici de causa, & habet duas causas suæ veritatis. Aut ergo non contingit aliquod a. esse b. quia necesse est omne a. esse b. vel quia necesse nullum a. esse b. quarum vna est vniuersalis affirmatiua de necessario, & alia vniuersalis negatiua de necessario: & conuersio vtriusque dictarum vniuersalium in præcedentibus ostensa est, vbi conuersio illarum propositionum quæ sunt de necessario est ostensa. Manifestum est igitur, quòd in quacunque acceptione sumatur contingens, quòd tenet hæc conuersio, aliquod vel omne b. contingit esse a. ergo aliquod a. contingit esse b. & sic similis est conuersio affirmatiuarum de cõtingenti cum conuersione affirmatiuarum de necessario: quia vtraque ipsarum conuertitur particulariter, sicut affirmatiuæ de necessario.

Hæc propositio, non contingit aliquod a. esse b. habet duas causas veritatis.

Sunt tamen quædam quæ obiici possunt contra ea quæ de conuersione ista dicta sunt quantum ad secundam acceptionem contingentis, quæ est, quòd contingens dicitur non necessarium: & in hac acceptione adhuc satis manifesta est conuersio ipsa: sed dubitatur de probatione conuersionis, non quantum ad vniuersalis conuersionem, quia illa bene probata est, sed quantum ad probationem qua probatur conuerti particularis de contingenti in particularem: probatur enim vniuersalis de plano conuerti in particularem, sic. Si contingit omne b. esse a. ergo contingit aliquod a. esse b. Vel si dicatur, quòd non sequitur: tunc stabit oppositum cum præmisso, hoc scilicet, non contingit aliquod a. esse b. hæc autem potest esse vera: vel quia necesse est nullum a. esse b. vel quia necesse est omne a. esse b. sicut iam ante diximus. Si autem primo modo accipitur: tunc arguitur sic, necesse est nullum a. esse b. ergo necesse est nullum b. esse a. & hoc non potest stare cum prima, hæc scilicet, contingit omne b. esse a. sicut nequit stare cum hac, contingit nullum b. esse a. quia ista conuertitur ad ipsam, sicut patebit inferius. Patet igitur quod conuertitur vniuersalis affirmatiua de contingenti secundum quod contingens accipitur pro non necessario.

Dubitatio.

Sed dubitari potest de conuersione particularis affirmatiuæ, non quoad ipsam conuersionis probationem: conuertitur enim particularis affirmatiua de contingenti sic, contingit aliquod b. esse a. ergo contingit aliquod a. esse b. Dico enim, quod oppositum hic potest stare cum præmisso, hoc scilicet, non contingit aliquod a. esse b. hoc autem non contingit pro hac causa quæ dicta est, scilicet quia necesse sit omne a. esse b. vel nullum a. esse b. sed quia hæc quæ dicit, necesse est omne a. esse b. conuertitur in hanc, necesse est aliquod b. esse a. & hoc non videtur esse inconueniens: hæc enim necesse est aliquod b. esse a. non videtur repugnare primæ, cum vtraque sit particularis affirmatiua.

Et ad hoc dicendum, quòd ratione particularitatis primæ non repugnat, sed ratione necessitatis: in necessaria enim materia tantum valet vniuersalis, quantum particularis: quia illa de necessario ratione habitudinis terminorum dicit inhærentiam simpliciter: & in hac materia tantum valet dicere, necesse est aliquid b. esse a. quantum est dicere, necesse est omne b. esse a. Vnde secundum rem idem est dicere stare cum prima eam quæ dicit, necesse est aliquod b. esse a. & hanc stare cum ipsa, necesse est omne b. esse a. sed hæc vniuersalis non potest stare cum hac, contingit aliquod b. esse a. sicut nec ista, contingit aliquod b. non esse a. quæ cum ipsa conuertitur secundum oppositas qualitates. Patet igitur, quòd hæc probatio sufficiens est ad probandum, quòd ambæ propositiones affirmatiuæ, tam vniuersalis scilicet, quam particularis conuertuntur particulariter: & hoc est quod intendimus.

Solutio.

Dubitatio bona.

Adhuc tamen quædam inferuntur instantiæ contra hanc conuersionem in eadem acceptione contingentis prout contingens est non necessarium. In hoc enim modo contingit, contingit omnem hominem esse musicum, & contingit nullum hominem esse musicum, & contingit aliquem hominem esse musicum: quia etiam contingit aliquem hominem non esse musicum: & sic contingens in istis se habet ad esse & non ad esse. Si tamen istæ conuertantur vt sic dicatur, contingit aliquod musicum esse hominem, non erit eadem acceptio contingentis: quia in primis accipitur contingens pro non necessario: cum autem dicitur, contingit musicum esse hominem, accipitur contingens pro necessario: quia cum dicitur, contingit musicum esse hominem, non potest musicum non homo esse: & sic musicum necesse est esse hominem: & sic videtur, quòd istæ propositiones non conuertantur, ita quod ea quæ conuertitur & ea in quam conuertitur, in eadem remaneant acceptione contingentis, sed cum prima stet pro contingente nato, secunda ad quam conuertitur stabit pro contingenti necessario,

Solutio quorundam cui adhæret Autor.

Ad hoc autem dicunt quidam, quòd contingens acceptum pro non necessario non conuertitur in eadem contingentis acceptione, sicut iam probatum est: sed conuertitur in contingens commune quod conuertitur cum possibili, & sequitur ad necessarium, sicut sequitur vniuersale ad suum particulare. Et hoc videtur velle Arist. in litera primi priorum, vbi loquitur de hac conuersione, quod scilicet contingens non necessarium non semper conuertitur in eadem acceptione contingenti: conuertitur tamen ad contingens acceptum pro possibili: & hoc videtur per hoc, quod in probatione non descendit ad modos speciales

ciales contingentis: si enim de contingenti in speciali intendisset, vique ad modos speciales descendisset, & in illis ostendisset conuersionē.

Contingens non necessarium duplex.

Scias tamen, quòd sicut dictum est in antehabitis, contingens quod non est necessarium, duplex est, natum scilicet, & infinitum: & infinitum quidem conuertitur in eadem acceptione contingentis, sicut patet cum dicitur, contingit ambulans esse hominem, & contingit hominem esse ambulans. Contingens autem natum non conuertitur in eadem contingentis acceptione, sicut patet cum dicitur, contingit hominem esse grammaticum, quia naturalem aptitudinem habet ad hoc quod sit grammaticus: & si conuertatur, non erit idem contingens, sicut patet cum dicitur, contingit grammaticum esse hominem: non enim est contingens natum quo contingit esse hominem, sed contingens quod sequitur ad necessarium, quia grammaticum necesse est esse hominem. Et similiter est in istis propositionibus, contingit animal esse sanum vel vigilans, si conuertantur sic, contingit sanum vel vigilans esse animal, erit contingens natum mutatum ad contingens commune quod conuertitur cum possibili, quod sequeretur ad necessarium.

CAPVT XIV.

De conuersione negatiuarum de contingenti.

In negatiuis vero non similiter, &c.

COnsequenter agendum est de conuersione negatiuarum propositionum de contingenti, qualiter scilicet fiat de conuersione scilicet vniuersalis negatiuæ, & de conuersione particularis negatiuæ. Dicamus igitur, quòd in negatiuis propositionibus de contingenti quibusdam, non similiter se habet conuersio ad conuersiones negatiuarum de inesse, & ad conuersiones earum quæ sunt de necessario. Vt autem sciatur in quibus est similis conuersio ad illas de inesse, & in quibus dissimilis, oportet scire, quoniam contingere multipliciter dicitur, sicut iam ante dictum est: quoddam enim sequitur ad necessarium, quoddam autem supponit non necessarium: & quamuis illud quod est genus, sit secundum se non necessarium: tamen speciem habet quæ est necessarium. Dicamus igitur, quòd negatiuæ illæ quæcunque sunt de contingenti necessario (ideo contingere dicuntur, quia ex necessitate non insunt prædicata suis subiectis, quod est contingens quod conuertitur cum necessario) Itemque illæ propositiones negatiuæ quæcunque sunt de contingenti communi quod est genus ad alia (hoc est quæcunque contingere dicuntur, eo quod non ex necessitate insunt, sicut illæ quæ sunt de contingente quod conuertitur cum possibili; quod in genere considerarum determinatur per non ex necessitate inesse, quamuis habeat quasdam species quæ sunt de necessario non inesse) Istæ, inquam, propositiones de duobus istis modis contingentis, similiter se habent in conuersione ad negatiuas de inesse, & ad negatiuas de necessario, siue sint vniuersales negatiuæ, siue sint particulares negatiuæ.

Harum autem propositionum hæc sunt exempla: si quis enim dicat hominem contingere non esse equum, hoc est, contingit hominem non esse equum, dicet negatiuam de contingenti quod conuertitur cum eo quod est ex necessitate non inesse prædicatum subiecto: quia necesse est, quòd homo non sit equus. Exemplum autem alterius est, quod scilicet est contingens, eò quod non ex necessitate inest, vt si quis dicat album nulli tunicæ contingere inesse, sic proponens, contingit nullam tunicam esse albā: horum enim primum ex necessitate non inest. Secundum vero non necesse est inesse: quia contingit nullam tunicam esse albam, eo quod non est necesse: hoc enim contingens opponitur necessario: & ideò negatur ab ipso necessarium, & dicitur contingere per hoc quod non est necessarium non inesse.

Remouet dubium.

Et attende, quòd hoc non est contingens natum, vel contingens infinitum, vt statim in sequentibus patebit: quia propositio vniuersalis negatiua de contingente nato vel infinito non potest conuerti, sicut in sequentibus istius capituli parebit: sed intelligitur de contingenti quod conuertitur cum possibili quod est contingens commune siue altum, quod secundum suum genus determinari habet per non necessarium, nec aliter bene potest determinari: non enim differt à necessario nisi in hoc, quòd secundum genus acceptum (sed non in specie) est non necessarium. Quamuis ergo detur exemplum de hoc contingente in hoc, quod nulli tunicæ contingit inesse album, & hoc exemplum videatur esse de contingente ad vtrumlibet: tamen ad hoc non inducitur exemplum, sed potius manifestatur in specie quadam sui contingens non necessarium: cum tamen in specie non accipiatur istud contingens, sed in genere: quia aliter in eadem acceptione contingentis non posset conuerti propositio negatiua de contingenti.

Quod autem tales negatiuæ de istis duobus contingentibus similiter conuertantur sicut negatiuæ de inesse, & sicut negatiuæ de necessario, sic probatur. Si enim contingit nulli homini equum inesse, hoc est, si hæc est vera, nullum hominem esse equum est contingens: tunc etiam conuersa est vera, hæc scilicet quòd nulli equo contingit esse hominem, siue hæc, nullum equum esse hominem est contingens, & sic vniuersalis negatiua de contingente quod est ex necessitate non inesse, conuertitur in terminis. Similiter autem est in alio contingente, quod determinatur per non necessarium: quia si album contingit nulli tunicæ inesse, hoc est, quòd nullam tunicam contingit esse albam: tunc conuersio fit sic, quòd tunicam contingit nulli albo inesse, hoc est, quod nullum album contingit esse tunicam: & hæc similiter conuersio est in terminis. Probare autem non indigemus primam conuersionem quæ est contingentis necessarij non inesse: quia per se manifesta est. Sed

secunda quæ est de contingente non necessario, sic probatur. Dico enim, quòd sequitur si nullam tunicam contingit esse albam, quòd contingit nullum album esse tunicam: vel detur oppositum, hoc scilicet, non contingit nullum album esse tunicam: sed hæc conuertitur cum hac, necesse est aliquod album esse tunicam: sed ex hac sequitur, quòd necesse est aliquam tunicam esse albam: & hæc non potest stare cum prima, hac scilicet, contingit nullam tunicam esse albam; hoc enim ostensum est prius in conuersione illarum quæ sunt de necessario.

Similiter autem fit conuersio in particulari negatiua de hoc eodem contingente, vt si dicam, quendam hominem contingit non esse equum, & quendam equum contingit non esse hominem. Vel sic, quandam tunicam contingit non esse album, & quoddam album contingit non esse tunicam. Sed oportet, quòd non necessarium contingere non accipiatur pro contingente nato, nec etiam pro contingente infinito siue ad vtrumlibet: quia in illis vniuersalis negatiua non conuertitur in terminis, sicut patebit statim in sequentibus istius capituli. Et semper accipiendum est contingens in genere quòd conuertitur cum possibili: & hoc est contingenter quod stat supra non esse, & non habet se ad esse: quia quod se habet ad esse & non esse, est cõtingens natum & contingens infinitum: illud autem contingens quod est in secundo ordine modalium, est contingens non esse tantum, & non cõtingens esse & non esse, & ad illud sequitur necesse, sicut cum dicitur contingens non esse, non possibile non esse, & non necesse esse: secundum hoc enim possibile vel contingens non esse, est quod non est necessarium esse, quamuis non sit contingens non esse & contingens esse.

Et sicut dictum est, quòd exemplum quod positum est in terminis qui sunt album tunica, qui sunt de contingente ad vtrumlibet, non est propter hoc factum, quòd in eis ostendatur conuersio secundum contingens ad vtrumlibet: sed vt daretur exemplum de non necessario: & quòd conuersio fuit facta in exemplo, non fuit vt ostenderetur conuersio in tali contingenti fieri ratione speciei contingentis, sed vt ostenderetur in genere: nec sequitur, si nulli tunicæ contingat esse album, quòd nullum album contingat tunicæ, nisi secundum possibile & contingens acceptum in genere, sicut in antehabitis dictum est: & si esset conuersio secundum contingens natum vel infinitum, oporteret quòd vniuersalis negatiua de contingente ad vtrumlibet conuerteretur in terminis, quod ostenderetur esse inconueniens.

Vnde hæc conuersio est secundum contingens, quod per nihil aliud determinatur nisi per non necessarium non inesse. Et non sequitur, est non necessarium ad non esse: ergo æqualiter se habet ad esse, & ad non esse: hoc enim non conuenit contingenti in genere, ad quod sequitur & necessarium non esse & non necessarium non esse.

Remanet distinctum.

Quæcunque autem vt in pluribus, &c.

Quæcunque vero sunt negatiuæ propositiones quæ sunt de contingente quod est in pluribus partibus contradictionis, hoc est, se ad esse & ad non esse habentia, & dicuntur contingere in eo quod nata sunt magis se habentia ad vnum quam ad alterum, & tamen habent causam quæ impediri potest. Et similiter illa quæ sunt æqualiter se ad esse & ad non esse habentia, sicut illæ quæ sunt de contingenti infinito, quemadmodum iam ante determinauimus siue distinximus multiplicitatem contingentis, illæ vniuersales negatiuæ propositiones de contingente nato vel infinito non similiter se habebunt in conuersionibus sicut vniuersales negatiuæ de inesse & de necessario, ita scilicet, quòd vt illæ in terminis conuertantur: sed vniuersalis quidem priuatiua siue negatiua propositio in talibus non conuertitur in terminis: particularis vero conuertitur in terminis. Hoc autem quamuis fiat manifestum in sequentibus istius libri quando de contingente dicitur, tamen vt facilior sit doctrina etiam hic dicemus.

Quare vniuersalis negatiua de contingenti nõ necessario non conuertitur in terminis.

Dico igitur, quòd vniuersalis negatiua de contingente nato vel infinito, non conuertitur in terminis: quia si conuerteretur in terminis, sequeretur quòd vniuersalis affirmatiua conuerteretur simpliciter & vniuersaliter, quod fieri non potest, sicut in antehabitis ostensum est. Hoc autem sic probatur: si enim de contingente nato vel infinito contingit omne b. esse a. contingit nullum b. esse a. hoc enim probabitur in sequentibus: & si nullum b. contingit esse a. si dicatur illam conuerti, tunc contingit nullum a. esse b. & si contingit nullum a. esse b. contingit omne a. esse b. ergo à primo ad vltimum si contingit omne b. esse a. contingit omne a. esse b. & sic conuerteretur affirmatiua simpliciter & vniuersaliter, quod est inconueniens: & ideo vniuersalis negatiua de tali contingenti conuerti non potest.

Particularis autem negatiua conuertitur de eodem contingente: quia si particularis conuertitur de illo contingente, conuertitur secundum oppositas qualitates: si enim aliquod b. contingit esse a. aliquod b. contingit non esse a. Particularis autem affirmatiua de tali contingente conuertitur in terminis, sicut & particularis negatiua.

Hoc igitur est quod de contingente & de conuersione propositionum de contingenti volumus dicere: quia alia quæ dici vel obiici possunt, sunt plana: & per ea quæ dicta sunt (quæcunque obiici possunt) facile possunt determinari: tamen omnia quæ dicta sunt, magis erunt in sequentibus manifesta quando de contingenti loquemur.

CAPVT XV.

De remotione erroris qui posset incidere.

SEd quia hic diximus affirmatiuas & negatiuas ad compositionem dicti referentes affirmationem & negationem in earum propositionum quæ inductæ sunt conuersione, ne putet aliquis affirmatiuam vel negatiuam esse propositionem, per hoc quod est affirmatiua vel negatiua esse vel dicti, sed potius per hoc

quod

Nunc autē tantum sit nobis, &c.

quod est affirmatiua vel negatiua modi, ideo dicimus, quòd nunc quoad propositam intentionem tantum sit nobis manifestum quomodo contingere nulli aut alicui non inesse (modo affirmato & dicto vniuersaliter vel particulariter negato) affirmatiuam habet figuram & speciem: & est propositio affirmatiua vel negatiua quæ est de modo affirmato vel negato, sicut in perihermen. dictum est. Huius autem ratio est: quia contingit in modalibus & omnibus propositionibus de inesse quæ ad hoc. similiter ordinantur: quia sicut est vel esse (quibus est prædicatur vt adiacens prædicatum subiecto) facit affirmatiuam propositionem: & à quibuscunque vt adiacens per negationem remouetur, facit negatiuam propositionem: & hic ita est omninò siue vniuersaliter, sicut patet in exemplis, vt est bonum, est non bonum: vel est simpliciter non hoc, hoc est, non homo, vel non asinus: omnes enim illæ sunt affirmatiuæ: & similiter est in modalibus de modo affirmato vel negato. Hoc autem etiam melius ostenderur per sequentia.

Secundum conuersiones autem propositiones de contingenti similiter se habebunt aliis, vt dictum est, excepto quod vniuersalis negatiua de contingente nato vel infinito non conuertitur in terminis. Quamuis quidam contra hoc obicientes contrarium probare videantur hoc modo. Dicunt enim, quòd vniuersalis negatiua de contingenti nato vel infinito conuertitur, sed non in eadem acceptione contingentis, sed conuertitur ad contingens communiter acceptum.

Primo obiectio quorundam.

Obiiciunt ergo secundum hunc modum dicentes, quòd id quod per se ineſt superiori, ineſt cuilibet suorum inferiorum. Sed conuerti in terminis vniuersalem negatiuam ineſt contingenti communi siue alto: ineſt ergo cuilibet suorum inferiorum: ineſt ergo tam contingenti nato quam infinito: & sic vniuersalis negatiua de contingente nato & de contingente infinito conuertuntur in terminis.

Secunda.

Adhuc autem si aliqua duo conuertuntur, eodem vtrique addito adhuc conuertuntur: sed istæ duæ conuertuntur, nullum b. est a. & nullum a. est b. quocunque modo sumantur ineſſe siue contingenter siue ex necessitate: ergo eodem addito vtrobique adhuc conuertuntur: additur autem idem sic, nullum b. contingit esse a. & nullum a. contingit esse b. ergo conuertuntur adhuc: & sic conuertitur vniuersalis negatiua de contingenti nato & infinito: hoc enim additur vtrobique.

Tertia.

Adhuc autem quod sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens, per hoc quod dicitur in prædicamentis, quando alterum de altero dicitur vt de subiecto, quæcunque de prædicato dicuntur, omnia de subiecto dici necesse est: sed contingere non esse (simpliciter & communiter accepto contingente) sequitur ad contingens natum & infinitum, sicut genus ad speciem: ad contingere autem non esse (simpliciter accepto contingente) sequitur conuersio in terminis in negatiuis propositionibus: ergo conuerti in terminis sequitur etiam ad antecedens eius. antecedens autem contingentis communis est contingens natum & contingens infinitum: ergo conuerti in terminis sequitur ad contingens natum & ad contingens infinitum.

Adhuc au em hoc idem probari videtur per deductionem ad impossibile. Dico ergo si contingit nullum b. esse a. dico, quòd sequitur, quòd contingit nullum a. esse b. vel detur oppositum, hoc scilicet, non contingit nullum a. esse b. posito tamen quod contingit nullum b. esse a. Sed hæc, non contingit nullum a. esse b. conuertitur cum hac, necesse est aliquod a. esse b. & si necesse est aliquod a. esse b. sequitur, quòd necesse est aliquod b. esse a. & hæc est incompossibilis primæ quæ dixit, contingit nullum b. esse a. videtur igitur, quòd conuersio stet & sit bona.

Quarta.

Ad hæc autem & similia per antedicta soluere non est difficile. Dicendum enim sicut prius, quòd negatiua de contingenti nato, vel infinito, non conuertitur in terminis, sicut dictum est. Ad id autem quod obiicitur, dicendum quòd per naturam contingentis communiter dicti siue alti (quæ inuenitur in contingenti nato & in contingenti infinito sicut inuenitur natura generis in speciebus) potest fieri conuersio in contingenti nato & infinito: sed respiciendo ad propriam naturam contingentis nati & infiniti conuersio fieri non potest, propter causam quæ in antehabitis de conuersione vniuersalis affirmatiuæ dicta est: & per hoc patet solutio ad primum & tertium.

Solutio ad primam & tertiam.

Ad id autem quod obiicitur, si aliqua duo conuertuntur, quod addito vtrobique eodem adhuc conuertuntur. Dicendum, quòd si id quod vtrobique additur, eiusdem virtutis est & acceptionis in vtroque: tunc verum est quod dicitur. Si autem non sit vnius acceptionis in vtroque: tunc non oportet, quòd conuertantur. Cum autem sic dicitur, contingit nullum b. esse a. contingit notat contingens natum vel infinitum: & cum conuertitur, sic dicitur, contingit nullum a. esse b. notatur contingens commune, quod pro possibili ponitur: & hoc manifestum fit, quando ponitur in terminis significatiuis: si enim dicatur sic, contingit nullum hominem esse album, notatur contingens ad vtrumlibet. Si autem conuertatur & dicatur sic, contingit nullum album esse hominem, notatur contingens pro possibili, quod est contingens commune: vnde iste sensus est, contingit nullum album esse hominem, hoc est, non necesse est aliquod album esse hominem. Diximus autem in antehabitis, quòd contingens commune determinatur per non necessarium solum nullo addito.

Ad secundum.

Ad deductionem ad impossibile quam ponit, dicendum quòd satis bene probat, quòd contingens natum & infinitum conuertuntur ad contingens commune: sed non probat, quòd conuertantur in eadem acceptione contingentis.

Ad quartum.

Summatim autem notandum est, quòd necessarium & contingens natum & contingens infinitum (quæ se habent aliquo modo ad esse) dicuntur contingere esse. Possibile autem & contingens natum, & contingens infinitum, dicuntur etiam contingere non esse: sed necessarium (quod est contingens esse) non dicitur

contingere non esse: hæc enim duo sunt quasi species contingentis communiter accepti. Dicitur etiam possibile esse contingere esse, & etiam possibile non esse dicitur contingere non esse, sic sumpto possibili & contingenti secundum genus.

Adhuc autem notandum, quòd affirmatiua propositio de contingenti secundum omnem modum acceptionis contingentis conuertitur in terminis sub eadem acceptione contingentis, eo modo quo conuertuntur propositiones de inesse, & de necessario. Negatiuæ autem de contingenti sumpto secundum genus, & de contingenti sumpto secundum necessarium secundum quod necesse non esse dicitur contingere non esse. Similiter & per eundem modum conuertuntur sicut negatiuæ de inesse & de necessario. Propositiones autem de contingente nato & infinito aliter se habent in conuersione, quam aliæ negatiuæ propositiones, de inesse scilicet, & de necessario. In illis enim non conuertitur particularis negatiua in terminis: vniuersalis autem negatiua conuertitur. Sed in propositionibus de contingente nato & infinito est è conuerso: quia in his conuertitur particularis negatiua, & non conuertitur vniuersalis negatiua.

Contingenti nato & infinito opponitur tam necessariũ quã impossibile: contingenti autem possibili & necessario solum impossibile opponitur.

Est autem adhuc his adiiciendum, quòd contingenti nato & infinito opponitur tam necessarium quam impossibile: quia tale contingens se habet ad esse & non esse: necessarium autem tantum se habet ad esse, & impossibile tantum ad non esse: contingenti autem sumpto secundum genus, & sumpto pro necessario secundũ quod necessarium esse dicitur contingere esse, opponitur tantum impossibile.

TRACTATVS II.

De generatione syllogismorum in figura.

CAPVT I.

De modo procedendi in hac materia.

His verò determinatis dicendum est, &c.

His verò sic prælibatis tanquam syllogismorum principiis, dicendum est iam deinceps, per quæ sicut per terminos & propositiones & principia, & quando quantum ad figuras, & quo modo quantum ad modos & coniugationes fit omnis syllogismus, & posteà in libro posteriorum analyticorum dicemus de demonstratione, & scientia demonstratiua: quia in illa saluatur perfectè forma syllogismi: & non ita saluatur in scientia dialectica, & syllogismo dialectico probabili: minus autem saluatur in sophistico.

Forma syllogismi perfectè saluatur in demonstratione, deinde in syllogismo probabili, vltimò in sophistico.

De syllogismo autem simpliciter primo dicendum quia à communioribus debet incipere speculatio. Vniuersalior autem est syllogismus simpliciter quam demonstratio: quia non conuertitur consequentia à syllogismo ad demonstrationem: omnis enim demonstratio syllogismus est, sed non omnis syllogismus demonstratio. De syllogismo igitur primo dicendum est. Inter alia autem quæ de syllogismo dicenda sunt, prius dicendum est per quæ quoad terminos & propositiones fiat syllogismus: & prius dicendum erit de generatione syllogismorum, & ita descendendum erit ad alia. Ad generationem autem syllogismi requiritur ordo terminorum in propositionibus syllogismi positorum, ex quo ordine generantur syllogismorum diuersæ figuræ. Et cum omnis syllogismus in figura prima primam suam & formalem habeat generationem, oportet quòd de tali ordine terminorum primo dicatur: & quia ordinatio primæ figuræ sit secundum naturalem rerum & terminorum situm, & taliter non ordinantur termini in secunda & tertia figuris, in primo inchoandum est de ordinatione terminorum secundum generationem primæ figuræ: & postea erit dicendum de ordinatione terminorum ad secundæ & tertiæ figuræ constitutionem: deinceps autem de inuentione medij erit dicendum, quia illa refertur ad syllogismi generationem. Dicendum autem etiam de syllogismorum imperfectorum reductione: quia quandiu syllogismus est imperfectus, quæcunque requiruntur ad perfectionem ipsius, sunt aliquo modo de ipsius generatione. Posteà verò sub alterius libri principio determinabimus modos speciales faciendi syllogismos, sicut ex hypothesi, & ad impossibile, & alia quæcunque videbuntur ad potestatem syllogismi siue scientiæ syllogisticæ pertinere: sic enim ordinatè melius memoriter retinebitur id quod est tradendum.

Hoc idem supra c. 9. dixit de conuersionibus.

Pro terminis autem vtimur terminis transcendentibus: eò quod hæc ars communis est, & omni materiæ aptabilis, & nullam sibi determinat materiam specialem: terminos autem transcendentes vocamus a. b. c. eò quod termini illi nihil secundum se significant: & ideo pro omnibus possunt poni. Nos enim non quærimus hìc nisi generationem syllogismi secundum formale esse suum secundum quod syllogismus est: & ideo oportet tales terminos ponere, in quibus non significetur nisi forma syllogismi: quia si aliquid significarent determinatè, non denotaretur in eis forma omnibus applicabilis. Talis igitur erit noster modus procedendi.

CAPVT

CAPVT II.

De formatione syllogismorum vniuersalium, & vtilium coniugationum primæ figuræ, & quid sit figura, & quid sit figura prima.

Quare prius ab illis de inesse incepit.

LOquitur ergo primo de formatione syllogismorum ex propositionibus de inesse formatorum: quia illæ sunt simpliciores quam propositiones quæ sunt tum modo, quæ dicuntur modales. Ad hoc autem sciendum oportet scire quid figura, & quid figura prima. Sciendum autem, quòd figura syllogismi non est nisi possibilis ad syllogismi complexionem trium terminorum dispositio & ordo.

Ratio metaphoræ horum nominum, figura, & terminus, in syllogismo.

Vnde sicut terminus in hac scientia metaphoricè dicitur à termino in quantitate, ita etiam figura metaphoricè dicitur à figura quæ est terminus quidam in quantitate: figura enim in quantitate dicitur terminatio quanti, quod est superficies vel corpus. Sicut autem terminus in quantitate non est nisi secundum principium, vel medium, vel finem: est enim terminus ad quem est continuatio, & hoc non potest esse nisi aut vt à quo, & hoc est principium: aut vt ad quod, & hoc est finis: aut simul vtraque ratione, hoc est, vt à quo & ad quod, & hoc est medium. Cum ergo transferentes secundum aliquam similitudinem trãsferant, non potest esse terminus in syllogistica scientia, nisi vt à quo est decursus syllogisticus, & hoc est maior extremitas: vel ad quod stat decursus syllogisticus, & hoc est minor extremitas quæ vltimo sub medio accipitur: & vlterius post ea nihil est de decursu syllogistico nisi & medium per quod decurrit ratio in cursu syllogistico. Et sic non sunt nisi tres termini in generatione figuræ quæ perfectum format syllogysmum, & in omni ratione termini perfectam habent rationem terminorum. Maior enim extremitas ambitu suæ communitatis extra medium est: secundum substantiam autem & intellectum & diffinitionem est intra medium, & ad medium quasi continuata. Medium autem ad se terminat fluxum maioris extremitatis, & ex se dirigit in minorem: & ideo naturali positione in prima figura extremitas maior terminus maior est, & medium naturali positione medium, & minor extremitas naturali positione est terminus minor.

Quando termini in primæ figuræ habent perfectam rationem terminorum.

Propter quod perfecta est hæc figura, & dicitur esse ad modum triãguli quæ est prima figura rectilineaꝝ figurarum: propositiones enim secundum debitam quantitatẽ & qualitatem coniunctæ sunt quasi lineæ in vno termino (qui est medium) sese contingentes: & conclusio aduenies, & ex his deducta diuisas à se coniungit extremitates: propter quod etiam ab Arist. syllogismus primæ figuræ vocatur syllogismus extremitatum. Hæc igitur est figuræ ratio & terminorum & similitudo translationis.



Dicitur etiam syllogismus primæ figuræ syllogismus extremitatum: quia in eo concludũtur extremæ de se inuicem, quæ sunt verè extremæ: cum in ea sola sit etiã verè medium: & hæc causa assignatur parum infra in hoc c. Dubitatio.

Solutio.

Siquis autem obiiciat, quòd secundum duplicem vel multiplicem situm medij deberet prima figura in duas vel plures diuidi: quia medium potest primo subiici & posteà prædicari, & è contra potest primo prædicari & posteà subiici. Vel vt melius dicatur, potest primo accipi maior extremitas sub medio, & minor ante medium: & adhuc potest accipi secundum distantiam æqualem medium inter extrema, & secundum distantiam inæqualem: & sic septem modis disponitur medium inter extrema, vt docet Arist. in libro de sensu & sensato: & sic etiam inter extrema syllogistica multiplex medij dispositio multiplicem deberet facere figuram, vt videtur. Respondendum est, quod medium rationis in decursu syllogistico non habet similitudinem ad mediũ in motu, qui est de extremo in extremum per medium, nisi in genere, in hoc scilicet, quòd medium est quod est inter extrema: quia illud in decursu rationis sub alio accipitur, & aliud accipitur sub ipso: & ideo vlteriorem in hac dispositione non potest facere figuræ multiplicitatem: propter quod hæc figura vlterius non habet figuram, sed per dispositionem terminorum in figura complexionatur in modos. Et sic termini & propositiones sunt syllogismorum materia, termini quidem materia remota, propositiones autem propinqua, & figura forma est syllogismi remota; & modus forma syllogismi propinqua.

Propositiones & termini sunt materia syllogismorum; figura autem & modus sunt formæ. In prima figura 16. possunt fieri combinationes.

His autem sic determinatis sciendum, quòd in tali dispositione terminorum & propositionum complexione 16. resultant combinationes siue coniugationes secundum quantitates & qualitates propositionum prouenientes. Si enim medium maiori subiicitur, & de minori prædicatur: aut erunt ambæ propositiones vniuersales, aut ambæ particulares, aut vna vniuersalis & altera particularis, hoc est duobus modis: quia aut maior erit vniuersalis, & minor particularis: aut è conuerso, maior particularis, & minor vniuersalis: quæ sunt quatuor acceptæ secundum complexionem quantitatis, quarum si per affirmationem & negationem quælibet multiplicatur in 4. fiunt in vniuerso 16. coniungationes sic. Si enim ambæ sint vniuersales: aut erunt ambæ affirmatiuæ, aut ambæ negatiuæ, aut maior affirmatiua & minor negatiua, aut è conuerso maior negatiua & minor affirmatiua: & istæ sunt quatuor coniugationes. Si autem ambæ sunt particulares, iterum quatuor coniugationes resultabunt: quia aut erunt ambæ affirmatiuæ, aut ambæ negatiuæ, aut maior negatiua & minor affirmatiua, aut è conuerso maior affirmatiua & minor negatiua: & sic fiunt octo coniugationes. Si autem vna sit vniuersalis & altera particularis, & maior sit vniuersalis & minor particularis, iterum resultant 4. coniugationes: quia aut

ambæ affirmatiuæ, aut ambæ negatiuæ, aut vna negatiua & altera affirmatiua: & hoc erit duobus modis, scilicet quòd maior sit negatiua & minor affirmatiua, aut è conuerso: & sic fiunt 12. coniugationes. Si autem minor sit vniuersalis & maior particularis, secundum eundem 4. resultabunt coniugationes secundum hoc quod vel ambæ sunt affirmatiuæ, vel ambæ negatiuæ, vel vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua, vel è conuerso particularis affirmatiua & vniuersalis negatiua. Et sic patet, quòd 16. erunt coniugationes, ex quibus quatuor erunt vtiles, & 12. inutiles.

Quãdo igitur tres termini sic se habent, &c.

Quando igitur tres termini in duabus propositionibus sic se habeant secundum positionem & ordinem adinuicem, vt & postremus qui est minor extremitas, & subiectum in minore propositione sit in toto medio: & medius secundum eandem positionem sit in toto primo, qui est maior extremitas: & prædicatum in prima propositione siue sit, siue non sit, hoc est, siue secundum affirmationem siue secundum negationem propositionum, necesse est in dispositione tali perfectum esse syllogismum extremitatum, hoc est, qui maiorem extremitatem concludit de minori extremitate. Et hoc est in prima figura, in qua medium verè medium est, & extremitates sunt verè extremitates. In aliis autem medium & extrema non habent perfectam medij & extremorum rationem: & ideo in illis figuris non perfectè fit syllogismus extremitatum. Quid autem sit in toto esse, per antecedentia est manifestum: quia in toto esse est de omni prædicari. Ponamus enim tres terminos sic dispositos, animal homo risibile: animal enim in toto est medio, hoc est, homine, quia vniuersaliter de omni homine prædicatur: & homo in toto est extremo, quia homo de omni risibili prædicatur.

Quid sit primæ figura.

Obiectio.

Et si quis obiiciat, quòd si medium in toto sit postremo, & maius in toto sit medio: tunc ex paribus & conuertibilibus nunquam fit syllogismus in prima figura, quod falsum est, cum potissima demonstrationum sit ista quæ fit ex conuertibilibus: & hoc patet sic syllogizando, quod omnis homo est animal rationale mortale: omne risibile homo: ergo omne risibile animal rationale mortale. Ad hoc autem iam per dicta patet solutio: quia in toto esse est de omni parte eius prædicari: & tunc tam ex conuertibilibus, quam non conuertibilibus quæ vniuersaliter prædicantur, fit syllogismus. Dicunt tamen aliqui, quòd duplex est prædicatum, scilicet prædicatum materiale, & prædicatum formale: qualecunque enim prædicatum sit materialiter, semper formaliter prædicatum est in toto subiecto: & hoc modo etiam paria & conuertibilia prædicata inquantum prædicata sunt, communiora sunt in suis subiectis. Prima autem responsio melior & magis ad propositum secundum istius scientiæ proprietatem.

Solutio quomodo stante descriptione primæ figuræ, adhuc saluatur syllogismus in terminis paribus. Alia solutio.

Quid sit medium in prima figura, & quæ extrema.

Voco autem medium per metaphoram superius inductam, quod & ipsum in alio est vt maiori, & aliud in ipso est vt minus: contentum enim secundum ambitum prædicationis semper minus est quam continens, & totum est in continente: hoc enim in tali figura dispositionis terminorum etiam positionis ordine fit medium, quia inter extrema secundum ambitum prædicationis constitutum. Extrema verò voco hoc quod & ipsum in alio & aliud in ipso est, hoc est, quorum vnum est in alio contentum per prædicationis ambitum sicut minus extremum est in medio, & sicut maius extremum in quo est medium secundum ambitum prædicationis.

Sic autem formantur duo modi syllogismorum vniuersalium secundum vtiles coniugationes, vna secundum esse affirmatum, & altera secundum esse negatum. Si enim a. de omni b. prædicetur: & b. prædicetur de omni c. necesse est. à. de omni c. prædicari, sic, omne b. est. a. omne c. est. b. ergo omne c. est a. Et hic est modus primus confirmatus per hoc quod dicitur in prædicamentis, quando alterum de altero prædicatur vt de subiecto, quæcunque de prædicato dicuntur, eadem de subiecto dici necesse est. In antehabitis autem prius dictum est, quomodo dicimus aliquid de omni prædicari. Similiter autem formatur syllogismus secundus secundum non esse siue secundum negatiuam conclusionem sic: si enim a. de nullo b. prædicatur & ab eo vniuersaliter negatur maior extremitas de medio. b. autem prædicatur de omni c. medium scilicet de minori extremitate, sequitur quoniam a. nulli c. inerit, sic, nullum b. est a. omne c. est b. ergo nullum c. est. a. Et confirmatur per eandem quæ dicta est regulam: quando enim alterum prædicatur de altero vt de subiecto, quæcunque negantur de prædicato, necesse est eadem de subiecto negari: & ideo quia medium est prædicatum consequens ad minorem extremitatem, necesse est, quòd maior extremitas quæ negatur de medio, negetur etiam de minori extremitate. Istæ ergo sunt vtiles & vniuersales coniugationes primæ figuræ.

Primus modus vtilis primæ figuræ, scilicet barbara.

Si enim a. de omni b. & b de omni. c.

Secundus modus vtilis, scilicet celarent.

Similiter autem & si. a. de nullo.

CAPVT III.

De inutilibus & vniuersalibus coniugationibus primæ figuræ.

INutiles autem coniugationes formantur iuxta istas secundum diuersam affirmationis & positionis complexionem, sicut paulo ante dictum est. Si enim primum quidem siue maius extremum omni quidem inest medio, medium verò nulli inest extremo: tunc maior propositio erit affirmatiua & minor negatiua: & ex tali coniugatione nihil sequetur, & non erit syllogismis extremitatur, hoc est, in quo maior extremitas de minori concludatur: neque sequetur aliquid eo quod hæc sunt, hoc est, propter figuram & complexionem propositionum. Huius autem signum est, quòd contingit secundum talem complexionem primam siue maiorem extremitatem, & omni & nulli inesse: & ideò semper oppositum contingit verificari cum opposito: si enim

Si verò primum quidem omni medio, &c. Prima coniugatio inutilis.

enim omni sequitur nulli, cum eodem ipso verificatur, quod falsum est: & è conuerso si nulli sequitur omni, cum ipso verificatur: & si verificatur omni, verificatur & alicui, quod est contradictorium ad nulli: & si verificatur nulli, verificatur etiam alicui non, quod est contradictorium ad omni: propter quod nec particularis nec vniuersalis, sequitur conclusio ex talibus præmissis: cum enim nihil necessario sequitur per hæc quæ præmissa sunt, non potest fieri syllogismus, sicut patet per diffinitionem syllogismi, quæ est, quòd syllogismus est oratio in qua quibusdam positis aliud ex necessitate accidit.

Secundæ inutilis. Quando nec primum medij, &c.

Instando autem in tali coniugatione demonstratur in terminis: termini enim in quibus sequitur omni inesse, sunt animal, homo, equus, sic, omnis homo est animal: nullus equus est homo: ergo nullus equus est animal: & hoc falsum, quia omnis equus est animal. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse, animal, homo, lapis, sic, omnis homo est animal: nullus lapis homo: ergo nullus lapis animal. Patet igitur, quòd hæc est inutilis coniugatio.

Similiter autem est si ambæ sint vniuersales negatiuæ: in his enim sequitur etiam omni & nulli inesse: & termini in quibus sequitur omni inesse, scientia, linea, medicina, sic, nulla linea scientia: nulla medicina linea: ergo nulla medicina scientia: & hoc est falsum: quia omnis medicina scientia. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse, sunt scientia, linea, vnitas, sic, nulla linea scientia: nulla vnitas linea: ergo nulla vnitas scientia.

Vniuersalibus igitur acceptis terminis & propositionibus ex dictis manifestum est quãdo erit & quando non erit in hac figura syllogismus, & quando erit vniuersalis conclusionis syllogismus. Manifestum est etiam, quòd quando est syllogismus vtilis coniugationis, necessarium est quod termini se habeant sicut diximus, hoc est, quòd vniuersalis sit affirmatiua vel negatiua & maior, minor autem sit vniuersalis affirmatiua semper: quando enim sic se habent, semper erit vtilis coniugationis syllogismus, sicut patuit per antedicta.

Obiectio.

Si autem inutilis coniugatio propter hoc est: quia in eadem dispositione & complexione sequitur omni & nulli inesse; tunc videtur primus modus esse inutilis coniugatio: quia sequitur omni & nulli inesse in eadem dispositione & complexione. Quod enim sequatur omni, patet in his terminis, omne animatum est animal: omne sensibile est animatum: ergo omne sensibile animal. Quod autem sequitur nulli inesse, patet in istis, omne æs est naturale: omnis statua est æs (& hoc ponatur) ergo omnis statua est naturale: quod falsum est: quia nulla statua est naturale, sed potius artificiale. Sed ad hoc dicendum, quòd syllogismus primi modi huius figuræ perfectissimus est: & non sequitur nulli inesse, sed omni tantum: nos enim hic loquimur de syllogismo simplici & formali, qui abstrahitur ab omni materia & demonstratiua & dialectica & sophistica, & tantum considerátur in ipso syllogismi simplicis forma: & cum dicitur, omne æs est naturale, syllogismus non peccat secundum formam: sed prima cum dicitur, omne æs naturale, per se vera est, hoc est, si æs secundum quod est æs accipiatur: per accidens autem falsa est: quia in talibus materia prædicatur: & quia statua est æs, ideò non omne æs est naturale: & quia maior per accidens est falsa, ideo sequitur conclusio talis & falsa. Tamen etiam conclusio per accidens vera est, si ponatur, quòd nulla statua sit nisi ex ære: tunc enim statua non per hoc quod est statua, sed per hoc quod est æs, est quid naturale.

Solutio.

Aliqua propositio est per se vera, quæ tamen per accidens falsificatur: & istis est doctrina dicit. 6 phys. com. 25. & 2. cœli. com. 304.

CAPVT IV.

De formatione syllogismorum particulariter concludentium in prima figura secundum vtiles coniugationes & inutiles.

SYllogismi autem particulariter concludentes sic fiunt in hac figura. Si enim hîc terminorum qui est maior extremitas, se habeat ad medium vniuersaliter, ita quod vniuersaliter prædicetur de ipso: iste verò qui est minor extremitas, particulariter se habeat ad medium, ita quod medium particulariter prædicetur de minori extremitate: quando quidem id quod est vel ponitur ad maiorem extremitatem, ita quod maior propositio in qua prædicatur maior extremitas, sit vniuersalis affirmatiua vel negatiua, & minor particularis affirmatiua, siue prædicatiua, quod idem est: tunc necesse est syllogismum fieri perfectum particulariter concludentem. Quando autem ad minorem extremitatem ponitur vniuersalis, & ad maiorem ponitur particularis. Vel etiam quando negatiua ponitur ad minorem, vel quocunque alio modo disponantur propositiones quam dictum est, est inutilis coniugatio & non fit syllogismus. Dico autem maiorem quidem extremitatem, in qua medium ficut subiectum in prædicato. Minorem autem extremitatem, quæ est sumpta sub medio, & de qua medium prædicatur. Cuius exemplum est, quod a. insit omni b. b. autem medium insit alicui c. sequitur, quòd necesse est, a. alicui c. inesse, sic formando syllogismum: omne b. est a. quoddam c. est b. ergo quoddam c. est a. Et confirmatur per dici de omni, à quo fit decursus syllogisticus: quia ex quo a. inest omni b. vniuersaliter: tunc oportet, quòd insit omni parti eius, quod est b. c. autem aliquod est aliqua partium b. oportet igitur, quod illi insit a. per id quod in prædicamentis habitum est, quando alterum de altero vt de subiecto, quæcunque de prædicato dicuntur, omnia de subiecto dici necesse est.

Si autem hic quidem terminorum vniuersaliter, &c.

Tertius modus vtilis, scilicet darij.

Insit a. quidem omni b. b. autem, &c.

Similiter formatur syllogismus particulariter & negatiuè concludens, si ponatur vniuersalis negatiua ad maiorem, & particularis affirmatiua ad minorem, vt si a. quidem nulli b. inest. b. autem inest alicui c, sequitur enim quòd necesse est a. alicui c. non inesse, sic formando

Quartus modus vtilis, scilicet ferio.

mando syllogismum: nullum b. est a. quoddam c. est b. ergo quoddam c. non est a.

Et isti duo particulariter concludentes syllogismi formantur à duobus vniuersaliter concludentibus: primus à primo, & secundus à secundo: & per idem principium confirmantur, per quod confirmantur vniuersaliter concludentes, & hoc est per dici de omni, & dici de nullo. Iam enim determinatum est quæliter dicimus de omni dici & de nullo. Talis igitur syllogismus perfectus est, nullo indigens præter id quod habet & claudit in seipso. Eodem autem modo & idem sit syllogismus tam negatiuè quam affirmatiuè concludens, quando non particularis, sed indefinita affirmatiua siue prædicatiua ponitur minor propositio quæ designatur per b. c. Idem enim erit syllogismus ex indefinito & ex particulari sumpto: quia indefinitum æquipollet particulari.

Inutiles. Si autem ad minorē extremitatem, &c.

Inutiles autem fiunt coniugationes, quocunque alio modo termini & propositiones disponantur. Si enim ad minorem extremitatem ponatur vniuersale, ita quod minor sit vniuersalis siue prædicatiuè, siue priuatiuè, & particularis ponatur ad maiorem, non erit syllogismus nec prædicatiuæ nec negatiuæ conclusionis, siue indefinita sit, siue particularis quæ ponitur ad maiorem. Huius autem exemplum est, sicut si a. inest alicui b. vel alicui b. non inest. b. autem omni c. inest, non fit syllogismus: nihil enim sequitur ex tali complexione, quoddam b. est a. omne c. b. Similiter nec ex tali, quoddam b. non est a. omne b. c. sequitur enim inesse omni & nulli. Termini quidem in quibus sequitur omni inesse, sunt bonum, habitus, prudentia, sic, quidam habitus bonum: omnis prudentia habitus: ergo quædam prudentia bonum: quod est verum: omnis enim prudentia bonum. Exemplum autem vbi sequitur nulli inesse, est in his terminis, bonum, habitus, indisciplina, sic, quidam habitus bonum: omnis indisciplina habitus: ergo quædam indisciplina bonum: quod non valet: quia nulla indisciplina bonum.

Rursum si b. quidem nulli c. &c. Vide huius causam secundo priorum tract. 1. c. 2.

Rursum autem inutilis coniugatio est si minor ponatur vniuersalis negatiua, vt si b. nulli c. ponatur inesse, & maior ponatur particularis affirmatiua, vt si ponatur a. alicui b. inesse vel non inesse: eo quod particularis potest esse affirmatiua vel negatiua: vel in maiori ponatur a. non omni b. inesse: non omne enim æquipollet ad aliquod non: quia negatio formaliter respicit distributionem: nec sic potest fieri syllogismus, quia sequitur omni & nulli inesse. Et termini in quibus sequitur omni inesse in tali dispositione, sunt album, equus, cignus, sic, quoddam album equus, vel quoddam album non est equus: omnis cignus est album: ergo quidam cignus equus. Et constat, quòd nullus cignus est equus. Vel sic, quidam equus albus: quidam cignus vel nullus cignus equus: ergo quidam cignus non est albus: cum constet omnem cignum album esse. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse, sunt isti, albbum, equus, coruus, sic, quidam equus album: nullus coruus equus, vel quidam coruus non est equus: ergo quidam coruus non est album, cum constet nullum coruum album esse. Idem autem est per omnia si propositio. a. b. quæ est maior, sit indefinita: quia sicut diximus, indefinitum æquipollet particulari.

Nec quādo ad maiorem quidem extremitatem, &c

Similiter autem inutilis est coniugatio, quando ad maiorem extremitatem siue ad maiorem propositionem ponitur vniuersalis siue sit affirmatiua siue negatiua, & ad minorem ponitur particulare negatiuum: quia minore existente negatiua nihil sequitur in prima figura: nec in tali complexione sit syllogismus, siue indefinita siue particularis negatiua ponatur ad minorem extremitatem. Huius autem exemplum est si a. quidem quod est maior extremitas, dicatur omni b. inesse, quod est medium. b. autem dicatur non inesse, vel per æquipollentiam dicatur non omni b. inesse. Causa autem huius est: quia aliquid acceptum, cui alicui medium non inest, hoc & omne & nullum, sequitur ad primum, quod est maior extremitas: & sic & omni & nulli inest maior extremitas minori in conclusione. Ponantur enim termini tales, animal, homo, album, sic, omnis homo est animal: quoddam album non est homo: deinde sub albo accipiantur alba de quibus homo non prædicatur, nix scilicet, & cignus: de neutro enim illorum nec vniuersaliter nec particulariter affirmatiuè prædicatur homo: & fiat primo talis syllogismus, omnis homo animal: cignus non est homo: ergo quidam cignus non est animal. Patet autem, quòd omnis cignus est animal. Deinde fiat alius syllogismus in eadem complexione, omnis homo animal: quædam nix non est homo: ergo quædam nix non est animal. Et patet, quòd nulla nix est animal: propter quod etiam secundum talem complexionem non fit syllogismus.

Minori existente negatiua nihil sequitur in prima figura: & hoc quod hæc regula vera est etiā vniuersaliter de tertia figura: vt patet infra.

Rursum si a. quidem nulli b. insit, &c.

Rursum si ponatur maior vniuersalis negatiua, & minor particularis negatiua, vt si a. quidem nulli b. insit, b. autem alicui c. non insit, sequitur omni & nulli inesse maiorem extremitatem minori: & sint termini, inanimatum, homo, album, & sub albo sumantur aliqua alba de quibus homo non prædicatur, cignus scilicet, & nix: in tali enim dispositione complexionis inanimatum prædicatur de vno, scilicet nive: de altero verò nullo, scilicet cigno: & sic sequitur omni inesse sic, nullus homo inanimatum: quædam nix non est homo: ergo nulla nix inanimatum: patet enim omnem niuem esse inanimatam. Quod sequitur etiam nulli sic, nullus homo inanimatum: quidam cignus non est homo: ergo quidam cignus non est inanimatum: & patet quia nullus cignus est inanimatum.

Amplius quoniam indefinita alicui, &c. Aliquod c. non est b est indefinitum: sed non apparet quomodo illud sit indefinitum. Respondetur quia non habet definitū

Amplius autem: quia cum dicitur, quòd alicui eorum quæ sunt accepta sub minori extremitate, non inest medium, sicut cum dicitur, quòd alicui eorum quæ sunt accepta sub c. non inest b. hoc est indefinitum: quia nec vniuersali signo nec particulari determinatur & ideò duobus modis verificatur, si dicatur. b. alicui c. non inesse: est enim hoc verum si nulli c. inest b. & est iterum verum si non omni c. inest b. sumptis autem terminis talibus in quibus b. nulli insit c. in minori propositione, non fit syllogismus: hoc enim iam dictum & ostensum

causam sue veritatis: & so si. dicitur. Nam potest dubius modis verificari. & hoc idem sumitur infra c. 12.

ostensum est prius. Manifestum est ergo, quòd ideo quod sic se habent termini, quod minor scilicet sit particularis negatiua, non fit syllogismus. Si enim ex tali complexione vniuersaliter fieret syllogismus, tunc etiam esset syllogismus in terminis prædicto modo se habentibus, quando scilicet minor esset vniuersalis negatiua.

Manifestum sequitur ex his quæ dicta sunt, &c.

Similiter autem in terminis ostenditur, quòd non sit syllogismus si vniuersalis propositio ponatur priuatiua, dum etiam minor sit priuatiua.

Premisse dicuntur, interualla & quare

Nec iterum fit syllogismus si ambo interualla (hoc est, propositiones in figuram & modum inter se euenientes) dicuntur esse particularia: quia ex vtraque particulari non fit syllogismus siue affirmatiuæ sint ambæ, siue negatiuæ: siue vna affirmatiua, & altera negatiua quocunque modo.

Adhuc si vna propositionum sit indefinita, alia verò definitè particularis, vel ambo interualla sint indefinita, nullo istorum modorum fit syllogismus. Termini verò communes omnium istarum inutilium coniugationum, in quibus ostenditur omni & nulli inesse, sunt animal, album, homo: in his sequitur animal vniuersaliter ad hominem. Ad nulli autem inesse sunt termini communes animal, album, lapis: animal enim sequitur nulli lapidi inesse.

Manifestum est igitur ex his quæ dicta sunt, quoniam si fit syllogismus in hac prima figura particularis, necesse est, quòd termini sic se habeant, vt diximus: aliter autem habentibus terminis nullo modo fit syllogismus.

CAPVT V.

De perfectionibus figuræ primæ.

Palam autē quoniam omnis qui in hac, &c.

PAlam autem ex prædictis est, quòd omnes syllogismi qui in hac figura sunt perfecti, sunt nullius extra se indigentes ad sui perfectionem: perficiuntur enim omnes per dici de omni, & dici de nullo. Et ideo etiam in prima figura semper oportet maiorem esse vniuersalem: quia decursus syllogisticus incipit à maiori. Ratio autem syllogizans non decurrit nisi ab vniuersali ad particulare. Vnde quod maior esset particularis, principiis (quæ sunt dici de omni, & dici de nullo) non concordaret. Huius tamen etiam alia causa est, quare in prima figura maiorem oportet semper esse vniuersalem, & minorem affirmatiuam: quia si maior posset esse particularis, tunc posset contingere, quòd medium prædicaretur de maiori extremitate: quia inferius prædicatur de superiori particulariter & affirmatiuè & negatiuè, vt quoddam animal est homo, & quoddam animal non est homo: & si ita esset, posset contingere, quòd maiori propositione existente negatiua, extrema essent conuertibilia, vel sicut excedentia & excessa se habentia: & tunc non posset sequi conclusio negatiua, nisi falsa, quod est inconueniens. Termini autem, in quibus hoc fit, sunt homo, animal, risibile, sic, quoddā animal non est homo: omne risibile animal: ergo quoddam risibile est homo vel non est homo: cum constet omne risibile esse hominem. Posset etiam contingere, quòd maiore existente affirmatiua, erunt extrema disparata, quorum neutrum prædicaretur de altero, & tunc non posset sequi conclusio nisi falsa. & termini huius consequentiæ sunt homo, animal, asinus, sic syllogizando, quodd m animal homo: omnis asinus animal: non potest inferri conclusio affirmatiua nisi falsa. Hæc est igitur causa, quòd maiorem semper oportet esse vniuersalem & minorem affirmatiuam in hac figura.

Omnes syllogismi primæ figuræ sunt perfecti: nec huic obstant quinque modi indirecte concludentes.

Perfecti sunt igitur omnes huius figuræ syllogismi, tam vniuersales, quam particulares: & perficiuntur per ea quæ a principio istius libri dicta sunt, scilicet per dici de omni, & per dici de nullo. Et quamuis adhuc in ista figura reperiantur quinque modi indirecte concludentium, & ideò imperfectorum syllogismorum, hàc nullam de illis faciemus mentionem, sed in sequentibus (vbi ponemus syllogismos imperfectos) de huiusmodi etiam syllogismis faciemus mentionem.

Et quoniā omnia problemata ostenduntur, &c.

Manifestum est etiam, quoniam omnia problemata per hanc figuram ostenduntur. Ostenditur per eam omni inesse in primo modo, & ostenditur per eam nulli inesse in secundo modo, & ostenditur per eam alicui inesse per tertium modum, & ostenditur per eam alicui non inesse per quartum. Huiusmodi autem voco figuram primam, quæ in maiori propositione subiicit medium, & in minori prædicat ipsum.

Quod non datur quarta figura: de hoc vide Auerroim in digressione. c. 12. contra Galenum.

Nec potest esse figura quæ in maiori prædicat medium, & in minori subiiciat ipsum: quia cum medium in hac figura sit inter extrema, oportet quod medium sit sub maiori extremo acceptum, & minus extremum sit acceptum sub medio: & quia maiorem oportet esse vniuersalem, essent propositiones omnes falsæ si prædicaretur medium in maiori, sicut hæc, omne animal homo: & si subiiceretur in minori, iterum erunt vniuersales falsæ: & sic non concluderetur vera conclusio & vniuersalis: quòd esset valdè inconueniens in perfectissima figurarum.

CAPVT VI.

De proprietatibus secundæ figuræ.

Quando verò idem alteri quidem omni, &c.

QVando vero tres termini ita se habent adinuicem, quòd idem terminus (qui prædicatum est) huic quidem termino qui maior est extremitas, inest omni: huic autem, hoc est, alteri extremitati nulli inest: vel ita quod medium vtrique extremitati inest omni, ita quod de vtraque vniuersaliter prædicatur & affirmatiuè: vel vtrique nulli inest, ita quod in vtraque præmissarum negatur vniuersaliter de vtroque extremorum, ita scilicet quod bis prædicatur medium, in maiori quidem propositione de maiori extremitate, in minori autem propositione de minori extremitate, quocunque modo hoc fiat siue vniuersaliter, siue particulariter,

ticulaliter, siue particulariter in vna & particulariter in altera, & siue hac affirmatiuè siue negatiuè, siue mixtim vna existente affirmatiua & altera negatiua, semper huiusmodi figuram voco secundam. Quamuis enim in hac figura non possint esse ambæ affirmatiuæ nec ambæ negatiuæ ad constituendum modum aliquem huius figuræ: tamen tam in vtili coniugatione, quam in ea quæ inutilis est, saluatur positio terminorum in situ & ordine. Et hoc facit secundam figuram, de qua hic loquimur, secundum se considerando eam, secundum quod saluatur in terminorum positione absque alicuius modi constitutione.

Ex quibus patet, quod non valet hæc consequentia, hæc syllogismus vel combinatio non est in modo: ergo non est in figura.

Medium autem in hac dico, &c.

Medium autem in hac figura dico id quod prædicatur de vtroque extremorum, de maiori quidem extremitate in maiori, & de minori extremitate in minori. Extremitates vero voco in hac figura, de quibus dicitur siue prædicatur hoc ipsum quod est medium. Maiorem vero dico in hac figura extremitatem, quæ secundum ordinem prædicabilium iuxta medium propinquius posita est, & rationem prædicationis (qua prædicatur medium) plus participat: prædicatur enim maior de minori extremitate, & sic participat rationem medij, quod in hac figura de vtraque prædicatur extremitate: & quia prædicatur de aliquo, in ordine prædicabilium propinquius est ei, quod est tantum prædicatum: & hoc modo in hac figura maior extremitas est, quæ iuxta medium posita est secundum prædicabilium ordinem & situm. Minorem vero voco extremitatem, quæ in eo ordine longius à medio sita est: quia non est de ordine prædicabilium, sed subiicibilium tantum.

Quomodo maior extremitas est propinqua medio in secunda figura.

Quomodo in secunda figura termini non seruant rationes proprias.

In tali autem dispositione & ordine terminorum medium quidem non potest poni inter extrema, sed ponitur foras extremitates: sed ordine positionis prædicabilium & subiicibilium primus est: quia in tali ordine prædicabile est prius subiicibili: & id quod est prædicabile tantum, habet rationem simpliciter primi: & id quod est prædicabile & subiicibile, habet rationem medij: quod autem est subiicibile tantum, habet rationem vltimi: & sic patet, quòd in hac figura secundum ordinem prædicabilium extremum est positione medium, & medium positione est extremum. Propter quod quoad euidentiam syllogismorum imperfectam necesse est esse figuram istam. Vnde perfectus in hac figura nullus erit syllogismus: siquis enim consideret rationem perfecti medij in syllogismis, medium ex duobus est medium, quorum si alterum defuerit, non habet perfectam medij rationem. Duorum autem vnum quod secundum ordinem prædicabilium & subiicibilium in linea prædicamentali positione sit medium. Alterum autem est, quod sit vnitiuum & coniunctiuum extremorum. Et in prima quidem figura vtroque modo perfectum est medium in ratione & virtute, & operatione siue effectu medij. In ista autem figura medium cadit à parte potiori rationis medij, scilicet quod non est medium extremorum secundum ordinem prædicabilium, sed extra ea: retinens tamen alteram partem, quæ est vnitiuum esse vel coniunctiuum extremorum: propter quod & imperfectæ sunt istæ figuræ, secunda scilicet, & tertia: & imperfecti sunt syllogismi secundum istas figuras formati: possibiles tamen ad formandum sunt syllogismi necessario concludentes in hac figura.

Perfectus autem syllogismus nullo modo, &c.

De ratione medij duo sunt.

Et vniuersalibus existentibus terminis, & non vniuersalibus concludit ista figura vniuersaliter, si ambæ præmissæ sunt vniuersales: & concludit particulariter, si altera sit particularis. Hoc autem qualiter fiat, attendendum quòd vniuersaliter & particulariter & intermixtis propositionibus combinatis, & secundum affirmationem & negationem variatis, necessario resultabunt sexdecim coniugationes, sicut in figura præcedenti: & cum ostensum fuerit per instantias terminorum, quod duodecim ex illis sunt inutiles, relinquitur quatuor vtiles esse tantum. Modum autem huiusmodi combinationis non est necesse repetere: quia idem qui fuit in figura prima quantum ad varietatem quantitatis & qualitatis in propositionibus: & nihil mutatur in eo nisi dispositio terminorum, quod mutat tantum figuram.

Sexdecim sunt coniugationes secundæ figuræ sicut & primæ.

Quare oportet, quòd maior sit vniuersalis in secunda figura.

Sed hoc notandum, quòd si debeat in hac figura fieri syllogismus concludens necessario, oportet semper maiorem esse vniuersalem siue affirmatiuam siue negatiuam. Et causam huius quidam dicunt esse: quia syllogismi huius figuræ oriuntur à secundo modo primæ figuræ, & in illum modum isti syllogismi reducuntur, siue per conuersionem vniuersalis negatiuæ quæ simpliciter conuertitur, siue etiam per conuersionem & transpositionem. Quia ergo in secundo modo primæ figuræ maior vniuersalis est, necesse est etiam in modis secundæ figuræ ab illo originatis deriuatis maiorem esse vniuersalem: & hoc bene dictum est. Posset tamen etiam dici, quòd si maior in hac figura posset esse particularis, contingeret aliquando nullam posse fieri conclusionem in hac figura. Si enim in hac figura maior posset esse particularis: tunc posset maior extremitas esse in plus medio: quia inferius particulariter prædicatur de suo superiori, & affirmatiuè & negatiuè: & si sic esset, non posset fieri vera negatiua. Superius enim de inferiori verè negari non potest: & sic non fit conclusio negatiua: affirmatiua autem conclusio in hac figura fieri non potest: & sic nec concludi posset affirmatiuè neque negatiuè: nulla igitur fieri conclusio. Hoc autem exemplariter patet in his terminis, homo, animal, asinus: quamuis enim aliquod animal sit homo: & nullus asinus homo: tamen non est necesse, quòd nullus asinus sit animal, vel quod aliquis asinus non sit animal.

In hac secunda figura oportet alteram præmissam esse negatiuam, & vnam tantum quæcũque tamen fuerit illa.

Proprium etiam est huius figuræ, quod altera propositionum sit negatiua. Et huius quidem causa est: quia si essent ambæ affirmatiuæ cum medium prædicetur de vtroque extremorum, posset medium de duobus disparatis prædicari, quorum tamen neutrum posset affirmari de altero, vt patet, omnis homo est animal: omnis asinus est animal: non sequitur: ergo omnis asinus homo. Posset etiam de duobus prædicari medium, quorum vnum est sub altero,

altero, de quo suum superius negari non posset, vt omnis homo corpus sensibile: omne animal corpus sensibile: & sic nihil sequeretur. Attendendum tamen, quòd quamuis alteram in hac figura, necesse sit esse negatiuam: tamen indifferenter potest esse negatiua vel maior vel minor. Et huius causa est, quod in hac figura medium æqualiter respicit extrema tanquam sub se posita: & ideo quantum ad conclusionem negatiuam syllogismi non est vis vtrum negetur medium ab vno extremo, vel ab altero.

Oportet conclusionem esse negatiuam in secunda figura.

Proprium etiam est illius figuræ, quòd necesse est semper conclusionem esse negatiuam. Et causa huius est, quòd hoc est ideo quia sicut probatum iam ante est, in hac figura necesse est alteram præmissarum esse negatiuam: & per negationem significatur differentia vnius extremitatis ab altera, & negatio vnius ab altera per medium, ideo quia medium de vno affirmatur, & de altero negatur: contingit enim medium vni extremorum, & alteri non contingit.

Quare conclusio assimilatur minori in quantitate in hac figura & prima.

Est autem adhuc huic figuræ proprium, quòd conclusio semper assimilatur minori propositioni in quantitate: in qualitate autem assimilatur indifferenter aliquando maiori, & aliquando minori. Et huius quidem causa est, quòd idem subiectum est in hac figura minoris propositionis & conclusionis: à subiecto in propositione discernitur quantitas propositionis: & ideo minoris propositionis & conclusionis necesse est eandem esse quantitatem. In hac autem figura indifferens est siue maior siue minor sit negatiua: conclusio autem semper negatiua: & ideò in qualitate quandoque assimilatur maiori, & quandoque minori. Hæc igitur de proprietatibus secundæ figuræ dicta sunt.

CAPVT VII.

De formatione syllogismorum vniuersalium secundæ figuræ, siue vtilium siue inutilium coniugationum.

Vniuersales igitur quũ sint, erit syllogismus, &c.

Dicamus autem deinceps de formatione syllogismorum vniuersalium in hac figura. Vniuersalibus igitur existentibus terminis ad medium, ita quod medium de vtraque extremitate vniuersaliter prædicetur, secundum dici de omni & dici de nullo sit syllogismus secundum huius figuræ modum primum, si medium huic quidem quod est maius extremum, omni inest: illi vero quod est minus extremum, nulli inest, vtrumlibet sic priuatium, hoc est, siue maior siue minor affirmatiua, dummodo altera sit vniuersalis negatiua. Aliter autem in hac figura vniuersalis non fit syllogismus. Et hoc probatur hoc modo: & accipiamus literas loco terminorum, m.n.x, ita quod m. sit medium. n. autem maior extremitas: & x. sit minor extremitas: & formetur modus primus tali complexione: prædicetur enim m. de n. quidem nullo, de x. vero prædicetur omni esse: erit syllogismus ex maiori vniuersali negatiua & minori vniuersali affirmatiua, sic, nullum n. est m. omne x. m. ergo nullum x. n. Et ostenditur euidentia istius syllogismi per conuersionem vniuersalis negatiuæ, quæ simpliciter & in terminis conuertitur: & si nullum n. est m. nullum m. est n. & tunc ex hac conuersa fiat maior propositio, & assumatur minor iam dicti syllogismi, sic, nullum m. n. omne x. m. ergo nullum n. x. & iste est secundus modus primæ figuræ, qui iam in prima figura ostensus est perfectus.

Primus modus vtilis, scilicet cesare.

Secundus modus vtilis, scilicet camestres.

Sic iterum formatur secundus huius secundæ figuræ modus, qui constat ex maiori affirmatiua, minori autem negatiua, sic: si enim m. omni n. inest: & idem m. nulli x. inest: tunc fit talis syllogismus: omne n. est m. nullum x. m. ergo nullum x. n. conuertitur enim minor quæ vniuersalis negatiua. Vnde & idem si m. nulli inest x. sequitur, quòd è conuerso nullum x. inest m. & tunc erit talis syllogismus transposita propositione: nullum m. est x. omne n. m. ergo nullum n. x. & est iterum secundus primæ figuræ syllogismus.

Rursum si m. n. quidem omni, &c.

Est autem ostendere, &c.

Hoc autem idem est ostendere per deductionem ad impossibile: quia si dicatur, non sequitur conclusio: tunc oppositum conclusionis stabit cum præmissis: & hoc non contingit, sicut facile patet cuilibet volenti sumere conclusionis oppositum, & contingenti cum altero præmissorum: & sequitur id quod stare non potest cum primo concesso. Quoniã ergo in hac figura fit syllogismus prædicto modo se habentibus terminis secundum figuram & complexionem, ex his quæ dicta sunt manifestum est. Sed sit syllogismus non perfectus: quia perfectum est cui nihil deest, vt dicit Aristot. hic autem ad perfectionem euidentiæ aliquid addere oportet præter ea quæ sunt in syllogismi constitutione: additur enim conuersio, & etiam aliquando transpositio: & quando hoc additum est, primo appareret necessarium quod est in consequentia.

Inutiles. Si autem m. de omni n. & de x. &c.

Inutiles autem coniugationes in vniuersalibus terminis & propositionibus formatæ sunt multis modis: si enim m. medium de omni n. prædicetur: & prædicetur etiam de omni x. ita quòd ambæ præmissæ sint vniuersales affirmatiuæ, non erit syllogismus secundum hanc figuram necessarium aliquid concludens: & hoc patet per instantiam probatam in terminis. Et termini quidem secundum quos sequitur omni inesse, sunt substantia, animal, homo, sic, omne animal substantia: omnis homo substantia: ergo omnis homo animal. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse, substantia, animal, lapis, sic, omne animal substantia: omnis lapis substantia: & tamen nullus lapis est animal. In his terminis medium est substantia, & positione primum secundum huius secundæ figuræ proprietatem.

Nec quando de n. nec de x.

Similiter etiam inutilis est coniugatio, & non fit syllogismus, quando ambæ sunt præmissæ negatiuæ, sicut quando nec de n. neque de x. m. prædicatur, sed vniuersaliter negatur de vtroque: & hoc ostenditur per instantias terminorum: sequitur enim & omni & nulli inesse. Et termini quidem in quibus sequitur

omni ineſſe, ſunt linea, animal, homo, ſic, nullum animal eſt linea: nullus homo linea: ergo omnis homo animal: quod non ſequitur ex complexione præmiſſarum. Terminі autem in quibus ſequitur nulli ineſſe, linea, animal, lapis, ſic, nullum animal linea: nullus lapis linea: ergo nullus lapis animal.

Manifeſtum ergo eſt ex prædictis, quoniam ſi ſit ſyllogiſmus ex vniuerſalibus terminis, neceſſe eſt terminos ſe habere vt in principio iſtius capituli diximus: aliter enim ſe habentibus terminis vniuerſalibus non ſit ſyllogiſmus in quo ſequitur de neceſſitate conſequentiæ concluſio.

CAPVT VIII.

De formatione ſyllogiſmorum particularium ſecundæ figura ſecundum vtiles & inutiles coniugationes.

Si autem ad alterum vniuerſaliter, &c.

PArticulariter vero concludens in hac figura ſit ſyllogiſmus ſi medium ad extremum quodcunque ſiue maius ſiue minus ſumatur vniuerſaliter ſecundum dici de omni vel de nullo, ita quod vniuerſaliter medium affirmetur vel negetur de extremo, quando ad maius quidem vniuerſaliter ſe habet medium vel ſit dicatiue (ſiue affirmatiue) vel priuatiue (ſiue negatiue) ad minus autem extremum habet ſe medium particulariter & in qualitate oppoſita ad maiorem, ita quod ſi vniuerſalis & maior ſit affirmatiua, minor ſit particularis negatiua: & ſi vniuerſalis & maior ſit negatiua, particularis minor ſit affirmatiua: ſic enim ſe habentibus terminis & propoſitionibus in hac figura, fit ſyllogiſmus neceſſario concludens concluſionem priuatiuam ſiue negatiuam particularem.

Tertius modus vtilis, ſcilicet feſtino.

Nam ſi m. medium. n. hoc eſt, maiori extremitati nulli ineſt, ita quod nullum n. eſt m. & illud idem m. medium ineſt alicui x. quod eſt minor extremitas, ita quod quoddam x. eſt m. ſequitur neceſſario, quod quoddam x. non eſt n. Hoc autem probatur per conuerſionem maioris quæ eſt vniuerſalis negatiua, ſic, nullum m. eſt n. quoddam x. eſt m. ergo quoddam x. non eſt n. hic enim eſt quartus modus primæ figuræ, de quo probatum eſt, quòd eſt perfectus: & cum iſte modus ſecundæ figuræ originetur à perfecta, neceſſe eſt quòd & ipſe concludat neceſſario: talis enim ſyllogiſmus ſit per primam figuram.

Rurſus ſi m. &c. *Quartus modus vtilis, ſcilicet baraco.*

Rurſus ſit quartus huius figuræ modus, ſi dicamus m. medium omni n. maiori extremo ineſſe: & idem m. medium omni n. maiori extremo ineſſe: & idem m. medium dicamus alicui x. minori extremo non ineſſe: & ſit ſyllogiſmus neceſſario concludens per hunc modum: omne n. m. quoddam x. non eſt m. ergo quoddam x. non eſt n. Et probatur iſte ſyllogiſmus per deductionem ad impoſſibile: aut enim ſequitur concluſio, aut oppoſitum concluſionis cum aliquo præmiſſorum iam in priori ſyllogiſmo ſuppoſito: detur enim oppoſitum huius, ſcilicet quod n. omni x. ineſt, ita quod omne x. eſt n. conceſſum eſt autem, quòd m. prædicatur de omni n. quia dictum eſt, quod omne n. eſt m. ſequitur, quòd omne x. ſit m. & poſitum erat in minore propoſitione prioris ſyllogiſmi, quod aliquod x. non eſſet m. & ſic contradictoria ſimul eſſent vera, quod eſt inconueniens: ergo prima ſequitur concluſio.

Hunc autem ſyllogiſmum per conuerſionem non poſſumus probare: quia non eſt in eo conuertibilis propoſitio niſi vniuerſalis affirmatiua, quæ ſi conuertatur in particularem, erunt ambæ præmiſſæ particulares: & ex particularibus non poteſt fieri ſyllogiſmus in aliqua figura, ſicut in antehabitis probatum eſt. Similiter autem erit ſyllogiſmus ſi dicatur m. medium omni quidem ineſſe n. ita quod omne n. eſt m. & illud idem medium quod eſt m. non ineſt omni x. ita quod non omne x. eſt m. erit ſyllogiſmus concludens, quod non omni x. ineſt n. qui tamen idem eſt qui ex vniuerſali affirmatiua, & particulari negatiua. Quia non omnis & aliquis non æquipollent: vnde eadem eſt demonſtratio huius ſyllogiſmi quæ fuit antecedentis per deductionem ad impoſſibile.

Inutiles. Si autem de x. quod omni, &c.

Quocunque autem alio modo coniungantur termini & propoſitiones adinuicem, erunt coniugationes inutiles. Si enim m. de x. quidem omni prædicetur, ita quod minor ſit vniuerſalis affirmatiua: & hoc idem m. prædicetur de n. non omni, ita quod maior ſit particularis negatiua, vel ei æquipollens, non erit neceſſariò concludens ſyllogiſmus ex tali coniugatione. Et probatur per inſtantias terminorum: ſequitur enim & omni & nulli ineſſe. Termini quidem in quibus ſequitur omni ineſſe, anima, ſubſtantia, coruus, ſic, quædam ſubſtantia non animal: omnis coruus animal: & patet, quòd omnis coruus eſt ſubſtantia. Termini autem in quibus ſequitur nulli ineſſe, ſunt animal, album, coruus, ſic, quoddam album non eſt animal: omnis coruus animal: & patet quòd nullus coruus album.

Sed neque quando de x. quidem, &c.

Nec iterum poteſt eſſe ſyllogiſmus neceſſatio concludens, quando minor eſt vniuerſalis negatiua, maior autem particularis affirmatiua, ſicut quando m. de nullo x. prædicatur. & illud idem m. prædicatur de aliquo n. ſic, quoddam n. eſt m. omne x. m. nihil enim ſequitur quod probatur per terminos. Et termini quidē in quibus ſequitur omni ineſſe ſūt animal, ſubſtantia, lapis, ſic, quædam ſubſtantia eſt animal: nullus lapis animal: & patet, quia omnis lapis ſubſtantia. Termini autem in quibus ſequitur nulli ineſſe, ſunt animal, ſubſtantia, ſcientia, ſic, quædam ſubſtantia eſt animal: nulla ſcientia animal: & patet, quia nulla ſcientia ſubſtantia. Iam igitur dictum eſt, quando erit & quando non erit ſyllogiſmus particulariter concludens in hac figura, quando in oppoſita qualitate habent ſe præmiſſæ in ſyllogiſmo qui alteram habet vniuerſalem & alteram particularem.

Ex præmiſſis eiuſdem qualitatis nihil ſequitur in ſecunda figura.

Quando autem ambæ præmiſſæ propoſitiones fuerint ſimilis figuræ ſiue formæ in qualitate, ſcilicet quod ſicut ambæ priuatiuæ, aut ambæ affirmatiuæ, ſcilicet vniuerſalis & particularis, nullo modo erit de neceſſitate con

Quando autem ſimilis figuræ ſiuus, &c.

cludens ſyllogiſmus. Primo enim ponamus, quòd ambæ propoſitiones præmiſſæ ſint priuatiuæ, & vniuerſale ponatur ad maiorem extremitatem, ita quòd maior ſit vniuerſalis negatiua, & minor ſit particularis negatiua: & hoc eſt ſic, quod m. quidem nulli inſit n. & idem m. non inſit alicui x. tunc non erit neceſſario concludens ſyllogiſmus: quia contingit maiorem extremitatem & omni & nulli ineſſe minori extremitati, ita quod n. & omne erit x. & nullum erit x. Et termini in quibus contingit nulli ineſſe, ſunt nigrum, nix, animal, ſic, nulla nix nigrum: quoddam animal non eſt nigrum: & patet, quòd nullum animal nix. Terminos autem in quibus ſequitur omni ineſſe, non eſt ſumere ſi minor (quæ eſt particularis) ponatur particulariter eſſe vera, ita quod m. alicui inſit x. & alicui non inſit: hoc enim eſt particulariter ineſſe, quod eſt alicui ineſſe & alicui non: hæc enim eſt terminorum diſpoſitio: nullum n. eſt m. aliquod x. non eſt m. ſic enim non eſt ſumere terminos omni ineſſe. Et huius hæc eſt ratio: ſi enim detur, quòd omni inſit primum poſtremo, ita quòd omne x. ſit n. accipiatur ergo cum prima propoſitione ſic, nullum n. eſt m. omne autem x. eſt n. per hypotheſim: ſequitur quod nullum x. eſt m. quod eſt contra iſtam hypotheſim, ſiue quæ dixit aliquod x. eſſe m. & aliquod x. non eſſe m. Patet igitur, quòd particularis eſt vera, & quod non eſt ſumere terminos omni ineſſe: non igitur ſic contingit ſumere terminos.

Et quia per terminos omni & nulli ineſſe, non ſufficienter poteſt oſtendi illius coniugationis inutilitas, vt perfectè probetur inutilitas eius. Poteſt oſtendi ex indefinito, quod eſt in particulari negatiuo: hoc enim indefinitam & non ad vnum determinatam habet cauſam ſuæ veritatis: verificatur pro vniuerſali, ſi nulli ineſt: & verificatur pro particulari; ſi alter non ineſt. Ponatur autem vniuerſalis negatiua pro minori ſic, omne n. eſt m. nullum x. m. ſic enim iam ante probatum eſt, quod non valet coniugatio: quia ſequitur omni & nulli ineſſe. Cum igitur particularis negatiua ſequatur ad vniuerſalem negatiuam, & cum vniuerſali negatiua ad minorem poſita ſit inutilis coniugatio, erit etiam inutilis cum particulari poſita ad minorem: quod enim ex inutili coniugatione ſequitur & probatur, neceſſario eſt inutile.

Rurſus ſint prædicatiuæ, & vniuerſale ponatur, &c.

Rurſus erit inutilis coniugatio, ſi medium vt prædicatiuum particulariter ponatur ad minorem extremitatem, ita quod ſit particularis affirmatiua, & maior ſit ſimilis qualitatis cum ea, ſed diſſimilis quantitatis, ita ſcilicet quod ſit vniuerſalis affirmatiua, vt dicatur m. quidem omni ineſſe n. & idem m. dicatur alicui x. ineſſe, ſic, omne n. eſt m. aliquod x. m. tali enim coniugatione poſita contingit n. quod eſt maior extremitas & omni & nulli x. ineſſe in concluſione: & ideò coniugatio eſt inutilis: & termini quidem in quibus ſequitur nulli ineſſe, ſunt album, cignus, lapis, ſic, omnis cignus album: aliquis lapis album: patet, quòd nullus lapis cignus. Terminos vero in quibus ſequitur omni ineſſe, non erit ſumere propter eandem cauſam quæ in priore coniugatione dicta eſt: quia ſcilicet ponitur minor particulariter eſſe vera, & alicui ineſſe, & alicui non ineſſe: & ideò non poteſt maior extremitas minori omni ineſſe. Sed ſicut prius inutilitas iſtius coniugationis monſtranda eſt ex particulari indefinito, quod cum affirmatiuum eſt, poteſt verificari vniuerſaliter & particulariter: hæc enim qua dicitur, quoddam x. eſt n. & vera eſt, ſi omne x. eſt m. & vera ſi non omne x. ſed quoddam eſt m. & quoddam non eſt m. ponatur quidem vniuerſalis affirmatiua loco minoris: & tunc oſtenſum eſt ſupra, quod ſequitur omni & nulli ineſſe: cum igitur particulare affirmatiuum ſequatur ad vniuerſale affirmatiuum: erit etiam inutilis cum particulari affirmatiuo poſito ad minorem: & eſt idem probationis modus qui prius.

Si autem vniuerſale ad minorem, &c.

Adhuc autem erit inutilis coniugatio, ſi ponantur propoſitiones ſimilis qualitatis, & diſſimilis quantitatis, ita quod ſint ambæ negatiuæ, & vna vniuerſalis & altera particularis, & ſit minor vniuerſalis, & maior particularis, ita quod m. quod eſt nota medij, nulli inſit x. & illud idem m. alicui n. non inſit, ſic, quoddam n. non eſt m. nullum x. eſt m. non valet coniugatio: & eſt inſtantia terminorum in quibus ſequitur omni ineſſe, album, animal, coruus, ſic, quoddam animal album: nullus coruus album: & patet, quòd omnis coruus animal. Termini in quibus ſequitur nulli ineſſe, ſunt album, lapis, coruus, ſic, quidam lapis non eſt album: nullus coruus album: patet, quòd nullus coruus lapis.

Similiter autem ſi prædicatiuæ, &c.

Similiter autem inutilis eſt coniugatio, ſi ambæ prædicatiuæ ſiue affirmatiuæ fuerint propoſitiones: & ſit maior particularis affirmatiua, minor autem vniuerſalis affirmatiua: talis enim coniugatio probatur eſſe inutilis per inſtantias terminorum: eò quod ſequitur maiorem extremitatem minori & omni & nulli ineſſe. Termini autem in quibus ſequitur nulli ineſſe, ſunt album, animal, nix, hoc modo, quoddam animal album: omnis nix album: patet, quòd nulla nix animal. Termini autem vbi ſequitur omni ineſſe, album, animal cignus, ſic, quoddam animal album: omnis cignus album: patet, quòd omnis cignus animal.

Manifeſtum igitur quoniam, &c.

Manifeſtum eſt igitur, quòd quando ſimilis figuræ ſiue formæ qualitatis ſunt propoſitiones in ſecunda figura, & diſſimilis quantitatis, ita quod huius vna præmiſſarum quæcunque datur, eſt vniuerſalis, & alia particularis, ſiue ad maiorem ſiue ad minorem poſita, quoniam hoc modo nullus ſit ſyllogiſmus neceſſariò concludens, eò quod hæc ſunt quæ ſunt præmiſſa.

Sed nec ſi alicui vtriquæ, &c.

Sed nec adhuc ſit ſyllogiſmus ſi ponatur vtraque particularis vel æquiualens particulari, vel indefinitæ, ſicut ſi dicatur m. medium vtrique extremitati, n. ſcilicet & x. ineſſe vel non ineſſe. Vel particulariter dicatur, huic quidem extremitati maiori vel minori ineſſe: illi vero minori vel maiori dicatur non ineſſe, ſicut quando propoſitiones ſunt ſimilis quantitatis, quia ambæ particulares, & ſunt diſſi-

milis qualitatis : & ita quod vna est affirmatiua, & altera negatiua quæcunque. Vel si dicatur medium neutro extremo inesse omni: hoc enim æquipollet particulari. Vel dicatur indefinitè vtraque præmissarum : quia indefinitum & particulare æquipollent : nulla enim talium coniugationum vtilis erit propter instantiam terminorum, in quibus sequitur omni & nulli inesse extremum maius minori. Termini autem communes omnium horum quæ dicta sunt, quando ambæ sunt præmissæ particulares, vel particularibus æquiualentes, in quibus sequitur omni inesse, sunt, album, animal, homo, sic, quoddam animal album: quidam homo album: & patet, quòd omnis homo est animal. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse, album, animal, inanimatum, sic, quoddam animal album : quoddam inanimatum album : patet enim, quòd nullum inanimatum animal.

Manifestum igitur ex prædictis, &c.

Manifestum est igitur ex prædictis, quoniam si sic se habeant termini adinuicem, vt dictum est in dispositione vtilium coniugationum, fit syllogismus ex necessitate suæ inferentiæ conclusionem concludens : & è conuerso si debeat fieri vtilis syllogismus, necesse est, quòd termini sic se habeant, vt dictum est.

CAPVT IX.

De corollariis quæ habentur ex præinductis.

Palam autem & quoniam omnes, &c.

PAlam autem ex præinductis, quoniam omnes imperfecti sunt qui sunt in secunda figura syllogismi : omnes enim perficiuntur assumptis quibusdam quæ vel insunt terminis ex necessitate, sicut est conuersio, & per conuersionem terminorum transpositio : vel ponuntur siue conceduntur velut hypothesis, sicut in deductione ad impossibile, in qua præmissæ syllogismi ex hypothesi conceduntur, & negatur sequi conclusio : & ideò sumpto opposito conclusionis syllogizatur oppositum alterius præmissarum ante per hypothesim concessarum, sicut fit quando per impossibile syllogismum ostendimus.

Dubitatio.

Quamuis quidam dubitent dicentes & quærentes causam quæ sit consequentia ista : oppositum enim non potest stare cum præmisso: ergo conclusio sequitur. Sed ad hoc soluendum, est sciendum, quòd quicquid repugnat alicui non repugnat ei, nisi propter oppositum illius quod inest alicui, cui aliud repugnat : nigrum enim non repugnat albo, nisi propter album quod iam inest : & asinus non repugnat homini, nisi propter humanitatem quæ iam inest : & generaliter affirmatio quæ inest, facit repugnare negationem, & contraria contrariam : & sic est in omnibus. Si ergo vnum oppositorum repugnat, oportet quod alterum insit : & ideò stat consequentia : vnum oppositorum repugnat : ergo reliquum stabit, & inest.

Quare in secunda figura non fiat affirmatiuus syllogismus.

Manifestum est etiam, quoniam in hac figura non fit affirmatiuus syllogismus, hoc est, concludens conclusionem affirmatiuam: & hoc est ideò, quod necesse alteram præmissarum esse negatiuam ad medium : & ideò nec extremum extremo potest coniungi, nisi per negationem: quia extremum non respicit extremum nisi per medium : & ideò omnes syllogismi vtilis coniugationis in hac figura sunt omnes priuatiui, ita quod priuatiuas concludunt conclusiones, tam vniuersales, hoc est, vniuersaliter concludentes, sicut primus modus & secundus huius figuræ, quam particulares, hoc est, particulariter concludentes, sicut modus tertius & quartus in hac figura formati. Hæc igitur de secunda figura dicta sunt.

concludi ex. clusio affirmatiua.

CAPVT X.

De proprietatibus tertiæ figuræ.

Si autem eidem quidem hoc quidem omni, &c.

SI autem eidem quidem subiecto quod medium est, hoc quidem extremum maius inest omni, ita quod vniuersaliter extremum prædicatur de medio : illud vero quod est minus extremum, nulli inest medio, ita quod vniuersaliter extremum minus remouetur à medio : vel si forte ambo extrema insint omni medio, ita quod vtrumque extremum de medio prædicatur vniuersaliter : vel etiam si ambo extrema nulli insint medio, ita quod vtrumque vniuersaliter remouetur vel negetur de medio : figuram terminorum huiusmodi dispositionis & ordinis voco tertiam, in qua medium bis subiicitur, & vtraque extremitas de medio prædicatur.

Mediũ autem in hac dico, &c.

Determinamus hîc figuram, prout vna & communis est ad coniugationes vtiles, & ad coniugationes inutiles. Medium autem in hac figura dico metaphoricè, de quo sicut de subiecto ambo extrema prædicantur : extremitates verò voco in hac figura ipsa prædicata quæ prædicantur de medio in duabus præmissis propositionibus. Maiorem verò voco extremitatem, quæ longius distat à medio. Minorem verò extremitatem voco, quæ proposita est iuxta medium. Ponitur autem in hac figura medium foras quidem extremitatum, ita quod vltimum est in positione terminorum & ordine. Et hoc quidem obseruabimus in positione literarum quæ extrema designant & medium, sicut & modum proprium propositionis medij in præhabitis figuris obseruauimus. In prima enim literam designantem medium posuimus in medio extremorum, & in secunda figura literam quæ denotabat medium posuimus ante extrema : hîc autem eam literam quæ designat medium, ponemus post ambo extrema, ita quod in ordine literarum & terminorum est vltima, & minor extremitas media, & maior extremitas prima.

Ordo in literis iuxta ordinem terminorum in figuris.

Quare medium dicitur vltimum in hac figura & foras extremitatum.

Cuius hæc ratio est : quia secundum ordinem prædicabilium in lineis prædicamentali, in prima figura medium stat sub maiori extremitate, & minor extremitas stat sub medio, & sic medium ordine prædicabilium & situ est medium. Cum autem in secunda figura medium tantum prædicetur, & in ordine prædicabilium

bilium prædicatum sit prius subiecto, erit in secunda medium ordine & positione. Eadem autem ratione cum in tertia sit medium tantum subiicibile & non prædicabile, erit secundum positionem & ordinem naturalem terminorum vltimum. Et maior extremitas longius distat à situ & proprietate medij : quia ipsa nunquam subiicitur, nec in præmissis, nec in conclusione, sed semper prædicatur. Minor autem extremitas propinquior est medio & situ & conuenientia proprietatis medij : quia minor extremitas aliquando subiicitur ad minus in conclusione : propter quod medium ponitur foras extremitatum : quia accipitur vt pars vtriusque : quia in ordine prædicabilium id quod substat & subiicitur, pars est eius cui substat & cui subiicitur, sicut homo pars est animalis, & animal pars animati corporis, & sic de aliis ascendendo in linea prædicamentali. Sic etiam in secunda figura medium ponitur foras extremitatum : sed quia prædicatum est, habet se vt totum ad vtramque extremitatem.

Quare maior extremitas longiùs distat à medio in tertia figura, & minor ei est propinquior.

Ex his autem habetur, quòd medium in hac tertia figura non est positione medium, sed extremum : & ideo non est medium nisi vniens & coniungens extrema, sicut & in secunda figura. Ex quo sequitur, quòd perfectus non fit syllogismus in hac figura quantum ad euidentiam conclusionis, possibilis ad perfectionem syllogismus erit in hac figura : potest enim reduci ad primam figuram, & tunc est perfectus.

Perfectus igitur syllogismus, &c.

Potest autem in hac figura syllogismus & ambobus terminis vt prædicatis vniuersaliter se habentibus ad medium, ita quod vterque de medio prædicetur vniuersaliter : & potest iterum esse syllogismus, non ambobus terminis se vniuersaliter habentibus ad medium, ita quod vnus de medio prædicetur vniuersaliter, & alter particulariter. Sint igitur notæ terminorum & signa istæ literæ p. t. s. & s. quæ est vltima sit medium. r. vero minor extremitas. p. autem sit maior. Hæc igitur est dispositio tertiæ figuræ.

Proprietates tertiæ figuræ.

Cuius proprietates sunt duæ : vna quidem, quòd minorem non potest habere negatiuam. Et alia, quòd non potest habere conclusionem vniuersalem, sed semper particularem. Ratio autem primi, quod scilicet minorem oporret habere affirmatiuam, hæc est : quia medium est pars extremitatum vel in ratione partis acceptum : & ideò si minor esset negatiua, nec affirmatiuè nec negatiuè posset aliquando concludi : posset enim contingere, quòd extrema essent disparata : & tunc non posset concludi affirmatiuè vnum extremum de alio. Posset etiam contingere, quod se haberent adinuicem vt subalterna : & tunc vnum extremum de altero concludi non posset negatiuè. Exemplum autem primi est, vt si dicamus tres terminos, animal, lapis, homo, ita quòd medium sit homo, sic, omnis homo animal : nullus homo lapis, vel aliquis homo non lapis : & patet, quòd nullus lapis animal. Exemplum secundi est, si dicamus terminos esse, animal, asinus, homo, sic, omnis homo animal: nullus homo asinus : non potest inferri negatiuè : ergo nullus asinus animal, quia omnis asinus animal : patet igitur, quòd nihil sequeretur in hac figura minore existente negatiua.

Est autem huius quod dictum est & alia causa satis conuenienter assignata, & hæc est, quòd modi tertiæ figuræ descendunt à modis primæ figuræ per conuersionem minoris : & quia minor in primo primæ figuræ, & in tertio (qui descendit à primo) semper est affirmatiua : ideo in tertia figura minorem oportet esse affirmatiuam.

Obiectio.

Sed tunc obiectio est : quia in modis primæ figuræ, à quibus descendunt syllogismi tertiæ figuræ, minor est particularis, eò quod affirmatiua vniuersalis non conuertitur nisi particulariter, descendunt syllogismi primæ figuræ particulares ab vniuersalibus, sicut dicetur in sequentibus. Si ergo minor in syllogismis primæ figuræ est tantum particularis in tertio modo & quarto, quæritur, qua sit causa, quod minor in tertia figura potest esse & vniuersalis & particularis? Et ad hoc dicendum secundum aliquos, quòd quando propositio vna conuertitur in aliam, vtraque potest dici conuersa alterius, scilicet & illa quæ conuertitur, & illa in quam conuertitur : & hoc modo loquendo & vniuersalis est conuersa particularis, & particularis est conuersa vniuersalis: & quia prima à qua fit descensus est vniuersalis, & ideo etiam quod ab illo descendit, quamuis per particulare descendat, potest esse vniuersale, sicut patet in aliis. Huius autem causa est : quia quando conuertitur vniuersalis in particularem, virtus vniuersalis remanet in particulari: & sic etiam ipsum particulare in virtute vniuersalis acceptum potest reduci ad vniuersale.

Soluitio.

Eius autem quod dictum est, quòd hæc figura non concludit nisi particulariter, causa est, quòd medium huius figuræ ponitur foras extremitates, & ponitur vt subiicibile, & vt pars extremitatum : & ideò per ipsum non potest differre extremitas ab extremitate nisi secundum partem : nec extremitas potest conuenire cum extremitate per medium, nisi secundum partem : & ideò est, quòd virtute medij non potest concludi in hac figura nisi particulariter. Adhuc autem cum in hac figura medium se habeat ad extrema sicut inferius, & sicut pars, posset contingere, quòd extrema se haberent adinuicem vt subalterna : & tunc posset minor extremitas in plus quam maior: propter quod maior non prædicaretur de ipsa nisi particulariter : & tunc instantiam haberet talis syllogismi modus. Exemplum autem est in his terminis, animal, corpus, homo, sic, omnis homo animal: omnis homo corpus: patet, quòd non sequitur vniuersalis, sed particularis, quoddam corpus animal.

Quare tertia figura non concludit nisi particulariter.

Obiectio prima.

Obiiciunt tamen aliqui contra ea quæ dicta sunt, sic dicentes, quòd in quolibet figura plus possunt duæ vniuersales coniunctæ quam vniuersalis & particularis: sed vniuersalis coniuncta particulari potest inferre conclusionem particularem : cum ergo plus possint duæ vniuersales, & non sit ostendere in quo plus possunt, nisi in hoc quod inferunt vniuersalem, videtur quòd in hac tertia figura

ex vniuersalibus possit inferri conclusio vniuersalis.

Secunda. Adhuc autem particularis cum vniuersali particularem infert conclusionem sufficienter: cum autem ponitur vniuersalis cum vniuersali, plus est in vniuersali quam in particulari: illud ergo plus ad conclusionem particularem videtur esse non causa vt causa: in hac ergo figura nunquam coniungenda est vniuersalis cum vniuersali: & sic primus modus & secundus huius figuræ non essent syllogismi.

Solutio. Ad primam. Sed ad hæc & similia non est difficile soluere. Dicendum enim, quòd dispositio medij causa est, quare in hac figura non est vniuersalis conclusio. Et quòd dicitur, quòd plus potest vniuersalis cum vniuersali quam vniuersalis cum particulari. Dicendum, quòd hoc verum est in decursu syllogistico, sed non ad faciendum quantitatem conclusionis quando medium stat sub extremitatibus: nec in plus potest vniuersalis cum vniuersali, quam vniuersalis cum particulari ad faciendam figuram, sed ad faciendum modum in figura plus potest vniuersalis cum vniuersali, quam vniuersalis cum particulari: quia euidentius inferunt, & immediatius reducuntur vniuersales syllogismi in primam figuram, quam particulares syllogismi, qui habent alteram particularem.

Ad secundam. Ad hoc autem quod dicitur: quia id quod plus est in vniuersali quam in particulari ad inferendam conclusionem particularem, est non causa vt causa. Dico, quòd non est verum: quia licet ad euidentiam necessitatis: euidentior enim est necessitas conclusionis syllogisticæ ex duabus vniuersalibus, quam ex altera vniuersali & altera particulari.

Quare maior potest esse particularis in tertia figura. Sed non refert in hac figura, vtrum maior sit vniuersalis, siue particularis: semper enim infertur conclusio particularis: quod non est in aliis figuris, in quibus maiorem semper oportet esse vniuersalem: & hoc est ideò, sicut dictum est, quòd medium non concludit extremum de extremo siue affirmatiuè siue negatiuè, nisi secundum partem: & ad hoc quod hoc facere possit, non refert siue maior sit vniuersalis, siue particularis: quia medium vel est pars, vel sicut pars vtriusque extremitatis. Adhuc de proprietatibus istius figuræ, sicut iam diximus, est quòd concludit tantum particulariter.

Dubitatio. Quare non datur vna figura quæ tantum vniuersaliter concludat. Sed tunc quæritur, cum sit figura concludens tantum particulariter sicut tertia, & sit figura concludens vniuersaliter & particulariter sicut prima & secunda, quare non est aliqua figura concludens tantum vniuersaliter? non enim potest esse quartum membrum, quòd scilicet sit figura quæ nec vniuersaliter nec particulariter concludat: quia hoc non esset syllogismus, & sic nec figura esset nec modus.

Solutio. Ad hoc autem dicendum, quod habitudo medij ad extrema causa est conclusionis: & ideò vbi habitudo medij ad extrema est vt habitudo partis, ibi medium inter extrema nec ponit conuenientiam nec differentiam nisi secundum partem. Vbi autem habitudo medij ad extrema est habitudo totius, sicut in secunda figura: vel habitudo medij ad extrema se habet vt pars ad vnum & totum ad alterum, vt in prima: ibi potest notare & causare & vniuersalem conuenientiam & vniuersalem differentiam: & ex vno concludit vniuersalem affirmatiuam, & ex alio causat in conclusione vniuersalem negatiuam: & ideò in prima figura concluditur vniuersaliter & affirmatiuè & negatiuè, & in secunda figura vniuersaliter negatiuè. Sed quia particulare sequitur ad vniuersale sicut consequens ad antecedens, ideò necesse est, quòd figura concludens vniuersaliter, concludat etiam particulariter: & quia vniuersalis non sequitur ad particularem, ideò non potest concludere vniuersaliter, quæ concludit particulariter.

Et ex hoc patet, quòd tam in prima quam in secunda & in tertia modi particulares descendunt & oriuntur à modis vniuersalibus eiusdem figuræ, sicut tertius primæ figuræ descendit à primo eiusdem figuræ posita subalterna vniuersalis pro minori: & per eundem modum quartus descendit à secundo, & sic est in omnibus aliis.

Quare non datur vna figura quæ tantùm affirmatiuè concludat, sicut datur vna quæ tantum negatiuè concludit. Quia autem vna est figura concludens affirmatiuè & negatiuè, sicut prima & tertia: & est vna concludens tantum negatiuè, sicut secunda: & non est vna quæ tantum affirmatiuè, non causatur nisi ab habitudine medij: quando enim medium habet se ad extrema vt pars ad vnum & totum ad alterum, potest esse causa & conuenientiæ & differentiæ extremorum adinuicem, & sic causat tam affirmationem quam negationem. Similiter autem quando habet se sicut pars ad vtrumque extremum. Quando autem est extra extrema vt communius vtroque, & vt totum ad ipsa, non potest esse causa conuenientiæ: quia non per hoc affirmatur vnum de alio, quod sunt sub vno & eodem communi: sed causa est differentiæ & negationis, quia negato superiori de aliquo negatur vnum de alio eorum quæ sub superiori ponuntur: si enim lapis non sit animal, sequitur quòd lapis non est homo: & ideo medium in secunda figura causa conuenientiæ affirmationis esse non potest. Hæc igitur est causa quare nulla figura concludit tantum affirmatiuè: quamuis quædam tantum negatiuè concludat.

CAPVT XI.

De formatione syllogismorum vniuersalium tertiæ figuræ vtilium & inutilium coniugationum.

Qui sint modi vniuersales in tertia figura. His ita determinatis coniugationes vtiles & inutiles istius figuræ ponamus tam secundum modos vniuersales, quam secundum modos particulares. Modi enim vniuersales in hac figura non dicuntur qui concludunt vniuersaliter, sed qui ambas habent præmissas vniuersales. Fit igitur vniuersaliter syllogismus in hac tertia figura in terminis suprapositis, quos pro medio & extremis ponimus p. r. s.

Quando

Primus modus vtilis scilicet dum vtitur Vniuersali quando p. & r. &c. Quando p. maior extremitas, & r. minor extremitas, sicut prædicata inerunt omni s. vt medio, & vtrique extremitatis subiecto: & concludetur virtute medij, quòd alicui r. inerit p. hoc modo, omne s. p. omne s. r. ergo aliquod r. p. & est primus modus vtilis coniugationis in hac tertia figura. Probatur autem iste syllogismus per reductionem in tertium modum primæ figuræ per conuersionem vniuersalis affirmatiuæ quæ est minor propositio, & conuertitur particulariter, sic, omne s. r. quoddam r. s. & hæc ponatur cum maiori prioris syllogismi, sic, omne s. p. quoddam r. s. ergo quoddam r. p. & est tertius modus primæ figuræ: quia enim p. inest omni s. in maiori propositione, & s. inest alicui r. per conuersam minoris, sequitur, quòd & p. necesse est alicui, r. inesse in tertio modo primæ figuræ: sic enim conuersa minore fit syllogismus per primam figuram.

Quæ sit probatio per expositionem. Hic autem idem modus potest demonstrari & per impossibile & per expositionem. Expositionem autem dico, quod sub vniuersali aliquod sensibile sumatur, de quo vtraque extremitas vniuersaliter vel particulariter prædicetur, sicut si dicam, omnis homo substantia: omnis homo animal: ergo aliquod animal substantia: & si dicatur, quòd non sequitur, accipio sub substantia & animali aliquod sensibile de quo prædicetur vtraque extremitas, vt hunc hominem, videlicet Sortem & Platonem: quia enim ille est quoddam animal, & quædam substantia, patet quoniam aliquod animal est quædam substantia: & hoc est quod dicit Arist. quòd si ambo extrema omni s. hoc est, medio insunt, si sumatur aliquod eorum sensibilium & particularium quæ sunt sub s. & sic illud s. huic necessario sequitur & p. & r. inesse, maiorem scilicet & minorem extremitatem: eò quod medium vtrique extremorum subiicitur: si enim omnis homo est animal: & omne risibile animal: necesse est quoddam risibile animal esse. Si autem insunt maior & minor extremitas, omni medio, & aliquod sensibile sumatur sub medio, sequitur quod huic sumpto sub medio inerunt extrema p. & r. & sic sequitur, quòd alicui r. quod est minor extremitas, inerit p. maior extremitas. Hic ergo est tertiæ figuræ modus primus.

Et si r omni quidem s p. autem nulli, &c. Secundus modus vtilis, scilicet felapton. Secundus autem huius tertiæ figuræ modus est si dicatur r. quidem minor extremitas omni s. inesse, ita quòd minor sit vniuersalis affirmatiua, & dicatur s. nulli p. inesse, ita quod vniuersalis sit negatiua: tunc erit de necessitate concludens syllogismus hanc conclusionem, quod p. aliqui r. non inerit: concludit enim hic syllogismus particulariter, quòd maior extremitas alicui de minori extremitate non inerit. Idem enim modus erit demonstrationis qui prius dictus est conuersa r. s. propositione quæ minor fuit in syllogismo præcedenti: hæc enim si conuertitur, cum sit vniuersalis affirmatiua in præcedenti syllogismo, conuertitur in particularem: & tunc erit talis syllogismus, nullum s. p. omne s. r. sequitur de necessitate, quoniam aliquod r. non est p. Idem enim modus demonstrationis est conuersa r. s. propositione quæ minor erat in syllogismo præcedenti sic, nullum s. p. aliquod r. s. ergo aliquod r. non est p. & hic est quartus primæ figuræ si conuertatur minor, omne s. r. in hanc, aliquod r. s. tunc enim sic syllogizatur, nullum s. p. aliquod r. s. ergo aliquod r. non est p.

Hoc autem idem potest ostendi per impossibile sicut in priori modo si sumatur oppositum conclusionis & ponatur cum præmissa sic, nullum s. est p. omne, s. est r. ergo aliquod r. non est p. si enim non sequitur, detur oppositum: eius autem quod est, quoddam r. non est p. est hoc, omne r. est p. accipiatur ergo cum prima prioris syllogismi sic, nullum s. p. & conuertatur in hanc, nullum p. s. omne r. p. sequitur, quòd nullum r. s. & datum fuit, quòd omne s. r. si enim nullum s. r. sequitur, quòd aliquod s. non est r. & hæc est contradictoria eius quæ data est in minore propositione prioris syllogismi: & sic dupliciter probatur iste syllogismus.

Si autem insunt r. s. quidem nulli, &c. Aliis autem modis omnibus, vniuersaliter se habentibus terminis, inutilis est coniugatio. Dicamus, quòd maior sit affirmatiua vniuersalis & minor negatiua vniuersalis, ita quod s. medium sic se habet ad r. minorem extremitatem, quòd nulli s. inest r. & sic se habet ad p. maiorem extremitatem, quod p. inest omnis. nec est syllogismus vtilis coniugationis: & hoc ptobatur per instantiam terminorum: si enim accipiantur termini, animal, equus, homo, sequitur omni inesse sic, omnis homo animal: nullus homo equus: patet, quòd omnis equus est animal. Si verò accipiantur termini, animal, inanimatum, homo, sequitur nulli inesse sic, omnis homo animal: nullus homo inanimatum: patet, quòd sequitur nullum inanimatum esse animal.

Nec quando ambo de nullo, &c. Adhuc autem inutilis coniugatio est, & non erit syllogismus, si ambæ præmissæ sint vniuersales negatiuæ: hoc enim generale est in omni figura, quòd ex omnibus negatiuis nihil sequatur: & est instantia terminorum: & termini in quibus sequitur omni inesse, sunt animal, equus, inanimatum, sic, nullum inanimatum animal: nullum inanimatum equus: & patet, quòd omnis equus animal. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse, homo, equus, inanimatum, ita quod medium sit inanimatum sic, nullum inanimatum, homo: nullum inanimatum equus: & patet, quòd nullus equus homo.

Manifestum est igitur & in hac figura, &c. Manifestum & non erit in hac figura syllogismus, si vniuersaliter sumuntur termini & præmissæ propositiones: quando enim ambo termini sunt prædicatiui, ita quod ambæ præmissæ sunt vniuersales affirmatiuæ, tunc erit syllogismus, & est primus modus istius tertiæ figuræ. Quando autem ambo termini erunt priuatiui ad medium, ita quod ambæ præmissæ sunt vniuersales negatiuæ, tunc non erit syllogismus. Quando autem hic quidem est priuatiuus, alter vero prædicatiuus, scilicet maior quidem terminus priuatiuus ad medium, minor autem prædicatiuus, erit syllogismus, quod alicui non ineſt extremitas maior minori in

conclusione. Et iste est secundus modus istius tertiæ figuræ. Si autem è conuerso ponatur maior affirmatiua & minor negatiua, non est coniugatio vtilis ad syllogismum, sicut patet per antedicta.

CAPVT XII.

De formatione particularium syllogismorum tertiæ figuræ vtilium & inutilium.

Si autem vnus vniuersaliter sit, &c.

PArticulares verò syllogismi in tertia figura sic formantur & secundum vtiles & secundum inutiles coniugationes. Si enim vnus terminorum, maior scilicet, vniuersaliter se habeat ad medium, ita quòd maior sit vniuersalis: alius verò terminus, minor scilicet, ad idem medium se habeat particulariter, ita quod minor sit particularis, ita quod vterque tam maior quam minor ad medium sit prædicatiuus, & vtraque præmissarum affirmatiua: necesse est in hac figura fieri syllogismum, quamuis alteruter siue maior scilicet, siue minor terminorum sit vniuersalis, & alius particularis: in hac enim figura, vt in antehabitis diximus, maior poterit esse & vniuersalis & particularis: & hoc habet proptium. Ponamus enim primo, quòd in minori terminо sit vniuersalis, ita quòd r. minor extremitas insit omni s. quod est medium: & sit minor vniuersalis affirmatiua: & p. quod est maior extremitas, insit alicui s. ita quòd maior sit particularis affirmatiua, necesse est per necessitatem consequentiæ syllogisticæ, quod aliquod p. sit r. siue quod aliquod p. insit r. & hic est tertius modus istius tertiæ figuræ ex maiore particulari & minore vniuersali ambabus affirmatiuis.

Tertius vtilis, scilicet disamis. Nam si r. omni s. insit, &c.

Et perficitur hic syllogismus ex conuersione maioris, quæ est particularis affirmatiua & transpositione propositionum, sic, omne s. r. quoddam p. s. ergo quoddam r. p. & particularis affirmatiua conuertitur simpliciter, necesse etiam è conuerso, quod etiam r. insit alicui p.

Quartus vtilis, scilicet datisi. Rursum si r. alicui s. &c.

Adhuc vtilis coniugationis sit syllogismus, si fiat è conuerso, quòd maior sit vniuersalis & minor particularis. Sicut si sic dicatur, quod r. alicui s. ineat in minori. p. verò omni s. ponatur in maiori: sequitur enim necessitate syllogistica, quòd necesse p. alicui r. inesse in conclusione: & iste est quartus modus istius figuræ.

Et idem modus demonstrationis est in isto & in priori, scilicet per conuersionem minoris: si enim omne s. sit p. & quoddam s. sit r. erit quoddam r. p. si ergo sic syllogizentur, omne s. p. quoddam r. s. sequitur per tertium primæ, quòd quoddam r. est p. Hic autem modus etiam demonstrari potest per deductionem ad impossibile, supposita contradictoria conclusionis cum altera præmissarum, & concludendo oppositum alterius præmissarum, quod prius concessum fuerat. Potest etiam per expositionem minoris & conclusionis demonstrari ad sensum: quia quandocunque proferatur particulare sub medio sumptum & ad sensum demonstratum (cui ineſt maior extremitas) tunc verificata erit particularis propositio,

Quintus modus vtilis, scilicet bocardo. Si autem vnus quidem sit, &c.

Adhuc autem vtilis coniugationis erit syllogismus in hac figura, si vnus quidem terminorum fuerit prædicatiuus & alter priuatiuus, dummodo minor fuerit prædicatiuus: quia hoc habet proprium ista figura, quòd minorem semper vult habere affirmatiuam: & quándo sic se habent termini, tunc erit syllogismus: & est istius figuræ modus quintus: nam r. minor extremitas ineſt omni s. in minori propositione: & p. quod est maior extremitas, non ineſt alicui s. in maiori propositione: necessitate syllogistica sequitur, quòd necesse p. maiorem extremitatem alicui r. hoc est, minori extremitati non ineſse, sic syllogizando: quoddam s. non est p. omne s. est r. ergo quoddam r. non est p.

Et probatur hic modus per deductionem ad impossibile: detur enim oppositum conclusionis, quod scilicet p. ineſt omni r. datum est autem, quod omni s. ineſt r. sequitur, quòd omni s. inerit p. Datum autem fuerat, quod non omni in maiori prioris syllogismi. Hoc autem modo sciatur etiam sine deductione ad impossibile per simplicem expositionem, si sumatur aliquid eorum singularium quæ sunt sub s. medio, cui non ineſt p. maior extremitas: particularis enim pro vno solo singulari verificatur.

Inutilis. Quando vero maior fuerit prædicatiuus, &c.

Si autem propositiones sint dissimilis qualitatis & dissimilis quantitatis & maior fuerit terminus prædicatiuus ad medium, & minor priuatiuus, erit inutilis coniugatio, & non syllogismus, vt si dicamus, quod p. quidem omni s. insit in maiori propositione. r. autem in minori propositione alicui s. non insit: quia sicut diximus, minor in hac figura non potest esse negatiua.

Et probatur istius coniugationis inutilitas per instantiam terminorum. Termini autem in quibus sequitur omni ineſse, sunt animatum, homo, animal, sic, omne animal animatum: quoddam animal non homo: & patet, quòd omnis homo animatus. In quibus autem sequitur nulli ineſse, non est sumere terminos, si particularis sit vera particulariter: quia tunc r. alicui s. ineſt, & alicui non ineſt. Probatur autem deducendo ad impossibile, quòd terminos ad nulli ineſse non est sumere. Si enim omni s. ineſt p. sicut dicit maior propositio. r. autem alicui ineſt s. sicut supponit minor particulariter vera propositio: tunc sequitur per tertium primæ figuræ syllogismum, quòd p. ineſt alicui r. sed qui dicit, quod est sumere terminos in quibus sequitur nulli ineſse, dicit per consequens, quod nulli r. ineſt p. patet ergo, quòd terminos nulli ineſse non est sumere. Sed coniugationis huius inutilitas ostendenda est quodam modo in prioribus ex indefinito particularis negatiuæ: alicui enim non ineſse est indefinitum, & indefinitam habet causam suæ veritatis: si enim nulli insit, verum est alicui non ineſse: & si alicui non insit, verum est cuidam non ineſse: quando autem est vera, eo quod nulli insit,

Quomodo alicui non ineſse est indefinitum: & de hoc vide supra cap. 4. vsus finem.

insit, ita quod minor sit vniuersalis negatiua, non erat syllogismus, vt iam ante probatum est: ergo manifestum est, quoniam omni alicui non ineſse non potest esse syllogismus: quia alicui non ineſse sequitur ad nulli ineſse: & si daretur esse syllogismus omni nulli ineſse, concluderetur statim etiam esse syllogismum omni alicui non ineſse. Econtra autem negato nulli ineſse, negatur alicui non ineſse: & ideo non existente syllogismo omni nulli, sequitur non ineſse syllogismum omni alicui non.

Si autem priuatiuus sit vniuersalis, &c.

Si autem vniuersalis terminus sit priuatiuus & particularis affirmatiuus, ex tali combinatione plures resultabunt coniugationes & vtiles & inutiles. Si enim maior fuerit vniuersalis priuatiuus, & minor terminus ad medium erit particularis & prædicatiuus, erit vtilis coniugationis syllogismus. Si enim p. maior extremitas, nulli insit s. in maiori propositione. r. autem alicui insit s. in minori propositione; sequitur de necessitate syllogistica, quòd p. non inerit alicui r. Erit enim ex isto prima figura per reductionem, quando conuertitur minor propositio quæ est particularis affirmatiua sic, nullum s. p. quoddam r. s. ergo quoddam r. non est p. hic enim est quartus modus primæ figuræ: hic ergo syllogismus est istius figuræ modus sextus.

Sextus modus vtilis, scilicet ferison.

Inutiles. Quando autem minor fuerit priuatiuus, &c.

Quando autem maior affirmatiuus, nunquam erit vtilis coniugationis syllogismus: inutilitas enim talis coniugationis per instantias probatur terminorum. In his enim terminis, animal, homo, ferrum, sequitur omni ineſse sic, omne ferrum animal: quoddam ferrum non est homo: patet, quòd omnis homo animal. Termini autem in quibus sequitur nulli ineſse, in eadem complexione, sunt animal, scientia, ferrum, sic, omne ferrum animal: aliquod ferrum non est scientia: patet, quòd virtute terminorum concluditur nulla scientia animal: medium autem in vtrisque his terminis est ferrum secundum huius tertiæ figuræ dispositionem.

Ex puris negatiis nihil sequitur in aliqua figura.

Nec iterum quando ambo termini ponuntur esse priuatiui: quia hoc generale est in omnibus figuris, quòd ex ambobus negatiuis nihil sequatur syllogistice: possunt enim esse ambæ negatiuæ in dispari quantitate, ita quòd vnus terminorum sit vniuersalis, & alter particularis. Probatur autem inutilitas istius coniugationis per instantias terminorum: si enim minor sit vniuersalis & maior particularis & ambæ negatiuæ, termini in quibus sequitur omni ineſse, sunt animal, homo, ferrum, sic, quoddam ferrum non est animal: omne ferrum non est homo: patet, quòd ex habitudine terminorum sequitur, quòd omnis homo est animal. Termini in quibus sequitur nulli ineſse, sunt animal, scientia, ferrum, sic, quoddam ferrum non est animal: omne ferrum non est scientia: patet, quòd ex habitudine terminorum sequitur, nulla scientia animal.

Nec quando ambo priuatiui ponuntur, &c.

Quando autem maior est vniuersalis & minor particularis & ambæ negatiuæ, termini in quibus sequitur, nulli ineſse, sunt coruus, nix, album, sic, nullum album coruus: quoddam album non est nix: patet, quòd ex habitudine terminorum sequetur: ergo nulla nix coruus. Terminos in quibus sequitur omni ineſse, non contingit dare si minor particulariter sit vera, ita quod alicui s. ineſt r. & alicui non ineſt, eadem de causa quæ sæpius dicta est. Si enim dicat aliquis, quòd dare contingit in tali complexione terminos ex quibus sequatur omni ineſse: tunc accipiatur hoc, & dicatur quod secundum hoc contingit, quòd p. ineſt omni r. sed datum erat prius, quòd r. ineſt alicui s. sequitur de necessario, quòd p. inerit alicui s. & positum fuit nulli ineſse in maiori propositione: ergo terminos omni ineſse non contingit sumere. Sed inutilitas huius coniugationis monstranda est ex indefinito particularis negatiuæ; per omnem eundem modum sicut prius, quod scilicet particularis negatiua pro sensu vniuersalis verificetur, & vniuersalis negatiua in cuius sensu particularis verificatur, loco particularis ponatur, & ex prius dictis concludatur inutilitas coniugationis.

Neque si vterque alicui medio ineſt, &c.

Adhuc autem sunt inutiles coniugationes alio modo quam dictum est: neque enim vtilis coniugatio esse potest, si vterque terminus, maior scilicet & minor, ineſt alicui in medio particulariter: quia tunc ambæ præmissæ particulares: & ex particularibus virtute syllogistica nihil sequitur, sicut sæpius dictum est: vnde siue similiter ambo termini particulariter affirmatiui secundum ineſse, siue ambo particulariter negatiui secundum non ineſse: siue vnus quidem particularis & affirmatiuus secundum ineſse, alter autem particularis & negatiuus secundum non ineſse: siue etiam sumantur in eis qui æquipollent particulari affirmatiuo vel negatiuo, sicut si vnus sumatur particularis secundum ineſse alicui: alter autem in æquipollentia ad particularem sumatur negatiuè secundum non ineſse omni siue secundum non omni ineſse, vel si indefinitè sumpti termini in vtraque propositione loco particularium ponantur: nullo istorum modorum erit coniugationis syllogismus.

Termini autem communes ad omnes istas inutiles coniugationes ex quibus sequitur omni ineſse, sunt animal, homo, album, sic, quoddam album animal: quoddam album homo: patet, quòd habitudo termini concludit, quod omnis homo animal. Termini autem in quibus sequitur non ineſse, animal inanimatum, album, sic, quoddam album animal: quoddam album inanimatum: ex habitudine terminorum sequitur nullum inanimatum esse animal. Idem est quocunque modo varientur particulares, vel indefinitæ propositiones, vel eis æquipollentes.

Manifestum igitur in hac figura, &c.

Manifestum est igitur etiam in hac figura quando erit & quando non erit vtilis coniugationis syllogismus. Manifestum est etiam, quoniam habentibus se terminis, vt dictum est, in coniugationibus vtilibus sit syllogismus concludens ex necessitate syllogisticæ consequentiæ: & è conuerso si sit syllogismus de necessitate concludens, necesse est, quòd termini sic se habeant, vt dictum est.

Mani

Manifestum est etiam, quòd omnes istius figuræ syllogismi imperfecti sunt: omnes enim perficiuntur quibusdam extrinsecus assumptis præter ea quæ in ipsis continentur, sicut est conuersio, & transpositio, & ad impossibile deductio & expositio: & non perficiuntur per solum dici de omni, vel dici de nullo, sicut syllogismi primæ figuræ.

Manifestum est etiam, quòd in hac figura non contingit syllogizando concludere vniuersaliter sumptum vniuersale, siue vniuersalem conclusionem neque affirmatiuam neque negatiuam.

CAPVT XIII.

De epilogo dictorum & de formatione duorum syllogismorum indirectè concludentium.

Palam autem ex determinatis quando in omnibus figuris, hoc est, in qualibet figurarum, & quando non sit syllogismus, cum prædicatiui vel priuatiui sunt vtrique termini, maior scilicet, & minor. Deinde verò quod in secunda figura non sit syllogismus affirmatiuus, & in nulla figura syllogismus sit ex omnibus negatiuis. Similiter etiam quando vtrique termini sunt particulares, nihil ompino fit per consequentiam syllogisticam ex tali coniugatione necessarium. Cum autem vnus terminorum sit prædicatiuus, maior scilicet, & alter priuatiuus, minor scilicet, ita quod minor qui priuatiuus est sit vniuersaliter sumptus, semper fit syllogismus indirectè concludens, qui est syllogismus minoris extremitatis ad maiorem: concludit autem minorem extremitatem de maiori: quod est indirectè concludere. Et huius exemplum est in duobus modis simul inductis, quorum vnus habet maiorem vniuersalem affirmatiuam, & minorem vniuersalem negatiuam: & alter habet maiorem particularem affirmatiuam, & maiorem vniuersalem negatiuam: & hoc in prima figura sic: vt dicatur a. quidem omni b. vel alicui b. ineſſe, sic, omne b. est a. vel aliquod b. est a. b. autem nulli c. dicatur ineſſe, sic, nullum c. b. tunc enim fit syllogismus indirectè concludens minorem extremitatem de maiori, conuersis propositionibus & transpositis: sequitur enim, quod c. alicui a. non insit, hoc est, quòd aliquod a. non est c. sic, nullum b. c. omne a. b. vel aliquod a. b. sequitur, quòd aliquod a. non est c. Similiter autem fit & in aliis figuris: quia in talibus syllogismis semper fit reductio ad perfectos syllogismos per conuersionem propositionum, & aliquando transpositionem, & per conuersionem conclusionis.

Palam autem & quoniã in omnibus figuris, &c.

Quum autem prædicatiuus & priuatiuus, &c.

Quamuis autē Boēt. ponat quinque modos indirectè concludentiū in prima figura, de quibus & Arist. facit mentionem: quia duos ponit hīc, & tres alios in secūdo huius scientiæ libro: tamen hīc non ponuntur nisi duo qui dicti sunt: quia illi formantur iuxta inutiles coniugationes primæ figuræ, in qua maior est semper vniuersalis & minor affirmatiua: quius contrarium est in illis syllogismis indirectè concludentibus, in quibus maior affirmatiua siue vniuersalis siue particularis, & minor negatiua: & ideo similitudinem quandam habent cum inutilibus coniugationibus: quam similitudinem alij tres modi non habent, qui iuxta vtiles formantur coniugationes. Isti enim hīc ponuntur ad sciendum, quòd non omnis inutilis coniugatio est adeò inutilis, quòd nihil vel directè vel indirectè possit concludi per eam. Istæ enim duæ coniugationes quando maior vniuersalis affirmatiua & minor vniuersalis negatiua, & quando maior particularis affirmatiua & minor vniuersalis negatiua inest, inutiles sunt reputatæ: & tamen concludunt, sed indirectè.

Duo modi indirectè cōcludentes, scilicet sæpissimo & frisesomorum.

Quæri tamen potest, vtrum isti duo modi indirectè concludentes possint esse tam in secunda & tertia figuris, sicut & in prima. Videtur enim, quòd non: quia in terminis inuenitur instantia, sic, nullus homo est asinus: aliquod animal est asinus: ergo aliquis homo non est animal: patet, quòd non valet: ergo in secunda figura per talem complexionem non potest indirectè concludi. Similiter videtur instantia in tertia figura, sic, nullus homo est asinus: aliquis homo est animal: ergo aliquis asinus non est animal: patet, quòd non valet, quamuis indirecta conclusio secundum complexionem eandem quæ dicta est. Ad hoc autem videtur dicendum, quòd indirectè concludentes modi possunt esse in omni figura per aliquem modum conuersionis conclusionis. Sed quod hīc dicitur, non est intelligendum nisi de modis in quibus minor est vniuersalis negatiua, & maior vel vniuersalis affirmatiua, vel particularis affirmatiua. In instantiis quæ adductæ sunt, maior est vniuersalis negatiua, & minor affirmatiua: & ideo non sunt eiusdem coniugationis cum his qui in omni figura possunt indirectè concludere.

Dubitatio.

Solutio.

Quare duo tantum modi indirectè concludentium hic ponit, cum tamen sint quinque.

Si autem quæritur, ex quo fiunt isti in omni figura, an eodem modo vel diuerso perficiantur in omni figura vel non? Sed ad hoc facile patet solutio: quia cum diuersæ sint figuræ, oportet quòd diuersæ sint reductiones ad perfectos primæ figuræ. In prima figura fit perfectio in conuersionem vtriusque propositionis, & per transpositionem earundem: hoc enim fieri oportet propter medij dispositionem debitam & extremorum. In secunda autem figura facti isti syllogismi ad primam figuram reducuntur per conuersionem minoris, hoc est, vniuersalis negatiuæ, & per propositionum transpositionem. In tertia autem figura facti iidem syllogismi reducuntur per conuersionem maioris, quæ est affirmatiua vniuersalis vel particularis, & per transpositionem propositionum. Et sic in tribus figuris, tribus modis diuersis reducuntur: tamen ex omni figura semper reducuntur ad vnum modum qui est quartus modus figuræ primæ.

Ex quo habetur, quòd sæpissimo & frisesomorum possunt in omni figura indirectè concludere. Dubitatio. Solutio.

Scias tamen, quòd isti modi non in omni figura manent indirecti: quinimo peccant contra directos primæ & tertiæ figuræ: quia in prima figura vterque modus est indirectus, & in tertia similiter: vterque enim modus de duobus dictis modis peccat contra modos directè

rectè concludentes in prima & tertia figura, in hoc, quod habet minorem negatiuam: quod non contingit in modis directè concludentibus in prima & tertia figura. Prima enim & tertia figura semper habent minorem affirmatiuam in modis directè concludentibus. In secunda autem figura ille tantum peccat contra modos directè concludentes, cuius maior est particularis: quia hoc non contingit in modis directè concludentibus in secunda figura. Ille vero qui habet maiorem vniuersalem affirmatiuam & minorem vniuersalem negatiuam, peccat contra modos directos secundæ figuræ: & ideò ille modus in secunda figura primo & per se directus est, sed potest fieri indirectus per conuersionem conclusionis.

Attendendum autem, quòd isti duo modi indirecti in omni figura in qua sunt, non possunt habere nisi conclusiones particulares & negatiuas. Et hoc contingit ideò quòd in tali complexione quando maior affirmatiua vniuersalis vel particularis, & minor negatiua vniuersalis, oportet contineri minorem extremitatem sub maiori: & cum concluditur indirectè, tunc maior extremitas subiicitur in conclusione, & minor prædicatur de maiori. Vnde quia minor est negatiua, oportet conclusionem esse negatiuam: & quia minor prædicatur in conclusione de maiori, oportet quòd negetur inferius de suo superiori: & inferius de superiori non potest negari nisi particulariter sic, aliquod animal non est asinus: ideo de necessitate sequitur, quòd conclusionem oportet esse & particularem & negatiuam.

Quare sæpissimo & frisesomorum non possunt concludere nisi particulariter & negatiuè.

Quod autem in omni figura in tali complexione termini sint sic dispositi, quòd minor sit sub maiore, patet in terminis in qualibet figura secūdum hanc complexionem dispositis. In prima enim talis est secundum hanc complexionem dispositio, omnis vel aliquis homo animal: nullus asinus homo. In secunda vero figura sic disponuntur, aliquod animal homo: nullus asinus homo. In tertia autem sic disponuntur secundum hanc complexionem, omnis vel aliquis homo animal: nullus homo asinus. Et in omnibus his dispositionibus patet quod dictum est, quòd scilicet maior extremitas est super minore, & minor est inferior maiore: & sic manifestum est, quod non potest per tales syllogismos concludi nisi particulariter & negatiuè, quando scilicet in tali sumuntur complexione & indirectè concludentes.

Dubitatio.

Si autem aliquis quærat, quare non sunt modi indirectè concludentes, in quibus maior sit vniuersalis negatiua & minor affirmatiua vniuersalis? Dicendum, quòd talis dispositio terminorum in prima & secunda figura non peccat. In prima enim figura maior potest esse vniuersalis negatiua & minor affirmatiua, & similiter in secunda: & ideo tales syllogismi de necessitate in prima & secunda figura directè concludent: & similiter in tertia maior potest esse vniuersalis negatiua & minor affirmatiua, & directè concludet talis complexionis modus.

Solutio.

Quod autem in tertia figura non concluditur nisi particularis negatiua, quando maior est negatiua, est propter hoc quod in tali dispositione terminorum maior extremitas de minori non nisi particulariter potest negari, sicut aliquod animal non est homo. Hoc autem iam in antehabitis per causam determinatum est: in hac enim tertia figura minor extremitas potest aliquando continere maiorem, & esse superius ad ipsam.

CAPVT XIIII.

De præmissis quæ dicta sunt de syllogismorum reductione.

Ex ante determinatis iterum manifestum est, quòd indefinitum pro prædicato particulari positum in omnibus tribus figuris eundem facit syllogismum, quem particulare faceret, si loco indefiniti poneretur.

Patet etiam quoniã indefinitū, &c. *Hoc intelligo remanente eadē suppositione generali in terminis.*

Adhuc autem ex præinductis manifestum est, quoniam omnes imperfecti syllogismi perficiuntur per primam figuram, quæ sola perfecta est in scripta per dici de omni, & dici de nullo. Aut enim clauduntur intra primam figuram & reducuntur per ostensiuam probationem, quando propositiones conuertuntur vel transponuntur: aut per deductionem ad impossibile in prima figura syllogizantur. Vtrumque autem in vtroque probationis modo fit prima figura. Siue enim conuertantur propositiones, fit prima figura: siue fiat ad impossibile deductio, iterum fit prima figura: conuersio enim mutat terminorum dispositionem, & sic mutat figuram. Ad impossibile deductio sumit oppositum conclusionis cum altera præmissarum, in quadam complexione etiam iterum necesse mutari terminorum dispositionem ad dispositionem figuræ primæ: & ideo quocunque modo fiat probatio, semper fit per primam figuram: ad primam ergo figuram omnes imperfecti modi secundæ & tertiæ figuræ clauduntur. In ostensiuè verò perfectis ideo reduco ad primam figuram: quia per conuersionem & dispositionem terminorum mutatam claudebantur ad primam figuram, vt dictum est. In his autem qui per impossibile demonstrati sunt, fit clausio ad primam figuram in hoc, quòd falso posito quod est conclusionis syllogizatæ oppositum & sumpto illo falso cum altera præmissarum, in qua complexione iterum mutatur terminorum dispositio, fit syllogismus deducens ad impossibile per primam figuram, sicut patet in primo modo postremæ siue tertiæ figuræ. Si enim ponatur maior extremitas quæ est a. & minor extremitas quæ est b. omni c. medio ineſſe, ita quod vtraque præmissarum sit vniuersalis affirmatiua, scilicet omne c. a. omne c. b. concluditur, quoniam a. alicui b. ineſt, hoc est, quòd aliquod b. est a. nam si detur oppositum conclusionis, quòd nulli b. ineſt a. datum est autem, quod b. ineſt omni c. hoc est, quòd omne c. b. sequitur, quòd nulli c. ineſit a. sic syllogizando in secundo primæ, nullum b. a. & conuertitur in hanc, nullum a. b. & assumatur minor prioris syllogismi, hæc scilicet, omne c. b. sequitur in

secundo

secundo primæ, quod nullum c. a. & dictum fuerat, quòd omne c. esset a. sic ergo etiam illi qui per impossibile probantur, clauduntur intra primam figuram.

Similiter autem & in aliis, &c.

Similiter enim est in omnibus aliis syllogismis imperfectis in hoc, quod his duobus modis ad primam figuram reducuntur. Sed tamen non similiter & secundum vnum modum omnes reducuntur: sed vniuersales secundæ figuræ, qui sunt primi duo modi secundæ figuræ, constat, quòd per vniuersales primæ figuræ persiciuntur, & particulares etiam: sed non similiter vniuersales & particulares: sed vniuersales secundæ figuræ reducuntur in vniuersales primæ figuræ conuersa negatiua propositione: & non possunt reduci per impossibile: quia conclusio vniuersaliuni est vniuersalis: & si sumatur oppositum illius, erit particularis affirmatiua: sed in modis vniuersalibus particularis non potest esse præmissa: & ideo modi vniuersales non perficiuntur per ad impossibile deductionem. Particularium autem vterque secundæ figuræ persicitur per ad impossibile deductionem, sicut in antehabitis dictum est.

Quomodo diuersimodè reducantur vniuersales & particulares modi secundæ figuræ.

Est etiam reducere ad primæ figuræ vniuersales, &c.

Quare modi vniuersales non possunt reduci per impossibile.

Quomodo in prima sunt particulares, &c.

Particulares autem primæ figuræ perficiuntur quidem ex seipsis & per seipsos per dici de omni & dici de nullo sicut & vniuersales: contingit tamen quantum ad maiorem necessitatis euidentiam, quòd etiam per secundam figuram ostenduntur per ad impossibile deductionem, sicut paret in tertio primæ figuræ, sic: si enim a. quidem omni b. inest. b. autem alicui c. sequitur, quòd a. alicui c. inerit: & hic est tertius primæ figuræ. Si autem non sequitur, detur oppositum, scilicet quod nulli c. inest a. & sumatur cum prima propositione sic, nullum c. a, omne b. a, sequitur in primo secundæ figuræ, quòd nulli c. inerit b. quæ est contradictoria minoris prius concessæ in priori syllogismo: talem enim syllogismum esse necessarium scimus per secundam figuram, & per ea quæ de dispositione terminorum in secunda figura dicta sunt.

Quomodo syllogismi particulares prima figuræ reducantur ad vniuersales secundæ, & tandè ad vniuersales primæ.

Similiter autem fit demonstratio in quarto primæ qui priuatiuus dicitur syllogismus: quia negatiuè concludit. Sic autem hoc probatur. Si enim concedatur a. nulli b. inesse, sic, nullum b. a, & b. alicui c. concedatur inesse, sic, quod aliquod c. b. sequitur in quarto primæ, quòd a. alicui c. non inerit. Si enim non sequitur, detur oppositum, scilicet quod a. inest omni c. concessum est autem prius, quòd a. nulli b. inest: concluditur per primum secundæ figuræ, quòd nulli c. inerit b. quod est contradictorium ad hoc quod dictum est in minori propositione prioris syllogismi, quæ dixit, quòd aliquod c. fuit b. talis autem syllogismus est in media figura siue secunda.

Propter quod cum syllogismi qui sunt in media figura, omnes reducantur in primæ figuræ syllogismos vniuersales, quia reducuntur in secundum primæ figuræ, sicut in antehabitis dictum est: illi verò particulares syllogismi qui sunt in prima figura, reducuntur ad eos qui sunt in media: manifestum est, quòd etiam particulares primæ reducuntur ad illos vniuersales syllogismos qui sunt in prima: & sic omnes syllogismi reducuntur in duos primos primæ figuræ vniuersales syllogismos: quamuis particulares primæ reducantur mediatè, & syllogismi aliarum figurarum reducantur immediatè.

Dubitatio.

Est autem hæc quæstio, quoniam cum primæ figuræ syllogismi omnes perfecti sint, syllogismi autem secundæ figuræ omnes imperfecti, videtur secundum hoc, quòd perfectum reducatur ad imperfectum: quod est contra naturæ ordinem, & etiam contra ea quæ determinata sunt: quia dictum est, quòd aliarum figurarum syllogismi ad primæ figuræ syllogismos reducuntur, propter hoc quod illi soli perfecti sunt, alij autem imperfecti. Sed ad hoc

Solutio.

dicendum est, quòd primæ figuræ syllogismi non reducuntur ad secundæ figuræ syllogismos vt in eis sit status reductionis, quia reductio non stat in imperfecto: sed ideo fit hoc, vt per illos reducantur in primæ figuræ syllogismos vniuersales: & in illis sicut in perfectissimis stat reductio. Et quod obiicitur, quòd perfectum non habet reduci in aliud perfectum: dictum est autem in præhabitis, quòd particulares primæ figuræ perfecti sunt sicut & vniuersales. Dicendum, quòd quantum ad necessitatem consequentiæ perfecti sunt particulares primæ figuræ sicut & vniuersales per dici de omni & dici de nullo: sed quoad euidentiam necessitatis reducuntur in vniuersales: quia proculdubio euidentior est necessitas consequentiæ in vniuersalibus, quam in particularibus: quia vniuersalis propositio est efficacior ad inferendum, quam particularis.

Obiectio. Solutio. Nota quare particulares primæ figuræ reducuntur in vniuersales primæ, cum sint æquè perfecti cum illis vniuersalibus.

Qui verò sunt in tertia figura syllogismi imperfecti, quando termini vniuersales sunt, sicut in primo modo & secundo tertiæ figuræ, statim per conuersionem perficiuntur per illos syllogismos vniuersales qui sunt in prima figura, sicut in reductione eorundem iam ante ostensum est. Si autem in tertia figura sumantur syllogismi particulares, illi perficiuntur per particulares primæ figuræ, quando perficiuntur per propositionum conuersionem. Hoc autem ideo dico: quia quidam particularium tertiæ figuræ immediatè per impossibile reducuntur in vniuersales syllogismos primæ figuræ, sicut supra patuit de quinto modo tertiæ figuræ: quintus enim per conuersionem reduci enim potest. Similiter autem tertius modus tertiæ figuræ immediatè potest reduci in vniuersalem primæ, accepto opposito conclusionis cum minore præcedentis syllogismi. Sed quartus modus & sextus tertiæ figuræ reducuntur per conuersionem primo in particulares, & per particulares reducuntur ad vniuersales. Tertius autem & per conuersionem reducitur in particulares, & per impossibile in vniuersales. Quintus autem per conuersionem nullo modo potest reduci, sed per impossibile statim immediatè reducitur ad vniuersalem primæ.

Qui verò sunt in tertia, &c.

Quomodo reducuntur modi tertiæ figuræ.

De modis particularibus tertiæ figuræ, duo sunt qui possunt per impossibile ad primū primæ reduci immediatè, scilicet disamis & bocardo.

Cum autem quidam tertiæ figuræ syllogismi reducantur in particulares primæ, & particulares primæ reducantur in vniuersales primæ, manifestum est, quòd etiam tertiæ figuræ syllogismi, vel mediatè vel immediatè ad vniuersales syllogismos primæ figuræ reducũtur.

Manifestum

Manifestum autem ex his, quòd omnes particulares syllogismi cuiuscunque figuræ oriuntur ab vniuersalibus eiusdem figuræ syllogismis: quia particulare sub vniuersali sumitur.

Manifestum est igitur, quando omnes reducunt, &c.

Manifestum etiam, quòd omnes & primæ figuræ & secundæ & tertiæ reducuntur in duos vniuersales primæ figuræ syllogismos: & sic dictum est sufficienter quomodo se habent syllogismi inesse vel non inesse, in propositionibus de inesse per consequentiam syllogisticam ostendentes: dictum est enim quomodo se habent & ad eos qui sunt ex eadem figura adinuicem, & quomodo se habent ad alios qui sunt non ex eadem, sed ex aliis figuris.

Quomodo non possunt esse plures figuræ quam tres: & sufficientia figurarum.

Si autem quæratur, quare tantum tres sunt figuræ & qualiter ordinantur adinuincem, satis paret solutio per antedicta: dispositio enim medij duorum mediorum variari non potest nisi tripliciter, scilicet vt aut sit inter extrema, vel extra ipsa. Si autem est inter extrema, non potest esse nisi subiectum in prima & prædicatum in secunda: quia aliter accideret, quòd nihil concluderetur, sicut in antehabitis dictum est. Adhuc autem ex quo est inter extrema quæ sunt maius & minus secundum lineæ prædicamentalis ordinem, oportet quòd subiectum primi sit prædicatum secundi. Si verò medium est extra & extremi habet positionem, non potest esse nisi ante vel post. Et ante quidem facit figuram secundam: post autem esse facit figuram tertiam.

Nota ordinem figurarum & rationem.

Ordo autem est, quod prima præmittitur sicut principium & metrum & perfectio aliarum. Secunda autem est ante tertiam: prima quidem ratione: quia eius medium est primum positione, tertiæ autem figuræ medium est vltimum positione. Secunda autem ratione: quia duplex concludit problema, vniuersale scilicet & particulare: cum tertia non concludat nisi particulare. Tertia etiam ratione: quia secunda figura descendit à prima figura per conuersionem maioris secundi modi primæ figuræ: tertia verò figura descendit à prima per conuersionem minoris eiusdem modi.

TRACTATVS III.

De generatione syllogismorum qui sunt ex propositionibus modalibus de necessario & contingenti.

CAPVT I.

De cognitione syllogismorum de modo necessitatis.

Quoniam autem diuersum est inesse, &c.

VONIAM autem diuersum est inesse simpliciter, & cùm modo necessitatis inesse siue ex necessitate inesse, & cum modo contingentis inesse siue contingere inesse. Simpliciter enim inesse superius & in plus est, quam ex necessitate inesse: & simpliciter inesse est inesse sine modi determinatione. Contingere autem inesse communius est, quam inesse simpliciter: omne enim quod inest, contingit inesse: & non conuertitur: quia multa contingit inesse, quæ non insunt, sicut & multa insunt quæ non ex necessitate insunt: quædam autem sic se habent, quòd nec ex necessitate insunt, nec etiam omnino, hoc est, simpliciter insunt: contingit tamen talia inesse. Et quoniam sic est in propositionibus, manifestum est, quoniam & syllogismus factus ex his, in vnoquoque horum generum propositionum factus, diuersus erit: & etiam non erit tantum diuersus vniformiter factus in istis propositionibus, sed etiam factus in terminis, non similiter siue vniformiter se habentibus terminis. Dico autem similiter se habentibus terminis, sicut quando vnius generis, tantum sunt propositiones, sicut quòd sint ambæ de inesse, vel ambæ de modo necessitatis, vel ambæ de modo contingentis. Non similiter autem dico, sicut in mixtione vnius generis cum alio, sicut quando vna est de inesse & altera de necesse, vel vna de inesse & altera de contingenti, vel vna de necessario & altera de contingenti.

Remouet dubia.

De possibili enim non dicimus esse diuersas propositiones ab illis quæ sunt de contingenti: quia possibile conuertitur cum contingente. Nec de impossibili propositiones secundum hanc intentionem diuersas dicimus ab illis de necessario: quia propositio affirmatiua de impossibili est negatiua de necessario: quod enim impossibile est esse, necesse est non esse: & propositio negatiua de impossibili, est affirmatiua de necessario: quòd enim impossibile est non esse, necesse est esse: & ideò possibile & impossibile non ita variant propositiones, quòd alij sint syllogismi qui sint de possibili & impossibili, à syllogismis contingentis & necessarij: propter quod de talibus non loquimur syllogismis: quia illis formatis de necessario & contingenti, satis scitur formatio illorum: & non oportet de ipsis facere tractatum specialem.

Quare de

Similiter autem verum & falsum quamuis

Syllogismis de vero & falso nihil proponit se dicturum.

sunt modi quidam, tamen quia nihil ad dunt supra compositionē propositionis, non variant consequentiam: & quia non variant consequentiam, non fit ex ipsis diuersæ consequentiæ syllogismus: & ideò nec de illis oportet facere tractatum specialem. Si tamen aliquid dicendum erit in sequentibus de syllogismo qui est ex falsis, hoc erit determinandum in loco vbi de potestate syllogismi loquemur: eò quod hoc specialem dicit syllogismi potestatem, & non specialem modum generationis syllogismorum.

Quare tacuit de generatione syllogismi iuxta diuersitatem multarum propositionum de quibus in perihermenias.

Adhuc autem cum multæ sint diuersitates propositionum in libro per. hermenias tactæ sunt, sicut categorica, hypothetica, vna, plures, simplex, composita, & huiusmodi, nihil variationis fit ex omnibus his circa syllogismi inferentiam: & ideò non exigitur vt secundum illarum propositionum diuersitatem diuersa tradatur generatio syllogismorum qui simpliciter syllogismi sunt. Et si de hypotheticis dicendum est (cum hypotheticus syllogismus sit syllogismus quidam & non simpliciter) alibi erit hoc determinandum, & non hic vbi de simplici & formali intendimus syllogismo. In istis enim modis qui sunt necessarium & contingens, non est tantum variatio materialis (quæ infinita est, sicut & ipsa materiæ diuisio, & sub arte non cadit) sed isti qui dicti sunt modi necessarij & contingentis ipsam virtutem variant inferentiæ, quæ syllogismo quantumcunque simplici substantialis est: & ideo ad diuersitatem illius sequitur diuersa syllogismorum generatio: & hæc necessitate oportet tractare de ipsis. Categoricum enim & hypothetic um, vna, plures, composita, simplex, non faciunt nisi materiæ diuersitatem, quæ non cadit sub arte, sicut iam dictum est.

Quomodo syllogismus de necessario parum differt a syllogismo de inesse.

Quomodo isti modi necessarium & contingens non solum variant materiam syllogismi, sed virtutem illationis etiam.

Ergo in necessariis quidem sic, &c.

Dicamus ergo primo de formatione syllogismorum vniformium de necessario. Ab his ergo incipientes dicimus, quòd in propositionibus de necessario, hoc est, determinatis per modum necessitatis, ferè similiter se habet, sicut in his quæ insunt, hoc est, de simplici sunt inesse. Cum enim aliquis syllogismus fit ex propositionibus de necessario, & alius ex his quæ simpliciter insunt, & alius ex his quæ sunt cum modo contingentis, ille qui est ex vniformibus propositionibus de necessario, nec in principiis imperfectorum syllogismorum, nec in principiis generationis syllogismorum multum variatur ab illis de inesse, nisi quod iste cum modo, ille autem sine modo: vnde in talibus propositionibus quæ dicunt inesse in affirmatiua vel non inesse in negatiua cum modo necessitatis, non multum dissimiliter cum illis de inesse, & erit & non erit syllogismus. Dico autem & erit & non erit, propter vtiles & inutiles coniugationes. Sed ab illis qui sunt de inesse syllogismis & propositionibus distabit per differentiam, in eo quod adiacet terminis, hoc est, in modo necessitatis, qui adiacet compositioni propositionis, & modificat compositionem secundum quod termini (qui sunt prædicatum & subiectum) relati sunt ad compositionem sic modificatam. Differt ergo in hoc, quòd in hoc syllogismo de necessario, terminis adiacet modus, qui dicit ex necessitate inesse & ex necessitate non inesse.

Similiter etiam in principiis quibus perficiuntur syllogismi imperfecti, sicut conuersio propositionum, non est differentia: nam vniuersalis priuatiua in his quæ sunt de necessario conuertitur simpliciter, sicut in illis de inesse. Similiter etiam in toto esse, siue de omni quæ sunt syllogismorum perfectorum principia assignabimus eodem modo, sicut in illis quæ sunt de inesse. Ergo in omnibus aliis omnium figurarum syllogismis qui vniformis sunt generationis de necessario siue cum modo necessitatis. Eodem modo ostendetur & probabitur imperfectorum syllogismorum perfectio per conuersionem propositionum: & ostenderur, quoniam talis vel talis sequitur conclusio necessitate syllogistica. Eodem modo dico quo ostensum est istud in illis quæ sunt de inesse simplici.

Verum dicitur, &c.

Quomodo baroco & brocardo diuersimodè reducuntur in illis de inesse & de necessario.

Præterquam in quarto secundæ & in quinto tertiæ. In media enim figura quando fuerit vniuersalis affirmatiua & maior, particularis verò priuatiua minor: hoc enim est in quarto modo secundæ figuræ: & rursum in tertia quando fuerit vniuersalis quidem prædicatiua & minor, particularis verò priuatiua & maior: quod est in quinto modo tertiæ figuræ: non similiter sicut in illis de inesse erit demonstratio & reductio imperfectorum ad perfectos. Sed in istis oportet, quòd exponentes particularem negatiuam in vtroque syllogismo faciamus demonstrationem. Dico autem exponentes particularem negatiuam, ostendentes per sensibile aliquod quod est, cui alicui sensibili vtrumque particulare non inest, scilicet & illud quod est minor propositio in quarto secundæ, & illud similiter particulare negatiuum quod est maior propositio in quinto modo figuræ tertiæ: & expositione facta oportet de exposito eundem, hoc est, in eadem figura facere syllogismum. In his enim quæ per expositionem sensibiliter demonstrantur, talis syllogismus est necessarius & de necessitate concludens. Si autem de exposito sensibiliter demonstrato est necessarius, sequitur quòd etiam de illo aliquo particulariter accepto est necessarius: quia particularis etiam pro vno tantum singulari verificatur. Nam expositum, hoc est, singulare per expositionem acceptum, ipsum secundum se sumptum illud est quod est ipsum particulare, & de quo particulare prædicatur quod expositum est. Fit autem vterque syllogismus, scilicet & expositus & per expositionem probans in propria figura, quando quartus secundæ & quintus tertiæ probantur per expositionem in propria & eadem figura.

Dubitatio.

Attendendum autem circa expositionem, quòd videtur in tali processu expositionis esse fallacia consequentis, hoc singulare demonstraro c. de necessitate non est a. ergo aliquod c. de necessitate non est a, est enim ibi processus ab inferiori cum negatione. Sed ad hoc dicendum, quòd vtraque affirmatiua est: quia sicut in perihermen. determinatum est, propositio modalis non est negatiua nisi sit de modo negato: hic autem manet modus affirmatus: & ideo processus est ab inferiori ad superius affirmando.

Solutio.

Dubitatio.

Si autem quæritur, quod cum fit expositio in dictis modis sic, vt sumatur aliquod sensibile sub subiecto qui non insit prædicatum minoris vel maioris propositionis, qualiter fiat syllogismus in eadē & propria figura, ita quod & syllogismus exponens in eadem & propria figura sint & syllogismus expositus? Et dicendum ad hoc secundum aliquos qui dicunt ex sensibili singulari non posse fieri syllogismum, quòd non debet fieri expositio per hoc sensibile singulare, sed per aliud quod in se quidem est vniuersale, sed vniuersale minus quā illud vniuersale quod exponitur, sicut patet in quarto secundæ. Si enim dicatur sic, necesse omnem hominem esse animal: necesse est quoddam album non esse animal: ergo necesse est quoddam album non esse hominem. Dicunt, quòd in exponendo non debet descendi ad hoc album vel illud, sed ad minus commune quam sit album, sicut ad niuem, vel cignum: & tunc in eadem figura propria dicunt esse sic syllogizandum in secundo secundæ quæ est eadem figura, quamuis non idem modus, sic, necesse est omnem hominem esse animal: necesse est nullam niuem esse animal: & ita cum nix sit aliquod album, necesse est aliquod album non esse hominem. Eodem modo, vt dicunt, facienda est expositio in quinto tertiæ figuræ: & fiet syllogismus in secundo tertiæ figuræ sic, necessarium est quādam niuem non esse animal: necessarium est omnem niuem esse album: ergo necessarium est quoddam album non esse animal: & hoc quidem multi dixerunt.

Solutio. Nota quomodo fit ex positio secundum quosdam.

Nota, quòd per impossibile potest etiam a monstrari prima figura. Et hoc idem repetit in cap. sequenti.

Bene nota: quia supra tract. 1. c. 3. videtur negare propositionem singularem in syllogismum absolutū. Solue per dicta hic.

Posset tamen dici, quòd expositio sit per singulare sensui demonstratum, & singulares propositiones ponentur in syllogismo exponente, cum vniuersales & particulares ponantur in syllogismis expositis. Consequentia autem syllogismi exponentis qui in singularibus est propositionibus, non est virtute propositionum, sed virtute sensus, cuius consequentia nota est per seipsam. Et vterque istorum modorum dici potest, & vterque syllogismus exponens & expositus sunt in tertia figura, quamuis non in eodem modo. Quia sicut ex antehabitis constat, aliquando figura est vbi non est modus.

Aliquando aliquis processus est in figura, qui tamen non est in modo: & hoc idem colligitur supra tract. precedenti, c. 6. in principio.

Est autem de his quæ dicta sunt adhuc alia dubitatio: quia si syllogismi de necessario perficiuntur sicut illi de inesse: illi autem qui sunt de inesse in quarto secundæ, & in quinto tertiæ, perficiuntur per impossibile: ergo & illi qui sunt de necessario in quarto secundæ, & in quinto tertiæ, reducuntur per impossibile: & sic reducuntur sicut illi de inesse: & non est instantia in istis duobus modis, vt videtur. Ad hoc autem dicendum esse videtur, quòd in veritate non negandum est, quin dicti modi reduci possint per impossibile; sed hoc dicimus & intendimus, quòd reduci non possunt per conuersionem sicut alij modi: quia non est in eis propositio quæ conuerti possit nisi vniuersalis affirmatiua, quæ conuertitur in particularem: & sic omnes particulares efficerentur, ex quibus nihil sequitur. Et non negatur quin possit fieri ostensio per deductionem ad impossibile: sic enim omnis syllogismus & omnis argumentatio, & etiam principia scientiarū prima possunt demōstrari.

Obiectio. Solutio.

Quare baroco & brocardo non possunt reduci per conuersionem.

CAPVT II.

De quæstione vtrum quartus secundæ & quintus tertiæ possint perfici per impossibile.

Quod baroco & brocardo possint reduci per impossibile ad barbara in illis de necessario. Prima ratio.

QVidam de hoc dubitantes dicunt hos syllogismos qui dicti sunt, scilicet quartum secundæ, & quintum tertiæ per impossibile reduci: & alij contradicentes istis dicunt hoc fieri non posse. Illi autem qui dicunt hoc fieri posse, sic hoc probare nituntur. Fiat enim quartus secundæ sic: de necessitate omne b. est a. de necessitate aliquod c. non est a, ergo de necessitate aliquod c. non est b. Aut sequitur, aut non. Si non sequitur, oppositum conclusionis stabit cum altera præmissarum, scilicet non de necessitate aliquod c. non est b. quæ æquipoller huic, contingit omne c. esse b. Fiat ergo syllogismus ex ista & maiori prioris syllogismi in primo modo primæ figuræ sic, de necessitate omne b. est a. contingit omne c. esse b. ergo contingit omne c. esse a. quæ non stat cum minori præcedentis syllogismi, quæ fuit ista, de necessitate aliquod c. non est a.

Similiter autem videtur probari quintus tertiæ, & fiat primo sic, de necessitate aliquod b. non est a. de necessitate omne b. est c. ergo de necessitate aliquod c. non est a. aut detur oppositum, hoc scilicet, non de necessitate aliquod c. non est a. quæ æquipoller huic, contingit omne c. esse a. & fiat syllogismus in primo primæ figuræ ex ista & minore prioris syllogismi sic, contingit omne c. esse a. necesse est omne b. esse c. ergo contingit omne b. esse a. quæ non potest stare cum prima, scilicet hab. de necessitate aliquod c. non est a.

Forte autem dicet aliquis, quòd isti syllogismi non procedunt: quia non bene fit mixtio necessarij & contingentis. Contra hoc esse videtur quod inferius dicetur, vbi docetur mixtio necessarij & contingentis, quòd si maior sit de necessitate, & minor de contingenti, vel è contrario, dummodo maior sit de necessario & affirmatiua, fit syllogismus in primo primæ concludens de contingente: tales autem fuerunt ambo dicti syllogismi.

Secunda ratio.

Adhuc autem ad idem obiicitur. Cum enim dicitur, de necessitate omne b. est a. contingit omne c. esse b. ergo contingit omne c. esse a. Ponatur minor de inesse: hoc enim fieri potest ex quo est contingens, & nihil ex hoc debet sequi impossibile: & fiat talis syllogismus, de necessitate omne b. est a. omne c. b. ergo de necessitate omne c. a. talis enim syllogismus coniugatio vtilis est in mixtione necessarij & ineſſe, sicut statim in sequenti ostenderur capitulo, scilicet quòd

maiore existente de necessario, & minore de inesse, sequitur conclusio de necessario. Si autem necesse est omne c esse a. patet etiam, quòd contingit omne c. esse a. quia contingere esse sequitur ad necesse esse. Patet igitur, quòd syllogismus bonus est de mixtione necessarij & contingentis. Omni eodem modo potest probari de quinto tertiæ, si illa quæ est de contingenter inesse, ponatur inesse, sicut factum est in antehabito syllogismo.

Quod illi modi non reducãtur per impossibile in illis de necessario. Prima ratio.

Qui autem dicunt, quòd non possunt isti syllogismi reduci per impossibile, dicunt ad hæc, quòd in sequentibus quidem docetur mixtio necessarij & contingentis. Sed ibi accipitur contingens pro non necessario, quod potest esse & non esse. In syllogismis autem quia adhucit sunt, accipitur contingens pro possibili quod sequitur ad necessarium: & sic patet, quod non accipitur secundum doctrinam mixtionis necessarij & contingentis: & sic talis forma argumentandi non valet, vt videtur.

Secunda ratio.

Adhuc propositio quæ est de contingenti, quæ conuertitur cum negatiua de necessario, est de contingenti pro possibili. Tale autem contingens abstrahit & à terminis qui simpliciter dicunt inesse, & ab his qui simpliciter dicunt non inesse: quia potest inesse & non inesse: & sic contingens accipiebatur in dictis syllogismis. Si ergo tale contingens ponatur inesse, non oportet, quòd fiat de necessario syllogismus: quia potest esse de inesse vt nunc & non simpliciter: sed maiore existente de necessario, & minore de inesse vt nunc, non sequitur conclusio de necessario, sicut consequenter docebitur. Patet igitur, quòd per talem modum mixtionis non potest probari propositum.

Determinatio proprià in hoc, & est mens Auic. hic in c. 14.

Ad hæc autem dici potest, quòd Aristot. dicit reduci quartum secundæ & quintum tertiæ per expositionem: ideo quia talis verificatio propriè probat particularem quæ probatur vno demonstrato singulari cui insit vel non insit singulare: & tamen non negatur, quin etiam possit ostendi per impossibile. Hæc enim probatio quæ est per impossibile, valdè est generalis, ita quod etiam principia probantur per eam: tamen quia talis probatio sit per mixtionem necessarij & contingentis, de qua adhuc determinatum non est, ideo hic locum non habet: sed exponendo faciliter probatur: & ideo talis probatio hîc ponitur, & sufficit ad præsens.

Ad argumẽta probatia, quòd illi modi non possint reduci per impossibile.

Vt tamen etiam quæstioni inductæ satisfaciamus, qua scilicet quæritur, vtrum isti duo modi possint reduci per impossibile, vel non: Potest dici, quòd per impossibile reduci possunt per mixtionem necessarij & contingentis, sicut paulo ante ostensum est. Sed minor quæ est de contingenti in tali mixtione (cum maior sit de necessario) potest esse de contingenti tripliciter, secundum quod tribus modis dicitur contingens, vt in antehabitis distinctum est: aut enim erit de contingenti accepto pro possibili, quod est contingens secundum genus, quod indifferenter se habet ad vtrumque contingens speciale, ad contingens scilicet necessarium, & ad contingens non necessarium: aut erit de contingenti non necessario quod potest esse & non esse: aut erit de contingenti necessario.

Si sit de contingenti non necessario, quod scilicet potest esse & non esse; tunc in reductione quarti modi secundæ figuræ, maiore existente de necessario, & minori de tali contingenti, sequetur conclusio de contingenti pro possibili, secundum quod inferius docebitur in mixtione contingentis & necessarij. Sed non potest probari per hoc quartus secundæ figuræ: quia illa propositio de contingenti quæ conuertitur cum opposito conclusionis, est de contingenti accepto pro possibili, quod est vt genus: alia autem est de contingenti non necessario: & ideò talis probatio non valet: quia contingens in vna acceptione debet accipi & in syllogismo probante & in syllogismo probato.

Si vero est de contingente communi, quod ad vtrumque se habet, necessarium scilicet & non necessarium. Contra hoc est: quia secundum tale contingens inutilis est coniugatio maiore existente de necessario, & minore de tali contingente, sicut infra patebit. Inutilis autem est: quia non potest inferre conclusionem de contingente non necessario: nec potest inferre conclusionem de contingenti pro possibili. Quia non oportet, quòd id sequatur ad consequens quod sequitur ad antecedens: talis enim conclusio de tali contingenti sequitur maiori existente de necessario, & minori existente de contingenti pro non necessario: & ad tale contingens sequitur contingens commune. Nec iterum ex tali mixtione sequitur conclusio de necessario, nisi illa de contingenti esset talis, quòd ipsa posita in esse esset de inesse simpliciter & non vt nunc. Sed hoc non est contingens commune: quia non oportet, quòd si contingens commune ponatur in esse, quod sit de inesse simpliciter, sed potest esse de inesse vt nunc.

Si autem in prædicta mixtione contingens in minori propositione accipiatur pro contingenti necessario, ita quòd ipsa posita in esse sit de inesse simpliciter: tunc sequitur conclusio de contingenti pro possibili: & etiam minore posita in esse simpliciter, sequitur conclusio de necessario: & vtraque conclusio, hoc est, tam illa quæ est de necessario, quam illa quæ est de tali contingenti, destruunt minorem propositionem quarti modi secundæ figuræ; & secundum hunc modum accipiendo illam de contingenti potest quartus modus secundæ figuræ reduci per impossibile, & non aliter. Et cum illa propositio quæ est de contingenti quod conuertitur cum negatiua de necessario, accipiatur de contingenti pro possibili, non verificatur talis de contingenti, nisi ponatur in terminis de inesse simpliciter in quibus accipitur contingens pro necessario.

Et ex his patere potest, quomodo quartus modus secundæ perficitur per impossibile, & quomodo non. Et patet, quòd illa perfectio non multum est ad propositum: fit enim per mixtionem necessarij & cuiusdam contingentis. Nos autem loquimur hîc de syllogismis secundum quod vniformiter constituuntur per modum necessitatis.

Similiter

Similiter dicendum est de perfectione quinti tertiæ figuræ. In illa enim reductione etiam fit mixtio de necessario & contingenti: sed maior est de contingenti: & quia illa de contingenti accepta pro maiori conuertitur cum negatiua de necessario, & sic est de contingenti pro possibili: & est ita de contingenti pro possibili secundum quod ipsum vt genus descendit in necessarium sicut in suam speciem, ita quod si ponatur inesse secundù quod conuertitur cum negatiua de necessario, erit de inesse simpliciter. Ex tali autem contingenti in maiori propositione & minori de necessario sequitur ex necessitate contingens pro possibili: quod repugnat maiori in quinto modo tertiæ figuræ: & ita per contingens cum necessario mixtum, & vt dictum est, acceptum, perficitur quintus tertiæ figuræ modus: & si poneretur illa de contingenti inesse, sequeretur conclusio de necessario, cum maior sit de inesse simpliciter vel ad minus de inesse.

Si autem aliter quam dictum est accipiatur contingens in syllogismo perficiente hos duos syllogismos, non possunt perfici per impossibile: tamen hîc (ad solutionem quæstionis inductæ) quia multo melius perficiuntur per expositionem quam per impossibile, ideo etiam Aristot. non perficit eos nisi per expositionem, vt prædictum est.

CAPVT III.

De mixtione necessarij & inesse in primæ figuræ vniuersalibus syllogismis.

Mixtio proprie non est in syllogismis, sed tantum metaphoricè.

NVnc autem videamus de mixtione necessarij & inesse. Sed hoc primum attendendum est, quòd mixtio in syllogismis metaphoricè mixtio dicitur. Proprie autem dicitur mixtio in physicis: quia in physicis mixtio dicitur miscibilium alteratorum vnio ad actum alicuius medij, quod ex omnibus ex seinuicem alterantibus mixtis generatur. Propter quod mixta in eo quod ex mixtione generatur, non remanent secundum actus suos simplices nisi potentia. In syllogismis autem metaphoricè dicitur mixtio ordo diuersarum propositionum de inesse & de modo ad vnum eliciendum quod neutra illarum est, conueniens tamen cum vtreque, quod est conclusio quidem quæ in prædicato conuenit cum maiori, & in omnibus prædicati dispositionibus, sicut est affirmatiuum, negatiuum, & huiusmodi: in subiecto autem & subiecti proprietatibus quæ sunt vniuersale, particulare, & huiusmodi, conuenit cum minori. Propter quod in mixtione syllogismorum mixta manent sub actibus suis suantia non alterata ad aliud, quamuis vnum sit aliquo modo in alio, sicut medium est in toto primo, & postremum in toto medio, sicut in præhabitis determinatum est.

Contra Auer. & Auic.

Mixtio in syllogismis quid.

Hoc idem dicit in cap sequenti.

Accidit autem quandoque & alterata, &c.

Sic ergo loquentes de mixtione dicimus, quod conclusio de necessario quæ est cum modo necessitatis, non tantum sequitur ex vniformiter sumptis ambabus propositionibus de necessario, sed accidit quandoque (quando altera propositionum est de necessario & altera de inesse) quod syllogismus fit concludens propositionem de modo necessitatis. Verum hoc non fit indifferenter quacunque præmissarum existente de necessario, sed quando illa quæ est ad maiorem existentem (quæ est propositio maior) est de necessario, & minor de inesse simpliciter, & non de inesse vt nunc, sequitur conclusio de necessario: cuius exemplum est, vt si a. quod est maior extremitas sumptum sine positum vel concessum sit omni b. medio ex necessitate inesse, sic, necesse est omne b. esse a. vel etiam negatiue sumatur, sicut in secundo primæ figuræ sic, necesse est nullum b. esse a. B. autem sumatur inesse c. tantum, vt minor propositio sit de inesse simpliciter & non sit cum modo necessitatis: sic enim sumptis propositionibus sequitur conclusio de modo necessitatis, quod scilicet minori extremitati quæ est c. inerit maior extremitas quæ est a. ex necessitate, vel non inerit. Et sic formantur duo vniuersales syllogismi primæ figuræ, sic, de necessitate omne b. est a. sed omne c. b. ergo de necessitate omne c. est a. & hic est primus primæ figuræ. Item sic, de necessitate nullum b. a. omne c. b. ergo de necessitate nullum c. a. & hic est secundus primæ.

Quod maiori existente de necessario & minori de inesse simpliciter sequatur conclusio de necessario.

Probantur autem dicti syllogismi per dici de omni & dici de nullo: quando enim omni b. de necessitate inest a. sicut in primo modo: vel ex necessitate omni b. non inest a. sicut in secundo modo: & quando c. substantialiter est sub b. & est aliquid eorum quæ sunt b. tunc manifestum est, quòd sequitur, quòd etiam a. de necessitate insit vel non insit c. quia aliter non omni b. vel nulli necessario inesset a.

Istæ ergo in prima figura sunt vniuersalium syllogismorum vtiles coniugationes, quod videlicet maiore affirmatiua vel negatiua existente de necessario, & minore affirmatiua non negatiua existente de inesse simpliciter & non tantum vt nunc, sequitur conclusio affirmatiua vel negatiua de necessario, hoc modo necessitatis determinata.

Si autẽ a. b. quidem non est necessaria, &c.

Si autem maior propositio quæ est a. b. non sit necessaria (hoc est non sit cum modo necessitati) sed minor propositio quæ est b. c. sit cum modo necessitatis, ex tali mixtione non sequitur conclusio quæ sit cum modo necessitatis: & si aliquando sequi videatur, hoc non erit virtute syllogistica, sed sequetur gratia materiæ & propter habitudinem terminorum secundum determinatam materiam acceptorum: vnde tunc non sequitur conclusio de modo necessitatis. Dico autem, quòd minor debet esse de inesse simpliciter & non de inesse vt nunc. Et voco inesse simpliciter idem quod substantialiter inesse, quod secundum rem quidem est necessarium, quamuis non sit modo necessitatis determinatum. Et tunc quidem maiore existente de necessario, & minore de tali inesse, sequitur conclusio de necessario: & si sit de inesse vt nunc, non sequitur conclusio de necessario, sicut patet si ponatur in terminis: omnis homo de necessitate est animal: omne rationale homo: ergo omne rationale de necessitate animal.

Quæ sit propositio de esse simpliciter.

Si autem è conuerso fiat, quod scilicet ma-

Quod maiori existente

de ineſſe & minori de neceſſario nõ ſequitur cõcluſio de neceſſario.

ior non eſt de neceſſario, ſed de ineſſe, & minor ſit de neceſſario, erit inutilis coniugatio ad inferendam concluſionem de neceſſario. Hoc autem ſic eſt, quod a.b. propoſitio quæ eſt maior, non ſit de neceſſario. b. c. autem minor propoſitio ſit de neceſſario: tunc enim non erit conſequens concluſio de neceſſario, ſic, omne b. a. omne c. de neceſſitate eſt b. non ſequitur, quòd omne c. de neceſſitate ſit a. Et hoc probatur dupliciter, ſcilicet per rationem, & in terminis. Per rationem ſic: detur enim, quòd concluſio ſit de neceſſario, & fiat talis ſyllogiſmus, omne b. eſt a. omne c. de neceſſitate eſt b. ergo omne c. de neceſſitate eſt a. Deinde ſumatur concluſio illa, & ex illa cum minore arguatur in primo tertiæ, ſic, omne c. de neceſſitate eſt a. omne c. de neceſſitate eſt b. ſequitur, quòd aliquod b. de neceſſitate eſt a. Similiter poteſt argui in tertio primæ ſi accipiatur converſa minoris, ſic, omne c. de neceſſitate eſt a. aliquod b. de neceſſitate eſt c. ergo aliquod b. de neceſſitate eſt a. Sequitur ergo aliquid ex tali concluſione ſine quo vera eſſe potuit maior propoſitio, quæ eſt, omne b. a. Hæc enim vera eſſe poteſt abſque eo quod neceſſe ſit omne b. eſſe a. Contingit enim aliquando tale eſſe b. cui poſſibile eſt a. nulli ineſſe: & ſic non erit verum, quod b. de neceſſitate ſit a.

Similiter autem & ſi priuatiua ſit a. b. &c.

Hoc autem (quòd concluſio talis non erit neceſſaria, & ideo modo neceſſitatis non determinanda) patere poteſt ex terminis in quibus eſt inſtantia, vt ſi ponamus, quòd a. quidem maior extremitas ſit motus ſecundum quòd motus, eſt in eo quod mouetur & actus mobilis. b. autem medium ſit animal: id autem in quo eſt c. minor extremitas ſit homo: homo enim de neceſſitate eſt animal: ſed animal non de neceſſitate mouetur; nec etiam homo mouetur neceſſario. Si ergo talis fiat ſyllogiſmus, omne animal mouetur: homo de neceſſitate eſt animal: ergo homo de neceſſitate mouetur: patet, quòd non ſequitur, & eſt inutilis coniugatio. Similiter eſt in ſecundo modo primæ figuræ in quo priuatiua eſt maior propoſitio quæ eſt deſignata per a. b. quando enim illa eſt de neceſſario, & minor de ineſſe non vt nunc, ſed de ineſſe ſimpliciter, ſequitur concluſio de neceſſario, arguendo ſic, nullum b. de neceſſitate eſt a. omne b. c. ergo nullum c. de neceſſitate eſt a. Et ſi detur, quòd aliquod c. contingit eſſe a. ſequitur, quòd aliquod b. contingit eſſe a. quod non poteſt ſtare cum maiori propoſitione.

Si autem maior ſit de ineſſe negatiua, & minor de neceſſario vniuerſalis affirmatiua, non ſequitur concluſio de neceſſario: & eſt inſtantia ſicut prius, ſic, nullus homo mouetur (ponatur hoc) omne rationale de neceſſitate homo: ergo nullum rationale de neceſſitate mouetur: quod non ſequitur: quia rationale moueri poteſt & non moueri.

Patet igitur, quòd natura huius mixtionis in prima figura talis eſt, quòd maiore exiſtente de neceſſario & minore de ineſſe, ſequitur concluſio de neceſſario: & ſi è conuerſo fiat, quòd ſcilicet maior ſit de ineſſe & minor de neceſſario, eſt coniugatio inutilis quantum ad concluſionem de neceſſario. Sic igitur & tantum dictum ſit de mixtione neceſſarij & ineſſe in prima figura quantum ad vniuerſales ſyllogiſmos.

CAPVT IV.

De mixtione neceſſarij & ineſſe in primæ figuræ particularibus ſyllogiſmis.

In particularibus autem ſyllogiſmis &c.

IN particularibus autem ſyllogiſmis mixtio talis eſt, quòd ſi in tertio modo primæ figuræ (qui formatur à primo modo) maior propoſitio quæ eſt vniuerſalis affirmatiua, eſt de neceſſario, & minor (quæ eſt particularis affirmatiua) de ineſſe ſimpliciter & non vt nunc, ſequitur concluſio de neceſſario. Et ſi in quarto modo primæ figuræ qui formatur à ſecundo eiuſdem figuræ modo, maior quæ eſt vniuerſalis negatiua, eſt de neceſſario, & minor quæ eſt particularis affirmatiua de ineſſe, ſequitur iterum concluſio de neceſſario. Si autem è conuerſo fiat, coniugatio erit inutilis quantum ad concluſionem de neceſſario: è conuerſo autem fit quando maior (quæ eſt vniuerſalis affirmatiua vel negatiua) fuerit de ineſſe, & minor quæ eſt particularis affirmatiua, fuerit de neceſſario: & tunc non ſequitur generaliter concluſio de neceſſario.

Si autẽ primũ vniuerſalis propoſitio, &c.

Ponamus autem primum vniuerſalem affirmatiuam eſſe de neceſſario, ita quod neceſſario a. inſit omni b. b. autem alicui c. inſit ſolum ſine modo neceſſitatis, & inſit ſimpliciter & non vt nunc tantum, ſequitur de neceſſitate coniugationis talis, quòd alicui c. inſit a. ex neceſſitate: cuius probatio eſt, quòd c. minor extremitas eſt ſub b. medio ſubſtantialiter accepta: & ideo oportet, cum a. inſit omni b. ex neceſſitate, quòd inſit etiam ex neceſſitate vel omni vel alicui c. quia quando alterum de altero eſt vt de ſubiecto, quæcunque de prædicato dicuntur, omnia de ſubiecto dici oportet. Et hic eſt tertius motus primæ figuræ.

Similiter autem & ſi priuatiuus, &c.

Similiter autem in quarto primæ in quo maior eſt vniuerſalis priuatiua, & priuatiuam conclidit concluſionem: & ideo dicitur priuatiuus ſyllogiſmus. Maiori enim vniuerſali negatiua exiſtente de neceſſario, & minori de ineſſe non vt nunc ſed ſimpliciter, ſequitur concluſio de neceſſario. In tali enim coniugatione nihil euenit ſiue ſequitur impoſſibile, ſicut nec impoſſibile ſequitur ex tali coniugatione in vniuerſalibus ſyllogiſmis iſtius eiuſdem figuræ: & quantum ad coniugationem omnino ſimiliter eſt in ſyllogiſmis priuatiuis, ſecundo ſcilicet & quarto, ſicut in affirmatiuis, primo ſcilicet & tertio: in omnibus enim his oportet maiorem eſſe de neceſſario, & minorem de ineſſe, ſi debeat ſequi concluſio de neceſſario.

Si autẽ particularis ſit neceſſaria, &c.

Si autem è conuerſo fiat mixtio, erit inutilis quantum ad concluſionem de neceſſario generaliter inferendam: & eſt inſtantia in terminis, quæ ſunt motus, animal, album, ſic primo in tertio: omne animal mouetur (& hoc ponatur) quoddam album de neceſſitate eſt

eſt animal, vt cignus: ergo quoddam album de neceſſitate mouetur. Patet, quòd non ſequitur. Sic autem in quarto qui negatiuus eſt ſyllogiſmus: nullum animal mouetur (& hoc ponatur) quoddam album de neceſſitate eſt animal: ergo quoddam album de neceſſitate non mouetur. Patet, quòd non ſequitur: quia contingenter non mouetur.

Quare oportet minorem eſſe de ineſſe ſimpliciter & non vt nunc.

Eſt autem hic attendendum, quòd cum minor in hac mixtione ſit de ineſſe, oportet eam eſſe de ineſſe ſimpliciter, & non vt tunc tantũ: ſi enim ponatur de ineſſe vt nunc (quamuis maior ſit de neceſſario) non ſequitur concluſio de neceſſario, ſicut patet in terminis, ſic, omnis homo de neceſſitate eſt animal: omne album eſt homo (ſit ita) ergo omne album de neceſſitate eſt animal. Patet, quòd non ſequitur. Huius autem cauſa eſt, quod minor extremitas eſſentialiter debet ſumi ſub medio, ſicut medium in maiori propoſitione quæ eſt de neceſſario, eſſentialiter ſtat ſub maiori extremo: & ideo ſi vel accidentaliter vel vt nunc accipitur minus ſub medio, non ſequitur concluſio de neceſſario. Accidentaliter accipitur ſub homine album vel motum, vt nunc autem Sortes, vel iſte demonſtratus homo: ſubſtantialiter autem accipitur aliquis propter identitatem & indifferentiam cum homine: & ideo non ſequitur, omnis homo de neceſſitate eſt animal: hoc album vel Sortes vel iſte homo eſt homo: ergo hoc album vel Sortes vel iſte homo de neceſſitate eſt animal. Ex quo relinquitur, quòd nihil denominatiuè dictum eſſentialiter accipitur ſub medio, niſi ſit vel conuertibile cum medio, vt riſibile cum homine: vel habeant ſe ſicut ſuperius ad ipſum, ſicut cum dicitur album coloratum.

Quid ſit minorem extremitatem ſumi ſub medio accidentaliter & vt nunc, & quid eſſentialiter.

Quæſtio prima.

Sed tunc ex prædictis oritur quæſtio: cum enim oſtenſa eſt inutilis eſſe coniugatio in hac mixtione, quando minor eſt de neceſſario & maior de ineſſe, data eſt inſtantia de ineſſe vt nunc, & non de ineſſe ſimpliciter. Poſſet ergo alicui videri, quòd etiam in cõiugationibus vtilibus ſufficeret, quòd minor deberet eſſe de ineſſe vt nunc, & non de ineſſe ſimpliciter.

Secunda.

Adhuc autem ſi minor ſit de ineſſe ſimpliciter, tunc minor ſecundum rem eſt neceſſaria quamuis non ſit modo neceſſitatis determinata: & tunc videtur, quòd totus iſte tractatus de mixtione ſuperfluus ſit: quia ſatis ſcitur per vniformem generationem ſyllogiſmorum de neceſſario prius habitam.

Tertia.

Adhuc autem prius habitum eſt, quòd ambabus exiſtentibus de neceſſario ſequitur concluſio de neceſſario: hoc autem dictum eſt, quòd minore exiſtente de ineſſe & maiori de neceſſario, ſequitur concluſio de neceſſario: cum ergo illa de neceſſario aliquid addat ſuper illam quæ eſt de ineſſe, & concluſio de neceſſario ſufficienter concludatur quando altera eſt de ineſſe, videtur quòd quando ambæ ſunt de neceſſario, aliquid ſit in altera propoſitione quod ſit non cauſa vt cauſa ad concluſionem.

Solutio.

Ad hæc autem & ſimilia dicendum, quòd in veritate minorem in hac mixtione oportet eſſe de ineſſe ſimpliciter, vt dictum eſt, ſi debeat ſequi concluſio de neceſſario. Vnde benè concedendum eſt, quòd ambæ ſunt de neceſſario ſecundum rem, quamuis altera modo neceſſitatis non ſit determinata. Ad id autem quod obiicitur de terminis inſtantiarum ſupra, dicendum, quòd aliter eſt in coniugationibus vtilibus & inutilibus. In his enim quæ vtiles ſunt, maior eſt de neceſſario & minor de ineſſe. In prima veto figura maior comprehendit medium, & minorem extremitatem totam, & concludit eſſentialiter ea intra ambitum ſuæ communitatis: & ideo oportet, quòd minor eſſentialiter ſter ſub medio quando maior eſt de neceſſario: quia aliter non teneretur ordo terminorum in figura. Et ex hoc ſequitur, quòd oportet minorem eſſe de ineſſe ſimpliciter, & non de ineſſe vt nunc. Quando autem è converſo eſt, quòd maior eſt de ineſſe & minor de neceſſario: tunc minor non continetur intra maiorem, nec maior conſtringitur à minore, & ideo poteſt eſſe de ineſſe vt nunc, ſicut manifeſtum eſt in terminis qui paulo ante de inutili coniugatione aſſignati ſunt.

Ad primum.

Ad ſecundam.

Ad hoc autem quod obiicitur de ſuperfluitate tractatus, dicendum quòd iſte tractatus non ſuperfluit: quia quamuis ibi ſufficienter determinatum ſit qualiter concluſio de neceſſario ſequitur ex vniformi coniugatione propoſitionum de neceſſario: tamen quia in hac ſcientia docetur ſyllogiſmus in genere applicabilis aliquo modo ad omnem materiam, & ſpecialis modus eſt ſyllogizandi concluſionem de neceſſario per mixtionem neceſſarij & ineſſe, alius à dicto modo qui eſt ex vniformibus propoſitionibus de neceſſario, oportuit de neceſſitate doctrinæ, quod etiam iſte modus doceretur, quia aliter ſcientia eſſet incompleta.

Ad tertium.

Per hoc etiam patet ſolutio ad ſequens: quia neceſſarium eſt, quòd vtraque ſit de neceſſario in vniformi generatione ſyllogiſmi de neceſſario: & nihil eſt ibi quod ſit non cauſa vt cauſa, ſed totum cauſa eſt quantum ad illum modum ſyllogizandi concluſionem de neceſſario: ſed per hoc non concluditur quin etiam alius modus ſit ſyllogizandi concluſionẽ de neceſſario, ad quem non requiritur, quòd vtraque ſit de neceſſario, ſed maior tantum.

Ad quæ cunque præmiſſus ſequitur concluſio de neceſſario, etiam ſequitur concluſio de ineſſe, non tamen è contrario.

Attendendum autem, quòd cum dicimus, quòd ſequeretur concluſio de neceſſario, non negamus quin etiam ſequatur concluſio de ineſſe: quia neceſſe eſſe antecedit ineſſe: & quod neceſſe eſt eſſe, illud relinquitur eſſe: ſed concluſio de neceſſe eſſe, ſequitur primo & principaliter quando vel ambæ vel maior ſunt de neceſſario: concluſio autem de ineſſe ſequitur ex conſequenti. Similiter autem ſi minor ſit de neceſſario, & maior de ineſſe, bene ſequitur concluſio de ineſſe. Et ſimiliter ſi ambæ ſint de neceſſario, vel ambæ de ineſſe, ſequitur concluſio de ineſſe. Qualiter igitur ſequatur concluſio de ineſſe, non oportet ſtudere per artem: quia leue eſt: & quocunque modo varientur propoſitiones, eſt adhuc coniugatio vtilis, quòd concludat propoſitionem de ineſſe. Sed difficile eſt qualiter concludatur concluſio de neceſſario: & ad hoc ponendum ſtudium, & doctrina artis tradenda.

Solutio duby quorundam.

Et ex hoc patet solutio eius quod quæri soleret à quibusdam, quare scilicet altera existente de necessario, scilicet maiore: altera vero de ineſſe, scilicet minore: magis sequitur conclusio de necessario quam de inesse: vtraque enim sequitur, sed primo illa de necessario, & ex consequenti sequitur illa de ineſſe. Maiorem enim propositionem (quæ & minorem sub se continet, & totius syllogistici decursus est principium) principaliter sequitur conclusio: quia prædicatum maioris prædicatum est conclusionis: & ideo in dispositionibus prædicati sequitur conclusio maiorem propositionem: dispositiones autem & proprietates prædicati sunt affirmativum negativum, esse de ineſſe, & esse de necessario, & huiusmodi: in subiecto autem conuenit conclusio cum minore propositione, & minorem sequitur in proprietatibus subiecti, sicut est vniuersale particulare esse, & huiusmodi. Hoc autem in antehabitis determinatum est.

Quomodo conclusio sequatur maiorem quoad conditiones prædicati, & minorem quoad conditiones subiecti.

Sed contra: quæcunque præmissa fuerit negativa vel particularis, semper conclusio est negativa vel particularis: ergo conclusio in illo non sequitur determinationem præmissam. Respondetur, quòd sequitur secundum in principalissimo omnium. Ideo in illo solum maior potest esse negativa, & minor particularis.

Si autem quæritur de multiplicatione harum coniugationum vtilium & inutilium, iam in præhabitis dictum est, qualiter ex combinatione diuersa vniuersalium & particularium & affirmatiuarum & negatiuarum resultant in omni figura sexdecim coniugationes, quæ cum multiplicatæ fuerint per inesse & de necessario esse, fiunt triginta duæ. Et probatur de illis non esse vtiles in hac mixtione nisi quatuor: quod non est difficile ostendere ex his quæ dicta sunt. Ex his autem satis patet de natura huius mixtionis de necessario & inesse in prima figura.

Et propter ea quæ dicta sunt, quidam dicunt hanc non esse necessariam, nullum album est nigrum: & dicunt etiam, quòd si ponatur modus necessitatis, illa propositio non est vera sic, nullum album est necesse est esse nigrum: contingit enim album esse nigrum, & contingit album non esse nigrum: & horum dictum non est improbabile.

Quomodo ista non est necessaria, nullum album est nigrum.

De syllogismis igitur de mixtione necessarij & inesse in prima figura tanta dicta sunt: si qua enim alia dici possunt, ex his quæ dicta sunt, facile solui possunt.

CAPVT V.

De mixtione necessarij & inesse in secundæ figuræ vniuersalibus syllogismis.

In secunda autem figura si priuatiua, &c.

IN secunda autem figura in vniuersalibus syllogismis talis est regula mixtionum, quòd scilicet si in primis duobus vniuersalibus modis priuatiua vniuersalis sit necessaria, ità quod sit de necessario: & affirmatiua vniuersalis sit de inesse non vt nunc, sed simpliciter, sequitur conclusio de necessario. Sicut enim diximus, quod in prima figura maior appropriat sibi minorem, eò quod sub medio eam accipi oportet, quod quidem medium stat sub maiori extremitate: & ideo cum maior sit de necessario, oportet minorem esse de inesse non vt nunc, sed simpliciter: ita est etiam in syllogismis secundæ figuræ, quòd negatiua appropriat sibi affirmatiuam, quòd cum negatiua vniuersalis est de necessario, quòd oportet affirmatiuam esse de inesse, non vt nunc, sed simpliciter. Et hoc est ideo: quia duo primi vniuersales syllogismi secundæ figuræ oriuntur & formantur à secundo primæ figuræ: & ideo sicut in prima figura maior quæ est negatiua vniuersalis, appropriat sibi minorem quæ est affirmatiua vniuersalis: ita fit in secunda figura: & ideo si affirmatiua vniuersalis in secunda figura sit de inesse simpliciter, erit conclusio de necessario: si autem erit de inesse per accidens, vel de inesse vt nunc, non potest esse conclusio de necessario. Sic ergo facienda est mixtio, quòd vniuersalis priuatiua sit de necessario, & vniuersalis affirmatiua de inesse simpliciter. Si enim è conuerso fiat, quòd vniuersalis negatiua sit de inesse, & vniuersalis affirmatiua de necessario, non sequitur conclusio de necessario: quia affirmatiua in hac figura non potest sibi appropriare negatiuam ad standum pro inesse simpliciter: sed indifferenter erit de inesse simpliciter, & de inesse vt nunc. Accipiatur enim primus modus secundæ figuræ, & sit vniuersalis priuatiua maior de necessario, ita quod a. nulli b. inſit ex necessitate. In minore autem propositione quæ est vniuersalis affirmatiua, a. insit omni, c. simpliciter, sequitur quòd b. nulli c. inerit de necessitate. Hoc autem ideo est: quia in tali syllogismo c. minor extremitas est sub a. stans substantialiter: & ideo propositio minor est de inesse simpliciter, & non vt nunc.

Quare cum negativa præmissa sit de necessario sequitur conclusio de necessario in secunda figura.

Similiter autem in secundo modo secundæ figuræ si ad c. minorem extremitatem ponatur propositio priuatiua, & ad maiorem ponatur affirmatiua, ita quòd maior sit vniuersalis affirmatiua de inesse, minor autem sit vniuersalis negatiua de necessario: tunc enim iterum sequitur conclusio de necessario. Nam si accipiatur minor negatiua, tunc a. nulli c. continget inesse: & sic est de necessario: quia quod nulli contingit inesse, necessarium est nulli inesse. Si autem sic est quòd a. nulli c. contingit, cum vniuersalis negatiua de necessario cõuertatur simpliciter, tunc sequitur, quòd etiam è conuerso nulli a. poterit inesse c. & sic est necessarium non inesse. Et tunc per conuersionem minoris & transpositionem propositionum constituitur prima figura: quia reducitur primus modus secundæ ad secundum primæ per simplicem conuersionem minoris propositionis. Secundus autem secundæ reducitur in secundum primæ per conuersionem minoris & transpositionem propositionum, & conuersionem conclusionis: & sic fit syllogismus, omne b. est a. nullum c. est a. de necessitate: ergo de necessitate nullum c. est b. Fit enim prima figura per conuersionem minoris & transpositionem propositionum, nullum c. b. de necessitate omne a. c. ergo nullum a. b. de necessitate. Si autem nullum a. c. conuertatur conclusio, & erit conclusio prima quæ est, nullum c. a. de necessitate: & sic probata est syllogismi coniugatio.

Similiter autem si ad c. ponatur priuatiuum, &c.

Quod affirmatiua existente de necessario &

Si autẽ in syllogismis vniuersalibus priuatiua vniuersalis sit de inesse, & vniuersalis affirmatiua sit de necessario, erit coniugatio inutilis

negatiua de inesse non sequatur conclusio de necessario in secunda figura.

tilis quantum ad conclusionem de necessario, & peccabit contra proprietatem istius figuræ, quæ est, quod vniuersalis negatiua sit de necessario & vniuersalis affirmatiua sit de inesse. Insit enim a. omni b. ex necessitate, ita quod maior sit affirmatiua de necessario. c. autem insit nulli a. ita quod minor vniuersalis negatiua de non inesse tantum: conuersa igitur priuatiua maiori eius sit reductio ad primam figuram in secundo modo primæ figuræ. Est autem iam in antehabitis ostensum, quòd quando in secundo primæ vniuersalis negatiua quæ est ad maiorem extremitatem, non est necessaria, non sequitur conclusio de necessario. Et si hæc coniugatio est inutilis in prima, sequitur, quòd etiam inutilis est in secunda: quia secunda figura formatur à prima, & reducitur in ipsam.

Si autem prædicativa propositio est necessaria, &c.

Propter ea secunda figura in syllogismis mixtis ex necessario de inesse.

Amplius autem si conclusio est necessaria, &c

Amplius autem inutilitas istius coniugationis, probatur etiam alio modo sic, scilicet quòd aliquid sequitur conclusionem de necessario, sine quo vera potest esse præmissa, quæ est de inesse: & sic præmissa potest esse vera sine conclusione: ergo illa conclusio non sequitur ex ipsa. Hoc autem probatur hoc modo: ponatur enim primo hæc coniugatio, de necessitate omne b. est a. nullum c. est a. sequitur secundum hanc coniugationem (si vtilis est) ergo de necessitate nullum c. est b. Sumatur igitur conuersa conclusionis huius, & conuersa maioris quæ est affirmatiua de necessario, & conuertatur in particularem: & arguitur in quarto primæ, sic, de necessitate nullum b. est c. quæ est conuersa conclusionis: a. est b. necessario, quæ est conuersa maioris: sequitur in quarto primæ, quòd de necessitate aliquod a. non est c. sed cõuersa vniuersalis negatiuæ de inesse quæ est hæc, nullum a. est c. potest esse vera sine hac particulari, de necessitate aliquod a. non est c. ergo hæc conclusio non sequebatur ex ipsa: nihil enim in tali coniugatione prohibet a. tale accipi cui omni contingit inesse c. ita, quòd õnẽ a. contingit esse c. Et si sic accipiatur: tunc vera erit præmissa sine tali conclusione de necessario.

Amplius autem & si sic terminos ponentem ostendere, &c.

Amplius hoc idem probatur tertio si aliquis sit terminõs ponens, vt si a. dicatur esse animal. b. autem homo. c. vero album: & sint propositiones sumptæ, similiter quantum ad coniugationem: tunc enim contingit animal nulli albo inesse: & tunc sequitur hac positione facta, quòd existente tali positione, quod nec homo inerit alicui albo: quia si nullum animal est album, sequitur quòd nullus homo est albus: tamen non sequitur, quòd nullus homo ex necessitate sit albus: quia homo contingenter est albus. Sed tamen donec manet illa positio, quod nullum animal sit album, sequitur quòd nullus homo sit albus de necessitate: sed hæc est necessitas positionis, & non simpliciter necessitas secundum ipsam rẽm: & formetur syllogismus in terminis instantiæ sic, omnis homo de necessitate est animal: nullum album est animal (& hoc ponatur) sequitur, ergo de necessitate nullum album est homo: hoc non sequitur omni modo necessitatis, sicut dictum est: sequitur ergo in tali coniugatione conclusio de inesse: sed non sequitur conclusio de necessitate inesse simpliciter. Sic ergo probantur coniugationes vtiles & inutiles vniuersalium syllogismorum in secunda figura.

CAPVT VI.

De solutione eorum quæ videntur esse contra prædicta.

Obiectio prima.

SVnt tamen quidam qui nituntur probare, quod superius dicta coniugatio inutilis (iuxta primum modum secundæ figuræ sumpta) videri possit vtilis, deducendo ad impossibile hoc modo, nullum b. est a. de necessitate omne c. est a. ergo de necessitate nullum c. est b. Si non sequitur, detur oppositum, hoc scilicet, non de necessitate nullum c. est b. quæ æquipollet isti, contingit aliquod c. esse b. Arguatur igitur ex hac & maiori sic, nullum b. est a. contingit aliquod c. esse b. ergo contingit aliquod c. non esse a. Hoc enim sequitur per mixtionem contingentis & inesse, quæ inferius docebitur: sed hoc non potest stare cum minori propositione præcedentis syllogismi.

Secunda.

Adhuc autem illa quæ est de contingenti quæ opponitur conclusioni, ponatur inesse, & arguatur ex vtraque de inesse sic, nullum b. est a. aliquod c. est b. sequitur ergo aliquod c. non est a. quod non potest stare cum minore prioris syllogismi.

Solutio prima.

Ad hæc autem & similia dicendum, sicut iam ex præmissis in parte patere potest, quod illa coniugatio est inutilis quantum ad conclusionem de necessario. Ad hoc autem quod obiiciunt de mixtione contingentis & inesse, dicendum quòd mixtio illa contingentis & inesse inutilis est, nisi illa quæ est de inesse fit de inesse simpliciter. Hoc autem in sequentibus erit manifestum. In exemplo autem syllogismi inducti nihil prohibet, quin illa de inesse fit de inesse vt nunc & non simpliciter: quia sicut diximus, in tali coniugatione illa quæ est affirmatiua de necessario, non sibi potest appropriare negatiuam, quin stet pro inesse vt nunc. Similiter ergo erit de inesse vt nunc quando iam accepta est in mixtione cum illa quæ est de contingenti: & sic patet quod & obiectio & mixtio nulla sunt.

Aliter.

Adhuc autem dici potest, quod & verum est, quòd in mixtione contingentis & inesse, accipitur illa de contingenti, secundum quod contingens ad vtrumlibet potest esse & non esse: hoc autem contingens æquipollet negatiuæ de necessario: hic autem in syllogismo quem inducunt, accipitur pro contingenti communi quod conuertitur cum possibili: & sic patet, quòd probatio quæ hanc videtur probare coniugationem, non valet.

Solutio secunda.

Ad aliud dicendum, quòd cum ponit oppositum conclusionis inesse, plus accipit quam oppositum conclusionis: oppositum enim tantum fuit de contingenti esse: & hoc potest esse

&

& non esse: & ideò cum talem ponit de inesse, plus sumit quam sit in oppositio conclusionis: propter quod non probat, quòd sequatur conclusio de necessario, sed quod sequatur conclusio de inesse: quia illius sumit oppositum.

CAPVT VII.

De formatione particularium syllogismorum mixtionis necessarij & inesse in secunda figura.

Similiter autem se habebit & in particularibus, &c.

SImiliter autem se habebit in particularibus syllogismis quantum ad coniugationes vtiles & inutiles secundæ figuræ. In his syllogismis regula est mixtionis: quando enim in particularibus syllogismis propositio fuerit priuatiua & vniuersalis, tunc potest sequi conclusio de necessario: quando autem aliter est, tunc non potest sequi conclusio de necessario. Ex quo sequitur, quòd iuxta quarrum modum huius secundæ figuræ coniugatio vtilis ad conclusionem de necessario esse non potest: quia quando prædicatiua vniuersalis fuerit de necessario, & priuatiua particularis fuerit de inesse, non sequitur conclusio de necessario. Hoc autem patet in exemplis. Sit enim primum priuatiua siue negatiua vniuersalis de necessario, ita quod a. medium ex necessitate nulli contingat vel possit inesse b. ita quod ex necessitate nullum b. sit a. c. autem alicui inest a. simpliciter, ita quod quoddam c. sit a. sequitur, quòd aliquod c. non sit b. de necessitate.

Quomodo in barco non potest esse coniugatio vtilis ex una de inesse & altera de necessario quoad conclusionem de necessario. Et ratio est: quia quicunque erit de necessario in barco, nulla talis potest esse maior in prima figura: quare, &c.

Si autem primũ priuatiuum & vniuersale, &c.

Quod sic probatur: quia priuatiua vniuersalis conuertitur: & si nullum b. de necessitate est a. sequitur, quòd ex necessitate nullum a. est b. syllogizetur ergo sic; ex necessitate nullum a. est b. quoddam c. est a. ergo ex necessitate aliquod c. non est b. quare b, vt prædicatum inerit alicui eorum quæ sunt c. Hic enim est quartus primæ figuræ.

Rursum sit prædicatiua vniuersalis, &c.

Omnes autem aliæ coniugationes erunt inutiles. Sit enim vniuersalis affirmatiua siue prædicatiua de necessario, & prædicatiuum ponatur ad b. maiorem scilicet extremitatem, ita quod maior sit vniuersalis & affirmatiua, sicut est in quarto modo secundæ figuræ. Si ergo in tali coniugatione a. inest omni b. ex necessitate, a. autem alicui c. non inest tantum, ita scilicet quod minor sit particularis negatiua de inesse tantum: tunc manifestum est, quòd sequitur conclusio de inesse tantum, quod scilicet b. non inerit alicui c. hoc est, quod aliquod c. non est b. Sed non sequitur conclusio de necessario, scilicet quod ex necessitate aliquod c. non sit b. hoc autem demonstratur per instantiam in terminis: & erunt iidem termini qui positi sunt in vniuersalibus syllogismis.

Sed nec si priuatiua necessaria est, &c.

Adhuc etiam vtilis coniugatio non est si particularis priuatiua sit de necessario, quæ ad minorem ponitur extremitatem: tunc enim iterum non sequitur conclusio de necessario: & demonstratur hoc per eosdem terminos instantiæ, qui iam dicti sunt, sicut cuilibet patet per seipsum. Sed sunt aliter ordinandi: hic enim homo est medium, album maior, & animal minor extremitas sic: omne album est homo: de necessitate quoddam animal non est homo: ergo quoddam animal non est album ex necessitate. Patet, quòd non sequitur.

Dubitatio.

Incidit tamen dubium de quarto modo de quo nunc dictum est: videtur enim esse vtilis coniugatio maiori vniuersali affirmatiua de inesse, & minori particulari negatiua de necessario. Videtur enim, quòd debeat sequi conclusio de necessario sic, omne b. est a. ex necessitate quoddam c. non est a. ergo ex necessitate quoddam c. non est b. Si non sequitur: tunc cum præmissis stabit conclusionis oppositum, scilicet, non de necessitate quoddam c. non est b. Ponatur ergo illa inesse: eò quod æquipollet illi, contingit omne c. esse b. & si ponatur cum maiori propositione, syllogizatur oppositum minoris sic: de necessitate omne b. est a. omne c. est b. ergo de necessitate omne c. a. qui syllogismus procedit secundum mixtionem necessarij & inesse in prima figura. Ad hoc dicendum, quod cum sumit oppositum conclusionis, & ponit inesse, plus sumit quam oppositum conclusionis: sumit enim oppositum eius quæ est de inesse: & ideò bene ostendit sequi conclusionem de inesse, sed non de necessario: & hoc iam patet per antedicta circa secundum modum istius secundæ figuræ.

Soluatio. Vide similem solutionem supra in fine capituli præcedentis.

Obiectio prima.

Adhuc tamen videtur posse probari circa quartum modum huius figuræ, quod si maior sit vniuersalis affirmatiua de inesse, & minor particularis negatiua de necessario, quod sequitur conclusio de necessario sic, omne b. est a. de necessitate quoddam c. non est a. ergo de necessitate quoddam c. non est b. Si enim non sequitur: tunc oppositum conclusionis stabit cum præmissis. Est autem oppositum conclusionis, non de necessitate quoddam c. non est b. quæ conuertitur cum ista, contingit omne c. esse b. ex qua & maiore potest concludi oppositum minoris per mixtionem contingentis & inesse, sic, omne b. est a, contingit omne c. esse b. ergo contingit omne c. esse a.

Secunda & bona.

Adhuc autem etiam per expositionem potest idem ostendi vt videtur. Accipiatur sub c. communi aliquod particulare c. siue singulare à quo vniuersaliter remoueatur a. & sit illud n. & syllogizatur sic per expositionem: omne b. est a. de necessitate nullum n. est a. ergo de necessitate nullum n. est b. quare cum n. sit aliquod c. patet quòd de necessitate aliquod c. non est b. Sic enim videtur cum syllogismus fiat in secundo secundæ figuræ vniuersali negatiua existente de necessario: & tunc oportet illam quæ est de inesse, esse de inesse simpliciter, sicut iam ante dictum est: & si hoc concedatur, tunc oportet inductam coniugationem esse vtilem, vt videtur.

Tertia.

Adhuc autem idem ostendi potest per illam de contingenti quæ conuertitur cum opposita conclusionis, quando illa de contingenti ponitur inesse: ex illa enim & maiore sequitur conclusio de inesse repugnans minori, sicut cuilibet patere potest per seipsum.

Ad primam. Nota quod ratio huius

Ad hæc autem dicendum, quòd illa coniugatio inutilis est quantum ad conclusionem de necessario.

Modo particularis secũ affirmatiua non possunt effici maior in prima figura vt constat: quare, &c.

Ad secundum.

Modus vemandi numerum combinationum in hac figura.

Combinationes huius figuræ quot sint.

Remouet dubium.

differt: quia solum ille propositio appropriat sibi aliam quæ posset esse maior in prima figura. necessatio. Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd illa quæ est de inesse in tali mixtione & in tali coniugatione potest esse de inesse vt nunc & non simpliciter: quia in secunda figura nec particularis sibi appropriare potest vniuersalem, nec affirmatiua negatiuam: & ideò particulari existente de necessario potest vniuersalis esse de inesse vt nunc: sed in mixtione contingentis & inesse, oportet illam de inesse accipi de inesse simpliciter, & non vt nunc: & ideo non valet probatio. Adhuc in illa mixtione contingentis & inesse accipitur contingens secundum quod se habet ad esse & non esse: sed sic non accipitur in illa quæ conuertitur cum opposito conclusionis: & sic iterum probatio non valet.

Ad secundum dicendum, quòd quamuis syllogismus expositiuus fiat in secundo modo secundæ figuræ, nihil tamen prohibet illam de inesse sumi de inesse vt nunc: quia prius in syllogismo qui exponitur, illa de inesse est maior: vnde sicut ibi non potuit particularis negatiua appropriare sibi vniuersalem affirmatiuam, sic nec vniuersalis iuxta illam particularem potest eam sibi appropriare: & ideo vtrobique stat pro inesse vt nunc, & non simpliciter. Hoc autem potest patere per exemplum in terminis, sic, omne album est homo (ponatur hoc) de necessitate quoddam animal non est homo: ergo quoddam album de necessitate hõn est animal: patet, quod non sequitur. Accipiatur sub animali asinus à quo vniuersaliter & necessario remouetur homo: & fiat tunc syllogismus expositiuus in secundo secundæ figuræ: tunc enim manebit maior de inesse vt nunc: & ideo est coniugatio inutilis sic, omne album est homo: de necessitate nullus asinus est homo; ergo de necessitate nullus asinus est album: patet, quod non sequitur ex præmissis.

Ad aliud patet solutio per antedicta.

Si autem quæritur hîc de numero & multiplicatione coniugationum vtilium & inutilium, de facili inuenitur hoc per antedicta. Accipiantur principia secundæ figuræ propriæ, & accipiantur principia omni figuræ propria, scilicet quod ex particularibus nihil sequitur, nec ex ambabus negatiuis, & quod in secunda figura oportet conclusionem esse negatiuam, & quod maiorem oportet esse vniuersalem: supponatur etiam quod in mixtione necessarij & inesse in hac figura oportet vniuersalem negatiuam esse de necessario. Et fiant combinationes propositionum per vniuersale & particulare, & affirmatiuum & negatiuum, sicut dictum est in præhabitis, & inuenientur combinationes sexdecim: quæ cum multiplicatæ fuerint per inesse & de necessario, erunt triginta duæ: de quibus tantum tres erunt vtiles: aliarum autem vigintiunoum coniugationum quælibet peccabit contra aliquod principium quod vel commune est omni figuræ, vel proprium figuræ secundæ, vel proprium mixtioni.

Non tamen hîc omnes enumeratæ sunt inutiles coniugationes: quia non oportuit enumerare nisi illas quæ peccant contra propria principia istius figuræ & mixtionis: aliæ enim facile patent cuilibet consideranti in combinationibus propositionum.

CAPVT VIII.

De mixtione necessarij & inesse in tertia figura in vniuersalibus syllogismis.

In postrema autem figura, &c.

IN postrema autem figura notandum est, quod primus modus qui est ex ambabus vniuersalibus affirmatiuis, formatur à tertio modo primæ figuræ, & non descendit ab illo & reducitur in illum: & ideò quicquid facit vniuersalis affirmatiua in tertio modo primæ quando est de necessario in appropriando sibi minorem ad standum pro inesse simpliciter & non vt nunc, hoc facit etiam vniuersalis affirmatiua in ista, ita quod appropriat sibi illam de inesse vt sit de inesse simpliciter & non vt nunc. Et similiter secundus modus huius figuræ descendit à quarto primæ: & ideò sicut vniuersalis negatiua in quarto primæ quando est de necessario, appropriat sibi minorem quæ est de inesse, vt sit de inesse simpliciter: & ita facit in ista figura: & ideò sine illa de inesse siue conuersa eius dicant inesse vt nunc & non simpliciter, non tenebit coniugatio mixtionis, sicut cuilibet patere potest si ponat terminos de inesse vt nunc.

A quibus modis primæ figuræ descendãt modi vniuersales tertiæ figuræ.

Regula generalis ad cognoscẽdum quando sequitur conclusio de necessario in tertia figura in mixtis ex inesse & necessario.

Vnde de proprietate huius figuræ est, quod in modis affirmatiuis vniuersalis affirmatiua sit de necessario, & alia de inesse simpliciter. In modis autem negatiuis vniuersalis negatiua sit de necessario, & altera de inesse simpliciter. Et hoc ideo est: quia vniuersalis affirmatiua vel est maior, vel potest esse maior in tertio primæ: & vniuersalis negatiua vel est maior, vel potest est maior in quarto primæ, ad quem reducuntur modi negatiui: & ideò hoc faciunt in hac figura, quod faciunt in eadem mixtione necessarij & inesse in prima figura.

Hoc fundamentum applica etiam ad superiùs dicta in secunda figura: & ego ipsum notaui in c. præcedenti.

His ita prælibatis dicimus, quòd in postrema figura terminis siue extremitatibus, maiore scilicet & minore vniuersalibus existentibus ad medium (quod vtrique extremitati subiicitur, & de quo vtraque extremitas prædicatur vniuersaliter & affirmatiuè sicut in primo modo huius tertiæ figuræ) vtralibet propositio sit necessaria, hoc est, de necessario, & altera de inesse simpliciter, sequitur conclusio de necessario. Hæc est igitur regula mixtionis in modo primo.

Si autẽ hæc quidem sit priuatiua, &c.

In modo autem secundo in quo maior est negatiua vniuersalis, & minor affirmatiua vniuersalis, talis est regula mixtionis, quòd quando vniuersalis negatiua est de necessario, & vniuersalis affirmatiua de inesse simpliciter, & non vt nunc, sequitur conclusio negatiua de necessario.

Quãdo autem tertiæ figuræ vniuersalis affirmatiua fuerit de necessario, &c.

Quando autem in eodem secundo modo tertiæ figuræ vniuersalis affirmatiua fuerit de necessario, cum non possit appropriare sibi vniuersalem negatiuam, eò quod affirmatiua non potest esse maior in quarto primæ, non sequitur conclusio de necessario: quia tunc

Quare si maior in secunda figura sit de necessario, &c.

liberè

Fallit & alia de inesse non sequitur cõclusio de necessario.

liberè illa de ineſſe, poteſt eſſe de ineſſe vt nunc vel ſimpliciter: & ideo tunc non ſequitur concluſio de neceſſario. Et de vtroque ponamus exemplum. Sint ergo primum vtræque propoſitiones præmiſſæ prædicatiuæ ſiue affirmatiuæ ſicut ſunt in primo modo tertiæ figuræ, ita quod a. maior extremitas, & b. minor extremitas inſint omni c. medio: & a. c. maior propoſitio ſit de neceſſario: quoniam ergo in tali modo minor eſt vniuerſalis affirmatiua de ineſſe ſimpliciter, ita quod b. minor extremitas omni c. ineſt, & vniuerſalis affirmatiua conuertitur in particularem, oportet ſi omni c. ineſt b. quod c. inſit alicui b. propter quod ſi a. ineſt omni c. ex neceſſitate in maiori, & c. ineſt alicui b. in converſa minoris, ſequitur concluſio de neceſſario in tertio primæ, quod ſcilicet ex neceſſitate a. ineſt alicui b. & hoc ideo ſequitur, quia b. minor extremitas ſub c. medio eſt ſumpta eſſentialiter: & ideo dicit ineſſe ſimpliciter & non vt nunc. In tali igitur reductione fit prima figura converſa minore, quæ eſt de ineſſe, & fit reductio in tertium modum primæ figuræ.

Similiter autẽ oſtenderetur & ſi b.c &c.

Similiter autem oſtenderetur, quòd concluſio ſequitur de neceſſario in eodem primo modo tertiæ figuræ ſi minor propoſitio quæ eſt b. c. eſt de neceſſario, & maior de ineſſe ſimpliciter & non vt nunc: tunc enim conuertitur maior propoſitio quæ eſt a. c. in particularem ita quod ſi a. omni c. ineſt, quod c. ineſt alicui a. Tranſponantur ergo propoſitiones, & fit iterum tertius modus primæ figuræ: propter quod ſi detur, quòd omni c. ineſt b. ex neceſſitate in minori propoſitione, ſequitur cõcluſio de neceſſario, quòd ſcilicet c. alicui a. inerit ex neceſſitate, ſic, omne c. a. ex neceſſitate: omne c. b. ergo ex neceſſitate quoddam b. a. conuertatur enim maior & fiat tranſpoſitio ſic, ex neceſſitate omne c. b. quoddam autem a. c. ergo ex neceſſitate quoddam a. b. qui eſt ſyllogiſmus in tertio primæ. Sic igitur mixtio fit neceſſarij & ineſſe in primo modo tertiæ figuræ.

Rurſus ſi a. c. quod priuatiua, &c.

Rurſus ſit a. c. maior propoſitio priuatiua, b. c. autem minor propoſitio ſit affirmatiua ſicut in ſecundo modo tertiæ figuræ, & vniuerſalis priuatiua quæ eſt maior ſit de neceſſario, ſequitur concluſio particularis negatiua de neceſſario, & reducitur in quartum primæ per converſionem minoris propoſitionis in particularem affirmatiuam de ineſſe ſimpliciter ſic, ex neceſſitate a. nulli c. ineſt. c. autem ineſt alicui b. hæc enim eſt converſa illius quæ dixit, omne c. eſt b. ſequitur in quarto primæ, quod ex neceſſitate a. alicui b. non inerit: & hoc ideo eſt: quia b. minor extremitas eſſentialiter eſt ſub c. medio: & ideò minorem oportet eſſe de ineſſe ſimpliciter & non vt nunc.

Si autem prædicatiua ſit neceſſe, &c.

Si autem in hoc ſecundo modo tertiæ vniuerſalis prædicatiua ſit de neceſſario, & vniuerſalis negatiua de ineſſe, non ſequitur concluſio de neceſſario: quia cum vniuerſalis affirmatiua non poſſit eſſe maior in quarto primæ, in quem iſte modus reducitur, non poteſt appropriare ſibi vniuerſalem negatiuam ad dicendum ineſſe ſimpliciter: ſed poteſt dicere ineſſe vt nunc; & ideo non ſequitur concluſio de neceſſario. Sit enim minor propoſitio quæ eſt b. c. de neceſſario, a. c. autem propoſitio maior ſit de ineſſe, & negatiua, & non de neceſſario. Quia igitur conuertitur vniuerſalis affirmatiua de neceſſario in particularem, ex hac, omne b. c. ex neceſſitate, ſequitur aliquod c. b. ex neceſſitate: propter quod ſi detur iſta, quod a. nulli eorum quæ ſunt b. ineſt, hoc eſt, quòd nullum b. a. & c. ineſt alicui eorum quæ ſunt b. ex neceſſitate, hoc eſt, quod neceſſario aliquod b. c. ſequitur quidem concluſio de ineſſe, quod ſcilicet a. non ineſt alicui b. ſed non ſequitur concluſio de neceſſario, quod ſcilicet ex neceſſitate a. non inſit alicui eorum quæ ſunt b. Iam enim in prima figura in quarto modo primæ figuræ oſtenſum eſt, quòd quando priuatiua vniuerſalis non eſt de neceſſario, concluſio non erit de neceſſario.

Amplius & ſic per terminos ſit manifeſtum &c.

Amplius hoc idem per terminos poteſt eſſe manifeſtum. Sit enim a. maior extremitas quidem bonum: id autem in quo eſt b. minor extremitas ſit animal. c. autem medium ſit equus: & formetur ſic ſyllogiſmus: nullus equus eſt bonum: omnis equus de neceſſitate eſt animal: ergo quoddam animal de neceſſitate non eſt bonum. Patet, quòd non ſequitur: contingit enim in hac coniugatione bonum nulli equo ineſſe: animal verò neceſſe eſt omni equo ineſſe: ſed non neceſſe eſt aliquod animal non eſſe bonum: contingenter enim omne animal eſt bonum.

Si autem aliquis dicat, quòd hoc non ſit verum: quia non eſt poſſibile, quòd equus vel animal non ſit bonum: cum bonum quando dicitur de equo vel animali dicat bonum naturæ, & non bonum moris: & non poteſt eſſe, quod animal non ſit bonum bonitate naturæ: tunc ponatur alius terminus loco boni, qui accidat & equo & animali, ſicut eſt vigilare vel dormire: omne enim animal ſuſceptibile eſt contingenter horum, ſcilicet vigiliæ & ſomni: & tunc in his terminis patet, quòd non ſequitur concluſio de neceſſe. Sic igitur dictum eſt quando erit & quando non erit concluſio de neceſſario, quando ambo termini ſiue extrema vniuerſaliter ſunt ad medium, hoc eſt, vniuerſaliter prædicantur de medio ſicut in primo & ſecundo modo tertiæ figuræ.

Obiectio.

Si quis autem obuiat volens oſtendere coniugationem eſſe vtilem, quando minor eſt affirmatiua de neceſſario, & maior vniuerſalis negatiua de ineſſe: & ſumat oppoſitum concluſionis, & cum minori concludat id quod repugnat maiori, ſic, nullum c. eſt a. de neceſſitate omne c. eſt b. ergo de neceſſitate quoddam b. non eſt a. Si non ſequitur, detur oppoſitum, non de neceſſitate quoddam b. non eſt a. hoc autem æquipollet huic, omne b. contingit eſſe a. & hoc ponatur ineſſe, ſic, omne b. eſt a. ergo per converſionem quoddam a. eſt b. & ſyllogizetur ſic, de neceſſitate omne c. b. quoddam a. b. ergo de neceſſitate quoddam c. eſt a. hoc non poteſt ſtare cum hac, nullum c. a. quæ ſit maior. Ad hæc autem & ſimilia dicendum, ſicut ſuperius determinatum eſt, quòd quando illam de contingenti

Solutio.

Mihi videtur, quod etiam argumentum peccet in forma: quia est ex duabus affirmatiuis in secunda figura.

tingenti ponit inesse: tunc plus sumit quam sit in illa de contingenti: & ideò bene probat, quòd sequitur conclusio de inesse: sed non probat, quòd sequatur conclusio de necessario: in omnibus enim talibus syllogismis est solutio quæ in antehabitis sæpius dicta est.

CAPVT IX.

De mixtione necessarij & inesse in particularibus syllogismis tertiæ figuræ.

Si autem hic quidem vniuersalis, ille verò, &c.

IN syllogismis autem particularibus huius tertiæ figuræ quando vnus terminus vniuersaliter se habet ad medium, alter verò particulariter, si tunc prædicatiuus est vterque terminorum, sicut est in tertio modo tertiæ figuræ in quo maior est particularis affirmatiua, & minor vniuersalis affirmatiua: tunc tali regula fit mixtio, vt conclusio sit de necessario, quòd scilicet vniuersalis sit de necessario: quia quamuis ipsa sit minor in modo figuræ tertiæ, tamen habet potentiam vt fiat maior in reductione: reducitur enim hic modus in tertium primæ, in quo maior est vniuersalis affirmatiua: ideo sicut in prima, ita & hic appropriat sibi particularem, & facit, quòd sit de inesse simpliciter & non vt nunc: propter quod sequitur conclusio de necessario. Et quod talis sit vtilis coniugatio, eadem est demonstratio, quæ prius dicta est in primo modo huius tertiæ: particulari enim affirmatiua conuersa & transpositis propositionibus reducitur in tertium primæ. Si enim necesse, quod omni c. insit b. & a. est sumptum sub c. essentialiter, sequitur quòd necesse est b. alicui a. inesse. Si autem b. inest alicui a. tunc per conuersionem etiam a. inest alicui b. de necessitate: particularis enim propositio conuertitur simpliciter.

Per hoc quod dicit a. esse sumptum sub c. intelligit sic fieri esse conuersionem simplicem illius maioris, aliquod c. est a.

Similiter autem & si a. c. &c.

Similiter autem est in quarto tertiæ figuræ, qui constat ex maiori vniuersali affirmatiua & particulari affirmatiua minore: & si maior quæ est vniuersalis affirmatiua, est de necessario, & minor particularis affirmatiua sit de inesse, sequitur conclusio de necessario, propter eandem causam quæ sæpius dicta est: tunc enim a. c. propositio vniuersalis est de necessario, & b. c. minor particularis: sequitur autem ideò conclusio de necessario: quia b. est sub c. & ideò propositio est de inesse simpliciter.

Si autem particularis est necessaria, &c.

Si autem in affirmatiuo syllogismo tertio huius figuræ vniuersalis est de inesse, & particularis de necessario, non sequitur conclusio de necessario: quia in reductione particularis non potest esse maior in prima figura: & ideò non potest sibi appropriare vniuersalem ad inesse simpliciter. Sit enim b. c. propositio minor particularis & necessaria siue de necessario, a. autem insit omni c. tantum, & sit de inesse propositio a. c. quæ est maior. Si ergo conuertatur b. c. propositio vt prima fiat figura in tertio primæ: tunc vniuersalis quidem propositio non est de necessario: particularis autem est de necessario. Quando autem in prima figura sic se habebant propositiones, non erat conclusio de necessario sicut in tertio primæ dictum est: propter quod etiam in his syllogismis qui sunt tertiæ figuræ talis erit inutilis coniugatio: quia iste tertius secundæ descendit à tertio primæ.

Amplius autem ex terminis, &c.

Amplius autem hoc idem etiam est manifestum in terminis, in quibus est instantia talis consequentiæ. Sit enim a. maior terminus vigilatio. b. autem minor terminus sit bipes: id autem in quo ponitur c. medium sit animal. Talibus igitur terminis positis, b. quod est bipes, necesse est inesse alicui, c. hoc est, animali. a. autem quod est vigilatio, contingit inesse c. hoc est, animali, & a. quod est vigilatio, non necessariò inerit b. hoc est, bipedi. Non enim necesse est aliquem bipedem vel dormire vel vigilare. Similiter autem & per eosdem terminos si a. c. propositio maior sit particularis & de necessario, & altera sit vniuersalis & de inesse, quod videlicet est inutilis coniugatio quantum ad conclusionem de necessario.

Si autē hic quidem terminorum, &c.

In particularibus autem syllogismis negatiuis vtilis coniugatio est iuxta sextum modum tertiæ figuræ quæ habet maiorem vniuersalem negatiuam, & minorem particularem affirmatiuam: vnde si vnus quidem terminorum in particularibus syllogismis sit prædicatiuus siue affirmatiuus, alter verò priuatiuus siue negatiuus: tunc quando terminus maior fuerit vniuersalis & priuatiuus & de necessario, sequitur conclusio de necessario. Cuius formatio & ratio est: quia si a. maior extremitas nulli c. contingit: tunc de necessitate nullum c. est a. si tunc b. minor extremitas inest alicui c. tunc quoddam c. est b. & ex his sequitur in sexto tertiæ, quod necesse est a. alicui b. non inesse, hoc est, quod de necessitate quoddam b. non est a.

Iuxta autem hanc vtilem coniugationem tres sunt inutiles, quarum duæ sunt iuxta quintum tertiæ, qui habet maiorem particularem negatiuam, & minorem vniuersalem affirmatiuam. Tertia autem sumitur iuxta sextum de quo paulò ante dictum est. Formantur autem sic. Si enim vna est affirmatiua & altera negatiua, & vna vniuersalis, & altera particularis: si affirmatiua ponatur esse de necessario, siue sit particularis siue vniuersalis: item si particularis priuatiua ponatur esse de necessario, erit coniugatio inutilis: quia non sequitur conclusio de necessario: & sunt demonstrationes eadem inutiles: quas etiam in prioribus inutilibus coniugationibus diximus. Tamen manifestè probatur inutilitas harum coniugationum per terminos instantiarum. Et termini quidem in quibus est instantia, quando vniuersalis affirmatiua est de necessario, sunt vigilare, animal, homo, ita quod medium sit homo. Quando autem particularis prædicatiua est de necessario, & altera de inesse, termini sunt vigilatio, animal, album: & album est medium: in talibus enim terminis animal necesse est alicui albo inesse, ita quod de necessitate aliquod album est animal vt cignus: vigilatio contingit nulli: quia contingens est, quod nullum animal vigilet: & iterum non est necesse alicui animali non

Quādo autem affirmatiua quidem ponitur, &c.

inesse vigilationem: quia contingens est aliquod animal non vigilare. Termini autem quando particularis priuatiua ponitur esse de necessario, & altera de inesse, sunt bipes, moueri, animal: medium autem est animal.

Ex quo patet, quòd by album pro albedine sumitur quia est abstractum & pro substantia.

Quod autem diximus in terminis istis, quod animal necesse est album albo inesse, non intelleximus de albo secundum quod significat qualitatem albedinis in subiecto, qua fit album contingit animali: sed intelleximus de aliqua substantia cui necessario inest albedo, sicut est cignus. Tamen verum est, quòd hæc, aliquod album de necessitate est animal, est vera de necessitate per accidens: & sic boni sunt & declarant propositum termini inducti. Posset tamen melius instari per hos terminos, homo, album, animal, sic, nullum animal est album (& hoc ponatur) de necessitate aliquod animal est homo: & tamen non sequitur, quòd de necessitate aliquis homo non sit albus.

Vide supra in c. 2. huius tract. 2. Multiplicatio modorum huius tertiæ figuræ in hos mixtiones. Corollarium

Est autem aduertendum, quòd iuxta quintum modum tertiæ non est posita mixtio vtilis ad conclusionem de necessario: & si aliquis illum velit probare per oppositum conclusionis, quod est de contingenti mixto cum necessario, penitus idem dicendum est quod dictum est in quarto secundæ figuræ. Adhuc autem si aliquis quæratde multiplicatione harum vtilium & inutilium coniugationum, omnino similis est sicut & in prima & in secunda figura in mixtione necessarij & inesse.

Manifestum igitur quãdo inesse quidem, &c.

Ex omnibus autem his quæ dicta sunt, manifestum est, quoniam quidem non est syllogismus concludens propositionem de inesse, si vtræque propositiones præmissæ non sunt de inesse. Quamuis enim dixerimus, quòd ex talibus concluditur aliquando de inesse quando aliquid est de necessario: tamen sciendum, quòd non concluditur statim & immediatè propositio de inesse per mixtionem necessarij & inesse: sed concluditur ex consequenti, secundum quod propositio de inesse relinquitur ex propositione de necessario immediate concluta: sed immediatè non concluditur propositio de inesse. Propositio autem de necessario concluditur, & per illas quæ solum sunt de necessario & per illas quæ sunt mixtæ de necessario & inesse.

Remouet dubium. Contra in consequentias mixtas infra libus equitur conclusio de inesse immediatè, vt patet: ergo, &c. Respondetur quod non sequitur immediatè vt per se intentum ab illa præmissis. sed vt defectus conclusiones de necessario & vt deficit à conclusione de necessario quæ per se intenditur.

Sed hic sciendum, quòd in vtriusque syllogismis tam affirmatiuis quàm negatiuis necesse alteram propositionum præmissarum similem esse conclusioni ad minus. Dico autem similem, ita scilicet, quòd si conclusio est de inesse, præmissa sit de inesse. Si autem conclusio est de necessario, necesse est alteram præmissarum vel ambas esse de necessario. Ex quo vlterius patet, quòd non erit conclusio siue de necessario siue de inesse, nisi altera ad minus propositio sit de necessario vel de inesse.

In vtriusque autem affirmatiuis & priuatiuis, &c.

Dictum est igitur sufficienter quantum ad propositam intentionem de necessario, quomodo fit ad syllogismum faciendum, & quam differentiam habeat ad propositionem de inesse in eo quod est particulare: quia adhuc aliquid dicendum erit de eo in mixtione contingentis & necessarij in sequentibus: sed quãtum ad generationem vniformem syllogismi de necessario, & quantum ad mixtionem necessarij cũ his quæ sunt de inesse per omnes figuras, satis sufficiẽter dictũ est: si qua enim alia sunt, satis intelliguntur per ea quæ dicta sunt.

Igitur de necessario quomodo fit, &c.

TRACTATVS IV.

De generatione syllogismorum de contingenti vniformi & mixta.

CAPVT I.

De principiis generationis syllogismorum de contingenti.

De contingenti autẽ post hæc dicemus.

DE contingente autem & de generatione syllogismorum de cõtingenti, post hæc quæ de necessario dicta sunt, secundum rationis ordinem est dicendum.

Quare prius agit de syllogismis de necessario quãm de illis de contingenti.

Necessarium enim est ante contingens, eò quod necessarium est contingẽtis principium, sicut in peribermenias dictum est. Et iterum necessarium non variat inhærentiam simpliciter secundum rem, sed secundum modum tantum: contingens autem variat inhærentiam secundum rem & secundum modum. His ergo rationibus prius ponenda fuit generatio syllogismorum de necessario, quam de contingenti. Dicemus ergo primo in hoc tractatu huius generationis principia, & illis determinatis, determinabimus coniugationes vtiles & inutiles ad conclusionem de contingenti. Dicemus enim quando & quomodo & per quæ erit syllogismus de contingenti. Dico autem quãdo quoad figuram, & quomodo quantum ad modum, & per quæ quantum ad terminos & propositiones.

Contingens quid.

Diffinientes autem contingere & contingens dicimus, quòd contingens est quod cum non sit necessarium: vel melius dicendo, quòd cum sit non necessarium, si ponatur esse actu, nihil erit siue nihil sequetur propter hoc impossibile. Dicitur tamen etiam necessarium contingere, sicut in antehabitis dictum est: sed hoc est contingens æquiuocè dictum ad istud contin

Contingens anal. gicè dicitur de necessario & non necessario.

Probatio diffinitionis contingentis.

contingens; de quo loquimur in generatione syllogismorum de contingenti, hoc modo æquiuocationis quo analoga dicimus æquiuoca.

Quoniam autem hoc est contingens, &c.

Quod autem sit determinãdum per non necessarium, manifestum est in ordinibus modalium ex affirmationibus & negationibus oppositis. In tertio enim ordine sunt istæ, non contingit esse, impossibile est esse, & necesse est non esse: & ideo vel eædem sunt istæ propositiones in æquipollentia, vel sequuntur seinuicem sicut consequãs ad antecedẽs: ex quo sequitur, quòd etiam oppositæ his affirmationes, hæ scilicet quę sunt in primo ordine, contingit esse, non impossibile esse, non necesse non esse, vel eadem erunt vel sequentia seinuicem. Probatur enim primus ordo per tertium: eo quod in tertio & quarto ordine nemo vnquam dubitauit: & ita tertius ordo vt omnibus notus sumitur ad probandum primũ: quia in primo & secundo ordine aliqui dubitauerunt; sicut in secundo perihermenias dictum est. Quod autem ista consequentia fiat, per hoc probatur: quia de omni eo quod est, oportet vel affirmationem vel negationem veram esse: & ideò si negationes se consequuntur, oportet quod etiam affirmationes sequantur seinuicem. Erit ergo secundum hoc dupliciter dictum contingens, ita quod contingens est necessarium, & contingens est non necessarium.

Vide in secundo periherm. tract. 2. c. 3. & 4.

Accidit autem omnes quæ secundum contingens, &c. Propositiones de contingẽti conuerti in oppositam qualitatem est vnum principium quo perficiuntur syllogismi imperfecti.

His visis sciendum, quòd omnes propositiones quæ sunt secundum contingere quod est non necessarium, conuertuntur sibiinuicem secundum consequentiam secundum oppositas qualitates affirmationis & negationis: & hoc est vnum principiorum quo perficientur syllogismi imperfecti. Dico autem conuerti sibiinuicem secundum oppositas qualitates, non quod affirmatiuæ conuertantur cum negatiuis: quia sicut in perihermenias dictum est, propositiones modales affirmatiuæ vel negatiuæ dicuntur, eo quod sunt de modo affirmato vel negato: & tales affirmatiuæ non conuertuntur cum negatiuis, sed potius quæcunque affirmatiuam habent figuram in modo, & in dicto differunt secundum affirmationem & negationem: & hoc modo ea quæ est, contingit esse, conuertitur in illam quæ est, contingit non esse: & ea quæ est, contingit omni inesse, conuertitur in eam quæ est, contingit nulli inesse, vt contraria in contrariam conuertatur, vel conuertatur ad contradictoriam in dicto, vt ea quæ est, contingit omni, conuertitur in eam quæ est, contingit non omni: vel ea quæ est, contingit alicui, conuertitur in hanc quæ est, contingit non alicui. Eodem autem modo est in omnibus aliis.

Quare propositiones affirmatiuæ de contingente non necessario conuertuntur in oppositas qualitates.

Huius autem causa & ratio est: quia contingens, de quo loquimur, est contingens de quo negatur necessarium, & determinatur nõ necessario: & tale contingens est permixtum potentiæ, & dicit esse in actu: & sequitur, quòd hoc quòd est non necessarium, possibile est nõ esse. Manifestum est ergo, quòd id quod sic contingit esse, contingit etiam non esse. Vnde si cõtingit a. inesse b. contingit a. etiam non inesse b. & si omni b. contingit inesse a. contingit etiam omni b. non inesse a. Similiter autem est in particularibus affirmationibus: hoc enim eodem modo demonstratur sicut in vniuersalibus: quia per hoc quod non est necessarium, sequitur quod possibile sit ad esse & ad non esse.

Sunt autem tales propositiones prædicatiuæ, &c.

Huiusmodi autem propositiones siue sint de dicto affirmato, siue sint de dicto negato, omnes sunt prædicatiuæ siue affirmatiuæ: quia modus contingentiæ in eis affirmatur & non cadit sub negatione: contingere enim quod est modus secundum eandem similitudinem ponitur in modalibus, sicut esse ponitur in his quæ sunt de inesse: & ideò sicut ab esse affirmato vel negato illa quæ est de inesse, affirmatiua est vel negatiua: ita modalis quæ est de contingenti, a modo affirmato vel negato est affirmatiua vel negatiua, quemadmodum dictum est prius in libro perihermenias secũdo.

Vide in secundo lib. tract. 2. c. 2. Determinatis autẽ hiis iursum, &c. Contingens non necessarium duplex natum, infinitum.

Determinatis autem his quæ dicta sunt, rursum adhuc ante generationem syllogismorum de contingenti, dicimus distinguendo contingens quod est non necessarium, duobus modis dicitur. Vno quidem modo dicitur contingens natum, quod plerumque fit & vt in pluribus, tamen deficit ab eo quod est necessarium, per hoc quod non habet causam stantem & necessariam, vt canescere hominem in senectute vel augeri in iuuentute, vel minui deficiente virtute nutritiua, vel omninò sine vniuersaliter loquendo, quod est cõtingens natum, eo quod innatam in subiecto habet causam: quidquid enim tale est, non continuam (per causam stantẽ) habet necessitatem ad esse, eò quod non semper est homo actu ens. Sed cum homo est, aut ex necessitate, aut in pluribus inest sibi canescere in senectute. Ex necessitate quidem: quia in hominis ratione quæ datur per materiam supponitur causa putrescendi phlegma in capite: quæ de necessitate sequitur motus alterationis ad canitiem. Quia autem causa materialis impedibilis est propter materiæ inæqualitatem, ne motum talem aliquando perducat vsque ad terminum perfectæ canitici: tunc conuenit vt in pluribus hominem canescere, hoc est, canum esse in senectute: cum omni homini existenti conueniat ex necessitate in senectute moueri ad canitiem: quia necesse est calore remisso & non terminante humidum multum phlegmaticum quod abundat in capite, phlegma moueri & alterari ad putredinem. Et sic actualis canities est in pluribus secundum naturæ habilitatem, sed motus ad canitiem necessariò est in omnibus existentibus hominibus: & sic ex necessitate & vt in pluribus inest homini canescere in senectute: & ideò est, quòd cum homo est, aut ex necessitate, aut vt pluribus est canescere. Canescere enim non est prædicatum quod conueniat homini secundum rationem sumpto, siue hoc o actu sit apud naturam, siue non sit actu, sed tantum ratio eius sit apud animam.

Quomodo homini inest aut de necessitate, aut in pluribus canescere in senectute, & quomodo hoc dictum intelligatur.

Quomodo canescere nõ conuenit homini secundum rationem sumpto sicut animal. Et nota in hoc vnum consideratione, quòd causa defectus ca-

De his in præhabitis de vniuersalibus dictum est, nec oportet hic repetere: quia hoc non est de intentione principali. Sic ergo vno modo contingens quod non necessario determinatur, dicitur contingens natum. Alio au-

sitiui in homine quandoque est merito subiecti, & quandoque merito prædicati, vt dicit Ioan. grammatic.

tem modo contingens infinitum non necessarium dicitur contingens infinitum, quod non se habet plus ad esse quam ad non esse: & ideo dicitur contingens infinitum, quia sic & sic possibile est esse, vt animal ambulare, quod est ad vtrumlibet in effectu, & animali ambulante fieri terræmotum vel coruscationem, quod est ad vtrumlibet in causa, nec plus se habet ad esse quam ad non esse tale enim contingens nihil magis natum est sic fieri, quam è contrario non fieri.

Sed contra Dicitur etiã contingens narum. Respondetur, quod illud compre enditur sub contingenti infinito: nam eam, eo communi propter causam vtriusque esse indeterminatum: & plus respexit ad ipsam Arist. quam ad non essentiam, vt dicit Ioan. grammat. Quomodo conuertitur affirmatiua de contingenti nato, & quare sic conuertitur.

Patet igitur ex dictis, quòd tripliciter dicitur contingens, scilicet vt genus, & vt species: vt genus quidem quando est idem quod possibile & non necessarium: vt species autem sicut non necessarium contingens natum: & vt non necessarium contingens infinitum. Ex his autem sumenda sunt principia perficiendi syllogismos imperfectos de contingenti, sicut est conuersio, & huiusmodi. Dicamus igitur, quod vtrumque speciale contingens conuertitur secundum oppositas in qualitate propositiones, sed non eodem modo. Sed contingens natum (quod per causam quæ in ipso est, natum est esse, & non est natum non esse) conuertitur ad negatiuam, quæ non est de contingenti nato, sed est de contingenti in genere, quod est non necessarium & conuertitur cum possibili: secundum tale enim contingens contingit hominem non canescere in senectute. Quia cum tale contingens habeat in se duo, scilicet potentiam ad non esse propter imperfectionem causæ, & variabilitatem ad esse propter habilitatem causæ: ex causa habet quod est, & ex potentia quod non: & ideò si contingit hominem canescere, contingit hominem non canescere, quæ est conuersio ad oppositas qualitates. Sed cum dicitur, contingit hominem non canescere, non potest intelligi de contingenti nato: quia oppositum eius quod est non canescere, innatum est homini inesse. Nec potest intelligi de contingenti infinito quòd æqualiter se habet ad esse & non esse: quia non canescere plus se habet ad non esse, & canescere plus se habet ad esse. A partibus ergo sufficienter enumeratis relinquitur, quòd intelligatur de contingenti pro possibili, quod est contingens non necessarium, & non necessario determinatum. Contingens ergo natum quando ad oppositas in qualitate propositiones conuertitur, conuertitur ad contingens non natum, sed ad contingens pro possibili acceptum infinitum. Contingens (quod nihil magis sic est quam alio modo, hoc non sic) conuertitur in eodem modo contingentis secundum oppositas propositiones in qualitate sic, si contingit hominem ambulare, contingit hominem non ambulare: & vtraque est de contingenti infinito.

Quomodo conuertitur propositio de contingenti infinito.

Disciplina autem vel syllogismus, &c.

Cum autem hæ propositiones ordinandæ sunt in syllogismum, syllogismus demonstrationis & disciplina demonstratiua non potest fieri de contingenti infinito, eò quod in tali contingenti ordinatum est medium in subiiciendo se vni extremitati & subiiciendo sibi alteram. Sed ex illis propositionibus quæ sunt de contingenti nato, est syllogismus & disciplina demonstratiua. Orationes & considera-

Quomodo propositiones de contingenti nato sunt.

ingredi demonstrationem, non autem propositiones de contingenti in finito.

sed contra, Demonstratio est eorum quæ non possunt aliter se habere. primo poste. ergo, &c. Respondetur, quod verum est de potissimam: non autem absolute: quia eorũ quæ sunt vt in pluribus, sunt etiã demonstrationes & scientia. primo poste. text. com. 20.

tiones (ad quæstiones determinandas, & problemata) penè omnes sunt de contingentibus, quæ dicuntur secundum contingens natum. Dico autem penè: quia in talibus in quibus est contingens natum inquantum esse possunt & non esse, non demonstratur, nec de ipsis est disciplina demonstratiua, sed potius inquantum stant sub esse & referuntur ad innatam sibi causam: sic enim considerata ista contingentia conueniunt cum necessariis, quamuis deficiant ab ipsis inquantum non habent stantem causam: intantum enim sunt necessitatis non continuæ.

Ex illis autem propositionibus quæ sunt de contingente infinito, possibile quidem est fieri syllogismum formalem: hic tamen non solet esse quæstio de tali contingente: quia quæstio est de aliquo determinato: illud autem contingens indeterminatum est & infinitum. Et si quæritur de ipso, quæstio non potest determinari & finiri nec ad esse nec ad non esse. Hæc autem magis in sequentibus diffinientur & determinabuntur. Nunc autem non habemus secundum propositam intentionem dicere, nisi quando & quomodo & quis erit syllogismus ex contingentibus siue ex propositionibus quæ sunt de contingenti.

CAPVT II.

De dici de omni & dici de nullo in propositionibus de contingenti, & de vniuersalibus syllogismis de contingenti secundum vtiles coniugationes.

Quoniam autem contingere hoc huic, &c.

COntingere autem hoc prædicatum huic subiecto inesse dupliciter dicitur, & dupliciter accipitur. Aut enim dicitur contingere id quod actualiter inest subiecto. Aut dicitur hoc contingere cui subiectum contingit inesse. Nam cum dicimus, quòd a. contingit ei de quo b. subiectum est, significat horum duorum sensuum alterum. Significat enim a. prædicatum contingere huic subiecto quod est b. sub altero dictorum sensuum, vt scilicet a. contingat ei quod est b. & de quo secundum actualem inhærentiam prædicatur: aut quod a. contingat ei quod contingit esse b. quod enim contingit esse b. non statim sequitur esse b. secundum actum. Nihil autem differt secundum propositam intentionem, quòd dicatur a. contingere ei de quo b. prædicatur, vel prædicari contingit: & si dicatur possibile esse a. dici de eo quod est b. vel quod potest esse b. Quia diximus sæpius, quòd possibile & contingens conuertuntur, & vtrumque determinatur non necessario.

Quomodo cõtingere hoc huic inesse dupliciter potest intelligi.

Si propositio de possibili habet duplicem sensum: ergo & illa de contingenti.

Manifestum est igitur ex dictis, quòd dupliciter dicitur a. prædicatum omni b. contingere secundum dici de omni: dicitur enim a. de b. omni, aut secundum inesse, aut secundum contingere inesse: & quia dictum secundum contingere esse, est propositio sumpta in vniformi generatione syllogismorum de contingentibus: illa autem quæ est contingere sed inesse, sumitur in mixtione contingentis & inesse,

quæ

Primũ ergo dicam de, quo c, &c.

quæ non est ex propositionibus vniformibus, primum est dicendum de syllogismis vniformibus (istis videlicet, si de quo c. contingit dici. b. contingit dici: & de quo b. contingit dici. a. contingit dici) quis & qualis erit syllogismus? Sic enim vtræque propositiones sumuntur secundum contingere, & ambæ sunt de contingenti & maior & minor. Quando autem sumuntur secundum alterum modum, scilicet quod de quo b. est prædicatum, quòd illud contingat esse a. tunc vna propositionum est de inesse, & altera de contingenti, quod mixtam facit syllogismorum generationem. Propter quod incipiendum est ab his quæ sunt similis figuræ quantum ad modum propositionis, quemadmodum & in aliis quæ diximus: præmissmus enim generationem vniformem de necessario generationi mixtæ de necessario & inesse: simile est enim ante dissimile, sicut vnum ante multa. Per hoc autem quod dici de omni in contingentibus determinauimus, satis etiam est determinarum dici de nullo: quia vnum conuertitur ad alterum: & quod contingit omni, contingit nulli: & quod contingit esse, contingit non esse.

Quare prius incepit à syllogismis ex vniformibus, scilicet ex ambabus de contingenti.

Obiectio.

Contra quod tamen quidam opponunt dicentes, quòd esse & non esse opposita sunt secundum affirmationem & negationem, inter quæ nihil est medium: nec aliquid habent commune: & sic modus non cadit super vtrumque. Sed hoc planum est soluere: quia quamuis esse & non esse opponantur sicut affirmatio & negatio, tamen contingens esse & contingens non esse non opponuntur vt affirmatio & negatio: quia vtraque illarum est affirmatiua: & ideo in propositione de contingenti refertur modus super extrema compositionis, & elargat ipsam ad potentiam essendi & potentiam non essendi, quæ non est media inter contradictoria: quia in contradictoriis negatio nihil relinquit, & nihil ponit: sed in negatione super quam cadit contingens cum dicitur, contingit non esse, relinquitur potentia ad esse.

Solutio. Licet esse & non esse sint contradictoria, non tamen contingere esse & contingere non esse sunt contradictoria,

Vniuersales modi & vtiles ex ambabus de contingenti in prima figura.

Formemus igitur primo in prima figura vniformes de contingenti syllogismos, dicentes primo vtiles coniugationes ad conclusionem de contingenti, sic quod quando a. maior extremitas contingit omni b. medio, ita quod propositio sit, omne b. contingit esse a. & b. medium contingit omni c. minori extremitati, ita quod omne c. contingit esse b. syllogismus de contingenti erit perfectus, & sequitur conclusio de contingenti, quod scilicet a. contingit omni c. hoc est, quod omne c. contingit esse a. & est syllogismus in primo modo primæ figuræ. Et hoc manifestum est per diffinitionem eius quod est dici de omni in contingentibus: sic enim diffinimus in contingentibus dici de omni, quando prædicatum omni ei contingit, cui contingit medium siue subiectum.

Quando igitur contingit a. omni b. &c.

Dici de omni in contingentibus quid.

Similiter autem & si a. contingit, &c.

Similiter autem vtilis fit coniugatio ad formandum secundum modum primæ figuræ sedam conclusionem de contingenti, quando maior est negatiua vniuersalis, & minor affirmatiua vniuersalis, quantum ad dictum de quo prædicatur modus, sic, quod dicatur a. nulli b. contingere, b. autem contingit omni c. sequitur conclusio de contingenti, quod a. nulli c. contingit, siue quod contingit nullum c. esse a. Et hoc probatur per dici de nullo in contingentibus: nam cum dicitur, quod a. non contingit ei de quo contingit b. siue quod a. nulli b. contingit, hoc erat per diffinitionem eius quod est dici de nullo, nihil dimittere eorum quibus contingit b. inesse, à quo non remoueatur a. contingere inesse. & ideo sequitur cum c. sit aliquod eorum cui contingit inesse b. quod nullum c. contingat esse a. Isti ergo sunt duo vniuersales syllogismi primæ figuræ de contingenti.

Inutiles qui tamẽ possunt fieri vtiles.

Inutiles autem & imperfecti sic formantur. Quando enim a. contingit omni b. in maiori propositione, ita quod omne b. contingit esse a. b. autem contingit nulli c. in minori propositione, ita quod nullum c. contingit esse b. per sumptas quidem taliter propositiones nullus fit syllogismus: & hoc modo coniugatio inutilis: conuersa autem b. c. minori negatiua secundum conuersionem contingentis quæ est in eadem quantitate ad oppositam qualitatem, fit idem syllogismus quemadmodum & prius in primo primæ factus est, & sic est coniugatio ad syllogismum imperfectum. Hæc autem conuersio talis est: quia cum b. contingat nulli c. inesse, sequitur per conuersionem ad oppositam qualitatem, quod contingit b. omni c. inesse: hoc autem in superius dictis est determinatum: propter quod ex tali conuersione sequitur, quod b. contingit omni c. inesse, & a. contingit omni b. inesse: transponantur propositiones sic, omne b. contingit esse a. omne c. contingit esse b. ergo omne c. contingit esse a. qui est primus modus primæ figuræ.

Quando a. contingit omni b.

Similiter autem & si ad vtrasque, &c.

Similiter autem est inutilis & imperfecta coniugatio si negatio vniuersalis ponatur ad vtramque extremitatem, ita quod ambæ præmissæ sint de contingenti in vniuersalibus propositionibus negatiuis. Dico autem exemplificando hoc vt si dicamus, quod a. nulli b. contingit, & b. nulli c. contingit: nam in tali coniugatione propter sumptas quidem propositiones nullus fit syllogismus: & sic coniugatio inutilis est: quia ex ambabus negatiuis nihil sequitur in aliqua figura. Conuersis autem vtrisque propositionibus sub eadem quantitate ad oppositas qualitates, erunt ambæ præmissæ de contingenti vniuersales affirmatiuæ: & tunc fit idem syllogismus qui dictus est in primo primæ figuræ, sicut cuilibet patet per seipsum.

Corollarium.

Manifestũ est, quoniã negatione posita, &c.

Manifestum est igitur, quoniam negatione posita ad minorem extremitatem, ita quod minor sit negatiua: vel negatione posita ad vtrasque propositiones, ita quod ambæ sint negatiuæ: aut non erit syllogismus ex propositionibus sic sumptis: aut si fit syllogismus, ille erit imperfectus: & oportet, quòd per conuersionem quæ est in contingenti ad oppositas qualitates perficiatur, si debeat fieri necessarium id quod sequitur syllogistica consequentia. Sic ergo dictum est de generatione syllogismorum de vniformi combinatione propositionum de contingenti secundum hanc

acceptionem, quòd contingit esse b. contingit esse a. acceptio autem secunda quæ est, omne quod est b. contingit esse a. erit immixta de inesse, & contingenti syllogismorum.

Dubitatio. Et si quis quærat, quare tertia acceptio contingentis hic non determinetur, scilicet quod omne quod necesse est esse b. contingit esse a. cum illa accipiatur in mixtione contingentis & necessarij? Dicendum, quòd satis relinquitur ex aliis in mixtione inesse & contingentis determinatis. Illa enim quæ est de inesse in mixtione contingentis & inesse, oportet quod sit de inesse simpliciter & non vt nunc: & hæc secundum rem non differt ab illa quæ est de necessario, sed secundum modum tantùm: & ideò cum quod est b. contingit esse a. satis in elligitur, quod est b. vel quod necesse est esse b. contingit esse a.

Solutio. Attendendum, quòd cum illa de contingenti nato conuertitur ad oppositam qualitatem, statim patet, quòd affirmatiua conuertitur ad negatiuam: sed non adeò euidens est, quod negatiua de tali contingenti conuertatur ad affirmatiuam: non enim sequitur, est non necessarium inesse: ergo contingit inesse: sed quando apponitur modus contingentiæ: tunc patet, quòd negatiua conuertitur ad affirmatiuam, sic, contingit hominem non canescere: ergo non est necesse hominem non canescere: & si non est necesse, potest inesse oppositum: & si potest oppositum inesse, illud erit in propositione oppositæ qualitatis designatum.

Remouet dubium. Hic etiam attendendum, quòd secundum materiam & non secundum argumentandi formam ex superiori infertur inferius: quia cum contingens natum conuertatur ad contingens sumptum pro possibili, & non necessario, & infertur contingens natum ex illo: tunc fit processus à genere ad speciem affirmando: qui processus secundum formam argumenti non valet. In materia tamen quæ est de contingenti, valet gratia terminorum: quia in illis contingens cadens super prædicatum & subiectum dicti terminos elargat, quod vtrumque in se includat aliquid de oppositio. Talis igitur est formatio vniuersalium syllogismorum de contingenti, & talibus principiis vel perfecti sunt vel perfici possunt quando sunt imperfecti.

CAPVT III.

De formatione particularium syllogismorum de contingenti.

Si autem altera quidem prop. si non, &c. SI autem in hac vniformi generatione syllogismorum de contingenti hæc quidem propositionum præmissarum sit vniuersalis, illa verò altera sit particularis, & ad maiorem quidem extremitatem posita vniuersali propositione siue affirmatiua siue negatiua, & particulari affirmatiua posita ad minorem, syllogismus erit perfectus per dici de omni & dici de nullo in contingentibus. Nam si a. omni b. contingit, ita quòd omne quod contingit esse b. contingit esse a. b. autem contingit alicui c. ita quod contingit aliquod c. esse b. sequitur ex ista coniugatione, quòd aliquod c. contingit esse a. & est syllogismus in tertio primæ. Et hunc syllogismum esse perfectum, manifestum est ex diffinitione eius quod est dici de omni in contingentibus.

Rursum si a. contingit nulli b. &c. Rursum si ad maiorem ponatur vniuersalis negatiua, & dicatur, quòd a. nulli b. contingit, ita quod nullum b. contingit esse a. & ad minorem ponatur particularis affirmatiua, ita quod dicatur, quòd aliquod c. contingit esse b. sequitur conclusio, quòd syllogistica necessitate necessario sequitur, quòd aliquod c. contingit non esse a. Demonstratio autem (quod perfectus sit syllogismus) eadem est: quia per dici de nullo est in contingentibus.

si autem priuatiua, &c. Inutiles autem & imperfectæ fiunt coniugationes, si priuatiua propositio de contingenti sumatur particularis, & affirmatiua ponatur de contingenti vniuersalis, & propositiones similiter se habeant sicut prius, sicut si dicamus, quod a. quidem contingit omni b. b. autem contingit alicui c. non inesse: tunc per sumptas quidem propositiones non fit manifestus & perfectus syllogismus: quia minor in prima figura non potest esse negatiua: conuersa autem particulari ad oppositam qualitatem sub eadem quantitate, ita quod ponatur in particulari, quod b. insit alicui c. hoc est, quod aliquod c. sit b. eadem erit conclusio quæ prius in tertio primæ, quemadmodum in principio de vtili coniugatione tertij dictum est: qui qualiter formandus sit ex conuersa minore in oppositam qualitatem, vnicuique patet per se ipsum.

Si autem quæ ad maiorem &c. Si autem illa propositio quæ ad maiorem extremitatem sumatur particularis in prima figura, ita quòd maior sit particularis, illa verò quæ est ad minorem sumatur vniuersalis siue vtraque propositiones ponantur affirmatiuæ siue vtraque sumantur negatiuæ, siue etiam sint non similis figuræ vel formæ siue qualitatis, sed vna sit affirmatiua, & altera negatiua, siue etiam ponantur vtraque indefinitæ, siue vtraque particulares, nullo modo erit syllogismus ad aliquam conclusionem: quia tales omnes coniugationes iam ostensæ sunt in prima figura simpliciter inutiles esse. In talibus enim omnibus coniugationibus nihil prohibet quandoque b. medium transcendere a. maiorem extremitatem, ita quod medium non contineatur sub maiori extremitate, ita quod medium & maior extremitas de æquis siue paribus siue eisdem non prædicentur, sicut conuenit fieri in prima figura, in qua quicquid prædicatur de maiori extremitate, prædicatur etiam de medio per illud principium, quod in prædicamentis ponitur, quando alterum de altero dicitur vt de subiecto, quæcunque de prædicato, etiam de subiecto dicuntur: & tunc quando medium transcendit maiorem extremitatem sumatur sub medio (& sit illud c.) minor extremitas: de hac enim prædicabitur medium, & negabitur maior extremitas: & tunc maior extremitas non potest concludi de minori extremitate: quia huic neque omni neque nulli, neque alicui, neque alicui non, siue non alicui contingit inesse

Quare maiori existente particulari in prima figura nihil sequitur.

inesse a. maiorem extremitatem: & sic nulla penitus sequitur conclusio.

Et huius causa est: quia, sicut dictum est, propositiones quæ sunt secundum contingere siue de modo contingentis, conuertuntur secundum oppositas qualitates: in talibus autem coniugationibus b. medium contingit pluribus inesse, quam a. quod est maior extremitas. Hoc autem patet in terminis, si sumatur medium aliquis terminus accidentalis, extremitates accipiantur duo inter se disparata, contenta tamen sub medio accidentaliter, sicut animal, album, tunica.

Amplius autem & ex terminis, &c. Amplius autem hoc non tantum ex ratione inducta, sed etiam ex terminis est manifestum in omnibus inductis coniugationibus. Sic enim, vt dictum est, se habentibus propositionibus contingit primum postremo siue maiorem extremitatem contingit minori inesse, & ex necessitate omni, & ex necessitate nulli. Termini autem communes ad omnes inductas coniugationes, in quibus sequitur omni ex necessitate inesse, sunt animal, album, homo: & patet formatio syllogismi vnicuique per seipsum, sic, quoddam album contingit esse animal: quendam hominem contingit esse album: & tamen ex terminis sequitur, quòd omnem hominem necesse est esse animal. Termini vero communes, in quibus sequitur nulli ex necessitate inesse, sunt animal, album, vestis: & patet formatio, quoddam album contingit esse animal: quandam vestem contingit esse album: sequitur ex terminis, quod necesse est nullam vestem esse animal.

Manifestum est igitur, quoniã hoc modo, &c. Sic igitur manifestum est, quòd hoc modo se habentibus terminis nullus ad aliquam conclusionem fit syllogismus: omnis enim syllogismus aut est conclusionis de inesse, aut est conclusionis de necessario, vel est conclusionis de contingenti. Manifestum est autem, quòd talis syllogismus non potest esse conclusionis de inesse, vel conclusionis de necessario: quia si fit affirmatiuus de inesse vel de necessario, ille interimitur priuatiuo, hoc est, per hoc quod negatiua opposita conclusio stat cum præmissis: & syllogismus priuatiuus concludens negatiuam interimitur & annihilatur affirmatiuo, siue ex hoc quod affirmatiua de inesse vel de necessario stat cum præmissis: & sic nec affirmatiua nec negatiua de inesse vel de necessario sequitur conclusio. Si ergo aliqua sequitur conclusio, relinquitur quòd sequatur conclusio de contingenti: sed hoc est impossibile: ostensum est enim iam in terminis, quòd sic se habentibus reminis primum necesse est & omni postremo ex necessitate inesse, & ex necessitate nulli inesse: & ex hoc sequitur, quòd non erit syllogismus concludens conclusionem de contingenti. Quia tale contingens de quo hic loquimur, est contingens non necessarium, quod opponitur & necessario & impossibili, sicut à principio istius tractatus contingens diffinitum est: & quia stat cum præmissis affirmatiua de necessario, non potest sequi negatiua de contingenti: & quia cum eisdem præmissis stat negatiua de necessario, non potest sequi affirmatiua de contingenti: & sic nulla penitus sequi potest conclusio taliter se habentibus terminis.

Corollarium. Manifestũ quoniam quum vniuersales, Epilogando ergo dicimus, quòd iam manifestum est, quoniam cum vniuersaliter sumpti sunt ambo termini in propositionibus de contingenti, semper fit syllogismus in prima figura, siue sint sumpti prædicatiuè ambo, siue priuatiuè: verum ex ambabus prædicatiuis perfectus fit syllogismus, ex ambabus autem priuatiuis fit imperfectus. Oportet autem in ista generatione syllogismorum sumere contingens non necessarium, sed secundum dictam in principio istius tractatus diffinitionem, pro eo scilicet quod nec necessarium est nec impossibile. Et quia multories latet in qua acceptione sumatur contingens, hoc aliquando facit difficultatem in his quæ dicta sunt.

CAPVT IV.

De solutione dubiorum quæ sunt circa istam generationem vniformem in contingenti.

Dubitatio. EST autem dubium in hac vniformi generatione syllogismorum de contingenti hic determinato, qualiter sumendi sunt termini in maiori propositione, & qualiter in minori: & hoc est quærere pro quo supponat b. quod est medium, & pro quo supponat a. quod est maior extremitas, & pro quo supponat c. quod est minor extremitas? omnis enim terminus aut est substantialis, aut accidentalis. Dico autem terminum substantialem, qui substantiam significat: accidentalem autem, qui significat accidens concretiuè siue denominatiuè. Cum enim maior propositio constet ex duobus terminis, subiecto scilicet quod est medium, & prædicato quod est maior extremitas in prima figura: aut isti termini ex quibus constat maior propositio, sunt ambo substantiales, aut ambo accidentales, aut vnus substantialis & alter accidentalis. Si sunt ambo substantiales, videtur esse non posse: quia propositio talis non est de contingenti, sed vel de necessario vel de impossibili. De necessario si medium accipiatur sub maiori sic, omnem hominem contingit esse animal: non enim contingit, sed necessarium est hominem esse animal. De impossibili si disparati sumantur termini, sicut contingit hominem esse asinum: hæc enim de impossibili est, & non de contingenti. Si autem debeat sumi in duobus accidentalibus: tunc sic accipitur, omne grammaticum contingit esse album: & videtur esse falsum: quia tunc sic syllogizabitur, omne grammaticum contingit esse album: sed omne nigrum contingit esse grammaticum: ergo omne nigrum contingit esse album: quod falsum esse videtur. Si autem est ex vno substantiali & altero accidentali: aut ergo subiectum est substantiale & prædicatum accidentale, aut è conuerso subiectum est accidentale & prædicatum substantiale. Si subiectum debeat esse substantiale & prædicatum accidentale: tunc talis erit,

omnem hominem contingit esse album: & hoc non videtur: quia si assumatur sic, omne nigrum contingit esse hominem: sequitur, quod omne nigrum contingit esse album: quod falsum esse videtur. Si autem secundo modo debeant accipi termini: tunc sic accipientur, contingit omne album esse animal: & tunc assumatur minor sic, omnem hominem contingit esse album: sequitur, quòd contingit omnem hominem esse animal: vel sic, omne album contingit esse hominem: omnem asinum contingit esse album: ergo omnem asinum contingit esse hominem: quod falsum est, cum vna istarum sit de necessario & altera de impossibili: contingens autem de quo hic loquimur, est quod nec necessarium est, nec impossibile.

Proposito-ne attendum.

Ad solutionem ergo huius quæstionis generaliter sciendum est, quòd in vniformi generatione syllogismorum de contingenti debet sumi subiectum, non quod est, sed quod contingit, sicut etiam in præhabitis dictum est: cum dicitur, omne b. contingit esse a. debet sumi non quod est b. sed quod contingit esse b. contingit esse a. Ex quo sequitur, quòd quandocunque in vniformi generatione de contingenti subiectum maioris propositionis est terminus accidentalis, & prædicatum est terminus substantialis: tunc propositio est falsa: quia tunc est sensus, omne quod contingit esse b. contingit esse a. hoc enim falsum est, si in terminis ponatur sic, omne album contingit esse animal, hoc est, omne quod contingit esse album, contingit esse animal: hæc enim falsa est: quia etsi ponatur, quod omne quod est album sit animal, tamen multa contingit esse alba, sicut lignum, & lapidem, & vestem, quorum nullum contingit esse animal. In ista ergo generatione non debet medium esse terminus accidentalis, cum maior extremitas sit terminus substantialis.

Regula notanda quam limitat Auctor in fine huius capitis ad propositionem vniuersa-lem, & nam de particulari non est vera regula.

Ad formam dubitationis.

Sciendum ergo, quòd maior propositio in hac generatione dupliciter accipi potest, scilicet aut ex vtroque termino accidentali, aut ex subiecto substantiali & prædicato accidentali. Ad id autem quod obiicitur contra hoc, quando vterque est terminus accidentalis. Dicendum, quòd cum dicit, omne grammaticum contingit esse album, hæc est vera: quia sensus est, omne quod contingit esse grammaticum, contingit esse album. Cum autem assumitur minor dicens, omne nigrum contingit esse grammaticum, hæc est distinguenda ex eo quod iste terminus, nigrum, potest stare primo pro qualitate, & secundo pro substantia, aut è conuerso. Si primo modo accipiatur, falsa est. Si autem secundo modo, tunc est vera. Et in eodem sensu in quo minor est vera, est etiam conclusio vera, hæc scilicet, omne nigrum contingit esse album: & in eo sensu in quo minor est falsa, est etiam conclusio falsa: quia conclusio distinguenda est sicut propositio. Ad id autem quod obiicitur contra hoc, quòd subiectum sit terminus substantialis, & prædicatum terminus accidentalis, eadem est responsio: quia cum dicitur, contingit omnem hominem esse album: & contingit omne nigrum esse hominem: ergo contingit omne nigrum esse album: distinguenda est conclusio, sicut prius.

Contra: ista est falsa, cõtingit omnẽ albedinẽ esse colorẽ, quia de necessitate albedo est color: & tamẽ vterque terminus est accidentalis. Respondetur, quòd termini non sunt accipiẽdi absolutè, per se, per terminos accidentales intelligimus terminos cõcretos, vt dicit Auctor in principio capituli. Sed contra: ista non est vera, cõtingit omne album esse coloratũ: quia imo est necesse omne album, &c. Respondetur, quod vltra hoc quod sint termini concreti accidẽtales, requiritur quod ea ti non sit essentialis inhærentia prædicati ad subiectum: qualiter non est in proposito.

Sed adhuc determinandum, vtrum sub eadem acceptione contingentis accipienda sit etiam minor vniuersalis affirmatiua, vel non. Hoc enim videtur: quia aliter in syllogismo æquiuocaretur contingens: & sic argumentatio deficeret, ita quod non valeret processus. Sed ad hoc dicendum, quòd minor (propter hoc quod non continet aliam sub se accipiendam in syllogismo ad quam referatur, sicut maior continet sub se minorem in prima figura) accipitur indifferenter in vtraque acceptione, siue sic, omne quod est c. contingit esse a. siue quod contingit esse c. contingit esse a. & in quocunque istorum sensuum est vera: & non æquiuocabitur propter hoc, sicut non æquiuocatur terminus in propositione positus, quæ duas causas habet veritatis. Sic igitur dicendum est de acceptione contingentis in vniformi generatione syllogismorum de contingenti.

Obiectio.

Sciendum etiam, quòd cum contingens tripliciter dicatur, scilicet necessarium, & non necessarium, & contingens alterum quod pro possibili ponitur, satis determinatum est de contingenti secundum omnes illas intentiones: quia contingens necessarium determinatum est, vbi de necessario est determinatum: de contingenti quod ponitur pro non necessario secundum generationem vniformem syllogismorum & mixta per tres figuras determinatur hic in isto tractatu. Contingens autem pro possibili (sicut in antehabitis dictum est) genus est ad vtrumque istorum, & non est nisi in speciebus suis: & ideo etiam de generatione syllogismorum de illo contingenti extra species suas non est determinandum.

Solutio. Limitatio illius regulæ, quãdo subiectum est terminus accidentalis & prædicatum substãtialis, tunc propositio est falsa.

Adhuc autem hic notandum est, circa id quod diximus, quòd quidam modi in hac syllogizatione de contingenti dicuntur imperfecti quamuis sint primæ figuræ, quæ perfectissima est, & per aliam perfici non potest: non enim sunt imperfecti quantum ad figuram, sed sunt imperfecti quantum ad modum primæ figuræ: quia minor est negatiua: quod in modis primæ figuræ esse non potest: & ideo conuersione indigent in oppositam qualitatem, vt habeant & modum & euidentiam necessitatis.

Ecce quod sint syllogismos esse perfectos quoad figuram. quamen sunt imperfecti quoad modum.

Adhuc autem sciendum, quòd in terminis instantiarum quos induximus in coniugationibus particularium syllogismorum, album posuimus pro medio, quod est maioris propositionis subiectum: cum tamen diximus, quòd terminus accidentalis in maiori propositione non possit esse subiectum, ita quod terminus substantialis sit prædicatum, nisi propositio maior sit falsa. Hoc enim verum est in propositione vniuersali affirmatiua, & non est verum in particulari affirmatiua: & ideo in particulari terminus accidentalis potest esse subiectum.

Si autem quæritur, quare potest minor de contingenti in prima figura esse negatiua, cum in his quæ sunt de inesse vel de necessario in prima figura negatiua esse non possit? Sed ad hoc leue est soluere: hoc enim ideo est: quia

quia conuertitur affirmatiua in negatiuam, & è conuerso, & vtraque quantum ad aliquid potentiæ est in altera: & ideo per vtramque in hac figura syllogizari potest. De numero autem & sufficientia coniugationum vtilium & inutilium in antehabitis in simili satis dictum est.

CAPVT V.

De mixtione contingentis & inesse in primæ figuræ modis vniuersalibus.

Si autẽ hæc quidẽ inesse, &c.

IN mixtione autem contingentis & inesse primo ponendæ sunt regulæ secundum quas fit ipsa mixtio. Dicamus igitur si secundum mixtionem contingentis & inesse vna quidem præmissarum sumatur de inesse, altera vero sumatur secundum contingere, hoc est, de modo contingentis: tunc in tali propositionum dispositione, quando illa propositio quæ est ad maiorem extremitatem (& est maior) significauerit per modum contingentis appositum, hoc est, significauerit in expressione vocis & orationis compositionem & inhærentiam secundum contingere, & quæ ad minorem est extremitatem, significat inesse non vt nunc sed simpliciter, perfecti erunt omnes syllogismi per dici de omni, & dici de nullo ex ipsis sumptis propositionibus concludentes conclusionem de contingenti, quod est contingens infinitum, secundum dictam in præhabitis determinationem contingentis.

Quando autem illa propositio quæ est minor (ideo quia est ad minorem extremitatem) est de contingenti supetius diffinito, & maior de inesse, erunt quidem syllogismi, sed omnes erunt imperfecti, & erunt negatiui concludentes negatiuas de contingenti conclusiones: sed hoc contingens non erit infinitum sicut prius, & sicut determinatum est contingens in antehabitis: sed hoc erit contingens in secundo ordine modalium, super quod cadit necessarium: erit enim conclusionis concludentis id quod est nulli vel non omni ex necessitate inesse. Cuius probatio est: quia si dixerimus, quòd aliquod prædicatum vt a. nulli aut non omni inest subiecto, sicut b. & hoc ex necessitate, ita vt dicamus, ex necessitate nullum vel non omne b. est a. tunc quia contingens est necessarium, oportet etiam concedere, quòd coctingat nullum vel non omne b. esse a. quia tale contingens sequitur ad necessarium: hoc autem contingens est commune quod est contingens pro possibili, & non nisi super non esse. Quamuis autem dixerimus, quòd illud contingens sequitur in negatiis modis, tamen sciendum est, quòd idem in affirmatiuis in quibus minor est de contingenti. Hoc autem patebit in consequentibus. Ista igitur sunt duæ regulæ, quibus fit mixtio contingentis & inesse ad inferendam conclusionem de contingenti.

Dubitatio.

* Est autem quæstio circa regulas inductas: quia in mixtione necessarij & inesse non fuit vtilis coniugatio ad inferendam conclusionem de necessario, nisi maiore existente de necessario. Quæritur ergo, quare in ista mixtione vtilis est ad inferendam conclusionem de contingenti, & maiore existente de contingenti, & minore de inesse: & è conuerso minore existente de contingenti, & maiore de inesse. Sed hoc ideo est: quia necessarium dicitur vno modo, & contingens dicitur multipliciter. Et ideo ad conclusionem de necessario (quod semper vno modo est) coniugatio vtilis est quando maior est de necessario: & hoc non potest inferri quando minor (quæ minoris virtutis est in inferendo) fuerit de necessario, & maior de inesse. Et similiter esset de contingenti si vno modo diceretur, & esset semper vno modo: propter quod minore existente de contingenti inferrur aliquod contingens, quamuis non vno modo sit acceptũ in cõclusione & in præmissa.

Solutio.

Dubitatio.

Sed tunc iterum quæritur, quare maiore existente de contingenti & minori de inesse sequitur conclusio de cõtingenti ad vtrumlibet: minori autẽ existente de cõtingenti non sequitur cõclusio de cõtingẽti ad vtrũlibet, sed de cõtingẽti pro possibili? Et dicẽdum ad hoc, quòd quando maior est de contingenti in mixtione contingentis & inesse, tunc maior est de cõtingenti secundum illam acceptionem cõtingentis quæ dicta est, scilicet omne quod est b. contingit esse a. & non de illa quæ est, omne quod contingit esse b. contingit esse a. sicut in antehabitis dictum est. Et ideo maior appropriat sibi minorem sub se acceptam, & tota virtus inferendi consistit in maiori propositione secundum dici de omni in contingentibus: propter quod necesse est conclusionem esse similem maiori in acceptione contingentis. Quando autem minor est de contingenti & maior de inesse: tunc minor non potest sibi appropriare maiorem, eo quod sic non fit debita dispositio secundum dici de omni vel dici de nullo: propter quod nec secundum virtutem maioris nec secundum virtutem minoris potest inferri conclusio. Quia enim non habet ordinem secundum dici de omni vel de nullo, ideo non potest inferri conclusio de inesse ad similitudinem maioris: & quia in prima figura maioris est tota virtus cõsequentiæ, ideo non potest fieri conclusio de contingenti ad vtrumlibet ad similitudinem minoris. Sequitur ergo in tali dispositione terminorum medium, quod nec de inesse est, nec de contingenti ad vtrumlibet: & hoc medium est contingens commune, quod contingens pro possibili ponitur.

Contingit enim a omni b. &c. Modi vniuersales vigentes in prima figura ex vna de contingenti & altera de inesse.

Sic autem præhabitis duabus mixtionum regulis ipsas coniugationes vniuersalium syllogismorum ponamus, & primo in syllogismis perfectis. Dicamus igitur, quòd in coniugationibus talibus prima est secundum modum affirmatiuum. Secunda secundum modum negatiuum per dici de nullo perfectum. Ponamus enim coniugationem secundum primum modum primæ figuræ sic, quòd contingat a. omni b. inesse, ita quod contingat omne b. esse a. b. autem in minori propositione ponatur inesse c. simpliciter: sequitur, quòd omne c. contingat esse a. & ideo est, quia secundum proprietatem primæ figuræ b. est sub a. & c.

sub

sub b.& ideo quod contingit omni b. nullo excepto, necesse est, quod contingat omni c. quia c. accipitur sub b. Propterea etiam propositio minor erit de inesse simpliciter,& non vt nunc,-& est perfectus syllogismus secundum dici de omni in contingentibus. Similiter autem est in secundo modo primæ figuræ cum prima tamen sit a. de maiori propositio.b. c. autem minor propositio est affirmatiua,& maior quidem est de contingenti, minor autem de inesse simpliciter: tunc enim perfectus per dici de nullo erit syllogismus, concludens, quoniam a. contingit nulli c. inesse,sic,nullum b. contingit esse a. omne c.b. ergo nullum c. contingit esse a. Manifestum est ergo ex dictis, quòd in vniuersalibus syllogismis quando ea quæ est de contingenti,ponitur ad maiorem,& ea quæ est de inesse,ponitur ad minorem,secundum hanc mixtionem perfecti sunt syllogismi per dici de omni vel dici de nullo in contingentibus.

Similiter autem & quum prima,&c.

Si autem quis obiiciat dicens, quòd instantia videtur inueniri in terminis contra coniugationes illas, sic,contingit omnem hominem esse album: omne nigrum est homo: non sequitur conclusio de contingenti ad vtrumlibet: sequitur enim, quòd contingit omne nigrum esse album: quod non est contingens, sed impossibile, vt videtur.

Prima obiectio.

Adhuc instatur sic,contingit omne mouens esse animal: omnis homo est mouens (& hoc ponatur) non sequitur: ergo contingit omnem hominem esse animal: quia hoc est necessarium: videtur ergo, quòd non semper sit verum, quod maiori existente de contingenti ad vtrumlibet & minori de inesse, sequatur conclusio de contingenti ad vtrumlibet.

Secunda.

Ad hoc autem multipliciter potest solui: potest enim dici, quòd minor debet esse de inesse simpliciter, & non de inesse vt nunc: eò quod minor extremitas debet substantialiter contineri sub medio. In dictis autem instantiis minor est de inesse vt nunc. Potest etiam minor distingui ex hoc, quod nigrum potest principaliter dicere quale, & secundario substantiam qualem: vel è conuerso: vel sic, omne quod est nigrũ,vel omne quod cõtingit esse nigrũ.Et primò quidem modo potest esse vera minor,scilicet pro eo quod est nigrum: secundo autem modo falsa. Et sic etiã conclusio distinguitur,& in sensu in quo est vera minor,est & conclusio vera:& in sensu in quo est falsa, est etiam conclusio falsa. Sed prima solutio est melior & magis concordans dictis Arist.

Ad primam.

Aliter.

Ad secundam instantiam dicendum, quòd maior & minor sunt incompossibiles: quia si minor sit vera, maior non potest esse veraiste enim est sensus maioris, omne quod est mouens, contingit esse animal: quod non potest esse verum cum hoc quod dicitur, omnis homo mouens: & sic deficit coniugatio propter terminorum inutilitatem, & propositionum incompossibilitatem. Patet igitur, quod dictæ instantiæ non impediunt perfectorum & vniuersalium syllogismorum in hac mixtione cõiugationem, quin vtiles sint ad inferendam conclusionem de cõtingente ad vtrumlibet,si maior sit de contingẽte & minor de de inesse.

Ad secundam.

CAPVT VI.

De his quæ antecedere debent coniugationes modorum imperfectorum.

Quando autem propositiones præmissæ contrario modo sunt se habentes,ita scilicet quod maior sit de inesse & minor de contingente, tunc quidem erunt syllogismi, sed non oportet per dici dè omni vel dici de nullo, sed per impossibile vtilitatem talium coniugationum demonstrate. Ex quo statim est manifestum,quoniam tales syllogismi sunt imperfecti: quia ex his quæ sunt in sumptis propositionibus,non possunt demonstrari: sed oportet alia ad demonstrandum assumere, sicut oppositum conclusionis & huiusmodi.

Quando autem contrariè se habentes erũt, &c.

Ad hoc autem quod demonstrari possint huiusmodi coniugationes, oportet nos præmittere & ostendere, quod si antecedens ad aliquid est necessarium, erit consequens ad illud necessarium: & cum antecedens est possibile,erit consequens ad illud possibile: sicut si dicam, quòd a. sit antecedens, & b. consequens: tunc enim si necesse est esse a. erit necesse esse b.& cum possibile est esse a, erit possibile esse b. per necessitatem consequentiæ. Hoc autem probatur per ad impossibile deductionem. Sic enim se habentibus terminis,scilicet vt antecedens & consequens sit id in quo est a. antecedens possibile: dico ergo, quòd b. consequens erit possibile: vel detur oppositum, quod scilicet b. non sit possibile,quando a. est possibile. Si ergo b. non est possibile, sequitur ab æquipollenti, quòd b. erit impossibile: cum tamen sit consequens ad a. Sed id quod est possibile, est hoc quod cum possibile sit fieri,aliquando fiet: impossibile vero,quod cum sit impossibile, non fiet vnquam: sequitur,quòd cum a. sit possibile,& b. impossibile, quòd a. aliquando sit præter b. si enim fieri contingit: tunc etiam esse contingit a. præter b. quod enim fit,quando iam factum est,tunc est in actu: oportet enim hic accipere possibile non ante actum tantum (secundum quod possibile dicimus, quod potest fieri quod possibile est in generatione siue in fieri dictum) Sed oportet etiam accipere in actu quando iam est,& quando iam verum est, quod est, & quando iam habet esse in actũ, & quocunque alio modo etiam in complexis sicut in propositionibus aliter dicitur possibile. In omnibus enim similiter se habebit: & similiter etiam est impossibile & ante fieri siue generationem, & in actu postquam est in actu. In omnibus enim sequitur id quod dictum est. Aut si consequens erit impossibile, quando antecedens est possibile, sequitur quòd antecedens sit sine consequente: & cum antecedens sit aliquid consequentis & sub ipso, sequitur quòd aliquid semper erit & non erit,& erit idem possibile & impossibile, quod stare non potest. Stabit igitur quod dictum est, quòd si antecedens est possibile, consequens est possibile.

Primum autem ostẽdendum, &c.

Quod si antecedens est possibile etiã consequens est possibile.

Amplius autem inter ea quæ mixtioni syllogis

Amplius

logismorum imperfectorum præmittẽda sunt, secundum est hoc quod cum dicimus cum est a. antecedens, quod sit ante b. consequens, non oportet opinari, quòd ibi dicamus a. tanquam vnum aliquid sit ex quo syllogisticè sequatur b.consequens: nihil enim sequitur syllogisticè ex vno & vnico aliquo existente, sed ex duabus ad minus propositionibus & tribus terminis: vnde a. ponitur non pro vno, sed pro duabus propositionibus antecedentibus, & b. ponitur pro conclusione:& tunc antecedens sunt duæ propositiones inferentes conclusionem; quando sic se habent in mixtione contingentis & inesse sicut dictum est secundum syllogismum contingentem conclusionem concludentem. In tali enim consequentia sic. vt consequens dicitur de d. sicut de antecedente.d. autem per eundem modum vt cõsequens dicitur de e.vt antecedẽte,sequitur per necessitatem syllogisticam, quòd etiam c. dicatur de e. in conclusione per id quod in prædicamentis dictum est,quando alterum de altero vt de subiecto dicitur, omnia quæ de prædicato dicuntur, dici de subiecto necesse est. Et si vtrumque in antecedente possibile est præmissorum, erit etiam possibilis conclusio. Quemadmodum accidit in necessariis, siquis ponat propositiones esse a.& b. ponat esse conclusionem. In talibus enim accidit siue sequitur, cum a. sit propositiones necessariæ, & b. conclusionem esse necessariam: sic etiam sequitur,quòd possibile in propositionibus sequitur possibile in conclusione.

Ex vno nihil sequitur syllogistice.

Hoc autem ostenso manifestum, &c.

Ex his autem sic præhabitis quasi corollarium sequitur tertium, scilicet quod manifestum est ex illis, hoc scilicet quoniam ex falso & non impossibili posito in præmissis,etiam id quod in conclusione accidit siue sequitur, erit falsum,& non impossibile, quando sequitur propter positionem præmissarum,ita quod sequatur ex præmissis,vt si a. propositiones sit falsum,& nõ impossibile (& cum sit a.sequitur esse b.)sequitur,quòd b. conclusio erit falsum & non impossibile: quoniam enim ianostensum est,quod cum est a.est b.& cum possibile est a.possibile erit b. positum autem est, quòd sit possibile,sequitur quod & b. erit possibile. Si enim detur oppositum quod scilicet b.sit impossibile cum a. positum sit esse possibile, sequitur quod simul idem erit possibile idem & impossibile, quod paulo ante improbarum est.

Quom. do ex falso possibili non potest sequi falsum impossibile.

Obiectio.

Hæc autem est sententia Aristot. de verbo in verbum,& nihil potest contrariari,licet quidam obiiciant de enthimematibus & habitudinibus localibus & de maximis,in quibus ex vno videtur aliquid sequi,& non ex duobus. Sed hoc facile soluitur,ita quod dicatur,quòd ex vno secundum vocis expressionem bene sequitur conclusio: sed oportet, quòd duæ propositiones sint tam in mente proponentis, quã in mente accipientis, quarum subticetur altera in enthimemate & in localibus argumentis. Non enim probatur vel accipitur extremum inesse extremo, nisi per medium. Medium autem per hoc quod refertur ad vtrumque extremum, duas facit dimensiones, quasi duo intervalla, quæ sunt duæ propositiones: & sic patet veritas eius quòd dictum est.

Solutio. Quomodo ex vno nihil potest sequi syllogistice, & hanc rationem assignat etiam Ioan grammaticus.

CAPVT VII.

De coniugationibus vniuersalium syllogismorum imperfectis, & de perfectione earum.

Determinatis autem his, &c.

His autem sicut dictum est,præmissis,coniugationes imperfectas vniuersalium syllogismorum ponamus,& ostendamus,qualiter sunt vtiles, & qualiter perfici habent: imperfectas autem dicimus, in quibus maior est de inesse affirmatiua vel negatiua, & minor de contingenti. Dicamus igitur primo vbi maior est de inesse affirmatiua & minor de contingẽti affirmatiua, quia illa sumitur iuxta primum modum primæ figuræ. Insit enim a. maior extremitas omni b. medio, b. autem medium cõtingat omni c. minori extremitati, necesse est igitur a. contingere omne. in conclusione,sic formato syllogismo,omne b.a.omne c.contingit esse b. ergo omne c. contingit esse a. Aut detur oppositum conclusionis,sic,non contingit omne c. esse a. Accipiatur ergo illa cum minori quæ fuit de contingenti, sed posita inesse sic, non contingit omne c. esse a. hoc est, de necessitate aliquod c. non est a. per minorem autem positam inesse dicitur & ponitur omne c. esse b. quod quidem falsum est, sed non est impossibile: quia contingens erat, sicut dictum est in primo syllogismo. Ex his autem duabus sic sumptis sequitur,quòd a. nõ contingit omni b. inesse: quod non potest stare cum maiori in qua dictum est,quòd omni b. inest a. Hic enim syllogismus deductionis scilicet ad impossibile fit per tertiam figuram: est enim quintus tertiæ per mixtionem necessarij & inesse, habens maiorem particularem de necessario, & minorem vniuersalem de inesse: patet igitur, quòd sequitur primæ coniugationis conclusio,quod scilicet omni c. contingat a. inesse:quia dato oppositio conclusionis sequetur oppositum maioris datæ:quod est falsum & impossibile, cum in minori quæ fuit de contingenti, non fuerit positum nisi falsum & possibile: & ex possibili non debet sequi impossibile, sicut nuper determinatum est.

Potest autem hoc idem ostendi per primam figuram si minor, quæ est de contingenti, ponatur de inesse, & syllogizetur per propositiones de inesse sic: ponatur enim minor de inesse, ita quod b. infit. c. sic, omne c. b. ergo omne c. a. & ex his accipiatur conclusio de contingenti: quia si omne b.est a. tunc a. contingit omni b. inesse: quia si non contingeret inesse: tunc sequeretur, quòd non inesset a. ipsi b. & fiat tunc talis syllogismus, omne b. contingit esse a. omne c. b. ergo omne c.contingit esse a. sed positum erat in oppositio conclusionis primi syllogismi, non contingit omni c. inesse a. patet igitur, quod vtilis est talis coniugatio.

Est autem & per primam figuram, &c.

Sed in hac mixtione contingentis & inesse oportet scire, quòd accipiendum est inesse

Oportet autem accipi simpli

pete omni ineſſe, &c.

ſimpliciter quod non determinetur ſecundum hoc tempus vt nunc ſiue in hoc tempore: ſed ſimpliciter inſit & ſemper ſecundum terminorum cohærentiam & habitudinem: quia per huiuſmodi propoſitiones quæ ſic ſunt de ineſſe ſimpliciter, facimus ſyllogiſmos in hac mixtione: quoniam ſi ſumatur maior in hac mixtione de ineſſe vt nunc, non erit ſyllogiſmus, ſed deficiet propter terminorum inutilitatem: hoc autem in terminis manifeſtum, qui ſunt homo, mouens, equus: nihil enim fortaſſe prohibet, ſi ita ponatur omni mouenti hominem ineſſe: ſicut ſi ponatur, quòd omne quod mouetur ſit homo, & nihil moueatur niſi homo. Mouens autem contingit omni equo, ita quod omnem equum contingit moueri. Et tamen non ſequitur, quod omnem equum contingat eſſe hominem: quinimo de neceſſitate nullus equus eſt homo.

Amplius ſi primũ qui dẽ animal, &c.

Amplius ex eadem diſpoſitione propoſitionum ſequitur, quòd concluſio ſit affirmatiua vniuerſalis de neceſſario ſi tales accipiantur termini, animal, mouens, homo, ita quod primus ſit animal ſiue maior extremitas: medium autem ſit mouens: & minor extremitas ſiue poſtremum ſit homo: ſic enim propoſitiones ſimiliter ſe habebut in modo & figura vt prius: & non ſequitur concluſio de contingenti, ſed de neceſſario: quia ex neceſſitate homo eſt animal, & non contingenter: & formatur ſic ſyllogiſmus: omne mouens animal: omnem hominem contingit eſſe mouentem. ergo omnem hominem contingit eſſe animal: ſic enim maior eſt accepta de ineſſe vt nunc, & non ſimpliciter: quia igitur ſic accepta maiori de ineſſe vt nunc, ſequitur vniuerſalis negatiua de neceſſario, non poteſt ſequi aliqua concluſio affirmatiua de contingenti: & quia ſequitur affirmatiua de neceſſario, non poteſt ſequi aliqua de contingenti negatiua.

Prima obiectio.

Circa hæc autem quæ dicta ſunt, occurrit dubitatio de coniugationibus imperfectis: videntur enim omnes eſſe ſophiſticæ, & per conſequens inutiles: quia cum maior propoſitio ſit de ineſſe ſimpliciter ſiue ſit affirmatiua ſiue negatiua, prædicatum conuenit his quæ actu ſtant ſub ſubiecto quod eſt medium. In minori autem propoſitione illud idem medium eſt prædicatum, & per modum contingentis ampliatur ad ſtandum pro pluribus quam ſtet in ea quæ fuit de ineſſe ſimpliciter. Ergo medium pro pluribus ſtat in minori quam in maiori. In omnibus igitur huiuſmodi coniugationibus incidit fallacia figuræ dictionis, vel fallacia conſequentis.

Secunda.

Adhuc autem ex præmiſſis habitum eſt, quòd alteri præmiſſarum debet aſſimilari concluſio: ſed hic non eſt hoc modo: quia minor eſt de contingenti ad vtrumlibet, concluſio autem eſt de contingenti pro poſſibili: & ſi concluſio nec aſſimilatur maiori, nec minori: & ſic videtur, quòd inutilis ſit coniugatio.

Ad primam.

Ad hæc autem non eſt difficile ſoluere ſi præmiſſa ad memoriam reuocentur: quando enim maior eſt de ineſſe ſimpliciter, medium quod eſt ſubiectum maioris ſtat pro omnibus quæ actu vel habitudine ſunt ſub ipſo, & de omnibus his poſſibiliter prædicatur prædicatum: de quibus enim poſſibiliter prædicatur homo, de omnibus iſtis poſſibiliter prædicatur animal, etiamſi actu non ſtent ſub homine: quia prædicatio prædicati de ſubiecto eſt propter cohærentiam terminorum, & ad ampliora medium in minori per modum contingentis ampliari non poteſt, quia æqualis eſt ſuppoſitio in vtroque: propter quod fallacia non incidit, nec ſecundum figuram dictionis, neque ſecundum conſequens.

Ad ſecundam.

Ad aliud dicendum, quòd concluſio eſt de contingenti ſicut altera præmiſſarum, vel eſt de ineſſe ſicut reliqua: nec oportet propter coniugationem, concluſionem vlterius alteri præmiſſarum aſſimilari. Qualiter autem ex talibus conſequatur concluſio de ineſſe & concluſio aſſimiletur illi quæ eſt de ineſſe, patebit inferius.

Obiectio alia.

Adhuc autem dubitatur de perfectione huiuſmodi ſyllogiſmorum imperfectorum: in præhabitis enim primus modus iſtius mixtionis qui eſt ex vtraque affirmatiua perfectus eſt deducendo ad impoſſibile circa quintum tertiæ mixtum de neceſſario & ineſſe. In præhabitis autem vbi determinatum eſt de mixtione neceſſarij & ineſſe, nulla coniugatio vtilis inuenta eſt de illa mixtione circa quintum tertiæ. Igitur deductio ad impoſſibile facta eſt per inutilem coniugationem: non enim aliqua vtilis coniugatio poſita eſt in mixtione neceſſarij & ineſſe circa quarum ſecundæ, vel circa quintum tertiæ. Videtur igitur, quòd probatio non valeat. Et ſimiliter probata eſt inutilitas coniugationis negatiuæ per deductionem ad impoſſibile, & factus eſt ſyllogiſmus iuxta tertium tertiæ maiori particulari exiſtente de neceſſario, & minore vniuerſali de ineſſe: quæ coniugatio reputata eſt inutilis in præhabitis.

Exuſio.

Si fortè aliquis dicat ad hæc, quòd tales coniugationes in præhabitis reputatæ ſunt inutiles: quia ſimpliciter inutiles: ſunt enim inutiles quotieſcunque illa de ineſſe eſt de ineſſe vt nunc: hic autem reputantur vtiles, quia hîc ſumitur illa de ineſſe pro ineſſe ſimpliciter: & ſic quoad hoc reputantur hic vtiles, propter terminorum in hac materia electionem. Contra hoc autem eſſe videtur, quòd in ſyllogiſmo mixto de neceſſario & ineſſe, minor quæ eſt de ineſſe, accepta eſt à minore primi ſyllogiſmi, quæ eſt de contingenti ad vtrumlibet poſito in eſſe: quando autem tale contingens ponitur ineſſe, non poteſt illa propoſitio eſſe niſi de ineſſe vt nunc: & ideo quamuis fortè in mixtione ſuperius determinata quando illa de ineſſe fuerit de ineſſe ſimpliciter, ſit vtilis talis coniugatio: tamen in propoſito non valet, quia hîc illa de ineſſe erit de ineſſe vt nunc.

Impugnatio exuſionis.

Alia exuſio.

Si fortè aliquis dicat, quòd contingens ad vtrumlibet duplex eſt, natum ſcilicet, & infinitum: & dicit, quod in talibus coniugationibus in quibus maior eſt de ineſſe ſimpliciter & minor de contingenti, minor eſt de contingenti nato: ideo quia maior de ineſſe ſimpliciter appropriat ſibi minorem: & cum maior ſit de ineſſe ſimpliciter, non poteſt minor eſſe

de

de contingenti infinito: relinquitur ergo, quòd fit de contingenti nato: contingens autem natum positum inesse dicit inesse simpliciter, per hoc quod causam habet in subiecto: & sic adhuc stabit, quòd in syllogismo ad impossibile illa quæ est de inesse, dicit inesse simpliciter, & non vt nunc. Sed contra hoc iterum videtur: quia secundum ea quæ in præcedentibus dicta sunt, nulla propositio potest sibi appropriare aliam nisi quæ vel maior in syllogismo perfecto primæ figuræ secundum dici de omni vel dici de nullo, vel potest esse maior in syllogismo perfecto per reductionem. Maior autem de inesse in istis coniugationibus, nec maior est in syllogismo perfecto, nec potest fieri maior per reductionem. Ergo non potest appropriare sibi minorem de contingenti, vt secundum eius exigentiam fiet pro contingenti nato. Stabit ergo indifferenter siue pro contingenti nato, siue pro infinito: & sic nulla est dicta solutio. Adhuc autem etiam in terminis manifestum est, quòd in tali coniugatione aliquando sequitur conclusio de contingenti nato & pro possibili, & aliquando sequitur conclusio de contingenti infinito: ponantur enim termini, coloratum, album, homo: & formetur syllogismus sic, omne album coloratum: omnem hominem contingit esse album: ergo omnem hominem contingit esse coloratum, quod est contingens non necessarium, & contingens natum. Si autem sic ponantur termini, motum, ambulans, homo: & formetur syllogismus sic, omne ambulans mouetur: omnem hominem contingit ambulare: ergo omnem hominem contingit moueri: patet, quòd conclusio est de contingenti infinito: & sic patet, quòd minor à maiore non appropriatur, vt fiet secundum exigentiam maioris: & hoc videtur esse concedendum.

Impugnatio eius.

Solutio obiectionis.

In syllogismo autem deducente ad impossibile, ex opposito conclusionis & minore posita inesse concluditur conclusio de inesse, quæ non potest stare cum maiore primi syllogismi. Quamuis ergo tales coniugationes inutiles sint ad conclusionem de necessario, sicut præhabitum est: sunt tamen vtiles ad conclusionem de inesse: & sic concluditur conclusio de inesse, quæ non stat cum maiore propositione de inesse. Et per hoc patet solutio ad omnia quæ inducta sunt.

Notandum quorundam & eorũ impugnatio.

Adhuc autem notandum est, quòd in secunda perfectione istarum coniugationum, quæ fit per primam figuram, vt superius dictum est, quidam dicunt, quòd maior quæ est de inesse ponenda in modum contingentis, vt sic ex duabus affirmatiuis de contingenti fit modus perfectus istius mixtionis. Et hoc non potest esse verum: quia in modo perfecto istius mixtionis quando ambæ præmissæ sunt de contingenti, oportet maiorem esse de contingenti ad vtrumlibet: & illa quæ est de inesse simpliciter, non potest modificari per contingens ad vtrumlibet: non ergo hæc coniugatio sic potest perfici vt dicunt. Adhuc autem in coniugatione in qua vtraque est de contingenti, concluditur contingens ad vtrumlibet, vt in antehabitis dictum est. In modorum autem istorum imperfectorum perfectione oportet concludere contingens pro possibili, vt iam ante dictum est. Et ideo modi isti perfici non possunt illo modo, quod maior quæ est de inesse, modificetur per modum contingentis. Hoc autem verum esse videtur.

Et ideo dicendum, quòd isti modi non dicuntur perfici nisi per positionem minoris (quæ de contingenti est) inesse, vt sic ex duabus de inesse conclusio de inesse sequatur, ex qua vlterius concludenda est illa de contingenti, sicut supra isti modi perfecti sunt.

CAPVT VIII.

De coniugationibus imperfectis vniuersalium negatiuorum syllogismorum.

SVnt adhuc coniugationes imperfectæ vniuersalium & negatiuorum syllogismorum. Sit enim propositio maior vniuersalis negatiua de inesse a. b. ita quod sumatur in maiori a. nulli b. inesse. Minor autem sumatur de contingenti vniuersalis affirmatiua, ita quod b. contingat omni c. inesse. His igitur terminis & propositionibus sic dispositis sequetur necessitate consequentiæ syllogisticæ, quòd a. contingat nulli c. inesse. Si enim non sequitur, detur oppositum, hoc scilicet, non contingit a. nulli c. inesse: tunc necesse est aliquod a. esse c. & ponatur minor, quæ est de contingenti inesse, sic, omne c. b. & syllogizetur in tertio tertiæ, vbi maior est particularis affirmatiua de necessario, & minor vniuersalis affirmatiua de inesse, sic, quoddam c. necesse est esse a. omne c. b. ergo quoddam b. necesse est esse a. quæ non stat cum maiore prius posita & concessa, quæ est, nullum b. est a. Cum ergo hoc sit impossibile, quia secundum hoc contradictoriæ essent simul veræ, patet quòd sequitur prior conclusio quæ est, nullum c. contingit esse a. quia posito falso possibili, quando minor ponebatur de inesse sequitur falsum & impossibile, quòd scilicet contradictoriæ sint veræ: hoc autem non contingit, sicut in antehabitis ostensum, vbi probatum est, quòd si antecedens est possibile, & consequens est possibile.

Rursum sit priuatiua propositio, &c.

Hic igitur syllogismus non est, &c.

Hic autem syllogismus non est concludens conclusionem de contingenti secundum superius dictam contingentis diffinitionem, sed est contingentis pro possibili, cui solum opponitur impossibile & nob necessarium: & hoc contingens commune est ad necessarium, & non necessarium. Hoc autem sic probatur: concludit enim syllogismus ita contingere a. nulli c. inesse sub hoc sensu, quòd nulli c. insit a. ex necessitate: sub hoc enim sensu accipitur contradictio conclusionis, hæc scilicet, non cõtingit nullum c. esse a. quæ conuertitur cum hac, necesse est aliquod c. esse a. ergo pro hypothesi siue propositione data & concessa in syllogismo ad impossibile, accipitur contingens non ad vtrumlibet, sed pro possibili: ergo etiam in conclusione priori cuius oppositum sumitur, contingens stat pro possibili: quia aliter non esset contradictio. syllogismus autem deducens

ad impoſſibile eſt oppoſitæ contradictionis, & ex o, poſito concluſionis, & minore poſita ineſſe ſyllogizat oppoſitum maioris in tertio modo tertiæ figuræ, ſicut dictum eſt.

Amplius autem & ex terminis, &c.

Amplius autem hoc ideni procatur ſi iſta coniugatio ponatur in terminis diuerſis ex quibus aliquando ſequitur neceſſarium & aliquando contingens ad vtrumlibet: ponantur termini ſic, quod a. quidem maior extremitas ſit coruus. b. autem medium ſit intelligens, & c. minor extremitas ſit homo. Sic ergo poſitis terminis conſtat, quòd nulli. b. ineſt a. quia nullum intelligens eſt coruus. b. autem contingit omni c. quia omni homini ineſt intelligere ſecundum actum contingentis: & ſequitur, quòd a. ex neceſſitate nulli ineſt c. prior ergo concluſio non fuit de contingenti ad vtrumlibet, ſed de contingenti pro poſſibili, cui non opponitur neceſſarium, ſed potius negatiua de contingenti ponit affirmatiuam de neceſſario.

Nota modū probandi, quòd ſequitur concluſio de cōtingenti pro poſſibili quando maior eſt de meſſe & minor de cōtingenti in prima figura.

Sed neque neceſſaria ſemper, &c.

Adhuc autem non ſemper ſequitur concluſio de neceſſario: ponantur enim termini ſic, quòd a. maior extremitas ſit mouens. b. autem medium ſit ſcientia. c. verò minor extremitas ſit homo. Sic ergo ſumptis terminis a. quidem nulli b. inerit, quia nulla ſcientia eſt mouens. b. autem omni c. contingit, quia omnem hominem contingit eſſe ſcientem: & ſequitur concluſio non de neceſſario, ſed de contingente ad vtrumlibet, hæc ſcilicet, quòd contingit nullum hominem moueri. Moueri enim nullum hominem non eſt neceſſarium.

Manifeſtum eſt ergo, quòd hæc concluſio non eſt de eo quod eſt nulli ex neceſſitate ineſſe: quia non eſt neceſſe nullum hominem moueri. Patet igitur, quòd aliquando ſequitur concluſio de contingenti pro neceſſario, aliquando autem de contingenti pro non neceſſario: iſtis autem nihil eſt commune, niſi contingens pro poſſibili: ſemper ergo ſequitur concluſio de contingenti pro poſſibili.

Si autem termini vltimi alicui non videntur ſatis conuenientes, eò quod oportet maiorem non eſſe de ineſſe vt nunc, & oportet medium variari per concretum & abſtractum, ſumantur melius termini in quibus maior ſit de ineſſe ſimpliciter, & in quibus medium non oportet variari, ſic, nullum ſedens eſt ambulans: contingit omnem hominem ſedere: ergo contingit nullum hominem eſſe ambulantem.

Si autē priuatiuū quidem, &c.

Sunt etiam coniugationes imperfectorum ſyllogiſmorum, in quibus minor eſt negatiua, & ſunt duæ, quarum prima eſt, quòd priuatiuum vniuerſale ponatur ad minorem extremitatem, & ſignificet contingens, ita quod ſit de modo contingentis, & maior ſit vniuerſalis de ineſſe ſimpliciter, quamuis in tali coniugatione ex ipſis ſic ſumptis propoſitionibus nullus erit ſyllogiſmus, eò quod minor in prima figura non poteſt eſſe negatiua: tamen minore quæ eſt de contingenti in oppoſitam conuerſa qualitatem, erit ſyllogiſmus in primo primæ, ſicut & in prioribus coniugationibus de quibus iam ante habitum eſt. Inſit enim a. omni b. in maiori propoſitione, b. autem contingat nulli c. in minori. Sic ergo ſe habentibus terminis & propoſitionibus nihil ſequitur ſyllogiſtica neceſſitate. Si autem ad oppoſitam qualitatem conuertatur minor quæ eſt de contingenti b. c. propoſitio, ſcilicet ita quod ſumatur b. contingere omni c. fiet ſyllogiſmus in primo modo primæ figuræ, ſicut in priore coniugatione: ita tamen, quòd ſimiliter ſe habeant termini, quod ſcilicet maior ſit de ineſſe affirmatiua, & minor affirmatiua de contingenti, & non tranſponantur, nec aliter conuertantur, ſed ſtent vt prius.

Eodem autem modo & quū, &c. *Ex quo patet, quòd ex ambabus præmiſſis negatiuis quādoque ſequitur cōcluſio.*

Secunda autem coniugatio quando ambo interualla ſiue propoſitiones ſunt priuatiuæ, ſicut ſi a. dicatur vniuerſaliter non ineſſe b. b. autem dicatur vniuerſaliter contingere non ineſſe c. ſic enim per ea quæ ſumpta ſunt in terminis & propoſitionibus nullo modo fit ſyllogiſmus propter cauſam ſuperius aſſignatam: conuerſa autem minore propoſitione quæ eſt de contingenti ad oppoſitam qualitatem, erit ſyllogiſmus in ſecundo modo primæ figuræ. Si enim ſumatur in prima propoſitione a. nulli b. ineſſe, & in minori ſumatur b. contingere nulli c. per hæc quidem ſic ſumpta nihil ſequitur neceſſitate ſyllogiſtica. Si autem conuertatur minor ad oppoſitam qualitatem, ita quod ſumatur b. omni c. contingere: quod quidem verum eſt, eò quod in terminis contingentibus minor ſumenda eſt, & propoſitio maior quæ eſt a. b. ſimiliter ſe habeat in ordine & ſitu ſicut prius: tunc ſicut in priori coniugatione erit ſyllogiſmus in ſecundo modo primæ figuræ.

Si autem non ineſſe ponatur, &c.

Sunt etiam inutiles coniugationes iuxta coniugationes vniuerſales imperfectas, & ſunt duæ: ſi enim minor propoſitio ſit de ineſſe, & vniuerſalis negatiua, ita quod b. dicatur nulli c. ineſſe, & non accipiatur de contingenti, ita quod non dicatur b. nulli c. contingere ineſſe, nullo modo fit ſyllogiſmus habens ſyllogiſticam conſequentiam & neceſſitatem, ſiue maior propoſitio quæ eſt a. b. ſit vniuerſalis priuatiua, ſiue vniuerſalis affirmatiua: termini autem communes ad inſtantiam, quòd non inferatur ſemper concluſio de contingenti ſiue maior ſit affirmatiua, ſiue negatiua, ſunt communes. Quod enim concluſio ſequatur de neceſſe ineſſe, termini ſunt album, animal, nix, ſic, omne vel nullum animal album (& hoc ponatur) nulla nix animal: & tamen omnis nix alba de neceſſitate. Termini autem ad non contingere ineſſe ſiue ex neceſſitate non ineſſe, ſunt album, animal, pix, ſic, omne vel nullum animal album: nulla pix animal: ergo nulla pix alba, quod eſt neceſſarium & non contingit.

Quomodo minoris exiſtente de cōtingēti quādo ambæ præmiſſæ ſūt vniuerſales, ſemper ſit bonus ſyllogiſmus in hac mixtione de contingenti & ineſſe.

Manifeſtum eſt igitur ex his quæ dicta ſunt, quòd cum vniuerſales ſunt ambo termini in præmiſſis, & vna quidem propoſitionum ſumitur de ineſſe, & altera de contingenti, quando quidem illa propoſitio quæ ponitur ad minorem extremitatem, & cum minor ſumitur de contingenti, ſemper ſit ſyllogiſmus. Sed aliquando quidem ex ipſis ſumptis propoſitionibus ſit ſyllogiſmus: aliquando autem conuerſa minore propoſitione, vt dictum eſt, ad oppoſitam qualitatem.

CAPVT

CAPVT IX.

An concluſio de ineſſe ſequi poſſit ex coniugationibus ſyllogiſmorum imperfectorum.

Queſtio vtrum ex maiori de ineſſe & minori de contingēti poſſit ſequi cōcluſio de ineſſe.

QVærendum autem vtrum concluſio de ineſſe ſequi poſſit ex coniugationibus ſyllogiſmorum imperfectorum. Hoc enim videtur per eundem modum probandi qui dictus eſt: ſic, omne b. eſt a. contingit omne c. eſſe b. concludatur, ergo omne c. eſt a. Si non ſequitur, detur oppoſitum, aliquod c. non eſt a. & accipiatur minor poſita ineſſe ſic, omne c. eſt b. ſequitur ex oppoſito concluſionis dato & minore poſita ineſſe in quinto modo tertiæ figuræ, quod aliquod b. non eſt a. quæ eſt oppoſita maioris, iſtius ſcilicet, omne b. eſt a.

Ratio, quòd ſic.

Nota, quod infra in 3. in prima dubitatione ſūguntur duo argumenta quæ poſſunt applicari ad probandum, quod ex maiori de ineſſe & minori de contingēti ſequatur cō cluſio de ineſſe: licet ibi adducātur ad aliud propoſitum. In oppoſitum.

Similiter autem videtur eſſe in modo negatiuo ſic, nullum b. eſt a. contingit omne c. eſſe b. concludatur, ergo nullum c. eſt a. Si non ſequitur, detur oppoſitum, aliquod c. eſt a. & ponatur minor ineſſe ſic, aliquod c. eſt a. omne c. eſt b. ſequitur in tertio tertiæ, quod aliquod b. eſt a. & datum fuit, quòd nullum b. eſt a. & ſic videtur, quòd iſtæ coniugationes poſſunt in concluſiones de ineſſe.

Quod ſi concedatur, videtur contrarium in terminis: ponatur enim, quòd nullus homo mouceatur, & ſyllogizetur ſic in modo affirmatiuo: omne ambulans eſt mouens: contingit omnem hominem ambulare: ſequitur per concluſionem de ineſſe: ergo omnis homo mouetur. Patet, quòd ambæ præmiſſæ ſunt veræ, & tamen concluſio eſt falſa.

Similiter autem eſt de modo negatiuo, ſic, nullum album eſt nigrum: contingit omnem hominem eſſe album: ſequitur per concluſionem de ineſſe, quòd nullus homo eſt niger: quod non eſt verum, ſi ponatur, omnis homo eſt niger: & ſic iterum concluſio erit falſa, & ambæ præmiſſæ ſunt veræ. Videtur igitur, quòd ex iſtis coniugationibus non poteſt ſequi concluſio de ineſſe, & hoc eſt concedendum.

Solutio quæſtionis & reſponſio ad rationem ante oppoſitum.

Dicendum autem ad inſtantias quæ inducuntur, quòd cum datur oppoſitum concluſionis quæ eſt de ineſſe, erit illius concluſionis oppoſitum de ineſſe, & illud ſtat cum vtraque præmiſſarum: quia cum b. ſit ſub a. ſicut medium eſt ſub maiori extremitate in prima figura, quamuis omne b. ſit a. poſſibile tamen eſt, quod b. medium contingenter inſit omni c. minori ſcilicet extremitati: & ſic hæc erit vera, omne c. contingit eſſe b. & ſic oppoſitum concluſionis verificatur cum illa de contingenti quæ eſt minor: poſſibile eſt enim, quòd aliquod c. non ſit a. & tamen omne c. contingat eſſe b. Sed non eſt poſſibile, quòd verificetur oppoſitum concluſionis cum minore poſita ineſſe: accipiatur enim oppoſitum concluſionis, quod eſt, aliquod c. non eſt a. cum minore poſita ineſſe, ſcilicet, omne c. eſt b. ſic non verificatur cum ipſa oppoſitum concluſionis: quia cum omne b. ſit a. & omne c. b. ſequitur, quòd omne c. a. cuius oppoſita minori poſitæ ineſſe repugnat: quia per primam relinquitur cum c. ſit ſub b, quod aliquod c. ſit a. vel quod omne c. ſit a. cum quo non poteſt ſtare oppoſitum concluſionis: & tamen ſtat cum ipſa minore quæ eſt de contingenti: quia iſtæ ſimul poſſunt eſſe veræ, aliquod c. non eſt a. & omne c. contingit eſſe b. quamuis b. ſit ſub a. & c. ſit ſub b. & ideò minor non debet poni ineſſe: quia ſtatim vt ponitur ineſſe, erit incompoſſibilis oppoſito concluſionis: & ex iſta incompoſſibilitate ſequitur prædictum inconueniens.

Eodem modo dicendum eſt in modo negatiuo: quia non debet admitti, quòd minor de contingenti ponatur ineſſe: quia oppoſitum concluſionis compoſſibile eſt illi quæ eſt de contingente, & non eſt compoſſibile illi quæ eſt de ineſſe, quæ ſumitur ab illa quæ eſt de contingente. Ex maiore enim habetur, quòd nullum c. ſit a. propter hoc quod c. eſt ſub b. & in maiori ponitur nullum b. eſſe a. cum hoc autem non ſtat, quod aliquod c. ſit a. quia iſta ſunt contradictoria: tamen ſimul ſtare poſſunt iſtæ, aliquod c. eſt a. & quòd omne c. contingat eſſe b. & ita ſi minor ponatur ineſſe, erit incompoſſibilis oppoſito concluſionis, & ex illa incompoſſibilitate cauſatur inconueniens quod inductum eſt.

Obiectio prima.

Si forte aliquis contra hoc obiiciens dicat, quòd falſo & non impoſſibili poſito, quod accidit eſt falſum & non impoſſibile: cum autem minor quæ eſt, de contingenti ponitur ineſſe, non erit impoſſibile: & ideò ex illo non poteſt ſequi impoſſibile: ſequitur autem falſum: patet igitur, quòd inducta ſolutio non videtur eſſe ſufficiens.

Secunda obiectio & apparens.

Adhuc autem ſi inducta ſolutio eſt ſufficiens, tunc videtur, quòd non valet probatio, qua probatur, quòd in his modis ſequitur contingens pro poſſibili: oppoſitum enim concluſionis incompoſſibile eſt minori poſitæ ineſſe. Verbi gratia ſi in modo affirmatiuo ponatur omne b. eſſe a. erunt incompoſſibilia hæc duo, aliquod c. de neceſſitate non eſt a. & omne c. eſt b. quia b. eſt ſub a. & c. ſub b. quorum primum eſt oppoſitum concluſionis de contingenti, & ſecundum eſt minor poſita ineſſe.

Similiter etiam eſt in modo negatiuo. Si enim nullum b. eſt a. ſicut dicitur in maiori negatiua, iſta duo ſunt incompoſſibilia, neceſſe eſt aliquod c. eſſe a. & omne c. eſt b. quia b. eſt ſub a. & c. ſub b. primum autem eſt oppoſitum concluſionis de contingenti, & ſecundum eſt minor poſita ineſſe: propter quod ſi inducta ſolutio eſt bona, non videntur valere huiuſmodi probationes, quæ tamen ſunt probationes Ariſtot. in libro priorum in loco vbi de talibus determinat coniugationibus.

Ad primum bona ſolutio.

Videtur autem ad hæc dicendum, quòd probatio bona eſt, quia probatur, quòd in his modis ſequitur contingens pro poſſibili in concluſione. Ad id ergo quod obiicitur, quod falſo & non impoſſibili poſito, quod accidit eſt falſum, & non impoſſibile. Dicendum, quòd ſi aliquod abſolutè poſſibile ponatur, non ſequitur ex hoc aliquod impoſſibile: ſed multa ſunt quæ abſolutè ſumpta ſunt poſſibilia, quæ

tamen aliis iuncta & comparata, sunt incompossibilia, vt me sedere est possibile, & possibile est me stare: hæc tamen simul iuncta sunt incompossibilia: & sic est in proposito, sicut ostensum est.

Ad fecit tam scitato notanda.

Ad secundum autem dicendum, quòd aliter est de opposito conclusionis de contingenti, & aliter de opposito conclusionis de inesse. Ostensum est enim, quia oppositum conclusionis de inesse, compossibile quidem est minori quæ est de contingenti, sed est incompossibile minori positæ inesse. Oppositum autem conclusionis de contingenti est incompossibile vtrique, & minori scilicet quæ est de contingenti, & minori positæ inesse. Si enim omne b. est a, sicut proponitur in maiori in modo affirmatiuo, sic, est b. sub a. sumptum, & c. sub b. & ideo tunc hæc impossibilia sunt, de necessitate aliquod c. non est a. & omne c. contingit esse a. quia si aliquòd c. de necessitate non est a. tunc sequitur, quod aliquod est c. quod impossibile est esse b. & ita non contingit omne c. esse b. & ita non contingit c. esse b. si necesse est aliquod c. non esse a.

Similiter autem est de modo negatiuo: quia si detur, quòd nullum b. est a. sicut propositum est in secundo modo primæ figuræ, tunc incompossibilia sunt hæc duo, de necessitate aliquod c. est a. & contingit omne c. esse b. quia si necesse est aliquod c. esse a. cum suppositum sit nullum b. esse a. aliquod est c. quod non poterit esse b. hoc autem ex hoc patet: quia maior negatiua est de inesse simpliciter & non vt nunc: & ideo hæc duo necessario opponuntur adinuicem, & ideo simul stare non possunt, quòd omne c. contingit esse b. & quòd necesse sit aliquod c. esse a. propter quod manifestum est, quòd oppositum conclusionis de contingenti est incompossibile minori.

Et ideo quamuis minor ponatur inesse, & adhuc sint incompossibilia, non tamen causatur incompossibilitas illa per positionem minoris inesse: & ideo bene potest esse probatio ad conclusionem de contingenti pro possibili, quando accepto opposito conclusionis de contingenti, minor ponitur inesse: quia ex hoc non causatur aliquod inconueniens, quod prius non fuit. Accepto autem opposito conclusionis de inesse, non debet poni minor inesse: quia per positionem illam causatur inconueniens quòd non erat prius. Nec tamen sequitur inmpossibile ex minore posita inesse simpliciter & absolutè, sed potius ex relatione eius siue comparatione eius ad oppositum conclusionis, quod est eidem incompossibile. Ex his autem manifestum est: quòd in prædictis coniugationibus sequitur conclusio de contingenti secundum inductas probationes: & per easdem probationes non potest haberi, quod sequitur conclusio de inesse.

CAPVT X.

Quid sit inesse simpliciter.

EST autem adhuc determinandum quid sit inesse simpliciter, propter hoc quod in prælabitis mixtionibus dictum est, quòd oportet maiorem esse de inesse simpliciter. Cum enim quædam per se insint, & quædam per accidens: illa autem quæ insunt per accidens, videntur inesse vt nunc, per se autem inhærentia videntur inesse simpliciter. Si autem sic sit: tunc aut solùm illa dicuntur inesse simpliciter quæ insunt secundum primum modum dicendi per se, aut illa quæ dicuntur inhærentia in secundo modo dicendi per se, aut vtroque modo. Si dicuntur inesse simpliciter, quæ sunt in primo modo dicendi per se: tunc hæc non est de inesse simpliciter, homo est grammaticus: quia prædicatum non cadit in diffinitione subiecti: hoc tamen falsum est, quia ista est de inesse simpliciter, homo est grammaticus. Si autem dicuntur inesse simpliciter, quæ sunt inhærentia in secundo modo dicendi per se: tunc hæc propositio non est de inesse simpliciter, homo est animal: quia subiectum non cadit in diffinitione prædicati: hoc autem iterum falsum est. Si autem de inesse simpliciter sunt in vtroque modo dicendi per se: tunc hæc non erit de inesse simpliciter, grammaticum est animal: quia nec prædicatum cadit in diffinitione subiecti, nec è conuerso subiectum in diffinitione prædicati: & hoc iterum est falsum.

Dubitatio, quæ sunt propositiones de inesse simpliciter.

Ad hæc autem & similia dicendum, quòd illa insunt simpliciter, quæ sunt in vno trium modorum, scilicet aut in primo modo dicendi per se, aut in secundo, aut vt proxima reducta ad alterum istorum modorum, sicut est contingens natum in quo prædicatum causam habet in subiecto. Et ideo est iuxta secundum modum dicendi per se: & ideo quando propositio de contingenti nato ponitur inesse, ipsa est de inesse simpliciter & non vt nunc. Ad hoc autem quod obiicitur de hac, animal est grammaticum, vel grammaticum est animal. Dicendum quòd illa est de inesse simpliciter: quia animal quamuis non secundum se cadat in diffinitione grammatici, tamen cadit in suo proximo inferiori (in quo est actu & intellectu) in diffinitione grammatici, hoc est, in homine in quo actu & intellectu est animal.

Solutio dubij & declaratio quid sit propositio de inesse simpliciter.

Contingens natum est prædicatum iuxta secundum modum dicendi per se.

Animal cadit in diffinitione grammatici per hominem, id est quia homo cadit in eius diffinitione, in quo homine actu & intellectu includitur animal.

Sciendum tamen est, quòd aliter sumenda est illa de inesse simpliciter in mixtione necessarij & inesse ad conclusionem de necessario, & aliter accipitur in mixtione contingentis & inesse respectu conclusionis de contingenti. In mixtione enim necessarij & inesse oportet illam de inesse esse de necessario secundum rem, quamuis sit de inesse, eò quod non est modificata: & ideò non potest illa de inesse accipi ab illa quæ est de contingenti nato, sed oportet sumi ab illa quæ est de necessario, sicut in exemplo, omne grammaticum de necessitate est sciens: omnis homo est grammaticus: ergo omnis homo de necessitate est sciens. Patet, quòd non valet: quia illa de inesse transumitur ab illa quæ est de contingenti nato.

Nota quomodo propositio de inesse simpliciter, non sumitur eodem modo in omni

Attendendum etiam est, quòd in his modis qui sunt coniugationum imperfectarum tam in modo affirmatiuo, qui sumitur iuxta primum modum primæ figuræ, quam in modo negatiuo, qui sumitur iuxta secundum modum

primæ figuræ, debet maior esse de inesse simpliciter & non vt nunc: hoc enim constat in affirmatiuo per ea quæ dicta sunt: & per eandem rationem qua probatur de affirmatiuo, manifestum est, quòd similiter debet esse in modo negatiuo.

CAPVT XI.

Qualiter isti modi imperfecti inferunt conclusionem de contingenti pro possibili.

ADhuc autem ad intellectum eorum quæ ante dicta sunt, oportet scire, quòd in his coniugationibus syllogismorum, sicut in modo negatiuo est conclusio de contingenti pro possibili: ita per eundem modum conclusio quæ est de contingenti in modo affirmatiuo, est de contingenti pro possibili. Et hoc probatur ex dispositione terminorum sicut in modo negatiuo: ex aliqua enim dispositione terminorum sequitur conclusio de necessario, & ex aliqua sequitur conclusio de contingenti ad vtrumlibet: & cum nihil sit commune illis duobus, oportet quòd contingens quod semper sequitur in tali modo, sit contingens pro possibili, quod solum commune est ad illa duo: hoc enim in modo affirmatiuo inuenitur sicut in negatiuo. Accipiantur enim termini, in quibus postremum de necessitate insit omni medio, sic, omne album coloratum: contingit omnem hominem esse album: patet, quòd de necessitate est omnis homo coloratum: vnde si inferatur, ergo contingit omnem hominem esse coloratum, erit contingens pro necessario, & quod sequitur ad necessarium. Si autem termini accipiantur, in quibus primum de necessitate inest omni medio, sic, omne ambulans mouetur: contingit omnem hominem ambulare: ergo contingit omnem hominem mouere: patet, quòd conclusio est ad vtrumlibet: & hoc est concedendum.

Quod maiori existente de inesse, & minori de contingenti sequatur conclusio de contingenti pro possibili in modo affirmatiuo sicut probatum est sequi in negatiuo.

In modis negatiuis minus apparet, quod ex maiori de inesse & minori de contingenti sequitur conclusio de contingenti pro possibili, quæ in affirmatiuis.

Tamen sciendum, quòd hoc plus apparet in modis affirmatiuis quam in modis negatiuis. In modis enim affirmatiuis medium & maior extremitas adinuicem se habent vt inferius & superius. Patet autem per se: quia regulariter verum est, quod inferius & superius vni alicui possunt inesse necessario, & alicui ambo contingenter: si enim album insit, necessariò inest coloratum: aliquando autem ambo possunt inesse contingenter, sicut ambulans & mouens insunt homini. Et sic per se patet, quòd in modis affirmatiuis aliquando sequitur contingens necessarium, & aliquando contingens non necessarium: & sic semper sequitur contingens pro possibili. In modis autem negatiuis medium & maior extremitas se habent adinuicem sicut opposita vel disparata: & in illis regulariter verum est, quòd si vnum oppositorum contingenter inest, reliquum contingenter remouetur ab eodem: & ideo vbi maior est de tali contingenti, videtur semper sequi conclusio de contingenti ad vtrumliber. Et quia non est ita manifestum, quòd sequatur conclusio de contingenti pro possibili in modis negatiuis sicut in modis affirmatiuis, ideo de modo negatiuo oportuit hoc probari, & in modo affirmatiuo tanquam per se manifestum relinqui sine probatione: & ideo in præmissis non est hoc probatum de modo affirmatiuo.

Remouet dubium.

Adhuc tamen dubium est de istis modis coniugationum imperfectorum syllogismorum: quia videtur, quòd coniugationes inutiles sunt ad inferendam conclusionem de contingenti pro possibili: omnis enim coniugatio inutilis est, quæ non ex dispositione syllogistica formali & ex consequentia syllogistica, sed ex materia talium vel talium terminorum concludit. Cuius probatio: quia terminorum dispositio in figura & modus in combinatione propositionum eodem modo se habent, quando sequitur conclusio de necessario, & quando sequitur conclusio de non necessario, & quando sequitur contingens pro possibili, & sunt eadem, & sic quoad hoc conclusio deberet esse eadem. Quando ergo non eadem, sed quandoque sic, quandoque aliter, hoc est per naturam & habitudinem materialem terminorum adinuicem: talis autem argumentatio in forma non valet. Videtur ergo, quòd tales coniugationes inutiles sint.

Vtrum ex maiori de inesse & minori de contingenti sequatur conclusio de contingenti pro possibili. Quod non. Prima ratio.

Adhuc hactenus reputata est inutilis coniugatio quæ habet instantiam in terminis: quia quando sequitur conclusio de necessario, non potest sequi aliqua conclusio de contingenti ad vtrumlibet: & quando sequitur conclusio de contingenti ad vtrumlibet, non potest sequi aliqua de necessario: & sic nulla sequitur. Termini autem ad conclusionem de necessario, sicut diximus, sunt coloratum, album, homo. Termini autem ad conclusionem de contingenti ad vtrumlibet, sunt mouens, ambulans, homo: & formantur syllogismi, sicut supra formati sunt.

Secunda ratio.

Adhuc nihil est in genere quod non sit in aliqua specierum: ergo nihil est contingens commune ad necessarium & ad non necessarium, nisi sit aut in contingenti necessario, aut in contingenti non necessario: & sic nulla est conclusio de contingenti pro possibili in communi ad vtrumque istorum, quæ distincta sit à conclusionibus specialibus, quæ sunt de contingenti pro necessario, & de contingenti pro non necessario.

Tertia ratio.

Si autem hoc concedatur, videtur obiici in contrarium: quia in omnibus & vbique infertur genus ex speciebus: constat autem ex præhabitis, quòd in talibus coniugationibus sequitur conclusio de contingenti pro necessario, & quod sequitur conclusio de contingenti pro non necessario, quæ sunt species contingentis pro possibili: ergo oportet, quòd sequatur conclusio de contingenti pro possibili.

In oppositum. Primo sic.

Adhuc autem sicut contingere inesse commune est ad necessario inesse, & ad possibile inesse & non inesse: similiter inesse commune est ad inesse simpliciter, & ad inesse vt nunc. Sed duabus propositionibus sic sumptis, quòd vna sit de inesse simpliciter, & altera de inesse vt nunc, coniugationem dicimus vtilem ad conclusionem de inesse in communi, quamuis

Secunda ratio.

in aliquibus terminis sequatur conclusio de inesse tm̃ liciter, & in aliquibus conclusio de inesse vt nunc. Ergo similiter erit coniugatio vtilis ad contingens in communi pro possibili, quamuis in aliquibus terminis sequatur in dictis coniugationibus contingens pro necessario, & aliquibus contingens pro non necessario.

Responsio ad dubium.

Et hoc videtur esse concedendum: quamuis enim dictæ coniugationes inutiles sint ad cõtingens pro necessario tantum, & ad contingens pro non necessario tantum: tamen vtiles sunt ad contingens sumptum in communi pro possibili: sicut quando duæ propositiones sumuntur de inesse, quarum vna est de inesse simpliciter, & altera de inesse vt nunc: quamuis talis coniugatio inutilis sit quantum ad conclusionem de inesse simpliciter, & similiter quantum ad conclusionem de inesse vt nunc: est tamen vtilis ad conclusionem de inesse in communi sumpto.

Ad primam rationẽ auctoris oppositum.

Ad obiecta autem in contrarium, dicendum quod re vera contingens in communi sequitur ex forma illarum coniugationum: contingens autem pro necessario in speciali & pro non necessario in speciali, sequitur gratia terminorum sub tali forma acceptorum: & sic coniugatio formaliter concludit contingens pro possibili. Gratia autem materiæ sequitur contingens in speciali quod est hoc vel illud.

Ad secundam.

Et quamuis satis probatũ est, quòd dicta cõiugatio inutilis sit ad concludendum hoc vel illud in speciali: tamen ex hoc non sequitur, quin vtilis sit ad concludendum contingens in communi, sicut dictum est in propositionibus sumptis de inesse.

Ad tertiam.

Et patet iam solutio ad hoc quod obiicitur, quòd nihil est in igne quod non sit in aliqua specie: & eius quod potest obiici, quòd è quocunque remouetur omnes species alicuius generis, ab illo remouetur genus: hoc enim verum esset si in toto remouerentur species ab aliquo: hoc autem non fit, quia vtrumque istorum gratia terminorum sequitur diuisim: sed gratia formæ est consequentia ad conclusionem contingentis pro possibili. His autem sic intellectis satis sufficienter dictum est de coniugationibus imperfectis syllogismorum vniuersaliũ huius mixtionis.

CAPVT XII.

De formatione particularium syllogismorum perfectorum & imperfectorum coniugationum vtilium & inutilium mixtionis contingentis & inesse.

Si autem hæc quidem propositionum, &c.

Modi particulares perfecti in hac mixtione primæ figuræ.

IN particularibus autem modis, tertio scilicet, & quarto, quorum tertius habet maiorem vniuersalem affirmatiuam & minorem particularem affirmatiuam, & quartus maiorem vniuersalem habet negatiuam & minorem particularem affirmatiuam: in talibus syllogismis particularibus in ista mixtione, quando vnum interuallorum sumitur vniuersale, & aliud particulare: & quando id quod est ad maiorem vniuersale ponitur & de contingenti siue sit affirmatiuum sicut in tertio, siue negatiuum sicut in quarto: & id quod ad minorem extremitatem sit particulare affirmatiuum de inesse simpliciter, erit syllogismus perfectus per dici de omni vel dici de nullo: sicut etiam perfectus est, quando ambo termini & ambæ propositiones sunt vniuersales, sicut iam ante dictum est. Quod autem perfectus sit talis syllogismus particulariter concludens, demonstratur eodem modo per dici de omni & dici de nullo in contingentibus, sicut & prius in vniuersalibus syllogismis demõstratum est.

Quãdo autem vniuersalis quidem.

Modi particulares imperfecti, qui tamen possunt perfici.

Quando autem vniuersalis quidem ad maiorem extremitatem & sit de inesse & non de contingenti: alterum autem interuallorum sit particulare quod est ad minorem, & sit de cõtingenti siue affirmatiuæ siue negatiuæ ponãtur vtræque propositiones, siue vna affirmatiua ponatur, & altera negatiua: in omnibus talibus coniugationibus erit syllogismus imperfectus, qui indiget reductione, qua perficiatur: ita quod aliqui per impossibile perficiuntur, quidam autem per conuersionem contingentis secundum oppositas qualitates, & quidam vtroque modo: & illa est melior perfectio, sicut etiam factum est in prædictis vniuersalibus syllogismis.

Erit autem syllogismus per conuersionem, &c.

Erit autem in talibus syllogismus per conuersionem tunc quando vniuersalis quidem ad maiorem posita extremitatem significauerit inesse, sicut in affirmatiua, vel non inesse, sicut in negatiua. Particularis autem cum fuerit priuatiua, sumet contingens, hoc est, sit de modo contingentis, cuius exemplum est, vt si a. quidem omni b. inest sicut in tertio, vel non inest sicut in quarto primæ figuræ. b. autem alicui c. contingit non inesse: conuersa enim b. c. minore propositione secundum cõuersionem eius quod est contingere ad oppositam, scilicet qualitatem, fit syllogismus vel in tertio primæ, vel in quarto primæ.

Quãdo autem non inesse, &c.

Quando autem illa propositio quæ est particulariter posita, sumit non inesse (sicut particularis negatiua sumit non inesse, quando non est de contingenti) tunc non erit syllogismus ad inferẽdam conclusionẽ de contingenti. Et probatur per terminos instãtiarum: & sunt termini ad inesse, albũ animal, nix: ad non esse autẽ termini sũt album, animal, pix, sicut patet. Si enim sic syllogizetur, omne animal contingit esse albũ: nulla nix est animal: non sequitur conclusio de contingenti: ergo omnis nix contingenter est alba. Similiter est in aliis terminis: omne animal contingenter est album: nulla pix est animal: ergo nullam picem contingit esse albam: non sequitur: quia de necessitate nulla pix est animal. In talibus autem vbi minor est negatiua de inesse, per indefinitum est sumenda demonstratio: quia duas causas habet suæ veritatis talis propositio: & sicut in præcedentibus diximus, quod non sequitur ad antecedens, non sequitur ad consequens: & cum non sequatur quoad minorem quæ est vniuersalis negatiua, non sequitur etiam ad particularem negatiuam quæ sequitur ad vniuersalem per omnem modum, sicut in præhabitis dictum est de indefinita demonstratione.

Si au

Si autẽ vniuersale quidem, ponatur, &c.

Inutiles qui non possunt perfici.

Si autem vniuersale quidem siue vniuersalis propositio ponatur ad minorem propositionem, particulare autem ponatur ad maiorem, ita quod maior sit particularis siue particulare, vel vniuersale sit priuatiuum siue affirmatiuum, siue de contingenti siue de inesse: quodcunque aliquis voluerit, nullo modo erit syllogismus: quia semper inutilis erit coniugatio ad inferendam conclusionem de contingenti.

Nec quum particulares vel, &c.

Similiter autem non erit syllogismus, quando particulares vel indefinitæ sunt ambæ præmissæ propositiones: quia ex particularibus & indefinitis nihil sequitur secundum totam dispositionem syllogismorũ: siue sumantur secundũ contingere, siue sumãtur ambæ de inesse, siue etiam permutatim, ita quod vna sit particularis, & alia indefinita: nullo enim tali modo fit syllogismus: sed omnes coniugationes tales sunt inutiles. Hoc autem habet eandem demonstrationem per terminos instantiarum, sicut in prioribus. Termini communes in omnibus his coniugationibus ad inesse quidem ex necessitate, sunt animal, album, homo: quia albo contingenter inest animal: & album homini contingenter inest: & tamen homo de necessitate est animal. Ad non inesse autem termini quidem sunt animal, album, tunica: quia animal cõtingenter inest vel non inest albo & album tunicæ: & tamen de necessitate animal non inest alicui tunicæ.

Manifestum ergo quoniam, &c.

Manifestum est igitur ex omnibus inductis, quoniam vniuersali posita ad maiorem extremitatem, ita quòd maior sit vniuersalis affirmatiua vel negatiua, semper fit syllogismus in hac mixtione concludens conclusionem de contingenti: Posito autem de contingenti interuallo, quod est ad minorem extremitatem & particulare, nunquam fit syllogismus, vt patet per antedicta.

Si autem quæritur de numero istarum coniugationum, satis patet responsio per antedicta in aliis.

Manifestum est etiam, quòd perfecti sunt syllogismi in hac figura, qui statim per dici de omni & dici de nullo probantur, quæ sunt in ipsis sumptis propositionibus. Imperfectos autem syllogismos necesse perfici vel per deductionem ad impossibile, vel per conuersionem secundum quod conuertitur contingens ad oppositam qualitatem, vel per vtrumque istorum. In particularibus syllogismis quando minor fuerit affirmatiua & de contingenti, fit probatio, siue perfectio per deductionem ad impossibile: sed in eisdem particularibus syllogismis, quando minor fuerit negatiua de contingenti, fit perfectio & per conuersionem minoris ad oppositam qualitatem, & vlterius per deductionem ad impossibile, sicut constat per ea quæ in antehabitis determinata sunt.

* * *

Quomodo imperfecti syllogismi huius mixtionis diuersimodè perficiuntur.

CAPVT XIII.

De regulis mixtionis necessarij & contingentis in prima figura, & de coniugationibus vtilibus & inutilibus vniuersalium syllogismorum istius mixitionis.

Quãdo autem hæc propositionum, &c.

Prima regula in mixtione necessary & contingentis.

POst hæc autem de mixtione necessarij & contingentis dicendum est. Ponamus autem primò regulas secundum quas istam oportet fieri mixtionem, quæ sunt quinque numero diuersis deseruientes, quæ in ista attendi debent mixtione. Prima igitur regula quæ communis est hæc est, quod quando altera propositionum fuerit de necessario, siue sit ex necessitate inesse, sicut in affirmatiua, siue fuerit de eo quod est ex necessitate non inesse sicut in negatiua, & altera propositionum fuerit de contingenti, poterit esse syllogismus & perfectus hoc modo se habentibus terminis: & hæc est regula prima.

Secunda. Et perfectio quando, &c.

Regula autem secunda est, quòd minore existente de necessario, & maiore contingenti, perfectus erit syllogismus: & hoc intelligendum est, quòd minor sit affirmatiua & maior vniuersalis: & hæc regula deseruit modis perfectis.

Tertia. Conclusio autem si, &c.

Tertia regula est quæ deseruit modis affirmatiuis, & est hæc, quòd conclusio erit de contingenti & non de inesse, si prædicatiui sint ambo termini & propositiones, siue vniuersaliter, siue non vniuersaliter ponantur ambo termini.

Quarta. Si autẽ sint hic, &c. Siue vniuersaliter. scilicet quantum ad amẽas præmissas, siue nõ vniuersaliter, scilicet quãtum ad minorem.

Quarta autem deseruit modis negatiuis, & est hæc, quòd quando alter quidem terminus fuerit affirmatiuus, alter verò priuatiuus, dummodo affirmatiuus fuerit de necessario, sequitur conclusio de contingenti, & non sequitur conclusio de inesse. Quando autem priuatiuus fuerit de necessario, sequitur conclusio de contingenti & de eo quod est non inesse, siue vniuersales sint termini siue non vniuersales.

Quinta. Contingere autẽ in conclusione, &c.

Quinta autem regula est, quòd in omnibus his coniugationibus mixtionum contingere quod sequitur in conclusione, eodem modo accipiendum est sicut in præcedenti mixtione, ita scilicet, quòd in modis perfectis sequitur contingens secundum superius inductam determinationem.

In modis autem imperfectis sequitur contingens pro possibili. Modi enim imperfecti negatiui non concludunt contingens non esse, quod est idem cum necesse non esse, sed quod est idem cum non necesse esse: & tale est idem quod contingens pro possibili. Illius enim quod est ex necessitate non inesse conclusionis, non erit syllogismus in modis imperfectis. Aliud est enim ex necessitate non inesse, aliud non ex necessitate inesse: quia in vno negatur modus & affirmatur dictum, in altero autem affirmatur modus & dictum negatur.

Quoniam igitur affirmatiuis existentibus vtrisque terminis, ita quòd vtraque præmissarum sit affirmatiua, & maior de necessario, minor autem de contingenti, non sequitur con-

Quoniam igitur vniuersalibus affirmatiuis, &c.

clusio de necessario. Manifestum est ex his quæ statim dicentur. Ponamus enim primo coniugationem ex affirmatiuis huius mixtionis, ita quod maior sit de necessario, & minor de contingenti, ita quod de necessitate insit a. omni b. b. autem contingat omni c. in minori propositione: in tali enim dispositione terminorum vniuersalium & affirmatiuorum erit concludens syllogismus imperfectus: quoniam a. contingit omni c. inesse: & non sequitur conclusio de necessario. Perficitur autem hic syllogismus per deductionem ad impossibile ex opposito conclusionis & minore posita inesse: concludit enim aliquid quod potest stare cum maiori. Potest etiam perfici per solam positionem minoris inesse, sicut in præcedenti mixtione in modis imperfectis dictum est.

Quod sequatur quando ambæ præmissæ sunt affirmatiuæ in mixtione necessarij & contingentis.

Rursum a. quidem cõtingat, &c.

Rursum autem ponamus aliam ex affirmatiuis vniuersalibus coniugationem ad perfectum syllogismum: tunc iterum patebit, quòd non cõcluditur cõclusio de necessario. Sit enim maior de cõtingenti & minor de necessario, ita quòd a. contingat omni b. inesse, b. autem omni c. insit ex necessitate: erit vtique syllogismus concludens in primo primæ: quoniam a. contingit omni c. inesse: & hæc est conclusio de contingenti & non de necessario: nec etiam sequitur conclusio de inesse, quæ concludat, quoniam a. nsit omni c. sed quod contingit inesse. Accipitur enim illa de contingenti secundum illam acceptionem cõtingentis, quod omne quod est a. contingit esse b. & non secundum illam, quòd omne quod contingit esse a. contingit esse b. est autem hic syllogismus perfectus per dici de omni in contingentibus.

Si autẽ non fuerit, &c.

Quod sequatur si maior sit negatiua de necessario, & minor affirmatiua de contingenti.

Similiter autem fiunt coniugationes vtiles in syllogismis vniuersalibus negatiuis. Si propositiones præmissæ in qualitate non sint similis formæ vel figuræ, sed vna affirmatiua, & altera negatiua, eo quod ex ambabus negatiuis nihil sequitur, ponamus primo maiorem esse de necessario & negatiuam, & minorem affirmatiuam & vniuersalem de contingenti, ita quod in maiori a. ex necessitate nulli b. contingat inesse, b. autem contingat omni c. inesse. Sequitur igitur conclusio de inesse, hæc scilicet, quod ex necessitate syllogisticæ consequentiæ a. nulli c. inest. Est autem syllogismus imperfectus & perficitur per deductionem ad impossibile. Formetur enim sic syllogismus, de necessitate nullum b. est a. omne c. contingit esse b. ergo nullum c. est a. Si non sequitur, detur oppositum siue contradictorium siue contrarium. Et si detur contradictorium: tunc ex illa & conuersa maioris concluditur oppositum minoris, sic, de necessitate nullum a. est b. aliquod c. est a. ergo de necessitate aliquod c. non est b. quod est oppositum minoris per syllogismum mixtum ex necessario & inesse in quarto primæ. Si autem detur conclusionis contraria, destruetur minor per syllogismum factum in secundo secundæ figuræ, sicut cuilibet per seipsum patere potest: cum enim concluditur, quòd necesse est a. nulli c. inesse, accipiendo oppositum contradictoriè vel contrariè, accipitur quod vel omni vel alicui c. inest a. positum autem in maiori propositione erat, quòd a. nulli b. contingit inesse: quoniam igitur maior negatiua conuertitur in terminis, si nulli b. contingit inesse a. sequitur, quòd etiam nulli a. contingit inesse b. positum est autem in opposito conclusionis, quòd a. aut omni c. inest, aut alicui: sequitur ergo, quòd aut nulli aut non omni c. contingit inesse b. quod destruit minorem in qua positum fuit, quòd omne c. est b. quando minor de contingenti posita fuit inesse.

Manifestum est igitur, &c.

Manifestum est igitur, quòd in tali coniugatione sequitur conclusio de inesse. Et ex hoc vlterius manifestum est, quòd sequitur etiam conclusio de contingenti: quia contingens & affirmatiuè & negatiuè sequitur ad inesse: si enim c. est a. sequitur, quòd c. contingit esse a. & si c. non est a. sequitur, quòd c. contingit non esse a. Et sic patet, quòd vtraque conclusio sequitur, & de non inesse & de contingere non inesse: sed de non inesse sequitur immediatè, de contingere autem non inesse sequitur mediatè.

Quid sequatur si maior sit negatiua de contingenti, & minor affirmatiua de necessario.

Sunt autem in hac mixtione adhuc coniugationes vtiles & inutiles circa syllogismos vniuersaliter concludentes, habentes maiorem negatiuam de contingenti, & minorem affirmatiuam de necessario. Sit enim rursus talis terminorum dispositio, quòd affirmatiua minor sit de necessario, maior autem negatiua sit de contingenti, sic quod a. quidem contingat nulli b. inesse in maiori. b. autem insit omni c. ex necessitate in minori: ex tali enim coniugatione syllogismus erit perfectus per dici de nullo in contingentibus: sed iste syllogismus non erit ad concludendum conclusionem de inesse, sed erit perfectus ad conclusionem de contingenti; hoc est, eius quod est contingere non inesse: sic enim sumpta est propositio maior, quæ est ad maiorem extremitatem, cui maximè in compositione & pertinentibus ad compositionem assimilatur conclusio. Et istum syllogismum non contingit ducere ad impossibile, si accipiatur conclusio de inesse: illa enim est hæc, nullum c. est a. opposita autem huius est hæc, aliquod c. est a. in ea enim ponitur a. non nulli c. inesse: positum est autem in maiori propositione a. contingit nulli b. inesse. Ex his autem duabus simul iunctis nihil sequitur impossibile quod destruat minorem: & sic ad impossibile non est ducere. De hoc tamen in sequentibus plura erunt dicenda.

Vide, i. fia cap. 6. Imperfecta combinatio.

Si autem ad minorẽ extremitatem, &c.

Alia autem adhuc est vtilis ad imperfectum syllogismum coniugatio, quando priuatiua est quæ ad minorem ponitur extremitatem, & cum minor propositio significauerit per modum contingentis contingere: perficitur enim talis syllogismus per conuersionem minoris ad oppositam qualitatem, quemadmodum in prioribus dictum est, quòd contingens conuerti habet.

Inutiles.

Quãdo autẽ non contingete, &c.

Quando autem minor quidem fuerit negatiua & non est de contingenti, non erit vtilis ad syllogismum coniugatio: quia tunc minor erit verè negatiua: quod non potest esse in prima figura. Dico autem verè negatiua: quia illa quæ est de contingenti, non est vere negatiua, cum potentialiter in se habeat

Propositio de contingenti ad vtrumlibet negatiua, non est verè negatiua.

beat oppositam qualitatem. Similiter autem ad syllogismum inutilis coniugatio est, quandoque vtraque & maior & minor est negatiua, & minor non fuerit de contingenti: quia si est de contingenti, tunc conuertitur ad oppositam qualitatem, & tunc erit syllogismus in secundo primæ figuræ. Inutilitas autem istarum coniugationum ostenditur per instantiam terminorum: & termini concludentes de necessitate inesse, sint album, animal, nix: quamuis enim album contingat omni animali: animal autem de necessitate nulli insit niui: tamen omnis nix de necessitate est alba. Termini autem addè necessitate nulli inesse, sint album, animal, pix: de necessitate enim nulla pix est alba. Isti igitur sunt vniuersales istius mixtionis syllogismi secundum sententiam Aristot. in prioribus: & sunt in eis aliquæ dubitationes.

CAPVT XIV.

De solutione duorum quæ sunt circa coniugationes perfectorum syllogismorum istius mixtionis.

Primæ dubitationis.

EST autem dubitatio prima, quòd cum contingens non habeat nisi duas acceptiones, sicut in præhabitis dictum est, scilicet omne quod contingit esse a. contingit esse b. & omne quod est a. contingit esse b. & secundum primam acceptionem deseruiat vniformi generationi syllogismorum de contingenti, & secundum secundam deseruiat mixtioni de contingenti & inesse, & non sit tertia acceptio contingentis, videbitur quòd nulla est in qua possit accipi in mixtione contingentis & necessarij. Et sic videtur, quòd omnis coniugatio vbi maior est de contingenti, & minor de necessario, sit inutilis ad syllogismum istius mixtionis generandum: quia talis mixtio videtur per dici de omni in contingentibus non posse regulari.

Secunda & apparens.

Idem videtur per hoc, quòd in prima figura (cum medium positione sit medium in affirmatiuis syllogismis) oportet accipere medium sub maiori, & minus oportet accipi sub medio: sed necessarium & contingens secundum superius determinatam acceptionem opponuntur & mutuò se destruunt: vnum ergo sub alio accipi non potest: sequitur, quòd in tali mixtione non potest esse syllogismus affirmatiuus & vniuersalis, vt videtur.

Ad primum.

Ad hæc autem non est difficile soluere, si ea quæ habita sunt, ad memoriam reuocentur. Si enim in hac mixtione maior sit de contingenti, & minor de necessario, syllogismus regulabitur per dici de omni in contingentibus, secundum illam acceptionem contingentis quæ dicit, omne quod est b. contingit esse a. sicut & mixtio contingentis & inesse: quia per hoc quod dicitur, omne quod est b. significatur minor propositio accepta secundum actualem inhærentiam prædicati cum subiecto. Sub tali autem actuali inhærentia sumitur tam illa quæ est de inesse, quam illa de necessario: & sic vno & eodem modo possunt per dici de omni regulari.

Ad secundam.

Sic etiam considerando contingens dicendum, quòd contingens & necessarium in eisdem accepta terminis opponuntur, & mutuò se expellunt: quia si necesse est hominem esse animal, tunc non contingit hominem esse animal: & si contingit hominem esse album, tunc hominem esse album non est necesse: & sic vnum non potest sumi sub altero propter oppositionem quam habent. Si autem contingens & necessarium simpliciter considerentur secundum seipsa, adhuc dupliciter considerari possunt; aut enim considerantur secundum modum enuntiandi circa compositionem & modificandi compositionem, & sic iterum à scinuicem distinguuntur & separantur: aut accipiuntur secundum terminos diuersos in quibus sunt, & sic nihil prohibet necessarium accipi sub contingenti, quia sæpè contingit hoc modo, quòd termini in quibus est contingens, & termini in quibus est necessarium, se habent adinuicem sicut totum & pars. Cuius exemplum est: contingit omnem hominem esse album: omnis autem homo de necessitate est animal: & hoc modo fit coniugatio perfecta ex sumptione necessarij sub contingenti.

Dubitatio bona.

Est autem adhuc dubium: cum enim in hac mixtione necessarium & contingens æqualiter se habeant ad generationem huius syllogismi, videtur quod æqualiter debant se habere coniugationes ad generationem perfecti syllogismi, ea scilicet quæ habet maiorem de contingenti & minorem de necessario, & ea quæ è conuerso habet maiorem de necessario & minorem de contingenti: & hoc non est verum: quia prima est ad syllogismum perfectum: secunda autem ad syllogismum imperfectum. Rationem autem huius non est difficile assignare: dici enim de omni in necessariis & in illis de inesse vult minorem in prima figura semper habere affirmatiuam & secundum actualem inhærentiam prædicati cum subiecto. Quando ergo maior est de contingenti (quod est secundum actualem inhærentiam, sicut diximus in acceptione contingentis, sic, omne quod est b. contingit esse a.) & minor accipitur de necessario vel de inesse secundum actualem inhærentiam, fit per dici de omni perfectus decursus syllogisticus à primo per medium vsque ad extremum: & ideo coniugatio talis est ad syllogismum perfectum. Quando autem maior est de necessario & minor de contingenti, per contingens ampliatur inhærentia ad potentialem inhærentiam: & tunc non potest esse decursus perfectus per dici de omni: & ideo coniugatio in qua maior est de necessario & minor de contingenti, est ad syllogismum imperfectum.

Solutio reddenda.

Dubitatio.

Siquis autem quæ rat, quare in modis perfectis istius mixtionis concluditur contingens ad vtrumlibet, quod est contingens secundum superius datam determinationem contingentis, modi imperfecti autem non possunt concludere nisi contingens pro possibili: Videtur enim, quòd tam perfecti quam imperfecti deberent concludere contingens dictum secundum

Solutio. dum vnum & eundem modum. Huius autem causa est, quod in modo perfecto propter dici de omni minor propositio est quasi dispositio naturalis maioris propositionis: contrahit enim minor maiorem secundum regulam quæ est data de dici de omni: & ideo per minorem fit contractio maioris ad id quod est vera pars eius. Et ideo cum maior sit de contingenti secundum dictam contingentis determinationem, & minor sit vera pars eius, oportet conclusionem similem esse maiori, quod sit de tali de quo est maior: hoc autem est contingens ad vtrumlibet. Quàdo autem è conuerso est, quòd maior de necessario & minor de contingenti, non fit dispositio terminorum secundum dici de omni: & ideo maior non potest facere sibi similem conclusionem. Minor etiam propositio non habet principaliter virtutem inferentiæ in syllogismo: & ideo nec illa potest facere conclusionem sibi similem: & ideo oportet, quòd sequatur aliquod medium inter necessarium & contingens ad vtrumlibet: & hoc non est nisi contingens pro possibili, quod in aliquibus terminis est de necessario, in aliquibus autem de non necessario.

Dubitatio bona. Si autem aliquis quærat, quare syllogismi perfecti huius mixtionis non possunt concludere conclusionem de ineſſe vel de necessario sicut concludunt conclusionem de contingenti? Dicendum, quòd causa huius est, quod quado maior est de contingenti, ex modo ipso contingentiæ significatur, quod prædicatum refertur ad subiectum secundum potentialem inhærentiam, & non actualem habet prædicationem maior extremitas de omnibus quæ continentur sub medio quod est subiectum propositionis maioris: conclusio autem de ineſſe & de necessario notat actualem inhærentiam prædicati de omnibus quæ continentur sub subiecto: & ideò in tali coniugatione nec potest sequi conclusio de ineſſe, nec conclusio de necessario.

Solutio obiectionis. Sicut autem dictum est de natura modorum perfectorum istius mixtionis, qui perficiuntur per dici de omni, eodem modo dicendum est de modis perfectis syllogismorum negatiuorum vniuersalium qui perficiuntur per dici de nullo. Et sic per hæc quæ dicta sunt, potest sciri natura syllogismorum perfectorum vniuersalium tam affirmatiuorum quam negatiuorum istius mixtionis.

CAPVT XV.

De solutione dubitationum quæ sunt circa coniugationes imperfectas istius mixtionis.

Dubitatio, vtrum ex maiore negatiua de necessario, & minori de contingenti sequatur conclusio de ineſſe. CIrca coniugationes etiam imperfectas vniuersalium syllogismorum istius mixtionis multi dubitauerunt. De his enim dictum est, quòd quæ habent maiorem negatiuam de necessario & minorem affirmatiuam de contingenti, possunt concludere conclusionem de ineſſe. Contra hoc autem quidam obiiciunt: in mixtione contingentis & ineſſe maiori existente negatiua de ineſſe, & minore de contingenti, non potest, vt videtur, conclusio sequi de ineſſe. Hoc enim videtur hac ratione cum maior sit conuenientia illius de ineſſe ad illam de ineſſe quam illius de necessario ad illam de ineſſe. Si ergo illa de necessario potest in conclusionem de ineſſe quando coniungitur cum illa de contingenti, multo fortius illa de ineſſe cum alia de contingenti potest in talem quæ est ineſſe conclusionem.

Responsiones quod non.

Adhuc in mixtione contingentis & ineſſe quando maior est de ineſſe, ipsa maior est de ineſſe simpliciter: propter quod secundum rem virtutem habet propositionis de necessario: propter quod videtur, quòd si negatiua de necessario poterit in conclusionem de ineſſe, quod & negatiua de ineſſe in mixtione contingentis & ineſſe possit in conclusionem de ineſſe.

Ad hoc tertium argumentum nō soluit Author: quia supra in c. 9. huius tract. ad plenum satisfecit: ideo recurre ad dicta ibi. Adhuc formetur sic syllogismus: nullum b. est a. contingit omne c. esse b. ergo nullum c. est a. Si non sequitur, detur oppositum, hoc scilicet, aliquod c. est a. quæ accipiatur cum minore posita ineſſe, sequitur oppositum maioris, sic, aliquod c. est a. omne c. est b. ergo aliquod b. est a. per tertium modum tertiæ figuræ: nullum autem b. esse a. & aliquod b. esse a. sunt opposita contradictorie.

Alia rationes ad idem. Vlterius autem videtur, quòd maiore existente negatiua de necessario, non sequitur conclusio de ineſſe: quod patet in terminis, sic, de necessitate nullum album est nigrum: contingit omnem hominem esse album: non tamen sequitur, quòd nullus homo sit niger, nisi hoc ita esse ponatur. Patet autem, quòd præmissæ sunt veræ, & conclusio est falsa. Similiter autem est hic, de necessitate nullus lapis est homo: contingit omne motum esse lapidem: nō tamen sequitur, quòd nullum motum sit homo rebus se habentibus vt nunc, ita quod per positionem non accipiatur nullum mouens esse hominem.

Adhuc autem vlterius obiicitur: quia si ex tali coniugatione sequitur conclusio de ineſſe: aut ergo sequitur conclusio de ineſſe simpliciter tantum, aut de ineſſe vt nunc tantum, quia ineſſe non potest pluribus modis variari. Si sequitur conclusio de ineſſe simpliciter, patet, quòd non est verum: quia in terminis nuper inductis conclusio est de ineſſe vt nunc: & similiter est inuenire in multis aliis terminis. Si autem sequitur conclusio de ineſſe vt nunc, videtur iterum falsum in his terminis, de necessitate nullum album est intelligentia: contingit omnem hominem esse album: ergo nullus homo intelligentia: hæc enim conclusio est de ineſſe simpliciter. Propter quod cum neque sequatur generaliter conclusio de ineſſe simpliciter, neque de ineſſe vt nunc, non videtur, quòd sequatur aliqua conclusio de ineſſe.

Adhuc autem sæpius iam in præmissis habitum est, quòd oportet alteram præmissarum esse similem conclusioni: cum autem altera præmissarum est de necessario & altera de cōtingenti, neutra præmissarum similis est conclusioni de ineſſe: ergo ex tali coniugatione conclusio de ineſſe non sequitur.

Ad

Solutio dubitationum, & responsio ad primas rationes. Ad hæc autem dicendum est, quòd maiore existente negatiua de ineſſe, & minore de cōtingenti affirmatiua, non sequitur conclusio de ineſſe virtute præmissarum: sequitur tamen cum maiore existente negatiua de necessario conclusio de ineſſe. Et causa huius est hæc: quia in propositione negatiua de ineſſe actualiter remouetur prædicatum ab omnibus his quæ actualiter sunt sub subiecto siue sub medio quod primæ propositionis est subiectum. Non autem remouetur ab his quæ contingunt esse sub subiecto, vt cum dico, nullum album est nigrum, iste est sensus, nihil quod est albū est nigrum: & non iste, nihil quod contingit esse album est nigrum: & propter hoc cum negatiua de ineſſe est maior, & minor de contingenti affirmatiua, non sequitur actualis remotio maioris extremitatis ab his quæ contingenter sumuntur sub medio per minorem propositionem: sed sequitur remotio potentialis vnius ab alio: & ideò non sequitur conclusio de ineſſe quæ actu remouet maiorem extremitatem de minori, sed conclusio de contingenti sequitur. Dico autem, quòd conclusio de ineſſe non sequitur virtute præmissorum.

Differentia inter propositionem de ineſſe simpliciter & propositionē de necessario veram.

Ad argumenta facta in primo medio. Vult dicere, quòd non valet ista consequētia in modis imperfectis maior est de ineſſe vel de necessario: ergo conclusio erit de ineſſe vel de necessario. Instantiæ patent in mixtionibus de quibus in argumento in quarum vna sequitur conclusio de contingēti, in altera vero sequitur conclusio de ineſſe & contingēti. Sed si aliquando valet illa consequentia, hoc erit in coniugationibus perfectis, in quibus maior est causa cōsequentiæ totius, vt patet quando maior est de necessario, & minor de ineſſe: tunc enim sequitur conclusio de necessario. Aliter autem est in propositione negatiua de necessario: propter enim necessariam remotionem prædicati à subiecto, & sub modo necessitatis in ipsa remouetur prædicatum à subiecto, & ab omnibus quæ sunt sub subiecto contenta, & ab his quæ contingit esse sub subiecto. Et ideo tali propositioni posita pro maiori, & minori accepta de cōtingenti, sequitur actualis remotio maioris extremitatis à minori, ab his quæ contingenter sumuntur sub medio per minorem propositionem: & ideo sequitur conclusio negatiua de ineſſe. Patet igitur ratio quare maiore existente negatiua de ineſſe non sequitur conclusio de ineſſe, & propter quod sequitur conclusio de ineſſe cum maior est negatiua de necessario.

Ad alias rationes. Quod hæc propositio sit falsa, de necessitate nullum album est nigrum. Ad ea autem quæ contra hæc inducuntur, dicendum ad primum, quòd quamuis propositio de ineſſe similior sit conclusioni de ineſſe quam propositio de necessario, non tamen sequitur, quòd maioris virtutis sit ad inferendam conclusionem de ineſſe, quam propositio de necessario: quia propositio de ineſſe non dicit tantam virtutem inhærentiæ, quantam dicit propositio de necessario. Et maximè non sequitur hoc in coniugationibus imperfectis, in quibus maior est de ineſſe vel de necessario: & si aliquando locum habet hoc, hoc erit in coniugationibus perfectis in quibus maior est causa consequentiæ totius.

Ad id autem quod secundo inducitur, dicendum quòd propositio de ineſſe simpliciter secundum quod huiusmodi non est necessaria, neque virtutem habet necessariæ propositionis: propositio enim de ineſſe simpliciter non plus exigit, nisi quod rationes terminorum quocunq; modo cohæreant vel secundū modū dicendi per se, vel secundum modū aliquē reducibilē ad modū dicendi per se, vel hoc modo discohæreant in propositione negatiua. Propositio autem de necessario & hoc exigit & addit, quòd termini propositionum admittant cohærentiam causalem vel discohærentiam. Hoc autem ex hoc patet: quia quando contingens natum ponitur ineſſe, est propositio de ineſſe per se: non tamen est necessaria: nec potest modificari per modum necessitatis: & ideò non sequitur, quòd si propositio de necessario potest in conclusionem de ineſſe simpliciter, quòd propositio de ineſſe simpliciter possit etiam in conclusionem de ineſſe: quia propositio de ineſſe simpliciter non totam habet virtutem illius quæ est de necessario.

Ad aliud dicendum quod conclusio quæ sequitur est de ineſſe simpliciter: & instantia quæ adducitur est sophistica: quia minor de contingenti infinito, cum deberet esse de contingenti nato per existentiam maioris quæ est de necessario.

Aliter.

Ad aliud dicendum quod conclusio quæ sequitur est de ineſſe simpliciter: & instantia quæ adducitur est sophistica: quia minor de contingenti infinito, cum deberet esse de contingenti nato.

Ad hoc autem quod obiicitur de similitudine conclusionis ad præmissas. Dicendum, quòd propositio de ineſſe simpliciter & propositio de necessario in hoc similes sunt, quod vtraque est de ineſſe secundum cohærentiam actualem terminorum propositionis, hoc est, prædicati ad subiectum.

Dubitatio. Si autem aliquis quærat dicens, cum ex istis coniugationibus sequatur duplex conclusio, scilicet de ineſſe & de contingenti, quæ illarum sequatur principaliter & primo? Dicendum, quòd primò & principaliter sequitur cōclusio de non ineſſe. Et huius est duplex ratio. Vna quidem & principalis: quia cum maior sit de necessario non ineſſe, remouetur in ea prædicatum ab omnibus quæ sunt vel possunt esse sub medio: & sic sequitur ratione maioris (ex qua est virtus consequentiæ) conclusio de ineſſe. Alia ratio est: quia secundum

Solutio.

ordinem

ordinem naturalem propositionum de inesse & de contingenti propositio de inesse antecedit propositionem de contingenti. Propterea in præhabitis probatum est, quòd conclusio de contingenti sequitur per hoc: quia conclusio de inesse sequebatur, ex qua vlteriùs concluditur illa de contingenti.

Vide supra in c. 13. Dubitatio.

Adhuc autem si aliquis quærat dicens, quod ex quo istæ coniugationes possunt in conclusionem de inesse, & in conclusionem de contingenti, vtrum etiam possint in conclusionem de necessario? Videtur enim probari posse, quod sic: quia cum maior est de necessario in qua est virtus consequentiæ, & maior sit virtus necessarij ad necessarium, quam necessarij ad inesse, videtur magis posse in conclusionem de necessario, quam in conclusionem de inesse: & potest in illam de inesse: ergo multo magis potest in illam de necessario.

Adhuc hæc conclusio, nullum c. est a. aut est vera sub hoc sensu, quod nullum c. necesse est esse a. aut sub hoc sensu, quod contingit aliquod c. esse a. Si primo modo, habetur propositum. Si secundo modo, tunc ex conclusione & minore coniunctis destruitur maior in tertia figura syllogizando per vniformem generationem syllogismorum de contingenti, sic, contingit aliquod c. esse a. contingit omne c. esse b. ergo contingit aliquod b. esse a. quæ est opposita maioris.

Solutio.

Ad hæc autem & similia dicendum, quòd non sequitur conclusio de necessario ex tali coniugatione, ita quod ad illam conclusionem inferendam ordinetur vtilitas coniugationis: in aliquibus tamen terminis ex habitudine terminorum poterit esse conclusio necessaria. Et ratio huius est: quia maior remouet prædicatum ab omnibus his quæ sunt vel esse possunt sub medio: & ideò quia sequitur remotio actualis maioris extremitatis à contentis sub medio, ideò sequitur conclusio de inesse primo & principaliter, quæ conclusio de inesse in aliquibus terminis est vera simpliciter & necessaria, & in aliquibus vera simpliciter & non necessaria: & per hoc patet solutio ad primum.

Ad hoc autem quod vlterius quæritur, vtrum hæc, nullum c. est a. sit vera ideo quia nullum c. esse a. sit necesse, aut ideo quia contingit aliquod c. esse a. Dicendum, quòd aliquando est vera ideò quia nullum c. necesse est esse a. & aliquando ideò quia contingit aliquod c. esse a. In quibusdam enim terminis sequitur vnum, & in aliquibus alterum: & ideò neutrum istorum sequitur primo: sed commune vtriusque sequitur, simpliciter ex tali coniugatione: commune autem non est nisi conclusio de inesse quæ simpliciter est vera: & ideò illa sola sequitur virtute coniugationis.

* * *

CAPVT XVI.

De consequentia coniugationum impefectarum in quibus maior est affirmatiua de necessario.

Dubitatio, vtrum maioris affirmatiua existente de necessario, & minori de contingenti, sequatur conclusio de inesse & de necessario.

CIrca coniugationes imperfectas in quibus maior est affirmatiua de necessario, adhuc restant quædam dubitabilia: ex his enim dictum est, quòd solum sequitur conclusio de contingenti: cum tamen videatur posse probari, quòd sequitur etiam conclusio de necessario, & etiam conclusio de inesse. Quod enim sequatur conclusio de necessario, videtur probari sic. Maiore enim existente affirmatiua de necessario, & minori de contingenti, ponatur minor quæ est de contingenti inesse: & tunc patet per hoc quod in antehabitis de mixtione necessarij & inesse dictum est, quòd sequitur conclusio de necessario: quia maiore existente de necessario, & minori de inesse sequitur conclusio de necessario. Et per eandem etiam rationem ostendi potest, quòd in modis perfectis sequitur conclusio de inesse, si maior in talibus modis quæ est de contingenti, ponatur inesse.

Solutio ad dubitationem & notanda.

Et proculdubio hoc videtur esse verum, si concedatur, quòd minor quæ est de contingenti, ponatur inesse: tunc enim pro certo sequitur conclusio de necessario, & etiam de inesse similis maiori propositioni. Sed non sequitur conclusio de necessario vel de inesse quandiu minor manet de contingenti. Vnde per positionem minoris inesse, generatur alia coniugatio, ex qua sequitur conclusio quæ quandiu manet de contingenti, non sequebatur. Causa autem propter quam non sequitur conclusio de necessario vel de inesse, quàdiu manet minor de contingenti, hæc est: quia vniuersalis affirmatiua de necessario, affirmat prædicatum quod est maior extremitas, non nisi de his quæ actu sunt sub medio, quod est subiectum maioris propositionis, & non de his quæ contingit esse sub subiecto: hæc enim propositio, omnis homo de necessitate est animal, non dicit, quòd quicquid potest esse homo, est animal: sed dicit, quòd quicquid est homo, est animal: & ideò tali propositione pro maiore posita & minori de contingenti, non sequitur actualis affirmatiua de his quæ contingenter sunt sub medio: & ideò non sequitur conclusio de necessario affirmatiua neque de inesse, nisi sumatur illa de contingenti in sensu compositionis: quia in vtraque actualiter affirmatur prædicatum de subiecto. Dico autem sub sensu compositionis sumptam, in qua modus refertur ad totum, sicut cum dico, contingit omnem hominem esse animal, hoc est, omnem hominem esse animal est contingens: sic enim in vtraque, hoc est, tam in illa quæ est de necessario, quam in illa quæ est de contingenti, actualiter affirmatur prædicatum de subiecto.

Notandum tamen, quòd affirmatiua de necessario

necessario secundum sensum compositionis sumpta aliter se habet quam in syllogismis: quia sumpta in sensu compositionis terminum in ea sumpti supponunt simpliciter, sed secundum hunc sensum non sumuntur propositiones de necessario quando ex eis fit syllogismus. Et ex his potest esse manifestum propter quid maiori existente de necessario affirmatiua, non sequitur conclusio de inesse, sicut sequitur conclusio de inesse maiore existente negatiua de necessario. In negatiua enim de necessario remouetur prædicatum actualiter de his quæ actu & quæ potentia sunt sub subiecto. In affirmatiua autem tantum affirmatur actualiter de his quæ actu sunt sub subiecto. Et hoc facit negatio quæ plus tollit quam ponit affirmatio.

Nota quare maiori existente affirmatiua de necessario & minori de contin. non sequitur conclusio de inesse. sed bene quando maior est negatiua de necessario. Negatio enim se extendit etiam ad nõentia: cuius signũ quia cõmuniter dicitur, quod nomen infinitũ dicitur de ente & non ente indifferenter: vt patet prima periherm. affirmatio autem se extendit ad illa.

Pòtest autem adhuc esse dubium, vtrum ex tali coniugatione sequatur conclusio de inesse. Videtur autem, quòd sic: quia sicut se habet negatiuum de inesse ad negatiuum de necessario, ita se habet affirmatiuum de inesse ad affirmatiuum de necessario: propter quod cum negatiuum de necessario possit in negatiuum de inesse, videtur quòd affirmatiuum de necessario possit in affirmatiuum de inesse.

Adhuc fiat hoc modo syllogismus: de necessitate omne b. est a. contingit omne c. esse b. ergo omne c. est a. Aut sequitur, aut non. Si sequitur, habetur propositum. Si non, detur oppositum: oppositum autem est, aliquod c. non est a. Ex hac autem & minore posita inesse destruitur maior per quintum modum tertiæ figuræ. Sic etiam potest dari instantia in terminis notis, de necessitate omne grammaticum est sciens: contingit omnem hominem esse grammaticum: non tamen sequitur, quòd omnis homo est sciens: possumus enim ponere, quod omnis homo sit ignorans.

Ad primum autem istorum dicendum est, quòd diuersa est virtus negatiuæ de necessario & affirmatiuæ de necessario: & ideo potest ex negatiua sequi illa de inesse, quamuis non sequatur ex affirmatiua. Hoc autem patet ex prædictis.

Ad aliud dicendum, quòd dandum est oppositum conclusionis: sed minor quæ est de contingenti, non est ponenda inesse: quia oppositum conclusionis de inesse, est compossibile minori de contingenti: sed incompossibile est eidem positæ inesse: & ideo si ponatur minor inesse, iam nouâ fit repugnantia quæ prius non erat: & ideò sequitur impossibile.

Quod maiori existente affirmatiua de necessario & minori de contingenti sequatur cõclusio de inesse.

Si autem obiiciatur, quòd secundum hoc malè probat Aristot. in prioribus, vbi probat conclusionem de contingenti ex ista coniugatione, quando ponit illam de contingenti inesse. Dicendum, quòd oppositum conclusionis de contingenti pro possibili non solum est incompossibile minori positæ inesse, sed etiam ipsi minori dum est de contingenti: quia cum omne c. ex necessitate sit a. incompossibiles sunt hæ duæ, aliquod c. ex necessitate non est a. & contingit omne c. esse b. sicut patet ex dictis immediatè in mixtione præcedenti de contingenti & inesse. Potuit itaque Aristot. probando consequentiam conclusionis de contingenti bene ponere minorem inesse: eadem enim est incompossibilitas oppositi conclusionis & minoris ante positionem eius inesse, & postquam inesse posita est, & non fit noua incompossibilitas.

Obiectio.

Siquis autem obiciat, quòd posito possibili non accidit impossibile. Dicendum, quòd hoc verum est absolutè, sicut etiam in præhabitis dictum est: si enim consideretur absolutè possibile secundum quod tale est, nihil ex eo sequitur impossibile: sed ex positione possibilis (cum comparatione ad aliquid cui hoc impossibile est) potest accidere impossibile.

Solutio.

Adhuc autem in hac coniugatione videtur dubium de probatione quæ facta est secundum sententiam Aristot. qua probatur, quòd conclusio de inesse sequitur: hæc enim probatio nulla esse videtur: fit enim in illa probatione mixtio necessarij & inesse: cum tamen illa de inesse possit esse de inesse vt nunc. Cuius probatio est: quia si maior sit negatiua de necessario, & minor sit affirmatiua vel negatiua de contingenti, sequitur duplex conclusio: vna de inesse, & altera de contingenti pro possibili: sed si conclusio de contingenti pro possibili ponatur inesse, aliquando erit de inesse vt nunc, & aliquando de inesse simpliciter: cum ergo accipitur oppositum conclusionis talis cum conuerta maioris, accipit propositionem, quæ potest esse de inesse vt nunc: & hoc modo syllogismus mixtus de necessario & inesse vt nunc, nihil valet & nihil probat, vt videtur. Sed ad hoc dicendum, quòd probatio est bona & mixtio necessarij & inesse non est de inesse vt nunc: quia sicut inesse continet sub se inesse simpliciter & inesse vt nunc, sic contingens in antehabitis per non necessarium determinatum continet sub se & contingens natum & contingens infinitum. Vnde sicut in mixtione necessarij & inesse maior quæ est de necessario, appropriat sibi minorem ad standum pro inesse simpliciter, sic in mixtione necessarij & contingentis maior quæ est de necessario, appropriat sibi minorem quæ est de contingenti ad standum pro contingenti nato. Minore autem sic existente de contingenti nato, oportet conclusionem concludi de inesse simpliciter in modo negatiuo: & ideo oppositum talis conclusionis assimilatur conuersæ maioris: & tunc bona est mixtio de necessario & inesse simpliciter secundum hunc modum. Hoc autem probatur per exemplum hoc modo, de necessitate nullum musicum est lignum: contingit omnem hominem esse musicum: ergo nullus homo est lignum.

Dubitatio apparens circa probationem dicti coniugationis ex maioris negatiua de necessario & minori de contingenti.

Solutio.

Ex dictis ergo patet, quòd in modis huius mixtionis necessarij & contingentis minor accipi debet de contingenti nato.

Quòd maior est de necessario & minor de contingenti, semper minor debet accipi de contingenti nato.

Secundum autem ea quæ dicta sunt oritur quæstio: quia cum maior de inesse (in mixtione contingentis & inesse) sit de inesse simpliciter, videtur quòd exigat maior de inesse simpliciter minorem esse de contingenti nato, cum maior de necessario in mixtione contingentis & necessarij sic exigat minorem esse de contingenti nato. Dicendum ad hoc, quòd hoc non oportet: maior enim de inesse non appropriat aliquam sibi minorem nisi ad sumendum,

Obiectio.

Solutio. Quomodo maior de inesse non

appropriat minorem de contingenti ad hoc vt sit de inesse simpliciter : & facit maior de necessario.

mendum sub ipsa, sed non ad sic vel sic sumendum. Maior autem de necessario appropriat sibi minorem ad hoc quod sit de inesse simpliciter : & ideo illa de necessario appropriat sibi minorem de contingenti, vt sit de contingenti nato : quia tala posita inesse erit de inesse simpliciter. Hanc autem appropriationem non potest facere maior quæ est de inesse tantum.

Obiectio.

Si autem aliquis obiiciens dicat, quòd tam in modis affirmatiuis quam in modis negatiuis illa quæ est de inesse, sumitur de inesse simpliciter : videtur ergo, quòd in vtrisque modis deberet sequi conclusio quæ sit de inesse simpliciter, vel conclusio de inesse ad minus.

Solutio.

Dicendum est ad hoc, quòd argumentum non valet : quia acceptio minoris de contingenti nato non est causa quare sequitur conclusio de inesse, sed potius virtus propositionis negatiuæ, sicut paulo ante dictum est. Quod autem minor in talibus syllogismis efficitur de inesse simpliciter, hoc facit minor quæ est de contingenti nato. Causa ergo propter quam sequitur conclusio de inesse, deficit in modis affirmatiuis: & ideò non valet argumentum inductum. Causa autem huius in modis negatiuis patere potest hoc modo. Si enim impossibile est aliquod b. esse a. cum b. insit c. secundum causam ei innatam, oportet quod minor sit de contingenti nato : patet, quod non poterit c. esse a. in conclusione : & ideo erit conclusio negatiua de inesse simpliciter, sicut patet in superius positis terminis, lignum, musicum, homo. In his enim maior extremitas impossibiliter se habet ad medium : medium autem ad minus secundum contingens natum. Si autem in affirmatiuo syllogismo omne b. de necessitate sit a. quamuis b. contingat inesse omni c. secundum causam innatam & sit de contingenti nato, non oportet, quòd a. (quod in prima figura est supra b.) insit c. actualiter, sicut patere potest in his terminis, sciens, musicum, homo, in quibus manus ad medium se habet ex necessitate, medium autem ad minus secundum contingens natum. Hæc tamen omnia plenius patent per virtutem negatiuæ diuersam ab affirmatiua, quando vtraque fuerit de necessario.

Quare maior negatiua de necessario infert conclusionem de inesse simpliciter, cum minor est de contingenti: non autem maior de necessario affirmatiua.

Dubitatio.

Sed ex his quæ dicta sunt, oritur dubitatio: prius enim dictum est, quòd in ista mixtione contingentis & inesse maior propositio de inesse siue affirmatiuè siue negatiuè tantum prædicatur de his quæ actu sunt sub subiecto: cum tamen dictum sit, quòd subiectum maioris, quod est ad conclusionem probandam, stat in maiori in qua est subiectum propositionis de inesse simpliciter sicut in minori in qua est prædicatum de contingenter inesse : aliter enim videbatur fieri fallacia figuræ dictionis.

Solutio. Habitudo terminorum in propositione de inesse simpliciter potest duplicater considerari.

Sed ad hoc dicendum, quòd termini propositionis de inesse simpliciter possunt considerari secundum habitudinem naturalem eorum adinuicem circumscripto esse actuali : & sic in ipsis est ampliatio : quicquid enim potest esse sub altero illorum, potest esse reliquum, vel remoueri à reliquo. Dictum autem est subiectum ampliari secundum ipsius naturam in maiori de inesse ad habitudinem paratam ad prædicatum secundum ipsius naturam circumscripto esse actuali & accidentali. Vel possunt termini de inesse simpliciter taliter se habere vt sub esse actuali, ita vt componantur & diuidantur per esse actuale : & sub ista consideratione non cadit ampliatio super eos : & sic dictum est hîc prædicatum actualiter affirmari vel negari de his tantum quæ actu continentur sub subiecto.

Dubitatio.

Adhuc autem dubitatur de hoc quod dictum est, quod scilicet minorem de contingenti affirmatiuam non sequitur conclusio de inesse : & si aliquis dicat, quòd sequitur, non contingit illum ducere ad impossibile, cum tamen dicat falsum.

Solutio.

Sed ad hoc dicendum, quòd bene potest improbari falsum quod dictum est ex concessis : tamen non est ducere illud ad impossibile : quia si accipiatur conclusio de inesse, quam dicit sequi : & combinetur cum maiori propositione ad destruendam minorem (sic, contingit nullum b. esse a. nullum c. est b.) fit inutilis coniugatio in mixtione contingentis & inesse in secundo figuræ primæ : in illa enim non fit syllogismus nisi vniuersalis affirmatiua sit de inesse simpliciter: hoc autem modo non est hic : quod patet: quia ex quo contingens quod sequitur in modo perfecto istius mixtionis est contingens primo in hoc tractatu determinatum, quod scilicet est contingens infinitum, quod aliquando vel æqualiter poterit esse : patet quòd talis conclusio posita inesse potest esse de inesse vt nunc : & non oportet, quòd sit de inesse simpliciter : & ideò fit inutilis coniugatio ex acceptione eius & combinatione cum illa de contingenti. Si autem accipiatur oppositum conclusionis quæ est de inesse cum minori ad destruendum maiorem (sic, nullum c. est a. necesse est omne c. esse b.) fiet inutilis coniugatio in mixtione necessarij & inesse in secundo tertiæ : ibi enim non fit syllogismus nisi vniuersali negatiua existente de necessario. Et sic patet, quòd quamuis dicatur sequi conclusio de inesse in dicta coniugatione, non erit tamen sic dicentem ducere ad impossibile.

Duo principia pro coniugationibus vtilibus huius primæ figuræ, & numerus omnium coniugationum huius mixtionis in prima figura.

Si autem quæritur de sufficientia modorum istius mixtionis. Dicendum est, quòd multiplicantur hic sicut in aliis : sed ad discernendas vtiles ab inutilibus supponenda propria principia istius mixtionis, & sunt duo, scilicet quod maior sit vniuersalis, & quod minor non sit negatiua de necessario : tunc enim patebit hîc, quòd duodecim sunt vtiles coniugationes, & 32. inutiles, sicut in præcedenti mixtione & in aliis. Ratio autem quare illud supponendum sit, & ratio sufficientiæ coniugationum & inutilium, patet ex prædeterminatis in aliis mixtionibus.

CAPVT

CAPVT XVII.

De formatione particularium syllogismorum in prima figura mixtionis necessarij & contingentis.

Eodem autem modo se habebit, &c.

EOdem autem modo sicut dictum est de vniuersalibus huius mixtionis syllogismis, sic etiam se habebit in perfectione & imperfectione coniugationum, & vtilitate & inutilitate coniugationum ordinatarum ad particulares syllogismos. Inter particulares primo dicamus de his coniugationibus quæ habent propositionem de necessario negatiuam: hæ enim quatuor sunt: aut enim minor particularis est de necessario, aut maior vniuersalis. Si quidem minor particularis sit de necessario, sic fiunt duæ coniugationes: potest enim maior de contingenti esse affirmatiua vel negatiua: sed quia ambæ istæ coniugationes sunt inutiles, ipsas omittamus. Si autem maior est de necessario, & minor de contingenti, sic fiunt iterum duæ coniugationes: quia minor erit aut affirmatiua de contingenti, aut negatiua de contingenti, & ambæ sunt vtiles, & possunt in duplicem conclusionem, sicut patebit. Ponamus ergo primo illam quæ habet maiorem vniuersalem de necessario, & minorem particularem de contingenti, quæ est quartus modus primæ figuræ, & ostendamus, quòd illa concludit conclusionem de inesse, sic, si dicamus a. nulli b. contingere inesse, ita quod de necessitate nullum b. sit a. b. autem alicui c. contingat inesse, ita quod aliquod c. contingat esse b. sequitur necessitate syllogistica, quod aliquod c. non est a. Hoc autem probatur deducendo ad impossibile ex opposito conclusionis & conuersa maioris de necessario sic: sumatur enim oppositum conclusionis de inesse quod est, omne c. est a. & sumatur conuersa maioris quæ est hæc, nullum a. de necessitate est b. sic, nullum a. de necessitate est b. omne c. a. sequitur, quòd nullum c. de necessitate est b. quæ est opposita minoris per syllogismum mixtionis necessarij & inesse in secundo primæ figuræ. Similiter si omni c. inest a. & a. nulli b. contingit inesse, sequitur quòd nulli c. contingit inesse b. quod est oppositum minoris: quia in minori positum fuit, quòd alicui b. contingit inesse a. Alia autem coniugatio quæ habet minorem negatiuam de contingenti, intelligi potest per istam: quia similem isti habet potestatem, & similiter perficitur, nisi in hoc solo, quòd oportet minorem conuerti ad oppositam qualitatem: tunc enim est syllogismus in quarto primæ, sicut & ille de quo dictum est.

Quãdo autem particularis affirmatiua, &c.

Similiter autem quatuor sunt illæ quæ habent propositionem affirmatiuam de necessario. Si enim minor particularis est de necessario, sunt duæ coniugationes: si autem maior & vniuersalis, sunt aliæ duæ. Variantur enim per affirmatiuum & negatiuum: & omnes istæ coniugationes sunt inutiles respectu conclusionis de inesse. Et duæ illarum coniugationum perfectæ sunt, illæ scilicet, quæ habent maiorem de contingenti affirmatiuam vel negatiuam, & concludunt contingens secundum superius dictam determinationem, quod est contingens ad vtrumlibet. Aliæ autem duæ sunt imperfectæ, scilicet vbi minor est de contingenti affirmatiua vel negatiua, & concludunt contingens pro possibili. Quod autem omnes istæ coniugationes inutiles sunt ad conclusionem de inesse, similiter ostenditur sicut ostensum est vniuersalibus syllogismis. Ex quo patet, quòd quando particularis affirmatiua de necessario est in syllogismo priuatiuo (sicut est quartus primæ, in quo minor est particularis affirmatiua, quæ est b. c. propositio) aut quando vniuersalis affirmatiua maior est in syllogismo affirmatiuo (sicut est tertius primæ, in quo a. b. propositio maior est affirmatiua) non est syllogismus concludens conclusionem de inesse: & hoc eodem modo demonstratur, sicut in vniuersalibus syllogismus (in similibus coniugationibus) est demonstratum.

Si autem vniuersale ponatur ad minorem, &c.

Coniugationes autem particulares habentes minorem vniuersalem, similiter variantur in octo coniugationes, quarum quatuor habent minorem negatiuam de necessario: quæ ambæ sunt inutiles sicut per instantiam terminorum ostendi potest. Si enim vniuersale quidem ponatur ad minorem extremitatem siue affirmatiuum siue negatiuum & sit de contingenti, particulare autem ad maiorem & sit de necessario, non erit coniugatio huius mixtionis. Termini autem ex quibus sequitur ex necessitate omni inesse, sunt animal, album, homo: & si forte isti termini non ad omnes dictas coniugationes sufficiunt ad ex necessitate inesse, ponatur loco eius, quod est homo, sensibile, prout conuertitur cum animali: & tunc sufficiunt: & formatio syllogismorum facilis est cuilibet: animal enim maior extremitas contingenter se habet ad medium quòd est album: ex necessitate autem se habet ad minorem extremitatem quæ est homo vel sensibile. Termini autem ad non contingere inesse siue ex necessitate non inesse, sunt animal, album, tunica, in quibus maior extremitas se habet ad medium sicut prius, ad minorem autem se habet per impossibile, & per nulli ex necessitate inesse.

Quãdo autem vniuersale quidem, &c.

Quando autem vniuersalis propositio est de necessario, & particularis est contingens, & vniuersalis est priuatiua, est inutilis coniugatio: & probatur per instantiam terminorum. Et termini quidem omni ex necessitate inesse, sunt animal, album, coruus, sicut cuilibet patet ex prædictis. Ad nulli autem ex necessitate inesse, termini sunt animal, album, pix.

Quum autem affirmatiuum, &c.

Si autem vniuersalis affirmatiua de necessario & particularis de contingenti, est iterum inutilis coniugatio: & probatur per terminorum instantiam & sunt termini ad de necessitate omni inesse, animal, album, cignus, sicut per se patet. Termini autem ad contingere siue de necessitate nulli inesse, sunt animal, album, pix.

Nec quãdo indefinitæ,

Adhuc autem nec erit vtilis coniugatio huius

huius mixtionis, quando ambæ indefinitæ vel particulares sunt propoſiones: termini autem communes inſtantiam ferentes contra has coniugationes ad ex neceſſitate ineſſe omni, animal, album, homo. Ad nulli autem ex neceſſitate ineſſe termini, animal, albũm, inanimatum. In talibus & animal alicui albo ſicut cigno, & album neceſſarium eſt ineſſe alicui inanimato vt niui, & alicui inanimato non contingit ineſſe: & in contingenti eſt ſimiliter, quòd alicui contingenter ineſt, & alicui non, propter quod ad omnes huiuſmodi coniugationes oſtendendas inutiles eſſe, prædicti termini ſunt vtiles.

In quo conueniat mixtio de neceſſario & contingenti cum mixtione de contingenti & ineſſe, & in quo ab illa differt.

Si autem mixtio iam determinata comparetur mixtioni præcedenti, quæ fuit mixtio contingentis & ineſſe, inuenietur quòd conuenientia iſtius mixtionis & illius in hoc eſt, quòd tot & ſimiles ſunt coniugationes vtiles & inutiles in iſta & in illa. Differentia autem inter eas eſt, quòd maiore exiſtente negatiua de ineſſe, non ſequebatur niſi concluſio de cõtingenti: maiore autem exiſtente negatiua de neceſſario, ſequitur duplex concluſio: vna ſcilicet negatiua de ineſſe, alia negatiua de contingenti. Et ſunt omnes iſtæ coniugationes imperfectæ in quibus maior eſt de neceſſario, vel de ineſſe, & perficiuntur per figuras quæ prædictæ ſunt, ita quod habentes minorem affirmatiuam de contingenti quædam perficiuntur per primam figuram, quædam autem per ſecundam, & quædam per tertiam, ſicut patet per antedicta. Habentes autem minorem negatiuam de contingenti, perficiuntur per conuerſionem illius ad oppoſitam qualitatem, & vlteriorem reductionem ad impoſſibile.

Manifeſtũ eſt ergo, &c.

Manifeſtum eſt ergo ex his quæ dicta ſunt, quoniam quando ſimiliter ſe habent termini, maior ſcilicet & minor in mixtione neceſſarij & contingentis, & in mixtione contingentis & ineſſe ſecundum coniugationes vtiles & imperfectas, & ſit ſecundum coniugationes vtiles, & non ſit ſecundum coniugationes inutiles ſyllogiſmus. In mixtione autem neceſſarij & contingentis quando priuatiua eſt de neceſſario, fit concluſio & ſecundum contingere non ineſſe, & ſecundum non ineſſe: quod non fit quando illa de ineſſe eſt negatiua: & in hoc differunt.

Palam autem vlterius ex dictis eſt, quòd omnes tales ſyllogiſmi imperfecti ſunt, & quod perficiuntur per prædictas figuras, ſicut ante perfecti ſunt per prædicta à nobis.

CAPVT XVIII.

Quia non poteſt eſſe generatio vniformis de contingenti in ſecunda figura.

In ſecunda autem figura, &c.

ACturi autem de generatione vniformi ſyllogiſmorum de contingenti in ſecunda figura inutilium & vtilium coniugationũ, primo ponendæ ſunt regulæ, per quas regulantur huiuſmodi ſyllogiſmi, ſi fieri poſſunt in ſecunda figura. Prima autem regula eſt, quòd in ſecunda ſiue in media figura quando vtræque propoſitiones præmiſſæ ſunt contingentes ſiue de contingenti ad vtrumlibet qualitercunque combinentur ad modum aliquem cõſtituendũ, non fit ſyllogiſmus in ſecũda figura.

Prima regula.

Sec. ala. Quando autem hæ quidem ineſſe, &c.

Secunda vero regula per quam regulãri habent ſyllogiſmi contingentis & ineſſe, ſiue in mixtione contingentis & ineſſe, in ſecunda figura eſt hæc, quòd in ſecunda figura ſit mixtio contingentis, & ineſſe, ſi vna propoſitionum fuerit affirmatiua & altera negatiua: & ſi illa propoſitio quæ eſt de ineſſe, fuerit vniuerſalis affirmatiua, non erit ſyllogiſmus in ſecunda figura. Si autem illa de ineſſe fuerit vniuerſalis negatiua, erit ſyllogiſmus in ſecunda figura ex mixtione contingentis & ineſſe.

Tertia. Eodem autem modo quando, &c.

Tertia regula eſt ſecundum quam regulatur mixtio contingentis & neceſſarij in ſecunda figura, & eſt hæc, quòd eodem modo eſt in mixtione contingentis & neceſſarij in ſecunda figura ſicut eſt in mixtione contingentis & ineſſe in ſecũda figura, quòd ſcilicet vniuerſali negatiua exiſtẽte de neceſſario, fit ſyllogiſmus, ſed non fit ſyllogiſmus, vniuerſali affirmatiua exiſtente de neceſſario.

Quo modo in ſecunda figura non poteſt concludi niſi contingens poſſibile, & quare hoc ſ.t.

His autem ita poſitis adhuc addendum eſt, quòd contingens quod concluditur in concluſionibus ſyllogiſmorum ſecundæ figuræ oportet accipere eodem modo, quemadmodum & in prioribus eſt acceptum, hoc eſt, quòd in tota iſta generatione ſyllogiſmorum de contingenti ſecundum mixtiones contingentis & ineſſe & neceſſarij & contingentis, non concluditur niſi contingens pro poſſibili. Si enim ſyllogiſmus talis vel talis mixtionis reducatur in primam figuram, erit in prima figura maior vniuerſalis negatiua, vel de ineſſe, vel de neceſſario: propter quod ſicut talis coniugatio in prima figura nõ cõcludit niſi cõtingẽs pro poſſibili, ſic nec in ſecũda figura vniuerſales ſyllogiſmi, de quibus hic loquimur, nõ poſſunt concludere niſi contingens pro poſſibili.

Quæramus de cõtingenti vtrũ ſequatur in ſecunda figura.

Has autem regulas verificabimus hoc modo, quibus verificatis ſatis patet generatio ſyllogiſmorum vniformium & mixtorum in ſecunda figura. Ad verificationem ergo primæ præponimus iſtam rationem: quoniam ſi perfici debat ſyllogiſmus ſecundæ figuræ, oportet quòd aut per conuerſionem propoſitionis de contingenti perficiatur, aũt per deductionem ad impoſſibile. Sed neutro iſtorum modorum poteſt perfici ſyllogiſmus ſecundæ figuræ, qui eſt ex vtraque de contingenti. Ergo vtraque exiſtente de contingenti in ſecunda figura non erit ſyllogiſmus.

Primum igitur oſtẽdendum, &c.

Oſtendamus autem primo, quòd non poteſt perfici per conuerſionem, ita ſcilicet quòd vniuerſalis negatiua conuertatur in terminis ſecundum idem genus contingentis: ſed bene conuertitur in terminis in contingens commune, quod eſt contingens pro poſſibili, ſicut à principio iſtius libri determinatum eſt: nullo modo tamen conuertitur illa negatiua de contingenti ad vtrumlibet ſecundum idem genus contingentis. Quod autem non conuertatur de contingenti ad vtrumlibet vniuerſalis negatiua, ſupponamus ex prius habitis, quia conuertitur illa de tali contingenti in oppoſitam qualitatem. Dicamus

Quod vniuerſalis negatiua de contingenti ad vtrumlibet non conuertitur in terminis: quia ſi ſic conuerteretur, tunc vniuerſalis affirmatiua conuerteretur in terminis.

camus igitur hoc ſuppoſito, quòd in contingere non conuertitur vniuerſalis priuatiua, vt ſi dicamus, quod a. contingit nulli b. quòd nullũ b. contingit eſſe a. non eſt neceſſe per conſequentiã conuerſionis, quòd è conuerſo b. contingat nulli a. hoc eſt, quòd nullum a. cõtingat eſſe c. hoc autẽ oſtenditur deducẽdo ad impoſſibile. Faciamus ergo iſtam conſequentiam conuerſionis ſic, nullum b. contingit eſſe a. ergo nullum a. contingit eſſe b. ſi enim ſequitur hoc, detur hæc, nullum b. contingit eſſe a. quoniam ergo iam oſtenſum eſt, quòd in contingenti conuertuntur affirmationes negationibus, ita quod contraria in contrariam, & contraiacẽtes ſibi per contradictionem in ſuas contraiacentes conuertuntur, ita quòd ſint affirmati modi, & contrariè vel contradictoriè in dicto ſiue propoſitione quæ modificatur: tunc ex hoc ſequitur ſi nullum a. contingit eſſe b. quod omne a. contingit eſſe b. ſed hoc eſt falſum: non enim ſequitur, ſi aliquod prædicatum alicui ſubiecto omni ſuo vniuerſaliter contingit ineſſe, quòd etiam è conuerſo ſubiectum illud omni prædicato perconuerſionem contingat ineſſe: quare ſi contingit nullum a. eſſe b. non ſequitur, quòd contingat nullum b. eſſe a. ſi enim hoc detur, ſequitur, quòd contingit omne a. eſſe b. quod falſum eſt: quia vniuerſalis affirmatiua non conuertitur ſimpliciter in terminis. Hoc autem ſequitur ex hoc, quòd ponitur vniuerſalis negatiua conuerti in terminis in contingenti. Ergo talis hypotheſis eſt impoſſibilis.

Amplius autem nihil prohibet, &c.

Hoc autem idem per inſtantiam in terminis oſtenditur ſic: quia nihil prohibet in quibuſdam terminis a. quidem prædicatum nulli b. contingere: & tamen b. ſubiectum alicui quod eſt ſub a. prædicato de neceſſitate non ineſſe: ſit enim b. homo, & a. album: contingit enim album omni homini non ineſſe, ſiue nulli homini ineſſe: quia contingit nullum hominem eſſe album: quod probatur per hoc, quia contingit omnem hominem eſſe album propter conuerſionem in oppoſitam qualitatem: non tamen contingit nullum album eſſe hominem: quia quædam alba neceſſe eſt nõ eſſe hominẽ, ſicut cignum, & niuem, & margaritã, & huiuſmodi. Quod autem neceſſarium eſt non eſſe, nõ poteſt eſſe contingens, eſſe vel non eſſe: quia neceſſarium & tale contingens oppoſita ſunt.

Sed nec ex impoſſibili, &c.

Hoc autem idem etiam per ſignum oſtendi poteſt: quia ſi vniuerſalis negatiua conuertitur in terminis, quando eſt de contingenti, ſignum eſſet, quòd talis conuerſio oſtendi poſſet per deductionem ad impoſſibile, ſicut aliæ conuerſiones oſtenduntur. Si autem oſtendi poſſet hoc per impoſſibile, oporteret quod ſic oſtenderetur: contingit nullum b. eſſe a. ergo contingit nullum a. eſſe b. ſi non ſequitur, tunc ſtabit oppoſitum cum præmiſſa: oppoſitum autem eſt, non contingit nullum a. eſſe b. hæc autem cõuertitur cum iſta, neceſſe aliquod a. eſſe b. Si autem neceſſe eſt aliquod a. eſſe b. neceſſe eſt aliquod b. eſſe a. & hæc non poteſt ſtare cum prima, hac ſcilicet, contingit nullum b. eſſe a. ſic ergo ſi conuertitur, deberet oſtendi per impoſſibile: ſed patet, quòd conuertens propoſitionem vniuerſalem negatiuam de contingenti, per impoſſibile conuerſionem illam non oſtenderet, ita quòd oſtendendo aſſumat quod eſt oppoſitum cõuertentis, ſcilicet quod dicat falſum eſſe quod b. contingit nulli a. & verum eſſe oppoſitum huius, ſcilicet quod b. non contingit nulli a. eò quod iſta duo ſunt affirmatio & negatio oppoſitæ. Si autem hoc detur, quòd non contingit b. nulli a. tunc verum erit, quod ex neceſſitate alicui a. oportet ineſſe b. quia æquipollent iſtæ duæ, & vna cõuertitur cum alia: & ſi detur, quod aliquod a. de neceſſitate eſt b. tunc per conuerſionem particularis ſequitur, quòd etiam aliquod b. neceſſe eſt eſſe a. hoc autem eſt impoſſibile: quia non ſtat cum prima, quæ dicit, quòd contingit nullum b. eſſe a. Eſt ergo hoc impoſſibile: vnde ſi per impoſſibile oſtendatur iſta conuerſio, ſicut dictum eſt, oportet quod oſtendatur: & non ſequitur impoſſibile: quia non ſequitur, quod ſi a. non contingit nulli b. ita quod non contingit nullum b. eſſe a. quòd propter hoc neceſſe ſit alicui b. ineſſe a.

Nam ſi cõtingere nulli dupliciter dicitur.

Huius autem cauſa eſt, quòd cum dicitur, nullum b. contingit eſſe a. hæc negatiua de cõtingenti duas habet cauſas veritatis: nam non contingere nulli dupliciter dicitur: hoc quidem in vno ſenſu eſt verum ſi ex neceſſitate alicui ineſt: & hic ſenſus eſt, ex oppoſitione contingentis & neceſſarij: aliud autem dicitur alicui non contingere, ſi ex neceſſitate alicui non ineſt, ita quod impoſſibile ſit ineſſe. Patet igitur, quòd ſic ducens ad impoſſibile procedit à propoſitione quæ duas habet cauſas veritatis ad vnam illarum cauſarum: & ſic peccat ſecundum fallaciam conſequentis. Hoc autem ſic declaratur: quia igitur manifeſtum eſt iſtã propoſitionem, non contingit nullum a. eſſe b. quæ eſt oppoſita conuertentis, verificari pro hoc ſenſu, neceſſe eſt aliquod a. eſſe b. ideo iſte ſenſus ſupponatur: & oſtendamus, quoniam adhuc & alium ſenſum habet ſuæ veritatis, ſcilicet quod neceſſe eſt aliquod a. non eſſe b. Hoc autem oſtenditur per ſimile in negatione vniuerſalis affirmatiuæ de contingenti: etiam hoc non ſequitur, ſi b. alicui eorum quæ ſunt a. non ineſt ex neceſſitate, quòd propter hoc b. contingit omni a. ineſſe: ſicut non ſequitur, quod id quod alicui ineſt ex neceſſitate, quòd propter hoc omni illi contingat ineſſe. Sicut ergo hæc negatiua, non contingit omne a. eſſe b. verificatur pro iſta, neceſſe eſt aliquod a. eſſe b. ſequitur enim, ſi neceſſe eſt aliquod a. eſſe b. non contingit omne a. eſſe b. ſic etiam hæc negatiua, non contingit nullum a. eſſe b. verificatur pro iſta, neceſſe eſt aliquod a. non eſſe b. & ita ſequitur, ſi neceſſe eſt aliquod a. non eſſe b. quòd non contingit nullum a. non eſſe b. Patet igitur, quòd inducta propoſitio duas habet cauſas ſuæ veritatis.

Adhuc autem (vt melius hoc declaretur) oſtendamus, quòd negatio vniuerſalis affirmatiuæ de contingenti ſequitur ad particularem affirmatiuam de neceſſario, ſic non contingit omni ineſſe, ſequitur ad neceſſe ineſſe alicui, & verificatur pro illa negatiua de contingenti, & non conuertitur. Si ergo ſic arguatur, non contingit omne d. eſſe c. ergo neceſſe eſt aliquod d. non eſſe c. illud non ſequitur: quia po-

terit esse vera, si necesse est aliquod d. esse c. cum igitur ista negatiua de contingenti, non contingit omne d. esse c, habeat duas causas veritatis, scilicet vel quia necesse est aliquod d. esse c. vel quia necesse est aliquod d. non esse c. & quod huic affirmatiuæ, contingit omne d. esse c. opponatur vtraque dictarum, scilicet & illa, necesse est aliquod d. esse c. & necesse est aliquod d. non esse c. patet per se: & si hæc affirmatiua habet istas duas sibi oppositas, sua negatio, hæc scilicet, non cõtingit nullum d. esse c. verificari potest secundum vtramque istarum: & hæc est solutio argumenti.

Si ergo aliquis patet, &c.

Si ergo aliquis patet, quoniam non contingit c. omni b. inesse: & ex hoc sumat, quoniam c. ex necessitate non inest b. falsum sumit: quia omni c. inest b. Sed propter hoc quod quibusdam non ex necessitate inest, ideò dicimus & concedimus, quòd non omni c. contingit b. inesse. Et ex hoc concluditur, quòd illi propositioni quæ est contingere omni inesse, opponitur & illa, quæ est ex necessitate alicui inesse, & illa quæ est ex necessitate alicui non inesse, & eædem duæ opponuntur illi quæ dicit, quòd nullum c. contingit esse b.

Palam est ergo quoniam, &c.

Palam ergo est ex his quæ dicta sunt, quòd ad sic contingens, vel non contingens (secundum quod à principio istius tractatus diffinitum est, quod est contingens ad vtrumlibet) duo sunt opposita pro quibus verificari potest, scilicet ex necessitate alicui inesse, & ex necessitate alicui non inesse: hæc enim propositio, non contingit nullum a esse b. potest verificari pro hoc sensu: quia necesse est aliquod a. esse b. vel pro hoc, necesse est aliquod a. non esse b. & tunc non est dandum, quòd verificetur pro primo, sed pro secundo: & si hoc sumatur, nihil sequitur, vel accidit impossibile. Sequitur ergo quòd non fit syllogismus ex propositionibus de contingere: & patet, quòd non potest ostendi per conuersionem: quia non conuertitur priuatiua de contingenti: patet ergo, quòd talis syllogismus non perficitur per conuersionem.

Hoc autem ostenso, &c.

Hoc autem ostenso probatur etiam, quòd non perficitur per deductionem ad impossibile. Disponantur enim propositiones in primo modo secundæ figuræ, sic: ponatur enim a. nulli b. contingere, sic, nullum b. contingit esse a. & hæc sit maior: & ponatur a. contingere omni c. sic, omne c. contingit esse a. & hæc sit minor: in tali autem dispositione non erit syllogismus qui perficiatur per conuersionem: quia iam dictum est, quòd propositio negatiua in eodem genere contingentis non conuertitur. Sed nec per impossibile potest probari, vel perfici: quia si accipiatur opposita conclusionis pro contrarietate quæ est, omne c. contingit esse b. nihil accidit falsum: quia accepta contraria conclusionis cum maiori syllogizabitur per primam figuram ex vniformibus de contingenti, quòd contingit nullum c. esse a. quæ non repugnat minori: quia a. contingit & omni & nulli c. inesse: & si contingit omni, contingit nulli, & è conuerso. Similiter autem si contradictoria conclusionis accipiatur cum minore, non destruetur maior, propter eandem causam. Sic ergo patet quod diximus, quòd nec per conuersionem, nec per impossibile potest demonstrari.

Alia probatio, quòd ex ambabus de contingenti nihil sequatur in secunda figura.

Hoc autem adhuc & alia probatur ratione: omnino enim siue vniuersaliter loquendo, si erit syllogismus in secunda figura ex vniformibus de contingenti vniuersalis, palam est quoniam ille syllogismus est contingentis conclusionis: eò quod ambæ propositiones præmissæ sunt de cõtingente, & neutra sumpta est de inesse. Oportet autem conclusionem in aliquo similem esse præmissis, vt sæpius dictum est. Hic autem contingentis syllogismus, aut est affirmatiuus vt affirmatiuam habeat conclusionem, aut negatiuus vt habeat conclusionem negatiuam. Sed neutram istarum potest concludere, sicut patet per instantiam in terminis factam. Si enim ponatur, quòd concludat vniuersalem affirmatiuam de contingenti, ostendetur per terminos, quòd non necesse conclusionem esse de contingenti, & quod id quod conclusum est non contingit inesse, sed inesse est necessarium omni. Similiter autem si dicatur vel ponatur, quòd est priuatiuus concludens vniuersalem negatiuam de contingenti, sic ostendetur per terminos, quòd illa non est de contingenti semper, sed de necessario nulli inesse.

Omnino autem si est syllogismus &c.

Sit enim a. quidem album, &c.

Sit enim a. album. b. autem homo: id autem in quo c. equus sit. Patet ex habitudine terminorum, quòd a. quod est album & est medium, contingit huic quidem maiori extremo omni inesse. Illi vero minori extremo contingit idem album nulli inesse, sic, omnem hominem contingit esse album: nullum equum contingit esse album: & non sequitur: ergo omnem hominem contingit esse equum, vel nullum hominem contingit esse equum: maius enim extremum, neque cõtingit inesse minori, neq; non inesse: quia necesse est non inesse: tale autem contingens de quo loquimur, opponitur necessario. Quod enim nõ sit possibile inesse affirmatiuè, manifestum est ex hoc quod de necessitate nullus equus est homo. Adhuc autem manifestum est, quòd non est possibile maius minori contingere non inesse ex hoc, quod necesse est nullum equum esse hominem. Dictum est autem, quod necessarium non est contingens, sed opponitur illi. Patet igitur, quòd non fit syllogismus de vniformiter contingẽtibus in secunda figura: quia enim sequitur vniuersalis affirmatiua de necessario, ideo non potest sequi aliqua negatiua de contingenti: & quia sequitur vniuersalis negatiua de necessario, non potest sequi aliqua affirmatiua de contingenti vniuersalis vel particularis.

Similiter autem ostenditur, &c.

Similiter autem ostenditur in secundo modo secundæ figuræ si è conuerso ponatur vniuersalis priuatiua, ita vt sit minor in syllogismo, & maior sit vniuersalis affirmatiua: & si affirmatiua vel negatiua ponatur vtraque de contingenti, quòd non fit syllogismus, & per eosdem terminos erit demonstratio per instantiam.

Et quando hæc quidem vniuersalis, &c.

Adhuc autem similiter ostenderetur in particularibus syllogismis, quando vna quidem fuerit

fuerit vniuersalis & alia particularis, & vtraque de contingenti: & quando vtraque præmissæ sumuntur particulares, vel indefinitæ, vel quolibet modo alio, possunt permutari propositiones ad modos secundæ figuræ constituendos: semper enim & in omnibus per eosdem terminos instantiarum erit demonstratio, quòd non fit syllogismus ex vniformiter contingentibus præmissis. Manifestum est ergo generaliter, quoniam vtrisque propositionibus præmissis sumptis de contingenti non fit in secunda figura syllogismus, nec vniuersalis, nec particularis.

CAPVT XIX.

Quarè ex vtraque de contingenti non fit syllogismus in secunda figura.

Dubitatio.

Quæret autem fortasse aliquis, propter quid non potest fieri syllogismus ex vtraque de cõtingenti in secũda figura, cum tamen secunda figura descendat à prima: & scimus iam per prædicta, quòd in prima figura fit syllogismus ex vtraque de contingenti. Sed huius causa satis patet: cum enim in his quæ sunt de contingenti ad vtrumlibet negatiuæ conuertantur affirmatiuis, & ex affirmatiuis non possit syllogizari in secunda figura, patet quòd ex contingentibus syllogizari non potest. Et si secunda figura descendit à prima, hoc fit per conuersionem propositionis negatiuæ: iam autem probatum est, quòd negatiua de contingenti conuerti non potest: & ideo quoad syllogismum de contingenti secunda figura à prima non descendit.

Solutio notanda.

Attendendum autem, quòd in contingentibus negatiuæ conuertuntur affirmatiuis, & è conuerso: & ideo in contingentibus nulla est simpliciter negatiua: quia semper remanet in ea potentia ad affirmatiuam. In secunda autem figura oportet alteram propositionem esse simpliciter negatiuam ad hoc quod fiat syllogismus: & ideò quia negatiua conuertitur affirmatiuæ in secunda figura syllogismus ex contingentibus fieri non potest.

Obiectio.

Si autem contra hoc obiiciens dicat, quòd secundum hoc in secunda figura non posset fieri syllogismus ex negatiua de necessario, & ex negatiua de contingenti pro possibili: quia illæ non sunt verè negatiuæ: quod tamen falsum est: ex talibus enim fit in secunda figura syllogismus. Sed ad hoc potest dici, quòd negatiua de necessario, & negatiua de contingenti pro possibili, negatiuæ sunt cuiusdam compositionis, & quoad illam sunt simpliciter negatiuæ, quamuis non negent principalem compositionem propositionis modificatæ: & sic sunt quodammodo verè negatiuæ. Potentia autem & virtute non sunt verè negatiuæ: quod per hoc patet: quia negatiua de necessario conuertitur cum negatiua de contingenti, vt si necesse est non esse, non contingit esse: quamuis sic non eodem modo sint negatiuæ: quia vna est negatiua dicti, & altera est negatiua modi, vt si contingit non esse, non necesse est esse, & est contingens pro possibili. Sic autem non est in contingenti ad vtrumlibet, cuius negatiua semper virtute est affirmatiua: & ideo ex illis syllogizari potest in secunda figura: ex istis autem quæ sunt de contingenti ad vtrumlibet, non potest in secunda figura fieri syllogismus.

Sunt dictum negatiuum: & ideo in primis saluatur syllogismus secunda figura, non autem in secundis.

Est autem hic notandum, quòd quamuis vniuersalis negatiua & vniuersalis affirmatiua in contingenti conuertantur adinuicem, tamen vniuersalis negatiua non eodem modo conuertitur in affirmatiuam, sicut è conuerso affirmatiua conuertitur ad negatiuam: quia vniuersalis negatiua conuertitur in terminis, & hoc modo non conuertitur vniuersalis affirmatiua ad quam conuertitur negatiua: sed è conuerso quando affirmatiua quæ conuertitur particulariter, conuertitur ad negatiuam: illam etiam conuerti particulariter nihil est inconueniens: si enim nullus homo est albus, quoddam album non est homo: & ideò quamuis negatiua conuertatur ad affirmatiuam, non tamen in terminis conuertitur ad eam. Sed è conuerso quando affirmatiua conuertitur ad negatiuam, nihil inconueniens est etiam in terminis conuerti ad ipsam, eo modo quo vniuersalis affirmatiua conuertitur particulariter, vt dictum est.

Notandum etiam, quòd cum fit talis consequentia, necesse est aliquod a. esse b. ergo non contingit omne a. esse b. Similiter necesse est aliquod a. non esse b. ergo non contingit nullum a. esse b. istæ consequentiæ sunt immediatæ: quia cum contingens ad vtrumlibet, & necessarium sint opposita, sequitur immediatè si necesse est aliquod a. esse b. non contingit aliquod a. esse b. & si non contingit aliquod a. esse b. non contingit omne a. esse b. ergo à primo ad vltimum si necesse est aliquod a. esse b. non contingit nullum a. esse b. à destructione consequentis: ergo à primo ad vltimum si necesse est aliquod a. esse b. non contingit nullum a. esse b. propter oppositionem necessarij & contingentis.

Dubitatio.

Est etiam hic notandum, quòd in prædictis dictum est, quod syllogismus vniformis ex contingenti in secunda figura non potest probari per deductionem ad impossibile. Deducendo enim ad impossibile sumpta est contraria conclusionis huius, nullum c. contingit esse b. hæc, contingit omne c. esse b. hæc autem non videtur esse opposita cum istæ duæ propositiones, nullum c. contingit esse b. & omne c. contingit esse b. in contingentibus conuertantur adinuicem. Adhuc autem in deductione ad impossibile sumpta est contraria, cum contradictoria potius videatur esse sumenda.

Solutio.

Sed ad hoc dicendum, quòd sumendo contrariam conclusionis debet supponi, quòd conclusio sit de contingenti pro possibili: quia aliud contingens non concluditur in secunda figura: & hoc modo non conuertuntur adinuicem hæc, nullum c. contingit esse b. & omne c. contingit esse b. Quia autem contraria sum-

In secunda figura non concluditur aliud cõtingens quam contingẽs pro possibili.

pta eſt & non contradictoria, ideò eſt, quia etiam ſumpta contradictoria, hoc ſcilicet, aliquod c. contingit eſſe b. cum altera præmiſſarum maiore vel minore non ſyllogizatur aliquod inconueniens contra reliquam: & ideò non oportet ſumi contradictoria: quia intelligitur per contrariam ſicut conſequens in antecedente: & quod non ſequitur ad contrariam, non ſequitur ad contradictoriam: quia quod non ſequitur ad vniuerſalem, non ſequitur ad particularem.

Notandum tamen eſt, quòd quamuis ſecundum proprietatem ſecundæ figuræ non poſſit eſſe concluſio niſi de contingenti pro poſſibili: tamen ſi reſpiciatur virtus præmiſſarum, quæ ambæ ſunt de contingenti ad vtrumlibet, non poteſt ſequi concluſio niſi de contingenti ad vtrumlibet: & ideò dicit Ariſtot. quòd ſi aliqua concluſio ex tali coniugatione ſequeretur, illa eſſet de contingenti ad vtrumlibet, cum tamen nulla ſequatur, vt dictum eſt. Hoc autem ex hoc patet: quia etiamſi accipiatur concluſio de contingenti ad vtrumlibet, non contingit propter hoc ducere ad inconueniens: hæc enim negatiua, non contingit nullum c. eſſe b. duplicem cauſam habet veritatis, ſcilicet vel quia neceſſe eſt aliquod c. eſſe b. vel quia neceſſe eſt aliquod c. non eſſe b. & ſi accipiatur altera iſtarum cum maiore, fiet mixtio contingentis & neceſſarij in prima figura, quæ mixtio non interimit minorem præcedentis ſyllogiſmi. Si autem altera prædictarum accipiatur cum minore, fiet mixtio contingentis & neceſſarij in tertia figura, quæ non interimit maiorem. Adhuc autem quamuis forte ex altera illarum & altera præmiſſarum concludi poſſet oppoſitum alterius præmiſſæ, ex hoc tamen non oſtenderetur coniugatio eſſe vtilis: oppoſitum enim concluſionis ſequitur ad vtrumque prædictorum, & non è conuerſo: & non eſt verum, ſi aliquid ſequatur ad antecedens, quòd ipſum etiam ſequatur ad conſequens. Et ideo patet, quòd ex duabus de contingenti ſemper eſt inutilis coniugatio in hac ſecunda figura.

Ratio reſolutionis.

Huius autem ratio & cauſa eſt: quia quamuis ſyllogiſmi ſecundæ figuræ deſcendant à prima per conuerſionem propoſitionis, & quamuis talis mixtio quæ eſt ex affirmatiua de ineſſe poſita, & negatiua de contingenti accepta, ſit vtilis in prima figura: tamen quia iſti ſyllogiſmi huius mixtionis non deſcendunt à perfectis coniugationibus primæ figuræ, ſed à quadam imperfecta coniugatione, quæ in hac mixtione in prima figura poſita eſt, quæ habet maiorem negatiuam de ineſſe & minorem affirmatiuam de contingenti: ideo oportet quòd omnes iſtæ vtiles coniugationes habeant maiorem de ineſſe negatiuam, & minorem affirmatiuam de contingenti: quia aliter non haberent propoſitionem quæ poſſit eſſe maior in prima figura dictæ coniugationis imperfectæ, ad quam habent immediate reduci. Hæc igitur cauſa eſt, quòd oportet habere maiorem negatiuam de ineſſe.

Obiectio.

Si autem aliquis quærat, quare non deſcendat aliquis ſyllogiſmus huius mixtionis in ſecunda figura à modo imperfecto qui habet affirmatiuam de ineſſe: talis modus in prima figura iam in antehabitis poſitus eſt, ſicut & ille qui habet maiorem negatiuam de ineſſe. Sed hoc facile ſoluitur: hæc enim figura ſecunda non habet niſi ſyllogiſmos negatiuos: modus imperfectus primæ figuræ qui habet illam quæ eſt affirmatiua de ineſſe, eſt modus affirmatiuus: & ideò ab illo modo non poſſunt deſcendere ſyllogiſmi huius ſecundæ figuræ.

Solutio.

Dubitatio.

Si autem quæritur, quare ſyllogiſmi iſti non deſcendunt à coniugationibus perfectis? Dicendum eſt, quòd modus perfectus in prima figura in hac mixtione contingentis & ineſſe habet maiorem de contingeti: ſyllogiſmi autem ſecundæ figuræ deſcendunt à ſyllogiſmis primæ figuræ per conuerſionem maioris: propter quod cum vniuerſalis negatiua (quæ maior eſt) ſit de contingenti in modis perfectis: & vniuerſalis negatiua de contingenti non poſſit conuerti, non poteſt ab illo modo deſcendere aliquis huius figuræ ſyllogiſmus in hac mixtione. Patet igitur ex dictis, quòd omnes ſyllogiſmi huius ſecundæ figuræ iſtius mixtionis deſcendunt à ſyllogiſmo primæ figuræ, qui eſt vniuerſalis negatiuæ in ſecundo modo primæ figuræ eiuſdem mixtioni: ille enim habet maiorem negatiuam de ineſſe.

Solutio.

Quare ſyllogiſmi ſecundæ figuræ ex vna de ineſſe & altera de contingenti non deſcendunt à modus perfectis primæ figuræ.

His autem ſic determinatis, ponamus vtiles & vniuerſales per hanc mixtionem coniugationes: & primo ponamus mixtionem iuxta primum modum habentem maiorem vniuerſalem negatiuam de ineſſe, & minorem vniuerſalem affirmatiuam de contingenti, ſic, ſumatur a (quod eſt medium) b. quidem (quod eſt maior extremitas) nulli ineſſe ſimpliciter, vt hæc ſit vera, nullum b. eſt a. & ſumatur in minori affirmatiua, quòd a. contingit omni c. ita quod hæc eſt vera, omne c. contingit eſſe a. perficitur autem hic ſyllogiſmus concludens, quòd nullum a. contingit eſſe b. per conuerſionem maioris propoſitionis, vt conuertatur in hanc, nullum a. eſt b. omne c. cõtingit eſſe a. ergo nullum c. contingit eſſe b. qui eſt ſecundus primæ figuræ.

Modi vniuerſales vtiles ex vna de cõtingenti & altera de ineſſe in ſecunda figura.

Similiter

CAPVT XX.

De mixtione contingentis & ineſſe in ſecunda figura.

Si autem altera quidem ineſſe, &c.

Regula.

IN mixtione contingentis & ineſſe in ſecunda figura talis primò ſupponenda eſt regula, quod ſi altera quidem propoſitionum præmiſſarum fuerit de ineſſe ſimpliciter, & altera de contingenti, ſi affirmatiua quidem fuerit de ineſſe, & priuatiua fuerit de contingenti, nunquam ſit ſyllogiſmus huius mixtionis in ſecunda figura, ſiue vniuerſaliter, ſiue particulariter ſumantur termini ſiue propoſitiones. Hoc autem demonſtratur per eoſdem terminos, qui in præmiſſis adducti ſunt, ſcilicet albim, homo, equus.

Quãdo autem affirmatiua, &c.

Quando autem affirmatiua ſignificat contingere & ſit de contingenti, & negatiua de ineſſe ſimpliciter, ſemper erit ſyllogiſmus.

Similiter autem & ſi, &c.

Similiter autem eſt in formatione ſecundi, quando ſcilicet ad c. minorem extremitatem ponitur priuatiua vniuerſalis, ſic, omne b. contingit eſſe a. nullum c. eſt a. ergo nullum c. contingit eſſe b. Sed hic ſyllogiſmus perficitur per conuerſionem minoris, & per tranſpoſitionem propoſitionum, & per conuerſionem concluſionis in terminis. Hæc enim conuerti poterit in terminis: quia eſt de contingenti pro poſſibili, ſicut ſæpius dictum eſt: & his duobus modis fiunt vtiles coniugationes concludentes ex ipſis ſumptis propoſitionibus.

vide ſupra cap. 18.

Si autem vtræque ſint priuatiuæ, &c.

Sunt autem vtiles, ſed non ex ſumptis propoſitionibus, habentes vtramque præmiſſarum negatiuam. Si enim vtræque præmiſſæ ſint negatiuæ, & vna de ineſſe, & altera de contingenti: tunc enim per ea quæ ſumpta ſunt, non poteſt fieri ſyllogiſmus: quia ex vtraque negatiua non fit ſyllogiſmus: quando autem conuertitur illa quæ eſt de contingere ſiue maior ſiue minor ſecundum conuerſionem eius quod eſt contingere, hoc eſt, in oppoſitam qualitatem, & per conuerſionem illius de ineſſe in terminis, fit ſyllogiſmus ſicut prius: & fiunt hic duo modi vniuerſales ſicut prius, ſicut cuilibet patere poteſt per ſeipſum.

Dubitatio.

Eſt autem dubium de iſtis vtilibus coniugationibus: videntur enim habere inſtantiam in terminis ad concluſionem de contingenti, ſic, nullum animal eſt album (& hoc ponatur) omnem equum contingit eſſe album: & patet, quòd non ſequitur, contingit nullum equum eſſe animal. Ad hæc autem & ſimilia dicendum, quòd omnes inſtantiæ ſunt ſophiſticæ, in quibus propoſitio de ineſſe accipitur de ineſſe vt nunc: oportet enim negatiuam ſempereſſe de ineſſe ſimpliciter.

Solutio.

Si autem adhuc quæritur ratio huius. Dicendum, quòd illi ſyllogiſmi deſcendunt à coniugatione imperfecta quæ habet maiorem de ineſſe negatiuam: & ideo oportet, quòd etiam in iſta ſit illa de ineſſe negatiua, quæ vel ſit maior vel poſſit eſſe maior in ſyllogiſmo primæ figuræ, ad quem ſyllogiſmi vniuerſales primæ figuræ reducuntur: & ſicut ibi propoſitio de ineſſe eſt de ineſſe ſimpliciter, ita oportet, quòd ſit de ineſſe ſimpliciter etiam hic.

Dubitatio.

Adhuc autem ſi aliquis hic opponat ſicut in præcedentibus, quod ſequitur concluſio de ineſſe, ponendo minorem ineſſe cum oppoſito concluſionis. Dicendum ſicut in præcedentibus, quòd non poteſt minor poni ineſſe: quia per poſitionem eius ineſſe fit incompoſſibilitas: eò quod maior eſt de ineſſe ſimpliciter: oppoſitum enim concluſionis incompoſſibile efficitur minori per poſitionem eius ineſſe.

Solutio.

Vniuerſales inutiles in hac figura.

Inutiles autem coniugationes in hac mixtione in hac ſecunda figura ſunt iſtæ. Prima quidem, ſi vtræque præmiſſæ ponantur prædicatiuæ, & vna de contingenti, & altera de ineſſe, ſiue maior fuerit de ineſſe & minor de contingenti, ſiue è conuerſo: tunc enim non erit ſyllogiſmus: & probatur per inſtantiam terminorum ad concluſionem de contingenti. Et termini quidem ad ineſſe ex neceſſitate, ſunt ſanitas, animal, homo, ſic, omne animal contingit eſſe ſanum: omnis homo eſt ſanus: ſit ita: nec tamen ſequitur, omnem hominem contingit eſſe animal. Idem eſt ſi minor ſit de contingenti. Termini autem ad non ineſſe ex neceſſitate, ſunt ſanitas, equus, homo, ſic, omnem equum contingit eſſe ſanum: omnis homo eſt ſanus (& hoc ponatur) non tamen ſequitur, quòd omnem equum contingit eſſe hominem: quia equus de neceſſitate non eſt homo.

Si autem vtræque ponantur prædicatiuæ, &c.

Dubitatio.

Dubium tamen eſt de huiuſmodi coniugationibus inutilibus: videtur enim, quòd coniugatio in qua minor eſt de ineſſe vniuerſalis & affirmatiua, ſit vtilis: talis enim coniugatio videtur eſſe vtilis, contingit nullum b. eſſe a. omne c. eſt a. ergo contingit nullum c. eſſe b. & accipiatur in concluſione contingens pro poſſibili. Accipiatur enim oppoſitum concluſionis cum maiore poſita ineſſe, & ſequitur oppoſitum minoris, ſic, nullum b. eſt a. aliquod c. de neceſſitate eſt b. ergo aliquod c. non eſt a. ſequitur enim ad minus concluſio de ineſſe: ſed hæc concluſio eſt contradictoria minoris. Similiter autem oſtendi videtur talis coniugatio vtilis eſſe reſpectu concluſionis de ineſſe, ſic, contingit nullum b. eſſe a. omne c. eſt a. ergo nullum c. eſt b. Si dicatur, quòd non ſequitur, detur oppoſitum & ponatur maior ineſſe ſic, nullum b. eſt a. aliquod c. eſt b. ergo aliquod c. non eſt a. quæ eſt contradictoria minoris. Similiter autem eſt omnino de omnibus inutilibus coniugationibus, & vniuerſalibus & particularibus concluſionibus habentibus vniuerſalem negatiuam de contingenti & illam de ineſſe affirmatiuam.

Solutio.

Ad hæc autem dicendum eſt, quòd iſtæ coniugationes inutiles ſunt reſpectu vtriuſque concluſionis: & quando petitur oppoſitum vtriuſque concluſionis, dandum eſt: quia ſtabit cum præmiſſis: ſed non eſt admittenda poſitio maioris ineſſe: & huius hæc eſt ratio: cum enim minor ſit vera de ineſſe, & non eſt poſſibilis vt fiat maior in prima figura: per reductionem poteſt eſſe de ineſſe vt nunc: quo exiſtente oppoſitum vtriuſque concluſionis eſt compoſſibile maiori ante poſitionem eius de ineſſe: ſed poſt poſitionem eiuſdem ineſſe non eſt compoſſibile: & ideò cum oppoſito concluſionis non debet admitti poſitio maioris ineſſe. Cuius exemplum eſt: quia contingit nullum hominem eſſe album: omne animal eſt album (& hoc ponatur) neque tamen ſequitur concluſio de ineſſe, neque concluſio de contingenti. Minore enim exiſtente vera compoſſibiles ſunt, & oppoſitum concluſionis de ineſſe, ſcilicet aliquod animal eſt homo: & contingit nullum hominem eſſe album. Similiter compoſſibiles ſunt maior & oppoſitum concluſionis de contingenti, ſcilicet aliquod animal de neceſſitate eſt homo: & contingit nullum hominem eſſe album. Sed minore exiſtente vera, non poteſt ſtare oppoſitum concluſionis cum maiore poſita ineſſe: & ideo non poteſt maior poni ineſſe. Hæc autem omnia per ea quæ dicta ſunt, ſufficienter

parere

patere possint cuilibet in istis consideranti: quia hoc non est difficile.

CAPVT XXI.

De formatione particularium syllogismorum mixtionis contingentis & inesse in secunda figura.

Eodem autem modo, sicut dictum est, in vniuersalibus huius mixtionis syllogismis in secunda figura, sic etiam est in particularibus syllogismis eiusdem mixtionis. Quando enim in tertio vel quarto propositio affirmatiua erit de inesse siue vniuersalis, siue particularis sit, nullus erit syllogismus ad conclusionem de contingenti, vel de inesse. Hoc autem per eosdem terminos instantiarum demonstratur, quibus & prius in vniuersalibus syllogismis demonstratum est, qui sunt ad inesse quidem omni, sanitas, animal, homo: non inesse autem contingenter, sanitas, equus, homo, & facile est formare syllogismos.

Eodem autem modo se habebit, &c.

Quando autem fuerit illa de inesse negatiua: tunc poterit esse syllogismus per conuersionem in terminis factam illius de inesse quæ in tertio est maior & vniuersalis, minor autem particularis affirmatiua de contingenti, sicut scitur per ordines modorum in figuris.

Quãdo autem priuatiua, &c.

Rursum si ambo quidem interualla siue propositiones fuerint negatiuæ, ita quod maior sit vniuersalis negatiua de inesse, minor autem particularis de contingenti & negatiua: tunc quidem ex ipsis sumptis propositionibus nullus fit syllogismus: conuersa autem propositione quæ est de contingenti ad oppositam qualitatem, erit, & conuersione illius de inesse in terminis facta.

Rursum si ambæ quidem, &c.

Si autem particularis negatiua fuerit de inesse, quocunque modo reliqua propositio se habeat, nullo modo erit syllogismus, siue altera sit vniuersalis affirmatiua, siue sit vniuersalis negatiua. Adhuc autem nec tunc erit syllogismus, quando vtræque præmissæ ponuntur esse indefinitæ, vel vtraque sumuntur particulares. Et in omnibus istis coniugationibus demonstratur inutilitas per eosdem terminos, qui prius inducti sunt.

Modi inutiles in eadem figura.

Si autem nõ inesse quidem, &c.

Hic tamen dubium esse videtur de quarto istius secundæ figuræ, qui est ex vniuersali affirmatiua maiori, & negatiua particulari minori in quo secundum ea quæ dicta sunt non potest esse vtilis coniugatio in hac mixtione: videtur enim quod maiori affirmatiua vniuersali existente de contingenti, minore autem particulari negatiua existente de inesse, sit vtilis coniugatio hoc modo, contingit omne b. esse a. quoddam c. non est a. ergo quoddam c. contingit non esse b. & ostendatur per expositionem: si enim quoddam c. non est a. sicut dicit minor propositio, accipiatur illud, & fiat tale à quo vniuersaliter remouetur a. & fiat sic syllogismus, contingit omne b. esse a. nullum c. est a. ergo contingit nullum c. esse b. iste syllogismus est vtilis, vt videtur: & est in secundo modo huius figuræ secundum mixtionem contingentis & inesse: fit enim hic syllogismus secundum principia superius data ad hanc mixtionem.

Dubitatio.

Ad hoc dicendum est, quòd in ista mixtione oportet illam de inesse esse de inesse simpliciter, & non vt nunc tantum. In syllogismo autem expositorio potest illa de inesse esse de inesse vt nunc: & ideò non valet probatio. Quod autem in exposito syllogismo non oporteat illam de inesse esse de inesse simpliciter, ex hoc ostenditur, quòd accipitur sub particulari negatiua posita in priori syllogismo, quæ potuit esse de inesse vt nunc, & non potuit appropriari per coniunctam, vt staret pro inesse simpliciter.

Solutio.

Ad sufficientiam autem harum coniugationum oportet scire, quòd in hac mixtione sicut in aliis de necessitate trigintaduæ sunt coniugationes. Oportet autem in hac figura generaliter in omnibus syllogismis maiorem esse vniuersalem: cuius causa in præhabitis ostensa est. Specialiter etiam oportet, quòd in hac mixtione illa de inesse sit vniuersalis negatiua, sicut prædictum est.

Numerus omnium coniugationum huius secundæ figuræ in mixtione cõtingentis & inesse.

Regula.

Ex his autem facile manifestum est, quòd octo coniugationes sunt, quæ habent vtramque particularem. Et similiter octo quæ habent maiorem particularem & minorem vniuersalem. De illis autem octo quæ habent vtranique vniuersalem quatuor sunt vtiles, de quibus habitum est, & quatuor sunt inutiles. De illis verò quæ habent maiorem vniuersalem & minorem particularem, quæ etiam octo sunt, duæ sunt vtiles, de quibus dictum est, & sex sunt inutiles. Et sic patet, quòd non nisi sex sunt hîc vtiles coniugationes, quatuor scilicet vniuersales, & duæ particulares: & hoc sufficit de mixtione inesse & contingentis in hac secunda figura. Dicendum ergo de mixtione necessarij & cõtingentis in secunda figura.

Numerus vtilium cõiugationum.

CAPVT XXII.

De principio quo regulatur mixtio contingentis & necessarij in secunda figura, & formatione vtilium coniugationum ad vniuersales huius mixtionis syllogismos.

IN mixtione autem contingentis & necessarij in secunda figura hoc obseruãdum, quod si vna propositionum præmissarum significat ex necessitate, ita quòd modificata est modo necessitatis: alia vero significat contingere, ita quod est de modo contingentis, quando quidem in vniuersalibus syllogismis, primo scilicet, & secundo, vniuersalis negatiua est de necessario, erit syllogismus duplicis conclusionis: non enim solum sequitur conclusio negatiua de contingenti, scilicet quia contingit non inesse: sed etiam sequitur conclusio negatiua de inesse, scilicet quia non inest maior extremitas minori.

Si autẽ hæc qu dẽ propositionum, &c.

Si autem affirmatiua fuerit de necessario, & negatiua de contingenti, non erit syllogismus vtilis coniugationis ad conclusionem de contingenti vel de inesse.

Affirmatiua autem non erit, &c.

Oportet

Ratio huius regulæ est: quia negatiua de contingenti inducit affirmatiuam. & sic ille præmissæ erunt eiusdem qualitatis, &c.

Oportet ergo maiorem vel illam quæ potest fieri maior in reductione, esse negatiuam & de necessario. Huius autem causa eadem est quæ fuit in immediatè præcedenti mixtione, huiusmodi scilicet, quòd omnes modi istius mixtionis originantur ab illo modo imperfecto mixtionis necessarij & contingentis in prima figura, quæ habet maiorem vniuersalem negatiuam de necessario: & quia oriuntur ab illo, oportet quòd etiam hic vel maior vel quæ potest esse maior, sit vniuersalis negatiua de necessario.

Vide Ioan. græm. Dubitatio. Solutio. eius similitudo posuit supra in c. 20.

Si autem quæritur, quare non descendunt à modis perfectis eiusdem mixtionis in prima figura? Dicendum est, quòd omnes syllogismi istius figuræ descendunt à modis primæ figuræ & maximè secundo primæ per conuersionem maioris simpliciter. In modis autem perfectis mixtionis necessarij & contingentis primæ figuræ, non est conuertibilis maior cum sit de contingenti: & ideò modi istius à modis perfectis primæ figuræ descendere nō possunt.

Dubitatio.

Si autem quæritur, quare non descendunt a modis imperfectis primæ figuræ huius mixtionis habentibus maiorem affirmatiuam de necessario? Dicendum, quòd omnes syllogismi secundæ figuræ sunt negatiui. Adhuc autem maior vniuersalis affirmatiua de necessario simpliciter conuerti non potest, Et ideò cum modi istius mixtionis in secunda figura descendat à modis eiusdem mixtionis in prima figura, & affirmatiua vniuersalis simpliciter conuerti non possit, nec negatiuè concludere, ideo ab illis modis imperfectis quæ habent maiorem affirmatiuam de necessario istius secundæ figuræ mixtionis necessarij & contingentis descendere non possunt. Hæc igitur est causa, quare in secunda figura mixtionis necessarij & contingentis oportet habere maiorem vniuersalem negatiuam de necessario.

Solutio.

Ponatur enim a nulli quidem b. &c.

Secundum verò ea quæ dicta sunt formetur primus syllogismus huius mixtionis in secunda figura, ita quod ponatur a. medium nulli b. inesse ex necessitate: & sumatur sic propositio, de necessitate nullum b. est a. & ponatur a. omni b. contingere, ita quod hæc sit minor, contingit omne c. esse a. sequitur conclusio de contingenti; quòd contingit nullum c. esse b. Et probatur vtilitas coniugationis ad conclusionem de contingenti per conuersionem maioris simpliciter & in terminis: tunc enim conuertitur illa quæ dicit, de necessitate nullum b. est a. in hanc, de necessitate nullum a. est b. & sumitur minor, contingit omne c. esse a. & syllogizatur in secunda primæ eiusdem mixtionis, quòd nullum c. contingit esse b.

Similiter autem manifestum, quoniam non inest, &c.

Ex hoc eodem probatur, quòd sequitur cōclusio de non inesse. Resumatur enim syllogismus sic, de necessitate nullum b. est a. contingit omne c. esse a. & concludatur: ergo nullum c. est b. Si non sequitur, tunc stabit oppositum conclusionis cum præmissis: est autem hæc opposita huius, scilicet aliquod c. est b. & accipiatur cum maiori sic, de necessitate nullum b. est a. aliquod c. est b. sequitur per mixtionem necessarij & inesse, quòd aliquod c. nō est a. de necessitate: quod non potest stare cum minori quæ dicit, contingit omne c. esse a. B. enim alicui non contingit a. & necesse omne b. non esse a. æquipollent.

Dubitatio.

In hac autem consequentia aliqui dubitauerunt: probatur enim conclusio de inesse sequi per mixtionem necessarij & inesse, cum illa quæ est de inesse & opposita conclusioni, scilicet esse de inesse vt nunc. Propositio enim de inesse in modis huius mixtionis sequitur contingens pro possibili: quod positum inesse aliquando significat inesse vt nunc, & aliquando inesse simpliciter. In syllogismo ergo probante accipitur illam quæ potest esse de inesse vt nunc: & sic viderur non valere consequentia.

Solutio.

Ad quod dicendum per antedicta, quòd sicut in mixtione necessarij & contingentis in prima figura quando maior est de necessario & minor de contingenti, maior appropriat sibi minorem vt sit de contingente nato, ita facit hic: quia ista mixtio descendit ab illa: & sicut ibi oportet esse conclusionem de inesse simpliciter, ita & hic: vnde vniuersalis negatiua de necessarie (quæ est in potentia vt fiat maior in prima figura in reductione syllogismi) habet potestatem appropriandi sibi minorem de cōtingenti, vt sit pro contingenti nato: & ideo oportet, quòd conclusio de inesse sit de inesse simpliciter sicut in prima figura: & ideo accepto cōclusionis opposito cū maiore de necessario bona fit mixtio necessarij & inesse. Et huius exemplum est in terminis, sic, de necessitate nullum lignum est musicum: contingit omnem hominem esse musicum: ergo nullus homo est lignum.

Sed tamen notandum est hic, quod quando fuerit vniuersalis affirmatiua de necessario, nō potest appropriare sibi minorem de contingenti vt significet contingens natum: & hoc est ideo: quia nec maior est, nec maior esse potest in reductione ad primam figuram: & ideo cum illam conclusio de inesse non sequatur, nec potest ostendi per inductam mixtionem necessarij & inesse: quia in tali coniugatione tam ipsa conclusio, quam sua opposita, potest esse de inesse vt nunc. Sic ergo probatum est, quòd in primo modo secundæ figuræ in quo vniuersalis negatiua est de necessario & maior, & minor vniuersalis affirmatiua de contingenti, sequitur duplex conclusio.

Eodem autem modo ostendi tur &c.

In secundo autem modo istius secundæ figuræ huius huius mixtionis, est etiam vtilis coniugatio ad duplicem conclusionem, quando scilicet priuatiua propositio vniuersalis ponitur ad c. minorem scilicet extremitatem: sed hæc perficitur per hoc, quòd minor conuertitur, & quòd transponuntur propositiones: & ideò etiam oportet conuertere conclusionem: hoc enim fieri potest cum sit de contingenti pro possibili.

Obiectio.

Sunt autem quidam qui nituntur ferre instantiam contra hanc secundam & vtilem coniugationem, & etiam contra primam sic, contingit omne animal quiescere: de necessitate nullum vigilans quiescit: non tamen sequitur, quòd contingit nullum vigilans esse animal: quia omne vigilans de necessitate est animal.

Solutio.

Et dicendum ad hoc, quòd minor falsa est: quia vniuersalis negatiua de necessario remouet prædicatum & ab his quæ sunt &

quæ

quæ possunt esse sub subiecto, sicut in antehabitis determinatum est. Vnde sensus minoris est, de necessitate nihil quod est vel potest esse vigilans, quiescit: & patet, quod hæc est falsa. Patet igitur, quòd istæ duæ coniugationes vtiles sunt ad duas concludendum conclusiones.

CAPVT XXIII.

De inutilibus coniugationibus huius mixtionis sumptis circa vniuersales syllogismos secundæ figuræ.

Rursum sit prædicativa &c.

RVrsum autem circa inutiles coniugationes huius mixtionis in modis vniuersalibus secundæ figuræ, sciendum est, quòd si prædicativa vniuersalis siue affirmativa in primo vel secundo modo huius mixtionis sit de necessario, altera propositio quæ est vniuersalis negativa sit de contingenti, ita scilicet quod a. nulli b. contingat inesse, & a. insit omni c. ex necessitate: sic enim habentibus se terminis, nullus erit alterius conclusionis penitus syllogismus: sequitur enim conclusio nõ de cõtingenti vel de inesse, sed potius, quòd b. maior extremitas de necessitate non insit c. minori extremitati. Et hoc patet in terminis: sit enim a. medium album: in quo autem ponitur b. maior extremitas, sit homo: in quo autem est c. sit cignus: tunc enim patet, quòd album quod est medium, cigno quidem quod est minor extremitas, inest ex necessitate: sed album contingit nulli homini inesse, & homo nulli cigno inest ex necessitate. Ex quo patet, quòd talis coniugatio inutilis est ad conclusionem de contingenti. Dictum est enim in antehabitis, quòd contingens non est necessarium, sed potius non necessario determinatum.

Quoniam igitur eius quod est contingere, &c.

Neque etiam sequitur conclusio de necessario: quia conclusio de necessario non sequitur nisi vel quando vtraque præmissarum est de necessario, vel quando negativa vniuersalis est de necessario, & altera de inesse simpliciter: & ideò quamuis negativa vniuersalis de necessario stare possit, non tamen sequitur ex præmissis. Patet etiam cum necessarium repugnet contingenti ad vtrumlibet, quando sequitur conclusio de necessario non inesse, sicut cum dicitur, nullus cignus est homo, quòd neque sequitur affirmativa neque negativa de contingenti, cum necessarium & contingens opponantur. Dico autem contingens ad vtrumlibet. Et ex eodem patet, quòd neque sequitur affirmativa de inesse, neque affirmativa de necessario, neque affirmativa de possibili, & sic nulla sequitur affirmativa.

Amplius autem & possibile est, &c.

Amplius autẽ hoc idem ostenditur per hoc, quòd talibus propositionibus sic positis, quòd vniuersalis affirmativa sit de necessario, & vniuersalis negativa de contingenti, possibile est inuenire terminos in quibus possibile est b. inesse c. hoc est, maiorem minori extremitati: in talibus enim terminis stabit affirmativa de inesse conclusio. In tali enim dispositione nihil prohibet, quòd c. sit sub b. siue quod minor extremitas sit sumpta sub maiori extremitate, & quod tamen a. quod est medium, contingat omni b. inesse contingenter, & quod idem a. medium insit c. maiori extremitati de necessitate, sicut patet in his terminis, sit c. minor extremitas ponatur esse vigilans. b. autem maior extremitas ponatur esse animal. in quo autem a. quod est medium, ponatur esse motus siue motum. Nam patet, quòd vigilanti ex necessitate inest motus: quia vigilia secundum actum non est aliud nisi motus caloris & sensuum ad exteriora ab intimis: animali autem omni contingit inesse motum: & tamen sequitur, quòd omne vigilans de necessitate est animal, sic, contingit nullum animal moueri: omne vigilans de necessitate mouetur: ergo omne vigilans de necessitate est animal. Quod enim contingat nullum animal moueri, ex hoc patet, quia contingit omne animal moueri, & conuertitur contingens in oppositam qualitatem: ergo si contingit omne, contingit & nullum. Ex hoc autem quod sequitur conclusio de necessario, manifestum est, quòd non sequitur conclusio negativa de non inesse: quia sic se habentibus terminis sequitur conclusio de necesse inesse & ad necesse inesse sequitur inesse: & sic non potest stare conclusio de non inesse. Neque etiam sequitur conclusio dictionum siue affirmationum istis negationibus quæ sunt contingenter inesse vel inesse simpliciter, hoc est, sine modo, sicut paulo ante dictum est: & sic nulla sequitur conclusio neque negativa neque affirmativa.

Apparens obiectio. Hoc autem quod hîc dictum est (quod minore existente sub maiori extremitate potest medium contingenter inesse maiori & ex necessitate minori) habet calumniam secundum quosdam: quia si medium contingenter se habet ad maiorem, extremitatem, & vniuersaliter prædicatur de ipsa, sic, contingit omne b. esse a. contingenter se habebit a. ad omne b. sed c. est aliquod eorum quæ sunt b. ergo etiam contingenter se habebit ad c. Et ad hoc dicendum est, quòd hoc sequeretur, si c. essentialiter sub b. contineretur: nunc autem accidentaliter continetur sub ipso, & est pars accidentalis ipsius: & hoc patet in ipsis terminis: vigilans enim est sub animali sicut pars accidentalis & non sicut essentialis: & ideò nihil prohibet motum contingere omni animali & nulli: & tamen ex necessitate inesse omni vigilanti.

Solutio. Quomodo minori existente sub maiori extremitate potest medium contingenter inesse maiori & existente inesse minori.

Sicut autem ostendimus inutilem esse coniugationem sumptam iuxta modum primum secundæ figuræ, similiter ostenderur inutilis esse coniugatio sumpta iuxta modum secundum eiusdem figuræ, quando è conuerso à primo modo posita affirmativa vniuersalis de necessario, scilicet quod maior est vniuersalis affirmativa de necessario, & minor vniuersalis negativa de contingenti. Si in qualitate similis figuræ siue formæ sint propositiones, ad huc erunt inutiles coniugationes & vtiles iuxta vtrumque modum, primum scilicet, & secundum sumptæ. Accipiamus autem primo vtilem iuxta primum modum: sint enim primo ambæ

Si autem similis figuræ sint, &c.

ambæ præmissæ priuatiuæ siue negatiuæ: ex his enim fit syllogismus quando minor quæ est de contingenti, conuertitur secundum contingere in oppositam qualitatem, & fit syllogismus per omnia sicut in prioribus dictum est. Et eodem modo perficitur & reducitur, & concludit duas conclusiones, de non inesse scilicet, & de non contingere inesse. Sumatur enim iuxta primum modum a. b. ex necessitate non inesse, ita, ex necessitate nullum b. est a, & sumatur in minori, quòd a. nulli c. contingit, hoc est, contingenter non inest, sic, contingit nullum c. esse a. sequitur, quòd nullum c. contingit esse b. Cuius probatio est, quòd conuersis propositionibus, maiore quidem simpliciter in terminis, & minore ad oppositam qualitatem, tunc in conuersa prima b. nulli inest a. ex necessitate, sic, ex necessitate nullum a. est b. & conuersa minore ad oppositam qualitatem, sic, omne c. contingit esse a. sequetur in secundo primæ, quòd nullum c. contingit esse b. & omnino perficitur sicut prius huius mixtionis syllogismus.

Et si ad c. ponatur priuatiua, &c.

Alia autem coniugatio vtilis est sumpta iuxta modum secundum, quando scilicet priuatiua de necessario ponitur ad c. minorem extremitatem, sic, nullum b. contingit esse a. de necessitate nullum c. est a. ergo contingit nullum c. esse b. conuertatur enim maior in oppositam qualitatem, & minor conuertatur simpliciter in terminis, & conuertatur conclusio quæ est de contingenti pro possibili, & transponantur propositioens, erit iterum prima figura in secundo primæ: perficitur ergo sicut secundus huius mixtionis modus, de quo in præcedenti capitulo dictum est.

Si autem prædicatiuæ, &c.

Inutiles autem coniugationes ex similibus in qualitate propositionibus factæ sunt. Prima quidem, si ambæ præmissæ ponantur esse prædicatiuæ siue affirmatiuæ: tunc enim non erit huius mixtionis ad aliquam conclusionem syllogismus. Manifestum enim, quòd affirmatiuis vtrisque propositionibus existentibus, non erit syllogismus eius conclusionis, quæ est de non inesse: nec etiam eius conclusionis, quæ est ex necessitate non inesse: quia tales conclusiones ex affirmatiuis ambabus non sequuntur. Vnde manifestum est, quòd non erit talis conclusio: quia in tali coniugatione nulla sumpta est priuatiua propositio, neque in eo quod est inesse sumptæ sunt priuatiuæ, neque etiam in eo quod est ex necessitate inesse priuatiuæ aliquæ sumptæ sunt. Adhuc neque sequitur conclusio eius quod est contingere non inesse: sic enim se habentibus terminis patet quod b. maior extremitas, ex necessitate non inerit c. minori extremitati. Ponatur enim a. medium esse album: in quo autem b. maior extremitas dicatur esse cignus: in quo c. minor extremitas ponatur esse homo sic, omnis cignus de necessitate est albus: omnem hominem contingit esse album: quia contingit & nullum: & patet, quòd sequitur conclusio de necesse non inesse, scilicet quòd nullus cignus est homo. Cum autem ster ista conclusio vniuersalis negatiua de necessario, quæ repugnat tam affirmatiuæ quam negatiuæ de contingenti, repugnat etiam affirmatiuæ de inesse & affirmatiuæ de necessario. Patet igitur, quòd nulla sequitur affirmatiua dictæ negatiuæ de necessario repugnans: & sic nulla sequitur affirmatiua qua sit opposita ad illam. Omnes autem prius inductæ conclusiones sunt oppositarum affirmationum ad negatiuam de necessario, quæ inducta est. In illa enim negatiua ostensum est b. maiorem extremitatem ex necessitate non inesse c. minori extremitati.

Est autem hic attendendum, quòd cum ponuntur termini ad instantiam consequentiæ syllogisticæ, animal, vigilans, motus, conclusio quæ stat, de necessitate debet intelligi de inesse: & ponatur exemplum vt dicatur, quòd cum his præmissis contingit nullum animal moueri, de necessitate omne vigilans mouetur, stat ista de inesse, omne vigilans est animal, & non ista de necessario, de necessitate omne vigilans est animal: quia illa de necessario non potest accipi vera, cum sua conuersa sit falsa, hæc scilicet, quoddam animal de necessitate vigilat: non ergo hæc, omne vigilans est animal, est accipienda de necessario, sed de inesse: sic enim potest accipi vera, & non aliter, vt videtur. Adhuc autem si omne vigilans de necessitate mouetur: & omne vigilans de necessitate est animal: ergo aliquod animal de necessitate mouetur, per primum tertiæ figuræ: sed hoc non potest stare cum maiore, scilicet hac, omne animal contingit moueri: si ergo non potest stare conclusio de necessario, stabit illa de inesse.

Adhuc probatur, quòd ex tali coniugatione sequitur conclusio de contingenti pro possibili negatiua, sic, si contingit nullum b. esse a. & omne c. de necessitate sit a. sequitur, quòd omne c. contingit non esse b. si enim dicatur, quòd non sequitur, tunc detur oppositum, hæc scilicet, non omne c. contingit non esse b. hæc autem æquipollet ei quod est, necesse est aliquod c. esse b. ex qua & minore sequitur oppositum maioris, sic, de necessitate omne c. est a. de necessitate aliquod c. est b. ergo de necessitate aliquod b. est a. & sic patet, quòd sequitur conclusio de contingenti pro possibili negatiua. Ergo termini inducti non deberent concludere talem negatiuam: & sic oportet, quòd intendatur conclusio de inesse: quia si intenderetur in prædictis terminis conclusio de necessario non inesse, excluderetur sequi conclusio negatiua de contingenti pro possibili: oportet igitur, quòd in terminis inductis intendatur conclusio de inesse & non de necessario.

Si autem concedatur, in contrarium esse videtur (sicut ex dictis terminis patet) quòd non sit omninò alicuius conclusionis affirmatiuæ syllogismus. Conclusio ergo talis debet sequi ex dictis terminis, quæ excludat consequentiam cuiuslibet conclusionis: oportet igitur, quòd excludatur etiam consequentia conclusionis negatiuæ de contingenti pro possibili: sed non excludit illam negatiuam de contingenti pro possibili, nisi dicta conclusio sit affirmatiua de necessario: negatiua enim de contingenti pro possibili, neque repugnat negatiuæ de necessario, neque affirmatiuæ de

ineſſe, ſed ſoli affirmatiuæ de neceſſario: & ſic videtur, quòd dicta concluſio debet eſſe affirmatiua de neceſſario & vniuerſalis. Sed ad hoc dicendum videtur, ſicut dictum eſt, quòd dicta concluſio debet eſſe de ineſſe & non de neceſſario: quia aliter concluderetur ſequi concluſio negatiua de contingenti pro poſſibili, ſicut iam paulò ante probatum eſt.

Dubitatio. Sed tunc dubitari poteſt, vtrum cum talibus præmiſſis poſſit ſtare concluſio de ineſſe affirmatiua. Videtur enim, quòd non ex illa concluſione & minore propoſitione ſequitur oppoſitum maioris, ſic, de neceſſitate omne c. eſt a. omne c. eſt b. ergo de neceſſitate aliquod b. eſt a. iſtud ſequi videtur per mixtionem neceſſarij & ineſſe in primo tertiæ. Ad hoc autem dicendum, quòd illa de ineſſe quæ aſſumitur, poterit eſſe de ineſſe vt nunc: hoc autem non poteſt ſumi in dicta mixtione ſi debeat concludi concluſio de neceſſario, ſicut ſatis patet ex his quæ in præcedentibus dicta ſunt. *Saluti.*

Dubitatio. Adhuc tamen reſtat dubitatio de terminis inductis: quia hæc concluſio, omne vigilans eſt animal, eſt de ineſſe ſimpliciter: propter quod ſi accipiatur cum minore, ſequetur oppoſitum maioris, ſic, de neceſſitate omne vigilans eſt mouens: omne vigilans eſt animal: ergo de neceſſitate aliquod animal eſt mouens: malè ergo poſiti videntur eſſe termini: quia poteſt (concluſio de ineſſe) eſſe de ineſſe ſimpliciter in terminis illis, & non de ineſſe vt nunc tantum. Ad hoc autem dixerunt aliqui, quòd non eſt vis in terminis poſitis: quia non intenditur per terminos poſitos, niſi quod aliqua concluſio de ineſſe ſtare poſſit cum præmiſſis. Poſſet tamen, vt videtur, melius dici, quòd in mixtione neceſſarij & ineſſe in tertia figura illa quæ eſt de neceſſario, appropriat ſibi conuerſam illius de ineſſe, ſi accipiatur prædicatum eſſentialiter ſub ſubiecto, ſicut infra patebit, vbi de illa mixtione tractabitur: oportet ergo, quòd in tali mixtione accipiatur illa de ineſſe, quod ſit de ineſſe ſimpliciter, & non quod qualitercunque termini ſe habeant adinuicem, ſed quod eſſentialiter ſe adinuicem habeant, & vnus ſit eſſentialiter ſub altero: ſed hæc propoſitio, omne vigilans eſt animal, non ſic ſe habet: & ideo nec ſua conuerſa vtilis eſt ad talem mixtionem: & ſic patet, quòd deficit ſyllogiſmus mixtus quem adducit ad deſtruendam maiorem, ex parte illius de ineſſe, quæ ſi conuertitur, non erit in prima figura maior extremitas eſſentialiter ſub medio: non enim eſt animal eſſentialiter ſub medio: nec etiam è conuerſo, maximè ſi vigilans ſecundum actum accipiatur. *Quorundam ſolutio.* *Aliter.*

Dubitatio. Aliter tamen adhuc dubium eſt circa iſtas coniugationes inutiles. Videtur enim, quòd maiore exiſtente affirmatiua de neceſſario ſit vtilis coniugatio ad concluſionem de contingenti pro poſſibili negatiuam, & ad concluſionem negatiuam de neceſſario: ad concluſionem enim de contingenti ſic formetur ſyllogiſmus, de neceſſitate omne b. eſt a. contingit nullum c. eſſe a. ergo contingit nullum c. eſſe b. cuius contradictoria æquipollet iſti, neceſſe eſt aliquod c. eſſe b. cum ſit de contingenti pro poſſibili: ex hac autem & maiore ſequitur oppoſitum minoris ex vtraque de neceſſario in prima figura, ſic, de neceſſitate omne b. eſt a. neceſſe eſt aliquod c. eſſe b. ergo neceſſe eſt aliquod c. eſſe a. quod cum minori ſtare non poteſt. Adhuc autem etiam videtur ſequi negatiua de ineſſe ſic, nullum c. eſt b. ſi enim hæc non ſequitur ex prædicta coniugatione, detur oppoſitum ex quo & maiore ſequetur oppoſitum minoris per mixtionem neceſſarij & ineſſe in prima figura, ſic, de neceſſitate omne b. eſt a. aliquod c. eſt b. ergo de neceſſitate aliquod c. eſt a. & ſimilis eſt obiectio de omnibus illis quæ habent maiorem affirmatiuam de neceſſario. Adhuc etiam opponitur de illis quæ habent minorem affirmatiuam de neceſſario, ſic, contingit nullum b. eſſe a. neceſſe eſt omne c. eſſe a. ergo contingit nullum c. eſſe b. & eſt contingens pro poſſibili in concluſione: ex oppoſito enim concluſionis & minore ſequitur oppoſitum maioris per vtramquæ de neceſſario in tertia figura, ſic, de neceſſitate omne c. eſt a. de neceſſitate aliquod c. eſt b. ergo de neceſſitate aliquod b. eſt a. Similiter etiam poteſt oſtendi, quòd ſequitur negatiua de ineſſe per mixtionem neceſſarij & ineſſe in tertia figura, ſic, de neceſſitate omne c. eſt a. aliquod c. eſt b. quæ eſt oppoſita concluſionis de ineſſe: ergo de neceſſitate aliquod b. eſt a. quæ eſt oppoſita maioris. Et eſt ſimilis oppoſitio de omnibus coniugationibus quæ habent minorem affirmatiuam de neceſſario.

Ad omnia autem huiuſmodi dici poteſt, quòd negatiua de contingenti pro poſſibili, ſequitur habitudinem rerum, ſicut ante oſtenſum eſt in præcedentibus: & ita cum dicitur in contingentibus ſequi concluſionem vniuerſalem in tertia figura, & affirmatiuam in ſecunda, hoc non eſt niſi gratia terminorum & non gratia formæ ſyllogiſticæ: quia non ſequitur talis concluſio virtute præmiſſarum ſic in dictis coniugationibus diſpoſitarum, & ſub tali figura, ex quo vtraque eſt affirmatiua, quod repugnat proprietati ſecundæ figuræ. Vnde reſpiciendo tales coniugationes à proprietate figuræ proculdubio debent reputari inutiles. Nunquam enim gratia formæ ſyllogiſticæ ex vtraque affirmatiua immediatè ſequitur negatiua. Et ideo per tales terminos poſitos ad inſtantiam non excluditur, quòd non ſequatur concluſio de contingenti pro poſſibili, ſed reſpiciendo ad conſequentiam rerum ſequitur talis concluſio. Ponuntur tamen tales coniugationes inutiles: quia ex forma ſyllogizandi & proprietate figuræ non poſſunt in talem concluſionem: & hoc modo vbique concluditur in his mixtionibus. *Saluti.*

Ad hoc autem quod videtur probari ſequi concluſionem de ineſſe. Dicendum, quòd hoc non eſt verum: & dicendum, quòd ſyllogiſmus mixtus ducens ad impoſſibile non valet: quia illa de ineſſe, quam aſſumit, poterit eſſe de ineſſe vt nunc: ſequitur enim concluſio de contingenti pro poſſibili, quæ poſita ineſſe aliquando erit de ineſſe vt nunc, & aliquando

quando de ineſſe ſimpliciter : & ita oppoſitum illius quod aſſumitur in ſyllogiſmo mixto, poterit eſſe de ineſſe vt nunc : contingens autem quod ſequitur in concluſione in modis habentibus vniuerſalem negatiuam de neceſſario, ſi ponatur ineſſe, ſemper exigit quod concluſio ſit de ineſſe ſimpliciter : & cauſa huius eſt aſſignata in præcedentibus.

CAPVT XXIV.

De particularibus ſyllogiſmis mixtionis neceſſarij & contingentis in ſecunda figura.

Similiter autem & in particularibus, &c.

His autem habitis ponendæ ſunt vtiles & inutiles coniugationes iſtius mixtionis in particularibus ſecundæ figuræ ſyllogiſmis. Dicamus igitur primo, quòd ſimiliter ſe habet in particularibus ſyllogiſmis ſicut in vniuerſalibus : quando enim in particulari ſyllogiſmo priuatiua fuerit & vniuerſalis & de neceſſario, & particularis de contingenti affirmatiua, ſemper erit ſyllogiſmus, ſicut in tertio modo ſecundæ figuræ : & ſequetur duplex concluſio, ſcilicet & eius quod eſt contingere non ineſſe, & eius quod eſt non ineſſe. In illis enim coniugationibus eadem eſt demonſtratio quæ prius, ſcilicet per conuerſionem maioris ſimpliciter.

Quãdo autem affirmatiua nũquam, &c.

Quando autem vniuerſalis affirmatiua fuerit de neceſſario, ſicut in quarto ſecundæ, nunquam erit huius mixtionis vtilis coniugatio ad ſyllogiſmum, quæ ſit vel de contingenti vel de-ineſſe concludens. Inutilitas autem huius coniugationis eodem modo probationis oſtenderur, & per eoſdem terminos inſtantiarum ; quo oſtenſa fuit inutilitas eiuſdem coniugationis in ſyllogiſmis vniuerſalibus, in quibus vniuerſalis affirmatiua eſt de neceſſario & vniuerſalis negatiua de contingenti.

Nec quãdo vtræque ſumuntur, &c.

Nec adhuc erit vtilis coniugatio, quando vtræque propoſitiones præmiſſæ & vniuerſalis & particularis fuerint affirmatiuæ : inutilitas enim etiam huius coniugationis demonſtratur per eoſdem terminos inſtantiarum, qui in vniuerſalibus ſyllogiſmis in ſimilibus coniugationibus adducti ſunt. Iſtæ igitur ſunt inutiles coniugationes ſimpliciter.

Quãdo autẽ vtræque quidẽ priuatiuæ, &c.

Eſt autem alia adhuc coniugatio ex oppoſito iſtius ſumpta, quando ſcilicet vtræque propoſitiones fuerint priuatiuæ : vniuerſalis autem propoſitio ſit de neceſſario, & negatiua quæ ſignificet non ineſſe ſimpliciter & de neceſſitate : tunc enim per eaſdem propoſitiones quæ ſumptæ & poſitæ ſunt non ſit ſyllogiſmus : quia ex ambabus negatiuis nihil ſequitur in aliqua figura. Sed quando conuertitur propoſitio minor particularis quæ eſt de contingenti ſecundum modum contingentis ad oppoſitam qualitatem, hoc eſt, in affirmatiuam : tunc fit ſyllogiſmus, ſicut in tertio modo iſtius mixtionis dictum eſt, quod ſit ſyllogiſmus in ſecunda figura.

Si autem vtræque indefinitæ, &c.

Si autem vtræque præmiſſæ vel indefinitæ vel particulares ponantur, & vna de neceſſario, & altera de contingenti, non poteſt eſſe ſyllogiſmus ſicut & in nulla alia figura vel mixtione.

Manifeſtum igitur, &c.

Epilogando ergo dicimus, quòd manifeſtum ex prædictis eſt, quoniam quando ponitur in ſecunda figura in hac mixtione vniuerſalis priuatiua de neceſſario, & altera de contingenti, ſemper fit ſyllogiſmus & in vniuerſalibus & in particularibus ad duplicem concluſionem : non enim ſolum ſequitur concluſio eius quod eſt contingere non ineſſe, ſed etiam ſequitur concluſio eius quod eſt non ineſſe ſimpliciter. Si autem affirmatiua in hac mixtione ponatur de neceſſario, & altera de contingenti negatiua, nunquam fit ſyllogiſmus neque in vniuerſalibus, neque in particularibus ſyllogiſmis.

Et quoniam eodem modo, &c.

Palam etiam eſt, quod tam in neceſſariis propoſitionibus, hoc eſt ; quando propoſitiones ſumuntur de neceſſario, & in his quæ inſunt, hoc eſt, quando propoſitiones ſumuntur de ineſſe ſimpliciter, eodem modo fit & non fit ſyllogiſmus : quia propoſitiones de neceſſario ſimiliter conuertuntur cum illis de ineſſe, & ſimiliter ordinantur ad mixtionem contingentis.

Palam autem quoniam, &c.

Palam eſt etiãm, quòd omnes iſtius mixtionis in ſecunda figura ſyllogiſmi ſunt imperfecti, & palam eſt, quia per prædictas figuras per reductionem ad primam figuram perficiuntur : quamuis enim in probatione ſyllogiſmi aliquando ſyllogizetur in ſecunda, & aliquando in tertia, tamen finalis perfectio eſt in reductione ad primam figuram.

Dubitatio.

Hic tamen dubitatio eſt de quarto modo ſecundæ figuræ, in quo ſecundum ea quæ dicta ſunt non videtur huius mixtionis eſſe vtilis coniugatio. Quartus enim habet maiorem vniuerſalem affirmatiuam, & minorem particularem negatiuam, & non poteſt eſſe vtilis coniugatio vniuerſali affirmatiua exiſtente de neceſſario, & particulari exiſtente de contingenti, nec è conuerſo, ſicut per antedicta manifeſtum eſt. Contra hoc autem obiicitur, ſit quod maior ſit de contingenti & minor de neceſſario, ſic, contingit omne b. eſſe a. neceſſe eſt quoddam c. non eſſe a. ergo quoddam c. non eſt b. ex oppoſito enim concluſionis & maiore ſequitur oppoſitum minoris in prima figura per mixtionem contingentis & neceſſe, ſic, contingit omne b. eſſe a. omne c. eſt b. ergo contingit omne c. eſſe a. Ad hoc autem dici poteſt, quod ſyllogiſmus mixtus nullus eſt : quia oppoſitum concluſionis de ineſſe quod aſſumit, poteſt eſſe de ineſſe vt nunc in mixtione autẽ contingentis & ineſſe debet eſſe de ineſſe ſimpliciter.

Solutio.

Obiectio.

Sed tunc oritur obiectio de contingenti pro poſſibili : contingens enim pro poſſibili videtur ſequi ſic, quod ex oppoſito concluſionis & maiore videtur ſequi oppoſitum minoris in prima figura per mixtionem contingentis & neceſſarij, ſic, contingit omne b. eſſe a. neceſſe eſt omne c. eſſe b. hæc enim æquipollet oppoſito concluſionis : ergo contingit omne c. eſſe a. de contingenti ad vtrumlibet : & eſt modus perfectus, & maior eſt de contingenti

tali Adhuc autem ostenditur idem per expositionem: quia si quoddam c. necessitate non est a. sit illud t. & tunc erit verum dicere, quòd de necessitate nullum t. est a. syllogizetur ergo sic, contingit omne b. esse a. de necessitate nullum t. est a. ergo contingit nullum t. esse b. hoc enim sequi videtur in secundo secundæ per vtilem istius mixtionis coniugationem: sed si contingit nullum t. esse b. & t. est aliquod c. ergo contingit aliquod c. non esse b. & est conclusio negatiua de contingenti pro possibili: & ex hoc videtur, quòd regula illa falsa sit quæ dicit, quòd si vniuersalis negatiua non fuerit de necessario, est inutilis coniugatio. Et dicendum videtur, quòd ista conclusio sequitur. Sed tamen non reputantur vtiles coniugationes, nisi quæ descendunt à primo modo secundæ figuræ, in quo est maior vniuersalis negatiua: & non reputantur vtiles illæ particulares coniugationes quæ descendunt à secundo secundæ, vbi est maior vniuersalis affirmatiua, & minor est vniuersalis negatiua, à qua descendit quartus secundæ figuræ. Et huius causa est secundum quosdam, quòd hic non debent reputari vtiles coniugationes quæ per conuersionem non possunt reduci in primam figuram, quia debitam non habent originem: non possunt autem reduci in primam figuram per conuersionem, nisi quæ habent maiorem vniuersalem negatiuam de necessario: & ideo illæ solæ reputantur vtiles.

Solutio ambigua Contra. tunc modi pro bandi quibus vtitur sæpe Arist. nulli essent. Præterea, tunc à pari baroco & bocardo in illis do ineste essent modi imperfecti: quia non possunt reduci per conuersionem: imo essent inutiles. Et ideo ego li e vem ad primum, quod illa coniunctio illæ vniuersalis affirmat ua de contingenti non contradicit particulari negatiuæ de necessario quæ fuit minor in primo syllogismo. Sed tamen contradicit illi & sua sub contrariæ sumptas sub distinctione Ad secundum dicendum quod argumentum non plus concludit, nisi quod modus ille concludit ut est secundus secundæ & non inquantum quartus eiusdem.

Si autem quæritur de sufficientia harum coniugationum. Dicendum quod à principio supponendum, quod in hac mixtione maior debet esse vniuersalis negatiua: & tunc patet, quod tantum sex sunt coniugationes vtiles hîc in hac mixtione, quatuor scilicet vniuersales, & duæ particulares, & sex inutiles, sicut in mixtione præcedenti quæ fuit de contingenti & inesse.

CAPVT XXV.

De vniformi generatione syllogismorum de contingenti in tertia figura.

In postrema autem figura. IN postrema autem figura ante generationem siue formationem vniformem & mixtam syllogismorum de contingenti, ponendæ sunt regulæ, & principia secundum quæ regulanda est generatio syllogismorum. Et sunt tres quarum prima est ad regulandam vniformem generationem de contingenti, & est hæc, quòd quando in tertia figura vtræque propositiones sunt de contingenti, erit conclusio de contingenti.

Prima regula.

Secunda. Secunda est qua regulantur syllogismi mixti de contingenti & inesse, & est hæc quando vna propositionum est de contingenti & altera de inesse, sequitur conclusio de contingenti: sed hoc est verum, quando maior fuerit de contingenti, & minor de inesse: tunc enim in hac mixtione sequitur in tertia figura conclusio de contingenti.

Tertia. Tertia autem regulatur mixtio contingentis & necessarij, & est hæc, quòd quando altera propositionum ponitur esse de necessario & altera de contingenti, si maior propositio est de contingenti & reliqua de necessario sit affirmatiua, non sequitur conclusio de inesse, neque sequitur conclusio de necessario, sed tantum de contingenti. Si autem illa de necessario fuerit vniuersalis negatiua, sequitur duplex conclusio, scilicet de inesse, & de contingenti pro possibili.

Sed notandum, quòd contingens quod cõcluditur in his conclusionibus, accipiendum sicut in præcedentibus, hoc est, quòd in syllogismis huius generationis (qui post suam reductionem fiunt modi perfecti primæ figuræ) concluditur contingens à principio determinatum, quod est contingens ad vtrumlibet. In illis autem qui reducuntur ad modos imperfectos, concluditur contingens pro possibili: sic enim factum est in mixtione præcedenti.

Coniugationes vniuersales vniformium de contingenti in tertia figura. His autem sic præmissis coniugationes vtiles ponamus in tertia figura ad generationem vniformem syllogismorum de contingenti, sic quòd primum sit vtilis & vniuersalis & vniuersalis coniugatio de vtraque affirmatiua de contingenti sic, quòd c. sit medium quod subiicitur. a. autem maior extremitas. & b. minor: sumatur enim & a. & b. contingere omni c. inesse, sic, omne c. contingit esse a. & omne c. contingit esse b. tunc enim ille syllogismus concludit, quoddam b. contingit esse a. & perficitur per conuersionem minoris, in terminis, sic, omne c. contingit esse a. quoddam b. contingit esse c. ergo quoddam b. contingit esse a. Hic enim est syllogismus in tertio primæ figuræ de contingenti: quoniam enim conuertitur vniuersalis affirmatiua in particularem in terminis. Dictum est autem quod b. contingit omni c. in minori propositione: tunc per conuersam etiam c. contingit alicui b. & ideo si a. quidem contingit omni c. in maiori. c. autem contingit alicui b. in conuersa minoris: sequitur in tertio primæ, quòd a. contingit alicui b. hæc igitur est coniugatio iuxta primum modum sumpta.

Sit ergo primum contingentes, &c.

Et si a. quidem contingeret nulli c. &c. Ponamus autem coniugationem iuxta secundum modum sumptam, qui habet maiorem vniuersalem negatiuam & minorem vniuersalem affirmatiuam concludens particularem negatiuam, sic quòd si a. quidem contingit nulli c. inesse: ita quod hæc sit vera, nullum c. contingit esse a. b. autem contingit omni c. inesse, ita quod in minori, hæc est vera, omne c. contingit esse b. sequitur necessitate syllogistica, quò a. contingat alicui b. non inesse: & iste est secundus tertiæ: erit enim in perfectione huius syllogismi rursus prima figura per conuersionem minoris propositionis in terminis, sic, nullum c. contingit esse a. quoddam b. contingit esse c. quoddam b. contingit non esse a. hic est enim quartus primæ figuræ.

Si autem vtræque priuatiuæ, &c. Tertiam autem ponemus coniugationem ex vtrisque negatiuis præmissis. Si enim vtræque priuatiuæ propositiones præmissæ ponantur: tunc ex his quidem quæ sumpta sunt non erit necessarium aliquid sequi necessitate syllogistica: sed conuersis propositionibus primo

primo quidem in oppositam qualitatem, & deinde conuersa minore in terminis, erit syllogismus, quemadmodum in prioribus de primo primæ dictum est. Si enim maior extremitas a. & b. minor. contingant c. nulli inesse: si transmutatur siue conuertitur contingens non inesse in contingens inesse, hoc est, in oppositam qualitatem, rursum est prima figura per conuersionem minoris in particularem, & in terminis, sic, nullum c. contingit esse a. & omne c. contingit esse a. nullum c. contingit esse b. & omne c. contingit esse b. & hæc conuertatur, quoddam b. contingit esse c. tunc rursum erit prima figura in tertio primæ figuræ, quemadmodum in prioribus dictum est.

Remouet dubium. Hic autem omittimus quartam coniugationem, quæ habet maiorem affirmatiuam & minorem negatiuam, & vtramque de contingenti, de qua quidam dubitant, vtrum sit vtilis vel inutilis: & statim patere potest cuilibet, quòd sit vtilis: quia per conuersionem minoris in oppositam qualitatem & postea per conuersionem in terminis factam melius reducitur in tertium modum primæ figuræ, sicut patet per antedicta: & ideo etiam omittitur: quia ex illis nota potest esse cuilibet. Si enim quando vtræque sunt priuatiuæ contingat a. & b. non inesse c. ita quod nullum c. contingit esse a. & nullum c. contingit esse b. tunc transmutatur, hoc est, conuertitur in minore primo contingens non inesse in contingens inesse, per conuersionem ad oppositam qualitatem: & postea conuersa in oppositam qualitatem conuertitur in terminis: & tunc rursum erit prima figura, & syllogizatur in quarto primæ, & concluditur de contingenti secundum generationem vniformem syllogismorum de contingenti: & hoc quidem modo duo formantur syllogismi vniuersales.

Coniugationes particulares vniformium de contingenti in tertia figura. Formationes autem particularium syllogismorum huius mixtionis in tertia figura fiunt per hunc modum: & primo quidem ponamus eas quæ sunt ex propositionibus affirmatiuis in maiore scilicet & minore siue vniuersali siue particulari, eodem modo se habentibus terminis in quantitate sicut in illis de inesse quoad vniformem generationem syllogismorum de inesse. Et hoc, sicut diximus, verum est quoad quantitatem propositionum: quia fit syllogismus maiore vel minore existente vel vniuersali vel particulari, sicut in illis de inesse, & sic similiter illis de inesse, & fit & non fit syllogisms. Quoad hoc ponatur primo coniugatio in qua maior est vniuersalis affirmatiua & minor particularis affirmatiua, sic: detur enim, quòd in maiori contingat a. omni c. & in minori contingat b. alicui c. sic, omne c. contingit esse a. quoddam c. contingit esse b. tunc enim necessario erit rursum prima figura minore particulari propositione conuersa in terminis. Si enim a. omni c. contingit in maiori propositione. c. autem contingit alicui b. in conuersa minoris: sequitur quod a. contingit alicui b. in conclusione per tertium primæ.

Si aut. hic quidem terminorum vniuersalis, &c.

Et si ad hoc ponatur, &c.

Et quia tertius modus figuræ tertiæ habet maiorem particularem, in reductione post conuersionem particularis quæ est maior, oportet transponere propositiones, vt vniuersalis fiat maior & in tertio primæ: & hoc quando maior est particularis & minor est vniuersalis, sicut si ad b. c. donatur vniuersalis (b. c. enim minor est) sic, contingit quoddam c. esse a. contingit omne c. esse b. tunc oportet conuertere maiorem & transponere propositiones.

Similiter autem & si a. c. &c. Aliæ autem sunt coniugationes ex dissimilibus propositionibus, altera scilicet affirmatiua, & altera negatiua: & in talibus quidem si maior sit negatiua & minor affirmatiua, vt si a. c. quidem maior propositio sit negatiua. b. c. autem propositio minor sit affirmatiua, erit vtilis coniugatio per conuersionem maioris in terminis. Tamen hæ coniugationes quatuor sunt, quarum duæ habent maiorem negatiuam vniuersalem scilicet vel particularem & minorem affirmatiuam: quæ intelliguntur per regulas inductas. Et omnium istarum facile patet perfectio: affirmatiua enim quando maior fuerit, conuertenda est in terminis tantum. Si autem fuerit vniuersalis negatiua, primo conuertenda est ad oppositam qualitatem & postea in terminis. Si autem maior sit particularis, conuertendæ sæpè dicto modo, & propositiones sunt transponendæ.

Si autem vtræque priuatiuæ, &c. Si autem vtraque propositiones ponantur esse priuatiuæ: tunc iterum sunt duæ coniugationes: vna quidem in qua maior vniuersalis & in reliqua minor est vniuersalis: & tunc quamuis per ea quidem quæ sumpta sunt non fiat syllogismus, eò quod ex ambabus negatiuis nihil sequitur: conuersis tamen propositionibus, vt in prioribus dictum est, fit syllogismus, ita scilicet vt quando maior est vniuersalis, perficiatur per duplicem minoris conuersionem, scilicet in oppositam qualitatem primò, & postea in terminis. Illa autem in qua minor est vniuersalis, perficitur per duplicem conuersionem maioris, primo ad oppositam qualitatem, & postea in terminis, & per transpositionem propositionum.

Quãdo autẽ vtraq; indefinitæ, &c, Sunt autem & inutiles coniugationes quatuor, quando scilicet vtræque præmissæ sumuntur particulares indefinitæ, vel ambæ affirmatiuæ, vel ambæ negatiuæ, vel maior negatiua & minor affirmatiua, vel è conuerso: & omnes sunt inutiles, & ex eis non erit syllogismus. Et inutilitas earum ostenditur in terminis in quibus sequitur, quòd necesse est a. maiorem extremitatem & omni & nulli b. minori scilicet extremitati inesse. Termini autem ad necesse inesse omni, sunt animal, homo, album: medium autem est album. Termini autem in quibus sequitur de necessitate nulli inesse, equus, homo, album: & medium est album.

Obiectio. Istæ tamen omnes coniugationes quas vtiles diximus & vniuersales & particulares instantiam videntur habere in terminis, sic, contingit omne mouens esse hominem: contingit omne mouens esse equum: non tamen contingit aliquem hominem esse equum. Et similiter in particularibus videtur esse instantia, sic, contingit aliquod mouens esse hominem:

contingit omne mouens esse equum: non tamen contingit aliquem equum esse hominem.

Solutio. Ad hæc dicendum, quod quando maior est vniuersalis in hac figura in ista generatione syllogismorum, illa etiam post reductionem fit maior in prima figura: propter quod sicut maior in prima figura in vniformi generatione syllogismorum de contingenti accipitur secundum istam acceptionem contingentis, omne quod contingit esse b. contingit esse a. ita etiam maior in hac figura in ista generatione est accipienda: & ideo si vera debeat esse propositio maior, non potest subiici terminus accidentalis & prædicari substantialis: sic enim erit propositio falsa, vt in antehabitis determinatum est. Vnde hæc falsa est, omne mouens contingit esse hominem: quia sensus est, omne quod contingit esse mouens, contingit esse hominem. Similiter autem quando maior est particularis: quia illa quæ in syllogismo primo est minor, fit maior post reductionem: & ideo idem obseruandum est in ista quod in illa: & ex hoc patet, quòd sophistice accipiuntur termini ad instantiam inducti.

Dubitatio de sufficientia coniugationum huius figuræ. Solutio. Communis etiam quæstio est hic de sufficientia coniugationum vtilium & inutilium istius generationis in hac tertia figura. Sed ad hoc sciendum supponendum est hic quod si altera propositionum sit vniuersalis, semper fit syllogismus. Hic enim & sic syllogismus ex ambabus negatiuis & ex minore negatiua: omnes enim negatiuæ hic æquipollent affirmatiuis. Hoc autem supposito patet, quod duodecim fiunt coniugationes vtiles, scilicet quatuor vniuersales (scilicet vel ambæ affirmatiuæ, vel ambæ negatiuæ, vel maior affirmatiua & minor negatiua, vel è conuerso) & quatuor per eandem multiplicationem in quibus maior est vniuersalis & minor particularis, & quatuor in quibus est è conuerso maior particularis & minor vniuersalis. Quatuor autem in quibus vtraque est particularis, manent inutiles: & sic omnes sunt sexdecim coniugationes.

CAPVT XXVI.

De mixtione contingentis & inesse in tertia figura.

Si autem hæc quæ sit propositionum, &c. DE mixtione autem contingentis & inesse tractantes resumamus primo principium siue regulam secundum quam fit hæc mixtio, dicentes quòd si altera propositionum in tertia figura significat, quod sit de inesse, & reliqua de contingenti, sequitur conclusio de contingenti, & non sequitur conclusio de inesse. Syllogismus autem erit in ista mixtione, quando eodem modo se habent termini sicut in præcedenti generatione syllogismorum de contingenti. Dico autem eodem modo se habentibus terminis quoad hoc, quod sicut in præcedenti generatione vniformi fit aliquando syllogismus ex vtraque affirmatiua, & aliquando ex vtraque negatiua, aliquando autem ex altera negatiua & altera affirmatiua: ita fit & hic in mixtione contingentis & inesse.

Sint enim primũ quidem, &c. Ad hanc ergo regulam demus coniugationes primo vniuersales, & inter vniuersales primo ponamus affirmatiuas duas, quarum prima hal et maiorem de inesse & minorem de contingenti, secunda autem è conuerso. Sint enim primum ambæ præmissæ prædicatiuæ vniuersales, ita quod in maiori quæ est de inesse, a. insit omni c. medio: & in minori quæ est de contingenti, b. contingat inesse omni c. sic, omne c. a. omne c. contingit esse b. tunc enim conuersa b. c. minori propositione in terminis fit prima figura, & sequitur conclusio de contingenti, scilicet quod contingit a. alicui b. inesse, sic, omne c. a. quoddam b. contingit esse c. ergo quoddam b. contingit esse a. qui est syllogismus in tertio primæ. Iam enim dictum est in præcedentibus, quòd cum altera propositionum in prima figura significabat contingere, ita quod fuerit de contingenti, quodsequebatur conclusio de contingenti.

Similiter autem & si b. c. &c. Similiter autem est vtilis coniugatio minore existente de inesse, & maiore de contingenti: quia si b. c. propositio minor significet inesse, a. c. autem propositio maior significet contingere: & ista sicut prior perficitur & reducitur in tertium primæ per conuersionem minoris in terminis.

Et si a. c. quidem priuatiua, &c. Secundo ponamus coniugationes vtiles vniuersales negatiuas. Primum autem ponamus eas, quæ habeant minorem affirmatiuam & maiorem negatiuam, quæ etiam duæ sunt, secundum quod maior potest esse de inesse, & minor de contingenti, aut è conuerso. Si enim a. c. propositio maior sit priuatiua, b. c. autem propositio minor sit prædicatiua, & alterutra harum propositionum significet de inesse, hoc est, quæcunque earum siue maior siue minor, & altera sit de contingenti: ex vtraque enim coniugatione sequitur conclusio de contingenti per conuersionem minoris duplicem, scilicet in oppositam qualitatem, & postea in terminis reducuntur ad primam figuram, reducuntur enim in quartum primæ: ostensum est enim, quod si in prima figura altera propositionum significat contingere, sequitur conclusio de contingenti. Aliæ etiam duæ sunt, quæ habent maiorem de contingenti affirmatiuam vel negatiuam, & minorem de inesse negatiuam, quæ abiiciendæ sunt: quia manifestum est de eis, quòd sunt inutiles, eò quod habeant minorem verè negatiuam: quod nec in prima figura, nec in tertia fieri potest, ita quod sit vtilis coniugatio.

Si autem contingens priuatiua, &c. Si autem ponatur propositio quæ est de contingenti priuatiua, & ad minorem extremitatem, ita quod minor sit negatiua de contingenti, quæ non est verè negatiua, quia cum affirmatiua conuertitur: vel si vtraque ponatur priuatiua, scilicet & maior quæ est de inesse, & minor quæ est de contingenti: tunc quidem in illis duabus coniugationibus per sumptas propositiones (eò quod minor est negatiua aliquo modo, quod primæ & tertiæ figuris non congruit) non erit syllogismus per sumptos terminos. Conuertis autem propositionibus primo ad oppositam qualitatem, & postea

postea vlterius in terminis conuersa minori, erit syllogismus quemadmodum in primo huius figuræ, qui reducitur in tertium figuræ primæ, sicut in prioribus syllogismis dictum est.

Obiectio. Si fortè feratur instantia contra vtiles coniugationes, quæ positæ sunt, sic, omne mouens est homo (ponatur) contingit omne mouens esse equum: non tamen contingit aliquem hominem esse equum. Similiter autem & per eosdem terminos potest ferri instantia ad modos negatiuos, & vniuersales & particulares. Dicendum autem ad hoc, quòd non valet instantia: quia instantia illa de inesse est de inesse vt nunc, & debet esse de inesse simpliciter. Cuius ratio est: quia in eadem mixtione in prima figura à qua ista tertia figura descendit & in quam reducitur, illa de inesse est de inesse simpliciter & non vt nunc.

Dubitatio. Si autem vlterius quæritur, vtrum illæ coniugationes vtiles possunt in conclusionem de inesse sicut possunt in conclusionem de contingenti? Dicendum, quòd non: quamuis hoc quidam probare videantur sic, omne c. est a. contingit omne c. esse b. ergo aliquod b. est a, aut detur oppositum, & ponatur minor quæ est de contingenti inesse, sic, nullum b. est a. omne c. est b. sequitur, quòd nullum c. sit a. quæ est contraria maioris, & non verificatur cum ipsa. Et dicendum, quòd hæc probatio non valet: quando enim datur oppositum tantum, tunc nullum sequitur inconueniens: sed cum minor ponitur inesse, non est admittendum: quia ex hoc causatur inconueniens quod prius non erat: si enim maior sit vera & de inesse simpliciter: tunc compossibilia sunt oppositum conclusionis de inesse & minor: postea autem quando minor ponitur inesse, efficiuntur incompossibiles: & iam superius dictum est, quòd in tali casu vbi hoc accidit, non est ponenda inesse illa de contingenti. Posset tamen ista ostensio sufficere ad hoc quod sequatur conclusio de contingenti: quia oppositum conclusionis de contingenti statum repugnat minori, & per positionem eius inesse non fit noua incompossibilitas quæ prius non erat: & ideò procedendo ad ostendendam sequi conclusionem de contingenti, probatio aliquid valere videtur. Similis autem isti est & obiectio & similis solutio circa modos negatiuos.

Si autem hæc quidem propositionum fuerit, &c. His habitis ponamus istius mixtionis coniugationes particulares, quæ procul dubio sunt octo. Si enim vtraque fuerit affirmatiua, quatuor erunt coniugationes: quia maior potest esse vniuersalis & minor particularis, aut è conuerso: & maior potest esse de inesse & minor de contingenti, aut è conuerso. Et vtraque istarum perficitur per conuersionem minoris quando maior est vniuersalis: tunc enim duæ sunt, eò quòd maior potest esse de inesse, & minor de contingenti, aut è conuerso.

Quando autem maior fuerit particularis & minor vniuersalis, aut maior est de inesse & minor de contingenti, aut è conuerso: & sic iterum sunt duæ, quæ perficiuntur per conuersionem maioris, & per transpositionem propositionum. Adhuc autem si vniuersalis sit priuatiua maior, & minor sit particularis affirmatiua, per eandem diuisionem fiunt iterum duæ per esse maiorem de inesse, minorem autem de contingenti, vel è conuerso, quarum illa vtilis est quæ habet maiorem de contingenti: quæ ambæ perficiuntur per conuersionem minoris. Si autem è conuerso fuerit, scilicet quod maior sit particularis affirmatiua, & minor vniuersalis negatiua, & illæ per eundem modum diuisionis iterum fiunt duæ coniugationes, quarum illa vtilis est quæ habet minorem de contingenti, & perficitur per conuersionem maioris & transpositionem propositionum: illa vero inutilis quæ habet minorem de inesse & affirmatiuam, quia illa habet minorem verè negatiuam, quod huic tertiæ figuræ non congruit. Adhuc autem si vniuersalis sit affirmatiua & particularis negatiua, quatuor fiunt coniugationes: aut enim maior est vniuersalis & minor particularis, aut è conuerso. Si maior est vniuersalis: aut maior est de inesse & minor de contingenti, aut è conuerso. Et si maior est vniuersalis de inesse & minor de contingenti, est vtilis coniugatio: aut è conuerso maior est de contingenti & minor de inesse, & est inutilis coniugatio. Si autem maior sit particularis & minor vniuersalis: aut maior est de inesse & minor de contingenti: & talis coniugatio est inutilis. Si verò sit è conuerso maior de contingenti & minor de inesse, est coniugatio vtilis. Sic ergo multiplicantur istæ particulares coniugationes, quarum causam Aristot. (cuius sententiam hic sequimur) non ponit nisi vltimam. Dicit enim Aristot. in formatione particularium syllogismorum, quòd si propositionum præmissarum vna sit particularis & altera vniuersalis, quando vtræque propositiones sunt affirmatiuæ: aut quando vniuersalis quidem est priuatiua & particularis affirmatiua, sicut est in sexto huius tertiæ: idem modus per tales coniugationes erit syllogismorum: quia per conuersionem vnam vel duas omnes tales reducuntur & claudentur per primam figuram: propter quod manifestum dicit esse, quòd in talibus erit syllogismus eius quod est contingere, hoc est, quod sequitur conclusio de contingenti, & non sequitur conclusio eius quod est de inesse.

Si autem affirmatiua quidè vniuersalis, &c. In coniugatione tamen in qua vniuersalis est affirmatiua & minor, & particularis negatiua & maior, sicut est in quinto tertiæ, oportet quod vtilitas coniugationis ostendatur per impossibile: formetur enim sic syllogismus, quod in minori sit vniuersalis affirmatiua de inesse, ita quod b. minor extremitas insit omni c. quod est medium, sic, omne c. est b. & maior sit particularis negatiua de contingenti, ita quod a. maior extremitas contingat alicui c. non inesse: tunc enim necessitate syllogistica contingit a. alicui b. non inesse in conclusione: si enim non sequitur, detur oppositum: hoc autem est secundum veritatem, non contingit aliquod b. non esse a. hoc autem æquipollet huic, necesse est omne b. esse

esse a. omne c. est b. ergo necesse est omne c. esse a. hoc enim sequitur: quia minor est de inesse simpliciter, & est syllogismus huius mixtionis in primo primæ. Si enim omni b. inest a. ex necessitate, sicut dicit illa quæ æquipollet opposito conclusionis. b. autem omni c. positum est inesse in minori, sequitur quòd a. omni c. ex necessitate inerit, quæ est maiori opposita. Positum est enim in maiori prioris syllogismi, quod a. contingit alicui c. non inesse.

Quando autem indefinitæ vel particulares, &c.

Inutiles autem coniugationes & particulares sunt, quando in hac mixtione ambæ præmissæ sumuntur particulares vel indefinitæ: ex talibus enim nunquam fit syllogismus. Inutilitas autem harum coniugationum demonstratur per eosdem instantiæ terminos, qui positi sunt paulò ante ad inutiles coniugationes demonstrandas in vniuersalibus syllogismis. Intelligendum tamen, quòd adhuc sunt quatuor coniugationes habentes vtramque negatiuam: sed quia omnes inutiles sunt præter vnam, ideò eas ponere non oportet. Cum enim vtraque sit negatiua: aut maior est vniuersalis & minor particularis, aut è conuerso. Si maior est vniuersalis: aut ergo maior est de inesse & minor de contingenti, & est vtilis coniugatio: aut è conuerso, & est inutilis. Adhuc si maior est particularis & minor vniuersalis: aut maior est de inesse & minor de contingenti, aut è conuerso, & semper est inutilis coniugatio. Nunquam enim in hac mixtione in tertia figura est vtilis coniugatio quando illa de inesse est negatiua particularis, propter hoc quod in reductione efficitur minor verè negatiua, quod esse non potest in prima & tertia figuris.

Dubitatio prima.

Dubitatur autem hîc à quibusdam de istis coniugationibus, quæ habent maiorem particularem de inesse & minorem vniuersalem affirmatiuam de contingenti, quæ dictæ sunt inutiles: videntur enim istæ esse vtiles ad conclusionem de contingenti, sic, aliquod c. non est a. contingit omne c. esse b. ergo contingit aliquod b. non esse a. exponatur enim c. per aliquid quod sub ipso est a quo vniuersaliter remouetur a. & sit illud n. & fiat talis syllogismus, nullum n. est a. contingit omne n. esse b. ergo contingit aliquod b. non esse a. & videtur hoc sequi: quia hæc est vtilis istius mixtionis coniugatio in secundo modo secundæ figuræ.

Secunda.

Adhuc autem idem ostendi potest per deductionem ad impossibile. Sic enim ex opposito conclusionis & minore posita inesse sequitur oppositum maioris in primo primæ per propositiones quæ omnes sunt de inesse.

Responsio prima.

Ad hæc autem & similia dicendum, quòd nec sequitur conclusio de inesse, nec de contingenti. Ad syllogismum autem expositiuum dicendum, quòd est inutilis syllogismus expositiuus: ideo quia vniuersalis negatiua accepta sub particulari potest esse de inesse vt nunc, sicut & ipsa particularis: & ideo facit inutilem syllogismum: quia post reductionem in primam figuram, nec potest fieri maior neque minor in hac mixtione: non enim habet aliquid vnde cogatur ad hoc quod sit de inesse simpliciter, sed remanet de inesse vt nunc.

Ad secundam.

Ad hoc autem quod deducit ad impossibile. Dicendum sicut in præcedentibus, scilicet quòd oppositum conclusionis tam de inesse quam de contingenti stare potest cum minori, ex quo maior est de inesse vt nunc: sed cum minor ponitur inesse, ipsa incompossibilis efficitur vtrique istarum: & ideo non est ponenda minor inesse, si aliæ conceduntur.

Ad habendam autem sufficientiam coniugationum hîc positarum supponendum est quantum ad omnes coniugationes vtiles, quòd altera propositionum sit vniuersalis. Specialiter autem quantum ad modos negatiuos supponendum est, quòd illa de inesse sit vniuersalis negatiua & maior. Et dico modos negatiuos solum illos in quibus illa de inesse negatiua est. Quibus suppositis manifestum est, quod ex vtraque existente vniuersali sex fiunt coniugationes vtiles, & duæ inutiles. Adhuc autem maiore existente particulari & minore vniuersali fiunt quatuor vtiles, & quatuor inutiles. Si autem vtraque sit particularis, omnes erunt inutiles. Ex quibus omnibus facile est colligere, quòd sexdecim sunt huius vtiles coniugationes, & sexdecim inutiles: quæ sunt triginta duæ coniugationes sicut in aliis.

Numerus coniugationum tam vtilium quam inutilium huius figuræ, &c.

Si autem quæritur causa secundæ suppositionis, scilicet quare in modis negatiuis in quibus illa de inesse est negatiua, oportet quod sit vniuersalis & maior? Et dicendum est adhoc, quòd omnes coniugationes huius mixtionis in hac figura descendunt à modis particularibus huius mixtionis in prima figura, minore conuersa, sicut in antehabitis dictum est: ita quod illæ quæ habent illam de inesse affirmatiuam, descendunt ab illis quæ in prima figura eandem habent affirmatiuam. Illæ autem quæ habent illam de inesse negatiuam, descendunt ab his quæ in prima figura habent eandem negatiuam in eadem mixtione. Constat autem, quòd modi huius mixtionis in prima figura habentes illam quæ est de inesse negatiuam, habent eandem vniuersalem & maiorem: propter quod oportet, quòd similiter sit hîc. Ad idem etiam facit, quod negatiui syllogismi huius figuræ reducuntur in negatiuos primæ figuræ eiusdem mixtionis, & sunt qui habent maiorem negatiuam de inesse & vniuersalem: propter quod oportet, quòd obseruetur hîc quod isti habeant illam propositionem de inesse quæ possit esse maior in prima figura in syllogismis ad quos reducuntur. Non autem possunt eam habere minorem: eò quod minor in tertia figura non potest esse simpliciter negatiua, sicut nec in prima. Relinquitur igitur, quòd habeant eam maiorem: oportet igitur, quòd in modis negatiuis vniuersalis de inesse negatiua sit & maior: & hæc est causa suppositionis.

Quare in modis negatiuis in quibus illa de inesse est negatiua in hac mixtione, oportet quòd sit vniuersalis & maior in tertia figura.

***

CAPVT

CAPVT XXVII.

De mixtione necessarij & contingentis in tertia figura ad syllogismos vniuersales.

IN mixtione autem necessarij & contingentis in tertia figura oportet primum resumere regulam secundum quam hæc debet fieri mixtio: deinde modos huius figuræ secundum illam mixtionem ad regulam verificare. Regula igitur hæc est, quòd si vna quidem propositionum fuerit de necessario, & altera de contingenti, & prædicatiuæ siue affirmatiuæ fuerint propositiones, semper erit syllogismus eius quod est contingere, hoc est, conclusionis de contingenti. Si autem in vna propositionum ad vnum terminum fuerit affirmatiuus, & ad alterum terminum siue extremum fuerit negatiuus siue priuatiuus: si ille fuerit de necessario qui est affirmatiuus (ita quod propositio affirmatiua fuerit de necessario) sequitur conclusio negatiua de contingenti, eius scilicet quod est contingere non inesse. Si autem priuatiuus terminus siue priuatiua propositio sit de necessario, & affirmatiua de contingenti, sequitur duplex conclusio, scilicet & de contingenti negatiua, & negatiua de inesse: & hoc est quod dicitur, quod sequitur conclusio eius quod est contingere non inesse, & eius quod est ex necessitate non inesse: quia nunquam sequitur conclusio de necessario, sicut nec in aliis figuris in hac mixtione sequitur conclusio de necessario.

Si autem hæc quidem propositionum necessaria, &c.

Sint ergo prædicatiui termini primum, &c.

Hæc regula sic posita modos huius mixtionis in tertia verificemus figura, & primò primum, qui constat ex duabus vniuersalibus affirmatiuis: sint enim primum prædicatiui ambo termini, ita quod in maiori a. quod est maior extremitas, insit omni c. medio ex necessitate. b. autem (quod est minor extremitas) contingat inesse omni c. ita quòd maior sit vniuersalis affirmatiua de necessario, & minor sit vniuersalis affirmatiua de contingenti, sic, ex necessitate omne c. est a. contingit omne c. esse b. sequitur conclusio affirmatiua de contingenti, quod a. contingit alicui b. inesse. Et perficitur hic syllogismus per conuersionem minoris in terminis factam, & fit talis syllogismus in tertio primæ: quia cum a. omni c. inest ex necessitate (sicut dicitur in maiori) & contingit quoddam b. esse c. (sicut dicit conuersa minoris) sequitur in tertio primæ, quòd a. contingens est inesse alicui b. & non sequitur conclusio inesse, scilicet hæc, quòd a. inerit alicui b. hoc modo contingentis: & hoc quidem est veritas.

Prima obiectio.

Sunt tamen qui nituntur probare, quòd in isto modo sequitur etiam conclusio de inesse, & non tantum de contingenti, sic, de necessitate omne c. est a. contingit omne c. esse b. ergo aliquod b. est a. Si non sequitur, detur oppositum, hoc scilicet, nullum b. est a. ex quo & minore sequitur oppositum maioris per mixtionem contingentis & inesse in prima figura, sic, nullum b. est a. contingit omne c. esse c. ergo contingit nullum c. esse a. quod non stat cum maiore, quæ dicit, quòd de necessitate omne c. est a.

Secunda.

Sic etiam quidam probare nituntur, quòd sequitur conclusio de necessario, sic, omne c. de necessitate est a. contingit omne c. esse b. ergo aliquod b. de necessitate est a. aut detur oppositum, hoc scilicet, non de necessitate aliquod b. est a. quæ æquipollet isti, contingit nullum b. esse a. ex qua & minore sequitur oppositum maioris in prima figura ex vtraque de contingenti, sic, contingit nullum b. esse a. contingit omne c. esse b. ergo contingit nullum c. esse a.

Ad primam.

Dicendum autem ad hæc, quòd neutra istarum conclusionum sequitur: cum enim detur oppositum conclusionis de inesse, illud potest esse de inesse vt nunc: & quando propositio de inesse miscetur cum propositione de contingenti, oportet quòd propositio de inesse sit de inesse simpliciter: & ideò mixtio quam inducit, non valet. Quod autem oppositum conclusionis possit esse de inesse vt nunc, ex hoc probatur: quia ex tali coniugatione (qualis est inducta) sequitur contingens pro possibili, quod si ponatur inesse, aliquando erit de inesse vt nunc, & aliquando de inesse simpliciter.

Ad secundam.

Ad id autem quod inducitur ad hoc quod sequatur conclusio de necessario. Dicendum, quòd in vniformi generatione syllogismorum de contingenti in prima figura, oportet quòd accipiatur contingens superius determinatum, hoc est, ad vtrumlibet. Maior autem in syllogismo deducente ad impossibile fuit oppositum conclusionis de contingente pro possibili: & ideò & ipsa est de contingenti pro possibili. Non valet talis processus: quia si aliquid sequitur ad antecedens, non propter hoc oportet, quòd sequatur ad consequens: vnde quamuis sequatur conclusio de contingenti superius determinato: conclusio dico syllogismi ad impossibile ducentis: non tamen sequitur ex contingenti pro possibili. Sicut autem sequitur conclusio de contingenti & non de inesse, quoniam ambæ sunt affirmatiuæ & vniuersales, & maior de necessario & minor de contingenti: ita sequitur conclusio de contingenti & non de inesse in primo tertiæ figuræ, quando fuerit maior de contingenti & minor de necessario, scilicet quando b. c. minor propositio fuerit de necessario, & a. c. de contingenti quæ est maior propositio.

Obiectio.

Quamuis contra hoc iterum obiiciatur, & videatur probari, quòd sequatur conclusio de inesse, sic, contingit omne c. esse a. necesse est omne c. esse b. ergo aliquod b. est a. aut detur oppositum, hoc scilicet, nullum b. est a. & accipiatur cum maiore, sic, nullum b. est a. contingit omne c. esse a. patet, quòd sequitur oppositum minoris per mixtionem contingentis & inesse in secunda figura. Patet autem solutio ad hoc sicut prius: quia illa de inesse (quæ est oppositum conclusionis de inesse) potest esse de inesse vt nunc: & ideo mixtio non valet.

Solutio.

Hæc

Ampliat obiectionem quandam ad multa.

Hæc autem obiectio de conclusione de inesse & conclusione de necessario, fere contra omnes istius figuræ & mixtionis modos fieri posset: sed in omnibus est vna & eadem solutio.

Accedamus igitur ad secundum modum istius figuræ ponendum: ille enim est de maiori vniuersali negatiua & minore vniuersali affirmatiua, ita quod dissimiles in qualitate sunt propositiones. Rursum ergo dicamus quod si vnum quidem terminorum ad medium aliquis ponat priuatiuum maiorem, illud verò quod est minor terminus ponat quis affirmatiuum, & de necessario: ita quod a. quidem contingat nulli c. inesse (in maiori de contingenti. b. autem omni c. insit ex necessitate in minori sumpta de necessario: tunc rursum erit prima figura per conuersionem minoris in terminis factam. Et hoc ideo: quia priuatiua propositio quæ maior est, significat contingere: & propterea cum prima propositio influat in totam syllogismi consequentiam, oportet quod conclusio sit de contingenti negatiua. Cuius causa est: quia quando in prima figura (ad quam ista reducitur) propositiones istius mixtionis hoc modo se habebant, sequebatur conclusio de contingenti: & ideo oportet, quod hic similiter fiat.

Rursum sit hoc quidem priuatiuum, &c.

Maior propositio influit in totam syllogismi consequentiam.

Si autem e conuerso dictæ coniugationi, priuatiua propositio maior vniuersalis negatiua sit de necessario, & alia minor sit vniuersalis affirmatiua de contingenti, sequetur duplex conclusio negatiua, scilicet de contingenti, & de inesse: quoniam maiorem extremitatem contingit alicui minori extremitati non inesse, & quoniam non inest, quæ est conclusio negatiua de inesse: ponatur enim a. nulli inesse c. ex necessitate, sic, de necessitate nullum c. est a. & ponatur in minori quod b. contingit omni c. sic, contingit omne c. esse b. erit syllogismus, quòd aliquod b. & contingit non esse a. & quod aliquod b. non est a. & perficitur conuersa in terminis b. c. minore propositione: & syllogizabitur in quarto primæ, in quo maior propositio vniuersalis priuatiua est de necessario. Quando autem sic se habebant propositiones in quarto primæ dictum est in mixtione ista in prima figura, quòd sequebatur duplex conclusio, scilicet quòd a. contingebat non inesse alicui c. & alia de inesse, quòd a. non inerat alicui c. propter quod & hic sequitur conclusio de contingenti & de inesse, quod scilicet a. non insit alicui b.

Si autem priuatiua propositio sit necessaria, &c.

Quando autem id quod est priuatiuum & vniuersale ponitur ad minorem extremitatem, ita quod sit de contingenti, sic quòd minor sit vniuersalis negatiua de contingenti, & maior vniuersalis de necessario: tunc sequitur conclusio de contingere non inesse, & perficitur per duplicem conuersionem minoris, primam quidem in oppositam qualitatem, secundam autem in terminis: & syllogizatur in tertio primæ figuræ secundum eandem mixtionem, sicut cuilibet patere potest.

Quando autem priuatiua ponitur ad minorem, &c.

Quando autem minor fuerit vniuersalis negatiua de necessario, & maior vniuersalis de contingenti: tunc non erit syllogismus, eò quod sequitur in terminis instantiæ & ex necessitate omni inesse, & ex necessitate nulli inesse: propter quod vniuersalis affirmatiua vel negatiua de contingen conclusio sequi potest. Termini autē ad omni de necessitate inesse, sunt somnus, equus dormiens, homo: ita quod dormiens equus sit vnus terminus, qui est minor extremitas in terminis ad omni ex necessitate inesse. In terminis autem ad nulli inesse, minor extremitas est equus vigilans: & termini sunt somnus, equus vigilans, homo. Medium autem homo, & somnus maior extremitas: contigit omnem hominem dormire, vel omni homini somnum inesse: de necessitate nullus homo est equus: & tamen non sequitur, quòd contingat dormientem equum dormire: quia necesse est, quòd omnis equus dormiens dormiat. Adhuc contingit omnem hominem dormire: necesse est nullum hominem esse equum vigilantem: & tamen non sequitur, quòd contingit equum vigilantem dormire: quia necesse est, quòd nullus equus vigilans dormiat. Sic igitur probatur, quod est inutilis coniugatio.

Si autem necessarium non erit, &c.

CAPVT XXVIII.

De mixtione necessarij & contingentis in tertia figura ad syllogismos particulares.

Similiter autem se habebit secundum regulam superius inductam in particularibus syllogismis, in quibus vnus terminorum se habet vniuersaliter ad medium, alter autem particulariter. In tali enim coniugatione si vtrique termini ad medium (vniuersalis scilicet & particularis) sint prædicatiui siue affirmatiui, sicut in tertio & quarto huius figuræ, sequitur conclusio eius quod est contingere inesse, & non sequitur conclusio eius quod est inesse in tali particulari syllogismo.

Similiter autem se habebit & si hic quidem. &c.

Similiter autem quando dissimilis qualitatis sunt præmissæ propositiones, vna scilicet affirmatiua & altera negatiua: tunc quando vnum sumitur priuatiuum, & alterum negatiuum, & illa quæ est affirmatiua sumitur de necessario, sicut est in quarto tertiæ, iterum sequitur conclusio de contingenti, & non de inesse.

Et quando hoc quidem priuatiuum. &c.

Quando autem id quod sumitur de necessario sit priuatiuum & de necessario & vniuersale & maius (sicut in sexto tertiæ) tunc sequitur duplex conclusio, scilicet de contingenti non inesse, & de non inesse: & de hoc quidem idem modus est demonstrationis, qui in simili coniugatione paulo antehabitus, quando vniuersales sunt terminii in vtraque præmissarum: oportet enim omnes tertiæ figuræ syllogismos perfici per primam figuram: & propter hoc quod in hac mixtione sequitur in illis qui sunt particulares primæ figuræ, necesse est, quòd sequatur etiam in istis: quia isti ab illis descendunt, & reducuntur in illos.

Quando autem priuatiuum necessarium. &c.

Quando autem vniuersalis priuatiua ponitur

Quando autem priuatiua ponitur ad minorem, &c.

tiqum fuerit vniuersaliter, &c.

tur ad minorem extremitatem, ita quod minor est vniuersalis negatiua, & sumitur de contingenti, erit syllogismus per duplicem conuersionem minoris ad oppositam qualitatem, & in terminis, sicut ante dictum est.

Si autem necesse, &c.

Si autem minor fuerit de necessario, non erit syllogismus alicuius conclusionis: & inutilitas istius coniugationis ostenderur eodem modo, sicut est ostensa in simili coniugatione in vniuersalibus syllogismis, & per eosdem terminos ad inesse omni, & ad inesse nulli, qui sunt somnus, dormiens equus, homo: & somnus, equus vigilans, homo: & eodem modo, vt prius formetur instantiæ syllogismus, nisi quod loco vnius vniuersalis propositionis ponitur particularis eiusdem modi propositio.

Manifestum ergo in hac figura, &c.

Manifestum est ergo quando & quomodo erit syllogismus in hac figura tertia, & quando erit syllogismus eius conclusionis, quæ est contingere, & quando erit cum hac etiam eius conclusionis quæ est de inesse. Palam etiam ex dictis est, quòd omnes istius mixtionis in tertia figura sunt syllogismi imperfecti, & quod perficiuntur per primam figuram, quando vel per conuersionem propositionum, vel per impossibile reducuntur ad ipsam.

Dubitatio.

Potest autem hic esse dubium de modo quinto huius tertiæ figuræ in hac mixtione, qualiter sit hæc vtilis coniugatio, quando illa quæ est de necessario est particularis & negatiua: æquales enim sunt coniugationes in mixtione contingentis & inesse, & in mixtione contingentis & necessarij in prima figura, & similiter in secunda, sicut præhabitum est: propter quod cum tertia figura descendat à prima sicut & secunda, videtur, quòd etiam debent æquari in tertia figura. Sed in mixtione contingentis & inesse in tertia figura non fuit vtilis coniugatio circa quintum modum, illa de inesse existente particulari negatiua. Ergo nec in mixtione necessarij & contingentis in eodem quinto modo poterit esse vtilis talis coniugatio, particulari existente negatiua de necessario. Ad hoc autem dicendum est, quod istæ duæ mixtiones in prima figura æquales sunt quoad coniugationes: in secunda autem & tertia non sunt æquales quoad hoc. In secunda enim figura sit inutilis coniugatio iuxta quartum modum in mixtione contingentis & inesse, quando illa de inesse est particularis negatiua: sit tamen in eodem modo syllogismus in mixtione contingentis & necessarij, illa de necessario existente particulari negatiua: & vtrumque istorum in præcedentibus est determinatum. Quod autem & Aristot. dixit (& nos in antehabitis exposuimus) in secunda figura tot esse syllogismos in vna mixtione quot sunt in alia. Intelligendum est de illis qui per conuersionem maioris reducuntur in primam figuram. Similiter etiam dicitur hic, quod in tertia figura in mixtione contingentis & inesse non est vtilis coniugatio in quinto modo (illa de inesse existente particulari negatiua, sicut prius ostensum est) sit tamen vtilis coniugatio in eodem modo in mixtione contingentis & necessarij, illa de necessario existente particulari negatiua.

Solutio.

Glossat dictum Arist.

Obiectio.

Sed tunc potest quæri, quare magis in his mixtionibus sit vtilis coniugatio in quarto secundæ & in quinto tertiæ, particulari existente negatiua de necessario, quam ipsa existente de inesse? & hoc est quærere, quare magis mixtio contingentis & necessarij vtilis est in istis duobus modis (illa de necessario existente particulari negatiua) quam mixtio contingentis & inesse, illa de inesse existente particulari negatiua? Et ad hoc iterum dicendum est, quòd responsio patet: quia mixtio contingentis & inesse nusquam tenet, nisi illa de inesse sit de inesse simpliciter & non vt nunc, particularis autem negatiua de inesse, eò quod non potest fieri maior in prima figura per reductionem, talis est, quòd non ei appropriatur, quòd sit de inesse simpliciter: sed potest esse de inesse vt nunc: & ideò in mixtione contingentis & inesse non sit vtilis coniugatio in dictis modis. Aliter autem est in propositione de necessario. Hæc enim & ex natura & ex modo habet inhærentiam quæ simpliciter est & essentialis inhærentia, & habet intellectum propositionis de inesse simpliciter: & ideò in mixtione necessarij & contingentis in dictis modis sit vtilis coniugatio, sicut etiam fieret in mixtione contingentis & inesse, si illa de inesse diceret inesse simpliciter.

Solutio.

Dubitatio de sufficientia coniugationum in hac mixtione.

Est autem communis adhuc quæstio de sufficientia coniugationum in ista mixtione positarum. Ad quam habendam duo oportet hic supponere: vnum quidem, quòd altera propositio sit vniuersalis: aliud autem, quòd minor non sit negatiua de necessario. Quibus suppositis patet, quòd vtraque existente vniuersali duæ erunt coniugationes inutiles, & sex vtiles. Adhuc si maior sit particularis & minor vniuersalis, sex erunt vtiles, & duæ inutiles. Vtraque autem existente particulari, erunt omnes inutiles. Ex quo manifestum est, quòd hic sunt nouem coniugationes vtiles & nouem inutiles. Ratio autem suppositionum facile patet ex his quæ dicta sunt.

CAPVT XXIX.

Breuiter colligitur harum mixtionum vtilitas.

Nota recapitulationē omnīū mixtionum pulchram & vtilem.

IN summa autem breuiter potest harum mixtionum colligi vtilitas sic dicendo, quòd triplex est in omni figura mixtio, scilicet necessarij & inesse, contingentis & inesse, & contingentis & necessarij. Prima autem inter has mixtiones (quæ est necessarij & inesse) non concludit propositionem siue conclusionem de necessario in figura prima, nisi maiori existente de necessario & minori de inesse: nec in secunda & tertia, nisi vniuersali negatiua existente de necessario: nec in affirmatiuis modis tertiæ figuræ, nisi vniuersali existente de necessario: nec in negatiuis tertiæ nisi vniuersali negatiua existente de necessario. Et in his omnibus obseruandum est, quòd illa de inesse sit de inesse simpliciter, ita quod in syllogismo primæ figuræ sit medium sub maiori

maiori extremitate simpliciter & essentialiter, & minor extremitas eodē modo sit sub medio.

Secunda vero mixtio (quæ est contingentis & inesse) inutilis est in prima figura, nisi maior sit vniuersalis, & minor non sit negatiua de inesse. In secunda verò figura etiam inutilis est, nisi vniuersalis negatiua sit de inesse, & sic maior sit vniuersalis. In tertia verò figura etiam inutilis est, nisi altera propositionum sit vniuersalis, & nisi in modis negatiuis sit maior de inesse vniuersalis. Ista autem mixtio in omni figura non concludit, nisi contingens: in prima tamen figura maiore existente de contingenti concludit contingens ad vtrumlibet, eadem autem maiore existente de inesse concludit contingens pro possibili. In secunda autem figura non concludit nisi contingens pro possibili. In tertia verò figura concludit contingens ad vtrumlibet in modis illis qui post reductionem habent maiorem de contingenti: in aliis modis qui post reductionem habent maiorem de inesse, concludit contingens pro possibili. Et patet ex prædictis, quòd in neutra istarum mixtionum vtilis est coniugatio, quæ sumitur iuxta quartum secundæ, & iuxta quintum tertiæ.

Tertia autem mixtio quæ est contingentis & necessarij inutilis est in prima figura, nisi maior sit vniuersalis, & minor non sit negatiua de necessario. In secunda autem figura etiam inutilis est, nisi vniuersalis negatiua sit de necessario & maior vniuersalis: & hoc intelligendum est de modis qui per conuersionem perficiuntur. In tertia autem figura inutilis est, nisi altera sit vniuersalis, & minor non sit negatiua de necessario. Illa autem mixtio in figura prima vbi maior est de contingenti, concludit contingens prius determinatum, quod est contingens ad vtrumlibet: vbi vero maior est de necessario & affirmatiua, concludit contingens pro possibili: vbi autem maior est de necessario & negatiua, concludit contingens pro possibili, & etiam cōclusionem de inesse. Sunt tamen ibi modi vtiles iuxta quartum modum sumpti qui possunt in conclusionem de contingenti pro possibili, quos non ponit Arist. in prioribus, sicut in antehabitis ostensum est. In tertia verò figura in modis qui post reductionem habent maiorem de contingenti, concluditur contingens prius determinatum quod est ad vtrumlibet. In illis autem qui post reductionem habent maiorem affirmatiuam de necessario, concluditur contingens pro possibili, & etiam conclusio de inesse. Præter istos modos sunt quidam modi vtiles iuxta quintum modum tertiæ sumpti, qui non reducuntur per conuersionem, qui concludūt contingens pro possibili, illi scilicet qui habent particulare negatiuā de necessario.

Ex his autem patet, quòd mixtio contingentis & inesse, & mixtio contingentis & necessarij in prima figura differunt tantum in hoc, quòd maiore existente negatiua de inesse, solum sequitur conclusio de contingenti: maiore autem existente negatiua de necessario, sequitur duplex conclusio, scilicet de contingenti, & de inesse. In secunda autem figura & tertia habent eandem differentiam: & præter hoc habent aliam, scilicet, quòd in mixtione contingentis & inesse non est vtilis coniugatio in quarto secundæ & quinto tertiæ, particulari existente negatiua & de inesse: in mixtione autem contingentis & necessarij vtrobique est vtilis coniugatio, particulari negatiua existente de necessario. Hæc igitur de mixtionibus dicta sint. *Corollarium.*

TRACTATVS V.

De sufficientia figurarum trium habitarum.

CAPVT I.

Quod omnis syllogismus est secundum aliquam trium figurarum.

IN generatione siue formatione syllogismorum quædam sunt principia suppositа quoad figuram, & quædam quantum ad modum in figura. Quantum ad figuram quidem sicut illud, quod omnis syllogismus est in aliqua trium figurarum, & quod sit figura ex dispositione trium terminorum, & quod omnis syllogismus fit ex duabus propositionibus & vna conclusione: quæ perfectè ostendi & declarari non poterant, nisi omnibus syllogismis in figura & modis formatis. Quia igitur syllogismi omnes secundum diuersitates figurarum positi sunt, consequenter nunc illa principia declaranda sunt, & quantum ad formalia, & quantum ad materialia principia generalia syllogismorum. Et formalia quæ sunt de figura, & formalia quantum ad modum, in hoc tractatu sunt declaranda: & ad hoc specialem oportet inducere tractatum.

Dicamus igitur, quoniam igitur omnes qui in dictis figuris sunt syllogismi, perficiuntur per eos syllogismos vniuersales duos qui sunt in prima figura, vniuersalem scilicet affirmatiuam primum, & vniuersalem negatiuam secundum, palam est ex prædictis in tractatu præcedenti. *Quoniam igitur qui in his figuris sunt, &c.*

Quoniam autem omnis syllogismus semper ita se habet, quòd sit in aliquo modo trium figurarum, hoc nunc in hoc tractatu erit manifestum, postquam ostensum fuerit, quòd omnis syllogismus est & fit per aliquam trium figurarum.

Ad hoc autem ostendendum, primo proponimus hanc propositionem à finali causa omnis syllogismi sumptam, scilicet quòd necesse est omnem syllogismum in conclusione demonstrare alterum duorum, scilicet aut inesse aliquod prædicatum alicui subiecto, sicut syllogismus affirmatiuus, aut non inesse aliquod prædicatum alicui subiecto, sicut syllogismus negatiuus: & hoc aut vniuersaliter, aut particulariter: vniuersaliter quidem quando concludit vniuersaliter, particulariter autem quando concludit particulariter.

Diuisio formalis syllogismi in species.

Adhuc accipiendo partes diuidentes formaliter syllogismum in species, dicimus quòd necesse est omnem syllogismum esse vel ostensiuum, vel ex hypothesi. Si enim disputatur ad rem declarandam, necesse est ostensiuum esse. Si autem disputatur ad positionem aliquam datam, necesse est syllogismum esse ex hypothesi. Vnde eius syllogismi qui est ex hypothesi pars essentialis & species est ille syllogismus qui est ad impossibile. Syllogismus enim ad impossibile, datum ex hypothesi sumit conclusionis oppositum, & ex illo & altera præmissarum syllogizat oppositum alterius præmissorum. Vnde quoad illam conclusionem quam infert ex oppositо conclusionis, est ipse ex hypothesi, quamuis quantum ad primam conclusionem quam probat & probare intendit, sit ostensiuus.

Syllogismus qui est ad impossibile, est species syllogismi ex hypothesi, licet aliquo modo sit etiā ostensiuus.

Primū ergo dicemus de ostensiuis, &c.

Primo ergo dicamus de syllogismis ostensiuis probantes, quòd omnis syllogismus ostensiuus est in aliqua trium figurarum. His enim ostensis, quod sint in aliqua trium figurarum, manifestum erit, quòd hi qui ad impossibile sunt, etiam sunt in aliqua trium figurarum: & omnino siue vniuersaliter erit hoc manifestum de syllogismis qui sunt ex hypothesi.

Quòd in syllogismis ostensiuis necessarium sit vnum medium vniens extrema.

Ad probandum ergo, quòd omnis syllogismus ostensiuus est in aliqua trium figurarum, primo sumimus hanc propositionem, quod si in syllogismi conclusione oporteat a. prædicatum de b. subiecto syllogizare secundum esse affirmatiuum, vel non esse negatiuum, necesse est ad hoc probandum sumere aliquid de aliquo in propositionibus: quia complexum, (sicut in principio huius scientiæ ostensum est) non probatur nisi per complexum aliquid de aliquo enuntians affirmatiuè vel negatiuè: aut ergo sumetur idem quod concluditur, sic quod ad probandum a. de b. sumatur a. de b. sic. b. est a. ergo b. est a. & sic erit sumere id quod est in principio, & peccatum erit in argumentatione tali: quia idem per seipsum non potest probari: quia sic idem esset notius & ignotius seipso, quod esse non potest. Si autem non idem erit assumendum, hoc iterum potest esse duobus modis: aut enim accipitur aliquod quod est communicans cum a. & b. aut non. Si est non communicans vtrique extremo quod est in conclusione, erit sicut si sumatur sub vno extremorum, sicut si dicam, quòd sumitur a. de c. quod sub a. continetur. Si autem sic sumatur c. quod c. de nullo prædicetur, eò quod nihil accipiatur sub ipso c. de quo a. sumptum est, sicut fit in prima figura: nec iterum aliquod communius illo sumatur de c. quod sub a. sumptum est, sicut fit in tertia figura: nec etiam sumatur alterum aliquod prædicatum de a. sicut fit in secunda figura, in qua vnum prædicatum ad duo refertur subiecta: nullus erit syllogismus: quia medium sumptum ad extrema in nullo communicat extremis: quia nec est prædicatum vnius & alterius subiectum, nec subiectum amborum, nec vtriusque prædicatum: & ideo in nulla complexione & terminorum dispositione communicat cum ipsis: incommunicans autem ex incommunicante concludi non potest. Dico autem incommunicans secundum dispositionem & complexionem enuntiantis aliquid de aliquo, vel aliquid diuidi ab aliquo: secundum hoc enim etiam differentia & oppositа communicant. In eo enim quod vnum prædicatum de vno sumatur sub iecto, nihil accidit fine sequitur ex necessitate syllogistica, sicut in antehabitis ostensum est: quia si concluditur aliquid de aliquo, oportet quod concludatur per aliquid, quod sit vtrique communicans: oportet igitur assumere etiam alteram propositionem, vt in vna medium se habeat ad vnum extremorum, & in altera ad alterum extremorum.

Si igitur hoc modo sumatur a. extremum de alio aliquo cui inest vt prædicatum: aut sumatur aliud prædicatum de a. quod quidem sit c. & si de c. (quod est prædicatum de a.) sumatur alterum prædicatum: tunc nihil prohibet fieri syllogismum ad aliquid cui communicat c. sed ille syllogismus non erit ad a. probandum de b. quia c. non communicat cum b. neque sicut subiectum ipsius, neque sicut prædicatum: & ideò de b. nihil potest probari per c. sic sumptum, per ea quæ sic sumpta sunt, cum in nullo sint communicantia. *Si igitur sumatur a. de alio, &c.*

Adhuc autem si ad probandum a. de b. sumatur c. cui inest a. & sumatur c. inesse alteri quam b. & illud alteri: & a. sumatur iterum inesse alteri quam b. & sit illud e. & illud iterum alteri, vt f. & sic procedatur semper, ita quod sumptum sub a. non referatur aliquo modo ad b. nec aliquo modo copuletur ad b. id quod sumptum est sub a. nec hoc modo erit syllogismus ad b. de quo probatur a. *Nec quādo c. inest, &c.*

Complexum non probatur nisi per complexum.

Omnino enim & vniuersaliter dicimus, quoniam nullus vnquam erit syllogismus vnius de alio quod subiicitur vel prædicatur de ipso, si non sumatur aliquod medium quod communicando vtrique extremorum non se habeat ad vtrumque extremorum, vel vt prædicatum de vno & subiectum alteri, vel prædicatum de vtroque, vel vt subiectum vtrique. Oportet igitur, quòd quoquo modo prædicationibus (siue secundum aliquem modum prædicandi) se habeat ad vtrumque extremorum. Cuius probatio est ex fine & ratione syllogismi. Syllogismus simpliciter, hoc est, absolutè & in sua communitate sumptus, est ex propositionibus enuntiantibus aliquid de aliquo. Syllogismus autem hic & ille qui est *Omnino enim dicimus, &c.*

ad probandum hoc determinatum prædicatum de hoc determinato subiecto, est ex propositionibus determinatis, quæ sunt ad probandum & enunciandum hoc de hoc determinate. Syllogismus autem, qui est huius extremi ad hoc extremum, est ex propositionibus determinatis habentibus medium, quod est habitudo huius ad hoc. Est autem impossibile sumere propositionem quæ probet de b. a. sumendo talem in qua nihil prædicetur, neque negetur de b. Aut rursum dicendo, quod impossibile sumere propositionem talem, quæ sit probans a. de b. ita quod sumatur talis in qua nulla sit habitudo communitatis ad a. & ad b. ita quod ad vtrumque talis propositio, quæ nihil communitatis habet cum a. & b.) sumatur, & si vtriusque illorum, sentiantur propria in quibus cum altera non communicat, neque secundum affirmationem, neque secundum negationem. Propter quod oportet, quod tale sumatur medium ad extrema, quod copulet & vniat ea secundum prædicationes, siue secundum aliquem modum prædicationis: quia etiam in negatiuis aliquis est modus prædicationis, si debeat esse huius extremi ad hoc alterum extremum syllogismus.

Ergo sic necesse est aliquid, &c.

Medium non potest communicare cum extremis in syllogismo nisi tribus modis: & ideò non sunt nisi tres figuræ syllogisticæ.

Sic ergo necesse est sumere medium quod ad vtraque extrema se habeat in aliqua communitate siue communicatione. Si autem sic se habeat habitudo medij ad extrema, statim probatur numerus figurarum. Communicationem enim medij fieri ad extrema ambo non contingit nisi tripliciter. Aut sic communicat medium, sicut sit a. maius extremum prædicatum de c. medio, & c. medium sit prædicatum de b. minori extremo: & sic est prima figura. Aut c. medium prædicatum est de vtrisque extremis, sicut in secunda figura. Aut vtraque extrema sunt prædicata de c. medio, sicut in tertia figura. Hæ medij communicationes cum extremis sunt tres dictæ figuræ, secundum quas determinatæ sunt syllogismorum generationes. Et causa huius est: quia prædicationis & enuntiationis modo non potest communicare medium cum extremis pluribus modis. In enuntiatione enim huius de hoc non est habitudo nisi subiectionis vel prædicationis: vnde communicatio medij ad extrema non est nisi per alteram istarum habitudinum, vel per vtramque. Si autem per alteram est: aut est per subiectionem, aut per prædicationem. Et si est per vtramque, non potest esse per vtramque ad vtrumque. Oportet ergo, quòd per vnum modum se habeat ad vnum, & per alterum modum ad alterum. Non autem potest ad mains se habere nisi modo subiectionis, quia aliter primum non esset primum: nec ad minus se potest habere nisi prædicando, quia aliter postremum non esset postremum.

Obiectio.

Solutio.

Si autem aliquis dicat, quòd inter a. & b. sunt plura media copulantia a. & b. Dicendum, quòd non obstat hoc: quia quoad subiectionem & prædicationem idem modus est in pluribus & in vno: omnia enim illa subiiciuntur maiori, & prædicantur de minori. Vnde eadem ratio est in pluribus & in vno quoad figuram quæ consequitur talem vel talem terminorum dispositionem.

Manifestum est igitur, quòd omnes ostensiui syllogismi per tres figuras (quæ dictæ sunt) terminantur. Nec est hic petitio eius quod in principio est, quando figuram probamus per terminorum habitudinem & dispositionem. quia figura quamuis sit forma consequens terminorum dispositionem, non tamen est ipsa dispositio, sed potius terminorum dispositio causa efficiens est figura. Adhuc autem quamuis figura sit de primis principiis syllogismorum, & ideò videatur figura probari non posse, quia non est prius aliquid per quod videatur posse probari: tamen figura non est ita prima, quod non habeat aliquid prius ea, & per illud figura probari potest.

Manifestum quomodo omnem syllogismum, &c. Remouet dubium.

Et quamuis syllogismus (per quem figura probatur, sit in aliqua figura: tamen per ipsum figura probatur: quia ille syllogismus (per quem fit probatio) est vt rationis instrumentum generale ad omnia, & non est syllogismus vt in arte vel scientia constitutus: sicut & fabri instrumentum est malleus, quo & malleus & alia fabricantur. Sic ergo patet, quod omnes syllogismi ostensiui per dictas tres figuras terminantur.

Remouet dubium, & nota responsionem: quæ potest applicari ad argumentum de syllogismo per quæ probatur posse syllogismi de syllogismo in communi.

CAPVT II.

Hic declaratur, quòd syllogismus ex hypothesi sit in aliqua trium figurarum.

Sicut autem iam ostensum est omnem syllogismum ostensiuum in aliqua esse trium figurarum, ita ostenditur omnem syllogismum ad impossibile, & omnem qui est ex hypothesi, esse secundum aliquam trium figurarum. Quoniam autem syllogismus qui est ad impossibile, sit in aliqua trium figurarum, palam erit per hæc quæ statim dicentur. Omnes enim syllogismi qui probant per impossibile quod ex hypothesi sequitur conclusionem quam intendunt, falsum quidem syllogizant ex dato oppositio conclusionis cum altero præmissorum. Id autem quod ex principio syllogizatum est, hoc est, conclusio quam syllogizant antequam accipiatur eiusdem conclusionis, hoc demonstrant ex hypothesi: quando enim ex hypothesi inconueniens syllogizatum est, tunc redeunt dicentes, quòd ex quo non stat oppositum datum ex hypothesi, oportet quòd stet primo syllogizata conclusio. Huius exemplum est, quod dicamus esse syllogizatum, quoniam diameter est asimeter lateri siue costæ quadrati siue incommensurabilis: & dicat respondens, quòd non est asimeter: & detur, quòd est simeter siue non incommensurabilis: & ex hoc dato syllogizemus, quod sit simeter: quia abundantia in numeris (quæ sunt imparia) sunt æqualia perfectis siue paribus: numerus enim impar abundat vnitate in vna parte super aliam: quia in duo æqualia diuidi non potest. Perfectus autem dicitur par numerus: quia ex æqualibus perfecta discretione constituitur. Cum autem hoc inconueniens sequatur ex hac hypothesi data, quòd diameter est simeter: tunc demonstrant syllogizantes, quòd diameter

Quoniam autem & hi qui ad impossibile, &c.

Quare numerus impar dicatur abundans. & par perfectus.

diameter est asimeter, ex hoc quod falsum accidit siue sequebatur propter contradictionem quam dedit respondens in oppositione primæ conclusionis: hoc enim secundum superius determinata fuit ad impossibile syllogizare, ostendere aliquid sequi impossibile propter priorem datam hypothesim in opposito primæ conclusionis.

Quarum quoniã falsus ostensus syllogismus, &c.

Propter quod cum in deductione ad impossibile falsi alicuius fiat syllogismus ex data hypothesi in opposito conclusionis & illius falsi, talis syllogismus sit ostensiuus: in talibus syllogismis qui ad impossibile deducunt, & quod à principio in primo syllogismo monstratur ex hypothesi, sicut prius dictum est: patet quòd syllogismus ad impossibile est alicuius ostensiuus conclusionis. Iam autem habitum est, quòd omnes ostensiui terminantur per has tres figuras. Manifestum est quoniam etiam syllogismi qui probant per impossibile quod sequitur ex hypothesi, oportet quòd tales syllogismi fiant per has figuras.

Similiter autem & alij, &c. Quomodo in syllogismo circulari, conuersiuo, & ex oppositis, ex hypothesi: syllogismus ad principale propositum, diuersimode tamen.

Similiter autem est in omnibus aliis syllogismis qui fiunt ex hypothesi, sicut in circulari, & conuersiuo, & ex oppositis, & huiusmodi syllogismis. In omnibus enim talibus syllogismis fit syllogismus ad transumptum, hoc est, ab hypothesi sumpta ad principale propositum, aut à contrario, aut à simili, aut ab oppositio. A contrario quidem sicut si syllogizatum sit, quòd homo est sanus, sequitur quod non est ægèr. A simili autem sicut si positum sit, quòd quantum ad animæ immortalitatem similiter se habet in vno homine & in omnibus, & probatum sit, quòd anima Sorris sit immortalis, sumitur quòd anima omnis hominis sit immortalis. Vel si probetur, quòd contrariorum est idem sensus, sumitur quod contrariorum est eadem disciplina. Ab oppositio autem quando ex hypothesi sumitur oppositum conclusionis, & deducitur ad inconueniens, & ex illo inconuenienti redditur ad primam conclusionem: in omnibus enim talibus syllogismis id concluſum (quod est à principio intentum) terminatur, hoc est, concluditur per confessionem alicuius positionis quam dat respondens, aut per aliquam aliam hypothesim à respondente datã. Si autem hoc quod dictum est, verum est (quod scilicet syllogismus ex hypothesi est alicuius conclusionis ostensiuus) & omnis ostensiuus syllogismus per aliquam trium terminatur figurarum, sequitur quòd necesse est omnem demonstrationem & omnem syllogismum fieri per tres prædictas figuras.

Hoc autem ostenso, &c.

Hoc autem sic ostenso palam est ex olim in hoc libro dictis, quoniam omnis syllogismus perficitur per primam figuram per reductionem in illam. Et adhuc virerius palam est, quòd omnis syllogismus reducitur in primos duos primæ figuræ vniuersales syllogismos. In hac autem deductione & inductione sumpsimus pro partibus specificis syllogismum ostensiuum & ex hypothesi: quia istæ duæ sunt species formales syllogismi, & sufficienter diuidunt ipsum. Nec sumpsimus demonstratiuum & dialecticum & rhetoricum: quia isti materialiter syllogismum diuidunt: & ideò ex talibus

Remouet dubium.

partibus sumptis vniuersalis inferri non posset quantum ad propositam intentionem, in qua de formalibus syllogismi loquimur principiis. Quod autem in exemplo dicimus, quòd diameter est asimeter, ex propriis istius scientiæ logices principiis probari non potest, sed à logicis est sumendum, probandum autem à geometra.

Ex omnibus igitur his constat, quoniam omnis syllogismus perficitur per aliquam trium figurarum. Reducitur namque omnis syllogismus in primam, vel per conuersionem propositionum, vel per ad impossibile deductionem. Non autem in primam figuram reducitur, nisi quod exit ab illa: & non exeunt à prima nisi duæ figuræ, scilicet per conuersionem maioris secunda, & per conuersionem minoris tertia: ergo non possunt esse nisi tres figuræ. Hæc autem omnia ex prædeterminatis sunt manifesta.

Nouus ratio, quod omnis syllogismus fit ex aliquo trium figurarum.

CAPVT III.

Quod nullus esse potest syllogismus ad propositum sine vniuersali propositione quæ principium est syllogismi quantum ad modum.

Amplius autem adhuc declarandum est quod in præhabitis est suppositum, & est principium syllogismi quantum ad modum. Hoc autem est, quòd in omni syllogismo cuiuscunque modi sit in omnibus tribus figuris, oportet aliquem terminorum esse prædicatiuum siue affirmatiuum ad medium, & oportet aliquem esse vniuersalem vniuersaliter acceptum ad medium: quia aliter per dici de omni vel dici de nullo perfici non posset. Sine vniuersali enim propositione aut non erit syllogismus, aut si erit, non erit ad propositum probandum quod intenditur, aut erit petere quod est in principio.

Amplius autem in omni, &c.

Hoc autem in communibus & moralibus terminis ostendi potest sic: Ponatur musicam voluptatem, hoc est, voluptatem quæ est in musicis, esse studiosam, sicut sunt ea quæ sunt de numero laudabilium bonorum: & hæc sit conclusio quam aliquis probare intendit. Dico ergo, quòd hãc conclusionem probare intendens posuerit hanc propositionem voluptatem esse studiosam, per quam probet, quòd musica voluptas est studiosa, sumens id quod est commune (sicut genus vel sicut species ad musicam voluptatem) & non accipiat vniuersale vniuersaliter, hoc est, vniuersali signo distributum, ita, quod dicat omnem voluptatem esse studiosam: musicam autem voluptatem esse voluptatem: & ergo studiosam: non erit syllogismus, sed potius argumentum peccabit secundum consequens: sic enim argue, voluptas est studiosa: musica voluptas est: voluptas ergo est studiosa: à superiori ad inferius procedit affirmando: nec sub hoc quod quid est voluptas, potest sumi musica voluptas, nisi sit voluptas vniuersaliter distributa ad standum pro qualibet singulari

Quomodo arguendo ex partis particularibus sit fallacia consequentis.

Quare ab inferiori ad ſuum ſuperius affirmatiuè valet argumentum, ſed non è conuerſo, niſi cum diſtributione.

voluptate Sed è conuerſo ſequetur ſic, muſica voluptas eſt ſtudioſa : ergo voluptas eſt ſtudioſa. Quia ſuperius eſt in inferiori ſecundum actum & intellectum : & ideò infertur ex ipſo. Inferius autem non eſt in ſuo ſuperiori niſi potentia : & ideò non poſſunt ex ipſo inferri, niſi ſuperius ſit diſtributum ad ſtandum pro illo, & pro quolibet alio : tunc enim infertur ex ipſo ſicut pars actualis inferret ex ſuo toto.

Quomodo procedens ex puris particularibus, aut non ſyllogizat, aut non probat intentum.

Si autem is qui probare intendit muſicam voluptatem eſſe ſtudioſam, non aſſumpſerit ad hoc probandum commune ad voluptatem muſicam, ſed ſumpſerit particulare ſic dicens, aliqua voluptas eſt ſtudioſa : aut ergo quando ſumit aliquam voluptatem eſſe ſtudioſam, intendit hoc de alia quadam voluptate quæ ſit ſtudioſa, quæ non eſt muſica voluptas : & tunc nihil faciet hoc ſic ſumptum ad hoc quod poſitum eſt eſſe probandum : non enim ex hoc quod agoniſtica voluptas eſt ſtudioſa, probari poteſt, quòd muſica voluptas ſit ſtudioſa : quia non infertur ex hoc ſicut pars ex ſuo toto. Si autem quando ſumit quandam voluptatem ſtudioſam, intelligit quandam voluptatem eandem eſſe voluptatem quæ eſt muſica voluptas : tunc eſt ac ſi ſic argueret, quædam voluptas quæ eſt muſica, voluptas eſt ſtudioſa : ergo muſica voluptas eſt ſtudioſa : & tunc petet id quod eſt in principio.

Obiectio.

Si autem aliquis obiiciat, dicens, quòd cum petit quod eſt in principio nō eſt ſyllogiſmus : & ideò horum trium membrorum, ſcilicet quod aut non eſt ſyllogiſmus, aut non ad propoſitum, aut petit principium, primum continetur in tertio : & ideo diuiſio nulla. Dici debet, quòd in tertia figura (in qua medium ſumitur pars extremorum) quoquo modo poteſt

Solutio. In tertia figura poteſt quoquomodo argui ex ſingularibus.

ex ſingularibus argui : & ſic diuerſa ſunt primum & tertium : quia cum duo ſint in ſyllogiſmo, ſcilicet illa neceſſaria conſequentiæ illatio, & concluſionis notificatio per præmiſſas ſiue declaratio, petitio principij non peccat contra primum, quia de neceſſitate infertur idem ex eodem : ſed peccat contra ſecundum, quia non poteſt notificari idem per idem : & ideo aliquo modo eſt ſyllogiſmus in petitione principij. Poteſt enim eſſe verè ſyllogiſmus nihil probans & nihil notificans, ſicut iſte, omne b. a. omne c. b. ergo omne c. a. concludit quidem de neceſſitate : & tamen nihil notificat, vel probat.

Hoc autem quod diximus (ſcilicet quòd oportet in omni ſyllogiſmo eſſe terminum vniuerſaliter diſtributum) magis manifeſtum eſt in demonſtrationibus mathematicarum figurarum : quia illæ non ex ſignis, ſed ex cauſa & forma eſſentiali concludunt : ſicut ſi ponamus eſſe probandum & concludendum, quòd anguli trianguli (qui dicitur æquicrurus, vel æquilaterus) qui anguli ſunt ſuper baſim eiuſdem trianguli, ſunt æquales : tunc enim oportet deſcribere circulum : quia æquicrurus eſſe æquicrurus non poteſt probari niſi per circulum & per lineas quæ à centro ducuntur ad circunferentiam : & hoc ſupponit probanda concluſio, quòd æquicrurus ſit æquicrurus.

Magis autem ſit manifeſtum, &c.

Sit ergo circulus a.b.c.d. & ducantur lineæ diametraliter per centrum circuli a.c. & b.d. & deinde ducatur linea ex c. in d. quæ claudit triangulum in vna quarta circuli portione : & ſic erit illa linea baſis trianguli æquilateri, cui baſi ſubtenditur quarta circuli portio quæ eſt c. d. qui triangulus ſuper baſim verſus angulum trianguli qui eſt in centro circuli habebit duos angulos : & ſint illi e. vnus : & f. alius : & ſic in hac figura ſunt duo genera angulorum, anguli ſcilicet portionum, qui vocantur anguli incidentium qui ſiunt ex linea curua portionis circuli & linea recta quæ eſt ſemidiameter : ſicut eſt angulus a.b. in vna portione, & angulus b.c. in alia portione, & angulus c.d. in tertia, & angulus a. d. in quarta : & vocantur iſti anguli anguli portionum circuli ad diametrū clauſi. Sunt etiam anguli trianguli qui in centro per duas diametros ſe orthogonaliter ſecantes clauduntur in circuli centro. Alij autem duo acuti clauduntur baſe trianguli ad duas ſemidiametros. Adhuc ſunt duo alij acuti anguli, quia clauduntur baſe trianguli & circunferentia : quia baſis trianguli chorda eſt ſubtenſa arcui qui eſt quarta portio circuli : quæ portio eſt c.d. & ideo illi duo anguli ſignantur per d.c. Et ideo hi duo anguli vocantur & ſunt anguli incidentium ſiue portionum circuli : quia vnus in vna parte vbi linea e.f. incidit circulum in puncto d. & alius eſt vbi eadem linea incidit circulum in puncto c.

Demonſtrationes mathematicæ non concludunt ex ſignis, ſed ex cauſa & forma eſſentiali.

Anguli incidentium circuli.

His ergo ſic deſcriptis, ponamus quòd aliquis volens probare, quòd anguli trianguli ſunt æquales, aſſumpſerit primo in proſyllogiſmo angulum a. c. lineæ diametralis (quam facit diameter cum linea circuli in a. vna parte, & in c. alia ſui parte) æqualem eſſe ei angulo qui eſt b.d. hoc eſt, ei quem facit alia diameter cum circunferentia : & ſumat hoc particulariter, & non ſumpſerit vniuerſaliter, probans quòd omnes anguli ſe in circulorum vel quartarum circuli ex diametro & circulari clauſi ſunt æquales : ſed dicat angulum c. eſſe æqualem ei qui eſt d. vel b. & non aſſumit vniuerſaliter dicens, quod omnes anguli incidentium qui clauduntur ad diametrum in puncto vbi incidit vel ſecat circulum, ſunt æquales.



Amplius ſi volens concludere, quòd anguli æquicruri ſuper baſim ſunt æquales, & ſumpſerit ſingulariter, quòd ab iſtis angulis per conum qui ſunt d. c. æqualibus demptis quæ relinquuntur ſunt æqualia, & non ſumpſerit vniuerſaliter ſic, quòd ab omnibus æqualibus demptis æqualibus, quæ relinquuntur, ſunt æqualia : ille petit quod eſt ex principio.

Et eſt hîc triplex ſyllogiſmus, duo ſcilicet

proſyllogiſmi, & vnus principalis, ſic, omnes anguli portionum circuli clauſi ad diametrum ſunt æquales : anguli a.b. c.d. ſunt portionum circuli clauſi ad diametrum : ergo ſunt æquales. Rurſus in ſecundo ſyllogiſmo volens probare, quòd anguli quos conſtituit baſis trianguli cum linea arcus, quæ ſubtenditur ei in duabus partibus, ſunt æquales, facit talem ſyllogiſmum, omnes anguli incidentium ſunt æquales : angulus d. & angulus c. ſunt anguli incidentium : ergo ſunt æquales. Tertius ſyllogiſmus probans, quòd anguli trianguli ſuper baſim conſiſtentes ſunt æquales ſit ſic, ſi à quibuſlibet æqualibus æqualia demantur, quæ relinquuntur, ſunt æqualia : ſunt autem æqualia anguli portionum d. & c. ergo demptis æqualibus ab eis, quæ relinquuntur, adhuc erunt æqualia : demuntur autē d. & c. anguli qui clauduntur ex baſi tanquam chorda, & c. d. arcu : ergo quæ relinquuntur, ſunt æqualia : relinquuntur autem e. f. anguli trianguli qui ſunt ſuper baſim : ergo anguli duo e. f. (qui ſuper baſim ſunt) erunt æquales. Et in quolibet iſtorum ſyllogiſmorum ſi vniuerſalis propoſitio non ſumatur, non erit ſyllogiſmus. Et ſi idem particulare ſumatur quod concluditur, erit petitio principij. Et ſi commune ſine diſtributione ſumatur, quod pro alio particulari verificari poteſt, non erit ſyllogiſmus ad propoſitum. Et ſi commune ſecundum ſe ſumatur ad probandum, erit fallacia conſequentis.

Manifeſtū ergo, quoniam in omni, &c.

Manifeſtum eſt igitur, quoniam in omni ſyllogiſmo oportet eſſe vniuerſalem terminum vniuerſaliter ſumptum. Manifeſtum eſt etiam, quoniam vniuerſale in concluſione (quod eſt propoſitio vniuerſalis concluſa) oportet monſtrare & concludere ex omnibus terminis ſiue ex ambabus præmiſſis vniuerſalibus. Particulare autem ſiue propoſitio particularis, & concluditur ex ambabus vniuerſalibus, ſicut in primo & ſecundo tertiæ figuræ : & concluditur aliter, ex altera ſcilicet vniuerſali, & altera particulari, tam in prima quam in ſecunda & tertia figuris. Propter quod ſi concluſio quidem in ſyllogiſmo ſit vniuerſalis, neceſſe eſt ambos terminos ad mediū vniuerſales eſſe : ſed non conuertitur : contingit enim, quòd vniuerſales ſint termini ad medium, & tamen concluſio non erit vniuerſalis, ſicut in tertia figura. Et huius cauſa iam determinata eſt : quia ſcilicet medium in tertia figura eſt ſicut pars extremorum & ideò extremum cum extremo non poteſt vniuerſaliter copulare & cōiungere.

Quare non oportet concluſionem eſſe vniuerſalem ſi præmiſſæ ſunt vniuerſales, ſed bene è conuerſo.

Quare neceſſe eſt vnā præmiſſam eſſe affirmatiuā in omni ſyllogiſmo.

Palam etiā quoniā, &c.

Patet eſſet, quòd alteram oportet eſſe affirmatiuam : quia negatio nihil copulat, & non diuidit & remouet aliquid ab aliquo, niſi per aliquid quod affirmatum eſt de altero, & inceſt ei : & ideo medium non coniungeret extrema nec ſepararet, niſi affirmatiue ſe haberet ad alterum extremorum.

Palam etiam eſt, quoniam in omni ſyllogiſmo aut vtramque aut alteram præmiſſarum neceſſe eſt eſſe ſimilem concluſioni in compoſitione. Dico autem, quòd non ſolum ſimilem eſſe neceſſe ſit in affirmatione vel negatione, ſed etiam in eo quod ſit cum modo neceſſitatis vel contingentis aut ineſſe concluſio ſimilis ſit alicui præmiſſarum. Nihilominus tamen in hac ſimilitudine conſiderare etiam oportet alia prædicamenta ſiue modos prædicandi, ſicut eſt verum, & falſum, & huiuſmodi.

Manifeſtū autem ſimpliciter quādo, &c.

Manifeſtum eſt etiam ex prædictis quando erit ſimpliciter & vniuerſaliter ſyllogiſmus in omnibus figuris quoad modum & figuram, & quando non erit ſyllogiſmus, ſicut in coniugationibus inutilibus. Adhuc autem manifeſtum eſt quando erit ſyllogiſmus imperfectus, poſſibilis tamen ad perfectionem, ſicut in ſecunda & tertia figuris : & manifeſtum eſt quando erit perfectus, ſicut in prima figura. Manifeſtum eſt etiam, quòd quando eſt ſyllogiſmus, neceſſarium eſt, quod termini in præmiſſis ſe habeant in figura & modo ſecundum aliquid in prædictis dictorum modorum.

Quare neceſſe eſt concluſionem eſſe particularem, altera præmiſſarum exiſtēte particulari.

Quod autē dictum eſt, quòd oportet concluſionē eſſe particularem, quando altera præmiſſarum particularis eſt, ideo eſt : quia quando medium coniungitur alteri extremorum particulariter, non poteſt eſſe vniuerſum & copulatiuum vniuerſaliter : quia id quod eſt in parte, non in erit id quod eſt in toto, ſed è conuerſo.

Quare oportet concluſionem eſſe negatiuam altera præmiſſarum exiſtente negatiua.

Adhuc autem cum altera præmiſſarum eſt negatiua, oportet concluſionem eſſe negatiuam : quia cum alterum extremorum diuiditur à medio, vel è conuerſo, non poteſt medium coniungere extrema per vnionem quam extrema habeant cum ipſo : & ideò particulariter coniunctum vni & remotum ab altero, cauſa eſt ſeparationis extremi ab extremo.

Quomodo intelligendū eſt illud dictum, quod idem non poteſt probari per ſeipſum.

Adhuc autem quod dictum eſt, quòd idem non poteſt probari per ſeipſum, non intelligitur de his quæ ſunt idem per ſubſtantiam, ſed de his quæ eadem ſunt ſecundum principia quibus ſumuntur & cognoſcuntur : & ideò diffinitio probat diffinitum, quia ſub notioribus principiis eſt diffinitio quam diffinitum : ſic eſt hîc in probatione quam induximus. Hæc eſt igitur vera ſententia de illis.

CAPVT IV.

Quòd nullus vnus ſyllogiſmus habet plus quam tres terminos, probatur.

Palam autem & quoniam omnis, &c.

PAlam autem hic erit, quoniam omnis demonſtratio ſiue omnis oſtenſio ſyllogiſtica erit per tres terminos & non plures ad eandem concluſionem contendentes, & vnam & eandem concluſionem inferentes, niſi fortè per alia & alia media fiat ſiue concludatur vna & eadem concluſio : ſicut fit in dialecticis & probabilibus, in quibus vna & eadem concluſio per plura media ſæpè probatur : ſed tunc non eſt ſyllogiſmus vnus, ſed plures ad vnam tendentes concluſionem.

Duobus modis poſſunt eſſe plura media ad eandem cōcluſionem.

Hoc autem duobus modis fieri poteſt. Poſſunt enim plura media ad vnam concluſionem ordinata inter ſe eſſe non continua ſiue communicantia, & poſſunt eſſe communicantia in aliquo vno quod ſe habeat vt continuans inter

illa & connectens ea. Et exemplum primi est, vt dicatur e. esse conclusio principalis intenta, & concludatur per a.b. sicut per vnum medium, & concludatur etiam per c. d. sicut per aliud medium, quæ in nullo vno iunguntur inter se quòd si connectens ea, & sic ad vnam conclusionem ordinata media constituunt duos diuersos syllogismos, qui non sunt vnus syllogismus, sed sunt vnius conclusionis. Exemplū autem secundi est sicut si e. conclusio principalis intenta, dicatur concludi per a. b. sicut per medium vnum, & per a.c. sicut per medium alterum, & per b.c. sicut per medium tertium: quæ tamen media inter se communicant in e. quod est commune secundo & tertio, vel in a. quod est commune primo & secundo, sicut fit in prosyllogismis, qui inducuntur ad maioris vel minoris declarationem: hos enim necesse est communem habere aliquem terminum, sicut & ipsa maior & minor in principali syllogismo in vno termino medio communicant. His enim duobus modis plura esse media ad eandem conclusionem nihil prohibet.

Multiplicatis mediis multiplicatur & syllogismi.

Hæc autem media cum his duobus modis sumpta, non sunt vnus secundam substantiam syllogismus, sed sunt plures secundum substantiam syllogismi. Hoc autem fit in prosyllogismis, sicut si a.b. sint duæ propositiones habentes tres terminos ad concludendū quod principalem diximus esse conclusionem, & ad eam probandam siue concludendam sumuntur a. propositio, & b. propositio, & a. propositio sit probanda & probetur per d.c. duas propositiones communicantes in vno medio: & rursum b. secunda propositio probanda sit per f.g. alias duas propositiones in alio medio communicantes: aut vnum quidem principalis syllogismi probetur inductione: aliud autem quod est secundum in principali syllogismo, probetur syllogismo, qui prosyllogismus vocatur, inductio enim ad syllogismum habet reduci. Sed omnibus his modis sunt plures syllogismi secundum substantiam, & non vnus: cuius signū est: quia sunt plures ab eis conclusæ conclusiones, sicut conclusio a. quæ concluditur in inductione, & conclusio b. quæ concluditur in prosyllogismo, & conclusio e. quæ concluditur in syllogismo principali.

Si autem nō plures, sed vna, &c.

Si autem istæ conclusiones ab aliquo non dicantur esse plures, sed vna: eò quod vna est conclusio finaliter intenta, ad quam aliæ in prosyllogismis inductæ sunt: sic benè conceditur, quòd contingit fieri vnam vltimo intentam conclusionem per pluta media sic ad vnū ordinata. Sed hoc modo hoc fieri, quod est principalis conclusio concludatur per a.b. sicut per plura media secundum substantiam est impossibile: quia cum syllogismus sit causa immediata conclusionis, & per suam substantiam sit causa, sequeretur quòd plurium causarum secūdum vnum modum causalitatis esset vnus & idem substantialis effectus. Et hoc est impossibile, si causæ sunt æquè immediatæ & secundum idem genus causalitatis.

Sub quo sensu concedit media esse multiplicari ad vnam conclusionē.

Sit enim e. conclusum ex a.b. &c.

Sit enim gratia exempli e. principaliter intenta conclusio, conclusum ex a. vna propositione, & b. alia, & ex c. & d. aliis propositionibus aliud habentibus medium, & sic fit vnum conclusum per plura: sequitur ex prius habitis, quòd in vtroque syllogismo necesse est, quòd vnum se habeat ad alterum sicut totum se habet ad partem, sicut vniuersalis se habet ad particularem, & vnus terminus se habeat ad alterum sicut totum ad partem, sicut maior extremitas se habet ad medium & medium ad minorem in prima figura: medium autem se habet vt totum ad vtrumque extremum in secunda figura, & extrema se habent ad medium sicut totum ad partem in tertia: quia sine tali habitudine totius ad partem non fit decursus syllogisticus. Diximus enim in præhabitis, quoniam si est syllogismus, necesse est, quòd aliqui terminorum syllogismi sic se habeant vt totum & pars adinuicem.

Sine habitudine totius ad partem non fit decursus syllogisticus.

Ponamus ergo, quòd a. sic se habeat ad b. sicut totum se habet ad partem: sequitur itaque, quòd conclusio est ex eis aliquid quod sequitur ex ipsis per consequentiam syllogisticam. Hæc ergo conclusio: aut est conclusio e. quam diximus esse propriam, aut est alia conclusio quam e. sicut si dicamus, quòd alterum istorum concludatur quæ sunt c. d. quæ alia sunt ab e. sicut si præmissarum altera cōcludatur per syllogismum. Aut si dicamus, quòd aliquod aliud concludatur quodcunque quod est aliud & à præmissis & à conclusione principali, & est præter omnia hæc tria.

Habeat ergo a. se sic ad b. &c.

Et si primum membrum huius detur diuisionis, quod scilicet ex a. b. propositionibus vt totum & pars se habentibus, concluditur e. conclusio principalis: tunc ex a.b. propositionibus erit syllogismus ad e. & illæ duæ propositiones non habent nisi tres terminos, in quorum vno communicant & connectuntur. Si autem & aliæ propositiones quæ sunt c. d. sic se habeant adinuicem vt totum & pars: tunc etiam aliquid quod est conclusio, sequitur etiam ex illis: aut igitur ex illis sequitur etiam e. quæ est primi syllogismi conclusio: aut sequitur altera præmissarum in primo syllogismo, sicut aut a. aut b. maior scilicet vel minor: aut sequitur aliud aliquid præter hæc tria, quod nihil horum est. Et siquidem datur huius diuisionis primum membrum, quòd scilicet sequitur e. tunc erit syllogizatum per plura media & plures syllogismos. Si autem datur secundum membrum, quòd scilicet sequitur alterum, aut a. scilicet aut b. erunt plures prosyllogismi: & sic semper aut erunt plures syllogismi sicut prosyllogismi sunt plures, & cadunt in numeris cum principali syllogismo: aut sunt plures syllogismi ad vnam conclusionem inducti, sicut dicimus paulo ante, quòd accidit idem siue eandem conclusionem per plura media & per plures terminos concludi: hoc enim sæpè contingit in dialecticis, & etiam in demonstratiuis, vbi idem per plures causas demonstratur demonstrationibus diuersis. Si autem datur tertium membrum, scilicet quòd concluditur aliquod aliud præter hæc tria quæ dicta sunt, scilicet quod nec principalis conclusio, nec maior, nec minor syllogismi principalis: tunc plures erunt illi syllogismi & inconiuncti adinuicem & in communicantes in terminis.

Et sic quod ex a,b &c.

Erit e. quidē aut eorum quæ sunt a. b.&c.

Contingit in dialecticis & etiam in demonstratiuis eandē conclusionem per plura media concludi.

Si autem aliud quidē præter hæc, &c.

Si au

Si autem nō sic se habeat &c.

Si autem dicatur, quòd c.& d. propositiones non se habeant adinuicem vt totum & pars, vt facere possint syllogismum siue decursum syllogisticum: tunc variè assumpta sunt ad propositum nihil concludentia: nisi forte dicatur, quòd vt præter necessaria accepta sint: sicut ea quæ aut inductionis probantis vniuersalem, vel relationis propositæ, vel alterius alicuius talium gratia assumantur. Sed tamen quòcunque modo sumantur, semper erunt secundum substantiam plures syllogismi. Si autem dicatur, quòd ex a. b. propositionibus non est consequens e. conclusio principalis, sed aliquod aliud fiat conclusio ex a.b. propositionibus, quam e. ex c.d. autem aliis propositionibus assumptis fiat consequens conclusio horum alterum, scilicet aut a. aut b. sicut in prosyllogismis: aut forte dicatur, quòd alia quæcunque conclusio sequitur & concluditur ex c.d. propositionibus præter hæc tria quæ dicta sunt: constat, quòd omnibus his modis plures sunt syllogismi, sed non ad hoc quod est propositum: quia non sunt ad primam conclusionem. Ponebatur enim à nobis paulò ante, quòd a. b. propositiones sunt eius conclusionis quam diximus esse e.c. d. autem propositiones, sicut iam dictum est, non sunt eiusdem conclusionis: & sic plures sunt non communicantes sibi syllogismi.

Si autem nō fiat ex c. d.

Si autem dicat aliquis, quòd ex c. d. propositionibus nulla fit penitus conclusio omninò, nec eadem quidem primæ, nec alia: tunc accidit siue sequitur, quòd c.d. propositiones vanè sunt assumptæ, & non sunt eius conclusionis quæ sequitur ex principio per primum conclusa syllogismum. Propterea manifestum est ex dictis, quòd omnis syllogismus & omnis demonstratio erit tantum per tres terminos & non per plures, nisi sint plures syllogismi secundum substantiam.

Quare manifestum, quoniam omnis, &c.

Obiectiones.

Si autem aliquis obiiciat contra hæc & dicat, quòd syllogismus ex oppositis non habet nisi duos terminos, sic, nulla disciplina est studiosa: omnis disciplina est studiosa: ergo nulla disciplina est disciplina. Adhuc enthymema quod est conuersio propositionis non habet nisi duos terminos: & hoc tamen reducitur in syllogismum: quia omnis argumentatio ad syllogismum habet reduci. Conuersio autem propositionis in duabus propositionibus non habet nisi duos terminos: & sic etiam syllogismus in quem tale reducitur enthymema, non nisi duos habebit terminos. Similis obiectio est est de inductione, quæ multos terminos habet, & absque alicuius termini diminutione reducitur in syllogismum. Et similis iterum obiectio est de exemplo, quod quatuor habet terminos, & absque alicuius termini diminutione reducitur in syllogismum.

Solutio.

Ad hæc autem omnia & similia iam olim in huius scientiæ libro responsum est, quòd scilicet syllogismus ad plus & minus habet tres terminos, sed aliquando habet tres secundum substantiam & rationem & actum proprium terminorum, sicut in syllogismo perfecto: aliquando habet pauciores, scilicet secundum substantiam, sed tres secundum rationem, sicut in syllogismo ex oppositis, in quo

Nota quomodo syllogismus possit habere plures terminos quoniam tres aut pauciores: & quando

maior extremitas secundum substantiam vna, duplex est secundum rationem: quia maior est etiam minor, quando secundo ponitur in minori propositione. Et simile aliquid isti est in enthymemate, in quo altera propositio retinetur in mente. Aliquando autem habet plures terminos secundum substantiam, sed non secundum rationem, sicut in inductione: in quo omnia singularia sub vno communi inducta rationem habent vnius termini, qui est minor extremitas. Aliquando habet plures terminos secundum substantiam & rationem, sicut in exemplo: sed tunc non reducitur argumentatio illa in vnum syllogismum, sed in plures sicut fit in exemplo, sicut in consequentibus secundi libri ostenderur.

Remouet dubium.

Ad omnia tamen hæc notandum, quòd quamuis maior extremitas aliquando cum seipsa ponat in numerum, sicut in syllogismo ex oppositis, in quo fit vt duo: tamen medium secundum actum mediandi non ponit cum seipso in numerum, vt faciat duos terminos bis positum in duabus propositionibus: nec quatuor erunt termini propter duo subiecta & duo prædicata, quia vnus actus vnius medij qui est actus vniendi & coniungendi extrema, non potest esse, nisi medium vnum referatur ad vtrumque extremorum: qui actus mediandi perfici non potest, nisi medium bis ponatur, semel cum vno extremo in propositione maiori, & semel cum altero in altera propositione: & sic patet, quòd non sunt nisi tres termini.

Quare medium pluribus literis significatum.

Quamuis etiam in propositione ista medium pluribus literis significatum sit: tamen non est nisi vnum secundum actum & rationem medij, sed pluribus literis significatur relatio eius ad diuersa: & ideò quando significatur litera vna, secundum substantiam significatur: quando autem duabus signicatur literis, significantur duæ eius habitudines: quando autem tribus, significatur vt vnum vnicus duo: & quando quatuor significatur, significatur vt situm habens in duabus propositionibus, quæ duo habent subiecta & duo prædicata.

CAPVT V.

De numero propositionum in syllogismo & simpliciter vno & non simpliciter vno, & qualiter se habet numerus propositionum ad numerum terminorum & conclusionum.

Hoc autem manifesto palam, &c.

HOc autem (quod dictum est de numero terminorum sicut dictum est) manifesto siue manifestato, ostendendum est, quòd syllogismus omnis simpliciter vnus ex duabus est propositionibus & non pluribus: nam tres termini secundum substantiam & actum & rationem terminorum materialiter sunt duæ propositiones: eo quod medium secundum rationem & actum mediandi necesse in vtraque accipi propositione: & nisi sic fiat non

Quomodo tres termini sunt duæ propositiones.

erit medium in ratione & actu mediandi: secundum enim vnum actum mediandi dicitur medium terminus vnus: & hoc modo tres termini sunt completa & sufficiens materia duarum propositionum.

Obiectio Solutio.

Quomodo enthymema est occultus syllogismus, & quomodo habet tres terminos & duas propositiones.

Et si obiicitur de enthymemate, vbi sunt duo termini, & vna propositio. Facile est soluere, dicendo, quòd enthymema non est syllogismus apertus & perfectus, sed occultus. Quia vna propositio eius (secundum quod occultus syllogismus est) tenetur in mente: & hoc modo habet tres terminos & duas propositiones. Et patet ex ratione iam inducta, quòd tres termini ad sensuicem secundum rationem & actū terminorum terminati constituunt de necessitate duas propositiones.

Obiectio.

Et si obiiciatur, quòd duæ propositiones habent quatuor terminos. Vel potest dici sicut in præcedenti capitulo hoc solutum est. Vel melius potest dici, quòd alij sunt termini syllogismi, & alij propositionū. Termini enim syllogismi sunt terminantes sufficienter consequentiam syllogisticam vnius ex alio: & tales termini de necessitate sunt tres: quia non cōcluditur vnus de alio nisi per tertium qui est medium. Termini autem propositionis sunt, in quibus stat propositionis resolutio: vnde hoc modo duarum propositionum sunt quatuor termini: qui tamen quatuor termini non sunt nisi tres termini syllogismi.

Solutio. In syllogismo sunt quatuor termini propositionum, & tres tantum termini syllogismi.

Nisi assumantur quemadmodū, &c. Possunt esse plures termini quam tres in syllogismo qui nō est simpliciter vnus.

Secundum hunc igitur modum tres termini sunt duæ propositiones, nisi aliqui plures termini assumantur ad probandum maiorem vel minorem principalis syllogismi siue perfectionem: eò quod aliquando secundum probationē sufficientem syllogismus in suis propositionibus perfectus non est: tunc autem sic coassumptis pluribus terminis, non est syllogismus simpliciter vnus secundum substantiam, quemadmodum in prioribus præcedentis capituli dictum est: quod sit in prosyllogismis qui ad perfectionem syllogismi principalis adducuntur, qui syllogismus finaliter est vnus, quamuis secundum substantiam non sit simpliciter vnus.

Manifestū igitur quoniam, &c.

Ex hoc autem manifestum est, quoniam in quacunque oratione syllogistica ad inferendum conclusionem perfectam non sunt nisi pares propositiones, hoc est, duæ. Quia duo est primus par numerus, sicut ternarius est primus impar. Propositiones dico, per quas ordinatas in modo fit conclusio syllogismi principalis. Dico autem principalis: quia etiam superiorum conclusionum quæ concluduntur in prosyllogismis, necessarium est esse quasdam propositiones, per quas concluduntur: sed sicut conclusio non est principalis, ita nec illæ propositiones sunt principalis syllogismi propositiones, & ideo talis oratio non est syllogistica: quia non est simpliciter vnus syllogismus: aut plura interrogauit ad conclusionem principalem & pro conclusione: aut non est syllogizata in modo & figura: interrogantur enim aliquando plura ad propositam conclusionem in dialecticis syllogismis, sicut in octauo topic. docet Arist.

Secundum principales

Sed sumptis syllogismis secundum propositiones principales syllogismi, omnis syllogismus est ex propositionibus perfectis (hoc est paribus) quia ex duabus, & est ex terminis abundantibus (hoc est, imparibus) quia ex tribus terminis: terminis enim sunt vno plures, quum propositiones Quia aliter consequentia extremi ad extremum terminari non potest, nisi par medium. Vnde propterea quòd vnū de vno concludicur, sunt duo termini, & propter consequentiam oportet esse tertium qui est mediùs terminus, qui bis sumptus duas facit propositiones: & consequentiam tertiæ quæ est conclusio ex duabus: quam consequentiam facere non posset, nisi referretur ad extremum vtriusquo propositionis. Propter quod etiam talis proportio est inter propositiones syllogismi & conclusionem, quòd conclusio est dimidietas propositionum: quia conclusio principalis est vna, & propositiones præmissæ duæ. Quamuis in præhabitis de mixtionibus ostensum, quod aliquando ex vno syllosgimo sequuntur duæ conclusiones: tamen illæ ambæ conclusiones non sunt æquè immediatæ, nec æquè principales: sed vna est conclusio immediata, & alia secundaria quæ concluditur per illam quæ est principalis.

igitur propositiones, &c.

Quare termini sunt tres in syllogismo.

Remouet dubium.

Quando autem per antesyllogismos (qui dicuntur prosyllogismi) concluditur altera propositionum præmissarum, super alteram præmissarum vel sub alteram, medium accipiendo ad prosyllogimum: tunc sunt quasi media continua, quasi secundum eandem lineam ad vnum accepta conclusionem: immediato tamen vnum accipiendo super vel sub altero extremorum, tunc dicuntur media continua. Aut quando diuersæ concusiones concluduntur per plura media non continua, quæ secundum vnam lineam non accipiuntur ad eandem conclusionem, sicut in syllogismis qui non sunt vnus syllogismus finali conclusione vna, sicut si a. b. sit conclusio quæ concludatur per c. d. duo media continua vel non continua: tunc adhuc multitudo terminorum in propositionibus talium syllogismorum positorum, vno secundum numerum superabit multitudinem propositionum.

Quando autem per antesyllogismos, &c.

Hoc autem sic probatur: si enim in continuis terminis secundum vnam lineam superioris & inferioris acceptis, accipiatur terminus qui syllogismo principali est extrinsecus, & in prosyllogismo est necessarius, qui etiam interoidens terminus vocatur: aut ille secundum lineam & ordinem terminorum sumetur extrinsecus in linea, aut ponetur intrinsecus ad ordinem medij inter extrema in principali syllogismo posita. Dico autem extrinsecus idem quod ad extrinsecus in ordine terminorum, vt sumatur medium aliquod super extremum maius ascendendo, sicut super hominem animal, & super animal viuum, & super viuum corpus, & super corpus substantia: aut sumatur descendendo sub minori extremitate, sicut si medium sit viuum, & sumatur sub vino animal, & sub animali homo, & sub homine aliquis homo, & sic deinceps: vtrumque enim vocatur extrinsecus assumptum. Ad medium autem siue ad intrinsecus dicitur poni intercidens terminus, quando sumitur inter extrema principalis syllogismi, sub maiori scilicet, &

& super minorem extremitatem assumpto termino intercidente: & hoc fit quando non per immediatum medium concluditur extremum distans de extremo, sicut si concludatur substantia de quodam homine per viuum: tunc enim inter viuum & quendam hominem inferius possunt sumi media animal & homo, & inter substantiam & viuum possunt sumi media corpus & animatum & huiusmodi: quæ omnia ad medium (quod est inter extrema) ordinantur: & vtroque modo, extrinsecus scilicet & intrinsecus assumendo multiplicantur termini per talium mediorum assumptionem.

Vtrumque autem accidit vno, &c.

Vtrumque autem istorum modorum accidit semper vno minus esse interualla (quæ sunt propositiones) quam terminos: semper enim assumptum medium est inter extrema coniungibilia per medium: & talis coniungibilitas non potest esse nisi termini in vno (mediante inter duo) superent propositiones. Propositiones autem interualla dicuntur: quia æquales sunt interuallis: & hoc in antehabitis æqualiter sic expositum est.

Non tamen quidem semper perfectæ, &c.

Et quamuis sic terminorum numerus vno excedat numerum interuallorum, non tamen semper propositiones sic assumptæ perfectæ sunt (hoc est, secundum numerum) & termini abundantes (hoc est, secundum numerum impares) quia & ad extrinsecus & ad intrinsecus possunt & pariter & impariter assumi. Sed in hoc permutatim se habent termini & propositiones: quia cum propositiones sunt perfectæ siue pares secundum numerum: tunc termini assumpti sunt abundantes, siue impares, & è conuerso cum propositiones sunt impares, siue abundantes, termini sunt pares: vno enim modorum numerus terminorum ad numerum propositionum se habere non potest: cum medium semper sit necessarium ad extrema coniungenda, & cum extrema sint duarum propositionum, necesse, quòd numerus terminorum vno vincat numerum propositionum in talibus prosyllogismis sic assumptis. Et huius causa est, quòd semper cum termino vno sic assumpto additur vna propositio, per illius termini relationem ad medium, vndecunque siue extrinsecus, siue intrinsecus sumptum addatur. Propter quod quando termini sunt abundantes, propositiones erunt perfectæ, & è conuerso: & ideo necesse est sic transmutari secundum par & impar terminos & propositiones addita vna & eadem forma in terminis.

Quomodo propositiones syllogismi & terminicius dem non possunt esse in eodem numero, & quare.

Si termini sunt pares præmissæ sunt impares & è conuerso.

Conclusiones autem ex talibus terminis & propositionibus conclusæ non iam eundem habebunt ordinem secundum numerum parem vel imparem, neque ad terminos, neque ad propositiones: vno enim termino assumpto addito, conclusiones tunc adiungentur, quòd non sunt nisi vna vnitate pauciores præexistentibus terminis: quilibet enim superior de inferiori concludi potest, & solus vltimus in tali ordine non potest concludi de aliquo: quia inter vltimum & aliquod inferius sumptum nihil est medium: eò quod nihil sit sub ipso, vlterius quod accipi possit sub ipso: ad alios autem terminos superiores omnes fit

Conclusiones autem non iam habebunt, &c.

conclusio superioris de inferiori per medium sumptum. Huius autem exemplum est, sicut si dicamus, quòd eis terminis vnius syllogismi qui sunt a. b. c. in quibus a. de c. per b. adiacet terminus assumptus intrinsecus, qui est d. sic a. b. c. d. tunc enim statim duæ adiacebunt conclusiones: quia vna conclusio est, quæ est a. ma us extremum conclusum de b. per c. medium: & illa quæ est ad b. conclusum de c. per d. medium assumptum. Similiter autem est & in omnibus aliis assumptis terminis, quoad portionem numeri terminorum ad numerum conclusionum in ordine, quando ad extra sumitur terminus, siue ascendendo, siue descendendo.

Si autem ad medium, &c.

Si autem ad medium intrinsecus sumptus intercidit terminus, eodem modo se habebit quoad numerum conclusionum: quia ad vnum solum vltimum in ordine terminorum non faciet syllogismum: quia hoc de nullo concludi potest. Propter quod patet, quòd in tali assumptione multo plures erunt conclusiones quam termini sint vel propositiones. Est tamen hic attendendum, quòd quamuis vltimus terminus in descendendo solus nunquam de aliquo concludi possit in vno ordine terminorum, & primus in ascensu sit de quo nihil concludi possit, eò quod inter ipsum & eum qui concludi deberet de ipso, non potest esse medium: quia aliter sequeretur, quòd aliquid esset superius supremo, quod esse non potest: & hoc modo ad neutrum vltimorum potest fieri conclusio: sed ad quodlibet mediorum fit conclusio: & quolibet vno medio sumpto intrinsecus inter extrema ad medium adduntur duæ propositiones: sint enim termini syllogismi principalis a. b. c. tunc concluditur a. de c. per b. & sunt istæ propositiones, omne a. est b. omne c. b. & tres termini: sumatur vnus terminus inter a. & b. & sit ille d. tunc erunt duæ nouæ (noui syllogismi) aliæ propositiones, hæ scilicet, omne d. est a. & omne b. est d. & concluditur a. de b. per d. & tunc videntur esse quatuor termini & quatuor propositiones: & sic tot esse termini quot propositiones. Tamen hoc non est ad vnam & eandem conclusionem, sed ad duas, sed cum propositio in talibus syllogismis non sit interuallum inter duos terminos immediatè sumptos, qui sunt subiectum & prædicatum: tunc aliæ duæ propositiones prioris syllogismi disparent & deficiunt, quæ fuerunt omne b. a. & omne c. d. quia tunc b. non est immediatum ad a. sed potius coniungitur ei in conclusione noua per d. per d. enim concluditur a. de b. & sic remanet adhuc, quòd duarum propositionum sunt tres termini, & non quatuor: quia priorum propositionum disparet vna, & duæ nouæ ex assumptione vnius termini generantur. Et omni eodem modo est si inter medium & minorem extremitatem terminus aliquis assumatur, vt cum dicitur, quòd termini sint a. b. c. & inter b. & c. sumatur e. tunc enim per e. concluderur b. de c. & hoc modo etiam patet, quòd vno termino addito duæ fiunt conclusiones: quia concluditur a. de c. per b. & concluditur a. de b. per d. & similiter est ex alia parte inter medium & minorem extremitatem:

Obiectio, quòd tot sint termini, quot propositiones. Quomodo ad neutrum vltimorum potest fieri conclusio.

mitatem: tunc enim concludetur medium de minori extremitate, & medium fit extremum per nouum assumptum medium. Si autem omnino fiunt diuersi syllogismi, sicut si vnus sit a. b. c. & alter d. e. f. tunc oportet sex esse terminos, & quatuor propositiones: & hoc non est contrarium ad ea quæ dicta sunt. Sed ad intrinsecus inter maius extremum & medium, & inter medium & minus extremum sumuntur media in prosyllogismis: omnino autem diuersi termini sumuntur ad eos qui positi sunt diuersi syllogismos.

Et patet, quòd in vno ordine terminorum vno addito termino semper additur noua conclusio præter vltimum, sicut dictum est: quia nouum inter extrema medium vnam facit conclusionem: sed tunc quæ prius fuerunt extrema in syllogismo principali, efficiuntur non extrema nisi aliquod medium alterum sumatur extremorum, cum quo id quod prius erat medium, efficitur extremum: & hoc est quod in ista parte probatur. Et patet, quòd impossibile est, quòd ad diuersas conclusiones quocunque modo factas, non sint diuersæ propositiones & diuersi termini, si secundum rationem terminorum accipiantur.

CAPVT VI.

De propositionibus quæ faciliter, & de his quæ difficulter probantur.

Quoniam autem habemus, &c.

QVoniam autem ex his quæ determinata sunt habemus de quibus sicut materialibus princi. iis fiunt syllogismi: & per formalia principia in antehabitis determinata habemus quales, & quando, & quare fiunt in vnaquaque figura. Quales secundum affirmationem & negationem. Et quando secundum perfectionem & imperfectionem, & coniugationes vtiles & inutiles. Et quare quantum ad consequentiam quæ vel per conuersionem vel per dici de omni vel dici de nullo vel per ad impossibile deductionem. Habemus etiam quot modis fit & quot modis demonstratur in qualibet figura. Ex his etiam facile manifestum est nobis etiam quæ propositio sit difficile, & quæ facile sit argumentabilis per syllogismum. Illa enim propositio ad quam sunt plures viæ, & in pluribus figuris, & per plures casus siue modos figurarum concluditur, facilis est ad arguendum: quæ autem in paucis concluditur figuris, & per pauciores figuræ modos, difficilius est argumentalis, quia pauciores viæ rationis habentur ad ipsam.

Ergo affirmatiua vniuersalis quidem vniuersalis, &c.

Ergo affirmatiua vniuersalis per primam solam figuram monstratur: & per hanc etiam non nisi simpliciter, hoc est, in vno solo modo primo concluditur: & ideo non nisi vna via rationis habetur ad illam. Priuatiua verò propositio vniuersalis quamuis per inductionem particularium æqualiter probetur cum vniuersali affirmatiua, tamen per syllogismum plures viæ habentur ad ipsam probandam quam ad vniuersalem affirmatiuam: quia & per primam figuram probatur, & per mediam figuram: per primam quidem simpliciter in vno modo, secundo scilicet: per mediam autem probatur dupliciter, per primum secundum modum, & secundum secundæ figuræ. Particularis autem affirmatiua adhuc dictis duabus facilius probatur syllogisticè: quia probatur & per primam figuram, & per postremam: simpliciter quidem siue vno modo concluditur per primam, quia in tertio primæ tantum particularis affirmatiua: tripliciter vero concluditur per postremam, quia per primum modum tertiæ, & per tertium & per quartum. Omnibus autem facilius probatur particularis negatiua siue priuatiua: quia illa in omnibus figuris monstratur: simpliciter quidem in prima, dupliciter in secunda, & tripliciter in tertia, scilicet in secundo modo & quinto & sexto: vnde in prima quidem semel concluditur: in media autem & postrema etiam concluditur: in media quidem dupliciter, & in postrema tripliciter concluditur.

Manifestũ igitur quoniam vniuersalem, &c.

Ex his autem manifestum, quoniam vniuersalem affirmatiuam construere quidem est difficile: eò quod paucæ viæ rationis sunt ad eam construendam. Destruere autem eam facillimum est: omnino enim siue vniuersaliter facilius est interimi siue destrui vniuersalia quam particularia. Vniuersale enim & contrario & contradictorio destruitur: si enim nulli insit quod est contrarium ad omni inesse, & si alicui non insit quod est contradictorium, vtroque modo interemptum est vniuersale affirmatiuũ, quod est omni inesse. Horum autem duorum contradictorium, scilicet quod est alicui non inesse, in omnibus figuris monstratur & in multis modis figurarum: contrarium autem, quod est nulli inesse, per quod etiam destruitur vniuersale affirmatiuum, monstratur & concluditur in duabus figuris, prima scilicet & secũda.

Eodem autem modo, &c.

Eodem autem modo facilis destructio & difficilis constructio est in vniuersalibus priuatiuis plus quam in particularibus, licet minus sit quam in vniuersali affirmatiua: vniuersale enim negatiuum dupliciter interimitur, scilicet contrario & contradictorio: si enim omni inest contrario interemptum est vniuersale negatiuum: & si alicui inest, tunc iterum contradictorio est interemptum: horum autem duorum contradictorium, scilicet particularis affirmatiua concluditur in duabus figuris, vniuersalis autem affirmatiua in vna.

In particularibus autem, &c.

In particularibus autem facilis est destructio: destruitur negatiuum si omni ostendatur inesse, & affirmatiuum destruitur si nulli ostendatur inesse: sub contrario enim non destruitur, sed contradictorio tantum. Sed construere particulare vtrumque, scilicet affirmatiuum & negatiuum est facilius quam destruere: vtrumque enim particulare syllogizatur in pluribus figuris, & per plures casus siue modos figurarum: negatiuum enim particulare in omnibus concluditur figuris, & particulare affirmatiuum in duabus, & concluduntur per plures casus siue modos figurarum.

Omninò autem, &c.

Omninò autem siue vniuersaliter non oportet nos latere, quoniam contingit destruere se per seinuicem & vniuersalia & particularia: destruuntur enim vniuersalia particularia sicut

per

per contradictoria, & particularia destruuntur per vniuersalia sibi contradictoria. Construere autem non contingit vniuersalia per particularia: quia si particularis affirmatiua sit vera, non sequitur propter hoc vniuersalem esse veram. Sed è conuerso per illam quæ est vniuersalis, construitur particularis sibi subalternata: si enim vniuersalis affirmatiua sit vera, sequitur quòd particularis affirmatiua sit vera: nam si omni inest, sequitur & alicui inesse. Et similiter est de vniuersali negatiua ex qua concluditur particularis negatiua. Simul autem cum hoc manifestum est, quoniam facilius est destruere quam construere: quia per duo destruitur, & per vnum tantum construitur.

Facilius est destruere quam construere.

Ex omnibus autem quæ à principio istius libri vsque huc dicta sunt, manifestum est quomodo quoad generationem sit syllogismus, & per quot terminos, & per quot propositiones, & quomodo in complexione & commixtione se habentes adinuicem. Amplius autem manifestum est quæ propositio in vnaquaque figura concluditur: quia vniuersalis affirmatiua in vna, vniuersalis negatiua in duabus, particularis affirmatiua in duabus, particularis negatiua in omnibus. Vnde manifestum est quæ propositio in pluribus figurarum casibus siue modis & quæ in modis paucioribus syllogistice monstratur: hoc enim totum palam est ex his quæ dicta sunt.

Quomodo ergò fit omnis syllogismus, &c. Epilogus omnium dictorum à principio huius primi libri huc vsque.

Et ideo antiqui commentatores huius lib. hîc dixerunt finiri primam pericopen (hoc est, sectionem) quæ est de generatione syllogismorum & principiis ad generationem syllogismorum pertinentibus. Abhinc autem dixerunt incipere secundam pericopen, in qua docetur facultas & idoneitas syllogizandi in syllogismo sic generato vt præscriptum est. Quare autem hæc vel illa propositio in hac vel illa figura concludatur, in antehabitis dictum est.

Finit primi segmenti huius primi libri.

TRACTATVS VI.

De medij inuentione.

CAPVT I.

Ad quæ inspiciendum sit ad medij inuentionem.

Quomodo autem idonei erimus, &c.

MAIOR (sicut determinatum est) generatione syllogismorum, videndum est quomodo nos idonei erimus semper syllogismorum, siue syllogismis: quia genitiuum Græci ponunt pro ablatiuo: idonei autem erimus ex facultate & potestate syllogizandi. Hoc enim maximè desiderandum est in hac scientia: quia (sicut à principio dictum est) syllogismus est instrumentum per quod in complexis ignoti per notum accipitur scientia: & ideo qui idoneus est in syllogizando, idoneus erit ad accipiendum cuiuslibet complexi scientia: non autem potest esse idoneus nisi per medij inuentionem: quia (sicut in præcedenti capitulo probatum est) additio medij facit additionem conclusionum quæ sunt ignoti scientia. Oportet igitur docere medij inuentionem: quamuis enim hoc fieri non possit arte resolutoria à qua hîc liber denominatur: tamen necessarium est propter bonitatem doctrinæ, vt huius inuentio doceatur. Nec resolutio fieri posset, nisi medium erit inuentum.

Prima causa quare hic agatur de inuentione medij.

Secunda causa.

Docebimus igitur in hoc tractatu quomodo erimus nos idonei syllogismis inueniendis ad propositionem siue propositum quancunque quæstionem terminandam, & docebimus per quam viam sumemus principia syllogizandi quæ sunt circa vnumquodque propositum nobis ad terminandum siue concludendum. Docebimus autem primo in communibus omni quæstioni propositæ ad quæ inspiciendum sit, & postea dicemus etiam ad qualia respiciendum est, & sic transibimus ad propriorum inspectionem: hoc enim nunc iam dicendum restat. In scientia enim ista non solum oportet considerare generationem syllogismi, quod ad resolutoriam pertinet scientiam: sed (cum ista scientia sit modus aliarum scientiarum) vtilitas maxima consistit in hoc quod habeamus potentiam siue facultatem faciendi syllogismos. Vnde quamuis ex natura simus habiles, ars tamen naturæ superueniens potentiam dat syllogismos faciendi: cui si adiungatur vsus, erimus ex natura habiles, & ex arte potentes, & ex vsu faciles, vt dicit Victorinus. Ad medij igitur inuentionem primo ponenda est diffinitio prædicabilium & subiicibilium in quæstione quæ proponitur terminanda.

Nota sententiam Victorini.

Omnium igitur quæ sunt, &c.

Dicamus igitur, quòd omnium eorum quæ sunt, quædam sunt talia vt de nullo alio à se prædicentur vniuersaliter vel prædicari possint, ita quod vera sit prædicatio, Cleon & Callias, & vt generaliter dicatur, quodlibet quod est singulare & sensibile: quia sensus proprius non est nisi huius singularis: talia autem sunt prima substantia, de quibus omnia alia prædicata prædicantur, sicut patet in exemplis inductis de Cleone & Callia: de vtroque enim illorum prædicatur & species & genus: quia vterque eorum est & homo, & animal, & rationale, & risibile, & accidente proprio discretus. Alia autem sunt prædicata tantum, quæ ipsa

ri, sa quidem de aliis sibi subiectis prædicantur, de eis autem alia ipsis priora secundum intellectum non prædicantur, sicut sunt generalissima. Alia autem sunt quæ & ipsa de quibusdam prædicantur vt de subiectis, & de ipsis alia prædicantur, sicut sunt media inter generalissimum & singulare, sicut homo, quod est species, prædicatur de Callia, & de homine prædicatur animal: & sic homo & prædicatum est ad quædam, & subiectum est ad alia. De his sufficienter dictum est in prædicamentis.

Quoniam ergo quædã eorum, &c.

Huius autem diuisionis probatio est: quoniam ergo quædam eorum quæ sunt, de nullo nata sunt dici siue prædicari (sicut dicit primum istius diuisionis membrum) palam est hoc modo: natura sensibilium siue singularium penè vnũquodque est huiusmodi quod de nullo prædicatur. Penè autem dico propter indiuiduum vagum: quod tamen quando prædicatur, prædicatur gratia speciei, & non gratia ipsius secundum quod ipsum indiuiduum est. Propter quod sensibilium siue singularium quodlibet tale est vt de nullo prædicetur, nisi prædicetur vt secundum accidens: dicimus enim quandoque album illud demonstratum in sensu Socratem esse: & hoc modo Socrates non inquantum singulare prædicatur, sed potius discretum in sensu (quod formale est) prædicatur de Socrate: sensus enim est, Socrates est album illud, & album illud demonstratum determinatur per Socratem. Hoc enim modo album illud habet naturam prædicabilis accidentis, sicut indiuiduum vagum habet naturam speciei cum dicitur, quòd Socrates est aliquis homo. De hoc autem & in scientia vniuersalium & in scientia prædicamentorum satis dictum est: & hoc modo dicimus hoc veniens esse Calliam.

Quare dixit penè.

Singulare de nullo prædicatur nisi secundum accidens.

Quoniam autem in sursum pergendo in linea prædicabilium statur quandoque in vno quod est prædicatum tantum & non subiectũ: hoc quamuis dictum sit in prædicamentis, tamen adhuc rursum dicemus hoc in posterioribus per demonstrationem: & ideo sit hoc hic suppositum: quia per istam scientiam hoc probari non poterit. Et sic secundum membrum patet inductæ diuisionis. De his ergo quæ suprema sunt in linea prædicamentali, non contingit demonstrare aliquod prædicatum aliud quod per se prædicetur de ipsis: & si prædicatur aliquid de ipsis, non prædicabitur nisi secundum opinionem, hoc est, secundum communitatem quæ non est generis vel speciei, sed est communitas opinionis, hoc est, analogiæ: quæ communitas non est nisi opinionis, quia quamuis sit in multis, tamen id quod prædicatur non est nisi in vno, & in aliis aliquis modus eius, quod ad communitatem confert & refert opinio. Hæc tamen generalissima vera prædicatione prædicantur de aliis inferioribus: & singularibus in hoc sunt contraria, quia singularia non prædicantur de aliis, sed alia prædicantur de ipsis.

Quoniam autem in sursum pergendo in linea prædicabilium statur

Ex quo sequitur ens non esse vniuocum decem prædicamentis: & hoc colligitur ex verbis Philosophi in hac parte, vt notat etiam Ioan. grammat.

Generalissima & singularia sunt quoquomodo contraria.

Ea autem quæ in medio istorum sunt, manifestum est quoniam vtrumque contingit: quia & hæc de aliis, & alia de ipsis dicentur siue prædicabuntur. Maximè enim de his, intermediis scilicet sunt penè omnes rationes syllogisticæ siue ratiocinationes. Et de his tibus oportet etiam considerare rationes in mediorum inuentione. Penè autem dicimus: quia aliquando in syllogismis extrema fiunt media, sicut in secunda figura & tertia: sed hoc raro contingit: maximè tamen in talibus quæ subiiciuntur & prædicantur respectu diuersorum, inspicitur in medij inuentione: quia ista positione sunt media, sicut medium in prima figura.

Quæ autem in medio sunt, &c.

Quare dixit penè.

Oportet ergo propositiones ad concludendum propositum circa vnumquodque propositum, hoc est, propositam quæstionem sic sumere, ita quod prius proponat & accipiat ante alia diffinitiones subiecti, vel etiam (vt quidam dicunt) prædicati: & accipiat alia quæcunque sunt propria subiecto, vt descriptiones, & notificationes quascunque, quæcunque propriè sunt rei quæ subiicitur, & de qua quæritur quod de ipsa possit concludi: quia per propria magis syllogizatur ad propositum: conuertibile enim magis facit ad propositum, quam non conuertibile. Post illa autem inspiciendum est in ea quæcunque sequuntur, hoc est, consequentia essentialiter sunt ad subiectum, sicut animal ad hominem: sub talibus enim accipiendum medium in prima figura & in tertia, & super talia accipiendum est medium in figura secunda. Deinde etiam post hæc tertio inspiciendum in ea quæcunque sequuntur rem quæ est subiectum, & rursum quæ res sequitur, hoc est, quæ ipsum subiectum antecedit, vt homo est antecedens ad animal. Et etiam illa ad quæ subiectum sequitur, sicut homo sequitur aliquem hominem. Et oportet etiam propter negatiuos syllogismos inspicere omnia repugnantia quæcunque eidem subiecto non contingit inesse propter disparationem vel oppositionem. Sed non oportet accipere vel inspicere ea quibus ipsa res subiecta non contingit inesse: hoc enim superfluum esset: quia habitis repugnantibus quę vniuersaliter à re remouentur, habetur etiam quibus ipsa res subiecta non sequitur: eò quod simpliciter & in terminis conuertitur vniuersalis negatiua: & ideò scito cui prædicatum aliquod repugnat, scitur etiam quibus repugnat subiectum, conuersa propositione vniuersali negatiua.

Oportet ergo propositiones, &c.

Remouet dubium.

Adhuc autem in his quæ sequuntur subiectum quæstionis (vt antecedens) diuidendum est, & inspicienda sunt quæcunque sequuntur subiectum in eo quod quid est, & substantialiter prædicantur de subiecto: & inspiciendum est in illa consequentia quæcunque sequuntur non in eo quod quid est, sed quæcunque etiam sequuntur ea & prædicantur de eis vt propria & conuertibilia: per hoc enim magis concluditur ad propositum, quia sunt conuertibilia, vt risibile cum homine, & sensibile cum animali. Et oportet etiam inspicere in ea quæ sequuntur subiectum vt accidentia: quia conclusio accidentalis non concluditur de aliquo nisi per medium accidentale. Et adhuc horum quæ sequuntur vt accidens, oportet considerare, vtrum prædicetur vt ens probabile quod determinatur ad opinionem, sic quod scilicet videtur omnibus vel pluribus vel sapientibus,

Diuidẽdum autem est & eorum, &c.

&

& maximè notis, faciunt propositionem probabilem. Et iterum inspiciendum est quæ prædicantur de subiecto vel sequuntur ad subiectum secundum rei veritatem, quæ sunt de rei essentia, ex quibus fiunt propositiones demonstratiuæ & necessariæ. Quanto enim plurium talium aliquis idoneus fuerit per facultatem intellectus in accipiendo, tantò solertior est, & citius inueniet conclusiones: & quantò horum veriorum & essentialiorum talium fuerit inspector, tantò magis & efficacius demonstrabit propositionem: quia demonstratiuus syllogismus ex propositionibus est essentialibus.

Oportet autem eligere non quæ, &c.

In his autem quæ dicta sunt non oportet eligere ea quæ dicta sunt tantum, sed oportet etiam eligere quæ magis & quæ minus sunt eligenda: maximè ergo eligenda sunt talia consequentia non quæ sequuntur particulariter vel indefinitè, sed quæ sequuntur totam rem subiecti in omnia sua particularia distributam. Verbi grâtia non oportet eligere quod sequitur hominem quendam vel aliquem, sed id eligendum est quod sequitur omnem hominem: & hoc ideo vtilius est, quia omnis decursus syllogisticus est per vniuersales propositiones: & medium quod vniuersaliter sequitur minus extremum, magis infert vniuersaliter quam aliud. Quando ergo medium eligitur secundum consequens indefinitum, tunc incertum est si vniuersalis est propositio quæ concluditur: quia indefinitum & pro toto & pro parte potest verificari: cum verò finitum est in quantitate per signum vniuersale, tunc manifestum est quid sequi potest ex tali medio. Similiter autem magis eligendum est in antecedentibus ad subiectum quæstionis quæ ipsum subiectum totum (hoc est, vniuersaliter) sequitur, hoc est, de quibus subiectum quæstionis vniuersaliter prædicatur propter eandem (quæ dicta est) causam: quia scilicet vniuersales potentiores sunt in decursu syllogistico.

Ipsum autem quod sequitur, &c.

Sed ea quæ sequuntur ad ipsum subiectum quæstionis non est sumendum secundum totum, hoc est, vniuersaliter sequi ad ipsum, ita quod signum vniuersale ponatur ad prædicatum quod sequitur ad subiectum: sicut si dicam hominem sequi omne animal, aut si dicam musicam sequi omnem disciplinam, vt si dicam, musica est omnis disciplina. Sed tantum est accipiendum prædicatum quod simpliciter sequitur subiectum sine signo distributiuo, quemadmodum & protendimus siue proponimus in propositionibus syllogismi. Si enim vniuersaliter prædicatum prædicetur de subiecto indefinitè sumpto, inutile erit quantum ad decursum syllogisticum, qui penes distributionem prædicati non attenditur: & erit impossibile quantum ad veritatem propositionis: quia disparata vel opposita prædicabuntur de eodem. Est enim impossibile omnem hominem vel hominem esse omne animal: quia sic omnis homo vel homo esset asinus & leo & huiusmodi: & hoc modo impossibile est iustitiam esse omne bonum. Sed subiectum cui fiue ad quod sequitur prædicatum in illo, dicitur omne, quia subiectum distribuitur signo vniuersali: hoc enim vtile est ad decursum syllogisticum, & non facit impossibilem propositionem.

Iuxta illud primi periherm. c. 7. nulla affirmatio erit vera in qua de vniuersali subiecto vniuersaliter prædicatur prædicatum.

Quando autem ab aliquo superiori suo continetur subiectum quæstionis, cuius (scilicet subiecti) sequentia oportet sumere ad medij inuentionem: tunc non est eligendum sumere ea quæ in his quæ essentialiter continent subiectum: quia illa actu & intellectu clauduntur in subiecto, & in his quæ sunt in subiecti ratione. Similiter etiam non multum oportet sumere quæ non insunt vniuersaliter: quia illa sunt essentialiter repugnantia: & omnia ista statim sumpta sunt ipso subiecto sumpto: & ideò superfluum est iterum studere ad talium acceptionem. Et hoc patet per hoc: quia quæcunque sequuntur essentialiter animal, hæc sequuntur & hominem, per id quod in prædicamentis dictum est, quando alterum de altero, quæcunque de prædicato, etiam de subiecto dicuntur. Et similiter est de repugnantibus, quæcunque vniuersaliter non insunt consequenti, hæc etiam non insunt antecedenti: quia quæcunque remouentur ab animali, remouentur etiam ab homine.

Quando autem ab aliquo superiori &c.

Inter tamen extranea repugnantia magis sumenda sunt quæcunque sunt magis propria & magis propinqua, quam illa quæ sunt magis extranea & magis remota: & hoc bene contingit: quia quædam sunt speciei quæ sibi sunt propria & propinqua præter genus: necesse est enim diuersis speciebus inquantum species sunt quædam propria præter genus esse: & illorum opposita sunt speciei etiam magis propinqua, quam opposita generum. Adhuc autem etiam illud vniuersale quod sequitur id quod continetur (hoc est, subiectum vel antecedens) non oportet eligere, vt animal quod sequitur id quod est homo: & hoc ideò quia sumpto subiecto siue antecedente omnia illa sumpta sunt quæ vt vniuersale & essentiale sequuntur ad ipsum: sicut necesse est, quod hominem sequatur animal: & similiter omnia alia essentialia prædicata necesse est, quod sequantur ad ipsum antecedens: quia hæc omnia sunt in hominis electione: & ideo accepto & generaliter accepto antecedente, ista omnia accepta sunt in hominis electione.

Quæ autem in vnoquoque sunt, &c.

Adhuc etiam sumenda sunt & eligenda etiam ea quæ plerunque & non semper ad subiectum sequuntur, hoc est, vt in pluribus: & etiam talia ad quæ sequitur aliquid plerumque, quæ sunt prædicata quidem de subiecto: sed ad ipsa sumpta sequuntur quædam vt in pluribus, quæ vtilia sunt in mediorum sumptione: quia ad problemata terminanda quæ plerumque siue in pluribus sunt, fit syllogismus qui est ex propositionibus quæ vt in pluribus sunt aut omnibus aut ad minus aliquibus: vniuscuiusque enim syllogismi conclusio in talibus similis est principiis siue propositionibus per quas concluditur.

Sumenda autem sunt, &c.

Amplius autem ea quæ omnibus sequuntur & antecedentibus & consequentibus siue subiectis & prædicatis, non est eligendum: quia ex talium terminorum coniunctione non potest esse vtilis coniugatio ad syllogismum: hæc enim omnia disponantur vt prædicata secundum

Amplius quæ omnium, &c.

dum affirmationem, quod non valet in secunda figura : tamen propter quam causam ista non eligenda sint, in sequentibus erit manifestum.

Dubitatio. Attendendum autem de his quæ hic dicta sunt, vt sanè intelligantur : quod enim dictum est, quòd aliquod consequens ad antecedens sequitur vt frequenter, & aliquod vt semper, posset habere calumniam : quia consequens quod semel sequitur ad antecedens, semper sequitur ad ipsum, vel nunquam: quod autem frequenter sequitur, al quando sequitur, & aliquando non : & sic non est verè consequens.

Solutio. Sed ad hoc dicendum, quòd in tota ista scientia antecedens vocatur subiectum, & consequens vocatur prædicatum : & non vocantur antecedens & consequens secundum consequentiam secundum quam id quod est in alio secundum actum & intellectum sequitur ad ipsum : & quia prædicatum aliquando inest subiecto vt nunc, aliquando vt in pluribus, aliquando autem simpliciter : propter hoc in consequente & antecedente supradictæ accipiuntur considerationes. Appellantur autem ista antecedens & consequens potius quam subiectum & prædicatum : quia subiectum & prædicatum non dicunt ordinem medij ad conclusionem, sed consequens & antecedens medij dicunt ordinem : omnis enim habitudo medij affirmatiua ad conclusionem exprimitur per has intentiones, antecedens, & consequens: omnis autem habitudo medij negatiua ad conclusionem satis exprimitur per repugnans & extraneum: & ideo talibus intentionibus intendendum est hîc.

Quare subiectum & prædicatum vocauit nomine antecedentis & consequentis.

Quòd etiam dictum est, signum vniuersale non esse addendum ad prædicatum affirmatiuæ propositionis ; eo quod est & semper falsum, & facit locutionem falsam, satis planum est. Quod quoad decursum syllogisticum est superfluum. Falsum autem est ideo, quia prædicatum secundum quamlibet partem facit dici de qualibet parte subiecti : & sic contingeret, quod disparata dicerentur de eodem: quod esse non potest. Tamen potest dici in negatiua signum vniuersale additum ad prædicatum, sic, omnis homo non est animal: quia cum affirmatiua cum signo vniuersali sit falsa, superueniens negatio tollit illam falsitatem: & ideo conuenienter additur in negatiua. Et ideo etiam dicitur in lib. perihermenias, quòd nulla est prædicatio in qua prædicatum est vniuersaliter cum signo vniuersali acceptum.

Limitatio illius propositionis: quando prædicatū sumitur vniuersaliter propositio est falsa. In primo c. 5.

Quare magis eligendum consequens antecedentis quam consequentis, & adhuc magis propinquum quam remotum.

Adhuc etiam diximus, quòd magis eligendum est consequens antecedentis, quam consequentis : & quòd magis eligendum est consequens propinquum, quam remotum: & de extraneo similiter idem dictum : quia quicquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens, & non conuertitur : & quicquid sequitur ad remotum, sequitur ad propinquum, sed non conuertitur : & ideò plura accipiuntur in antecedente, quam in consequente : & plura accipiuntur in propinquo, quam in remoto : & ideo ad inuentionem medij plus valet accipere antecedens, quam consequens: & plus valet accipere propinquum, quam remotum.

CAPVT II.

Qualia & quomodo se habentia principia sunt eligenda ad quodlibet propositum quoad mediorum inuentionem.

IN hac autem arte de medij inuentione primo dabimus regulas qualiter inueniatur medium ad construendum omne propositum problema, siue sit vniuersale affirmatiuum, siue vniuersale negatiuum, siue particulare affirmatiuum, siue negatiuum : & primo qualiter construitur vniuersale affirmatiuum.

Construere autem volentibus, &c. Dicimus igitur, quod construere volentibus de aliquo subiecto toto vniuersaliter sumpto quod est subiectum eius prædicati quod construitur de ipso (hoc est, quod prædicatur de ipso vniuersaliter gratia omnium partium suarum) inspiciendum est in medij inuētione ad antecedentia prædicati quæ sunt sibi subiecta, de quibus ipsum dicitur, siue prædicatur vniuersaliter, & de quibus ipsum prædicatum oportet prædicari vniuersaliter: & hoc est quod essentialiter est sub ipso prædicato : illa enim sunt consequentia subiectum (de quo subiecto prædicari oportet) quæcunque ipsum subiectum sequuntur, sicut in prædicamentis dicendum est per illud principium, quando alterum de altero vt de subiecto, quæcunque de prædicato dicuntur, omnia de subiecto dicentur. Si enim in antecedentibus prædicatum & consequentibus subiectum, aliquid vnum inueniatur, quod idem sequatur subiectum, & antecedat prædicatum, per illud sicut medium concluditur, quòd necesse est alterum illorum, quod scilicet est prædicatum, alteri quod est subiectum inesse vniuersaliter : & concluditur vniuersalis affirmatiua. Et huius exemplum est, vt si animal sit prædicatum & homo subiectum, erit medium quod est consequēs subiectum & antecedēs prædicatū, sicut rationale per quod vniuersaliter animal concluditur de homine.

Si autem nō quoniam omnīū, &c. Secunda regula obseruanda est ad particulare affirmatiuum concludendum, & est hæc: quia si aliquis vult construere aliquod prædicatum de aliquo subiecto, non quoniam insit omni, sed quia insit alicui particulariter, oportet respicere in aliquod antecedens, quod vtrumque sequatur, scilicet tam subiectum, quam prædicatum: si enim antecedit ad vtrumque horum, per illud concludetur prædicatum de subiecto illo particulariter.

Quādo autem nulli, &c. Tertia regula est ad concludendum vniuersale negatiuum, & est hæc : quia siquis velit concludere, quòd prædicatum nulli secundum omnes partes oportet inesse subiecto, oportet inspicere in extraneum siue repugnans prædicato, cui ipsum prædicatum oportet non inesse, siue à quo prædicatum necessario remouetur, & ad sequentia subiectum : si enim repugnans prædicato, & consequens subiectum fuerit idem, hoc erit medium ad concludendum vniuersalem negatiuam per primam figuram in secundo modo primæ, & per primum modum secundæ, qui constat ex vniuersali negatiua

gatiua maiore, & vniuersali affirmatiua minore, sicut secundus primæ.

Quarta autem regula conuersa tertiæ, quod scilicet ad concludendum vniuersalem negatiuam adhuc oportet inspicere in consequens prædicati, & in repugnans subiecto: quia si hæc idem sunt, hoc est medium ad concludendum vniuersalem negatiuam in secundo modo secundæ figuræ, qui habet maiorem vniuersalem affirmatiuam, & minorem vniuersalem negatiuam. Et hoc est quod dicit Aristot. quòd quando aliquis vult concludere, quòd aliquod prædicatum nulli de subiectis oporteat inesse, inspiciendum primo repugnans, cui non oportet inesse prædicatum, & inspiciendum ad sequentia subiectum, sicut dicit regula tertia: & ita inspiciendum est ad quod oportet non inesse prædicato, quod medium est ad ea concludenda, quæ non contingit inesse subiecto vniuersaliter. Aut conuersim ista sunt accipienda sicut dicit regula quarta; hoc est, quòd qui vult concludere vniuersaliter non inesse prædicatum subiecto, inspiciat ad ea repugnantia subiecto, quæ non contingit illi subiecto adesse, & tale quod non contingit inesse subiecto, compatet ad sequentia prædicatum: quia si hæc repugnantia & consequentia sint eadem ad alterutrum, tunc concluditur, quòd nulli contingit alterum, quod est prædicatum, alteri quod est subiectum, inesse. Has autem duas regulas dari oportebat de medio per quod concluditur vniuersalis negatiua: quia aliquando concluditur in prima figura, & aliquando in secunda: & alio medio in primo modo secundæ, & alio in secundo: propter quod vna regula regulari non potetit medium.

Remouet dubium.

Si autem alicui non inesse, &c.

Quinta regula est ad concludendum particulare negatiuum: tunc enim inspiciendum est in antecedens subiecti, & repugnans prædicato. Si enim illa sunt eadem, per tale medium concluditur particulare negatiuum. Et hoc est quod dicit Aristot. verbis difficilibus sic, quod si aliquis vult concludere prædicatum alicui subiecto particulariter non inesse, oportet quòd cõsideret antecedẽtia illius subiecti, quibus sequitur ipsum subiectõ cui oportet non inesse prædicatum in conclusione: & oportet, quòd consideret repugnans prædicato, quod non possibile est eidem prædicato inesse. Si enim taliter repugnantium prædicato & antecedentiũ subiectũ, aliquid sit idem: tunc per illud medium concluditur prædicatum alicui subiecto non inesse, hoc est, particulariter.

Magis autem forsasse erit, &c.

Hoc autem quod dictum est, forsasse erit magis manifestum circa vnumquodque eorum quæ dicta sunt propositorum, si in terminis generalibus ponatur vnumquodque inspiciendorum in medij inuentione. Sit ergo prædicatum in omnibus his a. litera designatum. Et consequentia prædicatum sint in quibus est b. hoc est, per literã b. designentur. Et antecedentia prædicatum, quibus siue ad quæ ipsum sequitur prædicatum, sint in quibus pro signo ponitur litera c. Repugnantia autem prædicato, quæ prædicato non contingit inesse, sint in quibus est litera d. Et sic signata sunt prædicatum & consequentia & antecedentia, & repugnantia prædicato. Rursus autem subiectum in omnibus his sit signatum litera e. Et consequentia subiectum quæ insunt subiecto sicut consequentia ipsum, sint signata per literam f. Antecedentia autem subiectum, quibus ipsum inest subiectum & sequitur ad ipsa, signentur & sint in quibus ponitur signum g. Oppositа autem siue repugnantia subiecto, quæ non contingit subiecto inesse, sint ea in quibus est h. positum pro signo.

Si vero idẽ erit aliquid eorum, &c.

Considerandum est in antecedentibus prædicati quæ sunt c. & consequentibus subiectum quæ sunt f. quia si aliquid eorum quæ sunt c. idem fuerit alicui eorum quæ sunt f. consequentia subiectum, hoc erit medium ad concludendum vniuersalem affirmatiuam, ita quòd concluditur, quòd necesse est a. prædicatum, omni e. subiecto per tale medium inesse: quia tale medium est in toto primo, & tale postremũ est in toto medio: & fit primus primæ figuræ syllogismus: nam secundũ hoc quidem f. inest omni e. c. autem omni inest a. prædicatum: quia c. positum est esse antecedens ad a.

Si autem c. & g. idem, &c.

Si autem in talium inspectione inueniatur c. quod est antecedens prædicati, & g. quod est antecedens subiectum, idem, hoc erit medium ad concludendum particulare affirmatiuum: ita quod concluditur, quòd necesse est alicui a. prædicatum inesse. Et huius causa est: quia in tali terminorum positione ad id quod est c. omnino siue vniuersaliter sequitur a. ita quod omne c. est a. ad id autem quòd est g. vniuersaliter sequitur subiectum quod est e. quia positum est, quòd g. sit antecedẽs subiecti.

Si autem f. & d. sint idem, &c.

Si autem in horum terminorum prædicta positione inueniatur, quòd f. quod est consequens ad subiectum, & d. (quod est prædicato repugnans) sint idem, hoc acceptum medium erit ad concludendum vniuersalem negatiuam, hanc scilicet, quòd nulli e. subiecto inerit a. prædicatum. Hoc enim probatur ex prosyllogismo qui fit ad probandum, quòd nullum f. est a. Sic autem formantur isti syllogismi in primo modo secundæ figuræ, sic, nullum a. est d. omne f. est d. ergo nullum f. est a. & in prosyllogismo si nullum f. est a. & omne e. est f. sequitur, quòd nullum e. est a. & hoc quidem fit per syllogismos in secunda figura. Si autem conuertitur maior sic, nullum d. est a. & hæc fiat maior prosyllogismi, fiet secundus modus in prima figura. Eodem modo idem syllogizari potest per vnum syllogismum in secundo primæ, vel in primo secundæ, si a. f. hoc est, prædicatum & consequens subiectum ponantur pro termino vno. Cum autem dicitur, quòd ex prosyllogismo syllogizatur nullum f. esse a. non intenditur, quòd sit verè prosyllogismus: sed intenditur per hoc quod per regulam datam non syllogizatur vniuersalis negatiua in prima figura immediatè, sed potius in prima figura syllogizabitur per conuersionem huius propositionis quæ est, nullum a. est d. & per hoc significare intendimus, quòd propriè dici habet, nullum a. est d. & non ita propriè è conuerso, nullum d. est a. d. enim (cum sit tanquam proprietas ipsius a.) magis debet remoueri ab a. quam è conuerso: potest tamen è conuerso dici per conuersionem, vt dicatur,

Iuxta illud primi posterio. hoc prædicatio, alterū est signum, nisi secūdum accidens & innatura: hoc vero secundum se & naturaliter, hoc lignū est album.

nullum d. est a. & ideo non fit talis syllogismus immediatè in prima figura, sed potius mediante dicta conuersione.

Rursus ad concludendam vniuersalem negatiuam in secundo secundæ figuræ inspiciendum est in consequentia prædicati, quæ sunt b. & in opposita subiecto quæ sunt h. litera designata: si enim b. & h. sunt idem, erit hoc medium ad concludendum in secundo secundæ, quòd nulli e. subiecto inerit a. prædicatum: cuius ratio est, quòd secundum superiorem terminorum positionem b. quod est consequens a. ineſt omni a. ita quod omne a. est b. ei autem subiecto in quo est c. nullum inerit b. quod est medium: & hoc est ideò, quia positum est, quod h. quod est oppositum subiecti, & b. (quod est consequens prædicati) sint idem: cum igitur b. nulli insit c. propter oppositionem sequitur, quòd a. nulli insit e.

Rursus si b & h. &c.

Secundum quintam autem regulam ad concludendum particularem negatiuam inspiciendum est in oppositum prædicati, & antecedens subiecti: quia si d. oppositum prædicati, & g. antecedens subiecti fuerint idem, per tale medium concluditur particulariter, quòd a. prædicatum alicui e. subiecto non inerit. Cuius ratio est: quia ei quod est g. antecedens subiecti, non inerit a. eò quod non potest inesse ei quod est d. quod est oppositum prædicati. g. autem est sub c. eò quod est antecedens ad ipsum: & ideò sequitur, quòd non inerit particulariter a. alicui e. hoc est, quòd aliquod e. non est a.

Si autem ei quod est g. sit h. idem, &c.

Iuxta autem regulas datas potest accipi alia in præhabitis non data regula ad syllogizandum indirectè minorem extremitatem de maiori. Si enim respiciatur in antecedens subiecti, & in consequens prædicati: si enim ei quod est g. antecedens subiecti, idem fuerit ei quod est b. consequens prædicati: tunc conuersus erit syllogismus, concludens minorem de maiori extremitate. Cuius ratio est, quia in tali terminorum dispositione ei quod est g. omni quidem siue vniuersaliter inerit a. prædicatum: eò quod b. consequens prædicatum, ineſt omni a. g. autem quod est antecedens subiecti, inerit ei quod est b. consequens prædicati. Datum enim est, quòd idem erat b. ei quod est g. (hoc est, consequens prædicati idem dictum est esse cum antecedente subiecti) & ex tali quidem regula non sequitur vniuersalis affirmatiua, hæc scilicet, quòd e. sit necessarium omni a. ineſſe, ita quod concludatur hæc, omne a. est e. sed sequitur particularis affirmatiua indirectè concludens in prima figura, scilicet quod aliquod a. est e. Et huius ratio est: quia cõuertitur vniuersalis affirmatiua ad particularẽ quæ concluditur. Ex his igitur patet omnium superius inductarum regularum verificatio.

Vocat syllogismum conuersum illū qui cõ ludit indirectè.

CAPVT III.

De descriptione figuræ ad hæc quæ dicta sunt.

VT autem clarius videantur quæ dicta sunt, confueuit ab antiquis describi figura in qua ter ternæ, hoc est, nouem sunt combinationes antecedentium & sequentium & oppositorum quæ dicta sunt: quarum tres sunt inutiles & sex vtiles: quod planum est videre secundum ea quæ dicta sunt.

Hæc autem est figura: protrahatur enim linea primò ab a. b. quod est prædicatum cum suo consequente in f. e. quod est subiectum cum suo consequente: deinde sub ista in altera parte quadranguli ducatur linea æquidistans priori ab a. c. quod est prædicatum cum suo antecedente in g. e. quod est subiectum cum suo antecedente, & continuentur lineæ b.c. & f.g. ad perfectionem quadranguli. In linea autem b.c. accipiatur medius punctus & ponatur ibi a.d. quod est prædicatum cum suo extraneo siue opposito: & ex opposito in linea f.g. sumatur medius punctus & signetur ille per h. e. quod est subiectum cum suo opposito: & ducantur ab angulo b. linea b.b. & linea b.g. & a. puncto d. ducantur tres lineæ, scilicet d.f. d.h. & d.g. Similiter à puncto c. ducantur duæ lineæ in oppositum, scilicet linea c.f. & linea c.h. Linea autem tertia est quæ fuit ducta ad latus quadranguli, quæ est linea c.g.

Et in hac figura linea prima quæ est b.f. significabit combinationes inconstantes inter a.b. in vna parte, & f. e. in altera parte: & sunt inutiles: quia ex tali antecedentium & consequentium electione resultabit figura secunda ex duabus affirmatiuis, quod non contingit. Linea autem b. h. ex consideratione antecedentium & consequentium & oppositorum continet conclusionem vniuersalis negatiuæ in prima figura & in secunda in secundo modo secundæ: & est vtilis & constans coniugatio. Linea autem b.g. est particularis affirmatiua in prima figura indirectè concluſa per conuersionem propositionis & conclusionis.

In medio autem puncto lineæ b.c. linea d.f. ex consideratione antecedentium & consequentium concludit vniuersalem negatiuam in prima figura & in primo modo figuræ secundæ. Linea autem d.h. inconstans siue inutilis est ex consideratione antecedentium & consequentium prædicati & subiecti & antecedentibus & consequentibus vtrorumque: quia ex tali combinatione nihil sequitur syllogisticè: quia omnes erunt negatiuæ, ex quibus nihil sequitur in aliqua figura. Linea autem d.g. ex consideratione antecedentium & consequentium & oppositorum concludit particularem negatiuam in prima & secũda & tertia figuris.

Linearum autem quæ producuntur à puncto c. vna producitur ad punctum f. & hæc ex consideratione antecedentiũ & consequentiũ oppositorum concluditur vniuersalis affirmatiua in prima figura. Deinde producta linea c.h. ex consideratione antecedentium & consequentiũ est incõstans siue inutilis in omnibus tribus figuris: eò quod non cõuertitur in terminis particularis negatiua. Linea autẽ c.g. cõstans est & vtilis: quia in ea cõcluditur particularis affirmatiua, in prima quidẽ figura per conuersionem, & similiter in tertia. Hæc autẽ dispositio sic describitur secundũ terminos in præhabitis positos. In his ergo considerationibus antecedentium & consequentium sunt combinationes nouem, quarum tres sunt inconstantes, sex verò residuæ sunt constantes siue vtiles.

Inconstans:

Inconstans: quoniam ex duabus affirmatiuis in secunda figura fit syllogismus.



Manifestum ergo quoniã ad prædicta, &c.

Manifestum est igitur ex his quæ dicta sunt, quoniam ad prædicta antecedentia & consequentia & extranea est perspiciendum vtriusque prædicati & subiecti in vnaquaque trium figurarum: quia per hæc quæ dicta sunt quantum ad medij ordinationem fit omnis syllogismus secundum omnem figuram. Est tamen idoneitas specialis ad eligendum medium vniuersalis affirmatiuæ ad concludendum vniuersalem affirmatiuam: si enim debeat ad concludendam vniuersalem affirmatiuam accipi consequens ad subiectum, quod sit antecedens ad prædicatum, eligendum est maximè vniuersale omnium existentium, siue secundum ordinem positorum inter subiectum & prædicatum, dummodo illud sit antecedens ad prædicatum: quod quidem vniuersalius omnium est id quod proximius est prædicato: quia si prædicatum ineſt vniuersaliter superiori continenti inferiora, tunc necessario inerit & inferiori: & quod omni ineſt animali, inerit & homini, & sic inerit & ipsi subi. &c. Si autem non insit vniuersaliter superiori, ex hoc sequitur, quòd prohibetur ipsum ineſſe vniuersaliter alicui inferiori. Similiter autem si debeat accipi antecedens ad prædicatum, eligendum est maximè vniuersale omnium antecedentium, & hoc est quod propinquius est ipsi prædicato, eadem de causa quæ prius dicta est. Et hæc quidem dicit Aristot. sic, quòd oportet consequentium ad prædicatum & subiectum, & antecedentium ad vtrumque istorum singulum referre ad maximè prima & vniuersalia, & ad hoc respicere, vtc. quidem quod est subiectum magis oportet referre ad k. f. quod significat minus commune coniunctum magis communi, & in ipso acceptum inter sequentia subiectum, quam referre ad f. solum quod significat minus commune in seipso acceptum. Et si debeat inspici in consequentia vel antecedentia prædicati, magis accipiendum quod a. referatur ad k. c. quod significat minus commune relatum ad magis commune, quam ad c. solum quod est minus commune acceptum in seipso (& huius ratio est: quia in tali terminorum dispositione si a. ineſt ei quod est k. f. hoc est, magis communi vniuersaliter) tunc etiam inerit ei quod est f. quod est minus commune in seipso acceptum: quia quod vniuersaliter ineſt animali, hoc etiam ineſt homini: & quod ineſt f. etiam inerit ei quod est c. quia c. subiectum contentum est sub f. quod est consequens subiecti. Si verò non sequitur huic quod est superius, adhuc possit ille esse, quòd adhuc sequatur id quod est f. quod est inferius in se acceptum.

Similiter autem considerandum est in eo quod est c. quod est antecedens prædicati, & videndum

Similiter autem & in quibus, &c.

videndum est in quibus siue ad quæ idem antecedens sequitur: quia si aliquid sequitur ad prima & magis vniuersalia, tunc procul dubio sequitur ad omnia illa quæ sunt sub ipsis. Si autem non sequitur ad ea quæ sunt prima & superiora, adhuc tamen aliquando in aliquibus contingit, quod sequitur ad inferiora: & ideo eorum quæ sunt magis vniuersalia in antecedentibus & consequentibus magis sunt consideranda.

Remouet errorem. Attende autem, quod quamuis principia perficiendi syllogismorum generationem (quæ sunt dici de omni & dici de nullo, & conuersio propositionum) diuersificentur in syllogismis de inesse & de modo necessarij & contingentis, & ideò necessarium fuerit dare diuersitatem in generatione syllogismorum de inesse & de modo: tamen vnus modus est inueniendi medium per antecedentia & consequentia in omnibus istis, & non diuersificatur quoad hoc per materiam diuersam: & ideò secundum talem diuersitatem non debuit dari diuersa ars ad medij inuentionem.

Dubitatio. Adhuc autem quæret aliquis, quare plures regulæ sunt ad determinandum siue concludendum vniuersalem negatiuam, & non nisi vna sola ad concludendum vniuersalem affirmatiuam: Ad hoc autem dici potest, quòd huius causa est, quod vniuersalis affirmatiua conuertitur per aliquid quod est vtrique extremorum conueniens vniuersaliter, quod quidem oportet ponere medium: vniuersalis autem negatiua concluditur per medium conueniens vni extremorum soli, & ab alio extremo differens vniuersaliter: sed hæc differentia & conuenientia potest alternatim esse respectu subiecti & prædicati, ita quòd sit conuenientia respectu subiecti, & differentia respectu prædicati, aut è conuerso: & secundum hoc assignandæ fuerunt hæ duæ regulæ: & hoc facit vniuersalis comparatio medij ad extrema cum negatione.

Dubitatio. Adhuc autem quæri potest, quare non ponitur regula ad concludendum particularem affirmatiuam nisi in tertia figura, cum tamen etiam concludi possit in prima figura? Et dicendum ad hoc, quòd regula quam posuimus ad concludendum particularem affirmatiuam, sufficit ad concludendum eam tam in prima quam in tertia: quia in tertia non oportet nisi minorem conuertere, & in secunda syllogizatur etiam particularis negatiua: & ad illius reductionem non oportet adesse nisi conuersionem vnius propositionis.

Dubitatio. Adhuc autem aliquis potest quærere de terminis qui positi sunt in præhabitis. Medium enim in syllogismo vnum est, propter quod in inspectione medij oportet respicere ad vnum & non ad plura: in terminis autem suprapositis respicere ad multa docetur, & eligere multa pro medio, sicut dictum est f. & c. accipi aliquando ad concludendum omne e. esse a. & sic est in multis aliis. Et ad hoc dicendum, quòd non est respiciendum nisi ad vnum secundum rem & secundum rationem medij, quod tamen secundum comparationem refertur ad plura: quia si idem sint f. & c. termini, tunc per ea sicut per vnum terminum syllogizatur omne e. esse a. & aliter non: & sic patet, quòd non est inspectio nisi ad vnum.

Dubitatio. Adhuc autem potest quæri de hoc quod cum docetur idoneitas concludendi vniuersale affirmatiuum, docetur inspicere & eligere consequens subiecti vniuersale maxime remotum à subiecto: in præhabitis autem ad eandem conclusionem concludendam dictum est, quod vtile est inspicere ad consequens subiecto magis proprium. Et ad hoc dicendum est, quòd in antehabitis docuimus accipere consequens subiecti absolutè non comparando illud ad prædicatum, hic autem docetur eligi consequens subiecti quod tantum sit accidens ad prædicatum: ante enim dictum est de antecedentibus vniuersaliter & consequentibus: postea autem quod dictum est, conuenit consequentibus, quæ eadem manentia consequuntur ad subiectum & antecedunt ad prædicatum.

CAPVT IV.

Quod hæc ars sufficiat ad omne problema concludendum.

Palam autē est quoniam, &c. QVod ars quæ præinducta est ad omne sufficiat problema propositionum concludendum per syllogismum, patet ex hoc quod iam palam est per prædicta: quoniam per tres terminos & duas propositiones omnis est consideratio syllogistica: habitudo enim medij non se extendit nisi ad duos terminos qui sunt extrema qui cum medio habente se ad terminum secundum habitudinem substandi vel prædicandi vel secundum vtrumque eorum non possunt constituere nisi duas propositiones: & sic in tribus terminis & duabus propositionibus est omnis medij inspectio.

Palam etiam est ex prædeterminatis, quoniam syllogismus fit per aliquam trium figurarum. Hoc autem in omni problemate per ordinem sic monstratur: accipiatur in syllogismo vniuersale affirmatiuum, vt quoniam omni e. subiecto concluditur inesse a. prædicatum: hoc autem concluditur ideò, quoniam medium ad hoc sumitur quod est idem c. quod est antecedens prædicati, & f. quod est consequens subiecti: & tale medium est in primo modo primæ figuræ, quod scilicet sit consequens subiecti, ita quod medium sit in toto maiori, & minus sit in toto medio: tale autem medium semper est consequens ad subiectum & prædicatur vniuersaliter de subiecto, & est antecedens ad prædicatum, ita quod prædicatum vniuersaliter prædicatur de ipso: & illæ duæ habitudines simul signantur per duas literas c. f. quarum vna significat antecedens prædicati, & altera consequens subiecti, extremitates a. & e. e. enim positum est esse subiectum, & a. prædicatum, & sit sic syllogismus: omne c. f. est a. omne e. est c. f. ergo omne e. est a. sic enim fit prima figura in tali medij habitudine.

Si

Aliter autem quando, &c. Si autem concludi debeat particulare affirmatiuum, sumemus medium quod sit antecedens subiecti, & antecedens prædicati idem, vt si dicamus, quòd medium sit c. & g. idem. c. enim est antecedens prædicati, & g. est antecedens subiecti. Si autem medium est antecedens vtriusque: tunc medium subiicietur vtrique, & sic erit secundū positionem terminorum in tertia figura, sic, omne g. c. est a. & omne g. c. est e. ergo quoddam e. est a. & est primus modus tertiæ secundum superius inductas medij inspectiones, & medium sit g. c.

Nulli autem quando d. & f. idem, &c. Si autem debeat concludi vniuersale negatiuum, sumendum est medium, quod idem sit consequens subiecti, & oppositum siue repugnans prædicati, sicut si d. & f. sint idem. Sic autem fit & prima figura, & figura media siue secunda: sed secunda figura erit primo & prima per conuersionem maioris: sicut enim in præhabito capitulo dictum est, d. magis propriè remouetur ab a. quam è conuerso a. remouetur ab eo quod est d. cum d. sit quasi proprietas eius quod est a. vnde non immediatè sit iste syllogismus per primam figuram, sed per secundam: & in prima fit deinde per conuersionem maioris, sic, nullum a. est d. f. omne e. est d. f. ergo nullum e. est a. Per primam autem figuram si conuertatur maior, sic, nullum d. f. est a. omne d. f. e. ergo nullum e. a. In prima enim figura in prima propositione subiicitur medium: sicut quia nulli d. f. inest a. f. d. autem inest omni e. Media autem figura ex hoc fit d. f. nulli quidem inest a. hoc est, quòd nullum a. est d. f. e. autem omni inest d. f. sic enim fit primus modus secundæ figuræ.

Huius ratio est: quia subiectum non prædicatur secundum se & naturaliter de accidente, nec subiectum de passione: sed bene è conuerso, vt colligitur primo posteriorum.

Alicui autem non inesse, &c. Si autem concludi debeat particulare negatiuum, sumemus medium quod idem est oppositum consequentis siue prædicati, & antecedens antecedentis siue subiecti: sicut si idem sit d. & g. tunc enim concluditur, quòd quoddam e. non est a. vel quod a. non inest alicui e. & talis syllogismus fit in postrema figura, & quod a. consequens nulli inerit g. propter hoc quod g. quod est antecedens subiecti, idem est eum opposito consequentis, & ideo vniuersaliter remouetur ab ipso, sic, nullum g. d. est a. omne g. d. est e. ergo quoddam e. non est a. qui est secundus modus tertiæ figuræ.

Manifestum est ergo, &c. Manifestum est igitur quasi ex inductione, quoniam per prædictas figuras fit omnis syllogismus ad quodlibet problema concludendum: & hoc quidem statim patet, quòd omnis syllogismus ostensiuus per tales fit medij inspectiones, & per tres prædictas figuras, & secundum sex vtiles medij inspectiones, quæ in antehabito capitulo determinatæ sunt.

Et quoniam non eligendum. Sunt autem tres aliæ medij inspectiones penitus inutiles: Prima verò inter eas est si consequens subiecti & prædicati fuerint idē: non enim eligendum est ea pro mediis quæcunque omnibus & subiectis & prædicatis sequuntur. Et huius causa est, quòd nullus penitus ex talibus potest fieri syllogismus in aliqua figurarum: construere enim aliquod problema affirmatiuum non contingit syllogisticè ex consideratione consequentium subiectum & prædicatum: quia non sequitur, si aliquid prædicatur de antecedente, & illud idem vniuersaliter prædicatur de consequente, quòd propter hoc consequens tale de tali prædicetur antecedente vel vniuersaliter vel particulariter: talis enim dispositio facit figuram secundam, in qua ex ambabus affirmatiuis non fit syllogismus. Similiter autem priuatiue vel negatiue non contingit vnum extremum de alio dici vel vniuersaliter vel particulariter ex tali medio sumpto quod sequitur & ad antecedens & ad consequens: quia non sequitur, si superius dicitur de aliquo vniuersaliter, quòd inferius dicatur vniuersaliter. Priuatiue autem siue negatiuè concludere non contingit: quia ex tali medij inspectione resultant duæ vniuersales affirmatiuæ, & in secunda figura in qua medium bis prædicatur: ex talibus autem nihil sequitur priuatiuum siue negatiuum: patet igitur, quòd talis inspectio medij est inutilis.

Quare ex duabus affirmatiuis in secunda figura nihil sequitur.

Manifestum est autem quoniam & aliæ, &c. Manifestum autem est, quia & aliæ inspectiones inutiles sunt ad faciendum syllogismum, quæ in præhabitis inutiles esse dictæ sunt: sicut enim iam dictum est, si sumatur pro mediis quæ sunt sequentia ad vtrumque extremum, inutile est. Iterum autem secunda inutilis est inspectio, vt si eligatur medium ex his quæ consequuntur consequens, & quæ non contingit inesse antecedenti, sicut opposita ipsius. Tertia autem inspectio inutilis est, si accipiantur opposita vtriusque quæcunque non contingit inesse nec prædicato nec subiecto, seu antecedenti & consequenti. Nullus syllogismus enim fit per istas tres medij inspectiones. Nam si inspiciatur medium per ea quæ sunt eadem sequentia subiectum & prædicatum, sicut si idem accipiatur b. quod est consequens prædicati, & f. quod est consequens subiecti, media fit figura prædicatiuas habens vtrasque propositiones: & hoc non valet ad syllogismum. Si autem accipiantur ea quæ sequuntur a. prædicatum, & opposita subiecto quod est e. iterum erit inutilis inspectio: quia sic sumitur antecedens prædicati de quo vniuersaliter prædicatur a. & remouetur vniuersaliter ab e. quia secundum illam accipitur minor negatiua in prima figura: & hoc non contingit, sicut in præhabitis est ostensum: vnde si sumitur ei antecedens prædicati, & hoc oppositum subiecti idem pro medio, prima erit figura ex tali terminorum dispositione, habens mediam (quæ ad minorem extremitatem) negatiuam: quæ est coniugatio inutilis. Rursus autem tertio si accipiantur pro medio quæcunque repugnant vtrique, & subiecto & prædicato, sicut sunt d. & h. quando pro eodem medio accipiuntur, erunt vtraque propositiones priuatiuæ vel in prima vel in media vel in postrema figura: habitum est autem in præmissis, quòd ex ambabus negatiuis non erit syllogismus in aliqua figura?

Palam autem, & quæ eadem, &c. Palam autem ex dictis est, quæ eadem sumendum inter prædicta antecedentia & consequentia, & quæ sumendum vt contraria in medij inspectione. Vnde patet, quòd si conse-

quens prædicati & consequens subiecti contraria fuerint siue repugnantia, potest syllogizari vniuersalis negatiua. Adhuc autem si consequens prædicati & antecedens subiecti fuerint contraria, potest syllogizari particularis negatiua: sed istæ duæ coniugationes non sunt omnino conuenientes ad conclusionis perfectam manifestationem: & sic sunt quodammodo vtiles, & quodammodo inutiles. Hæ ergo etiam quodammodo remouentur ab arte, & quodammodo admittuntur. Cuius sunt duæ rationes. Vna quidem: quoniam omnis inspectio est medij vnius inueniendi gratia. Medium autem vnius syllogismi & eiusdem est non diuersum: cum autem sint contraria, non est respectus ad aliquid vnum: patet igitur, quòd non conuenienter sumptum fuit medium. Deinde etiam secunda ratio est ad idem, quòd si prædicto modo accipiantur contraria, adhuc non fit syllogismus nisi alterum contrariorum sit consequens prædicati, & extraneum subiecti: & accipiendo sit contraria, contingit latere vtrum fiat syllogismus: quia contingit latere vtrum contrariorum sit consequens prædicati & extraneum subiecti: accipientem ergo contraria prædicto modo contingit latere vtrum fiat syllogismus vel non. Vnde etiam in his in quibus contingit fieri syllogismum, eò quod taliter, vt dictum est, sumantur contraria. Aut ea quæ vt repugnantia non contingit eidem inesse, omnes in duos iam dictos reducuntur modos, scilicet quod contraria sint consequentia prædicati & extranea subiecti. Ergo accipientem contraria prædicto modo contingit latere vtrum fiat syllogismus vel non.

Quod autem istæ duæ inspectiones inconuenientes sint, probatur hoc modo quoad primam: quia si b. quod est consequens prædicati, & f. quod est consequens subiecti, sint contraria, aut talia quòd ea non contingat eidem inesse, vt disparata, patet quòd non conueniens est inspectio talis ad medium accipiendum: erit enim his quidem sumptis syllogismus quidem, quoniam nulli e. inest a. sed non erit syllogismus ex ipsis quæ dicuntur esse medium, quæ sunt duo contraria, consequens scilicet prædicati, & consequens subiecti, sed potius ex prædicto modo, scilicet quod id quod est consequens vni, est extraneum alteri. In tali enim habitudine terminorum b. quidem (quod est consequens prædicati) inerit omni a. quod est prædicatum propositionis primæ, & problematis siue quæstionis: & illud idem b. nulli inerit e. cum sit extraneum subiecti, per hoc quod est contrarium ad f. quod erat consequens ad subiectum: quia quod repugnat consequenti, repugnat & antecedenti: propter quod necesse est, quod b. (quod est consequens prædicati) sit idem sumptum alicui h. quia h. signum est omnium eorum quæ sunt repugnantia subiecto: datum autem est, quòd consequens prædicati sit repugnans subiecti.

Rursum si b. & g. &c. Rursum autem in secunda inspectione (hac scilicet si consequens prædicati & antecedens subiecti sint contraria) vt si b. & g. sint contraria siue repugnantia (ita quod non contingat eidem simul adesse) syllogizabitur quoniam alicui e. non inerit a. hoc est particularis negatiua. Nam etiam media sic erit figura. Sed hoc non est verum in principali syllogismo, sed in prosyllogismo, sic, omne a. est b. nullum g. est b. ergo nullum g. est a. Deinde fiat principalis syllogismus in tertia figura, sic, nullum g. est a. omne g. est e. ergo quoddam e. non est a. & sic patet, quòd non syllogizatur per contraria inquantum huiusmodi, sed potius inquantum vnum illorum est antecedens subiecti, & extraneum prædicati: quia cum b. & g. repugnantia accipiantur in illa inspectione, quod repugnat ad g. (quod est antecedens subiecti) pro parte repugnat ad e. g. quod est subiectum: quia quod repugnat antecedenti, in parte aliqua repugnat consequenti. Secundum hanc enim inspectionem in prosyllogismo b. quidem omni inerit a. ita quod omne a. est b. & idem b. nulli inerit g. ita quod nullum g. est b. propter quod necesse est, quod b. sit idem alicui eorum quæ sunt h. quia h. significat repugnantia subiecto. Nihil enim differt quantum ad propositam intentionem, quòd dicatur b. & g. non contingere eidem inesse vt repugnantia, aut quòd dicatur, quòd b. est idem alicui h. quia non repugnat ad g. nisi per hoc quod est idem alicui h. quod est oppositum subiecti: omnia enim quæ non contingit subiecto inesse, sumpta sunt significata per h.

Manifestum ergo quoniam ex istis, &c. Manifestum est igitur, quòd ex istis duabus quidem inspectionibus nullus fit syllogismus, nisi reducantur ad priores inspectiones sex vtiles quæ in præhabitis dictæ sunt. Et patet, quòd si b. consequens prædicati, & f. consequens subiecti sint contraria, quòd necesse est, quòd b. consequens prædicati sit idem alicui eorum quæ sunt h. quod est oppositum subiecti, & syllogismum fieri per hæc inquantum contraria hoc modo qui paulo ante dictus est. Accidit ergo sic inspicientibus considerare viam aliam simpliciter vtilem, quæ sit concludens necessariò & apertè: eò quod ista inspectione quandoque latet identitas eorum quæ sunt b. & h. hoc est, consequentis ad prædicatum & oppositi ad subiectum.

Obiectio. Potest tamen obiici de illa inspectione quæ sumit consequens prædicati contrarium ad antecedens subiecti: hæc enim vtilis esse videtur, sic, nullum c. h. est e. omne c. h. est a. ergo aliquod a. non est e. Dicendum autem

Solutio. ad hoc, quòd hoc modo proculdubio vtilis est ad syllogizandum subiectum de prædicato, sed non est vtilis ad syllogizandum prædicatum de subiecto; & hoc modo reputatur inutilis.

Obiectio. Adhuc autem quæritur, quare duæ inspectiones quæ sunt ad contraria cum sint vtiles, dicantur non conuenientes? si enim dicatur, quòd ideo sunt inconuenientes, quia potest latere vtrum per eas fiat syllogismus vel non: probetur, quod sunt conuenientes hoc modo si oppositum de oppositio & propositum de proposito. Sed inspicere ad medium vnum & ad contraria media opponuntur: similiter syllogizare conclusionem affirmatiuam & syllogizare conclusionem negatiuam opponuntur.

Cum

Cum igitur affirmatiua conclusio syllogizetur per inspectionem ad medium vnum, negatiua contra syllogizatur per inspectionem ad plura siue contraria. Adhuc affirmatiua conclusio syllogizatur per aliquid conueniens vtrique extremorum: ergo per oppositum videtur negatiua concludi per aliquid differens ab vtroquè: propter quod aut accipietur idem quod est contrarium vtrique extremorum, vel accipietur aliquid conueniens minori & differens à maiori, vel è conuerso aliquid differens à minore & conueniens maiori: sic enim accipitur differentia vtriusque extremitatis ad alteram: & sic videtur syllogizari negatiua conclusio inspiciendo ad multa quæ sunt contraria.

Solutio. Ad hoc autem dicendum, quòd omnis conclusio syllogizatur per inspectionem ad vnum. Ad obiectum autem dicendum, quòd illa consideratio quæ est ad contraria, inutilis est, nisi sub vno oppositorum ex parte vna contineatur vtrumque oppositorum ex parte altera: cuius exemplum est, quòd mortale continet sub se rationale & irrationale: & ideò non oportet si rationale & irrationale sunt opposita, & mortale & immortale sunt opposita, & omne irrationale est mortale, & quòd etiam propter hoc omne rationale sit immortale. Et similiter est in proposito: quia tam conclusio negatiua quam affirmatiua concluditur inspiciendo ad medium vnum: & sic sub vno oppositorum ex parte vna continetur vtrumque oppositorum ex parte altera.

Quomodo nulla inspectio medij inutilis peccat contra figuram, sed bene contra modum. Scias autem, quòd quamuis sint duæ formales dispositiones in syllogismo, scilicet figura & modus, omnes istæ inspectiones medij inutiles & inconuenientes peccant contra modum, & nulla contra figuram. Et huius causa est: quia figura est id quod resultat ad dispositionem trium terminorum in duabus propositionibus, qua ablata nulla remanet dispositio ad syllogismum: & idcò posito syllogismo ponitur figura, & nihil peccati potest esse contra eam. Similis etiam causa est, quòd

Quare nulla inspectio medij peccat contra quantitatem. nulla inspectio medij peccat contra quantitatem: quia sine quantitate non est decursus syllogisticus à præmissis in conclusione, & ideo illa supponitur in omni syllogismo: non sic autem est de qualitate quæ variatur in hoc & illo syllogismo; & ideò peccare accidit contra qualitatem, & non contra quantitatem in medij inspectione.

Differentia syllogismi quantum ad formalia & quantum ad materialia differenter sumuntur. Adhuc autem attendendum, quòd si aspiciatur ad formalia quæ sunt figura & modus, immediatæ differentiæ diuidentes hoc commune quod est syllogismus, sunt ostensiuus, & ex hypothesi, siue ad impossibile. Si autem aspiciatur ad materialia, tunc differunt: & primo quidem dicitur syllogismus in propositionibus de inesse ostensiuus; & secundo syllogismus ad impossibile qui est ad positionem datam in oppositio conclusionis, & tertio est syllogismus in propositionibus de modo: quia propositiones de modo ex additione se habent ad illas de inesse: & quoad istas differentias diuisim ostenditur sufficientia artis istius in syllogismo ostensiuo, & ex hypothesi, & in syllogismo de modo.

CAPVT V.

Quod ars inducta sufficiens est in syllogismis ex hypothesi qui sunt ad impossibile, & in aliis qui sunt ex hypothesi.

Eodem autem modo se habent, &c. EOdem autem modo quoad hanc artem inspiciendi medium se habent etiam illi syllogismi qui ad impossibile deducunt cum syllogismis ostensiuis. Hoc autem ex hoc probatur, quòd etiam syllogismi ad impossibile fiunt per inspectionem eorum quæ sequuntur & quibus sequitur (hoc est, consequentium & antecedentium) Consequentia enim sunt quæ sequuntur, & antecedentia sunt ea quibus (hoc est, ad quæ) sequitur vtrumque, scilicet prædicarum & subiectum. Fit enim inspectio tam in antecedens quam in consequens tam prædicati quam subiecti. Et propter hoc eadem est consideratio & eadem ars tam in ostensiuis, quam in illis qui sunt ad impossibile. Cuius est causa: quia quicquid

Quod monstratur ostensiuè, potest monstrari per impossibile, & econtra. monstratur ostensiuè, monstratur etiam per impossibile sumpto opposito conclusionis cum altera præmissarum, quæ est manifestè vera, & in syllogismo ostensiuo concessa, & per eosdem terminos, medium scilicet & extrema: & è conuerso quod monstratur per impossibile, monstratur etiam ostensiuè. Sicut si ostensiuè monstratum sit, quoniam a. nulli e. inest, ita quod conclusio ostensiui syllogismi sit, quòd nullum e. est a. & sumatur oppositum huius cum aliquo vero in ostensiuo syllogismo concesso, sic, omne a. est b. & hoc est manifestè verum: & assumatur oppositum conclusionis, aliquod e. est a. & concludatur manifestè falsum, & ex hoc inferatur, quòd hypothesis data de oppositio conclusionis est falsa: & ex hoc inferatur, quòd verum sit nullum e. esse a. si enim manifestè verum sit, quod b. inest omni a. & detur ex oppositio conclusionis, quòd alicui e. inest a. concluderur, quòd b. alicui e. inerit, quod est non stans cum minore prioris syllogismi, ex quo sequitur prima conclusio, quòd nullum e. est a. Patet igitur, quòd vniuersalis negatiua concluditur & ostensiuè, & per impossibile, & per eandem artem inspiciendi medium ex antecedentibus & consequentibus & extraneis. Similiter autem est & in aliis propositionibus quæ sunt conclusiones ostensiuorum syllogismorum.

Rursus quoniam alicui inest, &c. Rursus enim sit ostensa particularis affirmatiua per ostensiuum syllogismum, sicut quoniam alicui e. inest a. & accipiatur oppositum illius, huius scilicet, quoniam nulli e. inest a. & sumamur alia propositio prius concessa & manifestè vera, & sit hæc, quòd e. inest omni g. sequitur conclusio falsa: hæc scilicet, quòd nulli g. inerit a. hæc enim oppositа est illi quod alicui g. inest a. quæ concessa est in syllogismo ostensiuo, in quo propositum fuit, quòd omne g. est a. Similiter autem est & in aliis propositionibus, sicut

est

est vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua quæ ostensiuè concludi possunt. Semper enim & in omnibus propositionibus per impossibile ostensis ex inspectione consequentium & antecedentium quibus sequuntur consequentia & oppositorum & in vnaquaque propositione ostensiuè conclusa & ad impossibile deducta eadem consideratio quoad medij inspectionem, siue aliquis velit syllogizare ostensiuè, siue velit ad impossibile deducere: quia ex eisdem terminis sunt vtræque demonstrationes, scilicet ostensiuæ, & deducentes ad impossibile: sicut si ostensum est ostensiuè nulli c. inesse a. ostenderur per impossibile b. alicui c. inesse, quod est impossibile, si detur, quòd in ostensiuo sumptum sit c. quidem nulli b. inesse in maiori, & in minore sumptum sit omni a. inesse b. manifestum enim est, quòd ex hoc sequitur nulli c. inesse a.

Rursum si ostensiuè syllogizatum sit.

Rursum si ostensiuè syllogizatum sit a. nulli c. inesse, si aliquis dans oppositum conclusionis, & per hypothesim supponat inesse per deductionem ad impossibile monstrabitur id quod ostensiuè conclusum erat, hoc scilicet, quòd nulli c. inest a. hæc est enim conclusio intenta, ad quam sit reditus ab impossibili concluso, sic, nullum b. est a. omne c. est b. ergo nullum c. est a. accipiatur oppositum, aliquod c. est a, & syllogizetur impossibile, sic, nullum b. est a. aliquod c. est a. ergo aliquod c. non est b. quod est oppositum minoris prius concessæ: sed hoc est impossibile: ergo stabit primo conclusum, hoc scilicet, nullum c. est a. Similiter autem est in omnibus aliis. In omnibus enim syllogismis qui ducunt ad impossibile, necesse est communiorem terminum, hoc est, medium alium sumere ab his terminis siue mediis qui subiecti sunt in ostensiuo syllogismo, sicut in prædicto exemplo, vbi in ostensiuo syllogismo medium est b. in syllogismo autem ad impossibile (qui fit in tertio modo secundæ figuræ) medium est a. & ideò etiam mutantur extrema & figura & modus: & ad illum terminum sic sumptum alium à subiectis in ostensiuo syllogismo fit mendacij syllogismus qui ducit ad impossibile, & monstrat, quòd mendax est hypothesis. Propter quod conuersa propositione conclusa in ostensiuo syllogismo in suum oppositum, & altera vel maiori vel minori similiter se habente, & cum opposito datæ conclusionis sumptæ generatur syllogismus ostensiuus & per eosdem terminos aliter tamen dispositos.

Differt enim ostensiuus ab eo, &c.

Differunt enim isti syllogismi ad impossibile & ostensiuus in hoc, quòd in ostensiuo quidem secundum veritatem ambæ ponuntur propositiones: quia ad minus sunt vt veræ positæ & concessæ. In eo autem syllogismo (qui est ad impossibile, falso per hypothesim vel vt falso) ponitur vna quæ est opposita conclusionis veræ. Hæc autem erunt in secundo huius scientiæ libro magis manifesta, quando dicemus de syllogismo qui est ad impossibile. Nunc autem ad propositam intentionem sufficit, quòd manifestum iam ex dictis, quoniam perspiciendum in medij inuentione ad hoc quod diximus in antecedentibus & consequentibus & extraneis, & volentibus ostensiuè syllogizare, & volentibus ad impossibile deducere.

Obiectio.

Attendendum tamen circa hoc quod diximus, quòd omne quod contingit ostensiuè demonstrare, contingit demonstrare per impossibile, & è conuerso. Hoc enim falsum videtur: quia principia in quarto primæ philosophiæ demonstrantur per impossibile, & non possunt demonstrari ostensiuè. Sed hoc statim

Solutio.

soluitur: quia ostensiuè demonstrari dupliciter dicitur. Vno modo demonstratur ostensiuè, quod demonstratur per causam: & sic principia prima non possunt ostensiuè demonstrari. Alio modo ostensiuè demonstratur, quod modum ostensionis imitatur in hoc quòd directo cursu syllogistico per dici de omni vel dici de nullo concluditur: & hoc modo syllogismus ostensiuus opponitur in genere syllogismi syllogismo ad impossibile: & hoc modo verum est, quod quicquid monstratur ostensiuè, monstratur per impossibile, & è conuerso. Hoc modo etiam principia concluduntur ostensiuè: quia non monstrarentur per impossibile, nisi supponeretur quod eadem conclusio cuius sumitur oppositum, ostensiuè monstrata esset.

Nota quomodo principia possunt ostensiuè monstrari, & quomodo omne quod per impossibile monstratur, potest etiam ostensiuè monstrari.

Differentia inter syllogismum ad impossibile, & per impossibile.

Notandum etiam, quòd alius est syllogismus per impossibile, & alius syllogismus ad impossibile. Syllogismus enim ad impossibile est, qui accepto opposito conclusionis quæ principaliter intenditur, cum altera præmissarum prius vt vera posita & concessa, syllogizat impossibile. Syllogismus autem per impossibile est, qui ex falsitate conclusionis conclusæ per syllogismum ad impossibile redit & concludit hypothesim esse falsam, & sic vlterius propositum siue conclusionem primi syllogismi esse veram. Et syllogismus quidem ad impossibile non sumit medium aliud ab extremis conclusionis principaliter probandæ & intentæ: nec est idem medium ipsius & syllogismi ostensiui. Syllogismus autem per impossibile accipit idem pro medio quod syllogismus ostensiuus. Medium enim syllogismi ostensiui in superius inductis syllogismis est b. Syllogismus autem ad impossibile ad b. terminum concludit siue terminat propositum. Syllogismus igitur per impossibile accipit medium terminum alium ab extremis conclusionis probandæ: accipit enim medium terminum eundem quem & syllogismus ostensiuus: & ad illum terminum medium fit mendacij syllogismus siue deducens ad impossibile. Syllogismus enim ad impossibile concludit falsum terminatum ad illum terminum qui medium erit in syllogismo ostensiuo. Quod patet in exemplo sic: demonstretur enim ostensiuè quod nullum c. est a. sic, omne b. est a. nullum c. est b. ergo nullum c. est a. hoc enim est medium aliud ab extremis, quod est b. extrema autem c. & a. Deinde ostendatur idem per impossibile, sic, omne a. est b. quoddam c. est a. (hoc enim est oppositum conclusionis prius conclusæ) ergo quoddam c. est b. datum autem fuit, quòd nullum c. est b. In hoc syllogismo

medium

medium est a. quod est vnum extremorum conclusionis primæ: accipitur in syllogismo ostensiuo medium aliquod ab extremis conclusionis principaliter probandæ, sed non in syllogismo deducente ad impossibile.

CAPVT VI.

Quod idem est quoad medij inspectionem in syllogismis ex transumptione, & in his qui sunt ex propositionibus modalibus, & quod generalis est ars ista.

In aliis autem syllogismis qui, &c.

IN aliis autem syllogismis à syllogismo ad impossibile, qui etiam sunt ex hypothesi, sicut quicunque syllogismi fiunt secundum transumptionem, siue iuxta locum à transumptione formati, eadem est inspectio medij.

Quid per trasumptionem intelligendum.

Transumptionem autem vocamus translationem à minus noto ad magis notum, vel è conuerso à magis noto ad minus notum. Idem etiam est quoad medij inspectionem in illis syllogismis qui fiunt secundum vnam qualitatem in subiectis diuersis, sicut in his qui formantur iuxta locum à simili, & à minori, & à maiori, & à proportione, & à casibus, & coniugationibus, & huiusmodi, non quidem in conclusionibus prioribus quæ inferuntur ex talibus hypothesibus, sed in transumptis, hoc est, in his ad quas reditur ex transumptione ad propositum principale. In omnibus enim his erit consideratio eadem ad inspectionem medij quantum ad antecedentia & repugnantia. Modus autem inspectionis ad medij inuentionem erit idem.

Considerare autē oportet, &c.

Considerare autem oportet in talibus & diuidere per distinctionem quot modis fiunt syllogismi ex hypothesi, vt in quolibet differentia & species hypothesis debitè sumantur antecedentia & consequentia & repugnantia. Contingit autem & alio modo à prædictis syllogizare quædam problemata, vt si syllogizetur vniuersale per particulare, eò quod in omnibus similiter se habeant, vt si anima vnius hominis sit mortalis, inferatur, ergo anima cuiuslibet hominis: & sic ex hypothesi concessa prius, concluditur vniuersale per particularem inspectionem. Hoc autem fit, quando antecedens prædicati, & antecedens subiecti idem sint, & antecedens subiecti conuertibile sit, ita quod scilicet soli & omni conueniat subiecto, concluditur vniuersale per particulare: sicut si dicam, quod secundum superius positam terminorum institutionem c. quod est antecedens prædicati, & g. quod est antecedens subiecti sint idem, & sumatur ex hypothesi, quòd soli c. ineſt g. ita quod sit conuertibile omni & soli conueniens, inferetur ex hoc quod alicui e. inerit g. & quod omni c. inerit g. & quod omni e. inerit a. per c. quod omni g. ineſt, & per consequens omni c. ineſt. Et similiter infertur negatiua vniuersalis ex particulari: si sumatur d. repugnans prædicati, & g. scilicet antecedens subiecti idem esse, & esse hæc duo conuertibilia: tunc enim similiter se habebit in omnibus, & sic concludetur, quòd si aliquod e. non est g. quod nulli c. inerit a. quia à quo remouetur consequens, remouetur & antecedens. Manifestum est igitur, quoniam in omnibus syllogismis ex hypothesi sic, vt dictum est, inspiciendum est ad medij inuentionem.

Trāsumptio dupliciter dicitur.

Attendendum autem hic, quòd transumptio dicitur duobus modis, scilicet generaliter, & specialiter. Generaliter quidem transumptio est in omni eo vbi transitur de vno ad aliud, sicut à concluso non principaliter intento, ad conclusum principaliter intentum: & sic syllogismus ad impossibile est à transumptione. Dicitur etiam specialiter transumptio translatio à minus noto ad magis notum: & sic loquimur hic de transumptione, & sic syllogismus ad impossibile est ab hypothesi & non à transumptione, sed est in syllogismis qui formantur iuxta locos superius inductos.

Syllogismus ex falsis est ostensiuus, & syllogismus circularis.

Hic tamen attendendum est, quòd sunt adhuc alij syllogismi, sicut ex falsis, & circularis, & conuersiuus, & ex oppositis, qui omnes fiunt secundum dicta superius principia in medij inspectione: quia syllogismus ex falsis ostensiuus est. si largè extendatur nomen ostensiui, quod scilicet ostensiuus dicatur omnis syllogismus qui ex duabus propositionibus vnam concludit conclusionem, & ibi sistit. Similiter autem circularis ostensiuus est, si vnusquisque circularium syllogismorum secundum se consideretur. Conuersiuus autem syllogismus & syllogismus ex oppositis continentur sub syllogismo ad impossibile siue per impossibile communiter accepto: & sic patet, quòd in omni syllogismo eodem modo est medij inspectio.

Syllogismus conuersiuus & ex oppositis continentur sub syllogismo ad impossibile.

Eodem autem modo, &c.

Eodem autem modo est etiam in syllogismis qui fiunt ex propositionibus modalibus sicut in necessariis & contingentibus: nam in his erit eadem consideratio quoad medij inspectionem, & per eosdem terminos quoad antecedentia & consequentia & repugnantia erit syllogismus in ordine modalium contingentis & ineſse. Quod autem idem sit in necessariis & in ineſse simpliciter, patet per antecedentia quæ dicta sunt in generatione syllogismorum. In contingentibus autem sumendum est talia contingentia, non tantum quæ insunt actual: inhærentia, sed etiam quæ non insunt, possibilia tamen sunt ineſse: ostensum est enim, quoniam etiam per talia contingentia fit syllogismus de contingenti. Et similiter se habebit quantum ad medij inspectionem in omnibus aliis prædicamentis, hoc est, prædicandi modis, scilicet de necessario, & possibili, & impossibili, & vero & falso.

Manifestum ergo ex prædictis, &c.

Vlterius autem manifestum est ex prædictis, quoniam non solum possibile est per hanc viam siue artem inspectioni medij fieri omnes syllogismos, sicut dictum est, sed etiam cum hoc manifestum est, quoniam impossibile est per aliam viam fieri aliquem syllogismorum. Ostensum est enim in præcedentibus, quòd omnis syllogismus fit per aliquam trium figurarum: figuras autem tres determinatas quoad medij & extremorum ordinem non contingit

contingit per aliam viam seu artem construi seu construi nisi per sequentia & antecedentia, quibus sequitur consequens vnumquodque: ex his enim fiunt syllogismorum propositiones & sumptio medij syllogismorum: propter quod patet, quod nec syllogismum vniuersaliter possibile est fieri per alia.

Erit ergo ista quæ nunc determinata est methodus in omnibus quidem syllogismis eadem & adaptãda circa philosophiam primã & circa artes rationales, sicut logicam, & rhetoricam, & circa disciplinam in scientiis disciplinabilibus quadriuij. In omnibus enim his oportet in medij inuentione colligere prædicata quæ insunt, & subiecta quibus insunt illa prædicata, & his collectis vtplurimis abundare: & hæc & horum differentias per tres terminos considerare, antecedentium scilicet, & consequentium, & repugnantium: & destruentem quidem qui vult negatiuam concludere, oportet ista considerare sic, hoc est, vno modo, ad repugnantia scilicet: construẽtem autem qui vult propositionem affirmatiuam concludere, oportet considerare aliter, scilicet secundum habitudines antecedentium & consequentium; & qui vult concludere secundum rei veritatem & secundum ea quæ simpliciter & actu insunt, oportet ista considerare secundum rei veritatem quæ scripta est de his quæ simpliciter & ex necessitate insunt. Ad dialecticos autem syllogismos faciendos oportet ista considerare ex propositionibus quæ dicunt inesse secundum opinionem: quia illi fiunt ex his quæ videntur omnibus vel pluribus vel sapientibus vel maximè notis.

Principia autem syllogismorum, &c.

Patet igitur, quòd principia syllogismorum quoad formalia & materialia & medij inspectionem (vniuersaliter quidem & in communi accipiendo) sunt quæ dicta sunt: & dictum est iam, quomodo se habent ad syllogismi constitutionem, & determinatum est quomodo seu ex quibus oportet ea inquirere: & hoc factum est ad vitandum dispendium quatenus in faciendo syllogismum non sit confusus noster intellectus ad omnia illa quę dicuntur vel dici possunt inspiciendo, & vt scianus, quid non est aspiciendum ad eadem quando volumus aliquid affirmatiuè construere, & quando volumus aliqua negatiuè destruere. Adhuc autem vt sciamus, quòd non aspiciendum ad eadem media, quando volumus construendo concludere de omni, vniuersali scilicet affirmatiuo, & quando volumus construere de aliquo particulariter concludendo: & similiter in destruendo quando volumus destruere vniuersaliter: quoniam ab omnibus partibus subiecti remouetur prædicatum, aut quoniam particulariter remouetur ab aliquibus. Sed vt gratia compendij respiciatur ad pauciora, & ad illa quæ determinata sunt. Ex his enim citius & facilius medium inuenitur.

Intelligendum autem hic, quòd quamuis appropriata principia non possint esse ad determinandum omnia prædicata eadem, sicut prædicatum vt accidens, & vt genus, & vt proprium, & vt diffinitio: & si esset talis ars, tarò esset vtilis, vt dicit Arist. in topicis: & quamuis dicatur in elenchis, quòd quamuis omnia essent vnius generationis, non tamen possibile esset omnia sub eisdem principiis contineri: tamen vna potest esse methodus vniuersalis & communis ad inferentiam simplicem conclusionis, inquantum conclusio infertur ex præmissis quæ hic determinata est: & propter syllogismum probantem qui considerat speciales terminorum habitudines, aliæ artes sub ista acceptæ non superfluunt, sicut in posterioribus & in topicis ostenderur.

CAPVT VII.

Quod in communi iam ars est habita: circa propria autem in singulis scientiis adaptanda.

HÆc autem quamuis ad artem istam in communi sufficiant, quæ ars est de syllogismo formali inferente & non probante, est enim ex terminis per a. b. c. sumptis, qui omnia & nihil significant: tamen in determinatis scientiis & artibus secundum singulum eorum quæ sunt illarum scientiarum siue artium subiecta, propriæ siue vnicuique appropriatæ sunt inspectiones mediorum plures, vt de bono de quo agitur in moralibus, aut de disciplina qualibet de qua agitur in disciplinabilibus scientiis, vt arithmetica, geometria, astrologia, & musica. Propter quod principia inuentionis medij quæ sunt circa singula, est siue contingit tradere per experimẽtum quod communiter à memoria sensibiliter in vno communi acceptorum per rationis collationem. Dico autem per exemplum exponens hoc, vt per astrologicam experientiam traditur astrologica disciplina quoad medij inuentionem. In hac enim sufficienter sumptis apparentibus, hoc est, quæ apparent esse antecedentia & consequentia & repugnantia, ex quibus sumuntur media ad terminanda astrologica: sic inuentæ sunt astrologicæ demonstrationes. Similiter autem quantum ad medij inuentionem circa aliam quamlibet se habet artem quæ est ex probabilibus expertis, & disciplinam quæ est ex necessariis expertis.

Et secundum singulum eligere, &c.

Propter quod si sumantur inspectiones mediorum circa ea quæ insunt, & sumantur propria circa singulum eorum quæ quærimus, nostrum est iam, siue nostræ facultatis iam est (sicut ex arte perfectis) promptè demonstrationes circa singula declarare. Si enim nihil omittitur secundum historiam siue enarrationem propriorum & singulorum eorum quæ subtiliter per causam essentialem & verè secundum naturam insunt singulis rebus & propriè, habebimus ex habitu & facultate determinatæ scientiæ de omni & de quolibet, cuius siue de quo est demonstratio, inuenire hanc demonstrationem quæ est de illo: & sic de ipso quod sibi inest demonstrare. Cuius autem non nata est demonstratio, sicut principiorum, & probabilium, vel rethoricorum, mani

Quare si sumantur quæ insunt &c.

manifestum etiam est ex hic determinatis hoc ipsum facere de ipsis ad inuentionem mediorum, quæ non sunt media demonstrationum.

Vniuersaliter ergo quomodo oporteat, &c.

Dicamus igitur epilogando, quòd vniuersaliter iam pene dictum est, quo oporteat modo propositiones eligere ad medij cuiuslibet inuentionem. Et dico penè propter scientiam posteriorum, quæ etiam vniuersalis est in suo genere. Quare non superfluit ista arte posita: communia enim dicit in genere demonstrabilium. Hæc autem quæ dicta sunt studiosè per diuisiones & differentiam demonstrabilium & non demonstrabilium pertranseamus describendo in eo negotio, quod est circa dialecticam: in topicis enim hæc dicta sunt pertranseundo in communi: circa singulas autem scientias non pertranseundo in communi, sed immorando circa singula dici habent.

CAPVT VIII.

Quòd ars quam quidam ex diuisione ponebant ad medij inuentionem, non sufficiat.

Quoniam autem diuisio, &c.

QVoniam autem diuisio per genera (quam quidam ponebant ad medij inuentionem) partia quædam est particula huius (quæ dicta est) methodi siue viæ, facile est declarare. Dicebant enim quidam, quòd diuisio & maximè diuisio generis in species (quæ essentialis & formalis est) est ars inueniendi medium: quia per diuisionem inueniemus diffinitionem, quæ est medium in demonstrationibus. Et hoc non est verum: quia quamuis faciat ad inuentionem diffinitionis, & quantum ad hoc sit parua quædam particula huius artis faciens ad medij cuiusdam declarationem, tamen non est sufficiens ad inueniendum medium secundum quod medium est, & secundum quod ex ipso necessitate syllogistica concluditur conclusio: sed in ea aliqua particula est: quia per diuisionem inueniuntur particulæ diffinitionis: vnde diuisio est velut infirmus syllogismus, hoc est, non habens medij perfectam habitudinem. Petit enim quod oportet ostendere: & hoc ideò est, quia medium non est perfectum ad inferendum cum sit communius maiori extremitate. Antecedens enim ex consequente inferri non potest nisi negatiuè: vnde diuisio non est ad inspiciendum medium perfectum, sed si syllogizat immediata conclusione & prima, syllogizat semper aliquid superiorum quod est communius intento: sicut si dicatur sic, omne animal est mortale vel immortale: homo est animal: ergo est mortale vel immortale: quod est communius intento, quod syllogizari deberet de homine. Vnde diuisio vel petet principium, vel sumet medium communius intento; in quo intentum sine propositum non est nisi in potentia.

Opinio quorundam de diuisione.

Primum autem hoc quidem latuit, &c.

Hoc autem primum latuit omnes illos qui vsi sunt diuisione ad medij inuentionem. Et suadere sunt conati, quòd per diuisionem ponatur medium velut esset possibile de substantia (quæ est diffinitio) demonstrationem fieri per diuisionem: cum hoc non sit verum: quia in demonstratione medium est diffinitio, & non sit demonstratio de ipsa: quia de eo quod quid est per diffinitionem, non est demonstratio per diuisionem: & propter hoc non intellexerunt, quòd non contingit syllogizari per hoc aliquid: communius enim est intento quod sumitur. Huius autem exemplum est: quia si sic fiat syllogismus, quem ipsi dicunt fieri per diuisionem: omne animal est rationale vel irrationale: omnis homo est animal: non sequitur syllogisticè, nisi quod homo est vel rationale vel irrationale: quod communius est proposito: quia ad diffinitionem hominis non sumitur de homine nisi rationale. Si autem sic syllogizetur: omne animal est rationale vel irrationale: homo est animal: ex hoc non sequitur, quòd homo sit rationale: & si sumitur, petitur quod erat probandum, & non probatur.

Ergo in demonstrationibus, &c.

Adhuc autem diffinitio prædicatur affirmatiuè, & vniuersaliter de eo cuius est diffinitio: & si concluditur, vniuersaliter & affirmatiuè debet concludi: vniuersalis autem affirmatiua concludi non potest per id quod est communius intento, & per medium quod communius est maiori extremitate. Extremitas autem maior (quæ de homine debet concludi) non est rationale vel irrationale, sed rationale solum: & sic medium communius est maiore extremitate: & per hoc non concluditur vniuersalis affirmatiua, sicut dictum est: ergo nec diffinitio concluditur: quia diffinitio prædicatur vniuersaliter & affirmatiuè. Et ideò non intellexerunt, quod non contingit syllogizare diffinitionem eos qui diuidunt; hoc est, diuisionem ad medij inuentionem ponunt.

Sic enim animal in quo a, &c.

Patet igitur, quòd in demonstrationibus in quibus oportet aliquando quid syllogizare per diffinitionem, oportet medium (per quod fit syllogismus) minus, hoc est, minus commune semper esse maiori extremo: & oportet ipsum medium non prædicari vniuersaliter de tota priori siue maiori extremitate: quia quod sic prædicatur de alio, communius est illo: & ideo non fit syllogismus diuisiuus: quia diuisio è contrario facit semper ponens medium vniuersalius: eo quod sicut maius extremum debet concludi de minori, sicut paulo ante dictum est.

Hoc autem in terminis transcendentibus patet: sit enim animal quod in tali syllogismo est medium in quo est a. mortale autem quod sicut maius extremum debet concludi, sit in quo est b. & quia per diuisionem accipitur, oportet quod sint duo: sit ergo immortale (quod cum mortali in eadem diuisione ponitur) in quo c. homo vero minus extremum (cuius terminum, hoc est, diffinitionem de ipso prædicatam) oportet sumere (hoc est, concludere) sit in quo est d. Sic ergo per diuisionem accipiens syllogismum accipit omne animal esse mortale aut immortale: hoc autem idem est ac si dicat, quòd quicquid est a, vniuersaliter esse aut b. aut c. siue quod om-

ne a. est b. vel c. & patet, quòd hoc communius est intento: quia non debet concludi de d. nisi b. & non b. vel c. & si sumatur quod d. est b. petetur id quod probandum est, & non erit probatum.

Rursum ille qui sub tali diuisione ad diffinitionem hominis concludendam semper ponit in minori propositione hominem esse animal: quia medium est animal: propter quod sumit in eadem minori propositione, quòd de d. sit a. prædicatum, quia positum est a. esse animal, & quod d. sit homo: syllogismus ergo non concludit, nisi quia d. aut est b. aut c. sub disiunctione: propter quod homo sit aut mortalis aut immortalis diuisim oportet sumere sine propositione: & petet illud quod erat probandum. Mortale quidem aut immortale necessarium est esse animal, sicut proponitur in maiori propositione: sed quod homo sit mortale cum sit animal, aut quod sit immortale diuisim, non necessarium ex syllogismo illo concludere: sed petitur. Hoc autem erat quod oportebat syllogizare secundum intentam in diffinitione hominis conclusionem. Sed si sic argueretur per diuisionem: homo est animal aut mortale aut immortale: sed non est immortale: ergo est mortale: tunc esset probatum: sed hoc ex syllogismo inducto non concluditur: syllogismus enim inductus non concludit ex positis in ipso, nisi quod homo sit animal mortale vel immortale: & hoc non est de diffinitione hominis, cuius partes concludi debent de homine, cuius diffinitionis partes tanquam maiores extremitates intenduntur concludi de homine vt minori extremitate.

Rursum ponens a. quidem animal, &c.

Et rursus ad concludendam aliam differentiam ad diffinitionem hominis pertinentem: & accipit medium communius maiori extremitate, accipiens maius extremum sub diuisione eodem modo concludit aliquid communius intento siue proposito, & non probabit ex positis in syllogismo propositum, sed petet ipsum sine probatione: & huius exemplum est, sicut si ponamus diffinitionem esse animal mortale pedes habens: & debemus concludere hanc differentiam de homine, pedes habens: si enim ponamus a. esse animal mortale, ita quòd hoc totum sit syllogismi medium, animal mortale: & hanc differentiam, pedes habens, dicamus b. hanc autem non pedes habens, differentiam dicamus esse c. hominem vero qui est minus extremum dicamus esse d. sicut prius: quia partes diffinitionis hominis intendimus concludere: tunc sic volens syllogizare similiter sicut prius in maiori propositione a. aut c. aut b. esse, sic, omne animal mortale aut est habens pedes, aut non habens pedes: in maiori autem propositione sumet prædicatum de d. nam in minori sumit hominem esse animal mortale vniuersaliter, sic, omnis homo est animal mortale: propter quod ex hoc syllogismo sequitur ex positis in ipso propositionibus, quod necesse est hominem esse animal habens pedes, vel non habens pedes. Hæc autem non est intenta ad hominis diffinitionem conclusio: quia in diffinitione hominis non ponitur, quòd sit animal habens pedes, vel non habens, sed quod sit animal habens pedes. Intenta ergo conclusio est, quòd homo sit animal habens pedes: & hæc in syllogismo illo non concluditur, sed petitur & sumitur petendo, & non probatur. Hoc autem (scilicet quod homo est animal mortale pedes habens) erat, quod rursus ad aliam hominis differentiam quæ complet diffinitionem oportebat ostendere probando per conclusionem syllogizatam: ergo nec prima differentia diffinitionis, nec vltima complens diffinitionem concludi potest per artem diuisionis.

Ad hunc enim modum per omnes partes diffinitionis accipiendas eis qui diuidunt semper accidit sumere vniuersale communius intento, ita quòd medium semper communius est maiori extremo, de quo oportebat ex positis in syllogismo ostendere, quòd illa extrema per omnes differentias positas in diffinitione, quòd sunt extremitates maiores concludendæ de homine tanquam de minori extremo. Ad finem autem postquam omnes differentiæ sic conclusæ & collectæ sunt, inferre oportebat, quòd hoc totum collectum est homo per diffinitionem, aut quicquid aliud erit, quod quæritur quid sit per diffinitionem. Manifestum est igitur, quòd dantes artem diuisionis ad medij inuentionem vel inspectionem, nihil planum dicunt, quod sit necessarium ad propositum omne concludendum: faciunt enim omninò aliam viam esse ad medij inspectionem, quam eam quam nos in antehabitis docuimus: neque opinantes sunt, quòd illi viæ (quæ à nobis posita est) insint idoneitates ad omne propositum concludendum, sed viæ diuisionis tales idoneitates opinantur inesse: & ideo errant & falsum dicunt.

Manifestum est autem, neque, &c.

Manifestum autem est, quòd etiam in aliis prædicatis à diffinitione (sicut est genus proprium, accidens, & huiusmodi, quæ in topicorum considerationibus dererminantur) non contingit per talem medij inspectionem construere vel destruere per talem viam diuisionis: non enim contingit aliquid de accidente, neque de proprio, neque de genere, neque etiam in problematibus in quibus ignoratur vtrum hoc modo vel illo se habet, hoc est, vtrum insit vt proprium, vel vt accidens, vel vt genus, vel alio modo, aliquid per hanc viam planum & necessarium ex positis in syllogismo syllogizare: vt si quæratur in problemate sic, putalne diameter est asimeter? proponitur enim diameter esse longitudo: ex taliter enim positis non syllogizatur, nisi quòd diameter est aut asimeter vel simeter, sic, omnis longitudo est simetra vel asimetra: diameter est longitudo: non sequitur ex hoc syllogismo propter posita, nisi quòd diameter est aut simeter aut asimeter: & hoc nihil est planum & certum. Si autem sumat, quòd est simeter: tunc petet & sumet quod oportebat syllogizare, hoc est, per syllogismum probantem concludere. Patet igitur, quòd per hanc viam non contingit ostendere aliquod propositum: hæc enim proculdubio est via diuisionis quam ponunt: & patet, quòd per hanc viam ex positis

fitis in syllogismo non est ostendere vtrum diameter sit simeter vel asimeter : & quantur termini syllogismi transcendentes, qui de omnibus sunt propositis ostendendi : & sit id in quo est a. longitudo vt medium. b. autem sit maior extremitas sub diuisione accepta : diameter autem quod est minor extremitas, sit c. sic autem formetur syllogismus, omne a. est b. quia omnis longitudo est asimetra vel simetra : omne c. a. quia omnis diameter est linea siue longitudo : sequitur, quod omne c. b. sed hoc nihil est certum & planum. Hæc igitur via inutilis est ad medij inspectionem.

Manifestum est igitur, quoniam, &c.

Manifestum est igitur, quoniam iste inquisitionis modus etiam ad omnem inspectionem medij non congruit, siue quod ad nullam congruit considerationem : quia neque in illa congruit inquisitione diffinitionis scilicet : in quibus tamen considerationibus diffinitionum maximè videbatur conuenire. In his enim inutilis est, sicut est ostensum. Si autem via diuisionis generis per differentias & species ad medij inspectionem inutilis est, quæ maximè vtilis esse videbatur, planum est, quòd viæ (quæ per alios modos diuisionum fumi possent) magis sunt inutiles.

Et quibus ergo demonstrationes, &c.

Dicamus igitur hunc tractatum epilogandum, quod iam manifestum ex prædictis ex quibus medij inspectionibus demonstrationes fiunt, & quomodo ad medium inspiciendum est, & ad quæ oportet respicere secundum vnamquamque propositionem vniuersalem vel particularem & affirmatiuam & negatiuam concludendam. Et hîc antiqui secundam periocpen, siue sectionem de generatione syllogismi terminabant.

CAPVT IX.

De exclusione quorundam dubiorum circa ea quæ dicta sunt.

Quomodo syllogismus diuisiuus est ratio dialectica, & non petit: & quomodo petit & non est

ESt autem hîc notandum, quòd quamuis ratio diuisiua sit syllogismus dialecticus, & sic sit ex probabilibus & notioribus, & ideò non petat quod est in principio. Quod etiam patet: quia si dicatur sic, homo est animal mortale vel immortale: sed non est immortale; ergo est mortale : vtraque enim præmissarum communior, & ideò notior est conclusione : & ideò non petitur quod est in principio, sed probatur. Adhuc autem intentio est per talem rationem probare hominem mortalem esse : & hoc idem concluditur : & sic diuisio non syllogizat aliquid communius intento. Quamuis, inquam, ita sit: tamen antequam in diuisione negetur alterum diuidentium, & ex negatione illius inferatur affirmatiua alterius : tunc non est syllogismus dialecticus, nec procedit ex notioribus, nec concludit minus commune, sed æquè : quia non concludit, nisi quod homo est animal vel mortale vel immortale, sicut dictum est : & ideò non valet talis processus : quia ex sub disiunctione concluso sine remotione alterius diuidentium petit, quòd homo sit animal mortale sine disiunctione & determinatè : hoc enim est intentum in diffinitione.

ratio dialectica.

Adhuc autem notandum est, quòd cum dicitur, quòd in omni ratione concludentem vniuersalem affirmatiuam oportet medium esse sub maiori extremitate, & non communius ipsa, accipiendum quod medium est quidem vt pars, & vt minus commune maiori extremitate : quia se habet vt subiectum ad maiorem extremitatem, & sic est in ratione inferioris ad ipsam : non tamen semper est inferius & minus secundum rem : & hoc patet ex hoc, quòd potissimæ demonstrationes & potissimæ ratiocinationes dialecticæ fiunt in terminis conuertibilibus, in quibus medium secundum rem non est minus maiori extremitate secundum rem, sed solum secundum rationem.

Quomodo intelligendum est, quòd in primo modo primæ figuræ oportet medium esse sub maiori extremitate.

Adhuc autem notandum, quòd sicut diximus, quod cum volumus partes diffinitionis de subiecto diffinito concludere, conclusio intenta est, quòd illa sola differentia (quæ essentialis est subiecto) concludatur de ipso vt maior extremitas de minori : vnde non est maior extremitas totum disiunctum in ambabus partibus disiunctionis acceptum : quod tamen concluditur in syllogismo in quo maior extremitas ponitur totum disiunctum : & ideò in tali syllogismo diuisiuo semper concluditur id quod communius est principali intento, & conclusio principaliter intenta petitur sine syllogistica probatione. Et his intellectis planum erit cuilibet quod in antehabitis dictum est.

Quomodo in syllogismo diuisiuo concluditur aliquid communius principali proposito.

TRACTATVS VII.

De ſyllogiſmorum reductione.

CAPVT I.

Quibus de cauſis tractandum eſt de reductione, & quot modis ſit reductio: & de ordine reductionum.

Quomodo autem reducemus, &c.

VOMODO autem reducere poſſumus ſyllogiſmos (ſicut dictum eſt generatos) in prædictas figuras, dicendum ſiue docendum eſt poſt hæc duo quæ iam determinata ſunt: hæc enim ſola conſideratio reſtat adhuc de generatione ſyllogiſmorum: quia ſyllogiſmus non eſt perfectè generatus niſi ad vltimam formam ipſius ſit deductus. Si enim & generationem ſyllogiſmorum in figura & modo inſpeximus (hoc eſt, ſubſtantialiter inſpiciendo determinauimus) in pericope ſiue ſectione prima. Et inueniendi medium habemus ex arte poteſtatem ſiue facultatem, ſicut in ſecunda pericope determinatum eſt. Amplius autem in iſta tertia pericope factos ſyllogiſmos reducemus ſiue reducere docebimus in prædictas figuras ſicut in ſua principia, finem habebit intentum noſtrum, quod in primo iſtius ſcientiæ libro propoſitum eſt quantum ad perfectam ſubſtantiam ſyllogiſmi & generationem ſyllogiſmorum. Ex hoc enim ſufficienter ſcitur ſyllogiſmi ſubſtantia & generatio. Quamuis adhuc quædam dicenda remaneant in ſecundo libro de modis & poteſtate ſyllogiſmorum, quæ non ſunt de ſubſtantia & generatione ſyllogiſmorum. Hæc igitur eſt vna & prima cauſa propter quam agi oportet hic de ſyllogiſmorum generatorum reductione.

Quibus de cauſis oportet de reductione ſyllogiſmorum tractare. Prima.

Secunda autem cauſa eſt vtilitatis: quia ſi bene determinabitur ſyllogiſmorum reductio, accidit etiam ex ipſius reductionis determinatione confirmari & manifeſtiora fieri ea quę dicta ſunt de eorum generatione & de medij inuentione. Ex hîc enim dicendis patebit, quoniam ſic ſe habent, vt dictum eſt, ea quæ in antehabitis dicta ſunt: oportet enim ad bonitatem doctrinæ perfectæ tradendam, omne quod verum eſt in aliqua arte & doctrina, ipſum ſibi omnino (hoc eſt, omni modo) manifeſtum eſſe: quia niſi omni manifeſtetur, non cognoſcitur perfectè: non cognitum autem perfectè, non perfectè regit & dirigit ad finem artis.

Secunda. Accidit etiã ſimul, &c.

His igitur de cauſis oportet de reductione ſyllogiſmorum tractare, & maximè adhuc duabus de cauſis, ſcilicet quia niſi reducatur ſyllogiſmus, non icitur perfectus eſſe, & ſecundum propriam ſubſtantiam generatus. Et ſecundo quia iſta ars reſolutoria eſt: & omnis ſyllogiſmorum reſolutio in ea debet determinari. Eſt enim quadruplex reſolutio ſyllogiſticæ orationis: aut enim oratio ſyllogiſtica eſt potentia tantum ſyllogiſtica, aut actu tantum. Dico autem potentia tantum ſyllogiſticam eſſe, quando eſt oratio inordinatè diſputata ſiue poſita, quæ tamen reducibilis eſt in ſyllogiſmum: & cum reducitur, fit actu ſyllogiſtica. Actu autem ſyllogiſticam dico, quæ ſtat ſub forma ſyllogiſmi. Vna igitur reductio eſt quando oratio potentia ſyllogiſtica reducitur ad actum formalem ſyllogiſticę orationis. Si autem omnino ſit actu ſyllogiſtica, iſta adhuc habet reduci in figuram & modum.

Quæritur.

Quadruplex eſt reſolutio ſyllogiſticæ orationis.

Aut ergo eſt indifferens reductio omnium figurarum & in omnem figuram adinuicem: & hoc fit quando eadem oratio ſyllogizari docetur in pluribus vel omnibus figuris per aliquam medij variationem: & hæc eſt ſecunda reductio ſyllogiſmorum: & de iſta duplici reductione in hoc tractatu eſt determinandum. Aut eſt differens reductio: & hoc fit dupliciter. Primo enim fit reductio figurarum imperfectarum in perfectam, quæ eſt prima reductio: aut fit reductio modorum in modos perfectiſſimos, ſicut omnes alij modi tam primæ figuræ quam ſecundæ vel tertiæ reducuntur in duos modos vniuerſales perfectiſſimos primæ figuræ: & de his duabus reductionibus in prima pericope ſiue ſectione iam ſatis ſufficienter dictum eſt.

Remouet dubium.

Attendendum etiam, quòd quamuis illa reductio (quam primo hîc poſuimus inter quatuor) prima ſit ſecundum rem & generationem ſyllogiſmi ſimpliciter, tamen non eſt prima in via doctrinæ: non enim poteſt cognoſci reſolutio de potentia ad actum, niſi actu prægnito: & ideò oportuit prius agere de generatione ſyllogiſmorum ſecundum actum vt actus cognoſceretur per quem poſſet cognoſci hæc reductio. Actui ſyllogiſmorum perfectè cognoſcendo annexa eſt duplex reductio, ſcilicet ſecunda & quarta: & ideò de illis duabus oportuit determinare cùm ipſorum ſyllogiſmorum generatione, & poſtea conſequenter dicendum eſt de duabus aliis reductionibus. Inter quas duas etiam ordo eſt: quia illa quæ eſt potentia ſyllogiſticæ orationis, in actu ſyllogiſticam præcedit illam quæ eſt reductio mutua figurarum adinuicem, vt oſten-

oſtendatur quot modis poteſt idem concludi medij variatione: eò quod per hæc parum vel nihil facit ad ſyllogiſmi (ſecundum ſui ſubſtantiam) perfectionem. Et hæc eſt cauſa, quòd hîc primo determinabimus de prima, & vltimo tangemus ſecundam.

CAPVT II.

De reductione orationis in ſyllogiſmum per inſpectionem propoſitionum.

Primum ergo oportet tentare, &c.

IN reductione autem orationis ad formam ſyllogiſmi quæ diſputata eſt ſine ordine ſyllogiſmi, oportet tentare primo (hoc eſt, tendando inſpicere) duas propoſitiones præmiſſas excipere (hoc eſt, extra capere de ipſa diſputata ſic oratione) & hoc antequam in terminos in ipſa oratione poſitos inſpiciatur, ita quod prima reſolutio illius orationis fiat in propoſitiones prius quam reſoluatur in terminos. Et huius ratio eſt: quia à facilioribus eſt inchoandum in omni arte: facil us autem eſt omne compoſitum in maiora diuidere, quam in minora: quia maiora propinquiora ſunt compoſito quam minora: compoſita autem ſunt maiora, quam ea ex quibus componuntur: ſicut propoſitiones maiores ſunt, quam termini ex quibus fiunt propoſitiones: & ideo oratione propter formam ſyllogiſmi diſputata, prius reſoluenda eſt in propoſitiones quam in terminos, & prius conſideranda eſt habitudo propoſitionum quam terminorum.

Deinde conſiderare, vt in toto, &c.

Conſiderandum ergo primo ſi quid (hoc eſt, ſi aliquid) in ipſa oratione taliter diſputata ſuperfluum ſit, & vanè appoſitum, & ſi aliquid de neceſſariis ſit omiſſum tam ad ſyllogiſmum quam ad proſyllogiſmum. Et ſi eſt aliquid de neceſſariis ſic omiſſum, illud ponendum eſt ex intellectis in oratione diſputata: & ſi aliquid eſt ſuperfluè & vanè poſitum, illud eſt auferendum: & hoc continuè faciendum eſt donec ſic reſoluens orationem diſputatam aliquis veniat ad duas propoſitiones ſyllogiſmi vel proſyllogiſmi, in cuius formam intendit reducere orationem: ſine his enim propoſitionibus (ex quibus fit ſyllogiſmus) non poteſt aliquis reducere in formam ſyllogiſmi ſic interrogata ſiue diſputatas orationes quæ ſine forma ſyllogiſtica diſputatæ.

Conſiderandum ergo primo ſi quid (hoc eſt, ſi aliquid) &c.

In aliquibus autem talibus orationibus facile eſt videre quid minus eſt, & aliquid omiſſum ad propoſitiones pertinens. Aliquando autem aliquid eſſe omiſſum latet: & tales orationes ſine forma ſyllogiſmi diſputatæ videntur ſyllogizatæ: eo quod per eas aliquid (quod eſt concluſio) ex neceſſitate inferentiæ accidit ſiue ſequitur ſicut in ſyllogiſmo: ſequitur enim concluſio ex his quæ poſita ſunt in oratione: & ideò videntur eſſe ſyllogiſticæ: quia ſyllogiſmus eſt oratio in qua quibuſdam poſitis aliquid accidit ex neceſſitate ex his quæ poſita ſunt in ſyllogiſmo: cum tamen non ſint ſyllogizatæ, nec habeant formam ſyllogiſmi: quamuis in hoc ſimilitudinem habeant cum ſyllogiſmo: eò quod formam ſyllogiſmi in complexione propoſitionum habeant. Cuius exemplum eſt in hac oratione, vt ſi ſumatur non ſubſtantia interempta ſubſtantiam non interimi, & ex quibus eſt compoſitum aliquod interemptis, etiam corum compoſitũ quod eſt ex iſtis: hæc enim oratio ſine forma ſyllogiſmi eſt: & tamen infertur de neceſſitate: neceſſario enim ſequitur, quòd non ſubſtantia interempta, non interimatur ſubſtantia: quia ſubſtantia non componitur niſi ex ſubſtantiis. Similiter neceſſario ſequitur, quòd corruptis his ex quibus ſubſtantialiter eſt aliquid, quod & ipſum corrumpatur & interimatur. His enim ſic poſitis in oratione prædicta, ſequitur quòd neceſſarium eſt, quòd ſubſtantiæ partes ſint ſubſtantiæ: quia interemptis eis interimitur ſubſtantia ex eis compoſita. Hæc tamen oratio non eſt ſyllogizata: quia ad formam ſyllogiſmi non eſt reducta, cum propoſitionem primam habeat negatiuam & cõcluſionem affirmatiuam, quod nunquam contingit in ſyllogiſmo, & debitam non habeat in propoſitionibus complexionem & ordinem: & ideo per ea quæ in tali oratione ſumpta ſunt hoc modo oratio illa non eſt ſyllogizata: ſed debitæ ad ſyllogiſmum & proſyllogiſmum deſunt propoſitiones. Si autem ſupplere debeat quod deeſt ad ſyllogiſmum iſtius concluſionis (qua concluditur partes ſubſtantiæ eſſe ſubſtantias) oportet ſic proponere: quibus interemptis interimitur ſubſtantia, ſunt ſubſtantiæ: ſed partibus ſubſtantia interemptis interimi

timitur substantia: ergo partes substantiæ sunt substantiæ. Et prima quidem huius syllogismi intelligitur in prima inductæ orationis, minor autem in secunda. Adhuc autem ex hoc arguitur per prosyllogismum sic, quæ sunt & non sunt non substantiæ, sunt substantiæ: partes substantiæ sunt & non sunt non substantiæ: ergo sunt substantiæ. Et sic oratio illa ad formam syllogismi reducta est.

Obiectio. Si quis autem obiiciat, quòd diffinitio syllogismi dictæ orationi videtur conuenire, & ita videtur esse syllogismus: est enim oratio in qua quibusdam positis aliud ex necessitate accidit.

Solutio. Dicendum, quòd habitudinem habet ex materia & locali habitudine, sed non habet formam syllogismi in modo & figura: & ideo non est syllogismus, nec infert ex forma syllogismi. Adhuc autem in syllogismo quicquid est in præmissis, est in conclusione præter medium: & hoc non est hic: ergo non est syllogismus, desunt enim propositiones, quarum vna se deberet habere vt totum, & altera vt pars, & quarum terminii duo constituere deberent conclusionem.

Rursum etiam quum est homo, &c. Rursum aliud exemplum orationis absque forma syllogismi disputatæ est, si sic aliquis ratiocinetur ex syllogismo hypothetico: cum est homo, necesse est esse animal: & cum est animal, necesse est esse substantiam: ergo a primo ad vltimum, cum est homo, necesse est esse substantiam. Hæc enim oratio non habet formam syllogismi ostensiui, de cuius forma hic intendimus: quia ille simpliciter est vnus & vnius formæ: de forma enim hypothetici syllogismi in proprio libro de hypotheticis syllogismis habet determinari. Istæ enim propositiones sic a primo ad vltimum concludentes, non se habent adinuicem secundum figuram & modum, vt diximus se eas habere debere in syllogismo ostensiuo.

Fallimur enim in talibus, &c. Fallimur enim in talibus putantes tales orationes esse syllogisticas: eò quod necessarium inferre in eis accidit ex his quæ posita sunt in ipsis, sicut in syllogismo: quia etiam syllogismus necessarium tale quoddam est quod est necessarium necessitate consequentiæ ex his quæ in oratione syllogistica posita sunt: tale autem consequentiæ necessarium in pluribus est quam syllogismus. Et hoc patet: quia consequentia non conuertitur inter syllogismum & tale necessarium: nam omnis syllogismus necessarium tale est, non est autem è conuerso omne tale necessarium syllogismus. Propter quod si quid accidit ex necessitate ex quibusdam positis in oratione, non statim quidem tentandum est reducere: sed primum sumendum est duas propositiones debito modo ordinatas, sicut diximus, sic, omnis homo est animal: omne animal substantia: ergo omnis homo substantia: hic enim non est peccatum nisi in ordine propositionum, quod statim corrigitur, sic, omne animal substantia: omnis homo animal: ergo omnis homo substantia: & tunc reducta est oratio in formam veram syllogismi. Talis igitur est reductio orationis non syllogizatæ in propositiones in quibus stat forma actualis syllogistica, sicut cuilibet patet inspicienti.

Necessarium necessitate consequentiæ in plus se habet quam syllogismus

CAPVT III.

De resolutione propositionis non syllogizatæ ad formam syllogisticam per terminorum considerationem.

Deinde sic diuidendum in terminos, &c. DEinde autem postquam talis oratio reducta est in propositiones, sic vlterius procedendo in reductione ad formam syllogisticam, diuidendum est in terminos debitè se habentes ad figuræ constitutionem. Medium autem quod contingit extrema & quod est medium terminorum, tale ponendum est, qui dicitur vel subiectiuè vel prædicatiuè vel vtroque modo in vtrisque propositionibus: necesse est enim medium in vtrisque propositionibus esse in omnibus tribus figuris. Si ergo in resolutione & reductione inueniatur, quòd medium in duabus propositionibus, & subiiciatur in vna, & prædicetur in altera: aut quod ipsum quidem prædicetur affirmatiuè in vna, aliud autem ab ipso medio abnegetur in altera propositione: prima erit figura, & oratio reducta est ad formam primæ figuræ. Si autem prædicetur, & in vna propositione negetur ipsum medium ab extremo aliquo maiori vel minori, media erit figura, quæ (sicut habitum est) affirmatiuè non concludit: & ideò affirmatur in vna & abnegatur in altera: & tunc oratio reducta erit in formam secundæ figuræ. Si vero tale sit medium, quòd in vtraque propositione alia extrema de illo (vt subiecto) prædicentur, sicut fit in affirmatiuo syllogismo: aut sic se habeat, quòd vnum quidem extremorum de ipso prædicetur vt de subiecto, aliud verò extremum de ipso negetur vt de subiecto: tunc secundum talem terminorum dispositionem erit tertia figura siue postrema: sic enim vt prædeterminatum est, se habuit medium in postrema figura.

Similiter autem & si non, &c. Similiter autem (quoad inspectionem medij & extremorum) se habet etiam quando non sunt vniuersales propositiones, sicut in particularibus syllogismis trium figurarum: eadem enim est determinatio medij quantum ad positionem inter terminos vel ante terminos vel post terminos in vniuersalibus & particularibus. Ex his autem patet, quoniam in quacunque oratione disputata si aliquis non dixit idem frequenter (hoc est, bis) illa non fit nec est secundum actum syllogismus: eò quod in tali oratione medium vt medians & vniens extrema non est sumptum: & ideo oratio non est actu stans sub forma syllogismi.

Quoniam autem habemus quæ, &c. Quoniam autem habemus ex præmissis in generatione syllogismorum quæ propositio clauditur (hoc est, concluditur) in quacunque figura sigillatim in vna vel in pluribus: habemus enim in qua figura concluditur vniuersalis affirmatiua, quoniam tantum concluditur in prima: & in qua vniuersalis negatiua, quia concluditur in prima figura & secunda: & habemus in qua concluditur particularis, quia particularis affirmatiua concluditur in prima & in tertia: particularis autem negatiua concluditur

cluditur in omnibus figuris. Manifestum est, quoniam non est perspiciendum in aliqua oratione disputata & concludente ad omnes indifferenter figuras: sed in vnaquaque propositione quæ ex tali vel tali oratione concluditur, respiciendum est ad propriam figuram, quæ illam concludit propositionem. Quæcunque verò propositiones concluduntur simul in pluribus figuris vel omnibus figuris, in his ad quam figuram reduci debeant cognoscimus ipsa medij positione: quia secundum naturam qua respicit extrema, vel ponitur inter vel ante vel post terminos.

Frequenter ergo falsi accidit, &c. Obseruandum etiam est, quòd (sicut dictum est) frequenter accidit falsi circa syllogismos, sicut iam dictum est, propter necessarium consequentiæ quod simile est in talibus orationibus, & in syllogismo. Aliquoties autem propter similitudinem positionis terminorum in vniuersalibus & singularibus accidit error in reductione syllogismorum: & hoc oportet non latere nos: quia si hoc lateat, non potest reduci oratio in formam syllogisticam. Verbi gratia sit a. maior extremitas de b. medio dicitur siue prædicatur, & b. medium prædicatur siue dicitur de c. minori extremitate tantum secundum vocalem subiectionem & prædicationem, & non sit ibi dici de omni quod perficit decursus syllogistici consequentiam: videbitur enim sic se habentibus terminis (ita quod medium in prima subiicitur & in secunda prædicatur) esse syllogismus in talibus terminis: cum tamen hoc non sit verum: quia vna propositionum non se habet vt totum, & reliqua vt pars illud.

Non sit autem necessario, &c. Ex tali ergo simplici positione terminorum nihil sequitur necessarium per orationem, neque etiam sic sit syllogismus: quia non est ibi dici de omni vel dici de nullo, ex quibus fit consequentia vnius ex altero. Hoc autem patet in exemplis, si termini transcendentes determinentur ad singularia, quæ signum distributiuum recipere non possunt: sit enim in quo est a. maior extremitas semper esse (hoc est, incorruptibile esse sicut vniuersale est incorruptibile) in quo autem b. medium sit intelligibilis Aristomenes, hoc est, hoc discretum quod nomine Aristomenis intelligitur: in quo verò c. minor extremitas sit Aristomenes simpliciter sub nomine Aristomenis significatum: tali enim positione terminorum facta, verum est in maiori propositione a. maiorem extremitatem inesse b. medio: semper enim est intelligibilis Aristomenes (hoc est, Aristomenes semper est id quod per Aristomenem intelligitur) quia semper est id quod est: & hoc est intellectum per Aristomenem. Sed & b. medium tali facta positione est c. quia verum est, quòd Aristomenes est intelligibilis Aristomenes, hoc est, Aristomenes est id quod per Aristomenem intelligitur, hoc est, id quod est significatum per nomen. a. autem maius extremum non inest c. minori extremo in conclusione virtute alicuius consequentiæ syllogisticæ: & hoc ideo: quia Aristomenes quocunque modo sumatur, est corruptibilis, hoc est, sensibilis & singularis: quia sola singularia sensibilia & generabilia corruptibilia sunt: & ideo signum distributiuum secundum dici de omni vel dici de nullo susci; ere non potest. Sic autem se habentibus terminis, quod vniuersaliter in eum distribui non potest, dictum est in generatione syllogismorum; quòd non fiebat syllogismus: quia ex particularibus vel indefinitis vel singularibus in nulla figura fit syllogismus. Sed si deberet esse syllogismus, oportet propositionem a. b. maiorem sumere vniuersaliter per signum vniuersale distributiuum, quod in termino discreto singulari fieri non potest: propter quod hoc falsum est, hoc est, incongrue proponitur, quod proponebat omnem intelligibilem Aristomenem semper esse: quia dicit illud distribui per signum vniuersale quod distribui non potest, cum Aristomenes sit corruptibilis, hoc est, sensibilis & singularis.

Expositio Alpharabij. Attendendum est hic, quòd quidam & satis bene in eodem sensu hoc aliqua tulum aliter exponunt, quantum ad hoc quod dicunt, quòd intelligibilis Aristomenes, vt dicunt, est intellectiuus siue sapiens Aristomenes, & multa intelligens: & cætera non mutantur ab expositione prædicta: & hæc est expositio Alpharabij & vera. Quidam autem somniando hic multa finxerunt, de quibus non curamus: certum est enim, quòd si nomen singulare sit & vni soli conueniat, & partem non habeat, quod distribui pro partibus non potest: & si addatur adiectiuum subiecti, non ex illo recipit communitatem, sed potius adiectiuum ex singulari sibi substante recipit singularitatis discretionem: & ideò cum adiectiuo ratione adiecti non distribui non potest: & ideo non est curandum de somnijs illorum.

Rursum in quo quidem, &c. Aliud autem exemplum æqualis cum inducto exemplo potentiæ ad idem ostendendum est hic. Sit enim rursum in alio exemplo c. quidem Micales simpliciter, ipso nomine discreto significatus: in quo autem est b. medium sit Micales musicus: sicut in alio exemplo sit Aristomenes intelligibilis: in quo a. maior extremitas sit corrumpi cras siue in futuro. In tali ergo terminorum positione verum b. medium de c. minori extremitate singulariter prædicari in minori propositione: quia Micales est musicus Micales. Adhuc autem etiam a. maior extremitas prædicatur de b. in maiori propositione: quia Micales musicus corrumpetur cras, hoc est, in futuro; & ideò est singularis & sensibilis. a. autem de c. in conclusione virtute consequentiæ prædicari falsum est: quia quamuis in subiiciendo & prædicando medium videatur esse dispositio primæ figuræ, tamen non sunt termini susceptibiles illi, ni distributum per quod fit dici de omni, per quod syllogismi primæ figuræ perficiuntur. Hoc autem secundum exemplum quantum ad id quod intendimus ostendere per ipsum, idem est cum priore, quod paulo ante inductum est: nam verum est & congruum, si dicatur vniuersaliter, Micales musicus corrumpetur cras: eò quod nomen discretum, nec per se neque cum adiectiuo susceptibile est distributionis.

Hæc ergo fallacia siue error in terminis talibus fit in eo quod penè videtur ibi esse dis-

positio figuræ in posicione terminorum: quia non deficit nisi in dici de omni vel de nullo: quod principium est syllogismi secundum quod constituitur in forma: quod patet in ipso syllogismi: concedimus enim talem dispositionem terminorum aliquando esse syllogisticam: quia videtur nonus quoad figuræ formam nihil differre hoc huic inesse sine distributione, & hoc huic omni inesse cum distributione: & ideo fallimur in eo quod judicamus ibi esse formam syllogismi, vbi est forma syllogismi in eo quod pene.

CAPVT IV.

De errore qui accidit circa resolutionem duarum propositionum in tres terminos ex prava expositione vel sumptione terminorum secundum abstractum & concretum.

Frequenter enim mentiri, &c.

FRequenter autem euenit vel accidit mentiri in resolutione duarum propositionum in tres terminos: eò quod non bene modo debito termini positi in propositionibus exponuntur, siue ponuntur termini secundum exigentiam propositionis alterius quæ in eodem syllogismo ponitur in qua aliter exponuntur: & sic vno modo exponuntur in vna, & alio modo in alia. Cuius exemplum est, vt si a. quidem sit sanitas in abstracto exposita. b autem sit ægritudo, c. verò sit homo: tunc enim medium quod est ægritudo, comparatur ad maiorem extremitatem vt abstractum ad abstractum: & hoc modo non potest comparari ad minorem extremitatem, quæ est homo, sed potius in concretione comparabitur ad ipsam: quia subiectum est ipsius: tali enim dispositione terminorum facta verum est dicere: quod a. nulli b. contingit inesse: eò quod nulli ægritudini inest sanitas: quia oppositum remouetur ab opposito: & rursum verum est dicere in minori, quoniam b. inest omni c. omnis enim homo susceptibilis est ægritudinis: & ex tali habitudine terminorum ad inuicem videtur accidere per consequentiam nulli homini contingere sanitatem inesse. Sic autem formatur syllogismus: de necessitate nulla ægritudo est sanitas: sed omnis homo est æger: & ex hoc non sequitur: ergo de necessitate nullus homo est sanus, licet sequi videatur. Huius autem causa est, quia non bene (hoc est, vniformiter) in vtraque propositione exponuntur termini. In maiori enim propositione in qua sumuntur termini in abstractione, debent sumi in concretione: & tunc esset maior falsa cum modo necessitatis: tunc enim maior esset hæc, de necessitate nullum ægrum est sanum, quæ falsa est. Si autem maior sit in concretum mutata, & accipiatur de contingenti: tunc erunt præmissæ ambæ veræ, & conclusio sequetur de contingenti sic, contingit nullum ægrum esse sanum: sed omnis homo est æger: ergo contingit nullum hominem esse sanum.

Huius autem causa est, &c.

Patet igitur, quòd causa erroris est, quòd non bene exponuntur termini secundum locutionem quæ conuenit propositionibus: sumuntur enim in maiori secundum abstractionem, & in minori secundum concretionem: & hoc patet: quia si termini qui secundum ipsas habitudines abstractæ sanitatis & ægritudinis accipiuntur in maiori, transmutantur ad concretionem: tunc non erit syllogismus: quia maior cum modo necessitatis est falsa, vt pro sanitate quidem ponatur sanum, & pro ægritudine ponatur ægrotum: tunc non erit verum dicere: quoniam non contingit ægrotanti inesse sanum: non contingere autem inesse æquipollet ad necesse non esse. Hoc autem modo sumpta maiori in concretis & cum modo contingentis non fit syllogismus ad conclusionem de necesse non esse, sed fit ad conclusionem de contingenti: & hoc contingens est quod non est impossibile esse: & hoc patet: quia contingit nulli homini inesse sanitatem hoc modo, quo non est impossibile nullum hominem esse sanum actu. Sic igitur patet qualiter hic error vitatur in prima figura.

Rursum in media figura, &c.

Rursum in media figura similiter erit falsum ex eadem causa sumptionis terminorum: quia etiam in secunda figura sic variatis terminis per abstractum & concretum contingit in maiori propositione per consequentiam syllogisticam ægritudinem: quidem nulli inesse sanitati, & in minori contingit omni homini inesse sanitatem: & ex hoc videtur sequi in conclusione, quod nulli homini inest ægritudo sic, nulla ægritudo est sanitas de necessitate: omnis homo est sanus: non sequitur conclusio de necessario, quòd omnis homo de necessitate non sit æger. Si autem præmissæ veræ sumantur ambæ in terminis concretiuis, & ita quod altera sit de contingenti, sequitur conclusio de contingenti, sicut prius.

In tertia autem figura, &c.

In tertia autem figura sic per abstractum & concretum variatis terminis, conclusio quæ est de contingenti, erit falsa præmissis existentibus veris, vna scilicet sumpta de contingenti, & altera de inesse, sic, omni homini contingit inesse sanitatem, vel omnem hominem contingit esse sanum: quod similiter contingit omni homini inesse ægritudinem, vel omnem hominem contingit esse ægrum: non enim sequitur ex hoc, quòd contingat omnem ægritudinem esse sanitatem. Et causa huius est: quia eidem quod est medium & subiectum contingit inesse contraria concretiuè, etsi non simul; non tamen propter hoc vnum contrariorum contingit inesse alteri. Palam enim est, quòd sanitatem & ægritudinem, & disciplinam & ignorantiam: & vt omninò siue vniuersaliter dicatur, omnia contraria contingit omni subiecto eidem inesse. Sibi verò inuicem impossibile est contraria inesse in abstracto: quia sic contraria sunt ipsæ habitudines siue habitus siue dispositiones contrariæ: hoc autem manifestum est in prædictis terminis, sicut dictum est, per abstractum & concretum variatis: quando enim eidem subiecto contingit plura contraria inesse concretiuè sumpta:

sumpta: tunc sequitur, quòd etiam sibiinuicem contingit inesse concretiuè sumpta, vt sanum contingit inesse ægro, & ægrum contingit inesse sano.

Manifestum ergo, quoniã in omnibus, &c.

Manifestum est igitur, quoniam in omnibus talibus fit fallacia reductionis propositionis in terminos, propter terminorum pravam expositionem siue sumptionem: quia si transmutantur hi termini qui abstracti sunt secundum habitudines siue dispositiones, quæ si non contraria, transmutantur ad concretos. Est autem hic attendendum, quòd si fiat talis argumentatio, de necessitate nulla ægritudo est sanitas: omnis homo est æger: ergo nullus homo est sanus: sequitur quidem conclusio de inesse, sed non sequitur virtute syllogismi, sed per locum ab oppositis: talis enim conclusio sequitur ex sola minori, etiamsi maior auferatur: vnde patet, quòd non sequitur virtute syllogistica, quia decursus syllogisticus maximè fit à maiori propositione. Adhuc si sic arguatur, de necessitate nulla sanitas est iustitia: ergo nullum sanum est iustum: hæc conclusio sequitur per locum à coniugatis, sed non virtute syllogistica. Vbique enim fallit habitudo syllogistica per variationem terminorum à concretis in abstractos, & è conuerso. Adhuc autem si sic arguat aliquis, de necessitate nulla sanitas est ægritudo: omnis autem homo sanus: & dicat, quòd hæc maior est de necessitate & minor de inesse, & ideò debeat sequi conclusio de necesse: patet quòd mixtio nulla est: quia in tali mixtione minor (quæ est de inesse) debet essentialiter esse sub maiori: & hoc non est in syllogismo qui inductus est.

Nota hic dicta.

Attendendum etiam est, quòd Aristot. hanc dicit esse falsam, de necessitate nullum sanum est ægrum: & huius causa est: quia quamuis soleat distingui per compositionem & diuisionem, & in sensu composito dicatur esse vera, & in sensu diuiso falsa. Et similiter dictum quod à tali formatur propositione, hoc scilicet, nullum sanum esse ægrum est necesse. In sensu enim compositionis negatio materialis est ad modum, & modus cadit supra negationem, & totam dicti compositionem. Tamen hoc non mouit Aristot. vt diceret eam falsam in hac materia, vbi loquitur de abstractis & concretis: sed potius hoc mouit eum, quòd nunquam alicui inest sic vnum contrariorum, quin reliquatur potentia formalis ad hoc quod insit alterum: quia aliter non esset motus de contrario ad contrarium: & ideò hæc, omnis homo est sanus, & similiter hæc, nullus homo est sanus, est contingens ad vtrumlibet: hoc autem contingens ad vtrumlibet opponitur & necessario & impossibili. Et ex hoc sequitur, quod hæc sit falsa, nullum sanum esse ægrum est necesse: quia omne sanum esse ægrum est contingens.

Obiectio.

Si autem aliquis obiiciat, dicens, nullum sanum esse ægrum est verum, & non potest non esse verum: ergo est necessarium. Dicendum est, quòd non sequitur: quia causa quare potest inesse ægrum, est in subiecto per formalem inchoationem. Si autem esset in subiecto causa quare non posset inesse ægrum: tunc verum esset, quòd esset necessarium, sicut cum dicitur, hominem esse asinum est falsum, & non potest non esse falsum: & similiter hominem non esse asinum est verum, & non potest non esse verum: sequitur, quòd est necessarium: & sic patet qualiter hæc est falsa, nullum sanum esse ægrum est necessarium.

Solutio.

Attendendum etiam, quòd cum dicitur, quòd in tali variatione terminorum per concretum & abstractum est error in secunda figura sicut in prima, & quod in ea sequitur conclusio de contingenti sicut in prima, sic, contingit: nullum sanum esse ægrum: omnis homo est æger: ergo contingit nullum hominem esse sanum: quod videtur non valere: quia in antehabitis de mixtione contingentis & inesse dictum est, quod talis mixtio non valet vbi affirmatiua est de inesse, & negatiua de contingenti, sed è conuerso.

Tamen iste error qui hic determinatur, communis est ad primam & secundam & tertiam figuram quocunque modo varietur in propositionibus, hoc est, siue affirmatiua sit de inesse, siue negatiua, dum talis sit ibi variatio concreti & abstracti: sed hoc verum, quòd si fiat mixtio contingentis & inesse, oportet quòd negatiua sit de inesse.

Adhuc autem notandum, quòd in tertia figura in tali variatione terminorum contingit, quòd præmissis existentibus veris non sequitur conclusio: & hoc ideo quia variatur habitudo terminorum in minori, & in conclusione: in minori enim sunt concreti, in conclusione autem abstracti: & abstractum de abstracto non prædicatur, sicut patuit in antehabitis. His autem sic notatis plana sunt ea quæ dicta sunt.

CAPVT V.

De errore qui accidit in reductione propositionum in terminos ex hoc, quòd quærantur semper termini incomplexi siue simplices.

Non oportet autem semper terminos, &c.

IN tali enim reductione propositionum in terminos non oportet terminos semper quærere simplices siue incomplexos, qui vno nomine significantur, vt per tales tantum fiat reductionis expositio. Et huius quidem causa prima est: quia sæpe erunt tales termini in propositionibus, quibus vnum nomen simplex non est positum, & in talibus oporteret oratione circumloquente vti loco nominis simplicis: propter quod etiam nimis difficile est (hoc est, plus difficile quam in aliis) reducere huiusmodi syllogismos. Secunda causa eiusdem est: quia aliquoties etiam accidit falli in syllogismo, propter huiusmodi in simplicem terminum reductionem, & maximè in demonstrativis, quando immediatorum est syllogismus. Sit enim a. maior extremitas duo recti per æqualitatem, b. autem medium sit triangulus. c. verò minor extremitas sit isosceles

sceles siue æquicrurus : tali enim positione facta, patet quòd ei quod est c. ineſt a. per b. medium : ei autem quod est b. idem ineſt, non per aliud medium, sed immediatè : quia inter passionem & eius proprium subiectum non est aliud subiectum medium : per se enim & non per medium habet triangulus duos rectos : propter quod non erit aliquod medium inter a. & b. quando a. de b. sit demonstratum, quod scilicet medium sit simplex nomen subiecti. Oportet tamen in tali demonstratione esse medium : quia omnis syllogismus habet medium per quod extrema concluduntur : & hoc quidem medium erit diffinitio vel oratio aliqua diffiniens vel declarans vel nomen subiecti vel passionis, quod medium est causa cohærentiæ extremitatis maioris & minoris. Manifestum est ergo, quòd non est semper sumendum medium vt hoc aliquid simplex siue simplici nomine designatum.

Propositio dicitur immediata dupliciter. Notandum tamen, quod posset addi tertius modus, scilicet quod aliqua est immediata immediatione sensus, de qua Themistius primo posterior. super illa parte, immediati autē principij syllogistici, &c.

Sciendum autem, quòd propositio dicitur immediata dupliciter. Vno quidem modo ab immediatione causæ : quia scilicet causam non habet per quam valeat demonstrari & hoc modo principia sunt immediata. Alio modo dicitur immediata appellatione subiecti medij : & hoc modo habere duobus rectis æquales tres immediatum est triangulo & non æquicruro.

Siquis autem obiiciat dicens, quòd omnis propositio suæ veritatis habet aliquam causam, & sic habet medium per quod potest demonstrari, & sic videtur esse mediata. Dicendum, quòd hoc verum est : sed tale medium non est medium per quod possit demonstrari, quia medium per quod fit demonstratio, est notius & prius eo quod demonstratur per ipsum : & tale medium non est causa veritatis principiorum.

CAPVT VI.

De errore qui provenit ex hoc quod termini sumuntur secundum obliquitatem alicuius casus.

Ineſſe primum medio & hoc postremo, &c.

IN reductione propositionum in terminos etiam oportet tales terminos sumere sicut ea quæ semper prædicantur de seinuicem secundum rectum secundum vnam & eandem similitudinem, ita quod in recto prædicetur primum de medio, & medium de postremo secundum eundem casum prædicetur : & hoc similiter observandum est in non esse quod significatur in negatiua. Sed toties variare oportet hoc, quoties secundum casus aliquid esse dicitur siue prædicatur, & quoties siue quot modis verum est vnum de alio dici vel significari. Cuius exemplum, quòd obliquus subiicitur, & rectus prædicatur, sicut quando dicimus, quoniam contrariorum vna est disciplina : tunc enim cum obliquo subiecto syllogizatur. Sit enim a. maior extremitas vnam esse disciplinam. b. autem medium sit contraria sibiinuicem. a. ergo (facta tali positione) ineſt b. non tali prædicatione facta in recto : sicut dici posset, quòd contraria sunt vna disciplina : sed ideò dicimus a. ineſse b. quoniam verum vnam esse disciplinam de ipsis genitiuè subiectis.

Accidit autem quandoque, &c.

Accidit enim quandoque in propositionibus syllogismi primum de medio dici siue prædicari secundum rectum, medium autem de tertio, minori scilicet extremo non dicto secundum rectum, sed secundum aliquem obliquum : sicut cum dicimus, sophia siue sapientia est disciplina : boni autem sophia : conclusio ex his est, quoniam boni est disciplina : & prædicatur hîc primum de medio secundum rectum, medium autem de postremo secundum obliquum, & concluditur primum de postremo secundum obliquitatem postremi : & patet vlterius, quòd bonum non est disciplina secundum rectum : sophia autem est disciplina, ita quod vtrumque refertur ad alterum secundum rectum.

Quãdoque autem medium de tertio, &c.

Quandoque autem medium de tertio siue minori extremo dicitur secundum rectum : primum autem de medio non prædicatur secundum rectum, vt si sic proponatur, quod qualis alicuius sit omnis disciplina, aut quod omnis disciplina est alicuius contrarij : bonum autem dicitur secundum rectum & contrarium, & quale secundum rectum : omne enim bonum est alicuius contrarium, & omne bonum est quale : conclusio ex his, quoniam boni est disciplina : & sic prædicatur primum de medio in prima propositione obliquè : & similiter in conclusione prædicatur primum de tertio siue postremo secundum obliquitatem, non est bonum disciplina nec quale, sed qualis : nec contrarium, sed contrarij, in prædicta acceptione terminorum : sed omnium talium dicitur esse disciplina secundum obliquitatem genitiui : & non dicitur hoc, quod bonum sit disciplina in conclusione : quia nec conclusio est secundum prædicationem recti, sed secundum obliquitatem genitiui.

Est autem quandoque neque primum, &c

Est autem aliquando neque primum de medio prædicatum secundum rectum, neque medium de tertio, ita quod primum de tertio in conclusione quandoque quidem secundum rectum dicitur, quandoque autem non dicitur de ipso secundum rectum : vt si taliter proponamus, quòd cuius est disciplina, huius est genus : boni autem est disciplina : conclusio, quoniam boni est genus : & facile est videre, quòd primum de medio in prima propositione, neque medium de tertio in minori propositione secundum obliquitatem prædicatur, ita quod nullum trium de nullo trium in præmissis & in conclusione secundum rectum prædicatur. Si autem sic proponatur, quoniam id cuius est disciplina, hoc est genus secundum rectum siue recti prædicationem : & assumatur, quòd boni est disciplina : erit secundum recti prædicationem : quoniam bonum est genus quoddam. Patet ergo, quòd sic proponendo de extremo quidem secundum rectum prædicatum primum in conclusione : de se autem inuicem in præmissis non prædicantur termini secundum rectum.

Eodem autem modo & in quinto, &c.

Eodem autem modo fit variatio terminorum secundum casus in non esse quod significatur in negatiua : non enim semper negatiuè significant hoc non ineſse huic secundum obliquitatem datiui casus, vel non esse hoc secundum accusatiuum : sed significant aliquando hoc non esse huius secundum obliquitatem genitiui, aut hoc huic secundum obliquitatem datiui, sicut si sic proponamus, non est motionis motio, vel non est motus motus genitiuè, aut generationis generatio : voluptatis autem siue delectationis est motus siue motio siue generatio : & concludimus, non ergo voluptas est generatio vel motus, sicut dixit Plato, quòd omnis voluptas est generatio. Aut rursus quando sic proponimus, quoniam omnis risus est signum secundum recti prædicationem : signi autem non est signum secundum genitiui obliquitatem : & concludimus, ergo risus non est signum secundum prædicationem recti. Similiter autem in aliis negatiuis, in quibus interimitur propositio siue negatur non secundum rectum : sed ideò quia genus siue aliud prædicatum aliquo modo secundum obliquitatem alicuius casus dicitur ad ipsum subiectum.

Rursũ quoniam æstas, &c.

Rursum si sic proponimus in obliquitate datiui dicentes, quòd Deo non est tempus opportunum : eo quod nihil Deo potest esse proficiens in tempore vel simpliciter : sed Deo est æstas : concludentes, quòd æstas non est tempus opportunum : sic enim proponendo terminos ponendum est æstatem pro minori, tempus opportunum pro maiori, & Deum pro medio : propositio autem vtraque est sumenda secundum nominis casus.

Simpliciter hoc dicimus de omnibus, &c.

Simpliciter enim hoc & vniuersaliter dicimus de omnibus : quoniam terminos semper est ponendum in propositionibus secundum debitos casus acceptos secundum declinationes nominum, vt in recto est homo, aut bonum, aut contrarium hominis, aut boni, aut contrariorum. Propositiones autem sumendæ sunt secundum vniuscuiusque nominis casus, & posteà reducendæ prædicationes secundum obliquum acceptæ ad eas quæ secundum rectum : aut enim in datiuo sumitur, vt quoniam huic, vel æquale hoc huic : aut in genitiuo, vt quoniam hoc huius, vt disciplina contrariorum, & duplum dimidij duplum : aut in accusatiuo, vt quoniam hoc accusatiuè, vt feriens siue percutiens vel videns hoc vel hunc : aut in recto, vt proponentes dicimus, quoniam homo est animal : aut si quolibet modo aliter secundum alium casum idem nomen in diuersos casus declinatum inuenitur positum secundum propositionem alicuius syllogismi in subiecto positum vel in prædicato.

Ineſse autem hoc huic, &c.

Ineſse autem hoc prædicatum huic subiecto, & verum esse hoc prædicatum de hoc subiecto toties siue tot modis est sumendum, quoties in libro prædicamentorum prædicamenta siue prædicata diuisa sunt & distincta : & quodlibet illorum est accipiendum aut quo, hoc est, secundum quid inhærens subiecto, aut simpliciter & vniuersaliter. Amplius autem ista prædicata sunt accipienda aut simplicia (hoc est, incomplexa) aut complexa. Similiter autem est faciendum etiam in negatiuis quæ significant non esse. Hæc autem omnia diligenter considerandum est, & in vnoquoque istorum in resolutione determinandum est id quod est melius, hoc est, vtilius & conueniens ad syllogismorum reductionem, vel propositionum resolutionem in terminos.

Attendendum est hîc, quòd quamuis obliquus non sit pars enuntiationis, tamen est pars propositionis : quia licet nihil enuntietur de re ipsa, tamen facit ad hoc quod subiectum sic vel sic subiiciatur prædicato, vel prædicatum sic vel sic insit subiecto, ex hoc quod est determinatio alterius eorum in enuntiatione quæ ad rem referatur, non est ita : & hoc subtilius requirendum est in litterę de interpretatione : & quamuis hoc modo obliquus sit subiectum in propositione, non tamen subiicitur actui vel distributioni : quia determinatio est subiecti vel prædicati, sicut dictum est : & quia subiicitur respectu alterius prædicati, & dicit modum inhærendi. Hic autem modus syllogizandi ex obliquis superius in generatione syllogismorum tradendus non erat : quia non facit diuersitatem in forma ab eis qui in antehabitis traditi sunt in processu syllogistico, sed diuersitatem facit in reductione.

Obiectio prima.

Quod autem quidam obiiciunt, quòd talis syllogismus fallere debeat propter diuersitatem medij quæ causat deceptionem : vt cum dicitur, omnium oppositorum est disciplina : sanum & ægrum sunt opposita.

Secunda.

Adhuc autem quia dispositio primæ figuræ non tenet nisi accipiatur minor sub medio : sed si sic dicam, philosophia est disciplina : boni est philosophia : minor non videtur esse sub medio.

Solutio prima.

Dicendum est taliter obiicienti, quòd talis diuersitas secundum rectum & obliquum non est nisi secundum accidentales materias : & hæc non variat habitudinem essentialem medij ad extrema in prima figura : & ideò non impedit syllogismum.

Solutio secunda.

Ad aliud dicendum, quòd non semper in prima figura accipitur minor sub medio sicut in linea prædicamentali subsistens eidem, sed vt quoquo modo verè se habeat ad ipsum : & ideo bene satis accipitur bonum sub sophia, sed in obliquo : & hoc modo bonus est syllogismus.

Remouet dubium.

Notandum etiam, quòd licet conclusio in aliquo similis debeat esse vtrique præmissarum, tamen in hoc non attenditur illa similitudo quantum ad obliquos : & ideò quamuis in vtraque præmissarum termini sint in obliquo, possunt esse in recto in conclusione.

Attendendum etiam, quòd non est facta mentio de ablatiuo : & hoc ideo est : quia Græci carent ablatiuo, ex quibus ista scientia deriuata est : sed loco ablatiui ponunt genitiuum, & aliquando datiuum secundum diuersas exigentias constructionum. Per vocatiuum autem non fit indicatiua oratio.

Sciendum etiam, quòd ista varietas syllogizandi non diuersificatur per tres figuras secundum omnem varietatem modorum & figurarum:

guratum: secundum exempla tamen inducta patet, quòd in omnibus figuris talis sit syllogismus: quia exemplum illud quod non est motionis motio, facit syllogismum secundæ figuræ. Vltimum autem exemplum, quod Deo non est tempus opportunum, facit syllogismum tertiæ figuræ: & alia exempla sunt secundum modum primæ figuræ.

CAPVT VII.

De errore siue difficultate resolutionis propositionis in terminos propter reduplicationem.

Reduplicatio quid & qualiter fieri debeat.

ANtequam determinetur difficultas reduplicationis, siue quæ prouenit ex reduplicatione medij super extrema, vtile est scire quid sit reduplicatio, & qualiter debeat fieri. Dicamus igitur, quòd reduplicatio est iterata enuntiatio medij super extremum, ve noterur causa inhærentiæ prædicati in subiecto: & ideò reduplicatio proprietas est à prædicato inchoans, & in subiectum procedens, & in ipso manifestans causam inhærentiæ prædicati. Propter quod in syllogismo medij quidem est reduplicari: sed reduplicatio ad prædicatum quod est maius extremum, debet fieri, sic, homo est animal inquantum homo. Secus autem est de distributione quæ inchoat diuidendo a partibus subiecti, & terminat sic diuisas in receptionem prædicati: & ideo subiecto semper additur in syllogismis. Vnde idè dicit reduplicatio quod hæc conditio, secundum quod ipsum: homo enim est animal secundum quod ipse est homo, & secundum nomen refert subiectum super prædicatum, vt determinetur inhærentia prædicati secundum causam. Propter quod prædicatum non potest reduplicari: quia locutio erit falsa: si enim homo esset animal vel secundum quod animal vel secundum quod ipsum animal, sequeretur quòd homo esset omne animal. Hoc igitur est reduplicatio, & ista est veritas reduplicationis. His habitis ostendamus qualiter fit reduplicatio medij in primæ figuræ syllogismis.

Cui extremo sit addenda reduplicatio & cui distributio.

Reduplicatum autem in propositionibus, &c.

Dicamus igitur cum Arist. quòd reduplicatum in propositionibus syllogismorum primæ figuræ medium ipsum sub reduplicatione ad primam siue ad maiorem extremitatem est ponendum, & non est reduplicatio medij medio quod in prima propositione subiectum est adiungenda. Dico autem hoc explanando, ve si fiat in terminis syllogismus concludens, quoniam iustitia est disciplina, quoniam bonum, hoc est, secundum quod bonum: tunc illa reduplicatio (quoniam bonum vel in eo quod bonum) ad primam extremitatem est ponenda. Sit enim a. extremitas adiuncta sibi reduplicatione, & sit disciplina, quoniam bonum siue inquantum bonum. Id autem in quo est b. medium dicatur bonum absolutè non coniuncta sibi reduplicatione. Ergo tali facta terminorum positione a. verum est prædicari de b. nam boni est disciplina quoniam bonum siue inquantum bonum: sed etiam b. de c. dicetur tali facta positione: nam iustitia est quod bonum, est per se, & non per accidens: & hic syllogismus sic formatur, omne bonum est disciplinatum quoniam bonum vel secundum quod bonum: iustitia est bonum: ergo iustitia est disciplinatum quoniam bonum. Sic ergo fit resolutio propositionum in tres terminos, vt maior terminus sit prædicatum primæ propositionis iuncta sibi reduplicatione medij, & medium sit absolutum, & etiam minor extremitas.

Similiter autem a. b. ponatur, &c.

Si autem ad b. hoc est, ad medium ponatur siue iungatur hæc reduplicatio, quoniam bonum, non erit syllogismus: nam a. quidem maior extremitas verum erit de b. quia verum est, quod bonum quoniam bonum est disciplinatum. b. autem de c. minori extremitate in secunda propositione non erit verum: bonum enim quoniam vel secundum quod bonum prædicari quidem de iustitia fallum est: quia sic iustitia esset omne bonum, quod falsum est. Et etiam est non intelligibile: quia sequeretur, quòd idem esset causa sui ipsius, quod non est intelligibile: reduplicatio enim dicit causam, quæ si poneretur ad medium, notaretur quod medium esset causa sui ipsius.

Similiter autem si in syllogismo &c.

Similiter autem est si in syllogismo aliquo ostendatur siue concludatur, quòd salubre est disciplinatum quoniam bonum, siue secundum quod bonum, talis syllogismus fiat reduplicatione medij iuncta cum maiori extremitate, sic, omne bonum est disciplinatum, quoniam bonum, siue secundum quod bonum: omne salubre bonum: ergo omne salubre disciplinatum inquantum bonum. In istis autem terminis disciplinatum non denominatur à disciplina quæ est disciplinalis scientia, sed à disciplina quæ est moris ordinatio & compositio: & hoc in Græco expressius esse quia disciplinalis scientia dicitur Græcè episemon: disciplina autem moris Græcè dicitur phedia. Similiter autem fit in syllogismo in quo cõcluditur, quòd hircocervus est opinabile in eo quod non existens, & formatur sic, non existens est ens opinabile in eo quod non existens: hircocervus est non existens: ergo hircocervus est ens opinabile in eo quod non existens: inquantum enim non existens non est ens secundum veritatem, sed secundum opinionem solam. Similiter autem est in syllogismo in quo concluditur, quòd homo corruptibile aliquid est in eo quod sensibile aliquid est, & formatur sic, sensibile est corruptibile in eo quod sensibile: homo autem sensibile: ergo homo corruptibile in eo quod sensibile. In omnibus enim prædicatis vel dictis syllogisticarum propositionum ad extremum (hoc est, ad maius extremum quod simpliciter extremum dicitur) reduplicatio medij semper ponenda & iungenda est. Quia si reduplicatio iungatur ad medium: tunc in prima figura faciet minorem falsam: quia reduplicatio significat, quòd terminus cui adiungitur, vniuersaliter tenetur: & ideò cum medium in prima figura sit prædicatum minoris propositionis, oporteret quod prædicatum minoris propositionis vniuersaliter referretur

Exemplum absolute pro extremo maiori.

ferretur ad subiectum, sicut si dicatur, quòd iustitia est bonum inquantum bonum, oporteret quòd iustitia esset omne bonum, quod falsum est. Quando autem in maiori propositione reduplicatio medij fit sic, omne bonum inquantum bonum est disciplinatum, non significatur, quòd medium vniuersaliter accipiendum est sub maiori extremitate: & hoc est conueniens & non falsificat propositionem.

Adhuc autem notandum, quòd quamuis syllogismus fiat cum reduplicatione medij super maiorem extremitatem, & cum reduplicatione minoris supra medium, sicut in sequenti ostenderetur capitulo: tamen non potest fieri in aliqua figuratum syllogismus cum reduplicatione maioris extremitatis. Et huius causa est: quia in omni figura concluditur maior extremitas de minori, & oportet, quòd in conclusione reduplicaretur prædicatum supra subiectum, quod est contra naturam & positionem reduplicationis, sicut iam paulo ante determinatum est. Adhuc autem si fieret reduplicatio maioris extremitatis supra medium, tunc in prima & in tertia figura fieret reduplicatio prædicati supra subiectum, quod iam dictum est esse non posse. In secunda etiam figura non potest maior extremitas (licet subiiciatur) reduplicari supra medium in vtraque propositione: eò quod subiecta maioris & minoris oppositionem habent in secunda figura.

Remouet dubium.

Attendendum etiam, quòd quamuis non sint positi in exemplis inductis nisi syllogismi affirmatiui, sit tamen etiam reduplicatio tam medij quam minoris extremitatis etiam in negatiuis. Et de reduplicatione medij est hoc exemplum: nullum eligendum est malum inquantum eligendum: omne bonum est eligendum: ergo nullum bonum est malum inquantum eligendum. Exemplum autem reduplicationis terminorum extremitatis est illud: nullum corpus inquantum ægrum est sanum: omne ægrum est corpus: ergo nullum ægrum est sanum inquantum ægrum. De negatiuis enim & aliis modis reduplicationis fieri non oportet specialem mentionem: quia in affirmatiuis qui dicti sunt, omnes alij modi possunt intelligi: non enim difficile est formare huiusmodi syllogismos.

CAPVT VIII.

De reductione propositionum in terminos vbi est reduplicatio minoris extremitatis.

Non est autem eadem positio, &c.

IN reduplicatione autem minoris extremitatis supra medium primo notare oportet, quòd non est eadem positio siue dispositio terminorum in propositionibus quando simpliciter sine reduplicatione aliquid syllogizatum fuerit cum reduplicatione restringente ad hoc aliquid, hoc est, ad partem subiectiuam, aut quomodo quantum ad restrictionem factam ad modum essentialem aliquem, aut quomodo quantum ad restrictionem factam ad partem in modo siue accidentalem. Dico autem hanc exponendo quæ dicta sunt, quòd alia est enim disponuntur quando de aliquo concluditur, quod bonum simpliciter sit disciplinatum sine reduplicatione: & aliter quando concluditur de aliquo, quòd est disciplinatum bonum quoniam bonum, siue inquantum est bonum. Si enim simpliciter sine determinatione reduplicationis ostensum est bonum esse disciplinatum, medium ponendum est ens sine reduplicationis additione. Si autem ostendi debeat, quòd bonum est disciplinatum, quoniam bonum, vel inquantum bonum: tunc medium ponendum quid ens, hoc est, aliquod ens cui per se conueniat disciplinatum esse.

Sit a. quidem disciplina, &c.

Huius autem exemplum est, quòd ponamus esse maiorem extremitatem disciplinam siue disciplinatum cum reduplicatione entis alicuius cui conuenit esse disciplinatum. In quo autem est b. medium, sit ens quid, cui conuenit esse disciplinatum, & non ens simpliciter. Id autem in quo ponitur c. minor extremitas, sit bonum absolutè: & hoc est si ponamus maiorem extremitatem quæ est a. disciplinam siue disciplinatum cum reduplicatione minoris extremitatis: & hoc est quod sit disciplinatum non ex hoc quod sit ens, sed quoniam vel inquantum est aliquid, cuius per se & secundum ipsum est disciplina, & sit illud honestum siue etiam proficiens. In quo autem est b. medium, sit ens non absolutè, sed ens quid contractum ad aliquid cuius per se est disciplina. In quo autem est c. minor extremitas, sit bonum absolutè & sine reduplicatione acceptum. Tunc enim verum est a. de b. prædicari, erat enim disciplina alicuius entis inquantum est aliquod ens, studiosum scilicet. Sed & b. medium prædicatur de c. minori extremitate: quia posuimus, quòd id in quo est c. erat bonum: & ex his concluditur a. de c. in conclusione, hoc est, quod disciplina est boni, quoniam bonum: & hæc est reduplicatio minoris extremitatis super maiorem sic, omne studiosum disciplinatum inquantum bonum: bonum omne studiosum: ergo bonum disciplinatum inquantum bonum. Quando enim dicimus quid ens & non ens simpliciter, signum datur propriæ & determinatæ substantiæ per reduplicationem contractæ, sicut est bonum inquantum studiosum: bonum enim vtile vel delectabile non pertinet ad disciplinam moris, quæ phedia vocatur, sicut paulò ante dictum est. Sic ergo resolutio fit in propositione quæ est cum minoris extremitatis reduplicatione.

Sit autem ens medium, &c.

Si autem ens (quod est medium in syllogismo) positum sit ad maiorem extremitatem quæ dicitur extremum eius in syllogismo, & sit positum simpliciter & sine reduplicatione, non erit syllogismus concludens cum reduplicatione minoris extremitatis super maiorem, vt si quidem ens sit medium & non sit reduplicando contractum ad aliquod ens cui per se insit maius extremum: tunc enim non

erit syllogismus cum reduplicatione: non enim tunc concluderetur, quòd disciplina sit boni quoniam bonum: sed simpliciter concluditur, quòd disciplina est boni, sic, omne ens disciplinatum: bonum autem ens: ergo bonum disciplinatum.

Obiectio. Si quis autem obiiciat, quòd superius determinatum, quoniam non oportet subiectum quærere ex hoc quod sequitur omnia: hic autem ante ponimus subiectum ex hoc quod omnia sequitur, hoc est, ens: & ita videtur in dictis esse contradictio. Non est difficile

Solutio. Ens simpliciter non pro ente communi, sed pro ente sumpto sine reduplicatione. soluere. Ens enim in sua communitate non quærimus pro subiecto, sed aliquod ens vt proficiens vel studiosum: & tale ens dicitur simpliciter ens non à communitate entis, sed quia sumitur sine reduplicatione. Ex his autem quæ iam in vniuersalibus syllogismis diximus, etiam manifestum est, quòd etiam in particularibus syllogismis quantum ad terminos cum reduplicatione & sine reduplicatione sumptos, similiter (sicut in vniuersalibus syllogismis) sumendi sunt termini, scilicet quòd quando est reduplicatio medij, in tali reduplicatione debet sumi maior cum reduplicatione medij coniuncta sibi: quando autem est reduplicatio minoris extremitatis, tunc debet vnus terminorum poni maior extremitas, & alter medium cum reduplicatione minoris extremitatis.

Est autem hîc attendendum, quòd in prima figura syllogizari potest cum vtraque reduplicatione, & medij scilicet supra maiorem extremitatem, & minoris extremitatis supra medium, sicut paulò ante ostensum est. In secunda autem figura potest syllogizari cum reduplicatione minoris extremitatis, & non cum reduplicatione medij. In tertia autem è conuerso syllogizatur cum reduplicatione medij, & non cum reduplicatione minoris extremitatis. Et hoc sic patet. Si enim in secunda figura fieret reduplicatio medij: aut illa fieret ad medium, aut ad aliquid aliud de extremis. Et patet, quòd non ad medium: quia medium est prædicatum, & reduplicatio ad ipsum posita faceret vniuersaliter teneri prædicatum, & esset propositio falsa: fieret enim sic illa reduplicatio, nullum malum est eligendum inquantum eligendum. Aut poneretur ad maiorem extremitatem quæ subiicitur in maiori termino medio: & hoc etiam inconueniens est: sic enim fieret, nullum malum inquantum eligendum est eligendum: hic enim significatur oppositio esse causa oppositi. Potest tamen minoris extremitatis fieri reduplicatio in secunda figura: & concluditur cum reduplicatione minoris, sic, nullum malum est eligendum: omne bonum eligendum inquantum bonum: ergo nullum bonum malum inquantum bonum. In tertia autem figura potest concludi cum reduplicatione medij, sic, omne eligendum bonum inquantum eligendum: & omne eligendum expediens vel studiosum: ergo aliquod expediens est bonum inquantum eligendum. Cum reduplicatione autem maioris concludi non potest in tertia figura. Aut enim reduplicatio poneretur ad maiorem extremitatem, quæ prædicatur in maiori propositione: aut ad subiectum quod est medium: & vtroque modo erit propositio falsa, sicut facile est videre in terminis nuper inductis: est enim hæc falsa, omne eligendum expediens inquantum expediens: & similiter hæc, omne bonum expediens inquantum expediens. Multa sunt enim & eligenda & bona quę non sunt expedientia.

Obiectio Si autem contra hæc quæ dicta sunt (quòd in secunda figura non potest fieri syllogismus cum reduplicatione medij) aliquis obiiciat, quòd syllogismus secundæ figuræ descendit à secundo modo primæ figuræ conuersa maiori propositione: & ideò si in secundo modo primæ figuræ syllogizatur cum reduplicatione, conuertatur maior propositio & syllogizetur cum eadem reduplicatione in secunda figura. Si, inquam, sic aliquis obiiciat, di-

Solutio. cendum quòd non potest maior conuerti manente reduplicatione medij: sed conuertitur acceptis terminis principalibus sine reduplicatione: bene enim dicitur, nullum malum eligendum, & è conuerso nullum eligendum malum. Similiter bene dicitur, nullum malum eligendum inquantum malum. Sed non è conuerso bene dicitur, nullum eligendum est malum inquantum malum.

Obiectio Si autem adhuc contra hoc obiicitur, quòd secundum hoc non est generale quod dictum est negatiuâ vniuersalem conuerti in terminis. Adhuc in conuersionibus obseruandum est, quòd termini stent sub eisdem determinationibus in conuertente & conuersa: & ita si fuerit reduplicatio posita ad prædicatum, conuersa propositione erit eadem reduplicatio ad subiectum quod prius fuerat prædicatum: & hoc stare non potest. Vnde sciendum,

Solutio. Determinationes extremorum in propositione sunt duplices quòd quædam sunt dispositiones quæ disponunt subiectum & prædicatum secundum id quod sunt secundum rem, & non secundum quod sunt subiectum & prædicatum, sicut album, & nigrum, & huiusmodi: & tales dispositiones manent in conuersione. Quædam autem sunt quæ disponunt subiectum secundum quod est subiectum, & prædicatum secundum quod est prædicatum: & tales non manent cum subiecto & prædicato, nisi quandiu manent subiectum & prædicatum: & illæ non manent in conuersione: & talis dispositio subiecti ad signum distributiuum: & ideò in conuersa in qua subiectum non manet subiectum, dispositio non manet: vnde omnis homo est animal, non conuertitur in hanc, quoddam animal est omnis homo, sed in hanc, quoddam animal est homo. Similiter hæc, nullus asinus est homo, non conuertitur in hanc, homo est nullus asinus, sed in hanc, nullus homo est asinus. Similiter est de reduplicatione quæ est, sicut dictum est, dispositio inchoans à prædicato, & complens se in subiecto: quia est prædicati per comparationem ad subiectum: & in conuersa, vbi prædicatum desinit esse prædicatum, deficit ipsa reduplicatio: & ideò sic habet conuerti, nullum malum est eligendum inquantum malum: ergo nullum eligendum est malum inquantum eligendum, ita quòd semper fiat reduplicatio subiecti ad prædicatum: aliter enim

enim erit propositio falsa, & aliquando nugatoria.

Corollarium. Ex his etiam patet, quare in prima figura non ponitur reduplicatio medij ad minorem extremitatem: minor enim extremitas in prima figura de medio non prædicatur: reduplicatio autem medij ad prædicatum neganda est in prima figura.

CAPVT IX.

Qualiter facilis fit resolutio propositionum in terminos.

Oportet autem accipere, &c. VT autem facilius fiat resolutio propositionum præmissarum in terminos, oportet aliquando accipere ea quæ idem valent, sed notiora sunt, & nomina pro nominibus, & orationes pro orationibus; ita tamen, quòd semper notius accipiatur pro minus noto & in nominibus & orationibus: & sic oportet accipere & nomen aliquando, & aliquando orationem: ita tamen, quòd semper pro oratione accipiatur nomen simplex: dummodo (sicut supradictum est) nomina simplicia inueniantur, quæ sumi possint: si enim illa non inueniantur, tunc accipiendæ sunt orationes notiores pro terminis: sic enim facilior est terminorum expositio in quos resoluuntur propositiones.

Vt si nihil dicant, &c. Huius autem exemplum est, vt si dicantur hæ duæ orationes, suspicabile non est genus opinabilis, & quod non est idem opinabile quòd quid suspicabile, hoc est, quod species suspicabilis: quia quid suspicabile est suspicabile contractum ad speciem, sicut quid animal est animal contractum ad speciem: & ideò idem significatur in vtraque oratione: & ideo vna pro alia accipi potest, ita quod notior accipiatur pro minus nota: idem enim diuersimodè in voce significatum nihil prohibet esse minus notum sub vna voce, & magis notum sub alia. Hoc tamen sic obseruandum est, quòd pro oratione dicta termini ponendi sunt suspicabile & opinabile: si enim suspicabile non prædicatur de opinabili vniuersaliter & sine conuersione, non erit genus ipsius.

Idem sub vna voce potest esse notius seipso sub alia voce.

Quoniã vera non idem esse, &c. In hac tamen resolutione cauendum est, vt terminus medius cum reduplicatione minoris sumptus, aut terminus maior cum reduplicatione medij sumptus ad terminum simplicem relicta reduplicatione reducatur: quia reduplicatio debet manere cum termino cui coniungitur, sicut in antehabitis dictum est: eò quod dicit causam inhærentiæ prædicati in subiecto. Et huius exemplum est, quòd non est idem voluptatem esse bonum simpliciter sine contractione facta per reduplicationem, & esse voluptatem quid bonum per contractionem reduplicationis: & ideò non similiter siue eodem modo ponendum est terminos. Sed si fit syllogismus concludens, quòd voluptas est bonum sine reduplicatione: tunc ponendum est, quòd terminus sit bonum simpliciter. Si autem debeat fieri syllogismus concludens, quoniam voluptas est quid bonum contractum per reduplicationem: tunc oportet terminum ponere non simpliciter, sed quid bonum per reduplicationem determinatum, sicut patet in exemplis in antehabito capitulo inductis.

CAPVT X.

De difficultate resolutionis quæ prouenit ex vniuersali signo addito vel non addito ad subiectum primæ propositionis.

ADhuc autem difficultas est in resolutione propositionis ex his quæ necesse est in syllogismo coniungi subiecto, sicut est distributio, siue signum distributiuum: quia nisi maior sit vniuersalis in prima figura, non erit syllogismus: & hoc aliquando generat propositionum in terminos resolutionis difficultatem. Non est enim idem esse secundum rem, neque idem est dicere in sermone, cui b. medium inest (sicut minori extremitati) huic eidem b. medio inest a. omni: & dicere, cui minori extremitati b. inest omni, & a. maior extremitas inest omni vniuersaliter: quia cum dicitur, cui b. inest, non facit vniuersalem propositionem, sed particularem, vel indefinitam: & ideò tunc fortè non sequitur vniuersalis affirmatiua. Quando autem dicitur, cui omni inest b. eidem omni inest a. facit vniuersalem affirmatiuam minorem, & vniuersalem conclusionem affirmatiuam. Et hoc patet, quod non est idem istis duobus modis enuntiare. Nihil enim prohibet b. medium inesse c. minori extremitati, & non omni vniuersaliter inesse, sed indefinitè, vel particulariter, vt si in terminis exponentes dicamus, quòd in minori propositione b. (quod est medium & prædicatum) sit pulchrum. c. autem minor extremitas sit album: pulchrum enim non vniuersaliter prædicatur de albo: aliquod enim album est pulchrum, & aliquod album non pulchrum. Si autem alicui albo inest pulchrum particulariter: tunc sequetur indefinitè & simpliciter, quoniam pulchrum inest albo & album est pulchrum, sed non forsàn inest omni albo pulchrum. Propter hoc dico autem forsàn: quia in terminis essentialibus sequitur, quòd si inest, omni inest, vt si homo est animal, sequitur quod omnis homo est animal: quia vna ratio est de omnibus. Sed in accidentalibus non sequitur hoc: in his enim potest inesse, ita quod non omnibus inest.

Non est autem idem æque esse, &c.

In termino essentialitus quod inest, omni inest: non sic in accidentalibus.

Sicut autem iam diximus de medio, quòd sic dupliciter se habet ad minorem extremitatem: ita dupliciter se habet extremum maius ad medium, scilicet pro inesse, & pro omni inesse. Si ergo a. maior extremitas inest b. medio simpliciter & non vniuersaliter, ita quod non inest a. omni ei de quo dicitur vel prædicatur b. sic maior non potest esse vniuersalis aliquo modo, hoc est, siue minor sit vniuersalis, siue sit particularis: vniuersalis quidem si omni c. minori inest b. medium: particularis autem quando alicui c. minori extremitati

Si ergo a. ineſt b. non omni, &c.

ineſt b. medium: & ſiue vniuerſalis ſiue particularis ſit minor, & maior eſt particularis vel indefinita, nulla in prima figura penitus ſequitur concluſio: ex talibus enim propoſitionibus non eſt neceſſe (neceſſitate ſyllogiſtica) a. maiorem extremitatem, vel ineſſe c. indefinitè, vel non ineſſe, vel ineſſe vel non ineſſe non omni ſiue particulariter in concluſione, quando maior extremitas concluditur de minori: quia in prima figura maiori non exiſtente vniuerſali nihil concludi poteſt. Si autem vniuerſaliter de quocunque dicitur b. (vt de minori extremitate) vere huic omni vniuerſaliter ineſt a. maior extremitas: tunc accidit ſiue ſequitur ſyllogiſticè, quòd a. maior extremitas in concluſione de omni illo dicitur & prædicatur, de quo in minori propoſitione dicitur b. medium: & tunc fit ſyllogiſmus in prima figura. Si autem a. non de omni, ſed de aliquo dicatur particulariter in maiori propoſitione, de quo b. dicitur in minori propoſitione: tunc nihil prohibet ei quod eſt c. (minori ſcilicet extremitati) ineſſe b. medium in minori propoſitione: & a. maior extremitas eidem minori extremitati in concluſione ſequitur ineſſe non omni (particulariter ſcilicet non ineſſe) aut etiam non ineſſe omninò, hoc eſt, vniuerſaliter non ineſſe. Propoſitio igitur particularis affirmatiua maior non eſt ſyllogizabilis: & ideo ipſam in terminos reſoluere non oportet: vniuerſalis autem ſyllogizabilis eſt.

In tribus ergo terminis manifeſtum, quoniam, &c.

Et tunc patet, quòd in tribus terminis ſtat reſolutio duarum propoſitionum ſyllogizabilium: quoniam tunc ſic ſe habent termini, quòd maior eſt vniuerſalis: quia de quo b. medium omni ſiue vniuerſaliter dicitur vt minori extremitate, & a. ſimiliter maior extremitas de eodem omni (hoc eſt, vniuerſaliter) dicetur: hoc autem eſt idem dicere ac ſi dicatur, quòd de quocunque b. dicitur ſiue prædicatur pro omnibus (hoc eſt, vniuerſaliter) de illis omnibus vniuerſaliter dicitur & a. & ſi b. quidem de omni vniuerſaliter aliquo prædicatur vt de c. & a. ſimiliter dicetur de illis vniuerſaliter. Si autem non de omni minori dicitur b. medium, tunc non eſt neceſſe, quòd in concluſione a. de omni minori extremitate dicatur. Hoc igitur in reſolutione diligenter eſt conſiderandum.

Remanet dubium.

Eſt autem hîc attendendum, quòd quamuis determinatum ſit, quòd ex particulari maiore in prima figura non ſit ſyllogiſmus: tamen non eſt hîc ſuperfluum dicere de hac (de qua dictum eſt) particulari: eò quod hæc, de qua dictum eſt, particularis quandam ſimilitudinem habet cum vniuerſali: & poſſet aliquis putare, quòd propter illam ſimilitudinem fieret ex ea ſyllogiſmus: cum enim dicitur, cui ineſt b. illi omni ineſt a. ſignificatur medium ſumi ſub extremo, & minus ſub medio, & a. ineſt vniuerſaliter contentis ſub b. quamuis non ſignificetur, quòd vniuerſaliter inſit omni b. & ideò verè eſt particularis & non ſyllogizabilis pro maiore propoſitione in prima figura: & ideo hoc impedimentum hîc oportuit determinari.

Notandum etiam, quòd huiuſmodi modi ſignificandi poſſunt etiam fieri in negatiua ſic, cui nullum ineſt b. illi nulli ineſt a. vel cui alicui non ineſt b. illi nulli ineſt a. vel cui omni ineſt b. illi nulli ineſt a. vel cui alicui ineſt b. illi nulli ineſt a. Et adhuc cui omni ineſt b. illi alicui non ineſt a. vel cui alicui ineſt b. illi alicui ineſt vel non ineſt a. & aliter multis modis poteſt variari, de quibus per ſingula dicere non oportet: quia ex hoc quod dictum eſt de vniuerſali affirmatiua qualiter circa eam ſit impedimentum, & quòd hoc eſt remouendum: ita intelligitur in omnibus aliis non ſyllogizabilibus propoſitionibus, ſicut quando minor negatiua in prima figura, vel quando ambæ negatiuæ vel ambæ particulares, & huiuſmodi quando ſumuntur in ſimilitudine propoſitionum ſyllogizabilium: cum tamen non ſunt ſyllogizabiles.

CAPVT XI.

Qualiter fiat vel ſit facta propoſitionis per terminos expoſitio.

Non oportet arbitrari propter expoſitionem, &c.

CVm autem in propoſitionum reſolutione in terminos aliquando accipiantur termini in abſtractione, qui in concretione poſiti erant in propoſitione: aliquando autem in recto, qui in propoſitione poſiti ſunt in obliquo: non oportet, quòd propter taliter exponere terminos aliquod accidat inconueniens: quando enim in obliquis ſyllogizatur vel in concretis, non intendimus de illis terminis quos ponimus ſyllogizari, ſed de illis qui per hos intelliguntur, ſcilicet rectos & abſtractos. Vnde non laboramus ſyllogizando, vt terminus poſitus hoc aliquid ſit quod ſyllogizatur: ſed potius facimus ſicut ſit in geometricis: deſcriptam enim lineam quamcunque dicit geometer eſſe pedalem vel rectam, & magnitudinem ſiue longitudinem ſine latitudinem: quæ tamen talis non eſt, quia fortè nec pedalis, nec recta, nec ſine latitudine eſt: ſed tamen in demonſtrando ſic vtitur linea deſcripta: quia nec demonſtrat de iſta protracta vel deſcripta, ſed de ea quæ per iſtam intelligitur quando ex talibus ſyllogizat.

Vide primæ poſter. text. com. 25.

Omnino enim quod non eſt, &c.

Omnino enim & vniuerſaliter quod in propoſitionibus primæ figuræ & aliis non eſt ſe habens vt totum vniuerſale, & vniuerſaliter ſumptum ad partem ſumptam ſub ipſo, ita quod aliud quod ſub ipſo ſumptum eſt ſe habeat ad id ſub quo ſumitur vt pars ad totum, ex nullo talium oſtendit vel ſyllogizat demonſtrator vel ſyllogizans: eò quod ex taliter ſe non habentibus adinuicem non fit ſyllogiſmus. Cum autem ex talibus terminis propoſitionum facimus expoſitionem in reſoluendo eam in terminos, expoſitione vtimur ſic ſiue tali modo, vt ſentiat ſiue intelligat ipſe qui diſcit vel reſpondet: ita ſcilicet, quòd impedimentum quod intendit & diſcat & hoc remoueat: non enim ſic aſſumimus terminos illos in propoſitione tanquam ſine bis non poſſit per terminos aliter ſumptos demonſtrari, ſiout demonſtratur ex quibus fit verè

verè ſyllogiſmus: ſed quia facilius intelligitur in his, quam in aliis.

CAPVT XII.

Qualiter aliquando eſt impedimentum ex hoc quod ea quæ in vno ſyllogiſmo poſita ſunt, in diuerſis figuris concludantur.

Non latear autem nos, &c.

IN ſyllogiſmo autem qui non eſt ſimpliciter vnus, ſed vnus dicitur, quia ad vnam concluſionem principalem ſunt ordinati (ſicut proſyllogiſmus & ſyllogiſmus dicuntur vnus ſyllogiſmus, quia ad vnam concluſionem vltimam ſunt ordinati) & hoc aliquando facit impedimentum in reſolutione propoſitionum duarum in tres terminos. Et ideò non lateat nos, quoniam in eodem ſyllogiſmo non ſimpliciter vno, ſed vno & eodem in hoc quod plures ſunt ad vnam concluſionem manifeſtandam ordinati, non omnes concluſiones, quæ ſcilicet ſunt in ſyllogiſmo ſic vno ex proſyllogiſmis & principali ſyllogiſmo compoſito: quia ille multas habet concluſiones, quamuis ſyllogiſmus ſimpliciter vnus non habeat niſi vnam concluſionem: & talis ſyllogiſmi qui non ſimpliciter eſt vnus, concluſiones plures non poſſunt omnes per vnam & eandem figuram terminari. Sed contra vna quidem concluſio terminatur per hanc aliquam figuram: illa vero alia concluſio terminatur per aliam, ſicut patet in ſecundo tertiæ figuræ, in quo maior in proſyllogiſmo concluditur per primam vel ſecundam figuram, minor autem per primam tantum, & concluſio principalis per tertiam. Palam autem eſt ex arte ſuperius inducta, quoniam & reſolutiones propoſitionum in terminos ſecundum vnius cuiuſque concluſionis proprietatem & figuram ſunt faciendæ.

Quoniam autem non omnis, &c.

Quoniam autem non omnis propoſitio concluſa ſcilicet in omni vel in qualibet figura, ſed potius in vna figura, quæcunque propoſitiones concluſæ ſunt diſpoſitæ, hoc cuilibet manifeſtum eſſe poteſt ex concluſione in qua figura propoſitio quælibet ſit quærenda: quia vniuerſalis negatiua concluditur in prima & ſecunda, & vniuerſalis affirmatiua in prima tantum, & particularis affirmatiua in prima & tertia: particularis autem negatiua in omnibus. Poteſt etiam cognoſci per extrema ad medium comparando: ſi enim inter extrema eſt medium, eſt prima figura: ſi autem ante extrema eſt, ſecunda eſt figura: ſi verò poſt extrema, tunc eſt tertia figura: & ſecundum hoc factæ ſunt propoſitionum in terminos reſolutiones.

***

CAPVT XIII.

De impedimento quod fit ex diffinitione.

Et ad diffinitionē orationum, &c.

ADhuc autem eſt vnum in reſolutione impedimentum, non in reſolutione ſyllogiſmi ſimpliciter, ſed in reſolutione ſyllogiſmi oſtenſiui, redarguentis ad diffinitionis alicuius deſtructionem. Vnde ad diffinitiones quæ ſunt de numero non incomplexorum, ſed orationum complexarum, quæcunque per ſyllogiſmum ſunt redargutæ & reprehenſæ ad vnum aliquem terminum in diffinitione inconuenienter poſitum, non oportet niſi ponere terminum illum ad quem diffinitio redarguta eſt omnium illorum terminorum qui ſunt poſiti in termino qui eſt diffinitio, & non oportet ponere totam diffinitionem ſiue orationem diffinitiuam. In reſolutione talium minus contingit conturbari propter longitudinem, ſcilicet ablatam, quæ eſſet ſi tota oratio diffinitiua pro termino poneretur.

Huius autem exemplum eſt, vt ſi dicatur, quòd aqua eſt humidus potus: & velit aliquis hanc diffinitionem reprehendere & oſtendere, quòd humidus potus non eſt differentia aquæ: non oportet in ſyllogiſmo ponere totum, ſed diffinitum cum illa differentia quam reprehendat, ſicut aqua & potus ſic, nihil quod alicui accidit eſt ponendum in diffinitione ipſius: aquæ autem accidit potum eſſe: ergo per diffinitionem eſſentialem aqua non eſt potus.

CAPVT XIV.

Quod ſyllogiſmi ex hypotheſi ſic in terminos reduci non poſſunt.

Amplius autem ex hypotheſi, &c.

AMplius autem quia ſyllogiſmi ex hypotheſi ex habitudine locali ſuam habent conſequentiam, & non ex ordine terminorum & poſitione propoſitionum in ſyllogiſmo, ideò ſyllogiſmos ex hypotheſi non eſt tentandum hoc modo in tres terminos reducere. In ſyllogiſmis enim ex hypotheſi non eſt ſiue contingit reducere ex his quæ poſita ſunt in ſyllogiſmo: quia non ſunt poſita ex ordine trium terminorum, ſed potius ex habitudine locali. Tales enim ſyllogiſmi ex hypotheſi non ſunt oſtenſi per habitudinem terminorum per ſyllogiſmum oſtenſiuum, qui ſolus veram habet formam ſyllogiſtici. Sed potius in his qui fiunt per habitudines, ſunt conceſſiones quædam ad placitum reſpondentis, ſicut quando conceſſum eſt, quòd ſi in vno ſe ſic habet, in omnibus ſimiliter eſſe. Sicut ſi aliquis ponat, quod ſi vna quædam poteſtas non ſit aliquorum contrariorum, quod ſequatur ad hoc neque vnam aliquam non eſſe diſciplinam contrariorum: & hoc conceſſo diſputet aliqua inducendo contraria, vt ſanum

& ægrum, siue sanatiuum & ægrotatiuum non esse vnius potestatis: quia si essent vnius potestatis, essent vnius actionis: & si essent vnius actionis vniuersalis, sequeretur quod essent idem: & sic idem simul esset sanatiuum & ægrotatiuum: & ex hoc videtur esse ostensum, quoniam non omnium contrariorum est vna potestas: quia instantia est in sano & ægro. Sed non adhuc est ex hoc ostensum, quòd non sit vna disciplina contrariorum, quamuis ex ipsa rei habitudine constiterit esse necesse, quòd quorum non est potestas, quod illorum non sit etiam vna disciplina: sed hoc confiteri non cogitur ex syllogismo, sed potius ex conditione, hoc est, confessione dicta, hac scilicet, quod si probetur non esse vnam potestatem contrariorum, quod probatum sit non esse vnam disciplinam. Talem igitur rationem non est reducere ad illa reductione, quæ resolutio est propositionum in tres terminos. Sed bene probatur syllogisticè, quod si sanatiui & ægrotatiui non est vna potestas, quod non omnium contrariorum est vna potestas: sic enim forte le fuit & sit syllogismus ostensiuus hoc concludens. Illud autem quod ex hoc infertur, quòd non omnium contrariorum sit vna disciplina, est conditio ex confessione & habitudine locali & non ex consequentia syllogistica.

Similiter autem & in his quæ impossibile, &c.

Similiter autem est etiam in his syllogismis qui per impossibile datum à respondente in oppositio conclusionis verè per syllogismum ostensiuum syllogizatæ, per quod oppositum sumptum cum maiore vel minore deducitur ad oppositum alterius præmissarum, quod est etiam impossibile. Hos enim vtiles syllogismos (cum non inferant ex dispositione terminorum in figura, & ex modo combinationis propositionum, sed arguunt ex positione dantis oppositum) non est vel contingit resoluere tali resolutione, qua propositiones in terminos resoluuntur, & alterum præmissorum, quod datum est in opposito conclusionis, & pro altera propositione ponitur in syllogismo deducente ad impossibile, non est secundum rem & dispositionem figuræ & modi secundum realem ordinem medij ad extrema: sed in tali syllogismo semper concluditur ex conditione data in oppositio conclusionis, quod cum præmissis eiusdem terminorum non habuit ordinem, vt medium vel esset inter extrema, vel ante ea, vel posterius eis.

Differunt autem à prædictis, &c.

Isti tamen syllogismi qui ducunt ad impossibile, differunt à prius dictis syllogismis ex hypothesi, qui fundantur super simile (sicut prius dictum est) in hoc, quoniam in illis qui sunt per similitudinem oportet respondentem prius confiteri positionem, quòd sicut est in vno, ita sit in aliis: eò quod secundum rem hoc non habet necessitatem: & ideò ad positionem respondentis tunc syllogizatur: oportet igitur in illis respondentem prius confiteri si debeant concedere vel non debeant ipsius respondentes. Cuius exemplum est, quòd si debeat concludi vnam esse disciplinam contrariorum per hoc, quòd vna est potestas eorum: tunc enim prius confiteri oportet, quòd vna sit potestas: & concedere oportet esse vnam disciplinam omnium contrariorum per hoc, quod quorundam est vna potestas & vna disciplina per hoc quod similiter se habet in omnibus, sicut in vno. Hoc autem in syllogismo ducente ad impossibile de necessitate concedent, etiamsi non confiteantur: quia coguntur per hoc principium, quòd contradictoria non sunt simul vera, & quod de omnibus alterum eorum est verum. Concedent igitur necessario: eò quod ex ipsa oppositione contradictionis falsum statim ex ipsa re manifestum sit: ideò enim non stat cum altera præmissarum: quia contradictoria simul vera esse non possunt. Cuius exemplum, quòd si detur hoc inconueniens, quòd diameter est simeter, quod oppositum est huic veræ, diameter non est simeter: deducens ad hoc manifestè falsum, quod imparia in numeris sunt æqualia paribus, siue fiunt paria, quod est impossibile secundum rem & non tantum secundum concessionem.

Plures autem & diuersi, &c.

Sunt plures modi syllogismorum ex hypothesi, sicut in parte in antehabitis dictum est, & sunt modi illi diuersi in quibus concluditur ex conditione, & non ex dispositione terminorum in figura & modo: & omnes istos modos oportet diligenter perspicere, & pernotare diligenter differentias in quibus differunt à scinuicem & ab ostensiuo syllogismo, & videre qui in terminos possint reduci, & qui non. Quæ autem sint horum syllogismorum differentiæ, & quoties siue quot modis vtiliter fiunt syllogismi qui sunt ex hypothesi, postea in secundo istius scientiæ libro, & in proprio de syllogismis hypotheticis libro dicemus. Nunc autem quantum ad præsentem intentionem pertinet, tantum sit nobis manifestum, quoniam huiusmodi syllogismos hypotheticos non est resoluere in terminos secundum figuræ dispositionem: & iam diximus ob quam causam huiusmodi resolutio fieri non potest.

Dubitatio.

Si autem aliquis quærat, propter quid hoc sit, quòd in syllogismo hypothetico (qui fit per similitudinem ad constructionem vniuersalis per particularem) oporteat vti præconfessione, in syllogismo autem ad impossibile quoad destructionem particularis non oportet vti præconfessione aliqua? Sed huius plana est ratio, hæc scilicet, quod destructo particulari necessario destruitur vniuersale, siue quis confiteatur, siue non: sed positio particularis non de necessitate ponit vniuersale: & ideo in illo oportet vti præconfessione, vel non sequitur conclusio.

Solutio.

Obiectio.

Siquis autem iterum obuiet, & dicat, quòd omne genus argumentationis reduci habet ad syllogismum: est autem ex hypothesi syllogismus quoddam genus argumentationis: ergo reducitur in syllogismum. Adhuc autem arguatur: quorumcunque oppositorum non est vna potestas, non est eadem disciplina: contrariorum non est vna potestas: ergo nec vna disciplina: hic est syllogismus ex hypothesi in formam ostensiui syllogismi reductus. Et si dicat aliquis, quòd non est syllogismus in prima figura, quia minorem habet negatiuam, formetur idem in similitudine affirmationis,

tionis, sic, quorumcunque est idem sensus, horum est vna disciplina: oppositorum autem est idem sensus: ergo vna disciplina.

Solutio.

Ad hæc autem & omnia similia dicendum, quòd omnis verus syllogismus infert ex his quæ posita sunt in syllogismo in terminorum dispositione & modo combinationis propositionum, & non ex aliqua conditione vel locali habitudine antecedentis ad consequens, vel è conuerso: & ideò syllogismus ex hypothesi secundum hunc modum syllogismi non est verè syllogismus: quia talem non habet terminorum dispositionem & propositionum complexionem: & ideò etiam hac reductione reduci non potest. Et quod obiicitur, quòd omne genus argumentationis reducitur in syllogismum. Dicendum quòd verum est: sed quodlibet genus argumentationis reducitur in suum syllogismum sibi appropriatum: & ideò argumentatio quæ vim habet ex hypothesi, reducitur in syllogismum hypotheticum: & alia quæ habet virtutem ex dispositione terminorum, reducitur in syllogismum categoricum siue ostensiuum. Et per hoc patet, quòd ex argumentatione quam inducit, non formatur nisi syllogismus hypotheticus immediatè, sic, quorumcunque est idem sensus, horum est eadem disciplina: sed contrariorum est idem sensus: ergo eadem disciplina: ibi enim arguitur à positione antecedentis: & ideò tales conclusiones dicuntur non esse syllogizatæ syllogismo, qui verè syllogismi formam habet.

Ad quem syllogismum habeat reduci argumentatio ex hypothesi.

TRACTATVS VIII.

De reductione orationis syllogizatæ in vna figura in aliam figuram.

CAPVT I.

De reductione primæ figuræ in secundam, & è conuerso.

Quæcunque autem in pluribus, &c.

Eínde dicendum est de propositione in vna figura syllogizata qualiter contingat eam reduci in figuram aliam. Dicamus igitur, quòd talis reductio non contingit nisi in propositionibus quæ in pluribus figuris concludunt: talem enim propositionem si concluditur in vna figura, est reducere in aliam, in qua eadem etiam concluditur propositio. Propter quod primus modus primæ figuræ non reducitur ad aliam: quia non concluditur nisi in prima figura. Similiter affirmatiui syllogismi primæ figuræ, sicut tertius primæ, in secundam figuram reduci non possunt: quia secunda figura non concludit nisi negatiuè: sed negatiui primæ, secundus scilicet & quartus, reducuntur in secundam: quia secundus primæ per conuersionem maioris reducitur in primum secundæ. & similiter syllogismus secundæ figuræ reducitur in primam figuram per conuersionem propositionis, & aliquando transpositionem. Non tamen omnes syllogismi per conuersionem propositionis alicuius possunt reduci: quia quartus secundæ sic reduci non potest. Hoc autem manifestum erit in sequentibus.

Si enim a. nulli b. &c.

Incipiamus igitur à secundo primæ qui constat ex vniuersali negatiua maiori & vniuersali affirmatiua minori, sic: si enim a. nulli b. inest. b. autem omni c. inest, concluditur quòd nulli c. inest a. in secundo primæ. Si autem conuertatur maior propositio vniuersalis priuatiua siue negatiua: tunc iam variata positione medij erit syllogismus in media siue in secunda figura: nam in tali positione terminorum b. nulli a. inerit: ita quod nullum a. est b. c. autem inerit omni b. & concluditur in primo secundæ, quòd c. nulli a. inest, quæ est eadem conclusio quæ prius concluſa fuit per secundum primæ.

Similiter autem &c. si non vniuersalis.

Similiter autem fit reductio syllogismi primæ figuræ in secundâ, quando non fit syllogismus vniuersalis, sed particularis, sicut in quarto primæ, qui constat ex vniuersali negatiua maiori, & particulari affirmatiua minori, sicut si dicamus a. quidem nulli b. inesse. b. autem inesse dicamus alicui c. concludetur enim in quarto primæ, quòd alicui c. non inest a. tunc enim iterum conuersa simpliciter priuatiua vniuersali maiori fit syllogismus in tertio secundæ, sic, nullum a. b. quoddam c. b. ergo quoddam c. non est a. quæ eadem conclusio quæ prius in prima figura syllogizata est in quarto primæ.

Horum autem syllogismorum, &c.

E conuerso etiam eorum syllogismorum qui concludunt in secunda figura, est reductio in primam: & duo quidem vniuersales secundæ figuræ reducuntur in secundum primæ: particularium autem syllogismorum secundæ figuræ alter solus (tertius scilicet) reducitur. Et hoc sic patet per exemplum. Formetur enim primus secundæ, sic, quòd a. medium nulli insit b. & idem a. insit omni c. sic, nullum b. a. omne c. a. concluditur, quòd nullum c. b. in primo secundæ. Si autem conuertatur vniuersalis priuatiua maior: tunc variato situ medij erit prima figura: tunc enim tali conuersione facta b. nulli a. inest, & a. inerit omni c. & concluditur, quòd nullum c. b. sicut prius per

secundum primæ. Si autem prædicatiuum siue propositio vniuersalis affirmatiua sit ad b. hoc est, ad maiorem extremitatem, hoc est, quòd maior sit vniuersalis affirmatiua, sicut est in secundo secundæ figuræ: priuatiuum autem siue propositio vniuersalis negatiua sit ad c. minorem extremitatem, ita scilicet quòd minor sit vniuersalis negatiua: tunc eodem modo per conuersionem minoris vniuersalis negatiuæ reducitur in secundum primæ figuræ: sed tunc per transpositionem propositionum primus terminus siue maior ponendus est ad c. quod prius fuit minor extremitas: quòd non fit nisi transpositione propositionum. Et huius causa est: quia minor propositio in prima figura non potest esse negatiua: taliter enim dispositis terminis hoc idem c. nulli inerit a. b. autem omni c. inerit, a. autem inerit omni b. sic, nullum a. c. omne b. a. concludetur per secundum primæ, quòd nullum c. b. & tunc conuertatur conclusio, nullum b. c. & erit eadem quæ concluſa fuit in secundo secundæ. Hoc igitur modo se habet reductio in vniuersalibus syllogismis.

Si autem particularis sit syllogismus secundæ figuræ quando quidem priuatiuum vniuersale fuerit ad maiorem extremitatem sicut in tertio secundæ, resolutio illius syllogismi fiet in primam figuram, vt si dicamus in maiori propositione, quòd a. medium nulli b. ineſt: & idem a. insit alicui c. in minori propositione: concluditur enim, quòd aliquod c. non est b. per tertium secundæ: tunc enim conuersa maiori priuatiua propter medij variationem prima erit figura: nam secundum hoc in maiori quidem propositione b. prædicatum nulli a. inerit. a. autem inerit alicui c. sic, nullum a. b. quoddam c. a. concludetur quoddam c. non esse b. per quartum primæ: quæ est eadem conclusio; quæ prius concluſa per tertium secundæ.

Quando verò prædicatiuum est ad maiorem extremitatem sicut in quarto secundæ: tunc non potest fieri resolutio ad primam figuram per conuersionem, sicut si dicamus in quarto secundæ, quod a. prædicatum insit omni b. & idem a. insit non omni, sed alicui c. sic, omne b. a. quoddam c. non est a. concludetur per quartum secundæ, quòd non omne vel quoddam c. non est b. & tunc per conuersionem non potest fieri reductio: quia maior propositio vniuersalis affirmatiua non conuertitur, nisi particulariter: & si sic conuertatur, ambæ præmissæ erunt particulares, & ex talibus non fit syllogismus.

Attendendum autem, quòd huiusmodi reductio figurarum (de qua hîc loquimur) alia est ab illa de qua locuti sumus in præhabitis, quando tractatum est de generatione syllogismorum: ibi enim reduximus syllogismos imperfectos secundæ & tertiæ in primam, & particulares primæ reduximus in vniuersales primæ: eò quod in primo primæ perfectissimum est dici de omni, & in secundo primæ perfectissimum est dici de nullo, per quæ confirmatur primo & principaliter omnis syllogismus directam & ostensiuam habens confirmationem. Hic autem per reductionem figurarum tractantes, nihil aliud intendimus, nisi conformitatem figurarum ostendere, & qualiter vna oritur ab alia, medij & extremorum variatione in situ duarum propositionum. Propter quod ad hoc quod hic intendimus ostendendum, non oportet ad singulorum syllogismorum reductionem, nec per exclusionem instantiarum istam reductionem verificare: quia in quibusdam sic de figura in figuram reductis satis ostensa est conformitas figurarum.

CAPVT II.

De reductione syllogismorum particularium primæ figuræ in tertiam, & è conuerso.

Hanc autem quæ dicta est reductionem prosequentes per singulas figuras in seinuicem dicimus, rursus resoluendo syllogismos primæ in tertiam, & è conuerso, quòd non omnes syllogismi qui sunt in tertia figura, resoluuntur in primâ: quia quintus tertiæ per conuersionem propositionis resolui non potest, sed per impossibile reducitur: de qua reductione non est hic nostra intentio. Syllogismi autem particulares primæ figuræ ambo resoluuntur in tertiam: & hoc primo patet in tertio primæ. Insit enim a. maius extremum omni b. medio. b. autem medium insit alicui c. minori extremo: coucluditur per tertiam primæ, quòd aliquod c. est a. cum ergo simpliciter in terminis conuertatur minor propositio quæ est particularis affirmatiua, hæc scilicet, quoddam c. est b. tunc è conuerso quoddam b. est c. a. vero omni b. inerat in maiori propositione: quare siue propter quod variato medio ex conuersione minoris fit tertia figura.

Similiter autem est & si sit quartus primæ qui est syllogismus priuatiuus: quia etiam ille reducitur minoris propositionis (quæ est particularis affirmatiua) conuersione: est enim talis quartus primæ, nullum b. est a. quoddam c. est b. ergo quoddam c. non est a. & si conuertatur particularis affirmatiua minor, tunc erit talis syllogismus, nullum b. est a. quoddam b. est c. & concluditur, quod quoddam c. non est a. per quartum tertiæ: & vtriusque syllogismi est eadem conclusio.

Eorum autem syllogismorum qui sunt in tertia figura (quæ postrema est inter figuras) vnus tantum est, scilicet quintus tertiæ, qui per conuersionem propositionis non resoluitur in primam figuram. Et huius causa: quia in eo priuatiua propositio minor non ponitur vniuersaliter quæ conuerti possit, sed est vniuersalis affirmatiua, & maior est particularis negatiua. Alij autem omnes syllogismi tertiæ figuræ resoluuntur in primam figuram: & hoc patet in primo tertiæ qui constat ex ambabus vniuersalibus affirmatiuis, sic: prædicetur enim de omni c. medio, & a. maior extremitas, & b. minor extremitas, sic, omne c. a. & omne c. b. concludetur per primum tertiæ, quod quoddam c. est b. cum igitur conuertatur vniuersalis affirmatiua in particularem, sequitur, quod c. conuertetur ad vtrumque, scilicet a. & b. particulariter: sequitur ergo, quòd a. inerit alicui b. quia si conuertatur minor, sequitur, quòd a. inerit alicui b. per tertium primæ, sic, omne c. a. quoddam b. c. ergo quoddam a. b. & sic erit prima figura resoluto primo modo tertiæ in tertium primæ: siquidem a. inerit omni c. in maiori. c. verò inerit alicui b. in minori: & sequitur, quòd aliquod b. est a.

Similiter autem est de reductione quarti tertiæ in primam figuram, qui etiam est affirmatiuus, & reducitur in tertium primæ: quartus enim tertiæ constat ex vniuersali affirmatiua maiori & particulari affirmatiua minori, & reducitur in tertium tertiæ per conuersionem minoris, sic, omne c. a. quoddam b. c. ergo quoddam c. a. & ideò similis ratio est in primo & quarto: quia in minori propositione particulari affirmatiua in quarto conuertitur b. ad c. hoc est, prædicatum in subiectum.

Similiter autem est in tertio tertiæ, in quo maior est particularis affirmatiua, & minor vniuersalis affirmatiua, vt si dicamus, quòd b. minor extremitas ineſt omni c. in minori. a. autem maior extremitas alicui c. ineſt in maiori: tunc fiet resolutio conuertendo maiorem, & per transpositionem propositionum: & ideò oportet tunc, quòd b. primus terminus ponatur siue maior, propter propositionum transpositionem: tunc enim talibus conuersione & transpositione factis b. inerit omni c. c. autem alicui a. inerit: & tunc sequitur in tertio primæ, quòd b. ineſt alicui a. & quoniam conuertitur particularis affirmatiua, tunc etiam conuertetur conclusio, ita quòd b. alicui a. inerit: & sic conuersione maioris & transpositione propositionum & conuersione conclusionis erit tertius primæ figuræ.

Et si priuatiuus sit syllogismus in tertia figura, siquidem vniuersales sint ambo termini in maiori & minori propositione sumpti, sicut in secundo tertiæ, qui constat ex vniuersali negatiua maiori, & vniuersali affirmatiua minori: similiter sumendum est quantum ad reductionem in primam figuram. Insit enim b. omni c. in minori propositione. a. autem insit nulli c. in maiori: ergo per conuersionem minoris vniuersalis affirmatiuæ alicui b. inerit c. a. autem in maiori nulli inerit c. propter quod in tali syllogismo medium erit c. & fiet syllogismus talis, nullum c. a. aliquod b. c. ergo aliquod b. non est a, qui est quartus primæ: & sic secundus tertiæ reducitur in quartum primæ.

Similiter autem est in sexto tertiæ: quia similiter est quantum ad reductionem si vniuersalis maior in syllogismo tertiæ sit priuatiua, sicut est in sexto modo tertiæ, & particularis affirmatiua sit minor: secundum talem enim dispositionem a. quidem nulli c. ineſt in maiori. c. autem alicui b. inerit in minori conuersa: & concludetur per quartum primæ, quòd quoddam b. non est a.

Si autem particulariter sumatur priuatiua propositio maior, & minor sit vniuersalis affirmatiua, sicut est in quinto tertiæ, non erit illius syllogismi resolutio in primam figuram per conuersionem alterius propositionis. Et huius exemplum est, vt si b. quidem omni c. ineſt in minori. a. autem alicui c. non ineſt in maiori propositione: tunc non erit per conuersionem reductio: quia non est ibi propositio quæ conuerti possit, nisi minor vniuersalis affirmatiua, quæ est b. c. propositio: quæ si conuertatur, vtræque propositiones præmissæ erunt particulares: & ex ambabus particularibus nihil sequitur in aliqua trium figurarum. Sic ergo tertia in primam, & prima in tertiam reducitur.

Ex his autem quæ dicta sunt, manifestum est, quòd ad resoluendum istas duas figuras, scilicet primam & tertiam ad seinuicem, conuertendam est propositio minor, quæ est ad minorem extremitatem: hac enim conuersa in vtraque figura variabitur medium: & fit transmutatio vnius figuræ in aliam.

Attendendum autem, quòd instantia videtur esse contra ea quæ dicta sunt de tertio modo tertiæ figuræ, in quo fit reductio per conuersionem maioris. Sed hoc citius solui potest & faciliter, dicendo, quòd id quod dictum est in illius modi conuersione, intelligitur de his qui habent maiorem vniuersalem. Posset etiam dici, quòd minor vocatur in qua post conuersionem prædicatur medium, & subiicitur minor extremitas.

Si autem quæritur, quare prima figura reducitur in secundam potius per conuersionem maioris, quam per conuersionem minoris? Dicendum ad hoc, quòd prima figura & secunda conueniunt in situ medij & in situ minoris extremitatis, sed discordant in situ maioris extremitatis: & illam oportet conuertere quæ est ad maiorem extremitatem. Huius etiam causa est: quia secunda figura descendit à prima per maioris propositionis conuersionem, sicut in antehabitis dictum est.

CAPVT III.

De reductione secundæ in tertiam, & è conuerso.

Horum vero, particularium syllogismorum duorum qui in media sunt figura, alter quidem per conuersionem & resoluitur in tertiam, scilicet tertius: alter verò, scilicet quartus, per conuersionem in tertiam figuram non resoluitur: nam in tertio vbi maior est vniuersalis negatiua quæ conuerti potest, syllogismus resoluitur in tertiam per vtriusque propositionis conuersionem. Si enim a. medium nulli b. inesse dicatur in maiori, & idem a. alicui c. dicatur inesse in minori, conuertitur vtraque propositio: & tunc conuersa maiore b. nulli a. dicetur inesse, &c. dicitur inesse alicui a. & tunc medium est a. sic, nullum a. b. aliquod a. c. & patet, quòd est tertia figura.

In quarto autem secundæ qui constat ex vniuersali affirmatiua maiori & particulari negatiua minori, quando scilicet in maiori propositione a. dicitur inesse omni b. & idem a. alicui

Rursum quidem, &c.

Si quidem a. omni c. &c.

Si autem b. quidem omni c. &c.

Et si priuatiuus sit syllogismus, &c.

Si autè particularis sumatur priuatiua, &c.

Et si priuatiuus sit similiter, &c.

Horum autem syllogismorum qui, &c.

Similiter autem & si priuatiua vniuersalis, &c.

Horum autem qui in media, &c.

Si autem particularis sit syllogismus, &c.

Quando verò prædicatiuum.

Remouet dubium.

Manifestum autem quoniam, &c.

Obiectio.

Solutio.

Aliter.

Dubitatio.

Solutio.

Quòd autem a. omni b. &c.

alicui c. dicitur non ineſſe: tunc non poteſt reſolutio fieri. Et huius cauſa eſt: quia ex conuerſione hr, quod neutra propoſitionum conuertiarum eſt vniuerſalis: quia vniuerſalis affirmatiua non niſi particulariter conuertitur: ex amobabus autem particularibus non fit ſyllogiſmus.

Quãdo autẽ ex tertia ſunt figuræ, &c.

Ex conuerſo autem ſyllogiſmi qui ſunt in tertia figura, reſoluuntur in mediam figuram quantum ad modos negatiuos: eo quod ſecunda figura non concludit niſi negatiuè: & ideo ſecundus & ſextus tertiæ reducuntur in ſecundam figuram, ſed non primus & tertius & quartus: quia illi affirmatiuas habent concluſiones. Secundus autem & ſextus in ſecundam reducuntur per conuerſionem vtriuſque propoſitionis. Quando ergo vniuerſalis priuatiua eſt maior, vt ſi dicatur, quòd a. nulli c. ineſt, & in minori, quod b. alicui c. ineſt, ſicut in ſexto tertiæ. Aut ſi dicatur a. nulli c. ineſſe in maiori, & b. dicatur omni c. ineſſe in minori, ſicut in ſecundo tertiæ. Tunc enim in conuerſione vtriuſque propoſitionis c. nulli inerit a. quæ eſt conuerſa maioris, & idem c. inerit alicui b. ex conuerſione minoris: & facta eſt ſecunda figura in tertio modo ſecundæ figuræ.

Si autẽ particularis, &c.

Si autem particularis propoſitio ſit priuatiua & maior, ſicut eſt in quinto tertiæ, non poteſt reſolui in ſecundam per propoſitionis conuerſionem: eò quod particularis negatiua non conuertitur in terminis: & ſi vniuerſalis affirmatiua quæ eſt minor, conuertatur, ambæ præmiſſæ erunt particulares: & ex talibus non fit ſyllogiſmus.

Manifeſtum autem, quoniam, &c.

Et ex his manifeſtum eſt, quòd iidem ſyllogiſmi, ſcilicet quartus ſecundæ, & quintus tertiæ, in his figuris (media ſcilicet & tertia) non reſoluuntur, qui nec in primam ex ſecunda vel tertia ſunt reſoluti. Manifeſtum eſt etiam pro omnibus aliis ſyllogiſmis ſecundæ figuræ & tertiæ in primam figuram per conuerſionem propoſitionum reductis, quòd iſti duo ſoli claudunturad reducuntur per impoſſibile: quia per conuerſionem propoſitionum reduci non poſſunt. Ex prædictis ergo manifeſtum eſt, quomodo oportet ſyllogiſmos reducere: & ex hoc manifeſtum eſt, quòd figuræ omnes reſoluuntur ad ſemnicem & qualiter hoc fit.

Omnes ſyllogiſmi poſſunt reduci per impoſſibile.

Attendendum autem eſt hic, quòd licet dictum ſolum quartum ſecundæ & quintum tertiæ reduci per impoſſibile, per hoc non excluditur quin omnes alij ſyllogiſmi per impoſſibile poſſint reduci: ſed hoc ideò dictum eſt, quia cum alij & per conuerſionem & per impoſſibile poſſint reduci, duo dicti ſyllogiſmi ſolum per impoſſibile reducuntur.

Quare in reductione tertiæ figuræ ad ſecundam, oportet vtrãque conuerti propoſitionem.

Adhuc notandum, quòd quamuis per impoſſibile ſit quædam reductio, tamen nihil determinatur hic: quia reductio per impoſſibile non eſt niſi argumentationis oſtenſio, & non eſt ad figuram conuerſio, ſed conuerſio propoſitionis & oſtenſio eſt argumentationis & mutatio poſitionis terminorum in ſitu: & per hoc oſtendit formam ſyllogiſmi quæ eſt figura vel figuræ mutatio.

Remouet dubium.

TRACTATVS IX.

De excluſione erroris dicentium negatiuam de prædicato finito idem eſſe cum affirmatiua de prædicato infinito.

CAPVT I.

De differentia earum adinuicem.

VIA verò terminі ſyllogiſmorum in quos reſoluuntur, aliquando finiti, & aliquando ſunt infiniti: & quando ſunt infiniti, videntur eſſe negatiui: ita quòd quidam dicebant, quod tales termini vniuerſaliter conuertibiles eſſent cum negatiuis: oportet hîc de talium terminorum interponere conſequentia. Quamuis enim in lib. perihermenias aliquid dictum ſit ratione oppoſitionis de qua ibi agitur, tamen quia incidenter ibi dictum eſt & diminutè, oportet quòd hîc ſufficientius determinetur.

Differt autẽ in conſtruẽdo, &c.

Dicamus igitur, quòd differentiam habet (in conſtruendo in ſyllogiſmo affirmatiuo, vel deſtruendo in ſyllogiſmo negatiuo) opinari vtrum idem aut diuerſum ſignificent affirmatiua de prædicato infinito, & negatiua de prædicato finito: ſicut ſi dicamus, non eſt hoc, & eſt non hoc: & hæc duo ad idem ſubiectum aliquod referamus: & hoc eſt ac ſi dicamus, quòd non eſſe album idem ſignificet ei quod eſt eſſe non album. Hæc enim non idem ſignificant: quod ſic probatur: quia eius quæ dicit propoſitio eſſe album, non eſt oppoſita negatio ea propoſitio quæ eſt eſſe non album: eò quod ambæ iſtæ ſunt affirmatiuæ: ſed eius quæ eſt eſſe album, negatiua eſt non eſſe album, quando ambo prædicata, affirmatiuum ſcilicet

ſcilicet & negatiuum, ad idem ſubiectum referuntur. Ratio autem huius prima eſt hæc: quia ſimiliter ſe habent hæc prædicta ad vnum ſubiectum in propoſitionibus de ineſſe ſicut in modalibus ſe habent. Nam ſicut ſe habet, poſſibile eſt ambulare, ad poſſibile eſt non ambulare: ſic ſe habet ea quæ eſt album, ad eam quæ eſt non album. Poſſunt autem ſimul eſſe verè, poſſibile eſt ambulare, poſſibile eſt non ambulare: propter quod ſequitur, quòd vna non eſt negatio alterius: ergo nec illa quæ dicit, eſt non album, negatio eſt eius quæ dicit, eſt album: eſt autem negatio eius hæc, non eſt album: ergo ea quæ dicit, eſt non album, non idem ſignificat cum ea quæ dicit, non eſt album. Quod ex hoc patet: quia hæc duo prædicata, ſcit bonum vel eſt ſciens bonum, in ſignificando nihil differunt, ſicut nec iſta prædicata differunt, poteſt ambulare, vel eſt potens ambulare: propter quod ſequitur, quòd oppoſita iſtorum nihil differunt: oppoſita autem ſunt, non poteſt ambulare, & non eſt potens ambulare. Si autem detur, quòd ea quæ dicit, non eſt potens ambulare, idem ſignificat cum ea quæ dicit, eſt potens non ambulare: tunc ea quæ dicta ſunt eſſe oppoſita, ſimul inerunt eidem, ſcilicet eſt potens ambulare, & non eſt potens ambulare, ſi hoc idem eſt ei quod eſt potens non ambulare: quia idem ſimul poteſt ambulare, & poteſt non ambulare: ſicut & idem ſimul eſt ſciens boni, & ſciens non boni: quamuis non ſit ſimul ſciens boni, & non ſciens boni: affirmatiua autem & negatiua oppoſitæ non erunt vnquam ſimul in eodem: ſequitur igitur, quòd eſſe non bonum & non eſſe bonum, non ſunt idem ſecundum ſignificatum. Cuius ratio eſt: quia omnium proportionalium ſecundum æquipollentiam & conuertibilitatem, hæc proportio eſt, quòd ſi alterum inſit alicui, quod inſit & reliquum: & ita ſi idem eſſet eſſe non album quod eſt non eſſe album, cuicunque ineſſet vnum, eidem ineſſet & reliquum.

Neque eſſe non æquale, &c.

Secunda ratio ad idem probandum hæc eſt, & fundatur in hoc, quòd affirmatiua de prædicato infinito aliquid ponit, negatiua autem de prædicato finito nihil ponit: quod patet per hoc, quòd eſſe non æquale, & non eſſe æquale, non ſunt idem: huic enim quæ dicit eſſe non æquale, ſubiacet aliquid quod quidem eſt inæquale quando ad magnitudinem comparatur: illi verò quæ dicit non eſſe æquale, nihil ſubiacet ſiue ad magnitudinem comparetur ſiue non: quia negatio nihil relinquit eorum quæ poſuit affirmatio. Et hoc ideò eſt: quia non omne ens vel non ens æquale eſt vel inæquale: quia quod non eſt quantum, nec æquale neque inæquale eſt. Omne autem quod eſt, vel non eſt, aut æquale eſt, aut non eſt æquale: de quolibet enim ente vel non ente alterum contradictoriorum eſt verum: & ſicut inæquale aliquid ponit propter priuationem, ſic terminus infinitus ponit aliquid, quamuis ſit infinitum quod ponit.

Amplius eſt non album, &c.

Amplius autem tertia ratio ad idem eſt: quia iſtæ duæ propoſitiones, eſt non album lignum, & non eſt album lignum, non ſunt ſimul in vno ſignificato. Quod patet: quia ſi eſt lignum non album, patet quòd ſupponitur eſſe lignum, quamuis priuetur ab ipſo album. Cum autem dicitur, non eſt album lignum, non neceſſe eſt lignum eſſe: quia negatio tollit totum: eſt enim de amphora verum dicere, quòd non eſt lignum album, cum nec lignum ſit, nec album: ſed de amphora non eſt verum dicere, quòd eſt lignum non album.

Ex his ergo tribus rationibus manifeſtum eſt, quòd eius propoſitionis quæ dicit, eſt bonum, non eſt negatio illa quæ dicit, eſt non bonum. Si ergo de omni vno ente vel non ente eſt affirmatio vel negatio vera: & patet iam, quòd iſta quæ dicit, eſt non bonum, non eſt negatio, palam eſt, quoniam affirmatio erit aliquo modo: eſt enim affirmatio de prædicato infinito, qui eſt modus quidam affirmationis. Omnis autem affirmationis eſt aliqua negatio. Sequitur ergo, quòd & huius quæ dicit, eſt non bonum, ſit aliqua negatio: & eſt ea quæ dicit, non eſt non bonum. Patet igitur, quòd non idem ſignificant affirmatiua de prædicato infinito, & negatiua de prædicato finito in terminis vel conſequentiis ſyllogiſmorum.

Hic autem aduertendum eſt, quòd cum dicitur, de quolibet dicitur eſſe æquale vel non eſſe æquale, ſit diſtributio pro quolibet ente & non ente: ſicut cum dicitur, quòd de quolibet eſt affirmatio vel negatio vera. Cum autem dicitur, quòd non de quolibet dicitur eſſe æquale vel eſſe non æquale, diſtributio ſit eodem modo: & ideò non de quolibet dici poteſt: quia non æquale ponit aliquid, ſicut dictum eſt in antehabitis.

CAPVT II.

De conſequentiis propoſitionum affirmatiuæ de prædicato infinito, & negatiuæ de prædicato finito adinuicem.

Habent autem ordinem, &c.

PRopoſitiones autem affirmatiuæ de prædicato infinito, & negatiuæ de prædicato finito, hunc quem dicemus ordinem conſequentiæ habent adinuicem. Sit enim eſſe bonum in quo a. non eſſe autem bonum ſit in quo b. eſſe autem non bonum in quo c. & hoc ſit ſumptum ſub b. & poſitione ſitus in conſequentia, & ſub poſitione eſſentiali ſicut ſpecies accipitur ſub genere: non autem eſſe non bonum, ſit in quo d. quod eodem modo accipiatur ſub a. ſicut c. acceptum eſt ſub b. tali autem facta diſpoſitione terminorum omni ei quod eſt vel non eſt, inerit aut a. aut b. quia inter illa eſt contradictio ſimplex: & hæc duo nulli inerunt eidem ſimul. Adhuc autem ſic, omni ineſt aut c. aut d. & nulli eidem ſimul: quia inter c. & d. eſt contradictio de prædicato infinito. Adhuc autem ſequitur, quòd cuicunque ineſt c. prædicatum infinitum, eidem omni neceſſe eſt ineſſe b. prædicatum negatum: quod ex hoc probatur; quia ſi verum eſt dicere de aliquo infinitè, quoniam eſt non album, de eodem verum erit dicere negatiuè, quoniam non

eſt

est album: impossibile enim est aliquid simul esse album & esse non album, & impossibile est simul esse lignum album, & esse lignum non album: propter quod si alicui non inest affirmatio, oportet negationem inesse.

Et autem quod est b. &c.

Et quamuis sic ad priuationem sequatur negatio, non tamen conuertitur, quòd etiam ad negationem sequatur priuatio. Vnde et quod est b. (quod est negatio simplex) non semper sequitur c. quod est priuatiuum: & est instantia: quia quod omnino non est lignum, nec est lignum album, nec lignum non album: & sic ad hoc quod est, non est lignum album, non semper sequitur, est lignum non album.

E conuerso autem cui inest, &c.

In oppositis autem istorum est consequentia è contrario: quia cuicunque inest a. (quod est simplex affirmatio) illi omni vniuersaliter inest d. quod est negatio prædicati infiniti: quia omne quod est album, non est non album. Quod autem a. sit antecedens & inferens d. probatur ex hoc: quia si de quolibet alterum contradictoriorum est verum, & c. & d. contradictoria, alterum illorum dicetur de a. aut ergò de ipso verificabitur c. aut d. & quia c. non verificatur de a. eò quod aliquid non potest simul esse album & esse non album, sequitur quòd hoc inerit quod est d. quod est contradictorium ad c. Et hoc patet in terminis: quia de eo quod est album, verum est dicere, quoniam ipsum non est non album. E conuerso autem a. non sequitur ad d. semper: quia de eo quod omnino non est lignum, non est verum dicere, quòd sit a. quod est lignum album: propter quod contingit d. esse verum de aliquo, de quo a. non est verum: quod enim omninò non est lignum, non est lignum non album: et tamen non sequitur, quòd sit lignum album. Palam etiam est, quoniam a. c. quæ sunt contradictoria, nulli eidem insunt, quamuis b. & d. contingat aliquando eidem inesse: eò quod neutrum est oppositum ad aliud. b. enim est negatio simplex prædicati finiti. d. autem negatio prædicati infiniti: & hæ duæ negationes non sunt oppositæ.

Similiter autem se habent, &c.

Sicut autem dictum est, quod secundum consequentiam prædicata infinita se habent ad subiecta secundum positionem oppositionis vel consequentiæ: ita se habent etiam ad prædicata positiua finita priuatiuè dicta prædicata: sicut inæquale se habet ad æquale, & iniustum ad iustum: & hoc patet si in consequentia ponatur in terminis: sit enim æquale in quo a. non æquale negatum in quo b. inæquale priuatum in quo c. non inæquale sit in quo d. qui sunt iidem termini qui fuerunt finitorum & infinitorum. Et ideò ex istis sequuntur quatuor conclusionès, scilicet quod ad affirmatiuam prædicati priuatiui sequitur negatiua finiti prædicati, & non è conuerso, sicut, est inæquale: ergo non est æquale, & non è conuerso. Et quod è contrario ad affirmatiuam de prædicato finito, sequitur negatiua de prædicato priuatiuo, & non è conuerso, sicut, est æquale: ergo non est inæquale, & non è conuerso. Et quod affirmationes quæ antecedunt, sunt incompossibiles de eodem, sicut, est æquale, est non æquale: & quod negationes sunt de eodem compossibiles, sicut, non est æquale, & non est inæquale, vel non æquale.

Nota quatuor conclusiones vel regulas.

In pluralibus autem quorum, &c.

Idem autem est si termini accipiantur in materia contingenti: quantum ad hoc autem est idem, quòd eodem modo differunt negationes & affirmationes de prædicato infinito scilicet & de prædicato finito: & hoc siue accipiantur in numero plurali siue in numero singulari. In pluribus autem dico sumi de numero, quorum his quidem inest prædicatum, aliis autem non inest: hoc enim oportet, quòd sit in materia contingenti, & accipiatur in tota vniuersaliter pluralitate cum signo vniuersali distributiuo. In pluribus enim talibus siue vniuersalibus, quorum his quidem inest prædicatum, sicut in affirmatiua: his autem non inest, sicut in negatiua: similis est differentia affirmationis de prædicato finito, & negationis de prædicato finito, ad affirmationem de prædicato infinito, & negationem eiusdem de prædicato infinito: negatiua enim de prædicato finito simpliciter est vera siue in plurali siue in singulari sumatur, sic, non sunt omnia animalia alba, siue in singulari cum dispositione vniuersali, sic, non omne vel non vnumquodque animal est album: ambæ enim istæ sunt veræ in materia contingenti: sed illæ de prædicato infinito in eadem materia sunt falsæ: hæ enim ambæ falsæ sunt, quoniam vnumquodque vel omne animal est non album: & similiter in plurali accepta, quoniam omnia animalia sunt non alba. Patet igitur, quòd cum sint veræ, istæ autem falsæ, quòd differunt abinuicem. Similiter autem est etiam si vniuersaliter in singulari numero sumatur. Vnde patet, quòd eius propositionis quæ est, omne animal est album, non est contradictoriè opposita ea quæ dicit, omne animal est non album: ambæ istæ falsæ sunt simul in contingenti materia: sed ista erit sua contradictoria, non omne animal est album.

Quomodo intelligenda sunt prius dicta

Et attendendum, quòd illud quod dictum est, non tenet nisi in materia contingenti, & non in materia necessaria vel impossibili: si enim dicatur, omnis homo est non asinus, & nullus homo est asinus, istæ simul sunt veræ. Adhuc autem cum dicitur consequentia hæc esse bona: est non bonum: ergo non est bonum, & non è conuerso: intelligendum, quòd hæc consequentia tenet in terminis communiter, prout communiter hæc prædicata comparari possunt ad vnum subiectum siue vniuersaliter siue non vniuersaliter sumptum, dummodo tamen fiat horum prædicatorum ad idem subiectum comparatio & in antecedente & in consequente propositione. Vnde in vniuersalibus benè sequitur, si vtrobique sumatur signum vniuersale, sic, omnis homo est non bonus: ergo non omnis homo est bonus: vel ergo omnis homo non est bonus. Similiter etiam sequitur in non vniuersalibus, homo est non bonus: ergo homo non est bonus.

Obiectiones.

Videtur tamen in his deficere consequentia à prædicato infinito ad prædicatum negatum: & hoc ostenditur in terminis sic: video non hominem: non sequitur, non video hominem. Et si dicat aliquis, quòd consequentia

tia prædicta non tenet, nisi cum verbo substantiuo, & non cum verbo adiectiuo. Adhuc hoc dato videtur non valere: non enim sequitur. Sortes fuit non iustus: ergo Sortes non fuit iustus. Similiter non sequitur. Sortes erit non albus: ergo Sortes non erit albus. Si fortè dicatur, quòd consequentia ista est intelligenda cum verbo substantiuo de præsenti, & non de præterito, vel de futuro. Adhuc si etiam hoc concedatur, videtur non valere: non enim sequitur, est non duplum: ergo non est duplum; sicut nec sequitur, est non æquale: ergo non est æquale.

Solutiones.

Ad huiusmodi autem notandum, quòd consequentia prædicta non tenet nisi in prædicatis quæ dicunt formas absolutas, sicut sunt album, nigrum, & huiusmodi, & non tenet in relatiuis. Et ideò notandum est, quòd ad ad hoc quòd ex termino infinito sequatur terminus negatiuus, oportet quod fiat consequentia cum verbo substantiuo de præsenti, & in terminis absolutis & non relatiuis. Adhuc autem notandum, quòd cum dictum est has duas negationes, non esse bonum, & non esse non bonum, alicui vni simul posse inesse, intelligendum est, quòd illæ duæ negationes, quamuis nulli actu existenti simul possint inesse, eò quod non est aliquod ens cui non conueniat vel non esse iustum, vel non esse non iustum, & hæc duo nulli enti simul insunt: tamen non enti simul conueniunt: quia id quod non est, non est iustum, & non est non iustum. Sed tamen aliæ duæ, scilicet non esse lignum album, & non esse ligum non album, eidem existenti possunt simul conuenire sicut lapidi. Adhuc autem intelligendum est, quòd terminus priuatiuus & infinitus sic se habent adinuicem, quòd sequitur terminus infinitus ad priuatiuum: terminus enim priuatiuus ponit potentiam ad suam aptitudinem, sed priuat formam: terminus autem infinitus neutrum istorum ponit: & ideò sequitur, si est iniustum: ergo est non iustum: sed non conuertitur: quia plus tollitur per terminum infinitum, quam per priuatiuum.

Limitationes istius regulæ, ab affirmatiua de prædicato infinito ad negatiuam de prædicato finito valet consequentia.

Quare terminus infinitus sequitur priuatiuum, & non è contra.

Quoniam autem iam palam est, quòd aliud significant negatiua de prædicato finito, & affirmatiua de prædicato infinito, sicut patet cum dicitur, est non album, & non est album: vna enim istarum est affirmatio, & altera negatio. Manifestum est ex hoc quod etiam per totum quod dictum est, intendimus, quòd non est idem modus demonstrandi siue ostendendi per syllogismum has duas: quia vna ostenditur per negatiuum, & altera per affirmatiuum: sicut in exemplo videri potest: quia non eodem modo ostendetur hæc, quicquid est animal, siue omne animal non est album, aut si cum modo accipiatur sic, quicquid est animal, contingit non esse album, cum ista alia de prædicato infinito, sicut cum dicitur, quòd verum est dicere, quicquid est animal est non album: hoc enim quod verum dicere aliquid non album, idem est cum eo quòd dicitur hoc esse non album: quia verum non addit aliquid super inhærentiam. Sed idem modus demonstrandi est in figura & modo hæc duo, verum est dicere hoc esse album, & verum est dicere hoc esse non album, etiamsi vniuersaliter sumantur propositiones: ambæ enim istæ affirmatiuæ, & si sunt vniuersales, per primam ostenduntur figuram in primo modo figuræ primæ. Id enim quod dico, verum, quod est modus quidam, similiter ordinatur ei quod est, est, quod est nota compositionis.

Quoniam autem palam, &c.

Et ideo dicit aliquod,

quòd verum & falsum reperiuntur modi. Et ex etiam patet verificatio illius regulæ, quòd ex omni propositione sequitur sicum dictum fuit verum.

In hoc autem similiter ordinatur, quòd negatio modi facit negatiuam, sicut negatio compositionis in illa de inesse, & affirmatio modi facit affirmatiuam, sicut affirmatio compositionis in ea quæ est de inesse: nam istius propositionis qua dicimus, quod verum est dicere aliquid esse album, non est negatio sibi opposita qua dicitur, verum est hoc dicere esse non album, sed ista qua dicitur, non est verum dicere album: & ideò non vno modo istæ possunt ostendi per syllogismum. Si autem hæc debeat concludi qua dicitur, quòd verum est dicere, quòd quicquid est homo, siue omnis homo est musicum vel non musicum sub disiunctione: tunc in maiori propositione sumendum est, quod quicquid est animal, siue omne animal est musicum vel non musicum: & assumendo, quòd omnis homo est animal, statim ostensum est, quòd omnis homo est musicum vel non musicum: & sic patet, quòd omnem hominem esse musicum, & omnem hominem esse non musicum, affirmatiuè monstratur in solo primo primæ figuræ: sed hæc, quicquid est homo non est musicum, siue omnis homo non est musicum, & hæc similiter, omnis homo non est non est non musicum, negatiuè monstrantur quando sunt vniuersales, secundum dictos superius tres modos vniuersalem negatiuam concludentes, qui sunt secundus primæ & primus & secundus secundæ figuræ. Sic igitur patet, qualiter propositiones negatiuæ de finito prædicato, se habeant ad propositiones affirmatiuas de infinito prædicato, & qualiter differenter concludantur.

CAPVT III.

De consequentiis ex habitudine antecedentis & consequentis conuertibilium causatis.

Simpliciter quando sic se habent, &c.

SImpliciter siue vniuersaliter quando sic se habet a. & b. hoc est, consequens aliquod & oppositum eiusdem consequentis (vt animal & non animal) quòd hæc duo simul eidem non contingant inesse: eò quòd contradictoria sunt: omni autem quod est & non est, ex necessitate alterum istorum contingat inesse: eò quod de quolibet alterum dicitur contradictoriorum; & rursum c. antecedens, & d. oppositum antecedentis se habeant similiter per oppositionem contradictionis, ita quod nulli simul possint inesse, sed omni ei quod est vel non est, necesse sit alterum inesse, sicut se habent homo & non homo: & dicatur, quòd id quod est c. antecedens, sequitur

a. consequens sine conuersione, sicut animal sequitur ad hominem, & non conuertitur: tunc necessarium est, quod ad id quod est b. (oppositum scilicet consequentis) sequatur d. oppositum scilicet antecedentis, & non conuertitur. Et hoc est dictum: ad quæ consequens sequitur ad aliquod antecedens absque conuersione, sequitur ad oppositum consequentis oppositum antecedentis, & non conuertitur: sicut si animal loquitur ad hominem, ad non animal sequitur non homo, & non conuertitur, quod ad non homo sequatur etiam non animal. Adhuc autem in tali consequentia & a. quidem consequens, & d. quod est oppositum antecedentis, contingeret eidem simul inesse, sicut idem contingit esse animal & non hominem, vt asinum: & in eadem consequentia b. (quod est oppositum consequentis) non contingeret eidem inesse cum c. antecedente: sicut non contingit eidem inesse antecedens & oppositum consequentis, vt quod idem sit homo & non animal. Hæc autem quatuor sunt consequentiæ. Prima inter antecedens & consequens. Secunda inter oppositum consequentis & oppositum antecedentis, quarum vtraque sequitur affirmatiuè sine conuersione. Tertia inter oppositum antecedentis & consequens, quæ contingant eidem. Quarta inter oppositum consequentis & antecedens, quæ non contingunt eidem.

Nota regulam.

Nota quatuor regulas de antecedente & consequente & suis oppositis.

Quod ex posito consequenti sequatur oppositum antecedentis.

Secunda autem harum consequentiarum (scilicet quod ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis) ostendatur primo. Primum ergo probando has consequentias dicamus, quòd ad b. oppositum consequentis, sequitur d. oppositum scilicet antecedentis: hoc enim hinc (siue ex his quæ dicentur) est manifestum: dictum est enim, quòd alterum contradictoriorum quæ sunt c. d. (hoc est, antecedens, & oppositum contradictorium antecedentis) ex necessitate omni inest, & ei quod est & quod non est: & cui contingit vnum illorum inesse, illi non inest reliquum, eo quod nulli simul insunt: sequitur quòd cui inest b. nullo modo contingit inesse c. & hoc est ideo: quia c. antecedens simul infert a. consequens: cui enim inest antecedens, eidem necesse est inesse consequens: vt cui inest homo, illi necesse est inesse animal. Sed a. & b. non contingunt eidem simul inesse: quia non est idem animal & non animal. Manifestum est ergo ex quo aut a. aut b. dicebatur de d. & a. non dicitur: ergo b. dicetur de d. & sic probatum est, quòd oppositum antecedentis sequitur ad oppositum consequentis.

Primum ergo quoniam ei quod est b. &c.

Quod consequens & oppositum antecedentis simul.

Rursum autem, quoniam iam suppositum est, quòd ei quod est a. consequens non conuertitur c. antecedens (vt homo & animal se habent) omni autem ei quod est vel non est, contingit vel c. vel d. inesse: quia sunt opposita contradictorie c. & d. tunc sequitur, quòd contingeret a. consequens & d. oppositum antecedentis eidem inesse: quia oppositum antecedentis non opponitur consequenti: & quæ non opponuntur per affirmationem & negationem, contingit eidem inesse: quæ enim contraria sunt vel disparata, negantur de seinuicem: quia in talibus affirmatio vnius est causa negationis alterius: & hæc est tertia consequentia.

Rursum quoniam ei quod est a. &c.

B. autem oppositum consequentis, & c. antecedens non contingit eidem inesse: & hoc ideò: quia a. sequitur ad c. & si oppositum consequentis verificaretur cum antecedente, verificaretur etiam cum consequente: & sic contradictoria essent simul vera: & sic accideret impossibile, quod dictum est.

B. autem & c non contingit, &c.

Quod oppositum consequentis non fiet cum antecedente.

Manifestum est etiam ex his, quòd neque b. oppositum scilicet consequentis conuertitur cum eo quod est d. quod est oppositum antecedentis: sicut non animal non conuertitur cum non homine: & hoc ideò quia contingit alicui vni simul inesse a. consequens, & d. oppositum antecedentis inesse: asinus enim & animal est & non homo.

Manifestum quoniam neque b. &c.

Quod oppositum consequentis non conuertatur cum opposito antecedentis.

Quamuis autem istæ consequentiæ veræ sint & generales, accidit tamen aliquoties in huiusmodi ordine terminorum (eò quod antecedentia ad consequentia non debitè ordinantur) falli: eò quod, sicut diximus, non rectè sumuntur opposita secundum contradictionem: quorum contradictoriorum necesse est alterum omni ei quod est vel non est inesse: sicut si dicam ii a. consequens & b. contradictorie oppositum consequenti, vt animal & non animal, non contingat simul alicui eidem inesse: tamen cuicunque non contingit inesse vnum istorum contradictoriorum, illi necesse est inesse alterum. Rursum autem similiter, vt opposita contradictorie se habent adinuicem c. antecedens & d. contradictorie oppositum antecedentis: & ideò in illis verum est, quòd de omni altérum illorum dicitur, & de nullo dicuntur ambo. Dictum est autem in præhabitis, quòd omni cui sequitur c. ad illud sequitur a. consequens: quia quicquid antecedit ad antecedens, antecedit ad consequens: & sic oppositum consequentis non verificatur cum antecedente, sed cum opposito antecedentis, sicut non animal est non homo, & non est homo: & si oppositum huius dicatur, tunc sequitur ei cui d. inest, inesse b. ex necessitate, hoc est, quod non homo de necessitate sit non animal: quod falsum est: quia asinus est non homo, & tamen non est non animal.

Obiectio textus.

Accidit autem aliquoties & huiusmodi, &c.

Hoc autem sic probatur: sumatur negatio istorum amborum simul quæ sunt a. consequens, & b. oppositum consequentis, vt si dicam, quòd negatio huius sumatur, homo est animal, & est non animal: sicut si dicam, non homo est animal, & non animal: & sit illa amborum negatio signata per f. Et rursum eorum quæ sunt c. d. antecedentis f. & oppositi antecedentis sumatur negatio, vt si dicam, quòd horum simul amborum sumatur negatio homo & non homo, vt si dicam, non est homo & non homo: & sic illa negatio quæ sic quodammodo in pluribus est, in quibus signatur littera h. tunc tali positione facta necesse est omni ei quod est, vel non est, inesse, vel a. consequens, vel f. negationem consequentis, & sui oppositi: & sic f. negatio est ipsius a. & etiam similiter erit negatio ipsius b. quod est oppositum ad a. & similiter h. erit

Sumatur enim negatio eorum quæ sunt, &c.

negatio

negatio ipsius c. & etiam ipsius d. quia vtraque negatio erit duorum negatio. Sequitur ergo, quòd omni ei quod est & non est, necesse est inesse aut a. vel f. aut enim affirmationem necesse est inesse, aut negationem omni ei quod est vel non est. Et rursum omni ei quod est aut non est, necesse est inesse aut c. aut h. quia etiam illa opponuntur vt affirmatio & negatio. Adhuc autem omni ei cui c. inest, illi subiacet consequens a. quia cui inest antecedens, necesse est inesse consequens: propter quod sequi videtur, quòd cui omni inest f. negatio consequentis, illi etiam omni videtur. inesse h. negatio antecedentis. Arguatur enim sic, Si ad c. sequitur a. & non è conuerso: cum oppositum ipsius a. sit f. & oppositi ipsius c. sit h. tunc per consequentiam è contrario nuper ostensam, ad f. negationem consequentis sequitur h. negatio antecedentis, si oppositum ipsius f. est b. quia fuit f. negatio, etiã eius quod est a. & eius quod est b. & eadẽ ratione oppositum ipsius h. est d. quia h. fuit negatio, & c. & d. Propter quod cum ad f. sequatur h. per consequentiam è contrario factam, eadem ratione ad d. sequetur b. ergo arguendo à primo ad vltimum, si ad c. sequitur a, ad d. sequitur b. & videtur, quòd ad oppositum antecedentis sequitur oppositum consequentis.

Rursus quoniam eorum quæ sunt, &c.

Rursum quoniam alterum duorum quæ sunt f. b. omni ei quod est vel non est videtur inesse alterum, eò quod vnum ad alterum se habet vt negãtio ipsius. f. enim fuit negatio & a. & b. hoc autem idem similiter est in h. d. quia h. est negatio d. & tunc videtur, quòd omni insit alterum istorum, & nulli simul ambo: sequitur h. negatio antecedentis & oppositi antecedentis, & ei quod est f. hoc est, negationi consequentis & oppositi consequentis; & sequitur idem h. etiam ei quod est d. oppositum antecedentis: hoc enim scimus per consequentiam è contrario factam: & ita videtur, quòd si a. sequitur c. videtur quòd etiam ei quod est d. oppositum antecedentis sequatur b. oppositum consequentis: & sic videtur, quòd ad oppositum antecedentis sequatur oppositum consequentis.

Hoc autem falsum, &c.

Hoc autem falsum est, & his quæ prædicta sunt contrarium. In his enim quæ sic se habent vt oppositum antecedentis, & oppositum consequentis, erit consequentia è contrario, hoc est, quòd sicut consequens ad antecedens, ita è contrario oppositum antecedentis sequitur ad oppositum consequentis.

Solutio obiectionis sextæ.

Vnde dicendum ad obiectionem quæ probare videtur, quòd ad oppositum antecedentis sequitur oppositum consequentis, quod non sunt contradictoria f. & a. nec sunt contradictoria f. & b. f. enim non est negatio ipsius a. neque est negatio ipsius b. sed sunt duæ negationes diuersæ: & ideò fortasse non est necessarium omni ineſſe aut a. aut f. aut etiam f. & b. quia non sunt contradictoria. Id enim quod est f. non est negatio contradictoriè oppositæ ei quod est a. quia si esset negatio eius contradictoria, esset idem cum eo quod est b. cum vnius non possint esse duæ negationes contradictoriè oppositæ. Sic enim boni negatio contradictoria est non bonum. Sed hoc quod est f. quod est negatio & consequentis & oppositi consequentis est sicut negatio quæ dicit, quòd aliquid nec bonum est, nec non bonum: & huius negatio non est eadem illi quæ dicit non bonum. Similiter autem & in d. c. dicendum est, quòd eius quod est c. vel d. non sit negatio contradictoria id quod est h. quia negationes quæ sumptæ sunt (vna scilicet in opposito antecedentis, & altera in negatione antecedentis & sui oppositi) sunt duæ & non vna: & ideò si vna opponitur antecedenti contradictoriè, sequitur quòd altera non est contradictoria: & sic patet, quòd non procedit sophisma inductum.

Verum affirmationis & negationis copulatæ possit esse negatio.

Hic autem notandum est, quòd copulatiuæ (quæ copulatur ex duobus copulatis contradictorie oppositis, vt Sortes currit, & Sortes non currit) non potest esse vna negatio, nisi negatio referatur ad copulationem, sicut si sic dicatur, Sortes currit & Sortes non currit, hæc copulatiua est falsa: ergo eius contradictoria vera, hæc scilicet, non Sortes currit & Sortes non currit: cuius sensus est, hæc copulatiua est falsa, Sortes currit & Sortes non currit: & tunc patet, quòd neutra pars copulatiuæ negatur per negationem præpositam. Si autem negatio præposita feratur ad copulata, & non ad copulationem: tunc cum vnius compositionis sit vna negatio, negatio stabit in prima parte copulatiuæ, & non feretur ad secundam: & tunc sensus est, Sortes non currit, & Sortes non currit: & sic iterum negatio non est duorum simul & vtriusque, sed alterius tantum, scilicet partis affirmatiuæ in copulatiua.

Dubitatio. Vtrum negationis sit negatio.

Si autem aliquis quærat, vtrum negationis sit negatio? propter hoc quod dictum est hic esse duas negationes f. & b. Hoc enim quidam probare conantur per hoc, quòd omnis affirmationis est negatio: omnis autem propositio secũdum aliquem modum est affirmatiua: quia omnis propositio sui dicti est affirmatiua: & ideò negari potest. Adhuc quia negatio superueniens tollit negationem inuentam: tollere autem est negare: ergo videtur, quòd negatio neget negationẽ: & sic negationis est negatio.

In contrarium huius videtur esse: quia si negationis est negatio: tunc illius negationis eadem ratione est tertia negatio, & tertiæ quarta, & ibit hoc in infinitum. Adhuc omnis negatio est alicuius affirmationis præexistentis: ergo quod negatur, prius est affirmatum: sed negatio non est affirmatio: ergo negatio non est negationis.

Solutio. Secunda negatio non est verè negatio & secũdum rem, sed solum secundum vocem.

Ad hoc autem dicendum videtur, quòd negatio negari potest: & sic aliquo modo negationis est negatio. Sed tamen secunda negatio non est verè secundum rem negatio, sed potius affirmatio secundum rem, & negatio secundum vocem siue sermonem: & ideò non potest addi tertia negatio: quia si tertia negatio addatur, non inuenit negationem, sed affirmationem: nec est negandum, quin talis possit fieri additio negationum, sed quælibet erit affirmationis secũdum rem, sicut dictũ est.

Remouet dubium.

Quamuis autẽ in natura simile cõstruat & non destruat simile: tamen in rationibus negatio destruit negationem propter huius principij necessitatem, de quolibet affirmatio vel negatio.

LIBER II.

PRIORVM ANALYTICORVM
de potestate syllogismi generati.

TRACTATVS I.

De potestate syllogismi penes propositiones accepta.

CAPVT I.

De potestate accepta penes formam præmissarum.

In quantis ergo figuris, &c.

IN quotigitur siue quantis figuris (quia in tribus) & per quales propositiones in qualitate & quantitate coniugatas, & per quot (quia per duas propositiones) & quando quantum ad vtiles coniugationes, & quomodo fit (quantum ad distinctiones modorum in figuris) omnis syllogismus. Amplius autem ad quæ media antecedentia vel consequentia vel opposita perspiciendum est construenti per affirmatiuum syllogismum, vel destruenti per negatiuum, & quomodo oporteat quærere de quolibet proposito secundum vnamquamque artem syllogisticam. Amplius autem per quam viam resolutionis sumamus terminos vel propositiones quæ in singulis syllogismis sunt principia ipsorum, iam in superiori libro (qui de perfecta syllogismi generatione est) secundum omnia substantialia ipsius pertransiuimus sufficienter quantum ad generationem syllogismi secundum substantiam ipsius. Restat ergo nunc dicere de potestate generati syllogismi quantum ad conclusiones quas potest inferre: sicut & in naturis post rem in substantia perfectam primum consequens eam est potestas ipsius, quæ consequitur perfectionem substantiæ. De potestate igitur syllogismi generati deinceps dicemus. Dicemus autem primò de potestate syllogismi, quantum ad propositiones præmissas, quæ accipitur ex forma ipsarum propositionum.

Quoniam ea. ex aliquidem syllogismorum, &c.

Incipientes igitur dicimus, quoniam syllogismorum quidam sunt vniuersales, ex ambabus præmissis vniuersalibus constitutus: alij verò sunt particulares, ex altera particulari constituti. Vniuersales quidem omnes habent eandem potestatem, quòd plura (hoc est, plures conclusiones) syllogizant, vnam quidem immediatè, aliam autem ex conuersione conclusionis, quæ semper suam infert conuersam. Sed particularium syllogismorum illi qui sunt prædicatiui siue qui concludunt affirmatiuas conclusiones, concludunt plures conclusiones. Illi verò qui sunt negatiui concludunt vnam solam conclusionem.

Et huius causa est, quòd quædam propositiones conclusæ in vniuersalibus syllogismis & particularibus, conuertuntur simpliciter, vel per accidens in terminis, sicut vniuersalis affirmatiua conuertitur in particularem, & particularis affirmatiua simpliciter, & vniuersalis negatiua conuertitur simpliciter. Quædam autem propositiones conclusæ non conuertuntur in terminis, sicut particularis negatiua; conclusio enim propter hoc quod est propositio enuntians aliquid de aliquo, conuersionem suscipit, sicut & alia propositio: propter quod quidam syllogismi (vt vniuersales affirmatiui & negatiui, & particulares affirmatiui) plures conclusiones syllogizant, quia conclusionem principalem, & conuersam ipsius: cuius exemplum est, vt si ostensum sit & conclusum a. omni b. aut alicui b. inesse simul, cum hoc ex conuersione conclusionis ostensum erit b. alicui a. inesse. Vniuersalis enim affirmatiua conuertitur in particularem, & particularis conuertitur simpliciter. Similiter autem si ostensum sit & conclusum nulli b. a. inesse, ex conuersione vniuersalis negatiuæ ostensum erit b. nulli a. inesse. Hæc autem conclusio alia est à priore quam immediatè concludit syllogismus: tamen aliquo modo est conclusio facti syllogismi: quia conuersa substantialiter & implicitè continetur in ea quæ conuertitur in ipsam. Si autem in particulari syllogismo aliquo conclusum est vel ostensum, quòd alicui b. non inest a. non est necesse per syllogismum, quòd alicui b. non insit a. eo quod aliqua contingit omni inesse: aliquod enim animal non est homo, & tamen omnis homo est animal: & sic

sic non potest esse vera conuersa particularis negatiuæ quæ est, aliquis homo non est animal: quia contradictoria est eius quæ dicit, omnis homo est animal.

Hæc ergo causa (quòd conclusio conuertitur) prima & communis omnium causa est concludendi plures conclusiones: quia quicunque syllogismus concludit aliquam propositionem, ille in se substantialiter habet etiam conuersam conclusionis: & ideò ex suis substantialibus concludit etiam illam. Si autem conclusio conuerti non potest: tunc per sua substantialia non concludit nisi vnam solam conclusionem: & hæc est potestas tam vniuersalium quam particularium syllogismorum.

Obiectio.

Si quis autem dicat, quòd hoc quod dictum est, quòd omnes conclusiones vniuersales tam affirmatiuæ quam negatiuæ conuertuntur, instantiam habere videtur: quia vniuersalis negatiua de contingenti non necessario, non conuertitur, sicut in priori libro habitum est. Similiter & hoc quod dictum est, quòd particularis negatiua non conuertitur, instantiam habere videtur: quia particularis negatiua de contingenti non necessario conuertitur.

Solutio quærendum.

Ad hæc autem diuersi diuersa respondent. Dicunt enim quidam, quòd vt frequentius conuertuntur vniuersalis affirmatiua & negatiua, & particularis affirmatiua: particularis verò negatiua vt frequentius non conuertitur, licet quam raro & in paucis sit instantia.

Alia solutio est, quòd dicta Philosophi supra sunt vera in vniuersali & per se, licet in particulari & per accidens falsificentur.

Alij dicunt (quòd tamen in idem redit) quòd in omni materia & necessaria & contingenti & impossibili in communi considerata, illæ quæ dictæ sunt fiunt conuersiones, quamuis in aliquo speciali contingenti non fiunt. Adhuc attendendum est, quòd cum hic dicitur, quòd est eadem propositio conuersa, & in quam conuertitur, quando fit conuersio conclusionis, non intelligitur hoc quantum ad formam propositionis quæ attenditur in situ & positione terminorum, sed quantum ad terminorum substantiam: & hoc est secundum propositionum materiam: sic enim vna est in alia, & conclusa vna & alia conclusa est in illa.

Est autem de vniuersalibus, &c.

Est autem de vniuersalibus syllogismis adhuc aliter dicere, qualiter vnus & idem syllogismus habet potestatem plures conclusiones, quamuis secundum actum non concludat nisi vnam. In prima enim figura in qua medium ponitur inter extrema & subiicitur in prima propositione, & prædicatur in secunda, accipiendo primo vniuersales syllogismos primum & secundum, omnium illorum quæ sunt sub medio, & omnium eorum quæ sunt sub minori extremitate, quæ subiicitur in secunda propositione & distribuitur vniuersaliter, omnium illorum erit idem syllogismus: & de omnibus illis concluditur maior extremitas, sicut si dicam sic, omne animal est substantia: omnis homo animal: ergo omnis homo substantia. Et accipiatur sub medio sic, omne sensibile substantia: omnis homo sensibile: ergo omnis homo substantia. Vel si accipiatur sub minori extremitate sic, omnis homo substantia: omne risibile homo: ergo omne risibile substantia. Talis autem syllogismus fit si hoc quidem quod sumitur sub medio, ponatur in medio sicut subiectum est in prædicato, ita quòd sumptum sub medio subiiciatur ei quod fuit medium in primo syllogismo: tunc enim erit subiectum minoris propositionis, & erit minor extremitas de qua concluditur extremitas maior. Et si illud quod sumitur sub minori extremo, ponatur subiectum conclusionis: quia tunc etiam erit minor extremitas & subiectum in minori propositione: & tunc per id quod in priori syllogismo fuit minor extremitas sumpta pro medio, concluditur maior extremitas de eo quod sumptum est sub minori: & eodem modo de eo quod sumitur sub medio, per medium ipsum concluditur maior extremitas: & hoc est facile.

Vt si a. b. conclusio per c.

Et huius exemplum in terminis transcendentibus est, vt si dicamus, quòd hæc conclusio, omne b. est a. concluditur per c. medium, quæcunque sunt sumpta sub b. minori extremitate, aut sub c. medio, necesse est, quòd de omnibus illis concludatur a. dici siue prædicari, sicut si d. sumatur sub b. erit d. in toto b. quia omne d. erit b. & b. est in toto a. ita quod omne b. est a. & sic concluditur, quòd d. est in toto a. per eundem syllogismum. Rursus autem similiter erit si sub c. medio accipiatur e. tunc enim erit e. in toto c. & c. in toto a. & concluditur, quòd e. est in toto a.

In secunda autem figura quod sub conclusione, &c.

Similiter autem est in secundo primæ figuræ, in quo vniuersalis & priuatiuus fit syllogismus, sicut si dicatur, nullum animal lapis: omnis homo animal: ergo nullus homo lapis. Siue sumatur sub medio, siue sub minori extremo, sequetur remotio maioris extremitatis de omnibus illis: & est facile formare huiusmodi syllogismos.

In secunda autem figura in primo & secundo modo (qui sunt vniuersales syllogismi) non contingit maiorem extremitatem syllogizari de sumptis sub medio: eò quod medium est prædicatum, & sub prædicato secundum decursum syllogisticum nihil sumi potest: sed id solum est syllogizare vt concludatur de eo maior extremitas quod est sumptum sub conclusione (hoc est, sub minori extremitate, quæ subiectum est conclusionis) quia illa est etiam subiectum minoris propositionis quæ vniuersaliter distributa in syllogismis duobus primis secundæ figuræ: & ideò syllogisticè aliquid potest sumi sub ipsa de quo negatiuè concludatur maior extremitas, sicut sic syllogizando in primo secundæ, nullus lapis est animal: omnis homo est animal: ergo nullus homo lapis. Et sub medio accipi non potest cum sit prædicatum, & ster secundum seipsum, sed sub homine accipi potest risibile sic, nullus lapis animal: omne risibile animal: ergo nullum risibile lapis. Similiter est in secundo secundæ. Patet igitur, quòd in secunda figura solum id quod sub conclusione (hoc est, sub minori extremo quod in conclusione est subiectum) contingit hoc modo syllogizare negatiuè, quod de ipso negatiuè concluderur maior extremitas: medium enim in secunda figura non potest stare pro partibus quæ sub ipso accipiantur.

Caret conclusione pro minori extremitate.

Vt si a. insit nulli b.

Huius autem exemplum in terminis generalibus siue transcendentibus est, vt si dicamus, quòd a. medium nulli b. insit in maiori propositione, conclusio erit quoniam nulli c. inest b. Si autem sub c. minori extremo est sumptum d. manifestum est, quòd etiam illi non est b. maius extremum: quia aliter non negaretur vt vniuersaliter de c. quòd enim vniuersaliter negatur de superiori, negatur de omni suo inferiori per syllogismum. Si autem sumantur aliqua sub a. medio in secunda figura, quamuis forte de illis maius extremum remoueatur & non insit eis, tamen hoc non potest esse patens siue manifestum per syllogismum, sicut si dicamus, quòd c. est sumptum sub a. medio. Sed quod a. nulli c. insit, hoc est ostensum per syllogismum primum: sed quod eidem a. non insit b. (quod dicit conuersa maioris propositionis) hoc est sumptum & non demonstratum per syllogismum: & propter hoc per syllogismum concludi non potest, quòd b. maius extremum non insit c. quod sub medio est acceptum.

In particularibus in his quidem, &c.

In particularibus autem syllogismis primæ figuræ de his qui sunt sub minori extremitate in conclusione subiecta, non est siue contingit necessarium aliquid syllogizare per syllogismum: cuius causa est: quia particularis est, & syllogisticè sub particulari sumi nihil potest, vnde minor extremitas sumpta fuerit particulariter ad ea quæ possent sumi sub minori extremitate: per syllogismum enim maior extremitas non potest concludi de contentis sub minori extremitate. Eorum autem quæ sunt sub medio sumpta, erit maior extremitas in omnibus: quia in illis qui sunt in prima figura, medium est in toto primo vel in nullo: & ideò necesse est, quòd de omnibus his verificetur maior extremitas, vel remoueatur ab omnibus illis: tamen maior extremitas non concluditur inesse his quæ sub medio per syllogismum primum, sed potius per syllogismum in syllogismo primo implicitum, sicut in præhabitis dictum est, in quo de eo quod est sub medio per hoc quod subiicitur medio fit minor extremitas, de qua concluditur per medium maior extremitas. Et huius exemplum est in tertio primæ figuræ, vt si a. maior extremitas omni b. medio dicatur inesse in maiori propositione, & b. medium alicui c. dicatur inesse in minori: tunc enim eius quod sub sub c. minori extremitate positum, non erit syllogismus, quia contingit maiorem esse particularem in prima figura: eius verò quod est præsumptum sub b. medio, erit quidem implicitus in primo syllogismo syllogismus: sed hoc non erit propter illum syllogismum qui prius factus est, sed (vt diximus) propter eum qui implicitus est in illo.

Quasi dicat, quòd non potest sumi sub extremitate maiori. Tum quia tunc maior esset particularis in prima figura. Tum etiam quia particularis non est semper talis, vt sub ea liceat summi aliquid.

Similiter autem & in aliis figuris, &c.

Similiter autem in particularibus syllogismis aliarum figurarum: in omnibus enim figuris in particularibus syllogismis non erit syllogismus eius quod est sub minori extremitate acceptum qui est subiectum in conclusione: alterius autem termini (qui est medium) erit quidem ad contenta syllogismus: hoc tamen non est per syllogismum: sed talia per indemonstratam & non conclusam propositionem ostendebantur, sicut & in vniuersalibus syllogismis primæ figuræ dictum est: aut si erit in illis ad sumpta sub minori extremo syllogismus, tunc erit & in his qui particulares sunt syllogismis. Ista est sententia dictorum Arist. & sunt in ea plures dubitationes & opiniones.

CAPVT II.

De solutione dubitationum & diuersitate opinionum quæ sunt circa potestatem quæ inducta est.

Dubitatio quorundam circa dicta Arist. hic.

Hic autem notandum primum, quòd quæcunque dicta de potestate concludendi plures conclusiones propter conuersam conclusionis, absque dubio vera sunt, & ita subiiciantur sicut probata sunt. In his autem quæ de potestate concludendi maiorem extremitatem de contentis sub medio vel minorem extremitatem dicta sunt, quidam dubitauerunt. Dicunt enim quidam, quod est syllogismus simpliciter, & est syllogismus implicitus in illo. Syllogismus enim simpliciter est, qui per se stat in tribus terminis & duabus propositionibus. Syllogismus autem implicitus in illo est, qui accipitur ex intellectu maioris propositionis, quæ semper est vniuersalis in prima figura. Verbi gratia, omne b. a. omne c. b. vel aliquod c. b. Vel si maior sit vniuersalis negatiua, nullum b. a. omne c. b. vel aliquod c. b. Et hic est simpliciter syllogismus. Implicitus autem est, qui fit ex intellectu maioris propositionis: cum enim dicitur omne b. a. vel in terminis ponendo, omnis homo est animal, sensus est, omne id est animal quod est homo: & hæc propositio secundum hoc in se duo continet. Per hoc enim, quòd dicitur, omne id est animal, accipitur maior propositio quæ est ad maiorem extremitatem. Per hoc autem quod dicitur, quod est homo, accipitur minor. Et de duabus illis propositionibus factus syllogismus dicitur implicitus syllogismus: & fit acceptio sub medio per hoc quod dicitur, quod est homo. Acceptio autem sub maiori fit per hoc quod dicitur, omne id est animal.

Dictum illorum & est prima opinio circa primam potestatem syllogismorum.

Dicunt isti, quòd implicitus syllogismus idem dicitur cum syllogismo simpliciter siue explicito, per hoc quod implicitus per intellectum continetur in explicito, & quod sic vnus syllogismus (sicut implicitus in explicito est vnus) concludit plures conclusiones accipiendo contenta sub medio vel sub minori extremitate. Quia verò hoc modo ea quæ sunt supra maiorem extremitatem, non sunt implicita in maiori propositione, propter hoc non dicuntur posse concludi de maiori extremitate per eundem syllogismum, quamuis concludi possint per alium syllogismum sumpto superiori pro medio, & maiori extremo sumpto pro minori sic, omne corpus animatum substantia: omne animal corpus animatum: ergo omne animal substantia.

Aliud dictum illorum.

Dicunt etiam isti, quòd hæc est causa, quòd in

in secunda figura maior per syllogismum implicitum in maiori non potest concludi de de contentis sub medio, non implicatur in maiori propositione: quia cum dico, nullus lapis est animal, hic non significatur nisi remotio medij ab extremo, & non è conuerso: & ideò non significatur hic remoueri extremum à medio vel à contentis sub medio: sed significatur remoueri à contentis sub minori extremo propter oppositionem maioris extremi ad minus extremum: & ideò virtute syllogismi impliciti ab illis remouetur, sed non à contentis sub medio. Sed si conuertatur maior sic, nullum a. est b. ibi significaretur maius extremum remoueri à contentis sub medio: sed illa conuersa non implicatur in maiore: & ideò absque syllogismo primo quasi indemonstrata explicitè vel implicitè sumitur: & si syllogizatur maius remoueri à contentis sub medio, hoc fiet per syllogismum implicitum in conuersa maioris, & non in maiori.

Si autem ab istis quæritur, quare magis in secunda figura dicitur maior sumi indemonstrata ad concludendum maiorem extremitatem remoueri à contentis sub medio, quam in prima, vbi etiam quando maior concluditur de contentis sub medio, maior propositio per syllogismum non demonstratur, sed sumitur? Dicunt, quòd maior de ordine suorum terminorum dicit ordinem & potestatem concludendi maius extremum de medio: & quia per seipsam se habet ad hoc, propter hoc immediatius se habet ad illud virtute demonstrationis. In secunda autem figura non per ordinem suorum terminorum se habet ad illud, sed mediatè, scilicet per conuersam ipsius: & ideò potius dicitur maior in secunda figura sumi indemonstrata, quam in prima.

Si autem adhuc quæritur ab istis, quare hæc potestas (scilicet concludendi maiorem remoueri à contentis sub medio ex propositione indemonstrata) potius determinatur in syllogismo habente maiorem vniuersalem negatiuam, sicut habet primus modus secundæ, quam in secundo modo eiusdem secundæ figuræ in quo maior est vniuersalis affirmatiua? Dicunt, quòd in syllogismo secundæ figuræ in quo maior affirmatiua, non est accipere sub medio, de quo dicatur maius extremum: sed quando maior est negatiua, ab omnibus contentis sub medio remouetur extremum: & ideò dicitur hoc de modo primo & non de secundo.

Si autem vlterius quæritur ab istis, quare in particularibus syllogismis primæ figuræ dicitur maior concludi de contentis sub medio, sed non per syllogismum: cum tamen in maiori particularium syllogismorum implicitus sit syllogismus, & sic implicitè probata sit maior per explicitum, & inferri possit ex ipsa, & sic videatur per syllogismum demonstrata secundum quendam modum? Dicunt isti, quòd procul dubio implicitè in talibus maior demonstrata est: sed quia per primum explicitum syllogismum non est conclusa, ideò dicitur non indemonstrata, sed dicitur non per cum (qui prius factus est) syllogismum conclusa. De particularibus autem secundæ figuræ quantum ad acceptionem sub medio idem dicunt quod in vniuersalibus secundæ figuræ syllogismis dictum est, quòd scilicet accipiunt maiorem propositionum indemonstratam: non syllogizant autem per acceptionem conclusionis quæ demonstrata est: & sic ex indemonstrata procedunt.

Si autem vlterius quæritur de particularibus tertiæ, in quibus aliquando maior est particularis: tunc enim fit syllogismus maioris extremitatis ad ea quæ accipiuntur sub medio, vt videtur: & videtur, quòd tunc secundum hanc responsionem maior in prima figura possit esse particularis. Et dicunt ad hoc isti, quòd quando maior est particularis in tertia figura, non potest syllogizari maior extremitas de contentis sub medio propter causam quæ prædicta est: sed tantum syllogizari potest in his in quibus maior est vniuersalis. Adhuc dicunt isti, quòd maiori extremitate particulari existente in figura tertia, contingit syllogizare minorem extremitatem de contentis sub medio: sed in omnibus accipitur propositio maior indemonstrata: & non concluditur propositum per syllogismum prius factum explicitum vel implicitum in illo qui radicaliter idem syllogismus est cum illo. Dicunt etiam isti, quòd in nullo syllogismo particulari cuiuscunque figuræ concludi potest maior extremitas de contentis sub minore extremitate: & in omnibus est eadem causa, scilicet quia maior non potest esse particularis in prima figura. Hæc est prima opinio circa potestatem istam.

Secunda opinio circa primam potestatem syllogismorum. Nota secundo modum in quinto syll. f. maius ostensum, & la non modum sumendi syllogismum ex hypothesi.

Secunda verò est, quòd quidam dicunt hanc doctrinam huius potestatis datam esse de syllogismo ostensiuo strictissimè sumpto, & de syllogismo ex hypothesi sumpto communissimè: hic enim solus ille syllogismus vocatur ostensiuus, cuius omnes præmissæ per syllogismum ostensæ sunt: & omnis ille syllogismus hic vocatur ex hypothesi, cuius præmissæ per syllogismum non ostenduntur. Et hoc modo syllogismus ille ostensiuus est, qui assumpto aliquo sub conclusione primi syllogismi concludit de illo maiorem extremitatem per conclusionem primi syllogismi positam pro maiori, procedit enim ille ex demonstrata propositione: ille verò qui assumit sub medio ad concludendum de illo maiorem extremitatem, assumit maiorem præexistentis syllogismi quæ indemonstrata est: & ideò est ex hypothesi: & ideò dicitur, quòd talis syllogismus concludit ex indemonstrata propositione. Et isti qui sic dicunt, ponunt quòd syllogismorum prosyllogismi (ex quibus ostenduntur propositiones præmissæ syllogismi primi expliciti) continuè procedunt vsque ad principia prima, in quibus fit status: & si alicubi fit status in prosyllogismis antequam perueniatur ad principia prima, adhuc erit ex hypothesi syllogismus, donec omnia principia vsque ad prima fuerint explanata.

Si autem quæratur ab his, quare magis dicitur fieri ad contenta sub medio in secunda figura ex indemonstrata propositione, quam

in prima? Dicunt, quòd in maiori primæ figuræ nihil deest nisi eius defensio. In maiori autem secundæ figuræ deest & ostensio & conuersio ad hoc quod fiat ostensiuus syllogismus: & sic iste syllogismus in secunda figura magis est ex hypothesi, quam in prima. Et quando dicitur, quòd non fit syllogismus, eò quod accipitur indemonstrata propositio: dicitur propter hoc solum quia non fit ibi syllogismus ostensiuus, eò quod procedit ex propositione non ostensiua. Et hoc quidem multi & subtiliter dixerunt, & habet aliquam veritatem.

Si autem quæritur, ad quem vsum est ista duplex potestas, scilicet accipiendi sub medio, & accipiendi sub minori extremitate? Dicendum, quòd vtilis est ad exercitium & dialectico & sophistæ. Secunda etiam potestas accipiendi sub minori extremitate, est vtilis in parte ad demonstrationes, inquantum illæ augentur in post assumendo.

Opinio Albanarby.

Facillimam opinionem de ista doctrina videtur ponere Alpharabius, qui dicit, quòd vnus est syllogismus virtute, qui per idem dici de omni vel idem dici de nullo confirmatur: & ideò in prima figura in dici de omni non includitur nisi quòd est sub termino, & non quod est super ipsum: & idcò quæ supra maiorem extremitatem sunt, de maiori extremo vel de medio vel minori per dici de omni (quod in primo syllogismo est) concludi non possunt: & si syllogizantur de maiori extremo, oportet quod ex indemonstrato per dici de omni primi syllogismi, & ad virtutem concludendi (quæ in illo est syllogismo) referri non possunt. Similiter in secunda figura: quia per dici de omni & dici de nullo (quod in secunda figura est) nihil potest sumi sub medio, sed tantum sub minori extremitate: & ideò in illa nihil de medio vel de his quæ sunt sub medio concludi potest: & si fiat, erit ab indemonstrato: quia oportet, quòd non sciatur per dici de omni vel dici de nullo, quod est in primo syllogismo: quia virtute infra ipsum non continetur: & ideò ab indemonstrato assumitur.

In particularibus autem syllogismis non potest fieri syllogismus maioris extremitatis ad ea quæ sunt sub minori extremitate: quia illa de contentis sub minori extremitate accipi non possunt per dici de omni, cum minor propositio sit particularis: sed potest tamen maior extremitas de contentis sub medio & affirmari & negari, non tamen per id quod virtute sit in syllogismo prius facto, per dici de omni quod est in ipso: quia medium in prima quidem propositione vniuersaliter subiicitur & in secunda propositione particulariter prædicatur: & si sub medio aliquid accipiatur de hoc non vniuersaliter, maior extremitas concluditur: & si esset directè sub medio sumptum, & medium sub maiori vniuersaliter concluderetur: & hoc non fit. Patet igitur, quòd non (per id quod virtute sit in primo syllogismo) id quod est maius extremum concluditur de contentis sub medio.

Laudat expositionem Alphara.

Et huic expositioni magis videtur consentire litera Aristot. si enim aliquid sumatur sub medio particulariter, de illo non concluditur maior extremitas, nisi per medium subiectum maiori extremitati vniuersaliter, & prædicatum de minori particulariter. Id autem quod sumitur sub medio, erit tunc minor extremitas de qua medium particulariter oportet prædicari in particularibus syllogismis. Id autem inferius quod particulariter prædicatur de aliquo, facit suum subiectum particulariter concludi de illo: & si illa conclusio sumpta sit pro maiori in prosyllogismo in quo maius debet concludi de contentis sub medio, tunc syllogismus erit ex particularibus ambabus, & non valebit: & ideò talis syllogismus non continetur virtute in priori: sed erit assumptus extra dici de omni, quod perficit primum syllogismum. Hoc est igitur quod de ista doctrina diuersi tradiderunt.

Comparat tres opiniones suprà positas inter se.

In duabus autem his opinionibus, prima scilicet & tertia semper vnus dicitur syllogismus explicitus & implicitus per virtutem in illo: quia radicaliter vnus sunt, & conclusio impliciti virtute est in explicito, & quantum ad hoc dicitur, quòd vnius syllogismi plures sunt conclusiones.

Secunda autem opinio est eorum, qui dicunt secundum librum priorum diuidi à primo, per hoc quod in primo determinetur de syllogismo ostensiuo, in secundo verò de syllogismo ex hypothesi, quem dicunt fieri quotiescunque non à demonstrata propositione quæ est conclusio primi syllogismi sumpta cum altera concluditur: sed sumitur maior à positione respondentis & consensu: & deficit in ea demonstratio. Prima tamen inter has subtilior & communior est opinio. Tertia verò studio indiget vt verificetur, & præcipuè in particularibus syllogismis.

CAPVT III.

De potestate quomodo secundum materiam ex falso verum est syllogizare.

Est ergo sic se habere vt veræ, &c.

CVm autem ex combinatione duarum propositionum fiat syllogismus, est vel contingit sic se habere propositiones, quòd ambæ veræ sint per quas fit syllogismus: & est, id est, contingit eas sic se habere vt ambæ falsæ: & est, quòd sic se habent, vt hæc (vna scilicet) sit vera, illa vero siue alia sit falsa, conclusio autem consequens ex omnibus his modis, aut vera aut falsa est in omnibus his modis. Cum enim quatuor modis verum & falsum in consequendo adinuicem possint comparari (scilicet quod verum ex vero, & falsum ex falso, & verum ex falso, & falsum ex vero) non oportet nos ostendere nisi qualiter falsum non sequitur ex vero, & qualiter verum sequitur ex falso: quia hoc non est notum, & est difficile, & est syllogismi potestas: quia qualiter verum ex vero, & qualiter falsum ex falso sequitur, facile est, & ex dictis in primo libro de dispositione in terminis & propositionibus satis est manifestum.

Obiectio, quòd ex vero sequatur falsum.

Dicendum ergo primo, quòd ex veris non est falsum syllogizare. Quamuis quidam obiiciant

ciant contra hoc dicentes, quòd si concludatur conclusio falsa ex duabus in toto falsis in primo secundæ, sumantur contrariæ illarum duarum propositionum quæ erunt in toto veræ & syllogizabitur eadem conclusio falsa ex duabus illis in toto veris in secundo secundæ: & sic ex vero sequitur falsum. Sed ad hoc dicendum, quòd præmissis existentibus in toto falsis in primo secundæ, necesse est extrema disparata esse: & ita vnum ab altero verè potest remoueri vniuersaliter: propter quod sic se habentibus præmissis necesse est conclusionem esse veram: & sic falsum est quod in quæstione supponitur, scilicet quòd ex duabus in toto falsis falsum possit syllogizari. Ex falsis autem ex verum syllogizare: sed non contingit hoc quod illæ propositiones quæ ponuntur in syllogismo tali, sint causa veræ conclusionis, propter quid dicens: sed sunt causa quia (siue quoniam sequitur conclusio vera ex falsis) nam eius causæ (quæ præmissæ sunt causæ propter quid) non est ex falsis syllogismus qui veram concludit conclusionem: ob quam autem causam hoc contingit, in sequentibus dicetur.

Solutio.

Dubitatio.

Sed antequam determinetur quomodo ex falso sequitur verum, determinandum est an hoc est possibile, quòd ex falso verum sequatur. Videtur enim hoc esse impossibile: quia conclusio est effectus principiorum præmissorum: causa autem & effectus generis vnius debent esse. Tum etiam propter hoc, quòd verum est ens, & falsum non ens, & entis non potest esse causa nisi ens. Tum etiam propter hoc, quòd verum & falsum sunt opposita: oppositorum autem vnum non est causa alterius. Adhuc cum dicitur verum sequi ex falso, falsum non potest esse causa illius, sed illationis. Si autem est causa illationis: aut hoc est quia est causa secundum materiam: aut quia est causa illationis secundum formam. Si secundum materiam: tunc iterum non sequetur ex falso simpliciter, sed gratia materiæ, & vt nunc: & hoc non est sequi semper & simpliciter. Si autem est causa illationis secundum formam: contra hoc esse videtur: quia manente eadem forma in alis terminis erit ex falsis syllogizare falsum. Si enim sic dicam, omnis lapis est animal: omnis homo lapis: ergo omnis homo animal. Ambæ præmissæ sunt in toto falsæ, & conclusio vera. Si autem sic proponatur, omnis lapis animal: omne lignum lapis: ergo omne lignum animal. Erunt præmissæ in toto falsæ, & conclusio falsa. Et tamen vtrobique manet eadem forma. Idem ergo secundum formam eandem causabit oppositum.

Solutio.

Ad hæc ergo & similia notandum, quòd falsum non potest esse causa veri quantum ad rem concludam, sicut necessarium probatum est. Sed præmissæ possunt esse causa illationis veræ conclusionis dupliciter, scilicet aut per se, aut per accidens: & non possunt esse causa per se, sed per accidens possunt esse causa talis illationis: non enim sunt causa illationis veri inquantum sunt falsæ præmissæ, sed ex parte materiæ, sicut duo impares numeri causa sunt paris, quia par diuiditur aliquando in duos impares, & componitur ex duobus imparibus, sicut senarius ex duobus ternariis, quem non constituunt inquantum sunt impares, sed per materiam per quam sunt duæ partes numeri parium. Sic præmissæ falsæ constituunt conclusionem veram, non inquantum sunt falsæ, sed per materiam inquantum veraque per terminum in ea positum est medietas veræ conclusionis. Et hoc modo loquendo causa & effectus sunt secundum aliquid vnius naturæ. Et hoc modo falsum non est causa veri vt constituens ipsum, sed vt habens in se aliquid per quod constituitur secundum materiam. Et hoc modo non ens habens in se aliquid entis, potest esse causa entis per accidens. Hoc etiam modo potest, quòd præmissæ falsæ causa sunt illationis veræ conclusionis, non quantum ad formam, sed quantum ad dispositionem materiæ in terminis positis in propositionibus præmissis, sicut nuper dictum est. Hic autem determinari habet de syllogismo ex falsis inquantum est in potentia ad formam probabilis & apparentis, & abstrahit ab vtroque: sic enim in communi consideratus pertinet ad istius libri priorum scientiam. In materia autem probabili consideratur in topicis, & in materia apparente consideratur in elenchis.

Quomodo præmissæ falsæ sunt causa per accidens illationis veræ conclusionis.

Remouet dubium.

Et est hic attendendum, quòd syllogismus ex falsis dupliciter potest considerari, scilicet respectu conclusionis in communi siue sit vera, siue falsa: & sic concludit ex necessitate syllogistica, sicut quælibet alia species argumentationis: quandocunque enim sunt tres termini in duabus propositionibus secundum figuram & modum, necesse est illum quam sequi conclusionem. Potest etiam comparari ad conclusionem veri: & sic non concludit ex necessitate: quia peccat in materia.

Quomodo syllogismus ex falsis ostenditur ex necessitate. & quomodo non.

Adhuc autem notandum, quòd syllogismi materia est dupicx. Vna quidem syllogismi inquantum est syllogismus quæ est tres termini & duæ propositiones: & hæc non potest deficere syllogismo si syllogismus est. Alia est materia syllogismi ostensiui & probantis: & hoc modo syllogismus ex falsis determinata caret materia: & ideò quòd hoc est syllogismus secundum quid, & non simpliciter: habet enim formam in modo & figura ostensiui, sed non habet materiam. Vnde etiam secundum materiam omni & nulli sequitur in syllogismo ex falsis in eadem figura & modo sic, omnis lapis animal: omnis homo lapis: sequitur, omnis homo animal. Nulli autem inesse sic, nullum animal lapis: omne lignum animal: ergo nullum lignum lapis.

Materia syllogismi duplex. & quomodo syllogismus ex falsis est ex materia quadam materia.

Ex his etiam patere potest, qualiter syllogismus ex falsis respectu conclusionis veræ dicitur syllogismus quia, siue quoniam: & non dicitur syllogismus propter quid. Dicitur enim syllogismus quia: eo quod sumitur penes causam accidentalem & remotam: causa enim illationis essentialis & proxima necessariæ conclusionis est præmissarum debita dispositio in figura & modo, & est causa formalis: causa autem accidentalis & valde remota ipsius illationis est accidentalis materialis

Quomodo syllogismus ex falsis est syllogismus quia & non propter quid.

trium

trium terminorum in constituenda quacunque conclusione, sicut prius dictum est: & secundum primam istarum causarum non infert verum syllogismus ex falsis, sed infert secundum secundam: & ideo est syllogismus quia.

Est autem vtilitas istius syllogismi in hoc, quòd potestas eius ista consideratur, & res non perfectè scitur, nisi sciatur omnis potestas ipsius. Valet enim & dialectico, secundum quod falsa accipiunt probabilitatem: sic enim sæpè ex falsis arguit dialecticus. Et valet sophistæ, inquantum falsa habent apparentiam. Et sunt etiam ad ipsius syllogismi substantiam cognoscendam, inquantum falsa principia comparantur ad quamcunque conclusionem in communi siue veram siue falsam.

CAPVT IV.

Qualiter syllogismi vniuersales primæ figuræ fiunt ex falsis, & quod ex vero non sequitur falsum.

Primum ergo quoniam ex veris non possibile, &c.

PRimo ergo ostendemus, quoniam ex veris non est possibile falsum syllogizare: hoc enim ex his quæ dicemus erit manifestum. Si enim sumamus habitudinem antecedentis ad consequens, necesse est, quòd cum est antecedens, quod sit consequens, & destructo consequente destruitur antecedens, sicut in antehabitis ostensum est: si enim a. sit antecedens, & b. consequens, cum est a. necesse est esse b. & cum b. non est, necesse est a. non esse.

Si ergo verum est a. &c. Si ex veris sequeretur falsum, accideret eundem simul esse & non esse.

Si ergo verum est a. antecedens, necesse b. consequens verum esse: aut si detur oppositum, accidit siue sequitur idem simul esse & non esse: hoc autem est impossibile: quia sic contradictoria essent simul vera. Si enim dicatur, quòd antecedente vero existente potest consequens non esse: tunc cum consequens actu & intellectu sit in antecedente, sequitur quod si est antecedens, est consequens: dictum autem est non esse: & sic simul est & non est. Adhuc si consequente non existente vniuersaliter tollitur consequens pro omnibus contentis sub ipso: continetur autem antecedens sub consequente: ergo tollitur ipso sublato: sed ponitur esse: ergo simul est & non est. Si autem sic est cum præmissæ sint sicut principium & antecedens ad conclusionem, si præmissæ sunt veræ, oportet conclusionem veram esse, conclusione existente falsa, oportet præmissas ambas vel alteram esse falsas.

Non autem quoniã positum est a. vnus, &c.

Sed hoc cauendum est, ne (ideò quia diximus a. quod est vnus terminus tantum, esse principium & antecedens) aliquis opinetur, quòd ex vno aliquid sequatur syllogisticè. Hoc enim non contingit quia ex vno termino nihil potest sequi syllogisticè: quia illud quod syllogisticè contingit siue sequitur, hoc est conclusio: per quæ autem hoc fit, quod sic sequitur conclusio, ad minimum sunt tres termini, & duo interualla siue propositiones: quia duæ propositiones ex ordine trium terminorum fiunt dum medium refertur ad vtrumque extremorum, vel vt subiectum vtrique, vel prædicatum vtriusque, vel subiectum vnius & prædicatum alterius. Si ergo tales præmissæ veræ sumantur, ita quod in maiori medium sumatur sub maiori extremitate, ita quod nihil sit cui inest b. medium, quin eidem insit a. maius extremum, ita quod omni b. insit a. & minus extremum sumatur sub medio, & sit c. quod sumatur sub b. ita quod cuicunque inest illi eidem inest b. sequitur syllogisticè, quod cui inest c. quòd illi insit a. & non potest haec conclusio falsa esse præmissis (vt dictum est) se habentibus: quia si detur, quòd conclusio est falsa, veris existentibus præmissis, sequitur, quòd idem simul erit & non erit, sicut paulò ante ostensum est: & sic se habet habitudo a. ad b. quia positum est a. duas propositiones colligere, hoc est, simul collectas in figura & modo significare.

Similiter se habet in priuatiuis, &c.

Similiter autem est in syllogismis priuatiuis quoad hoc quod per hos non contingit falsum ex veris concludere, generaliter verum est, quòd ex veris non est falsum syllogisticè concludere, tam in affirmatiuis, quam in negatiuis syllogismis, tam vniuersalibus quam particularibus.

Ex falsis autem verum est syllogizare, &c.

Ex falsis autem sequitur verum syllogisticè, & sequitur ex falso verum & vtrisque propositionibus falsis & vna. Sed cum sequitur ex altera falsa, non sequitur ex veralibet falsa indifferenter sumpta, sed secunda, quando tota siue in toto sumatur falsa, ita quod prædicatum nulli parti contentæ sub subiecto conueniat. Si autem non tota sumatur falsa, sed pro aliqua parte: tunc sequitur verum ex falsa altera præmissarum vtralibet sumpta vel maiore vel minore. Hoc autem patet per singulos primæ figuræ syllogismos. Accipiantur enim tres termini a. b. c. in tali habitudine se habentes adinuicem, quòd secundum rem a. maior extremitas insit omni c. minori extremitati: & idem a. nulli insit quod est de numero eorum quæ sunt sub b. medio contenta. Accidit autem hoc in talibus terminis qui sunt vt animal, lapis, homo: quia nullus lapis animal: omnis homo animal: ergo nullus homo lapis. Si igitur tunc in primo modo primæ a. omni b. ineſſe, & b. dicatur ineſſe omni c. sequitur ex verisque falsis vera conclusio: quia in conclusione a. omni c. inerit sic, omnis lapis animal: omnis homo lapis: ergo omnis homo animal.

Similiter autem & in priuatiuis, &c.

Similiter autem ex vtriusque falsis sequitur verum in secundo modo primæ qui est vniuersalis & priuatiuus syllogismus. Insit enim c. minor extremitas nulli neque a. maiori extremitati, neque b. medio: & hoc est quando repugnat vtrique. a. autem maior extremitas insit omni b. medio: & hoc si iidem termini (qui dicti sunt) sumantur, & medium (quod prius fuit lapis) nunc ponatur homo, sic, animal, homo, lapis: lapidi enim minori extremitati neque homo medium nulli inest, neque animal quod est maior extremitas: & tamen omni homini inest animal: propter quod si sumatur nulli ineſſe illi cui omni inest secundum rem, falsa erit propositio. Similiter si ei cui nulli inest, sumatur omni ineſſe, falsa

erit

erit propositio. Si autem sumptis propositionibus ex falsis vtrisque vera sequitur conclusio, sic, nullus homo animal : omnis lapis homo : ergo nullus lapis animal. Sic igitur patet qualiter in amborus vniuersalibus syllogismis primæ figuræ ex vtrisque falsis sequitur vera conclusio.

Si autem altera ponatur falsa, &c.

Ostendamus qualiter ex altera falsa vera sequitur conclusio. Dicamus igitur, quòd si altera propositionum præmissarum ponatur falsa, si prima quidem propositio (quæ est a. b.) in toto, hoc est, vniuersaliter, sit falsa, non erit siue non sequitur ex taliter falsa conclusio vera. Si autem minor propositio quæ est b.c. sit in toto falsa, sequitur conclusio vera ex taliter falsa minore. Dico autem totam siue in toto falsam, quæ contraria est toti veræ: cuius exemplum est, sicut si illa quæ nulli inest, sumatur omni inesse : aut è conuerso, si id quod omni inest, sumatur nulli inesse vniuersaliter.

Insit n. a. nulli b. &c.

Ostendatur ergo primo, quòd maiore in toto falsa non potest sequi conclusio vera. Ponamus enim a. nulli b. inesse in maiori propositione. b. autem ponamus omni c. inesse in minori propositione. Si ergo tali falsa positione b. c. minorem propositionem sumo veram. a. b. autem maiorem propositionem sumo in toto falsam, ita quòd sumo omni b. inesse a. in maiori (cum nulli insit) impossibile est conclusionem esse veram ex taliter falsa maiori. Cuius causa est : quia c. est sub b. & positum est a. nulli inesse b. & tunc etiam nulli inest c. quia c. est sub b. siquidem hoc sit verum quod positum est, quod nulli eorum quæ sunt b. insit a. & quod b. insit omni c. Manifestum est igitur, quoniam prima hac maiore sumpta tota falsa, & minori vera, non potest sequi vera conclusio.

Similiter autem ne que si a. omni b. inest, &c.

Similiter autem est si a. quidem omni b. inest. b. & omni c. in minori, dumodo sumpta sit b. c. minor propositio vera. a. b. autem propositio sit sumpta in toto falsa secundum primum modum primæ figuræ, ita quod nulli eorum quæ sunt b. insit a. secundum rem : quia aliter non in toto falsa maior esset propositio : tunc enim ex taliter falsa maiore, non vera ; sed falsa erit conclusio, tali enim positione facta omni c. inerit a. in conclusione quæ falsa est conclusio. Cuius causa est : quia positum est, quòd omni illi cui inest b. inest a. b. autem inest omni c. necesse est igitur, quòd a. insit omni c.

Manifestum igitur, quoniam, &c.

Manifestum est igitur, quoniam prima tota falsa siue sit affirmatiua, sicut in primo primæ : siue priuatiua sit, sicut in secundo primæ : altera autem propositione minore sumpta vera, non sit siue non sequitur ex taliter falsa maiore conclusio vera sed falsa, sicut patet in terminis, omne animal lapis : omnis homo animal : ergo omnis homo lapis. Nullum animal sensibile : omnis homo animal : ergo nullus homo sensibile. Falsæ & non veræ sunt ambæ conclusiones.

Non tota autem sumpta, &c.

Si autem maior non in toto falsa sumatur, sed in parte, sequitur conclusio vera ex taliter falsa propositione. Si enim ponamus, quòd a. majus extremum omni inest c. quod est minus extremum, & idem a. inest alicui b. medio, & b. medium insit omni c. minori : cuius exemplum in terminis est, sicut animal maius extremum inest omni cigno, sicut minori : albo autem quod est medium, maior extremitas quod est animal inest particulariter, quia aliquod album est animal : sed album medium inest omni cigno minori extremitati. Si ergo iam positione terminorum facta sumatur a. omni b. inesse in maiori, quæ non est in toto vniuersaliter falsa, & sumatur b. omni c. inesse in minori propositione, erit conclusio, quòd omni c. inest a. & est conclusio vera ex falsis : omnis enim cignus est animal, sic, omne album animal : omnis cignus album : ergo omnis cignus animal : & est vera conclusio ex maiore non in toto falsa, & minore in toto vera.

Similiter autem & si priuatiua sit a. b. &c.

Similiter autem fit in secundo primæ si priuatiua sit a. b. maior propositio, & non in toto falsa : cuius ratio est : quia taliter se habentibus terminis possibile est, quòd maior extremitas (a. scilicet) insit alicui b. medio, & quod a. nulli insit c. minori extremitati, & quod b. medium insit omni c. minori extremo, vt patet in his terminis, animal, album, nix : animal enim inest alicui albo : sed nulli nui inest animal : album autem inest omni nini. Si ergo sumatur a. quidem nulli b. inesse in maiori, erit maior non in toto falsa. b. autē sumatur omni c. inesse, erit minor in toto vera, sequitur quòd a. nulli c. inerit, quæ est vera conclusio.

Si autem a. b. propositio, &c.

Si autem è conuerso maior sumatur in toto vera, & minor in toto falsa, ex taliter falsa altera propositione erit syllogismus veræ conclusionis : sicut si a. b. propositio in toto sit vera b. c. autem in toto sumatur falsa : tunc enim erit syllogismus veræ conclusionis : nihil enim est quod prohibeat a. maiorem extremitatem & omni b. medio inesse, & idem a. omni c. inesse ; & tamen b. medium nulli c. inerit minori extremitati : sicut si sumatur in terminis in his quæcunque sunt specie subalternæ eiusdem generis, sicut equus & homo sub animali sunt. Subalternas autem hic species dicimus, quæ sub vno & eodem genere existunt quo continentur : animal enim genus & equo & homini omni inest : equus autem nulli homini inest. Si ergo in maiori sumatur a. inesse omni b. maior in toto erit vera : & si sumatur in minori b. omni c. inesse, minor in toto erit falsa, sequitur conclusio vera, quod scilicet omne c. est a. cum tamen propositio quæ est b. c. in toto sit falsa.

Similiter autem & si priuatiua a. b. propositio, &c.

Similiter autem est in secundo primæ si priuatiua sumpta sit a. b. maior propositio, & sit in toto vera : contingit enim a. maius extremum nulli b. & nulli c. inesse, medio scilicet & minori extremo : & contingit, quòd b. medium nulli c. minori inest extremo, sicut se habet genus ad species sumptas ex alio genere, sicut animal ad musicam & medicinam (quæ sunt species scientiæ) se habet : nam animal neque musicæ inest vniuersaliter, neque medicinæ, neque musica quæ medium est, inest medicinæ quæ est minus extremum. Si ergo tali sumptione terminorum facta, sumatur a. nulli b. inesse, erit vera in toto propositio : & si sumatur b. omni c. inesse minori, in toto falsa

falsa erit minor propositio: & sequitur ex taliter falsa minori vera conclusio, scilicet quod nullum c. sit a. siue nulla mulica sit medicina.

Et si non tota falsa sit b.c. &c.

Similiter autem si propositio minor quæ est b.c. non sit in toto falsa, sed sit falsa in aliquo adhuc sic ex taliter falsa minore sequitur vera conclusio: taliter enim se habentibus terminis nihil prohibet quin a. insit omni b. in maiori, & etiam insit omni c. in minori propositione, sicut genus ad speciem & differentiam se habet, sicut animal inest omni homini & omni grossibili secundum esse sumpto: homo autem quod est medium, alicui inest grossibili & non omni. Si ergo a. sumatur inesse omni b. & b. omni c. sequitur, quòd a. omni c. inerit, quod erit verum in conclusione: & sequitur ex maiori in toto vera & minori in parte falsa.

Similiter autem & quum privatiua, &c.

Similiter autem sequitur verum ex altera (hoc est, minori) in parte falsa & maiori in toto vera in secundo modo primæ figuræ, quando privatiua est a.b. maior propositio: contingit enim inuenire terminos, in quibus a. maius extremum neque b. neque c. nulli inest: & tamen b. medium alicui inest minori extremo, sicut aliquod genus sumptum se habet ad speciem & differentiam quæ sumuntur ex alio siue diuerso genere: nam animal quod est genus, neque vlli prudentiæ inest (quæ est species scientiæ) neque insit vlli contemplationi (quæ est differentia scientiæ) Prudentia autem inest alicui contemplationi: quia aliqua contemplatio siue contemplatiua virtus est prudentia. Si ergo sumatur a. nulli b. inesse in maiori, erit in toto vera maior. b. autem sumatur omni c. inesse in minori (& erit tunc minor in parte falsa) sequitur, quòd nulli c. inest a. quod est vera conclusio: quia nulla prudentia est animal, & nulla contemplatio est animal. Sic igitur patet qualiter in vniuersalibus primæ figuræ ex vtrisque falsis & ex altera falsa vera sequitur conclusio.

Dubitatio. Combinationes ex falsis quot sint.

Si autem hîc quæritur, cum in vniuersalibus syllogismis primæ figuræ octo sint combinationes (scilicet aut enim est vtraque falsa, aut altera: si vtraque aut in toto, aut in parte: adhuc si altera falsa: aut maior, aut minor: & tunc aut maior in toto & minor in parte, aut è conuerso: sic enim octo fiunt coniugationes) quare sex manifestatæ sunt, duæ autem omittuntur, quarum altera habet maiorem in toto falsam & minorem in parte falsam, reliqua autem è conuerso minorem in toto falsam & maiorem in parte falsam. Et dici potest ad hoc, quòd illæ duæ intelliguntur per illas duas vbi altera in toto falsa, & altera non in toto falsa: & ita etiam fit in aliis figuris, in quibus dictæ duæ combinationes omittuntur.

Solutio.

Dubitatio.

Si autem quæritur, vtrum illæ duæ combinationes quæ omittuntur, vtiles sint respectu veræ conclusionis? Dicendum, quòd illa quæ habet maiorem falsam in toto, potest in conclusionem veram. Cuius exemplum est in primo modo primæ sic, omne album est animal: omnis coruus albus: ergo omnis coruus animal. In secundo autem primæ sic, nullum nigrum est animal: omnis nix nigra: ergo nulla nix animal. Illa verò coniugatio quæ habet maiorem totam falsam, & minorem in parte falsam, non potest in conclusionem veram: ideo quia oportet contradictoriam conclusionis veram esse: quia ex contraria maioris (quæ vera est) & subalterna minoris (quæ similiter vera est) sequitur contradictoria conclusionis: & ideò non potest conclusio vera esse sic se habentibus præmissis, quòd maior sit in toto falsa, & minor in parte sit falsa.

Dubitatio.

Si autem quæritur, quare maiore in toto falsa existente non potest conclusio esse vera, præcipuè cum conclusio possit esse vera vtraque præmissarum in toto existente falsa, vbi plus est de falsitate respectu conclusionis, quam vbi maior tantum est in toto falsa? Et dicendum, quòd hoc aliquo modo posset esse si præmissæ talis syllogismi dicerent propter quid respectu conclusionis veræ: nunc autem non est ita. Quia ergo vtraque existente in toto falsa potest maior extremitas continere minorem, vel etiam esse disparata ab ea, ideò verè potest vna affirmari de alia vel ab ea remoueri. Quia verò tantum maiore existente in toto falsa, oportet maiorem extremitatem continere minorem vel secundum totum vel secundum partem: si enim in affirmatiuo syllogismo minor est vera, oportet quod contineat eam secundum totum: si autem in parte est falsa, tunc continet eam secundum partem: in negatiuo autem syllogismo est maior extremitas disparata ad minorem secundum totum vel secundum partem tantum: & ideò non potest maior extremitas verè affirmari vel negari de tota minore extremitate: propter quod non potest ibi esse conclusio vera.

Solutio. Nota quomodo ex ambabus falsis potest sequi conclusio vera, non tamen ex maiori in toto falsa, minori autem vera, & quare hoc.

Dubitatio

Si autem quæritur, quare minore in toto falsa sequitur vera conclusio, & non maiore in toto falsa? Adhuc etiam, quare maiore in parte falsa & non in toto sequitur conclusio vera? Dicendum, quòd si minor est in toto falsa: tunc medium & minor extremitas sunt disparata: & nihil prohibet aliquid vnum & idem disparatis inesse, sicut patet in syllogismo affirmatiuo, vt animal inest homini & equo. Similiter nihil prohibet vnum & idem remoueri ab vtroque disparatorum, vt lapis remouetur & ab homine & ab equo: & ideò minore tota falsa potest conclusio esse vera. Si autem maior sit in toto falsa: aut hoc erit in syllogismo affirmatiuo, aut in negatiuo. Si in affirmatiuo: aut ergo minor est vera, & tunc repugnat maior extremitas minori sicut & medio: aut minor est in parte falsa, & tunc maior extremitas pro parte repugnat minori extremitati: & neutro istorum modorum maior extremitas verè potest affirmari de minori vniuersaliter. Sed si fuerit in negatiuo syllogismo: aut ergo minor est vera, & tunc maior extremitas sub se continet minorem: aut in parte est falsa, & tunc maior extremitas continet minorem in parte: & neutro istorum modorum verè & vniuersaliter poterit remoueri maior extremitas de minori. Et sic maiore existente falsa (quocunque se habeat minor) non potest sequi vera conclusio. Minore autem in toto existente falsa, bene potest sequi

Solutio.

qui conclusio vera. Sic igitur patet, quando & propter quid in modis vniuersalibus primæ figuræ sequitur verum ex falso.

CAPVT V.

Qualiter in particularibus syllogismis primæ figuræ contingit verum ex falso syllogizare.

In particularibus autem syllogismis, &c.

IN particularibus etiam syllogismis contingit verum ex falso syllogizare, & prima propositione in toto falsa, altera autem vera: sic enim contingit veram syllogizare conclusionem. Adhuc autem iterum contingit verum ex falso syllogizare si prima non in toto, sed in aliquo sit falsa, & altera (minor scilicet) sit vera. Adhuc autem hoc idem contingit si maior vniuersalis sit vera, & altera particularis minor sit falsa. Adhuc autem hoc idem contingit ex vtrisque falsis. Cuius probatio est: quia in prima ponatur, quòd a. maior extremitas nulli b. insit medio, & quod idem a. insit alicui c. in conclusione, & quod b. insit alicui c. in minori propositione, sicut in his terminis, animal, nix, album: animal enim nulli inest niui: albo autem alicui inest animal. Si igitur in his terminis medium ponatur nix, primum autem extremum ponatur animal, & sumatur a. quidem toti b. inesse, & sumatur b. alicui c. inesse, erit a.b. maior propositio in toto falsa. b.c. autem propositio minor vera erit: & sequitur conclusio vera sic, omnis nix animal: quoddam album nix: ergo quoddam album animal: & est in tertio primæ, & est conclusio vera ex prima in toto falsa.

Similiter & cum privatiua est a. b. &c.

Similiter autem sequitur conclusio vera cum privatiua est a. b. maior propositio, sicut in quarto primæ: contingit enim a. maiorem extremitatem toti vniuersaliter inesse b. medio in maiori propositione, & idem a. contingit non inesse alicui c. ita quod b. medium alicui c. particulariter insit, sicut animal omni inest homini, & ipsum animal non sequitur aliquod album: quia quoddam album non est animal: & homo inest alicui albo: propter quod si inter istos terminos medium ponatur esse homo, & si sumatur a. nulli b. inesse, & b. sumatur alicui c. inesse, sequitur quòd quoddam c. non est a. & vera erit conclusio, cum maior sit in tota falsa quæ est a. b. propositio, & minor vera.

Et si in aliquo sit falsa, &c.

Similiter si non in toto falsa, sed in aliquo falsa sumatur a. b. maior propositio: adhuc enim etiam isto modo erit conclusio vera ex tali falsa syllogizata: nihil enim prohibet, quòd a. maior extremitas insit particulariter, & b. medio, & c. minori extremitati, & quod b. medium insit particulariter alicui c. vt in his terminis, animal, pulchrum, magnum: animal enim inest alicui pulchro, & animal inest alicui magno, & pulchrum inest alicui magno. Si ergo tali positione terminorum facta sumatur a. omni b. inesse, & b. alicui c. inesse: tunc a. b. quidem propositio in parte aliqua falsa erit. b.c. autem minor propositio erit vera: & sequitur conclusio vera: scilicet quod aliquod c. insit a. Similiter autem est in quarto primæ quando privatiua est a. b. maior propositio: nam iidem termini erunt, & similiter quoad medium & extrema positi ad demonstrandum, sicut cuilibet etiam parum scienti patere potest.

Rursum si è conuerso fiat, ita quod a. b. quidem propositio maior sit vera. b. c. autem minor propositio sit falsa: sic enim iterum sequitur conclusio vera. Cuius ratio est: quia nihil prohibet, quòd a. maius extremum insit toti b. medio, & quod idem a. in conclusione insit alicui c. & quod b. medium nulli insit c. in minori propositione. Cuius exemplum est in his terminis, animal, cignus, nigrum: animal enim cigno quidem omni inest, & idem animal inest alicui nigro particulariter, sed cignus nulli inest nigro: propter quod si sumatur a. omni b. inesse. & b. dicatur inesse alicui c. vera erit conclusio, scilicet quod aliquod c. est a. cum tamen falsa sit b. c. minor propositio.

Rursum si a. b. quod, &c.

Similiter autem verum sequitur hoc modo ex falso in quarto modo primæ figuræ, si privatiua sit a. b. maior propositio: contingit enim a. maius extremum. b. quidem nulli inesse: & idem a. contingit alicui c. minori extremitati non inesse, & contingit quòd b. medium nulli c. minori inest in minori propositione: sicut si sumatur genus aliquod comparatum ad speciem & accidens, quæ sunt sub alio genere: nam animal nulli numero inest, qui est species quantitatis: animal tamen inest alicui albo quod est accidens diuersi generis à quantitate: & numerus nulli inest albo per essentialem prædicationem. Si ergo tali positione terminorum facta medium quidem nulli b. inesse. b. autem dicatur inesse alicui c. sequitur, quòd a. alicui c. non inerit, quod est verum, & a. b. quidem propositio maior fuit vera. b. c. autem minor propositio fuit falsa.

Similiter autem verum sequitur, &c.

Adhuc autem si maior ponatur in aliquo & non in toto falsa, vt a. b. & ponatur etiam falsa propositio minor quæ est b. c. sequitur ex vtrisque falsis conclusio vera. Cuius causa est: quia nihil prohibet a. maius extremum & alicui b. medio & alicui c. minori extremitati inesse. b. autem nulli c. inesse in minori propositione: sicut si tales terminos sumamus, quod b. medium sit contrarium c. minori extremitati, & ambo hæc contraria sint accidentia eidem generi, sicut animal, album, nigrum: animal enim inest alicui albo, & alicui nigro, album autem nulli inest nigro. Si ergo tali sumptione facta terminorum a. sumatur omni b. inesse, & b. sumatur inesse alicui c. sequitur, quòd aliquod c. est a. & erit vera conclusio ex falsis. Similiter autem verum sequitur ex falso, si privatiua sumatur a. b. maior propositio in quarto primæ: nam iidem termini & in ordine medij & extremorum similiter sumpti sunt ad demonstrandum & istud & antecedens, sicut cuilibet etiam parum scienti patere potest.

Et si aliquo non in toto falsa, &c.

Et vtrisque falsis, &c.

Et adhuc ex vtrisque etiam falsis sequitur con

conclusio vera. Possibile est enim a. maius existmum b. quidem nulli inesse: & idem a. inesse alicui c. & quod b. medium nulli c. intit, sicut se habet genus aliquod ad species & accidens quod accidit speciebus ex alio genere sumptis, sicut sunt animal, numerus, album: animal enim numero quidem nulli inest, & idem animal inest alicui albo, & numerus nulli inest albo. Si ergo tali facta terminorum sumptione a. sumatur omni b. inesse, & b. alicui c. dicatur inesse, sequitur quod aliquod c. est a. & conclusio quidem erit vera: propositiones autem ambæ erunt falsæ.

Similiter, autem & quum priuatiua, &c.

Et hoc similiter est quando a. b. maior propositio est priuatiua, sicut in quarto primæ: quia nihil prohibet a. maius extremum b. medio toti inesse, & idem a. alicui c. minori non inesse in conclusione, & b. nulli c. inesse in minori propositione, vt in his terminis, animal, cignus, nigrum: animal enim inest omni cigno, & animal alicui nigro, non inest, cignus autem nulli inest nigro: & ideo si sumatur a. nulli b. inesse, & dicatur b. alicui c. inesse in minori, sequetur, quod a. alicui c. non inest, & est conclusio vera: propositiones autem ambæ falsæ.

Sufficientia particularium syllogismorum concludentium ex falsis veram conclusionem.

Notandum autem, quòd in particularibus syllogismis quinque sunt combinationes siue complexiones quæ positæ sunt. Aut enim vtraque est falsa, aut altera. Si vtraque est falsa: aut ergo maior est in toto falsa, aut in parte: & sic sunt duæ. Si autem altera est falsa: aut maior, aut minor. Si minor, iam sunt tres. Aut maior, & hoc vel in toto, vel in parte: & sic sunt quinque.

Dubitatio.

Si autem quæritur, quòd cum modi particulares ab vniuersalibus descendant, & in modis vniuersalibus maiore tota falsa non sequitur verum, quomodo possit esse, quòd in modis particularibus maiore tota falsa sequitur verum? Dicendum autem ad hoc, quòd cum maior extremitas disparata est à minori secundum partem: quia minor est particularis, & continet maior extremitas minorem secundum partem, & non secundum totum, quantum est de virtute minoris: & ideò potest maior extremitas inesse minori secundum partem, vel ab ea remoueri secundum partem. Aliter autem est in modis vniuersalibus, vbi in conclusione debet maior affirmari de toto minori, vel vniuersaliter & in toto remoueri ab ipso, sicut patet per antedicta. Ad id autem quod dicitur, quod particulares ab vniuersalibus descendunt. Dicendum, quòd in ipso descensu particularium ab vniuersalibus ablata est causa veræ conclusionis: propter quod non potest conclusio vniuersalis esse vera in talibus: & ideò in particularibus nihil prohibet conclusionem veram esse, quamuis maior in toto sit falsa.

***

Solutio.

CAPVT VI.

Qualiter verum sequatur ex falso in secunda figura in vniuersalibus syllogismis.

In media figura, &c.

IN media autem figura omninò qualitercunque variatis propositionibus falsis vel altera falsa quacunque, siue in toto, siue in parte, per falsa verum syllogizare contingit. Et vtrisque propositionibus falsis sumptis in toto, vel in aliquo (siue in parte) vtraque sumpta propositione, contingit etiam hac quidem vera sumpta, illa autem aut in toto vel in aliquo falsa, vtralibet propositione falsa vel in toto vel in parte posita. Adhuc autem hoc idem contingit, si vtræque in aliquo (hoc est, in parte) falsæ sint. Adhuc autem idem contingit, si hæc siue vna sit simpliciter vera, illa autem (siue alia) sit in aliquo falsa. Adhuc autem hoc idem contingit, si hæc quidem sit in toto falsa, illa verò in aliquo siue in parte sit vera: & hæc variatio est tam in vniuersalibus quam in particularibus syllogismis.

Si enim a. b. quidem nulli, &c.

Accipiamus enim terminos a. b. c. & sit a. medium, b. maius, & c. minus extremum: & accipiamus, quòd a. nulli b. insit in maiori propositione, & idem a. insit omni c. in minori propositione: cuius exemplum est, vt animal medium nulli inest, lapidi, & idem animal inest omni equo. His ita positis, si contrariæ harum duarum accipiantur præmissæ propositiones, ita quod sumatur a. quidem omni b. inesse, & idem a. sumatur nulli c. inesse, in secundo secundæ ex totis falsis propositionibus erit vera conclusio, sic, omnis lapis est animal: nullus equus est animal: ergo, nullus equus est lapis.

Similiter autem & si a. inest b.

Similiter autem est in primo secundæ, & in eisdem terminis demonstratur. Si enim sumatur a. tale, quòd omni b. insit, & idem a. nulli c. insit, & sumantur contrariæ illarum & transmutentur propositiones sic, nullus lapis est animal: omnis equus est animal: idem erit syllogismus quantum ad materiam, eò quod in eisdem sit terminis.

Rursum si altera quidem, &c

Similiter autem rursus quando altera præmissarum est falsa: & primo ostendamus hoc quando altera est tota falsa, & altera tota vera: nihil enim prohibet, quòd a. tale sit medium, quod omni b. & omni c. insit secundum rem, & quod b. maius extremum nulli inerit c. minori extremo: sicut si genus aliquod ponatur medium prædicatum de speciebus coæquaruis, quæ non se sibi subalternant: nam animal sic & equo omni & omni homini inest, & vniuersaliter prædicatur de ipsis, & homo nulli inest equo, quia nullus homo est equus. Si ergo sumatur animal huic quidem speciei omni inesse, illa erit in toto vera: & sumatur alteri speciei nulli inesse animal, illa erit in toto falsa: & sequitur conclusio vera ad quodlibet extremorum posita priuatiua propositione, siue ad maius (sicut fit in primo modo secundæ) siue ad minorem, sicut fit in secundo secundæ.

Similiter

Et altera, &c.

Similiter autem ex altera falsa sequitur conclusio vera, si altera propositionum non sit in toto falsa, sed in parte; dummodo altera sit in toto vera: possibile est enim tale medium esse a. quod b. alicui inest, & idem a. medium inest omni eminori extremitati, vt animal inest alicui albo, & idem animal inest omni coruo, & album nulli inest coruo. Si ergo sumatur in conuertendis propositionibus a. quidem nulli inesse b. erit propositio maior non in toto falsa, sed in parte: & sumatur idem a. toti inesse c. vniuersaliter, erit a. b. propositio maior in aliquo falsa. a. c. autem propositio minor erit in toto vera: & sequitur conclusio vera sic, nullum album animal: omnis coruus animal: ergo nullus coruus album: & est primus modus secundæ.

Et transposita priuatiua, &c.

Si autem transponatur ad minorem priuatiua propositio, erit in eisdem terminis in secundo modo secundæ idem syllogismus, & per eosdem terminos (sicut diximus) huius est demonstratio.

Et si affirmatiua quidem propositio, &c.

Adhuc autem idem sequitur si affirmatiua propositio ponatur in aliquo esse falsa, & priuatiua ponatur in toto vera. Nihil enim prohibet a. tale esse medium, quòd b. alicui inest particulariter secundum rem, & idem a. toti siue omni c. non inest (hoc est, quòd nulli c. inest) & quod b. maius extremum nulli inest c. minori: sicut animal medium inest albo quidem alicui, & idem animal nulli inest pici, & album nulli inest pici: propter quod si sumatur, quod a. insit omni & toti b. & idem a. nulli insit c. tunc a. b. propositio maior erit in aliquo falsa. a. c. autem minor propositio erit in toto vniuersaliter vera: & sequitur conclusio vera sic, omne album animal: nulla pix animal: ergo nulla pix album. Et tales syllogismos facile est formare.

Et si vtræque propositiones, &c.

Idem autem est quoad hoc quòd ex falso sequatur verum, si vtræque propositiones sumantur non in toto falsæ: ex talibus enim sequitur conclusio vera. Possibile est enim a. medium & b. alicui & alicui c. inesse, maiori scilicet & minori extremitatibus: ita tamen, quòd b. maius extremum nulli c. minori insit extremo secundum rem, sicut in his terminis, animal, album, nigrum: animal enim inest alicui albo, & idem animal inest alicui nigro, & album nulli inest nigro. Si ergo taliter positis terminis sumatur a. quidem omni b. inesse, & idem a. sumatur nulli c. inesse: ambæ quidem propositiones in aliquo & non in toto falsæ erunt, & conclusio erit vera sic, omne album animal: nullum nigrum animal: ergo nullum nigrum album.

Similiter autem trãsposita, &c. Numerus & sufficientia syllogismorum vniuersalium concludentium verum ex falsis in secunda figura.

Similiter sequitur verum ex vtrisque in parte falsis, si priuatiua transumatur & fiat maior, sicut in primo secundæ figuræ, & per eosdem terminos, qui positi sunt, animal, album, nigrum, facilis est demonstratio.

Attende autem hic, quòd in vniuersalibus secundæ figuræ octo sunt coniugationes: quia aut vtraque est falsa, aut altera. Et si vtraque est falsa: hoc fit quadrupliciter: quia aut vtraque in toto est falsa, aut vtraque in parte falsa, aut maior in toto falsa & minor in parte, aut e conuerso maior in parte & minor in toto falsa. Si autem fit ex altera falsa, hoc iterum fit quadrupliciter: quia aut maior est falsa & minor vera: & hoc dupliciter, quòd maior sit in toto vel in parte falsa: aut minor est falsa & maior vera: & hoc similiter duplicatur secundum totum, vel secundum partem. Duæ ex his hic omissæ sunt, & sex positæ sunt enim istæ duæ omissæ, vbi altera est in toto falsa, & altera in parte. Sed hoc planum est per antedicta: quia satis intelliguntur per illas in quibus altera est in toto falsa, & altera vera.

Remouet dubium.

Dubitatio.

Si autem quæritur, vtrum vtraque illarum possit in conclusionem veram: Dicendum,

Solutio.

quod sic: quia vniuersaliter omnes coniugationes quæ sunt in secunda figura, possunt in conclusionem veram.

Obiectio.

Contra hoc tamen videtur esse, quòd secunda figura descendit à prima: & ideo sicut coniugatio quæ est ex prima tota falsa & minore vera vel in parte falsa, non potest in conclusionem veram: ita videtur, quod nec in secunda. Fiat enim syllogismus in prima figura ex maiore tota falsa, & conuertatur postea maior, & erit syllogismus in secunda figura ex maiore tota falsa, & non erit conclusio vera, sicut nec in prima. Ad hoc autem dicendum,

Solutio.

quòd in prima figura maiore tota falsa, & minore vel vera vel in parte falsa, erit minor extremitas sub maiore vel secundum totum vel secundum partem: & ideò non potest ab ea remoueri maior extremitas vniuersaliter in syllogismo qui est secundus primæ. In secunda autem figura erit minor extremitas disparata a maiore: & ideo potest maior a minore remoueri vniuersaliter: & ideò non sequitur: quia licet se sic habentibus terminis in prima figura non possit esse conclusio vera, potest tamen in secunda: diuersitas enim in situ medij & extremorum causat diuersitatem istam in prima figura & secunda. Si enim conuertatur maior quæ est in toto falsa, non est necesse eam in quam conuertitur esse in toto falsam: hæc enim in toto falsa est, nullus homo est animal, & sua conuersa (quæ est nullum animal est homo) non est in toto falsa: & vniuersaliter loquendo nunquam erit tam conuersa quam ea in quam conuertitur in toto falsa, nisi in his in quibus termini sunt conuertibiles: & ideo maior in toto inferre poterit conclusionem veram in secunda figura: quod non poterit facere in prima.

Obiectio.

Si autem aliquis obiciat, quod secundum hoc sic se habentibus terminis erit conclusio vera in prima figura: eadem enim conclusio concluditur in secundo primæ, & in primo secundæ: & non differunt nisi in conuersione maioris: & ideo si vera est conclusio in primo secundæ, videtur etiam vera esse in secundo primæ. Sed dicendum ad hoc,

Solutio.

quòd cum conclusio sit vera in primo secundæ, & maior sit in toto falsa, conuersa maiore erit syllogismus in prima figura: sed maior erit in parte falsa, & non in toto, sicut iam patuit per antedicta.

CAPVT VII.

Qualiter verum sequitur ex falso in secundæ figuræ particularibus syllogismis.

Manifestum & in particularibus syllogismis, &c.

HOc autem (quod verum ex falso sequitur in secunda figura) manifestum est etiam in particularibus syllogismis: nihil enim prohibet a. medium tale quidem accipere, quod b. quidem omni inest, & idem a. inest alicui c. particulariter, ita quod b. alicui c. particulariter non inest: vt animal inest omni homini, & idem animal inest alicui albo secundum rem, & homo non inerit particulariter alicui albo. Si ergo taliter se habentibus terminis ponatur a. quidem nulli b. inesse, & idem a. ponatur alicui c. inesse, erit vniuersalis propositio in toto falsa, particularis autem vera, & erit conclusio vera, sic, nullus homo animal: quoddam album animal: ergo quoddam album non est homo: & est syllogismus in tertio secundæ.

Similiter autem & affirmatiua sumpta, &c.

Similiter sequitur conclusio ex maiore in toto falsa & minore vera, si maior propositio a. b. affirmatiua vniuersalis esse ponatur, sicut sit in quarto secundæ. Possibile est enim in terminis inuenire in quibus a. quidem nulli inest b. & idem a. alicui c. non inerit particulariter: vt animal nulli inest inanimato: animal autem inest alicui albo: & in conclusione inanimatum non inerit albo alicui particulariter. Si ergo (tali posita terminorum secundum rem ipsam habitudine) a. inesse omni b. ponatur, & a. alicui c. non inesse. a. b. quidem propositio vniuersalis affirmatiua erit in toto falsa. a. c. autem minor propositio erit vera: & sequetur conclusio vera, sic, omne inanimatum animal: quoddam album non est animal: ergo quoddam album non est inanimatum. Est syllogismus in quarto secundæ.

Et vniuersalibus quidem tota vera posita, &c.

Adhuc sequetur verum ex falso si ponatur vniuersalis esse vera & particularis falsa: nihil enim prohibet, quod a. medium neque sequatur b. vt prædicatum de ipso, neque etiam sequatur c. vt prædicatum de illo, & quod b. maius extremum alicui c. minori extremo non insit particulariter: sicut animal nulli inest numero: neque inest alicui inanimato: & numerus etiam non sequitur inanimatum vt prædicatum de ipso. Si ergo sic se habentibus terminis ponatur a. quidem nulli b. inesse, & idem a. ponatur inesse alicui c. conclusio quidem vera erit, & vniuersalis propositio erit vera maior, particularis autem minor erit falsa, sic, nullum inanimatum animal: quidam numerus animal: ergo quidam numerus non est inanimatum.

Affirmatiua autem vniuersali posita, &c.

Similiter autem conclusio vera sequitur si vniuersalis ponatur affirmatiua & vera, & particularis negatiua & falsa, sicut est in quarto secundæ: cuius ratio est: quia possibile est a. medium, & b. maiori & c. minori toti inesse vniuersaliter secundum rem, & quod b. maius extremum aliquod c. minus extremum non sequatur vt prædicatum de ipso, sicut se habet genus ad speciem & differentiam secundum esse consideratam: animal enim genus sequitur omnem hominem: & omne gressibile sequitur vniuersaliter prædicatum de ipsis: homo verò non sequitur omne gressibile prædicatum de ipso: & ideò si in syllogismo sumatur in maiori a. quidem toti & omni inesse b. & idem animal in minori sumatur alicui c. non inesse particulariter, vniuersalis quidem propositio erit vera, particularis autem falsa, & conclusio erit vera, sic, omnis homo animal: quoddam gressibile non est animal: ergo quoddam gressibile non est homo.

Manifestum autem est adhuc etiam in particularibus syllogismis, quoniam ex vtrisque falsis præmissis erit conclusio vera. Cuius ratio est: quia contingit a. medium in aliquibus terminis, & b. & c. extremitatibus, huic quidem omni, illi verò nulli inesse & indifferenter: & quod b. non sequatur aliquod c. particulariter negatum ab ipso. Sic igitur se habentibus terminis, si sumatur in maiori propositione, quòd a. quidem nulli b. inest, & idem a. alicui inest c. propositiones quidem ambæ erunt falsæ, conclusio autem vera.

Manifestum autem, quoniam ex vtrisque, &c.

Similiter autem & quum prædicatiua, &c.

Similiter autem est etiam quando vniuersalis propositio est prædicatiua (sicut est in quarto secundæ) & cum particularis est priuatiua. Et huius ratio est: quia possibile est, quòd a. medium nullum sequatur b. ita quòd nullum b. sit a. & quod idem a. sequatur omne c. & quod b. alicui c. non insit particulariter, vt animal nullam quidem disciplinam, & idem animal sequitur omnem hominem, quia nulla disciplina est animal: omnis autem homo animal. Si autem taliter se habentibus terminis sumatur a. toti b. inesse, & idem a. dicatur non sequi quoddam c. sed particulariter ab eo remoueri, propositiones ambæ erunt falsæ, conclusio autem vera, sic, omnis disciplina animal: quidam homo non est animal: ergo quidam homo non est disciplina. Et est syllogismus in quarto secundæ.

Numerus & sufficientia syllogismorum particularium concludentium verum ex falsis in secunda figura.

Est autem hic notandum, quòd in particularibus syllogismis quinque sunt coniugationes: aut enim vtraque est falsa: & tunc maior aut est in toto falsa, aut in parte, aut tantum altera est falsa: & hæc, aut maior, aut minor: & vtraque istarum, aut in toto, aut in parte. Et sic patet, quòd sunt quinque, quarum duæ hic omissæ sunt: vna quidem habens maiorem falsam in parte, & minorem veram, vel minorem falsam: istæ enim satis intelligi possunt per eas quæ positæ sunt: omnes enim coniugationes quæ fiunt in secunda figura, possunt in conclusionem veram.

CAPVT VIII.

Qualiter syllogizatur verum ex falso in syllogismis tertiæ figuræ & vniuersalibus & particularibus.

Erit autem & in postrema, &c.

ERit autem & in postrema figura per vtrasque falsas & totas & in parte, siue sit vtraque falsa, siue altera falsa & altera vera. Et quando vna quidem in aliquo falsa est, & alia in toto vera, siue è conuerso, vna quidem in toto falsa, & reliqua in aliquo vera, & quotquot modis aliter secundum verum & falsum contingit transumere siue variando combinare propositiones, semper & in omni sequitur ex falso verum.

Nihil enim prohibet, &c.

Hoc autem statim probatur in primo tertiæ: nihil enim prohibet (c. posito medio, & a. maiori extremitate, b. autem minore) secundum rem neque a. maius extremum, neque b. minus extremum, nulli c. inesse, ita quod nullum c. sit a. & nullum c. sit b. ita tamen quod a. insit alicui b. particulariter, sicut in his terminis, homo, gressibile, inanimatum: ipsum enim quod est, inanimatum (subiectum & medium) neque homo sequitur vt prædicatum de ipso, neque gressibile sequitur ipsum vt de ipso prædicatum: nullum enim inanimatum est homo, & nullum inanimatum est gressibile: & homo vt prædicatum sequitur particulariter alicui gressibili, quia aliquod gressibile est homo. Si ergo sumantur contrariæ dictarum propositionum, vt c. medio omni vniuersaliter inesse a. & eidem c. omni inesse b. propositiones quidem erunt in toto falsæ, & conclusio vera in primo tertiæ, sic, omne inanimatum homo: omne inanimatum gressibile: ergo quoddam gressibile homo.

Similiter autem est, &c. & cum hæc est priuatiua, &c.

Similiter autem est in secundo tertiæ in quo hæc quidem propositio maior est vniuersalis priuatiua: illa verò (minor scilicet propositio) est vniuersalis affirmatiua. Cuius probatio est: quia possibile est secundum rei veritatem, quod b. nulli c. insit, ita quod nullum c. insit b. & quod a. secundum rem insit omni c. & quod a. maius extremum particulariter non insit alicui b. sicut est in his terminis, animal, nigrum, cignus, in quibus nigrum nulli cigno, animal autem omni cigno inest, & animal particulatiter non omni inest nigro. Propter quod si sumantur harum propositionum contrariæ, ita quod b. dicatur omni c. inesse in minori, & idem c. nulli a. dicatur inesse in maiori propositione, sequitur in secundo tertiæ, quòd a. particulariter alicui b. non inerit, sic, nullus cignus animal: omnis cignus niger: ergo quoddam nigrum non est animal. Et conclusio quidem est vera: propositiones autem vtræque in toto sunt falsæ. Sic igitur scitur, quòd in duobus vniuersalibus modis tertiæ ex vtrisque totis falsis syllogizatur verum.

Et si in aliquo sit vtraque falsa, &c.

Idem fit quando quidem vtraque non in toto, sed in aliquo est falsa: ex talibus enim sequitur conclusio vera: nihil enim prohibet & a. maius extremum, & b. minus alicui c. medio particulariter inesse secundum rei veritatem, & quod a. maius insit alicui b. minori particulariter, sicut patet in his terminis, album, pulchrum, animal. Album enim alicui inest animali particulariter, & similiter pulchrum alicui inest animali particulariter, & album inest alicui pulchro particulariter. Si ergo sumantur vniuersales subalternantes istas particulares, & dicatur, quòd a. omni c. inest, & quod b. inest omni c. propositiones quidem præmissæ ambæ erunt in aliquo falsæ, & conclusio vera erit in primo tertiæ, sic, omne animal est album: & omne animal est pulchrum: ergo aliquod pulchrum album.

Et priuatiua a. c. ponatur similiter, &c.

Similiter autem in secundo tertiæ in quo priuatiuè ponitur a. c. maior propositio. Cuius exemplum est: quia nihil prohibet a. maiorem extremitatem particulariter alicui c. non inesse, & b. minorem extremitatem particulariter alicui c. medio inesse secundum rem, sicut se habent hi termini, pulchrum, album, animal: pulchrum enim alicui animali non inest particulariter, & album inest alicui animali particulariter, & tunc a. non omni b. inest in conclusione secundum rei veritatem: propter quod si sumantur vniuersalis loco particularium, & sumatur in maiori, quòd a. nulli c. inest, & quod in minori b. inest omni c. vtræque quidem propositiones erunt non in toto, sed in aliquo falsæ, conclusio autem vera in secundo tertiæ, sic, nullum pulchrum est animal: omne pulchrum album: ergo quoddam album non est animal.

Similiter quidè & hæc tota falsa, &c.

Similiter sequitur ex falso verum si vna sit in tota falsa (maior scilicet) alia verò scilicet minor sit in toto vera. Possibile est enim inuenire terminos tales, in quibus a. sequitur omne c. vt prædicatum de ipso, & in quibus etiam omne b. sequitur c. & prædicatur vniuersaliter de ipso secundum rei veritatem, & quod a. particulariter non inest alicui b. in conclusione, sicut in his terminis, animal, album, cignus: omnis enim cignus animal: & omnis cignus album: & tamen non omne album animal: taliter igitur positis terminis si sumatur b. quidem toti c. vniuersaliter inesse in minori, & sumatur a. toti c. non inesse in maiori vniuersaliter b. c. quidem propositio minor in toto erit vera. a. c. autem propositio maior tota erit falsa, & conclusio erit vera, sic, nullus cignus animal: omnis cignus album: ergo quoddam album non est animal. Et est in secundo tertiæ.

Similiter autem & si b. c. quidem falsa, &c.

Similiter autem est si b. c. minor propositio ponatur esse in toto falsa. a. c. autem maior ponatur in toto vera: nam iidem termini sunt per quos hoc demonstratur, nigrum scilicet, cignus, inanimatum, sic, nullus cignus inanimatum: omnis cignus niger: ergo quoddam nigrum non est inanimatum. Et est in secundo tertiæ.

Sed & si vtraque sumantur affirmatiuæ, &c.

Idem autem fit in primo tertiæ si vtraque præmissæ assumantur affirmatiuæ, & concludatur particularis affirmatiua. Nihil enim prohibet tales inuenire terminos, in quibus secundum rei veritatem b. sequitur omne c. & a. secundum rem toti c. non inest vniuersaliter, & quod tamen secundum rem a. inest alicui b. particulariter, sicut est in his terminis, animal, nigrum, cignus: omni enim cigno sequitur animal: est enim omnis cignus animal: nigrum verò nulli cigno sequitur: & nigrum inest vt prædicatum particulariter alicui animali. Si ergo sumantur contrariæ istarum, & sumatur a. inesse omni c. & sumatur b. inesse omni c. erit b. c. minor propositio in toto vera. a. c. autem maior propositio erit in toto falsa: & sequitur conclusio vera, sic, omnis cignus

cignus niger: omnis cignus animal: ergo quoddam animal nigrum.

Similiter autem & a. c. sumpta vera, &c.

Similiter autem est quando a. c. propositio maior sumitur in toto vera, & b. c. minor sumitur in toto falsa: nam per eosdem terminos transpositos est demonstratio, sic, omnis cignus animal: omnis cignus niger: ergo quoddam nigrum animal.

Rursum hæc quidem tota vera, &c.

Rursum si secundum aliam variationem in vniuersalibus syllogismis fiatam sumatur vna præmissarum tota vera, & alia sumatur in aliquo falsa, & non in toto, adhuc in tertia figura sequitur verum ex falso: possibile est enim secundum rem, quod b. minus extremum omni c. insit vniuersaliter, & quod secundum rei veritatem a. maius extremum particulariter insit alicui c. & quod a. insit alicui b. particulariter, vt in his terminis, bipes, pulchrum, homo: bipes enim ineſt omni homini, quia omnis homo est bipes: pulchrum autem non omni homini ineſt: & similiter pulchrum ineſt alicui bipedi secundum rem. Si ergo contrario modo sumantur propositiones, ita quòd a. dicatur omni & toti ineſſe c. & similiter b. dicatur in minori toti ineſſe c. tunc in primo tertiæ b. c. minor propositio in toto erit vera. a. c. autem maior propositio in aliquo erit falsa, & conclusio erit vera, sic, omne bipes pulchrum: omne bipes animal: ergo quoddam animal pulchrum. Et est syllogismus in primo tertiæ.

Similiter autem & a. c. quidem vera, &c.

Similiter autem sequitur verum ex falso in primo tertiæ si a. c. maior propositio sumatur tota vera. b. c. autem minore propositione falsa sumpta secundum partem: transpositis enim eisdem terminis vt extremitas maior fiat minor & è conuerso, erit demonstratio, sic, omne bipes animal: omne bipes pulchrum: ergo quoddam pulchrum animal.

Et quum hæc quidem est priuatiua, &c.

Idem autem fit in secundo tertiæ cum hæc quidem præmissarum est priuatiua, alia verò fuerit affirmatiua vniuersalis, minor scilicet: quoniam enim euenit in aliquibus terminis secundum rei veritatem b. quidem toti c. ineſse in minori. a. autem secundum rem alicui c. tantum particulariter ineſse: & quando sic habent propositiones & termini, tunc non omni b. ineſt a. in conclusione. Si ergo sumatur in minori b. toti & omni c. ineſſe. a. autem sumatur aulli c. ineſse in maiori priuatiua, priuatiua quidem maior erit in aliquo falsa, altera autem vniuersalis affirmatiua erit in tota vera, & sequitur conclusio vera in secundo tertiæ, sic, nullum bipes pulchrum, omne bipes animal; ergo quoddam animal non est pulchrum.

Rursum quia quum ostensum est, &c.

Rursum autem (cum iam immediatè ante ostensum est, quoniam cum a. nulli c. ineſt secundum rem, & quod b. ineſt alicui c. particulariter secundum rem: tunc euenit secundum veritatem, quòd a. alicui b. non ineſt in conclusione) ex hoc eodem manifestum est, quoniam etiam cum a. c. propositio maior tota est vera, b. c. autem propositio minor in aliquo falsa, contingit conclusionem esse veram. Si enim sic se habentibus terminis & propositionibus, sumatur quod a. nulli c. ineſt in maiori, & quod b. ineſt omni c. in minori a. c. quidem maior propositio erit in toto vera. b. c. autem propositio minor in aliquo erit falsa, sic, nullum nigrum cignus: omne nigrum animal: ergo quoddam animal non est cignus.

Manifestum autem & in parte cum, &c.

Cum autem ista varietas iam ostensa sit in vniuersalibus syllogismis, manifestum est etiam, quoniam in omnibus particularibus tertiæ figuræ syllogismis omnino & vniuersaliter secundum omnẽ varietatem propositionum contingit verum per falsa vel per falsum syllogizare: nam iidem termini sunt sumendi ad demonstrationem, & quando vniuersales, & quando particulares sumuntur præmissæ propositiones, negatiui quidem ad negatiuos, affirmatiui autem ad affirmatiuos referantur mutata quantitate alterius propositionis, sicut diximus in categoricis siue prædicatiuis (hoc est, affirmatiuis syllogismis) sicut in tertio & quarto tertiæ, qui sumuntur iuxta primum eiusdem figuræ. In priuatiuis autem syllogismis sumantur priuatiui, sicut in quinto & sexto tertiæ, qui sumuntur iuxta secundum modum eiusdem tertiæ: nihil enim differt in tertia figura, quæ particulariter concludit (quantum ad terminorum positionem siue sumptionem) cum nulli ineſt secundum rem omni sumere per contrarium ineſse: & vniuersaliter in omni variatione propositionum quæ inducta est, si sumptum est particulariter alicui ineſse, hoc vniuersaliter alicui ineſse sumere in terminorum positione. Potest enim particularis sumi sub vniuersali in eisdem terminis. Similiter autem est etiam in priuatiuis syllogismis acceptis sub secundo tertiæ, ita quod particularis sub vniuersali sumatur: nec oportet hos syllogismos formare, quia faciles considerata habitudine terminorum in vniuersalibus.

Numerus & sufficientia modorum vniuersalium tertiæ figuræ concludentium verum ex falsis. Remouet dubium.

Est autem hîc attendendum sicut in aliis, quod in vniuersalibus tertiæ figuræ sunt octo combinationes: aut enim vtraque est falsa, aut tantum altera. Si vtraque: aut in toto, aut in parte, aut maior in toto, & minor in parte, aut è conuerso minor in toto & maior in parte. Si autem tantum altera est falsa: aut maior, aut minor. Si maior: aut in toto falsa, aut in parte: & si minor, aut in toto, aut in parte. Et sic sunt octo conjugationes, quarum duæ omissæ sunt, illæ scilicet quæ habent alteram in toto falsam, & alteram in parte falsam: quia illæ satis intelliguntur per illas quæ habent alteram in toto falsam & alteram veram.

Obiectio.

Si autem aliquis obiiciat dicens, quòd prima figura per conuersionem minoris facit tertiam, & sic maior primæ figuræ adhuc manet in tertia: sed maiore tota falsa non concludebatur conclusio vera in prima figura, minore existente vera vel partim falsa: ergo videtur, quòd nec in tertia maiore tota falsa existente, & altera vera vel partim falsa, possit esse conclusio vera. Dicendum, quòd illa ratio non valet: tria enim sunt in causa, quare in tali habitudine propositionum non poterat esse conclusio vera in prima figura, quorum vnum est falsitas maioris in toto, secundum acceptio conclusionis vniuersalis, tertium autem talis situs medij ad extrema, quòd minus extremum

Solutio.

accipitur

accipitur sub medio, & medium sub maiori extremo: & quocunque istorum trium deficiente poterit sequi conclusio vera ex tic falsa, vel falsis: vnde in syllogismis particularibus primæ figuræ (sicut dictum est) se habentibus propositionibus poterit esse vera conclusio particularis. Et similiter in vniuersalibus secundæ figuræ, & in syllogismis tertiæ figuræ similiter.

Numerus & sufficientia modorum particularium, vt supra.

Est etiam notandum, quòd in syllogismis particularibus tertiæ figuræ sunt quinque coniugationes in hac habitudine propositionum sicut & in aliis, & omnes vtiles. Aut enim est vtraque falsa: & hoc dupliciter, scilicet vel in toto falsa, vel in parte falsa: vel altera tantum est falsa, & hoc vel particulari, vel vniuersali: & hoc dupliciter, aut in toto, aut in parte.

In summa autem notandum est, quòd in omnibus figuris in vniuersalibus syllogismis sunt octo coniugationes, & in particularibus sunt quinque, & omnes generaliter possunt in conclusionem veram, exceptis duabus coniugationibus vniuersalium syllogismorum primæ figuræ, vbi maior est in toto falsa, minor autem vel vera, vel in parte falsa.

Obiectio rundum.

Sunt tamen qui generaliter obiiciunt contra omnia quæ de omnibus figuris in hoc capitulo dicta sunt & in præhabitis de hac materia tractatibus: dicunt enim, quòd falsitas est priuatio veritatis, sicut negatio priuatio est affirmationis. Sed ex minori negatiua non fit syllogismus in prima figura & tertia, nec ex ambabus negatiuis fit syllogismus in aliqua figura. Ergo nec ex minori falsa fiet syllogismus in prima & tertia, neque ex vtraque falsa fit syllogismus in aliqua figurarum, vt videtur.

Solutio.

Ad hoc autem dicendum, quòd ad syllogismum primæ & secundæ figuræ sufficit minorem propositionem esse affirmatiuam secundum sermonem: & hoc quidem etiam sufficit in omnibus figuris: non enim exigitur, quòd affirmatiua positiua sit secundum se, siue secundum rem: sed sufficit, quòd sit positiua secundum sermonem solum quantum ad figuram & modum syllogismi.

CAPVT IX.

De probatione, quod verum non sequitur ex falso, nisi quia & non propter quid.

Manifestum ergo, quoniam, &c.

CVm autem præmissæ se habeant ad conclusionem, sicut antecedens & principium, conclusio autem ad præmissas, sicut consequens; manifestum est, quoniam si fit conclusio falsa, necesse ea falsa esse ex quibus (vt propositionibus) est oratio syllogistica, aut omnia siue ambo, aut aliqua siue altera præmissarum: & hæc est causa eius, quod probatum est primo, scilicet quòd falsum non sequitur ex vero. Quando autem vera est conclusio, non necesse est veras esse præmissas: quia non est necesse, quòd posito consequente vero ponatur antecedens: & ideò conclusione vera existente non est necesse principia esse vera in quid siue in quoddam, siue omnia, siue ambo: sed cum nullum sit verum præmissorum in syllogismis, contingit adhuc conclusionem esse veram similiter sicut quando præmissæ sunt veræ: & hæc est causa eius quod secundo probatum fuit, scilicet quòd verum sequatur ex falso.

Causa autem, &c.

Causa autem eius quod dictum est, hæc est: quia quando duo sic se habent adinuicem, vt cum vnum sit vel esse dicatur, ex essentiali & naturali consequentia necesse sit esse reliquum, sicut se habent antecedens & consequens, quando consequens actu est de intellectu antecedentis, tunc cum hoc non sit (quod est consequens) sequitur alterum non esse quod est antecedens: quia destructo consequente destruitur antecedens: cum autem sit consequens, non propter hoc necesse est antecedens.

Idem autem antecedens cum sit & non, &c.

Ad idem autem antecedens cum sit & non sit (hoc est, acceptum secundum esse & non esse) impossibile est idem esse consequens. Dico autem hoc exponendo in terminis, vt cum dicimus, quòd sit a. antecedens album, & quod b. consequens (quod est esse magnum) sit ex necessitate (sequitur enim si album est, magnum est, eò quod magnum est subiectum albi cadens in diffinitione eius: album enim non est nisi in magnitudine, sicut simum non est nisi in naso: vnde sicut sequitur, si simum est, nasus est: ita sequitur, si a. album est, b. magnum necesse est esse) & cum hoc quod dicatur, a. album non est: ad hæc enim duo a. esse & non esse, impossibile est idem consequens sequi, scilicet quod sit b. magnum. Quando enim ponitur inter tres terminos, consequentia scilicet, quod quando est a. album positum, necesse est b. magnum esse: & cum est b. magnum, sequatur necessario c. non album esse: sequitur necessario à primo ad vltimum, quod si a. album est, quod etiam c. album non est: quod tamen est impossibile: sed sumitur ex aduersario concedente, quod idem consequens sequitur ad antecedens esse & non esse: & tunc quidem à primo ad vltimum est in duobus sicut in tribus.

Et quando duobus existentibus, &c.

Quando igitur duobus existentibus (antecedente scilicet & consequente) cum vnum eorum (scilicet antecedens) sit, necesse est alterum esse, quod est consequens: & si hoc (scilicet consequens) non est, necesse alterum non esse quod est antecedens: cum ergo b. magnum (quod est consequens) non sit a. album (quod est antecedens) non potest poni esse: quia destructo consequente destruitur antecedens. Si ergo dicatur, quòd cum a. album non sit, necesse sit b. magnum esse (quod est consequens: & hoc dicit qui concedit, quòd ad destructionem antecedentis necessario sequitur consequens) sequitur & accidit de necessitate à primo ad vltimum arguendo, quòd cum b. magnum non sit, idem b. magnum sit: si enim idem est consequens ad esse & non esse antecedentis, sequitur autem si antecedens est, consequens est: & si consequens non est, antecedens non est: sequitur ad idem esse, esse consequens, &

Quasi dicat, quòd benè sequitur, si consequens non est: antecedens non est: & si antecedens non est: per aduersarium adhuc consequens est: ergo à primo ad vltimum ad non esse

consequens sequitur esse consequens.

ad non esse, esse consequens: ergo à primo ad vltimum non esse consequens, sequitur esse consequens: hoc autem est impossibile: nam in consequentis talibus destructo consequente destruitur antecedens: vnde si b. magnum non est, a. album antecedens non est, ex necessitate consequentiæ. Si igitur detur, quòd cum non sit antecedens, adhuc erit consequens, sicut si dicam cum non sit a. album antecedens, adhuc erit b. magnum quod est consequens, accidit per duo sicut per tria, quòd si b. magnum non est, quod b. magnum est: esse enim accidit ex positione antecedentis, non esse autem ex hypothesi concedentis, quòd idem est consequens sequens ad positionem antecedentis & destructionem antecedentis.

Et ex hoc concluditur, quòd verum ex falso non sequitur per syllogismum dicentem propter quid vt causam conclusionis, sed per syllogismum quia: & sic ad idem esse & non esse, non sequitur aliquid ex necessitate esse. Sed ad antecedens esse vel esse verum sequitur consequens esse vel esse verum, quod idem est: ergo ad antecedens non esse vel esse falsum, quod idem est, non sequitur consequens esse vel esse verum, quod idem est. Et sic non ex necessitate causæ dicente propter quid sequitur verum ex falso: quia si consequens non est, antecedens non est: & si idem consequens sequitur ad esse & non esse antecedentis: si antecedens non est, consequens est: ergo à primo ad vltimum: si consequens non est, consequens est: quod est impossibile: & sic probatum est propositum.

TRACTATVS II.

De syllogismo circulari.

CAPVT I.

Cuius sit potestatis, & an syllogismus, & ad quem vsum, & quid sit per diffinitionem syllogismus circularis.

POST hæc de syllogismo circulari tractandum est: quia in illo potestas syllogizandi consideratur, quæ est ex conclusione super præmissas. In præcedentibus potestas syllogizandi considerata est, quæ est ex præmissis super conclusiones duas, vel vnam, vel secundum quod aliquid potest inferri ex præmissis. Primum attendendum est, quòd quamuis non sit de arte vel natura, quod idem prius & posterius sit seipso, & aliquid notius & ignotius seipso: tamen idem sub vno modo acceptum & sub alio modo acceptum potest esse notius & ignotius seipso quantum ad nos, & prius & posterius, sicut est videre in diffinitione & diffinito, quorum vtrumque infert reliquum, cum tamen idem sint: & sic est in conuersa & conuertente, & in multis aliis: & hoc modo fit in circulari syllogismo, sicut patebit in sequentibus.

Idem diuersimodè acceptum potest esse notius & ignotius.

Obiectio.

Adhuc autem siquis obiiciat, quòd in omni syllogismo est decursus ab vniuersali ad particulare: in circulo autem de pari in par decurritur. Facile est respondere: quia sicut propositio constituitur ex conuertibilibus, & tamen subiectum est in ratione partis, & prædicatum in ratione totius: ita fit decursus in syllogismo in terminis conuertibilibus, & tamen maior est in ratione vniuersalis, & conclusio in ratione partis præmissarum: & non oportet in syllogismo secundum quod syllogismus est, talem decursum esse secundum rem, sed secundum modum tantum, secundum signa distributiua acceptum. Hic autem syllogismus circularis vtilis est & demonstratoti, & dialectico: demonstrator enim ostendit per causam immediatam effectum essentialem, & è conuerso causam per talem effectum: & sic reflectetur circulus si à primo ad vltimum prædicatur: si enim per a. causam ostenditur b. effectus, & per b. effectum ostenditur a. causa: ergo à primo ad vltimum a. causa ostenditur per seipsam. Dialectico autem est vtilis: quia ille procedit ex opinatis: & sufficit ei idem per idem ostendere secundum rem, dummodo respondenti vel aliis videatur notius esse sub vno modo quam sub alio.

Solutio. Quomodò tantùm gradum est, quòd subiectum se habet per modii partis & prædicatum per totius, & quomodo in omni syllogismo est decursus ab vniuersali ad particulare. Quomodo syllogismus circularis est vtilis demonstratori & dialectico.

Siquis autem obiiciat quod in tali processu videtur esse petitio eius quod est in principio. Dicendum, quòd non est: petitio enim principij non est nisi in propositione, quæ non est nata per se ostendi, & ostenditur per seipsam vel per æquè dubia sibi. In istis autem propositionibus quæ sunt natæ per seipsas ostendi, non fit petitio eius quod est in principio: & tales sunt propositiones quæ sunt in terminis conuertibilibus, quæ licet secundum rem idem sint, non tamen secundum modum accipiuntur vt idem, sed vt notius vno modo, & ignotius alio modo. Tractabimus ergo hîc de syllogismo circulari secundum quod in communi consideratus abstrahit à terminis causalibus & opinabilibus: quia talis consideratio pertinet ad hanc scientiam. In secundo autem posteriorum secundum quod in terminis causalibus consideratur, agendum erit de ipso.

Obiectio. Solutio. Remouet dubium.

Dicamus

Circulo autem & ex seinuicem ostendere, &c.

Dicamus igitur, quòd idem est circulo siue circulariter aliquid ostendere, ei quod est ex seinuicem ostendere: & hoc quidem (per diffinitionem) est per conclusionem facti syllogismi & prædicationem vnam siue præmissam propositionem acceptam in situ terminorum è conuerso (sicut fit in omni conuersa in terminis propositione) concludere reliquam siue maiorem siue minorem, cuius conuersa cum conclusione non ponitur: & hæc est reliqua præmissarum, quam prius sumpserat in primo syllogismo non reflexo. Cuius exemplum est: si enim velimus ostendere, quomodo ex conclusione & conuersa minoris syllogizatur maior, fiat sic principalis & directe procedens syllogismus: omne b. est a. omne c. b. ergo omne c. a. Deinde sumatur ad reflexum syllogismum illa maior quæ fuit conclusio, scilicet omne c. est a. cum conuersa minoris quæ est, omne b. est c. & inferatur conclusio quæ fuit maior prioris syllogismi, sic, omne c. a. omne b. c. ergo omne b. a. Vnde si oportet monstrare maiorem, hanc scilicet, quoniam a. inest omni c. ostendat hoc aliquis per b. medium quod in priori syllogismo fuit minus extremum.

Aut si quoniam b. inest c. &c.

Similiter autem ex conclusione & conuersa maioris syllogizabitur minor propositio reflexo syllogismo, sic, omne a. est b. omne c. a. ergo omne c. b. quæ fuit minor primi syllogismi syllogizata ex conclusione, & conuersa maioris primi syllogismi: & sit medium a. prius enim sumptum fuit per syllogismum a. prædicatum de b. quod est è conuerso sumptum: quia nunc sumitur conuersa maioris vbi sumitur b. prædicatum de a. quod in terminis conuertibilibus nihil est inconueniens. Aliter verò (quam per conclusionem & conuersam alterius præmissarum) non est ex seinuicem circulariter ostendere siue syllogizare. Siue enim aliud medium sumatur à tribus terminis in primo syllogismo positis, tale medium nihil concludit præmissorum: & tunc non fit reflexio ad principium, vnde incipit processus, eò quòd tunc nihil sumitur pro medio de numero eorundem terminorum qui sunt in primo syllogismo: siue etiam accipiatur pro medio quod est de numero horum eorundem terminorum qui sunt in primo syllogismo: & tunc necesse est, quod alterum solum conuersum cum conclusione primi syllogismi accipiatur. Si enim ambo accipiantur (quæ erant in priori syllogismo & non conclusio cum conuersa alterius) eadem erit siue sequetur conclusio quæ prius: & neutro istorum modorum erit reflexio. in circulo. In circulari enim syllogismo oportet conclusionem esse diuersam à conclusione primi syllogismi: quia aliter non fieret reflexio à conclusione secundi in alterum principiorum primi. Est igitur conueniens & conuertibilis inducta diffinitio, & patet ex quibus sic fit circularis syllogismus, & quòd aliter fieri non potest. Dicitur autem melius fieri per conclusionem & conuersam alterius præmissarum, quam per conclusionem & alteram præmissam, vel quam per conuersionem vtriusque præmissarum, vel per conuersam vtriusque præmissarum: quia conclusio sumpta cum vna præmissarum, vel conuersa vtriusque facit dispositionem secundæ vel tertiæ figuræ: tertia autem figura non concludit vniuersalem, & secunda non concludit affirmatiuam: & ideò necesse est in syllogismo circulari ad concludendam vniuersalem affirmatiuam præcipuè accipi præmissas sub dispositione primæ figuræ: sic autem se habent conclusio & conuersa vnius præmissarum: & ideò conuenientius dicitur circulus fieri ex conclusione & conuersa alterius præmissarum, quam ex conclusione & vna præmissarum, vel ex conuersione vtriusque præmissarum.

Quare dixit circuli fieri ex conclusione & conuersa alterius præmissarii, & non ex conclusione & altera præmissa vel ex conuersione vtriusque præmissarum.

Siquis autem obiiciens dicat hanc diffinitionem non esse generalem, nec omni circulari syllogismo conuenire: quia aliqua circularis ostensio fit per conuersam conclusionis, & per alteram propositionem ad syllogizandum conuersam alterius: & illi diffinitio non conuenit, quia non dicit nisi quod fit per conclusionem & conuersam alterius. Dicendum est ad hoc, quòd in primo modo primæ figuræ duæ sunt ostensiones circulares. Vna est quæ per principales præmissis prima syllogismi ostendit conclusionem, & è conuerso per conclusionem & conuersam alterius præmissarum ostendit aliam præmissam: & hæc semper sumit conclusionem cum conuersione alterius præmissarum, secundum quod directè dicit diffinitio. Alia est quæ per conuersas propositionum principalium concludit conuersam conclusionis principalis, & huiusmodi conclusio accipitur cum conuersa alterius præmissarum in reflexo syllogismo circulariter. Huic enim syllogismo est conclusio conuersa conclusionis principalis, & præmissa eius est conuersa principalis præmissæ, & conuersa præmissæ eius est principalis præmissa. Et ex hoc patet, quod sicut in prima circulatione syllogizatur vna conclusio ex conclusione & conuersa alterius propositionis, sic etiam fit in secunda circulatione: & sic patet, quòd vnicuique circulationi secundum se consideratæ conuenit superius inducta diffinitio.

Obiectio. Solutio.

Dubitatio.

Ex iam dictis autem facile est soluere id quod hic quæri solet, scilicet cum (sicut dictum est) fiat syllogismus circularis, vtrum vnusquisque circulorum secundum se circulus sit, aut sint omnes vnus circulus: neutrum enim horum videtur esse: quia nec primo modo nec secundo fit reditus in idem à quo incipit decursus syllogismi. Patet enim ex hoc verum esse, quòd non fit in idem reditus: sed cum fiant tex syllogismi iuxta primum modum primæ figuræ (vt ostenditur poste) isti sex duos faciunt circulos.

Solutio.

CAPVT

CAPVT II.

Qualiter fit circularis syllogismus in prima figura vniuersalis affirmatiuus & vniuersalis negatiuus, & qualiter particularis affirmatiuus & negatiuus.

In his ergo quæ non conuertuntur, &c.

AD sciendum autem qualiter in singulis figuris circularis ni syllogizmus, primo sciendum est, quòd in his terminis vel propositionibus quæ non conuertuntur siue quæ sunt in terminis non conuertibilibus si fiat syllogismus circularis, oportet quod procedat ex indemonstrata propositione: non est enim demonstrare siue ostendere circulariter per hos terminos qui non sunt conuertibiles, quòd medio insit tertium (hoc est minus extremum quod tertium est in dispositione figuræ primæ) per conuersionem minoris: quia tales termini non conuertuntur: & ideò subiectum non potest fieri prædicatum, & è conuerso vniuersaliter accepta minori propositione: & eadem de causa non est accipere in maiori propositione, qualiter primum, id est, maius extremum insit medio, sicut subiectum est contentum in prædicato.

In his verò terminis qui conuertuntur & pares sunt inuicem, est omnia demonstrare siue ostendere per seinuicem circulariter, sicut patet in his terminis, a. b. c. in primo modo primæ figuræ, & primo in principali syllogismo ostendatur hæc conclusio, omne c.a. per b. medium, sic, omne b.a. & omne c.b. ergo omne c. a. Et in reflexo syllogismo rursum ostendatur maior quæ est, omne b.a. per conclusionem inductam, & per b. c. minorem propositionem conuersam, sic, omne c. a. omne b.c. ergo omne b. a. quæ fuit maior in principali syllogismo. Similiter autem circulariter reflectendo ostenderetur minor quæ est c. b. propositio per conclusionem & maiorem conuersam, sic, omne a. b. quæ est conuersa maioris: omne c. a. quæ est conclusio: sequitur, quod omne c. b. quæ fuit minor principalis syllogismi. Iste igitur est vnus circulus tribus syllogismis conclusus.

Ostendatur enim a. c. &c.

Oportet autem & b. c. & b. a. &c.

Oportet autem & conuersas harum propositionum per alium circulum demonstrare: & ideo oportet demonstrare & concludere & b.c. propositionem (quæ est conuersa minoris) & b.a. propositionem (quæ est conuersa maioris) per circulum demonstrare siue concludere. Nam his solis vsi sumus in præcedenti circulatione in demonstratis: eò quod illæ conclusæ non fuerunt per aliquem syllogismum circuli prius positi. Dicamus igitur, quòd si sumatur minor principalis syllogismi quæ est b. omni c. inesse, siue quod omne c. est b. & iungatur ei a.c. propositio quæ est conuersa conclusionis, sic, omne a. c. erit syllogismus concludens conuersam maioris, hoc est, b. ad a. vniuersaliter prædicari, sic, omne c. b. omne a. c. ergo omne a. b. Rursum autem si sumatur c. omni a. inesse, quod est conuersa conclusionis principalis: & sumatur a. omni b. inesse, quod est conuersa maioris: necesse est sequi c. inesse omni b. quod est conuersa minoris.

In vtrisque ergo, &c.

In vtrisque autem his syllogismis circularibus sumpta est a.c. propositio (quæ est conuersa conclusionis) indemonstrata: eò quod per nullum dictorum syllogismorum est concluſa: omnes enim aliæ propositiones & conuersæ earum probatæ sunt & concluſæ: propter quod si hanc circulari syllogismo demonstrauerimus siue concluserimus, omnes erunt approbatæ siue concluſæ per seinuicem. Si ergo sumatur c. omni b. inesse, quæ est conuersa minoris principalis syllogismi: & sumatur conuersa maioris, scilicet quod b. insit omni a. & vtraque dictæ propositiones sumantur demonstratæ & concluſæ per circularem syllogismum in secundo circulo positum, sequitur quod c. necesse est inesse a. quæ est conuersa conclusionis principalis syllogismi.

Manifestum ergo, quoniam, &c.

Manifestum est igitur ex his quæ dicta sunt, quoniam in solis his terminis qui conuertuntur, circulo & per seinuicem contingit fieri demonstrationes siue conclusiones. In aliis autem non conuertibilibus fiunt ostensiones, quemadmodum prius in anteriori libro dictum est. In his autem quæ conuertibilia sunt eodem sumpto, hoc est, eadem conclusione quæ demonstratur in primo syllogismo, accidit vti pro propositione ad demonstrationem alterius conclusionis, quæ est conclusio reflexi syllogismi in circulum: cuius signum est: quia in syllogismo reflexo c. de b. quæ est conuersa minoris, & b. de a. quæ est conuersa maioris, monstratur sumpto c. de a. dici, conuersa scilicet conclusionis. c. autem de a. (conuersa s. conclusionis) ostenditur per has propositiones acceptas conuersas: propter quod conclusione sumpta in circulari syllogismo pro præmissa vtimur ad demonstrationem præmissarum.

In priuatiuis autem syllogismis, &c. Remouet dubium.

In priuatiuis autem syllogismis vniuersalibus primæ figuræ circularibus hoc modo conclusionis & propositionum fit demonstratio ex seinuicem. Et dico priuatiuis syllogismis: quia licet vnus solus sit in prima figura priuatiuus & vniuersalis syllogismus: tamen quia duobus circulis clauditur, plures ad hoc in circulari syllogismo necesse est fieri syllogismos. Fiat autem syllogismus principalis sic: accipiatur enim minor vniuersalis affirmatiua, ita quod b. dicatur omni c. inesse: & accipiatur maior negatiua, ita quod dicatur a. nulli b. inesse: conclusio erit principalis syllogismi, quoniam a. nulli c. inerit, sic, nullum b. a. omne c. b. ergo nullum c. a. Si ergo rursum in reflexo syllogismo oporteat concludere maiorem principalis syllogismi (hanc scilicet) quod a. nulli insit b. siue quod nullum b. est a. quod prius in principali syllogismo sumptū erat pro maiori: tunc sumetur conclusio principalis syllogismi, hæc scilicet quod a. nulli c. inest, & adiungetur cōuersa minori, hæc scilicet quod c. inest omni b. (sic enim è cōuerso sumitur minor propositio) & concluditur, quòd nullum b. a. sic, nullum c. a. omne b. c. ergo nullum

nullum b. a. quæ fuit maior principalis syllogismi.

Si autem quoniam b. omni inest c. &c.

Si autem oporteat concludere circulari syllogismo minorem principalis syllogismi, hanc scilicet, quoniam b. inest omni c. siue quod omne c. est b. non similiter vt prius in affirmatiuo syllogismo conuertenda est a. b. maior propositio: nam eadem quantum ad qualitatem est propositio maior quæ dicit, quoniam a. nulli inest b. & sua conuersa quæ dicit, quòd nulli a. inest b. ambæ enim sunt negatiuæ: & affirmatiua (quæ est minor concludenda) non sequitur ex negatiua: & ideo maioris conuersa reducenda est in affirmatiuam sic: maior enim est, nullum b. est a. & conuertenda in hanc, cui a. nulli inest, huic omni inest b. hæc enim est affirmatiua, scilicet c. nulli inest a. quæ fuit conclusio: ergo c. omni inest b. quæ fuit minor in syllogismo principali.

Quare quia sunt tria.

Propter quod cum tria sint in syllogismo principali, vnumquodque illorum conclusio facta est: tria enim sunt maior & minor & conclusio: circulo enim demonstrare (sicut diximus) hoc est aliquem sumentem conclusionem principalis syllogismi cum conuersa alterius præmissarum reliquam (quæ non conuertitur) syllogizando in reflexo syllogismo concludere.

Dubitatio.

Si autem quæritur, quare iuxta modum vniuersalem negatiuum primæ figuræ non fiunt sex syllogismi, sicut circa modum affirmatiuum: hic enim non syllogizantur nisi præmissæ tantum, & non syllogizatur conclusio earum.

Solutio.

Dicendum quod hoc ideo est: quia in negatiuo vniuersali syllogismo primæ figuræ non fit nisi vna circulatio, quamuis iuxta primum modum fuerant duæ circulationes: ex conuersis enim præmissarum potest ostendi conuersa conclusionis: nec ex conuersa conclusionis & minore potest ostendi conuersa maioris, eò quod vtrobique hic & ibi accipitur minor negatiua, quod in prima figura esse non potest: nec ex conuersa conclusionis & maiore concluditur conuersa minoris, quia vtraque est negatiua, & ex vtraque negatiua non fit syllogismus in aliqua figura.

Dubitatio.

Sed adhuc forte quæret aliquis, quare non transponuntur illæ negatiuæ in affirmatiuas, ita quod ex illis syllogizaretur, sicut syllogizatur ad ostendendam minorem principalis syllogismi.

Solutio.

Et dicendum est ad hoc, quòd transpositio talis in illis conuersis esset inutilis, & nihil faceret ad propositum: quod sic patet: fiat enim syllogismus principalis sic, nullum b. a. omne c. b. ergo nullum c. a. Si debeat ostendi conuersa conclusionis, hæc scilicet, nullum a. c. per conuersas præmissarum. Accipiatur ergo conuersa minoris, hæc scilicet, omne b. est c. & deinde iungatur conuersa maioris transposita in affirmatiuam, sic, cui nulli inest a. illi omni inest b. & patet, quòd hoc nihil est ad propositum: ex his enim duabus (omne b. est c. cui nulli inest a. omni illi inest b.) non potest syllogizari, quod c. nulli insit a. Similiter autem est & in aliis conuersis concludendis: & hæc quidem est veritas.

Obiectio quærendam.

Tamen quidam non subtiliter ista perspicientes, concedunt quod conuersæ principalium propositionum syllogizari possint per transpositionem negatiuam in affirmatiuas, eo modo quo dictum est. Est tamen quæstio de huiusmodi conuersione: quia videtur non esse generalis huiusmodi conuersio, & non tenere nisi in materia contingenti. Adhuc autem vbi vera conuersio est, si conuertens est vera, est etiam vera eius conuersa: sed in ista conuersione non est sic: si enim sic dicam, nullus homo est asinus, hæc vera est: & si conuertatur, sic, cui nulli inest asinus, illud omne est homo, falsum erit: quia nulli ligno inest asinus: & tamen non omne lignum est homo. Obiectio.

Dicendum autem ad hoc, quod non vera est conuersio, sed translatio conuersæ negatiuæ in affirmatiuam: vnde negatiua primo est conuertenda, & postea conuersa transferenda, sic, nullum b. est a. in hanc conuertatur, nullum a, b. & postea transferatur, sic, nulli cui inest a. illi omni inest b. Sicut autem in affirmatiua propositione termini sunt conuertibiles, ita & in negatiua termini quantum possunt debent accedere ad conuertibilitatem, ita quod sint contradicentes negatiuè & immediati, ita quod necesse sit alterum inesse sicut in contradictoriis: sicut enim dicitur, nullum æquale est inæquale: hæc enim si transmutaretur in affirmatiua, affirmatiua erit vera sicut negatiua, sic, cui nulli inest inæquale, ei omni inest æquale: vnde talis conuersio non est nisi quædam coarctatio circa maiorem propositionem in syllogismo negatiuo: quæ coarctatio fit ad terminos conuertibiles, vel ad conuertibilitatem accedentes, & oppositionem immediatam quæ est per modum contradictionis. Solutio.

Posset tamen dici, quòd in tali conuersione non fit coarctatio ad terminos conuertibiles: sed cum dicitur, cui nulli inest a. illi omni inest b. per hoc quod dicitur, cui, intelligendum est quid particulare à quo vniuersaliter remouetur a. & cui vniuersaliter insit b. & illud oportet necessario esse c. quia, sicut dictum est in huius tractatus antecedentibus, in circulari ostensione non debet a. sumi terminus nouus extra præacceptos in principali syllogismo: quia aliter non esset ostensio circularis: propter quod per id quod dicitur, cui, per virtutem ostensionis circularis oportet intelligere c. & sic est propositio vera sic, alicui sicut c. cui nulli inest a. omni illi inest b.

Dubitatio.

Si autem quæritur de syllogismo qui fit ex huiusmodi conuersa sic, cui nulli inest a. illi omni inest b. sed c. est cui nulli inest a. ergo omni c. inest b. Talis enim conuersio non videtur esse syllogismus: quia maior est particularis respectu conclusionis: propter hoc quod dico, cui, particulariter supponit pro c. & etiam propter hoc quod minor est negatiua: quorum vtrumque est inconueniens in prima figura. Adhuc quia conclusio est affirmatiua, & vna præmissarum negatiua: quod in nulla figura fieri potest in forma syllogistica. Adhuc si dicatur esse syllogismus primæ figuræ, quæritur in quo modo sit, & non erit assignare. Si autem diceretur syllogismus esse in tertia figura, hoc stare non potest: quia tunc

oporteret

oporteret conclusionem conuerti sicut maiorem: & hoc fieri non debet: quia syllogizatur ex conclusione & altera præmissarum conuersa. Adhuc in tertia figura non syllogizatur vniuersalis: hæc autem concluditur vniuersalis propositio.

Solutio. Ad hoc autem dicendum, quod talis syllogismus est quidem in prima figura, sed non in aliquo modorum primæ figuræ, eo quod non directè ostensiuus: nec habet virtutem inferendi ab eo quod est dici de omni & dici de nullo, sed virtutem inferendi quasi sicut conditionalis quæ talis est, quod si ab aliquo remoueatur vnum, quod continuè inferatur reliquum, vt si non est homo, est non homo. Vnde totus syllogismus ille est quasi hypotheticus, & inferens a positione antecedentis: nec maior est particularis respectu conclusionis, sed est in aquè ei: eo quod hoc quod dico, cui, pro c. supponit; quod idem c. subiicitur in conclusione. Nec etiam est inconueniens in tali syllogismo à positione antecedentis inferre ex maiori negatiua: quia negatio non cadit super totum medium: quinimo pars ipsius medij negatio est: nec inconueniens est ex sic & taliter negatiua inferre affirmatiuam.

In particularibus autem syllogismis, &c. In particularibus autem syllogismis duobus primæ figuræ, scilicet tertio & quarto hic communiter notandum, quòd vniuersalem propositionem talis syllogismi (maiorem scilicet) non est demonstrare siue concludere per circulum: quia si concluderetur, non posset concludi nisi per conclusionem quæ particularis est, & per conuersam minoris, quæ iterum est particularis, & ex vtraque particulari non fit syllogismus in aliqua figura: sed particularis circulo demonstratur. Quoniam autem non est demonstrare vniuersalem propositionem in particulari syllogismo, sic probatur. Vniuersalis enim non demonstratur siue concluditur nisi per vniuersales vtrasque propositiones: sed conclusio (ex qua procedit in reflexo syllogismo) non est vniuersalis. Dictum autem est, quòd in reflexo syllogismo oporteret fieri ostensionem ex conclusione & altera præmissarum conuersa.

Amplius omnino non fit, &c. Amplius omninò & vniuersaliter in nulla figura fit syllogismus conuersa minori propositione quæ particularis est affirmatiua: quia si illa conuersa accipiatur cum conclusione, quæ & ipsa est particularis, vtræque propositiones præmissæ fiunt particulares: & ex talibus in nulla figura est syllogizare. Particularem autem propositionem in syllogismo particulari positam, est ostendere & concludere circulariter. Ostendatur, hoc est, concludatur a. maius extremum de aliquo c. minori particulariter per medium b. sic, omne b. a. quoddam c. b. ergo quoddam c. a. Si ergo sumatur maior propositio conuersa, ita dicatur b. omnia. inesse, & conclusio maneat principalis syllogismi, huius scilicet, quoddam c. a. concluditur minor prioris syllogismi, scilicet quod b. alicui c. inerit, sic, omne a. b. quoddam c. a. ergo quoddam c. b. Sic enim fit prima figura, & a. fit medium quod in principali syllogismo fuit maius extremum.

Si autem Si autem fit priuatiuus syllogismus particularis sicut in quarto modo primæ figuræ, *sit priuatiuus syllogismus, &c.* sic, nullum b. a. quoddam c. b. ergo quoddam c. non est a. Vniuersalem maiorem negatiuam non est demonstrare per circulum: propter hoc quod prius dictum est in tertio modo primæ: quia eædem causæ impediunt & hic & ibi. Sed particularem propositionem affirmatiuam minorem est vel contingit demonstrare per circulum. Hoc autem fit ex conclusione & conuersa maioris, si similiter conuertatur maior propositio a. b. sicut in vniuersali syllogismo negatiuo dictum est, sic scilicet, vt cui alicui non inest a. huic alicui inest b. & syllogizatur sic, cui alicui non inest a. illi alicui inest b. sed c. alicui non inest a. ergo c. alicui inest b. Nam aliter non potest fieri syllogismus: eò quod negatiua est particularis propositio, quæ est conclusio syllogismi principalis, ex qua procedit reflexus syllogismus, quæ cum alia particulari nihil infert: & cum maiore conuersa negatiua ex vtraque negatiua syllogiaaret: quod fieri non potest in aliqua trium figurarum: sic igitur conuertenda est maior, & fiat circulus.

Dubitatio. De his tamen particularibus syllogismis posset aliquis dubitare: quia in affirmatiuo syllogismo (qui est tertius primæ) non docetur syllogizari nisi minor, & non maior, nec conuersa maioris, nec conuersa conclusionis, & quod maior tam in syllogismo affirmatiuo, quam in negatiuo concludi non potest, satis in prædictis ostensum est: quia vtraque est vniuersalis: & vniuersalis concludi non potest: conuersa autem conclusionis concludi non posset, nisi per conuersionem maioris, quæ in affirmatiuo non conuertitur nisi in particularem: & tunc illa cum conclusione (quæ etiam particularis est) sumpta non facit syllogismum. In negatiuo autem quando conuertitur maior, & sumitur cum conclusione, concludit minorem: ad concludendam autem maiorem vel conuersam eius oporteret, quòd particularis vel minor, vel conclusio, vel earundem conuersæ, efficerentur maiores in prima figura: quod esse non potest. Et per idem patet, quòd in vniuersali modo primæ perfectus est circulus, in modo autem negatiuo vniuersali imperfectus. Sed in particularibus modis penitus est circulus diminutus. Adhuc autem circa quartum modum primæ figuræ negatiuum, si præinducto modo reflectatur in circulum, videtur syllogismus fieri ex particularibus. Adhuc videtur concludere conclusionem negatiuam ex affirmatiuis: quorum neutrum fieri debet.

Solutio. Sed ad hoc (sicut superius dictum est) responderi habet: quia pro certo cum dicitur, cui alicui non inest a. illi alicui inest b. propositio ista virtutem habet hypotheticæ propositionis conditionalis: & virtus inferendi in tali syllogismo tota concluditur in maiori: & ideò non infert per dici de omni & dici de nullo, sed infert à positione antecedentis: & quia concludit minorem quæ est affirmatiua, oportet quod transferatur in affirmatiuam, sicut superius dictum est: & tamen quia hic est particularis syllogismus, hic transferenda in terminos particulares. Superius autem in vniuersali

uersali negatiuo transferrur in terminos non particulares, sed vniuersales: & sub b. non potest accipi nisi c. per virtutem syllogismi circularis, in quo non debet sumi nouus terminus. Nec est inconueniens ex tali particulari concludere & facere eam maiorem: quia (sicut dictum est) non infert per dici de omni vel de nullo, sed ex virtute hypothesis à positione antecedentis. Et debent isti syllogismi sic formari: vniuersalis quidem sicut supra dictum est: particularis autem sic, cui alicui vt c. non inest a. illi alicui inest b. sed c. est cui alicui non inest a. ergo c. alicui inest b.

Dubitatio. Si autem quæritur, quare syllogismi sic formati reducuntur ad formam ostensiuorum syllogismorum in prima figura? Dicendum, quod ille qui fit iuxta modum vniuersalem (secundum scilicet primæ figuræ) sic potest reduci, omne c. non ens a. est b. sed c. est c. non ens a. ergo omne c. est b. Particularis autem qui fit iuxta quartum modum primæ figuræ, reduci sic habet in categoricum & simplicem & ostensiuum syllogismum, omne c. non ens a. est b. aliquod c. est c. non ens a. ergo aliquod c. est b. quia cum conclusio affirmatiua sit, oportet tam conuersam maioris quàm conclusionem transferre in affirmatiuam, & sic syllogizare. Ex his igitur patet qualiter fit circulus in prima figura.

CAPVT III.

Qualiter circulus fit in secunda figura.

In secunda autem figura, &c. In secunda autem figura affirmatiuam propositionem non est ostendere circulo, sed priuatiuam in secunda figura est per circulum ostendere. Prædicatiua quidem siue affirmatiua in secunda figura non ostenditur hac de causa: quia cum per circulum ostendere sit, cum conclusione & conuersa vnius alteram syllogizare, oportet quòd altera semper esset negatiua: quia conclusio in secunda figura semper est negatiua; sed ex altera negatiua non sequitur conclusio affirmatiua: ergo affirmatiuam non contingit concludere in secunda figura: affirmatiua enim non sequitur nisi ex vtraque affirmatiua.

Obiectionis. Contra hoc tamen esse videtur: quia in sequentibus ostenderur, quòd ex conuersa negatiuæ transposita in affirmatiuam, syllogizatur affirmatiua. Adhuc in modis negatiuis primæ figuræ syllogizatur affirmatiua, in quibus non est vtraque negatiua: videtur igitur, quòd hoc etiam hìc fieri possit in secunda figura. Adhuc autem in primo modo secundæ videtur syllogizari affirmatiua ex negatiua maiore transposita in affirmatiuam, sic, cui nulli inest b. illi omni inest a. c. autem est cui nulli inest a. ergo omni c. inest b.

Solutio. Ad hæc autem & similia dicendum, quòd non fit circularis ostensio, nisi vbi conclusio sumitur cum conuersa alterius præmissarum ad concludendam reliquam: & hoc modo non potest syllogizari in secunda figura affirmatiua secundum circulum. Si autem conuersa negatiuæ transferatur in affirmatiuam, nihil faciet hoc modo ad circularem ostensionem: in sequentibus in tertio modo syllogizabitur affirmatiua, non ex conclusione & conuersa maioris transposita in affirmatiuam, sed ex ipsa maiore sic transposita in qua est tota virtus illationis, sicut dictum est: sed sic syllogizare non est circulo ostendere. Et licet sic syllogizetur affirmatiua syllogismorum vniuersalium sicut obiectum est: non tamen fit hoc secundum circulum, sicut patet ex diffinitione circularis ostensionis, cum ibi sumitur conclusio cum altera præmissarum conuersa: quia si sumeretur conuersa negatiuæ transposita in affirmatiuam, non esset ad propositionum ad concludendam conclusionem circulariter: sed vel sumitur ipsa propositio translata in affirmatiuam cum conclusione vel cum conuersa conclusionis. Ad id autem quod obiicitur de negatiuis primæ figuræ, dicendum quòd aliud est de negatiuis primæ figuræ, & aliud de negatiuis secundæ. In prima enim figura ex conclusione & conuersa alterius præmissæ syllogizatur reliqua. Sed in secunda figura hoc nihil facit ad propositum conclusio & conuersa negatiuæ: quia ex conclusione negatiuæ non syllogizatur affirmatiua. Causa enim præcisa quare hic non syllogizatur affirmatiua, hæc est: quia non fit circularis ostensio nisi ex conclusione & altera præmissarum conuersa: ex conclusione autem & conuersa non fit hic syllogismus ad propositum in secunda figura. Sic igitur patet, quòd circularis ostensio non fit de affirmatiua propositione in secunda figura.

Priuatiua verò sit ostenditur, &c. Priuatiua autem propositio circulariter in secunda figura sic ostenditur: & accipiatur primo in secundo secundæ, in quo maior est vniuersalis affirmatiua, minor autem vniuersalis negatiua sic: sint enim termini a. b. c. & medium sit a. & insit a. omni b. in maiori, & idem a. nulli insit c. in minori propositione, conclusio erit in principali syllogismo, quod nulli b. ineat c. Si ergo sumatur conuersa maioris (hæc scilicet quæ dicit nulli a. inesse b.) cum conclusione quæ dicit nulli c. inesse b. sequitur necessitate syllogistica nulli c. inesse a. fit enim secunda figura in eodem modo, secundo scilicet secundæ figuræ, in quo factus est syllogismus principalis.

Si autem a. b. priuatiua, &c. Si autem a. b. propositio maior sit priuatiua sicut in primo modo secundæ figuræ, & altera propositio minor sit vniuersalis affirmatiua sicut in primo modo secundæ figuræ, & altera propositio minor sit vniuersalis affirmatiua: tunc in circulo non obseruabitur eadem secunda figura, sed fit prima figura: in tali enim coniugatione in minori propositione c. inerit omni a. b. autem nulli inerit c. & sequitur, quòd b. nulli inerit a. & per conuersam illius vltrius sequitur, quòd neque a. inerit nulli b. non ergo fit hic syllogismus ex conclusione & conuersa minoris ad maiorem concludendam, sed & ex his & conuersa maioris. Et attende, quòd non fit hic circulus obseruata eadem figura sicut in secundo modo paulo ante factum est. Et huius ratio est: quia ex conclusione & conuersa maioris secundæ figuræ

guræ semper sit dispositio figuræ secundæ: sed ex conclusione & conuersa minoris semper sit dispositio figuræ primæ, sicut cuilibet patere potest consideranti conuersas illarum propositionum, & cum conclusione sumenti eas.

Similiter non vniuersalis, &c.

Si autem non vniuersalis sit syllogismus (sicut in tertio & quarto) illa quidē propositio quæ est in toto siue vniuersalis in tertio & quarto, non potest ostendi circulo, propter eandem causam quæ in præhabitis de syllogismis particularibus primæ figuræ dicta est: sed particularis syllogizatur, & præcipuè in quarto, in quo vniuersalis maior est prædicatiua. Sit principalis syllogismus iste, omne b. est a. aliquod c. non est a. ergo aliquod c. non est b. siue sic, insit a. omni b. c. autem non omni insit a. conclusio negatiua erit propositio. b. c. hoc est, quod aliquod c. non est b. tunc ex conclusione & conuersa maioris syllogizatur minor in eodem modo ciusdem figuræ sic, omne a. est b. aliquod c. non est b. quæ fuit conclusio: ergò aliquod c. non est a. quæ fuit minor propositio prioris syllogismi. Si ergo sumatur in conuersa maioris, quod b. (vt medium) insit omni a. & quod non omne c. est b. siue quod non omni c. inest b. sequitur alicui c. a. non inesse, quæ fuit minor, vt diximus, in quarto secundæ figuræ.

Si autem est vniuersalis & priuatiua, &c.

Si autem maior est vniuersalis & priuatiua (sicut est in tertio modo secundæ figuræ) non ostenderur minor propositio per conclusionem & conuersam maioris quæ est a. b. propositio vniuersalis negatiua, dicens, nullum b. est a. & fiat syllogismus principalis sic, nullum b. a. aliquod c. est a. ergo aliquod c. non est b. Patet, quòd hic minor propositio affirmatiua est, ad quam concludendam exigitur, quòd vtraque præmissarum sit affirmatiua. Si enim cum conclusione negatiua particularis sumatur conuersa maioris, quæ etiam negatiua est, sequitur quòd aut vtraque præmissarum in circulo, aut altera sit negatiua: & neutro modo contingit concludere particularem affirmatiuam qualis est minor: & idcirco non erit circularis syllogismus ad concludendam minorem. Sed hæc minor aliter ostenderur per translationem negatiuę in affirmatiuam, quemadmodum in anteliabitis de vniuersalibus syllogismis dictum est in prima figura, sic scilicet quod maior vniuersalis negatiua transferatur in affirmatiuam sic, cui alicui non inest b. illi alicui inest a. sed c. est cui alicui non inest b. ergo alicui c. inest a. quæ est minor in principali syllogismo. Sic ergo syllogismus circularis fit in secunda figura. De isto autem tertio secundæ figuræ hoc idem intelligendum quantum ad translationem in affirmatiuam, quod dictum est in quarto primæ: transferrur enim in terminos particulares, eò quod particulariter concludit.

CAPVT LV.

Qualiter in tertia figura fit circularis ostensio.

Incertitudo figuræ quando &c.

IN tertia autem figura in vniuersalibus syllogismis (scilicet primo & secundo) quando vtraque quidem propositiones vniuersaliter sumuntur, non contingit ostendere cum conclusione assumpta cum conuersa alterius præmissarum per seinuicem præmissas propositiones. Cuius causa est: quia vniuersalis propositio non ostenditur siue concluditur, nisi per ambas præmissas vniuersales: sed conclusio quæ in circulo affirmatur cum conuersa alterius est particularis, eò quod in tertia figura non concluditur nisi particulariter. Propter quòd manifestum est, quoniam omnino siue penitus non contingit ostendere circulariter vniuersalem alteram præmissarum per hanc tertiam figuram.

Obiectio.

Si autem quis obiiciat contra hoc dicens, quod in terminis conuertibilibus contingit syllogizare propositionem vniuersalem in tertia figura. Adhuc autem quia propter conuertibilitatem terminorum contingit transferre particularem in vniuersalem, sicut transfertur negatiua in affirmatiuam: ex vniuersali autem & conuersa vnius præmissarum potest concludi reliqua. Et dici solet ad hoc, quòd quamuis termini vniuersalis propositionis conuertibiles sint, non tamen propter hoc necesse est, quòd termini particulares propositionis sint conuertibiles: & ideò non possunt particulares propositiones in vniuersales transterri. Posset tamen dici, quòd syllogismus circularis saluat in se formam syllogismi simpliciter: vnde cum de forma syllogismi simpliciter sit, quòd vniuersalis non concluditur nisi ex vniuersalibus: & de forma syllogismi in tertia figura sit, quòd non concludat nisi particulariter: non debet syllogismus circularis in aliqua figura vniuersalem propositionem concludere ex altera particulari: nec in tertia figura debet concludere nisi particularem, eò quod nihil debet supponi in syllogismo circulari quod sit oppositum formæ syllogisticæ: supponi tamen potest aliquod quòd est oppositum alicui formæ, cuiusmodi est conuersio simplex vniuersalis affirmatiuæ: & ideo quamuis sint termini conuertibiles, non tamen debet concludi vniuersalis in tertia figura.

Solutio.

Aliter.

Obiectio.

Si autem aliquis dicat, quòd eadem ratione potest supponi conuersio particularis in vniuersalem, sicut supponitur conuersio simpliciter vniuersalis affirmatiuæ. Dicendum, quòd ad hoc quod fiat suppositio alicuius conuersionis, oporter quod tantum dicatur per primam, quantum dicitur per secundam vel plus: hoc enim in omni obseruandum est conuersione, vt tantum ponatur per conuersionem, quantum ponitur per conuersam vel plus. Et sic est in vniuersali affirmatiua conuersa simpliciter: sed sic non esset si transferatur particularis in vniuersalem: plus enim ponitur per

Solutio.

per vniuersalem, quam per particularem: & ideo quamuis vtraque istarum translationum transponat formam syllogismi, tamen licet alteram supponere conuersionem, scilicet vniuersalis affirmatiuæ simpliciter, & non licet supponere alteram translationem, scilicet particularis in vniuersalem.

Obiectio.

Si autem quis opponat, quòd secundum hanc rationem non deberet supponi translatio negatiuæ in affirmatiuam: quia plus ponitur per secundam, quam per primam. Et dicendum, quòd ponitur plus per secundam, quam per primam: quia negatiua de se simpliciter constantiam terminorum non exigit: tamen prout est in syllogismo circulari, requirit quandam constantiam terminorum: communicat enim cum affirmatiua propositione, cuius termini constantiam habent in altero termino: idem enim dicitur per istam, nullum a. est b. & per istam, cui nulli inest a. illi omni inest b. secundum quod in circulo accipiuntur. Alio tamen modo dicitur per vnam, & alio modo per aliam.

Solutio.

Si autē hæc quidē vniuersalis sit, &c.

Si autem hæc quidem propositionum vniuersalis sit, illa verò particularis, quandoque quidem erit circularis ostensio propositionis particularis, quandoque verò non erit: quando enim minor est vniuersalis & maior particularis, tunc ostenditur circulariter particularis: quando autem maior est vniuersalis & minor particularis, tunc circulariter particularis ostendi non potest. Hoc autem ideo dictum est: quia non fit in tali ostensione circulus completus ad ostendendam particularem propositionem, nisi aliquo alio assumpto, sicut paulo post patebit. Primo tamen ostendamus hoc, quod dictum est in affirmatiuis syllogismis. Dicamus igitur, quòd quando vtræque præmissæ in tertia figura affirmatiuæ sumuntur, & vniuersalis propositio ponitur ad minorem extremitatem: tunc circularis fit ostensio particularis, quæ est maior propositio, sicut in tertio tertiæ figuræ. Quando autem vniuersalis propositio ponitur ad maiorem extremitatem: tunc non potest ostendi propositio particularis per circulum. Et ponamus primo quartum modum, in quo particularis non perfectè per circulum ostenditur, & sit primus siue principalis syllogismus. Insit enim a. maior extremitas omni c. medio: & eidem c. alicui siue particulariter insit b. minor extremitas: conclusio erit, quòd aliquod b. est a. sic, omne c. est a. aliquod c. est b. ergo aliquod b. est a. Si ergo sumatur conuersa maioris, scilicet quod omni a. insit c. cum conclusione quæ est, quòd alicui b. inest a. ostensum est per circulum, quòd c. inest alicui b. sed conuersa illius quæ fuit minor prioris syllogismi (quæ est quod aliquod c. sit b.) & illa quidem non est ostensa, siue immediatè per circulum demonstrata, sic, omne a. est c. aliquod b. est a. ergo aliquod b. est c. Hic enim est tertius primæ figuræ: & hæc non est minor, sed conuersa minoris: sed ex hac per conuersionem sequitur minor, scilicet quod aliquod c. est b. & quia ad illam non attingit syllogismus, ideò circulus non est complexus. Vnde quod b. alicui c. insit, non est ostensum per circulum: quamuis necesse sit per conuersionem conclusionis, si c. inest alicui b. quod etiam è conuerso b. insit alicui c. Sed tamen vna conuersarum non est idem omnino alij: non enim idem est hoc huic inesse, & è conuerso aliud isti inesse. Sed assumendum est ad circulum, quod si hoc alicui illi insit particulariter, quod etiam è conuerso illud isti insit: quia particularis affirmatiua conuertitur simpliciter. Hoc autem assumpto, tunc non fit syllogismus reflexus ex conclusione & conuersa alterius propositionis concludens minorem, sed conuersam minoris, ex qua vlterius per conuersionem concluditur minor & non per circulum.

Si autem b. omni c. a. aurem alicui c.

In tertio autem modo, in quo maior est particularis affirmatiua & minor vniuersalis affirmatiua, fit ostensio circularis. Fiat enim syllogismus principalis, & insit b. omni c. in minori propositione. a. autem insit alicui c. in maiori: erit circulariter ostendere, quod a. inest alicui c. quæ fuit maior propositio, quando sumitur conuersa minoris (hæc scilicet, quòd c. insit omni b.) & cum hac sumitur conclusio (hæc scilicet, quòd a. insit alicui b.) quia si c. inest omni b. a. autem inest alicui b. sequitur, quòd necesse est, quòd a. sit alicui c. & medium in hoc syllogismo circulari est b. Et hoc planum est: si enim syllogismus principalis sic fiat, aliquod c. est a. omne c. b. ergo aliquod b. a. Tunc enim ex conuersa minoris & conclusione syllogizatur maior sic in eodem modo, aliquod b. est a. quæ est conclusio: omne b. est c. quæ est conuersa minoris: sequitur maior, ergo aliquod c. est a. Sic igitur patet qualiter fit circularis ostensio in affirmatiuis syllogismis tertiæ figuræ particularibus. Ostendamus ergo qualiter fit circularis ostensio in modis negatiuis particularibus, & ostendamus hoc in quinto modo.

Et cū fuerit hæc quidem prædicatiua, &c.

Dicamus igitur, quòd cum fuerit præmissarum propositionum hæc quidem prædicatiua siue affirmatiua, illa verò priuatiua; sicut in quinto modo, & sexto tertiæ figuræ: & quando fuerit vniuersalis quidem prædicatiua & minor, particularis autem priuatiua & maior, sicut est in quinto tertiæ: tunc per circulum ostenditur altera propositio, maior scilicet particularis negatiua. Insit enim in minori principis: s syllogismi b. omni c. a. autem alicui c. particulariter non insit in maiori: concluditur in quinto tertiæ, quòd a. particulariter non inest alicui b. Si ergo sumatur conuersa minoris, & dicatur c. omni b. inesse, cum conclusione quæ dixit, quòd a. non omni b. particulariter inerat, necesse est alicui c. non inesse, quæ fuit maior principalis syllogismi. In hoc autem circulari syllogismo medium est b. cum in principali syllogismo medium fuerit c.

Cum autem priuatiua sit vniuersalis, &c.

In sexto autem modo vbi maior est vniuersalis negatiua, & minor particularis affirmatiua, particularis concludi circulariter non potest, nisi per translationem vniuersalis negatiuæ in affirmatiuam, sicut in præhabitis factum est: vnde cum priuatiua sit vniuersalis & maior, & minor particularis affirmatiua, non ostenderur circulariter altera quæ est particularis minor, nisi sicut in prioribus. Sit enim principalis syllogismus, nullum c. est a. aliquod

c. est b. ergo aliquod b. non est a. Tunc ex conuersa maioris assumpta in affirmatiuam & conclusione syllogizatur conuersa minoris, sed non minor sumpta secundum se, sic, cui alicui non inest a. illi alicui inest c. sed b. est cui alicui non inest a. ergo b. alicui inest c. ex qua sequitur conuersa illius, quod aliquod c. est b. quæ erat minor syllogismi principalis. Aliter autem non contingit, quòd ille qui conuertit vniuersalem propositionem negatiuam, & sumit eam cum conclusione, possit circulariter ostendere alteram particularem, scilicet negatiuam: quia aliter non potest fieri syllogismus circularis, quia minor quæ concludenda est affirmatiua, per negatiuam alteram concludi non potest.

CAPVT V.

Qualiter fit circulus in qualibet figura, determinatur in communi.

Manifestum igitur quoniam in prima quidem figura, &c.

EX his autem quæ dicta sunt manifestum est, quia circularis ostensio (quæ est ostensio propositionum per seinuicem facta) in prima quidem figura fit, aut per tertiam figuram, aut per primam. Iſi modis enim affirmatiuis (in quibus prædicatiua est conclusio) fit talis ostensio per primam figuram. Adhuc etiam in modis negatiuis ad concludendam circulariter propositionem negatiuam fit per primam. Sed in eisdem modis negatiuis ad concludendam circulariter propositionem affirmatiuam, fit per tertiam figuram: eò quod tunc ad concludendam affirmatiuam negatiua transponitur in affirmatiuam: sumitur enim cui hoc nulli inest, alterum omni illi inesse. In media autem figura quando quidem vniuersalis est syllogismus, sicut sunt primus & secundus secundæ figuræ, aliquando fit talis ostensio per ipsam secundam figuram, aliquando autem per primam, & aliquando per postremam siue tertiam. Per primam enim fit ostensio ad concludendam propositionem negatiuam in primo secundæ. Per secundam autem ad concludendam negatiuam propositionem sumptam in secundo secundæ. Per tertiam autem ad concludendam affirmatiuam propositionem sumptam iuxta vtrumque modum & primum & secundum secundæ figuræ. In modis autem secundæ figuræ particularibus (in quibus particularis est ostensio) fit ostensio talis aut per ipsam secundam figuram, aut per postremam. Per secundam quidem ad concludendum particularem propositionem modi quarti secundæ figuræ. Per tertiam autem ad concludendam propositionem particularem tertij. In tertia autem figura omnes quotquot sunt circulares syllogismi, fiunt per ipsam tertiam figuram.

Manifestum & quoniam in tertia & mediis, &c.

Manifestum etiam est ex dictis, quoniam in tertia & in media figuris omnes circulationes quæ non fiunt per ipsam eandem figuram, aut non sunt circulares ostensiones; aut si sunt, erunt circuli imperfecti.

Obiectio.

Siquis obiciat contra hoc quod dictum est, syllogismum circularem ad concludendam affirmatiuam propositionem in secundo primæ fieri per tertiam figuram, eò quod tertia non concludit nisi particulariter, cum illa propositio affirmatiua quæ est in secundo primæ, sit vniuersalis. Dicendum, quòd non intenditur per hoc quod dictum est, quòd conclusio fiat per tertiam figuram. Nec etiam intenditur, quòd syllogismus eius disponatur in tertia figura. Sed intenditur, quòd ostensio illius conclusionis fiat per virtutem figuræ tertiæ: fit enim ostensio illa quasi hypothetice per virtutem conditionis implicitæ in maiori propositione, in qua quidem fit dispositio tertiæ figuræ; quia cum dicitur, cui nulli inest a. illi omni inest b. significatur in hac propositione dispositio tertiæ figuræ, & virtute illius dispositionis fit ostensio quasi à positione antecedentis. Duo enim extrema referuntur ad idem subiectum, cum dicitur, cui nulli inest a. illi omni inest b. Et similiter dicendum est de omnibus præhabitis dispositionibus, in quibus fit translatio negatiuæ in affirmatiuam. Solutio.

Dubitatio.

Posset etiam dubitari de hoc quod dictum est, quòd omnes circulationes in tertia figura factæ, fiunt per eandem tertiam figuram: hoc enim falsum esse videtur in quarto modo, vbi concluditur propositio altera circulariter per primam figuram. Sed ad hoc dicendum, quod ille syllogismus non simpliciter est circularis, sed incompletè: concludit enim conuersam propositionis illius quam concludere deberet: sed completæ circulationes quæ fiunt in tertia figura, fiunt per ipsam figuram tertiam. Solutio.

Dubitatio.

Quæri etiam potest, quæ sint ostensiones in secunda & tertia non concludentes in figura propria, quæ circulares non sunt, & quæ sunt circulares, sed incompletæ. Et dicendum ad hoc, quod illæ quæ non fiunt secundum diffinitionem circularis ostensionis (hoc est, ex conclusione & conuersa vnius præmissarum) non sunt circulares. Tales autem sunt omnes ostensiones secundæ figuræ concludentes propositiones affirmatiuas, sicut patet ex antedictis: tales enim omnes fiunt per virtutem tertiæ figuræ, sicut ante dictum est. Illæ autem ostensiones quæ fiunt ex conclusione & conuersa vnius præmissarum, & non possunt nisi conuersam propositionis concludendæ ostendere, & non ipsam propositionem concludendam, nisi per conuersionem propositionis iam conclusæ, circulationes sunt quodammodo, sed incompletæ: quia non de se attingunt in redeundo ad idem id à quo fiebat exitus primi syllogismi. Tales autem sunt ostensiones factæ in quarto & sexto tertiæ, & in primo secundæ figuræ ad concludendam negatiuam, sicut prædeterminatum est. Alia autem quæ hic possent facere dubium, facilia sunt & plana ex his quæ iam sæpius dicta sunt. Hæc igitur de circulari syllogismo dicta sufficiant, & deinceps dicatur de syllogismo conuersiuo. Solutio.

Dubitatio.

TRACTA

TRACTATVS III.

De conuersiuo syllogismo.

CAPVT I.

Quid sit conuertere & conuersiuus syllogismus.

Conuertens autem est transponentem, &c.

DE syllogismo autem conuersiuo (qui in aliquo circulari syllogismo similis est: eò quod ex conclusionis potestate conuertitur supra præmissam) post hæc dicemus. Primo dicendum quid conuertere: quia scito quid sit conuertere, scitur quid per diffinitionem sit conuersiuus syllogismus. Dicimus igitur, quod conuertere est eum qui conuertit transponendo conclusionem facti sine præsyllogizati syllogismi in oppositum contrariè vel contradictoriè: & sic oppositum conclusionis cum altera præmissarum sumendo facere syllogismum ad alterius præmissarum interemptionem. Propter quod semper necesse est ponere oppositum conclusionis loco propositionis interimendæ, ita scilicet quod si maior antefacti syllogismi sit interimenda, oppositum conclusionis ponatur cum minore: & si interimenda sit minor, oppositum conclusionis ponatur cum maiori: tunc enim syllogizabitur in prima figura, quoniam vel extremum maius medio non inerit quando interimitur maiori, vel medium non inerit postremo quod est extremum minus, sicut quando per conuersiuum syllogismum interimitur minor propositio syllogismi antefacti.

In syllogismo conuersiuo semper necesse est ponere oppositum conclusionis loco propositionis interimendæ.

Remouet dubia.

Scito enim qualiter fit conuersiuus in prima figura, scitur facilè qualiter fit & quid in aliis figuris: quia aliæ figuræ oriuntur à prima. Adhuc autem scito qualiter fit contra modum affirmatiuum primæ figuræ (in quo extremum medio inest, & medium postremo vniuersaliter) facile est scire qualiter fit contra modum negatiuum: quia in illo extremum medio non inest, & per conuersiuum ostenditur inesse per oppositionem conclusionis.

Intentio syllogismi conuertentis.

Intentio enim conuertiui syllogismi est interimere alteram propositionem (siue sit affirmatiua siue negatiua) vt sic ostendatur syllogismi prius facti necessariam esse consequentiam, per hoc quod ante sæpe dictum est, quòd si aliquid sequitur ad aliquid sicut ad antecedens, sequitur quod destructo consequente destruitur antecedens: propter quod conclusione conuersa per qualitatem in oppositum contrariè vel contradictoriè, & altera propositione syllogismi antefacti manente, necesse est interimi reliquam propositionem eiusdem antefacti ostensiui syllogismi. Cuius causa est: quia si illa præmissa (loco cuius sumitur opposita conclusionis in conuersiuo syllogismo) erit (hoc est, maneat & constet) cum oppositio conclusionis, sequitur quòd etiam conclusio primi syllogismi erit cum oppositio conclusionis: quia ad positionem antecedentis sequitur positio consequentis: & sic sequeretur duo opposita simul esse vera, quòd non contingit in contrariis & contradictoriis. Patet igitur, quòd ex oppositio conclusionis dati syllogismi cum altera præmissarum sequitur destructio alterius. Ex his igitur patet, quid est syllogizando conuertere conclusionem facti syllogismi in oppositum, & ex oppositio cum altera præmissarum reliquam interimere.

Remouet dubium.

Attendendum autem, quòd quamuis non sequatur hoc, quod si conclusio constituti syllogismi sit falsa, quod eius contraria sit vera, eò quod contrariæ aliquando sunt ambæ falsæ: tamen conuertens accipit contrariam, eò quòd non intendit conuertens nisi ostendere consequentiam, quam sufficienter ostendit ostendendo interemptionem alterius ex oppositio conclusionis, siue conclusio sit vera, siue falsa: quia contrarium destruitur per contrarium. Vnde vno contrariorum posito necesse est destrui reliquum quoad consequentiam, quamuis ambo sint simul falsa: quia aliter sequeretur omni & nulli inesse quod fieri non potest, sicut sæpius ostensum est.

Differt autem oppositè, &c.

Differt tamen conclusionem præconstituti syllogismi conuertere oppositè siue contradictoriè: eò quod in contradictione est prima ratio oppositionis: aut conuertere eandem conclusionem contrariè. Dico autem conuertere oppositè, quando sumitur contradictoria conclusionis cum altera præmissarum: contrariè autem quando cum altera præmissarum conclusionis antefacti sumitur contraria. Non enim fit idem syllogismus alterutra conclusione sic vel sic conuersa. Huius autem causa patebit per huius tractatus sequentia. Dico autem opponi quidem contradictoriè, vt gratia exempli dicamus, ei quod est omni inesse, opponitur contradictoriè non omni inesse: & sicut ei quod est nulli inesse, contradictoriè opponitur alicui inesse. Contrariè autem dico opponi, sicut ei quod est omni inesse, opponitur nulli inesse: & sic (large sumendo contraria etiam pro subcontrariis) opponitur ei quod est alicui inesse id quod est alicui non inesse.

In contradictione est prima ratio oppositionis.

Talis igitur est syllogismus conuersiuus ostendens

Contraria

Iuxta sumpta pro subcontrariis esse.

oſtendens conſequentiam prioris ſyllogiſmi oſtenſiui per conuerſionem concluſionis in oppoſitam vel contrariam: eò quod deſtructo conſequente deſtruitur antecedens: concluſio enim eſt conſequens & præmiſſa eſt antecedens. Qui quidem ſyllogiſmus & vtilis eſt potiſſimum dialecticò ad obtuationem & exercitationem. Demonſtratori autē vtilis eſt contra cauillatorem conſequentiæ. Sophiſtę non eſt vtilis in ſyllogiſmo peccante in forma, eò quod tunc conſequentia non valet; ſed in ſyllogiſmo peccante in materia in quo conſequentia bona eſt: & ſi negetur, probatur per ſyllogiſmum conuerſiuum. Et eſt hic ſyllogiſmus conuerſiuus diffinitus ſecundum hoc quod eſt in primo modo primæ figuræ: quia in illo eſt in ſui eſſe potiſſimo: & per hoc quod eſt in primo modo, facile eſt ſcire qualiter eſt in aliis figuris & modis.

Quomodo ſyllogiſmus conuerſiuus eſt vtilis dialectico, demonſtratori, & ſophiſtæ.

Remouet dubia quæ mouentur etiam à principio huius capituli.

CAPVT II.

Qualiter ſit conuerſiuus ſyllogiſmus in modis vniuerſalibus primæ figuræ tam contrarium quam contradictorium concluſionis accipiendo.

OStendimus igitur qualiter ſit conuerſiuus ſyllogiſmus in ſingulis figuris, & primo in prima figura, & in vniuerſalibus ſyllogiſmis tam affirmatiuo quam negatiuo: & poſtea qualiter ſit in particularibus modis primæ figuræ. Sit enim in primo modo primæ figuræ oſtenſum a, maius extremum oſtenſum ſiue concluſum de c. minori extremo per medium b. ſic, omne b. a. omne c. b. ergo omne c. a. Si ergo ſumatur contraria concluſionis cum maiori facti ſyllogiſmi ſyllogizabitur per ſecundam figuram contraria minoris ſic. Sumatur enim a. nulli c. ineſſe, quæ eſt contraria concluſionis: & ſumatur idem a. omni b. ineſſe, ſicut dixit maior ſyllogiſmi antefacti: ſequitur contraria minoris, hæc ſcilicet, quod nulli c. inerit b. ſic, omne b. eſt a. nullum c. eſt a. ergo nullum c. b. qui eſt ſecundus modus ſecundæ figuræ. Et ſi ſumatur quidem contraria concluſionis cum minori, ſequetur contraria maioris: & hoc eſt ſi ſumatur in contraria concluſionis a. quidem nulli c. ineſſe, & ſi ſumatur b. ineſſe omni c. ſicut dixit minor propoſitio prius facti ſyllogiſmi, ſequetur per tertiam figuram, quòd a. non omni ineſt b. quæ eſt contradictoriè oppoſita maioris: & non ſequetur omnino ſiue vniuerſaliter, quòd nulli b. inſit a. quæ eſt contraria maioris: ſic enim formatur conuerſiuus ſyllogiſmus, nullum c. eſt a. omne c. eſt b. ergo aliquod b. non eſt a. Et non ſequitur, quòd nullum b. eſt a. eò quod oppoſita maioris non ſyllogizatur niſi per tertiam figuram: figura autem tertia non concludit vniuerſalem propoſitionem: & ideo illam propoſitionem quæ eſt in primo modo primæ figuræ ad maiorem extremitatem (& eſt propoſitio maior) non eſt deſtruere conuerſiuè omninò, hoc eſt, vniuerſaliter per contrariam, ſed particulariter contradictoriam: cuius cauſa: quia maior propoſitio ſemper interimitur per tertiam figuram: & ideò in conuerſiuo ſyllogiſmo interimente maiorem neceſſe eſt vtramque extremitatem accipere relatam, ſicut prædicata ad poſtremam extremitatem prioris ſyllogiſmi, quæ medium efficitur in conuerſiuo ſyllogiſmo interimente maiorem.

Sit enim oſtenſum a. de c. &c.

Oppoſita maioris non ſyllogizatur niſi per tertiam figuram.

Similiter autem eſt in ſecundo modo primæ figuræ, in quo priuatiuus ſit ſyllogiſmus: oſtendatur enim in antefacto ſyllogiſmo a. nulli c. ineſſe per medium b. ſic, nullum b. a. omne c. b. ergo nullum c. a. Et accipiat contraria concluſionis cum maiore ad interimendum minorem per ſecundam figuram, ſic, nullum b. omne c. a. ergo nullum c. b. Hic enim eſt ſyllogiſmus in primo ſecundæ figuræ. Patet igitur, quòd ſi ſumatur a. omni c. ineſſe in contraria concluſionis, & idem a. dicatur nulli b. ineſſe, ſicut dixit maior præcedentis ſyllogiſmi: tunc ſequitur, quòd nulli c. inerit b. quæ eſt contraria minoris prioris ſyllogiſmi. Si autem accipiatur contraria concluſionis cum minore prioris ſyllogiſmi, ſyllogizabitur contradictoria maioris per tertiam figuram, ita quòd & a. maior extremitas, & b. minor extremitas ſumantur ineſſe omni c. medio: ſyllogizabitur per primum modum tertiæ figuræ, quòd a. inerit alicui b. quæ eſt contradictoria maioris prioris ſyllogiſmi, ſic, omne c. a. omne c. b. ergo quoddam b. a. quæ contradicit primæ quæ dixit, quòd nullū b. a. maior enim in conuerſiuo ſyllogiſmo non interimitur niſi per cōtradictoriam: eo quod per tertiam figurā non concluditur niſi particularis.

Et ſi priuatiuus ſit ſyllogiſmus, &c.

Maior in conuerſiuo ſyllogiſmo non interimitur niſi per contradictoriam.

Si autem concluſio non conuertatur in contrariam, ſed in oppoſitam per contradictionem, non poſſunt tunc ſyllogiſmi conuerſiui ad interimendum maiorem vel minorem fieri vniuerſales, ſicut vniuerſales ſunt prius facti ſyllogiſmi: eò quod altera propoſitio quæ eſt contradictoria concluſionis, eſt particularis. Sit enim prius factus ſyllogiſmus in primo primæ affirmatiuus & vniuerſalis ſic, omne b. a. omne c. b. ergo omne c. a. Conuertatur concluſio in contradictoriam ſic, aliquod c. non eſt a. & hæc ſumatur cum maiore prioris ſyllogiſmi ad interimendum minorem ſyllogizando in quarto ſecundæ, ſic, omne b. a. aliquod c. non eſt a. ergo aliquod c. non eſt b. quæ eſt contradictoria minoris, quæ dicit omne c. eſſe b. Si autem eadem contradictoria concluſionis ſumatur cum minore, ſyllogizabitur contradictoria maioris per tertiam figuram, ſic, aliquod c. non eſt a. omne c. b. ergo aliquod b. non eſt a. Hic eſt enim ſyllogiſmus in quinto tertiæ. Patet igitur, quòd ſi in tali conuerſione ſumatur in contradictoria concluſionis a. non omni c. ineſſe, & idem a. ſumatur omni b. ineſſe (quæ eſt maior prioris ſyllogiſmi) concludetur b. non omni c. ineſſe per ſecundam figuram quæ eſt contradictoria minoris. Et ſi a. quidem ſumatur non omni c. ineſſe (quæ eſt concluſionis contradictoria) b. autem ſumatur omni c. ineſſe, quæ eſt minor prioris ſyllogiſmi, concludetur per tertiam figuram, quòd a. nō ineſt omni b. quæ eſt contradictoria maioris.

Si autem oppoſitè conuertitur concluſio, &c.

Similiter

Similiter autem & ſi priuatiuus ſyllogiſmus &c.

Similiter autem eſt in ſecundo modo primæ figuræ, in quo priuatiuus eſt ſyllogiſmus: quod ſic patet: quia ſi a. alicui c. ineſt (quod dicit contradictoria concluſionis negatiui ſyllogiſmi) & dicatur a. nulli b. ineſſe, ſicut dicit maior prioris ſyllogiſmi: ſequitur, quòd b. alicui c. non ineſt, quæ eſt contradictoria minoris: & ſit ſyllogiſmus in ſecunda figura, ſic, nullum b. a. aliquod c. a. ergo aliquod c. non eſt b. Et non ſequitur ſimpliciter ſiue vniuerſaliter, quod nullum c. b. quia altera propoſitio in conuerſiuo ſyllogiſmo fuit particularis: vniuerſalis autem concluſio non ſequitur niſi ex vtraque vniuerſali. Et ſi ſumatur a. quidem alicui c. ineſſe (quæ eſt eadem concluſionis contradictoria.) b. autem omni dicatur ineſſe c. ſicut dixit minor prioris ſyllogiſmi: ſequitur, quòd a. inerit alicui b. quæ eſt contradictoria maioris.

CAPVT III.

De conuerſiuis ſyllogiſmis particularibus primæ figuræ.

In particularibus autem ſyllogiſmis, &c.

IN particularibus autem primæ figuræ conuerſiuis ſyllogiſmis quando quidem oppoſitè per contradictionem conuertitur concluſio prioris ſyllogiſmi, interimuntur vtraque propoſitiones præmiſſæ prioris ſyllogiſmi: quando autem concluſio conuertitur contrariè (ita quod contraria concluſionis ſumitur) neutra præmiſſarum interimitur. Dico autem contrariam large accipiendo contrariam, ita quod ſubcontraria dicatur contraria. Et huius ratio eſt: quia in tali conuerſione non accidit interimere præmiſſas, ſicut accidebat in vniuerſalibus ſyllogiſmis quando contraria concluſionis accipiebatur: eò quod concluſio deficit ab vtilitate: propter quod verè contrariæ nunquam ſunt ſimul veræ: ſubcontrariæ autem aliquando ſunt ſimul veræ. Quia igitur concluſio deficit ſecundum conuerſionem, ideò non poteſt interimere præmiſſas. Vnde non poteſt concludi omninò ſiue vniuerſaliter interimi altera præmiſſarum: oſtendatur enim a. de aliquo c. per tertium primæ, ſic, omne b. a. quoddam c. b. ergo quoddam c. a. Ergo ſi ſumatur a. nulli c. ineſſe (quæ eſt concluſionis contradictoria) & ſi ſumatur, quòd b. alicui c. ineſt, ſicut dicit minor: ſequitur, quòd a. alicui b. non inerit per ſextum tertiæ, ſic, nullum c. a. quoddam c. b. ergo quoddam b. non eſt a. quæ eſt contradictoria maioris. Et ſi ſumatur a. nulli c. ineſſe quæ eſt concluſionis contradictoria, & dicatur, quòd idem a. ineſt omni b. ſicut dixit maior prioris ſyllogiſmi: concludetur, quòd nulli c. inerit b. quæ eſt contradictoria minoris, quæ dixit aliquod c. eſſe b. & eſt ſyllogiſmus in primo ſecundæ figuræ. Propter quod patet, quòd concluſione conuerſa in contradictoriam & cum altera præmiſſarum ſumpta, vtræque præmiſſæ per ſuas contradictorias auferuntur ſiue interimuntur.

Si autem contraria neutra, &c.

Si autem contraria (hoc eſt, ſub contrariam) neutra præmiſſarum interimitur, & hoc eſt ideò: quia ſi contraria ſiue ſubcontraria concluſionis accipiatur cum maiori propoſitione, concludet particularem negatiuam, quæ non interimit minorem: quia ambæ ſimul poſſunt eſſe veræ: nam ſi a. alicui c. non ineſt (quæ eſt concluſionis ſubcontraria) & ſi dicatur a. omni b. ineſſe (ſicut dixit maior) ſequitur quod b. alicui c. non ineſt: ſed per hanc non interimitur minor, quæ ex principio prioris ſyllogiſmi dixit aliquod c. eſſe b. quia ſimul poſſunt eſſe veræ: quia in contingenti materia b. contingit alicui c. ineſſe, & idem b. alicui c. contingit non ineſſe. Propoſitione autem maiori (quæ eſt vniuerſalis a. b. dicens, quòd omne b. a.) non fit ſyllogiſmus ad interimendum ea. Si enim ſumatur ſubcontraria concluſionis, & dicatur, quòd a. alicui c. non ineſt, & iungatur cum minore quæ dicit quod b. alicui c. ineſt, neutra propoſitionum in conuerſiuo ſyllogiſmo vniuerſalis, ſed ambæ particulares, ex quibus nihil ſequitur in aliqua figura.

Vniuerſaliter autem a. b. &c.

Similiter autem & ſi priuatiuus, &c.

Similiter autem in quarto primæ (in quo eſt priuatiuus & particularis ſyllogiſmus) quoad hoc quod concluſio conuerſa contradictoriè & iuncta cum altera propoſitione interimit vtramque. Si autem conuertatur in ſubcontrariam, neutram deſtruit præmiſſarum. Fiat enim ſyllogiſmus in quarto primæ ſic, nullum b. a. quoddam c. b. ergo quoddam c. non eſt a. & ſumatur contradictoria concluſionis, hæc ſcilicet, omne c. a. cum maiore, ſequitur interemptio minoris: & ſumpta cum minore, ſequitur interemptio maioris, ſicut per ſe patet. Si autem ſumatur a. alicui c. ineſſe, quæ eſt concluſionis contraria ſiue ſubcontraria, & iungatur cum altera præmiſſarum, non deſtruitur: & huius eſt eadem demonſtratio quæ dicta eſt in tertio modo primæ, qui eſt affirmatiuus ſyllogiſmus: quia ſi ſumatur cum maiore, concludet ſubcontrariam minoris quæ non interimit eam.

Si autem alicui, &c.

Si autem accipiatur cum minore, ambæ præmiſſæ fiunt particulares, & ex illis nihil ſequitur ſyllogiſticè. Eſt autem hìc generaliter notandum, quòd in conuerſiuo ſyllogiſmo qui fit circa primam figuram, generaliter interimitur maior per tertiam figuram: minor autem interimitur ſyllogizando per ſecundam figuram: & quod ſemper accipitur oppoſitum concluſionis in conuerſiuo ſyllogiſmo propoſitionis interimendæ.

Nota bene hic ivia dicta.

Sufficientia ſyllogiſmorum concluſiuorum quæ ſunt circa primam figuram.

Sunt autem circa primam figuram duodecim ſyllogiſmi conuerſiui, qui ſic accipiuntur. Aut enim accipitur contraria concluſionis, aut accipitur contradictoria eiuſdem. Si accipitur contraria: aut ſyllogiſmus antefactus eſt vniuerſalis, aut particularis. Si enim particularis ſit, per conuerſiuum ſyllogiſmum non interimitur aliqua præmiſſarum. Si autem ſit vniuerſalis: tunc aut eſt affirmatiuus ſyllogiſmus iuxta modum primum, aut negatiuus iuxta modum ſecundum. Si eſt iuxta modum primum, ſic ſunt duo ſyllogiſmi conuerſiui, vnus ſcilicet ad interimendum maiorem, alter autem ad interimendū minorem. Si-

militer sunt duo iuxta modum secundum: vnus ad interemptionem maioris, & alter ad interemptionem minoris: & sic accipiendo contrariam conclusionis quatuor sunt syllogismi conuersiui. Si autem accipiatur contradictoria conclusionis: aut ergo syllogismus antefactus est vniuersalis, aut particularis. Si est vniuersalis, aut per modum primum, aut secundum secundum. Si iuxta primum, sic iterum sunt duo, vnus ad interimendum maiorem, & alter ad interimendum minorem. Et si est iuxta modum secundum: sic & eodem modo sunt duo. Si autem syllogismus antefactus sit particularis: aut ergo est conuersiuus syllogismus iuxta tertium, aut iuxta quartum. Et iuxta tertium quidem sunt duo, & iuxta quartum iterum duo. Et ita sunt octo syllogismi suppositæ contradictoriæ conclusionis: suppositæ autem contrariæ sunt quatuor: & sic duodecim in vniuerso.

CAPVT IV.

De secundæ figuræ conuersiuis syllogismis tam particularibus quam vniuersalibus.

In secunda autem quidem quę est ad maiorem.

IN secunda autem figura eam quidem propositionem quæ est ad maiorem extremitatem (& est maior in syllogismo antefacto) non est siue contingit interimere contrariè, hoc est, contrariam conclusionis in vniuersalibus syllogismis cum minore assumendo, quolibet modo siue quocunque modo facta conuersione conclusionis: siue scilicet assumendo contrariam conclusionis siue contradictoriam. Cuius causa est: quia conclusio conuersiui syllogismi interimentis maiorem semper fit in tertia figura: eò quod sicut in prima figura, ita & in secunda maior non interimitur nisi per tertiam figuram: sed in tertia figura non fit syllogismus vniuersalem habens conclusionem. Contraria autem vniuersalis conclusionis est vniuersalis: & ideò contraria maioris in vniuersalibus syllogismis secundæ figuræ concludi non potest per conuersiuum syllogismum: alteram autem propositionem, scilicet minorem in duobus primis vniuersalibus syllogismis similiter interimemus conuersione. Dico autem similiter: quia si concludo conuertitur contrariè, fit interemptio minoris contrariè (hoc est, per contrariam minoris) Si autem oppositè conuertitur conclusio in contradictoriam, fit destructio minoris per suam contradictoriam.

Hoc autem quod dictum est, ostendatur in modis singulis secundæ figuræ, & primo in vniuersalibus, deinde particularibus. In vniuersalibus autem hoc ostendendo incipiamus à modo secundo secundæ figuræ: quia in illo prima est vniuersalis affirmatiua, & secunda vniuersalis negatiua: in primo autem modo è conuerso est prima negatiua, & secunda affirmatiua, & ambæ vniuersales.

Remittet dubium.

Ponamus enim a. medium omni b. inesse, & idem a. dicamus nulli inesse c. conclusio erit, quòd nullum c. est b. sic, omne b. a. nullum c. a. ergo nullum c. b. Si ergo sumatur contraria conclusionis huius quæ dicit quòd omne c. est b. & propositio maior maneat (hæc scilicet, omne b. a.) syllogizatur contraria minoris, quod scilicet a. omni c. inerit: tunc enim fit prima figura sic, omne b. a. omne c. b. ergo omne c. a. Hic est primus modus primæ figuræ. Si autem contraria conclusionis sumatur cum minore propositione, per tertiam figuram syllogizatur contradictoria maioris & non contraria: cuius exemplum est, quòd sumatur contraria conclusionis, quod scilicet b. inest omni c. & apponatur minor, scilicet quod a. nulli c. inest: sequitur quòd a. non omni inest b. sic, nullum c. a. omne c. b. ergo aliquod b. non est a. Hic enim est secundus modus tertiæ figuræ.

Si autem oppositè conuertatur, &c.

Si autem non contrariè sed oppositè per contradictionem conuertatur conclusio, eadem contradictoria acceptâ cum maiore, syllogizabit contradictoriam minoris: & accepta cum minore, syllogizabit contradictoriam maioris, sicut patet in eodem secundo modo secundæ figuræ. Si enim oppositè per contradictionem conuertatur conclusio b. c. prioris syllogismi: tunc propositio maior quæ est a. b. similiter ostenderur, sicut prius. a. c. autem quæ propositio minor, ostenderur oppositè, hoc est, per suam contradictoriam: nam si b. inest alicui c. (sicut dicit conclusionis contradictoria) & assumatur minor quæ dicit, quòd a. nulli c. inest: sequitur quòd a. alicui b. non inerit, quæ est contradictoria maioris, sic, nullum c. est a. quoddam c. est b. ergo quoddam b. non est a. Eadem autem sumpta cum maiore, syllogizabit contradictoriam minoris, sic, omne b. a. quoddam c. b. ergo aliquod c. est a. quæ est contradictoria minoris.

Rursum si b. alicui c. &c.

Vade rursum formando eundem syllogismum ad interimendum minorem sumatur contradictoria conclusionis: quia si detur b. alicui c. inesse, hæc est enim conclusionis opposita. a. autem dicatur inesse omni b. quæ est maior: sequitur, quòd a. inerit alicui c. quæ est contradictoria minoris, sic, omne b. a. aliquod c. b. ergo aliquod c. a. Hic est syllogismus in tertio modo primæ figuræ. Similiter autem ostenderur in primo modo secundæ figuræ, in quo è conuerso se habent propositiones ad modum secundum: est enim in primo maior negatiua vniuersalis, & in secundo minor negatiua vniuersalis.

Si autem in parte syllogismus, &c.

Si autem in parte siue in particulari fiat syllogismus, & conclusio conuertatur contrariè, quia hoc vocamus in subcontrariam conuerti, neutra propositionum præmissarum prioris syllogismi interimitur per talem conuersiuum syllogismum, quamuis fiat syllogismus, quemadmodum etiam est in particulari syllogismo primæ figuræ. Sed si conuertatur conclusio oppositè (hoc est, in sibi contradictoriè oppositam) & iungatur cum altera præmissarum, vtræque præmissæ interimuntur per syllogizatas sibi contradictorias. Et gratia exempli formetur tertius secundæ figuræ sic, nullum b. a. aliquod c. est a. ergo aliquod c. non est b. Si enim ponatur in maiori a. medium, nulli

nulli b. maiori extremo inesse, conclusio erit b. c. propositio, hoc est, quòd quoddam c. non est b. hic enim est tertius figuræ secundæ. Si ergo conuertatur conclusio in subcontrariam, ita quòd dicatur b. alicui c. inesse, & a. b. propositio maior maneat, quæ dicit nullum b. esse a. conclusio quæ sequitur, erit quòd a. alicui c. non inest. Sed per illam non interimitur minor quæ posita est ex principio altera esse præmissarum prioris syllogismi: contingit enim a. alicui c. inesse, & alicui c. non inesse in contingenti materia.

Rursum si b. alicui c. &c.

Rursum si subcontraria conclusionis iungatur cum minore, vt si dicatur, quòd b. inest alicui c. quæ est subcontraria conclusionis: & dicatur a. inesse alicui c. quæ est minor prioris syllogismi: tunc non erit syllogismus, quia ambæ præmissæ sunt particulares, & neutrum eorum (quæ sumpta sunt pro præmissis) est vniuersale: propter quod a. b. maior propositio non potest interimi per talem conuersionem conclusionis.

Si autè oppositè, &c.

Si autem in eodem modo tertio secundæ figuræ conclusio conuertatur oppositè in suam contradictoriam, interimuntur vtræque propositiones prioris syllogismi per conuersiuè syllogizatas suas contradictorias: nam si conuertatur conclusio quæ dicit quoddam c. non esse b. in suam contradictoriam vniuersalem affirmatiuam: & dicatur b. inesse omni c. & iungatur cum maiori, quæ dicit a. nulli b. inesse: sequitur contradictoria minoris, quæ dicit aliquod c. a. esse: sequitur enim, quòd nulli c. inest a. sic autem facile est formare huiusmodi syllogismos.

Rursum si b. omni c. &c.

Rursum si b. omni c. dicatur inesse (quæ est contradictoria conclusionis) & iungatur cum minore quæ dicit a. alicui c. inesse: sequitur, quòd alicui b. inest a. per tertiam figuram, quæ est contradictoria maioris. Eadem est demonstratio iâ conuersiuo syllogismo in quarto secundæ figuræ, in quo maior est vniuersalis prædicatiua siue affirmatiua. Notandum ergo est hic, quòd in secunda figura semper per conuersiuum syllogismum interimitur maior propositio per tertiam figuram, minor autem semper per primam. Item notandum, quòd vbique oppositum conclusionis ponendum est pro minori in syllogismo conuersiuo.

Nota regulas.

Sufficientia syllogismorũ conuersiuorum in secunda figura.

Notandum etiam, quòd sunt in hac figura duodecim coniugationes conuersiui syllogismi. Aut enim sumitur contraria conclusionis, aut contradictoria. Si contraria: aut in syllogismo vniuersali, aut particulari. Si in particulari sumitur contraria, neutra præmissarum interimitur. Si est circa vniuersalem: aut ergo iuxta modum primum, aut iuxta secundum. Si iuxta primum, sic sunt duo. Et si iuxta secundum, sic sunt alij qui fiunt quatuor supponendo contrariam conclusionis in modo vniuersali. Adhuc si supponatur contradictoria: hoc iterum est aut iuxta syllogismum vniuersalem, aut iuxta particularem. Si vniuersalis aut est primus, & circa illum sunt duo: & si est secundus, circa illum sunt iterum duo. Si autem est circa particularem: tunc sunt duo iuxta tertium, & duo iuxta quartum. Et sic suppositæ contradictoriæ sunt hic octo conuersiui syllogismi, qui cum aliis quatuor faciunt hic in vniuerso duodecim syllogismos conuersiuos, sicut & in prima figura duodecim fuerunt.

CAPVT V.

De conuersiuis syllogismis in tertia figura tam vniuersalibus quam particularibus, & tam affirmatiuis quam negatiuis.

In tertia autem figura quando contrariè, &c.

IN tertia verò figura regulariter attendendum est, quod quando quidem contrariè siue subcontrariè conuertitur conclusio, neutra propositionum præmissarum inferimitur secundum aliquem syllogismum qui sit in tertia figura. Quando autem conclusio antefacti syllogismi conuertitur oppositè in contradictoriam, vtræque propositiones interimuntur: & hoc in omnibus modis tertiæ figuræ. Quod autem hoc verum sit, probatur per singulos modos: sed primo hoc ostenditur in modis affirmatiuis, deinde in negatiuis, & affirmatiuis primo in vniuersalibus, & deinde in particularibus.

Sit enim ostensum, &c.

Sit enim in primo modo tertiæ ostensum siue conclusum a. majus extremum alicui b. inesse, & medium sit sumptum c. & sint ambæ præmissæ vniuersales propositiones & affirmatiuæ, sic, omne c. est a. omne c. est b. ergo aliquod b. est a. hic enim est primus tertiæ. Si ergo sumatur subcontraria conclusionis quæ dicit a. alicui b. non inesse, & sumatur minor quæ dicit b. omni c. inesse, non fit syllogismus ad maiorem interimendam, quæ dicit, quòd omne c. est a. quia sic quidem non fit dispositio primæ figuræ, ita quod maior est particularis: quod in prima figura esse non potest: & sic maior non interimetur per primam figuram.

Neque si a. b. quidem alicui, &c.

Adhuc autem neque fit syllogismus si sumatur subcontraria conclusionis, hæc scilicet, quòd a. alicui b. non inest cum maiore, quæ dicit, quod omni c. inest a. non erit conuersiuus syllogismus eius propositionis interemptiuus, quæ est b. c. hoc est, quæ dicit omne c. esse b. Aut enim subcontraria conclusionis erit maior, aut minor. Si maior: tunc fit dispositio secundæ figuræ maiore existente particulari, quod non contingit. Aut erit minor, & tunc erit syllogismus, sed non interimit maiorem, sed eius conuersam: tunc enim sic syllogizabitur, omne c. a. aliquod b. non est a. ergo aliquod b. non est c. quæ non est opposita minori, sed conuersa eius. Minor enim fuit, omne c. est b. quæ conuertitur in hanc, aliquod b. est c. & huic opposita subcontrariè est hæc, aliquod b. non est c.

Similiter autè ostenderur & si non, &c.

Similiter autem ostenderur regula dicta, quod scilicet contraria assumpta non interimitur aliqua præmissarum in modis particularibus affirmatiuis, tertio scilicet & quarto tertiæ figuræ, in quibus non vniuersales sunt ambæ præmissæ, sed altera particularis. In tertio enim modo si accipiatur subcontraria conclusionis

sionis cum maiori ad interimendum minorem, ambæ præmissæ in conuersiuo syllogismo erunt particulares, ex quibus nihil sequitur. Si autem subcontraria conclusionis accipiatur cum minore ad interimendam maiorem, tunc erit prima figura, & maior erit particularis: & sic iterum non valet syllogismus. Si autem in quarto modo tertiæ accipiatur sui contraria conclusionis cum minore, ambæ erunt particulares: & sic inutilis est coniugatio. Si autem accipiatur cum maiore: aut ergo subcontraria conclusionis fiet maior, aut minor. Si minor, erit quidem syllogismus, sed non interimet maiorem. Si autem erit maior contraria siue subcontraria conclusionis: tunc erit dispositio secundæ figuræ, ita quod maior est particularis: & talis coniugatio iterum est inutilis. Et sic patet, quòd in syllogismis affirmatiuis tertiæ figuræ nunquam interimitur aliqua præmissarum assumpta contraria siue subcontraria conclusionis: aut in tali conuersione necesse est vtrasque præmissas fieri particulares ex tali conuersione conclusionis: aut necesse est vniuersalem propositionem fieri, & poni ad minorem extremitatem & fieri minorem propositionem, & particularem poni ad maiorem, quod in prima & secunda figuris non contingit secundum vtilem coniugationem.

Si autem oppositè conuertatur propositiones interimuntur, &c.

Si autem conclusio conuertatur oppositè in suam contradictoriam, vtraque præmissæ interimentur: quod quidem primo ostendatur in modis affirmatiuis, & postea in negatiuis. In modis autem affirmatiuis ostendatur primo in modo vniuersali primo tertiæ: resumatur enim superius factus syllogismus in primo tertiæ, hic scilicet, omne c. a, omne c. b. ergo quoddam b. a. & sumatur contradictoria conclusionis, hæc scilicet, nullum b. a. cum minore quæ dicit, omne c. est b. concludetur per primam figuram contraria maioris, hæc scilicet, quòd a. nulli c. inest, hoc est, quòd nullum c. est a. quæ est contraria huius; omne c. est a. quæ fuit maior prioris syllogismi. Rursum si a. quidem nulli dicatur inesse b. in contradictoria conclusionis, & sumatur cum maiore quæ dicit, quod omne c. est a. sequitur conclusio per secundam figuram, quòd b. nulli inest c. quæ est contraria minoris.

Et si altera non fit vniuersalis similiter, &c.

Similiter autem est in modis particularibus affirmatiuis tertiæ figuræ: & hoc est primum in modo quarto tertiæ figuræ: fiat enim syllogismus in quarto tertiæ, sic, omne c. a. aliquod c. b. ergo aliquod b. a. Et sumatur contradictoria conclusionis, hæc scilicet, quæ dicit, quòd a. nulli b. inest, siue quòd nullum b. est a. & iungatur cum minore prioris syllogismi, & hæc fiat maior: syllogizatur contradictoria per primam figuram maioris, sic, nullum b. est a. aliquod c. est b. ergo aliquod c. non est a. quæ est contradictoria huius, omne c. est a. quæ fuit maior prioris syllogismi. Vnde si a. nulli b. inest (vt dicit conclusionis contradictoria) & si b. inest alicui c. (vt dicit minor quatti modi tertiæ) sequitur, quòd a. alicui c. non inerit quæ est contradictoria primæ. Si autem a. quidem nulli inest b. quæ est conclusionis contradictoria, & idem a. inest omni c. vt dicit maior prioris syllogismi, sequitur ex his duabus (contradictoria scilicet conclusionis & maiore) quòd nullum c. est b. quæ est contradictoria minoris per secundam figuram, sic, nullum b. a. omne c. a. ergo nullum c. b. est enim primus modus secundæ figuræ. Quod autem diximus de quarto modo tertiæ, omnino similiter verum est etiam de tertio modo tertiæ, sicut cuilibet etiam per se patere potest accipienti contradictoriam conclusionis & copulanti eam cum maiore & cum minore: tertius enim & quartus in qualitate & quantitate propositionum non differunt, sed in positione sola, quia tertius habet maiorem particularem affirmatiuam & minorem vniuersalem affirmatiuam, quartus autem è conuerso maiorem habet vniuersalem affirmatiuam & minorem particularem affirmatiuam.

Similiter & si priuatiuus sit syllogismus, &c.

Similiter autem verificatur quod dictum est de conuersione conclusionis in contradictoriam, si priuatiuus fiat syllogismus: & hoc primo monstratur in modo vniuersali qui est secundus tertiæ: fiat enim syllogismus in secundo tertiæ, sic, nullum c. a. omne c. b. ergo quoddam b. non est a. quia si ostendatur siue concludatur a. alicui b. non inesse, & sit propositio minor prædicatiua, quæ est propositio b. c. dicens, quòd omne c. est b. a. c. autem propositio maior sit negatiua, quæ dicit nullum c. esse a. sic enim fiebat secundus modus tertiæ figuræ.

Quando ergo contrarium, &c.

Quando quidem ergo contrarium siue subcontrarium sumitur conclusioni, non erit syllogismus: quia si accipiatur cum maiore, & fiat maior contraria conclusionis, erit secunda figura maiorem habens particularem: & hoc est inutile. Si autem fiat minor, erit quidem syllogismus, sed non interimet minorem, sed interimet minoris conuersam: nam si in subcontraria conclusionis dicatur a. alicui b. inesse, & in minore dicatur b. inesse omni c. non fit syllogismus eius propositionis quæ est a. c. quæ fuit maior dicens, quòd nullum a. c. sic enim syllogizabitur, omne b. c. aliquod b. a. ergo aliquod a. c. quæ est conuersa eius quæ dixit omne c. esse a.

Neque si a. alicui b. &c.

Neque iterum fiet syllogismus si a. dicatur alicui b. inesse in subcontraria conclusionis, & iungatur cum maiore quæ dixit nulli c. inesse a. non fit syllogismus propositionis minoris, quæ dicitur b. c. quæ dicit omne c. esse b. sed fit syllogismus ad conuersam ipsius, sic, nullum c. a. aliquod b. a. concludetur per tertium secundæ, quod aliquod b. non est c. quæ est conuersa eius minoris quæ dixit omne c. esse b. Propter quod patet, quòd tali facta conclusionis conuersione in subcontraria, non interimuntur propositiones præmissæ per conuersiuum syllogismum.

Quando verò sumitur contradictoriè oppositum, &c.

Quando verò in conuersione conclusionis sumitur contradictoriè oppositum, ambæ præmissæ interimuntur in negatiuis syllogismis tertiæ figuræ: cuius exemplum est, quòd si a. omni b. dicatur inesse in contradictoria conclusionis negatiui syllogismi secundi modi tertiæ figuræ, & b. dicatur omni c. inesse, sicut dicit minor secundi: ex illis duabus concluditur in primo modo primæ figuræ, quòd a. inerit

inerit omni c. quæ est contraria maioris, quæ dixit, quòd a. nulli c. inerat.

Rursum si a. omni b &c.

Rursum in eodem modo si dicatur a. omni b. inesse (quæ est conclusionis primæ contradictoria) & iungatur cum maiore, quæ dicat a. nulli c. inesse: sequitur per secundam figuram, quòd b. nulli inest c. sic, omne b. a. nullum c. a. ergo nullum c. b. hic est enim secundus figuræ modus: & hæc est contraria minoris quæ dixit, quod omni c. inerat b.

Similiter autem non sumatur, &c.

Similiter autem fit demonstratio dictarum de conuersione conclusionis regularum in modis particularibus, in quibus non ambæ propositiones sunt vniuersales: & hoc planum est in sexto modo tertiæ figuræ, qui constat ex maiori vniuersali negatiua & minori particulari affirmatiua, concludens particularem negatiuam. Sit enim a. c. propositio maior vniuersalis priuatiua, dicens nullum c. a. altera autem sit particularis & prædicatiua, dicens quoddam c. esse b. concludetur in sexto tertiæ, quòd quoddam b. non est a. ergo si sumatur contradictoria conclusionis dicens, quòd a. omni b. inest, & iungatur cum minore quæ dicit, quòd b. alicui c. inest, concludere accidit ex conclusione per primam figuram, quòd a. alicui c. inerit, quæ est contradictoria maioris, quæ dixit, quòd nullum c. est a.

Rursum si a. omni b. nulli autem c. &c.

Rursum autem in eodem modo si in contradictoria conclusionis dicatur, quòd a. inest omni b. & iungatur cum maiore, quæ dixit, quòd nulli c. inest a. vel quòd nullum c. est a. sequitur per secundam figuram, quod b. nulli c. inerit sic, omne b. a. nullum c. a. ergo nullum c. b. Et est secundus modus secundæ figuræ.

Si autem a. &c.

Si autem fiat conuersio conclusionis in subcontrariam, & dicatur in subcontraria a. alicui b. inesse, ita quod aliquod b. est a. & iungatur cum minore in affirmatiuo particulari syllogismo, sicut in quarto tertiæ, quæ dicit b. alicui c. inesse, non fit syllogismus: quia ambæ præmissæ sunt particulares.

Neque si a. alicui b &c.

Neque iterum fit syllogismus assumpta subcontraria conclusionis, quæ dicit alicui b. inesse a. & iuncta cum maiore, quæ dicit nulli c. inesse a. nec sic enim fit syllogismus. Aut enim illa conclusionis subcontraria erit maior, aut minor. Si erit maior: tunc erit secunda figura, & maior erit particularis, quod esse non potest. Si autem minor, erit quidem syllogismus, sed per eum minor non interimetur: cuius causa superius dicta est. Propter quod patet, quòd illo modo, quando in oppositum contradictoriè conuertitur conclusio, ambæ interimuntur præmissæ. Sic autem siue alio modo quando in subcontrariam conclusio conuertetur, non interimuntur præmissæ: & hoc quod dictum est de modo sexto, etiam de quinto est intelligendum.

Numerus & sufficientia syllogismorum conuersiuorum in tertia figura.

Attendendum autem, quòd in ista tertia figura duodecim sunt coniugationes syllogismi conuersiui sicut & in prima & in secunda figura, qui sic sunt accipiendi. Aut enim supponitur contraria siue subcontraria conclusionis, aut contradictoria. Si subcontraria, sic nunquam erit in hac figura conuersiuus syllogismus, cuius sæpius est assignata causa. Si autem contradictoria: hoc erit vel in modis negatiuis, vel in modis affirmatiuis. Si in affirmatiuis: aut igitur iuxta modum vniuersalem, aut iuxta particulares. Si iuxta modum vniuersalem fiat duo conuersiui syllogismi: vnus interimens maiorem, & alter minorem. Si iuxta modos particulares, hoc est dupliciter. Aut enim est contradictoria particularis conclusæ per tertium modum: & sic sunt duo conuersiui syllogismi: ad maiorem vnus, & ad minorem alius. Aut est contradictoria particularis conclusæ per quartum modum: & sic iterum & eodem modo sunt duo: & sic iuxta modos affirmatiuos sex sunt syllogismi. Si autem supponitur contradictoria conclusionis negatiuæ: aut est circa modum vniuersalem, aut circa modum particularem. Si circa modum vniuersalem: sic sunt duo modi, vt dictum est, iuxta secundum modum accepti. Si autem sunt iuxta modos particulares: aut iuxta quintum, aut iuxta sextum: & iuxta vtrumque sunt duo modi, & sic iuxta modos negatiuos sunt sex modi conuersiuorum syllogismorum: & sic fiunt in vniuerso duodecim. Ex quo patet, quòd in omnibus figuris æquales sunt numero conuersiui syllogismi.

Manifestum ergo ex his quæ dicta sunt, &c.

Ex omnibus autem his quæ in hoc tractatu dicta sunt, constat & manifestum est, quomodo conclusione conuersa in contrariam vel oppositam in vnaquaque figura fit conuersiuus syllogismus, & quando est contrarius propositioni interimendæ, & quando opponitur contradictoriè. Et manifestum est, quoniam in prima figura fiunt syllogismi conuersiui per mediam figuram, & per postremam: interimitur enim maior in prima per tertiam, minor autem interimitur per secundam: & ideo patet, quòd propositio quæ est ad minorem extremitatem in prima figura, semper interimitur per mediam figuram: quæ autem ad maiorem, semper interimitur per tertiam siue postremam figuram. In secunda autem figura fit interemptio, aut per primam figuram, aut per postremam: propositio enim quæ est ad minorem extremitatem, semper interimitur per primam figuram: quæ verò est ad maiorem, semper interimitur per postremam. In tertia verò figura fit interemptio per primam figuram, & per mediam: quæ enim est ad maiorem extremitatem, semper interimitur per mediam. Ex dictis ergo iam patet, quid est conuertere, & quomodo fit conuersio in vnaquaque figura, & quis sit syllogismus conuersiuus, manifestum est.

Quid ergo est conuertere, &c.

Dubitatio. Si autem quæritur causa, quare in prima figura destruitur maior per tertiam figuram, & minor per secundam? Dicendum, quòd *Solutio.* hoc est ideo: quia oppositum conclusionis & minor communicant in subiecto, quæ communicatio in termino medio facit dispositionem tertiæ figuræ: oppositum autem conclusionis & maior communicant in prædicato, quæ communicatio secundæ figuræ facit dispositionem.

Dubitatio. Similiter potest quæri, quare in secunda figura interimitur maior per tertiam & minor per primam? Et ad hoc similiter dicendum, *Solutio.* quòd

quòd hoc ideo est: quia minor & oppositum conclusionis communicant in subiecto. Maior autem & oppositum conclusionis communicant in prædicato. & sic faciunt primæ figuræ dispositionem, sicut cuilibet patere potest.

Dubitatio. Similiter quæritur, quare maior in tertia interimitur per primam, & minor per secundam? Et dicendum, quòd hoc est ideò: quia oppositum conclusionis & minor faciunt dispositionem primæ figuræ: oppositum autem & maior in prædicato communicant: & ideo faciunt secundæ figuræ dispositionem.

Dubitatio. Quæri etiam potest, quare oppositum in prima figura semper ponitur loco propositionis interimendę, in secunda autem figura semper ponitur loco minoris propositionis, in tertia vero semper ponitur loco maioris? Et *Solutio.* ad hoc dicendum, quòd hoc est ideò: quia si aliter ordinarentur propositiones cum oppositа, aut non fieret syllogismus: aut si fieret syllogismus, propositio conclusa ad interimendum præmissam non communicaret cum illa propositione quam interimit in vtroque termino ad eundem ordinem, sed ad ordinem commutatum, & sic illa conclusa non esset opposita propositioni interimendæ: quod non esset conueniens in syllogismo conuersiuo.

TRACTATVS IV.

De syllogismo per impossibile.

CAPVT I.

Quid syllogismus per impossibile, & in quo differat, & in quo conueniat cum syllogismo conuersiuo.

Differentia inter syllogismum conuersiuum & per impossibile. POst syllogismum conuersiuum tractandum est de syllogismo per impossibile: quia syllogismus conuersiuus procedit ex conclusionis opposito prius syllogizatæ, syllogismus autem per impossibile procedit ex opposito conclusionis prius non præsyllogizatæ actu, nisi forte potentialiter & habitualiter. Dicamus igitur, quòd per impossibile syllogismus ostenditur quando contradictio siue contradictoria ponitur ex consensu respondentis pro præmissa, & assumitur altera propositio prioris syllogismi maior vel minor manifestè & secundum rem ipsam innegabiliter vera. Et quamuis conclusio ostendatur in syllogismo, & non ipse syllogismus, tamen hic dicimus, quod syllogismus ostenditur: quia in syllogismo per impossibile ex opposito conclusionis ostenditur conclusio prius conclusa sequi: & sic syllogismus in suo effectu, hoc est, conclusionis prius conclusæ ostenditur esse bonus. In syllogismo enim tali syllogismus ostenditur esse concludens hoc quod intenditur. Et cum dicitur quando non intelligitur, quòd aduerbium, quando, de substantia fit diffinitionis per impossibile, sed quando denotat tempus quod est mensura factionis siue formationis talis syllogismi.

Per impossibile autem syllogismus, &c.

Remouet dubium.

Remouet dubium.

Obiectio. Quod autem dicitur, quòd syllogismus ostenditur; & tamen nullus iam antefactus actualiter syllogismus ponitur: & similiter hoc quod dicitur, quando conclusionis contradictio, cum nulla sit facta actualiter conclusio. Et similiter quod dicitur quòd assumitur altera propositio, cum nulla propositio sit proposita ante syllogismum. Ideo dicitur, quòd conclusio quidem & syllogismus non sunt antefacti, vel etiam propositio proposita actualiter, sed habitualiter secundum ipsius rei naturam. Vnde in syllogismo per impossibile supponitur contradictoria conclusionis habitualiter conclusæ, & propositio habitualiter proposita sumitur syllogismi ante habitualiter facti: & hæc propositio debet esse manifestè vera, quia sumi non posset ad conclusionem inconuenientis in secundo syllogismo qui per impossibile ducit ad inconueniens, ex quo inconuenienti reducitur respondens ad concessionem conclusionis prius factæ habitualiter vel actualiter. Similiter autem per hoc quod dicitur altera propositio assumi, cum non sit altera nisi in syllogismo, & in syllogismo non sit nisi sit copulata ad vnum medium cum contradictoria data. Oportet quòd propositio altera cum contradictoria data in altero termino (qui medium est) conueniat: quia aliter ex illis duabus non fieret syllogismus. Hoc igitur modo intelligenda est inducta diffinitio, quod scilicet per impossibile syllogismus ostenditur, quando in formatione syllogismi contradictoria conclusionis prius actualiter vel habitualiter syllogizatæ, ponitur data à respondente, & assumitur (per manifestam rei veritatem & per medij conuenientiam) altera propositio prius habitualiter ad priorem cõclusionem proposita, & ex his duabus concluditur inconueniens, quod cogit respondentem concedere intentam conclusionem, per hoc principium quod est, de quolibet est affirmatio vel negatio vera.

Solutio.

Nota pro intellectione diffinitionis syllogismi per impossibile.

Quinque sunt differentia inter syllogismum

Vnde quinque differentias habet ad conuersiuum syllogismum, quarum prima est, quòd conuersiuus syllogismus fit ex præsyllogizato opposito hypothesis: syllogismus autem

conuersiui in 4. imperfectę dedu-centem. tem per impossibile non de necessitate fit ex præsyllogizato opposito hypothesis: conuersiuus enim accipit oppositum actu concluſi, & syllogismus per impossibile pro hypothesi accipit oppositum concludendi. Secunda est, quòd conuersiuus fit supponendo tam contrarium quam contradictorium, hypothesis: syllogismus autem per impossibile fit supponendo contradictorium hypothesis tantum. Tertia est, quòd conuersiuus ostendit consequentiam prioris syllogismi tantum: syllogismus autem per impossibile ostendit intentum fieri, & per conclusionem ex impossibili concluſam ostẽdit propositum esse verum. Quarta est, quòd id supponitur in syllogismo conuersiuo, cuius oppositum concluditur in syllogismo ad impossibile, & è conuerso id supponitur in syllogismo ad impossibile, cuius oppositum concluditur in syllogismo conuersiuo. Quinta est, quòd conuersiuus indifferenter supponitur vel verum vel falsum, & concludit indifferenter verum vel falsum: syllogismus autem ad impossibile supponit & concludit semper falsum.

Fit autem in omnibus figuris, &c. Hic autem syllogismus ad impossibile fit in omnibus figuris: eò quod iste syllogismus similis est conuersioni conuersiui syllogismi in multis, sicut patebit statim. Sed in hoc differt à conuersiuo (vt diximus) quoniam conuertitur, hoc est, conuersio fit, & conuersiuus syllogismus, iam facto syllogismo priori secundum actum: quia aliter concluſio (quæ conuertenda est) haberetur, & fit iam secundum actum sumptis vtrisque propositionibus, quarum oppositum syllogizat conuersiuus: sed in syllogismo ad impossibile deductio ad impossibile, fit etiam non actu præsyllogizato eo quod positum sine ea conclusione quæ ponitur esse vera à syllogizante, sed secundum rem ipsam manifestato quoniam est verum: & si detur oppositum, deducitur ad impossibile respondens, qui hoc dedit.

Termini similiter se habent, &c. Sed in vtroque tam conuersiuo quam per impossibile est conuenientia in hoc, quòd termini secundum aliquid similiter se habent in hoc, quod in vtroque sumitur oppositum conclusionis, & in hoc, quòd eadem sumptio vtrorumque, sicut patet in exemplo. Sit enim a. syllogizatum in prima figura, sic de omni b. hoc est, quòd omne b. est a. per medium c. sic, omne c. a. omne b. c. ergo omne b. a. Si ex opposito supponatur a. non omni vel nulli b. inesse, hoc est, sumatur contraria vel contradictoria conclusionis, & accipiatur maior prioris syllogismi, hæc scilicet, quòd a. inest omni c. cum contraria vel contradictoria conclusionis quod fuit: & secundum ipsam veritatem manifestum sequitur ex his duobus combinatis, quòd necesse est, quòd c. aut nulli, aut non omni insit b. quæ est vel contraria vel contradictoria minoris quæ dixit omne b. esse c. hoc autem cum sit impossibile, quia prius datum est, quòd omne b. est c. & nec contraria, nec contradictoria possunt simul esse vera: propter hoc sequitur, quòd falsum sit oppositum conclusionis quod sumptum est per hypothesim à respondente siue aduersario: & ex hoc vlterius concluditur, quòd oppositum hypothesis sit verum, quod est conclusio intenta. Similiter autem in aliis figuris, tertia scilicet, & secunda, quæcunque in omnibus figuris suscipiunt cõuersionem conclusionis in oppositum, illa etiam in omnibus figuris suscipiut per impossibile syllogismum.

Quomodo syllogismus ad impossibile pertinet ad demonstratorem & ad elenchum. Circa hæc tamen quæ dicta sunt, attendendum est, quòd iste syllogismus (qui est per impossibile) & ad demonstrationem pertinet inquantum cum cauillatore disputat, qui negat principia: hunc enim conuincere non poterit ostensiuè probando principia, quia non habent priora: & oportet ex effectu & posterioribus tunc procedere, & ex dato à cauillatore ad inconuenies deducere, & ab illo redire ad intentum. Vtitur enim demonstrator omni differentia siue specie demonstrationis: & ideò vtetur syllogismo per impossibile: quia species quædam est demonstrationis, qua præcipuè vtitur contra cauillatorem negantem principia, sicut patet in quarto primæ philosophiæ, vbi per impossibile probantur principia. Est etiam vtilis hic syllogismus dialecticus, inquantum est obuiatiuus proteruo respondenti, & præcipuè secundum quod ducit ad manifestè falsum: & si non ducat ad manifestè falsum, potest proteruiens resistere dicendo, quod non sit falsum, quod pro falso concluſum. Et propter hoc solum dicit Arist. in 8. topicorum, quòd syllogismo ad impossibile non multum est vtile vti dialectico. Omnis autem Philosophus vtitur syllogismo tali in demonstratione suorum principiorum contra cauillantem principia, sicut dictum est.

Quomodo non est multum vtilis dialectico.

Remouet dubium. Notandum etiam, quòd in præhabitis tam circularis syllogismus quam conuersiuus ex suis actibus diffiniti sunt, hoc est, ex eo quod est conuertere, & ex hoc quod est circulationem facere: & hoc ideò est: quia isti ambo exigunt ante se factum syllogismum perfectum, cuius substantia secundum se manifesta non est, sed oportet substantias eorum ex suis actibus propriis cognoscere: & ideò per actus suos diffiniti sunt. Syllogismus autem per impossibile non exigit ante se factum syllogismum: & ideo secundum seipsum in sua substantia noscibilis est & diffinibilis: & ideo non per actum, sed per suam substantiam secundum seipsum diffinitur.

Quare in syllogismo conuersiuo potest sumi contrarium quam contradictorium, in syllogismo vero ad impossibile oportet sumi contradictorium. Attendendum est etiam, quòd in conuersiuo syllogismo potest supponi tam contrarium conclusionis, quam oppositum contradictoriè: & hoc ideo est: quia ostendit consequentiam, & fundat se in hoc principio, quod si destructo consequente destruitur antecedens, tunc necessariò consequens sequitur ad antecedens: & quia hoc probatur tam contrario supposito, quam contradictorio (nec contraria enim nec contradictoria simul stant in veritatem) ideò accipit vtrumque horum ab hypothesi respondentis. Hic autem syllogismus qui est per impossibile, non probat consequentiam, sed conclusionem intentam: & ideò oportet, quòd interempto vno sequatur aliud esse verum: quod non potest fieri nisi sumpto contradictoriè opposito: quia non est oppositio diuidens verum vel falsum nisi illa: & ideò contrarium non sumit.

Obiectio. Si autem quis obiciat contra ea quæ dicta sunt, quòd paulo ante ex dictis secundum Aristot. dictum est, quòd supponitur aliquando contrarium per hypothesim in syllogismo per impossibile, veluti & in conuersiuo. Dicendum est ad hoc, quòd bene concluditur aliquod impossibile, quando supponitur contrarium: sed per hoc non necessariò concluditur intentum: quia quamuis in quadam materia (sicut in necessaria) nec sint simul vera, nec simul falsa: tamen forma argumentandi non valet, si vnum contrariorum est falsum, quod reliquum propter hoc sit verum: sed solum tenet hoc in oppositis secundum contradictionem. Hæc igitur de distinctione syllogismi per impossibile dicta sunt.

CAPVT II.

Qualiter fit syllogismus per impossibile: & quod vniuersalis affirmatiua per impossibile non probatur in prima figura.

DIcamus igitur qualiter fit syllogismus per impossibile in omnibus figuris, & primo qualiter fit in prima. In prima autem primo ostendamus, quòd vniuersalis affirmatiua per impossibile non ostenditur in prima figura.

Ergo aliæ quidē propositiones, Incipientes igitur dicimus, quòd aliæ quidem propositiones omnes, siue problemata omnia, vniuersalia & particularia, & affirmatiua & negatiua, per impossibile ostenduntur in omnibus figuris. Aliæ dico ab vniuersali affirmatiua. Vniuersalis enim prædicatiua per impossibile bene monstratur in media, & in tertia figura: sed in prima vniuersalis affirmatiua monstrari non potest: quia assumpto contrario vel contradictorio conclusionis cum altera propositione, aut non fit syllogismus secundum vtilem coniugationem, aut si fit, non valet ad demonstratum propositum. Hoc autem sic probatur. Si enim in prima figura debeat ostendi, quòd omne b. est a. aut sub hypothesi ponitur eius contraria, aut contradictoria. Si contradictoria, non erit syllogismus omninò in prima figura: aut enim accipietur altera propositio supra prædicatum hypothesis quod est a. aut accipietur sub subiecto quod est b. Si primo modo: aut sumetur propositio vniuersalis, aut particularis, & aut affirmatiua, vel negatiua: his enim quatuor modis & non pluribus contingit accipi propositionem supra prædicatum hypothesis, vel sub subiecto ipsius. Et si aliquo istorum quatuor modorum sumpta erit propositio supra prædicatum hypothesis: tunc oportet, quòd hypothesis minor sit in syllogismo, & sumpta propositio supra prædicatum erit maior: & hoc modo non est vtilis coniugatio in prima figura: quia hypothesis quæ est propositio minor, erit negatiua, quod in prima figura esse non potest. Sic ergo patet, quòd non erit syllogismus per hypothesi supponatur contradictio conclusionis intentæ. Si autem accipiatur contraria ipsius conclusionis pro hypothesi: tunc iterum altera propositio sumetur, aut sub subiecto hypothesis, aut supra prædicatum ipsius. Si accipiatur sub subiecto: tunc hypothesis erit maior propositio: & tunc aut accipietur negatiua, aut affirmatiua. Si negatiua, non erit in prima figura syllogismus: quia illa sumpta erit minor in syllogismo: & hoc modo non fit syllogismus in prima figura: & hoc est verum siue sit negatiua vniuersalis, siue particularis. Si autem sumitur affirmatiua: aut vniuersalis, aut particularis: & tunc poterit esse syllogismus in secundo modo si vniuersalis sumitur: sed non erit ad propositum: quia quamuis interimatur hypothesis, tamen ex hoc non potest concludi propositum esse verum: quia quamuis vnum contrariorum sit falsum, non oportet reliquum esse verum: contingit enim ambo simul esse falsa. Si autem accipiatur particularis, non erit syllogismus: quia maior in prima figura non potest esse particularis. Si vero accipiatur supra prædicatum hypothesis: tunc hypothesis erit minor propositio & negatiua: & talis coniugatio in prima figura est inutilis.

Quare manifestum, quòd à omni inesse, &c. Manifestum est igitur, quòd quocunque modo accipiatur altera propositio ad hypothesim, non fiet syllogismus ad ostendendam vniuersalem affirmatiuam per impossibile in prima figura. Ex omnibus autem dictis facile est intelligere quod dicit Aristot. quòd si ponatur per hypothesim a. aūt non omni b. aut nulli b. inesse: quorum vnum est contradictorium, & alterum contrarium ad hanc conclusionem (omne b. est a.) & assumatur alia propositio ad hanc hypothesim quolibet modo, siue sumpta sub subiecto hypothesis aliquo quatuor modorum, siue supra prædicatum vno quatuor dictorum modorum, siue sumatur vniuersaliter, vt omni a. inesse c. hoc enim est sub subiecto, siue sumatur b. inesse omni d. quod est supra prædicatum. Si enim tantum & non aliter fit prima figura, scilicet aut sumendo sub subiecto, siue supra prædicatum: quia aliter medium non erit in toto primo, & postremum in toto medio: quia hæc sola dispositio facit primam figuram. Si ergo supponatur contradictoria vniuersalis affirmatiuæ quæ est, omne b. est a. vt si dicatur a. non omni b. inesse, non fit syllogismus in prima figura quocunque modo sumatur assumpta cum hypothesi propositio, sicut iam ante probatum est. Si autem supponatur contraria eius (quæ est nulli b. inesse a.) si altera propositio sumatur cum hypothesi quæ est b. c. minor propositio affirmatiua, potest quidem esse syllogismus in secundo vel quarto modo primæ figuræ ostendens falsum esse quod est in hypothesi suppositum, sed non per hoc ostenderetur propositum: nam si ponatur a. nulli d. inesse. d. autem dicatur omni b. inesse in minori, sequitur per secundum primæ, quòd a. nulli b. inest, quæ est contraria maioris. Hoc autem fit impossibile & falsum: quia contraria non stant simul in vero: bene sequitur, quòd falsum est, quòd nulli b. insit a. quod dedit hypothesis. Sed non sequitur ex hoc, quòd si nulli inesse sit falsum, quod eius contrarium (quod est omni

omni inesse) sit verum: quia contraria possunt esse ambo simul falsa. Si autem assumatur propositio quæ est c. a. (quæ fuerat maior in priori syllogismo) tunc non fit syllogismus, etiam quando supponitur contradictoria conclusionis (quæ est non omni b. inesse a.) quia minor erit negatiua: propter quod manifestum est, quoniam omni inesse siue vniuersalis affirmatiua nullo modo ostenditur per impossibile in prima figura.

Dubitatio. Potest tamen esse quæstio, quare vniuersalis affirmatiua non ostenditur per impossibile in prima figura, sed in aliis: & quomodo sit hoc intelligendum? vniuersalis enim affirmatiua non ostenditur nisi in prima figura, & non in secunda, vel tertia, vt dudum in antehabitis ostensum est. Adhuc autem conuersiuus in prima figura est ad ostendendum vniuersalem affirmatiuam in prima figura: & dictum est, quòd syllogismus per impossibile similis est conuersiuo.

Solutio. Ad hæc autem dicendum, quòd vniuersalis affirmatiua (sicut dictum est) non demonstratur per impossibile in prima figura: & huius causa est quæ dicta est: quia suppositæ conclusionis opposita vel contraria, aut non erit syllogismus, aut non erit ad propositum inferendum. Et quod dicitur, quòd vniuersalis affirmatiua non syllogizatur, nisi in prima figura. Dicendum, quòd non demonstratur per impossibile in prima figura, nec per impossibile est syllogizata, sed ex ex oppositio eius syllogizatur falsum aliquod, mediante quo habetur propositum: & sic syllogismus falsi illius non habetur in prima figura ad propositum, sed fit in secunda vel tertia figura. Si autem illa vniuersalis syllogizata concluderetur solum in prima figura, non concluderetur in secunda & tertia figura. Ad hoc autem quod dicitur de conuersiuo syllogismo, dicendum quòd si demonstratur vniuersalis affirmatiua in prima figura, & deinde fiat conuersio, syllogismus conuersiuus erit per aliam figuram quam per primam: & similiter in syllogismo per impossibile. Si enim deberet monstrari vniuersalis affirmatiua per impossibile, oporteret quod syllogismus concludens falsum fiat per aliam figuram à prima. Vnde similes sunt in hoc conuersiuus & syllogismus per impossibile: semper tamen syllogismus concludens vniuersalem affirmatiuam, fit per primam figuram.

Quamuis autem syllogismus per impossibile, procedat non ex præsyllogizato, sed ex manifestè falso dato per hypothesim: tamen adhuc oportet respondentem ad manifestius falsum deduci: quia quædam secundum rem manifestè falsa, nobis aliquando sunt immanifesta & ignota: quod per hoc patet: quia cauillator etiam negat aliquando principia, & supponit opposita principiorum: & quoad hoc præcipuè necessarius est syllogismus per impossibile. Si enim positum esset ita à nobis, sicut in re est falsum, non oporteret vlterius ad inconueniens aliquod deducere. Sic ergo ostensum est, quòd in prima figura non ostenditur vniuersalis affirmatiua.

CAPVT III.

Qualiter per impossibile aliæ ab vniuersali affirmatiua demonstrantur in prima figura.

PRopositiones particulares quæ dicunt non omni b. inesse a. Et propositiones vniuersales negatiuæ, sicut illa quæ dicit nulli b. inesse a. & similiter particularis negatiua quæ dicit non omni b. inesse a. ostenduntur per primam figuram in syllogismo per impossibile. Supponatur enim in hypothesi conclusio, nulli b. inesse a. b. autem in maiori sit sumptum omni aut alicui c. inesse: sequitur in secundo primæ, quòd necesse est a. nulli c. inesse, aut in quarto primæ, quòd necesse a. non omni c. inesse. Hoc autem est impossibile: quia non stat simul cum hac, omni c. inesse a. quæ fuit maior prioris syllogismi: quare debet poni & verum esse & manifestum nobis, quòd alicui c. inest a. Propter quod si hoc quod suppositum est, falsum est (quod scilicet nulli c. insit a.) necesse est propositum esse verum, scilicet quod necesse est a. alicui b. inesse: quia hoc est eius contradictorium: & si vnum contradictorium est falsum, reliquum de necessitate est verum. *Alicui autē & nulli & non omni ostenditur, &c.*

Si autem ad a. maiorem extremitatem sumatur altera propositio (hoc est, supra prædicatum hypothesis sumatur propositio maior, quæ sumitur cum conclusione data ad destructionem minoris) non erit syllogismus: neque quando contrarium, hoc est, subcontrarium conclusioni, supponimus, vt alicui b. non inesse a. quia tunc minor in prima figura erit negatiua. Hæc est Aristot. sententia, & potest colligi sic ad ostendendam particularem affirmatiuam, quæ est, aliquod b. est a. suppositæ eius contradictoria quæ est, nullum b. est a. & altera propositione accepta sub subiecto affirmatiuè siue vniuersaliter siue particulariter, erit ad propositum syllogismus. Si sumatur affirmatiua vniuersalis, erit syllogismus per secundum modum primæ. Si autem sumatur particularis affirmatiua, erit syllogismus in quarto primæ. Et hoc etiam cuilibet per se patet: sic, nullum b. a. omne c. b. vel sic, nullum b. a. quoddam c. b. Similiter intelligendum, quòd si accipiatur negatiua sub subiecto hypothesis, non esset syllogismus, propter hoc quod vtraque erit negatiua: & propter hoc: quia minor in prima figura erit negatiua, quod esse non potest. Ex his igitur manifestum est, quòd in syllogismo per impossibile oppositum contradictorie & non contrarium siue subcontrarium est sumendum. *Si autem ad a. sumatur altera, &c. Contrarium pro subcontrario.* *Corollarium.*

Rursus ad ostendendum per syllogismum per impossibile vniuersalem negatiuam, supponatur contradictoria ipsius, hæc scilicet, aliquod b. est a. quæ contradicit huic, nullum b. est a. & accipiatur alia propositio supra prædicatum hypothesis (siue affirmatiua siue negatiua) quæ erit vniuersalis, quæ sit, quòd omne a. est c. sequitur, quòd necesse est, quòd aliquod b. sit c. & erit syllogismus in tertio vel *Rursus supponatur a. alicui b. &c.*

quarto primæ. Si enim accipiatur vniuersalis affirmatiua, erit in tertio: si autem vniuersalis negatiua, erit in quarto: & cum conclusio sit incompossibilis præmissis, & cum eis stare non possit, relinquitur quod eius contradictoria sit vera, quæ est: nullum b. est a. sic autem formantur syllogismi. Detur enim oppositum eius quod est, nullum b.a. hoc est, quoddam b.a. & supra prædicatum: tum pro sit hæc, omne a. est c. necesse est tunc c. alicui b. inesse sic, omne a.c. quoddam b.a. ergo quoddam b.c. Similiter autem & si a. c. propositio sit sumpta priuatiua, sic, nullum a.c. quoddam b.a. ergo quoddam b. non est c. Si autem sub subiecto (quod est b.) sumpta sit propositio, non erit syllogismus: quia sic semper maior erit particularis: quod non potest esse in prima figura.

Si verò cõtrariũ quod supponatur, &c.

Si autem contrarium & non contradictorium vniuersalis negatiuæ supponatur, syllogismus quidem erit in forma & figura syllogismi, & impossibile erit quod concluditur. Sed non per hoc ostenditur propositum: quia non sequitur, quòd si vna contrariarum est falsa, quod reliqua sit vera: quia contraria aliquando sunt ambo falsa: cuius exemplum est, quòd supponatur a. omni b. inesse, quod est contrarium eius quod est nulli b. inesse, & in altera propositione sumpta sit a. inesse omni c. ergo necesse est c. omni b. inesse, quod est contrarium ad nulli b. inesse c. & ideo sequitur, quòd eius sit falsum contrarium quod est omni b. inesse a. & ideo non omni b. inest a. sed ex hoc non sequitur propositum, quod scilicet nulli b. insit a. quia nulli non sequitur ad non omni.

Ad ostendendum autem non omni, &c.

Ad ostendendum autem non omni b. inesse a. (quæ est particularis negatiua) supponendum est contradictoriam & non contrariam, hanc scilicet omni b. inesse a. & accipiatur supra prædicatum altera propositio vniuersalis siue affirmatiua siue negatiua: vel si sub subiecto hypothesis accipiatur propositio vniuersalis, aut particularis, erit syllogismus ad propositum, vno scilicet modo per primum modum, si accipiatur vniuersalis affirmatiua: alio autem modo per secundum, si accipiatur vniuersalis negatiua: tertio modo per tertium, si accipiatur particularis affirmatiua sub hypothesi. Si autem accipiatur supra hypothesim propositio particularis siue sub hypothesi accipiatur negatiua, non erit syllogismus: quia primo modo maior erit particularis, secundo autem modo minor erit negatiua: cuius exemplum est: quia si a. omni b. dicitur inesse in contradictoria, & c. dicatur inesse omni a. in assumpta supra hypothesim propositione, sequitur in primo primæ, quòd c. inest omni b. Propter quod si hoc est impossibile, sequitur quòd falsum est quod pro vero suppositum fuit, scilicet quod quoddam b. non est c.

Similiter autem si ad b. &c.

Similiter autem sit syllogismus per impossibile si subiecto hypothesis quod est b. sumpta sit altera propositio quæ cum dicto contradictorio combinatur: sed tunc fit in tertio modo syllogismus. Similiter autem fit syllogismus per impossibile, si priuatiua sumpta sit vniuersalis propositio supra prædicatum hypothesis, sicut a. c. propositio quæ dicit nullum c. a. sic enim iterum fit syllogismus in secundo modo primæ figuræ. Si autem ad b. quod est subiectum hypothesis, ita quod sub ipso sumatur negatiua propositio, nihil ostenderetur syllogistice: quia sic minor erit negatiua, quod in prima figura esse non potest.

Si autem. non omni. &c

Si autem ad ostendendum per impossibile particularem negatiuam non supponatur omni quod est contradictorium, sed supponatur alicui inesse quod est eius contrarium siue subcontrarium: tunc ex tali combinatione non ostenderetur quoniam non omni quod est contrarium vel subcontrarium, sed ostenderetur per impossibile, quoniam nulli quod est contradictorium ad alicui inesse. Si enim a. inest alicui b. c. autem inest omni a. sequitur, quòd alicui b. inerit c. & si hoc est falsum & impossibile: tunc falsum est alicui b. inesse c. cui æquipollet hæc, nulli b. inesse c. hæc ergo erit vera, nullum b. est a. hoc autem ostenso simul cum illo cointerimitur verum. Positum est enim, quod a. alicui b. inerat & alicui non inerat: quia subcontrariæ possunt simul esse veræ: & si nulli inest, cum hoc non potest stare alicui inesse, alicui autem non inesse: omnis enim syllogismus ad impossibile interimit falsum: sed hic syllogismus interimit verum: ergo non propriè est syllogismus ad impossibile. Si enim supponatur pro hypothesi aliquod b. non esse a. quæ est contraria huius, aliquod b. esse a. & accipiatur cum illa alia propositio, & ex his syllogizetur, interimetur hæc hypothesis aliquod b. esse a. & ostendetur nullum b. esse a. Sed si hoc sequitur: tunc interimitur verum: hæc enim hypothesis (scilicet aliquod b. esse a.) vera est, & verificatur cum principali conclusione, hac scilicet, aliquod b. non esse a. quia subcontrariæ simul verificantur.

Amplius ad per hypothesim, &c.

Amplius autem hoc etiam alia probatur ratione: quia in syllogismo per impossibile falsum quod sequitur, accidere debet propter ipsam falsi hypothesim: sed sic non accidit si supponatur particularis negatiua: ergo ex tali suppositione non fiet syllogismus ad impossibile: falsa enim erit coassumpta cum contradictoria conclusionis. Cuius probatio est: quia ex quo ex ea sequitur falsum, ipsa erit falsa, & non vera: quia ex veris non contingit falsum syllogizare: nunc autem verum est quod sequitur: quia subcontrariæ sunt simul veræ aliquando: patet autem, quòd ea quæ sequitur, vera est, quia a. inest alicui b. & alicui non inest: propter quod patet, quòd non est assumenda contraria conclusionis siue subcontraria in probatione particularis negatiuæ quæ est alicui inesse, sicut aliquod b. esse a. sed contradictoria supponenda est, quæ est omni inesse.

Similiter autem & si alicui b. &c.

Similiter autem est (quantum ad modum probationis) in particulari accepta cum signo particulari sequente negationem, & eius quæ est cum signo vniuersali præcedente negationem, propter æquipollentiam: alicui enim non inesse, aut non omni inesse, aut idem sunt in æquipollentia, aut si non penitus idem sunt in modo significandi, tamen eadem propter æquipollentiam est vtrisque demonstratio.

Ex

Manifestum ergo, quoniam non contrarium, &c.

Ex omnibus autem quæ dicta sunt, manifestum est; quoniam non semper contrarium, sed oppositum contradictorie semper supponendũ est in omnibus syllogismis qui sunt per impossibile: sic enim sumpto contradictorio, necessarium erit quod sequitur quantum ad conclusionem intentam: & axioma, hoc est, principium per quod probatur syllogismus per impossibile, erit probabile apud omnes sapientes acceptum, & hoc est, quia de omni est affirmatio vel negatio vera: ostenso ergo per syllogismum per impossibile, quia non vera est negatio, statim sequitur, quòd necesse est affirmationem veram esse. Et rursum si aliquis non ponat veram esse affirmationem, continuè constat veram esse negationem: contrarium verò supponendo neutro modo continget siue sequitur ratum esse: neque enim sequitur necessario, quod si nulli inesse est falsum, quod omni inesse sit verum: quia possunt esse ambo falsa: neque etiam est probabile, ita quod sapientibus videatur, quod scilicet si alterum contrariorum est falsum, quod reliquum sit verum.

Axioma cum sumatur syllogismus per impossibile.

Manifestum ergo, quoniam, &c.

Manifestum est ergo, quoniam in prima figura aliæ quidem ab vniuersali affirmatiua propositiones omnes ostenduntur per syllogismũ per impossibile. Vniuersalis autem affirmatiua per impossibile non ostenditur in prima figura.

Est autem hic attendendum, quòd in syllogismo per impossibile in prima figura semper accipienda est vna propositio supra hypothesim, & altera sub ipsa: quia aliter non fieret dispositio primæ figuræ, in qua propositiones se habent adinuicem sicut pars ad totum.

Declaratio vnius supra dicti.

Adhuc autem notandum, quòd hoc quod dictum est, quòd vniuersalis negatiua non posset probari supponendo contrarium, sic intelligendum est, quòd quamuis probari possit per contrarium quod est falsum, non tamen ita potest probari quod ex illo inferatur propositum esse verum: quia non sequitur si vnum contrariorum sit falsum, quòd reliquum sit verum.

Dubitatio.

Adhuc autem videtur dubium esse quod dictum est, quod scilicet particularis negatiua ostendi non potest supponendo subcontrariam ipsius: hoc enim videtur falsum: quia dictum est, quòd suppositæ particulari affirmatiuæ ostenditur nullum b. esse c. sic, omne a. est c. aliquod b. est a. ergo aliquod b. est c. sed hoc falsum: ergo falsa hypothesis: ergo eius oppositum verum, hoc scilicet, nullum b. est c. sed sequitur, si nullum b. est c. aliquod b. non est c. quare ostenderetur per impossibile particularis negatiua. Et hoc quidem est verum: sed sic non ostenditur conuenienter ad propositum: non enim supponit falsum & incompossibile proposito, sed potius supponit verum & proposito compossibile: neque concludit falsum propter hypothesim: & ideo in tali ostensione non saluantur conditiones syllogismi per impossibile.

Solutio.

Sufficientia coniugationum per impossibile in figura primi.

Est autem hic notandum, quòd in prima figura in syllogismo per impossibile sunt octo coniugationes, quæ sic accipiantur. Si enim per primam figuram ostendi debeat aliquid per impossibile: aut ergo ostenderetur conclusio affirmatiua, aut negatiua. Si affirmatiua: aut vniuersalis, aut particularis: si affirmatiua vniuersalis, aut penitus non erit syllogismus, aut si sit, non erit ad propositum. Si autem ostendenda sit affirmatiua particularis, supponenda est eius contradictoria, scilicet vniuersalis negatiua: & tunc negatiua propositio aut sumitur supra hypothesim, aut sub ea. Si supra eam: aut vniuersalis, aut particularis: & hoc aut affirmatiua, aut negatiua. Sed nullo dictorum modorum est syllogismus: quia hypothesis cum sit negatiua, non poterit esse minor in prima figura. Si autem accipiatur reliqua propositio sub hypothesi, aut vniuersalis, aut particularis. Si vniuersalis: aut affirmatiua, aut negatiua. Si sumatur affirmatiua & vniuersalis, erit syllogismus ad propositum in secundo primæ. Si autem negatiua, non erit syllogismus: quia minor non erit negatiua. Si autem sub hypothesi sumatur particularis: aut affirmatiua, aut negatiua. Si affirmatiua, sic erit syllogismus ad propositum in quarto primæ. Si autem negatiua, non erit syllogismus. Et sic patet, quòd octo sunt combinationes, sed tantum duæ sunt vtiles.

Ad ostendendam autem particularem negatiuam, oportet quod eius contradictio supponenda sit vniuersalis affirmatiua: & si supra illam accipiatur reliqua propositio: aut accipietur vniuersalis, aut particularis. Si vniuersalis: aut affirmatiua, aut negatiua. Si vniuersalis affirmatiua, erit syllogismus in primo primæ. Si autem negatiua vniuersalis sumatur, erit syllogismus in secundo primæ. Si autem supra hypothesim sumatur particularis: tunc non erit syllogismus: quia maior erit particularis. Si autem accipiatur sub hypothesi: aut vniuersalis, aut particularis. Si vniuersalis: aut affirmatiua, aut negatiua. Si affirmatiua, erit syllogismus in primo modo primæ. Si autem negatiua vniuersalis sumatur, non erit syllogismus: quia minor erit negatiua. Si autem reliqua propositio sumpta sit particularis: aut affirmatiua, aut negatiua. Si particularis affirmatiua, erit syllogismus in quarto primæ. Si autem negatiua, non potest esse syllogismus: eò quòd minor in prima figura erit negatiua. Et sic octo sunt hîc coniugationes, sed tantum duæ vtiles ad concludendam particularem affirmatiuam per primam figuram.

Si autem conclusio concludenda sit negatiua: aut erit vniuersalis, aut particularis. Si est vniuersalis, supponenda contradictoria eius erit particularis affirmatiua. Sed si sub illa accipiatur reliqua propositio, siue vniuersalis, siue particularis, siue affirmatiua, siue negatiua, nullo modo erit syllogismus: quia maior erit particularis. Si autem supra hypothesim reliqua sumatur propositio: aut sumpta erit vniuersalis, aut particularis: & aut affirmatiua, aut negatiua. & vtroque modo erit syllogismus ad propositum: cum affirmatiua quidem in tertio, cum negatiua autem in quarto. Si autem reliqua sumpta est particularis supra hypothesim sumpta: aut affirmatiua, aut negatiua, non erit syllogismus: quia ex particularibus nihil sequitur. Et sic sunt hic octo coniugationes, sed duæ vtiles tantũ.

Si autem conclusio ostendenda sit particularis negatiua, eius contradictoria supponenda erit vniuersalis affirmatiua, supra quam si accipiatur reliqua propositio, aut erit vniuersalis, aut particularis. Si vniuersalis: aut affirmatiua, aut negatiua. Si affirmatiua, erit syllogismus in primo primæ. Si autem negatiua vniuersalis, erit syllogismus in secundo primæ. Si autem reliqua fuerint particularis, non erit syllogismus: quia minor erit particularis. Si autem reliqua sit accepta sub hypothesi: aut erit vniuersalis, aut particularis. Si vniuersalis & affirmatiua, erit syllogismus in primo primæ. Si autem vniuersalis & negatiua, non erit syllogismus: quia minor erit negatiua. Si autem sit particularis & affirmatiua, erit syllogismus per tertium primæ. Si autem particularis negatiua, non erit syllogismus: quia minor erit negatiua. Patet igitur, quòd in prima figura sunt octo coniugationes: vtiles autem sunt quatuor tantum. Octo igitur sunt vtiles in prima figura coniugationes, duæ scilicet ad ostendendum particularem affirmatiuam, & duæ ad ostendendum vniuersalem negatiuam, & quatuor ad ostendendam particularem negatiuam.

Remouet dubium.

Attendendum etiam, quòd quia syllogismus conuertibilis sit ad syllogismum ante se factum, qui in modis & figuris diuersificatur, ideò non potuit sufficienter determinari nisi deducendo eum per omnes modos syllogismorum in tribus figuris: quia vero syllogismus per impossibile non præsupponit sibi syllogismum ante factum, sed tantum conclusionem datam, ideò non secundum ordinem modorum, sed secundum ordinem conclusionum determinatur sufficienter, scilicet cum ostensum est qualiter vniuersalis affirmatiua & vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua & particularis negatiua per impossibile demonstrantur.

CAPVT IV.

Quid & qualiter ostenditur per impossibile in secunda figura.

In media autem figura, &c.

IN media autem figura & in postrema siue tertia cum aliis conclusionibus etiam hoc ostenditur per impossibile quod est vniuersale affirmatiuum. Ponatur enim a, non omni. b. inesse, quod est contradictorium vniuersalis affirmatiuæ, quæ dicit omne b. esse. a. sumptum sit autem extra pro reliqua propositione sub prædicato hypothesis pro manifestè vero omni c. inesse a. ergo si b. quidem non omni dicatur inesse a. & idem a. dicatur omni inesse c. in assumpta propositione, sequitur per quartum secundæ, quòd non omni b. inest c. Sic si debeat demonstrari, quòd omne b. est a. suppponatur contradictorium, scilicet quod aliquod b. non est a. & assumatur manifestè vera, hæc scilicet, quòd omne c. est a. & syllogizetur sic, omne c. est a. aliquod b. non est a. ergo aliquod b. non est c. Hoc autem impossibile: quia pro manifesto suppositum est, quòd omne b. est c. propter quod falsum est quod est suppositum pro hypothesi, scilicet quòd non omne b. est a.

Si autem contrarium supponatur, &c.

Si autem supponatur contrarium vniuersalis affirmatiuæ quæ probanda est, erit quidem syllogismus concludens falsum & impossibile, sed non potest ostendi per talem syllogismum propositum: quod patet: quia supponatur nulli b. inesse a. (quod est contrarium ad omni b. inesse a.) sumatur autem manifestè vera, quòd omni c. inest a. sequitur, quòd nulli b. inest c. hoc autem sit impossibile: & ideò falsum est nulli b. inesse c. Sed non sequitur vlterius, si contrarium est falsum (quod est nulli inesse) quòd eius contrarium est verum (quod est omni inesse) quia contraria simul possunt esse falsa. Si enim sic procedatur in secundo secundæ, omne b. a. nullum c. a. sequitur, quòd nullum c. b.

Quando autem aliquem b. inest a. &c.

Ad demonstrandum autem particularem affirmatiuam in secunda figura, hanc scilicet, quoniam alicui b. inest a. (hoc est, quòd aliquod b. est a.) sumatur contradictorium eius, & ponatur in hypothesi a. nulli b. inesse (hoc est, quod nullum b. est a.) & assumatur manifestè verum, hoc scilicet, quòd omni c. inest a. (hoc est, quòd omne c. est a.) sequitur igitur ex his duabus in secundo secundæ, quòd necesse est c. nulli b. inesse: propter quod si hoc est impossibile & falsum, eius contradictorium erit verum, scil cet quòd necesse est alicui b. inesse c. Si autem ad probandam particularem affirmatiuam supponatur eius contraria siue subcontraria, quæ est alicui non inesse, non potest probari particularis affirmatiua: quoniam eadem obstant quæ obstabant in prima figura, scilicet quòd suppositum non necessariò est falsum, nec est etiam incompossibile proposito: quia subcontraria possunt esse simul vera: & quia non accidit falsum propter hypothesim falsam.

Rursum supponatur a alicui. &c.

Similiter autem in secunda figura ostenduntur conclusiones negatiuæ: monstratur enim vniuersalis negatiua per impossibile in secunda figura sic. Rursum enim si supponatur a. alicui b. inesse (quod est contradictorium ad vniuersalem negatiuam, hanc scilicet nullum b. est a.) & assumatur manifestè verum, & hoc sit, quòd nullum c. est a. sequitur in tertio modo secundæ, quòd c. non insit alicui b. sic, nullum c. est a. aliquod b. est a. ergo aliquod b. non est c. Hoc autem falsum: quia dictum est, quòd omni c. inerat b. siue quòd omne c. est b. ergo falsum est quod suppositum est in hypothesi: ergo eius contradictorium est verum, hoc scilicet, quòd nullum b. est a. siue quod nulli b. inerit a.

Quoniam autem non omni b. inest a &c.

Si autem ostendenda sit particularis negatiua, & hæc scilicet, quoniam non omni b. inest a. siue quòd quoddam b. non est a. accipiatur eius contradictorium, hoc scilicet quod ponatur, quòd omni b. inest a. & assumatur manifestè verum in negatiua, hæc scilicet, quòd nulli c. inest a. sequitur per impossibile, quòd necesse est c. nulli b. inesse: syllogizatur enim in primo modo secundæ, sic, nullum c. a. omne b. a. ergo nullum b. c. Hoc autem impossibile: propter quod sequitur, quòd verum

est eius contradictorium quod est non omne b. esse c. vel aliquod b. non esse c.

Manifestum ergo, quoniam, &c.

Manifestum est ergo, quòd omnium conclusionum syllogismi per mediam fiunt figuram: quia & concluditur per eam vniuersalis affirmatiua & vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua & particularis negatiua.

Est autem hic attendendum, quòd in syllogismo per impossibile propositio manifestè vera (quæ extrinsecus assumitur) semper sumitur sub prædicato hypothesis. Et huius causa est, quia propositiones dispositæ ad secundam figuram communicant in prædicato: & ideò sub illo oportet assumere.

Remouet dubium.

Adhuc notandum, quòd non oportet docere supponere contrariam negatiuorum conclusionum, sicut determinata est suppositio contrariarum ad affirmatiuas conclusiones: quia idem modus est vtrobique, & per vnum intelligitur reliquum.

Numerus & sufficientia syllogismorum per impossibile in secundæ figura.

Notandum etiam, quòd octo fiunt hic in secunda figura syllogismi per impossibile. Si enim demonstratur conclusio per impossibile in secunda figura: aut erit conclusio affirmatiua, aut negatiua. Si affirmatiua: aut vniuersalis, aut particularis. Si vniuersalis, supponatur eius contradictoria quæ est particularis negatiua, sub cuius prædicato oportet accipere manifestè verum, eo modo quo prædictum est in formatione syllogismorum. Si autem accipiatur particulare: aut affirmatiuum, aut negatiuum: & hoc aut fiet maior, aut minor; & nullo modo erit syllogismus: quia ex particularibus nihil sequitur: & ideò si particulare assumatur cum contradictorio, non fit syllogismus. Si autem vniuersale sumatur: aut erit affirmatiuum, aut negatiuum: & siue illud fiat maior siue minor, non erit syllogismus. Si enim negatiuum sumatur, non erit syllogismus: quia ex omnibus negatiuis nihil sequitur. Si autem sit affirmatiua, non erit syllogismus: quia maior debet esse vniuersalis in secunda figura: tunc enim hypothesis erit maior propositio quæ est particularis. Si autem assumptum sit vniuersale affirmatiuum & fiat maior, erit syllogismus in quarto modo secundæ. Octo igitur sunt hic coniugationes, sed tantum vnica vtilis est ad demonstrandum vniuersalem affirmatiuam.

Si autem ostendi debeat particularis affirmatiua, supponatur contradictoria vniuersalis negatiua, & accipiatur sub prædicato vniuersaliter, vel particulariter. Si vniuersaliter & negatiuè, erunt duæ coniugationes inutiles: quia ex negatiuis nihil sequitur. Si autem sumatur vniuersaliter & affirmatiuè: aut ergo hypothesis erit maior, & reliqua propositio minor, & erit syllogismus ad propositum in primo secundæ: aut sumatur è conuerso, erit syllogismus ad propositum in secundo modo secundæ. Si autem sub prædicato hypothesis accipiatur particularis negatiua, erunt duæ coniugationes inutiles sicut prius. Si autem sumpta sit particularis affirmatiua: aut ergo hypothesis fit minor, & particularis assumpta maior, & tunc non erit syllogismus, quia maior fit particularis: aut è conuerso, & erit syllogismus ad propositum in tertio secundæ. Octo ergo sunt hic coniugationes, sed tantum tres ad propositum vtiles.

Si autem conclusio demonstranda sit negatiua: aut vniuersalis, aut particularis. Si vniuersalis, supponatur contradictio particularis scilicet affirmatiua, & assumatur alia siue reliqua propositio: & hæc erit, aut vniuersalis, aut particularis. Si particularis, nullo modo erit syllogismus, propter causam quæ dicta est. Si autem est vniuersalis & affirmatiua, iterum non erit syllogismus: quia in secunda figura ex affirmatiuis nihil sequitur. Si autem est vniuersalis negatiua, erit vniuersalis si ipsa fit maior & hypothesis minor, & erit in tertio secundæ. Et ita patet, quòd sunt hic octo combinationes, sed omnes inutiles præter vnam.

Si autem ostendi debeat particularis negatiua, supponitur contradictio vniuersalis affirmatiua, & assumatur alia propositio: & hæc erit aut vniuersalis, aut particularis. Si est vniuersalis & affirmatiua, sunt duæ coniugationes inutiles. Si autem negatiua sumatur, erunt vtiles duæ coniugationes, iuxta primum modum vna, & iuxta secundum modum alia. Si autem assumatur subcontraria particularis affirmatiua, erunt duæ vtiles. Si autem assumatur particularis negatiua, erit vtilis maiore existente vniuersali, & non aliter. Et sic sunt hic octo coniugationes, sed tantum tres vtiles. Sunt igitur coniugationes hic omnes inutiles præter octo, quarum vna ostendit vniuersalem affirmatiuam, & tres particularem affirmatiuam, & vna vniuersalem negatiuam, & tres particularem negatiuam.

CAPVT V.

Qualiter fit syllogismus in impossibile in tertia figura.

Similiter autem & per vltimam.

SImiliter autem fit syllogismus per impossibile ad conclusiones demonstrandas per vltimam figuram: ad ostendendam enim vniuersalem affirmatiuam (quæ est, omne b. est a.) ponatur contradictoria eius quæ est, aliquod b. non est a. quæ dicit alicui b. non inesse a. & assumatur sub subiecto hypothesis manifestè verum, hæc scilicet, omne b. est c. siue c. inesse omni b. & sequitur per quintum tertiæ, quod a. alicui c. non inest, sic, aliquod b. non est a. omne b. est c. ergo aliquod c. non est a. Si ergo hoc impossibile falsum est, quod positum fuit (scilicet a. alicui b. non inesse) ergo eius contradictorium est verum, quod est omni b. inesse a. siue quòd omne b. est a. quod idem valet.

Si vero supponatur, &c

Si verò ad vniuersalem affirmatiuam supponatur contrarium (quod est nulli b. inesse a.) syllogismus quidem erit concludens impossibile, sed per eum non ostenditur propositum esse verum: quia non sequitur, si vnum contrariorum sit falsum, quòd reliquum sit verum: & est eadem ratio quæ in prioribus.

Si ad ostendendum, &c.

Si vero ostendi debeat particularis affirmatiua in tertia figura quæ est alicui b. inesse a.

siue quod aliquod b. est a. eadem ponenda est hypothesis, scilicet quod supponatur contradictoria, quòd hæc scilicet, nullum b. est a. nam si a. nulli b. inest, & assumatur manifestè vera particularis affirmatiua, hæc scilicet, quòd alicui b. inest c. sequitur in sexto tertiæ, quòd a. non omni inest c. siue quod aliquod c. non est a. Si autem hoc est falsum, eius contradictorium est verum, scilicet quod a. inest alicui b. siue quod aliquod b. est a. hoc enim contradicit ad id quod est omne b. non esse a. Si autem supponatur eius subcontraria, non erit syllogismus, sicut in antehabitis sæpe dictum est.

Quoniã autem nulli b. inest a. &c.

Conclusiones etiam negatiuæ ostenduntur in tertia figura: vniuersalis enim negatiua sic ostenditur: sicut si debeamus ostendere hanc conclusionem, quoniam nulli b. inest a. supponatur contradictorium eius quod est alicui b. inesse a. sumptum autem sit pro vero extrinsecus, quòd omni b. inest c. syllogizatur in tertio tertiæ, quòd necesse est a. alicui c. inesse. Si autem hoc impossibile, contradictorium est verum, scilicet quod datum fuerat, hoc scilicet, nulli b. inesse a. & illius contradictorium est falsum, quod est alicui b. inesse a. Si autem in tali ostensione vniuersalis negatiuæ supponatur contrarium & non contradictorium, hoc scilicet, omni b. inesse a. non ostenderetur propositum, sicut sæpius habitum est.

Sed ad a. b. non omni, &c.

Si autem ostendenda sit particularis negatiua, sicut hæc, non omni b. inest a. hæc eadem sumenda est hypothesis, supponendo scilicet contradictorium: nam si a. omni b. inest (sicut dicit hypothesis contradictionis) & iterum c. inest omni b. (sicut dicit extrinsecus assumpta sub subiecto hypothesis) sequitur in primo tertiæ, quod a. alicui inest c. hoc autem cum non sit (quia stare non potest) patet quòd falsum est quod positum est, quòd omni b. insit a. Si autem hoc est falsum: ergo contradictorium verum est, quod est non omni b. inesse a. siue aliquod b. non est a. Si autem in tali ostensione particularis negatiuæ supponatur eius subcontraria quæ est alicui b. inesse a. eadem sequuntur quæ sæpius in prioribus dicta sunt, & non ostenditur propositum.

Manifestum ergo, quoniam &c. In secunda & tertia figuris quodammodo ostenditur vniuersalis affirmatiua.

Manifestum ergo est ex his quæ dicta sunt, quòd in omnibus syllogismis qui fiunt per impossibile, oppositum contradictorie supponendum est. Patet etiam est ex dictis, quoniam etiam in media figura ostenditur quodammodo vniuersalis affirmatiua, & etiam in postrema: quia licet vniuersalis affirmatiua non concludatur in media & in tertia, tamen per syllogismum ad impossibile deuenitur in ostensionem ipsius. Est autem hic notandum, quòd in tertia figura non assumitur nisi sub subiecto hypothesis: ideò quia propositiones constituentes tertiam figuram debent communicare in subiecto: & ideo oportet idē subiectum esse in hypothesi & in vero extrinsecus assumpto.

Numerus & sufficientia syllogismorum ad impossibile in tertia figura.

Notandum est etiam, quòd hic sunt duodecim syllogismi, qui sic accipiuntur. Si enim debeat ostendi conclusio vniuersalis affirmatiua, supponatur contradictoria quæ est particularis negatiua: & quando cum illa assumitur verum extrinsecus, aut est vniuersale, aut particulare. Si particulare, hoc fit quatuor modis, sed nullo modo erit syllogismus, quia nihil sequitur ex particularibus. Si autem sumitur vniuersale & negatiuum, hoc fit duobus modis, sed iterum non est syllogismus, quia minor in tertia non potest esse negatiua. Si autem vniuersale & affirmatiuum sumatur, erit syllogismus ad propositum, si minor sit affirmatiua, & non aliter: & sic vnicus est syllogismus ad ostendendam vniuersalem affirmatiuam.

Si autem ostendi debeat particularis affirmatiua, supponatur contradictoria quæ est vniuersalis negatiua: & tunc propositio extrinsecus assumpta: aut erit vniuersalis, aut particularis. Si est vniuersalis & negatiua, duæ fiunt inutiles coniugationes. Si autem est vniuersalis & affirmatiua, erit vtilis quando minor est affirmatiua, & non aliter. Si autem assumatur particularis, per omnia similiter erit. Vnde hic sunt duo syllogismi.

Si autem debeat ostendi vniuersalis negatiua, supponatur contradictoria particularis affirmatiua, cum qua si sumatur particularis, nullo modo erit syllogismus. Si autem cum ipsa sumatur vniuersalis, aut erit affirmatiua, aut negatiua. Si affirmatiua: aut erit maior, & tunc erit quartus modus tertiæ: aut erit minor, & tunc erit modus tertius tertiæ: & ambo sunt ad oppositum ostendendum. Si autem sumatur vniuersalis negatiua, erit syllogismus ad propositum quando minor est affirmatiua: & sic sunt hîc tres syllogismi.

Si autem ostendi debeat particularis negatiua, supponatur contradictoria vniuersalis affirmatiua, & omnibus modis erit syllogismus ad propositum, nisi duobus modis, scilicet quando minor est negatiua vniuersalis, vel particularis, sicut in formatione syllogismorum prius posita patet. Sic igitur sunt hic sex coniugationes vtiles. Patet igitur, quòd hic non sunt nisi duodecim vtiles coniugationes: vna scilicet ad ostendendam vniuersalem affirmatiuam, duæ autem ad ostendendam particularem affirmatiuam, tres verò ad ostendendam vniuersalem negatiuam, sex autem ad ostendendam particularem negatiuam.

CAPVT VI.

De differentia syllogismi per impossibile & ostensiui, & de conuenientia eorundem.

Differt autem quæ ad impossibile, &c.

Differt autem ea demonstratio quæ est ad impossibile, ab ea demonstratione siue ostensione quæ est & dicitur ostensiua. Et prima differentia inter eas accipitur ex parte propositionum. Demonstratio enim ad impossibile primo ponit & supponit hoc quod vult interimere: per hoc enim deducit ad indubitabile falsum, & sic procedit ex falso posito in altera præmissarum. Ostensiua autem demonstratio incipit ab indubitabilibus (hoc est, positis & concessis propositionibus & veris) & procedit ad probationem dubitatæ conclusionis.

Ex quo patet quòd duplex est propositio in demonstrationibus, scilicet vera & falsa.

clusionis. Et sic conueniunt in hoc, quòd vtraque istæ demonstrationes (& ostensiua scilicet, & ad impossibile) sumunt in syllogismo propositiones indubitabiles. Sed hæ quidem, ostensiua scilicet, sumit indubitabiles vt veras, ex quibus est syllogismus. Illa verò quæ est ad impossibile, sumit vnam illarum sic indubitabilem, & alteram indubitabiliter falsam, quæ est contradictoria datæ conclusionis. Et quod dicimus indubitabiles esse propositiones in ostensiua, intelligimus quantum ad ponentem: quia ponit esse notas & indubitabiles: quia aliter non probaretur per eas ignota & dubitata conclusio.

Vtrumque autem.

Alia autem differentia est in conclusionibus: quia hunc quæ est ostensiua, non necesse est ante syllogismum notam esse conclusionem: neque necesse est prius opinari de conclusione, vtrum est, vel non est: siue vtrum est vera, vel falsa, quod idem est: quia ad hoc fit syllogismus ostensiuus, quod nota fiat conclusio, & quòd cadat in opinione verum est, vel non: & ideò ante syllogismum conclusio est vt ignota. In syllogismo autem ad impossibile necesse est præcognitam esse conclusionem, quoniam non est, siue quia falsa est: quia aliter ex ipsa ad majus inconueniens non procederet.

Caret quod non est, pro falso, iuxta illud primo poste. Quod nõ est, non est scire.

Differt autem nihil, &c.

Secundum conuenientiam autem comparantur: quia in ostensiua & per impossibile nihil differt aut affirmatiuam, aut negatiuam esse conclusionem: sed similiter se habent adinuicem istæ duæ in hoc demonstrationes: quia vtraque habet tam affirmatiuam, quam negatiuam conclusionem: quia omnis conclusio siue affirmatiua siue negatiua, quæ ostensiuè ostenditur, eadem in eisdem terminis demonstratur etiam per impossibile: & è conuerso omne quod monstratur per impossibile, ostenditur etiam in eisdem terminis ostensiuè. Hoc autem sic probatur: quia quando syllogismus per impossibile fit in prima figura: tunc ostensiuè id quod verum & intentum ad probandum syllogizatur in media vel tertia figura. Priuatiua quidem conclusio per impossibile concluſa in prima, ostensiuè concluditur in media quæ non habet nisi negatiuas conclusiones. Prædicatiua autem syllogizata per impossibile in prima, ostensiuè concluditur, siue probatur in tertia siue postrema. Quando autem in media figura per syllogismum ad impossibile aliquid probatur: tunc id quod verum est & intentum, ostensiuè concluditur in prima figura per omnes propositiones. Quando verò in postrema fit syllogismus per impossibile: tunc quod verum est, ostensiuè concluditur in prima & media: affirmatiua quidem in prima, & negatiua conclusio ostensiuè concluditur in media, quæ non habet nisi negatiuam conclusionem.

Dubitatio.

Si autem quæritur, quare per impossibile syllogizatum in vna figura, non potest in eisdem terminis ostensiuè concludi in eadem, sed in alia? Dicendum, quòd hoc est ideò, quòd syllogismus ostensiuus qui concludit intentam conclusionem, semper procedit ex opposito conclusionis syllogismi ad impossibile & altera præmissarum: non potest autem ex opposito conclusionis & altera præmissarum hora eiusdem figuræ dispositio: sed fit dispositio terminorum ad alteram figuram: & ideo syllogismus per impossibile & ostensiuus in eisdem terminis ordinati ad eandem conclusione intentam, non possunt esse in eadem figura. Si enim syllogismus ad impossibile fiat in prima figura, ostensiuus fiet ex opposito conclusionis eius & vna præmissarum: sed conclusio cum minore facit tertiam figuram, conclusio autem cum maiore facit figuram secundam. Similiter facto syllogismo ad impossibile in secunda figura, ex opposito conclusionis cum minore fiet tertia figura, & eodem opposito sumpto cum maiore fiet prima figura. Similiter facto syllogismo ad impossibile in tertia figura, ex opposito conclusionis cum minore fiet prima figura: ex eodem autem conclusionis opposito sumpto cum maiore fiet figura secunda.

Solutio.

Si autem quæritur, vtrum negatiua ostensa per impossibile in prima, non possit ostensiuè syllogizari in secunda? Dicendum, quòd vniuersalis negatiua per impossibile ostensa in prima, tantum per secundam syllogizatur ostensiuè. Particularis autem negatiua syllogizata per primam per impossibile, tam per secundam quam per tertiam concluditur ostensiuè. Cuius est duplex causa. Vna quidem: quia vniuersalis non concluditur per tertiam, sed particularis. Alia autem est, quòd propinquius est resciendo ad hypothesim demonstrare particularem, quam quamcunque aliam conclusionem. Si enim ostenditur vniuersalis per impossibile in prima, hypothesis erit particularis: & ita verum alibi prius erit propositio maior, ex qua & opposito conclusionis erit secundæ figuræ dictio. Si autem ostendatur per impossibile particularis negatiua in prima figura, hypothesis erit tam maior aliquando quam minor aliquando: & similiter erit tam maior quam minor vera propositio assumpta: & ideò oppositum conclusionis cum vero assumpto aliquando constituit secundam figuram & aliquando tertiam.

Dubitatio.

Si autem adhuc quæritur de particulari affirmatiua concluſa per impossibile in prima, an alibi, quam in tertia possit in eisdem terminis ostensiuè syllogizari? Dicendum, quòd non: per secundam enim non concluditur nisi negatiua: & etiam ideò quia ad ostendendam particularem affirmatiuam, hypothesis est vniuersalis negatiua, quæ solum maior erit in prima figura: & ita vera propositio assumpta erit minor propositio, ex qua & conclusione non nisi tertia constituitur figura.

Solutio.

Remouet dubium.

Notandum etiam, quòd quia vniuersalis affirmatiua per impossibile non probatur in prima figura, ideo consequentius est ostendere quæ dicta sunt per vniuersalem negatiuam per impossibile conclusum in prima, quam aliter: & quia vniuersale est ante particulare, ideò prius ostenditur in vniuersali negatiua, quam in particulari negetiua: post vniuersalem autem negatiuam ostenditur in particulari negatiua, propter earum conformitatem in qualitate: vltimo autem in particulari affirmatiua.

affirmatiua. In alias autem figuris è conuerso est: quia in illis ostenditur per impossibile vniuersalis affirmatiua. Illae autem negatiuae per impossibile ostensiuae in prima figura, in quibus vniuersales oportet concludantur in secunda: & particularis affirmatiua per impossibile ostensiua in prima, ostenditur ostensiue in tertia: & secunda figura præcedit tertiam: & ex his manifestum est quo procedendi in conclusionibus istis.

Dubitatio. Adhuc autem quæri potest, vtrum tantum per primam concludi possint ostensiue conclusiones per impossibile probatæ in secunda figura? Et ad hoc dicendum, quod vniuersalis ostensiua per impossibilem secundæ, tantum in prima syllogizatur ostensiue in eisdem terminis. Particularis autem syllogizata per impossibile in secunda, ostensiue probari potest & in prima & in tertia: & hoc cuilibet etiam per se potest patere consideranti: quia tantum particularis concluditur in tertia: & quia oppolita conclusionis particularis est vniuersalis quæ potest esse tam maior quam minor in secunda figura: oppositum autem conclusionis vniuersalis est particularis, quod non potest esse eius minor in secunda figura.

Dubitatio. Similiter autem potest quæri de conclusionibus per impossibile deductis in tertia figura, vtrum scilicet affirmatiuæ ostensiuè concludantur tantum per primam & negatiuæ tantum per secundam? Et dicendum ad hoc, quòd affirmatiua ostensiua per impossibile in tertia solum ostensiuè syllogizatur in prima, sicut patet ex prædictis: quia affirmatiua non syllogizatur in secunda. Sed negatiua per impossibile ostensiua in tertia, potest ostensiuè syllogizari tam in prima quam in secunda.

Dubitatio. Si autem quæritur, verum idem sit syllogizare conuertiue & ad impossibile, eo quod vterque syllogismus accipit oppositum conclusionis? Dicendum, quod non: quia conuertiuus syllogismus contentus est vna conclusione: syllogismus autem ad impossibile duas habet conclusiones. Adhuc autem quia conuertiua accipit pro opposito conclusionis eam verum quam falsum: sed demonstratio per impossibile semper accipit falsum: vnde in plus est conuertiuè syllogizare, quam ostendere per impossibile: sequitur enim ad ipsum, & non conuertitur.

Solutio. Differentia inter syllogismum conuertibilem & ad impossibile ducentem.

CAPVT VII.

De ostensione eorum quæ dicta sunt per formationem syllogismorum.

OStendamus igitur ea quæ dicta sunt, & primo quòd negatiua per impossibile probata in figura prima, ostensiue syllogizatur per figuram secundam: quia ex hypothesi & vero assumpto supra ipsam fit syllogismus in tertio primæ, sic, omne a.c aliquod b.a. ergo aliquod b.c. sed hoc est falsum: ergo oppositum hypothesis est verum, hoc scilicet, nullum b. a. Deinde ex opposito falsæ conclusionis & vero assumpto prius syllogizatur ostensiue pro, oitum in secundo secundæ, sic, omne a. c. nullum b. c. ergo nullum b. a.

Sit enim ostensum a. nulli b. inesse aut a. non omni b. inesse: prima enim est vniuersalis negatiua quæ concluditur in secundo primæ, non omni autem concluditur in quarto primæ: & sic horum quodcunque ostensum per primam figuram: ergo hypothesis sumens oppositum eius quod ostensum est, erat alicui b. inesse a. quod est oppositum ad nulli. c. autem sumebatur omni a. inesse pro manifestè vero, & sumebatur nulli inesse b. sic enim fiebat syllogismus, & sequebatur impossibile: ex tali autem terminorum dispositione fiebat mediæ figura hoc modo, si c. a. quidem omni inest, & a. nulli inest b. & manifestum est, quod concluditur ex his quoniam nulli b. inest a. in secundo secundæ, sic, omne a.c. nullum b.c. ergo nullum b.a. Et attende, quòd syllogismus ad impossibile semper fit ex hypothesi oppositæ conclusionis & vero assumpto, & concludit manifestè falsum. Syllogismus autem ostensiuus ad eandem conclusionem semper fit ex eodem vero assumpto & opposito falsæ conclusionis: & istæ tres propositiones sunt materia horum duorum syllogismorum.

Sit enim ostensum a nulli, &c.

Ostendamus etiam qualiter particularis negatiua ostensa per impossibile in prima, ostensiuè syllogizatur per secundam. Similiter enim sicut diximus de nulli syllogizato in prima per impossibile, dicimus de non omni vel aliqui non ostenso in prima per impossibile: nam huius oppositum quod est hypothesis data, est omni inesse, sicut eius quod est non omne b. esse a. vel aliquod b. non esse a. oppositum quod sumit hypothesis, est omne b. esse a. c. autem medium sumebatur pro manifestè vero. a. quidem omni inesse b. in maiori. b. autem non omni inesse c. in minori. Et hoc patet sic: quia sumpta hypothesis contradictione, & accepto vero extrinsecus supra hypothesim fiet syllogismus ad impossibile per primam primæ, sic, omne a. c. omne c. a. ergo omne b. c. quod est manifestè falsum. Deinde ex opposito conclusionis & vero assumpto ostenditur propositum in quarto secundæ, sic, omne a.c. quoddam b. non est c. ergo quoddam b. non est a. Si autem verum extrinsecus sumatur supra hypothesim negatiuam, fiet syllogismus ad impossibile in secundo primæ, & syllogismus ostensiuus in tertio secundæ ad eandem conclusionem. Similiter autem fit ostensio per impossibile in prima, & ostensiuè in secunda, si maior propositio quæ est a. c. sit priuatiua, sicut in secundo & quarto primæ: sic enim sumendo oppositum conclusionis syllogismi per impossibile, & verum prius assumptum, fit media figura.

Similiter autem & si a non omni b. &c.

Rursum particularis affirmatiua per impossibile ostensa in prima, ostensiuè syllogizatur in tertia. De vniuersali enim affirmatiua non dicimus: quia non ostenditur per impossibile in prima. Sit enim ostensum per impossibile in prima alicui b. inesse a. tunc hypothesis contradictoria erit nulli b. inesse a. b. autem sumebatur

Rursum sit ostensum alicui, &c. Remouet dubium.

sumebatur omni c. inesse (hoc est verum extrinsecus sumptum) & a. sumebatur omni vel alicui c. inesse: sic enim & non aliter sequebatur impossibile. Hæc autem terminorum dispositio facit posteremam figuram: & manifestum est ex his, quod sequitur a. alicui b. inesse, siue quod aliquod b. est a. Similiter autem fit quando ponitur alicui c. inesse b. vel alicui b. inesse a. hoc autem sic patet: quia ad ostensionem particularis affirmatiuæ per impossibile conclusæ in prima figura, sumpta contradictoria, & assumpto vero extra sub hypothesi affirmatiua, & vniuersali, erit syllogismus ad impossibile in secundo primæ sic, nullum b. est a. omne c. est b. ergo nullum c. est a. sed hoc falsum. Ex opposito autem conclusionis & eodem vero syllogizatur ostensiuè oppositum maioris in tertio modo tertiæ figuræ sic, aliquod c. est a. omne c. est b. ergo aliquod b. est a. Si autem verum acceptum sub hypothesi sit particulare affirmatiuum, erit syllogismus ad impossibile in quarto primæ, & ostensiuus in quarto tertiæ, sicut cuilibet per se patere potest: si enim tam a. quam b. insit c. subiecto vniuersaliter, sequitur per primum tertiæ, quod a. insit alicui b. similiter si alterum insit c. vniuersaliter, & reliquum particulariter, sequitur idem per tertium vel quartum eiusdem tertiæ figuræ.

Et si non vniuersalis sit syllogismus.

Ostensum est igitur, quòd quando impossibile syllogizatum est in prima figura, quod verum ostensiuè syllogizatur in media, aut in posteremas priuatiuum quidem in media, prædicatiuum autem in posterema. Ostendamus ergo secundam propositionem in superioribus suppositam, hanc scilicet, quòd quando in media figura fit syllogismus ad impossibile, verum erit ostensiuè ostensum in prima in affirmatiuis propositionibus. Ostendamus autem primo in vniuersali affirmatiua quæ per impossibile ostenditur in secunda figura.

Rursum in media figura, &c.

Rursum enim fit per impossibile probatum in media figura a. omni b. inesse, siue quòd omne b. est a. ergo contradictoria per hypothesim sumpta sit a. non omni b. inesse, vel alicui b. non inesse a. sed sumptum verum manifestum in altera propositione est a. omni c. inesse, & c. inesse omni b. sic enim sequitur impossibile. Hæc autem dispositio terminorum facit primam figuram, si a. omni inest c. & c. omni inest b. sic, Omne c. a. omne b. c. ergo omne b. a.

Similiter autem & si alicui.

Similiter se habet quoad mutationem figuræ, & si alicui b. ostensum sit inesse a. tunc enim hypothesis contradictoria erit nulli b. inesse a. sumptum autem est in præcedenti syllogismo a. omni c. inesse, & c. alicui b. sicut fit syllogismus in tertio primæ concludens particularem affirmatiuam: si enim hypothesis sit minor in syllogismo ad impossibile quo ostenditur vniuersalis affirmatiua in secunda, erit syllogismus ad impossibile in secundo secundæ: ex opposito autem, falsæ conclusionis & eodem vero erit syllogismus ostensiuus in tertio primæ. Idem autem est in conclusionibus negatiuis. Si enim priuatiuus fiat syllogismus ad impossibile in vniuersali negatiua: tunc hypothesis contradictorij sumpta erit a. alicui b. inesse: hoc enim contradictorium est ad nulli: sumptum autem verum in syllogismo est nulli c. inesse a. & omni b. inesse c. Ex hac autem dispositione fit prima figura.

Et si non vniuersalis sit syllogismus.

Et in particulari negatiua similiter est. Si enim non vniuersalis sit syllogismus ad impossibile in secunda figura, sed per impossibile sit ostensum a. alicui b. non inesse: nam tunc erit contradictoria hypothesis omni b. inesse a. sumptæ autem propositiones manifestæ veræ sunt a. nulli b. inesse, & c. inesse alicui b. tali enim dispositione terminorum fit prima figura: ex hypothesi enim (quæ est oppositum particularis affirmatiuæ negatiuæ) & vero negato assumpto pro maiori syllogizatur falsum in tertio secundæ: ex opposito autem falsæ conclusionis, & eodem vero syllogizatur ostensiuè verum intentum per quartum primæ: & hoc facile patet formando syllogismos in terminis a. b. c.

Tertia autem propositio superius proposita est, quòd quando in posterema figura fit syllogismus ad impossibile, quod verum est syllogizatur ostensiuè in prima & in media: affirmatiua quidem in prima, priuatiua autem in media. Ostendamus autem primo, quòd affirmatiua per impossibile demonstrata in tertia, ostensiuè syllogizatur in prima.

Rursum in tertia figura ostensum fit, &c.

Rursus enim incipientes dicimus, quòd in tertia figura per impossibile ostensum sit a. omni b. inesse, siue quòd omne b. sit a. ad hoc ergo per impossibile concludendum hypothesis quidem fuit non omni b. inesse a. sumptum autem verum adiunctum hypothesi fuit c. inesse omni b. & a. inesse omni c. sic enim sequebatur impossibile quod dictum est. Talis autem terminorum dispositio est prima figura: ex hypothesi enim & vero assumpto supra subiectum hypothesis syllogizatur falsum in quinto tertiæ. Ex opposito autem falsæ conclusionis & eodem vero ostenditur propositum in tertio primæ.

Attendendum est autem hic, quòd hucusque nos exponendo tres supra inductas propositiones secundum sententiam Arist. in prioribus (quæ tres propositiones præmissæ sunt duorum syllogismorum) semper posuimus primo hypothesim, secundo verum assumptum, & tertio oppositum conclusionis falsæ. Deinceps autem mutato ordine, primo ponemus hypothesim, secundo oppositum conclusionis falsæ, & tertio verum assumptum.

Similiter autem & si in aliquo sit demonstratio, &c.

Similiter autem in tertia figura est in particulari affirmatiua ostensa per impossibile, sicut si in aliquo particulari sit demonstratio per impossibile in tertia figura: quia ex opposito eius & vero assumpto concluditur falsum in sexto tertiæ: ex opposito autem illius falsi & eodem vero ostenditur propositum in tertio primæ: nam hypothesi contradictorij ad particulare affirmatiuum fuit (nulli b. inesse a.) sumptum autem in syllogismo erat (c. alicui b. inesse, & a. inesse omni c.) & hæc dispositio facit primam figuram.

Si autem priuatiuus sit syllogismus, &c.

Similiter ostenditur, quòd negatiua ostensa per impossibile in tertia, ostensiuè syllogizatur in secunda: & hoc primo ostenditur in vniuersali negatiua. Si enim priuatiuus sit syllogismus ad impossibile ostendens vniuersalem negatiuam.

gatiuam. Si enim ostensa sit vniuersali negatiua per impossibile, sicut nulli b. inesse a hypothesis contradictoria erit a. alicui b. inesse, siue quod aliquod b. est a. sumptum autem in syllogismo est de inesse, quod nulli a. inest c. & quod omni b. inest omne a. Hæc autem dispositio facit mediam siue secundam figuram: sumpta enim contradictoria vniuersali negatiuæ cum vero extrinsecus posita propositione erit syllogismus talis in quarto tertiæ, sic, omne b. est c. aliquod b. est a. ergo aliquod a. est c. Sed hoc falsum. Ex opposito autem huius conclusionis falsæ & vero assumpto ostensiue syllogizatur propositum in primo secundæ, sic, nullum a. est c. omne b. c. ergo nullum b. a.

Similiter autem & si non vniuersaliter, &c.

Similiter autem est in particulari negatiua quando non est vniuersalis demonstratio quæ est ad impossibile in tertia: nam hypothesis contradicens particulari negatiuæ huic (quoddam b. non est a.) erit hæc (omne b. esse a.) sumptum verum in syllogismo est c. quidem nulli inesse a. b. autem alicui inesse c. hoc est, quòd aliquod b. est b. sic enim syllogizatur falsum in tertio tertiæ, sic, aliquod b. est c. omne b. a. ergo aliquod a. c. Quod falsum est. Deinde ex opposito istius falsæ conclusionis & eodem vero syllogizatur propositum in tertio secundæ, sic, nullum a. c. aliquod b. c. ergo aliquod b. non est a. Hæc enim est media figura.

Manifestum est ergo ex his quæ dicta sunt de tribus propositionibus inductis, quoniam per eosdem terminos ostendemonstrare omnem conclusionem siue propositionem & ostensiuè & per impossibile. Similiter autem erit cum fiunt syllogismi ostensiui. Hos enim erit ad impossibile deducere in sumptis eisdem terminis quando sumpta fuerit propositio opposita conclusioni cui vero assumpto. Cuius causa est, quod iidem & similes fiunt syllogismi qui sunt per impossibile, his qui sunt syllogismi per conuersionem siue cõuersiui, de quibus in antehabitis dictum est: propter quod statim per conuersionem habemus etiam figuras per quas vnumquodque conclusorum ad impossibile & ostensiuè erit demonstrare.

Manifestum ergo, quoniam per eosdem, &c.

Palam est igitur, quoniam omnis propositio ostenditur per vtrosque modos, per impossibile scilicet, & ostensiue: & non contingit alterum istorum separari ab altero, quamuis ambo syllogismi non fiat eadem fiant figura.

Palam ergo, quoniam, &c.

TRACTATVS V.

De syllogismo ex oppositis, qui est syllogismus ex incompossibilibus, cum omnes præhabiti syllogismi sint ex propositionibus compossibilibus.

CAPVT I.

Quot sunt genera oppositionum, & quod in prima figura non fit syllogismus ex oppositis.

In qua autem figura, &c.

IN qua autem figura contingit ex oppositis propositionibus syllogizare, & in qua non contingit, potè hæc est dicendum: eò quod iam determinatum est de syllogismis in quibus potest ex non oppositis, sed compossibilibus propositionibus syllogizari. Hoc autem qualiter & ex qualibus & in qua figura fiat huiusmodi syllogismus, sic erit manifestum, vt statim dicetur.

Oppositio dupliciter, secundum rem, & secundum locutionem.

Dico autem distinguendo oppositas propositiones, alias esse secundum rem, & alias secundum locutionem. Secundum rem quidem oppositæ sunt quæ à seinuicem remouentur, ita quod simul non possunt. Secundum locutionem autem dico oppositas quæ quamuis secundum rem simul esse possunt in esse, tamen in sermone differunt per affirmationem & negationem. Et hoc modo loquendo, quatuor sunt modi oppositionum: sic enim omni inesse, & nulli inesse opponuntur vt contrariæ propositiones. Secunda oppositio est eius quod est omni inesse, & non omni inesse: & hæc est oppositio contradictionis. Et secundum locutionem in modo significandi differt ab illa alicui inesse, & nulli inesse, quamuis secundum rem & æquipollentiam ad idem referatur genus oppositionis. Quartum secundum locutionem genus oppositionis est alicui & non alicui inesse: quod facit genus oppositionis quod subcontrarietas vocatur: quod tamen secundum rem non est species oppositionis, quia subcontraria simul stant in esse & vero. Contraria autem quæ sunt falsa, in nullo stant simul: quia in falso simul esse, est in nullo simul esse: quia falsum non est. Secundum veritatem igitur (si modus locutionis ad rem referatur) tria sunt genera oppositarum propositionum quæ simul stare non possunt: nam alicui inesse & non alicui inesse cum sint subcontraria, & simul in vero & in esse stare possunt, secundum modum vero loquendi, quo propositio affirmatiua opponitur in modo loquendi negatiuæ, opponuntur solum & non secundum rem.

Modi oppositionum secundum vocem sunt quatuor.

Subcontraria non sunt opposita re, sed voce tantum.

Nos autem non facimus mentionem de priuatiuè oppositis, & de relatiue oppositis: quia illa genera oppositionis sunt in incomplexis

Remouet dubium.

plexis, ex quibus non potest fieri syllogismus. Hæc autem tria genera oppositionis opposita & incompossibiles faciunt propositiones, quarũ ordine in figura & modo fit syllogismus specialem in concludendo habens potestatem.

Quæ sint contrariæ per oppositionem & quæ contradictoriæ.

Harum autem trium oppositionum illas quæ sunt ambæ vniuersales & opponuntur per affirmationem & negationem, dicimus esse contrarias: eo quod materialem habent oppositionem: sicut cum dicimus vniuersaliter affirmando omnem disciplinam esse studiosam, & vniuersaliter negando nullam disciplinam esse studiosam. Alias autem duas oppositiones (quæ formaliter opponuntur) dicimus esse simpliciter oppositas, quod est contradictoriè opponi, vt omni & non omni, & alicui & nulli. Sic igitur satis dictum est de oppositione propositionum incompossibilium ex quibus fit syllogismus. Qualiter autem fiat per tres figuras, sic intelligendum est.

Ergo in prima quidem figura, &c.

Dicimus igitur, quòd in prima figura propter ordinem medij & extremorum (quorum nihil vt subiectum vel prædicatum ad idem ordinatur, cum opposita semper velint esse circa idem) non potest fieri syllogismus ex oppositis contrariè vel contradictoriè in prima figura. Hoc autem patet: quia si esset in prima figura talis syllogismus: aut esset affirmatiuus, aut negatiuus. Affirmatiuus autem in prima figura esse non potest: quia in affirmatiuo syllogismo vtrasque præmissas oportet esse affirmatiuas: sed oppositæ propositiones (secundum omnem modum oppositionis prædeterminatum) sunt oppositæ vt affirmatio & negatio: quia semper vna est affirmatiua, & altera negatiua. Ex talibus igitur non potest fieri syllogismus affirmatiuus. Priuatiuus autem similiter ex oppositis propositionibus in prima figura esse non potest: quia oppositio propositionum est quando idem prædicatum de eodem subiecto affirmatur & negatur: oppositæ enim propositiones idem prædicatum de eodem subiecto & prædicant & denegant. In prima autem figura medium non dicitur de vtrisque extremis vt idem: sed de altero quidem extremo in priuatiuo syllogismo negatur, & idem de alio extremo prædicatur in affirmatiua propositione: idem autem de vno prædicati & de altero negari non sunt opposita, neque incompossibilia. Patet igitur, quòd in prima figura non potest esse syllogismus ex oppositis.

Dubitatio.

Straut em quis quærat, Propter quam causam syllogismus negatiuus ex oppositis non potest esse in prima figura, cum prima figura sit origo figurarum ad quam reducitur omnis syllogismus: & ita videatur, quòd si non fit in prima figura, nec in aliis fieri potest. Adhuc autem si syllogismus ex oppositis fiat in primo secundæ, conuersa maiore propositione erit syllogismus in secundo primæ: & adhuc erunt propositiones oppositæ. Adhuc autem sic syllogizando, nullum risibile est homo: omnis homo est risibile: ergo nullus homo est homo: erunt præmissæ incompossibiles & oppositæ: & sic videtur, quòd possit ex oppositis syllogizari in prima figura.

Solutio.

Dicendum autem ad hæc, quod oppositio

Oppositio dupliciter potest considerari.

dupliciter potest considerari: habet enim in se duo, scilicet incompossibilitatem & repugnantiam. Potest ergo considerari prout comprehendit vtrumque istorum: & sic potest ex oppositis syllogizari in prima figura: sed hoc modo non fit hic sermo de oppositis. Potest etiam accipi oppositio proprie prout consistit in modo & forma propria oppositionis: & hoc est quando idem de eodem, & secundum idem affirmatur & negatur. Hoc autem contingit dupliciter, vt scilicet idem vtrobique subiaciatur, & secundum rem, & secundum vocem: vel idem fit secundum rem, & non secundum vocem. Primo modo sunt oppositæ per se. Secundo autem sunt oppositæ secundum accidens. Sic autem in secundo modo oppositionis se habent admiucem superius & inferius, aut è conuerso inferius & superius. Neutro autem modo ex oppositis fit in prima figura syllogismus.

Ad primum ergo dicendum, quòd licet omnes syllogismi oriantur à prima figura secundum figuram: tamen in hac vel illa materia propositionum potest syllogismus fieri in aliis figuris, & non in prima.

Ad secundum autem patet solutio ex dictis. Ad tertium autem dicendum, quòd contraria & oppositæ per accidens non faciunt dispositionem primæ figuræ. Probatur: quia relatio duorum prædicatorum ad vnum subiectum (si prædicata sunt opposita) facit dispositionem figuræ tertiæ, & vnius prædicati ad duo subiecta facit dispositionem figuræ secundæ: & talis relatio duorum ad vnum facit propositiones oppositas: & hoc in prima figura esse non potest, vbi vnum refertur ad vnum vt subiectum, & ad alterum vt prædicatum: & hoc nullo modo faciunt propositiones oppositæ.

Obiectiones.

Sunt autem qui obiiciunt, quòd syllogismus ex oppositis non fit syllogismus propter hoc: quia diffinitio syllogismi non videtur conuenire syllogismo ex oppositis: syllogismus enim est oratio in qua quibusdam positis & concessis aliud euenit ex necessitate. Oppositæ autem propositiones à nullo ponuntur & conceduntur. Aliud etiam adducunt ad hoc quod in syllogismo sunt tres termini ad minus, in syllogismo ex oppositis non sunt nisi duo. Et si dicatur, quod duo sunt secundum substantiam, & tres secundum rationem, eadem ratione sunt quatuor: quia sicut multiplicatur extremum vnum & alterum secundum rationem, & ita etiam sunt sex: quia multiplicatur & medium. Adhuc secundum hoc ex vno posset fieri syllogismus, si vnum secundum rationem multiplicatur in duo, & duo in tria. Adducunt etiam, quòd non datur ars syllogizandi nisi ad vtilitatem alicuius Philosophi. Syllogismus autem ex oppositis ad nullum videtur pertinere Philosophum: nec enim ad dialecticum pertinet, quia fidem nullam facit: nec ad demonstratorem, quod ex veris non procedit, nec ex conclusionis opposito sicut demonstratio ad impossibile: nec ad sophisticum videtur pertinere, cum ex necessitate c. ncludat.

Solutio.

Ad hæc autem & huiusmodi non est difficile

Quod syllogismus ex oppositis sit syllogismus.

cile respondere. Dicendum enim, quòd syllogismus ex oppositis syllogismus est, & est in ipso potestas specialis syllogizandi in figura & modo. Et quod dicitur de diffinitione syllogismi, dicendum quòd propositiones sunt positæ in figura & modo, & sunt concessæ non simpliciter ad acquiescendum ei quod dicitur per propositiones: sed concessæ sunt ad comparationem alterius, vt ex concessione minoris inconuenientis ostendatur maius inconueniens: & hæc est concessio positionis propter aliud non propter ipsum. Dicendum etiam, quòd sunt in duabus propositionibus syllogismi ex oppositis duo termini secundum substantiam: & tres secundum rationem: sicut enim vidimus, quòd punctus continuans vnus est secundum substantiam, & duo ratione medij continuantis, ita medium in syllogismis vnum est secundum substantiam & rationem, extrema tamen diuersa aut secundum substantiam, aut secundum rationem ad minus. Extremum enim multiplicabile est secundum rationem, medium autem non: quia medium in ratione medij semper manet. Et ideo ista multiplicatio non procedit in quatuor: quia vnum extremum potest in duplici ratione esse, & hoc non conuenit medio. Nec fieri potest ex vnico termino secundum substantiam syllogismus: quia ille non haberet conclusionem diuersam à præmissis in dicto termino qui est medium. Medium autem non potest intrare in conclusionem. Pertinet autem hic syllogismus ad dialecticum obuiando disputanti: sic enim intendit ex minori inconuenienti dato deducere maius inconueniens: & in hoc maxime vtitur syllogismo ex oppositis: quia aliquando à rei natura concedunt implicitè opposita. Pertinet autem principaliter ad demonstratorem contra cauillatorem disputantem: quia, vt in quarto primæ philosophiæ dicitur, concedit opposita: dicit enim, quòd contradictoria simul vera sunt: & ex hoc concesso deducitur ad maius inconueniens.

Cui artifici sit vsus syllogismus ex oppositis

Dubitatio in qua figura sit syllogismus ex oppositis.

Si autem quæritur de huius syllogismi dispositione, hoc est, in qua figura sit: hoc enim dubium est, quia cum ita sumatur in ipso in vtraque propositione, syllogismus videtur esse in tertia figura: & cum idem prædicetur in vtraque, videtur esse syllogismus in secunda figura.

Solutio.

Sed dicendum, quòd si consideretur materia istius syllogismi antequam pertractetur ad conclusionem, indifferenter se habet ad secundam figuram, & tertiam: sed postquam ad conclusionem pertractata est & ordinata, tunc apparet in qua figura est: concluditur enim semper extremitas de extremitate: & ideò si concludat de subiecto extremitatem de extremitate est in tertia: si autem de prædicato concludat extremum de extremo, tunc erit in secunda figura.

CAPVT II.

Qualiter fit syllogismus ex oppositis in secunda figura.

In media autem figura, &c.

OStendamus igitur qualiter in media figura ex oppositis fit syllogismus. Dicimus igitur, quod in media figura & ex oppositis contradictorie & ex contrariis fit syllogismus: & hoc primo ostendamus in secundo secundæ figuræ: quia in illo magis est manifestum. Sit enim bonum siue studiosum in quo est a. signum: disciplina autem sit in quo est b. & in quo est c. quia in syllogismo ex oppositis necesse est vnum terminum bis sumi secundum rationem. Si ergo aliquis in maiori propositione sumpsit nullam disciplinam esse studiosam: tunc a. inest omni b. in maiori, & inest nulli c. in minori: propter quod concluditur quod b. nulli c. inest, sic, omnis disciplina est studiosa: nulla disciplina studiosa: ergo nulla disciplina est disciplina. Hoc idem ostenditur in oppositis per accidens: quæ autem sint opposita per accidens in anteriori capitulo dictum est.

Similiter autem & si omnem, &c.

Similiter enim fit syllogismus in secundo secundæ, si in maiori propositione aliquis sumpsit omnem disciplinam esse studiosam, & in minori sumpsit medicinam esse disciplinam non studiosam. In tali enim terminorum dispositione a. quidem inest omni b. ita quod omne b. est a. quia omnis disciplina studiosa. Idem autem a. nulli inerit c. quia nulla medicina studiosa: cum tamen sit disciplina: & ideò sequitur quandam disciplinam non esse disciplinam; formatur enim sic syllogismus, omnis disciplina studiosa: nulla medicina studiosa: ergo nulla medicina est disciplina. Ex hoc autem per quartum primæ sequitur, quòd cum aliqua disciplina sit medicina, aliqua disciplina non est disciplina.

Et si a. quidem omni b. autem nulli, &c.

Hoc autem modo ostenditur etiam, quòd syllogizetur ex oppositis in primo secundæ, & hoc in contrariis secundum accidens ostenditur, sic. Si enim aliquis accipit a. quidem omni inesse c. in minori propositione, & sumatur idem a. nulli b. inesse in maiori propositione, & sit (sicut prius positum est) b. disciplina, c. autem sit medicina, a. vero sit opinio: sic enim nullam disciplinam esse opinionem sumens in maiori propositione sumpsit in minori quandam disciplinam esse opinionem: & formatur sic syllogismus in primo secundæ, nulla disciplina est opinio: omnis medicina est opinio: ergo nulla medicina est disciplina. Ex hoc autem (cum aliqua medicina sit disciplina) sequitur quòd aliqua disciplina non sit disciplina. Hic autem modus nunc dictus differt à prius dicto in terminorum conuersione ad oppositas qualitates: quia prius dictus minorem habuit negatiuam & maiorem affirmatiuam, iste autem è conuerso minorem habet affirmatiuam & maiorem negatiuam: prior enim syllogismus habuit affirmatiuum ad b. maiorem extremitatem: nunc autem

autem secundo positus, habet affirmatiuum ad c. minorem extremitatem.

Et si sit non vniuersalis, &c.

Similiter autem ex oppositis propositionibus fit syllogismus in particularibus, quando non sunt ambæ propositiones vniuersales, sed altera particularis. Hoc autem per se cuilibet patere potest, & in tertio secundæ & in quarto, si sumantur oppositæ propositiones, vna vniuersalis, & altera particularis. Semper enim medium est in secunda figura, quod ab altero quidem extremo negatiuè dicitur, siue remouetur, de altero verò extremo dicitur affirmatiuè: propter quod contingit opposita de se concludi: verum hoc non contingit semper & omni modo siue quocunque modo sumptis oppositis, sed hoc modo tantum & non aliter, si sic se habent opposita quæ sunt sub medio, vt vel eædem sint re & nomine, & tunc fit syllogismus ex oppositis per se: vel quod sint se habentia vt totum & pars, siue vt superius & inferius, & tunc fit syllogismus ex oppositis per accidens. Aliter autem sumptis quæ sunt sub medio est impossibile fieri syllogismum ex oppositis: quia non erunt propositiones in syllogismo vllo modo, aliter sumptæ contrariæ, vel oppositæ. Oportet autem in syllogismo ex oppositis, aut esse contrarias, aut oppositas,

CAPVT III.

Qualiter fit syllogismus ex oppositis in tertia figura.

In tertia quidem figura affirmatiuus, &c.

IN tertia verò figura affirmatiuus quidem syllogismus nullo modo erit ex oppositis propositionibus, propter prædictam causam in prima figura: quia scilicet in affirmatiuo syllogismo, oportet ambas esse affirmatiuas: in oppositis autem propositionibus altera semper est negatiua. Negatiuus autem syllogismus ex oppositis erit in tertia figura tam in vniuersalibus syllogismis, sicut in secundo tertiæ, quam in non vniuersalibus sicut in quinto & sexto. In vniuersali autem syllogismo, secundo scilicet tertiæ. Sit enim disciplina in quo b. pro maiori extremitate, & in quo est c. pro minori extremitate: medicina autem sit in quo est a. & sit medium. Si ergo sumatur in maiori omnem medicinam esse disciplinam, & nullam medicinam esse disciplinam, ita quod vniuersalis negatiua sit maior, & vniuersalis affirmatiua sit minor: tunc qui sic syllogizat, sumpsit b. inesse omni a. in minori, & sumpsit c. nulli a. inesse in maiori: quare sequitur, quòd quædam disciplina non est disciplina, sic, nulla medicina est disciplina: omnis medicina est disciplina: ergo disciplina non est disciplina.

Similiter autem & si non vniuersaliter, &c.

Similiter autem est in particularibus syllogismis, si non vniuersalis accipiatur b. a. maior propositio sicut fit in sexto tertiæ. Nam si est quædam medicina disciplina in minori propositione, & rursum nulla medicina disciplina in maiori propositione, accidit in conclusione disciplinam quandam non esse disciplinam per sextum tertiæ, sic, nulla medicina est disciplina: aliqua medicina est disciplina: ergo aliqua disciplina non est disciplina.

Idem autem est in quinto. In hoc autem est differentia ad syllogismum vniuersalem, quod terminis in vtraque propositione vniuersaliter sumptis propositiones sunt contrariæ. Si autem particularis sit altera propositionum, sunt oppositæ per contradictionem. Hoc enim obseruandum est, quod in tota generatione syllogismorum ex oppositis vniuersales syllogismi fiunt ex contrariis propositionibus: particulares autem syllogismi fiunt ex oppositis contradictorie.

Sunt autem vniuers. bus q dem, &

Secundo etiam notandum, quòd oportet scire, quoniam contingit quædam sic opposita sumere, secundum quod prius determinatum est in capitulo præcedenti: quia secundum alia genera oppositionum non fit syllogismus ex oppositis, nisi secundum contrarietatem vel secundum contradictionem: ex quibus est inferre ex vno oppositorum concesso reliquum per conclusionem per syllogismum, vel per præter necessarias propositiones: sicut si dicamus omnem disciplinam esse studiosam, & rursus in altera propositione nullam disciplinam esse studiosam, aut in particularibus syllogismis omnem disciplinam esse studiosam, & in alia propositione aliquam disciplinam esse non studiosam: quod non solet latere aliquem, quia oppositiones illæ non latent cum maximè opponantur: non enim semper per eundem syllogismum sumitur oppositum, sed etiam per alias interrogationes erit sumere oppositum, quæ sunt præter necessariæ propositiones, quemadmodum in topicis dictum est.

O, sciri tum sint, &c.

Quoniam affirmatiuum oppositiones, &c.

Ad multiplicationem autem syllogismorum ex oppositis notandum est, quoniam cum sint tres affirmationum siue affirmatiuarum propositionum oppositiones negatiuæ siue modi oppositionum: quia ad omni opponitur nulli contrariè, & ad omni opponitur non omni, & ad alicui opponitur nulli contradictoriè, sexies siue sex modis accidit sumere opposita: quia tribus modis affirmatio erit maior & negatio minor, & tribus modis erit è conuerso, scilicet aut omni & nulli, aut omni & non omni, aut alicui & nulli: & contingit hoc conuerti in terminis in minorem & maiorem, vt a. ineſt omni b. affirmatiua posita in maiori, & nulli c. negatiua posita in minori: aut è conuerso a. nulli c. negatiua in minori, aut huic quidem omni in vna propositione, illi verò non omni in altera propositione: & rursus hoc conuertitur secundum transpositionem propositionum & terminorum. Similiter fit in tertia figura sicut in secunda: propter quod ex dictis iam manifestum est quoties siue quot modis, & in quibus figuris fit syllogismus siue contingit fieri syllogismum per oppositas propositiones.

Obiectio.

Posset tamen aliquis dubitare de hoc quod dictum est, quòd sex sunt combinationes siue coniugationes in secunda, & sex in tertia: quia hoc videtur falsum: quia non fit syllogismus in secunda figura maiore existente particulari, nec in tertia fit syllogismus minore existente

Solutio. stente negatiua. Ad quod quidem dicendum, quod sex sunt coniugationes syllogismi ex oppositis; sicut dictum est: sed quædam earum sunt inutiles, & quædam vtiles sunt.

Dubitatio. Si autem quæratur de numero coniugationum inutilium in secunda figura & tertia. Dicendum, quòd omni inesse & nulli inesse faciunt duas coniugationes. Aut enim maior est negatiua, & minor affirmatiua, & est primus modus secundæ: aut è conuerso, & est modus secundus secundæ figuræ. Iterum cum omni inesse & non omni inesse faciunt duas. Aut enim maior est vniuersalis & minor particularis, & tunc est quartus secundæ: aut è conuerso, & est inutilis coniugatio in secunda figura. Adhuc nulli inesse & alicui inesse faciunt duas, quarum vna facit tertium secundæ quæ habet maiorem vniuersalem negatiuam & minorem particularem affirmatiuam. Illa autem quæ est è conuerso, inutilis est. Et sic in secunda figura sunt quatuor syllogismi ex oppositis. In tertia autem etiam sunt sex coniugationes, sed tantum tres vtiles, scilicet quæ habent minorem affirmatiuam. Et hoc modo in vniuerso sunt nili septem syllogismi ex oppositis.

Manifestum etiam, quoniam, &c. Differt autem syllogismus ex oppositis ab illo qui est ex falsis: quia in syllogismo qui est ex falsis, contingit verum syllogizare, quemadmodum in antehabitis dictum est prius. In syllogismo autem ex oppositis nunquam contingit verum syllogizare, sed semper falsum: semper enim fit syllogismus in conclusione contrarius rei, hoc est, contrarius illi modo secundum quem se habet res: vt si est bonum secundum rem, per syllogismum ostenditur esse non bonum: aut si est animal, ostenditur esse non animal; eò quod ex oppositis contradictorie est syllogismus, quæ vera simul esse non possunt: & in syllogismo ex oppositis termini subiecti siue positi pro extremitatibus: aut idem sunt, aut vnus se habet ad alium vt totum, & alius ad illum vt pars: quæ secundum rem à seinuicem remoueri non possunt: & ideò falsum est quod concluditur, quòd vnus ab alio remoueatur. Conuenientiam autem inter hos syllogismos, ex falsis scilicet, & ex oppositis assignare non oportet: quia multum conueniunt, & conuenientia eorum est manifesta.

Remanet dubium.

Palàm etiam in paralogismis, &c. Palam etiam est ex omnibus quæ dicta sunt, quoniam in talibus paralogismis (qui sunt syllogismi ex oppositis) nihil prohibet fieri hypothesim contradictionis: quia nihil prohibet, quòd respondens concedendo opposita implicitè vel explicitè ducatur ad maius inconueniens, scilicet quod idem de seipso negetur, quod maximum est inconueniens: & per hoc ducatur ad hypothesim quam primo concessit, quando concessit opposita contradictoriè: quia ex hoc conuincitur, quòd hypothesis est falsa quam concessit. Et hoc est sicut si ducatur ad hoc quod numerus impar non est impar: quia ex oppositis propositionibus quas concessit respondens, fuit syllogismus ex hypothesi primæ contrarius, in hoc quod ad maius dedu[illegible] & euidentius inconueniens. Si ergo respondens sumpserit & concesserit huiusmodi opposita simul implicitè vel explicitè, erit, sicut dictum est, per maius inconueniens hypothesis contradictio.

Oportet autem considerare, &c. Oportet autem adhuc considerare, quoniam sic quæ simul sint contraria, non est syllogizare ex syllogismo vno, vt scilicet sit conclusio vnius & eiusdem syllogismi concludens, quòd idem est bonum & non bonum, vel è conuerso, aut aliud quid tale, in quo idem à se remoueatur, nisi statim huiusmodi in maiori propositione sumatur, in qua ad maiorem extremitatem opposita copulentur, sic, omne animal est album & non album: homo est animal: ergo homo est album & non album. Aliter autem duos syllogismos oportet esse, quorum vnus concludit vnum oppositorum, & alius concludit reliquum: sicut si sumatur & ponatur, quòd omnis disciplina est opinio & non opinio: deinde assumere in maiori, quod medicina est quædam disciplina: & fiat syllogismus in secundo tertiæ, sic, nulla medicina est opinio: omnis medicina disciplina: ergo aliqua disciplina non est opinio. Quemadmodum fiant redargutiones ex duobus syllogismis: primo syllogizante vnum quod concedit respondens, & secundo syllogizante oppositum quòd est redargutio prius concessi. Hi autem syllogismi paralogismi dicuntur: quia concludunt ex falsis, sicut aliquando fit in sophisticis: & præcipuè quia tali syllogismo demonstratur contra cauillantem principia: & quia ex propriis procedit, ex falsis falsa concludens, cum ex primis & veris concludere deberet, dicitur & est paralogismus disciplinæ.

Quare esse quod contraria, &c. Patet etiam ex prædictis, quòd esse contraria siue oppositas propositiones ad syllogismum ex oppositis pertinentes, alio modo quam hoc modo qui dictus est & quemadmodum diximus, non est possibile. Hoc autem dictum est prius. Attendendum autem, quòd accipiendo syllogismum ex falsis communiter prout syllogismus ex falsis potest concludere verum vel falsum, siue conclusionem veram vel falsam, sic sub syllogismo ex falsis continetur syllogismus ex oppositis. Sic autem syllogismus ex falsis non est superius determinatus. Accipiendo autem syllogismum ex falsis prout concludit verum tantum ex falsis (sicut in præhabitis determinatum est de ipso) sic non continet sub se syllogismum ex oppositis.

Quemodo syllogismus ex oppositis continetur sub syllogismo ex falsis, & quomodo non.

Obiectio. Adhuc autem notandum circa hoc quod dictum est, quòd syllogizantur aliquando opposita per syllogismum vnum, scilicet quando opposita implicantur circa vnam extremitatem: hoc enim videtur esse falsum: quia talis propositio plura habet prædicata ex quibus non fit vnum, & ideò est plures, & ex talibus propositionibus non fit syllogismus: ergo nec syllogismus vnus. *Solutio.* Ad hoc autem dicendum, quòd ex propositione in qua implicantur plura circa vnum (cum simpliciter habeat plura prædicata) potest fieri syllogismus vnus hoc modo vnitatis quo propositio est vna: & sicut propositio resolubilis est in duas, ita & talis syllogismus in duos resolubilis est syllogismos.

TRACTA

TRACTATVS VI.

De peccato contra syllogismum circularem, quod est principij petitio.

CAPVT I.

Quid sit diffinitiuè petitio eius quod est in principio, & quot modis fiat.

DETERMINATIS autem iam potestatibus syllogismi & modis syllogismorum ex hypothesi, iam tractandum de peccatis quæ fiunt circa dictos modos syllogismorum qui inducti sunt. Inter peccata autem ista, primum est peccatum quod est petitio principij, quod accidit circa syllogismum circularem: & de hoc primum est determinandum. Determinemus ergo primum quid sit, & quòd modis fiat. Inuestigando autem

In principio autem genere, &c. quid sit accipiamus primo genus ipsius dicentes, quòd id quod est in principio petere & accipere, vt in genere sit sumere est (in eo quod est) per id quod sumitur non demonstrare propositum: vnde in genere petere quod est in principio est aliquid tale ad probandum accipere, per quod proposita conclusio non nata est demonstrari syllogistice vel ostendi.

Hoc autem accidit multipliciter, &c. Hoc autem quod est sic petere id quod est in principio, accidit multipliciter. Primo quidem modo, si tale aliquid accipitur per quod omninò propositum non syllogizatur: quia penitus idem est ei quod syllogizari debet, & non habet rationem inferendi & probandi propositum, vt si dicam, homo est animal, per hoc quod homo est animal, & hoc est quod idem est cum proposito & nomine & re & ratione. Secundus modus est, si propositum syllogizatur per ignotiora, ita quod conclusio concluſa magis nata sit esse principium ad concludendam præmissam, quam præmissa sit ad concludendam conclusionem: vt si syllogizetur, quòd stellæ meridianæ (per hoc quod sunt velocioris motus stellis aquilonaribus) sunt minores secundum quantitatem circuli super horizontem: hoc enim est ignotius, quam quod stellæ meridianæ sunt velocioris motus per hoc quod sunt maioris circuli, & in eodem tempore transeunt spatium maius, in quo aquilonares transeunt spatium minus. Ad idem redit si aliquid demonstratur per similiter siue æqualiter ignora, vt quando aliquid ostenditur per hoc quod est idem ipsi, etsi non nomine & ratione, tamen conuertibilitate est idem ipsi: vt si homo risibilis esse monstretur per hoc quod est aptus natus ri-

De Alb. Mag. Logica.

dere, & non per hoc quod est animal admiratiuum. Tertio autem modo fit hoc, si per posteriora sua aliquid demonstretur: sicut si contingat, quòd parallelas non concurrere demonstretur per hoc quod vbique in tota positione æqualiter distant, bene demonstratur: si autem è conuerso fiat, quòd scilicet vbique æqualiter in tota positione distant per hoc quod est non concurrere, ignotum per ignotius demonstratur. Demonstratio enim est ex notioribus & prioribus: vel simpliciter, & hæc est vera demonstratio: vel quoad nos, & hæc est demonstratio quædam.

Horum ergo nullum est petere, &c. Horum autem trium simpliciter acceptum nihil est petere ea quæ ex principio simpliciter, quamuis petatur principium fortè quoad aliquid, hoc est, quamuis petatur id quod ex tali principio (quale ad demonstrandum assumitur) probari secundum naturam non potest. Aliam igitur diuisionem faciendo dicamus, quòd quia quædam sunt nata per seipsa cognosci, alia verò per alia & non per seipsa: nam principia nata sunt cognosci per seipsa, hoc est, sua propria luce consensum audientis in sui inclinant consensum. Dignitas enim est, vt dicit Boëtius, quam quisque probat audiam. Alia autem sunt nata cognosci per alia, & illa sunt quæ sunt sub principiis, non sicut genus sub specie, sed sicut principiatum & causatum sub principio & causa, quod non nisi luce principiorum cognoscitur & non luce propria.

Quando quod non per se notum est, &c. Vnde prima conditio petitionis principij est, quando id quod non per se natum est cognosci, conatur ostendere sicut sit natum cognosci per seipsum, & ad sui ostensionem non assumit aliud quo probetur, sed fit ei probatione per alterum petit illud concedi à respondente sicut si sit principium: tunc petit quod est in principio. Hoc autem dupliciter fit. Vno quidem modo in quo maximè est petitio principij, dic vt statim proponat idem nomine & re & ratione ad sui ipsius probationem: quod tamen natum est non per se, sed per aliud cognosci, & per illud probet vel dicat se probare quod positum est siue propositum. Secundus autem modus est, quo contingit petere principium transgredientes ad alia quæ sunt antecedentia vel consequentia propositum, & quando sumuntur talia in illis quæ nata sunt per illud quod propositum est, ostendi potius quam propositum ostendatur per ipsa, & si conetur propositum ostendere per illa quæ ostenduntur per propositum.

Cuius exemplum est sicut si a. ostendatur per b. & b. per c. c. autem natum sit ostendi per a. quod fuit principium, hoc est, à principio propositum: tunc enim accidit siue sequitur idem per se ostendi in tali probatione: quia si a. ostenditur per c. c. prius est a. & si ostenditur c. per a. a. prius est c. & sic est prius & posterius seipso. Adhuc si a. per b. ostenditur, & per c: ostenditur b. virtus probandi (qua b. probat a.) est ex c. & si c. ostenditur per a. virtus (qua b. & a. ostenditur per c.) est ex a. & sic virtus probandi a. est ex seipsa, ita quod a. probatur per a.

Quod faciunt qui parallelas, &c.

Quod faciunt illi in geometricis qui parallelas arbitrantur scribere & ex distantia descripta probare, quòd non concurrunt: parallelæ enim ex hoc quod æquidistantes & directè in continuum protrahuntur, non concurrunt: vnde siquis è conuerso dicat parallelas ex hoc esse parallelas, quia non concurrunt, effectum inducit ad causæ probationem, qui effectus natus est probari per causam. Idem enim quod nunc dictum est, latet eos ipsos qui talia sumunt quæ per principium nata sunt ostendi, quæ non valent demonstrare propositum: eò quod posteriora sunt proposito, & potius probantur per propositum, quam è conuerso propositum per ipsa: quia non valent demonstrare, quod non concurrunt si primo non ponantur esse parallelæ. Propter quod sic priora ex posterioribus syllogizantibus accidit per rationem argumentationis singulum dicere sic vel sic esse propter hoc quod est singulum: & si est, est: & si non, non est: & ita sunt singula probata ex seipsis. Et ex hoc sequitur, quod omnia sint per se nota, quod est impossibile, quia sic omnia essent principia & nihil esset principiatum. His ergo duobus modis petitur id quod est in principio: & ideò petere id quod est in principio, est idem ad probationem sumptius assumere statim nomine idem & ratione, vel ad aliud transgrediendo quod non probat nisi principij virtute, sicut dictum est.

Si ergò aliquis dubiter, &c.

Hoc autem qualiter fiat in prima figura, primo dicendum est: in prima enim figura medium est in toto primo & postremum est in toto medio. Ostendamus autem qualiter in prima figura petitur principium in maiori propositione dicentes, quòd si aliquis dubiter de hac conclusione, quoniam a. inest c. siue quod c. est a. & sic sic syllogizata, omne b. est a. omne c. est b. ergo omne c. est a. Dubitet autem similiter de maiori, hac scilicet quoniam a. inest b. siue quod omne b. est a. & petit sine probatione a. inesse b. siue quod omne b. est a. ex tali processu non est manifestum si petit id quod est in principio. Sed manifestum est, quòd in tali processu nihil demonstrauit: non enim potest esse principium demonstrationis positum in ipsa demonstratione pro maiori quod similiter siue æqualiter est incertum conclusioni: quia non demonstratur minus notum nisi per magis notum. Si autem in tali syllogismo qui est primus primæ figuræ b. medium ad c. minorem extremitatem sic se habet, vt b. idem sit cum c. subsantia & diffinitione, aut palam sit, quoniam conuertuntur b. & c. sicut homo & risibile, aut quod inest vnum alteri sicut sunt idem quæ accidente conuertibili sunt eadem: tunc procul dubio petet quod est in principio: quia tunc sicut per b. probatur a. de c. ita per c. probatur a. de b. quæ est maior probata per conclusionem & conuersionem minoris, sicut conclusio probatur per maiorem, sic, omne c. a. omne b. c. ergo omne b. a. Monstrabit ergo per illa (hoc est, conclusionem & minorem) quoniam a. inest b. quæ fuit maior, si b. & c. conuertantur: nunc autem si non conuertantur, hoc prohibet principij petitionem: sed non prohibet petitionem principij modus talis terminos sumendi. Si autem hoc faciant aliqui, quòd termini medij & minor extremitas conuertantur: tunc fiet quod dictum est, petitio scilicet principij, & conuertent syllogismum in probationem maioris per eosdem tres terminos ex conuersa minoris cum conclusione sumpta syllogizando maiorem: quia sic maior probabit conclusionem, & conclusio maiorem: & sic sequitur in secundo modo petitionis principij, quòd maior probatur per maiorem.

Similiter autem & si b. sumpserit, &c.

Similiter fit petitio principij in prima figura in minori propositione. Similiter enim est (petitio principij scilicet) si ad probationem eiusdem conclusionis qua probatur a. de c. per b. sumpserit minorem æquè dubiam conclusioni, scilicet quod sumat b. inesse c. hæc enim fuit minor: & si similiter vel æqualiter incertum b. inesse c. sicut a. inesse c. non quidem ex hoc dicetur petere id quod est in principio: sed certum est, quod non demonstratur propter causam quæ ante dicta est. Si autem idem sit a. minor extremitas, & b. medium, aut sint se habentia in eo quod conuertuntur adinuicem, aut in eo quod accidente alicuo sequitur generaliter a. ad b. & è conuerso: tunc propter eandem causam (quæ dicta est) petet id quod est in principio: quia scilicet sicut per minorem probauit conclusionem, ita ex conclusione & conuersa maioris concludet minorem: & sic idem probatur per seipsum. Dictum est enim à nobis iam in antehabitis quid valet in secundo modo id quod est petere id quod est in principio: dictum est enim, quòd quando per seipsum monstrat aliquid quod non est per se monstrandum nec per se manifestum, est id quod est in principio petere. Si ergo id quod est in principio, est per seipsum monstrare, quod non per se manifestum. Hoc autem est siue contingit non ostendere quando similiter dubia sunt principia syllogismi, sicut conclusio quæ monstratur: & id per quod monstratur, est idem in eo quod ipsa sunt eadem eidem, quia conuertuntur: vel eadem medium & extrema quæ de seinuicem concluduntur per medium: vel in eo sunt idem, quòd idem accidens est eiusdem & eisdem inesse sumitur: tunc fiet petitio eius quod est in principio. Si autem in principio petere, est per seipsum monstrare quod non per se monstrandum est, sed per aliud: quia non est per se manifestum. Hoc autem quod dictum est, non ostendere contingit quando similiter vel æqualiter dubia sunt quod ostenditur siue monstratur vt conclusio, & per quod monstratur sicut altera præ-

missarum

missarum vel ambæ. Contingit autem dupliciter, scilicet vel in eo quod eadem eidem conuertuntur in altera propositione, vel in hoc quod idem eisdem inesse sumitur, sicut in prima figura, in qua tam maior extremitas quam medium inesse ponuntur minori extremitati: & hæc si fuerint eadem, oportet quod termini maioris conuertantur cum minori: in prima enim figura sumitur maior extremitas inesse tam medio quam postremo: quæ si fiat eadem, oportet quod termini minoris conuertantur; sic enim fit minor propositio ex medio & postremo.

In media quidem figura, & tertia, &c.

Et quod nunc dictum est de prima figura, commune est ad secundam & tertiam, si inesse sumatur communiter ad hæc duo, scilicet ad modum quo prædicatum inest subiecto, & ad modum quo è conuerso subiectum inest prædicato. Et sic per hoc quod dictum est (in hoc quòd eadem eidem, & in hoc quod idem eisdem inest) intelligitur conuertibilitas terminorum, in hoc scilicet quod termini maioris propositionis conuertuntur vel minoris. Sic ergo, sicut dictum est, fit petitio principij. In media autem figura & in tertia vtrinque siue vtroque modo contingit terminorum conuertibilitas, tam in maiori, quam in minori: & sequitur, quòd contingit id quod est principio petere tam in media, quam in tertia figura. Sed in hoc est differentia, quòd in prædicatiuo syllogismo propter dictam conuertibilitatem contingit in prima figura & tertia, sed in negatiua contingit in secunda figura. Quando autem negatiuæ sunt propositiones & negatiui syllogismi, tunc petitur quod est in principio quando eadem remouentur ab eodem, hoc est, quando idem remouetur ab eisdem. In negatiuo enim syllogismo fit petitio principij petendo negatiuam, quando alterius propositionis quę est affirmatiua, termini conuertuntur: quando enim eadem remouentur ab eodem, fit petitio principij in modo negatiuo in quo maior est affirmatiua, & termini eius sunt conuertibiles, sicut in secundo & quarto secundæ figuræ. Per hoc autem cointelligitur, quòd etiam fit petitio principij, quando ponitur idem remoueri ab eisdem sicut in modo negatiuo in quo minor est affirmatiua, & termini eius conuertibiles, sicut in secundo primæ, & in primo secundæ: quia eadem remoueri ab eodem contingit in secunda figura, vbi maior est affirmatiua, si termini maioris conuertantur; ibi enim remouetur tam medium quam maior extremitas à minori extremitate: & ideò si conuertuntur termini maioris, oportet quod idem remoueatur ab eisdem. Idem autem remoueri ab eisdem contingit vbi maior est negatiua, si termini minoris (quæ affirmatiua est) conuertuntur: ibi enim remouetur primum tam à medio quàm à minori extremitate, quæ conuertuntur si termini minoris conuertantur. Patet ergo, quod non similiter petuntur vtrèque propositiones in negatiuo syllogismo: propositio enim negatiua potest peti quando termini affirmatiuæ propositionis conuertuntur, & est euidens principij petitio: sed non similiter est euidens petitio principij, quando petitur affirmatiua: quia termini negatiuæ non conuertuntur sicut termini affirmatiuæ, eò quod termini negatiuæ propositionis habent quandam inter se oppositionem. Sic igitur fit petitio principij in prima & tertia figura.

Similiter autem & in media, &c.

Similiter autem fit petitio principij etiam in media figura in modo negatiuo, sicut in aliis figuris: eò quod non conuertuntur termini secundum negatiuos syllogismos in hoc quod non conuertuntur sicut in affirmatiuis propositionibus: quia, sicut diximus, non similiter fit petitio principij secundum vtrasque propositiones. Sic ergo fit petitio principij in omnibus figuris.

Est autem in principio petere, &c.

Petitio tamen principij (sicut nunc determinatum est de ipsa) in demonstratiuis est secundum veritatem: quia ibi & re & ratione idem petitur: quia sic habent esse demonstratiua. In dialecticis autem fit petitio principij secundum opinionem: quia ibi sufficit idem esse secundum opinionem. Sic ergo fit petitio principij. Ex hoc autem patet, quòd de petitione principij aliter determinandum est in elenchis, & aliter in topicis, & aliter hic in prioribus analyticis. In sophisticis enim determinatur vt pars principalis sophisticorum locorum: quia est vnum de principiis illius scientiæ. In topicis autem & hic non tanquam intentum principaliter, sed tanquam vitium quod cauendum est.

De petitione principij diuersa intentione determinatur in diuersis locis à partibus.

Quomodo differunt petitio principij secundum veritatem & secundum opinionem.

Si autem quæritur, quæ sit differentia inter petitionem principij secundum veritatem & secundum opinionem. Dicendum, quòd petitio principij secundum veritatem est, quando non per se notum secundum rem & veritatem vt per se notum sumitur. Secundum opinionem autem est quando non per se notum secundum opinionem respondentis vt per se notum sumitur: & quia cadit in syllogismo circulari, qui modus ratiocinandi hic determinatur, ideò hic habet determinari, quamuis demonstratori vt instrumentum præparetur: quia à principio dictum est, quòd intentio finalis est circa disciplinam demonstratiuam.

CAPVT II.

De exclusione duorum quæ sunt circa petitionem principij.

In petitione principij est necessitas altius sicut in aliis syllogismis. Ex quo sequitur, quòd non peccat contra syllogismum simpliciter, sed contra syllogismum propositum, da quo tamen est considerandum.

Circa ea autem quæ dicta sunt, primo quidem notandum est, quòd cum dicitur, quòd in petitione principij non ostenditur propositum (cum tamen in petitione principij ex necessitate concludatur sicut in alio syllogismo) intelligendum est hoc, quòd ad hoc quod ostendatur propositum, oportet quòd præmissæ natæ sint ostendere, & notam facere propositam conclusionem cum hoc quod concludunt de necessitate modi & figuræ: & hoc deficit in petitione principij. Adhuc autem cum dicitur non demonstrari propositum quando id quod prius est per posteriora ostenditur, quod tamen semper con-

tingit quando causa per effectum ostenditur, intelligitur, quòd non ostenditur sic propositum implicitèr, sed cui vel alicui (siue quoad nos) hoc modo propositum potest ostendi. Similiter cum dicitur, quòd non fit petitio principij, quando ignotum per æquè ignotum ostenditur, intelligitur, quòd non ex hoc fit petitio principij, sed potius ex hoc quod idem non notum per se vt notum per se sumitur, cui accidit æquè ignotum esse.

Adhuc autem notandum, quòd quamuis principia cognoscamus inquantum terminos scimus: quia tamen termini sunt substantialis causa materialis principiorum, sciendo ea per terminos, scimus ea per seipsa: & si etiam inductione procedatur, non probantur per alia quam quæ in ipsis sunt. Boetius tamen dicit, quòd de se nota sunt & approbantur ab omni bene dispositum habente intellectum, quamuis forte alicui indisposito per inductionem quoad sensum ostendantur: nec est inconueniens idem esse notius & ignotius seipso secundum rationes diuersas: & hoc modo nihil prohibet principia in suis partibus materialibus considerata notiora esse seipsis consideratis in esse totius complexi secundum compositionem alicuius de aliquo. Attendendum etiam, quòd petitio principij fit, vt diximus, quando non per se notum ostenditur vt per se notum accipitur: quia aliter in principiis quæ seipsa ostendunt & sunt nata per seipsa cognosci, fieret petitio principij. Quamuis etiam effectus demonstretur per causam, & eadem causa per eundem effectum sit nata demonstrari: tamen non fit petitio principij: quia causa non est nata demonstrari per effectum secundum eandem speciem demonstrationis.

Obiectio. Si autem aliquis obiiciat dicens, quòd in circulari syllogismo videtur fieri petitio principij. In syllogismo enim circulari sic se habent termini & propositiones, quòd vna est æquè nota conclusioni, & termini alterius conuertuntur. Sed dicendum ad hoc, quòd si

Solutio. Quomodo in syllogismo circulari non est petitio. in syllogismo circulari supponatur propositio æquè dubia conclusioni quæ non est nata noti per se, procul dubio fit petitio principij. Si autem sumatur propositio immediata, & per se nota ad ostendendum effectum, & conuertatur & fiat circularis ostensio, non fit petitio principij: quia non accipitur propositio æquè dubia conclusioni secundum veritatem: & etiam deo quia idem ostendit se, quod natum est ostendere seipsum.

Petitio principij in syllogismo fit quandoque euidenter & quandoque non euidenter. Sciendum etiam, quòd in omni figura & in omni modo in quo fit syllogismus circularis (siue vniuersalis siue particularis, siue affirmatiuus siue negatiuus) potest incidere petitio principij, si sumatur aliquid quod non est per se notum vt per se notum, sed aliquando hoc fit euidenter, & aliquando minus euidenter. Euidenter quidem, quando ex conuersa conclusionis & altera præmissarum absque aliquo alio syllogizatur conuersa reliqua. Non tam euidenter autem fit, quando ad hoc indiget aliquo alio, sicut transpositione negatiuæ in affirmatiuam. Et quando superius dictum est secundum Aristot. quòd non similiter in negatiuo syllogismo petitur vtraque propositio, sic intelligitur quòd negatiua petitur euidenter si termini affirmatiuæ conuertantur, sed affirmatiua minus euidenter petitur, eò quod ad conuersiuè syllogizandum oportet negatiuam transponi in affirmatiuam.

Dubitatio. Solutio. Quot modis petitur principium in qualibet figura. Si autem quæritur, quot modis petitur principium in qualibet figura? Dicendum, quod in prima figura in modo primo dupliciter petitur: & hoc euidenter: petitur enim maior & petitur minor. In secundo autem modo similiter bis petitur, sed maior petitur euidenter, minor autem latenter. In tertio autem modo semel petitur tantum, scilicet minor si termini maioris conuertuntur. Similiter in quarto modo semel petitur: non tamen euidenter: petitur enim in minori propositione. Sic igitur in prima figura sexies fit petitio principij, sed quatuor modis euidenter, duobus autem ineuidenter, sicut ibidem fit circularis ostensio. In secunda autem figura tripliciter fit petitio principij sicut & circulatio, sed in secundo & quarto euidenter, in primo autem non euidenter. In tertia autem figura in quatuor, scilicet in tertio & quinto euidenter, in quarto autem & sexto non euidenter: & hoc fit semper petendo particularem propositionem.

Quot modis in secunda figura & quot in tertia.

Patet igitur, quòd tot modis principium petitur, quot modis circulariter ostenditur. Patet etiam, quòd in modis vniuersalibus negatiuis fit principij petitio in vtraque propositione, sicut & in modis vniuersalibus affirmatiuis. Patet etiam, quòd in modis particularibus nunquam fit petitio principij petendo propositionem vniuersalem, sed petendo particularem: cuius causa est, quòd vniuersalis non syllogizatur ex particularibus. In modis autem vniuersalibus tertiæ figuræ omnino non petitur quod est in principio sicut nec circulariter syllogizatur in eisdem.

CAPVT III.

De modis eius quod est non propter hoc accidere falsum.

Non propter hoc accidere falsum, &c.

VItium autem secundum quod est non propter hoc accidere falsum (quod dicitur accidere siue sequi) & quod sæpè in disputationibus respondentes opponentibus solemus dicere, primum & principaliter est in syllogismis qui fiunt ad impossibile, in quibus primum supponitur falsum, ex quo dicitur sequi aliud falsum quod est maius inconueniens quam primum: quando quidem falsum (quod secundo concluditur ex falso dato) est ad contradictionem eius falsi quod demonstratum est in syllogismo qui primo fuit ad impossibile. Secundum enim falsum (per hoc quod est maius quam primum) contradicit primo: quia ostendit ipsum esse falsum & non esse concedendum. Hoc autem ex hoc patet: quia ille qui non contradicit (hoc est, qui non contradicere intendit ad hypo

thesim primo positam) nunquam disputando dicit, quòd falsum siue falsa conclusio non sequitur propter hoc quod positum est: quia ille non disputat ad aliquam hypothesim: sed si sequitur falsum, dicit indeterminatè quod falsum aliquod positum est in præmissis, & non dicit non accidere falsum vel accidere propter hypothesim determinatam: & ideò non dicitur hoc in ea demonstratione quæ ostendit siue in ostensiua: ostensiua enim non ponit primo hypothesim cui contradixit ille qui syllogizat ad impossibile.

Amplius quando interimitur, &c. Amplius autem ad idem est alia ratio: quia quando aliquid interimitur ostensiua demonstratione, secundum rem syllogizatur per tres terminos, sicut si syllogizatur per a. b. c. & syllogizatur aliquid falsum esse secundum rem: & tunc non est vel contigit dicere, quòd conclusio non sit syllogizata, non propter hoc quod determinatè positum est in hypothesi, quia nulla hypothesis est antepositа: & ideò non dicitur tunc à respondente, quòd non est factus syllogismus impossibilis secundo concluſi: quia nos dicimus tunc fieri non propter hoc quod positum est conclusionem quæ concluditur, quando interempto hoc determinatè quod prius positum est in hypothesi, nihilominus concluditur syllogismus eiusdem inconuenientis: quia non potest esse causa quæ ablata adhuc remanet idem effectus: & talis modus non est in ostensiuis syllogismis. Interempta propositione quam ponit hypothesis & ablata non potest fieri ille syllogismus qui est ad hanc eandem interimendam.

Manifestum ergo, quoniam &c. Manifestum est igitur ex his quæ dicta sunt, quoniam non propter hoc accidere falsum in his syllogismis est, qui sunt ad impossibile: & ex hoc concludi potest diffinitio eius quod est non propter hoc accidere. Est enim non propter hoc accidere, quando sic se habet conclusio secundi syllogismi (quæ est impossibilis) ad eam hypothesim contra cuius positionem procedit syllogismus, & è conuerso hypothesis ad impossibile conclusum, vt & cum sit & cum non sit hæc eadem hypothesis: nihilominus accidit vel sequitur impossibile conclusum. Huius autem peccati tres sunt modi.

Ergo manifestissimus, &c. Manifestissimus autem & primus & potissimus est, quod scilicet non secundum positionem impossibile conclusum accidat, quando hypothesis in coniuncta est à terminis per quos medios concluditur impossibile: & hoc est quando in nullo termino communicat cum syllogismo qui contra hypothesim inducitur: & hoc quidem dici habet in topicis sophisticis qui elenchi dicuntur: hoc enim non est causam vt causam ponere. Huius autem exemplum est, vt si aliquis volens ostendere hanc conclusionem, quòd diameter quadrati est asimeter costæ siue lateri, sumat ad hoc ostendendum vel conetur sumere rationem Zenonis, qui probat quod nihil contingit moueri, eò quod in spatio non contingit pertransiri infinita: & ad hoc inducat concludendo hoc impossibile, quòd diameter est simeter sic, non contingit pertransire infinita: ergo diameter non est simeter: nullo enim modo falsum (quod concludit) est continuum siue coniunctum per aliquam præmissarum vel terminorum locutioni siue propositioni præmissæ quæ sumitur ex principio ad probandum, quòd diameter est simeter: quia in syllogismo communicant falsum conclusum, & propositio quæ ad hoc concludendum præmittitur.

Per topicos sophisticos intelligit elenchos.

Alius autem modus, si &c. Alius autem modus secundus (minus vero manifestus quam ille qui dictus est) fit, si dicatur continuatum siue coniunctum impossibile cum hypothesi in altero termino, siue ille sit subiectum hypothesis siue prædicatum: tamen falsum quod concluditur, dicatur non accidere propter hypothesim: hoc enim est possibile, scilicet quod & coniunctum sit cum hypothesi falsum, & tamen falsum non accidat propter hypothesim. Fit autem dupliciter, scilicet & in hoc quod est superius supra prædicatum hypothesis, & in hoc quod est inferius sub subiecto hypothesis. Inferius quidē sub subiecto sumēdo vt si sit hypothesis hæc ā. inesse b. ita quod supponitur omne b. esse a. hoc autem sumatur sub subiecto quod est b. & sumptum sub b. sit c. & sub c. sumatur d. & arguatur sic, omne c. b. omne d. c. ergo omne d. b. Et sit hoc impossibile: sed hoc non accidit propter hypothesim primam: quia ipsa posita & ipsa remota nihilominus accidit idem ex aliis positis, quia si ablato eo quod dictum est a. esse b. nihilominus b. insit c. & d. tunc patet, quod falsum (quod conclusum est) non accidit propter eam hypothesim quæ est ex principio sumpta.

Aut rursum si quid, &c. Aut rursum tertius modus si in superiori supra prædicatum hypothesis sumatur id quod continuat siue coniungit ad hypothesim, vt si dicamus eandem quandam esse hypothesim quæ est (b. est a.) & accipiamus c. super a. dicendo, omne a. est e. & accipiamus superius ad e. dicendo, omne e. est f. & syllogizemus sic, omne e. est f. omne a. est e. ergo omne a. est f. Et sit hoc impossibile: sed hoc non accidit propter hypothesim positionem primam: quia sic nihilominus sequitur, vel erit idem impossibile interempta siue remota prima propositione: quia in talibus oportet aliquem syllogizare rectè volentem ex hypothesi aliqua (impossibile quod sequitur) copulare per terminos propositionum copulare vsque ad hypothesim, ita quod ipsa hypothesi posita sequatur, & ipsa remota non sequatur: quia aliter erit petitio principij, & falsum non sequitur propter hypothesim: sed si continuatur vsque ad terminos hypothesis: tunc falsum sequitur propter hypothesim, sicut patet si ad inferius (sub subiecto hypothesis sumendo) fiat continuatio: sumatur enim sub b. subiecto c. & sub c. sumatur d. sicut prius, & concludatur hoc impossibile, omne d. est a. sic, omne c. b. omne d. c. ergo omne d. est b. Et fiat continuatio ad hypothesim, sic, omne d. est b. omne b. est a. ergo omne d. est a. Et hoc falsum. Sed hoc accidit propter hypothesim: quia si destrueretur hypothesis, non accideret impossibile: sic enim erit sequens propter hypothesim falsum in affirmatiuis syllogismis, si fit copulatio vsque ad prædicatiuum terminum hypothesis primæ. Nam si impossibile est a.

est a. inesse d. (quod pro impossibili conclusum est) interempto a. (quod primum fuit prædicatum hypothesis) iam amplius non erit siue sequitur falsum illo interempto.

In superiori autem de quo prædicatur, &c.

In superiori autem sit copulatio si accipiatur id quod supra; prædicatum de quo exit prædicatio: quia hoc prædicabitur de prædicato hypothesis sic: accipiatur enim e. supra a. & supra e. sumatur f. & concluditur, quòd omne b. est f. sic, omne e. est f. omne a. e. ergo omne a. f. Sed si hoc detur, & omne b. est a. ergo omne b. est f. quod est impossibile: quod sequitur ex hypothesi copulatum vsque ad hypothesim ipsam: nam f. non est possibile inesse b. & interempto b. prima propositione non erit siue sequitur amplius impossibile. Hoc autem quod diximus in affirmatiuis syllogismis, per omnem eundem modum similiter fit in syllogismis in quibus sunt termini priuatiui siue negatiui. Manifestum igitur ex his quæ dicta sunt, quoniam cum impossibile quod concluditur non est copulatum ad eos terminos qui sunt ex principio, hoc est primæ hypothesis subiectum & prædicatum: tunc enim non accidit falsum quod concluditur propter positionem, hoc est, primam hypothesim, & est hypothesis non causa.

Differentia inter non causam vt causam, & non propter hoc accidere falsum.

Est tamen differentia inter non causam vt causam, & inter falsum non propter hoc accidere, & habent se sicut inferius & superius: quia vbique & semper vbi est falsum non propter hoc accidere, est hypothesis non causa: sed non oportet, quòd sit non causa vt causa: quia omne quod est non causa vt causa, est non causa, sed non conuertitur: & sic omnis non causa vt causa est non propter hoc accidere: sed non conuertitur, quod omne quod est non propter hoc accidere, sit non causa vt causa.

Attendendum autem, quod falsum non propter hypothesim accidere (quod fit proprie in syllogismo ad impossibile) iam probatum est fieri in syllogismo ostensiuo: quia etiam diffinitione eius quod est id quod in principio est petere, sicut ex diffinitione sua patet in ostensiuo syllogismo: est enim petitio principij, quando non per se notum vt per se notum ostenditur vel sumitur ad ostendendum.

Non causa vt causa dupliciter dicitur.

Sciendum etiam, quòd hoc modo dicta non causa quo dictum est non propter hoc accidere falsum, cadit proprie circa syllogismum ad impossibile. Dupliciter enim dicitur non causa. Vno quidem modo quando propositiones de necessitate consequentiæ non inferunt conclusionem: & hoc modo non causa est in omni syllogismo apparente & non existente: & hoc etiam frequenter iuxta syllogismum ostensiuum. Hoc autem modo non dicitur hic non causa id quod est non propter hoc accidere. Alio autem modo dicitur non causa propositio, qua dempta & ablata non minus sequitur impossibile: & hoc modo dicitur non causa esse non propter hoc accidere falsum: & hoc modo hic dicitur non causa, & accidit circa syllogismum ad impossibile. Modos autem eius quod est non propter hoc accidere non oportet per syllogismos & figuras variare: quia aliæ figuræ descendunt à prima, & primæ figuræ particulares ab vniuersalibus: & ideò sufficit in primo primæ ostendisse, & dicere, quòd similiter in negatiuo.

Remouet dubium.

Quot modis dicatur non causa.

Adhuc autem notandum, quòd licet quatuor modis dicatur causa, & totidem modis in communi dicatur non causa: tamen non causa (quæ est non propter hoc accidere falsum) non dicitur nisi duobus modis, scilicet per defectum causæ materialis: & per defectum causæ efficientis, & per defectum materialis dicitur in primo modo qui manifestissimus est, per defectum autem efficientis in aliis. Si enim id quod sequitur, copuletur ad vtrumque terminum hypothesis, tunc erit causa, & propter hoc accidere: si autem fiat copulatio ad alterum tantum, tunc erit non causa, & hæc copulatio vel fiet ad subiectum, & erit secundus modus: vel ad prædicatum, & erit modus tertius.

CAPVT IV.

De solutione obiectionis sophisticæ quæ est contra præinducta.

Aut nec sic semper, &c.

Hæc autem quæ dicta sunt de eo quod est non propter hoc accidere, vera sunt: aut forte aliquis opponens contra præinducta dicet, quod nec sic (prout ante determinatum est) propter hypothesim dicetur accidere falsum: quia scilicet falsum copulatur ad terminos hypothetis: etenim si non ei quod est b. quod est subiectum hypothesis, positum est a. inesse, quod prius per c. & d. syllogizatum est, sed forte ei quod est r. inesse a. quod etiam est sumptum sub b. & hoc sit etiam inconueniens & impossibile, & r. dicatur inesse c. ita quod hæc sit vera, omne r. est c. & sub c. sumptum sit d. ita quod omne d. c. & sic manet adhuc impossibile syllogizatum per aliud medium, scilicet quod omne b. a. Similiter autem fit idem impossibile in sursum sumendo terminos per alia media ascendenti: & sic patet, quòd adhuc sequitur impossibile per aliud medium, & cum est & cum non est prima hypothesis: & sic non videtur esse verum quod dictum est, quòd non propter hoc accidere tunc sit quando hypothesi posita & non posita sequatur impossibile: quia per aliud medium descendendo vel ascendendo sequitur idem inconueniens. Sic ergo opponi potest.

Aut quum non est hoc, &c.

Sed ad hoc dicendum, quòd nunc ita dicendum est sicut determinatum est. Aut addendum est ad superius dicta, quòd cum est positio aliquando & cum non est, nihil minus dicendum est fieri (siue sequi) falsum: & hoc non esse satis ad solutionem, quòd dicatur, cum est hoc, est hoc, vel non est, nihilominus fieri siue sequi falsum: hoc enim non sic sumendum est, quòd alio medio posito, hoc est, per aliud medium idem accidat impossibile. Sed hoc addendum, quòd hoc quod est hypothesis ablato, per alias propositiones remanentes & non per aliud medium, adhuc idem accidit impossibile, quod tunc hypothesis non est causa impossibilis.

Hoc autem ideo addendum est: quia fortassè

tassè idem inconueniens vel falsum potest accidere per plures hypotheses siue suppositiones, quarum vna ad alteram non ordinatur, sicut parallelas coincidere vel concurrere probatur per duo media; si enim protractis parallelis, & linea media perpendiculariter ducta ab vna super aliam, si angulus illius perpendicularis lineæ quem facit super parallelam interior, maior sit quam angulus eiusdem exterior cum ambo debeant esse recti & æquales: tunc sequitur, quòd coincident parallelæ versus angulum minorem, si protrahantur in continuum. Idem autem inconueniens sequitur si triangulus rectangulus habeat plures rectos vel æquales rectis quam duos: si enim linea quæ cadit super duas parallelas, duos rectos facit, cum parallela supra cadit, & claudatur triangulus ab angulo lineæ inferioris ad superiorem linea recta ducta, anguli extrinsecus (super parallelam ex illa linea super parallelas facti) sunt æquales duobus rectis. Est autem superior angulus primæ lineæ super parallelam rectus. Oppositi ergo anguli æquipollent duobus rectis. Si autem contineant plus quam duos rectos, oportet quod angulus prius ductus sit maior recto: oppositus ergo erit minor recto: intrinsecus ergo & extrinsecus non erunt anguli æquales: & sic iterum versus minorem angulum concurrent lineæ. Huius autem exemplum est sic.



Remouet dubium.

Est autem hic notandum, quòd hic de hoc impedimento oportuit tantum determinare, & non de aliis locis sophisticis: quia hoc peccatum directè est contra syllogismi consequentiam, de qua hic intendimus. Alij autem loci sophistici sunt contra propositi probationem, & non contra consequentiam principaliter. Hæc igitur dicta sint de hoc quod est non propter hoc accidere falsum.

CAPVT V.

De remotione errorij qui potest esse circa hoc quod dictum est, quod falsum accidit propter hypothesim.

Falsa autem oratio fit, &c.

Cvm autem hypothesis aliquando sit vera, & dictum est, quod falsum accidit propter hypothesim, ne aliquis credat ex vero falsum aliquando accidere, ideò scire oportet, quòd falsa oratio concluta in aliquo syllogismo siue simpliciter vno siue non simpliciter vno, fit & concluditur propter aliquod primum falsum in præmissa suppositum. Et hoc sic probatur: quia omnis syllogismus aut fit ex duabus propositionibus si est simpliciter vnus, aut ex pluribus si non est simpliciter vnus, sed compositus ex principali syllogismo & prosyllogismis: talis enim syllogismus vno fine vltimæ conclusionis vnus dicitur, sicut in præhabitis determinatum est. Si ergo est simpliciter vnus & ex duabus propositionibus si conclusio est falsa, necesse est aut alteram aut vtramque falsam esse: & hoc ideò quia (sicut in antehabitis probatum est) ex veris propositionibus verisque non erit falsus syllogismus, hoc est, falsum concludens. Si verò ex pluribus erit compositus syllogismus, ex syllogismo scilicet & prosyllogismis, vt si c. quidem conclusio probetur per a. & b. syllogismum, & hic syllogismus a. & b. per d. e. duas propositiones prosyllogismi, & d. e. probentur per propositiones iterum alterius prosyllogismi, quæ sint scilicet f. vna, & g. altera, si vltima conclusio est falsa, necesse est, quòd superiorum aliquid (hoc est, præmissarum) in aliquo prosyllogismorum sit falsum: & propter hoc quod præmissa falsa est, etiam oratio concluta est falsa: quia a. & b. quæ sunt præmissæ principalis syllogismi concluduntur, quæ superiora sunt in præmissis prosyllogismorum, sicut si concludatur a. per d. c. duas propositiones vnius prosyllogismi probantis maiorem, & b. minor probetur per f. g. præmissas alterius prosyllogismi concludentis minorem: & ideò propter illorum quæ in prosyllogismis sunt, aliquid quod falsum est, accidit siue sequitur conclusio, & falsum quod concluditur.

Omnis syllogismus aut fit ex duabus propositionibus, aut ex pluribus.

Obiectio sophistica.

Sophistice autem opponitur contra hoc: quia videtur ex possibilibus veris sequi falsum impossibile, sic, omnis homo est albus: nullus homo est albus: quæ ambæ sunt possibiles & aliquando possunt fieri verè: sequitur, quòd nullus homo est homo: quæ nunquam potest fieri vera. Sed ad hoc dicendum, quòd *Solutio.* ex veris & compossibilibus nunquam sequitur falsum, sed ex possibiliter veris & non compossibilibus nunquam sequitur verum: istæ autem, omnis homo est albus, nullus homo est albus, sunt incompossibiles.

Remouet dubium.

Adhuc autem notandum, quòd de oratione falsa secundum quod ex ea sequitur verum, determinatum est in principio huius secundi libri: hic autem tactum est de oratione falsa ex incidenti, scilicet inquantum falsum aliquando non accidit propter hypothesim, eo quod hypothesis est vera aliquando.

CAPVT VI.

De cautela respondentis qualiter caueat ne propter suam hypothesim videatur sequi falsum, & qualiter opponenti cauendum est contra respondentem.

Vt autem non syllogizetur, &c.

Vt autem non syllogizet (hoc est, per syllogismum concludere non possit opponens contra hypothesim respondentis) obseruandum est respondenti, & hoc dupliciter: aut præcipit aut præcipit vel præconcipit conclusionem quam contra hypothesim intendit concludere opponens, aut non. Et si quidem

non

non præcognoscit quod concludere intendit opponens: tunc quando sine tali præcognitione conclusionis interrogat siue consensum respondentis interrogando proponit opponens, cauendum est respondenti ne detur ab eo aliquid in duabus propositionibus bis, hoc est, ne dentur duæ propositiones communicantes in vno termino qui bis sit in eis: quia ille terminus statim posset esse medium in syllogismo. Et hoc ideo cauendum est: quia iam scimus ex præmissis quòd sine medio non sit syllogismus, & quod medium est quod plerumque (hoc est bis) dicitur in propositionibus: non habens autem medium non potest facere syllogismum. Si autem præscit respondens quid contra hypothesim concludendum sit: tunc aduertendum est respondenti quomodo oporteat eum obseruare, ne det propositionem quæ possit esse medium ad vnamquamque conclusionem, quam contra hypothesim potest facere opponens. Quæ autem tales sint propositiones, manifestum est ex antehabitis, ex quibus scitur quid siue quæ conclusio in vnaquaque figura ostenditur, vniuersalis scilicet vel particularis, vel affirmatiua vel negatiua. Hoc autem nos respondentes non latet: eò quod iam ex arte tradita viderimus quomodo, hoc est, ex quantis & qualibus propositionibus habemus concludere orationem quamlibet concludendam. Vniuersalis enim affirmatiua non concluditur nisi ex duabus vniuersalibus affirmatiuis in primo modo primæ, & negatiua non concluditur nisi ex altera negatiuarum: & ideò si respondens præsentit, quòd opponens vult concludere vniuersalem affirmatiuam, caueat ne det vniuersalem affirmatiuam. Et si vult concludere negatiuam, caueat ne det negatiuam. Et tunc opponens non potest venire ad conclusionem intentam.

Oportet autem cautè dicere quod, &c.

Similiter autem econtra opponenti (qui aliquid concludere intendit contra hypothesim) cauendum est: quia sicut annuntiamus debere cauere respondentes, ne opponens aliquid concludere possit contra suam hypothesim: sic etiam dicimus, quod oportet opponentes cauentes esse & tentare latere respondentes, ne perpendant ad quid nititur opponens. Inter omnia talia per quæ latere possunt & celare, primum & principale est hoc, quod scilicet conclusiones intentas prius non manifestent per hoc quod eas syllogizant. Sed etiam iam sumptis necessariis propositionibus præmissis ad conclusionem conclusiones adhuc respondenti non manifestæ sunt: tunc enim concessis præmissis respondens cogetur concedere conclusionem, quam non præuidens videre non poterit.

Amplius si non propinqua, &c.

Si autem respondens præcognoscat conclusionem quam opponens intendit: tunc opponenti alia cautela est vtendum: aut enim interrogat per multa media, sicut in prosyllogismis: aut per vnum, sicut in syllogismo principali. Si quidem per multa, maximè latebit respondentem intentio eius, si non proponat propinqua primo, ex quibus statim sequitur propositum, sed proponat quam maximè longè distantia: quia de illis minus caucbit respondens. Huius exemplum est, vt si concludere velit in conclusione principaliter intenta a. de f. scilicet quod f. sit a. & sit hoc concludere per media multa quæ sint b. c. d. e. tunc non oportet opponentem inquirere siue interrogare si a. est b. quia b. est immediatum medium ad a. nec iterum si b. est c. quia c. immediatum est ad b. sed interrogare oportet longinqua, vt si d. est e. & deinde venire ad propinquiora, quærendo si b. est c. & sic semper approximando reliqua oportet interrogare. Si autem per medium sit syllogismus secundum intentionem opponentis: tunc oportet incipere à medio secundum quod est in minori propositione, & non à maiori in qua est tota virtus consequentiæ syllogismi. Maximè sic interrogando apparens latebit respondentem. Hanc autem respondendi & opponendi artem & cautelam in 8. topicorum ex intentione subtiliter determinabimus. Hæc autem quæ diximus, ex incidenti dicta sunt ad hypothesim defendendam vel impugnandam.

Remanet dubium.

CAPVT VII.

Quod habito ex quibus syllogismus, habetur ex quibus fit elenchus, & quatter differunt elenchus & syllogismus.

Quoniam autem habemus quando & quomodo &c.

QVoniam autem iam per artem traditam habemus quando & quomodo in figura & modo se habentibus terminis fit syllogismus, manifestum est per eandem artem etiam quando (quoad figuram & modum) fit elenchus, & quando non erit quoad figuram & modum: nam vel ex affirmatiuis & negatiuis commutatim positis, ita quod maior aliquando sit affirmatiua & minor negatiua, & aliquando è conuerso maior negatiua & minor affirmatiua: sic enim positis responsionibus (hoc est, propositionibus à respondente concessis) contingit fieri elenchum sicut & syllogismum: quia sic erit syllogismus, vt in primo huius scientiæ libro determinatum est: quia & sic ex omnibus affirmatiuis vel ex affirmatiua & negatiua commutati positis erit syllogismus: propter quod si id quod positum est in hypothesi respondentis, sit contrarium siue oppositum contradictorie conclusioni facti syllogismi, necesse tunc talem syllogismum dici & fieri elenchum: quod patet per diffinitionem elenchi: quia elenchus est syllogismus contradictionis syllogizatæ ad hypothesim respondentis. Si verò nihil concedatur vel supponatur in hypothesi, impossibile est fieri elenchum: quia nulla concluditur contradictio.

Si vero nihil sit concessum, &c.

Et bene dico, quòd oportet propositiones vel affirmatiuas esse vel commutatim affirmatiuas & negatiuas in elencho: quia secundum artem in primo huius scientiæ libro traditam non erat syllogismus in aliqua figura, cum omnes termini in ambabus præmissis erant priuatiui vel negatiui: propter quod nec elenchus fit ex ambabus priuatiuis: nam si elenchus

elenchus fieret ex ambabus negatiuis, tunc sequeretur, quòd etiam syllogismus esset ex negatiuis ex necessitate, quia elenchus est syllogismus: cum autem sit syllogismus, non necesse est elenchum esse: quia syllogismus habet se ad elenchum, sicut genus ad speciem.

Similiter non est elenchus si nihil positum sit in hypothesi vniuersaliter in responsione respondentis: quia tunc non contradicit, cum elenchus sit syllogismus contradictionis. Eadem enim est diffinitio elenchi & syllogismi, sicut diffinitio generis est in specie, & substantia idem sunt elenchus & syllogismus: sed elenchus supra syllogismum quoddam addit accidens: & ideò vnam habent diffinitionem secundum substantiam, hoc est, per id quod subiectiuale est elencho. Sed si diffiniatur quòd ad accidens quod addit: tunc differt in hoc diffinitio elenchi à diffinitione syllogismi. Nec vlterius in hoc libro oportet determinare de illo: quia ex superius determinatis satis scitur inquantum est syllogismus: contradictio autem quam addit supra syllogismum, satis scitur ex determinatis in libro perihermenias.

CAPVT VIII.

De peccato contrariæ deceptionis quod est circa syllogismum ex oppositis.

Accidit autem etiam quandoque, &c.

ACcidit autem quandoque tertium peccatum (quod cadit circa syllogismum ex oppositis) quod dicitur secundum opinionem quæ vocatur fallacia contrariæ deceptionis: quia ex eo quod in syllogismo ex oppositis supponuntur contraria in propositionibus, sic aliquis putaret se simul opinari contraria esse vel non esse. Et ideò hîc ostendendum quando quis conuenienter potest opinari contraria, & quando non: accidit enim quandoque secundum opinionem contraria vel opposita accipientem fieri fallaciam, ita quod aliquis putet scientiam & ignorantiam simul se habere de eodem: & fallimur in talibus in positione terminorum. Fallebamur in syllogismo ad impossibile qui adducitur ad hypothesim destruendam, & non destruet aliquando propter inordinatam terminorum positionem: & sicut in petitione principij incidit id quod est non propter hoc accidere propter terminorum inordinatam positionem: & similiter accidit fallacia opinionis simul accipientis contrarias propositiones terminorum: & ideò vtile est hoc hîc determinare. Hæc autem peccatum dicitur contrariæ deceptionis, quod cum putat se recipere vnum, in illo quodammodo accidit accipere contrarium. Hoc autem primum quidem ostendamus in his quæ formaliter contraria sunt & per se. Et hoc potest esse dupliciter: potest enim vnum in alio accipi in his quæ directè sunt sub seinuicem, vt homo sub animali, & animal sub corpore, & hoc sub substantia. Potest etiam fieri, quod vnum ineat duobus aut pluribus, quorum vnum non est sub alio, sed æquè immediatè ineat eis aliud.

V. si contra idem principaliter, &c.

Ostendamus igitur primum qualiter est in his quorum vnum non sub alio: & hoc est si dicamus, quòd contingat idem prædicatum in pluribus sic principaliter inesse, ita quod neuter ineat per alterum, sed vterque secundum seipsum: & contingit hoc quidem aliquem latere: & cum insit, contingit putare nulli inesse, vt si gratia exempli dicamus a. inesse b. & c. per se, ita quod neuter per alterum, & dicatur hoc (scilicet b. & c.) inesse d. Si tunc aliquis putet nulli inesse, & illud putet se scire, scilicet quod a. insit omni b. & omni c. & quod omne b. & omne c. insit d. eiusdem secundum idem habet disciplinam in vniuersali, & ignorantiam in particulari. Et hoc patet: quia si opinetur omne b. esse a. & omne d. esse b. Adhuc autem si opinetur nullum c. esse a. & omne d. esse c. eiusdem & secundum idem habebit scientiam & ignorantiam: quia opinabitur contraria, scilicet quòd omne d. sit a. & quod nullum d. sit a. Si enim opinatur omne d. esse b. & omne b. a. opinabitur omne d. esse a. Si autem non opinabitur c. esse a. cum omne c. sit d. opinabitur nullum d. esse a. & sic opinabitur contraria.

Et est huius exemplum in terminis quidem substantialibus, corpus, animal, sensibile, homo: tunc enim corpus inest omni animali, & omni sensibili: & neuter per alterum, quia sensibile non est sub animali, nec animal sub sensibili, & ambo hæc insunt homini. Si ergo aliquis opinatur omne animal esse corpus, & opinetur cum hoc omnem hominem esse animal, & omne sensibile esse animal, ille simul opinabitur omnem hominem esse corpus & nullum sensibile esse corpus: & si nullum sensibile est corpus, cum omnis homo sit sensibile, nullus homo erit corpus: & sic opinatur omnem hominem corpus esse, & in vniuersali nullum hominem corpus esse, per hoc quod opinatur nullum sensibile corpus esse: & sic eiusdem secundum idem habebit scientiam & ignorantiam. Exemplum autem in terminis accidentalibus, conueniens satis in his terminis, coloratum, animal, album, cignus: coloratum enim ineat tam animali quam albo, & neuter per alterum, sed vterque per se, hoc est, non mediante reliquo, & vtrumque scilicet coloratum & animal ineat cigno: propter quod si quis opinetur nullum animal esse coloratum, & omne album coloratum, & cum hoc omnem cignum esse animal & album, simul opinatur contraria eadem ratione qua prius.

Rursum si quis fallatur circa ea quæ sunt ex eadem coniugatione in qua vnum directè sumitur sub alio, sicut species sub genere, vt si gratia exempli a. ineat b. hoc autem quod est b. insit c. & c. insit d. Vt si quis in terminis ponat & dicat, quòd substantia ineat corpori: corpus autem animato corpori: & animatum corpus insit animali, & animal insit homini: & sic vlterius quantum potest fieri sumatur secundum ordinem prædicamenti: & aliquis opinetur omne b. esse a. & nullum c. esse a. sequitur, quòd simul idem sciet & ignorabit, quod est inconueniens. Cum enim opinatur

Rursum si quis fallatur circa, &c.

omne b. esse a. tunc in vniuersali opinatur omne c. esse a. quia omne c. est b. & omne b. a. & sic aliquo modo scit omne c. esse a. quia scit hoc in vniuersali. Sed ex altera parte opinatur nullum c. esse a. in seipso siue in particulari: quia particulare scitur aliquo modo in vniuersali: propter quod sequitur, quia id quod aliquo modo scit (in vniuersali scilicet) hoc probat se omnino non opinari secundum idem: & hoc est inconueniens & impossibile. Sic igitur probatum est, quod inconueniens est simul opinari contraria, & in his quæ sunt ex eadem coniugatione, & in his quæ non sunt ex eadem coniugatione.

In eo autem quod dictum est, &c.

Ostendamus autem nunc quomodo contingit opinari contraria sine inconuenienti, & quomodo non contingit hoc. Hoc autem videtur fieri in his tantum quæ sunt ex diuersa coniugatione. Et ostendamus primo quomodo non contingit opinari contraria sine inconuenienti, sic dicentes, quod in eo quod prius à principio dictum est, si medium siue media sumpta sub seinuicem non sint ex eadem coniugatione: tunc secundum vtrumque (in vniuersali scilicet & particulari) ambas propositiones (vniuersalem scilicet & particularem, siue priorem & posteriorem) non contingit opinari sine inconuenienti & ignorare, vt scilicet aliquis opinetur omnes quatuor propositiones simul, vt scilicet opinetur omne b. esse a. & omne d. esse b. & simul cum hoc opinetur nullum c. esse a. & omne c. esse d. sic enim opinaretur, quòd a. quidem omni b. inesset, & quod idem a. nulli c. inesset, & quod hæc vtraque, a. scilicet & b. inessent omni d. si enim omnes quatuor propositiones simul opinatæ sunt, sequitur eiusdem propositionis contraria & contradictoria simul opinari: quod esse non potest: quia intellectus nec contraria neq; contradictoria simul concipit secundum opinionem vel æstimationem. Si enim opinetur omne b. esse a. & è conuerso omne a. esse b. opinabitur omne a. esse a. Adhuc si opinetur nullum c. esse a. & omne a. esse c. & opinabitur nullum d. esse a. Sed ex hac conclusione & minore prioris syllogismi sequitur contradictoria primæ per secundum modum tertiæ figuræ, sic, nullum d. est a. omne d. est b. ergo aliquod b. non est a. Et sic simul accidit opinari primam propositionem quæ est, omne b. est a. & eius contradictoriam quæ est, aliquod b. non est a. quod est inconueniens. Si autem b. & d. conuertantur: tunc sequeretur, quòd opinaretur contrariam eius, sic, nullum d. est a. omne d. est b. ergo nullum b. est a. Sic igitur manifestum est, quòd contingit simul opinari contraria vel contradictoria: quod est inconueniens. Accidit enim per syllogismum aut simpliciter (hoc est, vniuersaliter) aut in aliquo particulariter, vt in contradictoria, contrariam cum maiori sumete propositionem. Cuius causa est: quia si nouit, quòd omni ei cui inest b. inest etiam a. & hoc opinatur: nouit autem cum hoc, quòd b. inest omni d. tunc sequitur, quòd nouit etiam quoniam a. inest omni d. propter quod si ponatur rursum, quòd nulli eorum quæ sunt c. putat inesse a. sequitur, quòd alicui cui inest b. huic non putat a. inesse, quod est inconueniens, cum omni b. insit a. & sic opinabitur contradictoria simul: quod enim omni putat cui inest inesse a. & rursum dicitur non putare, quòd a. insit alicui b. aut simpliciter & vniuersaliter, est contrarium primæ propositioni, aut est contrarium in aliquo contradictorie oppositum. Sic ergo patet, quòd vtramque propositionem non contingit opinari contraria.

Secundum vtrumque autem inesse, &c.

Ostendamus igitur consequenter, quomodo contingit idem ignorare & scire sine inconuenienti. Et dicamus primo, quòd secundum vtrumque medium primi syllogismi & secundi contingit ignorare in vtroque syllogismo vnam propositionem, scilicet aut maiores sine minoribus, aut minores sine maioribus. Secundum alterum autem, siue vnum medium contingit ignorare vnam propositionem, siue maiorem, siue minorem: sicut si aliquis opinetur a. inesse omni b. & b. inesse omni c. & rursus cum hoc opinetur a. nulli c. inesse, quamuis omne c. sit b. Hæc enim fallacia similis est velut vel sicut fallimur circa particulares propositiones quas scimus in vniuersali. Cuius exemplum est, vt sciamus a. omni b. inesse in vniuersali, & b. inesse omni c. in vniuersali: tunc enim ex hoc vniuersali sequitur, quòd a. inerit omni c. Si ergo aliquis nouit in maiori propositione, quoniam a. omni ei inest cui inest b. proculdubio iste nouit in vniuersali, quoniam a. inest omni c. quia omne c. est b. sed nihil prohibet eundem ignorare in particulari, quoniam c. (quod est hoc singulare & sensibile) vtrum sit a.

Vt si a. quidem duo recti, &c.

Cuius exemplum in terminis est, vt si dicamus, quòd a. maior extremitas sint duo recti, & id in quo posuimus b. medium sit triangulus, & id in quo posuimus c. minorem extremitatem, sit sensibilis triangulus ligneus vel ferreus: opinabitur enim tunc aliquis sine inconuenienti c. non esse duorum rectorum: quia sensibilis triangulus non est indiuisibilium linearum secundum sensum, & videtur habere tres angulos vel maiores vel minores duobus rectis: cum tamen sciat in vniuersali, quòd omnis triangulus habet tres duos rectis æquales: & propter hoc simul sciet idem in vniuersali, & ignorabit in particulari: & hoc non est inconueniens. Quia scire, quòd omnis triangulus in vniuersali habet tres duobus rectis æquales, non est simplex siue simpliciter, & vno modo dictum, sed dupliciter. Sed hoc quidem in vniuersali vno modo acceptum, vniuersalem habet disciplinam: & sic disciplinaliter scitur, & per demonstrationem. Illud verò alio modo in sensibili triangulo acceptum, habet singularem ad sensuum ostensionem. Sic ergo aut quis vniuersaliter nouit, & disciplinaliter nouit, quòd c. habet tres æquales duobus rectis, sensibile singulare in vniuersali accipiens, & non secundum sensum: singulariter autem in sensu accipiens c. sensibilem triangulum potest non nosse, & fortè non nouit. Hoc enim non est inconueniens: & propter hoc non sequitur, quòd habeat contrarias opiniones & ignorantias de eodem, & secundum idem: quia scientia in vniuer

Scientia in vniuersali non opponitur ignorantiæ in particulari. Similiter autem & qui in Menone, &c.

vniuersali, non opponitur ignorantiæ in particulari.

Hoc autem etiam patet in simili oratione, in qua tali est ignorantia, & hæc est oratio quæ est in libro Platonis qui inscriptus est nomine discipuli sui qui dicebatur Mennon: eò quod fuit epistola Platonis respondens quæstioni Mennonis. Oratio autem est qua probat, quod disciplina siue scientia intellectiua rememoratio est: arguit enim sic: quicquid addiscitur & prius sciebatur, per rememorationem accipitur: sed omne quod addiscitur, prius sciebatur: ergo omne quod addiscitur, rememoratione accipitur. Quod autem omne quod addiscitur, prius aliquo modo sciebatur, per hoc probauit, quòd non accipitur aliquid in aliquo nisi per hoc quod secundum aliquid eius intus est antequam recipiatur. Ergo quòd scitur, prius fuit in sciente: rememoratio enim reditus est reminiscentiæ super id quod prius infuit, & notum fuit. Hoc enim eandem habet solutionem, scilicet quod in vniuersali est intus & scitum. In particulari autem & in propria natura est extra & ignotum. Et hoc non est inconueniens: nunquam enim accidit præscire quod singulare est. Præscire dico secundum intellectum & secundum quod est in se & singulare. Sed accidit simul accipere particularium siue singularium scientiam cum inductione eorum in sensum siue sensibilem cognitionem. Et hoc fit velut nos cognoscamus singularia re ipsa, hoc est, rei in sensu manifestatione. Nos enim quædam scientes de triangulo, statim scimus cum his, quoniam habet tres duobus rectis æquales. Cuius exemplum est: quia cum scimus de aliquo, quod ipsum est triangulus, statim in illo vniuersali scimus, quod habet tres duobus rectis æquales, & tamen ignoramus in particulari & sensibili: & hoc est: quia in vniuersali quidem aliquo modo speculamur particularia. Propria autem ipsa & singularia nescimus, nisi per inductionem in sensu: propter quod etiam contingit falli circa talia. Sed non contrariè se habet hæc ignorantia ad scientiam: quia, sicut diximus, ignorantia in particulari non est contraria scientiæ in vniuersali: & ideò contingit talium scientiam habere in vniuersali, & circa eadem decipi propter ignorantiam in particulari.

Et similiter contingit in prædictis de scientia in vniuersali & particulari: non enim contraria est ea fallacia quæ est secundum medium, ei fallaciæ quæ est secundum syllogismum disciplinæ. Dico autem syllogismum qui est per medium, ignorantiam particularem: eò quod singulare non ostenditur in sensu per medium inuentum per disciplinam: per syllogismum autem disciplinæ intelligimus scientiam in vniuersali. Similiter autem est de scientia quæ non est secundum vtrumque medium, sed secundum alterum, hoc est, vnum mediorum: contingit enim opinari secundum vnum medium ambas propositiones quæ non sunt ex eadem coniugatione, & non tantum has quæ sunt ex eadem coniugatione cum ipsa. Et ignorantia quidem quæ est secundum alterum mediorum, non est contraria scientiæ quæ est secundum ipsum idem medium. Cuius exemplum est: quia nihil prohibet, quòd ille qui scit, quòd a. maior extremitas inest vniuersaliter toti vel omni b. medio, & scit rursum in minori propositione, quoniam b. inest toti vel omni c. minori extremitati, putare quoniam in conclusione a. non inest omni vel toti c. Et huius causa est: quia non pertractat & confert maiorem cum minori secundum scientiam in agere, vt videat qualiter conclusio sequitur ex maiori & minori. Cuius exemplum in terminis est, vt sciens, quoniam omnis mula est sterilis, & quod hæc est mula, & putat hanc in vtero habere & non esse sterilem: quia non pertractat maiorem cum minore referendo ad conclusionem: & ideò non scit, quòd a. est c. conferendo & pertractando non videns (hoc est, scientiam in agere non percipiens) quod est secundum alterum, hoc est, non videns id quod sequitur secundum vnum comparatum ad alterum: quia si hoc perciperet, statim sciret, quod hæc mula est sterilis.

Ex quo patet quid sit scientia in agere.

Propter quod manifestum est, quoniam & si aliquis hoc quidem nouit in maiori & in minori: illud verò quod est pertractatio vnius ad alterum non nouit, falletur circa hoc de quo habet scientiam. Et hoc quidem habent vniuersales scientiæ comparatæ ad particulares quæ sunt scientiæ in agere extra sensum: nullum enim sensibilium cum extrinsecum sit, scimus per seipsum in singulari: nec etiam si scientes fuerimus ipsum, non scimus ipsum nisi in vniuersali in maiori: & si scientes fuerimus ipsum in propria natura in minori, in qua habet propriam disciplinam secundum scire in particulari: sed non propter istum duplicem sciendi modum scimus ipsum in eo quod agit quis secundum scientiam in agere, quæ est in collatione præmissarum adinuicem & ad conclusionem: & ideo sicut in scientia in agere potest ipsum ignorare, & talis ignorantia tali scientiæ non est contraria: & ideò sic de eodem scientiam & ignorantiam habere non est inconueniens.

Ex hoc autem patet, quòd sciens omnem mulam esse sterilem, & ignorans hanc esse mulam, scit in vniuersali quod ignorat in particulari, Sciens autem vtrumque & omnem mulam esse sterilem, & hanc esse mulam, & non pertractans, scit in vniuersali & particulari id quod ignorat secundum scientiam in agere, & tales ignorantiæ talibus scientiis non sunt contrariæ.

CAPVT IX.

Quod scire dicitur tripliciter, quod adducitur ad intellectum eorum quæ determinata, in quo etiam de aliis dubitabilibus ad intellectum dictorum facientibus determinatur.

VT autem melius intelligatur, quòd scire aliquid vno modo sciendi non opponitur ad ignorare idem secundum alium modum.

Nam ſcire dicitur tripliciter.

Et ad intelligendum quæ ſcientia cui ignorantia opponitur, oportet ſcire, quòd ipſum ſcire in complexis propoſitionibus ſcitis vel ignoratis dicitur tripliciter. Aut enim dicitur ſcire in vniuerſali: & hoc ſcire eſt in potentia: quia particulare quamuis ſciatur in vniuerſali, tamen non ſcitur niſi inquantum particulare eſt in vniuerſali. Hoc autem eſt in potentia: quia quodlibet vniuerſale principium eſt particularis, per hoc quod vniuerſale virtute & potentia eſt particulare, & efficitur actu particulare per hoc quod deducitur & determinatur ad particulare. Hoc igitur eſt ſcire in vniuerſali. Eſt etiam ſcire in propria natura: & hoc dicitur ſcire in particulari: quia res quælibet per propriam ſuam naturam particularis eſt particulata & determinata ſub communi & vniuerſali natura cui ſubſtat. Aut tertio modo dicitur ſcire in agere quando aliquis hoc quod ſcit, actualiter pertractando & referendo ipſum ad ſua principia, conſiderat. Si autem ſic ſcire dicitur tribus modis, ſequitur quòd decipi ſiue ignorare dicitur totidem modis. Et ſic patet, quòd nihil prohibet aliquem ſcire & decipi circa eadem ſubiecta & eadem prædicata, ſed non contrariè ſimul: non enim ſimul de eiſdem & circa eadem aliquis habet ſcientiam & deceptionem ſiue ignorantiam illi contrariam, vt ſcilicet habeat de aliquo & ſcientiam in vniuerſali & ignorantiam vel deceptionem in vniuerſali, vel ſcientiam in propria natura, & ſcientiam in agere & ignorantiam in agere de eodem: hoc enim eſſe non poteſt.

Quid ſit ſcire in agere.

Quamuis ergo aliquis ſciat ſecundum maiorem propoſitionem & minorem aliquid & in vniuerſali, & in particulari, tamen poteſt decipi ſecundum ſcientiam in agere. Scientia enim in vniuerſali eſt ſecundum primam propoſitionem, præcipuè in prima figura, in qua maior eſt ex medio quod in toto eſt primo: minor autem eſt ex medio in quo totum eſt poſtremum: & ita in propria natura accepto, quia minor in illa determinat ad propriam naturam, eò quod ſub medio deſcendendo extremum minus accipitur. Scientia autem concluſionis eſt ſecundum ſcientiam in agere, in quo maius ad minus comparatur, & elicitur concluſio quæ conſiſtit ex vtroque extremorum. Contingit enim aliquid ſcire ſecundum vtramque propoſitionem, & tamen decipi circa concluſionem: & hoc accidit ei qui non pertractauit prius referendo minorem ad maiorem, & ambas has ad concluſionem: ſciens enim in vniuerſali omnem mulam eſſe ſterilem, & hanc eſſe mulam: & tamen putans hanc in vtero habere, non habet illam diſciplinam quæ eſt pro actu hoc ſecundum actum conſiderare & pertractare: nec tamen habet propter talem opinionem contrariam fallaciam directè diſciplinæ illi quam habet. Syllogiſmus enim ſecundum actum manifeſtans concluſionem, eſt contraria fallacia diſciplinæ illi quæ eſt ſecundum agere: quia ſyllogiſmus ſecundum quod ſyllogiſmus cauſa efficiens eſt ſcientiæ quæ ſecundum agere eſt in concluſione: vnde ignorare ſecundum agere, contraria eſt fallacia ſcientiæ ſecundum agere. Syllogiſmus autem ſecundum hoc quod eſt ex vniuerſali primo (in quo eſt tota vis conſequentiæ & inferentiæ) eſt contraria fallacia ſiue deceptio ſcientiæ in vniuerſali, & ſyllogiſmus in particulari accepta ſub vniuerſali, contraria eſt ſcientia ad fallaciam in particulari, & ſcientia ſyllogiſmi in concluſione contraria eſt fallaciæ circa concluſionem quæ eſt deceptio ſecundum ſcientiam in agere. Sic igitur patet, qualiter non eſt inconueniens quod in antehabitis dictum eſt, in omnibus his quæ ſecundum formam ſunt contraria vel oppoſita, in quibus contraria ſiue oppoſita contingit circa idem opinari & ignorare.

Scientia in vniuerſali eſt ſecundū maiorem, ſcientia in particulari eſt ſecundum minorem, ſcientia autem in agere eſt ſecundum concluſionem.

Sciendum autem hîc, quòd hoc peccatum (vt diximus) cadit circa ſyllogiſmum ex oppoſitis, non ex parte concluſionis, ſed ex parte principiorum: quia ſyllogiſmus ex oppoſitis habet oppoſita principia: & iſtud peccatum eſt circa oppoſitionem principiorum: & hæc opinari vno modo eſt conueniens, alio modo non, ſicut dictum eſt in præhabitis. Hoc enim peccatum licet fallacia dicatur, tamen nec eſt fallacia in dictione, nec extra: quia dicitur fallacia ab eo quem fallit & decipit, non ex apparentia, & non ex exiſtentia quæ in re ſcibili ſit vel dictione ſignificante ipſam, ſed ex fallacia eius qui fallitur: eò quod accipit id quod accipi non debet, eò quod non videt id quod eſt videndum & accipiendum: & dicitur fallacia opinionis, non ſenſus, vel intellectus: quia circa complexa eſt, circa quæ non eſt ſenſus particularis. Et quamuis intellectus compoſitus ſit circa complexa, tamen eſt verorum & certorum circa quæ non eſt deceptio. Opinio autem eſt circa complexa tremens & nutans habitus, qui ex ſignis accipitur: ſicut ex ſignis talium accipitur ſcientia: & ignorantia ex defectu talium ſignorum: & ideò dicitur ignorantia opinionis.

Quomodo contingit aliquid ſcire ſecundum vtramque propoſitionem, & tamen decipi circa concluſionem.

Scias etiam, quòd quando dictum eſt, quòd ſi aliquis accipiat contraria ſecundum omnes quatuor (quæ ſunt ex diuerſa coniugatione) propoſitiones, quod contingit eum ſecundum idem ſcire & ignorare, non dicitur hoc, quòd ſecundum eadem media idem ſciat & ignoret, ſed accipitur ſcire pro opinari: & quod dictum eſt ſecundum idem, intelligitur ſecundum eadem accepta in ſcito & ignorato, hoc eſt, de eodem ſubiecto & eodem prædicato: non tamen ſciet & ignorabit ſecundum idem medium.

Scias etiam, quòd inconueniens eſt ſecundum rem ſcire omnes quatuor propoſitiones quæ ſunt ex diuerſa coniugatione cum ſuis contrariis ſecundum eſſe: quia hoc non poteſt eſſe: quia ſic eſſet ſecundum idem opinari & ignorare oppoſita circa idem: & ideò in bene diſpoſita anima vel ratione hoc non contingeret, ſed in anima eius qui deceptus eſt ex aliquo quod omittit in conſideratione proprietatum ſyllogiſmi, ſicut qui non conſiderat vniuerſale in virtute vniuerſalis qua infert, & non conſiderat particulare in proprietate qua appropriat vniuerſale, & non conſiderat concluſionem in relatione qua ſequitur ex principiis præmiſſis. Omnes autem quatuor propoſitiones tales oppoſitas contingit (ſicut dictum eſt) opinari

opinari ab aliquo decepto ſine concluſione: ſed non contingit eas opinari ſine inconuenienti, quod ſequitur ex ſua opinione: quia ſi aliquis opinatur præmiſſas, de neceſſitate aliquo modo opinatur concluſionem, quantum ad habitualem opinionem opinabilis, ſed deeſt ei pertractatio actualis: & ideò poteſt habere opinionem ſecundum quod eſt opinantis & non opinabilis. Secundum prædicta autem iam clarum eſt, quòd contingit opinari omne b. eſſe a. & tamen dubitare omne c. eſſe a. quia licet c. ſit ſub b. tamen ſcire b. eſſe a. eſt ſcire in vniuerſali, & ſcire c. eſſe a. eſt ſcire in particulari. Eadem ratione contingit ſcire omne b. eſſe a. & nullum d. eſſe a. ſicut patet. Sed non contingit ſcire omne d. eſſe a. & nullum d. vel aliquod d. non eſſe a. quia hoc eſſet ſcire & ignorare idem & ſecundum idem & eadem ſcientia.

Quomodo contingit ſcire maiorem & minorem, & ignorare concluſionem.

Adhuc etiam ſciendum, quòd maiores propoſitiones diuerſorum mediorum, vt nullum d. eſſe a. & omne b. eſſe a. poſſunt opinari ſimul ſine inconuenienti, ſi nihil addatur eis de minori propoſitione, ex quo valeant pertractari & comparari adinuicem & ad concluſionem: ſed ſi talium aliquid additur, non poſſunt ſimul opinari vel ignorari: & quando ſimul opinantur, habetur de eis plus ignorantia, quam ſcientia vel opinio: quia ſimpliciter ignorantur, ſecundū quid autem opinantur: res autem denominatur ab eo quod ſimpliciter conuenit ei, & non ab eo quod ſecundum quid.

Particulare dupliciter ſcitur.

Sciendum etiam, quòd contingit opinari duas propoſitiones ſecundum idem medium vt maiorem & minorem, & ſic ſcire in vniuerſali & in particulari: & tamen ignorare concluſionem. Et huius cauſa eſt, quòd ſine pertractatione minoris propoſitiones opinantur: & non eſt plenè perfectum ſcire in vniuerſali & particulari, niſi addatur pertractatio: quia particulare duobus modis ſcitur: vno modo vt in propria natura, & hoc modo non eſt pars ſyllogiſmi: alio modo accipitur vt actu ſtans ſub vniuerſali & determinans ad concluſionem, & hoc modo non ſcitur ſine pertractatione, & tunc facit perfectum ſcire in eo quod ſcitur in vniuerſali & particulari.

Dubitatio.

Si autem quæritur, vtrum contingat propoſitiones quæ ſunt in eadem coniugatione ſimul opinari & ignorare, vt ſi quatuor ſumantur termini a. b. c. d. & ſit b. ſub a. & c. ſub b. & d. ſub c. vtrum ſcilicet contingat opinari omne b. eſſe a. & omne c. eſſe b. & tamen cum hoc, nullum d. eſſe a. & cum hoc nullum c. eſſe a. & omne d. eſſe c. Dicendum, quòd hoc non contingit ſine inconuenienti: quia ex his ſic diſpoſitis ex neceſſitate ſequitur opinio oppoſiti, ſcilicet omne d. eſſe a. hæc enim ſibiinuicem ſunt media: & ſi non contingit in modis non ſubalternis opinari & ignorare omnes quatuor propoſitiones, tunc multo minus hoc contingit in his quæ ſubalternatim ſe habent adinuicem. Et hoc dictum eſt in his quæ cum pertractatione actuali accipiuntur collata adinuicem. Si enim habitualiter tantum eſſent pertractabilia, contingeret opinari & ignorare ſimul, ſicut dictum eſt in capitulo immediatè præcedenti.

Solutio.

Sciendum etiam, quòd ſciendo maiorem ſecundum medium proprium in vniuerſali ſcitur minor, & in vniuerſali ſcitur concluſio. Si enim ſcitur omne b. eſſe a. & ſcitur quod c. eſt ſub b. medio, ſcitur quod c. eſt b. & ſcitur quod c. eſt a. & ideo ſecundum idem medium non poteſt ſciri oppoſitum concluſionis: quia ſic ſequeretur, quòd id quod ſcitur in agere & in particulari, ignoraretur in vniuerſali: & hoc eſſe non poteſt: quia cùm triplex ſit ſcire, in vniuerſali, & particulari, & in agere, ſcire in agere ſupponit ante ſe ſcire in particulari, & ſcire in particulari ſupponit ante ſe ſcire in vniuerſali: & ideò non poteſt ſimul ſcire in agere & in particulari, & ignorare in vniuerſali: poteſt tamen non pertractare, ſicut diximus: & ideò ſciens in vniuerſali, poteſt non ſcire in particulari: & ſciens in particulari & vniuerſali, poteſt non ſcire ſecundum agere, quamuis non omnino ignoret.

Sciens in agere & particulari non poteſt ignorare in vniuerſali, ed bene econtra.

CAPVT X.

De opinione & ignorantia eorum quæ ſunt ſecundum materiam oppoſita per accidens.

IN oppoſitis quæ ſunt contraria per accidens in propoſitionibus (& non ſunt affirmationes & negationes contrariæ, ſed gratia terminorum, & ſic per accidens & non ſecundum formam ſunt propoſitiones contrariæ) contingit etiam opinari idem ſecundum idem, & ignorare ſecundum diuerſos ſciendi modos qui ante determinati ſunt. Qui enim opinabitur id quod bonum eſt, malum eſſe, idem ſubiectum opinabitur in oppoſitis eſſe paſſionibus prædicatorum: quia idem opinabitur bonum eſſe & malum: & hoc reducatur ad propoſitiones. Sit enim bonum quidem in quo a. quod eſt maior extremitas. Malum autem ſit in quo b. quod eſt medium. Rurſum autem bonum hoc ſit in quo c. minor extremitas. Sic enim habentur termini ſyllogiſmi. Quoniam ergo talis qui opinatur bonum eſſe malum, opinatur a. de. eſſe b. & c. hoc eſt, medium & minorem extremitatem ſecundum ſcire in particulari: & opinatur omne c. eſſe b. & rurſum opinabitur b. eſſe a. in maiori ſecundum ſcire in vniuerſali: ſequitur neceſſario, quod opinabitur c. eſſe a. in concluſione ſecundum ſcire in agere: & ſic opinabitur bonum eſſe bonum, quod eſt oppoſitum maioris quæ dicit bonum eſſe malum. Cuius cauſa eſt: quia quemadmodum ſi verum fuerit dicere, quòd de quo c. prædicatur, quod de illo prædicatur b. & quemadmodum fuit verum, quod de quo dicitur b. de illo dicitur a. ſecundum ordinem primæ figuræ, ſimiliter verum erit dicere, de quo dicitur c. de illo prædicatur a. ſicut maior de minore extremitate concluditur in concluſione, & ſicut eſt dicere, eſt ita opinari, & ſimiliter in eſſentia rei: quia in eo quod res eſt vel non eſt, oratio vera vel falſa eſt, & ſimiliter opinio. Vnde ſi ponatur idem

Qui autem opinatur, quòd bonum, &c.

esse c. & b. in minori, & rursum idem dicatur esse b. & a. in maiori, sequitur quod idem erit c. & a. in conclusione: propter quod in opinione erit similiter, & sic opinabitur bonum esse bonum, & bonum esse malum, quod est inconueniens: tamen hoc est necessarium, si quis det primum in maiori & in minori propositione.

Sed fortasse illud falsum, &c.

Sed fortasse falsum est aliquem opinari quod bonum est per se & non secundum accidens, malum esse, vt felicitatem esse malum, vel virtutem. Sed quod per accidés est bonum, vt incisio, vel vstio, vel acceptio pharmaciæ, potest alicui malum videri. Multipliciter enim dicitur bonũ, & multipliciter malum, & in aliquo illius multiplicitatis potest alicui aliquod bonum per accidens, malum videri: & sic contingit illum opinari, quòd sic bonum est malum esse: & quia sic multipliciter dicitur bonum & malum, perspiciendum est hoc melius siue subtilius, & distinguendum in quo sensu bonum quis malum esse opinetur.

TRACTATVS VII.

De reductione aliarum argumentationum in syllogismum.

CAPVT I.

De conuersione medij cum extremis & conuersione extremorum ad medium.

QVia verò iam de potestate syllogismi dicta sunt quæ dicenda videbantur, & quia perfectissima argumentationum est syllogismus: consequens nunc tandem est, quod de aliis argumentationibus imperfectis, & reductione earum ad syllogismum in finali tractatu huius operis quædam determinentur. Et quia aliæ argumentationes reduci non possunt ad syllogismum, nisi prius sciatur qualiter medium conuertitur ad extrema & extrema ad medium, ideò primum in hoc tractatu de consequentiis talium conuersionum est dicendum.

Sex igitur talium consequentiarum regulas primo determinabimus, per quas argumentationes imperfectæ ad syllogismum habent reduci. Quarum prima talis est, quòd quando conuertuntur extremitates, necesse est medium conuerti ad vtrumque extremitatem: & hoc primo declarabimus in syllogismo affirmatiuo. Ostendimus igitur, quòd ad conuersionem conclusionis in qua extrema conuertuntur (ita quod de prædicato fit subiectum, & de subiecto prædicatum) conuertitur medium ad maius extremum, sic. Si enim maior extremitas est conclusa de c. sicut prædicatum de subiecto per b. medium, sic, omne b. est a. omne c. est b. ergo omne c. est a. Si conuertitur conclusio, ita quod cuicunque vniuersaliter inest a. omni illi inest c. ita quod dicatur, omne a. est c. tunc illa conuersa conclusionis sumpta cum minore conclusionis conuersam maioris, quæ fuit b. a. propositio, & concludetur, quòd omni illi cui conuenit esse a. inerit b. sic, omne c. est b. quæ fuit minor: omne a. est c. ergo omne a. est b, & sic medium c. Similiter autem & propositio minor quæ est c. b. conuertitur per medium a. hoc est, conuersa minoris quæ est c. b. concluditur ex conuersa conclusionis & maiore, sic, omne a. est c. omne b. est a. ergo omne b. c. Et tunc fit medium a. & sic maius extremum in primo syllogismo fit medium. In secundo autem medium fuit primi syllogismi minus extremum. b. ergo medium conuertitur & ad maius & ad minus extremum: & sic in affirmatiuo syllogismo probatum est, quòd medium conuersis extremis conuertitur ad vtrumque extremum.

Quãdo autem cõuertuntur extremitates, &c.

Hoc autem ostenditur etiam in negatiuo syllogismo: quia in non esse similiter est sicut in esse, & ostendimus primo, quòd si medium conuertitur, tunc extrema conuertuntur. Disponatur enim syllogismus negatiuus in secundo primæ sic, vt scilicet minor sit vniuersalis affirmatiua, ita quod b. inest c. vniuersaliter & affirmatiuè. a. autem non inest b. in maiori vniuersaliter & negatiuè: sequitur in conclusione, quod a. vniuersaliter non inest c. sic, nullum b. est a. omne c. est b. ergo nullum c. est a. Ex hac autem ex conuersa maioris & minore concluditur conuersa conclusionis, sic, omne c. est b. quæ fuit minor: nullum a. est b. quæ est conuersa maioris: ergo nullum a. est c. quæ est conuersa conclusionis: & est syllogismus in secundo modo secundæ figuræ. Et constat, quòd medium est b. sed maius extremum in primo syllogismo fuit a. & minus fuit c. In isto autem maius extremum est c. & minus a. & b. medium: conuersum autem ad vtrumque sit prædicatum vnum ad duo subiecta. Patet igitur, quòd si b. conuertatur ad a. & efficiatur prædicatum ipsius, & c. conuertatur in conclusione ad a. & concludetur de ipso sicut prædicatum de subiecto. Similiter ex conuersa minoris & maiore concluditur conuersa conclusionis, sic, omne b. est c. quæ est conuersa minoris: nullum b. est a. quæ fuit maior: ergo nullum a. est c. Et huius ratio est: quia cum b. & c. conuertantur, à quocunque remouetur vnum, remouetur & reliquum. Vnde si b. quidem

Et in non esse similiter, &c.

dem non ineſt a. & remouetur ab eo, ſequitur quòd neque c. ineſt a. ſed remouetur ab ipſo: quia poſitum eſt in minore primi ſyllogiſmi, quòd omni c. ineſt b. & quod conuertitur b. cum c. & ſi b. conuertitur cum c. tunc etiam a. conuertitur ad b. quia b. & c. conuertuntur: quia de quocunque omni & vniuerſaliter prædicatur b. de illo omni & vniuerſaliter prædicatur c:

Et ſi c. ad a. conuertitur, &c.

Ex his igitur patet, quòd ſi medium conuertitur cum extremis, & extrema inter ſeinuicem conuertuntur, oſtenditur etiam è conuerſo, quòd ſi extrema conuertuntur, tunc etiam medium conuerteturcum extremis: ex conuerſa enim concluſionis in qua extrema conuertuntur, & minore: ſequitur conuerſa maioris, ſic, omne b. eſt a. nullum c. eſt a. ergo c. eſt b. Eſt enim ſyllogiſmus in ſecundo ſecundæ figuræ: quia ſi c. conuertitur ad b. tunc etiam b. conuertitur ad a. cuicunque enim ineſt b. illi ineſt etiam c. cui autem ineſt c. illi non ineſt a. & ideò etiam a. remouetur ab ipſo b.

Et ſolum hoc à concluſione incepit, &c.

Sed eſt notandum, quòd in his rationibus differentia eſt ſolum in hoc: quia cum in prædicatiuo ſyllogiſmo oſtenſum ſit, quòd ſi extrema conuertantur, quòd & medium conuertitur cum vtriſque extremis: & in ſyllogiſmo negatiuo paulò ante oſtenſum eſt è conuerſo, quòd ſi medium cum extremis conuertitur, quòd extrema conuertuntur: hæc vltima ratio modo inducta iuxta ſyllogiſmum negatiuum incepit à concluſione & terminabatur ad præmiſſam, ſicut factum eſt in ſyllogiſmo affirmatiuo: aliæ autem rationes non ſimiliter præceſſerunt. Hoc autem ſolum quod nunc dictum eſt, à concluſione incepit & ad præmiſſas terminatur: alia autem quæ dicta ſunt in rationibus ſyllogiſmi negatiui, non ſimiliter proceſſerunt. Vnde iſta vltima à concluſione incepit, ſicut in prædicatiuo ſyllogiſmo. Hæc eſt igitur regula conſequentiæ primæ.

Dubitatio.

Si autem quæritur, de qua conuerſione hîc iôtenditur, vtrum ſcilicet de conuerſione quæ eſt in terminis, de qua habitum eſt in principio primi libri iſtius ſcientiæ quæ dicitur priorum analyticorum, aut de conuertibilitate in qua vtrumque de vtroque vniuerſaliter prædicatur. De conuerſione enim ſimplici quæ fit in terminis non videntur eſſe vera quæ dicta ſunt: quia particularis affirmatiua conuertitur ſimpliciter & in terminis, & tamen in ſyllogiſmo in quo concluditur particularis, non contingit oſtendere medium conuerti ad vtrumque extremorum per conuerſionem extremorum adinuicem. Adhuc autem vniuerſalis affirmatiua non conuertitur ſimpliciter, cum tamen in præhabitis accipiatur vt conuerſa ſimpliciter. Si autem dicatur, quòd de conuertibilitate ſecundum proprietatem prædicationis intenditur, contrarium videtur eſſe, quod cum dicitur, omnis homo eſt aſinus: omne riſibile homo, ergo omne riſibile aſinus. Hic enim extrema non conuertuntur: cum tamen medium conuertatur cum minori extremitate. Adhuc regula inducta, ſicut dictum eſt, oſtenſa eſt in ſyllogiſmo negatiuo, in quo extrema non conuertuntur, nec habent conuertibilitatem: quia vnum extremorum remouetur ab alio.

Solutio.

Dicendum autem ad hæc meo iudicio, quòd ea quæ dicta ſunt, iuxta ſententiam Ariſt. intelligantur de conuerſione ſimplici in terminis in qua ſubiectum fit prædicatum, & è conuerſo: & in qua per ſyllogiſmum maius extremum fit minus extremum, & è conuerſo: & medium fit extremum, & è conuerſo, eadem ſeruata propoſitionum quantitate: propter quod conuertitur vniuerſalis in vniuerſalem. Et hæc regula de iſta conuerſione non ſe extendere poteſt ad modos particularium ſyllogiſmorum: quia non per hoc quod particulariter ſe habet ad extrema conuerſione poteſt oſtendi extremorum. Vnde non ſe extendit niſi ad modos vniuerſalium ſyllogiſmorum, in hoc quod oſtendatur quod medium conuertitur ad vtrũque extremorum. Hoc enim non contingit in modis particularibus, quamuis extrema conuertantur. Quod autem in ſyllogiſmo negatiuo potius quam in affirmatiuo oſtenſum eſt, quòd ſi medium conuertitur cum extremis, quòd extrema conuertuntur inter ſe: ideo factum eſt, quia hoc in ſyllogiſmo affirmatiuo per ſe cuilibet manifeſtum eſt: nec oſtendi oportuit, quia quæcunque vni & eidem conuertuntur, & ipſa inter ſe conuertuntur: ſicut quæcunque vni & eidem ſunt eadem, & ipſa ſunt eadem. Sic autem non eſt in ſyllogiſmo negatiuo in quo termini habent oppoſitionem: & ideo in ſyllogiſmo negatiuo in quo non videbatur eſſe verum, oſtendi hoc oportuit.

Remouet dubium.

Dubitatio.

Eſt etiam dubium de hoc quod dictum eſt, quod ex conuerſa maioris vel minoris concluditur conuerſa concluſionis in negatiuo ſyllogiſmo. Si enim hoc fiat, ex conuerſa minoris erit diſpoſitio tertiæ figuræ minore exiſtente negatiua; & concluſione vniuerſali in tertia figura: quorum vtrumque eſt inconueniens. Si autem accipitur conuerſa maioris cum conuerſa minoris, fiet tunc ex tali diſpoſitione prima figura, & minor fiet negatiua, quod eſt iterum inconueniens. Hæc autem manifeſta ſunt ſi ex eiſdem terminis a. b. c. primo fiat ſyllogiſmus in ſecundo primi, & deinde ordinentur & diſponantur adinuicem conuerſa maioris & minoris, aut è conuerſo conuerſa minoris & maioris. Sed ad hoc non eſt difficile reſpondere: quia ſequitur conuerſa concluſionis ſiue accipiatur maior ſiue conuerſa eius: ſed non ſequitur propter formam ſyllogiſticam, ſed virtute terminorum conuertibilium minoris propoſitionis: quia cum b. & c. conuertantur, quicquid remouetur ab vno, remouetur & a reliquo: & a quocunque remouetur vnum, reſtouetur & reliquum.

Solutio.

Dubitatio.

Similiter autem dubium eſt de hoc quod dictum eſt, quòd oſtenditur conuerſa maioris in negatiuo ſyllogiſmo per conuerſam concluſionis & minorem propoſitionem: ſic enim minor propoſitio in prima figura ſit negatiua, quod eſt inconueniens: ſic enim formabitur ſyllogiſmus, omne c. eſt b. quæ fuit minor: nullum a. eſt c. quæ eſt conuerſa concluſionis: ergo nullum a. eſt b. quæ eſt conuerſa maioris. Ad hoc autem aliquando ab aliquibus dictum eſt, quòd oportet intelligere negati-

Solutio quorundam.

uam in terminis immediatam oppositionem habentibus in aliquo genere determinato, sicut par & impar opponuntur circa numerum, & rectum & curuum circa lineam: & tunc debet conuersa conclusionis transponi in affirmatiuam, ac syllogizando, omne c. est b. quæ est minor prioris syllogismi: omne non ens a. est c. quæ est transpositio conuersæ conclusionis, huius scilicet, nullum a. est c. ergo omne non ens a. est b. Propter quod nullum a. est b. & erit tunc vera & affirmatiua propositio in quam transponitur negatiua, sicut istæ sunt veræ, nullus numerus par est impar: omne non ens par in numeris est impar: & hoc est propter conuertibilitatem & immediatam oppositionem in terminis. Posset tamen dici, sicut supra dictum est, quod in tali ostensione debet sumi conuersa conclusionis non cum minore, sed cum conuersa minoris ad concludendam conuersam maioris in secundo secundæ, sicut in antehabitis (cum hæc probantur) factum est.

Aliter.

Dubitatio.

Si autem aliquis quærat, quare contingit vti in tali ostensione conuersa minoris cum non sit demonstrata ex conuersa conclusionis & maiore, vel conuersa maioris: Dicunt aliqui, quod hoc est: ideo quia in tali ostensione tam conclusio quam maior & conuersæ earum sunt negatiuæ, ex quibus non potest ostendi affirmatiua: conuersa autem maioris est propositio affirmatiua. Sed contra hoc esse videtur quod hic ostenditur pro consequentia: & regula est hæc, quod quando conuertuntur extremitates, necesse est medium conuerti ad veramque extremitatem: & si non est verum, tunc oportet medium conuerti ad minorem extremitatem: propter quod vel regula falsa est, vel oportet, quod possit ostendi conuersa minoris. Nihil horum alicui dicat, quod regula non extenditur se ad syllogismos negatiuos, sed solum ad affirmatiuos. Sed contra hoc esse videtur: quia si conuersa conclusionis transponitur in affirmatiuam, & maior similiter in affirmatiuam transponitur, sicut factum est in syllogismo circulari, ostenderur minor, sic, cui nulli inest a. illi omni inest c. b. nulli inest a. ergo b. omni inest c. ergo omne b. est c. quæ est conuersa minoris. Et latis potest concedi, quòd sic ostendi potest conuersa minoris: tamen hoc fugiendum Arist. & quia patet ex superius determinatis, & quia improprius quidam modus est ostensionis.

Solutio quærendam.

Obiectio contra solutionem.

Remouet dubium.

Potest etiam dici, quod non tota hæc regula se extendit ad syllogismos negatiuos: & ideo non potest ostendi conuersa minoris, nec licet hic vti transpositione negatiuæ in affirmatiuam, sicut factum est in syllogismo circulari: quod enim talis fit transpositio in syllogismo circulari, hoc fuit propter naturam circulationis, in qua non licet aliquem terminum extra accipere: & ideò manet vera affirmatiua inquantum transponitur negatiua, sicut & ipsa negatiua vera est: hic autem non contingit vti tali transpositione: quia nihil ostenditur hic respiciendo ad naturam circulationis nisi per accidens: non enim ostenduntur hic conuersæ propositionum per conuersam conclusionis; ideo quod debeat fieri circulatio, sed ideo quia per talem conuersionem debeat ostendi terminorum conuersio. Et hæc dicta sint de regula prima.

CAPVT II.

De secunda regula siue consequentia, & tertia, & quarta, & quinta.

RVrsum autem in talibus terminorum conuersionibus secunda regula consequentiæ est hæc, quod si a. & b. conuertantur, & c. & d. conuertantur: & vniuersaliter vnum sequatur, & antecedat ad alterum: & omni ei quod est, necesse sit a. vel c. inesse, & nulli vni possint ambo inesse: tunc regulariter verum est, quod b. & d. similiter se habebunt, ita quod omni ei quod est, alterum insit, & nulli vni insint ambo, sicut est in oppositis per affirmationem & negationem: quorum alterum inest omni ei quod est, & nulli vni insunt ambo. Hoc enim sic ostenditur: quoniam enim verum est generaliter, quòd cui conuenit a. illi conuenit esse b. cum dictum sit, quod a. & b. conuertuntur, cui conuenit esse c. illi conuenit esse d. cum datum sit c. & d. conuerti: omni autem quod est, conuenit esse a. vel c. & nulli vni simul: hoc enim datum est in hypothesi, sequitur quod & b. aut d. conuenit omni & nulli simul. Huius autem exemplum est, vt si ingenitum esse & incorruptibile esse conuertantur, ita quod omne ingenitum est incorruptibile, & omne incorruptibile est ingenitum: tunc necesse est, quod & factum & corruptibile conuertantur: & omne factum erit corruptibile, & omne corruptibile factum, sicut hac propositione vtitur Plato in prima parte Tymæi: & ideo si ingenitum sit a. & incorruptibile sit b. & factum sit c. corruptibile sit d. tunc enim omne quod est, vel est ingenitum, vel factum, & nihil vnum est factum & ingenitum: & omne quod est, aut incorruptibile, vel corruptibile, & nihil vnum est corruptibile & incorruptibile. Ad hoc enim probandum duo syllogismi sunt constituti. Prima enim pars consequentiæ ostenditur syllogismo vno, & secunda pars eiusdem consequentiæ ostenditur syllogismo secundo. Prima enim pars ostenditur sic, omne quod est a. vel c. est b. vel d. sed omne quod est, est a. vel c. ergo omne quod est, est b. vel d. Alia autem pars eiusdem consequentiæ ostenditur alio syllogismo, sic, quicquid est b. vel d. est a. vel c. sed nihil idem est c. & a. ergo nihil idem est b. & d. Præmissæ autem manifestæ sunt: quia ex hypothesi sumuntur. Et sic patet, quòd tenet vniuersaliter regula & consequentia prædicta.

Rursum si a. & b. conuertantur.

Tertia quasi conuersa est præcedentis, & est hæc. Si omni ei quod est, inest a. vel b. & similiter c. vel d. simul autem nulli insunt a. & b. & c. & d. si conuertitur a. cum c. ita quod omne a. est c. & è conuerso omne c. a. oportet, quòd & b. & d. conuertantur, ita quòd omne b. sit d. & omne d. b. Huius autem probatio est per impossibile, sic. Si enim b. & d. non conuertuntur: tunc vnum eorum erit

Rursum si omni quidem a. vel b. &c.

esse in plus quam reliquum. Dicatur ergo d. de pluribus quam b. ergo alicui non inest b. cui inest d. sicut alicui non inest homo cui inest animal. Si autem b. illi non inest: tunc illi cui non inest b. illi inerit a. quia a. & b. sunt de omni & de nullo simul. Si autem a. inest illi: tunc illi eidem inest c. quia dictum est, quòd c. & d. conuertuntur: ergo alicui simul conuenit esse & c. & d. Hoc autem est impossibile: quia est contra hypothesim. Dictum est enim, quod c. & d. sunt de omni & de nullo simul. Hoc autem planum est in terminis superius inductis, si a. sit ingenitum, & b. incorruptibile, c. autem factum, & d. sit corruptibile.

Quando autem a. omni inest b & c. &c.

Quarta consequentiæ regula hæc est, quod quando a. prædicatum omni inest b. & c. subiectis, ita quod a. vniuersaliter prædicatur de his duobus subiectis, quæ sunt b. & c. & de solis illis, ita quod de nullo altero prædicatur: si vnum subiectorum illorum de altero prædicatur vniuersaliter, ita quod b. subiectum inest omni c. tunc necesse est etiam a. prædicatum conuerti cum b. Huius autem probatio est hæc. Constat enim ex hypothesi, quòd de solis b. c. subiectis dicitur a. prædicatum. Constat autem, quòd b. subiectum prædicatur de seipso: quia b. est b. Datum est etiam, quòd b. prædicatur de c. Prædicatur ergo de b. & c. & de solis illis prædicatur a. ergo b. prædicatur de eisdem & solis de quibus prædicatur a. ergo oportet, quòd conuertantur: quia de eisdem & de solis illis ambo prædicantur. Manifestum est enim ex prædictis, quòd de quibus a. prædicatur omnibus & solis, de omnibus & solis prædicatur b.

Rursum quando a. & b. toti c. &c.

Quinta regula consequentiæ est, quòd quando a. & b. prædicata toti c. subiecto insunt, ita quod de c. vniuersaliter ambo prædicantur: & si conuertitur c. cum b. tunc necesse est a. primum prædicatum omni b. inesse & vniuersaliter prædicari de ipso. Hoc autem probatur per syllogismum qui est in primo primæ figuræ: quoniam enim omni c. inest a. & c. inest omni b. sequitur, quòd necesse est a. omni b. inesse. Sic autem formatur syllogismus, omne c. est a. omne b. c. quia conuertuntur: ergo omne b. est a.

Ad quid sint vtiles quinque regulæ consequentiarum primo positæ.

Istæ autem quinque regulæ consequentiarum sic accipiendæ sunt, quòd primæ tres, ideò ponuntur, quia vtiles sunt ad conuersionem terminorum pertinentium, & ad reductionem orationum simpliciter, & ad reductionem pertinentium. Duæ autem, scilicet quarta & quinta, pertinent ad reductionem quarundam orationum specialium. Primarum autem trium prima datur ad euidentiam reductionis quæ fit in oratione vna syllogizata in aliam syllogizatam. Aliæ autem duæ (secunda scilicet & tertia) dantur propter euidentiam orationis non syllogizatæ, sed syllogizandæ. Sed oratio syllogizanda vel est affirmatiua, vel negatiua. Et secunda quidem regula datur propter conuersionem terminorum orationis negatiuæ syllogizandæ, & per consequens propter reductionem eius. Tertia verò datur propter conuersionem terminorum orationis negatiuæ syllogizandæ, & per consequens per reductionem eiusdem. Hæc autem ex hoc manifesta sunt: quia secunda regula concludit terminorum oppositionem, tertia verò concludit terminorum conuertibilitatem, quarta verò & quinta positæ sunt propter quasdam speciales argumentationes reducendas. Quarta enim propter enthymema & propter ordinationem signi & prodigij in syllogismum. Quinta autem ponitur propter inductionem & reductionem eius in syllogismum.

Obiectio. Si autem aliquis obiiciat, quòd secundum hoc deberet aliqua esse regula docens reductionem exempli & deductionis & instantiæ, *Solutio.* vel dicatur quare istæ non dantur. Et dicendum ad hoc, quòd instantia & deductio verè syllogizatæ sunt, & ideò non indigent reductione in syllogismum, sicut indigent enthymema & inductio. Exemplum autem non est reducibile in syllogismum, quia constat ex quatuor terminis: nec etiam reducibile est in syllogismos, quia de se necessarij sunt, sicut patebit in sequentibus: & ideò non dantur regulæ docentes reductionem deductionis exempli & instantiæ, sicut dantur regulæ inductionis & enthymematis. Ex his igitur patet, qualiter sumuntur inductæ regulæ, & ad quid sunt hîc necessariæ, licet quædam talium ante in syllogismo circulari videantur esse determinata.

CAPVT III.

De sexta regula docente consequentiam eligendorum.

Quando autem duo fuerint opposita, fiat a. & b. ita quod a. sit eligendum & b. fugiendum. Similiter alia duo sint opposita, scilicet c. & d. sit eligendum, & c. fugiendum. Adhuc detur, quòd magis eligenda sint a. c. coniuncta quam b. d. si tali positione facta magis eligenda sint a. c. coniuncta quam b. d. coniuncta, sequitur quòd a. magis est eligendum per se solum quam d. Hoc autem probatur per ad impossibile deductionem: detur enim, quòd a. non est magis eligendum quam d. hoc autem ex duabus potest esse causis, scilicet vel ex hoc quod æqualiter eligenda sunt a. & d. vel quia a. minus eligendum quam d. Siquidem æqualiter sint eligenda a. & d. sed iam datum est in hypothesi, quod similiter siue æqualiter eligendum est a. siue sequendum, sicut b. fugiendum: hæc enim dicta sunt esse opposita: & c. & d. similiter dicta sunt esse opposita: quia & hæc quæ sunt c. d. opponuntur, sicut a. & b. Si ergo detur, quòd a. ei quod est d. similiter est eligendum: & ei quod est c. dicatur similiter fugiendum esse b. ita quod c. & b. æqualiter fugienda sint: datum est enim, quòd vtrumque, scilicet a. & d. & c. & b. vtrique suorum oppositorum, similiter est siue æqualiter fugiendum & sequendum siue eligendum: propter quod relinquitur, quòd etiam coniuncta ambo simul a. scilicet

Quando autem duo fuerint opposita, &c.

a.scilicet cum b.& b.cum d. sint æqualiter eligenda vel fugienda: magis enim eligendo magis fugiendum opponitur,& æqualiter eligendo opponitur æqualiter fugiendum, & minus eligendo minus fugiendum : cum ergo c. & b. sint fugienda,sequitur quòd aggregatum ex a. & c.erit similiter eligendum,sicut aggregatum ex b.& d. cuius oppositum datum est in hypothesi quæ dixit coniunctum ex a. & c. magis esse eligendum , quam coniunctum ex b. & d. quando enim datum est , quòd magis aliquid alicui eligendum est : tunc non est possibile, quòd similiter eligendum sit illi. Si enim a.similiter sit eligendum sicut d. & a. c. similiter erunt eligenda , sequitur quod etiam b. d. similiter erunt eligenda sicut a. c. quod est contra hypothesim.

Si autem d. magis eligendum, quam a.&c.

Si autem detur secundum , quod scilicet ideò non sequitur quod a. c. sit magis eligendum,quam c. d. ideò,quia d. est magis eligendum quam a.tunc sequitur, quòd b. sit minus fugiendum quam c. quia magis eligendo magis fugiendum opponitur , & minus eligendo minus fugiendum,& æqualiter eligendo æqualiter fugiendum : & ita quod minus est eligendum , minus fugiendo opponitur : constat autem , quòd magis eligendum est magis bonum & minus malum coniuncta, quam minus bonum & magis malum coniuncta: vniuersum igitur b. d. coniunctum magis erit eligendum, quam vniuersum a. c. ex ambobus coiunctum. Nunc autem non est sic: quia hoc est contra hypothesim quæ dixit a. c. magis esse eligendum. Si autem hoc est impossibile : tunc sequitur conclusio prima,quòd scilicet a. sit magis eligendum quam d.& quod c.minus sit fugiendum quam b.

Si ergo eligat omnis amans,&c.

Hoc autem patet in exemplo determinato: sit enim a. velle concedere. b. autem sit nolle concedere. d. autem sit concedere secundum actum. c. autem sit non concedere : ita quod concedere sit agere secundum amorem , velle autem concedere sit de hoc habere voluntatem agendi secundum amorem sine actu, & d. sit agere sine voluntate. c. autem non concedere sive non agere secundum amorem, & tamen agendi habere voluntatem. Si ergo magis est expetendum ab amico vt amicus velit agere , quamuis non agat , quam nolle agere cum tamen agat, patet quòd magis est eligenda bona voluntas sine actione,quam actio sine bona voluntate. Ad terminos autem transcendentes hoc reducitur sic. Si enim eligat omnis amans ab amico secundum amorem sic se habere , vt concedere velit quamuis non agat: non concedere autem sit in quo c. concedere autem sit in quo d.& non talem esse vt secundum amorem concedere velit, sit in quo est b. tunc enim manifestum est ex dictis , quoniam a. quod est huiusmodi , vt contedere velit secundum amorem , magis est eligendum quam d,quod est concedere & non velle.

Magis eligenda est bona voluntas sine actione quam actio sine bona voluntate.

Ex hoc vlterius inferrur,quod diligere(quod est secundum amorem velle bonum) magis est eligendum , quam coitus qui est agere secundum amorem actione corporali.Et vlterius patet,quòd amor magis est dilectionis sicut finis, quam coitus sit finis amoris. Si autem maximè est huius sicut finis : tunc sequitur , quòd dilectio finis est amicitiæ & non coire. Et vlterius concluditur , quòd huius quod est coire, aut omnino non est amor amicitiæ sicut finis: aut si est eius quod est coire,tunc est eius sicut gratia alterius quod est causa diligendi : quia ex coitu dilectio inducitur. Nam & aliæ concupiscentiæ & artes sic sunt , quod sunt propter vltimum & optimum sicut propter finem.

Ergo diligere magis quam coitus, &c.

Ex dictis igitur manifestum est , quomodo se habent & habere debent termini secundum conuersionem. Et adhuc vlterius manifestum est quomodo se habent in consequentiis ipso quod magis fugiendi vel magis eligendi sunt. Attendendum autem est hîc , quod quamuis ista scientia generalis sit rectificans in omnibus : tamen quia in moribus eligenda & fugienda non omnino sequuntur regulas vniuersales,vt dicit Aristot. in ethicis, ideò oportuit hic aliquid addere communi arti , quod non est necesse in physicis , mathematicis, vel metaphysicis , quæ generales sequuntur regulas.

Quomodo ergo se habent termini,&c.

Adhuc tamen potest opponi contra hoc quod dictum est, quod scilicet magis eligendo opponitur magis fugiendum , & æquè eligendo æquè fugiendum,& minus eligendo minus fugiendum. Hoc enim instantiam habere viderur : quia bene viuere,magis est eligendum quam viuere : & tamen non bene viuere , non est magis fugiendum quam non viuere. Adhuc esse perfectè bonum , magis eligendum est quam esse bonum : & tamen esse imperfectè bonum , minus est fugiendum quam non esse bonum. Sed ad hæc & similia dicendum est, quòd ea quæ dicta sunt , intelliguntur de his vbi vnum eligendorum non est in altero , nec est pars alterius,sicut se habent virtus & scientia : cum enim virtus magis sit eligenda quam scientia ; vitium magis est fugiendum quam ignorantia.

Obiectio

Solutio.

Nota glosam circa illud dictum,magis eligendo opponitur magis fugiendum,&c.

CAPVT IV.

De reductione inductionis in syllogismum.

His autem sic habitis , de reductione aliarum argumentationum in syllogismum dicendum est : quoniam autem non solum dialectici & demonstratiui syllogismi fiunt per prædictas figuras , sed etiam rhetorici qui imperfectas habent argumentationes , fiunt per prædictas figuras, & simpliciter sive vniuersaliter quæcunque fides fit secundum quamcunque argumentationem secundum vnamquamque artem , illæ argumentationes reductæ in syllogismum secundum dictas fiunt figuras : & hoc quidem nunc deinceps dicemus. Primum autem de inductione : quia plus inter alias habet de forma argumentationis. Omnia autem credimus fidem accipiendo , aut per syllogismum , aut per inductionem : sub his enim duobus comprehenditur exemplum & enthymema.

Quoniam autem non solum dialectici, &c.

Inductio plus habet de forma argumẽtationis, quã rhetorica argumentationes.

Diffiniamus enim primò inductionem dicentes, quòd inductio & syllogismus qui est ex inductione,est alterum extremum de medio per alteram siue tertiam extremitatem syllogizare. Dico autem tertium : quia tria sunt primum & medium & tertium : & syllogizatur in syllogismo inductiuo primum de medio per tertium. Cuius exemplum in terminis transcendentibus est , vt istorum extremorum quæ sunt a.c.medium sit b. tunc per c. ostendere a.inesse b.est inductiuus syllogismus: sic enim facimus inductiones sive syllogismos inductiuos. Hoc autem patet in terminis materialibus,sic. Sit enim a.(quod est primum) esse longæuum : id autem in quo b. sit choleram non habere : id autem in quo c. sit singulare longæuum , vt homo, & equus , & mulus , & singula huiusmodi : & sic primum est longæuum,medium autem erit non habens choleram , tertium autem singularia non habentia choleram. Patet igitur , quòd primum inest tertio : quia singulare non habens choleram,est non habens choleram : & cum omne non habens choleram,conuertatur cum singularibus non habentibus choleram , patet quòd omne longæuum dicetur de non habente choleram : & erit tunc sic formandus syllogismus, omne quod est equus, vel mulus, vel homo,& sic de aliis , est longæuum : sed omne non habens choleram , est equus, & mulus, & homo, & sic de aliis : ergo omne non habens choleram est longæuum. Tori enim c. secundum hanc positionem inest a.omne enim quod sine cholera est , longæuum est : sed b. (quod est non habere choleram)omni inest c.Hoc autem ostenditur per coniunctam in antecedenti capitulo datam regulam : quia si tam primum quam medium dicatur de tertio , & medium & tertium conuertantur , necesse est primum vel vltimum dici de medio : quia ostensum est , quòd si duo prædicata dicantur de aliquo subiecto, & vnum prædicatorum illorum conuertatur cum illo : tunc reliquum de illo dicetur vniuersaliter quod cum subiecto conuertitur ; ostensum est enim prius in antecedenti capitulo , quoniam si duo aliqua prædicata eidem subiecto insunt , & ad alterum illorum conuertatur subiectum quod est extremum in syllogismo : quoniam ei quod conuertitur , etiam alterum inerit vniuersaliter prædicatum.

Oportet autem intelligere c. ex omnibus, &c.

Intelligendum est enim esse terminum c. scilicet ex omnibus singularibus ipsius medij aggregatum sive compositum : eò quod inductio est per omnia singularia nullo omisso. Differentia autem inductionis ad syllogismum (quoad conclusiones ipsorum) est hæc , quòd inductio est syllogismus propositionis primæ & immediatæ. Syllogismus autem est quoad conclusionem propositionis mediatæ : propositionum enim quarum est medium, syllogismus est talium propositionum per medium illud quod habent:quarum autem propositionum non est medium , sicut principiorum, est fides per inductionem. Quo autem ad præmissas differentia est inter inductionem & syllogismum , quòd inductio quodammodo opponitur syllogismo : nam syllogismus quidem per medium ostendit extremum sive primum tertio inesse. Inductio verò ostendit per tertium primum extremum inesse medio.Ergo ex hoc vlterius concluditur, quòd syllogismus est per medium , quod est natura prius & euidentius secundum rei naturam. Inductio autem sive inductiuus syllogismus est per nobis manifestius & euidentius.

Quomodo differt inductio à syllogismo.

Inductio est ad propositiones immediatas, vt colligitur hic & primo physic. text. 2. syllogismus autem est ad mediatas.

Attendendum autem est hîc, quòd hîc determinatur de inductione prout communiter se habet ad dialecticum & demonstratorem,in topicis autem prout se habet ad dialecticum tantum. Et quia inductio nullam habet necessitatem nisi à syllogismo , idcò non habet specialem artem in qua determinetur de ipsa sicut habet syllogismus : non enim oportet specialem artem tradere de inductione , quia ex diffinitione ipsius assignata & exposita satis patet qualiter fieri debeat inductio.

Quare inductio non habet specialem artẽ in qua determinatur de ipsa.

Si autem quæritur , quomodo inductio reducitur in syllogismum , cum inductio & syllogismus habeant oppositionem ? Dicendum, quòd inductio in syllogismum reducitur materialiter & non formaliter,ita quod forma inductionis reducatur in formam syllogismi : sed quia materia nunc existens sub forma inductionis reducitur ad acceptionem formæ syllogisticæ. Syllogismo enim communiter dicto non opponitur inductio : quinimo sic sumẽndo syllogismum est verum dicere , quòd inductio est syllogismus , sed syllogismo propriè dicto opponitur inductio. Quamuis autem inductio reducatur in syllogismum primi modi primæ figuræ , qui perfectissimus est omnium syllogismorum,& sit syllogismus immediatæ propositionis , sicut dictum est : tamen non reducitur nisi in syllogismum communiter & non propriè dictum : syllogismus enim primi modi primæ figuræ perfectissimus & nobilissimus est quantum ad modum:non tamen semper saluatur natura & ratio syllogismi propriè dicti : & ideò cum inductio reducitur in ipsum , non saluatur in eo natura syllogismi propriè dicti secundum modum , hoc est , secundum quod est ostendere in ipso primum de medio per tertium : quod proprium est inductionis. Nec sequitur,si est syllogismus immediatæ propositionis , quòd sit syllogismus simpliciter : quia omnis syllogismus propriè dictus est syllogismus mediatæ propositionis; quia ostendit per medium,cum inductio ostendat per extremum.

Quomodo inductio reducitur in syllogismum, & quomodo non.

Dubitatio.

Si autem quæritur , qualiter sint sumenda singularia cum inductio reducitur in syllogismum, verum scilicet vel sub disiunctione , vel copulatione ? Dicendum,quòd sub disiunctione sunt sumenda, sic, omne quod est iste vel ille, & sic de singulis,est animal : omnis homo est iste vel ille , & sic de singulis : ergo omnis homo est animal. Et similiter debet accipi inductio in negatiua vniuersali. Cuius ratio est: quia eodem modo debent sumi singularia quo ipsa ordinantur sub medio : sed sub medio ordinata sunt sub disiunctione.& non sub copulatione. Alia autem ratio est : quia collectum ex omnibus debet prædicari in oratione inducti syllogismi : eo ergo modo debet vnum esse quo totum vniuersale est prædicabile : totum autem vniuersale est prædicabile de multis

Solutio.

Quare singularia sumi debeant sub disiunctione cum inductio reducitur in syllogismum.

tis sub disiunctione collectis: propter quod etiam singularia sub disiunctione debent ordinari.

Sciendum etiam, quòd inductio cum concludat vniuersalem oppositionem, non potest reduci in tertiam figuram: sed omnis inductio affirmatiua reducitur in primum primæ figuræ, & omnis inductio negatiua reducitur primò in secundum primæ. Sed deinde potest transferri ad secundam figuram per conuersionem maioris, sicut in antehabitis dictum est. Adhuc autem quamuis singularia sint infinitæ multitudinis, vt dicit Plato: tamen ad inductionem perfectam oportet in summa inducere, non quod omnia sigillatim numerentur, sed vt breuiter collecta insinuentur, dicendo, & sic de singulis, vel sic de aliis. Ad inductionem autem probabilem sufficit de pluribus inductio, dummodo non videatur instantia, sicut dicitur in topicis. Tantum ergo dictum sit de inductione.

Quomodo omnia singularia sumuntur in inductione sub illo debito medio.

CAPVT V.

De exemplo, quid sit & qualiter se habeat ad syllogismum & ad inductionem.

CVm exemplum annexum sit inductioni, eò quod ex multis exemplariter acceptis fit inductio, post inductionem determinandum est de exemplo, quid sit in genere argumentationis, & qualiter se habeat ad syllogismum & ad inductionem.

Exemplum autem est quando, &c.

Dicimus igitur, quòd exemplum est argumentatio, quando siue in qua medium extremo inesse ostenditur per id quod est simile tertio: & sic exemplum quatuor terminos habere necesse est. Oportet autem in exemplo sumi, quod primum insit tertio per medium, & quod primum sit simile tertio, hoc est, primum inesse tertio per simile tertio, & quod hoc simile sit euidentius. Et hoc ostenditur facilius in terminis sic, vt primum sit malum in quo sit a. b. autem sit contra conciues inferre bellum: & hoc autem in quo est c. sit Athenienses pugnare contra Thebanos: in quo vero d. sit pugnare Thebanos contra Phocenses. Si ergo volumus ostendere, quoniam Thebanis, hoc est, contra Thebanos pugnare malum est Athenienses, quod est ostendere primum de tertio per medium: & ideò sumendum est medium, id scilicet, quoniam contra confines pugnare malum est. Et si volumus ostendere primum de medio, hoc ostendemus per simile vel similia tertio: quia huius quod est primum inesse (quod prius ad medium sumptum est quando primum de tertio concludebatur) fides fit & efficitur ex simili vel similibus notis & notioribus, quam notum sit primum inesse tertio, vt verbi gratia, quoniam Thebanis contra Phocenses confines suos pugnare malum fuit, & quòd euidens sit & notum. Sic ergo argumentandum est primum de tertio per medium concludendo sic, confines contra confines pugnare malum est: Athenienses pugnare contra Thebanos, est pugnare confines contra confines: ergo manifestum est malum esse Athenienses pugnare contra Thebanos. Manifestum est enim, quoniam b. (quod est contra confines pugnare) inest ipsi c. hoc est Athenienses contra Thebanos pugnare: quia hoc est contra confines pugnare: & idem etiam inest ipsi quod est d. quia Thebanos & Phocenses pugnare est confines contra confines pugnare: & ideo vtrumque istorum, & c. & d. est contra confines pugnare. Manifestum etiam est, quoniam a. (quod est malum) inest d. & est manifestius & euidentius, quam quod a. insit c. hoc est, quod primum inest quarto, quod est simile tertio, manifestius est, quam quod primum inest medio: quia quod a. inest b. (hoc est, primum medio) ostenditur per d. quod est simile tertio.

Similiter autem est siue eodem modo si per plura similia fides fit vel fiat medij ad extremum, quo scilicet probetur primum extremum inesse medio: quæ tamen omnia sint similia tertio. Et quamuis plura similia inducantur: non tamen omnia induci debent: quia sic esset inductio. Attendendum autem, quòd in exemplo secundum ea quæ dicta sunt, duæ sunt argumentationes: ostenditur enim primum de tertio per medium: & hoc fit per syllogismum. Secundo autem quasi in proargumentatione (quæ loco prosyllogismi est) ostenditur primum de medio per simile tertio: & in illa argumentatione trahitur fides ab exemplo in priori autem argumentatione fides trahitur à medio.

Eodem etiá modo & si per plura, &c.

Quomodo in exemplo sunt duæ argumentationes.

Siquis autem opponat, quòd non sic diffinit Boëtius exemplum in topicis suis, qui dicit, quòd exemplum est quando particulare ostenditur de particulari per particulare simile: particulare autem non potest esse medium, sicut ostensum est supra in his quæ de inuentione medij dicta sunt: & sic falsum videtur esse, quod dictum est de ostensione primi de tertio per medium, & ostensione primi de medio per simile tertio. Sed ad hoc dicendum, sicut dictum est prius ante, quod in hoc completur diffinitio exempli, quando primum ostenditur de medio per simile tertio: & in tali ostensione oportet euidentius esse, quod primum inest ei quod est simile tertio, quam quod primum inest tertio: & ideò exempli substantia consistit in comparatione primæ præmissæ ad vltimam conclusionem: & prima præmissa est particularis, & vltima conclusio similiter est particularis: præmissa enim est malum esse Athenienses pugnare contra Phocenses: & vltima conclusio est Athenienses pugnare contra Thebanos: hoc enim fuit probandum per exemplum: & ideò quod primum probatur de medio, non facit exemplum: sed quod primum de tertio per simile tertio, hoc facit exemplum: & ideò nihil est quod obiicitur de medio.

Obiectio

Solutio

Manifestum est igitur ex his, ex quo præmissa est particularis & vltima conclusio est particularis, quoniam id in quo completur exempli ratio, est sicut pars ad partem se habens. Probatur enim in eo particulare per particulare, & non habet se exemplum ad id per quod probatur, nec vt pars ad totum vniuersale,

Manifestum est autem, &c.

Ex quibus colligitur differentia inter exemplum & syllogismum

neque vt totum vniuersale ad partem, sicut est in syllogismis qui per dici de omni probantur: sed ita habet sicut pars ad partem, siue sicut particulare ad particulare, quando ambo duo particularia sunt sub eodem communi, sicut Athenienses pugnare Thebanis, & Thebanos pugnare Phocensibus, ambo sunt sub hoc medio quod est confines pugnare contra confines, & hoc esse malum: sed alterum istorum particularium euidens est: & ideo ex illo infertur primum. In hoc igitur exemplum differt à syllogismo. Vnde exemplum reducitur ad duos syllogismos, sicut in antehabitis istius capituli ostensum est.

Obiectio.

Si autem quis obiiciat, quòd tunc quando primum concluditur de medio, aut concluditur de medio vniuersaliter sumpto, aut de medio sumpto indefinitè. Si concluditur de medio vniuersaliter sumpto, fallacia consequentis erit in argumento, in quo primum de medio concluditur per simile tertio: quia vniuersale infertur ex particulari, quod non contingit: sed potius è conuerso particulare debet inferri ex vniuersali. Si autem concluditur primum de medio sumpto indefinitè: tunc non valet secundum argumentum: eò quod non habet vniuersalem propositionem, ex qua sola fit illatio syllogistica. Ad hoc autem dicendum, quòd primum ostenditur de medio vniuersaliter sumpto per simile tertio, sed non ex necessitate, sed potius ex præconfessione respondentis, scilicet si concedatur similiter esse in vno & in aliis, sic vt si Thebanis malum est pugnare contra Phocenses, quòd omnibus confinibus sit malum confines impugnare. Et sic cum reducitur in duos syllogismos, secundus de se habet necessitatem: primus autem qui prosyllogismus est vel loco prosyllogismi, probabilis est, non de se, sed ex præconfessione habet necessitatem. Primus enim probat primum de medio per simile tertio: & illo facto secundus probat propositum per medium iam probatum.

Solutio

Exemplum reducitur in duos syllogismos, quorum primus non habet necessitatem nisi ex præconfessione respondentis. secundus autem de se habet necessitatem.

Et differt ab inductione, &c.

Exemplum autem differt ab inductione in hoc, quod inductio ex omnibus indiuiduis inductis ostendebat extremum inesse medio, & ad extremum non copulabat syllogismum: ostendit enim inductio ostendendum primum de medio per omnia medij particularia, & non concludit primum de postremo. Exemplum autem concludit primum de tertio per medium, & non per omnia particularia, sed per aliquod vel aliqua. Vnde inductio ex omnibus indiuiduis extremum ostendebat inesse medio, & ad extremum non copulabat syllogismum: hoc autem quod est exemplum, & copulat ad extremum, & non ex omnibus singularibus, sed ex quodam vel quibusdam ostendit.

Quomodo exemplum reducitur in inductionem.

Reducitur autem exemplum ad inductionem in hoc, quòd multa exempla faciunt vnam inductionem, per hoc quod multa exempla multa concludunt particularia, ex quibus aggregatis fit vniuersale quod concluditur in inductione: & sic multa exempla faciunt vnam inductionem. Quamuis autem multa exempla faciant vnam inductionem, & inductio vna reducatur in syllogismum vnum: non tamen propter hoc exemplum reducitur in syllogismum vnum: quia exemplum eo modo quo in syllogismum reducitur, quatuor habet terminos, & ideo non potest reduci in syllogismum vnum. Eo autem modo quo multa exempla vnam faciunt inductionem, auferrur medium in eis, & remanent tres tantum termini, scilicet primum, & tertium, & simile tertio: sed multa tertia in vnum tertium aggregantur, & multa similia tertio aggregantur in vnum tertio simile. Et sic multa exempla eo modo quo faciunt vnam inductionem, in vnum reducuntur syllogismum immediatè. Tamen eo modo quo exemplum quatuor habet terminos, exemplum in vnum syllogismum reduci non potest. Hoc autem manifestum est, siquis conferat adinuicem vnius generis multa exempla.

Remouet dubium.

Quare exemplum non potest reduci in vnum syllogismum tantum.

Quomodo exemplum aliquo modo potest reduci in syllogismum vnum.

Notandum autem cum exemplum nullam secundum se faciat necessitatem, quòd principaliter nec pertinet ad dialecticum, nec ad demonstratorem, sed ad rhetorem: secundum tamen quod non ex se, sed ex præconfessione facit probabilitatem, potest referri ad dialecticum.

Quem do exemplum pertinet ad rhetorem, & quem do ad dialecticum.

CAPVT VI.

De deductione, quid & quot modis fiat.

DEductio autem (quia opponitur per aliquem modum inductioni) post hæc ordinanda: habet enim deductio medium magis notum secundum naturam conclusione, & propinquius scientiæ, quam inductio quæ secundum naturam rei habet minus notum & remotius à scientia secundum naturam: infert enim vniuersale ex singularibus, quæ secundum naturam minus nota sunt, & magis remota à scientia quam vniuersale.

Deductio autem est quando, &c.

Est igitur deductio, quando ipsi medio palam est inesse primum extremum siue maius extremum in maiori propositione, in qua maius extremum prædicatur de medio: sic enim se habentibus terminis, primo scilicet, & medio, propositio maior efficitur per se nota. Sed dubium est, an postremo quod est minor extremitas, insit medium in minori propositione, in qua medium prædicatur de minori extremitate secundum dispositionem primæ figuræ: & quamuis dubium sit hoc, tamen vel similiter vel æqualiter debet esse credibilis, aut etiam magis credibilis quam conclusio siue conclusione: tunc enim quia non est certa minor, perfectam scientiam facere non potest: & quia aliquid habet credulitatis aliquo modo dispositа in formam syllogismi, deducit & vicinat ad scientiam, quamuis non attingat perfectè vsque ad scientiam. Iste est igitur vnus & prior modus deductionis.

Amplius autem secundus modus deductionis est, si quidem minor mediata sit propositio, sicut & conclusio: tamen pauciora sunt media ad probandam minorem, quam ad probandam conclusionem: tunc enim omnino accidit minorem (eo quod pauciora habet media, quam conclusio) propinquiorem esse scien-

Amplius autem si pauciora, &c.

tiæ : quamuis enim medium sit causa scientiæ, tamen quod plura habet media, incertius est & longius à scientia, quam id quod pauciora, quia longinquius est à primis principiis perse notis & immediatis. Isti igitur duo modi sunt deductionis. Penes diuersitatem enim maioris deductio sumi non potest : quia in ipsa est tota virtus inferendi in syllogismo : & conclusio est pars ipsius : & ideo si ipsa esset dubia, nulla oratio ficret deductio ad scientiæ visinitatem.

Quod plura habet media, incertius est & longius à scientia, vt colligitur etiam primo posteriorum sext. com. 9.

Remouet dubium.

Vt si a. docibile, &c.

Explanatio autem primi modi deductionis est in terminis a.b.c. transcendentibus : qui tamen ad materiam determinantur in exemplo Platonis posito in libro qui dicitur Mennonis, vbi quæritur, vtrum virtus sit disciplinabile vel assuescibile bonum, vel donum à diis donatum ? Sit enim a. docibile, quod est maior extremitas. Id autem in quo est b. medium, sit disciplina. c. autem minor extremitas sit iustitia generalis, quæ est virtus in genere. Tali autem dispositione terminorum facta, manifestum est per se, quòd omnis disciplina docibilis est, & incrementum accipit experimento & doctrina. Quod autem iustitia generalis siue virtus sit disciplina (quamuis hoc dixit Socrates) dubium est. Si ergo in tali syllogismo similiter siue æqualiter vel magis credibilis sit propositio minor (quæ est b.c.) quam conclusio quæ est a. c. propositio : tunc talis syllogismus deductio vocatur. Cuius ratio est : quia propinquius est scientiæ : eò quod sic syllogizantes assumpserint a. c. conclusionem talem esse, cuius prius nullam habuerint disciplinam siue scientiam. b. c. autem propositionem sumpserunt quidem dubiam, sed non penitus ignoratam.

Obiectio.

Solutio.

Siquis autem obiiciat dicens, quòd vbi minor propositio est dubia, ibi peritur id quod est in principio. Dicendum, quod hoc non est verum vbi minor penitus sit ignorata. Adhuc autem cum minor sit dubia, si debeat esse petitio principij, oportet conuerti terminos maioris propositionis : hic autem non est sic. Sic ergo explanatus est modus primus deductionis : & arguitur sic in primo primæ, omnis disciplina docibilis : omnis virtus disciplina : ergo omnis virtus docibilis.

Aut rursum si pauciora, &c.

Aut rursus in modo secundo talis sit explanatio, & per terminos transcendentes, & per terminos in materia speciali sumptos. Secundus enim modus est, si pauciora sunt media ad hoc quod c. sit b. (quod dixit minor propositio) quam ad conclusionem : nam & sic minor est aliquid propinquius scientiæ, quam penitus ignorata conclusio : vt si d. sit quadrangulari vel quadrari, & sit maior extremitas. Id autem in quo est e. sit recta linea, quæ est medium. In quo autem est f. minor extremitas, sit circulus. Si ergo eius quæ est minor e. f. propositio, sit vnum solum medium, hoc scilicet, per lunares figuras siue portiones æquales sumere lineas curuas rectæ lineæ quæ est quadrati radix, & sic circulum æqualem fieri rectæ lineæ quadrati : ad conclusionem autem plura habeantur media, quam hoc quod dictum est : tunc iste est secundus modus deductionis : quia tunc iterum minor propinquior est scientiæ, quam conclusio : & syllogizatur sic, omnis linea recta quadratur per lunares figuras : per conum circuli est accipere lineas curuas lineis rectis æquales : ergo per lunares figuras contingit quadrari circulum.

Quando autem minor propositio quæ est b. c. neque credibilior est, neque æquè credibilis conclusioni, quæ est a.c. neque pauca siue pauciora media sunt ad minorem quam ad conclusionem : tunc non dico talem argumentationem esse deductionem : quia non conducit ad aliquid vel per aliquid propinquius scientiæ. Similiter etiam non dicitur deductio, quando immediata & per se nota est minor propositio sicut maior : talis enim syllogismus demonstratio est, & disciplina siue perfecta scientia est, quod est huiusmodi, & non est deductio in ipso, sed status & finis. Quamuis autem deductio secundum vtrumque modum dicta, in prima figura tantum hîc dispositi sit à nobis : potest tamen fieri in qualibet figura, dummodo caueatur, quòd illa quæ fiet maior (cum syllogismus secundæ vel tertiæ figuræ in primam figuram reducitur) semper sit per se nota & altera dubia, sed non ignorata.

Quãdo autem neque credibilius est, &c.

Deductio potest fieri in qualibet figura.

Deductio autem modus rationis est deficiens à demonstratione quando est in demonstratiuis, & deficiens à certitudine syllogistica quando est in probabilibus & dialecticis. Et hæc de deductione dicta sunt. Hic enim posita sunt ea quæ dicta sunt propter oppositionem quam habet ad inductionem : & non est vsus eius multum in scientiis vel artibus.

Quomodo deductio deficit à demõstratione, & quomodo à certitudine syllogistica.

Deductio non est multum in vsu in scientiis vel artibus.

CAPVT VII.

De instantia siue instantiuo syllogismo, quid sit & per quas fiat figuras.

POst hæc autem determinandum est de instantia siue de instantiuo syllogismo qui in aliquo opponitur exemplo : quia exemplum constat ex quatuor terminis, quorum quartus similis est tertio. Similiter in instantiuo syllogismo sunt quatuor ad minus secundum rationem, quorum tertius & quartus habent rationem oppositionis. Vnus enim sub affirmatione sumitur, & alter sub negatione : sunt tamen idem tertius & quartus, circumscribendo affirmationem & negationem : & ideò cum iam determinatum sit de exemplo, nunc hîc determinandum est de instantia.

Quære hic determinandum de instantia.

Attendendum autem, quòd instantia dicitur duobus modis. Vno enim modo dicitur instantia propositio instans absolutè considerata. Alio modo ipsa ratio (per quam probatur talis propositio & concluditur) dicitur instantia. Et considerabimus hîc de instantia communiter ad vtrumque modum dicta. Et cum dicitur, quòd instantia est propositio, non intelligitur, quòd sit propositio absolutè considerata, sed etiam quod sit propositio concluſa secundum eius ordinationem ad sua principia, ita quod nomen propositionis quodammodo pro altero dicat positionem, & importet totam substantiam rationis & syllogismi instantiui,

Quomodo instantia dicitur dupliciter & de qua hic habentur sermo.

Remouet dubium.

stantiui, & ita in nomine propositionis comprehenditur instantia vtroque modo dicta. Hoc igitur modo determinantes de instantia (hoc enim modo dicta instantia substantialiter non differt ab elencho, sed secundum rationẽ tantum : elenchus enim est secundum quod syllogizat oppositum respondentis, instantia autem secundum quod syllogizat oppositum prius conclusæ propositionis.) Dicamus igitur, quòd instantia siue instantiuus syllogismus est propositio propositioni contraria, ita quòd per contrariam intelligantur verè conaturia & opposita per contradictionem.

Quomodo instantia differat ab elencho syllogismõ solum ratione.

Instantia enim est propositio, &c.

Differt autem instantia à propositione in hoc, quoniam contingit instantiam aliquando in parte siue particularem, propositionem autem aut omnino non contingit esse particularem cui fertur instantia, vt in demonstratiuis, vbi omnes propositiones necessariæ sunt & vniuersales : aut etiam in illis quæ verè sunt propositiones quasi pro altero positæ : quia in illis est tota vis illationis : & illæ sunt vniuersales, aut etiam in vniuersalibus syllogismis ad quos omnes alij syllogismi reducuntur : talium enim syllogismorum verè sunt propositiones secundum rationem propositionum dictæ : tali enim vniuersali propositioni soli verè fit instantia : quia omnis instantia proprie est contra vniuersalem.

Igitur autẽ instantia duobus modis, &c.

Fertur autem instantia contra propositionem prædicto modo acceptam per duos modos propositionum, & per duas figuras, si instantia sit contra propositum syllogizata propositio. Dico autem duobus modis fieri instantiam quantum ad quantitatem duplicem propositionis instantis : est enim omnis instantiua propositio, aut vniuersalis, aut particularis. Dico autem ex duabus figuris : quia instantiæ opposito modo feruntur propositioni illi quæ verè est propositio : & illa est, sine qua non est syllogismus vniuersalis, scilicet affirmatiua : opposita autem tali propositioni, non concluditur nisi in prima & tertia figura tantum, sicut patebit per sequentia. Quod autem per primam fiat instantia, patet ex hoc : quia si aduersarius concludat omni inesse minori extremitati maiorem : tunc instamus dicentes contrariam, quoniam nulli ineſt : aut ferentes contradictoriam dicentes, quoniam alicui non ineſt. Horum autem duorum per quæ instamus, nulli quidem minori maiorem extremitatem ineſſe concludimus per primam figuram in secundo primæ : alicui autem non ineſſe eidẽ subiecto quod est, concludimus per tertiam.

Vt si sit a. vnam esse disciplinã, &c.

Ostendamus igitur quomodo fertur instantia per primam & tertiam figuras dictas. Dicamus igitur gratia exempli quomodo fertur instantia contra propositionem affirmatiuam : si enim a. maior extremitas sit vnam esse disciplinam. b. autem medium sit sic contraria, de quo prædicatur a. quia contrariorum est vna disciplina : proposito ergo vnam esse contrariorum disciplinam, ita quod omne b. sit a. illi qui instant, aut sic instant, quod ferunt huius contrariam : dicunt enim quoniam omninò (hoc est, vniuersaliter) dicentes, quoniam omninò, hoc est, nullorum oppositorum est eadem disciplina : accipietur commune supra subiectum propositionis cui instant, sicut opposita sunt super contraria : quia omnia contraria sunt opposita, sed non conuertitur : propter quod tunc fit in prima figura in syllogismo instantia, sic, nullorum oppositorum est eadẽ disciplina : omnia contraria sunt opposita : ergo nullorum contrariorum est eadem disciplina. Sic enim fit prima figura in secundo primæ.

Aut quoniã noti vel ignoti, &c.

Aut instant concludendo particularem cõtradictoriè oppositam, sumendo particularem minorem sub subiecto propositionis, cui instatur, sicut si sub contrariis sumatur notum & ignotum, & ista sint sumpta pro contrariis sic, noti & ignoti non est eadem disciplina : sed notum & ignotum sunt contraria : ergo aliquorum contrariorum non est eadem disciplina. Hic enim est syllogismus in secundo tertiæ : nam de c. (quod est minor extremitas, & stat pro noto & ignoto) verum est prædicari contraria ipsa esse : sed non est verum prædicari de illo c. stante pro noto & ignoto vnam esse disciplinam : quia sic vna scientia sciretur & notum & ignotum.

Rursum in priuatiua propositione, &c.

Rursum in priuatiua propositione vniuersali contingit instare similiter per duas propositiones & per duas figuras. Probante enim aliquo & proponente nullorum contrariorum esse vnam disciplinam, instamus dicentes : aut quoniam omnium oppositorum est vna disciplina, sumentes medium supra subiectum propositionis cui instamus, & sub prædicato ipsius sic arguentes, omnium oppositorum est vna disciplina : omnia contraria sunt opposita : ergo omnium contrariorum est vna disciplina. Et est syllogismus in primo primæ : aut ferimus instantiam sumentes medium sub subiecto propositionis cui ferimus instantiam sic dicendo, quod aliquorum contrariorum est eadem disciplina, sic, sani & ægri est eadem disciplina : sanum & ægrum sunt aliqua contraria : ergo aliquorum contrariorum est eadem disciplina. Et est syllogismus in quarto tertiæ. Patet igitur, quòd instantia quæ fit vniuersaliter dicendo omnium contrariorum esse vnam disciplinam, fit ex prima figura. Illa autem quæ fit particulariter per hoc quod aliquorum non est vna disciplina, illa fit per tertiam figuram.

Simpliciter autem in omnibus, &c.

Si enim aliquis sit instans simpliciter in omnibus, necesse est dicere contradictionem, hoc est, contradicentem siue contrarietatem instantiam dicere simpliciter in omnibus sumendo medium supra subiectum propositionis cui instat. Verbi gratia, si aliquis probet vnam esse disciplinam contrariorum, instans accipiat omnium oppositorum vnam esse vel non esse disciplinam : tunc enim quia supra subiectum accipit medium, & sub prædicato, necesse est primam fieri figuram : quia medium enim sic acceptum vniuersale sit ad hoc quod est à principio subiectum propositionis cõtra quam fertur instantia.

Particulariter autem ad hoc, &c.

Particulariter autem volens instare, sumere debet sub subiecto propositionis (cui instandum est) aliquid cui illud vniuersale subiectum ineſt, vt sic accipiat sub contrariis quorum dicitur esse vna disciplina, noti & ignoti vnam non esse disciplinam : contraria enim

sunt vniuersale ad hoc quod est notum esse & ignotum: & hoc modo figura sit tertia: quia medium erit particulariter sub subiecto vniuersali sumptum, sicut notum & ignotum particulare, est sumptum sub contrariis quod est vniuersale: nam ex his ex quibus est syllogizare contrarium dicto respondentis siue oppositum, ex his eisdem, conabimur instantias adducere per syllogismum. Propter quod ex his solis figuris (prima scilicet & tertia) fermus instatias. In solis enim his duabus figuris fiunt syllogismi oppositi hoc est, oppositorum contrarie vel contradictorie: eo quod propriè instantia non fertur nisi contra vniuersalem propositionem: per medium enim figuram non contingit affirmare, hoc est, affirmatiuè concludere: & sic per eam non contingit instare negatiuæ propositioni. Euidenter ergo non contingit instare per secundam figuram, ita quod non indigeat instans alia oratione nisi syllogizata.

Amplius autem & si oratione indigeat, &c.

Amplius contingit quidem instare per mediam figuram: & si in instans plurima præter instantiam syllogizatam indigeat oratione. Vt gratia exempli si aliquis non concedat a. inesse b. & velit instare per secundam figuram, accipiens c. esse medium, & dicat (instans ad hanc, omne b. est a.) quod a. non inest b. eò quod a. non sequitur c. in syllogizans in primo secundæ, nullum a. est c. omne b. est c. ergo nullum b. est a. Maior enim in hoc syllogismo non euidenter opponitur propositioni cui fit instantia, sed eius conuersa: oportet autem in instantia sumi propositionem euidenter oppositam. Hoc autem (quod maior hic opponatur) manifestare oportet per alias propositiones, sicut per conuersionem, & huiusmodi: & ita quamuis instantia per secundam figuram fiat, tamen nō fit per ipsam instantia euidens, & nullo alio indigens: non enim oportet instantiam ad alia conuerti, sed statim quando concluſa est manifestam per syllogismum habere propositionem sine alio aliquo proposito instantem. Et quia secunda figura affirmatiuè non concludit: a signo autem non trahitur argumentum nisi affirmatiuè: ideirco a signo non syllogizatur in secunda figura: & signum in ea (a quo arguatur) non est.

In secunda figura licet fiat quandoque instantia: non tamen ita euidenter vt in prima & tertia.

Perspiciendum autem & de aliis, &c.

Quamuis autem instantia secundum potissimam sui rationem fiat per primam vel tertiam figuram, vt dictum est: tamen (quia dicitur etiam instantia secundum extensionem & elargationem nominis aliquando in syllogismo ex hypothesi quando contradicitur hypothesi) perspiciendum est diligenter & distinguēdum etiam de aliis instantiis communiter & non propriè dictis, vt de his quæ sunt sumptæ ex contrariis vel ex simili vel ex opinione (hoc est, ex auctoritate alicuius Philosophi hoc dicentis) perspiciendum etiam est si est sumere instantiam particularem communiter & non propriè dictam ex prima figura, & si est sumere priuatiuam instantiam ex media figura: hæc enim erit communiter & non propriè dicta instantia & euidens instantia.

Horum autem exempla sunt per locum ab oppositis, vt si quis dicat, quòd omne gaudium est bonum: & inferatur ex hoc manifestè falsum, quod omnis tristitia est malaimultæ enim tristitiæ bonæ sunt: ergo non omne gaudium bonum. Per locum autem à simili, vt si quis dicat, quod punctus est pars lineæ: & arguat aliquis contrarium à simili dicens, sicut se habet punctus ad lineam, sic linea ad superficiem: sed linea non est pars superficiei: ergo nec punctus est pars lineæ. Ex opinione autem siue auctoritate si, si dicat aliquis, quòd anima sit mortalis, dicimus instantes, quod Socrates & Plato dicunt, quòd anima sit immortalis.

Fit autem particularis instantia per primam figuram sic. Dicto enim, quòd omnium contrariorum sit eadem disciplina, dicatur, nullorum oppositorum est eadem disciplina: quædā contraria sunt opposita: ergo quorundam oppositorum non est eadem disciplina. Qualiter autem instatur affirmatiuæ propositioni per secundam figuram, satis in præhabitis dictum est.

Pertinet autem instantiæ syllogismus, tam ad dialecticum, quam ad demonstratorem: sed ad demonstratorem pertinet instantia vniuersalis, ad dialecticum autem tam vniuersalis quam particularis. Cum enim procedit demonstrator ex vniuersalibus & necessariis, cauillator instare non potest nisi ponendo aliquod falsum. Hæc igitur de instantia & instantiæ syllogismo dicta sint.

Quomodo syllogismus instantiæ pertinet tam ad dialecticum, quàm ad demonstratorem.

Sed de hoc quod dictum est (quòd oppositæ non concluduntur per secundam figuram) notandum est, quòd oppositæ non dicuntur oppositæ propositiones: sed omnia dicuntur opposita, quæ ferri possunt ad instantiam propositi, quæ non euidenter in secunda figura concluduntur. Causa autem quare in secunda figura non concluditur euidens instantia, est: quia in euidenti instantia oportet sumi propositionem alteram quæ euidenter repugnet propositioni cui fit instantia: sed in secunda figura non sic est: conuersa enim propositionis assumptæ euidenter contradicit propositioni cui fit instantia, sed non ipsa propositio assumpta. Cuius exemplum est, si debeat aliquis instare huic, omne b. est a. per secundam figuram instabit sic, nullum a. est c. omne b. est c. ergo nullum b. est a. Sed prima non euidenter repugnat huic, omne b. est a. sed eius conuersa, hæc scilicet, nullum c. est a. In hac enim & in reliqua idem affirmatur & negatur, sed in hac, nullum a. est c. non idem negatur in prædicato quod affirmatur in prædicato huius, omne b. est a. sed sicut conuersim se habet hæc, nullum a. est c. & ideo non est euidens instantia: non enim est manifestum nisi per eius conuersam.

Quid per opposita intelligendum hic.

Quare in secunda figura non concluditur euidens instantia.

CAPVT VIII.

De icote & signo ex quibus fit enthymema.

TAndem de argumentatione quæ enthymema vocatur, determinandum est: sed quia hæc ex icotibus procedit & signis, altera propositione posita, & altera dimissa, ideo primo

Ieos dupliciter dicitur.

primo de icote & signo dicendum est. Sciendum autem, quod icos dicitur propriè, & metaphoricè. Propriè autem est idem quod imago: & ideò icones Græcè vocantur tabulæ imaginibus depictæ & insignitæ. Metaphoricè autem dicitur icos ad huius similitudinem: & tunc dicitur icos propositio probabilis, in qua sicut in imagine & non sicut in causa substantiali, quasi prædepictum resultat aliud, illud scilicet, ad quod ponit probabilitatem. Et ideò Philosophorum mos est quando ex talibus procedunt propositionibus, dicere, quòd figuraliter de re tangunt: quia non ex causis essentialibus tunc procedunt.

Icos autem & signum nō est idem, &c.

Icos autem & signum non idem est, sed icos quidem est propositio probabilis, vt dictum est, per extrinseca & communiter in re inuenta de re coniiciens & enuntians. Quod enim aliqui sciunt scientia æstimationis vt in pluribus, sic factum esse, vel non factum esse in præterito, aut esse aut non esse in præsenti, hoc est icos vocatum, sicut est hoc, odire vel odisse inuidentes siue inimicos: quod Plato in libro Mennonis ponit in hominis diffinitione, eò quod est signum vel icos profundatum in natura animalis. Tale est etiam diligere amantes siue amicos. Hoc igitur est icos.

Signum autem vult esse propositio, &c.

Signum autem est, quod præter speciem quam cognoscenti offert, ad aliquid ducit cuius est signum: & ideò sui significatione vult esse propositio demonstratiua, vel necessaria, vel probabilis. Dico autem vult: quia aptitudine signi & relatione ad signatum, aliquando ducit in causam essentialem, & tunc vult esse propositio necessaria, quamuis secundum se & secundum sui rationem non sit ita: aliquando autem ducit in ea quæ communiter sunt in re, & extrinsecus adhærentia, & tunc vult esse propositio probabilis. Dico autem signum propositionem demonstratiuam secundum quod demonstratiuum communiter sumitur pro ostensiuo, siue in demonstratiuis, siue dialecticis. Id enim quo existente in præsenti, res est, & infertur ex ipso: vel quo facto in præterito, res facta est in præterito: vel quo posterius facto, indicat factum esse aliquid, sicut pallor conceptum factum indicat: aut id quod indicat, quoniam erit res illo prius facto, sicut in ægroto tremor in labro inferiori factus indicat vomitum futurum, hoc dicitur signum.

Differentia icotis & signi: & quemodo signum dupliciter dicitur.

Vnde notanda est differentia icotis & signi: & dicendum, quòd signum dicitur communiter, & propriè. Signum quidem communiter dictum est omne illud quod ex sui specie (quam cognoscenti exhibet) aliud prætendit quod inferri potest ex ipso: & sic icos continetur sub signo, sicut species sub genere: & hoc modo signum est in omni figura: icos autem propriè in secunda & tertia. Et quando dicitur, quòd icos est propositio probabilis, accipiendum est probabile quod verè & secundum rem ipsam probabile, & quod apparet tale esse cognoscenti. Propriè autem sumptum signum, tunc signum est quod ostensibiliter & quasi demonstrando siue ostendendo ducit in rem significatam: & sic dicitur signum prodigium, quasi præ digitis ostensum, & sic est in prima figura medium quod essentialiter & positione est medium pars vnius extremorum & totum ad alterum: & hoc modo signum non est icos, vt dictum est, sed icos erit signum in secunda figura in qua medium est extra extrema & ante ipsa: quia multa sunt prædicata de pluribus, quæ non essentialiter radicantur in ipsis. Erit etiam in tertia figura: eò quod vnum subiectum frequenter multis subsstat, quæ non radicantur in ipso. Et quando dicitur, quod signum est demonstratiua propositio necessaria, vel probabilis, est signum in prima figura acceptum in demonstratiua materia necessaria, & in dialectica probabilis, vt paulo ante dictum est.

CAPVT IX.

De enthymemate, quid sit, & quibus modis fiat, & qualiter ad syllogismum reducitur.

EX diffinitione autem icotis & signi, diffinitio concluditur enthymematis, dicendo quòd enthymema est syllogismus procedens ex icotibus & signis. Quamuis enim diuersæ argumentationes sint syllogismus & enthymema, tamen substantialiter enthymema est syllogismus: quamuis enim non nisi vna propositio ponatur in enthymemate, duæ autem in syllogismo secundum vocem: tamen in enthymemate vna secundum vocem posita, altera subintelligitur secundum rem & decursum rationis: & sic secundum rem & decursum rationis enthymema substantialiter dicitur esse syllogismus ex icotibus in secunda & tertia figuris, & signis siue prodigiis in prima figura.

Enthymema ergo est syllogismus, &c.

Modi autem quibus fiunt enthymemata, ex hoc inueniuntur, quod signum (quod est quasi medium enthymematis) tripliciter secundum positionem & ordinem terminorum accipitur: quoties enim medium secundum diuersitatem positionis accipitur in figuris: aut enim positio signi accipitur vt in prima figura accipitur medium, quod positione & ordine terminorum est medium, vt pars vnius & totum alterius: aut accipitur sicut medium accipitur in figura secunda, in qua medium est extra extrema vt vnum commune prædicatum de pluribus: aut accipitur sicut accipitur medium in tertia, vt vnum commune subiectum substans pluribus prædicatis. Cuius exemplum est, vt si velimus ostendere primam figuram, hoc est, per enthymema, cuius signum medij habet virtutem secundum modum medij primæ figuræ, arguimus sic, hæc mulier habet lac in mamillis: ergo peperit: reducitur enim ad syllogismum primæ figuræ, ita quod medium quod est lac habere, sit b. a. autem quod est maior extremitas, sit parientem esse: in mamillis autem habere, minor extremitas sit c. & resultabit forma syllogismi in prima figura, sic, omne b. est a. quia omnis mulier lac habens in mamillis pariens est: quoddam c. est b. quia hæc mulier lac habet in mamillis: ergo quoddam c. est a. quia hæc mulier peperit: est enim syllogismus in tertio primæ. Lac autem habere

Accipitur autē signum tripliciter, &c.

signum est,& non causa: quia si etiam ea quæ non peperit, fricet mamillas virtica & tale, lac habebit in mamillis, sed non vbertim fundent illud mamillæ ipsius. Sic ergo fit enthymema in prima figura ex signo conuertibili tacita maiori propositione: eò quod illa reputatur manifesta.

Quoniam autem sapientes studiosi,&c.

In tertia figura quæ in multis conuenit cum prima,accipitur signum quod est in minus: vt si concludere velimus, quoniam studiosi sunt sapientes sic: est studiosus: ergo sapiens:accipiemus quòd Pitacus studiosus, & ex hoc sapiens. Pitacus autem erat quidam Pythagoricus Pythagoræ discipulus, & à Pythagora sic denominatur. Reducitur autem in syllogismum tertiæ sic: fit enim in quo a. studiosum esse: id autem in quo b. sit esse sapiens: id autem in quo c. sit Pitacus studiosus: sic enim iterum erit a. studiosum,& de b.& de c.prædicari: quia & sapientes sunt studiosi, & Pitacus est studiosus: & tunc arguitur sic, Pitacus est studiosus: Pitacus est sapiens: ergo sapiens studiosus. Sed hoc (quod est maior propositio) non dicunt vocali expressione, scilicet quod omnis sapiens studiosus: eò quod reputatur hoc palam esse. Illud verò quod est minor propositio, sumunt, & ex illo arguunt vocaliter expresso: maiori tamen subintellecta, quia sine illa nullus esset decursus rationis.

Peperisse quoniam pallida, &c.

In secunda autem figura fit enthymema accipiendo signũ quod est plus sicut est medium in secunda figura:sicut enthymemate arguimus aliquam peperisse ex hoc,quoniam est pallida: hoc enim enthymema reductum ad syllogismum vult(quantum ad terminorum ordinem & dispositionem) esse per mediam figuram secundum quod apparet, quamuis in veritate non sit:quia sic arguitur affirmatiuè, & in secũda figura nihil affirmatiue concluditur:propter quod in antehabitis dictum est,quod in secũda figura non est signum:quoniam enim parientes plerumque sequitur pallor:sequitur autem & hanc: arbitrantur ostensam esse per conclusionem, quoniam peperit hæc, & arguunt sic, quæcunque peperit,est pallida:hæc est pallida: ergo peperit. Et in terminis transcendentibus sic,quod pallor sit in quo a.parere autem(quod est maior extremitas)sit in quo b.mulier autem hæc,quæ est minor extremitas, sit in quo est c. sic, omne b. est a. quoddam vel hoc c.est a. ergo hoc vel quoddam c. est b. Et est affirmatiuus syllogismus in secũda figura:& talis syllogizatio præcedit verum syllogismum: iste autem syllogismus supponitur ab eo qui enthymemate sic arguit:est pallida:ergo peperit.

Ergo si vna quidem datur propositio, &c.

Est autem differentia enthymematis ad syllogismum: quia enthymema ex vna procedit propositione: syllogismus autem ex duabus: quia si vna quidem tantum dicatur vel exprimatur vocaliter propositio, tunc signum fit ex quo sumitur enthymema. Si autem cum illa & altera sumatur,vniuersalis propositio & vocaliter exprimatur: tunc syllogismus in forma perfectus secundum figuram & modum & materiam proximam, quæ est duæ propositiones ex tribus terminis formatæ. Hoc autem ostenditur per exemplum tam in prima figura,quam in tertia. In prima quidem figura sic, vt quando volumus probare, quòd ambitiosus liberalis:tunc enim sic arguimus. Omnis ambitiosus liberalis: Pitacus est ambitiosus: ergo Pitacus est liberalis. Aut rursus in tertia figura concludentes, quoniam sapientes sunt boni vel studiosi: sic arguentes. Pitachus est sapiens: Pitacus est bonus:ergo boni sapientes.

Sic ergo per omnes figuras enthymematis fiunt syllogismi. Sed in hoc differunt enthymemata primæ figuræ, ab enthymematibus secundæ & tertiæ figuræ: quia syllogismi enthymematis quòd fit per primam figuram, sunt insolubiles & perfecti, non soluti à forma syllogismi: quia fundantur super propositionem vniuersalem, penes quam perfectus est syllogismi decursus. Et hoc dico quando verus est syllogismus in forma, & verum & verè concludens. Et hoc ideò est, vt diximus:quia vniuersalis est in ipso propositio per quam arguitur. Syllogismus autem enthymematis quod fit per tertiam, est solubilis nõ habens formam, quamuis verus sit, ita quod verum concludat: quia est ex singularibus siue particularibus & non ex vniuersali: ex qua forma nihil sequitur syllogisticè. Vniuersalis autem propositio non est in tertia figura, ex qua sit virtus inferendi. Adhuc tamen talis syllogismus in tertia figura factus, non est ad rem:quia non concludit extremitatem de extremitate: cum non vtatur vniuersali propositione: non enim si Pitacus est studiosus & sapiens,propter hoc necesse est alios sapientes studiosos, vel bonos esse, siue assumatur vniuersalis propositio, quod omnes sapientes sunt studiosi. Syllogismus verò qui fit per mediam figuram ex secundæ figuræ enthymemate, semper & omnino siue vniuersaliter est solubilis siue solutus & imperfectus & sophisticus,siue assumatur vniuersalis,siue non: quia semper est affirmatiuus: quia nunquam sic se habentibus terminis fit syllogismus in secunda figura: non enim sequitur per virtutẽ syllogismi secundæ figuræ, quòd si quæcunque parit, pallida est: pallida autem est & hæc: quòd hanc parere sit necesse: sed est fallacia consequentis. Verum quidem igitur per syllogismum enthymematis concluditur in omnibus figuris: sed etiam syllogismi differentias habent quæ iam dictæ sunt, & etiam enthymemata differunt hoc modo.

Sic ergo fiunt syllogismi:verũ qui per primam,&c.

Sic ergo, vt dictum est, diuidendum est signum quod medij habet rationem in enthymemate. Horum autem signorum id quod verè & positione medium est (sicut signum in prima figura) prodigij habet rationem: nam hoc signum Philosophi dicunt esse prodigium, quod facit scire sicut facit medium in prima figura:quod verè medij habet rationem:quia tale est maximè medium secundum medij rationem vel secundum naturam. Sed quæ signa sunt sumpta in extremitatibus, & sunt extremitates secundum naturam, licet sint loco mediorum accepta, sicut in figura secunda & tertia:in secunda enim signum est primum,& in tertia est postremum:in neutra autem positione est medium:& ideo illa dicenda sunt signa tantum & non prodigia. Quod autem signum sumitur ex medio quod verè est medium positione,aut &

Sic ergo diuidendum signum, &c. *Differentia inter signum & prodigium.*

& natura, illud est prodigium: probabilissimum enim est maximè verum, quod conclusum est per primam figuram: cuius ratio iam sæpius dicta est.

Ars generalis reducendi omne enthymema in syllogismum.

Ex hoc autem facile patet,quæ sit ars generalis rèducendi omne enthymema in syllogismum. Cum enim enthymema tantum exprimat vnam propositionem cum conclusione, necesse est, quòd fiat ex terminis tribus. Aut ergo propositio & conclusio communicabunt in vno subiecto, aut in vno prædicato: aut quod subiicitur in vna,prædicatur in altera. Et siquidem communicant in vno prædicato: tunc illud enthymema vel fit in prima figura, vel in tertia, & fit ex maiore & conclusione:& addita minore fit syllogismus. In quam autem harum figurarum reducitur, patet ex naturali positione terminorum secundum quam ordinatur in syllogismum primæ vel tertiæ figuræ. Si autem communicant in subiecto,erit enthymema vel primæ vel tertiæ figuræ, in & fit ex minore & conclusione:& fiet syllogismus per additionem maioris, quæ addi debet secundum terminorum possibilitatem & inhærentiam. Si autem quod subiicitur in vna, prædicatur in alia:aut ergo quod subiicitur in præmissa, prædicatur in conclusione, aut è conuerso. Si pro modo, erit syllogismus in secunda figura ex ex maiore & conclusione:& fiet syllogismus addendo minorem. Si autem secundo modo, erit enthymema in tertia figura ex minore & conclusione:& fiet syllogismus addendo maiorem.

Quod enthymema pertineat demonstratori, vel dialectice,& quod pertineat rhetori.

Cum autem sit enthymema, sicut dictum est, ex prodigio & signo, hoc est, ex propositione quæ est prodigium vel signum, tacita altera propositione, pertinet enthymema ex prodigio vel ad dialecticum, vel ad demonstratorem,secundum diuersitatem materiæ probabilis vel necessariæ. Enthymema autem ex signo communiter acceptο pertinet ad rhetorem,vt dicit Arist.in primo poste. Et cum dicitur, quòd enthymema est ex icotibus & signis syllogismus, non hoc dicitur ideo quod omne enthymema sit ex pluribus signis & pluribus icotibus:sed ideo dicitur, quia enthymema in genere acceptum,quandoque fit ex signo vno, & quandoque ex alio,& non ex vno semper.

Remouet dubium.

CAPVT X.

De inuentione signi quod est loco medij in enthymemate.

TAndem autem hoc determinandum est, qualiter inueniatur signum in enthymemate, per quod ostendatur & concludatur passio de subiecto. Et hoc quidem in inductione & exemplo doceri non oportuit:quia ambo illi modi arguendi ex particularibus inferunt quæ in sensibus sunt,& inuenire ea non est difficultas. Cum autem solum prodigium faciat scire, docebimus inuenire prodigium tantum, aliorum signorum inuentionem transeuntes. Pertinet autem huiusmodi signorum consideratio ad logicum simpliciter: quibus tamen aliquando vtitur dialecticus, & aliquando demonstrator, vt dictum est. Quamuis enim logicus intentiones rerum consideret, & non res: principaliter tamen logicus intentiones considerat relatas ad res: & sic considerat res stantes sub intentionibus quas considerat: & hoc modo hic considerabimus signa naturalium passionum. Adhuc autem cum multiplex sit diuisio passionis. Est enim passionis secundum se diuisio, quòd est quædam passio conuertibilis, quædam autem non conuertibilis. Adhuc secundum subiecta in genere diuiditur, quòd quædam est passio rationalis, quædam moralis, & quædam naturalis:quæ diuisio data est secundum causam quam habet passio in subiecto. Adhuc autem passio naturalis à natura communiter dicta diuiditur in metaphysicam, mathematicam, & physicam: & quælibet passio signum habet aliquod in subiecto. Ex omnibus diuisionibus non considerabimus, nisi ex prima diuisione passionem cõuertibilem, ex secunda autem passionem naturalem, ex tertia passionem physicam:quia procedimus via logica, quæ in communi tradit artem applicabilem ad quamliber materiam, non descendendo ad materiam nisi gratia exempli: & exemplum ponimus in materia magis manifesta, vt similiter intelligatur in aliis.

Multiplex est diuisio passionis.

Ad signi igitur talis(quod prodigium est)inuentionem,dicamus,quòd naturas(hoc est,naturales passiones) cognoscere possibile est per signa quæ sunt in enthymematibus loco mediorum, tali suppositione præhabita, siquis concedat simul corpus & animam(hoc est, totum coniunctum ex corpore & anima) mutari (hoc est, tranſmutari) à passionibus talibus quæcunque sunt naturales passiones coniuncti totius: ita vt passiones mutent corpus & animam, ita quod in eis sit signum passionis naturalis. Si autem aliquis patitur passione non naturali, sed accidentali:tunc hoc non erit necessarium. Discens enim aliquis fortassè musicam, secundum aliquid passionis alicuius animalis & intellectualis mutauit in animam, & mutatus est in anima, & non oporret huius passionis esse signum in coniuncto: quia naturalis non est talis passio:sed passiones naturales sunt, vt iræ naturales & concupiscentiæ quæ sunt passiones & passibiles dictæ passiones: sunt enim illæ naturalium motuum quibus mouent coniunctum.

Naturas autẽ rerum cognoscere, &c.

Secundum autem supponendum est, quòd det & concedat aliquis vnum commune in natura communi,vnius passionis communis in illa natura esse signum, ita quod hoc signum comitetur totam illam naturam cuius est illa passio:tunc per talia signa arguendo per enthymema poterimus sumere concludendo vniuscuiusque generis, quod illam passionem communicat propriam & conuertibilem passioni, & signum illius passionis in natura illa: & sic poterimus illam naturam cognoscere secundum quod illi subiecta est passioni.

Si igitur & det & concedat aliquis vnum commune in hoc det & natura communi,vnius passionis communis in vnum, &c.

Sic autẽ procedemus,& tali modo considerabimus. Si enim est aliqua passio propria specialiter alicui generi indiuiduato ad speciẽ siue in specie determinato conueniens, sicut fortitudo, siue animositas conuenit leonibus secundum suam speciem determinatis:tunc cum

Si enim est propriè alicui generi, &c.

conceſſum ſit, quòd paſſio naturalis tranſmutat coniunctum, neceſſe eſt in tota ſpecie leonum huius paſſionis eſſe ſignum aliquod poſitum, & compati ſibimutuò in corpore & anima coniunctum in tali paſſione: vt ſi dicamus, quod hoc huius paſſionis ſignum in leone ſit, magnas habere ſummitates ſiue extremitates: conſiderabimus ergo hoc ſignum in aliis animalibus fortibus quibus hæc paſſio non vniuerſaliter in totis ſuis generibus vel ſpeciebus contingit, ſicut in hominibus fortibus & animoſis per naturam & non per habitum acquiſitum. Signum enim per quod talem de ſubiecto concludimus paſſionem, ſic vocamus proprium: quia totius illius generis eſt hoc modo propria paſſio, quo dicimus proprium quod conuenit omni generi & non ſoli. Hoc enim modo ſæpè ſolemus proprium dicere. Erit ergo & in alio genere proprium hoc ſcilicet non vniuerſaliter, vt in hominibus fortibus per naturam: & erit hoc modo per naturam fortis homo, & aliud forte quodlibet ſiue omne animal quod per naturam eſt forte: & cum illud animal vel homo cum leone naturaliter communicet paſſionem illam, ſequitur quod habebit idem fortitudinis ſignum per primam ſuppoſitionem. Dictum enim eſt in ſecunda ſuppoſitione, quòd vnum commune vnius communis paſſionis fuit ſignum in omnibus in quibus eſt illa paſſio. Si ergo hæc vera ſunt quæ dicta ſunt: tunc nos ex arte iſta poterimus tabulas talium paſſionum ſigna colligere in his animalibus, quæ tantum vnam ſecundum totum genus vel ſpeciem habent illam paſſionem & communem: vnumquodque enim habet ſignum illius paſſionis ſecundum totam illius ſpeciei multitudinem: neceſſe enim per ſecundam ſuppoſitionem, quòd ſuæ paſſionis quæ eſt ſpeciei ſuæ propria, tamen commune habet ſignum: tunc ex hoc ſigno poterimus naturas proprietatum paſſionum cognoſcere: conſiderabimus enim in homine forti vel alio animali, quod quodlibet forte per naturam habet magnas ſummitates: & conſiderantes hoc ſignum in leone generaliter arguimus ſic. Leo generaliter habet magnas ſummitates: ergo leo generaliter eſt fortis.

Si vero duo habet propria, &c.

Si vero aliqua natura vna in genere vno vel ſpecie duo habet propria vniuerſaliter ſibi conuenientia ſecundum totum genus ſuum, ſicut leo fortitudinem habet & liberalitatem: eſt enim & per naturam forte animal animoſum, & eſt præterea communicatiuum etiam per naturam: tunc dubium eſt quomodo cognoſcimus, vtrum hoc ſignum determinatum ſit vnius illarum paſſionum, ſit ſignum vel alterius quæ ambo ſiue ambæ paſſiones ſpecialiter, hoc eſt, totam ſequuntur ſpeciem: hoc enim ſcire non poterimus, niſi conſideremus, quòd & alij ſpeciei non generaliter toti vniuerſaliter, ſed particulariter: nec ambæ paſſiones, ſed altera ineſt. Et conſideremus tunc in his in quibus non totis ineſt illa paſſio naturalis: & conſideremus in quibus non vtrumque nec totis ineſt: quando hoc quidem ſignum habet, quod eiuſdem paſſionis ſignum eſt in leone, vt magnas ſummitates. Illud vero alterius paſſionis ſignum non habet, ſicut & ipſa paſſione caret. Si enim homo eſt fortis cum leone per naturam, habet autem duum ſiue duorum ſignorum hoc quod eſt fortitudinis ſignum: palam ex concluſione enthymematis, quoniam etiam in leone hoc fuit ſignum fortitudinis, & non liberalitatis.

Eſt ergò naturas cognoſcere, &c.

Oſtendamus igitur per hunc modum concludere vel oſtendere paſſionem de ſubiecto. Dicamus, quòd eſt naturas ſiue paſſiones naturales de quolibet ſubiecto cognoſcere in prima quidem figura, ſupponendo medium conuerti cum priori ſiue maiori extremitate, ſicut eſſe forte & habere magnas ſummitates conuertuntur. Medium autem in plus eſſe quam minorem extremitatem: eſſe enim forte in plus eſt quam leo. In tertia autem oportet minorem extremitatem tranſcendere & non conuerti, ſicut patet in exemplis, ſi ſit fortitudo vel forte eſſe a. quæ eſt prima extremitas: ſummitates vero magnas habere ſit in quo b. quod conuertitur cum a. c. autem tertia extremitas poſt medium ſit leo: quod minus eſt, quam forte eſſe. Patet enim ſic diſpoſitis terminis, quòd omni c. ineſt b. quia omnis leo magnas habet ſummitates: ſed hoc non ineſt ſoli leoni, ſed & aliis animalibus ineſt particulariter: cui autem b. ineſt, omni illi ineſt a. quia omne habens magnas ſummitates, eſt forte: & non ineſt pluribus, quia conuertitur cum ipſo. Si autem dicatur ſic non eſſe vt dictum eſt, ſequitur inconueniens contra ſecundam hypotheſim: quia ſequitur, quòd non erit vnum commune vnius paſſionis communis ſignum. Huius autem probatio patet per quartam conſequentiam in antehabitis determinatam, in capitulo vbi dictum eſt, quòd quando conuertuntur extremitates, neceſſe eſt & medium conuerti: ſi enim a. dicitur de ſolo b. & a. & b. de omni c. tunc a. & b. conuertuntur: & ſic patet inuentio medij in prima figura, in qua ſignum eſt prodigium. Quando autem per habere magnas ſummitates oſtenditur leo eſſe fortis, hoc ſumitur & non probatur: quia hoc conſtat in leone ſignum eſſe per hoc quod in aliis talis paſſionis eſt ſignum. Non autem ſic poteſt oſtendi hoc eſſe ſignum fortitudinis in alio animali per hoc quod eſt ſignum talis paſſionis in leone: quia leoni ineſt vniuerſaliter, aliis autem non: & ideò per differentias eorum qui non habent magnas extremitates, oſtenditur hoc fortitudinis eſſe ſignum in leone.

Obiectio.

Siquis autem obiiciat & dicat hanc artem nullam eſſe: quia probat idem per ſeipſum: oſtendit enim paſſionem per ſignum, & è conuerſo ſignum per paſſionem, & ſic idem per ſeipſum. Dicendum, quòd paſſio oſtenditur per ſignum, & è conuerſo, ſed non eodem modo: oſtendit enim ſignum per paſſionem in ſubiecto non proprio paſſionis, oſtendit paſſionem per ſignum in ſubiecto proprio paſſionis: & hoc non eſt inconueniens. Adhuc ſignum oſtenditur per paſſionem per viam ſenſus, paſſio autem per ſignum per viam ſyllogiſmi & rationis. Scias autem, quòd tota ſcientia quæ dicitur phyſiognomia, ſuper hanc artem fundata eſt.

Solutio.

LIBER

LIBER I.

POSTERIORVM.

TRACTATVS I.

De his quæ præmitti habent ante ſcientiam, & de vniuerſali ſciendi modo.

CAPVT I.

De præambulis ante ſcientiam.



IC VT in principio priorum analyticorum dictum eſt, intentio noſtra in ſcientia de ſyllogiſmo eſt circa demonſtrationem, & circa ſcientiam de demonſtratione, quæ eſt inſtrumentum demonſtratoris, per quod facit ſcientiam concluſionis: eò quod intentio omnis ſapientis eſt circa finem, qui eſt vltimum & optimum in his de quibus conſiderat. In ſcientia autem ſyllogiſtica vltimum & optimum (proximum conſiderationi tradentis ſcientiam ſyllogiſticam) eſt demonſtratio, ideò eſt finis proximi operis tradentis notitiam ſyllogiſticam. Sed quia omne inſtrumentum & organum ad aliquid aliud refertur, ideò finis vltimus intendentis de ſyllogiſmo eſt ſcientia demonſtratiua, hoc eſt, ſcientia docens modum & artem demonſtrandi vniuerſaliter in qualibet particulari ſcientia demonſtratiua, ſicut ſunt ſcientiæ mathematicæ, geometria, aſtronomia, & muſica, & multa alia.

Intentio huius libri.

Dico autem, quòd intentio eſt circa talem ſcientiam in vniuerſali qualiter ſciat quilibet in omni ſpecie demonſtrationis demonſtrare: quæ ſcientia ſit regula regulans ſcientem eam, qualiter facultatem habeat ex ſcientia tradita demonſtrationem faciendi in qualibet materia demonſtrabili, per quam ſcientiam deuenire poteſt ad certam ſcientiam concluſionis vniuſcuiuſque ſcibilis per demonſtrationem.

Dignitas huius libri ſi per alias partes logicæ.

Hæc enim ſcientia in nobilitate ſubiecti præfertur aliis ſcientiis & certitudine demonſtrationis ſiue oſtenſionis vel probationis. His duobus modis vna ſcientia præfertur alij, ſicut dicit Ariſtot. in prima propoſitione de anima. Inter omnes logicas ſcientias hæc ſcientia nobilioris ſubiecti eſt, vt patet: quia tota logica de ſyllogiſmo eſt & partibus eius. Nobilior autem ſyllogiſmus eſt demonſtratio. Huiuſmodi etiam ſcientia certior eſt in demonſtrationibus: quia cum aliæ ſcientiæ de ſyllogiſmo ſolam habeant neceſſitatem conſequentiæ ex ordine terminorum & propoſitionum in figura & modo vel exiſtentem vel apparentem, & non habeant neceſſitatem conſequentis, iſta ſola inter ſcientias logicas, vtramque facit neceſſitatem & conſequentiæ & conſequentis: propter quod inter logicas ſcientias omnibus ex duplici cauſa præfertur ſubiecti, ſcilicet admirabilitate & certitudine oſtenſionis. Et ideo ſequitur ſecundum Ariſtot. in 7. ethic. quod hæc ſcientia virtus & vltimum & optimum eſt ſcientiæ logicæ. Propter quod in mediate ſcientiæ de ſyllogiſmo coniungenda eſt: quia ſupra neceſſitatem conſequentiæ non addit niſi neceſſitatem conſequentis: quæ additio ita ſpecificat hanc ſcientiam ſub genere communi quod eſt logica. Hæc enim ſcientia id quod addit, non diminuit neceſſitatem conſequentiæ (quæ ſubſtantialis eſt ſyllogiſmo, ſicut patet ex eius diffinitione cum dicitur, quòd ſyllogiſmus eſt argumentatio ſiue oratio, in qua quibuſdam poſitis aliud accidit ex neceſſitate, hæc enim neceſſitas in terminatione ſui eſt in terminorum ordine & propoſitionum diſpoſitione. Perficitur autem in figura & modo, & ad neceſſitatem vltimam deducitur per poteſtatem ſyllogizandi & concludendi, ſicut in ſecundo priorum oſtenſum eſt. Perficitur autem addita neceſſitate conſequentis in ſcientia iſta. Et ex hoc patet perfectiſſimam iſtam eſſe inter omnes logicas ſcientias. Id enim quod addit ſupra conſequentiæ neceſſitatem ſyllogiſmo ſubſtantialem ſyllogiſmus dialecticus, potius diminuit neceſſitatem conſequentiæ quam promoueat: quia probabile non habet conſequentiæ veram neceſſitatem. Sophiſticus autem addit apparentem & non exiſtentem probabilitatem ſupra conſequentiæ neceſſitatem: & ideo in talibus non poteſt eſſe vltimum & optimum ſcientiæ ſyllogizandi. Propter quod dicit Ptolemæus in primo Almageſti, quòd

Ordo huius libri ad librum proximum.

Similiter ſententiam dicit Alex. primo topicorum.

quòd non probabilibus & opinabilibus debet homo replere animam suam, quia non faciunt stantem habitum in anima, sed demonstratiuis & certis quæ certificant & stabiliunt intellectum, quia certa sunt & æternaliter stantia. Et ex hoc patet, quòd hæc sola simpliciter est desiderabilis inter scientias logicas. Est ergo finis & perfectissima & sola simpliciter desiderabilis inter logicas scientias & sola nobilior & aliis certitudine probationum excellentior.

Subiectum huius libri.

Est autem hæc scientia, vt de subiecto de syllogismo demonstratiuo: de hoc enim inquirit differentias & passiones & modos quibus fiat: & sic patet quæ sit materia eius, sicut patet per ea quæ dicta sunt in principio lib. priorum. Est etiam hæc scientia in genere logicæ scientiæ: quia & demonstratio & scientia demonstratiua consideranda est hic per differentias sermonum & non per rerum differentias: logica enim non res, sed intentiones rerum considerat, vt vniuersale, particulare, orationem, argumentationem, & syllogismum: quæ omnia in sermone accipiunt differentiam: & ideo hæc scientia non est realis sed sermocinalis. Vel fortè dicitur, quòd est modus sciendi nobilissimus, & non propriè scientia: sic enim loquitur Aristot. in tertio primæ philosophiæ.

Quod hæc scientia non sit realis.

Text. com.

Vtiliras autem ex hoc vltimo dicto elicitur, & est vtilis vt regula recta in architectonicis, qua regulatur omne quod aptandum est ædificio: per hunc enim modum regulatur per hanc scientiam omne quod demonstrandum est in particularibus scientiis demonstratiuis. Per quod patet, quòd vtilitas eius vniuersalis est: & ideò vtilior quam illæ scientiæ quæ particulariter vtiles sunt.

Vtilitas huius libri.

Obiectio.

Siquis autem obiiciat dicens, quòd antequam particulares scientiæ demonstratiuæ fierent vel quando fiebant, ista scientia siue sciendi modus vtilis esse poterat: sed nunc ipsis iam factis videtur inutilis, sicut & regula videtur inutilis iam facto omni ædificio, quod faciendum fuerat. Dicendum, quòd scientiæ demonstratiuæ non omnes factæ sunt, sed plures restant adhuc inueniendæ: quæ si etiam omnes factæ essent, adhuc esset vtilis hæc scientia tripliciter. Vno modo quidem in vsu particularium scientiarum, qui non est rectus nisi mensuretur ad regulam. Secundo autem modo in demonstratione particularium scientiarum, quod bene inuentæ & bene traditæ sunt, & quod homo eis innititur vt veris: hoc enim fieri non potest nisi referantur ad regulam. Tertio autem modo propter cauillatorem, cuius calumnia refelli non potest, nisi propter hoc quod refertur ad regulam: cauillatio enim eius refellitur per hoc quod regulæ non concordat: & sic constat vniuersalis vtilitas istiusmodi scientiæ. Manifesta igitur est vtilitas & finis & nobilitas, certitudo & perfectio istius scientiæ sic determinata.

Solutio.

Alia vtilitas vel nobilitas huius scientiæ, quæ potius est in scitte ipsam quam in ipsa.

Capitu.

Est etiam finis eius & vtilitas & nobilitas quædam, quam ponit Auicen. (sed hæc est potius in sciente, quam in scientia) quod scilicet perficit hominem & ad felicitatem contemplatiuam disponit secundum nobiliorem eius partem, quæ (vt dicit Aristot. in 10. ethic.) est intellectus contemplatiuus non continuo coniunctus & tempori, sed in simpliciter intelligibilibus simpliciter accipiens scientiam contemplatiuam: & ideò non est opinatiuus talis intellectus, nec suspicatiuus, sed simpliciter intellectus ad simpliciter intelligibilia relatus.

Ex his patet, quòd aliæ scientiæ logicæ non sunt perfectæ species modi sciendi: quia hoc quod addunt supra necessitatem consequentiæ, diminuit necessitatem consequentiæ syllogismi. Omnis autem differentia diminuens potestatem generis, addita generi, facit speciem imperfectam, & secundum Pythagoram ponitur in stichia siue in coordinatione malorum: hæc autem quæ complet id quod est in potestate generis, sola est perfectus scientiæ syllogisticæ modus, & perfecta scientiæ syllogisticæ species.

Quare aliæ partes logicæ non sunt ita perfectæ sicut ista.

Modus autem istius scientiæ (quantum est de ipsius scientiæ proprio modo) est diffinitiuus & diuisiuus & collatiuus: & hic modus sumitur ex ipso scibili relato ad scientiam secundum quod est in vniuersali, vel particulari, vel secundum agere: diuisio enim deseruit scientiæ in vniuersali, diffinitio autem eidem deseruit in propria natura, & collatio deseruit scientiæ in agere & collatione conclusionis ad principia. Resolutoria enim est hæc scientia: quia resoluit & resoluere docet conclusiones in principia, quæ sunt causæ essentiales & propriæ siue conuertibiles immediatè: & hic etiam modus scientiæ deseruit secundum agere dictum. Modus autem qui est ex discente potius quam ex scientia, est modus qui dicitur exemplorum suppositiuus.

Modus istius scientiæ.

Nomen autem libri & titulus qui præsignat nomen, patet ex dictis: nomen enim, Posteriora analytica. Et ratio quidem analysis siue resolutionis iam dicta est. Posteriora autem resolutoria vocantur: sicut enim demonstratio addit supra syllogismum simpliciter, & ideò fit posterior ipso, & species eius: ita resolutio in causas consequentis addit supra resolutionem in terminos & in propositiones constituentes in figuram & modum: & ideò hæc analysis posterior est illa quæ in prioribus traditur: sicut prius est natura & intellectu, à quo non conuertitur consequentia. Titulus autem est. Incipiunt posteriora analytica. Qui titulus iam satis intelligitur ex dictis.

Nomen libri huius & ratio nominis.

Causa autem efficiens est duplex, faciens scilicet, & instrumentalis. Faciens quidem (vt dicit Auicen.) est intelligentia vel decimi ordinis vel primi, quæ super alias irradiat ad horum quæ dicenda sunt manifestationem. Instrumentalis autem causa ex his qui ad nos venerunt Philosophis fuit, Aristot. Stragirita, ad hoc illustratus ab intelligentia, & primus inter eos qui venerunt ad nos. Fertur tamen quod Zeno ante Aristot. fecit hanc artem siue scientiam, & illius scientiæ Zenonis ad nos venerunt quædam excepta. Sic ergo satis patet de his quæ sunt huic scientiæ præambula.

Causa efficiens huius scientiæ.

Multa autem sunt propositionum genera (vt dicit Algazel) in quibus nihil proximius est syllogismo quam necessitas in materia propositionum:

Ordo huius libri ad scientiam de syllogismo.

Quid sit scientiam de syllogismo intelligendum.

sitionum: & ideò hæc scientia immediatè post scientiam de syllogismo est ordinanda. Sed scientia syllogismi dicitur tota scientia libri priorum primi & secundi, & etiam scientia de syllogismis hypotheticis, quam fecit Boëtius, quam & nos exposuimus suo proprio loco post librum priorum. Ad adminiculum autem libri priorum fecit Boëtius librum categoricorum syllogismorum, quem & nos ante librum priorum à nobis expositum breuiter ordinauimus. Patet igitur istius libri ordo in scientia logices.

CAPVT II.

De probatione Auicennæ & Algazelis, quòd iste liber sequitur immediatè librum priorum.

QVod autem iste liber immediatè sequatur librum priorum secundum quod continet & categoricos & hypotheticos syllogismos, & hoc est, scientiam formationis categoricorum & hypotheticorum syllogismorum, tam in coniunctis, quam in disiunctis hypotheticis syllogismis, sic probant Auicen. & Algazel, & ante hos Alpharabius. Scientia enim syllogismorum formatiua in figura & ordine prima est inter scientias quæ sunt de syllogismo: propositiones enim ex quibus fit syllogismus, vt dicunt, ad syllogismum se habent in quinque ordinibus, vt quinque modis se habet aurum ad artificiatum quod fit ex auro. Materia enim syllogismi propositiones sunt, quæ quando fuerint credibiles & veræ, sequitur conclusio credibilis & vera: si verò fuerint falsæ, conclusiones non sequuntur credibiles siue probabiles: si verò fuerint propositiones opinabiles tantum, non possunt ex his concludi propositiones certæ veritatis æternæ siue necessariæ. Sicut quando est aurum materia numi & rotunditas numi forma, aliquando falsificatur numus, eò quod à rotunditate inflectitur forma: & priuatione quidem formæ numus amittit nomen numi, eò quod à forma fit numi denominatio: aliquando vero falsificatur numus vitio materiæ, scilicet cum fuerit ex auro falsificato, ferro, vel ære: sed tunc non amittit nomen numi, quamuis amittat numi valorem. Similiter syllogismus est vitiosus aliquando vitio materiæ, aliquando vitio formæ. Vitio quidem formæ quando peccat in figura, vel modo, ex quibus esse debet: aliquando vitio materiæ, quando forma quidem bona est, sed propositiones non sunt certæ, sicut est propositio ex qua est syllogismus inopinabilis vel falsitatis.

Propositiones ex quibus fit syllogismus sunt quinque ordinè, sicut aurum est quinque modorum in respectu ad artificiatum quod fit ex auro.

Quinque ordines in auro.

Et sunt quinque ordines talium propositionum sicut in auro: quod quidem primo in ordine obrizum, examinatum, & depuratum. Secundum autem ex illo habet ex fabricatione aliquid admixtum, quod tamen non participat nisi purum. Tertium autè vt habeat tantum de alieno admixtũ, quod non percipiat in apparentia eius nisi peritus in auri natura, & aliquando quamuis percipiat hoc imperitus. Quarto gradu vt quidem quando falsum fuerit, sicut si sit de ære: sed adeò sit hoc simile auro, quòd per depurationem æris etiam possit fallere peritum, vt aurichalcum, quod calcamine & stanno & magis argento accipit similitudinem auri. Quinto ergo gradu est cuius falsitas omni homini apparet.

Similiter propositio habet quinque ordines. In primo enim ordine est illa quæ est verè credibilis sine dubitatione & sine deceptione, sicut est propositio necessaria: & ex talibus composita argumentatio vocatur demonstratio. In secundo ordine est propositio proxima veritati, ita vt difficile accidat fallacia opinionis: sed tamen cum diligentissimè consideratur, potest mutari veritas eius & sic fallere: & ex talibus propositionibus composita argumentatio vocatur syllogismus vel ratio dialectica. In tertio autem ordine est propositio opinabilis opinione plurium non sapientum: & argumentatio ex his composita vocatur ratio vel argumentatio rhetorica. In quarto autem genere sunt propositiones verisimiles quæ cum dolo & simulatione occulta habent similitudinem verarum propositionum, quæ secundum veritatem nec est opinabilis, nec probabilis, nec vera: & ex talibus compositus est deceptiuus & sophisticus. In quinto ordine est propositio quæ scitur esse falsa: tamen ex aliquo signo mouet animum audientis vel mouere potest ad aliquem modum opinandi, quod videatur vera vel dubia. Argumentatio composita ex talibus Græcè quidem vocatur surroica: apud nos autem tentatiua. Et de omnibus his quidem propositionibus oportet differere.

Quinque ordines propositionum ex quibus quinque syllogismorum modi constituuntur.

Dicamus igitur, quòd omnis propositio quæ non est veritatis stabilitæ & rationis certæ, sed sumitur ab opponente inquantum conceditur à respondente, diuiditur in 13. partes, scilicet primas, quæ primæ sunt insensibiles, siue sensu imperceptæ. Et in sensibiles quæ sunt secundæ. Et experimentales quæ sunt tertiæ, & sunt aliquando corruptæ sine rarissime mutatæ. Et in famosas quæ sunt quartæ: famosæ autem dicuntur quæ sui famositate conceduntur magis amore boni, quam veri quod est in eis, vt propositiones morales. Et quinto in propositiones mediatas, sed eorum medium intelligere & propositionem per medium est in promptu. Et sexto loco existimatiuas. Et septimo loco maximas ab omnibus concessas. Et octauo loco syllogizatorias. Et nono loco eas quæ sunt receptibiles sua probabilitate. Et decimo loco eas quæ videntur esse maximæ propter similitudinem, sed non sunt. Vndecimo putabiles apud vulgus. Et duodecimo imitatorias verorum in similitudine. Et tredecimo in apertè falsas.

Propositio quæ non est veritatis stabilitæ, diuiditur in 13.

Primæ autem sunt vt hæc, duo sunt relinquentia & ponentia vnum, & omne totum est maius sua parte: & quæcunque sunt æqualia eidem & inter sè sunt æqualia: hæ enim sunt, de quibus dicit Boëtius, quòd sunt dignitates quas quisque (etiam sine doctore) probat auditas, quando intelligit terminorum significationem: hoc enim auditum, vt dicit Auic, fixum est, neque est separabile ab intellectu, &

Quæ sint propositiones primæ.

non

non per sensum acceptum, eò quod sensus non accipit res indimibiles in sensibili designatas.

Quæ sint sensibiles. Sensibiles autem sunt vt hæc, sol est lucidus, sicut dixit Em. e. quòd sol est res alba & calida, & accepit ex sensu, quòd nix est alba: & ideo dixit Arist. quòd qui dubitat niuem esse albam, indiget sensu. Primo topic. cap. 9.

Quæ sint experimentales. Experimentales autem sunt, quas accipimus intellectu orto ex sensu, sicut scimus, quòd ignis congregat homogenea, & quod scamonea purgat choleram, & quod vinum inebriat: sensus enim apprehendit inebriationem post potationem vini sæpius factam: & percipit intellectus, quod hoc vini virtute accidit: & si esset casuale, non contigeret sæpissime: & sic in intellectu generatur illius rei scientia firma, de qua non est dubium.

Quæ sint famosa. Famosæ autem sunt, quas vulgo referente didicimus, sicut quod Roma est solennis ciuitas, quamuis forte Romam nunquam viderimus: de quo si nullatenus dubitauerimus, vocatur propositio famosa: nec tamen omnia famosæ æqualiter creduntur.

Quæ sint mediatæ. Mediatæ autè sunt, quæ nõ per se statim, sed per medium accipiuntur: quod tamen quando in prõptu est intelligere, putatur propositio esse prima: cùm tamen illa quæ verè est prima, sciatur sine medio termino: intentio enim argumentationis syllogisticæ est inuenire medium terminũ ab antecedentibus vel consequentibus vel repugnantibus. Quæsita autem in syllogismo sunt maior & minor extremitas. Cuius exemplum est, quod cum auditur hæc propolita propositio, binarius est quaternarij medietas, hæc statim scitur per medium sic, medietas est vna partium totius æqualis alteri: sed binarius est vna partium quaternarij æqualis alteri: ergo binarius est medietas quaternarij: & tale accipit intellectus frequenter sine medio & argumentatione (cum tamen sine medio non sit) quia in promptu est medium.

Quæ sint opinabiles. Opinabiles autem sunt propositiones falsæ, quæ tamen ita fixæ sunt in animo, vt nemo de eis dubitet: & hoc cõtingit: quia æstimatio agit in talibus sine collatione sensus & sensibilium. Cuius exemplum est, quòd æstimatio accipit, quòd nihil est cuius pars ostendi nõ possit: ideo æstimatur, quòd locus nihil sit in mundo vel extra mundum, & sicut hæc, quod mundi totalitas terminatur in pleno vel vacuo quod est extra mundum: sicut hæc, quòd corpus nec augmẽtatur nec crescit nec decrescit ex seipso, sed ab extrinsecus addito. Et causa quidem iudicij huius æstimationis hæc est: quia hæc non sunt conuenientia sensui nec sensu accipiuntur. Et talium falsitas scitur: quia si omne quod æstimatio accipit non à sensu, esset falsum: tunc ipsa æstimatio esset falsa: quia non recipitur à sensu. Et similiter esset de scientia & potentia & omnibus aliis formis quæ à sensu non accipiuntur, quamuis cum sensibilibus comparatis adinuicem accipiantur. Error enim æstimationis non percipitur in argumentationibus compositis ex primis propositionibus, quas æstimatio recipit & concedit: sed postquam illata fuerit conclusio inconueniens, abhorret eam: & quod abhorret eam, scitur quod nõ est ex alia causa, nisi quia abhorret quę non sunt sensibilia vel cũ sensibilibus accepta.

Quæ sint maximæ. Maximas autem propositiones opinamur esse, quæ non recipiuntur nisi inquantum sunt manifestæ: & putat vulgus communę & alij simplices & non periti, quòd sint primæ ex sui veritate communicantes omnem intellectum, sicut est ista propositio, mendacium est turpe, & innocens puniri non debet, & iustitia necessaria est, & iniustitia turpis, & quòd pudenda celanda sunt, & alia quæ audiuntur à pueritia, & in quibus obseruantiis morum conueniunt homines propter communem vtilitatem & honestatem, & quæ propter consuetudinem facilè recipiũtur, sicut ea quæ sunt legis & ciuilitatis, & quæ non facile recipiet aliquis non imbutus lege & consuetudine talis ciuilitatis: & talium propositionũ multæ sunt falsæ.

Quæ sint receptibiles. Receptibiles vero propositiones sunt illæ, quæ propter auctoritatem hominum recipiuntur, vel quia sancti sunt, vel Philosophi, vel quia antiqui & experti, vel à libris talium scriptis, vel ab his qui fuerunt vitæ laudabilis: hæc omnia enim faciunt fidem earum.

Quæ sint concessa & quomodo differunt à maximis. Concessæ autem propositiones sunt, quas concedit respondens siue aduersarius, quæ aliquando recipiuntur ab vno & non ab alio. Istæ autè concessæ propositiones non differũt ab illis quæ dicũtur maximæ, nisi quod illas approbat vulgus sicut maximas, istas autem respondens aduersarius.

Quæ sint similatoria. Similatoriæ autem sunt quas studet homo assimilare primis, vel expertis, vel à vulgo approbatis & maximis reputatis: cum tamen non sint vt illæ, sed vt illæ esse videntur: sicut cum dicitur iuuandus esse frater, cum tamen semper in iustis sit iuuandum.

Quæ sint putabiles, & quomodo faciunt præsumptiones rhetoricas. Putabiles autem sunt, quæ faciunt putare aliquid, quãuis sit non ita, quia potest esse oppositum: putatio enim est indeterminatus motus rationis super vtrãque partem contradictionis ad neutrã partem per rationem probabilẽ adiutus, sicut cum dicitur, qui nocte vadit, malefactor est: & istæ faciunt præsumptiones rhetoricas: & sicut hoc quod dicitur, qui associat inimicum, inimicus est, quamuis fortè non sit ita.

Imaginatiuæ vel imitatiuæ quæ sint. Imaginatiuæ vel imitatiuæ sunt propositiones, quas dicimus esse falsas, sed per id cui assimilantur, horrendum vel appetendum imprimunt in anima recipientis: sicut quando dicitur, mel est cholera crocea quam euomit aliquis: & ideo abhorretur sicut si esset verum, cum tamen sciatur esse falsum: & tales sunt propositiones poeticæ.

Quibus conueniant illa species propositionum quæ sunt veritatis non sibilitæ. Et ex omnibus talium generum propositionibus constituuntur argumentationes diuersarum facultatum, quæ omnes sunt sub logica in genere accepta: propter quod etiam poetica secundum Arist. sub logica generali continetur. Quinque autem species harum propositionum, scilicet primæ, sensibiles, experimentales, famosæ, & mediatæ (quæ tamen secum in seipsis habent medium suæ probationis) congruunt demonstrationi in genere acceptæ: eò quod demonstrationis vtilitas est & finis manifestatio veritatis & acquisitio certitudinis. Maximæ verò & concessæ congruunt logicæ, siue dialecticæ, quod est melius. Putabiles

les autẽ & similatoriæ propositiones sunt aptæ argumentationibus sophisticis, nec prosunt nisi vt sciatur ad cauendum eas. Maximæ autem in apparentia & putabiles, siue opinabiles apud plures & receptibiles à pluribus, aptæ sunt argumentationibus rhetoricis & argumentationibus quibus vtuntur probantes apologos. legum diuersarum & omni argumentationi quæ non certificare rem sed persuadere tantum intendit respondenti vel audienti: quæ argumentationes exhortationes dicuntur: de his quidem sunt scientiæ propriè his rationibus vtentes. Transformatiuæ autem propositiones sunt propriæ argumentationi quam sutroicam superius Græco nomine vocauimus vel tentatiuam. Ex his omnibus patet ad quid se extendit logica in genere accepta, & quod immediatè consequens scientia ad scientiam de syllogismo simpliciter, est scientia demonstratiua. Et hæc quæ dicta sunt, de scientiis Arabum sunt excerpta, quorum commentum super hunc posteriorum librum ex sententia Alpharabij Arabis ad nos deuenit.

Obiectio prima. Si autem talis est comparatio libri posteriorum ad librum priorum & ad alias scientias speciales demõstratiuas: tũc videtur, quod scientia posteriorum subalternat sibi scientiam priorum: quia cum liber priorum demonstret medium, modum demonstrationis accipit à libro posteriorum. Similiter & omnes speciales demonstratiuæ accipiunt modum & regulam demonstrandi à scientia posteriorum: & ideo videntur scientiæ posteriorum subalternari.

Secunda.

Solutio prima. Sed ad hoc dicendum, quòd scientia posteriorum magis subalternatur libro priorum, quam è conuerso: cum subiectum huius sit sub subiecto illius. Quod enim artifex libri priorum modum accipit demonstrandi, non est à libro posteriorum, sed à demonstratione quæ est per experimentum & per viam sensus, à quo oritur omnis scientia: & de tali modo demonstrandi non est scientia posteriorum. Ad hoc autem quòd de specialibus scientiis demonstratiuis obiicitur, dicendum quòd istæ non subalternantur nisi secundum quid & non simpliciter: quia non subalternantur ei quoad subiectum & quoad alia quæ requiruntur ad veram subalternationem: sed quia suum modum demonstrandi regunt & regulant ad scientiam posteriorum. Ex his igitur quæ dicta sunt; patet quæcunque ante hanc scientiam sunt requirenda, & vt bene & sufficienter intelligantur, ex Philosophis Arabum hæc sunt interposita. Et vt sciatur ad quantum se extendit scientia quæ communi nomine vocatur logica, & quæ rhetoricam includit & poeticam: quas omnes antecedit grammatica, quam cum cum logica & rhetorica & poetica tradit Arist.

Solutio secunda.

CAPVT III.

Quod scientia intellectiua est ex præexistenti cognitione.

DEterminemus igitur primo vltimum modum cognoscendi eorum quæ verè intellectiua sunt, & intellectualem compositi non simplicis habent intellectus cognitionem: hoc enim congruit, cum scientia demonstratiua simpliciter intellectiua sit, & non imaginabilis vel sensibilis in complexis per intellectum simplicem acceptis. & postea determinemus modum sciendi per demonstrationem quæ ab anticquis Peripateticis discursiua disciplina vocatur: eo quod est per discursum intellectus ab vno in aliud, quem intellectum Isaac in libro diffinitionum vocat ratiocinationem facientem currere causam in causatum. Modum autem cognoscendi intellectualem ex duobus maxime scimus, scilicet sciendo ex quibus præexistentibus cognitis est, & quot modis contingit aliquid præcognoscere.

Omnis doctrina & omnis disciplina intellectiua fit ex præexistenti cognitione. Manifestũ est autem, &c.

Dicamus igitur in primis. Omnis disciplina intellectiua, siue (vt Arabica habet translatio) cogitatiua ex præexistenti aliquorum (quæ sunt apud intellectum præcognita) fit cognitione, vel quæ sunt præcognita apud sensum. Hoc autem probatur per inductionem in omnibus demonstratiuis scientiis & intellectiuis quæ docent per demonstrationem quod docent, quamuis forte in communi vsu demonstratione non vtantur: manifestum est enim hoc speculantibus in omnes intellectuas scientias: mathematicæ enim scientiæ, sicut geometria, astronomia, arithmetica, & musica, per hunc modum intellectualiter & demonstratiue traditæ sunt ex præexistenti videlicet apud nos cognitione. Similiter autem & aliarum vnaquæque artium & potentiarum grammatica, rhetorica, poetica, & logica, & huiusmodi omnes potentiæ siue virtutes quæ vt docentes sunt (quamuis non in vsu) vtuntur demonstratione. Similiter etiam est circa orationes siue argumentationes omnes: siue quæcunque per syllogismos, & quæcunque siue quæcunque fiunt per inductionem: omnes enim illæ ex præexistenti aliquorum procedunt cognitione. Vtraque enim argumentationes tam syllogismus quam inductio, doctrinam faciunt conclusionis ex quibusdam prius notis. Non enim possunt ignotum facere notum nisi ex prius noto: & hoc idem cum causa sua ostendimus à principio istius scientiæ quando scientiæ logices intentionem declarauimus, quæ est de ignoto per notum notitiam facere. Et hoc quidem si facit in incomplexis, facit per diffinitionem in qua diffinientia oportet esse præcognita: si autem facit notitiam ignoti complexi (quod est propositio) facit hoc per argumentationem in qua oportet præcognoscere principia: & sic omnis doctrina & disciplina intellectiua faciens notum quod est ignotum quocunque modo, oportet quòd sit ex præexistenti aliquorum cognitione.

Incomplexũ ignotum fit notum per diffinitionem, complexum autem per argumentationem.

Huius autem causa est, per quam hoc demonstratur, quòd non educitur intellectus possibilis vt fiat actu sciens, nisi per instrumenta & principia quæ habet apud seipsum: & ideo quorum principium apud se non habet, illa nunquam intelligere potest. Instrumenta autem illa sunt principia ex quibus cognitionem accipit, & quæ quasi lumina sunt prima illuminantia ipsum, vt in ipso fieri possint etiã eorum cognitiones quæ ignota sunt, secundum-

quod diaphanum non est receptibile colorum, nisi prius secundum actum lucidi sit dispositum. Et hoc lumen secundum quod est à superiori agente, sic à Philosophis vocatur intelligentiæ irradiatio: secundum autem quòd formale est formaliter ad intellectibilia se habens, dicitur esse habitus principiorum per naturam intellectus apud intellectum existentium.

Nota dicta Boëtij.

Propter quod Boët. assimilat intellectum accipientem notitiam ignoti, homini qui vniuersalia retinet & singula vel singularia perdit: quia lumen principiorum primorum in ipso est, & sine hoc lumine non erit receptibilis scientiæ. Conclusiones autem vocat sicut singularia, quorum notitiam non habet nisi per nota apud se & præcognita accipiat eam. Et hoc quidem Theophrastus sic probauit dicens, quod nihil est receptibile alicuius nisi ex inchoatione vel confusione: quia aliter sicut esset receptibile vnius alicuius in genere vel specie vel numero, ita esset receptibile omnium: quod enim ex sola substantia subiecta recipit, non plus se habet ad vnum recipiendum quam ad aliud: & sic aut omnia reciperet, aut nihil: si autem omnia recipit, non erit motus inter proprios terminos, sed ex omni in omne fiet motus, quod Aristot. reprobauit in primo physic. Si autem nihil recipit: tunc sequitur, quòd non est motus omninò, quod est absurdum. Relinquitur igitur, quòd id quod mouetur ex aliquo in aliquid, apud se habeat aliquid eius ad quod mouetur. Similiter igitur est de intellectu recipiente ignoti scientiam, quòd aliquid ignoti habeat apud se: hoc autem non est nisi illud in quo ignotum est in formali potentia. Est igitur apud intellectum eorum quæ intelligibilia sunt per ipsum, formalis potentia, in qua omnia intelligibilia sunt in suo formali inchoatiuo. Huiusmodi autem sunt principia prima intelligibilium, in quibus intelligibilia sunt in formali potentia, sicut colores sunt in actu lucidi siue diaphani. Est igitur omnis doctrina intellectiua ex præexistenti cognitione. Et hæc Theophrasti probatio procedit & est necessaria, & super eam fundauit Aristot. suum intentionem.

Text. com. 45.

Patet quod vtræque argumentationes, hoc est, inductio & syllogismus, per prius nota faciunt conclusionis doctrinam: nec aliter fieri potest: quia ignoti non accipitur scientia, nisi per nota, sicut in omnibus patet scientiis tam demonstratiuis, quam aliis non demonstratiuis. Hæ quidem quæ inductiones dicuntur vel ad inductionem reducuntur, vt exemplum, accipientes conclusionis notitiam tanquam à notis sensui singularibus: quæ licet secundum se ignota sint, tamen quoad nos tanquam nota accipiuntur: quia cum causata sint & principia formalia habeant ex quibus propriè habent cognosci, tamen quoad nos accipiuntur tanquam prima & in sensu per seipsa cognita. Illæ verò aliæ argumentationes quæ sunt syllogismus & enthymema, reducuntur in syllogismum, demonstrantes siue ostendentes sunt per notum simpliciter, quod est medium & vniuersale quod simpliciter est notum & quoad naturam & intellectum prius.

Nota illam expositionem: nec quia alij expositores aliter exponunt illa verba.

Et sic vtræque viæ per prius nota faciunt doctrinam conclusionis, syllogistice quidem accipientes conclusionis doctrinam tanquam à notis simpliciter: inductiue autem demonstrantes siue probantes vel ostendentes vniuersale per id quod in sensu manifestum est particulare siue singulare.

Innuit alia expositionem illorum verborum: & est expositio communis.

Hic autem Arabicum commentum quædam ponit ab Alpharabio, quæ meo iudicio non sunt necessaria: dicit enim, singulare quoddam in sensu est, quoddam in intellectu. Singulare quidem in sensu est materiale accidente proprio & incommutabili determinatum: singulare autem in intellectu dicit hanc formam ab hoc singulari abstractam, quæ est in anima accidens, quod vocatur habitus vel dispositio: & est singulare per indiuiduationem animæ cui inest determinatum ad singularitatem. Vniuersale autem insensu dicit Alphara. eò quod in singulari est mixtum & confusum, quo hic homo est homo, & hoc animal est animal, & hoc lignum est lignum. Vniuersale autem in intellectu dicit id quod in vniuersalitate ex singulis apprehensis agit intellectus ex hoc quod vnam rationem videt in omnibus singulariter apprehensis, quæ sunt vnius generis vel speciei. Et hanc opinionem videntur approbare Auicenna & Algazel & quidam alij, quam & ego non vitupero: eò quod multorum est, & ferè omnium etiam Latinorum.

Opinio Alpharabij ponentis singulare in intellectu.

Improbatio.

Sed hoc dico, quod hæc opinio non congruit dictis Aristotelis, nec vniuersaliter est vera: quia ex hoc quod vniuersale denudatur à materia & indiuiduantibus, eò ipso est vniuersale: & quod hoc modo abstrahitur ab vno, est idem cum eo quod abstrahitur ab alio: vnde eo ipso quod est in intellectu, est vniuersale.

Quomodo vniuersale non indiuiduatur per intellectum, nec recipitur in eo sicut accidens in subiecto.

Et quod quidam dicunt, quòd indiuiduatur per intellectum sicut per subiectum, non est dictum secundum Aristot. nec secundum Peripateticos: quia non est in intellectu sicut accidens in subiecto, nec intellectus vniuersalis hoc modo est receptiuus, sed potius prout est in lumine intelligentiæ, formaliter illustratur: & ideò recipit ipsum sicut species eius quod est intelligibile, sicut lucidum secùndum actum species est formalis colorum, & recipit ipsum secundum quod sunt in esse abstractionis. Aliter enim sequeretur, quòd intellectus à quolibet intelligibili denominaretur sicut subiectum denominatur ab accidente: & sicut homo dicitur albus, vel niger, vel coloratus, & qualis: & sic intellectus diceretur humanus ab hominis forma, & asininus ab asini forma, & ligneus à forma ligni, quod absurdum est.

Prima ratio.

Et ideò secundum Aristot. vniuersale est in intellectu in esse abstractionis: & hoc est sibi in intellectu esse quod est abstractum esse, quod est in actu lucidi esse. Et ideò non denominat intellectum: quia specificatum non denominat speciem vel specificans, sed potius species & specificans denominat specificatum: intellectus species est intelligibilium: & ideo id quod intelligitur, dicitur intellectuale secundum suum esse, & dicitur vniuersale secundum suam potentiam: & intellectus non dicitur vniuersalis,

Quomodo vniuersale est in intellectu in esse abstractionis.

vniuersalis, neque humanus, neque asininus. Ista est directè opinio & sententia Aristot. loquentis contra Theophrastum, qui fuit de priori opinione quæ dicta est, quòd intellectus receptiuus sit formæ abstractæ, sicut materia receptiua est formæ.

Secunda.

Huius autem adhuc alia ratio est: quia vniuersalis mixti in singularibus causa indiuiduationis non est substantia vniuersalis quæ de se communicabilis est, nec potest esse idem principium communicabilitatis & incommunicabilitatis, sed causa indiuiduationis est materia & proprium accidens: cessante ergo causa vniuersale remanet vniuersale: cessat autem causa separata materia & accidente proprio indiuiduante, manet ergo vniuersale sicut fuit de sui natura & substantia: sic autem cessat causa per intellectum: ergo in intellectu est vniuersale, & est vniuersale per hoc quod est in intellectu, & secundum quod est in intellectu.

Tertia.

Adhuc si quod abstrahitur à Sorte, singulariter est in intellectu, & id quod abstrahitur à Platone, & ita de aliis: tunc sequeretur, quòd eiusdem penitus rationis formæ multæ simul & semel & secundum idem essent in eodem subiecto, quod est impossibile & non intelligibile.

Quarta.

Adhuc autem vanè & frustra essent ibi multa diuersa à singularibus accepta: quia idem iudicium intellectus est per vnum sicut per multa. Et hæc omnia dicit Aristot. in diuersis locis, & sunt vera: & ideo opinio sua est, quòd vniuersale est vniuersale per hoc quod in intellectu est, nec aliquo modo potest indiuiduari in ipso.

Dicat tamen quilibet quod vult, quòd ego non præiudicio alicui, sed dico quod dictum Aristot. intelligo: dictum autem illorum qui dicunt vniuersale per esse indiuiduum esse in intellectu sicut in subiecto, nullo modo possum intelligere. Sicut autem est in scientiis perfectam argumentationem habentibus, ita etiam est in potentiis & artibus habentibus argumentationem imperfectam, quòd omnes fiunt ex præexistenti cognitione & ex præcognitis.

Similiter autem & rhetoricæ persuadent. Quare dixit, rhetorica persuadeni, & non dixit probant.

Similiter enim, sicut dictum est, & rhetoricæ scientiæ persuadent. Dico autem persuadent: quia non verè probant vel concludunt propter mediorum suorum & principiorum imperfectionem, quæ generalia non sunt, & dici de omni vel de nullo non habent: & ideò ex verisimilibus potius generant persuasionem & suspicionem quam certam scientiam: aut enim persuadent per exempla prius nota, quod est facere quandam inductionem, quia multa exempla inductionem faciunt, non quidem sola, sed addito quod simile sit in omnibus, vel quod sic sit de singulis: & ideò exempla sola non sunt vera inductio, sed inductionis aliquid, & tunc persuadent ex prius notis, vt paulò ante dictum est: aut persuadent per enthymemata, quod scilicet persuadere verè est syllogismus: quia duo enthymemata sine omni alio addito faciunt syllogismum verè: & hæc in fine secundi priorum demonstrata sunt: & si syllogismus est ex præexistenti cognitione: tunc sequitur, quòd etiam enthymema sit ex præexistenti cognitione. Probatum est ergo & per inductionem scientiarum & per inductionem argumentationum & perfectarum & imperfectarum, quòd omnis scientia intellectiua est ex præexistenti cognitione.

Quare dixit, disciplina intellectiua.

Nec dicitur scientia intellectiua, eò quod aliqua sit scientia sensibilis: sed ideò dicitur, quia aliqua cognitio est experimentalis quæ non est ex præexistenti cognitione, sed potius ex immediata acceptione sensibilium & sensibilium collatione per intellectum reflexum ad sensum, non per intellectum secundum se & purum.

Quomodo littera Arabica habet, cogitatiua, & quomodo ista littera intelligenda: & est alia expositio à prima.

Habet autem Arabica translatio, cogitatiua, innuens hic illud quod dicit Augustin. quòd cogitatio est coagitatio aliquorum per intellectum, sicut fit in scientia per argumentationem accepta: in illa enim cogitantur principia adinuicem & ad conclusionem: & talis est logica scientia & pars eius quæ est demonstratiua: & sic intellectiua est in composito intellectu, qui verorum est, vt dicit Aristot. in secundo de anima. Et tunc dicitur intellectiua scientia ad differentiam scientiæ incomplexorum, quæ dicitur ab Auicenna scientia per informationem & non per actum intellectus. Et scias, quòd secundum hæc scientia intellectiua est secundum scientiam in agere dictam, quam agit intellectus ex scientia in vniuersali & ex scientia in particulari siue in propria natura dicta.

Differentia inter doctrinam, disciplinam, & scientiam secundùm quosdam.

Scias etiam, quòd ab omnibus dicitur, quòd doctrina & disciplina & scientia differunt secundum quid: cum hæc omnia sint subiecto vnum, scientia scilicet conclusionis: sed dicitur scientia prout secundum se adepta quiescit in anima, sed doctrina prout est ab ore doctoris transfusa, disciplina autem prout est à discente susceptа. Sed scias, quòd hic non est intellectus Aristot. sed vocat scientiam habitum conclusionis, doctrinam secundum quod emanat ex principiis. Vnde dicit in principio metaphysicæ, quòd signum scientis & maximè sapientis est posse docere. Disciplinam autem: quia non nisi per medium & per principia est susceptа, & sine quibus non susciperetur: & tunc disciplina non est nisi scientia mediata & principiata.

Differentia inter illa secundum Aristotelem.

Et hoc modo planè verum est & cuilibet manifestum, quòd omnis doctrina & omnis disciplina est ex præexistenti cognitione: & hoc totum fundatur super hoc quod dudum est dictum & probatum est: quia nihil ignotum potest fieri notum nisi per aliud notum, & quòd intellectus non accipit scientiam aliquorum, nisi quorum principia & inchoationes sunt apud eum: & hic proculdubio Aristot. est intellectus. Et est aduertendum, quòd cum demonstratiua scientia sit intellectiua & maximè & præcipuè sit doctrina & inter omnes magis sit hoc modo dicta disciplina, de ipsa præcipuè est vera propositio quæ dicit, quòd omnis doctrina & omnis disciplina intellectiua est ex præexistenti cognitione. Sic propositio prima reducitur in syllogismum & demonstrationem. Hæc enim de pertinentibus ad primam propositionem dicta sunt.

CAPVT IV.

Quod duplex est præcognoscere & præcipuè in scientia demonstratiua.

QVia igitur doctrina est ex præexistenti cognitione, oportet determinare quibus & quot modis contingit præcognoscere, & hoc primo determinando circa principia, deinde circa conclusiones. Determinemus igitur primo modos præcognoscendi, & dicamus quæ oportet circa illos præcognoscere. Dicamus igitur, quòd de quibusdam oportet præcognoscere & præopinari, quia sunt, vt de dignitatibus. De quibusdam autem præcognoscere oportet quid est quod dicitur per nomen, vt de passionibus. De quibusdam verò oportet vtroque modo præcognoscere, vt de subiectis. Exemplum autem istorum est, quòd de ista dignitate (quæ omnibus aliis est prior, vt dicit Aristot. in quarto primæ philosophiæ) quòd de omni est affirmatio vel negatio vera, oportet præcognoscere & præsupponere quia est: hæc enim si negetur, ostensiue probari non potest, quamuis probetur per deductionem ad impossibile: quod tamen impossibile non reputaretur ab eo qui dicit contradictoria simul esse vera. De passione autem quæ est triangulus, quoniam hoc quidem significat, hoc est, quid dicitur per nomen eius: & hoc est ideo: quia non potest sciri quid est passio nisi per subiectum & subiecti proprij diffinitionem, per quam subiecto probatur inesse: & hoc est post demonstrationem qua probatur inesse subiecto, & non ante ipsam: sed si nesciatur quid est quod dicitur per nomen, de subiecto passio probari non potest: quia per diffinitionem passionis probatur inesse subiecto: vnde in passione quid est, est præcognitio: principium enim est ad cognoscendum quia est: & ideò cognitio quid est, præcedit demonstrationem: & cognitio quia est, sequitur eandem. Nec est inconueniens, quòd triangulus denominatiuè dictus sit passio: quia quamuis triangulus secundum quod dicit subiectum & figuræ speciem, sit subiectum multarum passionum, tamen ipse triangulus circa figuram passio est, quæ probatur de subiecto, sicut patet in omnibus figuris quæ sunt de compositione trianguli, sicut est prima Euclidis, & multæ aliæ quæ de compositione trianguli sunt, vel huius trianguli vel illius in specie triangulationis determinati.

Quædam autem oportet præcognoscere vtraque præcognitione, siue vtroque modo, vt de subiecto (sicut de vnitate) oportet præcognoscere & quia est, & quid est quod dicitur per nomen: quia aliter passio non potest probari de illo, sicut patebit in sequentibus. Non enim similiter (hoc est, vno modo præcognitionis) horum vnumquodque præmanifestum ante demonstrationem est nobis. Cum enim dicitur, quòd oportet præcognoscere principium, communiter accipitur principium vt comprehendit principium complexum quod est dignitas, & principium incomplexum quod est subiectum vel passio: quamuis enim passio secundum suam diffinitionem non sit principium, sed principiatum vt ex alio fluens & alij inhærens, oportet tamen quod sit præiacens ad demonstrationem scire quid sit: quia aliter per demonstrationem non posset probari inesse subiecto.

Attendendum tamen, quod etiamsi dignitate debeat vti demonstrator, oportet quòd sciat quicquid dicitur per nomina in dignitate posita: tamen quia scientia quid quod dicitur, est per diffinitionem, & diffinitio propriè est incomplexorum, sicut sæpius in hac scientia ostendimus, & maximè in libro diffinitionum, & non refertur scientia quid est, ad complexa nisi per consequens: ideo dicit Aristot. quòd oportet præcognoscere de dignitate quia est, & tacet de præcognitione quid est. Et hoc est quod multi dicunt. Veritas autem secundùm intellectum Aristot. est, quòd demonstrator in demonstratione non præutitur scientia quid est de dignitate, sed scientia quia est tantum, quod scilicet verum sit quod dicit dignitas: & ideo demonstrator in demonstratione non cognoscit quid est de dignitate, quamuis putatur in præcognitione dignitatis, quid est quod dicitur per nomen: quia dignitatem scire non potest nisi sciat quid est quod dicitur per nomina posita in dignitate. Et hic est intellectus Aristot.

Adhuc autem notandum, quòd præcognitio quia est, non primo inest incomplexis & per ea complexis per consequens, sed vtrisque inest æquè primo, secundum quod verum & esse conuertitur cum omni ente: vnde de asino est præcognoscere quia est, & de homine, & sic de aliis. Sed non oportet præcognoscere quid est ipsa complexio complexi principij quod est dignitas, per diffinitionem: & ideo non oportet præcognoscere quid est de dignitate: & hoc quidem planum est omni homini etiam parum de hoc cogitanti & consideranti.

Adhuc autem notandum, quòd quamuis in dignitate prædicetur aliqua passio de aliquo subiecto: non tamen gratia illius passionis oportet præcognoscere & præsupponere quid est in dignitate, & gratia subiecti, quia est & quid est: ita quod propter duo quæ sunt in dignitate, oporteat præcognoscere de dignitate & quid est & quia est: quia proprietas inhærens subiecto dignitatis, non est passio probata & concluſa de subiecto dignitatis per scientiam demonstratiuam: & ideo de dignitate præcognoscitur quia est & non quid, vt dictum est.

Adhuc autem principia demonstrationis non sunt tantum dignitates, sed etiam suppositiones & petitiones, sicut patet in principio Euclidis, quæ omnia oportet præcognoscere: & ideo talia omnia supponuntur hîc in nomine dignitatum largè sumendo dignitatem.

Adhuc autem quamuis medium sit necessarium in demonstratione: tamen non dicitur, quòd de ipso oportet præcognoscere vel quid est vel quia est: quia medium inuestigandum est, vt dicit Aristot. in primo priorum, & ideò de ipso præcognoscere non oportet. Forte tamen

Dupliciter autem necessariò est præcognoscere, &c.

Tex. com. 9. Hæc dignitas, de qualibet dicitur esse vel non esse, potest probari per impossibile. Innuit hic medium possibile demonstrationis esse diffinitionem subiecti: & huic videtur immediatè contradicere in sequentibus verbis: ergo contradictio. Resolutio capitur in fine huius capitis.

Quomodo triangulus potest esse subiectum & passio.

Sed vnitatem, &c.

Quomodo de passione oportet præcognoscere quid, cùm sit quid non sit principium, sed principiatum.

Quare de dignitate nō dixit esse præcognoscēdum quid est.

Remouet dubium.

Remouet dubium.

Remouet dubium.

men quid sit oportet in medio præcognoscere ante demonstrationem: sed hoc postquam inuestigatum est medium: cum enim in omni doctrina & disciplina addiscendæ sint res super quas fundatur illa scientia per propria & instituta illius scientiæ vocabula siue nomina: cum nihil contingat secundum veritatem vel addiscere vel cognoscere, nisi per significationem nominum, vt dicit Aristot. in quarto primæ philosophiæ: necesse est de omnibus præcognoscere quid est quod dicitur per nomen: quia aliter doctrina fieri non potest.

Tex. com. 10.

Omnium autem horum ratio & causa hæc est, quòd res significatæ in scientia, aut sunt principia, aut sunt principiata. Et siquidem sunt principiata, esse suum quia sunt, habent ab aliis: & ideò non potest hic (quia sunt) supponi de ipsis, sed debet probari per principia. De principiis autem quia esse suum non habent ab aliis, in ipsa scientia oportet relinqui quia sunt, nec potest probari de ipsis. Principiata autem sunt passiones quæ causantur ab subiectis, & ideò probantur de ipsis.

Sic ergo patet qualiter duplex est præcognitio, scilicet quia est, & quid dicitur per nomen, quæ communis est omnibus tam complexis quam incomplexis per aliquem modum. Et sic patet sufficientia præcognitionum: cum præcognitio aut sumatur ex parte vocis significantis; aut ex parte rei: & præcognitio ex parte rei sit præcognitio quia est, ex parte autem nominis significantis rem sit præcognitio quid est quod dicitur per nomen. Quamuis autem duæ sunt præcognitiones tantum, tamen tripartita est præcognitio: quia in quibusdam duæ præcognitiones coniunguntur & faciunt vnum præcognoscendi modum, in aliis autem diuisæ faciunt duos: & sic sunt tres modi præcognoscendi.

Sufficientia præcognitionum.

Vult tres esse præcognitiones, scilicet quid tātum, quia tātum, & simul quid & quia.

Sciendum etiam, quòd esse de subiecto, siue quia est, simpliciter & per essentiam non potest sciri, nisi præcognoscatur quid est subiectum: Quæstio enim quæ est si est, sciri non potest per se & per essentialia, nisi sciatur & cognoscatur quæstio quid est: potest tamen sciri per accidentalia si est subiectum etiam non cognito quid est. Et similiter de passione, quòd non scitur quia est, nisi sciatur quid est, si per essentialia debet sciri quia est: sed per medium accidentale sciri potest quia est, non præcognito quid est per essentialia. Hæc sunt quæ à Commentatoribus hîc dici consueuerunt.

Dictum Porphyrij in cōmento, quòd tria sunt in demonstratione, de quibus oportet præsupponere aliquid.

Dictum autem Porphyrij in commento est, quòd in demonstratione tria sunt, scilicet id quod est causa consequentiæ, & hoc est principium: & passio quæ probatur inesse subiecto, & subiectum cui per se & non per alterum inest passio. De principio igitur oportet supponi & præsciri quia est, & quia verum est: quia esse & esse verum conuertuntur: quia nisi hoc præsciatur, nulla erit consequentia demonstrationis, cum principium per hoc quod est, & per hoc quod de necessitate est verum, sit causa consequentiæ. De passione autem præscitur quid est: quia per suum quid est, hoc est, per diffinitionem, multoties probatur inesse subiecto. De subiecto autem & quid est & quia est: quia per quid est, quod est eius diffinitio, scitur esse subiectum per se passionis: eò quod passio manat de substantialibus subiecti: nec potest sciri, quòd proprium subiectum sit passionis, nisi per quidditatem essentialium subiecti. Oportet etiam præcognoscere quia est: aliter passioni non substaret. Et quia subiectum sic dupliciter se habet ad passionem, vt causa scilicet, & subiectum: ideo de ipso inquantum est causa, oportet præcognoscere quid est: & de eodem inquantum immediatè substat passioni, oportet præcognoscere quia est. Et iste proculdubio est intellectus Aristot.

Innuit diffinitionem passionis esse

medium in demonstratione, & per ea dicit illud esse subiecti diffinitionem: tamen hoc est dissertissimè, vt elicitur ex verbis istis: & per hoc tollitur contradictio.

Quare de subiecto.

Quod autem vnitas dicitur subiectum, in arithmeticis & in septimo Euclidis satis patet: quia multa probantur de ipsa, quod scilicet sit indiuisibile, quod non habeat positionem, & quia quod sit substantia numeri, & multa alia. Hæc igitur de præcognitione principiorum dicta sunt: quæ enim quæri possunt, facilè patent ex dictis.

oportet duo hic præcognoscere, scilicet quid & quia.

Quod rectè sumpseris vnitatē pro subiecto.

CAPVT V.

De cognitione conclusionum.

POst cognitionem principiorum determinandum est de præcognitione conclusionum. Quia verò conclusiones sunt duplices, scilicet vniuersales, & particulares, determinabimus vtrarumque conclusionum præcognitionem. Dico autem hanc solam conclusionem vniuersalem, in qua proprium subiectum & per se subiectum signo vniuersali distributum, subiicitur passioni propriæ quæ est per se prædicatum ipsius. Conclusionem autem particularem voco, in qua idem subiectum determinatum ad propriam naturam, eidem subiicitur passioni sine signo vniuersali: sicut si probatur, quòd iste triangulus (qui est in semicirculo qui est triangulus super circumferentiam) habet tres, hæc est conclusio particularis: & vtramque oportet cognoscere.

Est autem cognoscere alia quidem prius, &c.

Hoc ergo modo procedentes dicimus, quòd est cognoscere alia siue quædam prius per cognoscentem ea, hoc est, quasdam conclusiones, sicut vniuersales contingit scire, ita quòd sciens eas, cognouit eas in suis principiis per quæ concluduntur, sicut patet in omnibus Euclidis theorematibus, quorum est semper præcognitio in principiis per quæ concluduntur: & est ista præcognitio in potentia præcognoscere & in vniuersali, in quo illa conclusio est in potentia formali & actiua.

Præcognitio conclusionis in principiis suis, est præcognitio in vniuersali & in potentia formali.

Quorundam autem sicut conclusionum particularium est simul cum vniuersali, in quod inducuntur, accipere notitiam, sicut sunt conclusiones particulares quæcunque contingunt esse, acceptæ sub vniuersalibus conclusionibus, in quas inducuntur: quorum vniuersalium iam habent cognitionem per syllogismum demonstratiuum. Huius autem exemplum est, quòd aliquis præsciuit per demonstrationem ex propriis principiis, quòd omnis triangulus habet tres æquales duobus rectis, & hoc per demonstrationem conclusit. Quod vero is

Quorundam autem simul accipere notitiam, &c.

particularis qui est in semicirculo triangulus sit, & duobus rectis æquales tres habeat, simul inducens cognoscit, hoc est, quòd particulare in vniuersale induxit sic: omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis: triangulus in semicirculo est triangulus: ergò habet tres æquales duobus rectis. Particulare enim probatur per vniuersale: & ideo sic præcognosci habet inquantum inducitur in vniuersale: & hæc inductio in minori propositione est, in qua medium de minori prædicatur extremitate: & nihil aliud est inductio nisi medium applicatum ad minorem extremitatem sumptam sub medio quod per se subiectum passionis est.

Quorũdam enim hoc modo disciplina est, &c.

Quorundam siue quærundam conclusionum sicut particularium hoc modo per reductionem in vniuersale est disciplina siue acceptio scientiæ: & illa non cognoscuntur per medium demonstratiuum: quia vtrumque non cognoscitur per medium demonstratiuum: eò quod per se passio non inest particulari, sed vniuersali inest primo & per se & immediate. Possunt tamen hæc per aliud non demonstratiuum cognosci, quia hoc hic non negatur, & huiusmodi sunt quæcunque iam per sensus (eò quòd singulare per sensus ostendatur) & quæcunque iam de numero singularium sub vniuersali acceptorum contingunt esse. Et dico contingunt: quia talibus contingit passio, & non primò & per se conuenit eis, sed per aliud: sic enim cognoscuntur quæcunque sunt singularia & non dicuntur de subiecto aliquo, sicut dictum est in prædicamentis, de substãtia prima, quæ principaliter & maximè dicitur, quæ omnibus subsstat & de nullo prædicatur vt de subiecto: hoc non cognoscitur per medium demonstratiuum, sed cognoscitur per subiectum primum quod immediatum est passioni quando inducitur in subiectum illud. Quod autem hîc quidam dicunt, quòd cognitio refertur ad sensibilem particularium cognitionem, & scire refertur ad acceptionem vniuersalis per intellectum vel mentem, non est curandum: quia hîc non habet locum: quamuis commentum hoc dicat, quod ferè concordat cum Themistio.

Differentia inter cognitionem & scientiam secundum Arabicum commentũ: licet Themistius hanc expressè non ponat.

His habitis dicendum est, quòd inuenitur alius modus præcognitionis à prædictis, & est ille quo præscitur conclusio in suis præmissis vel principiis tanquam id quod scitur in altero quod formaliter est causa ipsius antequam sciatur in seipso.

Antequam autem sit inducere aut syllogismũ accipere, &c. *Conclusio scitur in principiis suis in potentia formali. Quidã dicunt quod dixit fortassè præter opinionem Platonis & Socratis & aliorũ Stoicorum.*

Vnde antequam sit inducere, hoc est, per inductionem aliquam conclusionem accipere, aut antequam sit accipere conclusionem aliquam per syllogismum sicut accipitur illius conclusio, quodam quidem modo dicendum est scire siue præscire illam conclusionem: scire enim contingit eam in suis principiis, in quibus scitur in potentia formali: forsasse enim hoc verum: quinimò verum est: quamuis Plato & Socrates aliter dixerint & multi de secta Stoicorum. Alio autem modo sciendi secundum scire in actu & in propria natura tales conclusiones non contingit præscire. Id enim quod aliquis nescit vel non sciunt simpliciter, hoc est, in propria natura & secundum actualem scientiam si est vel non est, hoc quodammodo sciuit vel scire potuit: & est scire in suis principiis scitis, in potentia & secundum quid scire vel præscire, & non simpliciter: sicut præscire contingit, quòd trangulus habet angulos valentes per æqualitatem duos rectos, in præmissis siue principiis quibus hoc probatur: simpliciter autem nescitur, hoc est, non habuit scientiam de ipso, quæ simpliciter est scientia quæ est cognitio conclusionis in propria natura & secundum agere per determinatam conclusionem comparatiue ad præmissas acceptam. Sed manifestum est ex inspectione mõdorum præcognoscendi, quòd qui scit in alio siue in principiorum potentia aliquid, scit secundum quid: simpliciter autem non scit, quia res scita secundum quid est in suis principiis & non simpliciter, & ideò in illis scitur secundum quid: simpliciter autem non scitur, eò quod res est ita & scitur, quia eadem sunt principia essendi & cognoscendi, sicut probatur in prima propositione primi physicorum.

Fer. com. 1. Si verò nõ. Mennonis ambiguitas continget, &c. *Mennon Socratis & Platonis discipulus. Quæstio Mennonis.*

Quòd hæc quæ dicta sunt, vera sint, probatur per ad impossibile deductionem si detur oppositum, quòd scilicet simpliciter conclusiones præsciantur, & non tantum secundum quid. Si enim hoc detur: tunc contingit ambiguitas esse vera & probata. Mennon autem Mennonis media producta, vt Græci pronuntiant, fuit quidam Platonis & Socratis discipulus, ad quem per modum epistolæ scripsit responsionem factam ad quæstionem Mennonis, quæ fuit, virtutes intellectuales sicut est sapientia, scientia, intellectus, prudentia, & ars: & virtutes morales, fortitudo, temperantia & iustitia: vtrum essent bonum assuescibile, vel discibile, vel à diis datum per conuersionem animæ ad seipsam & ad ea quæ habuit à seculis æternis, in quibus fuit (vt Socrates & Plato dixerunt) intra seipsam. Et consentiunt in hoc Plato & Socrates multique alij, Boëtius, & Augustinus, & etiam vt videtur, Gregor. Nissenus, quòd virtus sit nec assuescibile bonum, nec discibile, sed à Deo vel diis datum per conuersionem animæ ad seipsam: quod vocant illi intellectum adeptum. Sic enim discere non esset nisi immemores recordari vel reminisci: & hoc quidem accidit si concedatur ante conceptam conclusionem eam præsciri simpliciter: quia quod scitur simpliciter, nõ semper actualiter consideratur: & tunc recordatur actu cum ex eo quod prius apud se habuit ad considerationem rei conuertitur, & hoc esset scire quod est prioris quod apud se habuit recordari. Aut enim secundum hoc nihil discit aliquis: aut omnis qui discit, discet ea quæ prius nouit simpliciter.

Aut enim nihil discét, aut quæ nouerunt, &c.

Hoc autem probauerunt: aut enim aliquis discit hoc quod præsciuit simpliciter & nullo modo ignorat, aut quod simpliciter ignorat & nullo modo præscit, aut simpliciter præscit & secundum quid ignorat, aut è conuerso simpliciter ignorat & secundum quid præscit. Si primo modo, scilicet simpliciter præscit & nullo modo ignorat: tunc sequitur, quòd discere secundum actum sit reminiscentia prius scitorum. Si secundo modo, scilicet quod simpliciter ignorat & nullo modo præscit: tunc quæsitum quando inuenit non cognoscit esse inuentum:

inuentum: quia nihil habet apud se vnde illud cognoscat esse quæsitum quod quæsiuit. (Et Augustinus quidem dat exemplum de seruo fugitiuo, quem nullo modo cognoscit dominus: & tamen quærit eum: quem si inuenit, casu inuenit: & quia inuentum non cognoscit vel præcognoscit, ideo nescit se inuenisse eũ quando inuenit) & si hoc: tunc non contingit aliquid discere: quia discitur quod inuenitur & cognoscitur postea: hoc autem postquam inuentum est, non scitur & non cognoscitur. Si verò simpliciter præscit & secundum quid ignorat: tunc quod discitur, non discitur nisi secũdum quod quod ignoratur, ad reminiscentiam reducitur: & hæc est reminiscentia quæ secundum Aristot. in libro de reminiscentia, est super partem obliti. Tribus ergo membris inducta diuisionis falsis existentibus, relinquitur quartum membrum esse verum, quod ea scilicet quæ syllogismo vel inductione docentur vel addiscuntur, simpliciter quidem præignorantur & secundum quid præsciuntur, vt supra dictum est. Nos autem in sequentibus vt perfectior sit doctrina, istam determinabimus quæstionem. Patet igitur, quòd si oppositum detur, quòd alterum duorum sequitur: aut quod nihil discet, quod sequitur ex secundo membro diuisionis: aut quod discit quod prius simpliciter cognouit, quod sequitur ex primo membro diuisionis & ex tertio.

Reminiscentia est super parte obliti.

Et hanc quidem Mennonis ambiguitatem quidam soluere conati sunt, quamuis non soluant. Non enim dicendum est soluere hanc ambiguitatem sicut quidam argumentantur, hoc est, ratione sophistica probant eam soluere. Cum enim quæritur ab aliquo à respondente & dicente post factam demonstrationem, nunquid scuisti (per demonstrationem vniuersalem quæ probat, quòd dualitas est par numerus per hoc quòd diuiditur in duo æqualia) omnem vniuersaliter dualitatem esse parem, vel non? Dicente autem respondente, quòd scit sic per demonstrationem factam, hoc est, quòd omnis dualitas est par, instant: attulerunt enim proferendo in publicum quandam particularem dualitatem forte lapidum quam in sinu vel manu absconderant, quam respondens in particulari non opinatus est esse, hoc est, de qua verum esset vel non esset, nullam habuit opinionem: & dixerunt, de hac dualitate nescisti, vtrum esset vel non esset par: ergo non omnem dualitatem sciuisti esse parem. Hoc enim quidam malè soluunt dicentes, quòd cum dicit respondens per demonstrationem factam se scire omnem dualitatem esse parem, intelligitur de omni quam sciuit esse dualitatem siue quod dualitas sit.

Non enim sicut quidã argumentantur soluere, &c.

Solutio quorundam.

Hæc enim solutio nulla est: quia in se continet opposita per contradictionem: quia quamuis alia sint scita, tamen omnes discentes & accipientes doctrinam, si accipientes sciunt simpliciter illud cuius veram habent demonstrationem (cum ille sit verissimus sciendi modus) & sciunt illam conclusionem cuius acceperunt demonstrationem simpliciter: acceperunt autem demonstrationem non de omni de quo sciunt: quia hoc demonstrationis non potest esse subiectum, cum nec per se nec de omni conueniat ei passio: quia hæc propositio, omnis dualitas quam scio dualitatem esse, est par, nec simpliciter vniuersalis est, nec per se conuenit ei prædicatum: vnde demonstratio non concludit de dualitate quam sciunt, sed simpliciter de omni: & similiter demonstratio concludens, quòd triangulus habet tres æquales duobus rectis, non cõcludit de omni quem sciunt, sed concludit simpliciter de omni numero dualitatis & de omni figura triangula trilatera & rectilinea: quia de alia figura quæ componitur ex lineis curuis, non est verum: hæc enim aliquando habet tres angulos maiores tribus rectis. Cuius ratio est: quia neque vna, hoc est, nulla propositio in demonstratiuis ita accipitur: quia propositiones demonstratiuæ simpliciter sunt vniuersales & per se: vnde nulla harum sic accipitur de eo quem tu nosti numerum, aut quam nosti rectam lineam: sed propositio demonstratiua accipitur demonstratiuè simpliciter de omni. Propter quod dicens hanc solutionem, opposita dicit: demonstratione enim facta scit de omni concludi simpliciter: addens autem quæ ego noui, dicit non esse de omni: & sic includit illa solutio contradictorie opposita: & sic patet, quòd non valet.

Sed etiam sciunt quidem cuius demonstrationem habent, &c.

Quomodo illa solutio implicat cõtradictionẽ.

Soluitur autem verè inducta dubitatio; dicendo quòd nihil vt opinor. Et vt opinor dico propter Platonis & Socrat. reuerentiam, non tanquam incertum sit quod dicitur. Dico igitur, quòd nihil de inductis rationibus prohibet: quoniam est siue contingit id quod discit aliquis per syllogismum & inductionem, sic, hoc est, quidem in alio & in potentia scire siue præscire: est autem sic, hoc est, alio modo ignorare, simpliciter scilicet & in propria natura & in scientia secundum agere. Inconueniens enim non est si quodammodo & secundum quid scit, quod simpliciter addiscat: sed hoc est inconueniens si eodem modo dicatur præscire quo addiscit: quia ex hoc sequeretur, quòd secundum idem sciret & secundum idem ignoraret. Hæc igitur est vera solutio ambiguitatis, quod id quod syllogistico vel inductione addiscitur simpliciter, potest in suis principiis secundum quid præsciri.

sed nihil vt opinor, &c.

CAPVT V.

De dubitatione Mennonis & solutione.

Quomodo dubitatio Mennonis fundabatur super opinionem Anaxagoræ.

Hic autem vt perfectior sit doctrina, interponenda est dubitatio Mennonis & soluenda, quamuis hoc ad metaphysicum pertinere magis videatur. Scias ergo, quòd dubitatio Mennonis super antiquissimam Anaxagoræ opinionem de latentia formarum fundata est, qui dicebat omnes formas per motum accipiendas, iam intus esse in quolibet accipiente eas, sed latere & non apparere, & per motum non nisi deputari materiam vt appareat quod intus latebat: & dabat exemplum de metallo vel lapide pretioso, cuius splendor etiam quando rudis est, iam intus est, sed per

rectionem & posit onem præparatur vt appareat, sicut dicunt & Damasc. & Gregor. Nisse-nus, qui sic hanc opinionem exponunt. Hanc autem probauerunt sic, quod nihil exit in actum de potentia, nisi per id quod existit in actu in eodem: quia oportet, quod agens in motu communicetur mobili quod mouetur: si ergo educens materiam in actum coniunctum materiæ, in actu sit, nihil recipit materia nisi quod prius secundum actum fuit in ipsa: & sic mouere secundum formam, nihil est nisi de occulto & secundum actum in existente venire ad apertum.

Similiter autem dixerunt esse in anima in acceptione veritatis intellectualis & moralis: eo quod putabant ita se habere intellectum ad virtutem, sicut se habet materia ad formæ susceptionem. In quo errore etiam fuit Theophrastus, quamuis ab ipso magistro suo Aristot. correctus fuerit, vt dicit Commentator super tertio de anima, & ideo dixerunt intus esse scita simpliciter, sed latere, eo quod intellectus in hominibus non est possessus vel adeptus, sed potius passionibus & phantasiis inuolutus & impeditus: adeptum enim vel possessum intellectum vocant, quando homo liberè & sine impedimento potest ex facilitate conuerti ad intellectum purum & verum sui putitate per auertionem sui à passionibus & phantasiis: & tunc dicunt talem intellectum omnia inuenire apud seipsum, & per doctrinam depurationem fieri & per assuefactionem boni: per syllogismum autem & inductionem nihil accipere nouum, sed omnia habentem intellectum reduci ad illius vel illius actualem considerationem: quod tamen simpliciter ante habuit in seipso.

Quinque rationes pro opinione Mennonis & Stoicorum

Hi autem suæ positionis potissimas dabant quinque rationes. Vna quidem quæ dicta est, quòd si nihil sit in actu, nisi per id quod in actu est, & per id quod facit in actu esse: conuenient tamen ei quod fit & mutatur de potentia in actum.

Prima ratio.

Secunda ratio. Text. com. 25.

Secundam autem dicebant esse quæ superius posita est, quòd si scita non sunt intus, quod nihil scitorum cognoscitur quando inuenitur: quia non cognoscitur, nisi simile simili, sicut in primo de anima probatum est in Empedo. opinione. Cuius igitur non est simile in discente, nunquam cognoscitur.

Tertia ratio.

Tertia fuit cui maxime innitebantur: quia formæ formantes omnem rem, ante rem formatam sunt, sicut sigillum ante ceram: & cum formas quod vocatur in physicis formatiuum, semper sit intra formatum, sicut patet in omni generatione: formatiuum autem non formatur, nisi ad suam speciem: & nihil aliud format, nisi suam speciem transferendo in formatum: oportet, quòd omne formatum per speciem suam fuerit ante simpliciter intra id quod formatur: propter quod dicebant semen generationis esse parua animalia, sed actu animalia in specie illius conseruata: & ita dicebant intellectum agentem in anima (qui est omnia intellecta facere) esse habitum actu omnem speciem sciri apud se habentem. Hæc igitur est ratio tertia istorum.

Quarta ratio.

Quarta ratio ipsorum quamuis infirma sit, tamen videbatur eis fortis: & propter hoc frequenter posuerunt eam, scilicet quod debilis non agit in fortius, & ignobilius non agit in id quod est nobilius: exteriora autem debiliora sunt & ignobiliora quam anima: ergo non agunt in ipsam: agerent autem si à sensibus & sensibilibus acceptis ad scientiam & virtutem proficeret anima: hoc igitur modo non perficitur: & perficitur vel ab extrinsecis, vel ab intrinsecis: ergo relinquitur, quòd intrinsecus habet quibus perficitur, & non accipit ea per inuentionem vel doctrinam.

Quinta ratio.

Quinta ratio est, quæ in ipso libro Mennonis continetur, & est quasi per instantiam: quia si acceptio veritatis intellectualis vel moralis esset per studiū vel doctrinam: tunc vbicunque talia essent, ibi esset virtus: sed non est ita: videmus enim aliquando pessimos ab optimis viris educatos & doctos, qui nec doctrina neque educatione nec exemplo boni profecerunt: à doctrina igitur & consuetudine non est acceptio virtutis. Super has igitur tales rationes positiones suas Stoici fundauerunt.

Opinio Peripateticorū & impugnatio opinionis Stoicorum.

Has igitur quæ dictæ sunt impugnauerunt Peripatetici rationes, inducentes quæ superius dictæ sūt, maximè ad incōueniēs & impossibile ducentes: quia secundum hoc non est doctrina neque disciplina: quia nihil noui accepimus in vtrumque: omne enim quod discit immemor recordatur: & omnis generatio est tantum alterans de occulto ad manifestum: & huiusmodi inconuenientia multa accidunt valde.

Responsio Boetij ad rationes Mennonis.

Ad hæc igitur secundum Boetiū sic respondetur: quia ea quæ accipiuntur per motum & mutationem & doctrinam & assuetudinē, intra quidē sunt vniuersaliter & secundū potentiam: scibilia enim secundum habitum principiorum priorum sunt intra, quæ statim sciūtur terminis cognitis: & quæ nullus discipulorum accipit à docente siue magistro, vt de quolibet est affirmatio & negatio vera, & quod totum est maius sua parte, & huiusmodi: generaliter enim verum est, quòd intellectus possibilis nihil accipit, cuius apud se non habet lumina prima, quæ sunt quasi instrumenta & media ad alia recipienda & ad quæ examinat & cognoscit quæcunque inuenta, & scit vtrum sint vera vel falsa: & hæc communissima & prima veri & boni quòd adipisci potest per virtutem & intellectualem & moralem, sicut principiatum examinatum ad sua principia, & ad hæc cognoscit. Et ideo dicit Boetius, quod vniuersalia retinet intellectus & singularia perdit. Et hoc est quod dictum est, quòd secundum quid præscit, & simpliciter non præscit sed ignorat: quamuis enim res in vniuersali sit & incorruptibili & in principio quod nobilius est principiato, tamen scientia in vniuersali non est nisi secundum potentiam & secundum quid: scientia autem in particulari siue in propria natura & in agere, est sciētia simpliciter: quia res in suo vniuersali nō est nisi vniuersaliter & secundū potentiā & secundū quid: & sicut se habet ad esse, sic se habet ad scire. Hoc igitur modo non scitur nisi secundum quid, & simpliciter ignoratur: & in materia hoc modo est secundū quid, & simpliciter non est: & generatur simpliciter, & secūdū aliquid quod fuit in materia, nō generatur.

TRACTA

TRACTATVS II.

Ex quibus & qualibus est demonstratio.

CAPVT I.

De diffinitione eius quod est scire, quod finis est demonstrationis.

VM autem iam habitum sit de modis præcognoscendi qui exiguntur ad scire demonstratiuum quod est finis demonstrationis, determinandum est de ipso scire. Intendimus enim ex quibus & qualibus est demonstratio: nec possunt sciri quæ sunt ad finem, nisi ex proportione ad finem ipsum, & vtrumque illorum referatur: & sic scientia finis dirigit intentionem omnium aliorū quæ ad finem ordinantur: & hac ratione præmittenda est determinatio finis omnibus aliis.

Scire autem opinamur vnumquodque simpliciter, &c.

Scire autem quo aliquis opinatur se scire quælibet, & quo nos opinamur scire aliquid per se & non sophistico modo: quia scilicet videatur aliquis aliquid scire per se, & tamen per se non sciat illud, quod scire est per aliud. Quia quod per aliud scitur, non per se scitur, non gratia sui scitur, sed gratia alterius, & ideò per accidens: & hoc quidem est sophisticum in hoc quod apparet per se esse, & non est: & ideò illud scire est deceptorium. Hoc, inquam, scire est, cum nos opinamur vel arbitramur cognoscere causam propter quam res est & sine qua non est: hæc enim conuertibilis est: & quando opinamur, quoniam illius causa est comparando eam ad causatum essentiale: & quando opinamur, quòd non est contingere hoc aliter se habere: tunc enim necesse est per hunc modum sic se habere: quia quod non contingit non esse, necesse est esse. Istæ igitur differentiæ sunt diffinientes hoc quod est scire verissimè. Et prima quidem est de medio quod verè causa est, & quid & propter quid dicens: quia hoc est sciendi principium. Secunda autem accipitur ex comparatione causæ illius ad causatum, quod scilicet illius causa sit: nec etiam illius vt illius est causa nisi sit propria & essentialis & immediata. Tertia vero quæ dicit, & non contingit hoc aliter se habere, accipitur ex parte consequentiæ. Ita quod primæ duæ respiciunt consequens quod scitur: tertia respicit consequentiam secundum quod ex syllogismo scitur. Et prima quidem duo sunt demonstrationis secundū quod demonstratio est: tertium est demonstrationis secundum quod demonstratio est syllogismus: est enim omnis demonstratio syllogismus, sed non omnis syllogismus est demonstratio: & sic patet, quòd nec plus nec minus ad scire exigitur quam continet inducta eius (quod est scire) notificatio.

Scire sophisticum quid.

Quid intelligat per ly causam in diffinitione scire, & quid per particulas sequētes.

Probatur tamen per signum, quòd scire verum huiusmodi sit aliquid quale iam dictum est: & hoc est signum: quia quoties verè scientes & non verè scientes opinantur se scire (cū id quod omnes opinantur sit probabile) illud est signum, quòd sit verum scire hoc modo qui dictus est, cum omnes etiam non verè scientes opinantur scire quando habent causam, & sciunt quod illius causa est, & quod non contingit illud se aliter habere: ergo hoc est verum scire. Sed differentia est: quia scientes tunc arbitrantur se scire & verè sciunt: non scientes autem propter similitudinem quam habent cum scientibus opinantur se hoc modo verè scire, quamuis non verè sciant. Propter hoc omnis eius, cuius est scientia (quæ simpliciter & per se est scientia) hoc est impossibile aliter se habere quam dictum est.

Manifestū autē, quòd aliquid scire sit, &c.

Hæc probatur ex origine scientiæ, quæ in primo ponitur primæ philosophiæ, quòd ex admirari, & tunc & nunc philosophari inceptum. Admiratio enim est suspensio ad causam eius quod apparet: suspensio autem causa est inquisitionis & causæ ad effectum comparationis quòd illius causa sit, & ipsum philosophari sic causatum, considerat conuenientiam effectus ad causam secundum non contingere aliter se habere. Hoc modo naturale desiderium (quo omnes homines scire desiderant) procedit ad scire secundum actum: quod desiderium est & in verè scientibus, & in non verè scientibus. Hoc igitur modo est verum scire. Et hanc probationem ponit Theophrastus qui etiam primum librum (qui incipit, Omnes homines scire desiderant) metaphysicæ Aristot. traditur addidisse: & ideò in Arabicis translationibus primus liber non habetur. Ista igitur est vera eius quòd est scire notificatio, & hoc modo sumendæ & intelligendæ & probandæ sunt differentiæ in notificatione illa positæ. Scire igitur propriissimè, sicut dictum est, determinatur.

Admiratio quid.

Primus liber metaphysicæ ascribitur Theophrasto: cuius signū: quia in trāslatione Arabica non habetur.

Siquis igitur & alius aliquis est verè scientis modus, de illo dicemus posterius, & circa finem libri, vbi de scientia loquemur principiorum, quæ etiam verè sciuntur quantum ad suorum terminorum certitudinem, quamuis non habeant hunc modum demonstrationis, quòd sciantur per medium demonstrationis. Hic sensus innuitur in Arabico commento: nam dicit Alpharabius, quod iste alius modus sciendi est per intelligentiam per quam verè res comprehenditur. Siquis autem dicere velit, quod alius est sciendi modus, quo sciuntur quæ

Siquidem & alius est sciendi modus, &c.

Principia etiam verè sciuntur, licet non per demonstrationem. Hæc est expositio Ioan Gram. & etiam Themistius addit scire diffinitiuum.

quæ fiunt frequenter ex his quæ sunt semper, vt dicit Arist. 6. primæ philosophiæ, non peccabit meo iudicio. Sed tunc quod posterius dicendum est, ad posteriorem scientiam referendum est, siue ad primam philosophiam quæ posteriori quoad nos, quamuis natura sit prior.

Tex. com 6. Potest etiam per hoc scire vtrum primus posterior. in illo ca. Sed quia de fit & propter quid scitur, & sol te non est mala expositio.

Ex his igitur concluditur quod supponendum est, quòd dicimus, quòd scire est per demonstrationem intelligere: quia demonstratio colligit ea quæ dicta sunt: primum quidem in medio, secundum autem in consequente comparato ad causam, & tertium in consequentia syllogismi. Et propter hoc oportet diffinire demonstrationem per proprium effectum, dicendo quod demonstrationem dico (cuius effectus est scire) syllogismum qui propriè dicitur apodicticō Græcè, Latinè autem dicimus syllogismum facientem scire. Apodicticon dicimus syllogismum, secundum quem in habendo ipsum perfecte in principiis & consequentia & consequente scimus vere, siue veram scientiam habemus. Hoc igitur modo determinatur finis demonstrationis, in quem omnia alia referenda sunt.

Demonstrationem autem dico syllogismum, &c.

Quare diffinitur scire & non scientia.

Est autem hic attendendum, quòd diffinitur scire & non scientia: quia accipitur scire prout est in conclusione, & hoc est scire in agere: & ideo per modum actus diffinitur & non per modum habitus vel substantiæ. Demonstratio autem est subiectum huius scientiæ, & ideo per modum substantiæ & non per modum actus diffinitur, qui est demonstrare.

Non demonstrare.

Tangit diuisionem quadrimembrem ipsius scire quam ponit Eucl. & Menelaus.

Sciendum autem, quòd secundum quosdam quadrupliciter dicitur scire. Cōprehensio enim rei per ea per quæ potest quocunque modo concludi, largissimè dicitur scientia: & sic ea quæ sunt contingentia ad vtrumlibet, sciuntur. Et quia etiam potest concludi per ea quæ frequenter vno modo se habent, quamuis non semper, ideo secundo modo magis propriè dicitur scire comprehensio veritatis rei per ea quæ contingunt frequenter: & sic scitur contingens naturam. Adhuc quia concluditur per ea quæ vno modo semper se habent & sunt immutabilia, dicitur sc re. Adhuc magis propriè comprehensio veritatis vno modo & immutabiliter se habentium, quod scire est commune principiis & conclusionibus demonstrationis. Maximè autem & quarto modo dicitur scire comprehensio veritatis vno modo se habentis & immutabilis per acceptionem alterius prioris à quo habet suam veritatem per suum esse: & hoc modo diffinitum est hic scire.

Tex. com 70.

Quare dixit, scire est cum causam cognoscimus, &c. hoc non erat necesse, simplex expositio.

Cum autem dicimus cum causam cognoscimus, non causas in pluralitate ideo quia vna est principalis causa, quæ est causa causarum, quæ est finis, per quam potissimè scitur: quia vnumquodque maximè fine suo & optimo essentiali determinatur & scitur. Dicitur etiam causa vt subiecto intelligatur vna: quia tres quæ principium sunt sciendi, in vnam coincidunt, efficiens & forma & finis, vt dicit Arist. in secundo physicorum. Adhuc autem quamuis multæ sint causæ alicuius, vna autem semper est completiua quæ potissimè est causa, & ad illam respiciendo dicitur, quòd scire est cum causam cognoscimus.

CAPVT II.

Demonstrationis propositiones quas conditiones requirant.

Si igitur scire est vt posuimus, &c.

SI igitur est scire vt posuimus in diffinitione præinducta, necesse est demonstratiuam scientiam constitui ex vtrisque propositionibus, scilicet quod sit ex veris & primis. Et primis quidem talibus, ita quod ex primis existendo sit ex immediatis ad quæ medium non habetur, & ita quòd existendo ex primis sit ex notioribus & prioribus secundum rem quam conclusio, & sic sit ex primis existendo ex causis conclusionū: & sic necesse est demonstratiuā scientiam ex vtrisque constitui, ex veris scilicet & primis talibus qualia dicta sunt: & ex veris existendo, oportet quòd sit ex necessariis: quia necessaria sola nec potentia nec actu habent aliquid falsitatis admixtum.

Sic enim erunt, &c.

Hoc enim modo existentibus principiis demonstrationis, etiam talia principia sic assumpta, propria siue appropriata erunt ei quod demonstratur, hoc est, conclusioni. Sic enim habentibus se principiis, vt dictum est, appropriantur ei quod demonstratur, & aliter non. Oportet igitur, quod demonstratiua scientia sit ex talibus. Et syllogismus quidem erit sine talibus principiis: quia potest esse syllogismus non ex veris & primis: sed demonstratio quæ addit super syllogismum, sine talibus conditionibus principiorum non erit: eò quod sine his conditionibus demonstratio non facit scientiam hoc modo quò diffinitum est scire demōstratiuum: quia demonstratio non facit scire, nisi sit à principiis appropriatis rei scitæ, hoc est, conclusioni, cuius est proprium vt sciatur per demonstrationem.

Vera quidem igitur oportet esse, &c.

Istæ autem conditiones in speciali & sigillatim verificantur. Verum quidem igitur oportet principium demonstrationis esse: quoniam id quod non est, hoc est, falsum, non est siue non contingit scire: vt verbi gratia, quod diametros siue linea diagonalis in quadrato sit simetros, hoc est, commensurabilis lateri quadrati.

Per quod non est, intelligit falsum. Et est expositio Ioan. Gram.

Ex primis autem & indemonstrabilibus, &c.

Ex primis autem est: quia ex indemonstrabilibus siue immediatis est: quia nisi sit ex primis & immediatis, non scit quis conclusionem simpliciter per ea: eò quod non habet demonstrationem illorum, hoc est, per illa quæ non sunt prima & immediata. Scire enim demonstrationis est scire simpliciter: quando autem scitur per non prima & per non immediata, non scitur simpliciter, sed sub conditione si prima sint probata per alia priora se, quæ medium sunt ad prima probanda siue concludenda. Patet igitur, quòd demonstratio non facit scire simpliciter nisi sit ex primis & immediatis. Scire enim secundū verissimum modum sciendi, est eorum quorum demonstratio est, non secundum accidens, hoc est, ex demonstrabilibus per alia: quia illa faciunt scire per alia vera secundum accidens.

Adhuc principia & propositiones oportet esse

esse causas rei conclusæ, & notiores conclusione: quia (sicut sæpe dictum est) ignotum non fit notum nisi per notum: conclusio autem ante demonstrationem accipitur vt ignota. Et oportet esse primas. Et quod oportet esse causas, probatur ex hoc quod dictum est in diffinitione eius quod est scire: quoniam tunc verè scimus quando causam cognoscimus. Si autem verè causæ sunt: tunc sequitur, quod sint priores simpliciter: quia causa prior simpliciter est, & effectus simpliciter posterior. Et si sint verè priores: tunc sequitur, quòd verè sint notiores: quia quòd prius est, verè notius est per hoc quod est principium cognoscendi alterum: principium autem cognoscendi alterum prius & notius est illo, quod nisi notius esset, non esset principium cognoscendi illud.

Causas quoque & notiores oportet esse, &c.

Non solum altero modo intelligendo, &c.

Nec oportet quod tantum notiora sint altero modo, scilicet præintelligendo quid est quod dicitur per nomen, sed etiam in sciendo, quoniam sunt vel quia sunt: quia enim sunt non potest sciri, nisi sciatur quid est quod dicitur per terminos in principiis positos: & nisi sciatur quia sunt, non erunt probantia conclusiones: & ideo dictum est, quòd de principio oportet scire quia est. Quia enim scire prædiffinitum non est nisi verorum, ideo oportet demonstrationem ex veris esse: non enim causaretur verum nisi per verum quod est in principio.

Quomodo ex diffinitione scire sequuntur omnes particule suppositæ, scilicet ex primis, veris, immediatis, &c.

Et quia scire est simpliciter, & non sophistico modo, quod est secundum accidens, ideo oportet, quòd sit ex immediatis & primis. Si enim esset ex mediatis & non primis, per huiusmodi non faceret scire nisi sub conditione, hac scilicet, quod principia prius sciantur quam quæ per priora sunt & mediata: & talis scientia non esset scientia simpliciter, sed secundum accidens. Adhuc quia scire est inductum per demonstrationem quæ est per causam, oportet quod demonstratio sumat causam. Adhuc autem quia tale scire est inductum per cognitionem causæ quam necesse est esse causam illius, ideò necesse est ipsam demonstrationem ex talibus causis esse, quæ sint cum conditionibus prius dictis, hoc est, prioribus & notioribus. Cognoscens enim causam, quoniam est causa illius, pertractat causam comparando ad causatum & pertractat causam in ratione prioris & notioris, & causatum pertractat in ratione posterioris & minus noti. Adhuc autem quia scire superius diffinitum est tale, quòd impossibile est aliter se habere: tale autem est necessarium: oportet demonstrationem esse ex necessariis. Ex tali autem scire concluditur per effectum, vel sicut id quod est ad finem, concluditur per finem habitum & iam inductum.

Sicut diffinitur scire potissimum: ita diffinitur demonstratio potissima

Quomodo differunt immediatum, primum, & prius.

Sicut diffinitur scire potissimum: ita diffinitur demonstratio potissima. Primum autem dicitur per priuationem anterioris: quia scilicet ante ipsum non est aliud: immediatum autem, eo quod inter ipsum & subiectum nullum est medium. Primum autem & prius in hoc differunt: quia primum per priuationem eius quod est ante, dicitur: prius autem dicit comparationem ad posterius. Prius autem & notius in hoc differunt: quia dicitur prius comparatum ad rem: notius autem dicitur per comparationem ad noscentem. Et sic patet intellectus omnium conditionum demonstrationis hic inductarum in diffinitione demonstrationis.

Ista autem sunt quæ dici consueuerunt de conditionibus principiorum. Siquis intuetur dicta Arist. subtiliter, inuenier intellectum Arist. esse, quòd ipse ponit conditiones principiorum demonstrationis siue demonstratiuæ propositionis duobus modis. Si enim principium est, oportet quod habeat id ex quo principiat, ex quo & ipsum principium habet principandi virtutem, & habet actualem influentiam super principiatum. Et primo quidem modo consideratum principium, est primum, verum, & immediatum. Ex quo enim principiat, principium illud per se est in esse vero: & oportet, quòd sit determinatum ad hoc quod sit proprium ad principiatum: quia aliter non inferretur illud per se, & non aliud. Dicamus ergo, quòd principium ex hoc quod est per se, oportet quod primum sit: quia per se est, & non per aliud, sed per ipsum est principium. Verum autem: quia principium est secundum verum, propter quod cognoscitur de ipso quia est. Per hoc autem quod est appropriatum & essentiale, oportet quod sit immediatum: ita quod inter ipsum & id cuius est principium, nihil sit medium. Secundum modum autem principiandi considerandum est, quòd modus aut est ex parte illius ex quo principiat, & sic est prius: vel ex parte veri ex quo principiat, & sic est notius: aut ex parte proprij ex quo principiat, hoc est, ex parte illa qua immediatum est, & sic est vera causa. Vnde cum sex sint conditiones principiorum, primæ tres sumuntur ab eis, ex quibus

Quomodo ly ex, cum dicitur ex primis, veris, &c. potest dicere duplicem circumstantiam causæ secundum quod demonstratiua scientia dupliciter sumi potest.

quibus principiant : tres verò sequentes sumuntur penes modos principiandi ex parte eorum trium, ex quibus principiant.

Præterea autem, quòd inter tria prima primum est in inueniendo, & primum & secundum sunt in tertio. Primum enim est in vero per se: quia per hoc quod est primum, est secundum seipsum verum & causa veritatis in sequentibus: & per hoc quod primum appropriatur, non amittit quod sit primum: secundum enim supponit primum: & primum est in secundo, & in tertio, & sic deinceps vsque ad proximum immediatum: quia alias sequentia non essent primi nota: quia Aristot. vult, quòd primum & principium sunt idem. Et hoc patet: quia in ordine theorematum Euclidis secundum supponit primum, & tertium supponit secundum & primum, & sic deinceps siue per compositionem siue per resolutionem accipiatur, sicut animatum supponitur in animali, & animatum & animal supponuntur in homine. Similiter est de aliis quæ sunt modi istorum in principiando secundum actum: quia prius est in notiori, & prius & notius supponuntur in causa. Causa enim est: quia ad eam de necessitate sequitur aliud: & quia non conuertitur, est prius: & quia principium quod est causa, est lumen cognitionis per quod cognoscitur aliud, ideo est notius: & secundum quod fluit ab eo esse secundum substantiam, est causa. Et ita quia causa est, non potest esse quin sit prius in ordine essendi, & notius in ordine cognoscendi, & causa in influendo esse causati. Iste videtur esse intellectus Aristot.

CAPVT III.

Quibus modis principium est prius & notius.

Priora autem & notiora, &c.

PRiora autem & notiora dicuntur aliqua aliis dupliciter quæ sunt dicta. Non enim idem est simpliciter & natura primum vel prius, & quoad nos prius: neque idem est notius simpliciter & quoad naturam, & notius quoad nos siue nobis notius. Dico autem (explanando ea quæ dicta sunt) quoad nos siue nobis priora, quæ proxima sensui sunt: simpliciter autem & secundum naturam sunt priora & notiora, quæ longius sunt siue longinquiora à sensu. Et exemplum huius est, quòd longiora à sensu sunt vniuersalia: & quo magis sunt vniuersalia, sunt à sensu distantiora: & quæ maximè vniuersalia sunt, maximè à sensu longinquiora. Proxima autem sensibili acceptioni sunt singularia. Et hæc opponuntur quoad modum, & non quoad naturam vel ad formam adinuicem. Sic ergo dupliciter dicitur prius & notius: & cum duo sint prius & notius, vnum est causa alterius: quia prius esse est causa quod notius sit, sicut patet per antecedita.

Quod natura primum & manifestum, nobis est posterius & immanifestum.

Quid sit illa natura quæ aliqua dicuntur priora natura.

Scias autem, quòd quamuis multi multa dixerint, dicentes quod natura qua aliqua dicuntur priora, est natura vniuersalis quæ non mouet nisi per intelligentiam motori proximo coniunctam: & sic secundum intellectum prius est natura prius: hoc totum fabula est, & nihil penitus facit ad propositum. Sed dicendum est, quod secundum intellectum Aristot. natura qua aliquid prius est, est ipsa natura eius quod prius est: hæc enim natura est qua principium principiat principiatum & dat ei naturam qua sit & qua diffiniatur in esse: & hæc est natura quam antiqui vocabant naturam naturantem: quia naturando sic constituit naturam sibi suppositam: & quæ habent hanc naturam vt principium, sunt natura priora: quia talis natura est eis causa quòd sint priora. Et ex opposito nobis priora sunt ea, quæ per suam formam non habent hanc naturam: sed cum sint constituta in natura per id quod sunt formis sensibilium (super quæ cadit sensus) proxima, ita quod in ipsis sensibilium formis determinata accipiuntur: & hæc sunt quæ vocantur sensibilia per accidens: hæc enim sunt hic homo, & hoc animal in sensibilibus confusum, & sensibilibus determinatum, quod est verè particulare & singulare: particulare enim est sub natura communi per materiam particularizatum: & per accidens proprium singulare indiuiduans ad esse singulare deductum, dicitur & est singulare.

Vniuersale particulare & singulare non differunt per naturam, sed per esse.

Et ideo vniuersale secundum id quod est, & particulare secundum id quod est, & singulare secundum id quod est, non differunt per naturam & substantiam, sed differunt per esse: quia aliud est esse vniuersalis secundum rationem vniuersalis, & aliud esse particularis secundum esse particularis, & aliud esse singularis secundum esse singularis. Et illud quod est vniuersale, fit particulare diuisum secundum esse per indiuiduationem, & idem fit singulare ab accidente proprio & indiuiduante. Et hæc vocatur viae compositionis secundum quam vniuersale (secundum id quod est) principium formale est particularis: & particulare se habet ad singulare, sicut subiectum & suppositum in ipso: & hoc modo prius secundum naturam est vniuersale, & posterius secundum naturam est particulare, & postremum secundum naturam est singulare, super quod immediatè cadit sensus. In via autem resolutionis vltimum efficitur primum, & è conuerso primum fit vltimum. Resolutio enim est compositi in simplicia, & posterioris in prius, & causati in causam: & incipit ab vltimo secundum naturam quod immediatum sensibile est sensuum, non quidem per se vel commune sensatum, sed per accidens: quia in hoc albo crispo, accipitur hic homo, & in hoc homine homo, & sic vsque ad primum in quo stat resolutio. Et hoc igitur modo differunt nobis priora & notiora, ab his quæ natura sunt priora & notiora.

Vniuersale fit particulare & singulare via compositionis: econtra autem via resolutionis.

Quare priora natura dicuntur secundum intellectum notiora.

Et dicuntur natura priora, secundum intellectum notiora: quia via resolutionis est via intellectus abstrahentis, quæ vadit ad primam naturam formaliter naturantem, quæ est etiam principium intelligendi id quod naturat: & non dicitur secundum intellectum agentem & possibilem siue superiorem intelligentiam: sed dicitur prius natura prius intellectu ab intellectu formali, qui principium est intelligendi id

Proximum sensibile non est sensibile propriè vel commune, sed sensibile per accidens.

Quare quoad nos dicitur quoad sensum & non quoad intellectum.

diid cuius est natura. Et dicuntur singularia quoad nos prima: quia sensibili iudicio sunt proxima. Proximum enim sensibili non est sensibile per se siue commune siue proprium quia nihil est sibiipsi proximum: sed proximum est sensibile per accidens quod est in natura particularizata & ad singulare deducta acceptum.

Quod autem dicitur quoad nos, disputat Aristot. in 7. ethic. vtrum quoad nos dicatur quoad intellectum, cum homo secundum quod homo sit tantum intellectus: vel dicitur quoad nos secundum sensum qui nobis & brutis est communis. Et determinat, quòd quoad nos dicitur secundum sensibilem acceptionem: quia quoad nos dicit discretum in sensu & distans ab eo quod verè est natura: & ideò sures iudicant secundum sensum. Et ideo quoad nos prius, oppositum est in modo cognoscendi ei quod est notius & prius quoad naturam & intellectum. Et hic est intellectus Aristot. Et quod dicunt quidam, quòd natura inferior non mouet nisi coniungatur virtuti superioris, & quod illa intelligentia vel Angelus intendit vniuersale & esse perpetuum, natura particularis intendit hoc particulare: nihil facit ad propositum, & pro maxima parte est falsum. Sunt etiam alij potius hic somniantes quam vera docentes, qui dicunt naturæ siue formæ (quæ principaliter natura est) quatuor esse virtutes, quarum prima est perficere naturam siue ad esse terminare. Secunda autem est (vt dicunt) determinare & constituere in esse naturæ suppositum quod est hoc aliquid: & hoc dicunt esse indiuiduum habituale. Tertiam dicunt virtutem naturæ multiplicare se per indiuidua: & hanc dicunt vniuersale esse quod primo est multa, & per hoc vnum de multis dicitur: quia multa procedunt ex vno participantia totum secundum essentiam: quodliber enim essentiam totam habet naturæ. Quartam dicunt esse virtutem constituendi in natura hoc singulare: & sic vniuersale primum esset apud naturam, & esset ante singulare. Et talia dicere deliramentum est: quia nihil horum est verum secundum aliquem Peripateticorum: quia hæc natura non est per vniuersale: quia multiplicatiua est sui per generationem: quia sicut probat Aristot. in 5. physicorum hic generat hunc: conditio generantis est, quòd sit singulariter constitutum in esse & potentia generantis. Nihil ergo horum dicendum est, sed primus intellectus est verus & perfectus.

Text. com. 13.

Nota solutiones apparentium contradictionum.

Lib. primo. text. com. 4. Lib. primo. text. com. & Cap. 5.

Quod autem hic dicitur, vniuersale longius est à sensu: & quod in principio physicorum dicitur, quod vniuersale secundum sensum est notius: intelligitur de sensibili apprehensione, vt dicit Auicen. in sufficientia. Similiter autem quod in principio de anima dicitur, quòd animal quod est vniuersale aut nihil est aut posterius est: & quod in sex principiis dicitur, quòd omnis communitas à singularitate procedit. Non sunt contraria his quæ dicuntur, quod scilicet vniuersale longinquius sit à sensu: quia vniuersale duobus modis consideratur. Vno scilicet modo prout confusum & mixtum in particulari: & hoc modo in signis citius sentitur vniuersale, quam particulare per sensum: quia citius sentiuntur signa substantiæ, quam animalis: & citius signa animalis, quam hominis: & citius signa hominis, quam Sortis. Et hoc modo exponit Auicen. illud quod est in physicis. Potest etiam accipi vniuersale in sua puritate, in qua separatum est à particulari: & hoc modo non est nisi in intellectu, sicut in antehabitis dictum est, & est propinquum intellectui & longinquius à sensu, sicut hic dicitur. Potest etiam accipi vniuersale vt confusum in sensibili, nec etiam purum intellectu, sed prout est vniuersale in esse vniuersalis: sic enim ab eo quod sibi accidit, dicitur, scilicet ab eo quod relatum ad supposita secundum suam totam essentiam est in omnibus. Sic enim acceptum secundum substantiam naturæ vel essentiam, habet relationem vnius rationis ad omnia inferiora, in quibus est per vnam rationem: eò quod ipsum actu & intellectu vno modo est in omnibus: & hoc modo in intellectu est secundum hoc esse: & nihil est in inferioribus in natura secundum hoc esse, sed est posterius eis: quia non est in eis, nisi quia per intellectum vno modo est in omnibus abstractum: hoc autem modo quo est cum illo quo vniuersale est posterius, prout scilicet vnum commune quod est in singulis per vnum modum existens in eis: sic enim est eorum, quorum & nomen commune est & ratio substantiæ secundum illud nomen est eadem: & hoc modo longinquius est à sensu, & proximum intellectui. Ex his igitur patet, quòd alia sunt notiora quoad nos, & alia notiora apud naturam. Et hic patet, quòd iam expositum est quod dicitur, quod demonstratio fit ex prioribus & notioribus.

Dictum illud Gil. omnis communitas à singularitate procedit, intelligitur de vniuersali, quod aut nihil est, aut posterius singularibus.

CAPVT IV.

Qualiter demonstratio fit ex primis, & quid sit hoc dictum.

Ex primis autem est, quod ex propriis principiis, &c.

EX primis autem est demonstratio: eò quod dicitur esse ex principiis primis & substantialibus, inter quæ & conclusiones nihil est medium quo demonstrari possit conclusio: & sic primum est propinquissimum effectum demonstrando: & hoc modo primum non dicitur communissimum ante quod nihil: sed primum dicitur immediatum quod est essentiale principium, inter quod & principiatum nihil est medium: hoc enim modo acceptum primum, est idem quod substantiale principium: hoc enim proprie & simpliciter est principium.

Est autem principium demonstrationis, &c.

Et hoc modo primum & principium est propositio demonstrationis immediata, hoc est, inter quam & id quod demonstratur, non est alia propositio per quam possit demonstrari. Aliter nihil prohibet vnum immediatorum principiorum esse prius altero, hoc est, communius, sicut patet: quia omnium principiorum hoc communius, de quolibet est affirmatio vel negatio vera, & de nullo simul: & tamen

men multa sunt immediatiora quam ipsum sit. Vnde immediata propositio est, qua non est altera prior per quam possit demonstrari: & hoc modo dicitur prior propositio, quæ est ad demonstrandum prior.

Propositio est enuntiationis, &c.

Et vt hoc melius intelligatur, dicimus, quòd propositio quæ ponitur in notificatione primi & immediati, est altera pars enuntiationis vna in prædicato de vno subiecto: & hæc est potissima propositio illius potissimæ demonstrationis quæ paulo ante diffinita est: hæc enim pars enuntiationis est vniuersalis affirmatiua per se: quia in illa potissimè est vnum de vno.

Dialectica quidem est, &c.

Hæc autem propositio à dialectica differt propositione. Et quia ex probabilibus procedit dialectica, & ex probabili non accipit vnam partem contradictionis nisi cum formidine alterius, & sic quodammodo vtramque accipit: ideo propositio dialectica simpliciter est accipiens quamlibet partem contradictionis: non enim accipit affirmationem sine negatione, nec negationem sine affirmatione.

Demonstratiua autem alteram, &c. Enuntiatio autem quamlibet partem, &c.

Demonstratiua autem in potissima & ostensiua demonstratione accipit determinate alteram, affirmatiuam scilicet & vniuersalem, & vnam de vno, quod his dictis conditionibus verum est. Enuntiatio autem quæ adhuc communior est quam propositio, accipit contradictionis quamlibet partem siue affirmatiuam siue negatiuam, siue vniuersalem siue particularem, siue veram siue falsam, siue vnam siue plures.

Contradictio est oppositio, &c.

Vt sciatur quid sit altera pars contradictionis, dico quòd contradictio secundum formalem & generalem diffinitionem ipsius, est oppositio cuius non est medium secundum se: est enim contradictio in genere oppositionis: & cum sint opposita mediata, vt contraria quorum potest esse medium, contradictio est oppositio cuius non est medium secundum se: quoniam de quolibet alterum est verum, & non est aliquid de quo ambo simul nisi sint contradictoria per accidens & non secundum se: aliquid enim est quod neque caecum, neque videns est: & aliquid quod nec sanum, nec ægrum: & aliquid quod nec pater, nec filius: & hoc modo medium non est in contradictione. Pars autem vna contradictionis quæ enuntiat aliquid vnum prædicatum de aliquo subiecto vno, prædicatiua est, & vocatur affirmatiua propositio, siue enuntiatio vel affirmatio, materialiter accipiendo affirmationem pro affirmatiua propositione. Altera autem pars quæ negat vel remouet significat aliquid vel aliquod prædicatum vnum de vno subiecto, est negatio materialiter, hoc est, negatiua propositio siue enuntiatio.

Pars contradictionis quæ aliquid, &c.

Immediati autem principii syllogistici, &c.

Immediatum autem principium est propositio immediata, vt dictum est, immediati enim principij syllogistici & demonstratiui aliud est positio, & aliud dignitas. Positionem quidem dico, quam propter hoc quod est immediata, non est monstrare: & ideò ponitur, & ea posita vtitur demonstrator, sicut patet in primo Euclidis: & quamuis non habeat demonstrationem, tamen non est necesse, quòd aliquis docendus ante doctrinam habeat eam apud seipsum, & non sumat eam à doctrina doctoris. Illam enim propositionem immediati principij (quam necesse est habere apud se per naturalem habitum eum qui est docendus, & non accipit eam per doctrinam) dicimus dignitatem vel maximam propositionem, qua (vt dicit Boëtius) communis animi conceptio est, quam scilicet cognitis terminis quilibet probat auditam. Hæc autem dignitas vocatur: quia omnibus dignior est: eò quod omnibus influit cognitionem & veritatem. Maxima dicitur: eò quod virtute influentiæ lucis & veritatis omnia excedit immediata principia.

Dignitas & maxima propositio quare sic dicitur.

Quædam enim immediata principia sunt huiusmodi virtutem habentia, sicut de quolibet affirmare vel negare & de nullo simul, & quod omne totum maius est sua parte, & huiusmodi. & hæc non ponitur, sed per seipsam est, & prius non habet quo demonstretur: & ideo non petitur ad ponendum. Et hoc nomen quod est dignitas vel maxima propositio vel communis animi conceptio, maximè consueuimus in huiusmodi siue in talibus propositionibus dicere, & illis adaptare. Et quamuis multiplex sit earum diuisio, quòd quædam scilicet communis est ad omnes res, & quædam determinati generis: & quamuis illæ in diuersis scientiis sint diuersæ, tamen hanc diuisionem & diuersitatem non prosequemur: quia non est nisi secundum vsum & secundum analogiam plurium ad vnum, & nos non intendimus hic nisi diuisionem principij demonstratiui secundum differentiam substantialem.

Quare incuit diuisionem dignitatis in communem & propriam.

Positionis autem quæ quidem est, &c.

Positionis autem sunt duæ differentiæ: vna enim quæ quamlibet partem siue affirmatiuam siue negatiuam accipit enuntiationis (Dico autem esse in affirmatiua, vel non esse in negatiua) vocatur suppositio quando est immediata, de qua dicit Alexander & Themistius, quòd vtitur ea demonstrator vt probata & demonstrata, quamuis sit mediata, sicut patet de suppositionibus Euclidis in primo geometriæ. Quæ verò sine hoc est, quod esse aliquid vel non esse non significet, & tamen ponitur, diffinitio est, sicut ibidem patet in primo geometriæ. Diffinitio enim positio est & non conclusio demonstrabilis: quia arithmet. ponit & non demonstrat vnitatem hoc siue tale indiuisibile esse, quod scilicet non habet positionem in continuo, per quod separatur à puncti indiuisibilitate: & ponit geometer punctum esse, cuius pars non est posita in continuo, & lineam esse longitudinem sine latitudine, & huiusmodi: quorum nihil demonstrat. Diffinitio autem suppositio non est: quod probatur ex hoc, quod quidem est vnitas per nomen & diffinitionem, non est idem quod esse vnitatem hoc vel illud: quia esse vnitatem, est esse aliquid verè: & hoc non est nisi prædicetur aliquid de vnitate per modum enuntiationis: diffinitio autem non est nisi pars propositionis, siue sit subiectum, siue prædicatum.

Et si dicatur, quòd diffinitio positio est: & positio est propositio: ergo diffinitio propositio. Dicendum, quòd hæc non est generalis, positio est propositio: quia quædam positio propositio est: & non omnis positio propositio est: positio enim hic dicitur quod supponere

Quæ diffinitio sit principium demonstrationis potissima.

nere necesse est in demonstratione & non demonstratur.

Quod Aristot. dum sit diuisionem sup positionis in suppositionem tantùm, & petitionem, de qua Ioannes Grammat. hic.

Et quamuis multis modis diuidatur diffinitio, non diuidemus hic, nec prosequemur modos multiplicitatis ipsius: eò quod tantum vno modo principium est potissimæ & veritissimæ demonstrationis: & hæc est quæ dicit quid & propter quid. De petitione autem qua est principium demonstrationis, vt patet in primo Euclidis, non curamus: quia hic de partibus immediati principij determinamus. Petitio autem mediata est: & hæc est causa quare etiam de aliis quæ ad demonstrationem exiguntur, hic tacendo pertransimus.

CAPVT V.

Qualiter sit demonstratio ex notioribus.

Quoniam autè oportet credere, & scire, &c.

HAbito qualiter demonstratio sit ex primis siue prioribus conclusione, nunc ostendemus qualiter demonstratio est ex notioribus. Sumamus igitur quod prius probatum est: quia oportet credere fidem adhil endo consequentiæ, & scire certissimè rem conclusam, accipiendo consequens per certam & stabilem apprehensionem & habitum in habendo huiusmodi syllogismū quem vocamus demonstrationem: quia, sicut dictum est, syllogismus est faciens scire: hoc autem est: quia scimus per talem syllogismum ea ex quibus est talis conclusio, hoc est, ex quibus principiis siue propositionibus præmissis componitur syllogismus: tunc necessarium est, quòd non solum oportet præcognoscere prima siue principia siue propositiones ex quibus est syllogismus, aut omnia, aut quædam: sed insuper oportet talia principia (quæ sunt præmissæ in syllogismo) magis scire conclusione. Dico autem aut omnia, aut quædam: quia fortè contingit, quòd in secundis demonstrationibus quædam præmissarum per alia sciuntur sicut & conclusiones: quia talis est ordo theorematum, quod id quod est conclusio in præcedenti, est præmissa in sequenti: & tunc quoddam præmissorum potest esse per se notum, & aliud per aliud notum: sicut quando aliquid probatur per principii, & forte per tertium & quartum. Sed oportet tamen illud quod habet æqualem notitiam conclusioni (in hoc quod per aliud est notum sicut conclusio) primo fieri notum, & accipi vt notius conclusione: quare oportet magis ipsum scire quam conclusionem. Dico autem magis scire: quia quod contingit per se scire & vt principium quod non scitur per aliud sed per seipsum, tale est magis scire quam id quod scitur per aliud: quia semper magis est res id quod conuenit ei per se, quam illud quod conuenit ei per aliud. Et hoc totum fundatur super hoc, quod non scitur ignotum nisi per notum, nec minus notum scitur nisi per magis notum.

Quare dicit omnia aut quædam.

Remouet dubium contra suam expositionem.

Semper enim propter quod vnumquodque tale est, &c.

Semper enim & vniuersaliter propter quod vnumquodque est aliquid tale, illud propter quod est aliquid tale, illud magis est tale: & hoc est in omnibus causis vniuocè agentibus: sicut si aliquid est calidum propter ignem, ignis magis est calidus: & idem omnibus est in quibus agens & effectus vnam formam secundum quam est calidum participant. In omnibus autem per accidens agentibus non est necesse. Vnum enim per accidens inebriat: ex hoc enim inebriat, quod est euaporatiuum: & ideo non sequitur: homo est citrus propter vinum: ergo vinum est magis citrus: nec homo est calidus propter motum: ergo motus magis calidus: terra est calida propter solem: ergo sol est magis calidus. Nec sequitur etiam hoc in his quæ dicuntur magis & minus (per intensionem factam per accidens) calefieri, & non per motum caliditatis: sicut patet, quòd lapis est calidus propter ignem & solem: & tamen lapis calidior est igne, vt vult Aristot. in 4. metheorum: quia propter spissitudinem & constantiam partium & densitatem, intensioris caliditatis est lapis calidus quam ignis. Sed in omnibus per se & vniuoce agentibus, in quibus passio est formalis & substantialis effectus actui actionis, verum est semper quod propter quod vnum, quodque sicut agens per se & vniuocum est tale, illud magis est tale.

Tex com. 53.

Et hoc in causis finalibus etiam est verum. Vnde propter quod sicut propter finem amamus, aliquid, illud est nobis magis amicum & amatum: vt quia diligimus filium propter patrem: ergo patrem magis: diuitias & parentatum propter felicitatem amamus: ergo felicitatem magis amamus. Ergo sequitur, quòd ista propositio sit probata, quòd si scimus conclusionem quoniam adeò credimus consequentiam conclusionis per prima, hoc est, propter principia formaliter agentia (ex notitia quidem ipsorum & ex habitudine eorum accipimus consequentiæ fidem) quòd prima magis scimus & credimus: eò quod propter illa credimus etiam posteriora, quæ sunt ex ipsis consequentes conclusiones.

Obiectio.

Siquis autem obiiciat, quòd non est vniuoca scientia præmissarū & conclusionis: quia prima per se, conclusiones verò per aliud cognoscuntur. Dico, quòd præmissa quæ sunt causa per se conclusionis, vniuocantur in forma comprehensionis scientiæ, sicut causa per se vniuocatur in forma essendi cum causato per se: quia eadem sunt principia essendi & sciendi: & quorum vna est forma essendi, est vna forma scibilis: & hæc est forma comprehensionis necessariorum vno modo semper existentium. In hac enim forma vniuoca est scientia præmissarum & conclusionis demonstratæ.

Solutio. Quomodo scientia præmissarum & conclusionis vniuocantur.

Non potest autem magis credere quæ scit, quæ non contingunt, neque sciens, neque melius dispositus, quam sciens. Hæc est vera litera Arist. & sic ordinanda. Sciens per principia conclusiones, & sciens melius dispositus, hoc est, per intellectum qui est habitus principiorum: qui melius est dispositus, quia per meliora dispositus, quia est dispositus per ea quæ per se nota sunt, cum sciens conclusiones sciat per alia. Talis igitur vtroque modo sciens scientiam non potest magis credere, hoc est, firmiorem credulitatem habere. Et altera negatio superfluit more Græcorum. Et est sensus & litera sit ordinanda. Sciens & melius dispo-

Non potest autem magis credere quæ scit quæ, &c.

situs quàm sciens, sicut intelligens, non potest magis credere eà quæ scit sicut conclusiones quas conuenit scire per alia: magis dico his quæ non contingunt, hoc est, principijs quæ per se sciuntur, & ideo non contingunt: contingunt enim scitu quæcunque per alia sciuntur: quia contingit quod sit per aliud: si enim illa sciret vel crederet æque vel magis quam principia, tunc sciret principia, quasi contingeret per aliud eorum scientia: & hoc est, quasi ipse sciens contingeret scire ea.

Accidit autem hoc nisi, &c. *Nota, quod hæc expositio, & cæterorum expositiones Græcorum, & est melior quam illa Latina.*

Ex quo sequitur, quod principia non solum sunt credibiliora & notiora conclusione: sed quod etiam non possunt conclusiones magis sciri vel credi quam principia. Accidit autem hoc inconueniens nisi dicatur, quod aliquis, hoc est, quicunque de numero credentium, id est: idem conclusionis accipientium, præcognouerit (hoc est, anelius nouerit & notiora habuerit principia) credentium dico conclusiones propter demonstrationem iam factam ex principijs magis creditis. Magis enim necesse est credere principia quæ sunt demonstrationis, aut omnibus, vt primis, aut quibusdam, vt secundo ordine positis, quam conclusioni, sicut ex ratione inducta probatum est. Et hoc non est verum est in credulitate principiorum comparatorũ ad suas conclusiones, sed etiam in oppositis principiorum comparatis ad conclusiones falsas quæ sequuntur ex ipsis. Non enim tantùm oportet principia esse notissima in veritate, sed etiam oportet, quod opposita principiorum notissima sint in falsitate.

Magis enim debentem habere scientiam, &c. *Volunt Græci, quod hæc littera sit posita propter oppositas principiorum vt quasi dicat, quòd oportet principio eorum opposita non esse credibiliora ipsis principijs: & hanc expositionem videtur sequi Lincolnien. & tunc illa littera, neque notius oppositis, &c. est legenda de per se.*

Vnde addendo ad ea quæ dicta, dicimus magis siue amplius, quòd cum qui debet habere scientiam per demonstrationem, non tantùm oportet principia magis siue maxime cognoscere & magis ipsis credere quam conclusioni quæ demonstratur: sed oportet etiam, quod nihil aliud credibilius sit apud ipsum, nec notius in falsitate oppositis principiorum, ex quibus erit materialiter syllogismus contrariæ deceptionis siue contrarij erroris in quo decipitur qui contraria suscipit principiorum. Hæc autem ratio est: quia quidem sic entem simpliciter, hoc est, demonstratiuè, oportet nullo modo in principijs incredibileni esse, sed omnia certius credere & principia & opposita principiorum, quam conclusiones: quia aliter ignotum fieret notum per ignotum, quod est impossibile, quia conclusio antequam concludatur, est ignota.

CAPVT VI.

De exclusione duorum errorum ex prædictis antiquorum.

Quibusdam quidem igitur, &c.

QVibusdam autem erũt hus ex hoc quod dictum est, quòd omnis doctrina intellectiua est ex præexistenti cognitione, & quod oportet præcognoscere & præcognoscere aliquo modo omne quod scitur, videtur, quòd scientia non sit alicuius scientiæ demonstratiua: quibusdam autem ex hoc eodem videtur esse quidem scientia, sed cum hoc videtur esse, quòd omnium sit demonstratio, & quòd omnia sciantur per demonstrationem. Quorum neutrum neque necessarium est, neque apparet esse verum: & ideo erroneum & sine causa dictum est quod dicunt: quia enim non est necessarium ex his quæ dicunt, malis & falsis vtuntur principijs quæ sunt opposita verorum principiorum: quia autem etiam non habet veri apparentiam, etiã modum philosophiæ similem non habent inponendo: faciunt tamen quasdam rationes sui erroris.

Et primi quidem supponentes, quòd non sit omnino scire, ex hoc quod oportet præcognoscere omne quod scitur, hi in infinitum volunt reduci ipsum scire in præcognoscendo: & hoc dicunt tanquam aliqui non scientes posteriora propter talia priora, quorum non sint aliqua priora prima. Et hoc quidem rectè dictum est quoad hoc quòd posteriora re & natura non sciuntur nisi præscitis prioribus. Et hoc quidem dicunt hac ratione: quia si omnia quocunque modo scita non sciuntur nisi præcognitis quibusdam: tunc illa præcognita, etiam non sciuntur nisi præcognitis aliis: & illa alia non sciuntur nisi iterum quibusdam aliis præcognitis: & hoc vadit in infinitum. sed impossibile est infinita transire sic præcognoscendo: ergo non est deuenire ad primum in quo statur. Virtute autem primi omnia alia sciuntur. Ex quibus scitur, quòd demonstrationes recurrunt vsque ad primum. Ergo per nihil secundorum sciri poterit aliquod: & sic peribit scientia: quia nihil potest sciri, nisi per demonstrationem. Si autem stetur in aliquo primo, & sic stent principia in illis quæ non habent alia priora in quibus præsciantur, dicitur quod illa sunt ignota: quia non habent demonstrationem ex aliis prioribus ex quibus præsciri possunt. Dicunt enim quod non est verè scire nisi quando scitur res per demonstrationem: & ideò prima quæ in principijs suæ demonstrationis non præsciuntur, dicuntur non verè sciri. Si verò, vt dicunt, non est prima verè scire: tunc sequitur, quod neque qua sunt ex his est verè scire: quia ignotum non efficitur scitum, nisi per verè scitum: & sic si non contingit verè & simpliciter scire priora, non contingit simpliciter & proprie scire posteriora. sed ex cõditione oportet, quod sciantur ex talibus, hac scilicet conditione, quod verè sciuntur posteriora si verè & proprie sciuntur principia.

Supponentes quod, &c.

Quidam ponentium, quòd nihil scitur verè nisi præcognitis quibusdam, confitentur quòd non destruitur scire: dicunt enim hoc solum esse scire, quod per demonstrationem est scire, & quod illud semper oportet præcognoscere: sed dicunt, quod nihil prohibet omnium esse demonstrationem: dicunt enim, quòd bene contingit circulariter fieri demonstrationem ex his quæ adinuicem & per seinuicem demonstrantur, ita quod conclusio per, præmissas, & per conclusionem præmissa demonstrantur, sicut in lib. priorum de circulari syllogismo est determinatum. Et scias, quòd prima positio in primo errore fuit Heraclitorum, qui nihil scire dicebant, sicut dicitur in 4. primæ philosophiæ. Secunda autem post fuit Empe. qui simile

Quidam autem quod ipsum scitu fit, &c.

Heraclitus fuit auctor primæ opinionis. & Empedo secunda. Text. com. 22. & 8.

simili dixit sciri: dixit enim, quòd nihil est similius quam idem sibi: & idem dixit idem seipso vel conuertibile conuertibili cognosci. Omnes tamen supponebant, quòd non est cognoscere nisi ignotum per notum: quia hoc quasi ipsa veritate coacti supponebant omnes. Hæ sunt igitur opiniones erroneæ antiquorum cum rationibus suis.

Nos autem dicimus, &c.

Nos autem ad ista quæ dicta sunt respondentes, dicimus quòd nec omnis scientia demonstratiua est hoc modo, quod omne quod scitur, per aliquod sciatur & per demonstrationem: sed quod quædam sciuntur non per demonstrationem, sed per seipsa: & ideò scientia principiorum est indemonstrabilis, quia non est per aliud. Sicut in visu quædam videntur in luce propria, vt per se lucentia: quædam autem non videntur nisi luce aliena, sicut colorata. Et quod hoc quidem necessarium sit, manifestum est. Si enim ea quæ priora sunt & principia, sciuntur per demonstrationem necessario, & aliter sciri non possunt (cum aliquando in aliquo summo sui necesse sit stare immediata, quia per se sibiinuicem immediata sunt) tunc hæc quidem in quibus est status (cum sint priora ex quibus est demonstratio) necesse est, quod hæc in quibus stat demonstratio (cum sint priora, quæ ante se nihil habent) indemonstrabilia necesse est esse. Et hæc quæ sic indemonstrabilia sunt, non solum dicimus esse priora & indemonstrabilia, & scientiam esse primam de ipsis: sed etiam dicimus esse principium omnis scientiæ: quia hæc influentiam suæ lucis intellectualis influunt super omnia sequentia: & ideo magis ipsa nota sunt & scita omnibus aliis. Et hæc dicimus sciri non ex aliis, sed ipsa cognosci inquantum terminos in ipsis positos scimus: omnis enim sciens quid affirmatio & quid negatio, scit quod de quolibet est affirmatio vel negatio vera: & omnis sciens quid est totum & quid est pars, scit quòd omne totum maius est sua parte.

Exemplum pulchrum, quòd quædã sciuntur & non per demonstrationem.

Rationes autem quibus hoc quod dicunt probare videntur, non est difficile soluere: quod enim circulo sit aliquid impossibile demonstrari, ita quod simpliciter demonstretur, manifestum est si verè (sicut determinatum est) ex prioribus & notioribus oportet esse demõstrationem. Verè autem dico: quia idem sibi nõ est verè prius, sicut sit in circulari demonstratione. Impossibile enim est eadem sibiipsis esse priora simul & notiora, nisi alio & alio modo sumatur prius & notius, sic scilicet quod prius secundum naturam sit posterius quoad nos. Quo etiam modo inductio facit notum & non demonstratio; quia inductio ex prioribus quoad nos notum facit vniuersale quod notius est quoad naturam. Adhuc autem si sic est, vt dicunt Heraclitici, quòd non est scientia, vel etiã quod scire est ex prioribus quoad nos: tunc nõ verè erit in physicis determinatum vel diffinitum scire, quod est negare suppositionẽ. Dicit enim Alexander in commento super librum de sensu & sensato, quòd determinatis & probatis deinceps pro suppositione vtimur. Et hæc quidem dicta sint contra eos qui putãt non esse statum demonstrationis, sed quod in infinitum oportet abire in præcognoscendo.

Nota dictũ Alexan.

Circulo quoque quod impossibile sit, &c.

His autem qui circulo demonstrationem dicunt esse: vt idem per idem demonstretur, non solum inconueniens quod nunc dictum est (quod scilicet non sit scientia demonstratiua) sed etiam hoc inconueniens accidit (quod ex dicto eorum sequitur) quod nihil sit aliud circulo demonstrare, quam quod dicatur, quòd sic fiat demonstratio, quod hoc est conclusum si hoc ipsum est, ita quod idem probetur per seipsum: sic autem facile est omnia demonstrare: cum autem demonstrare sit difficile, patet quod hoc est falsum. Quod autem accidat idem seipso demonstrari, manifestum est tribus terminis positis, qui grata exempli sint a.b.c. tres enim termini ad hoc ostendendum sufficiunt: quia dicere, quòd ab eodem in idem per multa & pauca media circularis demonstratio reflectatur in idem, nihil differt quoad propositam intentionem: nec differt dicere per paucos aut duos fieri reflexionem. Cum enim supponatur, quod cum est a ex necessitate sequitur esse b. & cum est b. ex necessitate sequitur esse c. sequitur à primo ad vltimum, quòd cum est a. ex necessitate erit c. Si igitur in tali processu fit circularis conuersio, ita quod cum sit a. necesse sit b. esse: & sit conuersio & regyratio circuli, ita quòd cum sit b. è contra necesse sit esse a. hoc enim erat (sicut in prioribus dictum est) circulo demonstrare. Ponantur ergo esse c. b. idem cum a. eò quod a. non dicitur ponatur nisi de c. & b. tali igitur positione facta, quòd idem sit dicere a. quod est dicere c. (scilicet quia in conuertibilibus tantum est circulus) hoc autem quod est esse non est dicere quando ponitur esse c. sed positum est c. cum a. idem esse: propter quod sequitur, quòd nihil alterum est dicere (quantum ad eos qui dicunt circulo esse demonstrationem) nisi cum sit a. est a. & idem probari & demonstrari per seipsum.

Accidit autem aitentibus circulo, &c.

Hoc autem sic intelligendum est, quòd si c. probatur per a. & c. per b. siquis dicat, quòd a. sit idem cum c. inquantum c. sequitur ad b. idẽ erit dicere, si a. est, c. est, quod est dicere, si a. est, a. est. Tres autem terminos ponimus, ne aliquis cauillando dicat, quòd non ex duobus terminis sed ex tribus: & duas conditionales posuimus: quia in paucioribus quam duabus, non fit processus à primo ad vltimum. Scias autem, quòd totus iste processus fundatur super hoc quod quicquid est principium principij, est etiam principium principati: & quod est causa causæ, est causa causati: & ideò si b. probatur per a. & c. per b. sequitur, quòd c. probatur per a. & si è conuerso a. probatur per c. cum c. probatur per a. sequitur quòd a. probatur per a. & sic idem prius & notius est seipso: & iste verus est intellectus Aristot. Sic autem omnia probare in qualibet figura leue est, & arte non indigens neque studio.

At verò nõ hoc possibile est nisi in his, &c.

At verò nec hoc possibile eadem circulariter per seinuicem ostendere, nisi in his quæcunque sunt conuertibilia & quæcunque alternatim se sequuntur, ita quod vtrumque sit accidens & consequens ad alterum, sicut sunt propria & species quarum sunt propria, vt homo & risibile, vel diffinitio & diffinitum. Et

ex hoc etiam sequitur aliud inconueniens, scilicet quod aliquid demonstratiue sequitur ex vno, quod non potest esse: quod ostensum est in priorib. vs, quod vno quidem posito nequaquam ex illo vnico sequitur syllogistice alterum. Dico autem vno posito: quia neque ex termino vno, neque ex positione siue ex propositione vnica posita. Ex duabus autem propositionibus quæ primis siue præmissis, & minimus siue ad totum minus, & tribus terminis aliquid sequi contingit syllogizare. Patet igitur, quòd si a, inhæreat vt principium ipsi b, & ipsi c, & hæc inhæreant sibi inuicem vt a quod b, c, & c, b, & c connexio inhæreat ipsi a, sicut principiato ex ipsis & demonstratione quidem contingit ex alterutris monstrare & inconuertibilibus in prima figura, in cuius primo modo & solo est perfecta circulatio, sicut ostensum est in his quæ ex syllogismo per se considerato sunt in libro priorum determinata. Ostensum autem est idem quod in aliis figuris aut non fit circularis syllogismus, aut non fit de acceptis, hoc est, sumptis ad propositum. Ea autem quæ non sunt æqualiter prædicantia vel prædicata ad inuicem & conuertibilia, nequaquam contingit monstrare circulo vel circulariter: cum tamen multa talia demonstrabilia sint.

Perfecta inuentio fit tantum in primo modo primæ figuræ.

Præterea, quia valde pauca huiusmodi sunt in demonstrationibus, manifestum est, quod vanum sit pro conuertibilibus, & impossibile pro omnibus alias esse demonstrationem ex his quæ sunt adinuicem demonstrationis. Et propter hoc sequitur ex necessitate, quod error sic dicentium sit manifestatus, quod contingit omnium esse demonstrationem, sicut isti dicebant. Et sic fiat, quod inter eos unum est, alia & melior, veram scientiam primorum, & alia conclusiones: & conclusiones esse demonstrabiles, principia autem indemonstrabilia.

Quare dixi vanum, & quare stulte, fabule.

Attendendum autem hic, quòd circularis demonstratio esse non potest secundum hoc quod simpliciter & prius natura aliqua & per causam scita non possunt demonstrari ex scitum circulariter: quia sic in præhabitis accepta est demonstratio secundum propriissimè scita. A hac autem non intelligitur quòd, in circulariter generatis non possit esse quæcunque demonstratio, vt in nube, vapore, & pluuia, sicut in secundo huius eiusdem scientiæ hb. probabitur. Sed intelligitur hic, quòd illæ demonstrationes non faciunt scire simpliciter secundum quod diffinitum est: aut enim neutrum illorum est prius altero secundum naturam, aut sicut vnum prius altero secundum naturam, sic vna demonstratio erit per causam, & altera per effectum. Posset tamen dici, quòd hæc possent per scinuicem demonstrari, vt in secundo dicitur: nec tamen fit circulatio vera: quia non fit motus ab eodem in idem penitus: quia cum nubes generat pluuiam, & iterum ex pluuia nubes generatur, non est eadem nubes generans & generata: & sic non est ibi vera circulatio. Extenso tamen nomine demonstrationis potest aliquis hoc modo ista demonstrari, vt causa per effectum, & effectus per causam.

Circularis demonstratio absolute non est negabilis, sed negabile est ipsam esse ad hoc aemonstrationis.

Demonstrationes circulares non sunt de circularibus demonstratis.

CAPVT VII.

Quæ sint conditiones magis contrahentes prædictas conditiones demonstrationæ, & quod demonstratio est de necessariis, & quæ sunt de omni & semper.

CVm autem iam determinatæ sint conditiones primæ & vniuersales demonstrationis, quæ extrahuntur ex diffinitione eius quod est scire secundum quod proprissimè sumitur, secundum quas demonstratio est ex primis & veris & immediatis & ex prioribus & notioribus & causis conclusionis: hic determinandæ sunt conditiones specialiores, per quas illæ vniuersales conditiones quæ dictæ sunt determinantur & contrahuntur & applicantur ad demonstrationem: & illæ conditiones sunt, quod demonstratio sit ex necessariis, ita quod sint de omni & per se & vniuersalia sint & propria. Non enim sufficit, quòd demonstratio sit ex primis & veris: possunt enim hæc omnia esse: & tamen non esse necessaria secundum rem, nec per se, nec vniuersalia, nec propria, sicut patet in multis dialecticæ principiis. Ideò post conditiones prius in antehabitis determinatas, oportet addere alias conditiones quibus illæ determinentur ad conditiones veræ demonstrationis secundum esse & vsum veræ demonstrationis. Prima enim illarum conditionum est, quod sit demonstratio ex necessarijs, & de omni, & per se, & vniuersalis, & alias huiusmodi habeat conditiones quæ solius sunt demonstrationis. Et ideò primum ostendemus, quòd ex necessariis & per se & de omni & propriis sit demonstratio: postea autem ostendemus ex quibus & qualibus est talis demonstratio.

Stat quod aliquæ propositiones sint primæ, veræ, immediatæ, &c. & tamen non erit necessaria nec per se nec vniuersalis, sicut patet de principiis dialecticis

Ostendamus igitur primo, quòd ex necessariis est demonstratio. Dicamus igitur primum, quoniam impossibile est aliter se habere id cuius est simpliciter scientia, quod scitum est & scibile. Dico autem id scibile, quod est secundum demonstrationem scientiam scitum & scibile: demonstrativa autem scientia est, quam habemus in habendo demonstrationem: conclusionis enim habitæ per demonstrationem est demonstrativa scientia: igitur syllogismus ex necessariis propositionibus simpliciter est demonstratio. Accipiendum igitur est ex quibus & qualibus necessariis sit demonstratio vel demonstrationes secundum omnem diuersitatem conditionum earum quæ sunt veræ & necessariæ: & hoc est quod est de omni, & per se, & vniuersale. Et primo accipiamus hanc, quòd sit necessarium, & de omni.

Quoniam autem impossibile est aliter se habere, &c.

Dicamus igitur primo, quòd in demonstrativis necessarijs est dici de omni. Dico igitur, quòd de omni dicit comparationem prædicati ad subiectum, quod cum insit, inest secundum quamlibet sui partem, non ita quod sit in aliquo quodam, & in quodam non: & secundum omne tempus, non ita quod insit aliquando, & aliquando non. Hoc enim sufficit in his quæ sunt de omni vt nunc: sed non sufficit in his quæ

De omni igitur dico quod non, &c.

quæ sunt de omni simpliciter. In illis enim quæ necessaria sunt, quæ supra tempus sunt & æterna (vt dicit Aristot. in 6. ethicorum) oportet, quòd semper insit, & non insit aliquando, & aliquando non sed semper. Et quia hoc dupliciter contingit, ideò de hoc duo dabimus exempla: & de hoc quod omni subiecto & semper insit, exemplum est, sicut animal dicitur de omni homine, non de aliquo dicitur, & de aliquo non: & non aliquando dicitur, & aliquando non: & ideo siue homo sit actu in natura, siue non, semper hæc est vera, homo est animal: & quia cum animal sit principium intelligendi hominem, necesse est quod & actu & intellectu semper sit in homine: & ideo semper est prædicatum de ipso; & ideò si verum est dicere hominem, verum est dicere animal. Sicut enim diximus, necessaria sunt supra tempus & semper vera & nunc & semper. Contingentia vero vt nunc vera sunt & non semper. Exemplum eius quod est principium & non prædicatur vt de subiecto, sed sicut principium existens in omni & semper, est punctum in linea: si tamen in omni linea punctum est formale principium vt terminans & continuans qui est actus formæ. Et hoc dico: quia quidam dixerunt punctum in linea esse materiale principium, & punctum componere substantialiter lineam, ita quod linea sit ex punctis, sicut in libro de indiuisibilibus lineis determinatum est. Hoc igitur dicimus in demonstrativis & necessarijs.

Punctum est formale principium linæ & non materiale contra quosdam.

Signũ namque est, &c.

Quod autem verum sit quod dicitur, probatur per signum quod ab vsu Philosophorum disputantium accipitur. Sic enim contra de omni instantias proferimus, sicut est videre: de omni enim interrogati, hoc est, si interrogamus in demonstrativis an probatio sit de omni demonstrativo, volentes ostendere, quòd non est de omni, instamus dicentes, quod in quodam non est: aut instamus per hoc si aliquando non est: & sic probamus, quòd non est de omni in necessariis & demonstrativis. Per hoc enim quod dicitur, quod non est aliquando, & aliquando non, significatur, quòd nulla parte temporis mensuratur necessarium, quod simpliciter necessitate rei necessarium est, & non necessarium per accidens, sicut quod positione vel conditione est necessarium.

Quare diffinuit de omni cum negatione.

Scias etiam, quòd in aliquibus est dici de omni demonstrative, in quibus non est actualis multitudo contentorum, sicut in sole & similibus aliis: & ideò de omni non potest diffiniri per hoc, quòd sit vniuersaliter de omnibus: sed cum additur negatio, quòd non est de quodam & de quodam non, hoc de omnibus conuenit scire, siue habeant actualem multitudinem, siue non habeant. Propter quod etiam per negationem oportuit determinare id quod est de omni, & per affirmationem determinari non potuit.

Differentia inter dici de omni priorissicum & posteriorissicii.

Et hoc quidem principium quod est dici de omni, & quod est dici de nullo, determinata sunt in libro priorum secundum quod sunt communia principia syllogismum in communi præcedentia, & significant cõmunem subiectorum vniuersaliratem, qua propositiones syllogismi vniuersales dicuntur quantum ad contingentiam subiectorum: hic autem determinatur de omni prout consequitur propositionem vniuersalem & demonstratiuam. Quæ vniuersalitas duplici conditione determinanda est, scilicet vniuersalitate subiectorum & vniuersalitate temporum, propter duo quæ sunt in syllogismo demonstratiuo, in quo necesse est vniuersalitatem subiectorum esse propter diuersum syllogisticæ argumentationis: & necesse est esse vniuersalitatem temporum propter necessitatem conclusionis & propositionum in syllogismo inquantum demonstrativus est syllogismus.

Aliquod necessariũ conuertitur cum per se.

Aduertendum autem est, quòd ex necessitate inesse dicitur duobus modis. Vno quidem modo quando id quod inesse dicitur, non potest non inesse: propter hoc quod id quod inest, substantiale dat ei cui inest: ita etiam id cui inest, egreditur essentialiter ab essentia eius quod inesse dicitur: & hoc modo quicquid ex necessitate inest, per se inest. Alio modo dicitur ex necessitate inesse quod semper inest ei cui inest, sed non dat ei esse per hoc quod inest ipsi: quinimo id cui inest (non obstante natura eius cui inest) posset esse sine ipso, sicut multis subiectis multa insunt accidentia inseparabilia. Et sic patet, quòd omne quod est de omni prout hic determinatur, est de necessitate: non tamen omne tale est per se. Et sic patet, quòd hoc principium quod est per se, addit super id principium quod est de omni.

Omne de omni posteriorissicum est necessarium, non tamen omne tale de omni est per se.

CAPVT VIII.

De modis dicendi per se qui sunt quatuor, & de primo & per se.

COnditionem demonstrationis quæ est per se, non oportet diffinire: quia hoc commune (quod est per se) de suis modis dicitur multipliciter secundum analogiam & non vniuoce, vt dicit Aristot. in 5. primæ philosophiæ, in capitulo de diffinitione modorum per se. Et quia hoc quod est per se, maxime necessarium est demonstrationi, ideò diligentius hic tractandum est: & vt hoc fiat, distinguendi sunt modi eius omnes, & singuli sunt tractandi: & secundo videamus qualiter se habent ad demonstrationem. In modis autem dicendi per se duæ sunt diuersitates. Dicuntur enim duo modi primi, hoc est, primus & secundus modi per se inhærendi, vel prædicatum subiecto, vel subiectum prædicato: & illi cadunt in simpliciter scibilibus. Alij autem duo dicunt in hoc, quòd tertius modus dicit modum per se existendi, & quartus dicit modum non per se existendi, sed per se causandi prædicatum in subiecto in essendo: & illi duo non cadunt in simpliciter scibilibus, licet cadant in demonstratione. In simpliciter enim scibilibus cadunt quæ sunt principium & ex stendi & sciendi hoc esse in hoc vel de hoc per suam substantiam propriam, qua scibile constituunt secundum quod in suis substantijs cadere & esse considerantur: quæ autem non dicunt huiusmodi

Remouet dubium.

Text. com. 23.

Hoc quod est per se, est maxime necessarium demõstrationi.

Tertius & quartus modus non cadunt in simpliciter scibilibus, sed tantum duo primi.

insmodi causam & principium, non dicuntur cadere in vtrumlibet horum.

Per se autē sunt quæcunque sunt in eo quod quid est, &c.

Hoc autem sic probatur, Cum per se dicatur quatuor modis, per se primo nec dicuntur quæcunque in communi substantialiter & formaliter sunt in eo quod quid est, hoc est, in diffinitione substantiali & formali siue directè siue indirectè secundum obliquum prædicetur de ipso, hoc est, quæcunque substantialiter prædicantur siue secundum rectum, siue secundum obliquum: & hic est modus primus: sicut inest animal homini & secundum rectum prædicatur de ipso: & sicut linea inest triangulo secundum obliquum prædicata de ipso: est enim triangulus figura tribus rectis lineis seu angulis contenta, habens tres angulos æquales duobus rectis. Et sic lineæ finitæ & rectæ inest punctum obliquè cadens in eius diffinitione. Est enim linea recta finita longitudo sine latitudine, cuius extrema vel termini sunt duo puncta, sicut dicitur in primo Euclidis. Hoc autem modo non est punctum in linea infinita, nec in circulari linea. In linea quidem infinita non est: quia illa non est nisi in potentia, & non in actu: omne enim terminatum per punctum, actu est finitum: & ideò propriè loquendo infinitum non habet essentialem diffinitionem. Circulari autem non conuenit: quia circulus non habet suæ existentiæ terminum in se ipso, ita quod sit in ipsa circumferentia, sed extra se in centro: quod patet per diffinitionem circuli in primo Euclidis, quæ sic dicit, circulus est figura plana, vna linea contenta, in cuius medio est punctum à quo omnes lineæ productæ ad circumferentiam, sunt æquales: propter quod punctum illud vndique à circumferentia æqualiter distat: & patet ex hoc, quòd punctum non cadit vt terminans essentialiter lineam circularem.

Circulus non habet terminum suæ existentiæ in seipso, sed extra se, scilicet in centro.

Substantia enim ipsorum ex his est, &c.

Iste ergo est vnus primus modus dicendi per se, quoniam substantia formalis diffinitorum ex his est quæ cadunt in diffinitione eorum, & substantia quæ diffinitur, formaliter constituitur ex illis: & hoc est quando prædicatum velut formale principium cadit in diffinitione subiecti, sicut substantia hominis, est ex animali rationali, & substantiales ex punctis in actu formæ accepti & secundum materiam: & hoc modo cadit in linea in diffinitione figuræ vt terminans & finiens esse ipsius.

Notæ opinionem quæ videtur esse Lincolnien. hic.

Quod autem quidam dicunt, quòd punctum vt materialiter & substantialiter lineam constituens, cadit in diffinitione lineæ, & linea in diffinitione figuræ, est contra Aristot. & est dictum Platonis, quod quidam affirmant distinguentes dupliciter esse lineam, finitam scilicet, & infinitam: & dicunt, quòd lineæ quidem infinitæ punctus non est substantia nec principium, sed finitæ. Adhuc autem dicunt, quòd punctum substantialiter constituens lineam, aut sumitur infinities in linea & secundum nullum numerum finitum, aut sumitur finities & ad aliquem numerum determinatum. Si sumitur finities, dicunt, quòd non constituit lineam: quia sic in linea punctum esset consequens ad punctum, & punctum contingeret punctum, & punctum consequeretur ad punctum: quæ omnia probata sunt esse impossibilia in principio 6. physicorum. Si autem infinities sumitur, dicunt, quòd punctum substantialiter constituit lineam finitam. *Text com. 1.*

Si autem quæritur ab his, quare punctum infinities sumptum, non est consequens vel contingens vel continuum cum puncto in linea infinita, non possunt dicere, nisi quia in infinito non est primum nec medium nec vltimum. Sed tamen talis finita linea est continua, & in tali continuo (sicut est vt dicunt) necessario punctum continuatur ad punctum, si linea est ex punctis etiam infinities sumptis. Adhuc secundum Aristot. diffinitio consequentis & diffinitio contingentis & diffinitio continui faciunt, quòd indiuisibile in continuo non sequitur indiuisibile, nec contingit ipsum, nec continuatur ad ipsum. Quia consequentia sunt, quorum non est medium sui generis: inter quælibet autem duo puncta in continuo cadit linea quæ est sui generis. Et contingentia sunt, quorum vltima sunt simul: indiuisibile autem non habet vltimum. Continua etiam sunt, quorum est terminus vnus: & ideò continuum terminatum est. Punctus autem non habet terminum. Non ergo est ex linea, quòd punctus non sequitur nec contingit nec continuatur ad punctum, sed ex puncto: & ideò siue infinities siue finities sumatur, semper quandiu est punctus, nec consequi nec contingere nec continuari potest in continuo: propter quod dictum illud Platonis nullum est, & probatum ab Aristot. quod falsum est & impossibile: & ideò primo modo est dicendum. Adhuc si linea sic substantialiter esset ex punctis, quid esset quod lineæ dat formam continuitatis, & quid ponit eam in genere continuitatis: hoc enim non potest facere infinities sumptum punctum, sicut patet ex ratione inducta: & ideò dictum illud impossibile est, & non dictum secundum philosophiam.

Impugnatio opinionis Lincol.

Et Plato quando hoc dixit, non sicut isti dicunt intellexit: sed dixit, quòd motus imaginatiuus puncti in continuum, facit lineam: & quia illud quod imaginatur moueri est indiuisibile, ideò substantia eius est ab eo quod imaginatur moueri, & continuitas est à motu continuo imaginatiuo: sicut à motu eius quod mouetur in vbi, continuitas significatur in vbi per quod mouetur. Tale igitur dictum est erroneum. Sed dicendum est, quòd punctum est principium lineæ sine quo non est linea, & linea principium figuræ sine quo non est figura, & ex quo sicut terminante substantialis est diffinitio ipsius. Iste igitur primus modus est dicendi per se.

Quomodo dictum Platonis de puncto, quòd scilicet materialiter constituat lineā, sit intelligendum.

Punctum nō ingreditur diffinitionem lineæ nisi sicut terminans illam.

CAPVT IX.

De secundo modo dicendi per se, & de tertio.

Et quibuscunque eorum quæ insunt ipsis, &c.

EST autem secundus modus dicendi per se, quando subiectum inest in diffinitione prædicati, hoc est, quibuscunque subiectis eorum

eorum prædicatorum quæ insunt ipsis subiectis ipsa substantia sunt in ratione diffinitiua & ratione quid est demonstranti. Et dico demonstranti: quia per talem diffinitionem passio demonstratur inesse subiecto: & talis diffinitio ex subiecto secundum quod est causa talis passionis, dicit quid est passio per causam & efficiam: vt hoc rectum inest lineæ, & linea cadit in diffinitione recti. Quod patet in primo Euclidis in diffinitione recti: dicit enim Euclides, quòd rectum est breuissima linea inter duo puncta. Plato autem, quod rectum est linea cuius prima pars vel primum punctum totam operit lineam: vel cuius medium non exit ab extremis: & ideo primum punctum totam lineam operit. Et hoc modo circulare siue etiam curuum insunt lineæ: quia curuum est, cuius medium exit ab extremis: & ideò principium lineæ totum medium lineæ non operit. Hoc etiam modo par & impar insunt numero: quia par est numerus in duo æqua diuisibilis: impar autem, quia in duo media numerus non potest diuidi, vnitate indiuisibili intercidente. Hoc modo etiam se habent ad numerum primum & compositum: est enim primum in numeris, qui ex sola componitur vnitate, vt binarius: & ideò binarius primus est numerus. Compositum autem est in numeris numerus, qui ex vnitate & numero vel numeris componitur. Et sicut iterum in numero & in continuo sunt æquilaterum, & altera parte longius: in horum enim diffinitionibus cadit subiectum: quia siue in numeris siue in continuis æquilaterum est, cuius in seipsum ductus æqualis est radici, vt linea ducta in seipsam vel numerus ductus in seipsum: & vtrumque facit quadratum numerum, sicut dicitur in secundo arithmeticæ, quòd numeri cuiuslibet ductus in seipsum facit quadratum numerum: vel de continuo quadrato quod sic fiat, dicitur in quarto Euclidis.

Rectum quid secundum Euclidem & quid secundum Platonem.

Quid primū in numeris & quid compositum.

Ductus cuiuslibet numeri in seipsum facit numerum quadratum.

Quod autem numerus quadratus ductus in seipsum facit quadratum in numeris, dicitur secundo arithmeticæ quod fecit Pythagoras. Et generaliter loquendo dicimus, quòd omnibus his prædicatis subiecta insunt in ratione dicente quid est passio: sicut hinc quidem, hoc est, in diffinitione recti & curui inest linea: & inde verò, hoc est, in diffinitione paris & imparis, vel primi vel compositi, vel quadrati & altera parte longioris quadraguli inest in vna parte linea, in alia parte numerus: est enim quadrangulum altera parte longius numerus vel linea cuius ductus longior est radice: sicut quando numerus minor ducitur in maiorem, vel è conuerso, vt ter in quatuor: vel quum linea bicubita ducitur in circulatam. Similiter autē est in omnibus aliis huiusmodi. Dico esse per se quæcunque vel primo modo quo prædicatum inest subiecto, vel secundo modo cum subiectum est in ratione prædicati omnia talia per se esse dico.

Quæcunque verò neutraliter insunt, &c. Vide expositionem Themistij super illa partes. Quæcunque verò neutraliter insunt, &c. quæ aliter exponuntur quam alij expositores. Subiectum ponitur in diffinitione propriæ passionis tanquam differentia eius.

Quæcunque verò prædicata vel subiecta neutraliter ipsunt prædicatis vel subiectis, accidentia sunt & accidentaliter insunt, sicut musicum & album insunt animali: ita quod nec prædicatum est de ratione subiecti, nec subiectum in ratione prædicati: & ideo prædicatum tale accidit subiecto, & est commune non proprium & subiectum accidit prædicato. Est autem attendendum, quod in hoc secundo modo subiectum intrans in diffinitionem prædicati, loco est differentiæ contrahentis & specificantis: & id quod est genus passionis, est respectu eius in potentia, sicut patet in diffinitione simi & aquili circa nasum: concauitas enim in medio, nasi facit simum, gibbositas autem facit aquilum: in quibus curuitas & gibbositas loco generis sunt: nasus autem determinat ad speciē passionis sicut vltima differentia: & ideò subiectum est causa propria passionis, & diffinitio subiecti dicit quare & quia passio est in subiecto.

Amplius aurem tertio modo dicitur esse per se potius quam dici per se, quod de alio quodā hoc est, alterius naturæ subiecto, non dicitur secundum suum proprium modum essendi siue existendi modum, vt ambulans, cum secundum modum existendi alterum & alterius naturæ sit ambulatio quæ inest, & id quod ambulat cui inest ambulatio & à quo vt à subiecto egreditur actus ambulationis: & album cum alterius naturæ sit albedo, & id cui inest albedo & à quo sicut à subiecto proprio causatur albedo: & ideò talia non dicuntur esse per se: quia eorum esse est inesse alteri. Substantia autem & præcipue substantia prima & quæcunque vt prima substantia, hoc aliquid signant, non alterum aliquid quidem sunt quam quod verè est proprio modo existendi per seipsum: & non per hoc habet esse, quòd ipsa sit in alio, sed à seipsa habet suum esse secundum hoc quod ipsa est, & verè est quod est. Quæcunque igitur non de subiecto aliquo prædicata sunt, quo esse habeant, dico esse per seipsa: quæ verò de subiecto sunt prædicata, à quo esse habent, dico esse accidentia.

Amplius quod non de subiecto dicitur alio quodam, &c.

Si autem quæritur, quid iste modus facit ad demonstrationem? Dico, quòd sicut in demonstratione est passio per se quæ immediatè exit à subiecto, ita quod inter eam & subiectum non est aliud subiectum mediante quo insit, sicut habere tres angulos æquales duobus rectis inest triangulo non mediante superiore quæ est figura, & non mediante inferiore quod isosceles vel isopleurus: ita igitur, quòd in demonstratione sit per se subsistans & stans subiectum, sicut nasus per se, hoc est per suam rationem qua diffinitur vt subiectum immediatè, ita quod non per aliam aliquam passionem substat passioni: & triangulus substat tribus angulis æquis duobus rectis. Et ad hoc determinandum in vera & potissima demonstratione necessarius est iste tertius modus: est enim proprius modus subiecti substare per propriam rationem & non inesse alicui.

Dubitatio. Solutio. Quid faciat tertius modus ad demōstrationem.

Si autem talis est tertius modus, vt dictum est: tunc tertius non videtur differre à modo secundo in his quæ dicuntur etiam per se: quia in secundo modo quando subiectum est in ratione prædicati, ex subiecti ratione contrahitur ratio prædicati propter quam prædicatū inest ipsi subiecto, & sic subiectum per se ostenditur substare per passionem. Sed ad hoc dicendum est, quòd in veritate secundus modus & tertius conueniunt in hoc quod vterque dicit causam

Obiectio. Solutio.

Quomodo conueniant secundus modus & quartus: & quomodo differant.

causam per se inhæret, prædicetur in subiecto, seu connexio modo. Quia secundus dicit quærere per se, tractando de illo subiecto, per id quod subiectum est principium prædicati. Tertius autem modus dicit causam propter quam subiectum non habet esse, quam prædicato, non ex ratione subiecti, sed ex ratione prædicati, in cuius definitione cadit hoc non aliud subiectum: siue superius siue inferius acceptum, & hic consistunt in causa inhærentiæ quæ est per se inhærentia. Vtrumque enim dicitur ideo modus inhærendi per se, quia per se prædicatum est in subiecto: & ideo modus secundus non excluditur a tertio quantum ad hoc.

Secundus modus dicitur per se, secundum quod per se opponitur ad per accidens: tertius autem modus dicitur per se per se ipso stans ad non primo.

Sed est notandum, quòd secundus modus dicitur per se secundum quod opponitur per se & id quod est per accidens: quia immediata est inhærentia in subiecto, in cuius ratione diffinitiua cadit ipsum subiectum: quia inter passionem & subiectum non est aliud subiectū per quod insit passio, vt propterea quod per aliud insit, dicatur inesse per accidens. In tertio autem modo est per se secundum quod per se est primo esse & non est hoc oppositum ei quod est per accidens, sed ei quod est non primo, sicut non primo stat qui ratione alterius substat. Et totum hoc quod dictum est, continetur in hoc, quod in secundo modo inest passio non per accidens, sed per se. In tertio autem modo subiectum est per se, ita quod non per aliud subiectum, quamuis illud subiectum non sit per accidens.

Obiectio.

Sed tamen contra ea quæ dicta sunt esse videtur, quod passio prædicetur de subiecto primo & immediate prædicari. Sed ad hoc dicendum, quòd licet primum & non ethanum sunt eadem subiecto, sed differunt ratione: quia immediatum dicitur dupliciter: dicitur enim immediatum a priratione medij quod est causa, aut a priratione medij quod est subiectum. Dico autem a priratione causæ quæ sit causa essendi subiectum, & a priratione subiecti quo sit subiectum proprium & immediatum & per se. Modus quidem secundus est per se & immediatus in medietate passionis & subiecti, ita quod passio immediata ex substantialibus subiecti egredi & causa prædicatur de primo suo & immediato subiecto, ita quod inter eam & subiectum non est aliud subiectum. Iste modus autem tertius est subiectum quod per se subiectum est, & sua subiectionis causa propter quam sit subiectum, & non habet aliam causam: & ideo a priratione causæ dicitur per se & non per aliud subiectum: & hoc subiectum est primum: quia non habet aliud à quo subiiciatur quod sit causa subiectionis eius. Et sic secundus modus est per se: eò quod subiectum non per accidens, sed per suas essentiales causas quibus fiunt passio, tali subiicitur passioni. Tertius autem modus est per se, eo quod subiectum non habet ante se & præter se quo subsistere omnibus, quæ sunt in demonstratione & circa demonstrationem. Tamen in sequenti capitulo adhuc dicemus verba Alpharabi de hoc: & tunc melius intelligetur huiusmodi sententia.

Epilogus.

Tres ergo modi eius quod est per se, sic sunt, quod primus est quando prædicatum inest subiecto per hoc quod in subiecto est primum & causa propter quam prædicatum est in ipso: quia essentiam trahit ab ipso: & ideo in ipso est actu & intellectu. Secundus autem modus est quando subiectum est in prædicato, ita quod prædicatum est in subiecto, eo quod passionis esse est in subiecto esse: & ideo quod insit, est in passione & non in subiecto: quia subiecti esse non est inesse: sed causa illius inhærentiæ propter quam huic subiecto insit (cum in subiecto non in passione insit) causa est passionis. Sed causa, quòd huic insit, est in subiecto, quia materialiter passio diffinitur per subiectum vt per causam, & sic per diffinitionem materialem probatur subiecto inesse. Tertius autem modus ita ponit subiectū per se ipsum, quòd non habet aliud his omnibus quæ sunt in demonstrationem & circa demonstrationē.

Triumpho. moranus. dicumpes.

Dici de subiecto aliter sumitur hic quam in prædicamentis.

Ex his patet, quòd primæ substantiæ & quæ substant in eis, vt secundæ substantiæ quæ substant in prima, sunt (qua non dicuntur de subiecto aliquo quod illis conferat esse) subiectæ: sicut ambulans quod de quodam alio dicitur, quod alterius naturæ & prædicamenti est quam ambulatio: & album quod denominatiue dicitur ab alio quod alterius naturæ & prædicamenti est, quam albedo: eò quod alterum & alterius naturæ est id quod denominatur ab actu ambulationis, cum dicitur ambulans, quam ambulatio: & album quod denominatur ab albedine, alterius naturæ est quam albedo: substantia autem secunda & præcipuè quæcunque substantiæ hoc aliquid significant, non sunt alterum ab eo quod subiectum, quam id quod vere sunt secundum id quod sunt: quāuis enim dicam, hic homo est homo: tamen eadem natura est hic homo qui in vno sumitur, non particularizata secundum essentiam, in altero autem particularizata secundum esse: & hoc naturam non facit diuersam.

Accidentia non possunt esse in tertio modo per se sed in primo & secundo.

Sed hoc obseruandum est, quòd cum dicitur, quod id per se est quod non est de subiecto quodam alio, aliter sumitur dici de subiecto, quam in prædicamentis. In prædicamentis enim de subiecto est, quod est prædicatum in eo quod subiicitur naturæ communi: hic autem non dicitur de subiecto, sed de alio quodam subiecto, & non conuenit nisi accidenti: & ideo quæ quidem non sic de subiecto sunt, dico esse per se stantia: quæ verò sunt de subiecto alio quodam secundum naturam, sunt accidentia, quæ per se secundum tertium modum dicendi per se esse non possunt, & tamen possunt esse per se secundum primum modum aliquando, vt cum dicitur, album est coloratum, & aliquando secundum secundum, vt cū dicitur, linea est recta vel curua. Vnde omnes prædicationes in quibus effectus prædicatur de causa, reducuntur ad secundum modum. Omnes autem in quibus causa prædicatur de effectu, reducuntur ad primum. Omnes autem in quibus aliquid gratia suiipsius subsistat, reducuntur ad tertium.

CAPVT

CAPVT X.

De quarto modo dicendi per se, qualiter se habet ad demonstrationem.

Item alio modo quod quid propter ipsum inest, &c.

ITem alio modo & quarto dicitur per se quod propter ipsum & causam immediatam inest vnicuique subiecto, quod indefinitè signatur & subiicitur vt causa indefinitè implicitè vel explicitè circa subiectum vel subiecta signata: & quod non sic prædicatur de subiecto, vt causa signata quæ sit immediata causa prædicati, siue quod non conuenit secundum ipsum & quod non concernit causam, dicitur quod est accidens: cuius exemplum in eo quod est per accidens isti modo oppositum, est in casualibus & fortuitis, & in omnibus in quibus subiectum non concernit in se veram causam prædicati: vt si dicam, quòd ambulante aliquo homine vel equo indefinitè signato coruscauit: ambulatio enim quam concernimus cum subiecto, non est causa coruscationis: vnde dicimus, quòd talis prædicatio est accidens siue per accidens eiusdem temporis in quo iste ambulauit, & de coruscatione nihil intendit, & nubes sonuit & nihil intendit de ambulatione: hæc enim duo non habent vnum ad aliud ordinem causalitatis, sed casus, in quo semper duæ causæ concurrunt, quarum neutra habet ordinem causalitatis ad alteram.

Si verò propriè ipsum per se, &c.

Si verò prædicatum est propter ipsum, quod cum subiecto concernitur implicitè vel explicitè: tunc est per se. Et huius exemplum est si aliquod interfectum siue decollatum interiit secundum interfectionem vel decollationem: tale enim prædicatum inest subiecto propter causam quæ consignificatur in subiecto: cum enim dicitur interfectum, subiectum significatur indefinitè vt aliquid interfectum & per interfectionem quæ consignificatur circa illud indefinitum subiectum quod causa est prædicati quod est interisse. Et quod additur secundum interfectionem, non est de substantialibus huius exempli, sed de expositione, vt explicitè significetur quod implicitè erat in subiecto de causa prædicati, propter quam tale prædicatum inest cuicunque.

Quomodo quartus modus per se differt à tertio ex parte subiecti, & à secundo ex parte prædicati. Differentia quarti modi per se à secundo quantum ad modum inhærentiæ.

Vnde in hoc nec subiectum est per se determinatum quod gratia sui substet sicut fuit in tertio, nec prædicatum necessariò est propria passio sicut in secūdo modo fuit, sed prædicatū est generaliter propria passio vel aliud quod per causam significatam inest cuicunque subiecto. Nec modus inhærentiæ similis est secundo modo: quia quamuis causa quare passio est in subiecto, sit in subiecto in modo secundo: tamen non concernitur aliqua causa cum subiecto diffinito & determinato: sed ipsa natura subiecti causa est passionis. Hoc autem concernitur implicitè vel explicitè. Implicitè quidem quando ipsa forma subiecti causa est, quare ineſt hoc vel illud prædicatum: sicut cū dicitur, homo est homo, & asinus est asinus: causa enim quòd homo est homo, non est alia quam humanitas vel homo: eò quod hoc talis propositio à nullo habet fi. In secundo autem modo determinatum & definitum est subiectum. Adhuc autem in secundo diffinitum & determinatum est prædicatum quod est propria passio: hic autem talis causa est relata ad quodcunque prædicatum: vnde in hoc modo dicendi per se sunt omnes propositiones, in quibus idem de seipso prædicatur. In talibus enim omnibus causa inhærentiæ prædicati in subiecto est in subiecto, & est forma ipsius subiecti in subiecto significata. Aliquando tamen aliter prædicati causa implicatur in subiecto cum causæ reduplicatione, vt cum dicitur, interfectum interiit secundum interfectionem. Cum enim dicitur interfectum, circa subiectū concretiuè significatur causa prædicati talis: & cum additur reduplicatio, secundum interfectionem, hoc est de bene esse ad illius causæ declarationem: quia sine hoc tota causa prædicati significatur cum dicitur, interfectum interiit. Et cum dicitur secundum interfectionem, quamuis reduplicatio ponatur ad prædicatum, tamen non est prædicati, sed subiecti: & ideo refertur ad subiectum sic, interfectum secundum interfectionem interiit: determinat autem subiectum secundum quod est causa talis prædicati: quorum nihil est in modo secundo. Patet igitur, quod cum dicitur, interfectum interiit, per se est, quia interiit propter id quod interfectum est, & non propter causam accidentalem qua accidat interfectum interire. Conueniunt ergo secundus modus & quartus in hoc, quòd in vtroque causa inhærentiæ prædicati ponitur in subiecto: sed differunt modo subiecti & modo prædicati & modo causalitatis inhærentiæ, sicut dictum est.

Quomodo quartus modus per se habeat se ad demonstrationem.

Si autem quæritur, qualiter iste modus habeat se ad demonstrationem? Dicendum, quòd semper cadit in maiori propositione syllogismi demonstratiui siue declaratiui demonstrari passio de subiecto, siue demonstrari debeat diffinitio materialis per formalem: & hoc est ideò, quia in maiori propositione demonstrationis subiectum semper est præcisè de medio prout medium est causa talis prædicationis. Et ad hoc autem intelligendum, notandum quòd demonstratio quæ simpliciter demonstratio est, aliquando demonstrat passionem de subiecto: & tunc semper secundus modus est in conclusione: tunc enim prædicatur propria passio de subiecto. Aliquando autem demonstratur diffinitio materialis subiecti de subiecto per diffinitionem formalem eiusdē subiecti: & tunc primus modus est in conclusione: prædicatur enim diffinitio materialis in conclusione de subiecto: cuius exemplum est, quicquid habet appetitum contrarij doloris, habet circa cor accensionem sanguinis ex cooperatione fellis: iratus habet appetitum contrarij doloris: ergo circa cor habet accensionem sanguinis ex cooperatione fellis. In maiori autem potest dici quartus modus qui comparat causam ad causatum: quia appetitus contrarij doloris est causa accensionis sanguinis circa cor ex cooperatione fellis, hoc modo quo accidentia animæ sunt causa accidentium corporis,

Accidentia animæ iunt causa accidentiũ corpꝛis secundum medios.

tis, vt dicit medicus. In minori verò est tertius modus : quia prædicatur diffinitio formalis de subiecto quod subsistat primo.

In præmissis autem illius demonstrationis quæ concludit passionem de subiecto, si diffinitio passionis sit medium (cum illa diffinitio exprimat causam passionis) dicitur quòd in maiori propositione est quartus modus, qui comparat causam ad causatum, vel modus primus conuersus. In minori autem propositione potest dupliciter contingere : causa enim passionis per modum causæ expressa vel est aliquid subiecti, & tunc in minori propositione est primus modus : vel est aliquid consequens ad subiectum, & sic est secundus. Verbi gratia, omne continuò sonans propter extinctionem ignis in nube, est tonitruus : nubes humida, in qua est extinctus vapor igneus, est continuò sonans propter extinctionem ignis in nube: ergo nubes talis tonat vel est tonitruus. Si autem in demonstratione quæ concludit passionem de subiecto, sit formalis diffinitio subiecti medium : tunc in maior. propositione est modus secundus : quia prædicatur passio de diffinitione sui iecti, & eadem est comparatio passionis ad subiectum & ad suam diffinitionem. In minori autem propositione tunc erit modus primus : quia prædicatur diffinitio de diffinito: cuius exemplu est, omne quod est superficies plana, tribus lineis contenta, habet trés angulos æquos duobus rectis : triangulus est superficies plana, tribus rectis lineis contenta : ergo habet tres angulos æquos duobus rectis. Hoc ergo modo faciunt ad demonstrationem modi per se qui determinati sunt.

Quomode modi per se diuersimode ingrediantur demonstrationẽ cõcludentem passionem de proprio subiecto secũdum quod ponimus medium eius vel diffinitionẽ passionis vel diffinitionem subiecti.

CAPVT XI.

De comparatione modorum dicendi per se ad demonstrationem & de sufficientia eorundem.

Quæ igitur dicuntur in simpliciter scibilibus, &c.

COmparantur autem isti modi ad demonstrationem, & accipitur numerus eorum per hunc modum : quia quæcunque dicuntur in simpliciter scibilibus, hoc est, in scientia conclusionum demonstratiuarum & vere scitarum sic se habent aut sicut inesse subiectis prædicantibus ipsis, hoc est, prædicatis, ita quod prædicata insunt subiectis sicut in primo modo: illa enim omnia insunt subiectis & ratioui subiectorum, sicut ea quæ insunt prædicantibus essentialia prædicata de subiectis per illud in prædicamentis determinatum, quando alterum de altero vt de subiecto prædicatur, tunc quæcunque de prædicato dicuntur, omnia de subiecto dici necesse est. Aut inesse ea quæ insunt ex necessitate propter ipsa subiecta quæ sunt ex necessitate in ipsis prædicatis siue in diffinitionibus suorum prædicatorum.

Quod autem hæc ex necessitate insint quæcunque contingit altero duorum modorum inesse in simpliciter scibilibus, hoc est, in his quæ simpliciter sciuntur per demonstrationem factam per medium quod est diffinitio prædicati vel subiecti, patet ex hoc quod talia non contingit non inesse aut simpliciter, hoc est, sine disiunctione vt triangulo habere tres æquos duobus rectis : aut opposita sub disiunctione, vt lineæ rectum aut curuum, & numero par aut impar. Quæcunque enim insunt & non contingit non inesse, illa insunt de necessitate. Omnia autem quæ ex prædicato essentiali insunt subiecto, & ex subiecto intrante in diffinitione prædicati insunt, prædicato, ita insunt, quòd non contingit non inesse vel ipsa absolutè vel sub disiunctione ad opposita: ergo omnia talia insunt aliquo istorum modorum. Aut enim est contrarium immediatum sub disiunctione acceptum ad suum contrarium, vt omne animal aut sanum aut ægrum, & omnis linea aut recta aut curua, & omnis numerus aut par aut impar, & vniuersaliter loquendo quæcunque immediata sunt circa idem subiectum, quorum vtrumque per positionem formæ significat contrarium in specie determinatum. Aut talia sunt opposita vt priuatio & habitus, vt omne animal, vel omnis homo, aut cæcum, aut videns, quorum vnum significat habitus alicuius positionem, & alterum eiusdem priuationem cum positione ordinis naturæ ad habendum habitum illum. Aut sunt opposita vt contradictio siue contradictoria in genere eodem & non extra genus, vt par & impar : hoc non est par in genere numeri : par & impar sunt sicut contradictoria secundum quod de omnibus sequitur alterum intra genus, & de nullo simul propriè. Quia dicitur, quod si necesse est affirmare & negare siue aut negare de omnibus extra genus : tunc etiam necesse est in eodem genere alterum talium oppositorum inesse : & ideo necesse est hæc quæ dicta sunt per se ex necessitate inesse. De duobus ergo principiis seu conditionibus principiorum de omni, & de hoc quod est per se, determinatum sit hoc modo quo dictum est.

Non enim contingunt non inesse, &c.

Numerus autem modorum eorum quæ sunt per se, sic accipi potest. In natura enim subiectorum & prædicatorum non sunt nisi tria, scilicet quod est, & quod inest, & causa propter quam vnum alteri inest. Modi igitur qui sunt per se, in subiectis & prædicatis multiplicantur penes hæc tria. Omnis ergo modus eius quod est per se, aut est circa hoc quod inest: & hoc dupliciter : omne enim ina rens alteri per se, aut dat esse ei cui inest, & sic est modus primus : aut egreditur ab essentia eius cui inest, & sic est modus secundus : aut dicit causam propter quam inest, & sic est modus quartus. Vel sic, per se aut est dispositio alicuius entis per se perfectè & absolutè, & sic est modus tertius : vel est dispositio entis vnius ordinati ad alterum, aut ordine essendi sicut causa dicit ordinem essendi vnius ad alterum, & sic est quartus modus : aut ordine prædicandi & subiiciendi : & hoc dupliciter : si enim ordo est ingrediendi prædicatum in ratione subiecti, est modus primus : aut è conuerso, ita quod subiectum sit de quidditate prædicati, & sic est modus secundus. Et sic patet etiam ordo : tres enim primi accipiuntur absolutè : quartus autem cũ reduplicatione causæ quæ est in subiecto in

Sufficientia quatuor modorum per se.

ẽto in cõparatione ad prædicatum. Adhuc primi duo sic pertinent ad demonstrationem, quod cadunt in simpliciter scibilibus : tertius autem non sic, sed cadit in subiectis eorum quæ sciuntur.

Sententia Alphara. sequentis Porphyr. & Alexand.

Scias autem, quòd Alpharabius super locum istum in commento aliquantulum sequens Porphyr. & Alexand. aliter dicit : dicit enim quòd tres sunt modi dicendi per se subiectum de prædicato, & prædicatum de subiecto : & ponit primum modum qui potissimus est, quando in natura principij & principiantis est vt sit in natura principiati : & iterum cum hoc in natura subiecti est vt prædicatum sit in eo, sicut est in natura principiati per essentiam vt principians ipsum sit in ipso, sicut in natura animalis est, quòd sit in homine, & in natura hominis est vt animal sit in ipso : quia natura animalis ad actum determinatur in homine, & natura hominis inchoatur in animali & perficitur in rationali : & quia hic modus est & in natura subiecti & prædicati, ideo est primus & potissimus. Secundus autem modus est, quando in natura & in diffinitione prædicati quidem est vt dicatur de subiecto, & non est in natura subiecti vt prædicatum dicatur de eo, sicut se habent adinuicem corpus & coloratum. In natura enim colorati est vt dicatur de corpore terminato, quia non est nisi in corpore terminato : sed non est in natura vel ratione corporis vt subsistet colorato, quia potest esse secundum diffinitionem & non substare colorato : & hoc modo se habent risibile & homo, & generaliter loquendo passio & subiectum. Tertius autem modus est vt sit quidem in natura subiecti vt prædicatum de eo dicatur, & non in natura prædicati & ratione vt ipsa sit in tali subiecto, sicut mors & decollatio se habent adinuicem. In natura enim decollationis est vt sit in ea mors : sed in natura mortis non est vt sit in decollatione, potest enim mors esse sine decollatione. Et hæc sunt verba Alpharabij sine additione & diminutione & sine expositione.

De tertio autem modo quem posuit Aristot. dicit Alpharab. Substantias primas esse per se dicit Aristot. & substantias primas intelligit esse individua, siue sint extra intellectum, siue in intellectu : & dicuntur per se, non quod sint prædicata de aliis, sed quod existant per se, non quod sint aliis essentialia, & non continentur sub aliquo trium modorum : sed ideo dixit ea esse per se vt ostenderet, quòd non sunt per accidens, quamuis non sint subiecta demonstrationis. Hæc sunt verba Alpharab. & hoc videtur esse intellectus Aristot. plus quam omnia alia quæ dicta sunt.

Numerus & ordo eorum quæ dicũtur per se ex verbis Alphar. sumptis.

Et patet numerus & ordo eorum quæ dicuntur per se ex ipsius verbis : quia per se est, aut dispositio tam prædicati quam subiecti, & est modus primus : aut est dispositio prædicati tantum, & est modus secundus : aut subiecti tantum, & est modus tertius. Dicit etiam, quòd per se & secundum ipsum in tertio modo qui est per causam est reduplicatio subiecti secundum quod stat sub causæ determinatione, sed respectu prædicati : vt sit sensus, homo secundum quod homo est animal : si enim poneretur reduplicatio ad prædicatum sic, homo est animal secundum quod animal, esset sensus, quod homo esset omne animal, quod falsum est : sed hoc in antehabitis expositum est. Hæc igitur dicta sunt de conditione demonstrationis quæ est per se.

CAPVT VII.

De vniuersali quid sit in demonstratiuis.

VNiuersale autem dico (secundum quod vniuersale in necessariis & demonstratiuis accipitur) quod cum sit de omni, hoc est, omnibus partibus essentialibus subiecti prædicatum, & sit per se prædicatum de illis omnibus, est prædicatum de illo subiecto & partibus secundum quod ipsum est nomine & diffinitione acceptum. Propter quod patet, quòd hoc quod dico de omni & per se, conditiones sunt prædicati, relatæ tamen ad sui subiectum. Id autem secundum quod ipsum est, est conditio subiecti : vt sit sensus, quod vniuersale sit alicuius subiecti prædicatum de ipso quoad omnes partes subiecti, non secundum quod partes sunt, sed secundum quod vniuocatur & vniuntur in forma speciei communis : & per se, siue essentialiter, ita conuenit omnibus partibus subiecti, quòd cuilibet conueniat quantum stat sub forma speciei, & non secundum quod est determinata in substantia & forma partis.

Vniuersale autem dico quod cum de omni, &c.

Per se ẽ de omne sunt conditiones prædicati secundũ quod ipsum autẽ subiecti.

Per se autem & secundum quod ipsum est idem quoad suppositum, quamuis differant hæc secundum rationem : sunt enim idem sicut particulare & vniuersale : quia per se communius est quam secundum quod ipsum, sicut paulò inferius patebit. Et huius exemplum est, quòd lineæ inest punctum per se secundum primum modum dicendi per se, sicut principium essentiale non prædicabile secundum rectum : & rectitudo & curuitas insunt lineæ sicut passiones, & secundo modo dicendi : & hæc alio modo insunt lineæ secundum quod linea.

Per se autem & secũdum quod ipsum idem, &c.

Quomodo per se & secundũ quod ipsum, idem sunt : & est expositio Arist. 1. Phy. auc. 1. citatur ex primo.

Sed hîc intelligendum, quod hæc insunt lineæ secundum quod ipsum siue secundum quod linea est, secundum quod linea contrahitur ad extensionem quæ fit inter duo puncta : & secundum hoc rectitudo cum suo opposito accipitur per disiunctionem, vt dicatur, quòd linea extensa inter duo puncta, recta est vel curua secundum quod talis est linea. Et hoc modo in secundo modo dicendi per se triangulus secundum quod ipsum, hoc est, secundum quod triangulus est perfectus habens speciem & rationem trianguli, est duobus rectis per angulorum trium æqualitatem ad duos rectos: cuius ratio : quia triangulus (in angulis tribus quibus terminatur) duobus rectis angulis est æqualis. Et hæc iam ante ostendimus intelligi de triangulo rectilineo : quia si sphæricas vel portiones circuli vel curuas habeat lineas, potest habere tres angulos tribus & duobus rectis maiores.

Rectitudo diuiditur.

Quomodo in secundum sit, quòd triangulus habet tres angulos duobus rectis æquales.

Vniuersale autem est tunc cum in quolibet, &c.

Vniuersale autem tunc esse dicitur in demonstratiuis secundum inductam determina-

tionem, cum demonstratur esse in quolibet, hoc est, de quantocunque parte subiecti: quia aliter non esset de omni; & monstratur primo, hoc est, immediate inesse subiectum per subiectum primum. Et hic primum est quod inter ipsum & passionem aliud subiectum non intercidit, sicut quod conuenit omni triangulo inquantum triangulus, & conuertitur cum ipso inquantum est triangulus: ita quod hoc subiectum ita est causa passionis, quòd non indiget mediatori se & superiori quod sit figura in triangulo, ad hoc quod fluat ex ipso: nec sufficiat minus & inferius quod in triangulo est isosceles ad causandum totum secundum ambitum & communitatem prædicationis ipsius passionis: habere enim tres æquos duobus rectis & isosceles in minus est quam quod totum causare possit.

Vt duos rectos habere neque cuilibet figuræ ineſt, &c.

Vnde duos rectos habere, neque cuilibet figuræ ineſt: quòd pro certo sequeretur, quòd omni ineſſet figuræ: & ideo non omni ineſt figuræ: & tamen hanc passionem est demonstrare de figura, non qualibet, sed de tali quæ duos habet secundum æqualitatem ad tres, & illa est triangulus, quæ est figura tres habens duobus rectis æquales. Sed tamen talis passio non cuilibet figuræ est: quia quadrati vel quadranguli non est: neque demonstrans eam de proprio subiecto in demonstrando vtitur pro subiecto qualibet figurâ, sed illa sola quæ in specie & forma triangulus est: quadrangulus enim, sicut diximus, figura est: non autem habet tres angulos duobus rectis æquales; sed isosceles habet quidem fortasse duobus rectis æquales tres angulos, sed non habet tres primum siue primo vel primitus, hoc est, sicut immediatum subiectum ex quo tota illa fluit passio. Et dico fortassis: quia iam fortunio sortitur aliquid, quod per aliud quo idam sortitur ipsum. Primum autem dico: quia isosceles non est primum siue immediatum subiectum passionis secundum se totius: sed dicitur capi in tempore secundum quod triangulus est: sed triangulus habet hanc passionem prius siue immediatius quam isosceles.

Quare dixit isosceles fortassis habere tres &c. non dixit absolutè.

Quod ergo primò non ſtratur quodlibet duos rectos, &c.

Id igitur subiectum quod demonstratur habere tres æquos duobus rectis quodlibet, hoc est, pro qualibet parte sua, & primum siue immediatum, ita quòd non attribuatur ei passio propter aliud propinquius subiectum potissimum, huic primo ineſt & ineſſe attribuitur vniuersale prædicatum quod est passio. Et huius subiecti est demonstratio ostendens passionem ineſſe subiecto vniuersaliter & per se. Et dico per se esse huiusmodi: quia vt est de hoc (sicut antediximus) subiecto quod est triangulus: ita est de alio subiecto tali quodcunque est illud de quo passio demonstratur. Huius autem talis subiecti passio talis est vniuersaliter pro omnibus partibus conueniens. Aliorum autem subiectorum siue sint superiora siue inferiora, sunt quodammodo & non per se neque secundum ipsa: est enim superioris, sicut figuræ, inquantum determinatur ad speciem huius inferioris: inferioris autem est, vt isosceles, inquantum stat in specie trianguli: & sic vtriusque est non per se, sed quodammodo. Neque est isosceli vniuersaliter accepta passio in omni ambitu suæ prædicationis, sed vt frequentius, hoc est, prout est in multis, non in omnibus: est enim in partibus isosceli materialibus: & hoc est esse frequenter & non semper in omnibus: quia etiam in eo qui est scalenon qui non est isosceles. Hoc igitur est vniuersale in demonstrationis.

Vniuersale quid de quo hic: & est sententia Lincolnensis hic.

Est tamen notandum ad habendum primam notitiam vniuersalis, quod vniuersale est, quod secundum se totum est, ex quo fluit tota passio: ita quod nihil vniuersalis est, quod sit non causa passionis: & nihil passionis, quod non sit causatum à subiecto. Verbi gratia triangulus est totum & sufficiens, ex quo fluit hæc passio, habere tres æquos duobus rectis: sed isosceles & isopleuros addit aliquid supra trianguli naturam, quo contrahitur triangulus vt sit hic triangulus: & illud additum non est principium, vel non est causa huius habitus qui est habere tres æquos duobus rectis: & ideò hæc passio, habere tres non est primo isosceli & isopleuri, nec vniuersaliter conuenit ei: quia non primo ineſt ei. Figura autem in genere accepta, non habet aliquid vnde sit causa talis passionis: & ideò nec figuræ est passio primo & per se: sed figuræ conuenit per consequens: quia sequitur ad triangulum sicut animal ad hominem. Isosceli autem conuenit per aliud: quia conuenit ei inquantum est triangulus.

Differentia vniuersalis ad de omni & per ſe, vbi nota quod videtur contradicere huic quæ dixit à principio huius cap. considera. quia solutio patet. Differentia vniuersalis de quo hic, ab vniuersali de quo in Perih. & in prædicamentis & in Perihe. agitur.

Adhuc autē nota, quòd vniuersale (secūdum quòd determinatum est) conditio est prædicati sicut & de omni, & sicut per se: sed hæc sunt prædicati in comparatione ad subiectum. Aliquando tamen dicitur vniuersale subiectum in comparatione ad prædicatum, quia subiectum per se omne & semper prædicatum participat. Vniuersale etiam determinatum est in Porphyrio & in prædicamentis & perihermenias: sed illud est vniuersale, quòd aptitudinem habet vt sit de multis tantum. Istud autem est de omni & per se & semper. Vnde illud quod in antehabitis libris determinatur, est materiale ad istud vniuersale quod est in demonstrationis.

Adhuc autem cum dicitur, quòd vniuersale est, quod cum sit de omni & per se est & secundum quod ipsum est, patet ex his quæ in eodem capitulo habita sunt, quòd vniuersale necessario ineſt & essentialiter. Omne autem quod sic necessario ineſt, aut est quid diffinientium, aut non. Si non est diffinientium, & tamen necessario ineſt, sic est de omni. Si autem est diffinitiuum, aut ineſt sibi, ita quod non diffinitionis completiuum, & sic est per se, sicut genus per se & necessario ineſt speciei. Si autem est complementum diffinitionis, tunc est illud quod dicitur secundum ipsum. Vnde de omni dicit indiffinitiuum ad diffinitionem: per se autem accedit plus: & secundum quod ipsum, dicit id quod maximè facit & complet. Hoc igitur est vniuersale

CAPVT

CAPVT XIII.

De erroribus & causis errorum qui sumunt passionem de vniuersali probatam.

Oportet autem nos non latere, &c.

OPortet autem nos non latere, quoniam multoties contingit peccare in demonstrando, & non esse quod demonstratur vniuersale primum secundum quod ipsum est vniuersale immediatum: quia hoc est primum quod immediatum secundum quod decepto alicui videtur demonstrare vniuersale primum, hoc est, immediatum illi passioni quæ demonstratur de ipso, vel videtur demonstrari: & hoc quidem est valdè cauendum. Hæc autem deceptio tribus fit modis, & tribus de causis, quas dicemus simul cum vnoquoque trium errorum, suam causam propter quam erratur in ipso demonstrantes.

Oberramus autē hanc, &c.

Dicimus igitur, quod oberramus hanc deceptionem, hoc est, secundum hanc deceptionem: primo quidem cum tale sit accipere vniuersale, cuius vniuersalis à superiori differens nihil est (aut extra) singulare: ideo quod extra suum vnicum singulare nihil de vniuersali inuenitur, quam sit ipsum suum singulare. Tamen Boëtij translatio habet quam singularia, quam Boët. exponit in commento. Nos autem vtramque exponemus literam: primo quidem si litera est extra singulare (vt habet Arabica translatio quam exponit Alpharabius) hoc est, de tali vniuersali quod in vno tantum est singulari, sicut est mundus, & sol, & luna, & omnia de quibus dicit Aristot. quòd sunt ex materia sua tota, & nihil eius neque potentia neque actu inuenitur de vniuersali extra illud vnicum secundum esse vel potentiam. Putatur enim tunc ab aliquo decepto, vel putari potest, quòd vna & eadem sit inuentio vniuersalis & particularis in talibus: eò quod de vniuersali nihil extra illud particulare inuenitur: cum tamen impossibile sit, quòd in talibus non sit alia inuentio vniuersalis, alia particularis: sicut impossibile est, quòd idem sit quod est, & quo est: & idem de se communicabile, quamuis non communicetur, & de se incommunicabile, sicut quo sol est & sol, & quo mundus est & mundus, & quo luna est & luna, & sic de aliis. Communicabilis enim forma est & prædicabilis: & quod non communicatur, hoc est ideò, quod id quod est in quo est & quo est id quod est, indiuisibile est in plura secundum actum, quibus diuisis secundum actum inest quo est, hoc est, speciei & vniuersalis natura. Est autem indiuisibile id quod est, ea de causa quam diximus: quia scilicet nihil extra se habet suæ materiæ quæ ipsum est quod est: & ideò putatur, quòd in talibus sit idem vniuersale & particulare: & quando passio quæ primo est vniuersalis, & immediatè demonstratur de particulari hoc quod est sub natura vniuersali, putatur esse demonstrata de vniuersali: ideo quod in talibus vniuersale putatur idem esse cum particulari.

Expositio Alphar. inter. literam suam, quæ dixit extra singulare.

Fallitio. Bein in ista litera suam, quæ dixit extra singulare.

Boëtius autem exponit hanc literam: nihil sit accipere à superiori, hoc est, de superiori quod est vniuersale ens, quod sui natura est extra singulare: quoniam omne vniuersale de sui natura est extra singulare intellectu: & sic hoc quod dico, extra singulare, est determinatio determinans vniuersale superius ens super singulare: & quando nihil illius vniuersalis est accipere extra sua singularia, in quibus est. Et dat exemplum Boëtius in vniuersali quod non nomine vno designatur, sed per certam locutionem designatur sub disiunctione duorum, sicut est vniuersale hoc, linea recta cadens super lineam rectam, facit duos angulos rectos vel æquales duobus rectis: de hoc enim vniuersali quod est, faciens duos angulos rectos vel æquales duobus rectis, multæ probantur passiones in primo Euclidis: & non inuenitur hoc vniuersale aliquid habens extra sua particularia sub disiunctione accepta: non enim inuenitur in altero eorum secundum quod subsistat illi passioni quæ demonstratur de ipso. Prima autem expositio Alpharabij est & planior & communior. Hæc est enim prima causa erroris & primus error.

Aut si quidē est, sed indenominatū sit, &c.

Aut secundo modo erroris, si quidem vniuersalis aliquid inuenitur extra particulare vnum, eò quod multa habet actu vel potentia particularia in quibus est & de quibus prædicatur: sed hoc commune (de quo probanda est passio) indenominatum est vno communi & vniuoco nomine, secundum quod ipsum vniuersale est in rebus specie differentibus: & si habeat vnum nomen, illud erit æquiuocum vel analogum in illis: & hoc nomen non est simpliciter vnum, sed simpliciter est multa, & secundum quid est vnum, sicut de nomine æquinoco in prædicamentis & in perihe. est determinatum. Sicut hoc ipsum ens est in genere & specie differentibus, & est vnum per analogiam in illis. Et hoc modo quo vnum est in se extra illa in quibus est, accidit ei aliqua passio quæ propter hoc putatur esse inferioris: quia non secundum illam rationem quæ inest illi, inuenitur in alio, & putatur demonstrata esse de vniuersali secundum quid sui, quando demonstrata est de particulari: & ideo accidit error: quia hoc non est ita. Et secundum hanc naturam communem in multis diuersis rationibus existentem & non in vno primo, ens est subiectum metaphysicæ, de quo creditur secundum ipsum passio esse demonstrata, quando est demonstrata de substantia quæ est simpliciter ens. Et hic est error, quia ens secundum ipsum extra substantiam est, cuius sunt multæ passiones quæ secundum ipsum substantiæ & primo non conueniunt. Iste igitur est secundus error, & secunda causa erroris secundum Boëtium & Alpharabium.

Aut si contingat ſe vniuersaliter totum sicut est in parte, &c.

Aut etiam tertio contingit ex vniuersaliter totum sicut est in parte, id est, in particulari: eò quod vniuersale esse in toto secundum se & in partes sui, id est, in suo particulari esse non viderunt habere differentiam: & hoc est quando latet differentia qua inferius exit à superiori, vtrum aliquid addat supra superius: part cular enim per aliquid est particulare: quia addit supra vniuersale cuius ipsum

est pars, sicut homo addit super animal, & isosceles super triangulum: & quando latet id quod addit, tunc putatur idem esse vniuersale & particulare: & ideò demonstratum de particulari, creditur esse demonstratum de vniuersali secundum ipsum. Et hic est error. Huius autem exemplum est vt in ente, & ente in potentia. Potentia enim ens non putatur esse realiter supra ens: & ideo putatur potentia ens ab ente non differre: & demonstratum de potentia ente, putatur demonstrari de ente. Et hic est error tertius & causa tertij erroris. In talibus enim eis quæ sunt in parte, inest quidem demonstratio, hoc est, passio demonstrata, propter hoc quod est de omni: & hoc est: quia de omni erit talis de parte facta demonstratio. Sed tamen talis demonstratio siue demonstrata passio, non erit huius quod est in parte vt primi & immediati subiecti, cuius talis demonstratio vniuersaliter facta est, eò quod est diminuta: tamen illius partis non erit vt subiecti primi. Dico autem huius exponendo primi secundum quod demonstratio vera & potissima est primi subiecti, quando demonstratur de eo cuius vt primi est vniuersalis secundum ipsum. Iste igitur est tertius error, & causa huius erroris.

Si igitur aliquis demõstrabit, &c. Expositio Boët. super exẽmplo tertij erroris.

Exempla autem horum errorum super singula specialiter ponemus. Et primò ponemus exemplum tertij erroris: & ibi cauendum est: quia littera illa à multis male legitur. Est autem sic legenda & intelligenda secundum Boëtium. Si igitur aliquis deceptus tertio errore demonstrabit, quòd rectæ lineæ in infinitum protractæ æquè distantes siue parallelæ non intercidant, hoc est, non concurrant: videbitur quidem huius subiecti, quod est rectas esse lineas, propter hoc quod passio inest quibusdam rectis lineis & angulis: non autem inest hoc rectis vt rectæ sunt: nisi quidem insit eis: quoniam anguli intercidentes sic recti sint, prout (supple) sunt causa passionis istius quod est non concurrere: & hoc non est nisi quod si duæ lineæ rectæ æquidistantes & in continuum protractæ fuerint, inter quas ab vna super alia linea perpendiculariter protracta, facit super vtraque linearum ex vna & alia parte superius & inferius duos angulos rectos, illæ nunquam concurrent. Vnde nisi ita ponatur subiectum, vt sic rectæ sint æquidistanter protractæ, quòd linea perpendiculariter tendens intercidens, & super superiorem faciat duos angulos rectos, & similiter super inferiorem faciat duos angulos rectos, non erit subiectum causa illius passionis: & sic probatur hæc passio de parallelis in primo Euclidis. Et hæc est vera expositio istius exempli quod putatur esse de rectis vt de subiecto: quia ignoratur quid parallelæ addunt supra rectas lineas.

Alia expositio exempli Aristot. minus tamen bona.

Dicunt autem quidam, quod hæc passio, non concurrere, passio est rectarum sub hoc modo quòd lineam simpliciter & non perpendiculariter intercidentem, sed siue perpendiculariter siue obliquè intercidentem, facere duos angulos rectos vel æquales duobus rectis: & siquis parti tribuat quod toti conuenit, sub disiunctione facere, scilicet duos rectos vel æquos duobus rectis, quòd ille decipitur: quia omnino impossibile est, quòd lineæ rectæ inter quas cadens linea recta facit non rectos, sed æquos duobus rectis, de necessitate concurrent si in continuum & in infinitum protrahantur. Vnde prima stat expositio, & sic probatur ab Euclide. Quod autem addit Aristot. Sed aut in quolibet æquales, referendum est ad angulos quos describit linea perpendiculariter intercidens inter vtrasque parallelas, quod sint in quolibet descripto angulo æquales: tunc enim non concurrent. Quod dicit, aut, nota est, quòd aut sic ponetur subiectum, aut non demonstrabitur passio.

Et si triangulus non esset, &c.

Exemplum autem erroris primi est, quòd si triangulus ipsa species figuræ non esset aliud aliquod particulare quod sub se haberet triangulos nisi vnum & solum qui dicitur isosceles secundum quod est isosceles, par, hoc est, paris siue æqualis communitatis, videtur vtique esse, sicut sol & hic sol, mundus & hic mundus: quia de specie communi nihil inuenitur extra illud particulare: & tunc videtur, quòd illud quod demonstratur de isoscele, esset demonstratum de triãgulo: & tamen non esset sic.

Et proportionale quod & commutabiliter est, &c.

Exemplum autem erroris secundi est in hac passione quæ dicitur esse proportionale quod commutabiliter est, quod intelligitur esse commutatio proportionis, vt proportio est primi ad secundum, sicut tertij ad quartum: sequitur à commutatione proportionis, quod sicut se habet primum ad tertium, sic secundum ad quartum. Verbi gratia sicut se habent 6. ad 12. sic 8. ad 16. ergo permutatim sicut 6. ad 8. sic 12. ad 16. Hæc ergo est quædam passio, quæ vocatur commutatio proportionis siue proportionalitatis, siue proportionale quod commutabiliter est, quod inuenitur in quatuor generibus quantitatum: est enim in numeris secundum quod numeri sunt quantitates mensurantes & certitudinem quanti reddentes: & inuenitur in firmis siue continuis secundum quod continua sunt mensurantia & reddentia quantitatem alicuius, vt bicubita, & huiusmodi: & inuenitur in temporibus secundum quod tempus est duplum, vel subduplum, & huiusmodi alterum. Quod igitur in omnibus illis inuenitur, inuenitur per naturam vnam mensurandi quæ est in illis, hoc est, passio illa inuenitur in omnibus illis per naturam quæ non diuersificatur, quæ est esse mensuram eius quod quantitas est: & sic propriè & per se & de omni est ipsius communis. Tamen aliquando ab aliquo decepto demonstratum est seorsum diuisim, scilicet de quolibet illorum, ac si diuisim partibus conueniat quod per se non conuenit omnibus, sed propter naturam communem quæ est in ipsis: & si contingit de omnibus siue singulis ipsorum monstrari particulariter inductis omnibus sigillatim: & sic vna demonstratio communis sit de omnibus in communi: & hoc est dicere, quòd inductio syllogismus demonstrationis sit: sed hoc est propter hoc quod commune (secundum quod omnibus inest hæc passio) est indenominatum aliquod quo hæc omnia quæ inducuntur, vnum sunt & vnam naturam communem communicant, scilicet

numeri

numeri longitudines, hoc est, continua tempora: firma, hoc est, corpora: huiusmodi enim seorsum accipiuntur & singulariter considerata sunt abinuicem specie differentia. Vnde cui sic diuisim demonstratur inesse, non est vniuersale verum in quo ista quatuor communicant: & ideo tunc monstrando de particularibus diuisim vel simul acceptis, non probatur de vniuersali: quia ista diuisim vel simul accepta, non sunt vniuersale secundum ipsum quod vniuersale est: non enim accidit eis diuisim illa passio secundum quod diuisim particulariter accipiuntur, hoc est, secundum quod lineæ, aut secundum quod numeri diuisim accepti: sic enim non inerat eis passio: sed inest eis secundum quod hoc est aliqua natura communis in eis omnibus, quod Philosophi ponunt esse vniuersale, quod secundum seipsum est vniuersale subiectum primum. Hoc est igitur exemplum secundi erroris.

Prædicantia de pluribus, sunt in quadruplici differentia.

Ad notitiam autem huius nota, quòd ea quæ prædicantur de pluribus, vno aliquo quatuor modorum prædicantur de pluribus, aut nomine & intentione & natura vna, vt vniuoca: aut prædicantur de pluribus nomine vno, intentione & naturâ diuersis, vt æquiuoca: aut medio modo: & hoc dupliciter, scilicet aut quod vna quidem sit intentio in pluribus, sed per naturas diuersas causata, sicut est mensurale vel proportionale esse in omnibus speciebus quantitatis: sed in numeris causatur ab vnitate, in continuis à puncto, & in tempore ab instanti siue à nunc. Secundo modo sit hoc, ita quod in tota communitate alicuius dicatur vna natura sub intentionibus diuersis, appropinquantibus tamen ad vnum primum, quod aliis appropinquantibus dico longius vel propinquius: sicut sanum dicitur de animali, & vrina, medicina, & diæta. Primo ergo modo & vltimo modo potest esse passio vna communis, quæ omnibus inest propter illud commune quod in omnibus illis est: & est causa passionis, quæ ita est communis, quòd non scitur nisi per illud commune: quia hoc solum est causa ipsius.

Propter hoc neque si aliquis demõstraret vnũquemque triangulum, &c.

Ex his autem omnibus quasi ex corollario sequitur & accipitur, quòd si aliquis monstret vnumquemque triangulum sigillatim demonstratione vna facta de omnibus particulariter inductis, aut altera & altera, eò quod vnumquodque singulariter demonstrat, non demonstrat passionem de proprio subiecto quod est vniuersale: sicut si habeat passionem quod est duos rectos, hoc est, tres valentes duos rectos habet triangulus, demonstrat secũdum vnumquodque triangulum seorsum: vt si monstret seorsum, quòd isopleurus seorsum habet tres æquales duobus rectis: aut demonstrat seorsum, quòd scalenon siue gradatus habet tres duobus rectis æquales: quamuis de omni cognouerit triangulo, tamen nondum cognouit demonstratiuè, quod triangulus per se & secundum quod ipsum duos rectos habet, hoc est, quod habet angulos valentes duos rectos, nisi sophistico modo, siue per accidens: quia cognouit per ea quæ ita se habent ad triangulum, quod triangulo accidit illa esse. Accidit enim triangulo isoscelem vel isopleurum esse: poterit enim triangulus esse sine his, vt patet per se cuilibet: quia ratio triãguli separata est à particularibus triangulis, sicut rat. o animalis separata est à particularibus animalibus, vt dicit Porphyrius, quòd nullo in specie vel numero animali existẽte, potest intelligi substãtia animata sẽsibilis, quæ est intrtio & ratio animalis.

Obiectio.

Si autem aliquis contra ea quæ dicta sunt, obiiciat dicens, quòd vnitas vniuoci maior est, quam vnitas talis naturæ, quæ sic est in multis specie differẽtibus, quæ innominata est: & vnitas vniuoca non sufficit ad vnitatem subiecti vniuersalis ad hoc quod vna scientia demonstratiua fit de tali vniuoco. quia videmus, quòd de quantitate quæ vniuoca est secundum omnem speciem quantitatis, non est vna scientia demonstratiua, sed naturæ, vt geometria de cõtinuis, & arithmetica de discretis, & musica de discreto, quod est oratio, & scientia de põderibus: & sic de aliis: ergo nec vnica talis natura communis quæ in multis, ad vnam debet sufficere formam demonstratiuam habendam de illa vna natura.

Solutio.

Sed ad hoc facile est respondere. Vnitas enim vniuoci non sufficit: quia quamuis vna sit intentio quantitatis, tamen non vnum est quo causatur quælibet quantitas, vt diximus: & ideò in partibus sunt subiecta diuersa, & ex aliis aliæ causantur diuersæ passiones non ad vnum ordinatæ: propter quod fiunt diuersæ scientiæ. Quamuis autem illa communis natura, quæ est mensurabile, sit in diuersis: tamen in omnibus est ex vno primo, hoc est, ex vno numero numerante: numerus enim est, qui primo quantum certificat: linea autem per numerum proportionem: propter quod dicitur linea dupla, vel tripla, vel huiusmodi: & similiter facit pondus, & tempus: & ideò vnica est illa demonstratio de illo communi. Nec etiam quantitas in omnibus quantitatis speciebus vnius intentionis est & vniuocationis nisi logicè loquendo: logica enim ratio non profundat ad causas inuestigandas, sed sufficit ei communis modus prædicationis. Dicamus igitur, quòd non demonstrantur passiones nisi de subiecto proprio demonstrationis, quod secũdum quod ipsum est causa immediata passionis, sicut est triangulus in eo quod triangulus, ad hoc quod est habere tres æquos duobus rectis: & hoc vniuersale non sunt trianguli particulares: quia licet prædicationem trianguli recti recipiant, tamen proprium est, quod triãgulo est proprium: quia triangulus prædicatur de particularibus secundum esse: causa autem passionis est secundum sui substantiam. Nec iterum demonstratum est subiectum proprium passionis per hoc quod de inferiori probatur, etiamsi ponatur nullus esse triangulus alius nisi ille de quo fit demonstratio. Deficit enim in hoc quod est per se & secundum ipsum cõuenire quod est in diffinitione vniuersalis, sicut dictum est: talis enim non cognouit triangulum habentem æquos duobus rectis secundum quod triangulus: nec cognouit omnem triangulum habere sic tres secundum quod est triangulus: sed aut non cognouit omnem triãgulum habere tres: aut si cognouit nisi secundum numerum, hoc est, secundum multitudi-

Quantitas non est vniuoca omnibus quantitatibus nisi logicè.

nem numeralem inductam, sed secundum speciem & formam trianguli (secundum quam causa est talis passionis) non cognouit omnem triangulum habere tres : quamuis ponatur, quòd secundum numerum nullus est triangulus, quem non nouit habere tres æquos duobus rectis: nouit enim per id quod accidit esse subiecto proprio quod est causa passionis. Habere enim tres æquos duobus rectis non conuenit figuræ per se : quia quamuis dicatur de figura, tamen figura per nihil (quod actu sit in ipsa) est in ratione prædicati : & ideò hæc non est in secundo modo dicendi per se, figura habet tres æquos duobus rectis : triangulus enim non est in figura nisi per accidens: secundus autem modus dicendi per se, vult esse quando subiectum per se vel aliquid sui quod actu est in ipso, est in prædicato. Cum autem dicitur, isosceles habet tres, hæc quidem est de omni & per se quantum ad hoc quod isosceles per aliquid sui quod actu est in ipso est in prædicato : sed non conuenit primo, sed per medium illud quod supponitur in ipso.

Attende etiam, quòd quamuis passio non conueniat per se superiori, sicut neque inferiori: tamen non ita erratur circa superius sicut circa inferius : quia statim videtur, quòd id quod vniuersaliter inest inferiori, non vniuersaliter conuenit superiori : & ita in superiori defuit de omni, quod primum est in diffinitione vniuersalis: propter quod statim scitur, quòd non conuenit superiori: & nemo in hoc decipitur : & ideò nullus error in hoc ponitur iuxta vniuersale : sed secus est in vniuersali cui vniuersale de omni inest superius & per se aliquo modo : & ideo non erratur in ipso, nisi quantum ad hoc quod est secundum ipsum conuenire. Et hoc est occultum & sæpè decipit: & ideò necesse fuit modos illius deceptionis determinare.

CAPVT XIV.

De arte vitandi errores inductos.

Quando ergo non nouit vniuersaliter, &c.

QVia verò non satis vtilitatis est errores cognoscere, nisi quis sciat qualiter eos valeat euitare, tractanda est ars qualiter dicti errores sunt euitandi. Quæramus igitur primo, quando aliquis deceptus non nouit cui vniuersali passio inest vniuersaliter, & quando aliquis non deceptus nouit simpliciter & perfectè quæ passio cui vniuersali insit simpliciter & vniuersaliter & primo siue immediatè.

Manifestũ quod si idẽ esset, &c.

Dicamus igitur, quod ad hoc subtiliter intuendo proposita aliqua passione de aliquo subiecto, sicut est habere tres æquos rectis de triangulo : tunc considerandum si idem sit esse triãgulo in comparatione ad causandum talem passionem, quod est isosceli vel isopleuro, qui sunt speciales trianguli respectu ejusdem passionis : sicut secundum idem esse adinuicem se habent eodem modo ensis, mucro, spata, gladius : & sic multa in quibus est cõmunis forma in diuersis specie differentibus: sicut dicimus, quòd secundum vnum aliquod esse & est in ipsis causa huius passionis quod est proportionale quod commutabiliter est. Si enim non est idem esse secundum quod inest communi & speciali, hoc est, triangulo & isosceli & isopleuro : tunc probatam passionem manifestum est, quòd non nouit secundum esse vt inest vniuersali, quando propter hoc quod de omni est inferiori, putat quod illud sit vniuersale : non enim idem est inesse particulari vni, aut pluribus, aut omnibus, quod est inesse vniuersali: & particulare vnum vel plura vel omnia (per hoc quod addunt super vniuersale) sunt non causa talis passionis. Quia autem hac arte cognoscitur quando non est vniuersale de omni & per se & secundum ipsum subiectum : & hoc non sufficit nisi detur ars, qua sciatur quando est per certitudinem vniuersale.

Vtrum autem secundum quod triangulus, &c.

Vnde vtrum illa passio, habere tres angulos æquos duobus rectis, insit triangulo secundum quod ipsum est triangulus, aut insit secundum quod est isosceles: & ad cognoscendum quando secundum hoc positum subiectum est primum siue immediatum & vniuersale, sicut illud cuius est siue de quo est demonstratio, manifestum est ex his quæ nunc dicentur. Intuendum ergo subtiliter si passio illa adhuc insit remoto illo cui dicebatur inesse vel non: si enim remoto illo inest, manifestum est, quòd illud non fuit vniuersale subiectũ illius passionis. Et attende, quòd quãdo dicitur, remoto illo, intelligitur inferius remoueri secundum hoc tantum quod addit super commune & vniuersale, ita quod commune remaneat: sicut remota socratitate remanet homo, & remoto eo secundum quod est homo, remanet animal : sicut etiam remoto illo quo isosceles est isosceles, remanet triangulus. Cum ergo passio dicta de isosceles remoto eo quo isosceles est isosceles, adhuc inest triangulo, constat quòd isosceles non est subiectum vniuersale & per se illius passionis. Similiter si probatur passio de æneo triangulo qui est particularis, remoto eo quo æneum est, adhuc inest passio triangulo. Vnde æneum esse remoto, & isosceles esse remoto, adhuc passio inest : & ideò hæc non sunt vniuersale ipsius passionis. Vnde hoc est subiectum verum & verè, quo posito ponitur causa passionis, & quo remoto passio remouetur: remoto enim eò quod inferius addit super superius, non propter hoc remouetur superius: sed superiori remoto, remouetur inferius: & remoto vniuersali prædicabili, remouetur inferius: vt remota figura, remouetur triangulus : quia si non est figura, non est triangulus. Similiter remoto principio non prædicabili, remouetur principiatum inferius : & remoto puncto vel linea, remouetur triangulus: & tamen superiori non conuenit passio secundum ipsum. Et ideò perfecta est ars quæ dicit, quo remoto non inest passio, & quo posito ponitur, perfecta causa est passionis. Sic igitur tali arte vitantur errores inducti.

Quid sit verum subiectum passionis.

Sed non figura aut termino, &c.

Cuius igitur primi, &c.

Si igitur quæritur, cuius primi vniuersalis est talis passio ? Dicatur, quòd si triangulus est vniuersale cui per se & secundum ipsum inest passio, & secundum hoc inest aliis quæ sunt sub triangulo & isosceli & æneo: & subiecti huius, siue de hoc, est vniuersalis demonstratio quando illa passio de subiecto demonstratur.

CAPVT XV.

Qualiter ostenditur, quòd istæ conditiones sunt necessariæ demonstrationi.

Si igitur est demonstratiua scientia, &c.

QVod autem istæ conditiones necessariæ sint ad demonstrationem, deinceps ostendimus, de omni & necessarium prætermittentes: quia hoc per se patet ostensis aliis. Dicamus igitur, quòd si scientia demonstratiua est ex necessariis principiis, sicut in antehabitis ostensum est : quod probatur per hoc : quia quod scitur demonstratiuè, & quod est conclusio demonstrationis, non potest se aliter habere, sicut probatum est per diffinitione eius quod est scire : quæcunque autem per se sunt rebus subiectis necessaria, sunt realiter. Taliter autem necessaria sunt in aliquo modorum per se: hæc quidem enim siue quædam realiter necessariorum sunt in eo quod quid est prædicantibus siue prædicatis de ipsis, sicut in secundo modo dicendi per se, vbi subiectum est in diffinitione prædicati : quibusdam autem subiectis taliter necessariorum, alia scilicet prædicata insunt in eo quod quid est, sicut in primo modo dicendi per se: quæcunque autem sic per se sunt rebus, sunt necessaria ; & sunt talia quæ secundum se vel sub disiunctione cũ opposito semper alterum oppositorum necesse est inesse subiecto : manifestum est, quòd ex necessariis quæ sunt per se, erit vtique demõstratiuus syllogismus.

Quædam sunt propositiones necessariæ, & non per se.

Quamuis sint quædam propositiones necessariæ, & non per se, sicut risibile est coloratum, & grammaticum necesse est esse hominẽ. Hoc non obstat: quia non probamus, quòd omnia necessaria per se, sed è conuerso quòd quæcunque propositio est per se, illa est necessaria: & hoc est manifestè verum : & sequitur, si est per se, quòd sit necessaria : quamuis non sequatur, quòd si non est per se, quòd non sit necessaria. Super hoc ergo consistit virtus medij, scilicet rationis, quod si est per se: tunc sequitur, quòd sit necessaria propositio demonstrationis. Est enim duplex necessitas. Vna ex simplici inhærentia prædicati subiecto, vt cignus est albus, & coloratum est corpus, & grammaticum est homo. Et alia est ex causa necessitatis, quæ est in subiecto vel prædicato, hoc est, ex relatione talis subiecti ad tale prædicatum, cuius ipsum subiectum secundum se est causa: aut ex relatione prædicati ad subiectum, cuius prædicatum est causa : & talis necessitas est causata ab eo quod est per se, & est illa quæ est in demonstrationis principiis siue propositionibus. Omne enim prædicatum acceptum & prædicatum de aliquo subiecto : aut sic inest per se, vt dictum est : aut inest secundum accidens, ita quod nec prædicatum est causa subiecti, nec subiectum est causa prædicati, sed sic accidentis siue accidentalem inhærentiam habentis.

Necessitas duplex : vna qua causatur à per se, alia quæ in plus se habet quam per se. Vide Themistium.

Aut igitur sic dicendum, aut, &c.

Aut ergo sic dicendum est, quòd scilicet demonstratio fit ex per se inhærentibus & necessariis, quæ talem, vt dictum est, causam habent suæ necessitatis : aut nobis ponentibus, quòd demonstratio necessarium aliquid sit, redeundum est vt ponamus aliud principium demonstrationis, quam id quod diximus per se: & hoc esse non potest : quia in his quæ sunt per se, maior extremitas erit causa medij, & medium erit causa minoris si per se sunt demonstrationes : & sic optimè perficitur demonstratio : & si aliquis hoc modo demonstret, dicendum est sic demonstratum aliter se non posse habere. Ex omnibus igitur quæ dicta sunt, patet ex necessariis esse syllogismum demonstrationis. Contingit tamen ex veris & non necessariis aliquem etiam non demonstrantem syllogizare: sed ille non demonstrabit. Ex necessariis autem dicto modo in quibus per se causa est necessitatis, non est absolutè syllogizare : sed aut demonstrantem hoc modo contingit syllogizando demonstrare solùm, vel oportet ponere aliud demonstrationis principium : erit igitur demonstratio ex necessariis, & non nisi ex necessariis poterit esse demonstratio. Nec moueat aliquem iste processus propter hoc quod est in secunda figura existens : quia est ex conuertibilibus. Arguitur enim sic : demonstratio est ex necessariis ; ea quæ sunt per se, sunt necessaria : ergo est ex his quæ sunt per se. Per se enim & hoc modo dictum necessarium, conuertuntur : & in talibus tenet processus in secunda figura ex affirmatiuis. Hoc est ergo proprium demonstrationis, quòd sit ex talibus necessariis.

Nota tamẽ, quòd Ioan. Gram voluit rationẽ textu. formandam esse hypothetice : tum propter rationẽ tactam hic ad D. Albert & Lin. tum propter verba textus in principio cap.

Hoc autem etiam probatur per signum, quod scilicet demonstratio sit ex sic necessariis : cum enim ferimus instantias contra propositiones demonstrationis vel conclusionem, ad eos siue contra eos qui ex non necessariis opinantur demonstrare, ferimus instantias dicentes, quoniam non sit necesse quod dicunt, scilicet nec id ex quo & quod demonstrant: volentes ex hoc instare, quòd non sit demonstratio id quod inducunt pro demonstratione, quamuis illi sic opinentur demonstrare. Aut ferimus instantias, dicentes omninò contingere aliter esse, quam illi dicunt. Aut ferunt instantiam ad conclusionem, dicentes quòd orationis siue rationis causa contingit conclusionem simpliciter aliter se habere sicut ea quæ non sunt necessaria.

Signum autẽ est, quod demonstratio, &c.

Manifestum autem hoc etiam est ex alio signo, ex hoc scilicet, quòd stulti sunt, qui hoc modo non necessaria accipiendo opinati sunt se bene omnis demonstrationis accipere principia, si scilicet propositio assumpta pro demonstrationis principio probabilis & vera sit, sicut sophistæ apparentes accipiunt propositiones. Huius autem probatio est, quòd verè scire est certam scientiam rei habere : & non scitur certissimè, quod probabile est: nec scitur verè id quod non verè est principium demonstrationis, eo quod habet causam suæ veritatis & necessitatis in seipso : & quod tale est, non potest esse principium demõstrationis. Quamuis etiam sit verum necessarium, oportet principium in genere suo esse primum, hoc est, immediatum, & ideò indemonstrabile : quia non

Manifestum igitur ex his est, quoniam, &c. Secundum Auer. & Græcos & Linco. tangit hic Philosophus rationem Prosaicè: & ideo aliter exponimus.

habet medium per quod demonſtretur. Et oportet, quòd ſit verum: & hoc non ſufficit: ſed vlterius oportet, quòd ſit proprium & conuertibile: & hoc non poteſt eſſe, niſi ſit illo modo neceſſarium, quo in præhabitis dictum eſt. Sicut autem principia oportet eſſe neceſſaria, ita & concluſionem oportet eſſe neceſſariam.

Quod autẽ ex neceſſariis oportet eſſe ſyllogiſmum, &c.

Quod autem ex neceſſariis oportet eſſe ſyllogiſmum demonſtratiuum, manifeſtum eſt ex his quæ dicta ſunt. Si autem aliquis demonſtrationem iam facta & exiſtente, non habens rationem ſiue ratiocinationem quæ dicat cauſam propter quam, iſte talis non eſt verè ſciens, ſicut demonſtrat exiſtente demonſtratione, vere ſciens, quando habet ſcientiam per cauſam dicentem propter quid. Hoc autem oſtenditur per artem traditam in libro priorum. Sit enim vtique, quod a. concludatur de c. ex neceſſitate per b. ſic, omne b. neceſſe eſt eſſe a. omne c. neceſſe eſt eſſe b. ergo omne c. neceſſe eſt eſſe a. & ſi b. (per quod demonſtratum eſt a. de c.) non ſit ex neceſſitate, ſciens a. de c. concluſum eſſe, non ſciunt per cauſam dicentem propter quid. In tali enim ratione hoc quod concluditur quantum ad conſequens, non eſt conſequens propter medium quod ſit cauſa propter quid. Cuius probatio eſt: quia tale medium contingit non eſſe: concluſionem autem oportet eſſe neceſſariam: & ideò æternum eſſe & ſemper. Cum ergo medium poſſit non eſſe, ponatur non eſſe: hoc enim non erit: & ſic ſequetur, quod non ens eſt cauſa entis neceſſarij & æterni, quod eſt impoſſibile.

Amplius ſi aliquis neſciuit, &c.

Amplius ſi corruptibile dicatur eſſe medium, ſi aliquis per talem ſciret vtrum quod corruptum eſt nunc in præſenti, neſciuit quando medium eſt corruptum: & non eſt cauſa neſcientiæ in ipſo cognoſcente, ſed ſaluatum eſt ſciens in potentia cognitionis quantum ad cognitionem: non enim factus eſt inſanus vel oblitus eius quod ſciuit præter aliquid quod factum ſit in ipſo cognoſcente: & ſaluata etiam eodem modo eſt res cognita, hoc eſt, concluſio neceſſaria & æterna, cuius corruptum eſt medium, ſequitur proculdubio, quòd per tale medium corruptibile, nec prius ſciuit verè ſciens: cuius probatio eſt, quod vtique medium corrumpetur, niſi ſit neceſſarium & hoc modo neceſſarium vt dictum eſt. Quare ſequitur, quod aliquis habebit quidem rationem acceptiuam ſcientiæ ſaluam & ſanam & integram, ſalua etiam re ſcita, & cauſam neſciuit, hoc eſt, non habet ſcientiam propter medij corruptionem: ergo neque prius per tale medium non corruptum, ſed corruptibile ſciuit. Si verò non corruptum eſt medium, ſed corruptibile quod contingit corrumpi: tunc vtique id quod accidit ſiue ſequitur, erit non neceſſarium, ſed poſſibile & contingens habens ſe ad eſſe & ad non eſſe: ſic autem ſe habentem & per tale medium accipientem, impoſſibile eſt verè ſcire, ſicut probatur per diffinitionem eius quod eſt ſcire ſuprapoſitam.

Cum ergo concluſio ex neceſſitate eſt, &c.

Ad cauillatorem autem qui fortè calumniabitur demonſtrationis proceſſum, dicendo quòd concluſio eſt aliquando ex neceſſitate ſecundum neceſſitatem conſequentiæ, & non conſequentis. Dicendum, quod nihil prohibet, cum concluſio ſit ex neceſſitate, medium eſſe non neceſſarium per quod demonſtratum eſt, hoc modo demonſtrationis, quo demonſtratio large dicitur ſyllogiſmus de neceſſitate concludens, quamuis non concludat neceſſarium quod ſecundum eſſe ſit neceſſarium, ita quod cauſa neceſſitatis eius ſit id quod eſt neceſſarium per ſe. Eſt enim neceſſarium hoc modo ex non neceſſariis ſyllogizare: ſicut etiam ex non veris ſyllogizatur verum. Cum autem medium ex neceſſitate eſt ſecundum rem, ita quod neceſſitas cauſetur ab eo quod eſt per ſe in primo vel ſecundo modo dicendi per ſe: tunc ſequitur, quòd etiam concluſio erit ex neceſſitate etiam, ſicut ex veris ſemper ſequitur verum, vt in prioribus probatum eſt. Sic enim a. de b. dicitur ex neceſſitate in prima propoſitione: & hoc quod eſt b. ex neceſſitate dicitur de c. in minori: & concluditur neceſſitate conſequentiæ, quòd a. dicitur de c.

Demonſtratio large pro ſyllogiſmo.

Sed cum non neceſſaria ſit concluſio neceſſitate rei quæ vocatur neceſſitas conſequentis: tunc ſequitur, quòd medium non ſit neceſſarium. Sit enim ſecundum poſitionem a. de b. non ex neceſſitate prædicatum, & b. ſit de c. ex neceſſitate prædicatum in minori: tunc ſequitur, quòd & a. in c. erit ex neceſſitate per artem quæ tradita eſt in libro priorum: hoc tamen fuit non conceſſum ab his qui dicebant ex non neceſſariis neceſſarium ſyllogizare.

Sed cũ non neceſſaria ſit concluſio, &c.

Ex omnibus his quæ dicta ſunt, patet quod ſi aliquis ſcit demonſtratiuè, oportet eum demonſtrationem habere, aut non ſcit verè: quia non ſciet neque propter quid, hoc eſt, demonſtratione quæ habet medium dicens cauſam propter quid: neque ſciet demonſtratione quia, in qua demonſtratur cauſa per effectum, quod ſit neceſſe illud eſſe in concluſione: ſed aut, hoc eſt, ſolum, vel tantum opinabitur, neſciens ſi accipiat per ſyllogiſmum tanquam neceſſarium, vel per medium non neceſſarium. Similiter autem eſt ſiue quia demonſtrationem ſciat per media: quia demonſtratio efficiens per cauſam habet media cauſas per quas demonſtratur: ſiue ſciat propter quid per immediata: & quocunque modo ſciet per corruptibilia, ipſe opinabitur, & non ſciet.

Quoniam igitur ſi ſcit demonſtratiuè, &c.

Huius autem ratio eſt: quia accidentium quæ non per ſe accidentia ſunt, ſed communiter (per ſe autem dico hoc modo quo modo determinatum per ſe in præhabitatis) non eſt nec eſſe poteſt ſcientia demonſtratiua: quia in talibus non eſt vel contingit de neceſſitate, hoc eſt, per neceſſariam cauſam demonſtrare concluſionem: quia accidentaliter inſunt & poſſunt abeſſe & adeſſe: accidens enim non contingit non ineſſe: quia de tali hic loquimur accidente.

Accidẽtium autem non per ſe, &c.

Et tamen fortaſsè aliquis opponet dicens ſi ita eſt, quòd per accidentale medium non poteſt cõſtare ludi concluſio neceſſaria: cuius cauſa oportet interrogare, hoc eſt, conſenſum reſpondentis interrogando proponere tales accidentales propoſitiones: nihil enim differt quoad

Et tamen opponet fortaſsè aliquis, &c.

quoad neceſſariam concluſionem, ſi aliquis interrogatus contingentia concedat ea, vel non concedat: poſtea dicat ex conceſſis inferens concluſionem: quia ſiue concedantur talia, ſiue non, ex talibus nunquam poteſt inferri concluſio neceſſaria. Et ideò videtur inutile, quòd tales interrogantur propoſitiones. Sed ad hoc ſoluendo dicimus, quòd talia accidentalia interrogantur in dialecticis non tanquam neceſſarium propter propoſitiones interrogatas: ſed propter quod neceſſe eſt neceſſitate conſequentiæ ſyllogiſticæ ſiue inferentiæ dicere, hoc eſt, concedere talem concluſionem per illa quæ ſunt præmiſſa dicenti vel concedenti ſi vera erunt quæ ſunt præmiſſa.

Quomodo ex neceſſitate præmiſſarũ probatur neceſſitas cõcluſionis, & è conuerſo non tamen circulariter. Nota, quod demonſtrationem per cauſam finalem vocat demõſtrationem quia.

Attende autem, quòd quamuis hic probata ſit neceſſitas concluſionis per neceſſitatem præmiſſarum, & è conuerſo neceſſitas præmiſſarum per neceſſitatem concluſionis: non tamen eſt circularis demonſtratio. Neceſſitas concluſionis per præmiſſas probatur, vt per cauſam efficientem & demonſtrationem propter quid: neceſſitas autem præmiſſarum per concluſionem probatur, vt per cauſam finalem & demonſtratione quia: & ſic non eſt circulus: quia iſtæ demonſtrationes non eadem via proceduñt: & hoc modo non eſt circulus.

Text. com. 133

Attende etiam, quod ſuper hanc artem fundatur illa demonſtratio, qua in primo cæli & mundi probat Ariſtot. quod corruptibile non habet potentiam ad ſemper eſſe. Sic igitur probatum eſt, quòd demonſtratio oportet quod habeat hanc conditionem quæ eſt ex per ſe neceſſariis eſſe.

CAPVT XVI.

Quod hæc conditio, ſecundum quod ipſum eſt, conuenit demonſtrationi, & qualiter de genere tranſcendit in genus.

Quoniam autem ex neceſſitate infunt, &c.

EX his autem quæ dicta ſunt, probatur quod hæc conditio quæ eſt, quòd prædicatum in ſubiecto ſecundum ipſum eſt conditio neceſſaria ad demonſtrationem, ſic. Quoniam enim iam habitum eſt, quòd illa quæ ſunt per ſe circa vnumquodque genus rerum, ſunt neceſſaria, manifeſtum eſt, quòd inſunt ſubiectis prædicata ſecundum quod vnumquodque eſt præcisè & propriè: manifeſtum eſt enim iam per prædicata, quòd demonſtratiuæ ſcientiæ ſunt de his: & ex talibus concluduntur ea quæ ſciuntur demonſtratiuè vt concluſiones. Sicut enim iam habitum eſt, communiter accidentia ſiue prædicata & ſubiecta ſibi accidentaliter inhærentia, ſunt non neceſſaria media, per quæ concludi poſſit demonſtratiua concluſio: propter quod non ſunt neceſſaria ad hoc quod concluſio verè ſciatur per cauſam dicentem propter quid ſit talis concluſio: & propter hoc oportet in demonſtratione, quod è conuerſo medium per ſe inſit tertio in minori propoſitione, & quod medium referatur ad vtrumque ſicut cauſa: & ſic neceſſe eſt, quod prædicatum ſecundum ipſum inſit ſubiecto: accidentalia enim media non neceſſaria ſunt: & ideò per talia non neceſſe eſt ſcire concluſionem ſecundum ſcientiam propter quid: neque oſtenditur per accidentalia, quòd concluſio ſemper ſit & æterna ſi præmiſſæ ſint non per ſe. Et hæc quidem de communiter accidentibus.

Neque ſi ſint ſemper, non per ſe autem, &c.

Accidentia autem inſeparabilia ſunt etiam non per ſe, quamuis per ipſa ſyllogiſmi ſint ſicut per media quæ ſunt ſigna non cauſa propter quid, ſicut, quæcunque lac habet in vberibus peperit: hæc lac habet in vberibus: ergo peperit. Vel ſic, omne coloratum eſt corpus: hoc eſt coloratum: ergo hoc eſt corpus. Concluſio eſt neceſſaria, ſed non per ſe, & ex propoſitionibus quæ non ſunt per ſe: vnde etſi concluſio ſit per ſe & neceſſaria, & propoſitiones & medium ſint non per ſe, ſed ſint talia accidentia ſigna, ex quibus ſunt ſyllogiſmi, hoc per ſe, hoc eſt, talem concluſionem quæ ſic per ſignum de ſubiecto prædicatur (propter quod talis concluſio per ſe eſt) quia taliter concludens concludit per ſignum, non ſciet per ſe, neque ſciet propter quid: propter quid enim ſcire eſt cauſam ſcire: tale autem medium non eſt cauſa, ſed ſignum. Et quia talis eſt conditio ſciti per demonſtrationem, propter hoc ergo, vt diximus, oportet & medium tertio ſecundum ipſum & per ſe ineſſe in minori propoſitione, & primum ipſum ſecundum ipſum & per ſe oportet ineſſe medio in maiori propoſitione. Quamuis autem per ſe & ſecundum ipſum & de omni idem ſit, & probatur hoc ſecundum ipſum ineſſe per hoc quod eſt per ſe ineſſe: non tamen petitio eſt eius quod eſt in principio: hæc enim in antehabitis probata ſunt: ſed hic in generali oſtenſione deſcendimus ad hoc quod oſtendimus hæc obſeruanda eſſe in maiori propoſitione & in minori quæ ſunt principia demonſtrationis.

Remouet dubium.

Ex his autem quæ dicta ſunt, vlterius quaſi ex corollario concluditur, quòd non eſt ſiue contingit ex alio genere deſcendentem in aliud genus demonſtrare. Genus autem hic non dicimus prædicabile vnum vel primum ſecundum ordinem prædicati: ſed dicimus genus, quod eſt generationis principium ſicut cauſa: eadem enim eſt per ſe cauſa ſubiecti, & per conſequens paſſionis principium: quia quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati: vnde generãs ſubiectum, generat per ſe paſſiones. Et quia in diuerſis talibus non poſſunt eſſe eadem, ideò non poteſt demonſtratio vnius generis deſcendere in genus aliud: ſicut geometricum, hoc eſt, concluſio geometrica, non poteſt demonſtrari in arithmetica. Cuius cauſa eſt, quod tria ſunt in omnibus demonſtrationibus. Vnum quidem quod demonſtratur, quod eſt concluſio, in qua paſſio concluditur de ſubiecto: hæc autem eſt paſſio, ſcilicet quæ eſt id quod ineſt aliqui generi ſubiecto per ſe, ſicut ſæpè dictum eſt. Vnum ſiue ſecundum eſt dignitates per quas fit demonſtratio: ex talibus enim ſicut ex materia fit demonſtratio. Tertium autem eſt genus ſubiectum, cuius paſſiones & per ſe accidentia de ſubiecto oſtendit demonſtratio.

Non eſt ergo ex alio genere deſcendentem, &c.

Eadem eſt per ſe cauſa ſubiecti, & per conſequẽs paſſionis.

Dignitates

Ex quibus igitur demonstratio contingit eadem, &c.

Dignitates igitur ex quibus est demonstratio, contingit aliquando idem vel eadem esse in diuersis scientiis: sed non sic est de subiecto & passione, quæ sunt vniuscuiusque generis propria. Vnde in his quorum alterum & alterum est genus, alterum & alterum est subiectum, & aliæ & aliæ passiones, sicut est in arithmetica & geometria: alia enim subiecta & aliæ passiones sunt arithmeticæ & geometriæ: & ideò non est vel non contingit arithmeticam demonstrationem (quæ perfectam numeri passionem concludit inesse numero) conuenire in accidentia siue passiones magnitudinis continuæ, quæ considerat geometer per se & propriè, nisi magnitudines sint numeri. Et hoc dicimus ne aliquis calumniator calumniari possit hoc quod dictum est. Si enim magnitudines sunt numeri, cum subiectum quod est magnitudo, efficitur sub subiecto quod est numerus, & tunc ita efficiuntur vnius generis sicut superius & inferius: & tunc ex causis & subiectis & passionibus superioris inferiori appropriatis per principia superioris probantur ea quæ sunt in inferiori scientia sicut magnitudines numeri, prout in decimo Euclidis linea rationalis numeratur & mensuratur numero per digitum iteratum in ipsa, vel manum, vel palmam, vel pedem, vel cubitum, vel passum, & numeratur quantitate ipsius: cum enim ipsa linea numerus est numeratus, tunc per causas & principia numeri probantur multæ passiones de tali linea. Et hoc modo arithmetica descendit in geometriam: quia subiectum geometriæ quoad hoc efficitur sub subiecto arithmeticæ. Qualiter autem hoc sæpius contingit in quibuldam scientiis, posterius in proprio loco dicetur.

Quomodo magnitudines sunt numeri.

Sed arithmetica demonstratio, &c.

Sed arithmetica demonstratio secundum se sumpta semper habet genus proprium, circa quod sit sua ex propriis demonstratio. Et similiter de aliis: quia aliæ scientiæ similiter habent sua propria genera, ex quibus in ipsis scientiis propriæ fiunt demonstrationes. Quare autem siue propter quid simpliciter in demonstratione necesse idem esse genus quod sit proprium principium generationis eorum quæ sunt in scientia: aut necesse est sic esse genus, quòd vnius scientiæ subiectum sit sub subiecto alterius, vt dictum est de magnitudine & numero, si debeat esse propria & vera demonstratio, vt patet per prædicta. Et si demonstratio vnius scientiæ secundum suas causas debeat descendere in genus alterius scientiæ, aut scientia demonstrationis ferri de genere in genus aliter quam dictum est, manifestum est impossibile esse.

Ex eodem enim genere, &c.

Et huius causa est: quia in demonstratione potissima vltima, hoc est, extrema, necesse est esse ex eodem genere: quia aliter non primum medio & medium postremo per se inesset: si enim talia non sunt siue non insunt per se, sequitur, quòd accidentia erunt quoad hoc quòd accidentaliter insunt. Et propter hoc quod non descendit demonstratio de genere in genus, nisi sicut dictum est, propter hoc geometriæ quæ est specialis scientia, non est monstrare, quòd contrariorum eadem scientia siue disciplina: quæ est scientiæ communioris & vniuersalioris, quia est philosophiæ primæ. Sed nec est geometriæ ostendere id quod est alterius scientiæ particularis, sicut quod duo cubi sunt vnus cubus, hoc est, quod cubus numerus ductus in cubum numerum, facit duos cubos: quod demonstratio specialis scientiæ est quæ est arithmetica. Neque vniuersaliter loquendo alteri scientiæ conuenit demonstrare quod alterius est scientiæ: eò quod nec adhuc sunt subiecta propria, nec passiones, nec media, quæ sunt propriæ causæ: sed aut, hoc est, solum quæcunque habent sic se adinuicem, sicut dictum est, quòd alterum, hoc est, alterius subiectum sit sub altero, hoc est, alterius subiecto, sicut specialius sub generaliori, sicut perspectiua quæ est de linea visibili, quæ radius est, se habet ad geometriam quæ est de linea simpliciter: & sicut se habet consonatiua quæ est de cantu cõsonante (quæ dicitur harmonica siue musica) ad arithmeticam: arithmetica enim proportiones numerorum demonstrat: musica autem determinat proportiones numerorum in cantu. In talibus enim quando subiectum est sub subiecto, superior scientia circa inferiorem (per causas quæ in ipsa communes sunt, appropriatas inferiori) multas passiones de inferioti subiecto demonstrat.

Neque si aliquid inest, &c.

Huius autem probatio est: quia si aliquid ineſt lineis, hoc est, aliqua passio inest lineis, non secundum quod lineæ sunt in genere vel specie consideratæ, quod non ineſt eisdem lineis secundum quod lineæ sunt, nec inquantum ex principiis propriis sunt linearum: hoc etiam non habet demonstrare geometria quæ considerat de lineis: hoc enim accidit lineis ex alio quodam genere subiecti & scientiæ: vt si debeat demonstrari si pulcherrima linearum sit recta linea: hoc enim non accidit lineæ inquantum linea est, sed ex hoc quòd recta linea naturalis vel physica est. Aut si demonstratur si linea recta contrario modo se habeat in positione partium ad lineam circularem: hoc enim non nisi ex physicis cognoscitur causis: talia enim non accidunt eis quæ lineæ sunt secundum quod est proprium genus ipsarum linearum, sed inquantum quoddam commune generalioris scientiæ subiectum. Sic ergo tripliciter descendit demonstratio de genere in genus, scilicet vel quia subiectum est sub subiecto, sicut speciale sub generali, sicut perspectiua sub geometria: vel subiectum vnius est sub subiecto alterius per accidens aliquod determinans subiectum vnius ad formam subiecti alterius, vt linea rationalis & numerabilis ad arithmeticam se habet, & musica ad arithmeticam: aut siquidem eidem subiecto de quo probat vna scientia passiones, accidat aliquid gratia materiæ in qua est, cuius causa non sit in superiori scientia, vt quod linea recta sit pulcherrima vel contraria lineæ circulari: hoc enim non accidit nisi per causam materiæ recti vel circularis.

Tripliciter descendit demonstratio de genere in genus.

Ex his igitur patet qualiter demonstratio vnius generis scientiæ de genere descendit in genus.

CAPVT

CAPVT XVII.

Quod demonstratio est ex his quæ sunt per se & secundum ipsum quantum ad conclusionem, & de diffinitione quod sit intorruptibilium & demonstratio & scientia similiter.

Manifestum autem, & si sint propositiones vniuersales, &c.

MAnifestum est ex præinductis, quòd si sint propositiones ex quibus est syllogismus & necessariæ & per se, quòd necesse est conclusionem perpetuam esse: & hoc patet per vniuersale quod est in demonstratiuis quod de omni, & non de quodam & de quodam non, sed de omni simpliciter, & quod non est quandoque & quandoque non, sed semper: sic enim de omni secundum quod cadit in diffinitione vniuersalis, in præhabitis determinatum est. Ex tali autem vniuersali sequitur conclusionem perpetuam & incorruptibilem esse, quando principia siue præmissæ sic sunt vniuersales. Sic ergo manifestum est, quòd si sint propositiones vniuersales ex quibus est syllogismus demonstratiuus, necesse est & conclusionem perpetuam esse & de omni & semper, & huius demonstrationis quæ tales habet propositiones: & hæc est demonstratio quæ simpliciter & absolutè dicitur demonstratio.

Non ergo est demonstratio corruptibilium, &c.

Ex quo vlterius concluditur, quòd corruptibilium quæ sunt singularia, non est demonstratio: sed sicut dicit Alphara. in commento, alia ratiocinatio est de talibus ex causis materialibus, quæ non est demonstratio, quamuis in hoc demonstrationi in aliquo sit similis, & in hoc quod concludit. Neque de talibus, singularibus scilicet & corruptibilibus est scientia, quæ simpliciter scientia est, secundum quòd scire in antehabitis diffinitum est. Sed sic est de eis sicut secundum accidens. Et exponens Alphara. dicit: Sic est de eis scientia sicut sunt: sunt autem per casum & fortunam quæ sunt causæ per accidens: sic ergo scientia est de ipsis: & hæc non est scientia per se, sed habet aliquod accidens ad scientiæ acceptionem, scilicet per materialem diffinitionem per quam per accidens scitur quod scitur.

Quomodo singularium est scientia per accidens, secundum Alphara. Them. & Alexand.

Alia expositio.

Quamuis autem hæc expositio sit Alpharabij & etiam Themistij & Alexandri: tamen fortè melius dicitur, quòd id quod est vniuersale, hoc est, illa simplex natura cui (à relatione ad multa quæ possunt eam participare) accidit, quòd sit vniuersale, habet duplex esse. Vnum quidem in lumine intelligentiæ, cuius ipsa natura est actus siue effectus sicut efficientis causæ, quæ ex forma sua facit: & hoc est esse principium & incorruptibile, & forte vbique & semper. Aliud autem esse habet secundum quod est natura istius vel illius, & secundum hoc esse est corruptibile. Et primo quidem modo per se intellectus est & scientia de ipso. Secundo autem modo non nisi secundum accidens. Quod autem est esse vniuersaliter ipsius talis naturæ, non est secundum quod est in isto, sed est aliquando: & sic prout est in isto, & non per se, scientia est de ipso secundum quod esse suum (quod est in isto) refertur ad esse simpliciter, & secundum quod est aliquando, non refertur ad esse semper: & hoc modo per accidens est de ipso scientia. Et hæc expositio bona est & concordat cum his quæ dicit Aristot. in 6. primæ philosophiæ. Sed syllogizare vniuersaliter de talibus non erit: quia deficit in tempore & aliquando non erit, sed aliquando erit: & sic prout scilicet hoc in particulari ens refertur ad vniuersale. Com. 4.

Cum autem sic accipitur: tunc ad minus necesse est alteram talis syllogismi propositionem non esse vniuersalem, quam necesse est esse corruptibilem, quæ aliquando erit & aliquando non erit: corruptibilis autem erit altera. Quod si sic, etiam conclusionem necesse est esse non vniuersalem. Et in tali quidem propositione hoc quidem erit prædicatum, vel subiectum: aut non erit, scilicet prædicatum vel subiectum: & sic compositio non erit semper, vel altera quidem propositio erit semper, & altera non erit semper, sed aliquando. Ex quibus quidem propositionibus est talis conclusio non vniuersalis in omnibus & semper: propter quod ex talibus non contingit syllogizare vniuersaliter: sed si syllogizatur ex talibus, hoc est, quoniam nunc est, & non simpliciter quoniam semper est.

Cum autem sic sit, necesse est alteram non esse vniuersalem, &c.

Similiter autem est & de diffinitione: quia ipsa corruptibilium & singularium est per accidens, inquantum scilicet participant sua vniuersalia, & per se incorruptibilium & vniuersalium. Huius autem probatio: quoniam diffinitio tripliciter se habet ad demonstrationem: quoniam quidem diffinitio aut est principium demonstrationis, quando scilicet est medium. Aut est demonstratio, positione sola siue situ differens à demonstratione: quod secundum Alphara. est, quia partim ponatur in maiori propositione, partim in minori, & partim in conclusione: & sic positione differens est, non substantia. Aut etiam conclusio demonstrationis: quoniam sicut ostendit Aristot. in principio secundi de anima, concluditur diffinitio dicens quid per diffinitionem dicentem propter quid, sicut quod anima est endelechia physici corporis potentia vitam habentis, per hoc quod anima est principium & causa vitæ talis corporis. Et hæc est expositio Alpharabij & Commentatorum.

Similiter se habet de diffinitione quoniam est, &c.

Diffinitio tripliciter se habet ad demonstrationem.

Prima expositio & est Alphara. de tertia diffinitione quæ tangit Aristot. hic.

Tex. com. 12.

Dicunt tamen satis subtiliter quidam modernorum, quòd est diffinitio formalis, & est diffinitio materialis, & fortè diffinitio perfecta colligitur ex vtraque istarum, vt dicit Isaac in lib. diffinitionum. Et in demonstratione in qua concluditur diffinitio materialis de subiecto per diffinitionem formalem, diffinitio formalis est principium, & materialis est conclusio: & tertia quæ composita est, demonstratio positione differens est: quia continet in virtute quicquid habet demonstratio: quamuis secundum situm non ita ponatur in diffinitione sicut in demonstratione. Cuius exemplum est, quòd formalis iræ diffinitio

Ista est sententia Linco. & est secunda expositio.

nitio est appetitus contrarij doloris : materialis autem, accensus circa cor sanguis ex euaporatione fellis : composita autem, appetitus contrarij doloris ortus ex accensione circa cor sanguinis ex euaporatione fellis. Et si fiat demonstratio sic, quicunque habet appetitum contrarij doloris, ei inest accensio circa cor sanguinis ex euaporatione fellis : iratus habet appetitum contrarij doloris : ergo iratus habet accentionem caloris & sanguinis ex euaporatione fellis : ex euaporatione enim fellis (addunt Damascenus & Nissenus) ve materia quæ sola causa non est, cum habeat principium efficiens & motiuum.

Tertia expositio.

Alij autem dixerunt, quòd quicquid est, aut est sicut hoc constans & subiectum : aut sicut huius, sicut prædicatum & passio : vtriusque autem horum diffinitio est in demonstratione: diffinitio ergo subiecti principium est demonstrationis : eò quod oportet, quod demonstrario ipsam habeat sicut & subiectum. Diffinitio autem passionis duplex est : aut enim solam indicat essentiam passionis : aut indicat causam inhærentiæ subiecto. Si primo modo : tunc potest concludi de subiecto sicut passio : & tunc est sicut conclusio. Si secundo modo : tunc dicitur positione differens à demonstratione : quia in ipsa est quicquid de substantia demonstrationis : sed primo ponit passionem, secundo subiectum, & vltimo causam passionis, sicut patet sic. Licedo, eclipsis est priuatio luminis in luna per obiectum terræ eueniens. Demonstrario autem primo locat subiectum, secundo medium, tertio passionem.

Quarta expositio.

Alij dicunt, quòd diffinitio dicitur sola positione differre à demonstratione : quia omnia tria prædicta, subiectum scilicet, passionem, & medium, siue causam sub vnius incomplexi comprehendit intentione : in demonstratione autem considerantur vt plura & vt in maiorem & in minorem & conclusionem posita : & hoc ferè idem est cum eo quod primo positum est ex commento Alphara. Arabico. Adhuc dicunt, quòd eadem quæ in diffinitione per abstractionem dicuntur, vt cum dicitur, eclipsis est priuatio luminis in luna obiectu terræ inter solem & lunam in nodo capitis vel caudæ proueniens, dicuntur in demonstratione sub concretione, sicut eclipsatur priuatur lumine ex obiectu vmbræ terræ inter solem & lunam : talis enim diffinitio medium est demonstrans passionem de subiecto : dicit enim quid est & propter quid est passionis : illa verò quæ concludi potest de subiecto, non dicit nisi quid est : illa verò diffinitio quæ est subiecti, dicitur diffinitio secundum speciem quæ non demonstratur.

Laudat primam expositionem quæ fuit Alphara.

Diffinitio de quæ agit hic Aristot. non extenditur ad etimologiam.

Prima magis esse videtur secundum intentionem Aristot. vt sit sensus, quòd formalis est principium, materialis verò conclusio, & composita differens, hoc est, diuersa positione, quia partim ponitur in maiori, partim autem in minori, & continet substantiam demonstrationis. Et omnis modus diffinitionis sic tactus est præter illum qui est per nomina alia magis nota: qui modus magis est etimologia quam diffinitio.

Quamuis autem sit eorum quæ sunt semper sic diffinitio : sic etiam demonstratio est eorum quæ sæpè fiunt & non semper, & scientiæ sunt de ipsis, sicut est lunæ defectus vel solis & huiusmodi. Sed scientiæ & demonstrationes sunt de his : quia manifestum est, quòd hæc secundum quod huiusmodi sunt, hoc est, relata ad causas proximas & necessarias, semper sunt. Inquantum autem non semper sunt : tunc sunt secundum partem, hoc est, secundum singulare : hæc autem causa decidens : & sic defectus est vniuersalis quod est de omni & semper. Similiter autem est in aliis huiusmodi. Eclipsis enim vel alia passio potest comparari ad subiectum tantum, sicut ad lunam, & sic non semper est. Potest etiam comparari ad subiectum cum causa sicut ad lunam existentem in nodo capitis vel caudæ latitudine determinata : & sic semper est eclipsis vniuersalis, quæ cum eueniat secundum ordinem motus solis & lunæ & motum capitis & caudæ, semper est & necessaria. In se autem hæc vel illa considerata, neque necessaria est, neque semper, siue æterna.

Eorum quæ sæpe fiunt, demonstrationes sunt, &c.

Passio potest dupliciter comparari ad subiectum.

CAPVT XVII.

Quod demonstratio non est ex communibus, sed ex propriis.

QVoniam autem ex prædeterminatis manifestum est, quòd non est vel contingit vnumquodque vel quodlibet demonstrare: sed aut, hoc est, solum illa demonstrare contingit, quæ sunt ex vnoquoque proprio rum principiorum suorum per quæ demonstrari habet : hoc enim necesse est dicere si concedatur quod ante probatum est, quod scilicet id quod demonstratur, hoc est, passio demonstrata de subiecto, & insit subiecto secundum ipsum, hoc est, appropriatè secundum quod illud est sibi attributum, sicut paulò ante probatum est. Ex hoc autem accipitur, quod demonstratiuè non est quidem scire quodcunque demonstrabile propter hoc si ex veris & communissimis non appropriatis, quamuis tamen indemonstrabilibus monstratur & immediatis, quia communissima non sunt demonstrabilia, eò quod non habent alia priora quæ sint media quibus possint demonstrari.

Quoniam autem manifestum, quod vnusquodque, &c.

Si autem ex communioribus demonstretur & non appropriatis : tunc fieret demonstratio sicut Brisso tetragonismon, hoc est, quadrangulum seu figuram quadrangulam demonstrauit æqualem esse circulo : rationes enim huiusmodi qualis est Brissonis, secundum commune medium quod alteri inest & conuenit, tales sumunt rationes : propter quod tales rationes etiam in aliis demonstrationibus, quæ non sunt eiusdem generis, conueniunt & non sunt ex proximis : & ex hoc sequitur, quòd non conueniunt isti secundum ipsum secundum quod illud vel ipsum est : nec sic sciens per tales rationes, scit secundum quod illud est, sed secundum accidens, hoc est, secundum aliud, quia

Est enim sic monstrare sicut, &c.

quia conuenit isti secundum communius quod quod est in ipso à quo ipsum non est hoc quod ipsum est secundum hoc quod ipsum est : & sic sciens non scit: quia aliter oporteret, quòd demonstratio descenderet de genere in genus, quod superius improbatum est. Vnumquodque autem quod per sui communius & non conuertibile cognoscitur, cognoscitur secundum accidens. & quod sic cognoscitur, non cognoscitur secundum hoc quod ipsum est : non enim cognoscitur secundum quod est ex principiis propriis illius inquantum ipsum est, sicut in exemplo quod superius induximus, est videre : tres angulos enim æquos duobus rectis habere iam quidem dictum est cui subiecto per se ineat: illa enim ineat, ex quo fluit sicut ex propriis principiis ipsius, & quod secundù seipsum tota & sufficiens causa est passionis : propter quod si per se ineat, & illud ineat quod est passio, & secundum ipsum, necesse est medium per quod probatur ineate, in eadem esse cum subiecto & passione proximitate: quia proprium per commune non probatur ineate, nisi sicut est in communi: hoc est autem in potentia tantum, & secundum scire in vniuersali, quod est scire imperfectum.

Ratio Brissonis.

Brissonis autem talis dicitur ex communioribus fuisse demonstratio, quod omne id quod est minus aliquo, & inuenitur maius eodem, si minus debeat excrescere in æqualitatem maioris, aliquando attingit æquale quod est inter hæc. Est autem quadrandulum minus circulo, sicut quadrangulum inscriptum circulo. Cum igitur quadrangulum circumpositum gnomones possit crescere in infinitum, aliquando de minori ad maius crescens, æquale erit circulo: & sic quandoque quadrangulum vel quadratum æquale erit circulo. Et patet, quòd principia sunt valdè communia non tantum in hac demonstratione de quadratura circuli, sed etiã in physicis & in multis aliis communia. Vel fortè aliter Brisso voluit quadrare circulum in quo non est vis, nisi in hoc quod communiora accepit principia & non appropriata huic passioni & huic subiecto, vt scilicet primum medio & medium minori insit secundum ipsum & per se : & ad hoc tantum inducimus Brissonis rationes.

Si verò non, sed sicut harmonica, &c.

Si verò non sic fiat demonstratio per propria : tunc descendit demonstratio de genere in genus, sicut superius dictum est, scilicet à subalternante scientia in subalternatam : sicut harmonica passio aliquando demonstratur per arithmeticam : eò quod harmonica consistit ex proportionali numero notarum taliter se habentium : similiter demonstratur hoc ex eisdem principiis. Sed hæc differunt in hoc quod quia demonstratum, alterius est scientiæ quam ipsum propter quid : genus enim quod est subiectum, est alterum : quia subalternatum quod alterum est à subalternante: sed propter quid, sicut dictum est, superioris siue subalternantis est scientiæ, cuius etiam illæ quæ probantur de inferiori subiecto, per se sunt passiones, sicut dictum est de perspectiua subalternata sub geometria, sicut si tres angulos habere æquales duobus rectis probetur de triangulo qui resultat ex radiis reflexis:

D. Alb. Mag. Logica.

huiusmodi enim passio, quia superioris scientiæ est per se, oportet quod probetur per superioris scientiæ principia. Propter quod manifestum est, quòd non est demonstrare in inferiori scientia vnumquodque demonstrabilium simpliciter, hoc est, vniuersaliter : sed si debeat demonstrari, oportet quòd demonstretur appropriatum per demonstrationem superioris & contractionem secundum quod competit proprium demonstrari ex propriis vniuscuiusque principiis, quod sicut contrahitur subiectum & sicut contrahitur passio & determinatur, sic etiam contrahatur medium quod est causa.

Sed horum principia habẽt commune, &c.

Sed horum sic appropriatorum principia propria habeat commune, quo & ipsa demonstretur. Si autem quod nunc dictum est, manifestum est esse verum : tunc etiam manifestum est cum hoc, quòd non est vniuscuiusque demonstrabilis proprium principia demonstrare : quia communis scientiæ propria principia sunt communia : illa enim communis scientia est prima philosophia, & illius principia sunt omnia principia communiter & communia : & scientia illorum communium principiorum est demonstrans omnibus propria principia. Quod autem hoc verum sit, per hoc patet quod antehabitum est, quod ille magis sciuit ex superioribus causis : quia habitum est, quod propter quod vnumquodque tale, illud est magis : ex superioribus enim sciuit propter quid, cum taliter sciens non sciat causam ex causatis demonstratione quia, sed potius proprias causas sciuit ex superioribus causis : propter quod si magis sciunt qui sciuit ex superioribus causis, quam ille qui sciuit ex inferioribus appropriatis: tunc sequitur, quòd magis sciuit qui sciunt ex omnium primis: ergo & illa communissima & prima philosophia erit, & magis scientia quam particularis & propria, & simpliciter erit maxima scientia, quia est omnium prima.

Sed demonstratio non conuenit, &c.

Sed non sequitur propter hoc, quòd demonstrationi conueniat descendere de vno genere in aliud genus omnino diuersum : sed si descendit, non descendit, nisi aut, hoc est, solum, sicut dictum est, à subalternante in subalternatam & communi in proprium, sicut geometricæ descendunt in mechanicas quæ sunt manuales, vt cosmetria, altimetria, & profundimetria: vel sicut geometricæ descendunt in mechanicas quæ dicuntur scientiæ de ingeniis : aut sicut descendunt geometricæ in specularias quæ dicuntur perspectiuæ scientiæ : & sicut arithmeticæ scientiæ descendunt in harmonicas in quibus est proportio numeri notarum. Hoc autem ideo est : quia subalternatum habet in se actu & intellectu suum subalternans : & ita tunc subalternatum est ex primis in se contentis sicut subalternans est ex propriis simpliciter.

Subalternatum habet in se actu & intellectu suum subalternans.

TRACTATVS III.

De vsu principiorum in demonstrationibus.

CAPVT I.

De vsu principiorum incomplexorum.

POSTQVAM autem iam conditiones principiorum determinatæ sunt, consequens ratio postulat, vt de vsu ipsorum in demonstrationibus determinetur, siue sint subiecta, siue passiones & dignitates: & primo ostendatur hoc in incomplexis, & deinde in complexis. Sed ante hoc dicimus, quòd ex quo oportet scire secundum ipsum & per se & proprium si sciatur aliquid per demonstrationem, difficile est nosse si aliquis vere scinit vel non scinit illud. Cuius causa & probatio est: quia difficile est nosse si scimus aliquid ex vnius cuiusque principiis propriis, aut non scimus ex propriis: quod tamen scire ex propriis solum est vere scire in particulari & in agere: quia inquantum scitur ex propriis, scitur in propria natura: & inquantum scitur vt ex principiis, est scire in agere. Opinamur autem communiter (quamuis decepti simus) scire aliquid vere si habeamus ex veris aliquibus principiis & propositionibus & primis (secundum quod primum dicitur ante quod nihil secundum quod communia indemonstrabilia dicuntur principia) syllogismum concludentem illud quod scire opinamur: sed tamen hoc non est, quod scilicet ex talibus veris & primis vera sciamus: sed oportet principia ex quibus verissimè scimus esse proxima primis: & hoc cum hoc quod sunt principia oportet esse proxima: & hoc non potest esse nisi cum sunt prima per coarctantia approximata: quia tunc in proximis sunt propria virtute & actu & intellectu & causa, sicut superiora sunt his tribus modis in suis inferioribus subalternatis: & sicut primæ causæ sunt in proximis, quando essentiales sunt & primæ & proximæ.

Difficilè autē est nosse, si sciat aut non, &c.

Dico autem principia in vnoquoque genere, &c.

Dico autem principia siue complexa siue incomplexa in vnoquoque genere siue subiecto, quæ cum sint in ipso subiecto, non contingit ea demonstrare per aliqua quæ sunt illius generis vel scientiæ, cuius sunt principia. Et huius causa est: quia ad illa demonstranda non habet aliqua priora: nam si haberet aliqua priora ex quibus illa demonstraret, tunc ipsa non essent principia. In qualibet ergo scientia demonstratiua accipitur sine demonstratione quid significent per nomen, diffinitionem, vel expositionem, & prima quæ sunt subiecta, & quæ sunt ex his, hoc est, passiones quæ causantur à subiecto: & quid significent dignitates quas scimus inquantum terminos cognoscimus: & similiter cognoscitur quid significet per nomina quæ sunt ex his vt passiones probatæ de subiecto quæ sunt conclusiones.

Adhuc autem si sciuntur quid significetur per nomina in incomplexis & in his quæ sunt ex his, scilicet incomplexa. Omnia autem hæc vera sunt, & à diuersis hic locus sic exponitur. Alia verò contingit demonstrare, vt scilicet passionem esse: vel quia sit, quia passionis vt passionis esse est inesse subiecto: & hæc est conclusio quæ non scire contingit nisi demonstretur. Horum autem exempla in incomplexis sint: quia contingit accipere sine demonstratione quid vnitatis, hoc est, quid significetur per nomen vnitatis: quia est indiuisibile primum in discretis non habens positionem. Aut quid rectum, hoc est, quid significetur per nomen recti: quia rectum est extensio inter duo puncta latitudine indiuisibilis, cuius medium (vt dicit Plato) non exit ab extremis, vel cuius primum punctum recta positione tegit totum. Et quid triangulus: quia est figura tribus rectis lineis conclusa habens tres æquos duobus rectis. Est autem vnitatem accipere quia est, & magnitudinem similiter accipere quia est: quia vnitas subiectum est in arithmeticis, de qua multa demonstrantur: & magnitudinem similiter in geometria oportet accipere quia est, quia de ipsa in geometria multa demonstrantur. Altera autem quæ sunt passiones & prædicata, non est accipere quia sunt: sed potius quia sunt, talia oportet in scientiis demonstratiuis demonstrare. Cuius ratio iam dicta est: quia passionis esse est, inesse: & sic cadit in intentionem conclusionis, in qua concluditur passio de subiecto.

Quare de passione non præcogni-tur quia est.

Sunt autem quibus vtimur, &c.

Sed quantum ad dignitates hic considerandum est, quòd ea quibus pro dignitatibus vtimur in demonstratiuis scientiis, alia quidem sunt propria vnicuique scientiæ, & illi scientiæ appropriata, quibus in aliis scientiis demonstratiuis vti non contingit ad proprias conclusiones. Alia verò sunt communia, prima scilicet non appropriata & approximata per coarctationem. Communia autem sunt in genere: quia non sunt plures scientiæ de genere vno: sed communia pluribus scientiis secundum analogiam, hoc est, secundum proportionem ad eam cui conuenit id vt primo, & aliis per relationem & respectum ad illud: sicut id quod vtile est, in totum id quod in genere est ordinabile sub scientia illa quantumcunque illud est, hoc est, quantumcunque commune est

est secundum analogiam, quod sicut ad indiuisibilem ordinatum est. Et propria principia quidem sunt vt geometriæ lineam esse huiusmodi, scilicet extensionem inter duo puncta indiuisibilem: & rectum in cōtinuo esse huiusmodi, hoc est, extensionem breuissimam quæ est inter duo puncta. Hæc enim appropriata insunt huic subiecto quod proprium est geometriæ.

Æqualium analogicè conuenit numerus & continuus.

Communia autem secundum analogiam sunt, vt æqualia si auferas ab æqualibus, reliqua, hoc est, relicta sunt æqualia. Æqualitas enim prima in numeris est, per analogiam est in quantis continuis numeratis. Si ergo contingat vti propriis, nō oportet coarctari proprium. Si autem contingat vti communibus, sufficiens est ad vsum si coarctantur quantumcunque conueniens est in genere subiecto illius scientiæ, in quo quis vtitur ipso communi. Idem enim faciet quantum ad demonstrationem in illo genere subiecto sic coarctatū principium, etsi, hoc est, quamuis non de omnibus generibus accipiat, de quibus fuit acceptum in communi siue in sua prima communitate, vt si hoc principium, vt si ab æqualibus æqualia demas, quæ relinquuntur, æqualia demas, acceptum in magnitudinibus solum in geometria idem facit quod faceret acceptum in communi quantum ad conclusionis siue probationis passionem: & idem faciet arithmetico acceptum in numeris propriè vel appropriatum quod faceret acceptum in communi: & eandē virtutem demonstrandi habebit in hoc genere coarctatum, quam in communi acceptum habuit in omnibus. Et huius causa est: quia semper priora actu & intellectu & essentia & virtute remanent in secundis, quæ per additionem coarctantem exeunt à primis.

Sunt autem propria quæ accipiuntur, &c.

Si autem quæritur, quæ sunt propria? Dicimus, quòd illa sunt propria principia quidem & imcomplexa, quæ sine demonstratione accipiuntur esse, hoc est, quia sunt & quia verè sunt constantia in esse, sicut subiecta circa quæ demonstratiua scientia per demonstrationem speculatur siue raciocinatur ea quæ sunt & insunt per se tali subiecto conuenientia: sicut speculatur vnitates arithmetica, de quibus multas speculatur passiones: similiter autem vt subiecta propria geometriæ speculatur signa siue puncta & lineas, de quibus multas concludit passiones. Hæc enim talia subiecta non recipiunt esse quo sunt in seipsis, sed recipiunt hoc esse quod habent ex hoc quod passiones insunt eis: eas autem quæ sunt de numero passiones horum principiorum, scientiæ particulares accipiunt sine demonstratione quid sit vel quid quidem significet vnaquæque, hoc est, quid significetur per nomen vniuscuiusque passionis per se separatim. Quia aliter nec posset demonstrari de subiecto quid est & quid significet passio: quia diffinitio passionis aliquando medium est in demonstratione in qua concluditur passio de subiecto: & idem est concludere passionem de subiecto & concludere diffinitionem quæ dicit quid est passio per essentiam, & & non dicit propter quid est de subiecto: & ideò de passione oportet accipere quid per essentiam & quid significet per nomen.

Par & par impari non absolutè, quadrangulus autem & cubus sunt passiones numeri figuralis.

Si enim arithmetica in demonstratione sua accipit quid est impar, aut quid est par, aut quid quadrangulus numerus, aut cubus: cum tamen omnia hæc passiones numeri sint siue absoluti numeri cuius passiones sunt par & impar, vt patet in primo arithmeticæ. Numeri autem figuralis & corporalis passiones sunt quadrangulus & cubus, sicut patet in secundo arithmeticæ Pythagoræ. Geometria verò in demonstrationibus geometricis accipit & supponit quid est per diffinitionem dicentem quid, & quid significetur per nomen cum dicitur rationale siue rationalis: hæc est enim, vt dicit Euclides in 10. geometriæ, qua ratiocinamur, sicut est linea per aliquem numerum proportionalis: aut quid reflecti, quod etiam est passio lineæ à geometria considerata & de linea probata, accipit & supponit quid sit per essentiam & quid significetur per nomen: aut quid sit curuare, quod est passio de linea probata, de qua etiam accipit quid curuum per diffinitionem dicentem quid, & quid significetur per nomen, quam etiam demonstrando considerat geometer.

Quid pertransitionalem lineam vel magnitudinem intelligendum in Geometria.

Quod autem sint siue quia sint hæ passiones (cum earum esse sit subiecto inesse, nec sit inesse verè nisi quia insint subiecto) demonstrant scientiæ demonstratiuæ ex his principiis communibus, per quæ omnia demonstrantur: & ex his, propriis scilicet siue communibus appropriatis, demonstrantur ea quæ demonstrantur vt passiones de subiecto. Similiter autem his scientiis facit astrologia & circa subiectum & circa passiones & circa dignitates. Omnis enim scientia demonstratiua in demonstrando circa tria est, sicut ante diximus: & hæc sunt quæcunque in demonstratiuis esse ponuntur secundum quidditatem & nominis significationem. Hæc autem tria sunt genus quidem quod est in genere illo primum & per se subiectum & secundum ipsum, cuius generis subiecti illa scientia passionum (quæ per se illi subiecto insunt) speculatiua est. Et secundo illæ quæ communes dicuntur dignitates, quæ verissimæ & notissimæ sunt: & ideò primæ dignitates in scientia demonstratiua obtinent locum. Ex his enim vt primis & immediatis vt indemonstrabilibus demonstrant in potissima demonstratione quæ est demonstratio ostensiua dicens propter quid & quid in medio per quod demonstrat. Tertium circa quod versantur scientiæ demonstratiuæ, passiones, quarum, hoc est, de quibus accipit ipsa scientia quid significet per nomen & diffinitionem dicentem quid vnaquæque passionum.

Quasdam tamen scientias nihil prohibet, &c.

Quamuis autem omnes demonstratiuæ hæc tria considerent & determinent: tamen quasdam demonstratiuarum scientiarum nihil prohibet quædam horum trium despicere, ita quod propter hoc quod sensui manifesta sunt, nec determinant quid sint & quid significent per nomen: eò quod non oportet studium ponere ad ea manifestanda, quia sensu manifestata sunt, & de quibus nemo est qui dubitet nisi sensu indigens: sicut nec oportet, quòd petat à respondente genus illud supponere esse: si etiam secundum sensum sit manifestū

quoniam est, & essentiam habet constantem: & hoc maximè est in physicis quibusdam, vt quod calidum sit aut frigidum: quia sensu manifestum est. In aliis autem in quibus secundum sensum non est manifestum, oportet cum respondente pertractare, quod tale subiecti esse supponatur, sicut in arithmetica quod numerus sit: non enim similiter siue æqualiter manifestum est in sensu, quod numerus sit & constans sit secundum esse, & quod calidum & frigidum. Numerus enim fit ex iteratione vnitatis secundum mentem acceptæ: propter quod etiam numerus dicatur nutus mentis, vel memeris, hoc est, diuisionis: quia sicut dicit Aristot. in 3. physic. numerum cognoscimus diuisione continui. Calidum autem & frigidum manifesta sunt in primo & communi animalis sensu, ita quod etiam apud bruta animalia hæc nota sunt. *Tex. com. 68.*

Similiter autem & passiones non est in pertractatione cum respondente recipere quid significent per nomen si sint apud sensum cuiuslibet manifestæ, sed etiam talia, sicut neque communia, hoc est, propositiones communes quæ dignitates dicuntur, quoniam manifestæ sunt, non recipit cum pertractatione significationis terminorum quid significent, sicut est illa dignitas de qua nemo dubitat, quòd si æqualia ab æqualibus demantur, quæ relinquuntur, æqualia sunt. Et hoc ideo est: quia talia omnibus nota sunt. Sed tamen nihil minus (quamuis fortè quædam talium concernantur) cum natura, hoc est, de natura demonstrationis tria hæc quæ dicta sunt circa quæ & demonstrant & demonstrando versantur demonstrationes, hoc est, subiectum circa quod demonstrat, & ea quæ demonstrant de subiectis quæ sunt passiones, & principia siue dignitates ex quibus demonstrant.

CAPVT II.

De vsu principiorum complexorum in demonstrationibus.

Principia complexa demonstrationis sunt quinque.

SVnt autem demonstrationis non tantum principia incomplexa, sed etiam complexa, quæ sunt quinque, scilicet dignitas, suppositio, diffinitio, petitio, & quæstio. Et horum quidem quædam sunt indemonstrabilia, sicut dignitas, & diffinitio: quædam autem demonstrabilia sunt, sicut suppositio, petitio, & quæstio. Hæc ergo demonstranda sunt in se quid sint, & comparanda sunt inter se per conuenientiam & differentiam, & ostendenda sunt in relatione ad demonstrationem. Dicamus igitur primo, quòd dignitas est, vt dicit Boet. propositio quam propter sui euidentiam quisque probat auditam. Et hoc dicit etiã Themi. dicit enim, quòd dignitas est, quam discens nõ habet à doctore, sed scit eam per naturam intellectus naturalẽ, quam habet apud seipsum: nec oportet, quod habeat aliquid ad notitiam eius nisi notitiam terminorum. Propter quod etiam communis animi conceptio vocatur: quia communiter ab omni habente rationem cõcipitur, & ei propter seipsam & non propter aliquid aliud demonstrans ipsam consentitur.

Quid sit dignitas apud Boet. & apud Themistium.

De hac igitur tali dignitate dicit Aristot. quòd non est suppositio, neque est petitio: quia ipsa est tale aliquid in propositionibus, quod necesse est esse verum, non propter aliud, sed propter seipsum, cum sit primum, & non habeat aliquid ante se primum: & quod necesse est videri propter seipsum, cum ipsa notissima sit, & nihil habeat ante se notius ea, per quòd possit notificari. Huius autem causa est, quia dignitas non est vera vel nota ad rationem siue ratiocinationem quæ exterius afferri possit ad probandum ipsam, sed est necessaria & nota ad rationem quæ est in anima, hoc est, ad habitum naturalem intellectus qui est in anima. Quia sicut extra quædam visibilia sunt non ad lucem alienam super se cadentem, sed sua propria luce manifesta sunt, sicut sol, sub cuius luce omnia alia videntur: sic est in intelligibilibus, quòd quædam propria luce videntur ab intellectu, quorum omnia alia manifestantur: & hæc apud se habet intellectus, & sunt in ipso sicut prima instrumenta, per quæ accipit omnium aliarum scientiarum, in omnibus scibilibus nihil accipit quod est contra illa, & per singularem intellectum accipit illa nullo alio indigens, nisi quod extendat intellectum ad illa, sicut visus accipit per se visibilia nullo indigens nisi quod conuertat visum ad ea. *Non est autem suppositio neque petitio, &c.*

Quod autem ad talia non sit extrinsecus ratio dicens vel probans ea, per hoc patet, quòd nec syllogismus ad illa, qui potissimus est inter omnes extrinsecus rationes. Et ratio huius est: quia priora non habent ex quibus doceri vel concludi possint. Alia autem ratio ad idem est: quia illa quæ habent exterius rationem, talia sunt, quòd semper ad ea contingit instare, secundum quod instantiam habere dicimus omne illud quod in aliquo accipitur & in aliquo non recipitur: nisi enim in aliquo non reciperetur à respondente & in aliquo reciperetur, non haberet extrinsecus rationem: sed vniuersaliter & simpliciter in omnibus concederetur. Sed ad illa quæ habent interius rationem acceptam, non semper contingit instare respondẽtem, ita quod illa in aliquo non accipiat, sed illa propter lucem rationi suæ intrinsecã vniuersaliter & specialiter accipit. Hæc igitur & hac de causa sunt dignitates vt indemonstrabiles acceptæ sine syllogismo & sine instantia. *Quoniam nec syllogismus, &c.* *Semper enim est instare ad, &c.* *Vide Them. hic quia aliter exponit hanc partem.*

Aliorum autem conceptuum siue acceptorum quæcunque quidem de numero talium vt demonstrabilia accipit intellectus, ita quod ipse opponens non demonstrat ea, cum tamen demonstrabilia sint: hæc siquidem intellectus respondentis vel discentis accipit vt probabilia sibi (per hoc quod sibi sine syllogismo vera videntur) illa supponuntur & suppositiones vocantur. Et si quidem in hoc supponuntur, quod vera discenti videntur: tunc non suppositiones simpliciter, sed tantum ad illum qui vtitur eis tanquam suppositis: & per hoc habetur, quòd si vtitur eis veris simpliciter, sunt suppositiones simpliciter: sicut sæpe facit Euclides & ipse Arist. qui probatis in vno, in aliis pro suppositionibus vtuntur. *Quæcunque igitur demonstrabilia, &c.* *Suppositio quid.*

Si

Si verò nec opinionis vnius, &c.

Si verò demonstrabilia quidem sint, sed talia, quòd discẽs vel audiens ea, nec opinetur de ipsis quod vera sunt, nec habeat opinionem contrarij de ipsis, & tamen opinans non demonstret ea: tunc illa talia opponentem oportet petere à discente, & dicuntur tales propositiones petitiones. Petitio enim est propositio non ex seipsa vel ex demonstratione suppositа, vel ex opinione discentis, sed ab audiente petita. Et in hoc quidem differt suppositio & quæstio, quòd quidem quæstio est, quæ est in contrarium discentis opinioni, & de quæ dubitat audiens. Vade Boet. dicit, quòd quæstio est dubitabilis propositio. Aut quæstio est quærens aliquid si hoc est: & si quis accipiat non demonstrans illud & vtatur eo sine demonstratione qua demonstretur: cum tamen sit demonstrabile & dubitabile apud audientem. Hæc igitur sunt suppositiones & petitiones & quæstiones. *Petitio quid.* *Quæstio quid.*

Termini igitur non sunt suppositiones, &c.

Termini autem siue diffinitiones non sunt suppositiones: quia non sunt propositiones: nihil enim dicunt enunciatiuè esse per affirmationem, aut non esse per negationem: & ideo nec affirmatiuæ nec negatiuæ sunt propositiones: sed in propositionibus sicut in genere sunt suppositiones. Terminos autem siue diffinitiones non oportet ita componere vel diuidere vt affirmatiuam vel negatiuam propositionem, sed solum simplici non composito intellectu intelligere vt vnum non vt multa: vt enim dicit Arist. in 3. de anima. intelligentia est indiuisibilium, in quibus non est falsum. In quibus autem verum vel falsum est, iam compositio quædam intellectuum est. Talia enim simplici & expanso intellectu accipiuntur: diffinitum accipitur simplici intellectu non expanso, sicut visus colorem accipit simplici visu siue intuitu, colorem autem superficie tota diffinitum accipit visu super se expanso & diffuso. Tale autem quod sic simplici intellectu accipitur non componente subiectum cum prædicato, non est suppositio, nisi fortè aliquis impropriè loquens dicat, quòd quodlibet audite per vocem (cui acquiescit intellectus) sit suppositio: eò quod in illo acquiescit intellectus audito: sed suppositio est quorumcunque existentium siue verorum, ex quibus in eo quod illa sunt concessa & posita, fit conclusio, sicut sunt propositiones syllogismi. Hæc igitur sunt demonstrationis principia complexa, quæ sic accipi possunt, quod dicatur, quod omne quod est in demonstratione, vel est principium, vel principiatum. Si principiatum, est passio. Si autem est principium: aut est commune, aut proprium: & hoc dupliciter: aut enim erit incomplexum, aut complexum. Si enim incomplexum, est sicut subiectum. Si autem complexum: aut demonstrabile, aut indemonstrabile. Et si demonstrabile: & hoc dupliciter: aut probabile discenti, aut non probabile. Si demonstrabile probabile discenti & complexum: tunc est suppositio ad aliquem. Si demonstrabile non probabile: & hoc dupliciter: aut est contrarium opinioni discentis, & tunc est quæstio: aut neutro modo opinatum ab ipso, & tunc est petitio propriè loquendo. Notandum ta- *Tex. com. 61.* *Sufficientia principiorum demonstrationis.*

men, quòd nomen petitionis siue quæstionis aliquando largè & extensè accipitur pro suppositione quę est suppositio ad aliquem, & pro quæstione, & petitione. Si autem penitus indemonstrabile: sic est positio quæ vel est complexa, vel incomplexa. Si complexa: tunc est suppositio simpliciter. Si autem incomplexa: tunc est diffinitio.

Dubitatio textus.

Quia autem ex his quæ dicta sunt, aliquis credere posset, quòd geometer falsis vtitur suppositionibus, dicimus, quòd neque geometer ex hoc falsa supponit, quod describendo lineas supponit lineam scriptam monopedalem, vel esse minoris quantitatis, vel fortè infinitam, sicut quidam affirmant dicentes, quòd non oportet lineis descriptis geometram mentiri: mentitur enim, vt dicunt, cum dicit lineam descriptam in continuo vnius pedis esse, quæ non est vnius pedis, sed minor vel maior, & quod mentitur quando accipit rectam siue porrectam lineam, quæ non est recta descripta in continuo. Sed dicendum ad hæc & similia, quòd geometer demonstrans nihil concludit secundum hanc lineam descriptam quam ipse posuit descriptam in continuo sensibilem: sed omnia demonstrat de hac linea, quæ per hanc intelligitur quæ est in intellectu. *Neque geometer falsa supponit, &c.* *Solutio.*

Amplius petitio & suppositio, &c.

Amplius autem alia differentia diffinitionis siue termini & suppositionis est: quia omnis petitio & omnis suppositio est aut sicut totum, aut sicut in parte: quia est propositio vniuersalis, aut particularis: aut sicut ponenda pro maiori quæ est sicut totum, aut sicut ponenda pro minori quæ est sicut pars in syllogismo: termini autem siue diffinitionis est neutrum illorum, eò quod non est propositio.

Remouet dubium.

Quia quamuis (sicut inferius ostendemus) generaliter & vniuersaliter attribuatur diffinitio: tamen non est propositio, cui secundum omnem partem subiecti conueniat prædicatum per signum vniuersale & particulare.

Species autem esse aut vnum aliquid extra multa, &c.

Sed quia diximus, quòd demonstratio est de his quæ sunt in intellectu, ne aliquis putet, quòd sit de speciebus idealibus, quas Plato posuit esse in intellectu, & secundum esse non esse in rebus singularibus, sed extra ea: dicimus, quòd species quidem tales esse, quæ extra res singulares sunt, aut vnum aliquid separatum, extra multa, hoc est, multitudinem singularium secundum esse non necesse est, propter hoc quod dictum est de lineis in intellectu existentibus, de quibus est demonstratio: non enim propter hoc si erit de his demonstratio quæ in intellectu sunt, necesse est tales esse species siue formas. Tamen verum est dicere, quòd necesse est vniuersale de quo fit demonstratio, esse vnum quod sit de multis quoad prædicationem vel actu vel aptitudine: hoc enim est necesse si sit vniuersale: non enim erit vel esse poterit vniuersale, nisi hoc sit quod sit vnum de multis & in multis: si verò non sit vniuersale, medium in demonstratione non erit: quia, sicut ante habitum est, demonstratio de singulari esse non poterit: & si non sit medium, non potest esse demonstratio: quia omnis demonstratio est per medium quod est de omni & semper: oportet

namque medium demonstrationis aliquod vniuersale vnum & idem esse de pluribus & non æquiuocum in omni demonstratione. Dico autem vnum secundum rationem, & idem secundum substantiam & naturam, vt sit nomen vnum & ratio substantiæ eadem & non diuersa. Taliter igitur in vsu demonstrationis ostensiuæ se habent principia completa.

Quare dixit vnum & idem.

CAPVT III.

De principio communi quod est dignitas, quod raro ingreditur demonstrationem ostensiuam.

Est autem quoddam principium commune quod est de quolibet affirmare vel negare, quod aliquando demonstrationem ostensiuam ingreditur, sed rarò: non enim ingrediturnisi quando aliquod prædicatum de medio vniuersaliter contingit affirmare & esse in multis, & oppositum eius negare: vt si debeat ostendi, quòd homo est animal, & quod non est non animal: tunc enim oportet vti hoc principio, quòd de quolibet est affirmare vel negare & de nullo simul: ac si sic arguitur, de quolibet affirmare vel negare & de nullo simul: animal affirmatur de homine, non animal negatur de eodem: ergo homo est animal & non est animal. Hoc posito planum est, quod contingere simul affirmare & negare secundum suam communitatem neque vna, hoc est, nulla recipit demonstratio, hoc est, nulla demonstratio recipit hoc principium in sua communitate, quòd non contingat simul affirmare & negare: ita quod cum dicitur, neque vna recipit demonstratio, primum ponatur, & posteà subiungatur contingere simul affirmare & negare in sua communitate. Sed aut, hoc est, solum recipit hoc principium illa demonstratio tunc si indigeat sic monstrare conclusionem, scilicet in qua affirmetur maior extremitas de minori, & de eodem negetur simul oppositum, & simul vtroque posito in conclusione, sicut & ipsum dicit principium: quod si contingit aliquid de aliquo affirmare, non contingit illud idem de eodem negare.

Contingere autè simul affirmare, &c.

Ostenditur autem accipientibus primò, &c.

Sic autem contingit ostendere illis qui sunt accipientes primum, hoc est, maiorem extremitatem de medio prædicari vniuersaliter & affirmatiuè, & quod negare eandem de eodem sit non verum: tunc enim maior extremitas prædicatur, & oppositum maioris extremitatis ab eodem remouetur sic: omnis homo est animal & non est non animal: risibile vel Callias est homo: ergo risibile vel Callias est animal & non est non animal. Similiter & medium relatum ad maiorem vel minorem extremitatem sub affirmatione vnius & negatione oppositi, nihil differt accipere quoad talem conclusionem obtinendam, vt sic dicatur: homo & non non homo est animal, & non est non animal: risibile est homo, & non est non homo: ergo risibile est animal, & non est non animal: sic enim medium accipitur esse & non esse. Similiter autem quoad talem conclusionem obtinendam nihil differt minorem extremitatem ad medium & ad maiorem extremitatem esse relatam sub affirmatione & negatione, & hoc est, esse & non esse: si enim assignetur homo de homine singulari, hoc est, de aliquo homine singulari, vt de Callia, de quo sit verum dicere animal, & non sit verum dicere non animal: quamuis tamen verum sit dicere, aliquid quod non est homo, est animal, vt asinus: tamen adhuc eadem habebitur conclusio sic: omnis homo est animal & non est non animal: Callias & non Callias est homo: ergo Callias & non Callias est animal & non est non animal. Hoc autem fit in terminis non conuertibilibus, in quibus maior extremitas excedit medium, & medium excedit in communitate minorem extremitatem secundum primæ figuræ dispositionem.

Sed si fiat in terminis tribus, qui omnes conuertibiles sunt adinuicem, non sequitur talis conclusio: sicut si dicamus hominem & nihil aliud esse animal: quia tunc animal non erit communius homine, sed conuertibile cum ipso: quia tunc dicemus, quòd omne animal est homo, sicut omnis homo est animal: & dicemus, quòd non homo sit non animal: quia tunc conuertuntur termini: quia vniuersaliter prædicantur de seinuicem, & negatur oppositum vtriusque de altero: vt omnis homo est animal & non est non animal: & omne animal est homo & non est non homo. Sic autem, vt dictum est, non conuertibiliter sumptis terminis verum erit dicere Calliam & non Calliam, & de vtroque dicitur animal & negatur ab eo non animal, sicut Callias est homo & non est non homo, & Callias est animal & non est non animal, & non Callias, vt Sortes est homo & non est non homo: & Sortes ens non Callias, est animal & non est non animal. Propter quod probatur, quòd non conuertibiles sunt termini, sed maior in plus quam medium, & medium in plus quam minor.

Sed si solum hominem esse animal omne, &c.

Causa autem talis demonstrationis siue argumentationis est: quia primū in plus est quam medium, & non solum prædicatur de medio, sed etiam de alijs: propter quod & de pluribus prædicatur quam medium: propter quod si medium idem est prædicato in prædicatione affirmatiua, & non est idem ei ratione aliorum de quibus prædicatur maior, quæ contraria & disparata sunt à medio, nihil differt ad talem habendam conclusionem. Sic exponitur litera Aristo. ferè ab omnibus. In Arabico autem commento continetur, quòd cum dicit Aristo. quòd medium nihil differt accipere esse & non esse & tertium, intendit Aristo. quòd si talis modus prædicandi & oppositum negandi de eodem ponatur ad medium & minorem extremitatem, quòd nihil differt, hoc est, nullam affert diferentiam ad talem habendam conclusionem: quia non habetur nisi ponendo eam ad maiorem extermitatem. Sed prima expositio melior est & verior.

Causa autem est, quod primum non solum de, &c.

Expositio Comment. Arabici cui non assentit.

Hoc autem principium quod commune est valde, quod dicit, quòd omne quod est vel non

Omne autem affirmare, &c.

non est, est affirmare vel negare, recipitur in demonstratione quæ est ad impossibile: quia illa per illud confirmatur. Hoc autem non semper accipit quælibet scientia particularis demonstratiua secundum suam communitatem vniuersaliter, sed contractum ad suum genus inquantum illi generi sufficiens est: sufficiens autem est in genere suo acceptum. Dico autem in genere acceptum, quando ad illud genus subiecti contrahitur, circa quod est demonstratio scientiæ illius quæ fert demonstrationes, sicut de alijs communibus principijs dictum est prius.

CAPVT IV.

Qualiter scientiæ communicant & differunt in vsu principiorum communium & propriorum.

Communicant autem omnes scientiæ, &c.

Determinatis principijs demonstrationis complexis & incomplexis, dicendum qualiter communicant & differunt scientiæ in vsu principiorum determinatorum.

Dico igitur, quòd omnes scientiæ demonstratiuæ communicantes sunt secundum communia principia, hoc est in hoc quod principijs communibus vtuntur maximè in vsu principiorum communium quæ dicuntur dignitates, quæ (sicut dicit Alphara.) demonstrationes specialium scientiarum substantialiter non ingrediuntur, sed tantum per illa principia confirmantur. Communia autem dico principia, quæ sunt talia principia quibus vtuntur scientiæ tanquam ex his demonstrantes, hoc est, per hæc demonstrationes suas confirmantes: sed non communicant neque conueniunt in propriis quæ sunt subiectum proprium & passiones propriæ: subiecta enim sunt de quibus suas passiones demonstrant: passiones autem propriæ sunt id quod demonstrant de subiectis. Ex quo patet communicatio & differentia scientiarum specialium in vsu principiorum.

Et dialectica est de omnibus, &c.

De communibus autem scientiis sciendum, quòd dialectica quæ communis est omnibus, vtitur principiis communibus, & etiam alia si aliqua talis est in demonstratiuis scientiis quæ tenret vniuersaliter, hoc est, per vniuersalia monstrare prima aliarum scientiarum, sicut est prima philosophia, quæ tamen medio modo inter logicam & demonstratiuam procedit, vt dicit Auer. super 4. Philosophiæ primæ. Quæ autem sunt communia in quibus scientiæ communicant, dico exemplificans, sicut est illud, quòd omne quod est aut non est, contingit affirmare vel negare, & nihil vtrumque: aut quod est æqualia ab æqualibus demere, & reliqua esse æqualia: aut talium dignitatum quælibet, quibus vnaquæque scientia vtitur ad sibi sufficiens, vt in antehabitis dictum est.

Com. 5.

Sed dialectica non est sic diffinitorum, &c.

Differunt tamen scientiæ communes & propriæ in hoc, quòd dialectica quæ communis est scientia, non est sicut aliæ diffinitorum, hoc est, determinatorum quorundam quantū ad subiectum & passiones, neque est generis subiecti alicuius determinati sicut aliæ speciales scientiæ. Et hoc dico quantum ad dialecticam vtentem, quæ non habet subiectum syllogismum dialecticum, sed vtitur ipso tanquā instrumento, & per ipsum negotiatur circa cōmunia. Dialectica autem docens determinati generis subiecti est, & syllogismus dialecticus determinatum subiectum eius est, cuius demonstrat determinatas passiones & differentias. Si enim dialectica vtens haberet determinatum subiectum & determinatas passiones, ipsa non esset interrogatiua, neque interrogaret secundum quod interrogare est inter duo opposita consensum in alterum rogare: demonstratem enim & determinatæ scientiæ, non est sic interrogare: quia illa est determinatè vnius oppositorum quod intendit demonstrare, & ad oppositum viam demonstrandi nō habet. non ergo sic interrogat propter id quod non demonstrat idem esse oppositorum, quantum scilicet ad viam qua vtitur principiis: quia hæc via non demonstrat idem, hoc est, eadem ad esse vtriusque oppositorum, sicut est via ex principiis, quibus vtitur dialectica vtens, quæ habet semper viam ad opposita per principia communia quibus vtitur. Ostensum est autem hoc in his quæ tractata sunt de syllogismo, quæ imitantur syllogismum dialecticum in elenchis.

Dialectica docens est determinati generis, non autem dialectica vtens.

Interrogare quid.

Quamuis autem non sic interroget demonstratiua & determinati generis scientia, sicut logica, vt inter duo opposita consensum in alterum quodlibet interroget: tamen alio modo interrogat secundum quod interrogatur respondens ad instruendum opponentem de quo opponat vel ostendat. Hoc autem probatur ex hoc quod in scientia demonstratiua syllogistica interrogatio (quæ quæstio est & conclusio) & propositio contradictionis est idem: primo enim est quæstio, & secundo conclusio, & tertio iam probata ad alterum aliquid vtretius probandum est propositio: & hæc tria sunt in substantia idem, quamuis ratione differant. Propositiones autem propriæ secundum vnāquamque scientiam sunt, ex quibus vt propriis est syllogismus illius scientiæ & ad propriam de subiecto passionem demonstrandam. Interrogatio enim & propositio quæ est altera pars contradictionis, substantia sunt idem: propositiones autem propriæ secundum vnamquamque scientiam sunt, ex quibus vt propriis est syllogismus secundum vnamquamque scientiam: sequitur quod vtique erit aliqua determinati generis interrogatio determinati scibilis, ex quibus propositionibus vel interrogationibus ille fit syllogismus, qui secundum vnamquamq; scientiam est proprius: quia si interrogatio & propositio sunt substantia idem, si concedatur quod propositio propria est, sequitur quod interrogatio propria erit siue quæstio.

Quomodo interrogat demonstratiua.

Si autem idem est interrogatio syllogistica, &c.

Quomodo conclusio, propositio, sunt idem realiter, licet ratione differant.

Et ex hoc quod in propriis interrogationibus & propositionibus differunt determinatæ & demonstratiuæ scientiæ, manifestum est, quòd non omnis interrogatio demonstratiuæ scientiæ erit geometrica neque medicinalis. Similiter autem est & in aliis particularibus

Non ergo omnis interrogatio erit geometrica, &c.

scientiis, quod quælibet habet suas proprias interrogationes & propositiones: sed interrogationes vel propositiones geometricæ sunt, de quibus vtique demonstratur aliquid quod verè geometricum est, & de quibus est geometria: aut si non est de his de quibus verè est geometria, est tamen de his de quibus demonstratur aliquid geometricè, sicut est speculatiua, hoc est, perspectiua quæ geometriæ subalternatur: in illis enim (quia geometria dicit propter quid) interrogationes & propositiones geometricæ sunt. Similiter autem est & in aliis scientiis subalternatis & subalternantibus. Et de his quidem sic geometricæ subalternatis dico rationem dicentem propter quid ponendam esse ex geometricis principiis & conclusionibus: quia sic se habent quòd subalternans dicit causam eorum quæ sunt in subalternata. Sed geometricæ vel alterius specialis demonstratiuæ scientiæ dico rationem & causam non ponendam esse de suis principiis secundum quod est geometrica: quia nulla scientia particularis rationem reddit de suis principiis, sed relinquit & supponit de eis quòd sunt, & superior & communis scientia de eis reddit rationem suæ veritatis. Similiter autem est & in aliis scientiis determinatis quàtum ad hoc quod de suis principiis non reddunt rationem.

Non omnè esse itaque, &c.

Ex quo patet, quòd non est conueniens vnùquemque scientem in aliqua scientia omnem interrogare interrogationem siue quæstionem: quia de principiis non est interrogandum ab illo sciente, qui principiis vtitur in scientia determinata: neque cuiuslibet scientis indeterminata est scientia respondere de vnoquoque generaliter interrogato, sed de his interrogatis conueniens est quemlibet scientem respõdere quæ sunt secundum scientiam in qua est sciens determinata, & sunt sub principiis suæ propriæ scientiæ. Si autem disputat geometer cum geometra secundum quod est geometer, hoc est, secũdum quod est ex propriis geometriæ principiis disputatis, sic manifestum est, quòd bene & disputat & interrogat, si ex his quæ geometricæ propriè sunt, aliquid interrogatorum demonstrat. Si verò non sic disputat, nec ex talibus demonstrat aliquid interrogatorum, non bene disputat. Manifestum autem est hoc ex hoc quod taliter ex propriis disputatis non arguit geometram si demonstrat, sed aut, hoc est, solum secundum accidens, hoc est, per aliud, sicut si ex arithmeticis cum geometra aliquis disputans arguat ipsum. Propter quod patet, quòd non erit propriè in non geometricis principiis vel subalternatis eis de geometria disputandum: in talibus enim latebit eum & obuiare nesciet ei qui prauè disputat. Prauè autem dico disputare, qui non ex propriis disputat. Similiter autem & in aliis se habet scientiis particularibus demonstratiuis.

Quoniam autem sunt geometricæ, &c.

Ex his autem quæ dicta sunt, tres resultant quæstiones. Quæratur igitur primo, quoniam quia sunt geometricæ interrogationes ex propriis geometriæ principiis acceptæ, nonne sunt & non geometricæ? & similis interrogatio vel quæstio est secundum vnamquamque scientiam particularem. Secunda quæstio est interrogatio quæ facit quamcunque ignorantiam in geometria, sit geometrica, aut non? & constat, quòd interrogatio quæ facit ignorantiam negationis, nullo modo est de geometria, sicut interrogatio iacta per terminos alterius scientiæ. Et tertia quæstio est, vtrum syllogismus secundum ignorantiam, hoc est, qui facit ignorantiam in geometrica vel alia scientia particulari, sicut ille qui est ex oppositis principiorum illius scientiæ, in qua inducit fallaciam, hoc est, concludit falsum: aut sit paralogismus secundum aliquam fallaciam, sicut ille qui est secundum geometriam, hoc est, ex oppositis principiorum geometriæ, aut ex aliqua alia arte vel scientia particulari, ex cuius oppositis principiorum procedit.

Nota, quod aliqui expositores volunt, quòd sint nisi duæ quæstiones non tres.

Soluuntur autem inductæ quæstiones dicendo ad primam, quòd sunt interrogationes quædam non geometricæ neque secundum formam neque materiam; vt musicæ interrogationes, siue propositiones nullo modo sunt geometricæ, ita etiam quod nullo modo sunt in geometria neque secundum subalternationem relatæ adinuicem. Ad secundam quæstionem dicendum est per distinctionem, quòd est ignorantia negationis puræ & secundum materiam & secundum formam, sicut illa quæ est in propositionibus non geometricis, eò quod alterius sunt scientiæ, vt musicæ: & quædam est ignorantia prauæ dispositionis, & hæc est ingnorantia per contradictionem opposita, quia est circa eandem materiam & non habet formam. Dicendum ergo, quòd de geometria interrogatio non facit ignorantiam, sicut ea propositio vel interrogatio quæ dicit parallelas subire. Ex hac enim aliquis opinatur hoc falsum, quòd æquidistantes concurrunt: & sic facit ignorantiam. Hæc autem est geometrica quodammodo, quia quoad materiam: & est non geometrica alio modo, quia non secundum formam geometricam, quia formam geometricæ in demonstratione non seruat, cum nec prædicatum per se in subiecto, nec subiectum prædicato, sed oppositum prædicati dicatur inesse subiecto: & hæc est ignorantia prauæ dispositionis, quia est circa geometrica secundum oppositum principium demonstrationis. Duplex enim est non geometricum, sicut & dupliciter dicitur in musicis arithmon, hoc est, sine rithmo. Non geometricum enim dicitur vno modo in non habendo aliquid geometricum, sicut arithmon, id est, non habendo aliquid rithmi nec formam nec materiam. Alterum dicitur in prauè habendo geometricum aliquid, sicut arithmon in prauè habendo aliquid materiale rithmi: & his duobus modis dicitur ignoratia hæc propositio non geometrica faciens ignoratiam. Et ignotantia, hoc est, propositio ignorantiam faciens per prauas dispositiones, siue ignorantia quæ est ex huiusmodis principiis siue propositionibus causata quæ sunt geometricæ per materiam, non geometricæ per formam, est ignorantia scientiæ contraria: illa verò quæ negationis secundum contradictionem, illa non contraria, sed contradictoria: quia non est

Secundum geometriã autem aut ex alia arte, &c.

Ignorantia dispositionis est contraria scientia, ignorantia verò negationis est contradictoria scientia.

est secundum eandem materiam sicut sunt contraria, sicut musica interrogatio ad geometricam se habet.

In doctrinalibus autem non est paralogismus, &c.

Solutio autem tertiæ quæstionis iam patere potest ex solutione quæstionis secundæ: in dialecticis enim potest esse paralogismus secundum aliquam sophisticam importunitatem, in doctrinis siue demonstratiuis non similiter paralogismus sicut in dialecticis. Et huius causa est: quia medium in doctrinalibus semper in duplici est habitudine: est enim de hoc quod est minor extremitas de omni & per se & secundum ipsum: & hoc iterum quod est maior extremitas est de illo quòd est medium de omni & per se secundum id quod prædicatur, & quod prædicatum est, non dicitur omne, ita quod signum distributiuum ad prædicatum feratur: quia propositio falsa esset, vt homo est omne animal. Hæc autem quæ scilicet sunt in doctrinis, sunt certa & non multiplicia, nec aliquam apparentiam sophisticam habentia, sicut patet: quia sunt ea quæ videntur in re demonstrata, quæ sunt intellecta: quando enim intellecta distribuuntur in re & demonstrantur, tunc certificantur ad vnum quod intelligitur, & non faciunt sophisticam apparentiam alterius.

Si signum vniuersale ponatur ad prædicatum, propositio fit falsa, vt patet in Perihe.

Sed in rationibus latet, &c.

Sed in rationibus logicis, quæ sunt circa communia ad rem non determinata, latet hoc: & aliquando videtur esse in talibus quod non est. Huius autem exemplum est sicut si quæratur & dicatur, quid autem (supple dicendum) in tali interrogatione quærêre, luntne carmina circulus? Hoc enim in doctrinis statim per ipsam descriptionem circuli in plano factam, manifestum est, quòd non sunt carmina circulus: quia figura descripta ostendit, quòd circulus non potest esse carmen. Sed in omnibus logicis etiam hoc latet: si enim sic arguam: circulus est figura plana, vna linea contenta. Et assumam: carmen est circulus: ergo carmen est figura plana, vna linea contenta. Patet, quòd in logica prima propositio distinguenda per æquiuocationem, & minor tunc neganda, & conclusio falsa. In doctrinalibus autem maior concedenda & minor per figuræ descriptionem ad visum ostenditur falsa. Hoc quidam aliter exponunt, quòd scilicet intellectus simpliciter & non multipliciter sicut & visus: & non est curandum.

CAPVT V.

De differentiis inter logicam & scientias speciales.

Non oportet autem instantiam in ipsam ferre, &c.

Differentia autem inter logicam & scientias speciales est, quòd in doctrinalibus siue in demonstratiuis scientiis non oportet instantiam ferre in ipsum quod vniuersaliter proponitur sicut propositio inducta per particulare. Cuius causa siue ratio est: quia in doctrinalibus sicut propositio non est, quæ non in pluribus nec in omnibus, ita nec est instantia: talis enim propositio non est in omnibus, cum omnis propositio demonstratiua in omnibus sit & vniuersalis: ex vniuersalibus autem in doctrinalibus est omnis syllogismus: quia (sicut habitum est) de particulari non probatur passio nisi per accidens: propter quod manifestum est, quòd nec propriè instantia. In omnibus enim verum est, quòd in omni scientia eædem substantiæ sunt propositiones & instantiæ, quamuis ratione differant. Cuius probatio est: quia quicunque fert aliquam instantiam, illam etiam eandem facit propositionem syllogizando oppositum siue sit dialectica instantia & propositio, siue demonstratiua instantia & propositio. Dialecticis autem per propositionem particularem & singularem contingit instare in propositione vniuersali inductiua, hoc est, quæ per inductionem probatur.

De particularibus non probatur passio nisi per accidens.

Instantia & propositio sunt eadem substantia.

Secunda differentia est hæc, quod in demonstratiuis siue doctrinalibus contingit quosdam demonstratores non syllogizare, hoc est, non secundum formam generalem syllogismi in prioribus determinatam: eò quod in demonstratiuis contingit in terminis conuertibilibus in secunda figura ex affirmatiuis syllogizare, quod est contra formam syllogismi in dialecticis determinatam, quando scilicet accipiunt media vtriusque extremitatibus conuertibiliter inhærentia: sic enim fit dispositio secundæ figuræ in qua medium bis prædicatur. Hoc autem in dialecticis non contingit. Hunc modum Cæneus Philosophus fecit in syllogizando: volens enim probare Cæneus, quod ignis vt formale elementum est facilis generationis, & ideò primum elementorum immediatè à motu orbis generatum, sic syllogizauit: quicquid in multiplicata analogia se habet ad alterum, citius generatur: ignis in multiplicata analogia se habet ad quodlibet elementum: ergo facilis est generationis & citius generatur. Et sic formandus est syllogismus: velocis est generationis, quod in multiplicata analogia se habet ad alterum: ignis in multiplicata analogia se habet ad quodlibet alterum: ergo cito generatur siue velocis generationis est. Dicitur autem in multiplicata analogia ignis se habere ad alterum: quia ex vno pugillo terræ multi pugilli fiunt aquæ; & ex vno pugillo aquæ multi pugilli fiunt aëris, & ex vno pugillo aëris multi pugilli fiunt ignis: & sic ignis formalior est omnibus aliis: & quantò aliquid formalius est, tantò est velocioris generationis: in multiplicata analogia sic esse aliquid, conuertitur cum eo quod est esse facilis generationis. Propter quod gratia materiæ & in secunda figura aliquando syllogizatur ex talibus: quoniam medium est causa maioris extremitatis & minor extremitas continetur sub maiori: & ideò per tale medium concluditur de ipsa, sicut patet in syllogismo inducto. Ex sic ergo acceptis in terminis conuertibilibus aliquando syllogizare contingit: sed tamen non videtur, eò quod forma syllogizandi non seruatur. Hæc est secunda differentia.

Argumẽtum quo vtebatur Cæneus Philosophus.

Quomodo ignis se habet in multiplicata analogia ad quodlibet aliud elementum.

Contingit autẽ quosdam non syllogistice, &c.

Vide hoc primo priorum in titulo de secunda figura.

Si esset impossibile ex falsis verum demonstrare, &c.

Tertia autem differentia inter dialecticam & demonstratiuam est, quòd in dialecticis est difficilis resolutio, in doctrinalibus autem facilior: & huius tres dabimus causas. Quarum vna & prima est: facilius enim est resoluere

vno

vno modo compositа, quam pluribus modis compositа. pluribus autem modis compositа sunt in verum & falsum compositа, quam in verum com, osita tantum: in verum ergo tantum compositа fas hus ett resoluere, quam compositum in verum & falsum. Propter quod si in dialecticis esset impossibile ex falso verum syllogizare siue monstrare, facile vtique esset resoluere syllogismum dialecticum: quia tunc vtique in omni materia conuerteretur conclusio super præmissas. Cuius exemplum est: quia si a. esset conclusio vera quæ sequeretur ex b. præmiss., scilicet posito quòd ex falsis non verum syllogizaretur: tunc sicut sequitur per viam generationis, si b. est, a. est: sic sequeretur resoluendo, si a. est, b. est: sic enim a. esset verum & conclusio aliqua: hoc autem cum sit, ea vtique erunt vera quæ non vera esse in præmissis: noui enim illa sicut conclusionis principia vnde noui ea quoniam vera sunt: & hæc sunt b. quia præmissa per b. significantur: ex his enim talibus præmissis tanquam notis & scitis demonstratur, quoniam illud verum, quod est in conclusione. Hoc autem patet in his quæ maximè sunt demonstrationis, quæ sunt mathematica: termini enim qui sunt in mathematicis, maximè conuertuntur, eò quod pro medio nullum accidens, hoc est, accidentale recipiunt: sed pro mediis accipiunt vel recipiunt diffinitiones, & in hoc differunt ab his syllogismis qui sunt in dialecticis, hoc est, in dialecticis qui sunt per modum dialogi, in hoc quod opponens interrogat consensum respondentis.

Augentur autem non per media, &c.

Quarta differentia est inter dialecticam & demonstrativam, quòd quoad vnam & eandem conclusionem non sunt multa media in demonstrationis: sed in dialecticis sunt multa media ad vnam & eandem conclusionem. Cuius causa est, quòd demonstrationes non augentur per immediata, nisi in post assumendo, scilicet continuè sub subiecto de quo probatur passio, sicut sub figura triangulus, & sub triangulo isosceles: cuius exemplum, vt de b. quod sub a. sumptum est, dicatur a. & b. dicatur de c. quod proximè est sub ipso: & hoc modo sumatur c. dicit de d. & hoc in infinitum, si sumptio vnius sub alio procedit in infinitum: vlterius enim probabitur, quòd stat etiam superius & ad inferius. Aliter tamen dicunt aliqui & bene satis, quòd theoremata demonstrationum si habent procedere, quòd vnum semper probatur ex alio, quòd aliter non procederet demonstratio ex immediatis, sicut patet in theorematibus Euclidis per totam geometriam: & numerus hoc modo procedit in infinitum vnitatis ad litionem: & passiones aliæ probantur de binario & aliæ de trinario, & sic in infinitum. Similiter figuræ geometriæ in infinitum procedent lineæ vel superficiei additione, vt trigonum, tetragonum, pentagonum, & sic de aliis in infinitum, de quibus omnibus diuersæ probantur passiones.

Expositio quorundam Lincon. & est sententia Lincoln.

Et in latus vt a. de c. &c.

Augentur & demonstrationes in latus, hoc est, ad lateralem latitudinem, quando sub eodem accipiuntur opposita lateraliter coæquæua, vt asinus, leo, lupus, sub animali: trigonum, tetragonum, pentagonum, sub figura: quamuis non sit omninò simile: quia figuræ quamuis sint differentes specie, denominatione tamen numeri specificantur, sicut trigonum, tetragonum: & ideo in generatione vna est potentia in altera ex ea protractione actuali linearum: & ideo trigonum est in tetragono. Huius autem augmenti ad latus exemplum est in terminis transcendentibus, sicut si a. aliqua passio communis demonstretur de duobus vel pluribus subiectis coæquæuis, vt de c. subiecto, & de e. subiecto, sicut sensibile de homine & de equo, sicut si de multis numeris lateraliter acceptis demonstretur, quòd quilibet illorum est numerus quantus: aut si demonstretur, quòd quilibet est infinitus numerus in potentia per additionem principij suæ generationis, sicut docet Pythagoras in primo arithmeticæ generationem numerorum pariter parium & pariter imparium, & impariter parium & impariter imparium, & in proportionibus similiter: omnis generatio numerorum est ex aliquo vsque in infinitum dispositis numeris: quæ dispositio principium est generationis talium numerorum.

Pythagoras in sua arithmetica

Huius autem exemplum est in terminis transcendentibus & demonstrativis, sicut si dicamus, quòd a. sit passio numeri quanti, sicut quòd sit numerus finitus vel infinitus, vt perfectus vel imperfectus, vel abundans vel diminutus vel in alia numeri passione: & hoc est quod dicit Aristot. quòd numerus quantus, aut infinitus sit: hæc autem, id est, talis passio sit in quo est a. ac si dicat, hæc passio per literam a. designetur quæ erit maior extremitas: impar autem numerus quantus sit in quo sit b. & erit medium in demonstratione: impar autem numerus sit in quo est litera c. & erit in demonstratione minor extremitas. Secundum hanc itaque dispositionem est conclusum a. de c. per b. quia omne b. est a. & omne c. b. Item ab alio latere ponatur, quòd par numerus quantus sit d. medium: & ponatur, quòd par numerus sit in quo est e. quod erit minor extremitas: & a. remanet sicut prius passio finiti vel infiniti numeri: tali ergo facta dispositione concluditur a. de e. per d. medium sicut prius conclusa fuit de c. per medium b. & sic in latus augentur demonstrationes.

Responsio ad talem dubitationem.

Sed attende, quòd cum in post augentur non potest esse, quòd passio quæ superiori inest per se & secundum ipsum & de omni, insit etiam in inferiori per se & secundum ipsum, sed inerit ei essentialiter & de omni & non per se & secundum ipsum. Eodem autem modo non potest esse, quòd eadem passio secundum ipsum & per se insit opposito coæquæuo, sed de omni potest esse in duobus oppositis: & ideò dictum est de demonstratione communiter dicta & non de demonstratione potissima. Quidam tamen dicunt, quòd quando in post assumendo descenditur sub subiecto, dicitur etiam in post assumendo descendi in prædicato quod est passio, vt si isosceles accipitur sub triangulo, debet etiam sub passione habere tres æquos duobus rectis, descendi ad tales tres quales habet isosceles. Similiter quando augentur ad latus & accipitur oppositum

Alia responsio.

tum subiecti, dicunt quòd etiam debet accipi oppositum passionis. Sed primum magis est secundum intentionem Aristotelis.

CAPVT VI.

Qualiter differunt demonstratio quia & demonstratio propter quid in eadem scientia sumpta.

Nota, quòd est discordia inter expositores, vtrum intendat loqui de differentia inter demonstrationem quia & propter quid, an inter scire quia & propter quid: possunt tamen concordari istæ opiniones.

Sic autem ex præcedentibus determinata demonstratione potissima propter quid (cum sit etiam demonstratio quia, quæ minus est potens & tamen refertur ad principia demonstrationis quæ dicta sunt de omni & per se & secundum ipsum) conueniens est hìc determinare de differentiis harum demonstrationum, secundum quod differunt in vna & eadem scientia ambæ existentes, & secundum quod differunt existentes in diuersis. Et primo harum determinemus differentias in vna & eadem scientia.

Dicimus igitur, quòd quia differt scire quia & scire propter quid, oportet quod differant istæ duæ scientiæ siue isti duo modi sciendi: & sic alia est scientia quia, & alia propter quid. Et si differunt scientiæ, necesse est, quòd differant etiam demonstrationes quia scilicet & propter quid, quæ sunt causæ talium scientiarum. Primum quidem in eadem scientia acceptæ dictæ demonstrationes, & in vna & eadem scientia acceptæ differunt dupliciter. Vno quidem modò dicitur scientia quia si fiat syllogismus demonstrativus per id quod est non medium, hoc est, si fiat per mediatum medium: tale enim medium est non medium, quia non est immediatum: immediatum autem debet esse medium, & hoc est tantum transcendens medium & non conuertibile cum extremis: hoc enim non erit sufficiens & proxima causa: tunc enim in tali medio non accipitur prima causa, hoc est, proxima & conuertibilis: per tale igitur transcendens medium non generatur nisi scientia quia: sed quæ est scientia propter quid, est scientia generata ex medio quod est prima, hoc est, proxima & essentialis conclusionis causa. Alio verò modo secundo fit demonstratio quia in eadem scientia quia, quando in demonstratione accipitur pro medio id quod non est medium, hoc est, aliquid quod est immediatum, sed est non medium in hoc quod immediatum est non causa, vt quando fit demonstratio per immediatum effectum & cum causa conuertibile: tunc enim fit per conuertentia siue per conuertibilia & proxima, & fit per notius quoad nos: nihil enim prohibet inter ea quæ æquè & conuertibiliter prædicantur (sicut causa proxima & causatum) id quod est non causa, sed effectus, esse notius quoad nos: & tunc quoad instructionem necessariam vtilius est demonstrare per effectum quam per causam: & ideo tunc per hanc scientiam quæ est quia, erit demonstratio.

Per hæc verba potest-solui vna ratio alterius opinionis quæ fundat se in verbis Aristotelis in principio huius capitulis.

Vt quod propè sunt planetæ

Huius autem exemplum est, vt volens demonstrare, quòd planetæ sunt propè per id quod non scintillant: sic enim causa concluditur per effectum: sit enim in quo est litera c. planetæ, quod est subiectum: & in quo est litera b. sit non scintillare, quod est medium: in quo autem est litera a. quod est maior extremitas, sit propè esse, secundum quod concludi debet de minori extremitate: verum igitur erit dicere in tali syllogismo demonstrativo b. medium de c. minori extremitate in minori propositione: planetæ enim non scintillant: sed etiam a. maiorem extremitatem verum est dicere de b. medio in maiori propositione: verum est enim non scintillas prope esse: veritas enim huius accipitur per inductionem in sensu de quolibet planeta factam: necesse est ergo a. ipsi b. inesse in conclusione: & sic demonstratum est demonstratione quia, quòd erraticæ propè sunt. Hic ergo syllogismus non est demonstratio propter quid, sed quia: quia planetæ non ex hoc quod scintillant, propè sunt, sed è conuerso propter hoc quod propè sunt, non scintillant: & ideo in isto syllogismo demonstrata est causa per suum effectum.

Contingit autem alterum per alterum mõstrare, &c.

Contingit autem è conuerso per alterum quod est causa, alterum quod est effectus, demonstrare: & erit propter quid demonstratio: sicut si ponamus, quòd c. litera quæ est minor extremitas, sit erraticæ siue planeta: sed in quo est b. litera medium & causa, sit propè esse. a. autem maior extremitas sit non scintillare, sic, omne b. est a. omne c. b. ergo omne c. a. tunc pro medio accepta est prima, hoc est, immediata & proxima causa.

Item si lunam demõstrant, &c.

Iterum fit per effectum demonstratio quia, vt si demonstret aliquis in astrologia, quòd luna circularis sit siue sphærica per incrementa, hoc est, per modum incrementorum & decrementorum, quod corniculata sunt & sphæricitatem lineæ ostendunt, quòd est per signum effectus causam demonstrare: & ideo sic ipsius quia & non propter quid fit demonstratio, & ipsius quia effectus est syllogismus sic: omne quod ad solem relatum, incrementa per recessum à sole corniculata accipit, sphæricum est: luna sic ad solem relata, incrementa luminis accipit: ergo est sphærica vèl circularis: sic enim ipsius quia per effectum probata causa factus est syllogismus. Si autem è conuerso ponatur medium quod verè causa est: tunc fiet syllogismus propter quid: non enim luna propter augmenta corniculata circularis est: sed è contra quia circularis est, ideò augmenta corniculata accipit. Et ponatur lunam esse in quo c. quod est minor extremitas: in quo autem b. medium sit augmentum tale accipere: in quo autem a. maior extremitas sit esse circulare, sic, omne b. a. omne c. b. ergo omne c. a. siue omne circulare recipiens lumen à sole, conuersum ad solem, augmenta luminis circulariter accipit: luna est sphærica, lumen à sole accipiens: ergo augmenta luminis à sole circulariter accipit.

In quibus autem media non conuertuntur, &c.

In quibus autem demonstrationibus media quæ sunt effectus, non conuertuntur cum causa, eò quod non est effectus immediatus, & tamen medium est effectus & non causa, & effectus tamen ille mediatus notior quoad nos: si fiat demonstratio per talem effectum, iterum erit demonstratio per talem effectum

demonstra

Demonstratio quia per effectum immediatum non est ita vera demonstratio quia, sicut illa quæ est per effectum immediatum.

demonstratio quia, & non demonstratio propter quid: sed debilioris virtutis erit hæc demonstratio quam si fiat per effectum immediatum: sicut si demonstraretur lunam esse sphæricam per hoc quòd ipsa existens sub sole, motu circulari à sole per diametrum, talia accipit cornuculata incrementa. Sic ergo per effectum fit demonstratio quia, & non propter quid, secundum primum & vnum modum & principalem.

Amplius in quibus medium extra ponitur, &c.

Amplius autem secundo modo fit demonstratio quia in his in quibus medium quod est causa, ponitur extra extrema excellens vtrumque extremorum: in talibus enim medium est causa remota non conuertibilis & non sufficiens ad causandum effectum secundum seipsum. Vnde in his talibus ipsis quia & non eius quod est propter quid, demonstratio est: non enim datur proxima causa & essentialis & conuertibilis per tale medium. Huius autem exemplum est, vt si quæstio fiat qua demonstrari debeat quare paries non respirat, & ponatur causa remota per quam hoc demonstratur dicendo, quod causa eius quod paries non respirat, est: quia non est animal: si enim hoc quod est non esse animal, non respirandi causa esset: tunc oporteret, quòd oppositum huius esset causa oppositi, ita scilicet quòd aliquid esse animal, esset causa quare respirat: quia si negatio causa est ipsius non esse siue negationis, tunc affirmatio erit causa esse siue affirmationis: hoc enim est in omnibus causis immediatis verum: sicut si elementa in complexione sine mensura esse calida, & sine mensura esse frigida (quod est negatio æqualitatis caliditatis & frigiditatis in complexione) est causa non sanandi, hoc est, negationis sanitatis: tunc cum mensura æqualitatis complexionis esse calida, & cum mensura esse frigida, quod est affirmatio, est causa sanandi siue sanitatis, quod est etiam affirmatio. Similiter autem in omnibus talibus quæ immediatæ sunt causæ, quod si affirmatio ipsius esse est causa, & negationem oportet esse causam ipsius non esse. In his autem quæ dicta sunt sic demonstratis per causam communem & transcendentem non contingit quod dictum est, quòd scilicet affirmatio non est causa affirmationis: dispositio autem terminorum (quia medium excedit extrema & est primum positione) indicat, quòd talis syllogismus est in media figura. Huius autem exemplum in terminis transcendentibus est, vt dicamus, quòd a. medium positione sit animal: id autem in quo est b. quod est maior extremitas, sit non respirare: in quo autem est c. minor extremitas, sit paries: secundum igitur hanc dispositionem a. inest omni illi in quo est b. omne enim respirans est animal: in c. autem nullo est a. & sic sequitur in secunda secundæ, quod neque b. in c. nullo est, hoc est, quod nullum c. est b. non igitur respirat paries.

Comparantur enim huiusmodi causarum, &c.

Hæc enim quæ sunt de numero huiusmodi causarum excedentium, comparantur dictis extremis secundum excellentiam, id est, quæ excedunt extrema & non conueniuntur cum eis: hoc autem dicere est assignare causam plurimum distantem ab extremis. Sicut est illud quod Anacharsides Philosophus pro causa assignauit, quòd in Scythis siue in Scythia (quæ terra Sclauorum est) non sunt sibillatores siue tibicines: dixit enim esse causam huius: quia non sunt ibi vites. Cum non esse in Scythia vites valde remota causa sit ad hoc quod non sint tibicines in Scythia. Vites enim vinum faciunt: vinum autem lætificat: lætitia autem causa est quæ tibiam canere facit. Similiter autem causa remota quare non respirat paries est, quod non est animal: animal enim esse: & hoc animal esse circa superiora calens, & sufflatiuum ad mitigationem illius caloris pulmonem habens, causa est respirandi. Hæc autem in libro de respirando & inspirando dicta sunt. Secundum autem eandem scientiam & secundum dispositionem eorum quæ ostendunt scientiam quia, & scientiam propter quid, sunt hæ quæ dictæ sunt differentiæ eius quod est quia, siue syllogismi qui ostendit quia, ad eum qui est propter quid est, syllogismum.

CAPVT VII.

De differentia demonstrationis quia & propter quid in diuersis scientiis.

Alio autem modo differt propter quid, &c.

ALio autem modo differt demonstratio propter quid ab ipsa demonstratione quia, in hoc quod per aliam scientiam vtrumque istorum est speculari: ita scilicet quòd vna scientia speculatur propter quid, & alia scientia speculatur quia. Huiusmodi autem scientiæ sunt quæcunque sic se habent adinuicem, quòd alterum (hoc est, subiectum quod in vna earum determinatur) est sub altero quod in altera scientia determinatur, sicut subalternatum est sub subalternante, sicut se habent speculatiuæ siue perspectiuæ scientiæ ad geometriam. Et sicut se habet scientia machinatiua de machinis quæ proprio nomine vocatur scientia de ingeniis, ad stereometriam, hoc est, ad illam partem geometriæ, quæ est de stereis, hoc est, de mensura solidorum siue corporum, quæ traditur in 11. & 12. Euclidis: machinatiua enim siue de ingeniis scientia, sequitur mensuras solidorum in ponderibus & quantitate & erectione ingeniorum & proportione. Et sicut se habet harmonica in musicis cantibus & instrumentis, monochordo scilicet, vigella, & lira, & huiusmodi, ad arithmeticam: quia proportiones numerorum considerat arithmeticus: quam proportionem in cantu & diuisione chordarum ponit harmonica: sicut passiones lineæ considerat geometria, quas in linea visuali (quæ radius vocatur) ponit perspectiua. Et sicut scientia naualis (quæ apparentia vocatur) se habet ad astrologiam quantum ad illam partem quæ est de angulis & de diuersitate aspectus: ad hanc enim naualis secundum apparentiam in stellis vias nauiũ imaginatur & dirigit. Vel forte melius ad lunæ quartas: quia ex illis elementum aqueum mouetur ad effluxum & refluxum, & ex illis oriuntur venti secundi vel non secundi de

Machinatiua aliter dicitur scientia de ingeniis.

Stereometria est scientia de mensuris solidorum quantum ad ponderare.

Quomodo naualis de apparentia subalternatur astrologiæ.

di de fundo maris. Et hoc apparet in crispatione vndarum. Ad quamcunque enim plagam mouentur crispantes vndulæ, primo in aquæ superficie, ad illam flabit ventus in puncto proximæ quartæ, maximè si ibi erit luna. Quartas autem voco puncta Orientis, medij cæli, Occidentis, & angulum mediæ terræ.

Ferè autem vniuocæ sunt harum quædam, &c.

Harum autem scientiarum subalternantium & subalternatarum quædam ferè sunt vniuocæ, hoc est, de vniuoco subiecto & passionibus. Et dico ferè propter id quod addit subalternata super subalternantem, sicut linea visualis addit supra lineam, & sicut angulus reflexionis ad speculum addit supra angulum simpliciter qui est contactus duarum linearum. Hoc autem modo fere vniuocæ sunt astrologia mathematica quæ considerat diuersitates motuum & præuentionum & coniunctionum & aspectuum in stellis, & naualis astrologia quæ ferè idem considerat referendo hoc ad actum & vias nauigantium. Etiam sic ferè vniuocæ sunt harmonica mathematica siue musica, & illa quæ est secundum auditum in chordis & fidibus & instrumentis musicis: hoc enim in omnibus talibus ipsum quia est scire sensibilium, hoc est, subiectum sensibile & passiones considerantium, sed propter quid considerare habent mathematicæ quæ non considerant sensibile, sed abstractum à sensibili secundum rationem diffinitiuam quæ medium est in demonstratione.

Quare dixit ferè vniuocæ.

Attendendum autem, quòd passiones subiecti possunt considerari dupliciter, scilicet inquantum sunt subiecti quod est per se & secundum ipsum, vel inquantum sunt huius subiecti determinati ad hanc naturam vel materiam. Quantitatem autem per omnes differentias quantitatis (quæ sunt linea, superficies, & corpus, quæ sunt differentiæ quantitatis continuæ primæ secundum ipsam naturam quantitatis exeuntes ab ea) habet considerare geometer: & quia passiones quantitatis causantur ab ipsa natura quantitatis secundum se & secundum seipsam, ideò geometer habet dicere, propter quid in omnibus illis siue sint abstractæ, siue sint ad materiam determinatæ: tales enim passiones sunt quantitatis secundum quod est quantitas, & non istius vel illius secundum quod est hoc vel illud secundum ipsum, sed sunt quantitatis in isto. Si autem passiones aliquæ sunt, quæ causantur ab hoc vel illo secundum quod est hoc vel illud, in illis non dicit propter quid scientia superior, sed inferior.

Huius exemplum est radius qui est linea: quia linea secundum quod est linea, habet rectum esse vel curuum: & per contactum alterius facere angulum: & anguli quantitatem ex hoc quod perpendiculariter vel obliquè contingit: quæ omnia quia quantitatis sunt, secundum ipsum considerat secundum causam geometer. Sed inquantum radius habet reflecti ad tersum & politum, & in speculo concauo reflecti ad medium, & in rotundo perueio reflecti ad punctum oppositum: quæ passiones quia causantur non à linea secundum quod quantitas est, ideo lineæ secundum ipsam non conueniunt, nec possunt à geometra causari ex propriis principiis quantitatis: & ideo non dicit propter quid in illis: sed sunt passiones lineæ visualis secundum ipsum quod visualis est: & ideo propter quid in talibus dicitur à perspectiua. Nec etiam in hoc, siquis subtiliter inspiciat, subalternatur perspectiua geometriæ: quinimo scientia est per se considerativa passionum sui subiecti. Et hoc est quod dicit Aristot. quòd mathematicorum astrologorum & harmonicorum & non sensibilium est scire propter quid: eò quod illi in talibus habent demonstrationem facere ex quibus tales causæ talium passionum accipi possunt.

Quæ requiruntur ad subalternationem.

Sunt autem quidam dicentes, quòd tria exiguntur ad hoc quod vna scientia alteri subalternetur. Et dicunt primum esse quod subiectum subalternatæ concipiat in se subiectum subalternantis cum additione differentiæ contrahentis ipsum ad naturam vel materiam determinatam, vt linea visibilis se habet ad lineam, & pyramis visibilis se habet ad pyramidem, & circulus visibilis qui est basis pyramidis, se habet ad circulum, & diameter pyramidis se habet ad diametrum, & triangulus pyramidis ex radiis exeuntibus ad illuminatum, se habet ad triangulum cuius motu imaginatiuo generatur pyramis, & sic numerus modulorum se habet ad numerum, & sic de aliis. Secundum dicunt esse, quòd id quod addit inferior & subalternata scientia, oportet quod contrahat ipsum ad rem alterius naturæ & generis: quia aliter scientia de speciebus & differentiis diuisiuis subalternata esset scientiæ de genere, quod falsum esse dicunt. Tertium autem dicunt esse, quòd id quod addit supra subiectum superioris, non fit causatum vel procedès à substantia & natura subiecti superioris: aliter scientia paris & imparis subalternaretur scientiæ de numeris, quod falsum est, cum sint vna & eadem scientia. & sic etiam si hoc esset verum, prima philosopha sibi subalternaret omnes alias, eò quod ex suo subiecto stabilit subiecta scientiarum omnium aliarum.

Quid de hoc inuenit Aristot.

Hæc igitur sunt quæ dicuntur communiter & satis subtiliter & bene: sed quantum ex natura demonstrationis est, & ex dictis Arist. perpendi potest, non exigit nisi quod subalternans & subalternata sint circa idem in substantia subiectum, & diuersum secundum esse: quia aliud habet esse in suis principiis considerarum, & alias passiones fluentes ab ipso secundum esse quod habet in suis principiis substantialibus acceptum, quod secundum hoc ipsum causatur ab ipso: & aliud habet esse secundum hoc quod relatum est ad hoc vel illud, secundum quod in inferiori scientia consideratur: & quia accidit ei esse in hoc, & sic, ideo causas illarum passionum quæ insunt ei secundum se, non potest scire scientia inferior, sed expectat eas à superiori: sicut patet: quia sic medicina considerat corpus humanum, non secundum quod est magnum, sed secundum quod est ad complexionis æqualitatem commixtum: inueniens tamen impeditiuum in ipso ex corruptione compositionis & continuitatis & figuræ, causam illius medij

Medicina non considerat causam impeditiuam.

non considerat, sed scientia superior, geometria, vel alia: sicut maximè scientia de ponderibus & distantia graduum exigitur in medicina, vt in lib. de gradibus dicit Alchindus. Et hoc modo in iride quam secundum causam considerat physicus, secundum causam dico suæ generationis in nube aquosa hoc modo: secundum causam autem reflexionis causata ab opposito sole consideratur à perspectiuis.

nam compositionis continuitatis & figura, sed geometra. Scientia de ponderibus & distantia graduum maximè exigitur in medicina.

Quomodo physicus considerat iridem secundum causam, & etiam perspectiuus, licet diuersimode.

Ex hoc patet quare quædam subalternantes & subalternatæ sunt verè vniuocæ, in quibus scilicet inferior recipit nomen superioris & rationem: numerus enim relatus ad morulas & modulos sonorum est numerus, & linea visualis est linea non additione contrahente. Sed quædam sunt, in quibus subiectum superioris non nomine & ratione prædicatur de subiecto inferioris, sicut magnitudo continua non prædicatur de corpore humano: quia non consideratur à medico: & id quod addit, non est de quantitate nec de principiis quantitatis: sed omnino præter ipsam, quamuis sit in ipsa secundum esse aliquod.

Quomodo quædam scientiæ subalternantes & subalternatæ sunt verè vniuocæ, & quædam non.

His igitur sic notatis planum est quod dicitur: & sicut vna considerat quia, & altera propter quid in talibus: ita contingit multoties, quòd considerantes ipsum propter quid, nesciunt ipsum quia. Et huius causam quidam dicunt esse: quia non pertractant. Sed vera causa est: quia vniuersale (ex quo accipitur causa propter quid) cognoscunt: & ex illo particulare (quod ex vniuersali in propria natura cognosci non potest) pertractare ex propriis non possunt: & hoc est quod additur: quia superius sicut vniuersale considerantes, multoties quædam singularium nesciunt: quia in subiecto vniuersali non habent vnde hoc ex principiis vniuersalis facere possint: & etiam propter id quod particulari & propriæ naturæ non intendunt ex principiis vniuersalis, vnde sunt considerantes. Hæc autem sunt & talia quæcunque per additionem ad superioris scientiæ subiectum alterum quiddam sunt: quia id quod additur subiecto superioris scientiæ, trahitur in alterum genus, & non causatur illud à principiis subiecti vniuersalis scientiæ & superioris: illæ enim scientiæ vtuntur speciebus & formis vniuersalis secundum substantiam & materiam sui subiecti, hoc est, secundum quod relatæ sunt ad hoc vel illud: mathematica autem quæ simpliciter mathematica & abstracta sunt (sicut ea quæ sunt scientiæ altioris) sunt simpliciter circa species abstractas: tales enim non sunt de subiecto aliquo sensibili: quia quamuis geometrica aliqua de subiecto aliquo sensibili sint, non sunt tamen de illo secundum quod est subiectum aliquod sensibile, sicut patet per antedicta.

Nescit ipsum quia, &c.

Habet autem se ad speculatiuam, &c.

In talibus autem inferior etiam subalternat alterum ad minus quantum ad modum: & hoc est quod dicit, habet autem se ad speculatiuam siue perspectiuam sicut se habet perspectiua ad geometriam: ita enim se habet alia quæ sub ista (quoad aliquid) ad istam, sicut perspectiua se habet ad geometriam, quamuis non simpliciter subalternetur eidem: sicut est id quod est de iride, de quo (sicut dictum est) ipsum quia physici est scire, qui iridem quantum ad materiam secundum quod est in nube aquosa habet considerare: sed propter quid est iris quantum ad reflexionem radiorum solis, est considerare perspectiui: aut simpliciter, quia ex principiis suæ scientiæ dicit propter quid est iris: aut secundum hoc quod est doctor vel secundum doctrinam, quia docentis est scire causam propter quid.

Multæ autem etiam earum quæ non sunt sibiinuicem scientiarum, vt subalternans & subalternata, sic se habent adinuicem, sicut medicina ad geometriam se habet in aliquo: quod enim vulnera circularia tardius sanatur, medici chirurgici est scire: sed propter hoc est sic scire geometræ. Hoc enim ex hoc est, quòd circulus est capacissima figurarum: & ex hoc est capacissima, quia latera ipsius ad circulum vndique distantia sunt & magis difficulter vnibilia, & ex hoc sequitur, quòd tardius sanabilia.

Quare vulnera circularia tardius sunt sanabilia.

CAPVT VIII.

De syllogismis, & primo in qua forma syllogismi potissimè fiant.

DEterminatis autem sic principiis potissimæ demonstrationis formalibus, quibus est demonstratio & habet formam demonstrationis, quia omnis demonstratio syllogismus est & non conuertitur, conueniens est determinare in qua forma syllogismi potissimè fiant: hoc enim est etiam de principiis demonstrationis, quamuis non sit principium eius inquantum demonstratio, sed inquantum est syllogismus. Dicimus, quod potissima demonstratio quæ facit scientiam propter quid, maximè fit per primam figuram: ad quod quatuor Aristot. inducit rationes. Quarum prima est, quòd figurarum trium quæ magis facit scire, maximè siue præcipuè est figura prima. Cuius probatio est: quia illæ de numero scientiarum, in quibus est maximè scire, sunt scientiæ mathematicæ: mathematicæ autem scientiæ, siue subalternantes, vt arithmetica & geometria: siue subalternatæ, vt perspectiua: & in eo quod ferè est dicere de omnibus scientiis etiam mathematicis, propter quid, & non quia faciunt demonstrationem siue speculationem.

Figurarum autem magis faciens scire, &c.

Aut enim omninò, hoc est, vniuersaliter, aut sicut frequentius & in pluribus: & per hanc primam figuram eius quod est propter quid, fit syllogismus: propter hoc etiam per hanc figuram, primam scilicet est syllogismus maximè faciens scire: & maximè erit per hanc figuram speculari conclusionem siue scientiam propter quid: quæ ratio maximè est de primo modo primæ figuræ, & non de secundo, nec de modis particularibus, vt patebit inferius. Scias enim, quòd secundus modus (qui negatiuus est) primæ figuræ non facit scire propter quid: nec fit in ipso demonstratio

Aut enim sicut, &c.

Hoc idem Liconiensis hic sentit in commento, sed aliter exponit ly maximè.

Secundus modus primæ figuræ

non facit scire propter quid, sed scire magis vniuersales secundæ figuræ facit eam verè tam, quæ non proprie propter quid, ut quia.

monstratio propter quid, habens proximam & conuertibilem causam pro medio: medium autem in prima figura subiicitur in maiori propositione & prædicatur in minori: & ideo maior in prima figura in tali syllogismo non potest esse negatiua nisi sit falsa: quia subiicitur in ea causa essentialis & proxima suo effectui: in negatiuo autem syllogismo primæ figuræ oportet, quod maior sit negatiua, quia minor in prima figura negatiua esse non potest.

Et ex hoc patet, quòd in primo modo negatiuo vniuersali primæ figuræ nullo modo fit demonstratio propter quid, sed in vniuersalibus secundæ figuræ, in quibus syllogizatur per causam remotam, sicut patet sic: sint enim termini secundum dispositionem secundæ figuræ, non habens pulmonem, non respirans, paries: & syllogizetur sic in primo secundæ: nullum non respirans habet pulmonem: omnis paries est non habens pulmonem, vel pulmone caret: ergo nullus paries est respirans. Vel in secundo sic: omne non respirans est pulmonem non habens: nullus paries est pulmonem habens: ergo nullus paries est respirans. Et ideo dictum est paulo ante, quòd demonstrationes dicentes propter quid, ferè sunt per primam figuram tantum: nec demonstratio inducta est propter quid, sed demonstratio quia.

Fugit Licon. hic quia modo exponit.

Quidam tamen hanc rationem in duas diuidunt, dicentes vnam esse à signo, quia mathematicæ scientiæ sunt per hanc figuram: secundam autem à causa, quia prima figura est, per quam frequentius fit demonstratio propter quid. Quòd autem mathematicæ sint in quibus maxime fit scire, probat Ptolemæus in principio Almagesti dicens, quòd naturales de mobili sunt, in quibus non stans causa: metaphysicæ autem de sublimibus, quarum causa in quibusdam non attingitur: & ideo per veram causam non potest esse scientia. Restat ergo, quòd in mediis sit, quæ & causam stantem habent, & quorum causa attingitur: & sic in mathematicis quæ mediæ sunt inter physicas & metaphysicas causas, habentur veræ & incorruptibiles scientiæ.

Postea ipsius quod quid est, &c.

Postea tertia ratio est: quia non est possibile venari scientiam siue venerabilem præ aliis scientiis (quæ est scientia quid & propter quid) accipere, nisi per primam figuram: quod sic probatur: quia in media figura non fit syllogismus categoricus siue affirmatiuus syllogismus: sed scientia quæ est ipsius quod quid & propter quid, est scientia affirmationis siue affirmatiuæ conclusionis. In vltima autem siue in tertia figura fit quidem affirmatiuus syllogismus, sed non fit syllogismus vniuersaliter concludens: sed scientia per id quod quid est de numero vniuersalium: diffinitio enim subiecta maiori extremitati vniuersaliter & affirmatiuè recipit prædicationem ipsius, & in minori prædicatur diffinitio de hoc quod continetur sub medio substantialiter & per se, de illo etiam prædicabitur vniuersaliter & affirmatiuè. Duabus autem præmissis vniuersalibus & affirmatiuis secundum primæ figuræ dispositionem necesse est concludi conclusionem vniuersalem & affirmatiuam quæ est scientia quid & propter quid. Et sic est planum, quod non nisi in prima figura, & in primo modo, & non in aliis modis, nec etiam in aliis figuris concluditur scientia propter quid. Hoc autem manifestatur per exemplum: sit enim hominis diffinitio, animal bipes: patet, quòd non in quodam particulari modo quodam de subiecto per accidens dicto qui negari possit, est homo animal bipes, sed simpliciter & vniuersaliter.

Dubitatio.

Forte autem aliquis dubitat, vtrum hoc verum sit, quòd in negatiuo syllogismo non possit concludi diffinitio quæ facit scientiam propter quid: potest enim esse diffinitio medium in negatiua demonstratione, & negari ab vna extremitate, & affirmari de alia: & sic in negatiua propositione & demonstratione potest fieri scientia propter quid, vt videtur: quia quæuis non concluditur in talibus demonstratione diffinitio, tamen demonstratio elici potest ex tali syllogismo. Dicitur autem ad hoc communiter, quòd re vera diffinitio maioris extremitatis nunquam potest elici ex syllogismo negatiuo in prima: quia si fit syllogismus negatiuus in prima figura, minor erit negatiua: & erit tunc maior propositio falsa, vt paulo ante dictum est: sed diffinitio minoris extremitatis; oportet esse medium in syllogismo negatiuo, eò quod minor in prima figura est affirmatiua, & prædicari potest diffinitio maioris extremitatis de ipsa minori extremitate. Et cum dicitur, quòd diffinitio non potest concludi in negatiuo syllogismo: hoc quidem generaliter verum est pro generibus singulorum: nec enim concluditur diffinitio quæ est conclusio demonstrationis, nec diffinitio quæ est demonstratio positione differens, sed ea tantum ita quæ est vt principium demonstrationis, contingit ex negatiua demonstratione cognoscere: ex affirmatiuis autem contingit omnes diffinitiones demonstrare. Sed in secunda figura est aliquando dicere diffinitionem maioris extremitatis quando maior est affirmatiua, vt in antehabitis dictum est.

Solutio.

Amplius quarta ratio est: quia prima figura aliis duabus figuris nihil indiget ad suæ ostensionis euidentiam: illæ autem aliæ duæ figuræ per hanc primam figuram densantur & augmentantur, donec ad immediata veniant. Quod tripliciter fit, vt dicunt diuersi. Vno quidem modo, sicut dictum est: quia quoad euidentiam suæ inferentiæ & illationis aliæ figuræ reducuntur ad primam. In reductione autem modo per conuersionem, modo per trāspositionem, modo per impossibile densantur per figuras ad figuram reductionem: sed augentur per reductionem particularium modorum in modos primos vniuersales, & maximè in primum modum vniuersalem. Alij dicunt, quòd quia demonstrationes augentur in post assumendo, & condensantur continuè in post assumendo, donec veniant ad immediatum quod est densum: quia densum metaphoricum formalis est, cuius partes sunt propinquæ: immediatæ autem partes sunt propinquæ & non habent medium inter subiectum & prædicatum in his quæ sunt per se. Illi autem adhuc

Amplius hæc quidem illarum nihil indiget, &c.

Nota triplicem expositionem quomodo aliæ figuræ densantur per primam & non econtra.

dicunt, quod secunda & tertia figura augentur & destruunt, sed non prima. In secunda enim fit demonstratio per contrarium remotam, sicut patet non relucere, quia non est animal: quæ demonstratio si debet fieri conuertibilis, oportet quod destruatur per additionem eorum quæ contrahunt medium: sicut animal est medium, addam animal habens calorem circa cor & superiora, & huic addam habens pulmonem, & huic habens refrigerantem aërem ad mitigationem caloris: & sic destruabo medium, donec fiat conuertibile. In tertia autem figura præcipuè demonstrationes augentur: medium enim in illa excluditur ab extremis, quia subiicitur: & ideo cum passio prædicatur, sic excedit subiectum: & ideò in illo oportet restringi passionem per additionem contrahentium ad æqualitatem & conuertibilitatem subiecti, vel subiectum per abstractionem continuè augeri, donec ad qualitatem deueniat passionis in communitate: quia tunc non conuertuntur subiectum & passio. Et omnibus his tribus modis bene & conuenienter dicitur: sed primus modus magis videtur esse de intentione Aristot. Hæc ergo dicta sunt de principiis & vsu principiorum in scientia vna & diuersis: & in his habet finem tractatus.

TRACTATVS IV.

De oppositis principiorum demonstrationis quæ faciunt ignorantiam.

CAPVT I.

De his quæ præambula sunt ad tractatum de propositione necessaria.

IAm autem determinatis omnibus principiis veræ demonstrationis quæ facit veram scientiam, determinandum est de oppositis principiorum quæ faciunt ignorantiam, ex quibus fit syllogismus contrariæ deceptionis. Dictum est enim, quòd nihil demonstrationi oportet esse notius oppositis principiorum in falsitate. Determinabimus ergo primò causas veras ignorantiæ, & consequenter causas ignorantiæ secundum dispositionem: eò quod illa contraria est scientiæ: & postea causas tangemus ignorantiæ secundum negationem. Adhuc autem volentes determinare causas ignorantiæ secundùm dispositionem, ostendemus primum quædam præambula quibus nos vti oportet ad ostensionem illarum.

Sicut autem a. esse in b. contingit, &c.

Dicamus igitur, quòd sicut in affirmatiuis propositionibus contingit prædicatum quod est a. esse in subiecto quod est b. indiuidualiter, hoc est, immediatè in affirmatiua propositione: sic etiam in negatiua propositione conceditur indiuidualiter, hoc est, immediatè non esse in eodem, vt hæc immediata sit negatiua, b. non est a. sicut affirmatiua immediata est b. est a. Dico autem indiuidualiter esse affirmatiuè, aut non esse negatiuè. Hoc autem verificatur quidem homo modo. Videamus igitur primo qualiter contingat negatiuam non esse immediatam: tunc enim ex oppositis videre possumus quomodo fiat immediata: hoc enim est esse immediatum, quando non est medium aliquod inter extrema, per quod vnum extremum syllogizetur de alio. Dico ergo, quòd cum a. prædicatum in toto aliquo sit, in quo non sit b. subiectum, in toto autem dico vniuersale: aut è conuerso b. subiectum in toto aliquo sit vniuersali in quo non sit a. vel vtrumque diuisim sit in toto aliquo in quo non sit reliquum: non erit propositio immediata negatiua quæ dicit, quoniam nullum b. est a. Hæc autem sic verificatur: ponamus enim primo, quòd a. prædicatum sit in toto c. b. subiectum non sit in eodem toto c. (& hoc enim fieri potest, quod a. quidem sit in quodam toto, & quod b. non sit in illo vt in toto) tunc necessario erit aliquod medium per quod fit syllogismus, per quod medium concluditur, quod a. non sit in b. & sic propositio erit mediata quæ dicit nullum b. esse a. Termini autem in quibus hoc euidenter apparet, sunt, vt a. sit linea. c. autem totum simile vel idem cum linea sit quantitas. b. autem sit substantia: tunc syllogizatur in secundo secundæ figuræ sic: omnis linea est quantitas: nulla substantia est quantitas: ergo nulla substantia est linea. Si enim a. quidem omni est c. quia omnis quantitas linea: in b. autem nullo est, quia nulla substantia est quantitas: sequitur, quòd in nullo b. est a. quia nulla substantia linea.

Similiter autem est & si b. in toto, &c.

Similiter autem est propositio negatiua non immediata si dicatur, quòd b. subiectum sit in aliquo vt in toto vniuersali, & sit hoc d. in quo non sit a. prædicatum primum: erit verum medium ad syllogizandum, quoniam nullum b. sit a. sit enim b. animal cuius totum vniuersale quod est d. sit substantia. a. autem sit quantitas: & erit syllogismus in secundo primæ sic: nulla substantia est quantitas: omne animal substantia: ergo nullum animal est quantitas.

Quod

Quod enim in omni b. est d. a. autem in nullo b. hunc dictum est, erit syllogismus negatiuæ & mediatæ propositionis.

Eodem autem modo syllogizatur si tam a. quam b. diuisim fuerit in toto aliquo, in quo non sit reliquum. Quod autem possit in aliquo esse in quo non est b. & è conuerso b. in aliquo in quo non est a. manifestum est ex coordinationibus prædicabilium quæcunque non commutantur, hoc est, non commiscentur adinuicem, ita quod coordinatio vnius generis commutetur & commisceatur prædicabilibus alterius generis: hoc enim maximè verum est in his quæ per se prædicabilia sunt. Sit igitur vna vnius generis coordinatio prædicabilium a. c. d. sicut animal, substantia, corpus: alia autem, scilicet b. e. f. sicut linea, longitudo, quantitas. Si ergo nihil eorum quæ sunt in a. c. d. coordinatione, de nullo eorum prædicatur quæ sunt in b. e. f. coordinatione, ita quod sit in illo vt in toto sicut est in substantiali prædicatione. Si ergo tunc dicatur a. esse in p. sicut in toto, ita quod sit de sua coordinatione, manifestum est, quod b. quod est alterius coordinationis, non erit in p. sicut in toto vniuersali. Si enim daretur oppositum, quod scilicet b. sit in p. toto: cum a. sit in p. toto, sequeretur, quòd commutantur siue permiscentur prædicabilium per se coordinationes, quod inconueniens esset. Similiter autem è conuerso si d. dicatur esse in aliquo sicut in toto vniuersali in quo sit etiam a. idem enim sequitur inconueniens. Sic ergo patet qualiter propositio negatiua sit mediata: id enim in quo vnum in toto est & in quo aliud non est, medium est ad probandum, quòd vnum alteri non inest: quia prædicatur de vno, & remouetur de altero.

Ex hoc loco colligitur communis illa auctoritas, scil. ei quod præcognita sunt imperfecta.

Si verò neutrum sit in toto nullo, &c.

Si verò neutrum nec subiectum nec prædicatum sit in aliquo sicut in toto in quo non sit reliquum: & dicatur a. prædicatum non esse in c. subiecto, necesse est indiuiduliter, hoc est, immediatè non esse in ipso. Huius autem exemplum est, sicut si dicatur, nullum corpus est incorporeum: ambo enim ista sunt in substantia quæ totum vniuersale est ad vtrumque illorum: & hoc non potest esse medium per quod vnum negatur de altero, quia de vtroque vniuersaliter prædicatur. Si enim daretur, quòd totum tale esset medium per quod vnum extremorum negaretur ab alio: cum hoc non possit esse nisi per repugnantiam quam haberet ad alterum extremorum, sequeretur, quòd alterum ipsorum esset in toto quodam in quo non esset reliquum: quod est contra hypothesim: positum est enim ambo esse in vno eodem sicut in toto, & vnum non esse in aliquo in quo non sit reliquum. Et si daretur, quòd esset medium tale totum in quo toto sunt ambo: tunc talis syllogismus in quo per tale medium probatur vnum extremorum non inesse alij, aut sit in prima figura, aut in media: in tertia enim non est vniuersalis syllogismus. Siquidem igitur sit syllogismus in prima figura: tunc b. minor extremitas erit in toto quodam vniuersali quod in minori propositione prædicatur affirmatiuè de ipso: quia in prima figura oportet & minorem propositionem esse affirmatiuam, & medium in minori prædicari de minori extremitate: & in illo eodem non erit a. quia maior extremitas in syllogismo negatiuo in maiori negatur de medio: & hoc est contra hypothesim. Si verò in media fiat syllogismus: in illa quidem quæcunque propositio contingit, siue maior, siue minor, potest esse negatiua vel affirmatiua: ad vtramque enim extremitatem posito priuatiuo diuisim, siue ad maiorem, siue ad minorem, fit syllogismus: sed cum vtraque propositiones sint negatiuæ, in nulla figura fit syllogismus: & si altera quæcunque sit affirmatiua, in illa sicut in toto erit vnum, & in eodem non erit alterum: & hoc iterum est contra hypothesim. Si ergo vnum vt in toto sit in aliquo, & reliquum vt in toto sit in eodem, & negetur vnum de altero, erit hæc negatiua indiuidualiter siue immediatè negatiua.

Notandum autem, quòd negatiua est immediata tribus de causis, & propter duas erit vera, propter tertiam autem erit falsa. Prima est, si neutrum extremorum sit in aliquo vt in toto vniuersali. Secunda si vtrumque illorum vt in toto aliquo eodem primo. Tertia autem causa propter quam est falsa propositio est: quia prædicatum est id sub quo primo continetur subiectum. & immediatè, sicut corporeum sub substantia: & ista sunt opposita & repugnantia sub illo, quæ à se inuicem remouentur in negatiua propositione. Epilogando autem manifestum est, quod contingit aliquando vnum extremorum in alio non esse indiuiduliter siue immediatè in negatiua propositione: & manifestum est quando hoc contingit, & quando non. Et diximus etiam quomodo hic contingit.

CAPVT II.

De ignorantia malæ dispositionis; quid sit & quæ causa ipsius, & primo circa affirmatiuas & negatiuas.

NVnc igitur de ignorantia determinandum, & primo de ignorantia dispositionis: circa quam primo ostendamus, quid sit ipsa ignorantia, quia tunc melius dicere possumus causas eius. Ignorantia igitur illa quæ non est secundum negationem, sed secundum prauam dispositionem dicta est deceptio facta per syllogismum. De causis tamen talis ignorantiæ determinantes dicimus, quòd talis ignorantia aliquando accidit in his quæ sunt primo inhærentia, hoc est, immediatis, quæ ante se non habent aliquod medium per quod probentur inesse, aut non inesse. Primo autem in sunt affirmatiuæ & immediatæ, & primo non insunt in negatiua immediata: & de his primum dicendum est, & postea qualiter & quibus de causis fiat in his quæ sunt vel non sunt mediatis. Dicamus igitur, quòd in his quæ primo sunt vel non sunt, hæc ignorantia dupliciter contingit, hoc est, duobus modis: aut enim est in his cum aliquis simpliciter, hoc est sine syllogismo in ipsis principiis accipiat aut esse quod non est, aut non esse

Ignorantia autem non secundum negationem, &c.

quod est. Aut etiam secundo modo accidit hæc ignorantia, cum aliquis per syllogismum deceptorium accipiat de conclusione opinionem talem, quod scilicet opinetur esse quod non est, aut opinetur non esse quod est: quodlibet enim illorum trium ignorantiam habet prauæ dispositionis circa mediata vel propositiones vel syllogismum.

Hoc etiam notat Lin. sed videtur dare aliam rationem huius artis.

Et non miretur aliquis, quòd ante diffinientes hanc ignorantiam diximus, quod est per syllogismum facta deceptio, & modo diuidimus eam in ignorantiam simpliciter, & per syllogismum factam: intendimus principaliter de ignorantia facta per syllogismum, nec aliam inducimus nisi vt illam ab ea quæ per syllogismum fit, segregemus. Simplicis quidem igitur falsæ opinionis simpliciter est deceptio non facta per syllogismum deceptorium, sed simpliciter pro vero accipit quod falsum est, & pro falso quod verum est in contrariis principiorum: sicut si accipiat quis, quòd omnis substantia est quantitas, vel quod nulla substantia est substantia: hic enim modo Alexander accipit nullam substantiam esse substantiam, & nullam substantiam esse nisi materiam, & substantiam formatam esse actum materiæ, sicut apparet in libro de actibus, quem scripsit Alexander primus.

Sed quæ est per syllogismum, &c.

Sed illa quæ est per syllogismum ignorantia conclusioni, plures sunt causæ facientes eam, & talis est plures secundum modos & causas. Ponamus enim in terminis generalibus, quod a. non sit in nullo b. hoc est, quod a. remouetur a b. vniuersaliter sic dicendo: nullum b. est a. & nullum a. b. ita quod non insit vnum alteri indiuidualiter, hoc est, immediate, hoc est, quòd hæc negatiua sit immediata, nullum b. est a. si ergo aliquis syllogizet siue per syllogismum concludat, quod sit in b. medium accipiens c. per quod concludat a. de b. deceptus erit per syllogismum: deceptus quidem, quia accipit esse quod non est: & deceptus, quia accipit mediatum quod immediatum est. Et hæc deceptio per syllogismum concludentem facta simpliciter, dupliciter potest accidere, scilicet ex vtrisque præmissis falsis, & ex altera falsa & altera vera: contingit enim in tali syllogismo deceptorio vtrasque propositiones esse falsas, & contingit aliquando alteram tantum esse falsam. Si enim dicatur, quòd neque a. maior extremitas in nullo c. erit medio in maiori propositione, ita quòd hæc sit vera & immediata, nullum c. est a. & similiter c. medium sit in nullo b. in minori propositione, ita quod hæc sit vera, nullum b. est c. & vtraque istarum propositionum sit è contrario accepta, ita quod contrariæ istarum accipiantur per oppositas qualitates, vt omne c. est a. & omne b. c. vtræque propositiones erunt falsæ.

Contingit igitur vtrasque, &c.

Potest autè sic se habere c. ad a. &c.

Quod autem talis dispositio terminorum possibilis sit, patet ex hoc, quòd possibile est, quòd c. medium sic se habeat ad a. maius extremum & ad b. minus extremum, quòd ipsum medium neque sit sub a. sicut vniuersali prædicato, neque supra b. sicut prædicatum vniuersaliter de b. Dictum est enim in hypothesi, quòd b. impossibile sit esse in aliquo toto. Dictum est enim, quòd non est in ipso a. sicut in toto. Dictum est etiam, quòd necesse est omnem vs inesse quæ sub b. necessario: propter quod vtræque sunt falsæ. Horum autem omnium exemplum est in terminis specialibus qui sunt tales, quod conclusio deceptionis sit, quòd primo dicatur, nulla substantia est quantitas: hæc est enim immediatè vera. Syllogizetur autem per medium, & sit illud qualitas, sic: omnis qualitas est quantitas: omnis substantia est qualitas: ergo omnis substantia est quantitas: hoc enim neque medium est in toto primo, sed vniuersaliter remouetur ab ipso: nec medium est vniuersaliter supra minorem extremitatem: & sic patet, quod possibile est vtrasque esse falsas. Hic ergo est vnus modus deceptionis in syllogismo deceptorio.

Sed alteram contingit accipere veram.

Aliter autem modus est, quod etiam talis conclusio deceptionis concluditur ex altera falsa: contingit enim in tali deceptione alteram veram & alteram falsam accipere: non tamen contingit accipere quamcunque veram aut falsam: sed si vera debeat esse altera: tunc potest a. c. propositio maior esse vera: quia minor propositio quæ est b. c. semper erit falsa in propositionibus immediatis. Duæ enim sunt causæ propter quas minor semper erit falsa. Vna quidem causa est, quòd b. minor extremitas est in nullo, neque in maiori extremitate, neque in medio: si enim non erit in aliquo toto, sequitur quod non erit in c. medio: sed illa quæ est a. c. propositio maior, potest esse vera. Verbi gratia, si a. & in c. medio, & in b. minori extremitate sit indiuidualiter, hoc est, immediate. Sit autem in c. affirmatiuè, secundum vniuersalem affirmatiuam: in b. autem negatiuè, secundum vniuersalem negatiuam: cum enim primum, hoc est, maius extremum prædicetur idem, hoc est, vniuocè de pluribus in maiori, & in minori remoueatur à minori extremitate, sequitur per secundum modum secundæ figuræ, quod neutrum extremorum in neutro est, sed vtrumque extremorum remouetur à reliquo.

Termini autem in quibus hoc ostenditur, sint duo generalissima, ita quod tertium sit aliqua species vnius eorum siue immediata siue mediata, sic, omne corpus est substantia: omnis quantitas est corpus: ergo omnis quantitas est substantia. Nihil tamen differt ad talem habendam conclusionem, etiamsi non indiuidualiter, sed mediatè insint. Patet igitur, quòd ipsius esse in affirmatiuis propositionibus immediatis syllogismus deceptorius fit per istam quæ diximus: & sic, hoc est, propter istas causas duas solum & in prima figura: non enim erat ipsius esse vniuersalis, scilicet affirmatiuè syllogizare, neque in aliquo modo primæ figuræ, nisi in modo primo. Quidam tamen ista quæ dicta sunt de secunda causa ignorantiæ, alio modo & satis conuenienter interpretantur dicentes, quòd contingit alteram veram accipere: non tamen quamlibet, sed eam quæ est maior, quæ est a. c. propositio: minor enim quæ b. c. nunquam potest esse vera: eò quod b. non est in aliquo toto: & sic sequitur, quòd non erit in c. sed illa quæ est a. c. potest esse vera, vt si a. & in c. & in b. sit indiuidualiter. Et exemplum huius est: quia animal

mal est in rationali & in irrationali immediatè. Et inde arguunt sic: omne rationale est animal: omne irrationale est rationale: ergo omne irrationale est animal.

Obiectio.

Et vt istud magis sit euidens, obiiciatur sic: si a. & in c. & in b. est indiuidualiter, sicut patuit in syllogismo inducto: quia animal indiuidualiter est in rationali & irrationali, maior propositio & conclusio sunt veræ & minor falsa: & hoc videtur esse magis incompetès in syllogismo deceptionis, in quo cõclusio debet semper esse falsa.

Solutio.

Huius autem obiectionis communis est solutio, quòd cum dicitur, quod a. & in b. & in c. est indiuidualiter, debet intelligi, quòd in vno sit affirmatiuè, & in altero negatiuè, sicut in antehabita expositione dictum est, vt substantia in corpore est immediatè affirmatiuè, in quantitate autem est immediatè & negatiuè, vt omne corpus est substantia: omnis quantitas est substantia: ergo omne corpus substantia. Sic enim maior vera est: minor autem & conclusio falsæ sunt, sicut in anteriori expositione ostensum est. Sed contra hæc videtur esse Themi. dicens quod Arist, dicit, quòd idem prædicatur de pluribus. Vocat autem Aristot. prædicari de pluribus, quando idem prædicatum pluribus affirmatiuè attribuitur, & non quando prædicatum à subiecto remouetur. Et ideò videtur posse dici, quod a. est in c. & in b. indiuidualiter, vt animal in rationali & irrationali. Vt omne rationale est animal; omne rationale est irrationale: ergo omne irrationale est animal. Et si dicatur, quod conclusio vera est, dici potest, quòd exemplum non est ostendens, nisi quòd maior est vera & minor falsa: & non est exemplum de syllogismo ignorantiæ siue deceptionis. Nihil autem differt si non indiuidualiter insit a. c. & b. quãtum ad hoc quod maior sit vera & minor falsa. Sic ergo planum est quod dicit Aristot.

Contingit quidem igitur ex vtrisque falsis, &c.

Dicamus igitur, quòd contingit fieri syllogismum ignorantiæ in prima figura ex vtrisque falsis, & ex altera falsa quacunque siue maiori siue minori. Ex vtrisque quidem falsis, vt si detur, quod a. quod est maius extremum, sit & in c. (quod est medium) & in b. (quod est postremum) indiuidualiter siue immediatè. Tali enim hypothesi facta, si a. maius extremum accipiatur in nullo esse c. & c. medium accipitur omni inesse b. ambæ erunt falsæ propositiones. Cuius exemplum est, quòd a. sit generalissimum aliquod, & c. &. b. sint duæ species coæquæuæ sic ad concludendum, quòd nullum b. sit a quod est immediatè falsum: ambæ propositiones prædicto modo acceptæ & in secundo modo primæ figuræ erunt falsæ, sic, nullum c. a. omne c. b. ergo nullum b. a. Termini. Nullum corporeum substantia: omne incorporeum est corporeum: ergo nullum incorporeum est substantia.

Contingit autem & altera falsa, &c.

Contingit autem & hoc idem altera falsa existente propositione: & hoc quacunque contingente, siue maiori, siue minori. Et primo ostendamus qualiter ex maiori vera & minori falsa hoc contingit: postea autem qualiter hoc contingit e conuerso ex maiori falsa & minori vera. Primo igitur dicamus qualiter ex maiori vera & minori falsa hoc contingit. Dicimus igitur, quòd potest maior quæ est a. c. propositio vera esse: quæ verò b. c. est minor propositio, hanc contingit esse falsam: sed illam quæ est a. c. maiorem propositionem contingit esse veram. Cuius ratio est, quòd scilicet maior potest esse vera & minor falsa: ideo quia a. (quod est maior extremitas) non inest omnibus quæ sunt: & ideo potest esse aliquid à quo vere remouetur. Sit ergo illud a. à quo remouetur c. quod est medium: & tunc erit vera maior quæ est a. c. quia nullum c. erit a. quia a. vniuersaliter remouetur ab eo quod est c. cui non inest: sed quæ est c. b. minorem propositionem contingit esse falsam necessariò, quando maior est vera. Cuius duæ sunt rationes. Prima autem est deducens ad impossibile, & est: quia tali facta positione, quod scilicet in nullo c. & in omni b. sit a. impossibile est, quòd in b. sit c. in quo c. nullo sit a. Si enim hoc detur, sequitur etiam, quòd a. c. maior propositio non sit vera: quod est contra hypothesim prius factam. Huius autem ratio est: quia si minor sit vera hæc, omne b. est c. & contraria conclusionis sit vera, hæc scilicet, omne b. est a. ex his sequitur in primo tertiæ conuersa conclusione, quòd aliquod c. est a. quæ est contradictoria maioris: & sic maior quæ est, nullum c. est a. est falsa: quod est contra hypothesim: propter quod necessariò sequitur, quòd cum maior sit vera, necessariò oportet minorem esse falsam.

Secunda ratio est hæc: quia simul cum hoc quod dictum est, sequitur ex his quæ in prioribus analyticis dicta sunt, quòd si maior sit vera, & cum hoc minor etiam sit vera, conclusio erit vera: quia dictum est ibi, quòd ex falso sequitur verum, & ex veris vtrisque non

CAPVT III.

Qualiter fit syllogismus ignorantiæ per primam figuram circa immediatas negatiuas.

Quæ verò ipsius non esse in prima & media, &c.

Sicut autem syllogismus ignorantiæ secundum dispositionem ex affirmatiuis qui est contrariæ deceptionis, contrarius est immediatæ negatiuæ: sic è contra syllogismus contrariæ deceptionis in prima figura ex negatiuis immediatis, contrarius erit affirmatiuæ immediatæ: & ideò ostendendum est qualiter fiat talis syllogismus. Dicamus igitur, quòd ignorantia siue syllogismus ignorantiæ ipsius quod est non esse siue ex negatiuis propositionibus, qui contrarius est immediatæ affirmatiuæ propositioni, sit & in prima & in secunda figura. In tertia autem non fit: eò quod syllogismus ignorantiæ contrarius est scientiæ: scientia autem est vniuersalis: vniuersalia autem vniuersaliter non concluduntur, nisi in prima & in secunda figura, & non in tertia. Propter quod syllogismus ignorantiæ non fit in tertia figura, sed in prima & in media. Dica

sequitur nisi verum. Si autem hæc ita se habent, non erit deceptorius siue ignorantiæ syllogismus: quod est inconueniens: manifestum ergo, quod si minor sit vera, oportet necessario, quòd minor sit falsa. Termini autem in quibus hoc patet, sunt duo generalissima, & proprie proprium alterius sic in secundo primæ: nulla quantitas est susceptibilis contrariorum: omnis substantia est quantitas: ergo nulla substantia est susceptibilis contrariorum.

Sed & c. b. contingit veram esse quam altera sit falsa, &c.

E conuerso autem sit iste syllogismus ex maiore falsa & minore vera, sic scilicet quòd eam propositionem quæ est c. b. minorem propositionem contingit veram esse, cum altera, maior scilicet quæ est a. c. sit falsa. Hoc autem contingit. Et si dicatur, quod b. quod est postremum, & in a. primo & in c. medio erit, ita scilicet quod b. postremum sit sub a. primo & c. medium scilicet sub b. postremo: tunc enim necesse est, quòd a. sit sub c. vel è conuerso: sic enim necesse est alterum sub altero esse. Tali autem facta terminorum dispositione si accipiat aliquis a. maiorem extremitatem in nullo c. esse medio, falsa erit propositio maior quæ est, nullum c. est a. & est immediatè falsa: & quia aliquando a. sub c. est, ideò ali quod c. est a. propter quod hæc falsa erit, nullum c est a. quæ est maior & minor vera: omne b. est c. & sequitur conclusio falsa, ergo nullum b. est a. Termini autem in quibus hoc declaratur, sunt generalissimum, & huius principium diuidés ipsum in species cum tertio proprie proprio eiusdem generis, sic in secundo primæ: nullum susceptibile contrariorum, est substantia: omne corporeum est susceptibile contrariorum: ergo nullum corporeum est substantia. Manifestum est igitur, quoniam & cum altera, quæcunque sit falsa, & etiam vtrisque falsis existentibus, erit in prima figura talis ignorantiæ syllogismus.

Notandum est autem, quòd hæc negatiua, nullum b. est a. potest esse immediatè falsa. b. minori extremitate existente in aliquo toto: non tamen potest esse vera, b. minori extremitate existente in aliquo toto: quia sicut affirmatiua est immediatè vera, sic sua negatiua est immediatè falsa: sed affirmatiua non est immediatè vera, nisi suum subiectum sit in aliquo toto immediatè: ergo negatiua non potest esse immediatè falsa, nisi subiectum sit in aliquo toto. Manifestum est igitur, quoniam & cum altera falsa sit, & etiam in vtrisque falsis erit syllogismus falsus secundum hanc ignorantiam.

Sed in media figura totas quidem propositiones, &c.

Qualiter autem talis ignorantiæ syllogismus fiat in media figura vt intelligatur, præmittere oportet, quòd in media figura in duobus primis modis qui sunt vniuersales, concluditur negatiua vniuersalis quæ cum sit ignorantiæ syllogismus, contraria contra quam cõcludit, erit vniuersalis affirmatiua. Hoc autem supposito dicimus, quòd in media figura tali hypothesi facta qualis à principio istius capituli facta est (quod scilicet a. & in c. & in b. sit) totas propositiones præmissas siue vniuersaliter non contingit esse falsas, ita quòd vtraque sit tota falsa: cum enim a. in omni b. sit, vt dicit hypothesis, vt scilicet illa propositio sit vera, omne b. est a. tunc nihil potest accipi pro medio quod in altero quidem omni, in altero autem nullo sit: quod tamen exigitur in primis duobus modis secundæ figuræ, in quibus solum potest esse syllogismus ignorantiæ: si enim omne b. est a. sequitur, quòd quicquid inest a. hoc inest b. quia quando alterum de altero dicitur vt de subiecto, quicquid dicitur de prædicato, dicitur etiam de subiecto: & sic nihil dicibile est de prædicato vniuersaliter, quod de subiecto vniuersaliter remoueatur.

Adhuc si omne b. est a. tunc per tertiam figuram sequitur, quod inest b. particulariter, inest alicui a. & sic quod vniuersaliter inest b. non potest vniuersaliter remoueri ab a. ergo nihil erit accipere quod in altero quidem sit omni, in altero autem nullo sit: & sic in duobus primis modis secundæ figuræ, in quibus vna est vniuersalis affirmatiua & altera vniuersalis negatiua, non possunt esse propositiones præmissæ in toto falsæ: sicut enim in prioribus analyticis dictum est, in duobus primis modis secundæ figuræ oportet accipere sic propositiones præmissas, quod in vna earum medium in hoc quidem vno extremo in toto sit, in alio autem extremo in toto non sit: quia vterque illorum modorum constat ex vna vniuersali affirmatiua, & altera vniuersali negatiua: & ideò dicto modo oportet accipere propositiones si verè debeat in primis duobus modis in secunda figura fieri syllogismus. Sit enim a. maior extremitas, & c. sit medium, & b. sit minor extremitas, sicut in antehabitis positum est: tunc si ambę præmissæ sunt in toto falsæ, hæ scilicet, omne a. est c. nullum b. est c. tunc contrariæ earum erunt in toto veræ, hæ scilicet, nullum a. est c. omne b. est c. sed in istis veris contrariis iam primò remouetur c. ab a. vniuersaliter & de omni, in secunda significatur inesse omni b. vniuersaliter: & sic idem verè erit dicibile de altero omni & de reliquo nullo: quod impossibile est, cum iam positum sit omne b. esse a.

In quodam autem nihil, &c.

Sed vtramque propositionem nihil prohibet in quodam esse falsam in primis duobus modis secundæ figuræ in ignorantiæ syllogismo, vt scilicet si c. medium tam in a. maiori extremitate, quam in b. minori extremitate sit quodam, hoc est, particulariter, & non vniuersaliter: si enim tunc c. accipiatur esse in omni a. & vniuersaliter, & idem c. medium accipiatur in nullo b. esse vniuersaliter, vtræque propositiones erunt falsæ in parte: non tamen totæ siue vniuersaliter erunt falsæ, sed non in toto falsæ erunt, sed in quodam siue particulariter: & hoc est in secundo secundæ.

Similiter autem & alteram falsam, &c.

Similiter autem potest fieri in primo secundæ si è conuerso secundo modo ponatur priuatiua propositio pro maiori, & vniuersalis affirmatiua pro minori propositione, alteram falsam in toto & alteram veram in toto quamlibet sine maiorem siue minorem contingit ad concludendum ignorantiæ syllogismum contra vniuersalem affirmatiuam. Et hoc ostendamus primo in secundo secundæ quomodo fit ex maiori vera & ex minori falsa: si enim c. medium insit & omni b. quia quod inest in omni a. hoc etiam est in omni b. quod b. est sub a. vt dicit hypothesis. Tali igitur facta dispositione si accipiatur c. omni a. inesse in maiori propositione quæ dicit, quòd omne a. est c. (tunc enim c. in toto est a.) & accipiatur idem c. medium in b. toto non inesse, sic, nullum b. est c. & concludatur, quòd nullum b. est a. quæ est contraria illi, omne b. est a. tunc propositio illa maior quæ quidem est a. c. erit vera: sed minor quæ est b. c. erit falsa. Termini autem in quibus hoc est manifestum, sunt generalissimum, & eius species contenta, &. propria passio ipsius generis, sic, omnis substantia susceptibilis contrariorum: nullum corpus susceptibile contrariorum: ergo nullum corpus substantia.

Item quod in b. nullo est, &c.

Item in eodem modo ostenditur, quòd sit ignorantiæ syllogismus contra vniuersalem affirmatiuam maiori existente falsa & minori vera. Si enim accipiatur minor vniuersalis negatiua, ita quod c. in nullo sit b. Si enim hoc ponitur: tunc sequitur, quòd non in omni sit a. quia omne b. est a. sicut dixit hypothesis. Vnde si in a. est c. sequitur, quòd etiam sit in b. sed iam datum erat, quòd non erat in b. hoc est, quòd c. nulli inerat b. patet ergo, quod id quod nulli inest b. non omni inerit a. Si igitur vniuersaliter & affirmatiuè accipiatur c. in toto esse a. sic, omne a. est c. in maiori propositione: & accipiatur idem c. in toto b. non inesse, ita quòd nullum b. est c. sequitur, quòd nullum b. est a. in secundo modo secundæ figuræ, sicut prius: & erit propositio minor quæ est b. c. vera: altera autem quæ est a. c. erit falsa. Termini autem in quibus hoc est manifestum, sunt duo generalissima, & proprium alterius eorum, sic, omnis substantia est quantitas: nullum susceptibile contrariorum est quantitas: ergo nulla substantia est susceptibilis contrariorum.

Et iterum quod in omni b. est, &c.

Et iterum in eodem modo fit ignorantiæ syllogismus ex maiore falsa in minori vera: hypothesi enim prima seruata, quòd omne b. sit a. contra hanc debet fieri ignorantiæ syllogismus: positione enim seruata tali tunc c. medium quod in omni b. est, non potest verè accipi in nullo a. inesse: quia aliquod a. est b. vnde in nullo a. illud accipere est falsum: necesse est enim si in omni b. est, etiam in quodam a. esse. Si igitur accipiatur c. medium in omni quidem esse b. in minori propositione: & accipiatur idem c. in nullo esse a. tunc propositio minor quæ est b. c. vera erit: maior autem quæ est a. c. erit falsa: & erit idem qui prius syllogismus. Termini sunt generalissimum, & eius species sub ipso contenta, & proprium eiusdem, sic, nulla substantia est susceptibilis contrariorum: omne corpus est susceptibile contrariorum: ergo nullum corpus est substantia. Manifestum est igitur, quòd & vtrisque falsis propositionibus præmissis, & altera tantum falsa potest fieri, & erit syllogismus deceptiuus siue ignorantiæ in indiuiduis, hoc est, immediatis.

Similiter fit transposito priuatiuo, &c.

Similiter autem fit iste ignorantiæ syllogismus in primo secundæ figuræ transposito priuatiuo termino: ita quòd maior sit negatiua vniuersalis, & minor affirmatiua: ita quòd maior sit vera, & minor falsa. Prima enim hypothesi seruata, quòd b. sit sub a. sequitur necessariò, quòd id quod vniuersaliter in nullo est a. quòd hoc idem in nullo b. est. Si igitur taliter se habentibus terminis accipiatur c. medium in toto quidem a. non esse, sic, nullum a. est c. & accipiatur in toto b. esse, sic, omne b. est c. concludetur, quòd nullum b. est a. & erit quæ est a. c. maior propositio vera: alia autem quæ est b. c. minor propositio, erit falsa. Termini autem iidem sunt qui proximè superius suppositi sunt, sic, nulla substantia est quantitas; omne susceptibile contrariorum est quantitas: ergo nullum susceptibile contrariorum est substantia.

CAPVT IV.

Qualiter fit ignorantiæ syllogismus in propositionibus mediatis.

Dicto autem de syllogismo ignorantiæ qui peccat contra syllogismum scientiæ circa immediatas affirmatiuas & negatiuas, nunc tractandum est qualiter fiat ignorantiæ syllogismus contra syllogismum scientiæ qui sit circa propositiones mediatas tam affirmatiuam quam negatiuam. Et primò ostendamus qualiter fit contra affirmatiuam vniuersalem quæ est conclusio syllogismi scientiæ: quia contra illam est syllogismus ignorantiæ concludens negatiuam. Et posteà qualiter fit contra syllogismum scientiæ concludentem vniuersalem negatiuam. Contra illum enim est syllogismus ignorantiæ concludens vniuersalem affirmatiuam. Sic enim directo ordine refertur syllogismus ignorantiæ ad syllogismum scientiæ, vt sicut demonstratio affirmatiua est ante negatiuam, ita syllogismus ignorantiæ negatiuus (qui est contra affirmatiuam demonstrationem) sit ante syllogismum ignorantiæ affirmatiuum, qui est contra syllogismum scientiæ negatiuum.

In his autem quæ non sunt indiuiduæ, &c.

Dicamus igitur, quòd in his conclusionibus syllogismorum scientiæ quæ non sunt indiuiduæ (hoc est, immediatæ) sed mediatæ hoc est, aliquo medio conclusæ affirmatiuè vel negatiuè vniuersaliter: tales vel sunt vt affirmatiuæ, vel non sunt vt negatiuæ: tunc quidem quando per proprium medium syllogismi scientiæ fiat falsitatis siue concludens falsitatem syllogismus, non est possibile falsas esse vtrasque propositiones præmissas, sed solum illam propositionem possibile est esse falsam quæ est secundum situm subiecti sui (quod est medium) ante illud vltimum, hoc est, ante extremum quod est maius: in illa enim prædicatur maior extremitas, & medium in situ partium propositionis est ante ipsum, sicut subiectum ante prædicatum. Vnde si syllogismus ignorantiæ fiat per idem medium quod demonstrationis (in syllogismo scientiæ) est proprium, oportet semper minorem esse veram: maior autem potest esse falsa. Dico autem medium proprium per quod fit contradictionis

tradictionis syllogismus: si enim syllogismus ignorantiæ contradicere debeat syllogismo scientiæ, oportet quòd vterque in eisdem terminis fiat. Termini autem secundum dispositionem primæ figuræ sunt, quòd minor in toto sit medio in affirmatiuis: & cum minor in prima figura sit affirmatiua, nec potest esse negatiua, semper erit vera & mutari non poterit. Ignorantiæ autem syllogismus concludit fallum: & hoc non sequitur nisi ex falso. Oportet ergo in tali dispositione maiorem esse falsam. Huius autem exemplum in terminis generalibus est, quod ponatur conclusio demonstratiua per syllogismum scientiæ esse vniuersalis affirmatiua, scilicet omne b. a. ita quod a. sit in b. in toto, & sit conclusa per c. medium: si enim a. erit in b. per medium, c. quoniam in prima figura necesse est propositionem minorem quæ est b. c. esse affirmatiuam, eò quod aliter non valet consequentia syllogismi, oportet quòd in syllogismo ignorantiæ maneat minor affirmatiua, quæ eadem minor fuit in syllogismo scientiæ: manifestum est ergo, quòd hæc minor semper erit vera in syllogismo ignorantiæ, sicut fuit in syllogismo scientiæ: semper enim vera propositio est in qua totum vniuersale de parte sua subiectiua prædicatur: hæc enim minor propositio non conuertitur in contrariam in syllogismo ignorantiæ, sed accipitur semper affirmatiua, sicut fuit in syllogismo scientiæ: sed illa maior propositio quæ est a.c. potest esse falsa in syllogismo ignorantiæ: eò quod hæc conuersa in contrarium, contrario (hoc est, ad contrarium conclusionis syllogismi scientiæ) fiet ignorantiæ syllogismus: sic enim syllogizabitur in syllogismo scientiæ: omne c. est a. omne b. c. ergo omne b. a. Termini autem in materia speciali in quibus hoc apparet, sunt continuè ordinati adinuicem in aliquo genere sic in syllogismo scientiæ: omne corpus est substantia: omne animatum est corpus: ergo omne animatum est substantia. In syllogismo ignorantiæ sic: nullum corpus est substantia: omne animatum est corpus: ergo nullum animatum est substantia. Sic ergo fit syllogismus ignorantiæ per proprium medium quod quidem proprium medium est demonstratiuum: quia aliter non esset proprium nisi esset eiusdem coordinationis cum extremis quæ demonstrantur sibi inesse, ita quod maior probetur inesse minori.

Similiter autem si ex alia coordinatione, &c.

Similiter autem est in hoc (scilicet quod maior erit falsa, & minor vera) & si ex alia coordinatione (quæ non sit in linea vna cum extremis) accipiatur medium per quod vnum maius extremum probetur inesse minori: & hoc est medium syllogisticum & non demonstratiuum. Vt gratia exempli, alterius coordinationis sit d. ita tamen quòd id d. medium in toto sit a. & b. minus extremum in toto sit d. ita quod d. de omni b. prædicetur: quia aliter non posset concludere vniuersalem affirmatiuam, contra quam fit ignorantiæ syllogismus. In tali enim dispositione medij necesse iterum eandem propositionem minorem manere, & non conuerti in contrariam propter primæ figuræ consequentiam: alteram autem propositionem (quæ maior est) quæ est d. a. necesse est conuerti in contrariam in syllogismo ignorantiæ: propter quod hæc quidem quæ est minor secundum dispositionem primæ figuræ, semper erit vera: illa autem quæ maior est (conuersa in contrariam in ignorantiæ syllogismo) semper erit falsa: eò quod contraria est vera in syllogismo scientiæ: contrariæ autem non possunt esse simul veræ. Et huiusmodi quidem deceptio & causa ignorantiæ ferè est eadem ei quæ dicta est fieri per proprium medium. Non enim differt ab ea nisi quod in illa est proprium medium. Proprium dico demonstratiuum: hic autem non proprium, sed dialecticum siue syllogisticum. Termini in materia speciali sunt in syllogismo scientiæ quicunque ordinati sunt eiusdem coordinationis quantum ad extrema cum aliquo alterius coordinationis, cui vniuersaliter insit maius & ipsum minori, sic, omne coloratum substantia: omnis homo coloratus: ergo omnis homo substantia: tunc enim erit syllogismus ignorantiæ, sic, nullum coloratum substantia: omnis homo coloratus: ergo nullus homo substantia.

Si verò non per proprium medium, &c.

Si verò non per proprium medium fiat syllogismus ignorantiæ. Et voco proprium medium demonstrationis scientiæ per quod scilicet in eisdem terminis potest demonstrari conclusio vera ex veris propositionibus. Ex oppositio dicitur medium non proprium, per quod hoc fieri non potest, hoc est, per quod in eisdem terminis ex veris propositionibus conclusio vera demonstrari non potest. Si ergo per tale medium non proprium fiat syllogismus, quando quidem sub maiori extremitate sit medium illud non proprium, sicut sub ambitu prædicationis, ita quod a. sit in toto illo medio, & in nullo sit b. minore extremitate: tunc necesse est vtrasque propositiones præmissas falsas esse: & hoc ideò est: quia in ignorantiæ syllogismo propositiones recipiendæ sunt contrario modo, quam se habeant in syllogismo scientiæ, ita quod conuertantur in contrarias si debet fieri ignorantiæ syllogismus. Sic autem acceptis propositionibus vtræque sunt falsæ. Cuius quidem exemplum in terminis generalibus est vt si a. quidem secundum veritatem in toto est d. medio, ita quod omne d. est a. d. autem medium in nullo est b. minore extremitate: tunc enim conuersis in suas contrarias propositionibus, ignorantiæ syllogismus quidem erit, & propositiones vtræque erunt falsæ: sic enim accipientur, quod scilicet a. nulli insit b. & d. insit omni b. sic, nullum d. a. omne b. d. ergo nullum b. a. Termini autem speciales in quibus hoc apparet, sunt duo eiusdem coordinationis sibiinuicem ordinata, & his adiungatur tertium quod sub superiori contineatur & non contineat inferius, sic, nullus lapis est substantia: omnis homo est lapis: ergo nullus homo est substantia.

Quum verò non sit sub a. medium, &c.

Fit etiam ignorantiæ syllogismus ex altera falsa contra vniuersalem affirmatiuam conclusa per scientiæ syllogismum. Hoc autem fit cum medium non proprium non est sumptum sub maiori extremitate, & totum non est sup: r minorem extremitatem: sicut cum d. non proprium

prium medium non sit sub a. maiori extremitate: tunc enim a. d. maior propositio erit vera: quia illa erit negatiua, & signat a. remotum ab ipso d. quod non est sub ipso. Alia autem minor propositio quæ est d. b. erit falsa. Et huius ratio est: quia propositio maior quæ quidem erat a. d. vera est, eò quod d. non erat in a. & hoc significat negatiua propositio. Quæ verò d. b. minor est falsa: quia si illa esset vera, quum etiam maior sit vera, tunc sequeretur, quòd in syllogismo ignorantiæ conclusio esset vera, quod esse non potest: quia sic non esset syllogismus ignorantiæ. Et hoc est notandum, quòd non potest fieri iste syllogismus per medium huiusmodi quod est non proprium minore existente vera & maiore falsa: eo quod si maior esset falsa in toto & negatiua, affirmatiua ei contraria esset vera, quod est a. d. sic, omne d. est a. & minor quæ est, omne b. d. ergo ad minus posset fieri huiusmodi syllogismus per medium verum & proprium concludens a. inesse b. & sic non fieret per medium non proprium, sed per proprium. Verumtamen potest iste syllogismus fieri ex maiore partim falsa & minore vera, sic, nulla substantia est corpus: omnis homo est substantia: ergo nullus homo est corpus.

CAPVT V.

Qualiter fit syllogismus ignorantiæ in secunda figura contra vniuersalem affirmatiuam.

Sed per media figuram facta deceptione, &c.

SEd per mediam figuram (quæ in primis duobus modis concludit vniuersalem negatiuam contrariam vniuersali affirmatiuæ quam concludit syllogismus scientiæ) si fiat deceptio, hoc est, deceptorius siue ignorantiæ syllogismus, non contingit vtrasque propositiones præmissas in toto falsas esse: & hoc quidem constat per idem quod & superius dictum est, vbi ostendimus qualiter fit ignorantiæ syllogismus ex immediatis: cum enim b. minor extremitas sit accepta sub a. maiore extremitate, sicut concludit syllogismus scientiæ, omne b. esse a, taliter se habentibus extremitatibus adinuicem nihil contingit accipere pro medio, quod in hoc extremo omni sit: in illo autem altero extremo sit nullo modo, sicut in antehabitis dictum est: hoc enim in antehabitis planè probatum est: & ideò hoc leuiter dictum sufficit: quia per omnia hîc & ibi similis & eadem est ratio. Tamen bene fit ignorantiæ syllogismus in secunda figura ex vtrisque falsis in parte. Verbi gratia, omnis substantia est animal: nullum corpus animatum est animal: ergo nullum corpus animatum est substantia. Sed & hoc in antehabitis sufficienter ostensum est: & ideò sufficit hoc hic breuiter tangere.

Altera verò potest esse & quæcunque contingit, &c.

Doceamus ergo qualiter fit syllogismus ignorantiæ in secunda figura ex altera falsa: & primo in secundo modo secundæ figuræ, & postea qualiter fit in primo. Dicamus igitur, quòd altera propositione falsa potest esse ignorantiæ syllogismus in secundo secundæ: & hoc quæcunque contingit siue maiore siue minore: si enim c. medium & in a. maiori extremitate est, & etiam idem c. in b. minore extremitate secundum veritatem, ita quod de vtraque extremitate prædicetur vniuersaliter & affirmatiuè, sicut prætendit syllogismus scientiæ concludens omne b. esse a. si capiatur deceptiuè, & c. medium in a. quidem esse vniuersaliter & affirmatiuè, & accipiatur in b. minore extremitate non esse vniuersaliter & negatiuè, sic, omne a. est c. nullum b. c. tunc propositio maior quæ quidem est a. c. erit vera: quia c. prædicatur de eo quod subest ei: altera autem (quæ est minor propositio vniuersalis negatiua) erit falsa: quia in ea negatur superius de inferiori. Termini autem dictæ coniugationis sunt, omne animal est substantia: nullus homo est substantia: ergo nullus homo animal. Et est attendendum, quòd in hoc eodem modo secundæ figuræ potest fieri iste ignorantiæ syllogismus è conuerso, scilicet ex maiore falsa & minore vera: quod quia ex præhabitis manifestum est, ideò non oportet hic circa hoc intendere.

Iterum si in b. quidem accipiatur c. esse, &c.

In primo autem secundæ fit ex maiore falsa & minori vera, iterum ignorantiæ syllogismus, si medium accipiatur inesse b. cum in a. nullo idem c. accipiatur inesse: tunc enim superiori hypothesi seruata minor propositio quæ est b. c. vera erit: altera autem maior quæ est a. c. erit falsa. Et hoc patet per terminos proximos antepositos, sic, nullum animal substantia: omnis homo substantia: ergo nullus homo est animal. Similiter autem intelligendum & hic fieri syllogismum è conuerso ex maiori vera & minori falsa. Sed circa hoc studere non oportet: quia sæpè iam dictum est.

Si quidem igitur priuatiuus deceptionis sit, &c. *Remouet dubium.*

Siquidem igitur priuatiuus deceptionis siue ignorantiæ fit syllogismus in secunda figura, dictum est à nobis, & quoniam, & per quæ siue per quales propositiones fit deceptio. Non proceditur autem in hac figura diuidendo per proprium & non proprium medium, sicut factum est in præcedentibus: quia quæ hîc est affirmatiua, est minor in prima figura: & quæ negatiua, in eadem prima figura fit maior: & ideò eædem regulæ (quæ dictæ prima in figura fuerunt de maiore) sunt hic obseruandæ de negatiua: & quæ ibi dictæ sunt de minori, sunt hîc obseruandæ de affirmatiua. Et hæc plana sunt ei qui collationem facit de figura ad figuram: & ideò in secunda figura existente falsa distinguendum est: aut enim fit per medium proprium, & tunc solum negatiua potest esse falsa: & eodem modo distinguendum est quando altera tantum est falsa, sicut satis distinguendo dictum est in prima figura.

CAPVT

CAPVT VI.

Qualiter fit ignorantiæ syllogismus in prima figura concludens affirmatiuam immediatam.

IGnorantiæ autem syllogismus concludens affirmatiuam mediatam quæ contraria est negatiuæ conclusæ in scientiæ syllogismo fit quidem in prima figura per medium proprium, & per medium non proprium: & quando fit per medium proprium, dupliciter fit, scilicet per medium proprium eiusdem coordinationis, & fit per medium proprium non eiusdem coordinationis.

Si verò sit affirmatiuus, &c.

Quando igitur fit per medium eiusdem coordinationis: tunc impossibile est vtrasque præmissas esse falsas: sed maior tantum in syllogismo ignorantiæ erit falsa: quia illa potest mutari secundum oppositas qualitates: sed minorem propositionem quæ est b. c. necesse est manere in eadem qualitate: quia minor in prima figura semper est affirmatiua: siquidem fiat à prima figura, sicut dictum est in præhabitis: propter quæ necesse maiorem propositionem quæ est a. c. semper esse falsam: hæc enim sola in prima figura conuersa est ad oppositam qualitatem: maior enim syllogismi demonstratiui quæ est negatiua & vera in syllogismo scientiæ, transmutatur in contrariam in syllogismo ignorantiæ. Cuius exemplum est, quòd syllogismus scientiæ demonstratiuus fit sic, nullum sensibile est incorporeum: omne rationale mortale est sensibile: ergo nullum rationale mortale est incorporeum. Syllogismus autem deceptionis formatur sic: omne sensibile est incorporeum: omne rationale mortale est sensibile: omne ergo rationale mortale est incorporeum.

Similiter autem est & si ex alia coordinatione accipiatur.

Similiter autem est deceptio eodem modo si ex alia coordinatione accipiatur medium proprium, sicut dictum est in illa quæ est priuatiua deceptio. Cuius exemplum est: omnis color est albus: omnis albedo color: ergo omnis albedo est alba. Si enim istæ propositiones in contrarias transmutantur, erit syllogismus scientiæ: semper enim necesse est manere propositionem minorem quæ est b. d. siue sit medium proprium in eadem coordinatione, siue sit ex alia: propositionem autem maiorem (in medio proprio quod ex alia coordinatione assumptum est quæ est a. d.) necesse conuerti secundum oppositas qualitates in ignorantiæ syllogismo: vnde hæc deceptio eadem & syllogismus est priori.

Quum verò sit non per proprium, &c.

Cum verò sit deceptionis syllogismus per medium non proprium, potest fieri pluribus modis. Potest enim fieri ex vtrisque falsis, & potest fieri ex altera falsa: & hac qualibet contingente, maiore scilicet falsa & minore vera, vel è conuerso minore falsa & maiore vera. Ex maiori quidem vera & minori falsa, siquidem d. medium non proprium sit sub a. maiori acceptum extremitate: tunc enim quæ est maior, est vera, altera autem erit falsa quæ est minor: quia tunc d. medium non est supra b. eò quod a. maior extremitas potest esse in pluribus quæ non sunt subinuicem. Termini autem in quibus hoc apparet, sunt: omne corpus est substantia, omnis quantitas est corpus: ergo omnis quantitas est substantia. Sumptis autem minore & conclusione contrariè, erit conclusio vera in eisdem terminis, licet maior sit falsa & minor vera, sic, omne corpus substantia: nulla quantitas corpus: ergo nulla quantitas substantia.

Si verò non sit d. sub a.

Si verò d. non proprium medium non sit sub a. sumptum: sed sit in b. tunc manifestum est, quòd hæc quæ est maior affirmatiua & vniuersalis, erit falsa: minor autem erit vera: affirmatiua enim accipitur maior, & ideo falsa: quia affirmatur prædicatum de subiecto quod non est in eo: eam enim propositionem quæ est b. d. quæ est minor, contingit & falsam esse & veram: nihil enim prohibet a. quidem maiorem extremitatem in d. medio non proprio nullo esse, & tunc maior est falsa. d. autem medium esse in omni b. minori extremitate, & tunc minor est vera. Sint termini, animal, scientia, musica, sic, omnis scientia est animal: omnis musica est scientia: ergo omnis musica est animal. Si autem conuertantur maior & conclusio in contrarias, sequitur conclusio syllogisticè, sic, nulla scientia est animal: omnis musica scientia: ergo nulla musica est animal. Et sic exemplum patet esse improprium: quia fit per medium proprium, cum per improprium fieri deberet: sed de exemplo non est curandum. Possunt tamen termini satis congruè accipi sic maiore in parte existente falsa: omnis substantia est lapis: omne animal est substantia: ergo omne animal lapis.

Non autem iterum nihil prohibet a. esse in nullo d. &c.

Non autem iterum nihil prohibet (dicit Aristot.) & altera negatio superfluit: & est ac si dicat, nihil prohibet a. esse in nullo d. hoc est, a. in nullo d. esse: altera enim negatio superfluit, & d. esse in nullo b. & tunc ambæ præmissæ affirmatiuæ & vniuersales acceptæ erunt falsæ, ex quibus vniuersalem affirmatiuam concludens erit ignorantiæ syllogismus, sic, omnis linea est substantia: omnis altitudo est linea: ergo omnis altitudo est substantia. Manifestum est igitur, quoniam cum non sit medium sub a. & vtræque propositiones possunt esse falsæ, & altera quæcunque contingit in ignorantiæ syllogismo.

Quot quidem igitur modis & per quæ siue per quas propositiones & terminos possunt fieri secundum ignorantiæ syllogismum deceptiones, & in his propositionibus quæ sunt sine medio siue immediatæ, & in his quæ sunt mediatæ (per medium demonstrationis conclusæ) iam satis dictum est.

CAPVT VII.

De causis ignorantiæ secundum negationem dictæ.

Ignorantia negationis contradictoriè opponitur scientiæ.

POstquam iam de causis ignorantiæ quæ secundum prauam dispositionem (quantum ad

ad præsentem sufficit intentionem) satis dictum est, relinquitur nunc causas ignorantiæ secundum negationem dictæ determinare, quæ negatiuè secundum contradictionem opponitur scientiæ. Huius autem causa esse non potest nisi defectus eius virtutis per quam prima est acceptio scibilis. Si tamen supponatur, quòd scibile in homine accipitur, & non per naturam quæ est intra nos, vt dixerunt Socrat. & Plato, & omnes Stoici, & Epicurei: sed de hoc disputare non est præsentis intentionis. Sed Peripateticos hic supponentes ponimus scientiam scibilium non inesse in nobis nisi per acceptionem: tunc enim relinquitur, quòd deficiente prima virtute acceptiua, deficiet in nobis scientia non secundum prauam dispositionem, eò quod ignorantia prauæ dispositionis est in his quæ prauè accepta sunt, & ideo non est sine omni acceptione: sed hæc ignorantia erit secundum negationem, eò quod talis nihil accipit, neque prauè, neque bene disponitur ad scibilia. Prima autem virtus scibilium acceptiua est sensus: & scientiam taliter scibilium perficit intellectus ad sensum reflexus.

Socrat. Plato & omnes Stoici, ac Epicurei dixerunt, quòd nostrum scire est per naturam quæ est intra nos.

Manifestum autem est, & si aliquis sensus deficeret, &c.

Et ex hoc manifestum est, quòd si aliquis deficeret sensus, necesse est & scientiam aliquam deficere: deficit enim scientia illius scibilis, quod accipiendum erat ex intellectu ad illum sensum reflexo. Dico autem sensum deficere quando in totum deficit & per naturam, sicut in cæco nato deficit visus, eò quod nunquam habuit visum. Si enim habitum perdidisset, per præteritam acceptionem scientiam haberet illius sensibilis quod in præterito per sensum (quem perdidit) accepit. Causa autem quare deficit scientia sensu acceptiuo scibilium deficiente, est: quia impossibile est accipere scibile deficiente sensu, hoc supposito quod Peripatetici dicunt, quòd scilicet si verè addiscimus non scita prius, & dicimus ea aut per inductionem sensibilium accipiendo vniuersale, aut per demonstrationem factam ex eo vniuersali quod per inductionem acceptum est, sicut ait Ptolemæus recte dicens, quòd experientia artem & scientiam fecit, inexperientia autem casum: quia omnis actio eius qui per experientiam non didicit, casualis est, eò quod non habet habitum regatiuum operationum. Inductio enim est ex his quæ sunt secundum partem, hoc est, particularia & singularia. Impossibile est autem vniuersalia speculari ex quibus est ars & scientia, & non per inductionem.

Quid per sensum deficere intelligat Aristo.

Quoniam & quæ ex abstractione dicuntur, &c.

Et si aliquis cauillator insistet dicens, quòd speculamur mathematica quæ sunt separata: & si sunt separata, non possunt esse singularia, & ita non per inductionem scita. Dicimus ad hoc, quòd mathematica secundum esse sunt singularia, quamuis per rationem diffinitiuam sint separata & abstracta: & ideo prima acceptio mathematicorum est per sensum, & sensus per inductionem talia nota facit: & hoc est quod in vnoquoque genere prædicamentorum sunt quædam in singularibus (secundum quòd vnumquodque eorum accipitur secundum esse quod non habet nisi in singularibus) accepto tali per sensum, reflexus ad sensum intellectus acceptum considerat & pertractat & percipit: quia quamuis hoc quod accepit sensus, sit in sensibili confusum & mixtum, non tamen trahit substantiam & rationem à sensibili: quia in hoc sensibili & illo est vnius rationis: & sic concipitur de illo, quòd sit secundum substantiam & rationem mathematicum vel diuinum: sic enim accipiuntur mathematica & diuina. Patet igitur, quòd prima acceptio talium est per sensum, & sine sensu non est acceptio eorum: eos enim quæ sunt non habentes sensum, impossibile est inducere per sensibilia: eò quod sensus est singularium secundum hoc quod singularia sunt, hac materia & hoc accidente proprio ad singularitatem deducta. Si enim contingat sensu ipsorum singularium vel vniuersalium accipere scientiam, hoc ideò est: quia id quod est potentia, non efficitur in actu nisi per id quod est in actu: vniuersale autem secundum id quod est, non est in actu secundum id quod est nisi in sensibili: & ideò non facit intellectum in actu nisi acceptum de sensibili: sicut figura accepta de sigillo siue metallo facit in actu ceram sigillatam, & non faceret ceram in actu nisi in metallo esset in actu: hoc enim simile licet ponatur in sensu, tamen etiam verum est, & in omni virtute animæ quæ acceptiua est formæ. Vnde sine sensu non est accipere scibilium scientiam: scientia enim non fit ex vniuersalibus sine inductione ex sensibilibus eliciente vniuersale, neque fit acceptio vniuersalis per inductionem sine sensu.

Scias autem, quòd ex principiis istius scientiæ logicæ non potest demonstrari natura intellectus humani, & causa propter quam non accepit vniuersale nisi ex sensibili: sed hoc ex principiis primæ philosophiæ accipi oportet: & de hoc hic non est quærendum: sed supponendum est, quod sic sit. In communi autem sciendum, quòd intellectus hominis, quia non est nisi in sensitiuo & vegetatiuo, & ex illis actu intelligentiæ eductus ad hoc quod intellectus sit, & non intelligentia, & est in illis, sicut actus in potentia est: secundum esse & non secundum substantiam & rationem, sicut trigonum est in tetragono, & est ex illis sicut trigonum ex tetragono: propter quod omnis humanus intellectus est coniunctus continuo & tempori, & ex coniunctione cum continuo accipit sensu communi ea quæ eliciuntur ex sensibilibus compositis & diuisis: ex coniunctione autem cum tempore siue temporali non potest accipere nisi à sensu & ad sensum reflexus: quia insensibile secundum esse & actum est proprium obiectum intellectus quod est vniuersale: quia illud prout est lumen intelligentiæ agens ad esse formale sensibilia, agit ad intellectum prout est in actu intelligentiæ, sicut color agit in visum prout ipse color est in actu lucidi: & ideò oportet ipsum ad sensibilia reflecti vt scibile accipiat: propter quod etiam sensibile quod perficit intellectum, non est sensibile per accidens, sicut quod hoc album est hic homo vel hoc coloratum: hoc enim sensibile non accipit sensus nisi per reflexionem superioris

potentiæ in sensum, quæ quidem in simplicibus intellectus est. In his autem quæ cum sensibus communicata sunt, est illa quæ vocatur æstimativa, qua ovis visto lupo in colore & figura adhuc non accepto esse inimicum & fugit. Alia autem quæ de causis eorum quæ dicta sunt, quærenda sunt, hic demonstrari non possunt.

CAPVT VIII.

De suppositionibus duabus quæ exiguntur ad destructionem causæ ignorantiæ apparentis & non verè existentis.

Hanc continuationem ponit etiam Lincolniensis licet Aristotelis Græcus alio modo dicant.

CAusa autem apparens ignorantiæ & non existens quam quidam ponebant, est infinitas in mediis & extremis ita ex quibus accipiuntur terminis demonstrationis: & ideo oportet nos hanc causam apparentem destruere, vt verè ostendatur, quod scientia effectus est demonstrationis. Ad hoc autem oportet nos præmittere suppositiones ex quibus hoc poterit ostendi, quæ sunt duæ.

Est autem omnis syllogismus per tres terminos, &c.

Dicimus igitur, quod ex prioribus analyticis supponendum est, quod omnis syllogismus est per tres terminos: & hoc quidem (licet in quibusdam determinatum sit) tamen facile est hic demonstrare & possibile: quoniam quidem in conclusione a. maior extremitas est in c. minori extremitate propter id quod a. est in b. sicut in medio, & b. est in c. sicut medium in extremo. Hæc ergo est suppositio vna. Secunda autem est, quòd syllogismus priuatiuus est omnis alteram habens priuatiuam & alteram affirmatiuam. Affirmatiua quidem est, quæ dicit, quoniam est alterum extremorum in altero, quod est medium. Manifestum autem, quòd hæ duæ suppositiones principia sunt ad demonstrandum, quæ oportet supponere si debeat esse demonstratio. Cum enim quemliber accipientem quæ dicta sunt pro principiis accipere contingat, est demonstrare tam conclusionem principalis syllogismi quàm præmissa in prosyllogismis, vt scilicet a. (quod est nota conclusionis principalis) sit probata per b. medium, & quod in tali syllogismo erit a. b. maior, propositio: tunc in prosyllogismo iterum probabitur a. esse in b. per aliud medium per quod concluditur maior propositio: & si deberet probari minor principalis syllogismi, quod scilicet b. sit in c. probabitur per aliud medium quod inter subiectum & prædicatum minoris propositionis accipitur. Et sic semper omnis syllogismus necessario habet tres terminos siue sit dialecticus siue demonstrativus.

Secundum ergo opinionem syllogizantibus, &c.

Sed differentia est in syllogismo dialectico & demonstrativo, quòd quidem secundum opinionem in probabilibus syllogizantibus & solum dialecticè, manifestum est, quòd intendendum sit in terminis & propositionibus verisimilibus, si verisimilis fiat syllogismus & ex verisimilibus: quamuis fortè vera non sint, dummodo verisimilia propter quid: *Ex quo sequitur, quòd sæpe aliquem syllogismum esse demonstrativum* & si fortè est aliquod medium in veritate siue ex necessitate & demonstrativè quòd sit necessarium medium propositionis a.b. (hoc est, per quod propositio a. b. concludi possit ex necessitate) & tamen non videtur syllogizanti illud esse medium ex necessitate, sed videtur sibi verisimile, & non necessarium, syllogismus per tale medium syllogizatus (quoad syllogizantem) syllogizatus est non demonstrativè, sed dialecticè: ad veritatem autem rei & necessitatem oportet syllogizantem intendere ex his quæ sunt secundum rem esse vera, & non tantum secundum opinionem vel probabilitatem apparentem. Demonstratio enim sic se habet, sicut se habet res in ipsa veritate. *stratiuum in se licet quoad syllogizantem sit dialecticus.*

Quoniam autem est quod ipsum quidem, &c. *album prædicatur de homine secundum se, non tamen sui igitur hominis secundum se,*

Sed adhuc prænotandum est, quòd duo sunt modi prædicandi: quoniam est aliquod prædicatum quod ipsum secundum seipsum & de natura sui de alio dicitur, & quod in se & secundum sui esse non potest secundum accidens habere hoc, sed secundum se: & quia sua talis est natura, quòd oportet ipsum esse in alio, sicut est accidens quod semper est in alio. Dico autem hoc explanando vt sicut aliquod album dicimus esse hominem: quia inest homini non propter aliud aliquid, sed secundum seipsum. Et ideò non similiter dicimus album esse hominem, & hominem album: homo enim est albus sic quod tunc dicitur albus cum non sit alterum aliquid per quod accidat ei album esse, sed album secundum se inest homini. Dicimus autem album esse hominem, non quod homo secundum se insit albo, sed quia album accidit alicui quod est homo, & accidit ei albi natura siue essentia albedinis. Sunt igitur in prædicatis quædam prædicata huiusmodi, quæ hoc modo secundum se prædicantur, quamuis prædicantur per se in primo modo dicendi per se vel in secundo. Similiter autem est de subiectis, quod quædam sunt quæ secundum se subiiciuntur, vt prima substantia: quædam autem non secundum se, vt adiectiua, vt cum dicimus, musicum est album. Hæc autem ideo distinximus, vt secundum se subiecta & prædicata accipiantur, hæc enim finita esse probantur: prædicata autem non secundum se vel subiecta dimittantur, quia illa sunt quodammodo infinita. Infinita verò sunt, quæ accidere possunt vni & eidem. *Ex quibus sequitur, quòd nulla prædicatio secundum accidens vel innaturalis potest esse per se, contra modernos dicentes ipsas esse per se & consimiles, animal est homo risibile est homo, &c. Prædicata enim secundum accidens sunt infinita: prædicata verò per se sunt finita.*

CAPVT IX.

De quæstionibus an sit stare in extremis & mediis, ita quod non procedant in infinitum.

Prima quæstio.

His igitur prælibatis quærimus tres quæstiones de extremis & mediis. Et prima quidem est de extremo in sursum ascendendo sic: sit enim c. infimum quod ipsum quidem secundum seipsum non sit in alio vt sibi subiecto, sed in hoc quod est c. infimum & omnibus subiectum, sit b. prædicatum quod est supra ipsum, ita quod sit b. in c. primo, hoc est, immediatè. ita quod non sit aliud medium inter *Sit igitur c. huiusmodi quidem quod ipsum &c.*

inter c. & b. per quod b. insit c. iterum in b. quod est prædicatum immediatè supra c. sit a. similiter, ita quòd non sit aliud medium inter a. & b. Quæro igitur, nunquid hic in tali ascensu ab infimo vsque ad summum ascendendo necesse est stare in aliquo summo, aut contingat sic ascendendo in infinitum abire, eò quod talis ascensus quamuis habeat infimum à quo incipit, tamen summum non habet in quo desinit?

Secundo. Et iterum si de a. quidem in hit prædicatur per se, &c.

Et iterum secundo quæro de extremis, scilicet in descensu a. quidem ponatur esse summum, ita quod nihil supra ipsum sit quod in eadem coordinatione positum possit de a. vniuersaliter dici siue prædicari. a. autem sit in c. sibi supposito immediatè, ita quòd c. medium in nullo sit priori & primo quam in a. ita quod in a. sit status in summo, sed c. sit in i. quod est sub c. & i. sit in b. sibi immediatè supposito. Quæro igitur, nunquid & hic taliter descendentem, stare aliquando necesse est in aliquo infimo, quo inferius nihil est accipere in eadem coordinatione, aut etiam hic sic descendendo contingat in infinitum abire, eò quod nullum sit vltimum in quo stet descensus in illa coordinatione? Differt autem iste processus à priori, & ista secunda quæstio differt à priori: quoniam quærere hoc siue istud primum, est quærere, vtrum quid incepturum ab huiusmodi infimo (quale dictum est ante scilicet quod in nullo est inferiori altero, sed aliud superius eo est in illo sicut prædicatum in subiecto) in sursum ascendendo in infinitum contingat abire sic ascendendo? Alterum autem siue secundum quod quæritur est vtrum aliquem incepturum ab huiusmodi summo quod ipsum quidem prædicatur de alio, sed de illo nihil prædicatur in eadem coordinatione prædicabilium (eò quod summum est in illa coordinatione) sit in deorsum intendere descendendo status, vel si contingit sic descendendo in infinitum abire?

Tertia. Amplius autem media vtrum quid, &c.

Amplius autem tertio quæro, cum inter summum & infimum sint multa media si (determinaris & definitis terminis in sursum & deorsum) contingit media quæ sunt inter hæc infinitare, hoc est, infinita esse. Dico autem hoc explanando, vt si a. summum sit in c. infimo per medium quod inter ea est, & sit illud medium b. & sit iterum aliud medium ab a. & b. per quod b. insit c. & horum duorum mediorum sint sic altera & altera. Quæro igitur, nunquid & hic accipiendo semper altera & altera contingit in infinitum abire, aut est hoc impossibile si contingit stare in mediis finitis?

Est autem hoc intendere, &c.

Quòd autem istæ quæstiones ad propositum faciant, ex hoc patet, quòd hoc intendere est intendere si demonstrationes veniant in infinitum: & hoc est intendere si demonstratio est omnis rei vel non; & si demonstratio circulariter adinuicem includatur, ita quod demonstrans demonstretur per demonstratum.

Remouet dubium.

Similiter autem est in negatiuis propositionibus & syllogismis quantum ad tertiam quæstionem quæ est de mediis. Quia quantum ad extrema est dissimile: extrema enim à superiori descendendo non negantur, sed prædicantur de inferioribus: & ideò non quæritur, an extrema in negatiuis sint infinita: sed quæritur, an media infinita sint? vt si dicam, quòd a. ineſt omni b. & iterum a. sit in alio priori, vt si hoc sit c. quod sit in omni i. quia sicut est in affirmatiuis, quod id, secundum se ineſt, quod non ineſt per aliud medium: ita est quod id secundum se negatur, quod non habet aliud superius propter quod negetur de alio. Sicut si dicam, quòd homo non est linea, quia linea non est animal: & non est animal, quia non est animatum: & non est animatum, quia non est substantia. Et namque in his quæritur, vtrum infinita sunt in quibus sic non ineſt inferiori, quia negatur à superiori: aut statur in aliquo à quo sicut supremo immediatè negatur & gratia sui ipsius, ita quod non per aliud à quo sicut priori negetur: Vnde quidam libri habent sic, Et si a. non ineſt in b. nulli autem primo: aut erit aliquid infra cui priori non ineſt, vt si est proprium c. quòd in b. est omni, & iterum hoc in alio etiam priori, vt si c. est quod est in omni i. & namque aut infinita sunt quibus non ineſt prioribus, aut statur? Et hæc litera melior est, & est translatio Ioannis à Græco facta, sicut translatio Boëtij. *Alia litera quæ est translationis Ioannis.*

Sed in conuertibilibus non sic se habet, &c.

Sed in conuertibilibus terminis non similiter se habet quoad has tres quæstiones quæ dictæ sunt. In his enim quæ æquè de seinuicem prædicantur, quærere non est de quo aliquid prædicatur primo & de quo prædicatur vltimo: omnia enim conuertibilia ad omnia siue ad seinuicem sic, hoc est, in modo prædicandi, similiter se habent, quod prædicantur de seinuicem æquè primò & æquè vltimò: & si sunt talia infinita quæ de ipso aliquo prædicantia sunt conuertibiliter, & si sunt infinita sic conuertibiliter de seinuicem prædicata: tunc sunt infinita in vtraque tam ascendendo, quam descendendo: quia vnumquodque & subiicitur alteri, & prædicatur de altero.

Obiectio.

Nisi quis cauillator dicat, quòd non similiter ista conuertibilia conuertuntur, & sic vnum non stat ad alterum. Sed hoc non est verum in conuertibilibus: quia vnum illorum est sicut accidens, quod est passio quod secundum se prædicatum est de alio: aliud verò quod est subiectum, non est prædicatum nisi secundum accidens: quia de passione prædicatur gratia suppositi quod est in passione. Posset tamen dici, quòd licet cauillando aliquis diceret, quòd prædicatio conuertibilium abiret in infinitum, non tamen in ascendendo vel descendendo: eò quod omnia similiter se habent adinuicem, & nullum supereminet alteri: neque etiam sunt infinita eo modo quo accipitur ista prædicatio: quia infinita per se esse non possunt accidentia eiusdem subiecti. Et si conuerteretur, ita quod subiectum prædicetur de accidenti, iam est prædicatio per accidens, de qua prædicatione non est hic loquendum: & hæc videtur esse intentio Philosophi. *Solutio.*

CAPVT X.

De solutione tertiæ quæstionis, an media sint infinita tam in affirmatiuis quam in negatiuis.

Eadem aliter continuat hanc partem: sic continuatio D. Alber. est Lincæ. Anter. & Græcorum.

INductas determinando quæstiones incipiemus ab vltima quæ est, an stantibus extremis contingat infinita esse media: à solutione enim istius dependet solutio aliarum. Dicamus igitur, quòd manifestum est, quòd non contingit infinita media esse extremis stantibus & finitis: & manifestum, quòd prædicamenta siue prædicata cuiuslibet coordinationis vnius generis stent tam in sursum accipiendo media super prædicatum, quam in deorsum accipiendo media sub subiecto conclusionis quæ concludi habet per demonstrationem. Dico autem explanando quid voco sursum. Sursum est & dicitur, quod stat magis omnibus vniuersale, sicut est generalissimum quod magis est vniuersale omnibus prædicatis suæ coordinationis. Deorsum autem dico, quod stat in particulari quod vlterius indiuisibile est formaliter per differentias: & hoc est omnibus his quæ pro subiecto sumuntur particularius, & hæc est species specialissima vlterius indiuisibilis per species.

Si enim a. prædicante de c. &c.

Quod igitur infinita non sint media, primo ostendemus in affirmatiuis, & deinde in negatiuis propositionibus & syllogismis. Si enim a. (quod est summum) prædicante vel prædicato essentialiter existente de c. quod est infimum subiectum, quorum vtrumque stat, sicut dicit hypothesis quæ extrema stare supponit, infinita dicam esse media, in quibus omnibus est b. est enim b. positum loco infinitorum mediorum: & ideo si b. sit infinita media per quæ ab a. descenditur in c. vel a. c. ascenditur in a. manifestum est, quòd vtique continget, quòd ab a. summo & generalissimo accipiendo sub subiecto semper secundum rectam lineam in deorsum versus c. descendendo contingit semper alterum prædicatum de altero subiecto prædicari in infinitum per media infinita. Cuius probatio est: quia ex quo b. dicit media infinita, iste processus est in infinitum: quia antequam ab a. summo in c. infimum veniat, infinita sunt media: & antequam similiter è conuerso à c. infimo prædicatum super prædicatum assumendo veniat in a. infinita pertransibit media. Propter quod si b. quod est media infinita impossibilia sunt esse: tunc sequitur, quòd ipsius a. summi, & c. infimi impossibile est esse intermedia infinita. Huius exemplum est substantia quæ est summum, & homo quod est infimum in coordinatione substantiæ: & dicatur, quòd extrema stant finita in summo & infimo, quod infimum contingit summum in ascendendo, & summum contingit infimum in descendendo: & quòd media, sicut animal, viuens, corpus sunt infinita: & hoc est impossibile: quia omne ascendens ab infimo ad summum, prius est in medio, quam in extremo: & similiter omne descendens à summo ad infimum, prius est in medio, quam in extremo: cum igitur infinita sint media, & non contingat pertransire infinita, nunquam est deuenire per media ad extremum: sed hoc est contra hypothesim quæ ponit esse extrema finita & stantia, & sic ponit per consequens, quòd possit ab extremo in extremum aliquis deuenire: probatum est ergo, quòd stantibus per finitam distantiam extremis, impossibile est media infinita.

Neque huic rationi obstat, quod si aliquis cauillator dicat, quòd hæc quidem proxima summo quæ sunt a. b. c. sint contingentia, hoc est, consequentia adinuicem: propter quod necesse sit illa vera esse media & finita. Illa verò quæ à summo distant, & sunt iuxta infimum, non accipere pro mediis contingentibus se ab a. & dicere, quòd illa sint infinita: ita tamen, quòd sint eiusdem coordinationis, sed quia infinita sint iuxta summum. Sic enim dicere nihil differt ab hoc quin semper sint media infinita: siue enim continuo processu sint infinita, siue superiora quædam sint finita & inferiora in eadem linea sint infinita, nullam habet differentiam: ex vtroque enim sequitur, quòd media sunt infinita, & quod procedentem à superiori ad inferius, vel è conuerso ab inferiori ad superius, oporteret transire media infinita. In omni enim processu, sicut dicit Zeno, procedens prius est in medio, quam in extremo: & prius est in medio sibi immediato, quam in medio mediato: & prius in proximo, quam in distante ab ipso. Quodcunque enim vtique accipio eorum infinitorum quæ sunt b. (quod signat media infinita) hoc erat medium se continens ad a. summum, aut ad c. infimum: aut ergo hæc erunt infinita media, aut non erunt infinita. Et nihil differt à proposito à quo terminorum accepta fuerint in summo siue in infimo primum sicut infinita; & siue statim continuè sint, siue non statim, vt dicatur, quòd continentia ad vnum terminum sint finita, & distantia ab illis versus alium terminum sunt infinita: in omnibus enim his nulla differentia est: quia si dicatur, quòd continentia ad vnum extremum finita sunt: tunc adhuc quæ sunt post hoc versus aliud extremum, sunt infinita: & semper sequitur, quòd media sunt infinita, & quòd infinita non contingit pertransire: & sic non contingit ab extremo in extremum deuenire, quod est inconueniens si stant extrema vt positum est.

Neque enim si aliquis dicat, &c.

Quod autem diximus in affirmatiuis propositionibus & syllogismis, quòd media non possunt esse infinita stantibus finitè extremis, hoc manifestum est etiam in priuatiuis & propositionibus & syllogismis: quia super idem fundatur propositio huiusmodi in affirmatiuis & negatiuis. Planum est igitur, quòd statur in mediis finitis, etiam in demonstrationibus negatiuis si stent extrema finitè: & hoc quidem ex hoc manifestum est, siquidem statur in mediis finitis in ea demonstratione quæ est affirmatiua, sicut iam probatum est. Non enim est contingens in priuatiua demonstratione ab vltimo quod est deorsum infimum, in sursum procedendo in infinitum ire per media ascendendo ab eo vltimo siue infimo in quo statur,

Manifestum autem in priuatiua demonstratione, &c.

statur, ita quòd sub ipso nihil remanet accipiendum. Dico autem explanando in quo statur dupliciter, scilicet quod in illis illud dicatur vltimum in quo statur, quod secundum illam coordinationem in alio nullo est sicut inferior, sed in illo est aliquid quodlibet superius eo secundum rectam lineam, sicut diximus, quod hoc est c. neque à primo quod est summum, secundum rectam lineam descendendo in id in quod statur vltimo, sunt infinita media. Primum autem in summo dico illud quod ipsum quidem vniuersaliter prædicatur de alio quolibet inferiori, sed de ipso nullum aliud prædicatur vniuersaliter & vniuocè quod sit eiusdem coordinationis, & hoc est generalissimum. Si igitur sic est in affirmatiuis: tunc probatur, quod etiam in negatione siue negatiuis stabitur ad media finita: & hoc probabimus tripliciter, hoc est, per tres figuras: quia negatiua tripliciter probatur, quæ dicit non esse, in prima scilicet, secunda, & tertia.

Tripliciter enim demonstratur, non esse, &c.

In prima verò figura concluditur negatiua. Vnde & probatur sic, quòd termini sumantur a. b. c. ita quod c. sit medium, & a. maior extremitas, & b. minor: & fiat syllogismus in secundo primæ sic: nullum c. a. omne b. c. ergo nullum b. a. tunc enim tali modo probatur non esse siue negatiua, quòd in omni in quo est c. est b. & in minori propositione, sed in quo est b. nulli inest a. in conclusione. Tunc enim tali syllogismo facto propositionis minoris affirmatiuæ quæ est b. c. necesse est ire probationem si mediata sit & probari hanc: & sic necesse est deuenire in stantem finem, sicut iam probatum est, quòd in affirmatiuis statur in mediis: & quia in omni syllogismo altera propositio est affirmatiua, necesse est in omni syllogismo in affirmatiua stare ad media finita. b. c. enim propositio minor semper in prima figura prædicatiua est.

Sed alterum manifestum est, quod si, &c.

Sed alterum (quod est negatiuum in maiori propositione) manifestum est, quòd mediata sit, & probari debeat: & similiter erit status in mediis. Sic enim cum dicitur, nullum c. a. vel in conclusione, nullum b. a. aut illa est immediata, aut mediata. Si immediata: ergo b. in altero non est priori quam in c. gratia cuius negetur de b. de b. enim minori extremitate negatur a. in conclusione ideò quia a. de c. negatur in maiori cum b. in toto sit c. Si autem est mediata: tunc est in altero priori propter quod negatur de c. & sit illud d. igitur d. verè prædicabitur de omni b. & de ipso negabitur a. & per ipsum negabitur de c. inferiori medio sic, nullum d. a. omne c. d. ergo nullum c. a. Et si dicatur, quod iterum est aliud medium super d. per quod a. negatur de d. illud iterum vniuersaliter prædicatur de d. & a. negatur de ipso, & per ipsum negatur de d. & sit illud g. & de g. iterum quæritur, an gratia sui negetur a. de ipso, vel propter aliud medium de quo prius negatur: & sic semper procedit ad negatiuas ab affirmatiuis: & si est status in affirmatiuis, erit status in negatiuis.

Et sequitur, quòd (cum in affirmatiuis descendendo à prædicatis in subiecta de quibus affirmat nè prædicantur, superiori via directè sterur in mediis finitis) oporteat quòd è conuerso in via sursum quæ tenetur in negatiuis negando inferius propter hoc quod negatur superius: à quo enim negatur superius, negatur & inferius, & non conuertitur: & ideo in prima figura in qua est medium in toto primo, & postremum in toto medio, quodcunque medium accipitur ascendendo supra prædicarum, si prædicatum negatur de illo (cum minor extremitas in toto sit illo in minori propositione) necesse est, quòd per medium aliquid negetur de minori extremitate: & si statur, ita quòd aliquid prædicatur secundum se non per medium de minori extremitate, oportet quòd prædicatum illud & illius negetur non per aliud, & erit illa negatiua immediata. Verbi gratia, nulla substantia quantitas: omnis homo substantia: ergo nullus homo quantitas. Non inuenitur aliquod medium superius accipiendo per quod substantia prædicetur de homine: ergo etiam non inuenitur medium, per quod quantitas negetur de homine in superius accipiendo: stante enim prædicatione affirmatiua in his quæ sumuntur superius, stabit & negatiua in via eadem. Et similiter est descendendo sumendo sub subiecto, & prædicatum subiecti referendo ad ea quæ sub subiecto sumuntur, vt sub substantia corpus, & sub corpore viuum, & sub viuo animal, & sub animali hominem: de omnibus his enim prædicatur substantia, & sic deinceps: & si de aliquo illorum negatur superius, de eodem negetur inferius: & vbi stat affirmatio, ibi stabit negatio: quia sicut primum medium prædicabitur vniuersaliter de minori extremitate, ita quodlibet sumptum superius medium, prædicabitur de minore extremitate, & maior extremitas de medio negabitur & de minore extremitate secundum primæ figuræ dispositionem. Sic igitur patet, quòd stante via affirmatiua in deorsum, negatiua ita stabit in sursum: & erit in illa via negationis quoddam in summo principium, in quo non erit secundum seipsum medium à quo primo negatur maior extremitas.

Iterum si b. quidem in omni a. &c.

Et in minori propositione hoc iterum ostenditur in secunda figura, quod scilicet stante affirmatiua in mediis, stabit & negatiua supra medium semper accipiendo: quia omnia sic accepta affirmantur de medio, & negabuntur de minori extremitate sicut & medium: & disponatur syllogismus in secundo modo secundæ figuræ sic, quòd b. quidem maior extremitas sit in omni a. medio, & idem a. medium in nullo c. minori extremitate sic, omne b. a. nullum c. a. ergo nullum c. b. Constat, quòd affirmatiua, aut est immediata, aut stabit ad immediata, sicut prius probatum est. Si autem mediata sit negatiua maior quæ est nullum b. a. & sic oporteat eam probare: manifestum est autem per viam quæ est in sursum accipiendo super prædicarum, sicut factum est in prima figura paulò ante, aut demonstrabitur per hanc secundam figuram, aut d. monstrabitur per tertiam figuram. Primus igitur modus dictus est, qualiter scilicet negatiua demonstratur per primam mediis finitis acceptis supra medium:

quæ omnia per medium prædicantur de minori, & de quibus omnibus negatur maior: & ideo per illa negatur maior de minori.

Secundus autem demonstrandi

Secundus autem modus demonstrandi negatiuam ostenderur sic. Sumatur enim aliquid de recta linea supra medium quod est prædicatum de a. hoc enim est in omni b. maiori extremitate, & in nullo c. minori extremitate: & sit illud d. hoc igitur erit medium: hoc enim affirmabitur de a. & remouebitur de b. sic: omne a. d. nullum b. d. ergo nullum b. a. Adhuc vlterius quæritur de huius syllogismi negatiua quæ est, nullum b. a. an mediata sit, aut immediata? Et si est mediata, accipiatur medium supra d. sic: omne b. g. nullum b. g. ergo nullum b. d. & si stat in prædicatiua, stabit in negatiua. Patet igitur, quòd sicut in esse siue in affirmatiua semper statur in superiori assumendo, sequitur, quòd sumptio medij stabit etiam in non esse.

Notandum est hoc etiam, quòd in isti duo modi qui dicti sunt, ad ostendendum vniuersalem negatiuam sunt vel quod subiectum est in aliquo toto, vel quòd prædicatum est in aliquo toto: sed modus ostendendi negatiuam per aliquid quod est totum, vniuersale ad subiectum, debetur primæ figuræ, & reliquus modus debetur secundæ figuræ, & hoc proprie secundo modo secundæ. Si autem debeant multiplicari media per primum modum secundæ ad ostendendam negatiuam vniuersalem, hoc erit accipiendo media supra subiectum, sicut in prima figura: quia secundus modus primæ & primus secundæ non differunt, nisi conuersione maioris. Sic ergo patet quomodo & in prima & in secunda figura multiplicando media ad ostendendam negatiuam est status: quia in illis duobus modis (qui in illis duabus figuris appropriantur ad ostendendum negatiuam) est status.

Tertius autem est si. a. in b. omni insit, &c.

Tertius autem modus ad ostendendum vniuersalem negatiuam per finita media est: & fiunt ostensiones per id medium quodprius, scilicet quod stant affirmatiuæ, & ideò etiam stabunt negatiuæ. Multiplicantur acceptiones mediorum continuè secundum prædicationes affirmatiuarum in deorsum: & quia in affirmatiuis est status, ideò etiam in negatiuis oportet esse statum. Fiat enim sic syllogismus in secundo tertiæ, quòd b. sit medium, & a. minor extremitas. c. autem maior sic, quòd a. minor extremitas in b. sit in minori propositione. c. verò maior extremitas sit in nullo b. in maiori propositione: tunc enim sequitur, quòd c. non in omni sit in quo est a. hoc est, quòd non omne a. est c. sic: nullum b. c. omne b. a. ergo quoddam a. non est c. tunc enim maior quæ est negatiua, si dicatur esse mediata, poterit ostendi per supradictos modos in prima & secunda figura: vel potest ostendi similiter in eadem figura in qua fit syllogismus, hoc est, in tertia figura, in qua fit syllogismus: illo enim vtroque modo qui supradictus est, monstratur. Si verò per tertiam figuram ostendatur, accipitur medium sub subiecto, sicut e. accipitur sub b. sic: quoddam e. non est c. omne c. est b. ergo quoddam b. non est c. sic enim ostensa est maior particulariter.

Similiter si maior huius secundi syllogismi quæ est negatiua vniuersalis, vlterius debeat ostendi, eò quod mediata esse dicitur, accipiatur vlterius medium descendendo sub c. & sic deinceps descendendo semper accipiuntur media quousque veniatur ad immediatam ad ostendendam negatiuam per tertiam figuram secundum prædicationes acceptas sub b. subiecto & medio etiam in tertia figura continuè in deorsum: quoniam concessum est stare prædicationes siue affirmationes in deorsum, manifestum, quòd stabit quod non est, hoc est, negatiua quæ est in c. quando dicitur nullum b. c.

Manifestum est etiam, quoniam & si non vna, &c.

Ex his autem quæ dicta sunt, manifestum est, quòd si negatiua non vna via, sed omnibus tribus dictis viis demonstretur, aliquando quidem ex prima, aliquando verò ex secunda, aliquando autem ex tertia figura, quoniã & sic stabitur ad media finita: omnes enim viæ finitæ sunt in mediis: finitæ enim finities siue finitæ multoties acceptæ simul necesse est finiri ad numerum determinatum & non ad infinita. Manifestum est igitur, quòd in priuatione siue in negatiua demonstratione statur ad numerum certum mediorum: propterea quod statur in esse siue affirmatione affirmatiuæ prædicationis, manifestum est ex inductis.

Remouet dubium.

Attendendum tamen, quòd id quod dictum est, vniuersalem negatiuam posse ostendi per tertiam figuram, non est intelligendum vniuersaliter, sed particulariter, sicut prædictum est: nec hoc ideo dictum est, quia in tertia figura concludatur vniuersaliter: sed ideò dicitur, quòd quamuis concluderetur vniuersaliter, tamen esset status in mediis.

Obiectio.

Si autem opponat aliquis contra illum modum quo ostensa est negatiua in tertia figura, dicens, quòd accipiendo sic medium sub subiecto mediata non reducitur ad immediatam, sed magis mediatam. Dicendum,

Solutio. Nota tamen, quòd Ægidius aliter soluit.

quòd hoc proculdubio verum est, quòd tertia figura non potest propositiones mediatas facere immediatas: nec hoc hic intenditur: sed tantum intenditur hic, quòd status est in acceptione mediorum in deorsum in negatiuis, posito quod sit status in deorsum in affirmatiuis.

CAPVT XI.

De solutione primæ & secundæ quæstionum, quòd scilicet stant extrema finita, &c. Solutio logica supposito quod est diffinire.

Aliter consentiunt Ægidius.

AD solutionũ autem primę & secundę quæstionum (verum scilicet demonstrationes stent in sursum & deorsum secundum ea quæ in demonstratione vt subiecta & prædicata recipiuntur) oportet præmittere quædã de prædicatis & subiectis. Dicamus igitur, quòd hoc quod aliqui (in illis quæ media sunt) speculantur logice siue per logicas & communes rationes, quæ propriæ sunt huic negotio, hoc fit hic manifestum in consideratione status extremorum,

Sed quod in illis, logicè quidem, &c.

Quid per rationem logicam intelligendum. Aliter tamen exponit Aur. & aliter Alex.

tremorum, quia inter extrema finita non possunt esse media infinita. Dico autem hanc rationem siue speculationem logicam quæ diuiditur è diuerso contra rationem analyticam: & hæc est quæ per modum inuentionis procedit, sicut est inuenire statum ex ratione medij & ex ratione extremi. Analyticam autem voco, quæ procedit per iudicium resoluendo principiatum in principia: & ex illo iudicare finitum esse statum tam in mediis quam in extremis. Procedendo igitur logicè extremorum considerando finitatem palam fit magis de finitate medij. Præmittatur ergo diuisiõ: quia diuisionis modus logicus est, vt accipiantur ea quæ secundum se subiiciuntur, & quæ secundum se prædicantur, ab his quæ subiiciuntur & prædicantur secundum accidens: quia illa quæ secundum se subiiciuntur & prædicantur secundum se, finita sunt: quæ autem secundum accidens subiiciuntur, & prædicantur, ad finitatem certam per artem redigi non possunt.

In his quidem igitur quæ in eo quod quid est, &c.

Dicamus ergo, quòd in his quæ in quid est simpliciter & secundum esse prædicantur (sicut in coordinatione prædicabilium substantiæ) patens est, quòd stant extrema & in summo & in infimo: si enim est vel contingit diffinire in substantia in qua est diffinitio simpliciter, aut si notum quod aliquod erit esse siue quidditas quæ est diffinitio: tunc hoc supposito erit status in extremis. Quia id quod est in infimis stans, hoc diffinitur tantum: & id quod est in summo, est diffiniens tantum: & media in linea recta & laterali sunt secundum aliquid diffinientia, & secundum aliquid diffinita. Oportet ergo, quod sint finita & stantia superius & inferius; quia diffinientem non contingit transire infinita. Diffinitio autem ab infimo recurrit vsque in summum: cuius ratio est: quia quod in se non est finitum, non diffinit: medium nisi reducatur in terminum, de se non est finitũ: & ideo medium non diffinit nisi sit reductum in primum, quod est finis.

Vniuersaliter autem sic dicamus, &c.

Vniuersale autem siue vniuersaliter sic dicamus vt accipiantur quæ sic diffinita sunt. Est enim vere dicere album ambulare, ita quod accidens prædicatur de accidente, siue accidentale de accidentali: & est etiam verè dicere magnum illud demonstratum sensibiliter, lignum esse, & prædicatur subiectum de accidente: & iterum verè est dicere lignum magnum esse, ita quod prædicatur accidens quod verè inest, de subiecto quòd secundum se subiicitur: & simile isti prædicationi est cum dicimus hominem ambulare. Alterum igitur est & differt secundum rationem sic dicere vno istorum dictorum modorum, aut dicere illo altero modo, tam ratione subiecti quam prædicati. Cum enim quoddam album dico esse lignum, album subiiciendo & lignum prædicando: tunc non dico subiici id quod secundum se subiicitur: sed dico, quod aliquid subiicitur cui accidit esse albi siue esse albedinis. Sic enim dicit Auic. subiectum quod verè subiectum est, est ens in se completum & occasio alteri existendi in eo: & tale non est album secundum esse albedinis: & ideo quum dicitur, album est lignum, dicitur quod illud subiicitur, cui accidit esse albi: sed non dicitur, quod album in eo quod huiusmodi per albi esse, subiectum sit ligno. Et huius ratio est: quia subiectum verè est quod in motu alterationis idem manet & mutatur secundum qualitates: sed cum dico, album est lignum, album secundum albi esse non sic manet idem, mutatum secundum suas qualitates: igitur album secundum albi esse non est secundum se subiectum. Siue si dicam album quod verè album est in vniuersali, siue dicam in particulari, id quod verè album aliquid est: neutrum enim horum factum est lignum secundum aliquam qualitatis alterationem in qua ipsum substantia manear idem: propter quod non est hoc secundum se subiectum ligni: sed aut, hoc est, nisi secundum accidens: quia id cui accidit albi esse, subiectum est, & non album in esse albi. Similiter autem cum dicitur album esse lignum, lignum secundum se non est prædicatum: prædicari enim ab eo quod est in esse causatur: & ideo non secundum se prædicatur: cuius etiam non est in esse vel quod secundum se alteri non inest vt genus vel differentia: neutrum autem conuenit ligno: quia nec eius esse est inesse, nec inest vt genus vel differentia.

Prædicari causatur ab inesse, & ideo idem non prædicatur de seipso, sicut nec inest sibiipsi.

Cum verò dico lignum esse album, tunc subiicitur quod secundum se subiectum est, & prædicatur quod secundum se prædicatum est: dicitur enim lignum album, non quia alterum aliquid sit album, sed quia ipsum lignum per ligni esse secundum se album sit, & albi esse subiiciatur, & non alterum cui accidat ligni esse: sicut cum musicum album esse dico: tunc enim dico, quòd alterum (cui accidit musicum esse) album est, sicut homo (cui accidit musicum esse) albus est: sed lignum est subiectum quod verè secundum rem ligni est factum subiectum alterationi, & non dico lignum esse subiectum, eò quod aliquid alterum sit cui accidat ligni esse quam quod vniuersale lignum est secundum ligni esse, aut aliquod in particulari demonstratum lignum est. Dico autem subiectum in specie, demonstrans quod lignum est: eò quod species est passionis subiectum. Et dico hoc lignum aliquod: quia prima substantia secundum se subiectum est omnium.

Si igitur oportet nomina ponere, &c.

Si igitur istis modis prædicandi conuenit nomina ponere quæ anteposita non sunt, sic dictis prædicari modis sit sic dicere, vt scilicet dicatur de illo quod secundum se non prædicatur, sed secundum se subiicitur, aut nequaquam prædicari: aut quod prædicatur, prædicari non simpliciter, hoc est, secundum se: quia ratio eius repugnat rationi prædicati: cum subiecti ratio non sit inesse, sed quod sit in se completum cui aliud insit: quod autem non secundum se prædicatur, si prædicabitur, secundum aliud prædicatur: & ideo secundum accidens prædicabitur. Ex his autem patet, quòd id quod secundum se prædicatur, est tanquam album quod secundum se habet inesse à quo causatur prædicatio: sed subiectum de quo prædicatur & secundum se subiicitur, est sicut lignum.

Illud quod secundum se prædicatur, est sicut album: & illud quod secundum se subiicitur, est sicut lignum.

Subiicitur igitur per dicatam prædicari, &c.

Subiiciatur igitur nobis, & pro suppositione habeatur, quòd id quod prædicatur, semper prædicetur de subiecto quod tripliciter, hoc est, secundum se est subiectum: & quod prædicatur, prædicetur id quod secundum se prædicatur & non secundum accidens. Sic enim de talibus subiectis & talia prædicata demonstrationes demonstrant: & hæc monstrabimus stare & esse finita. Sunt autem talia prædicata & subiecta multiplicata secundum coordinationes prædicabilium in prædicamentis. Harum enim primo prædicationum quædam sunt in id quod quid est secundum substantiam, aut quoniam quantum, aut quoniam ad aliquid, aut quoniam agens, aut quoniam patiens, aut quoniam vbi, aut quoniam quando, per quod intelligitur quod similiter in situ & habita, cum vnum de istis de vno subiecto prædicabitur. Prædicatur autem vnum de vno, quando prædicatur secundum se de vno quod secundum se subicitur: non autem vnum de vno prædicatur, quando vnum prædicatur gratia alterius quod accidit ei, vel ipsum retinetur gratia alterius quod ei accidit: & sic patet, quod in prædicatione per accidens non vnum de vno prædicatur. Per accidens autem dico quod opponitur ad id quod est secundum se, & non opponitur ad id quod est per se.

Ex quo patet, quòd per ea quæ in duplici ordine posita sunt, scitur vt distinguitur contra, vt ex ordine ad ordinem se habent.

Amplius ea quæ substantiam significant & in quid est prædicantur, aut sunt significantia quod verè illud est de quo prædicatur, ita scilicet quod totum illud est sicut diffinitio prædicata de diffinito, aut sunt significantia quod illud aliquid est sicut prædicata quæ partem esse subiecti significant, vt genus & differentiæ diuisim de subiecto prædicata. Quæcunque verò prædicata non significant aliquid secundum substantiam subiecti, sed sic de aliquo subiecto prædicantur, quòd prædicant id quod verè est aliquid ipsum esse illius secundum partem esse & quidditatis, illa prædicata accidentia sunt, sicut de homine album prædicatur. Propter quod patet distinctio secundum se prædicatorum ab his quæ per se prædicantur: album enim secundum se prædicatur de homine, sed non per se: quia nihil prædicat substantiæ hominis: homo enim neque est id quod verè est album, ita quod album prædicet totum esse hominis vt diffinitio: neque est homo album, ita quod aliquid sit homo vel homines secundum partem esse ipsius. Sed hoc modo per se prædicandi forsan homo animal est: quia homo secundum hominis esse, est quod verè est animal, & de quidditate sua est animal. Dico autem forsan propter eos qui essentias rei ponebant extra, de quibus non hic, sed in prima philosophia considerandum est. Quæcunque verò prædicata non substantiam significant, oportet prædicari de quodam subiecto quod secundum se subiectum sit: & oportet in talibus, quòd album non sit aliquod subiectum quod non subiiciatur secundum se: sed cum alterum aliquid sit, subiiciatur albo: sicut lignum secundum se est subiectum, cum non alterum aliquid sit cui accidat lignum esse: sic enim album non secundum se subiectum, sed subiecti, cum alterum sit cui accidat albi esse. Sic autem etiam est in aliis prædicamentis substantiam non significantibus.

Differentia inter prædicata secundum se, & per se.

Quare dixit homines forsan esse animal.

Ex omnibus igitur his patet, quòd prædicata secundum se & per se in subiectis sunt & non extra ea. Propter quod derisibilis est positio eorum qui ponunt formas de rebus prædicatas esse extra res: & ideo gaudeant genera & species & aliæ formæ ideales: quia secundum dicta eorum monstra quædam sunt extra res accepta, quarum formæ sunt, sicut monstrum est extra naturæ intentionem: & sic sunt extra subiecta, nihil sunt ad rationem naturæ vel scientiæ vel demonstrationis: hæc enim omnia formas quæ sunt in subiectis, considerant. Sic igitur se habet in substantiæ coordinatione.

Species enim gaudeant; monstra enim sunt, &c.

Amplius autem aliorum generum coordinationibus similiter est quoad hoc quod prædicantur de inferioribus, vel sunt esse subiectorum de quibus prædicantur, vel pars esse ipsorum, vel prædicantur de ipsis secundum accidens. Si autem sic est, & non est hoc prædicatum huius qualitas accidentalis, & hoc huius, neque est qualitatis qualitas vsque in infinitum: impossibile est, quòd ea quæ sic prædicantur, eque prædicentur sic adinuicem. Quia æque prædicantur, quæ conuersim prædicantur. Ista autem prædicantur sicut superiora de inferioribus. Sed verum est, quòd verè prædicantur, & quòd contingit ea verè prædicari: sed non contingit ea æque de seinuicem verè prædicari: quia sicut superiora de inferioribus prædicantur: aut enim prædicabitur, hoc est, prædicatio fiet de talibus, quod prædicatur vt substantia vel aliquid substantiæ, hoc est, quidditas vel aliquid quidditatis, sicut cum genus sit vel differentia id quod prædicatur. De his autem omnibus quæ prædicantur, ostensum est, quoniam non erūt infinita per hoc: quia si essent infinita, non contingeret diffinire: vnde patet, quòd hæc non sunt infinita, neque in sursum, neque in deorsum: sicut patet si sursum accipiantur sine laterali linea, vt homo bipes: siue recta linea, vt homo animal: neque in deorsum, vt animal prædicatur de homine, homo autem de Callia, & ibi stabit: & hæc prædicantur in tali coordinatione de alio in eo quod quid est secundum totum esse, vel secundum partem esse: & hoc non procedit in infinitum. Cuius ratio est, quod omnem substantiam subiectam est diffinire per essentialia ipsius: & ideò sunt finita diffinientia: quia infinita non contingit intelligentem & comprehendentem esse rei per terminos ipsius pertransire: comprehensio enim est contactus intellectus super terminos rei: propter quod talia neque in sursum, neque in deorsum infinita sunt. Illam enim substantiam siue eam substantiam non est diffinire, de qua infinita in sursum prædicantur.

Amplius si hoc non est huius qualitas, &c.

Sic quidem igitur genera adinuicem, &c.

Sic quidem igitur genera adinuicem prædicantur, non quod vnum de alio, sed de suis subiectis æqualiter prædicantur: quia quod sic prædicatur, erit ipsum aliquid eius de quo prædicatur, quod verè ipsum (hoc est, essentialiter

tialiter) est: nec cum de qualitate vel alio genere aliquod aliorum generum prædicatur, nisi secundum accidens, vt dictum est: omnia enim hæc genera accidentium accidit, non tantum de suis inferioribus, sed etiam de subiectis in quibus & à quibus esse habent, prædicari. Sed quoniam, sicut dictum est, in sursum non erunt infinita: vnumquodque enim quod sic de suo inferiori prædicatur, aut significat quid, aut quale, & in illo stat in summo: aut quantum, & hoc stat in quanto in summo: aut huiusmodi aliquod generalissimum, in quo stat sicut in summo: aut secundum accidentalem prædicationem significat genera accidentium, quæ sunt in substantia sicut in subiecto. Hæc autem omnia finita sunt: & ideò status est in ipsis. Similiter autem & genera prædicamentorum omnia simul accepta sunt finita: aut enim significant quale, aut quantum, aut ad aliquid, aut faciens, aut patiens, aut vbi, aut quando, & stant in numero finito.

Concessum est autem vnum de vno, &c.

Concessum autem est iam in præhabitis vnum de vno secundum se prædicari: & concessum est ipsa accidentia de ipsis accidentibus (quæcunque non aliud sunt aliquid quod de eis secundum se subiiciatur) non prædicari: accidens enim de se non habet vnde subiiciatur accidenti: eò quod omnia sunt accidentia, quorum nullum de se habet vnde alteri subiiciatur: sed hæc quidem accidentium prædicantur secundum seipsa de suis inferioribus. Alia verò accidentium prædicantur secundum alium modum de aliis: qui modus est per accidens prædicari. Hæc autem omnia genera accidentium de subiecto quodam quod secundum se subiectum est, prædicari dicimus, vt de substantia: & non dicimus, quòd aliquod accidentium simpliciter secundum hoc quod est accidens, sit subiectum: sed potius dicimus omnia talia esse in subiecto: nihil enim talium quæ sunt accidentia esse dicimus, quod si subiectum dicitur, quòd non dicatur aliud esse aliquid gratia cuius sit subiectum: sed dicimus ipsum accidens esse in aliis quæ sunt substantiæ: & dicimus, quòd accidentia sunt quædam alia à substantiis, & sunt alia quædam de altero vt de subiecto dicta.

Neque in sursum, ergo vnum de vno, &c.

Patet igitur ex omnibus quæ dicta sunt, quòd si vnū de vno gratia sui & non gratia alterius dicatur, neque in deorsum in infinitum dicetur: de quibus enim subiectis vt secundum se subiectis dicuntur accidentia, dicuntur de talibus subiectis quæcunque subiecta in substantia, hoc est, in diffinitione accidentium sunt: ita quod in vniuscuiusque accidentis diffinitione cadat suum secundum se subiectum & per se: hæc enim subiecta non sunt infinita, si supponatur quòd diffinire contingit secundum sursum accipiendo ipsa subiecta, & etiam accidentia cadentia in diffinitione suarum specierum, vtraque subiecta & accidentia accipiendo non sunt infinita. Nam sus enim in diffinitione simi accipitur, & loco nominis diffinitio ponitur nasi, per superius accipiendo non vadit in infinitum. Similiter curuitas si diffiniatur formaliter per depressum in medio, & hoc per aliud, non vadit in infinitum. Necesse est ergo aliquod esse primum in vtroque, & de quo primum, hoc est, immediatè prædicetur, & de hoc aliquid prædicabitur immediatè: & necesse est hæc stare in aliquo de quo nihil prædicetur, quod eiusdem sit coordinationis: & necesse est illud primum esse tale, quod non amplius prædicetur, nec de alio priori sicut inferius particulariter de suo superiori prædicatur, neque de illo aliud prædicetur sicut prius & superius ad ipsum. Vnus quidem igitur demonstrationis modus, quòd prædicata & subiecta ad superius & inferius finita sunt, est hic qui est ex suppositione diffinitionis: quia aliter non contingeret diffinire.

CAPVT XII.

Quod statur in summo & infimo si scire per demonstrationes supponatur.

Adhuc autem alius, si de quibus, &c.

ADhuc autem alius modus ad idem ostendendum est, supposito eo quod est scire per demonstrationem. Si enim erit demonstratio de subiectis, de quibus quædam passiones demonstrantur quæ scire faciunt: tunc aliquod potius, hoc est, potiorem aliquem habitum ad ipsa concipienda habebimus quam scientiam factam per demonstrationem, vt dicit cauillator, hoc est, de his mediis & propositionibus siue per hæc, vt dicit cauillator, de quibus mediis & propositionibus alia quædā priora prædicantur, per quæ illorum fit demōstratio: neque aliqui possunt ad illa principia quæ prædicantur de mediis & propositionibus demonstrationis concipienda aliquid habere potius, hoc est, potiorem habitum quam scire scientiæ factæ per demonstrationem, eo quod scire, vt dicit cauillator, non est per demonstrationem. Si autem hoc est, hoc est conclusio, per hoc principium notum est hoc quod est principium, vt dicit cauillator: & ad hoc sciendum, non habemus aliquid melius, hoc est, meliorem habitum quam scire per demonstrationem: neque per hoc quod est scire per demonstrationem hoc principium notum factum sciemus: tunc sequitur pro certo, quòd aut nihil scimus nisi ex suppositione si prima vera sunt, aut omnium erit demonstratio, aut abibit in infinitum & nunquā stabit, neque in sursum, neque in deorsum. Si ergo (à destructione consequentis) est aliquid scire per demonstrationem, sicut in antehabitis probatum est: & non contingit verè scire ex aliquibus, hoc est, ex particularibus quæ aliquando sunt & aliquando non sunt: neque est vere scire ex suppositione, vt dicatur conclusio esse vera si præmissæ veræ sunt: tunc manifestum est, quòd stant & finita sunt prædicamenta siue prædicata quæ media sunt ad concludendum hanc vel illam conclusionem.

Si enim non steterint, &c.

Si enim non steterint talia prædicata pro mediis probationum assumpta, sed est semper vno accepto in superius super prædicatum conclusionis aliud iterum accipere & super illud

illud aliud in infinitum: tunc sequitur, quòd omnino erit demonstratio & principiorum & principiatorum & sequitur ex hoc, quod quia non contingit scientem manifestè infinita, quod hæc quæ scire volumus, non scimus per demonstrationem. Si igitur, vt dicit cauillator, neque aliquid melius habemus ad principia scienda quam scire per demonstrationem, & illa per demonstrationem scire non possumus: sequitur, quòd nihil scietur per demonstrationem simpliciter: sed tantum scietur (quod scitur) ex suppositione, quod inconueniens est. Inconueniens enim est dicere, quòd principia non stent: & quia si sciuntur per demonstrationem, quod etiam non stet in aliquo fine demonstratio. Dictum autem cauillatoris hoc qui dicit, quod non habemus aliquid melius ad accipiendum principia quam scire, falsum est: habemus enim intellectum quo accipimus principia, qui melior habitus est quam scire: & si nos scire dicamus principia, hoc erit extenso nomine scientiæ, sicut in antehabitis dictum est.

Logicè jadem ergatur ex his, &c.

Logice hoc est per rationes logicas communes multas ex ratione eius quod est scire, & eius quod est diffinire) ex his quæ dicta sunt vtique aliquis crederet perfusus de eo quod dictum est, quod scilicet prædicata & subiecta pro mediis accepta, super prædicatum vel sub subiecto inferius stabunt & finita sunt.

CAPVT XIII.

Quod stant principia demonstrationis, analytice probatur.

Analytice autem manifestum est, &c.

ANalytice autem propriè procedendo per resolutionem demonstratæ conclusionis in sua principia, probatur quòd finita sunt & stant demonstrationis principia: & hoc velocius & breuius quam fieri posset in logicis ostentionibus. Quia talis analytica ostensio non colligit nisi demonstrationi propria quæ pauca sunt. Logica autem considerat communia quæ sunt valdè multa. Analytice igitur ostenditur, quòd nec in sursum accipiendo super prædicatum, neque in deorsum accipiendo sub subiecto prædicantia media scilicet quæ de infectionibus prædicantur, infinita contingit esse in demonstratiuis scientiis, de quibus in hoc opere nobis intentio est. Est autem in hac ostentione præmittendum, quòd demonstratio est ex talibus & de talibus quæ ipsa (secundum quod ipsa sunt) insunt, & secundum seipsa siue per se insunt rebus. Secundum seipsa autem siue per seipsa insunt dupliciter, vt scilicet in primo modo dicendi per se, vel in secundo.

Nota differentiã inter quatuor modos per se: hoc tamen indiget consideratione.

Quartus enim modus non pertinet ad propositiones, sed ad consequentiam: & tertius modus est subiecti ad prædicatum non comparati. Vnde primus & secundus sunt propositionis: primus quidem est prædicati comparati ad subiectum, secundus autem subiecti comparati ad prædicatum.

Secundum seipsa dupliciter, &c.

Duo autem modi sunt: primus quidem eorum prædicatorum quæ in illis subiectis sunt in eo quod quid est per diffinitionem: & secundus modus est in quibus prædicatis ipsa subiecta insunt ipsis prædicatis in eo quod quid est in diffinitiua ratione. Et huius secundi modi est exemplum sicut in numero est impar: quia numerus cadit in diffinitione impar: est enim impar numerus in cuius diuisione per æqualia intercidit vnitas, vt dicit Pythagoras: & quod est impar, inest in numero sicut passio in subiecto: numerus autem vt subiectum inest in ratione diffinitiua ipsius imparis. Et iterum vt exemplum ponamus de primo modo dicendi per se, multitudo, aut diuisibile, quæ sunt essentialia prædicata de numero, insunt in ratione diffinitiua numeri, sicut prædicatum est in ratione diffinitiua subiecti. Est enim numerus multitudo aggregata per vnum, vel numerus est diuisibile siue diuisum ad vnum.

Impar quid secundi Pythagoram.

Numerus quid.

Hæc autem (quæ sic cadunt in modis dicendi per se primo vel secundo) neutra contingit esse infinita: nec enim contingit abire in infinitum, sicut imperfectum vel impar est numeri, vt passio, ita scilicet, quòd super passionem quæ est prædicatum accipiatur alia passio, cui insit prima passio: sicut si dicam inesse impari esse impariter imparem, & illi dicam inesse aliam vlterius passionem in infinitum, cui passioni inerat prior passio existenti in subiecto. Hoc autem subiectum (cui existenti statim ineſt passio sicut primum subiectum quod secundum seipsum subiectum passionis est) si dicatur esse numerus, incrit his omnibus passionibus (quæ insunt ipsi subiecto) in ratione diffinitiua: quia quicquid est in ratione diffinientis, est in ratione diffiniti: secunda autem passio diffinitur per primam, & tertia per secundam, & sic deinceps, & subiectum est in ratione primæ passionis: igitur erit in ratione omnium aliarum. Si igitur (à destructione consequentis) non contingit infinita huiusmodi esse in numero (hoc est, infinitas passiones) sequitur, quod prædicata (in quorum ratione sunt substantia) quæ in sursum accipiuntur supra prædicatum conclusionis, quod est passio, non erunt infinita in sursum accepta: stant ergo finita in sursum.

Hæc autem neutra contingit esse infinita, &c.

At verò quæcunque talia sint passiones subiecti, necesse omnia illa inesse primo subiecto, quod subiectum est primæ passionis, vt numero quod est primum subiectum imparis, & impariter imparis, & diuisibilis in æqua, & huiusmodi: propter quod sequitur, quòd omnia talia prædicata sic accepta erunt conuertibilia, & inter se, & cum subiecto: quia quarta conuertitur cum tertia, & tertia cum secunda, & secunda cum prima, & prima cum subiecto: & quæcunque conuertuntur cum conuertibili, conuertuntur etiam cum eo quod conuertitur cum illo: sicut quicquid conuertitur cum risibili, conuertitur cum homine, sicut animal admirativum esse conuertitur cum risibili & cum homine. Si autem sunt conuertibilia: tunc nullum eorum excedit reliquum: igitur ad se reuertuntur sibiinuicem subiecta & deseiquicem prædicata: non ergo abeunt semper in sursum accipiendo. Patet igitur: quod in secundo modo dicendi per se non contingit abire in infinitum: & in primo modo etiam dicendi

At verò necesse est omnia inesse primo, &c.

per

per se hoc non contingit, quum illa stent quæ in secundo sunt dicta per se.

Nec tamen quæcunque in eo quod quid est, &c.

Non autem propter hoc quæcunque sunt in eo quod quid est in diffinitiua ratione subiecti; infinita sunt: quia non sunt infinita quæ sunt in secundo modo dicendi per se. Si enim infinita essent illa, sequeretur quod non contingeret diffinire. Propter quod si talia prædicantia non prædicant id quod est in definita ratione subiecti, omnia dicentur esse per se prædicata: hæc autem infinita non sunt neque esse possunt: stabunt vtique hæc in sursum accepta, ita quod vnum super aliud continuè accipiatur vsque ad primum, quod ideo summum est, quia ipsum in nullo est superiori. Propter quod sequitur, quòd stabunt etiam in deorsum ad infimum: quia per eadem descenditur per quæ ascenditur: & si ascensus ab infimo ad superius est finitus, erit etiam descensus à summo ad infimum finitus. Si autem sic est, quòd termini ascensus & descensus sunt finiti: tunc non distabunt termini per infinita media.

Quare vnius subiecti non possunt esse infinita propria secundum Boëtium.

Item sequitur, quòd quæ sunt in medio duorum terminorum, sunt finita. Et sic perfectè patet trium quæstionum suppositarum solutio. Sciendum autem, quòd ideo vnius subiecti non possunt esse infinita propria: quia sicut dicit Boët. proprium manat de substantialibus potentiis subiecti. In vno autem & finito subiecto non possunt esse substantiales potentiæ infinitæ. Quod autem prædicata substantialia non sunt infinita, ideo est, quod nihil finitum essentialiter componitur ex infinitis: & ideò prædicata quæ sunt de substantia finiti subiecti, non possunt esse infinita. Et hæc est vera ratio eorum quæ dicta sunt.

Quare prædicata substantialia non possunt esse infinita.

Si verò hoc est manifestum iam est, &c.

Si verò hoc est verum quod dictum est: tunc quasi ex corollario manifestum est vlterius, quòd etiam demonstrationum necesse est esse quædam principia in quibus stant demonstrationes: & manifestum, quòd non omnium sunt demonstrationes: quia principiorum non sunt demonstrationes: quod etiam parum post huius libri principium diximus quosdam vere dicere. Si enim principia sunt: tunc sequitur, quòd ante ea nihil est, per quæ possunt demonstrari: & sic sequitur, quòd non omnia sunt demonstrabilia, & quod demonstrationes non possunt in infinitum abire. Dicere enim, quod quodlibet illorum est, scilicet quod omnium sit demonstratio: vel dicere, quòd demonstratio in infinitum abeat, idem est dicere & nihil aliud, quam dicere, quòd nullum sit spatium (hoc est, nulla propositio) quæ sit sine medio, & ita indiuidua vel indiuisibilis vel quod sit immediata, sed quod omnis propositio mediata sit, & ideo concludi possit per medium: & hoc dicere est dicere omnia quæ sunt propositiones, esse diuisibilia medio accepto inter subiectum & prædicatum ipsius, per quod probatur prædicatum esse in subiecto.

Intus enim immittendo terminum, &c.

Demonstratur enim omne quod demonstratur in propositionibus, intra siue interrumpendo terminum medium, per quem demonstratio fit inter subiectum & prædicatum, ita quod fit coniungens prædicatum (quod est maior extremitas) cum subiecto quod est minor extremitas in demonstratione: sed non demonstratur assumendo super prædicatum vel assumendo de subiecto: penes tales enim assumptiones augentur demonstrationes, & augmentum demonstrationis non est demonstratio. Hæc autem iamdudum in antehabitis determinata sunt.

Quare si hæc contingit in infinitum ire, &c.

Propter quod si terminos, inter quos sumitur medium demonstrationis, contingit in infinitum abire abinuicem secundum distantiam, tunc etiam contingit vtrique duorum terminorum infinitè distantium infinita esse media intus siue intra subiectum & prædicatum imponenda: sed hoc impossibile est, si detur (sicut ostensum est) quòd prædicamenta siue prædicata steterint in superius & ad inferius accipiendo: quia vbi steterint, nihil remanet vlterius accipiendum. Quod autem sic stent prædicata (pro mediis accipiendo) demonstratum est logicè prius duobus modis, & nunc in ista demonstratione demonstratum est hoc analyticè.

CAPVT XIV.

De corollario quod sequitur ex dictis.

Monstratis autem his, manifestum est, &c.

HIs autem sic monstratis, quasi ex corollario habetur ex his quæ determinata sunt, quòd si aliquid (sicut passio aliqua eadem) insit duobus disparatis vel oppositis, sicut si a. prædicatum continuè dicatur inesse duobus quæ sunt c. & d. disparata vel opposita, ita quòd vnum non prædicetur de altero aut nullo modo (hoc est, vniuersaliter) aut non de omni (hoc est, nec particulariter) quod illud commune quod est eis, non est semper in eis secundum aliquod commune quod sit in ambobus illis. Exemplum autem eius, quòd aliquid quod prædicatur de duobus disparatis ineſt secundum commune quod est in ambobus est, vt isosceli (qui est æquitibiarum triangulus) & ei qui est scalenon (nullam tibiam alij habens æqualem) inest habere tres angulos æquos duobus rectis: hoc enim inest isosceli & scaleno: sed hoc commune vtrique rectilineus triangulus est. Inest enim eis secundum quod vterque figura quædam est, quæ est triangulus rectilineus, & non est in eis secundum alterum quam secundum illud in quo illa duo vnum sunt: quia isosceles & scalenon vna figura sunt triangula: quia secundum diuisionem figuræ abinuicem non diuiduntur, quamuis sint duo trianguli.

Hoc autem non semper sic se habet, &c.

Hoc autem non semper sic se habet, quod scilicet quando aliquid vnum ineſt duobus, quod sit in eis secundum aliquid vnum quod sit in ambobus. Cuius probatio est: sit enim b. illa natura communis in duobus secundum quod siue secundum quam a. est vtrique, id est, horum c. & d. tunc manifestũ, quòd b. (quod est illa natura communis secundum quam a. ineſt & d. & c.) vtrique illorum ineſt sicut & a. ergo & illud b. iterum ineſt secundum aliud commune quòd ineſt c. & d. & illud iterum secundum aliud: & sic in infinitum: quod est impossibile,

possibile, cum probatum sit, quòd statur in mediis. Probatum est ergo, quod licet aliquando vnum insit duobus per aliquod commune quod est in illis, non tamen hoc est semper in infinitum: sed aliquando est status: aliter enim in mediis duorum terminorum vtique incident siue intercident termini infiniti medij: sed hoc impossibile est sicut iam antea probatum est. Secundum igitur commune aliquod esse vel inesse non necesse est semper idem prædicatum in pluribus: quoniam aliqua spatia (hoc est, propositiones quædam) vera erunt immediata, quibus prædicatum non per aliud inest, sed per seipsum.

In eodem tamen genere & ex eisdem atomis, &c.

Sed tamen illos terminos quibus pluribus idem inest (si illud quod inest eis commune, inest eis per se) necesse est in eodem genere, hoc est, in eodem principio suæ generationis: & necesse est, quòd sit ex eisdem atomis, hoc est, principijs primis indiuisibilibus: quia aliter non idem per se inesset eis: quia passio fluit ex essentialibus principijs, vt dicit Boëtius: & quorum est vna passio, necesse est eorum esse eadem essentialia principia prima indiuisibilia quæ ad alia vlterius non resoluuntur. Et si ita non essent, sed essent diuersorum generum generantium ea, & tamen vna passio inesset eis: tunc (cum quælibet passio de suo subiecto sit demonstrabilis) illa passio de vno & de alio demonstraretur: & sic demonstratio erit de genere in genus, quod iam ante improbatum est. Probatum est enim, quòd non erat aliquam demonstrationem de alio genere in aliud genus descendere: neque etiam ea quæ demonstratur, quia passio vnius generis non est passio alterius.

CAPVT XV.

De reductione mediatarum ad immediatas.

EX omnibus autem quæ dicta sunt, manifestum est, quod propositiones mediatæ sunt quædam, & quædam sunt immediatæ. Oportet ergo dicere qualiter mediatæ reducuntur ad immediatas: hoc autem prius faciendum est in affirmatiuis, & postea in negatiuis.

Manifestum autem, & quod quum a. insit b. &c.

Dicimus igitur, quod iam ex prahabitis manifestum sit, quòd a. prædicatum sit in b. subiecto in aliqua propositione, vt dicatur, quod omne b. est a. aut propositio hæc erit immediata, aut mediata. Si mediata est, ita quod aliquod medium sit inter a. & b. & sit supra b. & sub a. tunc per illud medium interpositum erit demonstrare a. de b. sicut gratia exempli sit c. inter b. & a. positione medium, quod sit in toto a. & in quo toto sit b. Sic ergo fiet demonstratio: omne c. a. omne b. c. ergo omne c. a. Et elementa, hoc est, elementalia & immediata principia sunt huius demonstrationis siue demonstratiui syllogismi hæc eadem quæ sunt media: quia eadem media secundum quod media sunt bis sumpta, faciunt propositiones & componunt substantialiter, ex quibus sunt syllogismi demonstratiui: & tot sunt: quia sicut medium bis sumitur, ita mediando duas facit

Quomodo elementa demonstrationis sunt tot, quot media.

propositiones quæ sunt syllogismi demonstratiui elementa. Immediatæ enim propositiones ad quas reducuntur mediatæ propositiones, vera elementa sunt, aut omnes, aut maximè vniuersales & primæ: inter vniuersales enim quædam sunt magis vniuersales quam aliæ, & istæ maximè sunt elementa secundum hanc elementi rationem quam dat Aristot. in tertio de cælo, quòd elementum est, quod non resoluitur secundum formam ad formam aliam: & hanc dicit Aristot. intentionem Ioannes Grammaticus in suo commento.

Primæ propositio.

Quomodo immediatæ propositiones sunt elementa, aut omnes, aut vniuersales.

Secunda propositio. Tex. com. 31.

Sunt tamen qui dicant, quòd elementa dicuntur ambæ propositiones, maior scilicet & minor secundum virtutem consequentiæ quæ fluit ab ipsis, simul adunatam ex vtraque: & tunc sunt vnum medium, sicut vna virtus adunata quæ est elementum. Et hoc est quod dicit Aristot. aut omnes ambas propositiones, vocans ambas propositiones in vna adunata consequentiæ virtute: inter quas tamen maior est magis vniuersalis in causa consequentiæ: & ideo illa etiam dicitur elementum, eò quod sit vnum medium quod subiicitur in maiori propositione, in cuius prædicato est elementale prædicatum conclusionis: & hoc significare dicunt Aristot. cum dicit, aut vniuersales. Primum inter hæc magis videtur esse de intellectu Aristot. Sic ergo si mediata est affirmatiua vniuersalis, demonstranda est per medium extremis interpositum. Medium dico secundum primam figuram, quod positione sit medium. Si verò tale medium non est inter extrema, subiectum scilicet & prædicatum: tunc prædicatum inest subiecto immediatè: & tunc non amplius erit demonstratio: quia propositio talis est immediata, & ideo demonstrabilis. Sed via hæc quæ habetur in principia cognoscenda, habetur ad talis propositionis cognitionem, quæ est aut inductio, aut terminorum expositio: his enim duabus viis principia habent cognosci & non per demonstrationem.

Tertia expositio.

Qua via innotescant nobis principia.

Similiter autem in negatiuis propositionibus quædam sunt mediatæ, quædam verò immediatæ. Vnde sicut fuit a. in b. per medium & sine medio, similiter erit si negatiuè a. maior extremitas non sit in b. minori extremitate: siquidem cum dicitur, b. non est a. siue nullum b. est a. aut medium est quo a. non est in b. (quod exponendo dicimus esse medium vt prius, hoc est, superius ad b. cui per prius non inest a. & gratia huius a. negatur de b.) tunc erit demonstratio, & medium erit positione medium: quia est supra b. & infra a. sicut si sit illud c. tunc per c. demonstratur a. non inesse b. sic: nullum c. a. omne b. c. ergo nullum b. a. Si autem tale medium propter quod maior extremitas negatur de minori, non inueniatur: tunc propositio erit immediata, & non fit de ea demonstratio. Sed principia & elementa talis propositionis mediatæ & demonstrabilis tot sunt quot sunt termini tales, qui sunt medium interpositum extremis, qui faciunt demonstrationem. Et dicuntur principia inquantum sunt causa consequentiæ: elementa autem inquantum ex his fit propositio, & ex propositione demonstratio. Est enim terminus elementum

Similiter autem erit & a. in b. non sit, &c.

Quomodo principia & elementa propositionis mediatæ tot sunt, quot media inter posita extremis.

elementum propositionis immediatæ: propositio autem immediata est elementum propositionis mediatæ: & propositio mediata elementum demonstrationis. Vnde horum terminorum, hoc est, ex his terminis constitutæ propositiones sunt principia & elementa demonstrationis. Et sicut in affirmatiuis principia quædam indemonstrabilia: eò quod sunt immediata, dicentia quod sit hoc illud affirmatiuè in recto: & quædam affirmatiuè, quòd sit, hoc est, in illo siue illius in obliquo: sic sunt quædam principia in negatiuis ad demonstrandum, quòd hoc non sit illud in recto, & quod hoc non sit in illo in obliquo. Propter quod patet, quòd alia quædam principia sunt demonstrantia aliquid esse, & alia quædam sunt demonstrantia aliquid non esse.

Quum autem indigeat demonstrare aliquid, &c. Vid. Linc. hic quia impugnat expositionem Ioan. Gram. super hoc textu: & considera qualiter Io. Gran. potest sustineri.

Modus autem reducendi propositiones mediatas ad immediatas est iste, quòd cum aliqui indigent demonstrare mediatam in prima figura, vt demonstrent aliquid de aliquo, accipiendum est tale medium quod de b. minori extremitate primum prædicetur: quia in prima figura minorem oportet esse affirmatiuam, in qua medium de minori extremitate prædicatur: & illud sit c. & concludatur per illud a. de b. & si inter c. & b. sit medium, sit illud d. & per illud concludatur c. de b. & hoc medium in affirmatiuis tale sit, quod similiter sit: quia medium in affirmatiua est in toto primo: primum autem diximus esse a. & sic semper vadens demonstrator à magis mediata ad minus mediatam, & de minus mediata ad immediatam, nequaquam propositio assumpta per medium (quod sumitur) erit extra: quia semper manebit infra terminos, supra scilicet minorem extremitatem, & infra maiorem, donec deueniat ad immediatam: nec vnquam assumat per medium vel pro medio esse siue diffinitionem ipsius a. hoc est, maioris extremitatis, quandiu inueniet media quæ sunt inter maiorem & minorem extremitatem accipienda, sed semper media post media accipiendo desinetur mediata propositio, quousque partes (prædicatum scilicet & subiectum) fiant indiuisibilia hoc modo indiuisibilitatis quo indiuisibile dicitur quod non habet medium in quod diuidatur: & talis propositio verè dicitur vnum secundum quod vnum dicitur indiuisum per se, ab aliis autem diuisum, vt dicitur primo phys.

Tex. com 16.

Est autem vnum, cum immediatum.

Quomodo propositio immediata est vna & simplex.

Est autem sic vnum propositio, quando sit immediata, non habens medium quo prædicatum insit subiecto vel concludatur de ipso: tunc enim propositio, simplex & immediata hoc modo simplicitatis, quod non componitur ex multorum virtutibus & potestatibus, sicut mediata propositio multorum componitur virtutibus, quia virtutes omnium mediorum sunt in ipsa: immediata autem in simplicis inhærentiæ virtute consistit.

Quemadmodum in aliis, &c.

Et quemadmodum in aliis demonstratiuis scientiis principium cuiuslibet est simplex non diuisum in illa scientia, sed sicut primum acceptum quo omnia alia mensurentur & constituantur: ita est etiam in scientia demonstrationis. Primum enim vt principium & elementum suppositum non idem est in omnibus, quamuis in quoliber genere sit aliquod tale vnum primum: sed in graui (de quo scientia de ponderibus considerat) primum indiuisibile quod supponitur, est vncia: & hoc ponatur esse primum. In melodia autem (de qua considerat musica) primum est tonus: & hoc ponatur. In membris autem (de quorum diuisione considerat illa pars physicæ quæ dicitur anatomia) primum est diuisio siue articulus qui colon Græcè dicitur: hoc enim est in quo diuiditur iunctura stricta vel laxa. Et sicut semper aliquod primum & indiuisibile in alio genere, sic est etiam in genere syllogismi demonstratiui vnum primum propositio immediata: in demonstratione autem & scientia, hoc est, in demonstratiua scientia (si habitus ad habitum reducatur) primum est intellectus qui est habitus principiorum immediatorum.

Primum principium in genere syllogismi demonstratiui est propositio immediata: primum autem in scientia demonstratiua est intellectus.

Sic igitur in demonstratiuis syllogismis eius quod est (hoc est, affirmatiuis) qui affirmatiuas concludit, condensando mediatam ad immediatam, sumendo semper propinquius medium, nihil mediorum vel principiorum cadit extra extrema propositionis: sed quodlicet cadit inter extrema, vt positione sit medium. Sed in priuatiuis demonstrationibus condensandis quando mediatæ sunt, extra id quod oportet esse, id est, extra affirmatiuum, nihil cadit mediorum quæ assumi oportet: omnia enim illa assumuntur supra subiectum maioris propositionis quod in minori propositione affirmant de minori extremitate: eò quod medium in prima figura subiicitur in maiori & prædicatur in minori: & minorem semper oportet esse: (hoc est, affirmari in prima figura) & sic sumptum medium erit de quo tali negabitur maior extremitas: & per illud negabitur etiam de minori extremitate: quia minor extremitas est in illo. Et huius exemplum est, vt a. non sit in b. per medium c. sic autem fiat syllogismus: nullum c. a. omne b. c. ergo nullum b. a. si enim in b. omni sit c. in minori propositione: in nullo autem c. est a. in maiori propositione: si debeat condensari maior quæ est negatiua, & si illo indigeat demonstrator, hanc scilicet, nullum c. a. condensabit accipiendo medium propositionis a. c. quod sit supra subiectum vel medium c. a. quo negetur a. & sit illud d. sic: nullum d. a. omne c. d. ergo nullum c. a. & sic semper densando procedet donec non plus inueniat aliquod aliud medium. Hoc igitur modo negatiua condensanda est in prima figura.

Quomodo condensanda est negatiua in prima figura.

Si verò indigeat condensari negatiua in secunda figura, ad hoc demonstrandum disponatur talis syllogismus in secundo modo secundæ figuræ, & sint termini e. d. c. sic: omne c. d. nullum e. d. ergo nullum e. c. & si ista negatiua sit mediata & indigeat demonstrari per medium quod d. non sit in e. sumet medium c. & proponet in maiori propositione,

Si verò indigeat demonstrare, &c.

positione, quòd c. est in d. omni: & in minori autem assumet, quòd idem c. est in nullo e. sic: omne d. c. nullum e. c. ergo nullum e. d.

Quomodo ostenditur negatiua præmissa in secunda figura per primum & secundum modum.

Condensando autem cauebit demonstrator, quòd nullum medium assumat quod cadat extra e. quod est subiectum minoris propositionis: & sic condensabit sumendo media quæ sunt supra minorem extremitatem: quia propter illa negabitur semper maior extremitas de minori. Hoc autem gratia exempli medium (quod sic supra e. accipitur) sit g. & syllogizetur sic: omne c. g. nullum e. g. ergo nullum e. c. & sic semper vadit condensando: & sic procedendo erit aliquando stare ad immediatam, quæ est primum principium demonstrationis illius negatiuæ. In talibus enim cui oportet inesse est subiectum affirmatiuæ propositionis: & cui oportet non inesse, subiectum est propositionis negatiuæ: quod autem oportet non inesse, prædicatum est negatiuæ propositionis.

Positus est ergo modus condensandi negatiuam per secundam figuram, quando scilicet medium accipitur supra subiectum negatiuæ: & per tale medium oportet syllogizari in secundo secundæ figuræ. Si autem debeat syllogizari ad condensandum negatiuam per primum modum secundæ figuræ non est alius modus condensandi vel medium accipiendi, quam modus dictus per primam figuram: quia non differunt primus modus secundæ & secundus primæ nisi per conuersionem maioris. Et sic tantum duo modi sunt condensandi negatiuam propositionem: vnus quidem per medium acceptum supra subiectum, & est per primam figuram: alius per medium acceptum supra prædicatum, & est per secundam.

Duo tantum sunt modi condensandi propositionem negatiuam.

In tertio autem modo, &c.

Hoc habito ostendamus quomodo oportet condensare negatiuam in tertio modo, hoc est, in tertia figura syllogizando si sit mediata. Dicamus ergo, quòd medium sumptum ad condensandum negatiuam vniuersalem in tertia figura oportet non extraire, nec extraibit extra subiectum negatiuæ à quo oportet priuari & negari quod negatur: nec ibit extra prædicatum quod priuari oportet in negatiua: sed accipiatur supra prædicatum, & non extra ipsum.

Quomodo condensetur negatiua præmissa tertiæ figuræ tam per primam quam per secundam figuram.

Contingit negatiuam in tertia figura condensari, tam per primam figuram, quam per secundam. Per primam quidem si medium non accipiatur extra id quod oportet priuari, hoc est, prædicatum negatiuæ, sed accipiatur supra ipsum prædicatum. Cuius exemplum est in secundo tertiæ: nullum b. c. omne b. a. ergo quoddam a. non est c. sed maior quæ est negatiua, si sit mediata, condensabitur accipiendo medium supra c. prædicatum continuè, donec veniatur ad immediatam, & tunc condensabitur per primam figuram. Vel potest condensari accipiendo medium supra b. subiectum, & tunc condensabitur per secundam figuram, & per secundum eiusdem figuræ modum, & deducetur ad immediatam.

Quomodo & quare in tertia figura non potest densari negatiua, nec vniuersalis, nec particularis.

Est enim notandum, quòd per tertiam figuram non potest condensari vniuersalis negatiua, neque particularis negatiua. Quod quidem particularis non possit per tertiam condensari, patet sic, quoddam c. non est a. & omne c. est b. hic est quintus tertiæ: ergo quoddam b. non est a. Si maior negatiua sit mediata, condensetur per medium acceptum sub subiecto, si debeat ostendi per tertiam figuram, & accipiatur d. sub c. sic: nullum d. a. & omne d. c. tunc maior efficietur magis mediata, quam hæc, aliquod c. non est a. eò quod d. remotius est ab a. quam c. quia inferius est quam c. & sic semper sumendo fiet magis & magis mediata: & sic nunquam ad immediatam deueniet per tertiam figuram.

Vniuersalis autem negatiua per tertiam figuram condensari non potest tam propter causam quæ dicta est, quia magis mediata efficitur: tam etiam propter hoc quod tertia figura non concludit vniuersalem negatiuam. Sic igitur mediatæ reducuntur ad immediatas per condensationem, vt demonstratum est.

TRACTA-

TRACTATVS V.

De comparatione demonstrationis ad demonstrationem.

CAPVT I.

De intentione tractatus de comparatione demonstrationis particularis ad vniuersalem.

DEterminatis in superioribus principiis demonstrationis absolutæ, cum post demonstrationem in se & absolutam considerandæ sint partes demonstrationis, & comparationes partium, & iam de partibus in quas diuiditur demonstratio, determinatum sit in præhabitis cum ipsa demonstratione, quæ sunt vniuersalis particularis, affirmatiua negatiua ostensiua, & ad impossibile, sequitur hîc tractare de comparatione partium adinuicem. Tangenda autem prius comparatio particularis & vniuersalis, affirmatiuæ & negatiuæ, quia hæ differentiæ sunt demonstrationis ex parte principiorum demonstrationis quæ sunt propositiones, quam scilicet ostensiuæ & ad impossibile, quæ sunt differentiæ demonstrationis ex parte syllogismi demonstratiui. Adhuc autem cum vniuersalis & particularis sint differentiæ demonstrationis ex parte subiecti propositionis, affirmatiua autem & negatiua sint differentiæ accepræ ex parte prædicati vel compositionis, manifestum est, quòd rationabiliter in primis ponitur comparatio demonstrationis particularis ad vniuersalem.

Quare prius comparatur demonstratio vniuersalis particularis, & affirmatiua negatiua secundum dignitatem, quam ostensiua ducenti ad impossibile.

Quare prius comparatur vniuersalis particulari, quam affirmatiua negatiuæ.

Dicamus igitur, quòd cum sit demonstratio alia quidem particularis, alia verò vniuersalis secundum subiecti demonstrationis diuisionem: & iterum hæc quidem sit categorica siue prædicatiua, hoc est, affirmatiua, illa verò alia sit priuatiua, hoc est, negatiua, penes diuersitatem qualitatis compositionis: dubitatur vel dubitari potest à quibusdam, qualis sit potior, si quælibet sibi ex oppositio diuidenti demonstratione comparetur. Potiorem autem dicimus siue dignitate, siue bonitate, siue certitudine, vt bonitas referatur ad virtutem comparatam ad actum meliorem: quia meliora sunt, quorum virtus, hoc est, vltimum potestatis est ad actum meliorem. Dignitas autem referatur ad bonitatem illius eiusdem actus, vt quæ melius attingit finem qui est actus vel operatio illa. Certitudo autem referatur ad nos vel rem quæ inferendo magis certificat: melior est enim virtus hominis (quæ est ratiocinari) quam virtus asini quæ est ad asini operationem substantialem: & dignior est domus quæ magis protegit ab imbribus, & certior est syllogismus demonstratiuus quam dialecticus, eò quod magis certificat. Secundum hæc igitur tria speciemus & partium demonstrationis faciemus comparationem. Similiter autem comparationem faciemus de ea demonstratione quæ demonstrare dicitur ostensiuè: quia illa verè demonstrat quæ ostendit, & demonstratione ducente ad impossibile. Primum quidem igitur intendamus & de vniuersali & particulari, quæ illarum sit potior bonitate, dignitate, & certitudine.

Quomodo potius, dignius, & certius differat in demonstratione.

Videtur quidem igitur per rationes verisimiles aliquorum forsassis quibusdam sic per tales rationes intendentibus, particularis demonstratio esse dignior vniuersali demonstratione. Est autem prænotandum, quòd particularem & vniuersalem demonstrationem non vocamus illas quæ particulari signo vel vniuersali determinantur ad hoc quod sint particulares vel vniuersales demonstrationes: sed dicimus particularem quæ vniuersaliter est de re, in propria natura considerata: sicut cum dicimus, omnis isosceles habet tres æquos duobus rectis. Vniuersalem autem dicimus eam quę considerat passionem relatam ad subiectum quæ est vniuersale consideratum secundum ipsum: sicut cum dicimus, quòd triangulus habet tres æquos duobus rectis. Hoc igitur modo comparantes vniuersalem ad particularem, quidam verisimiles afferunt rationes tres, ex quibus probare conantur particularem demonstrationem potiorem esse quam sit vniuersalis demonstratio.

Videtur quidem igitur fortalsis, &c.

Quia per demonstrationem vniuersalem particularem intelligendum.

Quorum prima hæc est, quòd supponunt, quòd illa demonstratio potior est, secundum quam maximè scimus, eò quod primus effectus demonstrationis est facere scire: & hæc est virtus vltima demonstrationis: magis autem scimus vnumquodque cum ipsum in propria natura cognoscimus secundum ipsum, hoc est, secundum quod est in seipso in propria natura ipsius, quam quando cognoscimus ipsum secundum aliquid quod non est propria natura ipsius: sed communis in qua ipsum non nisi in potentia est: sicut gratia exempli dicamus, quòd Coriscum musicum sub accidente quo Coriscus est & natura magis cognoscimus & distinctius & determinatius, quam cum cognoscimus sub hoc com-

Primaratio, quòd demonstratio particularis sit potior vniuersali.

muni quod homo muſicus eſt. Similiter autem eſt in aliis quæ etiam in propria natura & non communi cognoſci poſſunt. Hoc ſuppoſito aſſumunt: quia vniuerſalis demonſtratio (hoc eſt, paſſionem demonſtrans de vniuerſali ſecundum ipſum) demonſtrat aliud quoddam, & non demonſtrat quoniam contingit paſſio ipſa in propria natura: demonſtrat enim quidem, quod hæc paſſio, habere tres æquos duobus rectis, eſt trilaterarum figurarum æquilinearum, quia aliter non eſſet de omni demonſtratio: & non demonſtrat, quòd hæc paſſio ſit æquilinearum figurarum trilaterarum, ſecundum quod æquilineæ ſunt, ſed quod eſt æquilinearum ſecundum quod æquilineæ quiddam aliud ſunt quod eſt commune, & eſt triangulus, in quo cum aliis trilateris figuris æquilineæ ſicut in vniuerſali vniuocè conueniunt. Sed particularis demonſtrat paſſionem de ſubiecto particulari: quoniam ipſum ſubiectum in propria natura eſt acceptum. Si igitur (ſicut illi hic intendentes dicunt) potior eſt quæ eſt demonſtrans de re ſecundum ipſum (hoc eſt, propriam naturam rei ſecundum quod huiuſmodi eſt) videtur, quod particularis demonſtratio magis ſit demonſtratio & potior vtique (eò quod ſecundum partem, hoc eſt, ſecundum propriam naturam eſt) quam vniuerſalis. Hæc igitur eſt ratio prima.

Amplius ſi vniuerſale quod non eſt, &c. *Secunda ratio ad idem.*

Amplius autem ſecunda ratio. Si vniuerſale non eſt aliquid præter ſingula habens eſſe actuale in ipſis: demonſtratio autem vniuerſalis demonſtrat de vniuerſali non ſecundum quod eſt in ſingulis, ſed ſecundum quod eſt in ſeipſo, per hoc ipſum quod ſic demonſtratum de ipſo facit opinionem quod ſit aliud in ſeipſo propter ſingularia ſecundum quod demonſtrant de ipſo, non prout ipſum in ſingularibus: & ſic conficit talis demonſtratio opinionem, quod ſit quædam natura ſeparata in numero eorum quæ ſunt, quæ ſit in eſſe actuali præter ſingularia: ſicut gratia exempli dicamus, quod conficit trianguli naturam quandam eſſe quæ ſit ſeparata præter quoſdam particulares triangulos, & conficit opinionem, quòd figura ſit quædam natura communis quæ ſit præter aliquas particulares figuras: & ſic conficit opinionem, quòd ſit quædam natura numeri quæ ſit præter quoſdam, hoc eſt, particulares numeros: & hoc quidem non eſt, quia talis natura non eſt: ergo videtur vniuerſalis eſſe de eo quod non eſt, particularis autem de eo quod eſt & vere eſt in natura: potior autem eſt demonſtratio quæ eſt de eſſe & de eo quod eſt, quam quæ eſt de non eſſe vel de eo quod non eſt: vniuerſale enim præter multa (in quibus eſt) non eſt: potior ergo videtur eſſe particularis demonſtratio, quam vniuerſalis. Hæc igitur eſt ratio ſecunda.

Et propter quam non errabitur, &c. *Tertia ratio.*

Tertia autem ratio, quòd potior eſt demonſtratio, propter quam non errabitur de quo fiat demonſtratio, hoc eſt, propter quam non dubitabitur de quo demonſtretur, quam illa propter quam errabitur & dubitabitur de quo demonſtretur. Eſt autem vniuerſalis demonſtratio ſecundum quod maximè vniuerſalis eſt) huiuſmodi enim facit errare & dubitare de quo demonſtretur: cuius probatio eſt: quia demonſtratores procedentes ad magis vniuerſale, quod eſt analogum ſiue ſecundum analogiam commune multis, ſicut proportionale quod commutabiliter eſt in numero, tempore, linea, ſolido, & plano, demonſtrant de ipſo ſecundum quod eſt aliquid in ſe præter hæc: vnde neque in linea eſt ſecundum quod linea, neque in numero ſecundum quod numerus, neque eſt ſolidum ſecundum quod ſolidum, neque planum ſecundum quod planum, ſed ſecundum quod eſt aliquid præter hæc. Si igitur hæc demonſtratio eſt magis vniuerſalis inter demonſtrationes, & eſt de eo quod minus eſt quam particularis, & ſic facit opinionem falſam, quod hoc ſcilicet quod minus eſt, magis ſit quam id quod magis ſit: indignior vtique erit demonſtratio vniuerſalis, quam particularis. Id enim quod verè in natura ſingulare eſt, & quod illi propinquius eſt, magis eſt quam quod ab illo eſt remotius: & ideò res in propria natura acceptæ (quæ ſingulari propinquior eſt) magis videtur eſſe, & illa quæ in maximè vniuerſali conſideratur, videtur minus eſſe, quia à ſingulari eſt remotior. Hæc igitur ſunt rationes, ex quibus probare quidam conantur particularem demonſtrationem potiorem eſſe quam vniuerſalem.

Aut primò quidè nihil magis, &c. *Reflexio primæ rationis.*

Nos autem antequam ponamus rationes ad oppoſitum, ſoluentes ad iſtas dicimus, quòd ſi ita eſt ſicut dicunt iſti: aut primum quidem quod adducunt pro ratione prima, nihil magis ratio eſt in vniuerſali demonſtratione probanda eſſe potiore quam in particulari: quia plus valet ad ſuæ intentionis oppoſitum, quam valeat ad ſuæ intentionis propoſitum: ſi enim hæc paſſio, habere tres æquos duobus rectis, ineſt quidem, ſed non ineſt triangulo ſecundum quod eſt æquilinearum triangulus, ſed ineſt ei ſecundum quod triangulus eſt propria natura ſecundum quam ineſt, paſſio eſt vniuerſalis & non particularis. Cognoſcens ergo hanc paſſionem ineſſe æquilineo inquantum æquilineus eſt, minus cognouit ſecundum propriam naturam ſecundum quam ineſt paſſio, quam cognoſcens quoniam ineſt ei talis paſſio ſecundum quod triangulus eſt: quia in particulari demonſtratione cognoſcens non cognouit ſecundum ipſum, ſed in vniuerſali cognoſcens ſecundum ipſum cognouit. Cognoſcens autem ſecundum ipſum, magis cognouit quam cognoſcens non ſecundum ipſum: & omninò, hoc eſt, vniuerſaliter ſi non ſit paſſio dicta demonſtrata de triangulo ſecundum ipſum ſecundum quod eſt triangulus, & poſteà de inferioribus demonſtratur, non vtique erit demonſtratio: quia deficit à principio demonſtrationis quod eſt ſecundum ipſum. Si verò cognouit vnumquodque ſecundum quod ipſum eſt (vt dicunt & confitentur illi) magis cognouit. Si igitur triangulus qui eſt in plus, hoc eſt, communior quam æquilineus, & eſt eadem ratio ipſius in omnibus particularibus ſiue ſpecialibus triangulis, & non eſt commune hoc nomen, triangulus, ſecundum æquiuocationem quo triangulus prædicatur de multis in propria natura conſideratis, & ineſt omni triangulo paſſio quæ eſt tres duobus rectis æquales habere: tunc ſequitur vtique,

vtique, quòd triangulus secundum quod est æquilinearum, non habet duobus rectis tres æquales, sed potius è conuerso æquilineus non secundum quod æquilineus, sed secundum quod triangulus est, habet huiusmodi angulos, tres scilicet æquos duobus rectis. Propter quod vniuersaliter sciens hoc modo per demonstrationem vniuersalem, magis & potiori demonstratione cognoscit secundum quod est res secundum se & vt ipsum, quam secundum demonstrationem particularem. Falsum igitur fuit quod dixerunt, quòd in particulari cognoscens, verius semper cognosceret, quam cognoscens in vniuersali. Potior vtique vniuersalis, quam particularis, & per suam quam cauillator induxit rationem.

Obiectio. Sed quod in hac solutione dictum est, videtur contrarium ei quod in secundo priorum determinatur, quòd scilicet cognitio in propria natura potior est quam scientia in vniuersali, & vtraque potior illa quæ est in agere. Sed sciendum, quod est cognitio rei in scientia, & hæc non est demonstratiua, & hac cognitione melius cognoscitur res in propria natura, quam in vniuersali: & est cognitio rei secundum potestatem qua fluunt de ea suæ passiones naturales & conuertibiles, & sic potissimè cognoscitur res quando secundum hoc cognoscitur quòd in ipsa est principium illarum passionum. Et hanc distinctionem ignorauerunt isti, qui dicta ratione particularem demonstrationem demonstrationi vniuersali prætulerunt. Et hoc modo dicit Aristot. in primo de anima, quòd cognitio accidentium maximè prodest ad cognoscendum quod quid est. Hæc igitur est

solutio. solutio rationis primæ.

Amplius si quidem sic quædam ratio, &c. Amplius solutio secundæ rationis, quòd vniuersale sit quædam ratio vna non æquiuocata eius quod est in pluribus secundum vnam & eandem rationem: illa enim ratio erit alicuius naturæ siue substantiæ formalis, sicut dicit Aristot. in prædicamentis, quòd in vniuocis ratio substantiæ est eadem: quod esse non posset, nisi ipsa cuius ratio est, vna esset. Est autem vna per vnum & indiuisum respectum ad multa: & multa sunt in ipsa vnum per vnum & indifferentem multorum respectum ad illam naturam siue substantiam: hanc enim vnitatem non habet æquiuocum neque analogum. Si autem tale esse in singularibus dicatur habere, proculdubio vniuersale nihil minus erit & esse habebit singularibus, hoc est, quam singularia: & sic non erit minus quibusdam, hoc est, particularibus secundum partem, hoc est, particulariter existentibus: sed etiam magis erunt & magis esse habebunt vniuersalia quam singularia, quantò vniuersalia incorruptibilia sunt, & esse vniuersalium, vt vniuersalium est incorruptibile, illis quæ sunt singularia comparata, quorum esse est corruptibile.

Vnitas vniuersalis est vnitas rationis: de hoc tamen sunt opiniones diuersæ Scoti & sancti Thomæ, vt patet 7. met. Scias autem, quòd vnitas vniuersalis est vnitas rationis eius quæ est in multis, & quod causa vnitatis illius nec est intelligentia prima, nec aliqua secundarum intelligentiarum, vt quidam dicunt sed eius causa est (quæ dicta est) indifferens respectus ad multa, & indifferens respectus multorum, scilicet suppositorum ad ipsum: & incorruptibilitatis eius causa est, quia vt vniuersale acceptum, secundum potentiam elongatum est à materia & accidentibus: secundum enim esse quod habet in illis, corruptibile & variabile est, & secundum hoc esse non est vniuersale. De hoc autem plura in principio libri vniuersalium diximus: sed in prima philosophia hæc habent cum studio determinari.

Quidam incrustit primam vel aliquam intelligentiarum secundarum esse causam vnitatis vniuersalis.

Sciendum etiam, quòd quædam singularia corruptibilia dicit Aristot. & non omnia, propter solem & lunam & huiusmodi quæ incorruptibilia sunt: eò quod sunt ex materia sua tota, & nullum illorum in se habet vniuersale quod actu prædicetur de multis vel sit in multis. Et non dicit hoc propter intelligentias, vt quidam dicunt. De his autem in prima philosophia in libro decimo intendendum est: quia ex principiis illius scientiæ hæc non possunt determinari. Sed hic notandum est, quia nisi essent vniuersalia incorruptibilia hoc modo quo dictum est, non esset vna ratio hominum præteritorum præsentium & futurorum: eò quod non esset vna substantia & natura: nec propter hoc hominem esse singulariter subiectum, cum dicitur hominem esse, necesse est.

Non omnia singularia sunt corruptibilia, vt colligitur ex textu philosophi hic. Mordet Lincolniensem hic.

Quod vniuersalia sint incorruptibilia.

Amplius neque vna necessitas est opinari, &c. Amplius tertiæ rationis solutio, quòd neque vna, hoc est, nulla necessitas est, quòd aliquis opinetur hoc vniuersale aliquid esse actu distinctum in esse actuale apud naturam præter hæc singularia (in quibus est, & quorum, vt dicit Boet. similitudo substantialis est) propter hoc quod demonstrationes ipsum ostendunt esse vnum, cui secundum se insit passio: non enim propter hoc est vnum separatum ab aliis secundum esse, & nihil est magis propter hoc vnum ab aliis secundum esse actuale separatum, sicut in aliis prædicamentis accidentium quæcunque non significant hoc aliquid sicut substantia, sed significant aut quale, aut quantum, aut ad aliquid, aut facere: de illis enim multa probantur quæ non conueniunt eis secundum esse quod habent in subiecto, & tamen non propter hoc intelliguntur habere esse separatum à subiecto. Similiter ergo non propter hoc vniuersale intelligitur secundum esse separatum à singulari, propter quod quædam falsi conuenire demonstrantur quæ non conueniunt ei secundum esse quod habet in singularibus: & quod sic intelligitur habere esse actuale præter singularia, non est causa illius erroris demonstratio, sed malè audiens demonstrationem, qui eam quid & de quo concludat & qualiter, non intelligit. Ex omnibus his igitur patet, quòd particularis demonstratio non est potior propter dictas rationes.

CAPVT II.

De sex rationibus quibus probatur, quod vniuersalis demonstratio potior est particulari.

Amplius si demonstratio est syllogismus demonstrationis. QVod autem vniuersalis demonstratio dignior sit particulari, propriis probatur ra-

tionibus. Quarum prima est: quia si demonstratio est syllogismus demonstratiuus, iam potissima demonstratio est syllogismus demonstratiuus causæ, hoc est, per causam propter quid & quid dicentem: vniuersale autem subiectum (quod ipsum est) magis est causa passionis quæ inesse probatur: & huius causa non est particulare in propria natura acceptum, sicut in antehabitis probatum est: subiectum enim cui per se inest prædicatum, hoc idem prædicati causa est: tale autem subiectum primum & secundum se passionis est vniuersale & non aliquid in propria natura acceptum: quare demonstratio vniuersalis dignior, quam particularis: subiectum enim vniuersale magis est causa propter quod siue propter quam aliquid est, hoc est, propter quam & est & inest prædicatum quod est passio.

Amplius vsque ad hoc quærimus, &c.

Secunda autem ratio ad idem est, quòd in eo quod demonstrandum est, causam quærimus vsque ad hoc, quod scilicet prima & immediata & conuertibilis & per essentiam causa est & propter quid: tunc opinamur nos scire per demonstrationem, cum in demonstratione non sit aliquid aliud medium quam hoc quod est talis causa: & sic causa quod fiat res, sicut causa efficiens prima & per se: aut quod sit res in esse, sicut est causa formalis. Finis enim & terminus, hoc est, diffinitio, iam sic est per talem modum causæ. Simile enim est in finalibus causis ad causas demonstrationis: quia in finalibus terminis recurritur vsque ad vltimum: & ab hoc incipit operatio efficientis ad finem illum inspicientis: & sic in demonstrationibus recurritur ad causam vltimam quæ est proxima & immediata. Cuius exemplum est, vt cuius causa venit aliquis? & dicitur, vt accipiat argentum: hoc enim intendit veniens. Et si quæritur, cuius causa accipit argentum? & dicitur, vt reddat illi cui debetur: hoc enim intendit accipiens. Et si quæritur, cuius causa reddit? respondetur, vt non iniustè agat debitori non reddens quod debuit: hoc enim intendit reddens. Et sic procedentes ad vltimum, cum venitur ad id quod non amplius est aliquid quod sit vlterius præcedentis causa, propter hoc sicut propter vltimum finem dicimus venire eum qui venit: quia ille (sicut diximus) principium fuit mouens ad veniendum, & ab illo incipit operatio venientis: & ideò propter illum dicimus & esse quod est & fieri quod fit, sicut per vltimum & proximum in causis: & tunc dicimus nos cognoscere magis & maximè propter quid venit? hic enim mouit ad veniendum. Si igitur similiter se habet in aliis causis quæ sunt propter aliquid causandum in esse vel fieri. In aliis autem causis à causa finali quæcunque causæ sic sunt vltimatæ & immediatæ factæ, sicut illa quæ est cuius causa fit (quia illas statim sequitur effectus) sic (hoc est, per tales causas) scimus maximè & per tales vltimas etiam in aliis causis: ergo tunc maximè scimus cum non amplius sit aliqua causa quæ aliud est, hoc est, propter aliud est: illa enim est vltima & immediata & essentialis & conuertibilis.

Quam igitur cognoscatur quidem, &c.

Hoc ergo sic determinato ad cognoscendum causam vltimam, illud apremus ad propositum in exemplo superius inducto de particulari & vniuersali demonstratione. In particulari enim concluditur, quòd æquilineus est habens tres æquos duobus rectis: & assignatur causa, quòd quatuor anguli qui sunt extra, hoc est, exteriores lineis omnibus trianguli à quolibet angulo protractis in continuum & directum qui resultant in quolibet angulo trianguli, computatis tribus exterioribus cum vno interiori: & per hanc causam probamus, quòd æquilinearum triangulus habet tres æquos duobus rectis. Adhuc autem deest causa vltima dicens, propter quid æquilineus habet tres duobus rectis æquales. Huius autem causa est: quia æquilineus triangulus est, & hic adhuc vlterius habet angulos: quia est figura trilatera rectis lineis conclusa: & recta linea quocunque modo cadens supra rectam lineã, vel facit duos angulos rectos, vel æquos duobus rectis. Si autem hæc est vltima causa: tunc non quærendum amplius propter quid aliud sit: quia aliter non starent principia demonstrationis: & tunc habendo illam causam maximè scimus: sed tunc vniuersale est cui secundum se conuenit passio: ergo per vniuersalem demonstrationem maximè scimus: & per quam scimus maximè, est potior: ergo vniuersalis demonstratio potior est particulari.

Amplius quantocunque vtique, &c.

Amplius tertia ratio ad idem est hæc: quia quantocunque magis aliquid siue aliqua demonstratio est secundum partes (hoc est, particularis) eò magis accedit ad infinitum, cuius (vt dicit Plato) non potest fieri disciplina: sic enim cadit in infinita: & quò aliquid fuerit magis vniuersalis demonstratio, magis accedit in simplex primum & finem siue vltimum in quo stat resolutio. Est autem (hoc est, contingit) quòd secundum partem accepta secundum quod sunt infinita, non sunt scibilia, quia talium non potest fieri disciplina: sed secundum quod sunt finita ad vniuersale, scibilia sunt: itaque secundum quod sunt vniuersalia magis sunt scibilia, quam quo sunt (hoc est, secundum quod sunt) secundum partem accepta: & quæ magis scibilia, magis sunt demonstrabilia: ergo demonstrabilia magis vniuersalia quam secundum partem accepta: sed in magis demonstrabilibus est demonstratio magis & potior: cuius probatio est: quia ea quæ sunt ad aliquid, si vnum est magis, reliquum est magis: cum igitur demonstratio & demonstrabile relatiua sint adinuicem, & vniuersale sit magis demonstrabile particulari, erit vniuersalis demonstratio potior quam demonstratio particularis: igitur & dignior est demonstratio vniuersalis quam particularis, quo magis demonstratio est.

Infiniti non potest haberi disciplina, vt inquit Plato.

Si vnum relatiuorũ est magis, & reliquum est magis.

Amplius si magis præponenda, &c.

Amplius quarta ratio. Si demonstratio illa secundum quam cognoscitur hoc quod demonstratur & illud quod in illo continetur, præponenda illi alteri secundum quam cognoscitur hoc vnum solum & nihil in illo, si verè talis præponenda est: tunc vniuersalis præponenda est particulari: quia qui vniuersale cognouit (habens ipsum vt vniuersale est)

cognouit & particulare in quo vniuersale est & actu & intellectu: hic autem qui cognouit particulare vt particulare, non propter hoc vniuersale sciuit: quia accidit vniuersali esse in particulari, & ideo ex particulari non potest sciri per demonstrationem propter quid: & sic per talem rationem præponenda est vniuersalis demonstratio particulari.

Amplius autem & sic, &c.

Amplius autem & sic quinta ratione probatur idem: inter vniuersalia enim magis est demonstrare & certius quando per medium demonstratur quod est principio proprio propinquius: & quantò demonstratur per medium & causam principio propinquius, tantò melius demonstratur: proximum autem principio est immediatum: quia hoc est principium demonstrationis primum. Si igitur ea demonstratio quæ est ex principio & causa, certior est ea demonstratione quæ non ex principio & causa, sicut est illa quæ dicitur demonstratio quia: tunc sequitur etiam, quòd illa quæ magis & propinquius est ex principio (hoc est, per medium propinquius principio primo) magis & certior demonstratio sit, quàm illa quæ minus est ex principio, sicut illa quæ demonstrat per medium plus distans à principio: illa autem quæ magis est vniuersalis, est per causam propinquiorem principio demonstrans: & illa quæ est particularis, demonstrat per causam à principio longiorem: igitur vniuersalis magis dignior vtique erit particuli.

Vt si oportet demonstrare, &c.

Huius autem exemplum est vt si oportet a. prædicatum de d. subiecto demonstrare: & sint media duo per quæ potest fieri demonstratio, scilicet b. & c. ita quod b. sit medium propinquius principio, & c. sit longinquius à principio: sic enim magis sursum iuxta principium erit b. quam c. propter quod si per b. (quod est magis vniuersale) fiat demonstratio, magis est demonstratio: & sic constat, quòd illa quæ est per magis vniuersale, magis est demonstratio: & sic vniuersalis magis est demonstratio & potior, quam illa quæ est particularis.

Sed eorum quæ dicta sunt, &c.

Si autem comparentur rationes quæ dictæ sunt: tunc paret, quòd quædam dictorum logica sunt vt tertia & quarta rationes. Maximè tamen manifestum per quartam rationem, quòd vniuersalis demonstratio magis propria sit: quoniam propositionum (hoc est, de numero propositionum) hanc quidem magis vniuersalem priorem & vt principium habentes quodammodo, & posteriorem, hoc est, particularem habemus potentia ad minus. Cuius exemplum est: quia si aliquis cognouit, quòd omnis triangulus habet tres æquales duobus rectis, sciuit quodammodo ad minus in potentia, quòd æquilineus triangulus habet tres æquos duobus rectis: quia potentia cognouit cum æquilineus triangulus sit potentia quamuis forte non cognouit in propria natura vel actu, quòd æquilineus sit triangulus: eò quod forte vniuersale non reducit ad particulare, vel non comparat præmissas ad conclusionem hãc vniuersalem per vniuersalem demonstrationem: quia in demonstratiuis vniuersale est de omni & semper: vniuersalis igitur demonstratio potior est particuli. Cognoscens enim particulare nullo modo cognouit vniuersale, neque potentia, neque actu.

Et vniuersalis quidem intelligibilis est, &c.

Et sexta ratione hoc idem probatur, quòd vniuersalis quidem demonstratio est eius quod intelligibile est, sed particularis in sensus dirigens perficit suam ostensionem: nobilior autem intellectus sensu, & nobilius & certius intelligibile quam sensibile: ergo vniuersalis potior est demonstratione particulari. Quod igitur vniuersalis demonstratio dignior sit particulari, tot nobis dicta sint, quæ etiam sunt concedenda: potior enim est vniuersalis demonstratio quam particularis.

CAPVT III.

De rationibus probantibus, quòd affirmatiua demonstratio potior est, quam negatiua, & sunt septem.

Quod autem demonstratiua, &c.

AD determinandum autem secundam quæstionem, scilicet vtrum affirmatiua demonstratio potior sit quam negatiua, nunc intendimus. Quod enim demonstratiua (hoc est, affirmatiua) potior sit quam priuatiua hinc (hoc est, ex nunc dicendis) manifestum sit. Concedatur enim, quòd omnibus aliis conditionibus paribus existentibus vna demonstratio potior sit & dignior quam alia, quæ est aut de minoribus quæstionibus, aut ex paucioribus suppositionibus, aut ex paucioribus propositionibus. Dico autem quæstiones & suppositiones, principia extrinseca demonstrationis, inter quæ primum est quæstio, secundum suppositio, quo tanquam principio vtimur ad probandum. Propositiones autem dico, quæ ingrediuntur in substantiam syllogismi, sicut maior & minor. In qua enim pauciora quærunt, citius determinantur: & in qua paciores suppositiones sunt necessariæ, facilius declarantur: & in qua pauciores suppositiones sunt necessariæ, facilius declarantur: & in qua pauciores propositiones vniformiores secundum qualitatem, per illam citius habitudo medij videtur ad extrema. Si enim notæ sunt pauciores similiter vt plures, & sint in aliis æqualia, non in hoc quod huius demonstrationis sunt pauciora, illius autem plura) tunc velocius est cognoscere per pauciora, quam per plura. Dico autem nota similiter, vt si plura sunt priora siue nota simpliciter, & non quoad nos: & pauca sint nota simpliciter, & non quoad nos: vel è conuerso: & similiter ad æqualitatem reducantur in omnibus aliis conditionibus, præterquam in hoc quod vna sit ex paucioribus, & alia ex pluribus quæstionibus & suppositionibus & propositionibus: tunc enim velocius est cognoscere ex paucioribus. Cognoscere autem velocius, est appetibilius: quia facilius est pertransire pauca, quam multa. Vniuersalis autem ratio (hoc est, in omnibus tenens & concludens) est, quòd propositio melior sit quæ est ex minoribus, hoc est, paucioribus.

Quæstio & suppositio sunt principia extrinseca demonstratiua.

Huius autem exemplum est: quia si debeat

Sit enim per media demonstratio, &c.

demonstrari, quòd a. sit in c. hoc est, quod omne c. sit a. & sit propositio mediata trib⁹ medijs quæ sint b. c. d. altera sit demonstratio demonstrans, quod c. sit in d. hoc est, quod omne d. sit a. quæ etiam sit mediata per duo media quæ sint b. c. & quod similiter in prioritate & notioritate se habeant, media ad probandum, quòd a. sit in d. quæ duo sunt, & media ad probandum quod a. sit in c. in omnibus conditionibus, præterquam in hoc quod illa sunt duo, ista autem tria: sed quod a. sit in d. prius est cognoscibilius, eò quod per pauciora, quam quod a. est in c. quod cognoscitur per plura. Cuius probatio est: quia per hoc quod a. in dest, demonstratur quòd a. inest c. quia d. medium est ad demonstrandum a. de c. & sic per b. c. oportet demonstrari a. de d. & postea hoc demonstrato per d. oportet demonstrari a. de c. & sic a. de c. demonstratur per a. d. Credibilius autem est illud per quod aliquid demonstratur, quam id quod demonstratur. Itaque demonstratio melior est, quæ est per minima, hoc est, per pauciora media, quam illa quæ est per plura, aliis omnibus paribus existentibus. Hæc autem ratio secundum quod eam adducit Arist. in pluribus & paucioribus medijs ad demonstrationem mediatæ propositionis ordinatis vt pauciora media pars sunt mediorum plurium, sicut duo sunt pars trium, & b. c. d. se habent ad b. c. sicut sexqualterum ad subsexqualterum secundum proportionem.

Vtræque quidem igitur, &c.

Ne autem aliquis ea quæ dicta sunt calumniari possit, dicimus, quod vtraque demonstrationes (tam affirmatiua scilicet, quam negatiua) fiunt per tres terminos, & duas propositiones: quia (sicut in libro priorum ostensum est) omnis syllogismus fit ex tribus terminis, & duabus propositionibus. Sed hæc quidem demonstratio quæ affirmat in præmissis, non accipit nisi esse aliquid affirmatiuè: demonstratio enim affirmatiua est, quæ concludit affirmatiuam conclusionem: & hoc non sequitur nisi ex ambabus præmissis affirmatiuis. Illa verò quæ est demonstratio negatiua, accipit & esse affirmatiuè & non esse negatiuè: quia ex ambabus negatiuis nihil sequitur: & ideò in negatiua demonstratione vna præmissarum est affirmatiua, & altera negatiua: & sic per plura non numero, sed qualitate sit negatiua, quam affirmatiua: & media quibus probatur affirmatiua, quæ est altera præmissarum in negatiua demonstratione, sunt tot numero, quot sunt quibus probatur affirmatiua in demonstratione affirmatiua: & insuper debet habere alia media quibus probatur altera præmissarum eiusdem negatiuæ demonstrationis, quæ est negatiua: & sic plura sunt media quibus probantur principia affirmatiuæ demonstrationis: media enim affirmatiuè accipiuntur à consequentibus vel antecedentibus: negatiua autem media, si mediata est propositio negatiua, à repugnantibus accipiuntur: & hoc modo oportet adaptare rationem Aristot. & nisi sic coaptetur, conclusio non respondebit præmissis. Hæc igitur est ratio prima.

Quomodo demonstratio negatiua sit per plura quam affirmatiua.

Amplius

Amplius autem secunda ratio ad idem est, quòd illa demonstratio potior est, quæ est ex principijs quæ non variata ad aliam qualitatem, perfectè constituunt demonstrationem, quam illa quæ est ex principijs demonstrationum in eadem qualitate non constituentibus demonstrationem, quinimo ad hoc quod constituant, oportet ipsa variare secundum qualitatem. Est autem in propositis analyticis ostentum, quoniam impossibile est syllogismum fieri per vtramque præmissarum negatiuam: quia ex ambabus negatiuis nihil sequitur syllogisticè: sed in syllogismo priuatiuo oportet propositionum vnam esse huiusmodi, hoc est, negatiuam, alteram vero affirmatiuè dicere quoniam est: ex affirmatiuis igitur constituitur demonstratio ambabus in vna qualitate manentibus: ex negatiuis autem ambabus non constituitur. Ergo potior est propositio affirmatiua ad constituendam demonstrationem, quam negatiua: potior autem est demonstratio quæ est ex potioribus principijs: ergo potior affirmatiua demonstratio quam negatiua.

quoniam ostensum est, &c.

Amplius tertia ratio ad idem est per rationem augmentationis syllogismorum ad probandas propositiones mediatas, in qua augmentatione ad probationem maioris & ad probationem minoris in syllogismo negatiuo oportet vti pluribus affirmatiuis quam negatiuis. Si autem in affirmatiuo syllogismo propositiones sint mediatæ, & oportet augere syllogismos ad probationem maioris & ad probationem minoris per inductionem medij inter prædicatum & subiectum maioris & minoris propositionis, non vtitur sic augens aliqua negatiua.

Amplius tertia hoc oportet, &c.

Hoc obscure dicit Aristot. & declarat in generalibus terminis: & est sua littera sic ordinanda. Amplius iuxta hoc quod dictum est, quòd per affirmatiuam probatur negatiua, & non è conuerso, oportet in hoc accipere (quia ad idem facit) quòd prædicatiuas quidem propositiones (augmentata in prosyllogismos demonstratione negatiua) ad probationem maioris quæ negatiua est, & ad probationem minoris quæ affirmatiua est, necesse est fieri plures: quia oportet esse vnam ad probationem maioris, & duas ad probationem minoris: & sic fiunt plures vna. Sed in tali demonstrationis augmento ad probandum maiorem & minorem priuatiui syllogismi, negatiuæ non possunt esse plures vna in omni syllogismo negatiuo. Cuius exemplum in terminis generalibus est, quòd a. maior extremitas ponatur in propositione primæ figuræ sic, in nullo illorum in quibus est b. hoc est, quòd nullum b. sit a. in maiori propositione. b. autem medium sit in omni c. in minori propositione, ita quod hæc sit vera, omne c. est b. sicut disponuntur propositiones in secundo modo primæ figuræ: concluditur ergo, quòd nullum c. est a. Si igitur dicatur, quòd vtraque præmissarum mediata sit, ita quod necesse est augere vtramque propositionem vt possit concludi per medium in prosyllogismo: tunc secundum artem datam de reductione mediatarum ad immediatas propositiones, medium immittendum est inter subiectum

Ordinatio litera exhibetur.

&

& prædicatum illius propositionis quæ concludenda est & probanda: & si vtraque sit mediata, medium immittendum est dicto modo in vtramque. Sit ergo medium d. quod immittendum est in maiorem propositionem quæ est a. b. quod sit medium per quod concluditur a. non inesse b. sed medium quod est immittendum in minorem propositionem quæ est b. c. sit e. per quod affirmatiuè concludatur b. de c. quia minor in prima figura erit affirmatiua. In isto autem demonstrationis augmento e. quidem quod est medium inter minorem propositionem, necesse est ad vtramque extremitatem in maiori & minori prædicatiuum esse ad concludendam minorem, quæ est affirmatiua, sic, omne c. b. omne c. e. ergo omnè c. b. quæ fuit minor in negatiuo syllogismo: sed d. quod est medium immittendum in negatiua in syllogismo concludentem maiorem, necesse est prædicatiuum ad b. minorem extremitatem in minori propositione prosyllogismi: ad a. autem maiorem extremitatem in maiori propositione prosyllogismi, concludentem maiorem principalis syllogismi ponitur: & necesse est poni negatiuè, sic, nullum d. a. omne b. d. ergo nullum b. a. quæ est maior principalis syllogismi. In prosyllogismo enim oportet in minori propositione d. de omni b. prædicari: sed in maiori propositione oportet a. in nullo esse d. In augmento ergo priuatiui syllogismi vna tantum & vnica sit priuatiua propositio quæ est a. d. qua vtimur in probatione negatiuæ maioris: duæ autem fiunt affirmatiuæ, vna quidem d. b. & altera c. d. Ad probationem ergo negatiuæ demonstrationis pluribus vtimur affirmatiuis, & vnica negatiua tantum. Sic ergo patet, quòd prædicatiua propositione vti oportet ad demonstrationem siue ostensionem negatiuæ. Si igitur notius per quod demonstratur aliquid, quam id quod demonstratur: demonstratur autem priuatiua quidem per prædicatiuam, prædicatiua autem per illam quæ priuatiua est, non demonstratur: prædicatiua erit prior & notior & vniuersalior, quam negatiua: melior autem demonstratio est, quæ melioribus & notioribus principijs vtitur: affirmatiua ergo demonstratio melior & potior est, quam negatiua.

Amplius si principium syllogismi, &c.

Amplius quarta ratio est. Si principium syllogismi ingrediens in ipsam syllogismi substantiam est propositio vniuersalis immediata: est autem in demonstratiua (hoc est, affirmatiua) demonstratione tale principium, vniuersalis propositio affirmatiua immediata: in priuatiua autem demonstratione vniuersalis negatiua immediata. Vniuersalis autem affirmatiua est potior & notior, quam negatiua: cuius probatio iam habita est: quia per affirmatiuam negatiua nota fit & probatur: tunc sequitur, quòd prior est affirmatio quam negatio: potior autem est demonstratio quæ potioribus vtitur principijs: ergo demonstratio affirmatiua potior, quam negatiua.

Et prior affirmatiua est sicut esse, &c.

Adhuc autem vnum medium ad probandum hoc idem quod affirmatiua dicit esse, negatiua autem non esse: & ideò sicut esse potius & prius est quam non esse, sic affirmatiua potior est quam negatiua, & potior demonstratio quæ vtitur affirmatiua quam quæ vtitur negatiua: dignioribus enim principijs vtitur: & ideò dignior esse probatur.

Adhuc & principalior est, &c. affirmatio est causa negationis, & non è conuerso.

Adhuc sexto probatur idem: principalior enim est in hoc quod sine demonstratiua, hoc est, affirmatiua non potest esse priuatiua: quia affirmatio est causa negationis: homo enim non est asinus: & causa huius est, quia homo est homo: sed negatiua non est causa affirmationis, & affirmatiua potest esse sine negatiua: potior autem est causa & quæ potest esse sine alia, quam illa quæ sine alia non potest esse: potior igitur affirmatiua, quam negatiua.

Opinio quorundam circa numerum rationum textus.

Sunt autem quidam dicentes hic esse tantum quatuor rationes: quia tertiam coniungunt cum secunda, eò quod ferè supra idem fundatur: & quintam coniungunt cum quarta, propter eandem causam: & hoc quod diximus, magis cum intentione Arist. concordat. Quod quidem igitur categorica, hoc est, affirmatiua demonstratio dignior sit quam negatiua, manifestum est ex rationibus inductis.

CAPVT IV.

De rationibus quibus probatur, quòd ostensiua demonstratio potior est ea quæ ducit ad impossibile.

Et ad impossibile ducentem, &c.

ET demonstratione ad impossibile ducentem potior est ostensiua demonstratio. Sed ad hoc probandum oportet prius scire differentiam ipsarum adinuicem, ostensiuæ scilicet, & ducentis ad impossibile, & maximè negatiuæ ostensiuæ, & eius quæ ducit ad impossibile: quia similior videtur negatiua ostensiua ei quæ ducit ad impossibile, quam ostensiua affirmatiua. Disponatur ergo primò ostensiua negatiua sic: sit enim maior propositio in ostensiua negatiua, quod a. in nullo est b. hoc est, quòd nullum b. est a. in minori autem sic, quòd in omni c. est b. hoc est, quòd omne c. est b. sequitur in secundo primæ, quòd necesse est, quòd in nullo c. sit a. siue quòd nullum c. sit a. sic igitur disponitur ostensiua negatiua demonstratio. Sic quidem igitur acceptis præmissis secundum dictam coniugationem erit demonstratiua, hoc est, ostensiua priuatiua: & erit demonstratio ostensiua concludens, quòd a. in c. nullo sit, siue quod nullum c. sit a.

Et hoc supra quæ demonstratio ducens ad impossibile, nunquam absolutur à negatione.

Quæ verò ducit ad impossibile, sic se habet, vt statim dicemus, si opus est demonstrare ex hypothesi negantis hanc propositionem prioris syllogismi, quòd a. in b. nullo sit, & debeat demonstrari per impossibile eadem propositio, quòd a. scilicet non sit in b. omni, accipiendum huius propositionis, nullum b. est a. contrarie oppositum, scilicet accipiendum a. in b. omni esse, & accipienda est ex hypothesi minor prioris syllogismi quæ fuit, quòd b. est in omni c. & ex illis syllogizanda est contraria conclusionis: propter quod accidit per syllogismum a. in c. omni esse, hoc est,

Quæ verò ad impossibile, &c.

quòd

quòd omne c. est a. & hoc sit notum & certum, quòd hoc impossibile sit esse, quòd scilicet a. in c. omni sit: quare ex illo concluditur, quod minor vera sit, quæ dicebatur esse falsa, sic, omne b. a. omne c. b. ergo omne c. a. quæ est contraria conclusionis, quæ dixit nullum c. esse a. & hæc falsa est: ergo eius contraria est vera & necessaria in materia necessaria: & sic probata est per impossibile: quia hæc est necessaria, nullum b. a. Termini quidem igitur in vtraque demonstratione similiter ordinantur: quia opposita sunt circa idem & eodem modo acceptum: sed tamen termini accipiuntur in præmissis & conclusione secundum oppositas qualitates in vna demonstratione & in altera: differentia autem potioritatis aut præeminentiæ vnius ad alteram accipienda est in principiis siue propositionibus quæ ponuntur in eis.

Differt autem conclusio qualis, &c.

Differt enim multum quo vna negatiua notior sit alia: & differt qualis negatiua notior sit: vtrum igitur notior sit, quia a. in b. nullo est (vt dicit maior demonstrationis ostensiuæ) aut conclusio sit notior quæ dicit, quia a. est in nullo c. & quæcunque illarum notior est, ab illa incipiet demonstratio. Cum igitur conclusio quòd a. scilicet in c. non est) notior est, quoniam non est (hoc est, in falsitate) tunc ab ea incipiet demonstratio quæ est ad impossibile: quia si conclusio notior in falsitate, tunc contraria eius vel opposita notior erit in veritate: & ideò demonstrando incipiendum ab ipsa. Si autem maior quæ est a. b. propositio, siue nullum a. b. notior est: tunc prius syllogizandum est incipiendo ab illa: quamuis enim sit contra rationem conclusionis, quòd prior & notior sit quam præmissa simpliciter: tamen potest esse notior quoad nos: & sic incipiemus ab ipsa. Sunt autem in vtriusque syllogismis præmissæ acceptæ vt notæ: sed quærendum est quæ sint notiores. Cum autem negatiua simpliciter in syllogismo sit vel ponitur: tunc fit demonstratio ostensiua. Patet etiam, quòd hæc negatiua quæ est maior in syllogismo ostensiuo (quæ dicit, quòd a. in b. non sit) prior est natura, quam conclusio quæ dicit, quòd a. in nullo sit c. quia illa est præmissa, & ista est conclusio. Ea enim ex quibus sicut præmissis vel principiis est conclusio, priora sunt conclusione. Ea autem quæ est, quòd a. non sit in c. est conclusio: quod autem a. in b. non sit, est præmissa vna ex his ex quibus est conclusio. Patet igitur, quòd præmissa negatiuæ demonstrationis & ostensiuæ prior est, quam conclusio sua.

Remouet dubium.

Si autem dicat cauillator, quòd tam in vna demonstratione, quam in alia præmissæ sunt notiores conclusione: & ideò licet hæc propositio quæ dicit, nullum c. est a. sit conclusio in demonstratione ostensiua, & sic sit posterior: tamen ipsa vel opposita eius est præmissa in demonstratione ducente ad impossibile: & sic est notior. Dicemus contra hoc, quòd hoc non est simpliciter conclusio aut principium, ex quo contingit aliquid posteà remoueri & ostendere non sequi alterum ex falsitate illius: imo est hæc conclusio secundum quid, scilicet ad hypothesim respondentis vel cauillatoris

Non enim si contingit remoueri, &c.

& non simpliciter. Et propter hoc principium quodammodo est illud: illa enim quæ sunt in demonstratiua, ostensiua sunt principia, ex quibus simpliciter est conclusio: sed hoc aliud quod est conclusio, est principium non simpliciter, sed principium ex quo est syllogismus, qui fit contra hypothesim respondentis. Illa autem quæ sunt in syllogismo ostensiuo, sunt simpliciter principia, ex quibus est principiata conclusio. Et quod vtique sic se habet: aut se habet vt totum ad partem, aut sicut pars ad totum. In prima enim figura vtroque modo se habet: quia maior est totum ad minorem, & minor vt pars ad totum. In secunda autem medium est totum & extrema partes. In tertia autem medium pars & extrema totum. Hæ autem duæ propositiones, nullum b. est a. quæ est præmissa, & nullum c. a. conclusio sic se habent adinuicem, quòd illa quæ est, nullum b. est a. est vt totum ad illam, nullum c. est a. inquantum sequitur ex illa. In demonstratione autem ad impossibile (in qua præmissa est, omne b. est a. & concluditur, nullum b. esse a.) non sic habent: quia nec oppositæ sic se habent: quia hæc, nullum c. est a. non fit totum ad illam, nullum b. est a. sed potius è conuerso.

Si igitur ex notioribus & credibilioribus, &c.

Omnibus his præsuppositis quæ habita sunt, arguatur sic. Si igitur ea demonstratio dignior est, quæ est ex credibilioribus simpliciter & notioribus: & sunt vtræque demonstrationes credibiles ex non esse, hoc est, ex negatiuis, vt dictum est: vna enim incipit à negatiua maiore, alia autem à negatiua conclusione: sed hæc quidem ostensiua procedit, scilicet ex priori simpliciter, posteriori tamen secundum quid, sequitur quod prior vtique & potior est demonstratio ostensiua priuatiua, quam ea quæ ducit ad impossibile. Prædicatiua autem dignior, quam priuatiua (sicut in antehabito capitulo ostensum est) ergo etiam dignior ea quæ ducit ad impossibile: quia quod potius & dignius potiore & digniore, est etiam potius & dignius minus digno & minus potiore.

Dubitatio.

Notandum est autem hic quod in libro priorum ducit Aristot. semper rationem ostensiuam & rationem ad impossibile ducentem ad eandem conclusionem: hic autem (si vna procedit ex prioribus simpliciter, & altera ex prioribus quoad nos) hoc non fit, sed ad diuersas ducuntur. Et hoc fit vt diuersa significentur. Quod enim ducuntur ad eandem conclusionem, ideò fit vt significetur, quòd quicquid potest syllogizari ostensiuè, potest etiam syllogizari per deductionem ad impossibile. In hoc autem quod ad diuersas referuntur conclusiones, significatur quod non semper potest syllogizari ostensiuè quod potest demonstrari per impossibile: propositio enim immediata quæ est dignitas, non potest ostendi ostensiuè, ostenditur tamen per impossibile.

Solutio.

Demonstratio ostensiua & ducens ad impossibile, quam appropriantur ad suas conclusiones, non possunt proprie conferri ad conclusionem eandem in eisdē terminis.

Notandum etiam, quòd comparando has demonstrationes adinuicem, inuitur quòd ostensiua est ex prioribus secundum naturam. Ea autem quæ est per impossibile, est secundum naturam ex posterioribus, & sic differunt: & tunc cum appropriantur ad suas conclusiones,

nes, non possunt proprie conferri ad eandem conclusionem in eisdem terminis: quia demonstratio ostensiua quantum ad conclusionem intentam est ex prioribus. Si autem ostendatur aliqua conclusio ostensiue, & posteà ex oppósito illius conclusionis inferatur oppositum alicuius præmissæ, quod scilicet oppositum est manifestè impossibile: & ex impossibilitate illius, iterum concludatur prior conclusio esse vera: tunc quoad conclusionem syllogizatam est ex posterioribus simpliciter, & quoad conclusionem intentam ex prioribus simpliciter, & hoc est contra naturam demonstrationis per impossibile si proprie accipiatur. Propter quod dici posset sine præiudicio, quòd istæ rationes hic positæ compositæ sunt ex syllogismo ostensiuo & conuersiuo. Ratio enim conuersiua est, quæ ex oppósito conclusionis infert oppositum præmissæ: quæ autem procedit ex prioribus simpliciter, est ostensiua.

Obiectio, quòd demonstratio ducēs ad impossibile, sit potior quacunque alia. Solutio.

Adhuc si quis obiiciat, quòd demonstratio per impossibile dignissimo vtitur principio, & vtitur illo quod est, de quolibet affirmatio vel negatio est vera, & de nullo simul: & ideò deberet esse dignior omni demonstratione & prior. Dicimus, quòd dignitas demonstrationis sumitur à principiis intrantibus in demonstrationem, & non extrinsecus sed dictum principium non intrat in demonstrationem per impossibile, sed extra manens, confirmat decursum necessitatis syllogisticæ in syllogismo ad impossibile.

CAPVT V.

De comparatione demonstrationis ad demonstrationem secundum proprium effectum eius qui est scientia.

Certior autem scientia, &c.

COmparatur autem etiam demonstratio ad demonstrationem secundum proprium demonstrationis effectum qui est scientia. Et prima quidem est comparatio secundum quam scientia excellit scientiam secundum certitudinem: quia illa ex ipsis causatur demonstrationis principiis. Dicamus ergo, quòd certior est vna scientia quam alia: primo quidem in hoc, quòd vna eademque est ipsius quia & propter quid simul: sed tunc non est scientia ipsius quia extra eam scientiam quæ est propter quid.

Hæc est prima solutio quam ponit Ægid. hic in dubitatione de hoc: licet ponat etiam aliam quam dicit esse meliorem.

Hoc autem quando fieri possit, sic intelligendum: dicitur enim scientia quia aliquando per causam remotam vel per effectum remotum: sed scientia propter quid, est per causam proximam essentialem: & hoc modo scientia quia in eadem re est, in qua est scientia propter quid: hæc igitur certissima quæ est ex vtroque simul.

Et quæ non est, &c.

Et secundo certior est, quæ est de eo quod subiectum non est, hoc est, subtus in actu, sicut res particularis quæ est de eo quod concretum est: dicitur enim subiectum illud quod est subiectum ad aliam scientiam, sicut quando superior scientia est de aliquo ente communi, & alia scientia est de eo quod subalternatur illi: tunc illa scientia quæ est de eo quod non sic subiicitur, sed est de non subalternato, sed subalternate, quantum ad subiectum certior est quam illa quæ est de subalternato: hæc enim quæ est de subalternante, dicitur esse de non subiecto, hoc est, de non subalternato: sicut arithmetica & harmonica se habent adinuicem: quia arithmetica est de numero simpliciter, harmonica autem de numero concreto ad materiam quæ est sonus vel tonus. Tunc enim illa quæ non est de subiecto hoc modo dicto, dicit quia: & illa quæ est de non subiecto, dicit propter quid. Propter quod cum aliqua scientia est de vtroque, scilicet & propter quid, & quia, certior est: quia cum scientia dicens propter quid & quia, non differat à scientia quia, in eo quod est quia, quoniam in hoc conueniunt, sed differt ab ea in eo quod est propter quid, oportet quod in eo quod est propter quid, præponatur illi.

Et quæ est ex minoribus, ea quæ est ex appositione, &c.

Tertio autem erit scientia super scientiam in eo quod ex minoribus siue paucioribus dicitur certior scientia ea quæ est ex appositione, sicut se habent adinuicem vnitas & punctum: vnitas enim est substantia sine positione, punctum autem est substantia posita. Cum autem dicimus, quòd vnitas est substantia sine positione, substantiam intelligimus non illam quæ est prædicamentum, sed substantiam dicimus quid in discreta quantitate, quod secundum sui rationem non concernit positionem: Et ideo numerus est & in habentibus positionem & in non habentibus secundum rationem vnam: quia numerus est ex principio quod secundum sui diffinitionem non habet positionem in quantitate: punctum autem è contrario est substantia posita, hoc est, habens positionem: est enim quid extensibile: punctum enim extenditur in lineam & linea in superficiem, & superficies extenditur in corpus. Et ideo punctum licet sit indiuisibile, tamen non conuenit his quæ non habent positionem: & ideò punctum ex appositione se habet ad vnitatem: quia vnitas est quid indiuisibile in quantitate non habens positionem, punctum autem est quid in quantitate positionem habens. Et quid quod ponitur in diffinitione vtriusque, non omnino est eiusdem rationis in genere proximo: quia cum forma aduehit ad materiam terminando & diuidendo & distinguendo eam, terminatio ipsius facit vnitatem ipsius. Potest ergo aduenire ad materiam non secundum quod est extensibilis in continui formam: & sic per modum suæ terminationis facit vnitatem, cuius iteratione constituitur numerus. Et potest aduenire ad materiam secundum quod potentia extensibilis est in tres diametros longitudinis, latitudinis, & profunditatis, & sic perficit puncti indiuisibilitatem. Motus enim imaginatiuus puncti facit lineam, & motus lineæ in partem qua indiuisibilis est, hoc est, in latum facit superficiem, & motus superficiei in situm quo indiuisibilis est, facit corpus vel solidum: & sic omnis quantitas fluit ab indiuisibili: & hoc modo addit punctum super vnitatem, non quod vnitas sit in ratione puncti, sed quia punctum dicit indiuisibile

Quomodo punctus habet positionē in partibus, & quomodo est quid extensibile.

Quomodo vnitas & punctus non sunt eiusdem rationis in genere proximo.

Quomodo omnis quantitas fluit ab indiuisibili.

sibile positum; vnitas autem non in eodem genere proximo, sed remoto dicit indiuisibile non positum.

Sic enim simpliciter dicitur vna scientia certior alia, aut ex demonstratione quæ certior est, aut ex subiecto quod mirabilius in eo quod simplicius, & ex eo quidem quod mirabilius, est dupliciter, scilicet quia est vel subalternans & non subalternata, vel quia non ex appositione se habens ad alteram quæ ex appositione se habet ad istam: & sic ex subiecto dupliciter est certior, & vno modo ex demonstratione. Et hoc est quod in primo de anima dicit Aristot. quod magis vna scientia quam altera honorabilior est: aut quia melior, aut mirabilior est, aut propter certitudinem demonstrationis. Tamen aliter ibi loquitur, & aliter hic. Ibi enim magis considerat honorabilitatem scientiæ ad scientiam, hic autem magis mirabilitatem. Mirabilius enim est, quod alius est, sicut subalternans, & non ea quæ ex appositione se habet: quamuis fortè honorabilius sit subalternatum & quod ex appositione se habet, quam subalternans & quod non se habet ex appositione, vt astronomia, quæ considerat quantitatem motam secundum distantias & præuentiones & coniunctiones moti ad ad motum) ad geometriam se habet quæ est de quantitate immobili: & tamen astronomia nobilior est, quam geometria: sed geometria mirabilior quam astronomia, inquantum magis primas causas dicit figurarum in præuentionibus & coniunctionibus stellarum.

Tex. com. 1. & 8. topic. c. 4.

Differentia inter honorabilitatem scientia & mirabilitatem.

Altera autem siue diuersa est scientia ab altera dupliciter. Vno quidem modo quæcunque habet principia quæ nec penitus sunt ex eisdem, nec etiam penitus ex alteris, sicut subalternans & subalternata sunt alteræ, & sicut sunt alteræ aliæ scientiæ, quarum vna ex appositione se habet ad alteram. Et illæ scientiæ non penitus sunt diuersæ. Illæ autem sunt simpliciter alteræ adinuicem, quarum subiecta & principia penitus ex alteris sunt, ad vnum aliquid non respicientibus.

Altera scientia est ab altera, &c.

Dupliciter vna scientia dicitur altera ab alia.

Signum, quòd primæ sint dictæ alteræ scientiæ abinuicem, est, quòd cum principia ex quibus est scientia demonstratiua, veniunt vel reducuntur ad principia immediata & indemonstrabilia, tunc oportet ipsa esse in eodem genere cum eo de quo est demonstratio: & tunc plane videtur, quòd nec penitus sunt altera ex alteris, nec penitus eadem: in subalternante enim & subalternata nec penitus ex alteris sunt, nec penitus ex eisdem. Signum huius quod secundo dictum est, scilicet quòd scientiæ penitus sunt diuersæ, est, quod cum resoluuntur principia ad immediata, tunc oportet ipsa esse in eodem genere cum eo de quo demonstrant: & tunc in simpliciter diuersis inueniuntur penitus diuersa: quia immediata sunt proxima, & proximum vni, non est proximum alteri.

Huius autem signum, &c.

Signum huius est & huius, &c.

Quamuis sic demonstratio in scientia dicatur vna & plures, & scientia sit effectus demonstrationis: tamen nemo propter hoc opinetur, quòd vnius scientiæ vel scibilis non possint esse plures demonstrationes & plura media etiam contraria, & in diuerso ordine esse accepta, & non solum per plura media in vno ordine accepta. Hoc autem fit demonstrateri accipienti non continuum vnius ordinis medium, sed forte oppositum. Cuius exemplum est, vt sint vnius ordinis media a. b. c. & media alterius ordinis sint d. f. g. sed hæc media sint ex altero ordine quam illa. Et exemplum in specialibus terminis est; vt sit a. transmutari, in quo d. sit moueri: sed b. sit lætari: hæc enim sunt eiusdem ordinis. Et iterum adhuc ponamus, quòd i. sit quiescere, & syllogizemus dicentes: omne mouens se, transmutatur: omne lætans est mouens se: ergo omne lætans transmutatur. Verum est enim & d. de b. & a. de d. prædicari in hoc syllogismo: lætans enim mouetur, quæ fuit minor propositio: & quod mouetur, transmutatur, quod fuit maior propositio. Fiat etiam alius idem concludens syllogismus sic: omne quiescens transmutatur: lætans est quiescens: ergo lætans transmutantur. Iterum enim verum est a. de i. prædicari: quia quiescens transmutatur, & hæc est maior secundi syllogismi: & verum est i. de b. prædicari: quia lætans quiescit, quod fuit minor secundi syllogismi. Et ita transmutari probatur de eodem, & per moueri, & per quiescere, quæ non sunt eiusdem ordinis media. Propter quod per altera & non ex eodem ordine sumpta media syllogismus est eiusdem passionis de eodem subiecto. Propter hoc autem de altero & altero ordine sunt media: quia neutrum de neutro contingit dici vel prædicari mediorum cum sint opposita. Nec idem seruatur ordo causarum:

Plures autē demonstrationes, &c.

Sed ex altero vt sit a. transmutari, &c.

CAPVT VI.

De comparatione scientiæ ad scientiam secundum vnitatem vel identitatem.

COmparatur etiam scientia ad scientiam secundum vnitatem & identitatem, secundum quod dicitur scientia vna cum alia vel altera ad alteram. Dicitur enim scientia vna quæ est vnius generis, hoc est, subiecti. Genus enim est primum subiectum in quolibet ad quod referuntur differentiæ & species, sicut ad subiectum primum. Sic ergo ab vnitate subiecti dicitur vna scientia quæ est vnius generis. Quæcunque ex primis immediatis scilicet principiis componitur, quæ principia ad illud vnum subiectum referuntur. Et partes etiam subiectuas & integrales siue essentiales habet, adiquæ illa principia referuntur. Aut etiam referuntur ad passiones horum quæcunque sunt per se passiones subiecti, aut partium eius subiectiuarum, vel essentialium, siue integralium. Ad vnitatem ergo scientiæ exigitur vnitas subiecti in genere, & quòd principia ipsius sint ad vnitatem & proprietatem subiecti vnificata: & tertio exigitur, quòd habeat partes vnificatas subiecto, ita quod sint subiectæ ei, vel integrantes, vel essentiales ipsi: & quarto, quod passiones quæ probantur de ipso subiecto vel partibus eius, sint per se subiecto & partibus eius inhærentes. Ista quatuor requiruntur ad vnitatem scientiæ.

Vna autem scientia est quæ est, &c.

Genus pro subiecto scientiæ.

Ad vnitatē scientiæ quatuor requiruntur.

causarum: quia cum transmutatum esse de subiecto demonstratur per mouens, sit secundum genus causæ formalis: cum autem per quiescens probatur, sit secundum ordinem causæ finalis. In talibus verò in quibus sic idem de eodem probatur per opposita, necesse est eidem vtraque illa opposita inesse. Et ideo talis demonstratio maximè in physicis fit, quæ ex oppositis componuntur. In mathematicis hoc fieri non potest.

Attendendum enim, quòd exemplum est possibile quod positum: quia appetens & desiderans mouetur spiritus & sanguinis protensione, qui mouetur in id quod desiderat: & sic transmutatur se mouens per appetitum. Habens autem quod desiderat, ab hoc motu quiescit & delectatur. Delectatio autē est diffusio spiritus & animæ super fruitionem habiti: & iste iterum est quidam motus, quo mouetur quiescens à motu appetitiuo. Et sic necesse eidem subiecto vtraque inesse: quod quidem contingit per tertiam figuram si media colligantur in vnum, sic, omnis lætans est mouens: omnis lætans est quiescens: ergo quoddam quiescens est mouens. Sic enim duo contingit eidem inesse, quorum tamen neutrum alterum est. Et hæc est dispositio tertiæ figuræ: & sic videtur figura tertia deficere in conclusione quando præmissæ sunt veræ: quia duobus inhærentibus eidem subiecto, cum vnum non sit alterum, alterum de altero per medium (in quo sunt ambo) concludi non potest, nisi valdè per accidens, vt patuit in syllogismo, quem posuimus in tertia figura: quod quidem contingit in concretis. In abstractis enim si duo infinit tertio, alterum alteri inerit per tertiam figuram: sed hoc non est necesse in concretis nisi valdè per accidens, vt dictum est. Benè enim potest contingere duo concreta (quorum essentiæ sunt oppositæ) natura ineſſe eidem subiecto, & ita de illo prædicantur secundum se: & tamen accidens accidenti non subiicitur, & præcipuè cum essentiæ eorum sunt oppositæ: & sic non potest esse vnum ex altero nisi per accidens: & sic contingit in tertia figura præmissas veras esse per se, & tamen conclusio veritatem per se non habebit nisi valdè per accidens.

Quid est delectatio, & quomodo quiescens à motu appetitiuo, mouetur, scilicet alio motu. Et de hoc vide etiam Linconic. hic.

Non deficit tertia figura in cōcretis.

Intendere autem cum studio oportet etiam per alias figuras, quam per primam quot modis eiusdem passionis in eodem subiecto fiat syllogismus: in naturalibus enim hoc sæpè contingit: quia illa componuntur ex naturis diuersis & oppositis: quia cum aliquid componitur ex oppositis, vnumquodque illorum est causa compositi: & ideò vnumquodque eorum potest esse medium ad demonstrandum hoc, cuius causa de ipso: in alijs autem quæ vno modo se habent, hoc non contingit.

Intendere autem est & per alias figuras, &c.

CAPVT VII.

Quod de fortuito & sensibili non est scientia demonstratiua.

CVm autem iam dictum sit quæ scientia sit vna, & quæ plures: ne autem dubitari possit de quibus est scientia, & de quibus non potest esse, ideò sciendum est, quòd fortuitorum & sensibilium scientia esse non potest. Vnde dicimus, quòd eius quod est à fortuna vel casu quæ causam habent per accidens & non per se, non est scientia facta per demonstrationē: talia enim non habent causam stantē & immobilem, sicut necessaria. Neque habent causam ordinatam secundum circuli reuolutionem, sicut ea quæ fiunt in terra ordinata secūdum circuli allationem & recessionem, sicut ea quæ fiunt frequēter, sicut quæ periodo mensurātur, vt docet Arist. in secundo de generatione & corruptione. Id enim quod à fortuna vel casu, neque fit semper, neque frequenter, vt probatur in secundo physico. Sed est eius fortuna & casus quod extra hoc fit: quia neque fit semper; neque frequenter. Omnis autem syllogismus demonstratiuus est, aut per necessarias, aut per eas propositiones quæ sunt tanquam frequenter. Et siquidem propositiones necessariæ sunt & semper & æternæ; tunc etiam conclusio necessaria est & semper & æterna, hoc est, immutabilis. Si verò sunt propositiones sicut frequenter per aliquam causam ordinatam, tunc etiam conclusio est huiusmodi.

Sed eius quod est à fortuna, &c.

Tex. com. 57.

Text. com. 48.

Propter quod si aliquid fiat frequenter sine causa ordinata, non est de illo demonstratio: propter quod si id quod à fortuna vel casu, neque est sicut id quod frequenter est, neque sicut id quod est semper (hoc est, necessariò) erit non vtique erit ipsius demonstratio, vel scientia demonstratiua. Hæc igitur sunt, quorum neque demonstratio, neque cognitio valet, & facit aliquid ad scientiam demonstratiuam.

Demonstratio non est de omni quod fit frequenter, sed solum de illo quod fit frequenter, & cum hoc habet causam ordinatam.

Sed neque per sensum & sensibilium cognitionem est scire: sed tamen hæc cognitio valet & facit aliquid ad scientiam demonstratiuam. Si enim detur, quòd sensus est talis quidem huius quod est singulare, & non est huius alicuius quod est vniuersale: quamuis inquam, sic sit: sed tamen necesse est sentire quod sentitur, vt hoc aliquid singulare, & vt hic & nūc, siue vbi (hoc est, alicubi) & aliquando (hoc est, tempore) quia sicut dicit Boēt. si omnia alia accidentia communia sint, tamen hic & nunc singularium communia esse non possunt: quia quodlibet habet suum locum, & quodlibet suam periodum in tempore singulariter. Vnde quamuis fortè sensus sit huius singularis & nō huius (hoc enim secundum aliquem modum est vniuersalis secundum quod confusum est in singularibus, vt dicitur in principio physicorum) tamen semper accipit id quod accipit cum hic & nunc. Et hic est verus intellectus litteræ Aristot.

Neque per sensum est scire, &c.

Dictū Boēt.

Text. com. 4.

Vniuersale autem quod est in omnibus & secundum quod est in omnibus, impossibile est sentire: vniuersale enim vt vniuersale non est hoc (hoc est, singulare) vt hic, neque nunc. Si enim hoc esset quod est hic & nunc, non vtique esset vniuersale, sed singulare: quod enim semper & vbique est, in demonstratiuis vniuersale dicimus. Semper autem est: quia in esse suo vniuersali secundum quod vniuersale, nullam concernit differentiam temporis

Vide Linco. quomodo vniuersale est vbique.

Quomodo vniuersale est semper.

in qua sit, sicut in periodo. In tempore enim esse est quædam parte temporis mensurari, vt dicit Aristo. in quarto physicorum. Hoc autem non est, quia nullum locum sui particularis concernit, extra quem non sit ita verè sicut est in illo qui est hic vel hi. Et ille est verus intellectus huius propositionis. Quod autem sic non concernit per suam diffinitionem neque locum neque differentiam temporis, & est vbique & semper: vniuersale dictum in sua ratione hic non concernit: ergo vbique & semper est.

Tex. com. 114. & 129

Quoniam igitur demonstrationes vniuersales sunt, &c.

Quoniam igitur demonstrationes vniuersales sunt siue per causam vniuersalem: has autem (vt simplices & vniuersales sunt) non contingit sentire siue per sensum accipere: manifestum est, quòd neque contingit scire, hoc est, scientiam causæ vniuersalis habere per sensum. Sed manifestum est hoc quod diximus etiam ab a ratione: quia etiamsi diceretur, quòd contingeret sentire triangulum, quod est cum duobus rectis habere æquales tres angulos: quod contingere posset per mensuram suppositionis trium angulorum trianguli super quantitatem duorum rectorum angulorum, vt dicit Euclides: & sic oculis videremus, quòd æquales sunt tres ad duos: adhuc vtique quæreremus causam per demonstrationem: quia cecula vniuersalis oculis non est visibilis, & non sensus eam, sicut quidam Heraclitici fatentur, qui scientiam dicebant esse idem quod sensibilem acceptionem: sentire quidem enim necesse est singulare, hoc est, necesse est, quòd id quod sentitur, sit singulare. Scientia autem est in cognoscendo vniuersale siue vniuersalem causam.

Heraclitici dicebant scientiam esse sensibilem acceptionem.

Cuius signum est: quia etsi in luna essemus & videremus terram & vmbram terræ interponi inter solem & lunam, non tamen propter hoc vtique sciremus vniuersalem causam defectus: sentiremus enim, quòd ex interpositione vmbræ deficeret tunc luna: sed non sentiremus propter quod omninò (hoc est, vniuersaliter in omni tempore & in omni loco circuli) deficeret. Et hoc ideo esset: quia sensus talis (quem in luna existentes haberemus) non esset vniuersalis, siue eius quod est vniuersalis causa talis defectus. Sed tamen sensus facit aliquid aliud ad scientiam demonstrationis: quia ex consideratione siue ex considerata re multoties hoc modo accidente (quia scilicet multoties hoc accidit, quod scilicet vmbram terræ luna tangens multoties eclipsatur) vniuersalem venantes, quod scilicet semper & vbique ita fit eclipsis, demonstrationem, hoc est, demonstratiuam habemus scientiam. Ex singularibus enim pluribus experimento & memoria acceptis tum vna causa & simul sit in omnibus, vniuersale manifestum est nobis.

*Vnde etsi in luna essemus, &c

Quomodo sensus iuuat ad scientiã. Vide Themistium hic: quia tangit vtilitates.

Propter quod vniuersale & honorabile est & admirabile: quoniam ostendit causam, cum sensus non habet nisi quia: propter quod huiusmodi vniuersalis scientia honorabilior sensibus, hoc est, sensuum acceptione: & est honorabilior: quia est de illorum in sensu apparentium vniuersali causa. Sed de primis quæ sunt vniuersalia & prima principia, est alia ratio huius alterius cognoscendi modus: quia necesse est illa per causam intelligibilem cognoscere, cum sensibilia cognoscantur, per quæ de exterius sensibilibus obiicitur.

Vniuersale autem honorabilius, &c.

Manifestum igitur ex dictis est, quòd impossibile est sic scire demonstrantem aliquid demonstratorum sentiendo (hoc est, sensus acceptione) nisi aliquis vulgariter loquens sentire dicat scientiam habere per demonstrationem, propter hoc quod sensu accepta sunt certa: & hoc est extenso nomine scientiæ.

Non est igitur, &c

Sunt tamen quædam quæ nescimus: eò quod hæc in propositis (hoc est, coram nobis positis) reducta sunt in defectum sensus: quædam enim si nos videremus & experimento acciperemus, non vtique quæreremus causam ipsorum: quia statim videntes causam cognosceremus: non quidem tanquam scientes causam in videndo per sensum, sed tanquam per intellectum habentes vniuersale ex eo sensibili quod videmus vel semel vel multoties. Cuius exemplum est vt si videremus vitrum perforatum, hoc est, poros quibus perforatum est vitrum, vt videremus lumen pertransiens poros vitri: tunc statim cum illo sensu manifestum esset vtique nobis, & propter quid vitrum est perspicuum: sic enim videremus in singulis perspicuis seorsum. Intelligere autem est ex taliter diuisim visis, quoniam in omnibus perspicuis sic est: & hoc vniuersale per sensum non accipitur, neque est de his quæ accipiuntur vt annexa sensibilibus, sed à sensibilibus abstracta.

Sunt autem quædam reducta, &c.

Sciendum autem est hic, propter exemplum, quòd porositas in perspicuo non vocatur foraminum vacuitas, vt plerique opinantur: sed vbi non opponitur terra opacitate determinate hoc vocatur porus, etsi ibi sit alia substantia elementi, vel elementalis substantia quæ visum non terminat, sed transducit, sicut est in aëre, igne, cælo, & aliis perviis.

CAPVT VIII.

Quod diuersarum scientiarum & syllogismorum diuersorum & demonstrationum diuersarum sunt principia diuersa.

QVia autem in antehabitis dictum est, quòd vna scientia est, in qua principia ex quibus componitur, vniuocantur per vnitatem sui subiecti: & diuersa sunt scita, quibus principia non vnificantur, sed remanent diuersa: & iam ostendimus qualiter vnificantur principia scientiæ: nunc oportet nos ostendere qualiter diuersarum scientiarum principia sunt diuersa. Sciamus ergo, quòd eadem esse principia omnium scientiarum propria est impossibile: & hoc ostendamus primum quidem speculantibus hoc aliquibus logicè, hoc est, per media vel omnibus vel pluribus communia. Incipiemus enim hanc speculationem à syllogismo in communi & logica speculatione. Inter syllogismos enim hiveri sunt, ex veris principiis veras concludentes conclusiones.

Eadem autem principia esse omnium, &c.

Alij autem sunt falsi, ex principiis falsis falsas concludentes conclusiones: falsorum autem & verorum non sunt eadem principia: ergo non omnium syllogismorum sunt eadem principia.

Et si namque aliquis cauillator dicat, &c.

Et si namque aliquis cauillator dicat, quòd ex falsis principiis est vel contingit verum syllogizare: & sic eadem videntur esse principia verorum syllogismorum & falsorum. Dicamus, quòd hoc contingit semel tantum, sicut si gratia exempli a. maior extremitas de c. minori extremitate vera sit: tunc enim erit conclusio vera: medium autem sumitur b. quod falsum sit, & ad a. maiorem extremitatem, & sit falsum ad c. minorem extremitatem: quia nec maiori subiicitur, nec de minori prædicatur: nec enim a. maior extremitas est in b. sicut prædicatum in subiecto, nec b. medium est in c. minori extremitate sicut prædicatum in subiecto, nec b. medium est in c. minori extremitate sicut prædicatum in subiecto: &, ideo vtraque præmissarum est falsa, & conclusio vera. Cuius exemplum est: omnis lapis est animal: omnis homo est lapis: ergo omnis homo est animal. Et hoc quidem semel contingit: contingit enim quoad conclusionem propriam & proximam tali coniugationi in qua maior extremitas repugnat medio, & idem medium repugnat minori extremitati, & maior extremitas non repugnat minoti extremitati, sed est de consequentibus ad ipsam: & in nulla alia contingit coniugatione, sed in prima figura & in primo modo verum ex falsis syllogizare. Sed hoc patere facile poterit si accipiantur horum principiorum quæ præmissa sunt media, per quæ maior falsa & minor falsa concludantur, semper ex falsis sequitur falsum & non verum: & iterum si illa falsa in tertio syllogismo concludi debeat per alia falsa, iterum ex falsis sequitur falsum & non verum: & hoc quantumcunque possit fieri resolutio talis, vt principia syllogismi per alia concludantur, semper syllogizabitur falsum ex falso. Semel ergo contingit verum ex falso syllogizare, & non pluries. Huius exemplum, quòd si debeat syllogizari hæc falsa, quæ fuit maior, omnis lapis est animal, accipiatur medium inter lapidem & animal; & ad eam concludendam, semper ex falso sequitur falsum. Si accipiatur medium ad minorem inter prædicatum & subiectum per quod concludi possit minor, semper ex falsis falsum concluderur quantumcunque fiat reductio ad prosyllogismum maioris & minoris, vel vtraque falsa, vel altera. Hoc autem ideò: quia omnis conclusio falsa in prosyllogismis ex falsis falsa est. Veræ autem conclusiones sunt ex veris principiis. Alteræ autem sunt propositiones veræ & alteræ falsæ propositiones sunt quæ sunt syllogismorum principia: ergo verorum syllogismorum & falsorum diuersa & altera sunt principia.

*Litera Arabica & expositio eius secundum Alphar. & quomodo verum ex falso secundum causam qua præmissæ sunt causa conclusionis: sed per accidens sequitur ex tali complexione qualis dicta est solum, & non ex habitudine terminorum in syllogismo posito: & hæc expositio est plana & facilis. Sic igitur probatum est, quòd falsorum & verorum syllogismorum non sunt principia eadem: non ergo omnium syllogismorum eadem, sed diuersa sunt principia.

*falsis non contingit syllogizare nisi casu.

Postea autem sic probatur, quòd nec falsæ ratiocinationes syllogismorum falsorum ex eisdem sunt principiis: est enim vel contingit accipere falsas propositiones concludentes quæ adinuicem sunt contrariæ, & sunt impossibiles, quia ex disparatis: & sunt impossibiles, eò quod prædicatum repugnat subiecto, sicut si dicam iustitiam esse iniustitiam, falsa est ex compositione contrarij cum contrario: & idem redit si componam propositionem ex genere & specie contrarij, vt si dicam iustitiam generalem esse timorem, quæ est iniustitia specialis. Ex disparatis autem, sicut si dicam hominem esse equum, aut bouem esse hominem, aut equum. Ex impossibilibus autem, sicut si dicam, quòd aquele alicui maius est vel minus est eodem: ex terminis enim positis (hoc est, sic dispositis) sic fiunt diuersi falsi syllogismi: & fallus syllogismus fit ex sic compositis & concessis talibus propositionibus, aut ex contrariis, aut ex disparatis, aut ex incompossibilibus compositis: cum ista sint diuersa ex diuersis compositis principiis.

*Postea neque falsæ ex eisdem sunt, &c.

Adhuc autem nec omnium syllogismorum verorum eadem sunt principia: veri enim syllogismi non in vno tantum genere, sed in multis sunt: eorum enim (quæ altera & diuersa sunt genere) principia (ex quibus sunt) altera necesse est esse & talia principia: nec etiam conueniunt in genere, sicut vnitates punctis non conueniunt in genere. quamuis enim conueniant in vno genere logico, eò quod vtrumque reducitur ad quantitatem: tamen non conueniunt in vno genere naturæ vnius quod possit esse principium passionum eiusdem rationis in genere, vel à qua fluant eadem principia quæ in vno subiecto vnius communis naturę possint vnificari hoc modo, sicut prius dictum est in præhabito capitulo, quòd vna scientia est vnius generis subiecti, in quo vnificãtur & vniuntur principia, ex quibus ipsa statim cõponitur. Hoc autem modo vnitates ex quibus fit numerus, in genere subiecti non conueniunt punctis, ex quibus fluunt species continuæ quantitatis, vt linea, superficies, corpus, & partes illarum, vt angulus, & huiusmodi. Ratio autem propter quam non conueniunt in genere subiecti, est: quia hæ scilicet vnitates non habent positionem: illa autem scilicet puncta habent positionem in cõtinuo.

Neque enim verorum eadem principia, &c.

Adhuc autem in his scientiis (quæ sunt ex eisdem principiis) necesse est, quòd scientiæ conueniant in mediis, ita quod eadem sint media istius & illius: quia vna scientia quæ est habitus conclusionis, ex eisdem mediis demonstratur: aut necesse est, quòd conueniant in extremis: extremum autem maius in prima figura, est in sursum supra medium acceptum: aut est in deorsum, sicut extremum

Necesse est igitur aut in media, &c.

minus quod sub medio accipitur. Vel dicatur in furium acceptum in secunda figura, quia accipitur supra prædicatum: & in deorsum acceptum medium in tertia figura, quia accipitur sub subiecto. Aut oportet hos quosdam syllogismos media interius habere inter maiorem & minorem extremitatem, sicut in prima figura: illos autem alios aliarum figurarum duarum syllogismos oportet media sua exterius extra extremitates habere: sicut secunda medium habet ante extrema primum positione, & tertia habet medium post extrema vltimum positione, vt in libro priorum est determinatum: sed diuersarum scientiarum non eadem sunt media vel extrema, sed potius diuersa: ergo eorum quæ sunt diuersorum generum syllogismorum non sunt eadem principia quæ sint media vel extrema.

Sed neque communium principiorum, &c.

Adhuc de numero principiorum quæ communiora sunt, sicut de quolibet affirmatio vel negatio vera, vel totum maius parte, vel si de æqualibus æqualia demas, relicta sunt æqualia. Hæc autem sunt communiora multis generibus appropriabilia, & talium communium principiorum non possunt esse scientiæ diuersæ, ita quod diuersarum eadem sint principia, quia vniuersalia talia communia possunt esse: ex quibus etiam diuersa in singulis scientiis demonstrentur, sicut ex principiis. Dico autem communia principia omnibus, vt est illud, quòd omne quod est, contingit affirmare vel negare, & alia quæ paulo ante posita sunt: genera enim eorum quæ sunt de quibus scientiæ fiunt, sunt altera & diuersa: & quando principia communia appropriantur (sicut dudum in antehabitis dictum est) tunc fiunt & ipsa principia appropriata alia in quantitatibus & scientiis quæ de quantitate sunt, & alia in qualitatibus & scientiis quæ sunt de qualitate, solum acceptum principium ad illam scientiam appropriant cum quibus propriis demonstrantur conclusiones per communia sic appropriata.

Amplius principia nō multò minora, &c.

Amplius & ad idem, principia ex quibus scientia siue scita conclusio nota est, non sunt multò minora, hoc est, pauciora conclusionibus quæ concluduntur ex eis. Et scias, quod apud Philosophos vsus est in proportionibus numerorum multum plus vel multum minus dicere quod distat in infinitum, & cuius nulla est proportio, vt dicit Alphara. siue autem in multo sic dicat in infinitum & non proportionale secundum numerum, siue dicat multò deficientius secundum numerum, semper tenet ratio quam inducemus: quia conclusiones multæ & principia cuiuslibet conclusionis sunt immediatæ propositiones, quæ non in multo excedunt conclusiones: propositiones autem sunt aut assumpti termini in duabus figuris, secunda & tertia: aut sunt termini immissi inter maiorem & minorem extremitatem, sicut in prima figura: quia assumpto termino supra prædicatum vel sub subiecto, vel immisso inter prædicatum & subiectum, semper apponitur vna propositio quæ est principium: & sic propositiones non multo sunt pauciores conclusionibus: sed si essent principia omnium eadem, essent propositiones multò pauciores conclusionibus in qualibet scientia: quia omnes conclusiones probarentur per eadem media, quæ valdè multa sunt. Cum ergo hoc sit inconueniens, patet quod non omnium eadem sint principia immediata nec in vna & eadem scientia.

Dictum Alphar.

Adhuc autem ad idem inconueniens: quia conclusiones infinitæ sunt ad minus potentia per medij multiplicationem, vt potest probari de trrtangulo, quòd trés habeat: de quadrato, quòd quatuor: de pentagono, quod quinque: & sic in infinitum: quod totum probatur per triangulum. Termini autem immissi vel assumpti (hoc est, medij) sunt finiti secundum numerum determinatum in tribus figuris: & si essent eadem omnium principia, tunc probarentur conclusiones infinitæ per principia finita, quod est inconueniens, quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Patet ergo, quòd in vna scientia non omnia eadem sunt principia. Hūc puto esse intellectum Aristotelis, & quòd nulla alia vis sit rationibus suis.

Adhuc conclusiones infinitæ sunt, &c.

Ad euidentiam autem eorum quæ hic dicta sunt (quòd termini sic assumpti vel immissi nō sunt multò pauciores conclusionibus) intelligendum est, quòd principia, hoc est, præmissæ possunt comparari ad suas conclusiones vltimas, quæ vlterius connludi non possunt: eò quod densatæ ad immediatas reductæ sunt: & sic in veritate non sunt pauciora conclusionibus: quia vnaquæque scientia habet vltimarum hoc modo conclusionum multa media, & tot quot habet media, tot habet principia: quia medium principium est conclusionis. Et possunt comparari non ad conclusiones vltimas, sed ad quascunque indefinitè: & sic principia sunt non multò pauciora cōclusionibus. Huius exemplum potest esse si ostendatur substantia de isto homine per media quæ sunt corpus, animal, rationale, & homo, sex erunt conclusiones & quatuor principia. Concluditur enim substantia de animali per corpus, & de rationali per animal, & de homine per rationale: & sic tres sunt conclusiones. Et iterum concluditur corpus de rationali per animal, & de homine per rationale: & sic sunt conclusiones quinque. Et iterum concluditur animal de homine per rationale: & sic sunt sex conclusiones, & quatuor principia quæ sunt propositiones immediatæ ad istas conclusiones, sicut patet: sunt enim quatuor penes quatuor media: & sic sex erunt conclusiones, & quatuor principia immediata ad sex conclusiones concludendas: & sic multo sunt pauciora principia conclusionibus: & hoc est quod dicit Aristot.

Quomodo intelligenda illud dictū Philosophi, quòd principia non sunt multum multa conclusionis.

Sunt tamen qui faciliter hic transeunt, & dicunt, quòd principia ideò dicuntur non multò pauciora conclusionibus: quia sunt multo plura. Si enim principia sunt mediatæ propositiones, ad quamlibet conclusionem duplicantur præmissæ: & sic principia sunt in duplo plura, quam conclusiones. Veritas autem secundum intellectum Aristot. est id quod primo dictum est. Vnde translatio Arabica habet, quòd principia non sunt elongata à conclusionibus. Adhuc autem cum dicantur propositiones esse termini assumpti vel immissi, non ita intelligitur, quòd termini formaliter prædicentur de propositionibus: sed

Expositio latis quorundam.

Quomodo intelligitur dictum Philosophi, quòd propositiones sunt termini assumpti aut immissi.

sed materialiter intelligitur: quia propositiones immediatæ sunt materialiter ex talibus terminis. A terminis enim medijs nōminantur & numerantur præmissæ: quia præmissæ super conclusionem nihil adduut nisi tantum medium: quicquid enim est de maiori propositione & de minore præter medium, totum est an conclusione: quia conclusio est medietas vtriusque præmissarum. Attendendum etiam, quod conclusiones in alia materia & alia vadunt in infinitum. Et siquis dicat, quod conclusio est scita & scita, non cadunt super infinitum. Dicendum, quod conclusiones actu scitæ ab homine, sunt finitæ, & tamen potentia sunt infinitæ, vt demonstratur in quarto Euclidis: ex quo probatur, quod si poligona inscribatur circulo anguli multiplicatis in infinitum, ad quantitatem circuli non deuenient: quotiescunque autem accrescit nouus angulus, fit noua figura suas habens passiones in infinitum: ergo multiplicantur. Si ergo omnium essent eadem principia, per finita prōbarentur infinita sicut per propria: quod non esse potest.

Quomodo conclusiones vadunt in infinitum & tamen cum-sunt scitæ.

Amplius principia hoc-quidem ex necessitate, &c.

Amplius principia quidem alia siue quædam esse ex necessitate, sicut necessariorum: alia contingentia contingentium principia, quando sunt propria & essentialia: de talibus enim hîc loquimur principiis. Sic ergo tali intentione habitis his rationibus (quæ dictæ sunt) impossibile est illa principia necessariorum & contingentium esse eadem, & impossibile principia propria esse finita cum infinitæ sint conclusiones.

Si verò esset quodammodo dicat, &c.

Si verò quodammodo ad hominem & non ad rationem instans aliquis cauillator dicat, quod hæc quidem determinata principia geometriæ, & quod aliæ propositiones sint principia syllogismorum (hoc est, scientiæ syllogizandi quæ est logica) & aliæ propositiones sint medicinæ: quid vtique erit hoc aliud dicere, nisi quod propriatum scientiarum sunt propria principia, & diuersarum scientiarum principia diuersa? Sed propter hoc, quod ista sunt principia & illa principia, dicere omnium principia eadem esse, responsio sophistica est secundum consequens: quia ex hoc sequitur, quod eadem eisdem ipsa sunt eadem. Vnde sic omnia fiunt eadem, sicut principiis principia sunt eadem, & principiata abillis sunt eadem: & sic omnia sunt vnum, sicut dixit Melissus: & hoc est etiam speciale medium octauæ rationis ad idem, per aliud inconueniēns intentionem concludens.

Logica.

At verò neque quod est, &c.

At verò etiam non contingit dicere, quòd quodlibet, hoc est, omnem conclusionem est demonstrare ex omnibus (hoc est, ex quolibet) vt scilicet omnia demonstrentur ex omnibus indifferenter: horum enim (qui hoc dicunt) est quærere omnium esse eadem principia: quia sic omnia eisdem demonstrarentur: talia enim dicere multum est insipiens & stultum: hoc enim non possibile in his quæ manifestæ doctrinæ sunt siue doctrinales, vt sunt mathematicæ. Nec in resolutione alicuius conclusionis in præmissas est hoc posse:

Vocat mathematicas scientias doctrinales seu manifestæ doctrinæ.

sunt enim principia propria propositiones immediatæ: accepta autem altera propositione immediata pro præmissa sit, hoc est, sequitur etiam altera conclusio, vt in libro priorum est probatum: ergo in vna & eadem scientia diuersarum conclusionum diuersa sunt propria principia.

Si autem aliquis dicat primas, &c.

Si autem ex his quæ dicta sunt (aliquis errorem concipiens secundum ea quæ dicta sunt) dicat primas & immediatas propositiones esse principia propria, & hoc principium est vnius modi in vnoquoque genere vno, & diuersum in diuersis: si verò (secundum dicta) non ex omnibus (hoc est, ex quolibet) demonstrari quodlibet contingit, vt opus est (hoc est, illo modo quo oportet quodlibet demonstrari) iterum contingit sic vt opus est, ex altera scientia (hoc est, alterius principiis) demonstrare conclusiones scientiæ alterius. Sequitur ex hoc vnaquæque scientiæ altera & altera esse principia. Relinquitur ergo (si proxima & non communia sunt principia omnium) quod nulla sunt communia omnium principia, sed ex his propriis principiis demonstratur hæc conclusio: ex illis autem aliis propriis demonstratur alia conclusio, & nulla erunt principia communia in omnibus. Si, inquam, hoc dicat aliquis, manifestum est ex superius determinatis, quòd non contingit, & est falsum nulla esse communia propter hoc quod in scientiis determinatis alia sunt propria principia, & diuersa in diuersis.

Principia demonstrationis non triplicia, scilicet ex quibus, quæ & circa quæ.

Principia enim sunt duplicia, hoc est, dupliciter dicta vel tripliciter, sicut principia ex quibus est demonstratio, & quæ sunt in ipsa demonstratione, & circa quæ est demonstratio. Ex quibus autem fit demonstratio, sunt dignitates non ingredientes demonstrationes, sed extra stantes & confirmantes, deorsum syllogisticum demonstrationis: & hæ sunt communia. Quæ autem demonstrantur & sunt in ipsa demonstratione, sunt passiones: & circa quæ fit demonstratio, sunt subiecta, & propositiones in quibus hæc sunt prædicata & subiecta: & hæc sunt propria, & in diuersis diuersa. Patet ergo, quod principia ex quibus, hoc est, ex quorum virtute est demonstratio, communia sunt: quæ autem & circa quæ propria, sunt vt numerus in arithmeticis, & magnitudo in continuis, sicut in geometria. Hoc est, vt puto, sententia Arist. vnde principale intentum est, quod non omnium conclusionum eadem sunt principia. Quod ex hoc patet: quia si omnium conclusionum essent eadem principia: tunc ponamus conclusiones esse e. f. g. & principia a. b. c. d. concludetur quælibet conclusio e. f. g. ex quolibet penitus ingillatim a. b. c. d. ita quod quælibet ex a. & quælibet ex b. & sic de aliis. Hoc autem falsum est.

Removet dubium.

Attendendum autem, quòd licet metaphysicus probet & stabiliat principia omnium: non tamen suum est determinare, vtrum eadem omnium conclusionum, sed istius est, hoc est, scientiæ quæ docet componere principia ad conclusionem. Adhuc autem quamuis vna sit scientia syllogistica, qua vtuntur omnes scientiæ, in libro priorum determinata: non

Removet dubium.

tamen propter hoc eadem omnium sunt principia conclusionum: principia enim eadem sunt quantum ad ea quibus regulatur syllogismi compositio, & habitud. trium terminorum in modo & figura: sed quando dicitur, non sunt eadem principia omnium, intelligitur de principiis quæ sunt præmissæ relatæ ad conclusionem immediate sequentem ex præmissis.

Attendendum etiam, vt qui[dam] dicunt in explanatione vltimæ partis capituli, quod quidam dicant intendere Aristotelem excludere dictum cauillatoris dicentis, quòd licet resolutio conclusionis facta ad proxima & propria principia ostendat diuersorum diuersa esse principia, tamen resolutio facta ad prima in quolibet genere, ostendit omnium conclusionum eadem esse principia, dicunt, quòd non stat resolutio, nisi deducatur vsque ad prima ante quæ nihil est accipere: prima autem dicunt, quæ enuntiantur de subiecto primo: quia est vel prædicatum de subiecto primo per propriam eius diffinitionem, vt de magnitudine in geometria, & de numero in arithmetica, & sic de aliis: & illas propositiones esse communia principia in scientiis ad diuersas conclusiones. Et quando dicit Arist. non contingit, glossant, quòd hoc non est contingens, sed necessarium. Primum autem quod dictum est, etiam videtur magis esse de intentione Aristot. Hæc igitur de vnitate scientiæ ad scientiam & de diuersitate dicta sint.

CAPVT IX.

De diuersitate scientiæ, intellectus, & opinionis.

HAbitis iam omnibus quæ ad principia demonstrationis pertinet, & habitis comparationibus demonstrationum adinuicem secundum nobilitatem & certitudinem, sequitur hic comperare scientiam quæ est vere effectus demonstrationis, ad alios habitus: superiores quidem, vt intellectus: & inferiores, sicut est opinio. Et quia scientia est habitus conclusionum, intellectus autem habitus principiorum, & de intellectu per media deuenitur ad conclusionem, oportet addiscere solertiam quæ est habitus inueniendi medium: hæc enim tria sunt in demonstratione, principia, conclusiones, & media: & habita differentia & conuenientia istorum trium, sufficienter comparata sunt ea quæ sunt in demonstratione.

Remouet dubium. Scibile autem & scientia, &c.

Dicamus igitur, quòd quia scibile & scientia referuntur adinuicem, & similiter opinio & opinabile, ad differentiam vnius sequitur differentia alterius: scibile igitur & scientia differunt ab opinabili & opinione, ita quod scientia ab opinione differt, sicut differt scibile ab opinabili: quoniam scientia est eius quod est vniuersale secundum conditiones vniuersalis in talibus habitis determinatas: & de illis est per necessaria media, siue sit scientia quia, siue propter quod. Opinio autem etsi aliquando sit circa necessaria, non tamen est per necessaria media vt necessaria accepta. Necessaria autem sunt, quæ non contingunt aliter se habere: & ideo immutabilia sunt & æterna, vt dicitur in 6. ethic. & sunt per talia media immutabilia & æterna hoc modo æternitatis quo immutabile æternum dicitur. Ex quo concluditur, quòd manifestum est, quod circa hæc singularia, scilicet ad sensum demonstrabilia & contingentia aliter se habere non est scientia: & si daretur, quòd scientia esset circa hæc, sequeretur inconueniens, hoc scilicet quòd impossibilia aliter se habere essent possibilia aliter se habere: & sic vlterius sequeretur (vt dicitur in primo de cælo & mundo) quòd possibile esset contradictoria esse vera: quia possibile non esse, aliquando non erit: impossibile non esse, nunquam non erit: & sic sequeretur, quòd idem non esset & semper esset, quod est impossibile. Hæc igitur scientiæ & opinionis differentia sumpta est ex parte subiectorum de quibus sunt scientia & opinio, & est essentialis & propria.

Cap. 4.

Tex. com. 120. ex.

At vero nec intellectus, &c.

At vero nec intellectus est scientia, vel opinio: dico enim hoc secundum istam intentionem qua hic loquendum est de intellectu habitu principiorum demonstrationis: & ideo est principium scientiæ sicut principia sunt causa conclusionis: non tamen intellectus propriè principium opinionis: propter quod magis conuenit cum scientia, quam cum opinione. Omnes autem isti tres habitus conueniunt in hoc, quòd sunt circa verum quod est in complexis non in incomplexis: sunt enim alicuius existentis in hoc, sicut prædicati in subiecto, vel existentis in ipso.

Neque scientia est indemonstrabilis, &c.

Adhuc alia differentia est: quia neque scientia est indemonstrabilis, sed demonstrabilis: vnde est propositionis mediatæ, quæ per medium potest demonstrari. Hoc autem principium (quod hic vocamus intellectum) est opinio, hoc est, certa acceptio & fides, quam credulitatem Arabes vocant, immediatæ propositionis & indemonstrabilis, quæ melioris est habitus, quam sit scientia & dignioris. Dicitur autem talis acceptio (quæ fides certa est) opinio: quia sicut dicit Aristot. in 2. de anima, opinio rationibus firmata, sit fides, hoc est, certa conceptio veritatis: & hæc est quæ Græco idiomate vel certa opinio vel fides vocatur. Verus enim intellectus est & scientia & opinio in hoc quod isti habitus sunt circa verum quod est in complexis sicut in propositionibus vel enuntiationibus, & in hoc conueniunt: & verum est etiam illud quod per hoc dicitur siue denotatur vt scitum & intellectum & opinatum, siue scibile & intelligibile & opinabile: quia scientia & intellectus, vt dictum est, sunt circa intransmutabilia vera, opinio autem circa transmutabilia: relinquitur opinionem esse circa verum & falsum, intellectum autem & scientiam circa verum tantum: verum enim & falsum accidunt orationi & opinioni, & orationi ex rerum transmutatione, vt dicit Arist. in prædicamentis: sed contingens est opinabile, & ideo contingens est siue possibile aliter se habere. Hæc enim opinio est aliquando acceptio

Tex. 157.

ptio immediatæ propositionis non necessariæ, hoc est, non necessario modo, ita quod necesse sit aduerbium. Aliquando enim opinio est acceptio propositionis, scilicet immediatæ: sed non accipit eam per modum necessitatis & immediationis, vt patebit in sequentibus. Opinatum autem de se non certum est, sed certum efficitur sic apparentibus (hoc est, illis quibus ita videtur & apparet) & non est certum nisi inquantum talis opinio immediatæ propositionis cadit super ipsum: quia sic est scitum, quamuis per modum scientiæ non sit acceptum: & sic dicitur scire vehementer opinari & non falli: opinio enim de se incertum quid est, & ipsum opinabile de natura sua (inquantum est opinabile huiusmodi) incertum sicut & opinio.

Adhuc autem nullus, &c.

Adhuc autem alia differentia est, quòd nullus opinatur aliquid probare, hoc est, ad aliquid se probabiliter habere (sicut opinatio probabiliter se habet ad opinata) cum opinetur (hoc est, concipiat de aliquo) quòd impossibile sit aliter se habere: quia tunc scit, & non opinatur: & ideo tunc opinatur se scire: sed aliquid aliquando quidem sic esse, sed tamen aliter se habere possibile nihil prohibet probare aliquem (hoc est, probabiliter se habere ad illud:) & hoc est signum, quòd opinio sit tanquam huius alicuius quod possibile sit aliter se habere, sed quod scientia sit eius quod est necessarium.

Dubitatio textus. Qualiter igitur est idē opinari & scire, &c.

Sed tunc surgit quæstio, qualiter hoc possit esse, cum idem sit in hoc quod de eodem est opinari & scire, & quod idem per eadem media contingit scire & opinari? tunc enim quæstio est, quare opinio non est scientia? si enim idem est opinari & scire, tunc scibile est opinabile: ergo videtur, quod etiam scientia sit opinio: consequitur enim hæc quidem sciens: illa verò sæpissimè consequitur ad opinans in propositionibus mediatis deuiando de medio in medium quousque veniat in immediata: & tunc videtur esse scientia. Propter quod liquidem sciens per immediatum sciuit scitum: tunc etiam opinans sciuit vt videtur: sicut enim quid est vel contingit opinari, sic contingit & opinari propter quid: & quando hoc opinatur, tunc stat in immediato. Hoc autem ideo est: quia medium est quod scilicet est propter quid. Sic ergo & quia circa eadem & per eadem media sunt opinio & scientia, videntur esse indifferentia & idem opinio & scientia.

Ex quo patet quod diuersificatur opinari sicut & scire, scilicet quia, & propter quid.

Solutio textus. Aut siquidē sic accipiatur, &c.

Soluentes autem ad hæc quæ sic obiiciuntur, dicimus quòd aut oportet concedere, quòd scientia & opinio sint idem: aut oportet respondendo dicere, quòd scientes ea quæ non sunt contingentia aliter se habere, arbitrantur talia esse sicut se habent diffinitiones ad diffinita dicentes quid & propter quid: quia sic se habent diffinitiones ad quas fiunt demonstrationes, & sic arbitrabitur medium necessarium substantiale & necessarium: & ideo talis non opinabitur, sed sciet. Si autem aliquis arbitretur talia immediata esse, sed non arbitrabitur hæc eadem media ipsis extremis inesse substantiam (hoc est, vt substantiam siue substantialiter) neque arbitrabitur, quod secundum speciem & formam substantialem insint: tunc talis opinabitur (& non sciet verè) & propter quid & quia. Hoc autem ideo est: quia qui sic opinatur, opinatur per immediata: si vero non opinatur per immediata, sed per effectum vel causam remotam, tunc solum opinabitur ipsum quia, non propter quid: & sic solutum est id quod obiicitur, quod opinio & scientia per eadem media sint.

Eiusdem autem opinio & scientia, &c.

Ad aliud quod obiicitur, quòd scientia & opinio eiusdem sint (hoc est, de eodem.) dicimus, quòd non penitus de eodem sunt: sed sicut falsa & vera opinio eiusdem & de eodem quodammodo est, sic & scientia & opinio eiusdem quodammodo est: quia scilicet idem est subiecto, sed non est idem secundum rem & rationem. Dicunt enim quidam & veram opinionem & falsam quodammodo eiusdem esse (hoc est, de eo quod idem subiecto, & non idem secundum esse & rationem) accipiuntur enim scientia & opinio & per eadem media, differunt tamen in modo accipiendi, sicut circa vnam & eandem rem aliquando est opinio vera & opinio falsa, non tamen penitus est eadem, sed secundum esse differens: esse dico quod habet eadem res accepta secundum quod refertur ad diuersa per quæ accipitur, vel ad diuersum modum accipiendi: & sic opinio vera vel falsa non sunt penitus circa idem. Siquis autem dicat, quòd opinio vera & falsa sunt circa penitus idem; quod idem est & subiecto & esse, multa inconuenientia accidunt, inter quæ accidit & non opinari aliquem (qui falsò opinatur) quod falsum est, ex quo opinio diuiditur vera & falsa, vt alibi dictum est. Hoc autem sic potest perpendi: opinatur aliquis verum per verum: & si opinio veri & falsi essent idem secundum idem, tunc opinans verum & opinans falsum essent idem in opinando: sed opinio opinans verum secundum quod verum est falsum, nulla est opinio: ergo falsa opinio nulla est opinio. Primus modus opinionis melior est & planior: vnde talia dicere est inconuenientia appetere quæ multa sequuntur.

Licentiens. aliter facit consequentiam, & aliter ipsam deducit.

Ratio autem inductæ solutionis stat in hoc, quòd idem multipliciter dicitur, scilicet: subiecto, & esse. Et ideo est sicut contingit scientiam & opinionem eiusdem esse, quod subiecto est idem. Est autem sicut non contingit: quia non sunt eiusdem secundum esse. Cuius exemplum est: quia diametrum esse commensuratum siue commensurabilem esse lateri, inconueniens est aliquem vere opinari: quia hoc non potest aliquis verè opinari, ita quod opinetur per verum. Vnde circa hoc est opinio falsa: quia sicut in prima philosophia dicit Arist. non geometricus multum mirabitur si aliquid numerorum & finitorum non commensuretur: sed tamen diameter circa quem sunt opiniones veræ & falsæ, idem est subiecto & non esse secundum rationem qua refertur ad rationem aliam vel ad communia & logica, sicut est quodlibet finitum alij finito esse commensurabile. Sic etiam scientia & opinio eiusdem est: quia ambo sunt circa rem vnam, sed non secundum esse vnum & idem: vnde id quod aliquid erat esse, secundum rationem non idem est, secundum quod de ipso est opinio & secundum quod de ipso est scientia.

Quoniam autem idem multipliciter dicitur, &c.

Similiter autem & scientia & opinio, &c.

Similiter igitur sicut dictum est, & scientia & opinio eiusdem est subiecto, sed non eiusdem secundum esse. Cuius exemplum est: si enim dicatur de animali scientia esse & opinio: tunc hoc quidem enim scientia, scilicet est animalis (hoc est, de animali) secundum ea quæ non est contingere aliter se habere, sed in essentialibus & uno modo se habere animal: scientia enim animalis est de animali per essentialia non determinata per materiam sensibilem, in quibus animal semper est, & non contingit aliter se habere: sed illa quæ est opinio, est conceptio de animali secundum quod est ad materiam sensibilem determinata per ea quæ contingit aliter se habere, vt si hæc quidem (scientia scilicet) consideret quod verè hominis per verâ essentialia vt animal rationale: illa autem (opinio scilicet) consideret quod quidem hominis est, sed non verè, sed accidentaliter est hominis: idem est enim subiecto tunc circa quæ sunt scientia & opinio: quia ipsum est idem homo. Hoc autem quod considerat scientia & opinio, tale est sicut non idem secundum esse: aliud enim est esse hominis secundum quod refertur ad essentialia vera, & aliud secundum quod refertur ad accidentalia & transmutabilia.

Manifestum autem ex his, &c

Ex his autem quæ dicta sunt, manifestum est, quòd eundem hominem secundum idem tempus & per eadem non contingit simul idem penitus secundum esse & subiectum opinari & scire. Si enim hoc daretur, sequeretur, quòd simul in eodem tempore & secundum idem haberet & opinionem de aliquo aliter se habendi, & non aliter se habendi: quia sic scientia esset opinio: & in diffinitione scientiæ est, quòd sit de his quæ non aliter se habent: in diffinitione autem opinionis est, quod sit de his quæ aliter se contingit habere: & quidem hoc verè & secundum idem in eodem non contingit. In aliquo quidem homine opinante, vel in alio & alio opinabili, vel in alio & alio tempore contingit opinionem & scientiam esse eiusdem, sicut in paulò ante dictum est: sed in eodem homine opinante secundum idem & in eodem tempore, nihil sic potest esse vt primus eiusdem habeat scientiam & opinionem: si enim hoc daretur, tunc sequeretur, quòd talis haberet opinionem simul cum scientia de hoc quod homo esset quod verè est animal, hoc est, per essentialia hæc haberet opinionem, quod esset animal, quod verè & per essentialia est: & hoc esse non potest: quia talia faciunt in homine scientiam & non opinionem. Sic igitur de differentia opinionis & scientiæ dictum sit.

Reliqua autem quo modo oportet distribuere, &c.

Reliqua autem quæ sunt in anima, quæ sunt potentiæ & habitus intellectus, sicut in potentiis est intellectus, ratio, memoria, & aliæ acceptiuæ potentiæ: in talibus autem scientia, sapientia, intellectus, prudentia, & ars quomodò oporteat quidem hæc distribuere, hoc est, abinuicem distinguere, hæc quidem est physicæ distinguere (quoad potentias & partes animæ) illa autem (quantum ad intellectiuos habitus) erhicæ speculationis magis, & non pertinet ad logicam, nisi secundum quod in generalibus & communibus intentionibus accipiuntur.

Sciendum autem, sicut dictum est, quòd quamuis opinio cadat super immediatas & necessarias propositiones vt est illa, de quo prædicatur species & genus, & de quocunque prædicatur diffinitio & diffinitum, & huiusmodi multa, qualia sunt in considerationibus topicis: non tamen, sicut dictum est, cadit super tales propositiones vt sunt necessaria & per necessaria & modo necessitatis. Et cum dicitur, quòd opinio est acceptio propositionis immediatæ non necessariæ, hoc non ideò est dictum propter hoc quod semper opinio sit acceptio propositionis immediatæ, quinimo maximè est acceptio propositionis mediatæ, & aliquando etiam immediatæ propositionis est acceptio: & quando accipit immediatam, non accipit eam vt necessariam: cum tamen maximè videatur, quòd talis acceptio deberet esse necessarij & per modum necessitatis. Tamen propositio immediata dicitur dupliciter, scilicet aut secundum veritatem, aut secundum opinionem: principium enim demonstrationis est propositio immediata secundum veritatem, & omnis talis propositio est necessaria: propositio autem immediata secundum opinionem est sicut illa de qua sunt considerationes topicæ, & secundum quod accipitur, acceptio non est necessaria, sed probabilis: quia non accipit eas topicas vt necessarias, sed vt probabiles. Non enim propositio immediata est omninò necessaria, sed opinio accipit eam sicut non necessariam.

Quomodo saluatur dictum Philosophi, quòd opinio sit acceptio propositionis immediatæ non necessariæ, cum sæpius circa mediatas & necessarias versetur opinio.

Propositio immediata duplex: secundum veritatem, & secundùm opinionem.

Adhuc autem cum demonstratio sit causa scientiæ, & scientia sit necessarij: tamen videbitur fortè alicui, quòd demonstratio non sit necessarij, cuius contrarium dictum est superius: quia demonstratio est eius quod est frequenter, sicut sunt demonstrationes naturales. Sed ad hoc facile est soluere sicut superius solutum est, quòd demonstratio est eius quod est frequenter, secundum quod reducitur ad illud quod est semper secundum causæ ordinationem, sicut in secundo de generatione causam generationis & corruptionis quæ frequenter est, reducit in circulum obliquum, in quo solis accessus semper est.

Obiectio

Solutio.

Tex com. 56.

CAPVT X.

De solertia.

IAm determinatum est de intellectu principiorum quæ ingrediuntur demonstrationem in præmissis, & de scientia quæ est in demonstratione & conclusione: & quia scientia & opinio sunt circa idem, ideo oportuit determinare differentiam scientiæ & opinionis. Vt ergo completè tradatur de his qui in demonstratione habitibus, restat nunc vltimo determinare de solertia.

Remouet dubium.

Dicimus igitur, quòd solertia est subtilitas quædam medij, hoc est, ad medium inueniendum (qualiter extremum sit in extremo) syllogisticè in non perspecto tempore (hoc est, in paruo tempore, siue non magna deliberatione) Cuius exemplum est in demonstratiuis in astronomia,

Solertia autem est subtilitas, &c.

astronomia, vt si aliquis videns (hoc est, considerans) quòd luna semper desinat accessione ad solem, & in luminis sui decremento splendorem semper habet in parte conuersa ad solem, & cornua versa in oppositum sint, statim intellexit propter quid (hoc est, propter quam causam) hoc sit, & intellexit, quòd hoc sit propter hoc, quòd luna non habet lumen à se, sed illustrata à sole. Aut in communibus moralibus exemplum est aliquem fortè pauperem disputantem siue disceptantem cum diuite, statim sine deliberatione magna cognouit, quoniam accommodatum est pauperi quod repetit diues. Aut propter id quod amici sunt in aliqua coniunctione, sicut determinatur species amicitiæ: aut quia ambo sunt eiusdem alicuius inimici, de cuius tractatur nocumento. Omnis enim qui causam videt, quæ sunt media cognouit & vltimas, hoc est, extremitates, quarum vna de alia concluditur per medium quod iam videt per solertiam.

Splendidum enim esse ad solem, &c.

Huius autem in figura & modo exemplum est id quod ante diximus de lunæ accessione. Sit enim in quo a. maior extremitas, ad solem esse splendidum: sit b. medium lucere à sole: c. autem minor extremitas sit luna à se lumen non habens: & tunc syllogizetur sic, omne b. est a. & omne c. est b. ergo omne c. est a. Omnis enim stella non habens de se, sed à sole lumen, splendet in parte conuersa ad solem: luna est stella de se non habens lumen, sed à sole: ergo splendet à parte ad solem conuersa. Inest enim lunæ (quod est c.) b. medium quod est lucere à sole, per se lumen non habere: & hoc est in minori propositione: ipsi autem b. medio inest a. quod est ad hoc, hoc est, ad solem esse splendidum, hoc est, in parte ad solem conuersa splendere, à quo splendor est in parte quæ conuertitur ad solem: propter quod sequitur, quòd & ipsi minori extremitari inest a. maior extremitas in conclusione: & hoc concluditur per b. medium.

Remouet dubium.

De aliis autem habitibus, vt suspicione, & existimatione, dicere non oportet: quia non sunt circa ea quæ sunt demonstrationis.

LIBER II.

POSTERIORVM ANALYTICORVM.

TRACTATVS I.

De numero scibilium demonstrabilium in scientia demonstratiua.

CAPVT I.

Quod numerus verè scibilium accipitur de numero quæstionum, & quot, & quæ sint quæstiones.

Facultas demonstrandi consistit in inuentione medij demonstrationis.

HABITIS iam eis quæ pertinent ad principia demonstrationis, ex quibus & qualibus fit demonstratio, oportet tradere demonstrandi facultatem in quolibet demonstrabili, quæ (inquam) ars consistit in inuentione medij demonstratiui: hunc enim modum tenuimus in prioribus resolutoriis siue analyticis, prius ostendentes ex quibus & qualibus est syllogismus, & postea tradentes artem syllogizandi per medij syllogistici inuentiones, & syllogizandi facultatem & potestatem. Antequam autem nos doceamus inuentionem medij demonstrationis, quia omne medium consistit vt per ipsum ad scientiam scibilis complexi notitiam per demonstrationem veniatur, ideo oportet primo docere quid sit verè scibile, & quot sunt genere scibilia quæ sciri possunt per demonstrationem: hæc enim scientia finis est inquisitionis medij demonstrationis, & vt dicit Aristot. oportet præstituere finem, vt sciamus omnem sequentem tractatum dirigere in illum, sicut sagittarius metam præstituit, in quam dirigat sagittam: & hoc est exemplum Auicen. in hoc loco. Adhuc autem quia quæstio in accipiendo scientiam antecedit scitum, quia quæstio sit ex admiratione, & ideo excitat ad inquirendum causam in eo quod demonstrabile est, ideo conueniens est incipere à quæstione ex qua incipit philosophari omnis rectè inquirens per philosophiam. Adhuc quia quæstio & scitum idem sunt subiecto, sed secundum rationem quæstio præambula est scito secundum actum in quo qui verè accipit scientiam

Quare incipit à quæstione.

Quæstio præambula est scito.

scientiam admirabilium, primo admiratur: & ideo dicit Aristot. in primo primæ Philosophiæ, quod ex admirari, & sunt & nunc philosophari inceptum est: incipientes à quæstione, dicimus quòd quæstiones (quæ, vt dicit Alpharabius, sunt de rebus demonstrabilibus & non aliis) sunt æquales numero his quæcunque sunt verè & per demonstrationem scita. Et si sint verè scita, vel meliori habitu quam scientia comprehensa, & non sint demonstrabilia, sicut principia, & huiusmodi, de his non erunt quæstiones quæ de ipsis relinquuntur, quia sunt talia omnia, vt in antehabitis determinatum est.

Quæstiones autem sunt æquales numero, &c.

Remouet dubium.

Adhuc autem notandum est, quòd quæstiones non multiplicantur secundum verè scita secundum materiam scibilium: hoc enim modo plures sunt quæstiones quam verè scita, sed quæstiones multiplicantur ad formam scitorum. Quæcunque enim verè scimus, non sunt sophistica, vel ex his quæ per accidens scita, vel etiam opinabiliter scita, sicut topica: sed sunt (vt dicit Auer.) scita vel per demonstrationem, vt complexa, vel per ea quæ sunt in demonstratione, sicut per medium quod est diffinitio: sicut quia est, scitur ex conclusione demonstrationis: scientia autem propter quid, scitur per medium demonstrationis per illam secundum quod actu mediat inter extrema: scientia autem quid, habetur per diffinitionem non inquantum mediat, sed inquantum est diffinitio: & scientia si est, relinquitur ex illa. Ideo quia sicut dicit Alphar. quæstio an est, vel si est, propositione categorica terminari non potest: eò quod non supponitur vel scitur subiectum quæstionis, ad quod prædicatum referatur categorica propositione: & ideo conditionali terminatur quæstio an est, sicut scitum relinquitur esse, quod scitur iam quid sit. Hæc est sententia Alpharabij. Hoc igitur modo quæstiones eorum quæ demonstrantur (hoc est, per demonstrationē & principia demonstrationum accipiuntur) sunt æquales numero, specie, & forma, his quæ verè scimus, hoc est, per demonstrationem accipimus, vel ea quæ sunt in demonstratione. Multæ tamen aliæ quæstiones sunt secundum numerum, quæ excedunt incomparabiliter numerum verè scitorum.

Multiplicantur ad formam scitorum.

Quod est, scitur ex conclusione demonstrationis: propter quid scitur per medium: quid scitur per diffinitionem: si est verò relinquitur ex diffinitione, vel terminatur propositione conditionali & non categorica, vt inquit Alpharabius.

Quærimus autem de demonstratiuè scibilibus quatuor, scilicet quia est, & propter quid est, si est, & quid est. Et cum dicitur quia est, intelligitur de vero complexo. Vnde alia translatio habet, pro quia est hoc, an insit huic: quæstio enim quia est hoc, supponit complexum: & ideo si quærimus quia est, cum hoc quærimus de quo est. Quia autem est hoc, est hoc esse hoc: quia aliter non diceretur quia ipsum est. Vnde quæstio quia est, est quæstio an hoc sit hoc, siue an hoc prædicatum quod dicitur, insit huic. Hæc est igitur prima quæstio de complexo, in quo enuntiatur hoc de hoc: & hæc concluditur in demonstratione quia. Illa enim simpliciter concluditur hoc de hoc.

Quærimus autem quatuor, &c.

Quæstio quia est, concluditur per demonstrationem quia est.

Sciens autem hoc quia ineſt huic, non quiescit quærens: quinimo adhuc de complexo quærimus propter quid insit, volentes scire inhærentiæ causam eius quod ineſt: & hoc concluditur in demonstratione propter quid. Et istæ duæ quæstiones sunt de complexo & subiecto & prædicato, & terminabiles sunt per demonstrationem vel quia, vel propter quid.

Si autem sciamus ipsum quia, &c.

Quæstio quia est, & quæstio propter quid, sunt terminabiles per demonstrationem.

Quærimus autem de simplici siue incomplexo siue de subiecto siue de prædicato quod est passio, si est (hoc est, an est) & quid est. Vnde alia translatio habet, an est & quid est: & quod dicitur, si est, siue an est, quærit esse eius quod est. Propter quod dicit Auic. quòd cum esse simpliciter (& non esse hoc vel illud) sit esse primum (quod nihil supponit ante se) non est terminabilis hæc quæstio, nisi per primam causam, quæ sic causat, quia nihil supponit ante se causans: quia esse causam est effectus entis primi quod est causa prima: & quia ignoratur secundum huiusmodi esse, ideò non est determinabilis nisi per conditionalem, & non per propositionem categoricā, sicut in præhabitis dictum est. Causa autem prima quæ simpliciter prima est, non cadit in demonstratione, eò quod nulli est proportionalis. Scientes autem esse quod est, quærimus quid est, hoc est, quidditatem ipsius per diffinitionem. Esse enim quod quærimus, aut compositum terminabile per demonstrationem per quam peruenitur in notitiam complexi: aut est complexum, aut simplex & incomplexum. Siquidem est complexum, vel terminatur demonstratione quia, vel demonstratione propter quid, sicut dictum est. Si autem est quæstio incomplexi: aut quæritur de esse simplici, aut de quidditate. Et de esse quæritur per quæstionem in qua hoc verbum, est, simpliciter acceptum est alterum extremorum & non tertium adiacens, sicut de homine quærimus an est, an non: tunc enim quærimus simpliciter, an homo habet esse simpliciter, secundum quod esse simplex conceptus est, qui accipitur per hoc, & conceptus indeterminatus ad hoc vel illud. Quærendo autem quid est, de quidditate quærimus eius quod est: & illa quæstio supponit esse illius quidditatis subiectum. Et ideo per conditionalem quæstio si est, terminatur per determinationem quæstionis quæ quærit, quid est.

Quæstio quia est, & quæstio propter quid, sunt terminabiles per demonstrationem.

Quædam autem alio modo quærimus, &c.

Quare quæstio si est, non est terminabilis categoricè cum habeat causam.

Et hæ igitur sunt quæstiones de simplici & composito, quæ quæri possunt in demonstratiuis. Et has exponendo addimus, quòd cum quærimus de aliquo per quæstionem, quia est, vtrum hoc aut hoc sit (hoc est, vtrum hoc prædicatum illi insit vel non) quærimus in numero ponentes. In numerum autem dicunt quidam Commentatores: quia esse non ponit in numerum, vbi simpliciter de esse quæritur per quæstionem, si est, vel an est: sed simpliciter quæritur de esse non determinato: sed in numerum ponitur & contrahitur vt cum alio numeretur, quando quæritur, vtrum sit hoc vel illud esse non in communi acceptum, & secundum quod significatur in hoc verbo, est, alterum adiacens in illo per aliquid additum numerabile: quia differentia substantiali vel accidentali diuiditur vt possit in numerum cadere: differentia enim semper est causa numeri: quæstio ergo, si est, vel an est,

Cum quidē enim vtrumque hoc, aut hoc, &c.

Causa simpliciter prima non cadit in demonstratione.

Differentia semper est causa numeri.

Quomodo quæstio si est, non ponit in numerum secundum Auic. & Alphar.

est, in numerum non ponit. Sed cum quæritur quia est (hoc est, vtrum est hoc vel illud) in quæstione supponit subiectum quòd importetur per hoc quod dicitur, si hoc est hoc vel illud, & quæritur de inhærentia prædicati in subiecto: prædicatum autem est differentia substantialis vel accidentalis, per quam esse subiecti ponitur in numerum. Hæc est expositio vera, & est Auicen. & Alpharabij.

Alia expositio, quomodo quæstio quia est, ponit in numerum, non autem quæstio si est.

Quidam tamen dicunt, quòd quæstio quia, vel vtrum est hoc vel illud, in numerum ponit: ideo quia quærit de inhærentia prædicati in subiecto: & sic ponit in numerum: quia prædicatum & subiectum sunt duo. Quæstio autem si est, vel an est, non quærit nisi de vno, hoc est, de esse, non supponens subiectum. Prima autem expositio melior est: quia etiam esse refertur ad id quod est sicut ad subiectum: sed hoc verum est, quod subiectum esse non est determinatum.

Vt vtrum sol deficiat, &c.

Exemplum autem quæstionis quia est (quæ in numerum ponit) est quando quærimus, vt vtrum sol deficit, aut non: tunc enim quærimus, an tale prædicatum insit tali subiecto: cum prædicatum & subiectum sint diuersæ naturæ numeratæ, per quarum aliam (hoc est prædicatum) esse subiecti determinatur & distinguitur & numeratur: & tunc quærimus ipsum quia, vtrum insit ei, quod dicitur inesse, quod concluditur per demonstrationem vel syllogismum quia simpliciter inferentem. Huius autem signum est (quòd scilicet nihil aliud quærimus) quoniam per demonstrationem quæstionis quia sol deficit, pausamus, de hoc quia vlterius non inquirentes: & si in principio ante quæstionem sciremus, quòd deficit sol, non quæreremus, vtrum deficeret aut non: quæritur autem de hoc quod cum habetur & scitur, pausatur in quæstione. Hæc igitur est quæstio quia.

Cum autem sciamus ipsum quia, &c.

Cum autem sciamus ipsum quia: tunc statim, vt] dicit Auicen. agoniamur & admiramur quæ sit causa, quòd tale prædicatum tali ineſt subiecto, & ex illa admiratione, agonia, siue suspensione ad causam, ipsum quærimus propter quid est, hoc est, propter quam causam tale prædicatum ineſt subiecto: sicut scientes, quia deficit sol, vel quia mouetur & tremit terra, quærimus propter quid deficit sol, & propter quid tremit vel mouetur terra: & ab hoc (vt dicit Auer.) incipit homo philosophari: primum enim quia deficit, de cognitione sensibili & de communi: suspendi autem & admirari causam facit quærere: & hoc est philosophari. Hæc igitur duo sic quærimus de complexo quod concluditur per demonstrationem. Et has duas quæstiones præmisimus: quia per demonstrationem (de qua hic intendimus) sunt terminabiles, & demonstrationi magis coniunctæ, quamuis aliæ duæ secundum viam naturæ sint priores.

Quare proposuit quæstiones compositas.

Quædam autem alio modo quærimus, &c.

Quædam incomplexa (quæ per ea quæ in demonstratione terminabilia sunt, & non propriè per conclusionem demonstrationis) quærimus alio modo quæstionis, siue per alias quæstiones: quærimus enim de subiecto in se considerato, & sic quærimus si est, vel non, siue an est, an non est centaurus, aut si est vel non est Deus. Hoc autem si est aut non est, simpliciter dico: quærit enim talis quæstio simpliciter de esse non determinato, siue sine determinatione accepto, secundum quod per hoc verbum, est (prout est alterum adiacens) significatur: sed non quærimus tunc de esse per differentiam aliquam subiectum determinantem, vt si est albus, aut non est albus: aut si hoc est homo, aut non est homo: & ideo in numerum non ponit hæc quæstio: quia non distinguit & diuidit: omnis autem numeri causa distinctio est & diuisio. Hæc tamen quæstio demonstratione non determinatur, sed ex consequenti, & per conditionem determinatur per consequentem quæstionem.

Ex quibus colligitur, quid per quæstiones simplicium seu non-entium in numerum intelligendum.

Cognoscentes quia est, &c.

Cognoscentes autem quia est, hoc est, si est, cui respondetur quia est, hoc est, quia est absolutè & confusè: tunc (quia in confusione non quiescit intellectus) suspendimur admiratione, & quærimus, quid est, vt quid igitur est Deus, & quid est homo? Vnde quæstio si est, se habet ad quæstionem quid est in simplici: sicut quæstio quia, se habet ad quæstionem propter quid est, in complexo: & hoc quia scientes priorem, suspendimur ad admiratione ad secundam. Et sicut in quæstione propter quid, perficitur scientia quæstionis quia: sic in scientia quæstionis quid est, perficitur scientia quæstionis si est, vel an est. Et sicut ad quia via fuit ad cognitionem, in scientia autem propter quid demonstratio est via ad sciendum: ita ad sciendum si est, via sensus est, & ad cognoscendum quid est diffinitio, quæ ponitur in demonstratione.

Quomodo quæstio si est, se habet ad quid est in simplicibus: sicut quæstio quia ad quæstionem propter quid in compositis.

Quæ quidem igitur quærimus primo in sciendi desiderio, & quæ (vt verè scita) inuenientes, per quæstionum determinationem scimus, hæc sunt quæ dicta sunt, & tot quot dicta sunt. Sic enim numerus etiam verè scitorum concluditur in numero quæstionum, & sic quæstiones sunt æquales numero his quæ verè scimus: & quærimus quatuor: igitur verè scita sunt quatuor. Et è conuerso numerus quæstionum syllogizatur ex numero verè scitorum. Sic quæstiones sunt æquales numero his quæ verè scimus: verè scimus autem quatuor: ergo quærimus quatuor. Sic igitur patet intellectus primæ propositionis de quæstionibus, & scitis, & æqualitate ipsorum secundum numerum.

Quæ quidem igitur quærimus, &c.

CAPVT II.

De exclusione dubitabilium circa principia.

Obiectiones, quòd plures sint quæstiones quam quatuor.

Si quis autem hic obiiciat, quòd videmus quæstiones multo plures quam quatuor: quæritur enim suppositum per quid, & qualitas per quale, & quantitas per quantum, & multa alia huiusmodi, qua hic non tanguntur. Adhuc quæritur de posse: quæ quæstio hic non tangitur. Quæritur etiam quid significetur per nomen, quorum hic nihil tangitur.

Ad

Solutiones. Ad hæc autē & similia si aduertatur diligenter ad dicta, non est difficile respondere. Ex quo enim quæstiones sunt de his secundum quæ oritur cognitio in nobis, & per viam sensus non accipitur prædicatum sine subiecto, sed in subiecto, sicut eclipsis per sensum accipitur in luna & non sine luna: tunc per viam sensus accipitur suppositum: & sic perit quæstio per quid facta de supposito. Per quale autem vel quantum quæstio reducatur ad quæstionem quia, quæ quærit indistinctè vtrum hoc insit huic. De posse autem non quæritur ad minus materiali: quia demonstratio si verè sumatur, est in aternis & necessariis, in quibus posse non antecedit esse nec vnquam est sine esse. Ad id autem quod de nominis significatione obiicitur: respondet Themistius, quòd communis significatio nominum supponitur in omni demonstratione, & est communis & docenti per demonstrationem & discipulo: & ideò dicit Aristot. in quarto primæ philosophiæ, quòd primum oportet supponere, quod nomina aliquid significent, & quod non significent infinita: aliter non potest fieri demonstratio: & ideò de tali nominum significatione nulla ponitur quæstio.

Nulla est quæstio de quid nominis.

Tex. com. 10.

Obiectio. Siquis autem obiiciat, quòd in eo quod inest, relinquitur adhuc quæstio de modo inhærendi, & hæc non est tacta superius. Non est difficile respondere: quia de hoc quod certum est, non oportet ponere quæstionem: certum autem omnibus est, quòd in demonstrationis non est modus inhærendi nisi necessarius & per se: & ideo de hoc non oportuit ponere quæstionem.

Solutio.

Obiectio, quòd pauciores sint quæstiones quam quatuor. Sed magis ad oppositum obiicitur, & dicitur, quòd pauciores quam quatuor sunt quæstiones: si enim scientia demonstratiua supponit de subiecto quia est: tunc videtur, quod quæstio si est, siue an est, sit superflua. Et si dicatur, quòd scientia demonstratiua quamuis supponat de subiecto quia est, non tamen facit hoc de passione: & ideo de illa an est potest esse quæstio: de passione enim non relinquitur quia est, sed quid est, quod dicitur per nomen. Sed tunc fortius obiicitur: si enim passionis esse est inesse, idem est quærere de passione an sit & an sit in subiecto: sed de passione in subiecto est quæstio quia: & sic de passione quæstio an est & quia est, sunt vna quæstio: & vna posita non fuit necesse alteram ponere. Ad hæc autem dici potest, quòd sicut circa passionem non differt subiectum quid est passio & propter quid est, & tamen quæstiones in se differunt: quia quod quid est dicit quidditatem passionis secundum quod est essentia quædam distincta à subiecto secundum quod est essentia, propter quid autem dicit causam per quam est in subiecto; ita circa eandem differunt an est, & quod est: quia an est, quærit esse illius essentiæ secundum quod est natura distincta ab aliis naturis in seipsa: quod autem quærit esse eius in hoc quod esse aliud est secundum rationem ab illo.

Solutio.

Dubitatio, ad quam arguit pertinet quæstio si est subiecti. Si autem tunc quæritur, vtrum quæstio an sit (quæ est demonstratiua) sit de subiecto vel non. Et si ad demonstratorem pertinet hæc quæstio secundum quod est de subiecto, vel non? Et si non pertinet ad demonstratorem, quæratur ad quem pertinet? Et si dicatur, ad primum Philosophum pertinet, cuius considerare est de ente a quo fluit esse quod quæritur per quæstionem an est. Si, inquam, hoc dicitur, iterum contra hoc esse videtur; quòd metaphysica sicut omnis scientia alia supponit suum esse subiectum & non quærit de ipso: non ergo quæstio an est, ad metaphysicum pertinere videtur. Ad hoc autem dicendum videtur, quòd quamuis quælibet scientia subiectum supponit esse secundum quod subiectum est in sua communitate acceptum, sicut metaphysica supponit ens esse, & geometria supponit magnitudinem esse, & arithmetica numerum, quæ sunt quædam partes subiecti, de quibus dubitari potest an sint sub subiecto existentes: vnde in primo Euclidis in primo theoremate docetur constitutio & compositio trianguli, qui ante constitutionem non habuit, & quærebatur de esse eius & certificatur esse ipsius, eò quod super datam lineam docetur constitutio trianguli æquilibij: ad minus tamen rei veritas est, quòd verè docetur omnis trianguli & simpliciter, trianguli constitutio & compositio: & hoc modo nihil prohibet quæstionem an est, de partibus subiecti à causa esse mediata, & per demonstrationem terminabilem dici. Similiter potest considerari passio dupliciter, scilicet vt est essentia quędam & hæc, & sic nihil prohibet de ea quæri per quæstiones an est & quid est. Potest etiam considerari vt est hoc in hoc: & sic quæritur de ea per quia, & propter quid: quæstiones enim quia & propter quid, semper & ad passionem referuntur, quæstiones autem an est & quid est, & ad passionem & ad subiectum referuntur vel aliquo modo retorquentur. Secundum dicta autem quæstio an sit, quærit circa simpliciter, & quęstio quia querit esse huius in hoc.

Quomodo de passione diuersimodè consyderata possint quari omnes quæstiones.

Et tunc non videntur quæstiones differre, nisi sicut albedo, & albedo in hoc: & hęc non est differentia formalis, sed materialis tantùm. Nec etiam secundum numerum differre videntur: quia esse simpliciter secundum totum non ponit in numerum cum esse in parte, sicut totum in parte non ponit in numerum, quia pars à toto non differt nec secundùm speciem nec secundum numerum.

Differentia inter quæstionem si est, & quia est.

Dubitatio. Adhuc dicit Aristot. est quærere quid, & quærere propter quid, præcipuè de passione. Et etiam videtur, quòd altera istarum quæstionum superfluat. Ad omnia etiam hæc & huiusmodi dicendum, quòd alio modo se habet quęsitum ad quæstionem, quam passio vel accidens ad subiectum: quæsitum enim dat speciem quæstioni, sed subiectum non dat speciem accidenti: & ideo non est simile quod de albedine & albedine in hoc dictum est: quęstio enim motus est quærentis & est animę actio: omnis autem animæ actio specificatur eo de quo est, quia hic est finis eius. Similiter etiam est quamuis totum vt totum consistens in omnibus partibus suis, & pars vt pars totius, in numerum non ponant: tamen id quod est totum, & id quod est pars, ponunt numerū: & sic diuersæ quęstiones sunt de ipsis.

Solutio.

Adhuc

Differentia inter quid & propter quid. Adhuc autem licet quid & propter quid non differant substantia & subiecto, differunt tamen ratione, quæ ratio sufficit ad faciendam differentiam quæstionis à quæstione: quod enim quærit de natura quidditatis secundum se, propter quid quærit de eadem inquantum per causam est in subiecto, sicut prius dictum est.

Quare non assignatur quæstione in communi ante eius diuisionem. Adhuc autem notandum, quòd hæ quæstiones diuisim numerantur, & ad commune nullum reducuntur, vt intelligatur, quod demonstratiua procedit ex propriis & non communibus: & ideo non distinguitur quæstio vt postea diuidatur, vt problema distinguitur in topicis & postea diuiditur. Et quia eadem via terminatur quid & propter quid, ideo in vnius libri continuo tractatu de quæstionibus traditur: quia omnes ad vnam reducuntur, vt statim patebit in sequenti capitulo: quamuis de probabilibus in diuersis distinctionibus librorum determinetur. In topicis autem sunt hæ quatuor quæstiones sic accipiendæ: omnis enim quæstio aut quærit de rei essentia, aut de inhærentia vnius in altero. Sed quæstio de essentia, aut est per medium compositionis, aut per medium resolutionis. Si per medium compositionis, est quæstio si est, vel an est: si per medium resolutionis, est quæstio quid est. Si autem quærit de inhærentia, aut per modum compositionis, & sic est quæstio quia: aut per modum resolutionis, & sic est quæstio propter quid.

Quare in uno libro tractatur de quatuor quæstionibus.

Scientiarum diuisiones.

Quid quæstio simplex & quid composita. Attende autem, quòd quæstio simplex esse dicitur, cuius vltimum quæsitum & intentum est scire simplex, sicut quæstio an, & quid: aut dicitur composita, cuius vltimum quæsitum & intentum non est simplex, sed compositum, sicut quæstio quia, & quæstio propter quid.

Circa quæ versantur quæstiones de quibus hic agitur. Hæ autem quæstiones in demonstrationis sunt, & non in contingentibus: quia motus quærentis est ad scire. In contingentibus autem (maximè ad vtrumlibet) non potest esse certa scientia.

CAPVT III.

De reductione quatuor quæstionum ad duas, & duarum adinuicem.

Quærimus autem cum quæramus, &c. QVærimus autem cum quæramus per quæstionem quia, aut per quæstionem si est, an est simpliciter, hoc est, cum quærimus per quia, ens scilicet partitum & determinatum per prædicatum in subiecto determinato: & cum quærimus per quæstionem si est vel an est, per quam quæritur de esse rei simpliciter & absolutè, & non de esse partito & determinato per prædicatum quod sit in subiecto determinato: hæc enim isto modo in duabus quæstionibus quærimus, scilicet vtrum sit medium ipsius rei de qua quærimus definitum, aut non sit medium ipsius ad hoc definitum. Et sic quæstio quia, & quæstio an est, siue si est, in idem quæsitum referuntur non differens substantia vel subiecto, sed differens secundum esse tantum, quod scilicet quæsitum partitum quæritur per quæstionem quia. Simpliciter autem & non partitum quæritur per quæstionem si est. Præ ergo duæ quæstiones sunt circa idem quæsitum.

Cum autem cognoscentes, &c. Cùm iam scimus per duarum dictarum determinationem, scilicet quia est, aut si est simpliciter, & quod est, & quod hoc in hoc est: & sic scimus quod simpliciter est, & quod est ens partitum & determinatum: tunc enim quærimus vtrum est in parte, sicut ens partitum & determinatum: hoc enim quæritur per quia: & per si est, quærimus vtrum simpliciter, hoc est, vtrum simpliciter & non partitum & determinatum. Et istis quæstionibus quæ circa idem quæsitum sunt, sic determinatis, quòd scimus ipsum quæsitum & esse simpliciter & esse in loc sicut determinatum: tunc iterum supponentes, quod est, & quod aliquid est, quærimus duas alias quæstiones propter quid est, aut quid est: & in his ambabus quæstionibus rerum quærimus idem, scilicet medium: & sic istæ duæ quæstiones, quid est, & propter quid est, reducuntur in vnum quæsitum secundum rationem, tamen secundum esse differens, vt prius dictum est. Omnes ergo quæstiones reducuntur ad duas quæ sunt, si est, & quid quid est. Dico autem quia est quæstio & si est, quæ quærunt ambæ si est medium, scilicet vtrum est sicut ens in parte quod quærit quia, aut vtrum est sicut ens simpliciter non partitum. In parte quidem quærimus vtrum est vel non est, sicut quando quærimus, vtrum deficit luna vel augetur ad solem? In huiusmodi enim quæstione quærimus, si est aliquid aut non aliquid defectus in luna? Simpliciter autem dico quod quæritur per si est, sicut si quæramus si est vel an est luna, an non est: aut quando quærimus si est nox aut non est: quæstio enim an est, communiter tam ad subiectum quam ad passionem refertur. Ex quo igitur si est & quia est quæstiones ad idem quæsitum, & quid & propter quid est ad idem referuntur: tunc quæstiones quatuor reducuntur in duo quæsita. Contingit enim in omnibus quæstionibus quærere, aut si est medium, aut quid est medium. Huius autem probatio quia in omnibus inductiuè quæritur, vtrum sit medium & quid sit medium.

Quomodo an est, tam ad subiectū quam ad passionem refertur.

Causa quidem enim & medium idem, &c. Huius autem ratio est, quòd medium quæritur: quia quærens mouetur ad notitiam ignoti, quod non potest sciri secundum esse & secundum veritatem, nisi per causam quæ est medium cognoscendi. In omnibus enim quæstionibus hoc quæritur: quia non nisi per illud venitur ad notitiam ignoti: & hoc patet inducendo quærimus sic, vt quando quærimus, vtrum luna deficit: tunc enim quærimus, vtrum aliquod sit medium quod sit causa defectus, aut non est? nihil est enim cuius ortum legitima causa non præcesserit, vt dicit Plato. Postea scientes quia est aliquid defectus in luna, & quia est aliquod medium & causa illius, tunc quærimus, quid igitur hoc sit quod est medium? causa enim ipsius esse simpliciter quod quærebat quæstio si est, & non esse hoc per substantiale prædicatum partitum vel accidentale, sed simpliciter esse substantiam, hoc est, simpliciter sit aliqua substantia vel natura, aut

Dicit Plato.

non sit aliquid simpliciter, sed sit aliquid eorum quæ sunt partes, sicut ea quæ in substantiali prædicato determinatur, aut aliquid eorum quæ sunt per accidens hoc est, accidentali prædicato particularia. Hoc inquam modo sola causa est medium quod quæritur in quæstione quia.

Dico autem simpliciter, &c.

Dico autem exponendo quid intelligatur per simpliciter eius, sicut cum dicimus absolute esse lunam maiorem terra, aut triangulum, quæ omnia dicuntur subiectum secundum rem absolutum & non particulatum: quid autem hoc est ens ex forma quid particulatum, sicut cum dico defectum, qualitatem, magnitudinem: & si in medio aliquid sit vt forma in centro, vel æquale inter maius & minus aut non, & alia his similia quæ sunt nomina passionum & dicunt hoc esse in hoc, siue esse particulatum. In omnibus enim his quæstionibus manifestum est (quantum ad quæsitum quod intenditur) quod idem est & quid est quærere & propter quid: & sic ad duas quæstiones (scilicet quia est & quid est) omnes quatuor quæstiones reducuntur. Hæc quidem igitur quæ dicta sunt, vsque hic sunt posita ad hoc, quod quatuor quæstiones ad duas reducuntur.

Amplius quid est defectus, &c.

Amplius adhuc probatur, quod idem quæritur in quæstione quia? & propter quid: quia idem quæritur per quæstiones ad quas per idem respondetur. Ad quid est autem & propter quid est, idem respondetur: ergo idem quærunt. Cum enim quæritur dicendo, quid est defectus qui est eclipsis in luna? respondetur, quod eclipsis in luna, siue defectus in luna, est privatio lucis a luna a terræ obiectu inter lunam & solem recto cum diametro. Et cum quæritur, propter quid deficit luna? respondetur idem quod prius. Dicitur enim, quod deficit luna propter defectum luminis in luna, opposita terra inter lunam & solem recto diametro.

Quid est consonantia, &c.

Similiter est in alio exemplo maioris cum quæritur, quid est harmonia? & respondetur, quòd est consonantia: consonantiæ autem diffinitio est, quod est ratio sive proportio numeri inter acutam & grauem secundum numerum notarum. Et si quæritur, propter quid consonat harmonia in acuto & graui? respondetur idem, quod scilicet consonat, quia acutum & graue in harmonia habet rationem, hoc est, proportionem numeri in numero notarum siue neumatum.

Vtrum sit in numeris ratio eorum, &c.

Quæstiones ergo istæ sic ordinantur, quod primum quærimus, vtrum sit numerus ratio siue proportio, quæ sunt acutum & graue: & hoc quærimus per si est: quærimus enim per si est, an est harmonia in numeris talis proportio quæ est numerus harmoniæ? Accipientes autem per rationem, quia est harmonia in numeris: tunc quærimus dicentes, quid igitur est per diffinitionem talis ratio quæ vocatur harmonia? & ex hoc ordine quæstionum scitur, quòd quæstio an est, & quæstio quid est, sunt circa idem quæsitum.

Hic autem est dubitatio de his quæ dicta sunt, quòd quæstio an est & quia est, reducuntur ad vnum: & quæstio quid est & propter quid, reducuntur ad vnum. quia si quæstio an est & quid est, sunt de essentia rei: quia autem & propter quid sunt de ingesse in hoc, & complexione rei cum reatume magis videntur ea vnum & idem esse quæstio an est & quid est, quam quæstio an est & quia est: & sic magis debent reduci ad vnum quæstio si est & quid est, quam quæstio an est, siue si est, & quæstio quia est. Similiter obiectio est de quid est, & propter quid est: quia cum quia & propter quid sint circa complexionem rei, magis videntur reduci ad vnum, quam quid est & propter quid.

Quare quæstiones simplices reducuntur in simplices compositas, magis tamen compositas quam simplices.

Sed sciendum, quòd licet secundum subiectum quæstio si est & quid est conueniant, non tamen conueniunt magis in modo quærendi & interrogatione: quia quæstioni an est & si est, directe satisfit per quia: & ideo ad vnum reducuntur: quærit tamen vna de essentia rei simpliciter siue medi), quærit enim an medium sit: secunda autem quærit esse medij in hoc & illo, secundum quem modum medium est. Similiter in ratione & modo quærendi conueniant quid est & propter quid est: quid enim passionis est inesse, & causa inhærentiæ est, quia subiectum est principium passionis: & ideo scito, quod sit & inest passio, quæritur causa propter quam inest. Adhuc autem notandum, quòd quamuis aliud res & medium rei communiter loquendo, tamen in potissima demonstratione est: quia medium est diffinitio, & res est diffinitum: diffinitio autem & diffinitum idem sunt.

Quod scilicet omnis quæstio sit medij quæstio, &c.

Quod scilicet omnis quæstio sit medij quæstio, & sic omnes quæstiones ad vnum quasitum reducantur, ex signo tali probatur: quia quandoquidem sensibile est, & non sumus sentientes ipsum: tunc absentia medij nobis est causa quærendi: & tunc quærimus videntes effectum, & non videntes causam quæ est medium: sicut quando videmus defectum lunæ si ponatur esse defectus: tunc enim videmus maiorem & minorem extremitates, & maiorem extremitatem minori inesse, quod est conclusio: & non videmus sensu corpus causam quæ est medium. Si vero essemus super lunam: tunc sensu de omnibus certificaremur. Non vtique quæreremus medium, neque quæreremus tunc per quæstionem an est, si sit defectus, qui a hoc oculis fidelibus videremus: neque quæreremus quæstione propter quid, propter quid sit defectus, quia vidi patere terræ interpolita soli & lunæ: vnde tunc non quæreremus: quia simul vtique vtrumque horum esset manifestum.

Ex eo enim, quod sensibus manifestius, &c.

Ex eo enim, hoc est, post hoc quod accipimus per sensum, & quod luna deficit, & quod terra interponitur, fit nobis vniuersale per abstractionem ab hoc particulari, cuius est vna ratio in omnibus, & ex hoc vniuersali factum esset nobis scire per causam, quæ vniuersalis est virtute secundum regularem motum circuli ad solis & lunæ diametrum, in qua terra interponitur: quamuis sentire non sit scire, nec vniuersale sit sensibile, sicut in antehabitis dictum est, sed sensibile per abstractionem fit vniuersale quod in nobis est principium scientiæ.

Obiectio.

Videtur tamen hoc aliquibus forte inconueniens. Si enim omnes quæstiones reducantur

ad quæstionem medij, & quæstio medij est quæstio propter quid, videtur quòd omnis quæstio & omnis demonstratio sit propter quid. Sed ad hoc dici potest, quòd omnis quæstio medij est sicut omnis deuenire volens in finem quærit medium per quod deuenire possit: eò quod finis certus est ei qui se dirigi cupit in finem. Sed medium dupliciter consideratur, scilicet secundum id quod est medium, & secundum id quod est in ratione medij: & quid quidem quærit de medio, hoc est, de hoc quod est medium: propter quid autem dicit medium secundum id quod est medium, siue in ratione medij. Et quando dicitur, quòd omnis quæstio est de medio, medium sumitur in ratione communi ad vtrumque istorum modorum: & ideò non sequitur, quòd omnis quæstio de medio sit quæstio propter quid. Adhuc autem sciendum, quòd quæstio vel est de passione secundum se, vel de esse passionis in hoc: & tamen non dicitur, quòd omnis quæstio sit passionis, sed medij: quia quæstio illius dicitur esse per quod determinatur: determinatur autem per medium: & ideo medij esse dicitur: est igitur omnis quæstio medij sicut eius per quod determinatur, & omnis quæstio est medij sicut finis.

Solutio. Quamvis omnis quæstio sit medij, non tamen omnis quæstio est propter quid. Vult dicere, quod medium potest sumi identice, scilicet pro eo quod est medium: also modo formaliter, scilicet inquantum est medium.

Sicut igitur in priori parte istius capituli diximus, quòd quid est scire, idem est quod est propter quid. Hoc autem quod est quid, differt in ratione ab hoc quod est propter quid: quia quid est scire, est eorum quæ sunt simpliciter secundum quidditatem suæ essentiæ: & non est aliquid de numero eorum quæ insunt, sicut est hæc passio triangulo inhærens, quoniam scilicet tres anguli per æquipollentiam æqualitatis sunt duo recti, aut quoniam idem triangulus secundum valorem trium angulorum aliquid maius aut minus est aliquo cui comparatur. Quod quidem igitur omnia quæ quæruntur, medij siue de medio sint quæstiones (vt in secunda parte capituli ostensum est) manifestum est ex dictis.

Sicut igitur dixit, &c.

TRACTATVS II.

De cognitione medy demonstratiui & quorum sit diffinitio.

CAPVT I.

De medio secundum quod quid est.

POSTQVAM autem determinatum est de scibilibus per demonstrationem per numerum & reductionem quæstionum, consequens est tractare de medio demonstrationis cognoscendo, & inueniendo etiam, quia non potest inueniri nisi aliquo modo cognoscatur. Ideò de cognitione medij prius dicemus. Et cum medium quid est sit & propter quid est, & quid est simplicius sit quam propter quid, ideò primo notificabimus medium secundum quod quid est. De hoc igitur intendentes præmittimus quatuor quæstiones, quarum præmissio necessaria est ad cognitionem eius quod quid est.

Quomodo autem quod quid est demonstratur, &c.

Quærimus igitur prima quæstione, quomodo id quòd quid est, demonstretur, hoc est, vtrum demonstratione cognoscatur vel non? Secunda quæstio qua quærimus, quis modus sit introductionis notitiæ in cognitionem diffinitionis, vel diffinitionis in notitiam? Tertia autem quæstio est, quid est diffinitio? Quarta verò, quorum est diffinitio? Tractantes autem de his procedemus opponentes & disputantes primum de istis.

Principium autem, &c.

In tali autem processu principium (à quo incipiamus) sit illud quod magis est proprium habitis (hoc est, consequenter dicendis, quia habitum est idem quod consequens) ab illo conuenientius incipitur, & secundum hoc à disputatione incipiendum.

Dubitabit enim aliquis, &c.

Dubitabit enim aliquis vel dubitare poterit, vtrum sit vel contingat idem & secundum idem scire diffinitione, & scire demonstratione: aut hoc est impossibile, quòd idem & secundum idem sciatur diffinitione & demonstratione: per quod scitur quod vltimo quæritur, scilicet quorum sit diffinitio & quorum demonstratio. Prima quidem ratio est: quia diffinitio quidem id quod quid est scire & declarare videtur: diffinitio autem dicens quid est esse tale, vniuersale est de diffinito, & prædicatur essentialiter. Syllogismi autem conclusiones suas concludentes in demonstratione, alij quidem sunt priuatiui, alij verò non vniuersales, sicut in secunda figura priuatiui omnes sunt syllogismi, in tertia verò sunt non vniuersales. Tunc ex hoc arguo: omnis diffinitio est vniuersalis & affirmatiua de diffinito: aliquando demonstratio nec vniuersalis est, nec prædicatiua: ergo aliqua demonstratio non est de his de quibus est diffinitio. Et ex illatione non potest inferri plus quam dictum est.

Postea eorum quæ sunt, &c.

Postea ad idem secunda ratio: quia neque omnium eorum quæ concluduntur vel demonstrantur in prima figura vniuersaliter & affirmatiuè, est diffinitio: quòd enim omnis triangulus tres habet duobus rectis æquales, demonstratur in prima figura: & hoc non diffinitur:

finitur: cuius ratio est: quoniam scire demonstratiuè est demonstrationem habere, & per demonstrationem scientiam accipere: propter quod si in talibus demonstratio est in quibus passio de subiecto demonstratur, tunc manifestum est, quòd non erit ipsorum diffinitio dicens quid: quia diffinitio non colligit accidentia, sed substantiam solum. Propter quod in primo de anima dicitur, quòd cognitio accidentium confert quidem ad cognoscendum quid est, sed non intrant in diffinitionem, neque sunt diffinitio. Aliquis enim vtique scit aliquid sicut subiectum secundum diffinitionem per substantialia, non habens demonstrationem de eodem: quia non nouit per se accidentia: nihil enim prohibet non simul (siue per eadem) habere diffinitionem & demonstrationem. Et ad hoc probandum sufficit fides quæ per inductam rationem facta est: & sufficit, quòd probetur ex inductione: quia in singulis sic est, quòd nihil demonstrabilium (quæ sunt accidentia per se) colligit diffinitio vera. Nos enim vere diffinientes aliquid nihil aliquando (hoc est, nunquam) cognoscimus aliquid de numero eorum accidentium quæ sunt per se: & hoc exponendo dicimus, quòd neque cognoscimus aliquid eorum quæ sunt per accidens colligendo diffinitionem: ergo non omnium eorum est diffinitio, quorum est demonstratio.

Text. com. 11.

Sciet enim vtique aliquis, &c.

Sufficit autem fides. &c.

Amplius si diffinitio, &c.

Amplius ad idem tertia ratio est: quia si diffinitio est quædam cognitio substantiæ diffiniti & quidditatis: quia substantiam & quidditatem facit cognoscere diffinitio. Quod autem est huiuscemodi, quale est demonstratio, manifestum est, quòd non sit substantiæ, & quod substantiam non facit cognoscere passionem de subiecto. Per hanc rationem concluditur, quòd diffinitio non sit demonstratio, & quòd demonstratio non est eiusdem cuius est diffinitio. Epilogando ergo dicimus, quòd quoniam igitur non est diffinitio omnis cuius est demonstratio, manifestum est ex dictis.

Quid autē cuius est diffinitio, &c.

Quæramus è conuerso ergo dicentes, quid aut ex quo cuius est demonstratio, non est diffinitio, & propriè loquendo nunquid omnis cuius est diffinitio, est demonstratio, aut non? Vna quidem & consimilis ratio & de hoc eadem est cum præcedenti: quia ista ad quam disputabimus, est conuersa præhabitæ conclusionis, huius scilicet si omnis cuius est demonstratio, sit diffinitio? cuius conuersa est, si omnis eius cuius est diffinitio, est demonstratio, vel non? Et prima quidem ratio ad hoc quod nullius cuius est diffinitio, sit demonstratio, hæc est, quæ ducit ad impossibile. Vnius inquantum vnius vna est scientia & vnius modus sciendi: propter quod si supponatur, quòd verè scire contingit id quod demonstrabile siue demonstratum (sicut in principio primi libri probatum est) tunc accidit quoddam impossibile, hoc scilicet quod diffinitionem habens, sciet sine demonstratione per solam diffinitionem, & sic veram habebit scientiam sine causa veræ scientiæ: ergo non eorum quorum est diffinitio, est demonstratio.

Amplius principia demonstrationū diffinitiones, &c.

Amplius secunda ad idem ratio est: quia inter principia demonstrationum & principalia principia, sunt diffinitiones quæ sunt media, quæ principaliter sunt principia: principiorum autem demonstrationes non esse demonstratum est prius in huius scientiæ libro primo: quia si diceretur, quòd principiorum essent demonstrationes (cum illæ demonstrationes essent ex principiis, & illæ iterum ex aliis) essent alia principia demonstratiua, & illorum principiorum iterum principia, & hoc in infinitum abibit: aut oportet dicere, quòd primæ primorum diffinitiones erunt indemonstrabiles: & hoc verum est: & ex hoc quidem concluditur, quòd eius cuius est diffinitio, non est demonstratio.

Sed verum si non omnis, &c.

Sed ostenso, quòd non omnis cuius est diffinitio, est demonstratio, remanet adhuc quærendum si detur, quòd non omnis eiusdem cuius est diffinitio, est demonstratio, verum cuiusdam eiusdem sit diffinitio & demonstratio, aut nullius eiusdem est diffinitio & demonstratio? Ad hoc igitur sunt inducendæ rationes, quòd nullius eiusdem sit demonstratio & diffinitio. Huius enim quod hoc impossibile sit, quòd cuius est diffinitio, sit demonstratio, prima ratio est: quia omnis diffinitio est quid est, hoc est, quidditatis significatiua: quidditas enim rei est, & diffinitio illius quidditatis significatiua est: propter quod diffinitio & quidditas differunt sicut signum & signatum: diffinitio quidem igitur est ipsius quid est, & est substantiæ indicatiua & per substantialia: sed demonstrationes omnes videntur supponere suas diffinitiones, hoc est, subiectorum suorum & non demonstrare: & similiter supponunt mathematicæ diffinitiones suorum subiectorum, vt quid vnitas: & diffinitiones suarum passionum, vt quid impar: & aliæ scientiæ demonstratiuæ similiter faciunt, & non demonstrant suas diffinitiones: ergo videtur, quòd nullius cuius est diffinitio, est demonstratio in nulla scientia demonstratiua.

Diffinitio & quidditas differunt sicut signum & signatū.

Amplius omnis demonstratio, &c.

Amplius ad idē alia ratio est: quia omnis demōstratio aliquid (hoc est, aliquam passionem) de aliquo subiecto demōstrat, sicut & demonstratur, quia est hoc affirmatiuè, aut quia nō est hoc negatiuè. In diffinitione autē de omnibus quæ ponuntur in diffinitione, nihil alterum de altero prædicatur per modum affirmationis vel negationis, sed colliguntur in ea, sicut potentiæ referuntur ad actum vltimum. Hoc autem patet per inductionem: quia cum diffiniendo dicitur, homo est animal bipes, neque animal prædicatur affirmatiuè de bipede, nec è conuerso bipes de animali: & in mathematicis cum dicitur, quòd triangulus est figura plana, tribus rectis lineis contenta, neque de plano prædicatur figura, non enim planum est figura: neque planum prædicatur de figura, quia non dicitur affirmatiuè, quòd planum sit figura: ergo nullius eius cuius est diffinitio, est demonstratio.

Amplius alterum est, &c.

Amplius ad idem est tertia ratio. Alterum est demonstrare siue monstrare & ostendere quod quid est, & alterum demonstrare quia est: sed diffinitio ostendit significando quod quid est: sed demonstratio ostendit demonstrando quod quia est, hoc est, prædicatum de hoc subiecto

iecto affirmatiuè: aut quia hoc non est, hoc est negatiuè: quid est autem, & quia est diuersa sunt. Et alterius ab altero siue diuersi à diuerso est alia & diuersa demōstratio, hoc est, ostentio & scientia, nisi vnum se habeat ad alterum sicut pars subiectiua ad ipsum sicut ad totum vniuersale. Hoc autem ideò dico explanans: quia quodammodo ostensum est, sicut in suo toto vniuersali, quòd isosceles tres habet duos rectis æquales, si ostensum est, quòd omnis triangulus habet tres duobus rectis æquales: pars enim subiectiua est hoc quod est, isosceles. Hoc autem quod dico, triangulus, est totum vniuersale ad isosceles: hæc autem (quæ sunt scientia quid & scientia quia) adinuicem (hoc est, vnum ad aliud) non se habent sic, quòd vnum sit totum vniuersale, & aliud sit pars eius subiectiua: ergo sequitur, quod eius cuius est definitio, nullo modo sit demonstratio.

Manifestū itaq; quòd nec cuius est diffinitio, &c.

Vlterius ergo vniuersaliter concludendo manifestum est, quòd neque cuius est diffinitio, huius omnis est demonstratio: neque huius cuius omnis est demonstratio, huius omnis est diffinitio. Propter quod etiam vniuersaliter sequitur tertia conclusio: quare omnino (hoc est, vniuersaliter) nulli eidem contingit vtrumque habere, hoc est, diffinitionem & demonstrationem: & sic nullius cuius est diffinitio, est demonstratio. Manifestum itaque vlterius concludendo, quòd neque diffinitio est demonstratio: neque enim hæc idem erunt, neque alterum horum est in altero sicut pars subiectiua in suo toto vniuersali. Cuius ratio est: quia si diffinitio esset demonstratio, vel pars eius subiectiua: tunc substantia diffinita similiter se haberet: quia si diffinitio esset demonstratio, tunc diffinibile esset demonstrabile, quod falsum esse ostensum est. Hæc quidem igitur opposita sunt vsque huc de his duabus quæstionibus, quid scilicet, & quorum sit diffinitio.

CAPVT II.

An via syllogistica sit via veniendi in cognitionem diffinitionis.

Ipsius autē quod quid est vtrum, &c.

Quærendum autem relinquitur, quæ sit via in introductionem & cognitionem diffinitionis: & quærendum primò, vtrum ipsius quod quid est (siue diffinitionis) sit syllogismus, aut demonstratio, hoc est, vtrum in cognitionē ipsius diffinitionis veniatur, ita quod concludatur per syllogismum vel demonstrationem, aut non, sicut in præhabito capitulo ratio supponit, quæ probauit, quòd non omnis eius cuius est diffinitio, est demonstratio: supponit enim hæc ratio, quòd via syllogisticalis demonstratiua non sit modus veniendi in notitiam diffinitionis.

Syllogismus quidem enim, &c.

Quod autem via syllogistica vel demonstratiua non sit deuenire in cognitionem quod quid est, sic probatur. Syllogismus quidem aliquid de aliquo demonstrat per medium, sed quid est siue diffinitio est proprium & conuertibile & immediatum: quia inter diffinitionem & diffinitum non est medium, quo diffinitio de diffinito concludatur: prædicatur enim diffinitio in eo quod quid, ita scilicet, quod prædicatur diffinitio de diffinito cum hac reduplicatione in eo quod quid est, per quam reduplicationem distinguitur modus diffinitionis ab aliis modis substantialium prædicatorum: hoc autem quod sic prædicatur, necesse est conuerti & reduplicari ad vtramque extremitatem.

Nullū prædicetū substantiale prædicatur cum hac reduplicatione in eo quod quid est, præter diffinitionem.

Ponamus enim terminos generales, in quibus hoc manifesterur, qui sint a. b. c. ita quod b. medium sit quo concluditur a. de c. (quod est proprium minor extremitas) tunc oportet, quòd a. sit diffinitio, & b. medium inter diffinitionem & diffinitum: quod non posset esse, nisi b. sit alia diffinitio, per quam diffinitio primò sumpta de diffinito concludatur: & tunc extremum maius prædicatur de medio in eo quod quid est, sicut diffinitio de diffinito, & b. medium prædicabitur de c. minore extremitate in eo quod quid est, sicut diffinitio de diffinito: & sic a. erit proprium b. & b. erit proprium ipsi c. & sic omnia tria sunt adinuicem conuertibilia & propria: & erit talis syllogismus: omne b. est a. in eo quod quid est: & omne c. b. in eo quod quid est: ergo omne c. a. in eo quod quid est.

Si enim c. proprium est, &c.

At vero & si a. est in eo quod quid est in omnibus quæ sunt b. & vniuersaliter prædicatur b. de omni c. in eo quod quid est in minori propositione: tunc sequitur, quòd etiam necesse est a. in eo quod quid est de c. dici siue prædicari in conclusione, sicut patuit in syllogismo inducto, in quo reduplicatio medij ponitur tam in maiori propositione quam in minori: & sic necesse est, quòd etiam ponatur in conclusione. Est enim omne b. a. in eo quod quid est: & omne c. b. in eo quod quid est: ergo omne c. est a. in eo quod quid est. Et in hoc Arabicum commentum reputat inconueniens si medium sit inter diffinitionem & diffinitum: quia tunc illius diffinitionis (quæ medium est) erit iterum medium alia diffinitio: & hoc ibit in infinitum: & hæc sunt verba commenti Arabici quod fecit Alphar. Si ergo talis reduplicatio medij ponitur ad vtrumque extremorum, erit conclusio cum reduplicatione.

Responsio Alphar. quòd non sit medium inter diffinitionem & diffinitum.

Si verò non sic aliquis accepit, &c.

Si verò non sic aliquis accipit medium duplicans siue reduplicans in vtraque præmissarum ad maiorem & ad minorem extremitates: tunc non necesse erit in conclusione a. de c. prædicari cum reduplicatione in eo quod quid est: neque tunc autem necesse in maiori propositione a. de b. prædicari cum reduplicatione de omnibus de quibus dicitur b. vt si sic syllogizetur: omne b. a. omne c. b. in eo quod quid est: ergo omne c. a. in eo quod quid est. Non enim sequitur: omne c. a. in eo quodquidest. Non enim sequitur: omne c. a. in eo quod quid est, nisi reduplicatio in vtraque ponatur præmissarum: si enim debeat sequi conclusio cum reduplicatione eius quod quid est, oportet quòd vtraque præmissarum hanc eandem habeat reduplicationem: oportet igitur, quòd sicut a. de b. est cum reduplicatione, insit etiam in minori b. de c. cum reduplicatione eius quod quid est: quia cum

conclusio sit vtriusque præmissarum media-
tas, & à minori quidem habet prædicatum, &
à maiori subiectum, si reduplicatio debeat
esse in conclusione, oportet quòd in maiori
sit reduplicatio ad prædicatum, & in minori
ad subiectum: & tunc in conclusione erit ad
vtrumque.

Sic igitur quod quid est, &c.

Si igitur istam reduplicationem quod quid
est & quod quid erat esse, vtraque præmissa-
rum habuerit: tunc prius in præmissis in me-
dio (quod subiicitur in prima, & prædicatur
in secunda) erit ista reduplicatio quod quid est
quam in conclusione: & sic in præmissa petie-
tur id quod est in principio, & sic non potest
concludi quid est secundum quod quid est,
impediente peccato quod est petitio princi-
pij. In præmissa enim petitur id quod est in
conclusione. Non ergo potest concludi quid
est in eo quod quid est per medium aliquod.

Et omnino si est monstrare, &c.

Sicut in terminis specialibus hoc apparet:
quia est vel contingit monstrare syllogistice
quid est homo secundum quod quid est: sit
enim c. minor extremitas homo. a. autem ma-
ior extremitas sit quod quid est homo, hoc est,
hominis diffinitio, siue hæc diffinitio sit ani-
mal bipes, siue aliud aliquid quod sit diffini-
tio hominis. Si igitur syllogizatur, hoc est,
debeat esse syllogismus in quo a. diffinitio
hominis per medium d. de c. hoc est, homine
debeat syllogizari, necesse est, quòd de omni
b. medio prædicetur a. quod est diffinitio ho-
minis, & b. de omni c. & tunc oportet, quod
& huius prædicationis in maiori & minori sit
ad medium ratio (hoc est, alia diffinitio) qua
etiam dicit quid est homo, sic: omne animal
bipes in eo quod quid est, animal rationale
mortale in eo quòd quid est: omnis homo est
animal bipes in eo quod quid est: ergo omnis
homo est animal rationale mortale in eo quod
quid est. Et sic diffinitio concluditur per dif-
finitionem: oportet enim reduplicationem
eius quod quid est in duabus propositionibus
& primis siue præmissis considerare si debeat
concludi in conclusione: & tunc incidet pe-
titio principij.

Maximè enim manifestum est, &c.

Hoc autem quod dicit hic, maximè mani-
festum est per conuersionem, hoc est, si ali-
quis per conuertibilia (quæ tota subiecta sunt)
syllogizet: quia tunc prius petitur in præmis-
sis, quam concludatur ex præmissis in con-
clusione si prædicto modo diffinitio de diffi-
nito debeat concludi in eo quod quid est: si
enim per conuersionem (hoc est, per conuer-
tibilia) simus demonstrantes quid est animal
& quid est homo, aut aliud aliquid quodlibet
de numero eorum quæ sunt diffinibilia (quæ-
li diffinitio de diffinito concludi debeat) opor-
tet quòd medium sit diffinitiuum: & tunc re-
duplicatio in maiori & minori repeteret hoc
quod est ex principio.

Vt si quis diffiniret animam, &c.

Vt si aliquis diffiniat animam sic dicens,
quòd anima est id quòd est sibi causa viuendi:
& huius daret aliam diffinitionem quæ de
ista concluderetur, vel è conuerso: & diceret,
quòd illud quod sibiipsi est causa viuendi est
numerus seipsum mouens, sicut dixit Plato: &
secundam diffinitionem dixit esse causam pri-
mæ: tunc syllogizando, necesse est repetere
animam quæ medium erit cum reduplicatio-
ne vtriusque diffinitionis: quod verè (hoc
est, inquantum quod verè est per diffinitio-
nem) & sic repetitur sicut idem in præmissis
& in conclusione, sic: omnis anima est nume-
rus seipsum mouens in eo quod quid est, vel in
eo quod verè: omne quod est sibiipsi causa
viuendi est anima in eo quod quid est: ergo
omne quod est sibiipsi causa viuendi est nu-
merus seipsum mouens in eo quod quid est.

Non enim si consequitur, &c.

Non enim sequitur conclusio cum reduplicatione eius quod dicitur in eo quod quid est, si simpliciter & sine reduplicatione accipiantur præmissæ: si enim b. prædicatur simpliciter de c. in minori propositione, vt dicatur, omne c. b. tunc non erit conclusio, quòd a. de c. in conclusione dicatur in eo quod quid est: quia non sequitur: omne b. a. omne c. b. ergo omne c. a. in eo quod quid. Sed verum erit dicere siue concludere, quòd erit solum sine reduplicatione a. de c. conclusum, & non concludetur in eo quod quid est.

Neque si est a. quod quid est, &c.

Neque iterum conclusio cum reduplica-
tione in terminis generalibus sequitur, si di-
catur a. maior extremitas de medio b. cum in
eo quod quid est: & non sit eadem reduplica-
tio in minori: non sequitur conclusio cum
reduplicatione medij. Quod patet: quia ani-
mal est (hoc est, animalis diffinitio) prædi-
catur de hominis esse (hoc est, de hominis
diffinitione) sicut etiam prædicatur animal
de homine, cum dicitur omnem hominem esse
animal: sed non prædicatur sic sicut ea præ-
dicantur de seinuicem quæ conuertibilia sunt
in eo quod quid sunt, quorum vnum & idem
est esse per diffinitionem: & ideò vna de
alia concludi non potest in eo quod quid erat
esse.

Siquidem igitur non sit, &c.

Siquidem igitur non sit (hoc est, cum re-
duplicatione) accipiat in præmissis, non syllo-
gizatur, quòd in conclusione a. sit in c. se-
cundum hoc quod quid erat esse in substantia
siue substantiali diffinitione. Si verò sic cum
reduplicatione accipiat vtrasque præmissa-
rum: tunc prius erit accipiens in minori pro-
positione, quòd c. est in b. in eo quod quid est,
quam demonstretur in conclusione propter
quid, cum sit de quæsitis & non de notis &
notioribus: sed potius accipit & petit id
quod in principio est. Sic ergo patet, quòd
diffinitio non potest per demonstrationem vel
syllogismum concludi vt diffinitio: non ergo
modus introductionis in diffinitione est via
syllogistica.

Notandum autem, quod in processu qui
habitus est, petitur id quod est in principio:
quia in tali processu a. & b. sunt idem, cum
vnum sit diffinitio alterius: quod significat
reduplicatio facta in maiore propositione:
diffinitionis autem non est diffinitio, nisi dif-
finitio dicatur tantum aliorum nominum ma-
gis notorum positio: & sic supponere b. de c.
in minori propositione prædicari, est idem
quod supponere a. de c. prædicari. Suppo-
nere autem a. de c. prædicari, est supponere
ipsum quod probare intendit: & ita petit in
minori id quod est in principio. Notandum
etiam, quòd cum dicitur, b. est a. in eo quod
quid est,

quid est, non intelligitur aliud per tales ser-
mones nisi quod non prædicatur solum vnum
de altero, sed in se habet modum, quod præ-
dicatur. vt diffinitio & idem secundum esse.

Ex quo patet, quòd petitio principij non peccat contra syllogismum.

Adhuc autem notandum, quòd cum sic syl-
logizetur: omne b. est a. in eo quod quid est:
bene sequitur syllogistice, quod omne c. est a.
in eo quod quid est: & tamen est petitio prin-
cipij: nec est contra consequentiam syllogis-
mi, sed contra probationem: non enim impe-
dit, quin sequatur conclusio, sed facit ad hoc
quod non probat propositum.

CAPVT III.

An modus introductionis in diffinitione possit esse syllogismus.

At vero neque per diuisionem, &c.

AT verò neque per diuisiuum syllogismum (hoc est,
per diuisiuum syllogismum) via est syl-
logizare diffinitionem, sicut & in prioribus
resolutoriis quæ circa figuras syllogismorum
sunt (hoc est in primo priorum, vbi de figuris
agitur & de resolutione figurarum adinui-
cem) dictum est, vbi docetur inuentio me-
dij, & vbi docetur resolui syllogismus ad pro-
positum. Quod autem per diuisiuum syllo-
gismum probari non possit, ratio quidem pri-
ma est ad hoc: quia in diuisiuo syllogismo ne-
quaquam fit vel sequitur tunc illam rem esse
quæ concluſa est his entibus, hoc est, cum
hæc sint quæ præmissa sunt in præmissis,
hoc est, conclusio non sequitur neque proba-
tur ex præmissis.

Sed neque sicut inducens demonstrat, &c.

Si autem debeat concludi diffinitio in eo
quod quid est, oportet, quod fiat per syllogis-
mum probantem qui sit causa conclusionis:
diuisiuus autem syllogismus non demonstrat,
hoc est; non probat: quia ex prioribus non
procedit: sicut neque inducens probat, eò
quod ex prioribus non procedit: & ideò po-
tius colligit vniuersale quam probet: singu-
laria enim non sunt causa vniuersalis, sed po-
tius per illa colligitur sicut mixtum & confu-
sum in ipsis. In his enim quæ vera & com-
pleta ratione probantur, non oportet conclu-
sionem (postquam concluſa est) interrogare
ac si non sit probata: neque oportet eam esse
in concedendo, & præcipuè in demonstratio-
ne per immediata facta, siue respondens con-
cedat talem conclusionem siue non, semper
erit probata & vera: sed necesse est esse con-
clusionem & sequi cum illa sint quæ præmissa
sunt, etiamsi non dicat hoc concedendo res-
pondens.

Vt verum homo animal aut inanimatum, &c.

Cuius exemplum est si aliquis diuidens ita
procedat quærens hominis diffinitionem, &
dicat primo diuidendo, homo est & est ani-
mal vel non est animal, siue est animal vel ina-
nimatum: & postea sic arguat: sed non est
non animal: ergo est animal: siue sic: sed non
est inanimatum: ergo est animatum; siue ani-
mal (quia accipitur hic pro animato) tunc
enim accipit, quòd non est non animal, &
non probat: & ex hoc non probato infert,
quòd est animal per diuisionem à partibus
sufficienter enumeratis: vnde id quod postea
accipit animal, non est syllogizatum syllo-
gismo probante, licet aliquo modo syllogis-
mo diuisiuo probatū sit: habens autem, quod
homo est animal, & volens vlterius procedere
ad hominis diffinitionem, diuidendo animal
dicit: si homo est animal, aut ergo est gressi-
bile animal, aut aquaticum siue natabile: &
tunc iterum per negationem aquatilis accipit,
& non probat, quòd homo est animal gressi-
bile: & sic dicit hominem totum (hoc est,
secundum totum esse) per diffinitionem ex-
plicantem esse animal gressibile concludens
sic: homo est animal, & non animal: & homo
est animal gressibile, & non aquaticum: ergo
homo est per diffinitionem & in eo quod quid
est, animal gressibile: hoc enim non est ne-
cesse sequi ex dictis siue præmissis: sed acci-
pit illud sine probatione.

Differet autem nihil in multis aut paucis, &c.

Et hoc quia antediximus diuisionem pro-
ducendo ad omnes differentias imponendas
in hominis diffinitione, vt vlterius diuideremus gressibile in bipes & quadrupes, & hoc
vlterius in rationale vel irrationale, & hoc
iterum in mortale & immortale, vt sic vsque
ad vltimum indiuisibile deduceretur diuisio,
nemo calumnietur: quia quoad propositam
intentionem, vtrum in paucis vel in multis
deducatur diuisio, nihil differt: quia in omni-
bus est vna & eadem ratio, & semper alterum
diuidentium accipit sine probatione: vnde
idem est in paucis & in multis diuidere: & in
sic procedentibus non fit vsus syllogisticus:
quia in vsu syllogistico nihil accipitur, nisi
quod probatur ex præmissis. Ratio autem
huius est: quia cum dicitur, homo est anima-
tum vel non animatum, & negatur altera sic,
non est inanimatum: tunc commune diuisum
cum negatione alterius diuidentis ipsum idem
alteri fit penitus. Quod sic patet: homo est
animal vel non animal: & dicatur, homo non
est non animal, idem est ac si dicatur, homo
est animal: & sic ex ista, non est non animal,
non probatur ista secundum rem, sed est idem
illi & petitur in illa, & non probatur.

Nota quomodo in processu diuisiuo petatur principium.

Quid enim prohibet hoc verum quidem esse, &c.

Qui enim diffinitionem vult syllogizare,
oportet quòd syllogizet eam ex conuenienti-
bus diffinitioni: & hæ sunt causæ conclude-
tes eam in eo quod quid est: & hoc non facit
syllogismus diuisiuus. Cuius ratio est: quia
quærámus quid prohibet esse quod quidem
per diuisionem acceptum est, prædicari de ho-
mine: & tamen non diuisim nec simul necesse
est prædicari in eo quod quid est: neque pro-
pter hoc quod sic prædicantur; sunt diffinitio-
nes ostendentes quid erat esse: non enim quic-
quid prædicatur de aliquo per diuisionem ac-
ceptum, est diffinitio eius.

Amplius ad id alia ratio est, &c.

Amplius ad idem ratio est alia: quia quæra-
mus quid prohibet aut in diuisione apponere
aliquid quod non est in diffinito sicut diffi-
niens, & quid prohibet etiam per diuisionem
auferre vel omittere aliquid, quod tamen est
in diffinito sicut diffiniens ipsum, quamuis in
diffinitione non sit acceptum: aut quid prohi-
bet etiam in diuisione excellere, hoc est, per
excellentiam diuidere substantias, vt si dicatur,
homo est ens. Entium autem aliud actu & aliud

potentia: cum tamen excellentia non sint ponenda in diffinitione. Patet igitur, quòd via veniendi in diffinitionem non est syllogismus diuisiuus. Hæc quidem igitur dimittantur: quia ad probationem propositi sufficiunt ea quæ dicta sunt.

Contingit autē soluere in accipiendo, &c.

Contingit soluere, ita quod dicant per diuisionem concludi diffinitionem in accipiendo omnia adiacentia in eo quod quid est prædicari de diffinito & essentialiter; & quod est sic facere diuisionem in proximum id quod consequenter est priori accepto, & quod diuisio fiat per substantialia & immediata, & tertio quod nihil relinquatur indiuisum vsque ad vltimum indiuisibile in quo stat diuisio quod vlterius diuidi non potest. Hoc autem est necessarium, quod sic fiat, & ducatur diuisio: quia id in quo vltimo stat, iam oportet esse indiuiduum siue indiuisibile speciē, hoc est, secundum formam, quod formaliter vlterius non possit diuidi.

Sed syllogismus tamen non est, &c.

Sed hæc solutio nulla est: quia omnibus quæ dicta sunt obseruatis, non habet diuisio formam syllogismi probantis diffinitionem de diffinito esse in eo quod quid est. Syllogismus enim non ponit, nisi quæ accipit quod non est per se notum vel notius: diuisio autem accipit non probatum, vt dictum est. Sed si diuisio vel diuisiuus syllogismus verus est, cognoscere facit diffinitionem: tamen alio modo, quam probando via syllogistica facit hoc: & hoc quidem non est inconueniens, neque contra ea quæ dicta sunt: quia ratio inducta non dicit, quòd nihil faciat ad diffinitionem, sed quòd via syllogistica diffinitio vt diffinitio de diffinitione probari non potest.

Neque inducens fortasse demōstrat, &c.

Hoc autem patet in syllogismo, quòd etiam inducens & concludens ex inductione fortasse non demonstrat (hoc est, non verè probat) cum ex posterioribus procedat: & tamen ostendit aliquid quocunque modo ostensionis ex notis quoad sensum: vnde quamuis aliquid faciat diuidens ad diffinitionem, tamen syllogismum non dicit ille, qui ex diuisione vult probare diffinitionem. Et huius adhuc aliud est simile: quia sicut in conclusionibus quæ concluduntur enthymematicè sine mediis in quibus deest aliquid quod facit euidentiam ostensionis, si aliquis dicat, quoniam his existentibus (quæ enthymematicè præmissa sunt) necesse est hoc esse quod conclusum est, post conclusionem factam contingit adhuc interrogare, propter quid sequitur conclusio? eo quod medium & ordinatio propositionum in figuram & modum differunt, quæ faciunt consequentiæ euidentiam. Sic etiam aliquo accepto per diuisionem, & concluso tandem diffinitione contingit interrogare, propter quid sequitur conclusio? quia in diuisione non sunt ea ex quibus de necessitate via syllogismi concludatur diffinitio, eò quòd hæc sunt, sicut dictum est: vnde in terminis diuisis (hoc est, per diuisionem acceptis) cuiuslibet illationem post conclusionem contingit interrogare, propter quid sequitur conclusio? quia non est probata per præmissa, sicut patet in exemplo. Vt siquis volens diffinitionem hominis colligere, quærit quid est homo per diffinitionem, & accipit per diuisionem hanc: aut animatum, aut inanimatum: & non est inanimatum: ergo est animal: & habito, quòd est animal, accipiat per eundem modum diuisionis, quod est mortale: & vlterius dicendo accipiat, quòd est pedes habens, gressibile scilicet & non volatile, nec natatile, & hoc sine pennis, secundum vnamquamque quidem appositionem differentiæ per diuisionem acceptæ contingit quærere, propter quid sequitur? & ideo non est probata. Diuidens enim sic dicet & demonstrabit siue ostendet diuisione (hoc est, quod ordinatur ex diuisione, ostendendo, quòd scilicet omne animal mortale aut immortale sit: hoc autem facit accipiendo & supponendo. Hæc autem ratio omnis (hoc est, tota) sic per diuisionem collecta, non est diffinitio concluſa & probata per syllogismum dicō diuisiuum: quia non probat diffinitionem propter quid, quamuis diuisione demonstrauit (hoc est, aliquo modo declarationis ostendit) ea quæ ponuntur in diffinitione: sed tamen diffinitio non fit syllogismus concludens diffinitionem in eo quod quid est esse. Vnde in Arabica translatione illud sic est. Iam ergo manifestum est, quòd diffinitio possibile est vt extrahatur per viam diuisionis, & quia impossibile est vt sciatur per viam syllogismi.

Possibile est vt diffinitio extrahatur per viam diuisionis, licet non possit sciri per viam syllogismi, vt dicit translatio Arabica.

Attendendum autem est hic quòd cum syllogismus diuisiuus sit syllogismus dialecticus, non videtur esse peccatum in ipso, præcipuè cum vtraque præmissarum notior sit conclusione, cum sic dicitur, homo est animal, vel non est animal: sed non est animal: ergo est animal: & sic non erit ibi petitio principij, vt in præhabitis dictum est. Adhuc autem communiter dicitur, quòd si in syllogismo diuisiuo probarentur præmissæ, non esset petitio principij: cum autem non probatur, tunc est principij petitio: quia commune quod diuiditur, est negatione alterius diuidentis idem cum reliquo: & ideo petitur in ipso, vt ante dictum est. Et quamuis in tali processu non sit peccatum contra syllogismum dialecticum, tamen est peccatum contra demonstrationem: quia non est per causam: cum enim sic proceditur: homo est animal, vel non animal, hæc vera: & cum assumitur: sed non est non animal: ergo est animal: hæc propositio, non est non animal, non est causa conclusionis: non enim est ideò animal, quia non est non animal: sed si vna est causa alterius, potius è conuerso ideò non est non animal, quia est animal.

Nota quomodo syllogismus diuisiuus potest, cum sit processus dialecticus.

Attendendum etiam, quòd si aliquis diuidendo percurrat per proximas differentias diuidens prius acceptum & omittat aliquid, & primum postea coniungat sequentibus, non faciet diffinitionem explicantem totum esse rei propriè: vt si aliquis diffiniens hominem dicat, quòd homo est corpus rationale mortale, multa enim inter corpus & rationale omissa sunt, quæ non explicantur in diffinitione.

Quare in diffinitione ponēdum sit genus proximum.

Et si obiicitur, quòd est oratio explicans esse & conuertibilis: ergo est diffinitio. Respondetur, quòd non est propriè diffinitio: quia non potest explicari quod est in esse ipso vel quidditate:

Obiectio. Solutio.

quidditate: & ideò extenso nomine & non propriè dicitur diffinitio.

Obiect. 9. Si autem obiicitur, quòd in qualibet diffinitione explicitè secundum hoc oportet ponere omnia superiora genera vsque ad vltimum. Dicendum, quòd hoc non sequitur: quia posito genere subalterno ponuntur omnia superiora quæ actu & intellectu sunt in ipso: sed non est sic de differentia, quia inferior differentia non continet in se superius genus, eò quòd differentia non dicit aliquid coniunctum ex genere & differentia: & ideò non ita intelligitur genus in differentia, sicut significatur in ipsa secundum intellectum. Sed si intelligitur genus posita differentia, hoc sic intelligitur, vt potentia intelligatur posito actu: non tamen sic, quòd potentia aliquis fit actus: & ideò ex genere remoto & differentiis vltimis & proximis diffinito, propriè loquendo diffinitio fieri non potest.

Solutio.

CAPVT IV.

An via introductionis in diffinitionem sit per diffinitionem diffinitionis vel contrary.

OStenso autem, quòd nec via syllogismi nec via diuisionis est ad demonstrandam diffinitionem & introductionem notitiæ in ipsam, quærendum est, vtrum propria via aliqua sit veniendi in notionem ipsius. Quæramus ergo sic, si viæ syllogismi & diuisionis non sunt introductoriæ in notitiam diffinitionis; Sed tamen quærendum est, vtrum sit demonstrare quod quid est secundum substantiam (hoc est, diffinitionem substantialem) aliquem accipientem (hoc est, supponentem & non demonstrantem) & quid erat esse (hoc est, diffinitionem diffinitionis) quod quidem quid erat esse siue diffinitio diffinitionis dicit quòd diffinitio est constitutum ex his quæ sunt prædicata in eo quod quid est (hoc est, substantialiter) de diffinito, & est ex propriis, & conuertibilis est cum ipso diffinito. Hoc est vt si dicatur, diffinitio est id quod est collectum ex propriis & substantialibus diffinito: vel sic, diffinitio est oratio colligens substantialia & propria diffinito: & per illam diffinitionem diffinitionis concludat diffinitionem esse diffinitionem, vt sic arguatur. Omnis oratio collecta ex substantialibus alicuius & conuertibilis cum ipso, est illi diffinitio: hæc oratio, homo est animal rationale mortale, est collecta ex substantialibus homini & conuertibilis cum ipso: ergo est eius diffinitio. Probatio autem, quòd hæc sit diffinitio diffinitionis est: quia hæc talis oratio est sola (hoc est, solum) in eo quod quid est (hoc est, solum ex essentialibus) & omne (hoc est, totum collectum in ea) est proprium & conuertibile cum diffinito: hoc enim, quòd talis sit diffinitio, est esse illi, & quidditas ipsius.

sed vtrum sit demonstrare, &c.

Diffinitio diffinitionis quæ sit.

Si autem sic syllogizetur vt dictum est: aut tenebit syllogismus, & tunc per diffinitionem scietur diffinitio: quòd esse non potest, vt superius habitum est: aut dicetur soluendo ad quæstionem inductam, quòd iterum accipit & petit quod quid erat esse quod concludendum erat, etiam in hoc sicut in syllogismo diuisiuo: & ideò non probat talis processus: cum enim dicit, omnis oratio colligens omnia substantialia alicuius, & conuertibilis cum ipso, est diffinitio ipsius, verum dicit. Cum autem dicit, hæc oratio, homo est animal rationale mortale, est huiusmodi, petit quod in principio est: quia non est notius hanc orationem esse talem, quam sit hoc quod animal rationale sit diffinitio hominis & est idem illi: petit igitur quod probare debuit: si enim aliquid debeat demonstrari demonstratiuè, tunc necesse est, quòd probetur per medium notius ipso & diuersum ab ipso: quod non fit in tali processu. Scias autem, quòd hîc inquiritur in genere, an quod quid est in ratione quod quid est, possit ostendi vel demonstrari per diffinitionem: quod si fieri posset, oporteret, quòd fieret per diffinitionem diffinitionis, vel per diffinitionem contrariam vel contrarij diffinitionis, sicut superius in syllogismo inducto patet, quòd si talis processus fiat in maiori propositione quæ communior est ponetur diffinitio diffinitionis, & in minori petetur principium, sicut genus petitur in sua specie: & hoc modo fit petitio principij.

Aut iterum accipit quod quid erat esse, &c.

Obiectio. Videtur tamen quibusdam hoc mirabile quod hîc dicitur: quia processus qui hîc dictus est ad probandum, quòd hoc est diffinitio, dicetur in 6. topicorum & ideò tenere videtur.

Solutio. Sed ad hoc dicunt aliqui satis probabiliter, quòd aliud est intendere probare, quòd a. sit diffinitio b. & aliud quòd a. sit b. vt diffinitio & secundum modum diffinitionis. Et primum quidem docetur in topicis: secundum autem pertinet ad demonstrationem, & probari non potest. Qui enim primum probat, fundat intentionem suam super id quod est b. qui autem secundum probare intendit, suam fundat intentionem super habitudine quæ est in a. & b. & ideo probare non poterit: quia petitur principium. Propter quod aliqui dixerunt, quòd duplex est petitio principij: secundum opinionem, & secundum veritatem. Secundum opinionem non est hic petitio principij: secundum autem veritatem est. Et quia in demonstratiuis procedit secundum veritatem, ideò est hic petitio principij.

Alia solutio.

Amplius sicut neque in syllogismo, &c.

Amplius ad idem inducitur ratio per simile: sicut enim quando per syllogismum aliquid debet syllogizari, non accipitur diffinitio syllogismi: ita nec sit in diffinitione, ita quod si per diffinitionem debeat aliquid manifestari fiat hoc per diffinitionem diffinitionis. Quod autem in syllogismo non accipiatur diffinitio syllogismi vt aliud per ipsum declaretur, patet: quia syllogismo composito in figura & modo secundum dispositionem primæ figuræ si debeat aliquid probari per syllogismum, non accipitur quid syllogizare (hoc est, diffinitio syllogismi) sed in syllogismo in prima figura ad probandum aliquid ordinatè, prima propositio semper accipitur vt totum, & minor accipitur vt pars, ex quibus duabus est syllogismus: & non oportet, quòd diffinitio syllogismi accipiatur:

piatur: ſic neque oportet inеſſe ſyllogiſmo demonſtratiuo demonſtrante diffinitionem alicuius de ipſo quod quid eſt eſſe, hoc eſt, diffinitionem diffinitionis.

Sed ſeorſum hoc à poſitis, &c.

Sed talem ſyllogiſmi diffinitionem oportet ſeorſum poſitam haberi & non intra ſubſtantiam ſyllogiſmi: & oportet ad dubitantem (hoc eſt, contra dubitantem) & quærendo dicentem interrogatiuè, ſyllogizatum eſt hoc, aut non eſt? per illam diffinitionem ſyllogiſmi contradicere, & oſtendere per diffinitionem ſyllogiſmi, quoniam hoc bene ſyllogizatum eſt: & ita oſtendere quoniam hoc quod ſic argutum eſt, erat verus ſyllogiſmus. Et ſimiliter eſt de diffinitione diffinitionis, quòd non ponitur in ſyllogiſmo in quo probatur de aliquo diffinitio, ſed ſeorſum habetur: vbi ſi aliquis probata iam diffinitione velit contradicere & dicere, quòd non ſit diffinitio, conuincatur per diffinitionem diffinitionis, quòd hæc vera ſit diffinitio quæ concluſa eſt per demonſtrationem. Hæc autem ratio oſtenditur, quòd non vtimur diffinitione diffinitionis in declarando diffinitionem, hoc non oſtendit niſi ex conſequenti. Si enim declaratum eſt b. per ſuam diffinitionem vt diffinitum: tunc cognoſcendo b. ſecundum quod diffinitum eſt, cognoſco ſuam diffinitionem: & ſic declarata eſt ſua diffinitio: & ſicut non vtor diffinitione diffinitionis in declarando eam eſſe diffinitionem diffiniti, ſic non debeo vti diffinitione diffinitionis in declarando diffinitionem eſſe diffinitionem. Sic ergo extra oportet habere diffinitionem ſyllogiſmi & diffinitionis ad conuincendum contradicentem, & proferre hanc diffinitionem diffinitionis ad hunc (hoc eſt, contra hunc) qui dicit, quòd non quod quid erat eſſe eſt id quod ſyllogizatum eſt: & dicere, quoniam vtique hoc quod ſyllogizatum eſt, eſt quid erat eſſe (hoc eſt, diffinitio) & inducat rationem: quia hoc quod eſt diffinitio diffinitionis poſitum eſt nobis & conceſſum quaſi principium quod quid erat eſſe quod dictum eſt, hoc eſt oratio ex ſubſtantialibus rei quæ conuertibilis eſt cum diffinito: & ſimiliter probari debet, quòd ſyllogizare aliquid eſt ſyllogizare ita vt quid erat eſſe: quia ſyllogizato congruit ratio diffinitionis: & ſic conuincitur aduerſarius.

Et ſi ex cõditione alia, &c.

Adhuc autem ad idem quod ſcilicet diffinitione contrarij non ſit demonſtrare quod quid: & ſi aliquis ex conditione (hoc eſt, ſuppoſitione) demonſtret (hoc eſt, demonſtrare conetur) aliter quam per diffinitionem diffinitionis: ſed ſi intendat quod quid eſt vnius contrarij concludere per quid alterius contrarij: ille enim petet principium, ſicut & ille qui demonſtrare intendit per diffinitionem diffinitionis. Cuius exemplum eſt in terminis ſpecialibus: vt ſi aliquis probet, quòd quia malo ineſt diuiſibile eſſe vt diffinitiuum, quòd contrarium diuiſibilis, hoc eſt, indiuiſibile eſſe vt diffinitiuum, eſt in contrario mali quod eſt bonum: hoc autem ſit in omnibus in quibuſcunque eſt contrarium vt diffinitiuum: tunc contrarium illius erit diffinitiuum contrarij: ſi enim contrarium in contrario, eſtam propoſitum in propoſito. Bonum autem malo eſt contrarium: & hoc ſupponatur: eſt enim dictum Pythagoræ. Similiter indiuiſiuile & diuiſibile ſunt contraria. Arguatur ergo ſic: eſſe quod quid eſt in eo quod quid eſt malo, eſt eſſe diuiſibile: ergo eſſe quod quid eſt in eo quod quid eſt bono, eſt eſſe indiuiſibile. Hic enim ſic arguens eſt accipiens & petens quod quid erat eſſe & demonſtrans: cum enim in minori dicit, ſed eſſe diuiſibile eſt diffinitiuum mali, accipit concluſionem antequam probetur: quia in eo quod eſt diuiſibile eſſe mali, accipitur bonum eſſe indiuiſibile: ſic ergo petit principium, & non probat propoſitum.

Accipere autem ad demonſtrandum, &c.

Adhuc autem ad idem ratio eſt ſimul probans, quòd nec per diffinitionem contrarij probatur quod quid eſt in eo quod quid eſt: quia accipere medium ad demonſtrandum quod quid eſt, erit hoc medium cum alterum ſit à demonſtrato & ab eo à quo demonſtratur: etenim in omnibus demonſtrationibus ſic eſt, quòd medium eſt hoc de hoc vt alterum de altero, & non vt idem de ſeipſo, hoc eſt, ſed non ipſum accipitur ſibiipſi medium, neque accipitur ratio eius cuius eſt ratio, & conuertitur cum ratione propoſiti: quia ſi bonum eſt indiuiſibile, malum eſt diuiſibile, & è conuerſo: vnde vnum illorum accipitur in alio. Et ſic ſiue per diffinitionem propoſiti probet quod quid eſt in eo quod quid eſt, ſiue hoc faciat per diffinitionem contrarij, ſemper petit principium, & non probabit quid eſt in eo quod quid eſt, ſicut quæſtio quid eſt debet terminari.

Ad vtrumque autem & ſecũdum diuiſionem, &c.

Eſt autem vna oppoſitio ad vtrumque (hoc eſt, contra vtramque viam inductam) contra vtrumque enim, hoc eſt, ſecundum diuiſionem ſiue diuiſuum ſyllogiſmum probantem, & contra ſic per diffinitionem diffinitionis vel contrarij ſyllogizantem vna & eadem obiectio eſt. Et hoc eſt, quòd in demonſtrationibus talium non ponitur cauſa, ſed adhuc poſt demonſtrationem quæritur, propter quid eſt homo animal bipes greſſibile & vtvnum: quia in omni demonſtratione probante quod quid eſt, in eo quod quid eſt, probantur multa eſſe vnum: vnde probatur, quòd homo eſt animal greſſibile bipes & vnum: ſed non probatur, quòd ſit animal & bipes, quæ per copulationem tantum coniuncta ſunt, & non ſicut ſubſtantialiter vnum: huius enim (quod ſic quidem ſit vnum & non multa) neque vna neceſſitas eſt (hoc eſt, nulla) ex acceptis & non probatis in diuiſiuo ſyllogiſmo, vel illius qui eſt per diffinitionem diffinitionis vel contrarij. Non enim probatur vnum fieri quod prædicatur vt diffinitio: ſed, vtique ſecundum talem probationem homo erit vniuerſale ſubiectum vnum illorum, ſicut homo idem ſubiecto dicitur muſicus grammaticus. Si ergo ſic demonſtrans non oſtendit multa prædicari vt eſſentialiter & ſubſtantialiter vnum, non demonſtrabit quod quid eſt in eo quod quid eſt.

Qualiter igitur diffiniens monſtrabit, &c.

Quæratur ergo, qualiter diffiniens demonſtrabit ſiue oſtender ſubſtantiam (hoc eſt, ſubſtantialem diffinitionem) aut quod quid eſt: non enim demonſtrabit eam ſicut facit oſtenſiuè demonſtrans ex certis & notioribus principiis ſiue præmiſſis manifeſtam & probatam faciens

concluſionem, quæ prius non fuit manifeſta: ſic enim probat & manifeſtat concluſionem per principia, quòd neceſſe eſt ſequi concluſionem: & eſſe cum illa altera quæ ſunt præmiſſa ex quibus ſequitur concluſio: ratio enim ſic demonſtrans eſt demonſtratio & non diffinitio: neque diffiniens ſic ex principiis certis procedere poteſt ad diffinitionis manifeſtationem.

Neque ſicut inducens per ſingularia.

Neque iterum diffiniens manifeſtare poteſt diffinitionem in eo quod quid eſt, ſicut inducens ſingularia, cum ipſa ſingularia manifeſta ſint: hoc tamen de ſingularibus manifeſtum eſt, quòd omnia ſic ſunt vno modo ſecundum prædicari per compoſitionem, & nulla ſit inſtantia: quia ſunt omnia talia id quod quodlibet eſt tale cui nihil aliter eſt quam aliis: ſed ſicut eſt in vno, ita & in aliis: talis enim tali ſyllogiſmo inducto non quid eſt demonſtrat, ſed quia, ſiue quoniam eſt affirmatiuè, vel negatiuè demonſtrat quoniam non eſt: & non demonſtrat quid eſt in eo quod quid eſt: quia aliud eſt quia eſt, & aliud quid eſt: & ſicut ſunt diuerſæ quæſtiones, ita diuerſas vias habent ſuæ determinationis.

Quis igitur eſt alius modus relictus, &c.

Quis igitur eſt alius modus relictus quo quæſtio quid valeat determinari, ex quo nec oſtenſiuè per demonſtrationem, nec per ſyllogiſmum diuiſiuum, neque per diffinitionem diffinitionis, nec per diffinitionem contrarij valet determinari: nec aliquis dicat, quòd ſenſibili demonſtratione diffiniens demonſtret diffinitionem in eo quod quid eſt in intelligibilibus, & non in ſenſibilibus non demonſtrabit hoc ſenſu aut digito.

CAPVT V.

Vtrum diffinitio ſecundum ſe ſit demonſtrabilis vel non.

Amplius autem quomodo monſtrabit, &c.

SVperius autem quatuor quæſitæ ſunt quæſtiones, ſcilicet quomodo & quid eſt quod demonſtratur, & quis modus introductionis, & quid eſt diffinitio, & quorum: & iam habitum eſt, quid & quorum eſt diffinitio, & quis eſt modus introductionis: reſtat determinare primam quæſtionem, quomodo ſcilicet quid eſt demonſtretur, & an ipſa diffinitio ſecundum ſe & in eo quod quid ſit demonſtrabilis vel non.

Quomodo oportet prius ſcire de hoc quod quid ſit, quam ſcire quid eſt de eodem.

Et de hac quæſtione prima determinantes dicimus amplius quomodo aliquis monſtrabit vel demonſtrabit quod quid eſt (hoc eſt, diffinitionem) in eo quod quid eſt: hoc enim eſt quærere, vtrum ipſa diffinitio ſecundum ſe demonſtrabilis eſt, vel non? Et hic attendendum eſt diligenter, quoniam in hoc capitulo & tranſlationes & verba Commentatorum valde ſunt varia: & nos tres (quæ magis videntur) proſequemur expoſitiones. Si enim ſic demonſtretur de aliquo, neceſſe eſt prius ſcire de ipſo quia eſt, antequam ſciatur, quid eſt de ipſo. Si enim neſciatur quia eſt: tunc non poteſt ſciri quid eſt: quia eſſe aliquid, eſt antequam ſit quid vel quidditas ipſius: & hæc duo ſe habent ſicut eſſe ſimpliciter & eſſe quid: eſſe autem diffinitionem vt dicit communiter Commentum Arabicum, eſt eſſe diffinitionem cuius eſt diffinitio. Cuius exemplum eſt: quia in eo quod eſt de homine, neceſſe eſt prius ſcire quia eſt homo, antequam ſciatur quid eſt homo. Nam ſi enim ſit homo in ſuis eſſentialibus principiis, ſciri non poteſt quid ſit: & ideo prius neceſſe eſt ſcire quia eſt in talibus principiis, antequam ſciatur quid eſt: & ideo hæ duæ quæſtiones, quia eſt, & quid eſt, ordinantur, quòd quæſtione quia eſt, oportet primum ſcire, vtrum ſcilicet eſt in ſuis principiis, aut non: & tunc poſt hoc ſcietur quæſtio quid eſt, ſicut ſi eſt homo, vel non eſt, vel aliud quodlibet de quo ſcire volumus quid eſt.

Eius quod non eſt ſcire in ſuis principiis, nullus poteſt ſcire quid eſt.

Huius autem cauſa & ratio eſt: quia quod non eſt, & eſſe non habet in ſuis principiis conſtituentibus ipſum, nullus ſcict quid eſt: quia ex ſuis principiis in quibus eſt, habet determinari quæſtio quid eſt per diffinitionem. Aliquid enim ſignificat ratio, quæ (inquam) ratio eſt vel diffinitio ſecundum rei ſubſtantiam data, vel eſt nomen (hoc eſt, nominis interpretatio) quod implicitè dicit eſſe diffiniti: ſicut cum dico, tragelaphus (hoc eſt, hircoceruus) à tragos quod eſt hircus, & laphos quod eſt ceruus: hoc enim habet nominis interpretationem ad minus: & ideò oportet, quod habeat eſſe ſecundum imaginationem in ſuis componentibus ipſum, ex quibus ſcitur quid eſt ipſum, quoniam eſt quid imaginatione hirci & cerui confictum. Quid autem ſit tragelaphus ſecundum eſſe & naturæ veritatem, impoſſibile eſt ſcire: quia ſecundum modum eſſe, qui reſpondet quæſtioni, quia eſt, nec habet nec habere poterit.

Quomodo ſcitur habent quid nominis, non autem poſſunt habere quid rei.

At vero ſi demonſtrabilis, &c.

At verò ſi hæc quæ dicta ſunt, ita ſe habent, ſi aliquis demonſtrabit quid eſt in eo quod quid eſt, oportet ſupponere quia eſt: quia vtrunque ſimul vna demonſtratione demonſtrare non poterit. Detur enim, quòd vtrunque demonſtret vna demonſtratione: tunc qualiter hoc poteſt eſſe, quod vtrunque vna poterit demonſtratione demonſtrare? diuerſæ enim viæ ſunt oſtendendi hæc duo: diffinitio enim dicit quid eſt: & demonſtratio quia eſt, hoc de hoc (vt ante dictum eſt) demonſtrabit quia eſt: & diffinitio eſt vnum quod eſt via in quid eſt, & aliud eſt demonſtratio quod eſt via in quia eſt cognoſcendo: & ideò non poteſt videri qualiter eadem ratione vtrumque illorum aliqui demonſtrabit. Id autem quod quid eſt homo, & eſſe hominem, ſiue quia homo eſt, aliud & aliud in numero quæſtionum: & alia eſt via ad terminandum quæſtionem vnam, & alia ad determinandum quæſtionem aliam: & hæc ſimul ſciri non poſſunt: quia prius oportet ſcire quia eſt in ſuis principiis, antequam ſciatur quid eſt: nec poteſt ſcire aliquis quid, niſi prius ſciat quia eſt: & quid eſt, ſcitur diffinitione: & quia eſt, ſcitur demonſtratione: & aliud eſt diffinitionis via notificans quidditatem incomplexi ſecundum quod quid eſt, & aliud demonſtratio notificans & demonſtrans quia eſt.

Id

Iuxta illud primæ Ethic. c. 5. Idem enim quod quid est unitas, & unitatem esse non est idem.

Id autem quod quid est homo, & esse hominem, aliud quia quod est homo, significat quidditatem hominis, & esse hominem, siue etiam quia est homo, dicit hominem habere esse per prædicatum de ipso, vel negatum ab ipso. Patet igitur, quod in omni quod est, quia est, vel esse illud, præcedit scire quid est illud, & non possunt esse simul, & vnum antecedit aliud necessario.

Postea & per demonstrationem, &c.

Hoc autem sic habito & supposito, postea vlterius ratiocinando procedimus, & dicimus, quòd necesse est, quòd per demonstrationem demonstretur de omni re demonstrabili quia est, nisi sit substantia quæ demonstrari non potest: quia esse & ens nulla est substantia: & substantia si demonstrari posset, non demonstraretur nisi per ens: & hoc est: ideo quia quid est (hoc est ens) non est genus, sed transcendens quod de substantia non vt genus prædicatur: quod si genus esset, substantia esset compositum ex genere & differentia, & haberet esse in differentijs & passionibus, & hoc esset demonstrabile de sui ratione per substantiæ diffinitionem. Ex his igitur sequitur, quòd pro certo demonstratio est via ad hoc quod quid (hoc est, quod aliquid est) hoc est, qua probatur, quòd aliquid est, siue qua probatur quia est aliquid, & non diffinitur.

Quod veræ & nunc faciunt scientiæ, &c.

Cuius signum est: qua hoc veræ & nunc quibus vtimur, faciunt scientiæ demonstratiuæ mathematicæ: per demonstrationem enim non demonstrat geometer quid est per diffinitionem quod significat triangulus (hoc est, trianguli diffinitionem) sed accipit illud per diffinitionem: sed quod hoc quid quod accipit, aliquid est, & quia est, demonstrat per syllogismum demonstratiuum. Quæramus igitur quid demonstrabit diffiniens, & quæramus, verum diffiniendo monstrabit quid est, vel quia est? velut si de eam gratia exempli, verum de triangulo diffiniens monstrabit quia est, vel quid est? Et si dicatur, quòd demonstrat quid est, quia aliud non potest monstrare diffiniens: cum non sit monstratum quia est, tunc sequitur, quòd aliquis sciens aliquid quod quid est, & secundum quod quid est diffinitione, nesciet ipsum si est: quod falsum est: quia probatum est, quòd quia est (quod determinat quæstionem si est) prius oportet scire: vnde hoc est impossibile: & sic videtur, quòd diffiniens non possit demonstrare vel ostendere quid est, nisi prius ostendat quia est: sed quia est non potest ostendere: ergo nec quid est circa diffinitionem.

Et vt hoc melius intelligatur, dictum Alpharabij in Commento Arabico est attendendum, quod quid est ostendere circa diffinitionem, est demonstrare diffinitionem: quod facere non potest diffiniens, vt prahabitum est: quia diffiniens nullo modo neque per syllogismum ostensiuum, neque diuisiuum, neque per diffinitionem quia est. Aut ostendere diffinitionem, est ostendere, quia diffinitio est huius diffinitio. Et hoc iterum non potest facere diffiniens: quia non ponit intentionem suam circa hoc cuius sit diffinitio, sed tantum quid sit diffinitio, quòd sit ex essentialibus collecta: & non studet circa hoc cuius sit vel quia sit.

Manifestum autem, quod secundum nunc dicta, &c.

Hoc autem manifestum est secundum modum terminorum (hoc est, diffinitionum) quibus nunc vtimur in diffinitiuis: quia diffinientes non demonstrant quod quid est (hoc est, quid sit huius vel illius diffinitio) hoc est enim demonstrare quid quod sic sit, siue quia sit, quando ostenditur cuius sit vt diffinitio. Si enim diffiniatur circulus, quòd est id ex cuius medio aliquid semper est æquale: vbique enim medium circuli æqualiter distat à circumferentia: quod non conuenit alicui figuræ angulari: sed tunc datur diffinitio formalis circuli, quæ dicit propter quid est id quod diffinitur in tali esse & quidditate, hoc est, propter quid est circulus: quia hoc directe dicit causam & esse circuli, quod medium æqualiter vndique distat: & tunc sic diffiniens non demonstrat, cuius sit ista diffinitio, vel cui insit vt diffinitio, sed tantum, quòd circulus tale quid sit secundum se, & secundum suam quidditatem: si enim demonstraret cuius sit ista diffinitio vt quid est, tunc diceret vtrum esset æneus circuli, vel ligneus: & tunc esset ipsum dicere montis æneus qui in conuexo circularis est.

Litera translationis Arabicæ, & expositio eius.

Arabica translatio non habet montis, sed dicit, quòd esset ipsum dicere, quòd est ens: neque enim considerat diffiniens quando dicat quid est secundum quod quid est considerat, quia possibile sit esse in aliquo subiecto, sicut diffinit quando assignantur termini siue diffinitiones. Neque considerat diffiniens, quia illud est (hoc est, esse habet) quod diffinit (hoc est, quòd sit alicuius subiecti in quo esse habeat) quando dicuntur à diffinientibus diffinitiones. Sed semper in talibus diffinitionibus formalibus licet & oportet dicere causam propter quid: quia illa est quid in talibus: & sic nunquam demonstrat quia, & non potest demonstrare quid nisi per demonstrationem sciat quia: ergo diffiniens non demonstrat quid, sed sumit ipsum. Patet ergo, quod quid est in eo quod quid est, secundum se est indemonstrabile. Huius enim est expositio Commenti Arabici: & in hanc magis consentit Boëtij translatio, & etiam translatio Ioannis.

Expositio aliorum.

Sunt tamen qui parum ab ista deuiant expositione, in in eo quidem quod quid, & quia est non sic exponunt vt dictum est: sed de quolibet dicunt oportere prius sciri quia est, quam quid est: & non est possibile, quòd quia est: vel cum quid est, sciatur vel post ipsum, & hoc quidem est verum: sed cum ad hoc quod ad diffinitionem refertur quid sit, scilicet diffinitio, & quia est, magis videtur facere ad propositum: & quod quia est diffinitio sic demonstraretur cuius est, & cui inest vt diffinitio. In hoc enim est quod est ipsa diffinitio.

Alia expositio.

Alius modus est expositionis & satis conueniens, quòd cum dicitur, quòd dicimus per demonstrationem demonstrari esse quia: nisi sic dicatur substantia: substantia subiectum quod subiicitur passionibus & differentijs sicut genus substat differentijs. Talis autem sub

substantia non demonstratur, sed esse ipsius quod est secundum aliquod prædicatum quod inest ei vt passio vel differentia quæ est substantialis qualitas ipsius: esse autem talis non est substantia: eò quod non est sicut genus subiectum differentijs & passionibus. Et ex his tunc patet, quòd demonstratio erit de hoc quod aliquid est, hoc est, quia aliquid est esse habet per diffinitionem: quod vera & nunc faciunt scientiæ. Et per hoc probatur sicut per signum, quod ita sit: quia in scientia demonstratiua ita procedit geometer, qui accipit & supponit quid est quod per diffinitionem significat triangulus: sed quod triangulus est quid, secundum illam diffinitionem demonstrat: & sic demonstrat quia & non quid. Quæramus igitur, quid monstrabit diffiniens? Monstrabitne quid est, vel monstrabit neque quia est, velut triangulum ostendat secundum quid est? & si conceditur, quòd demonstrat quid est, sequitur impossibile: quia sciens quid est: non enim demonstraret nisi sciret: & sic sciens quid est, ignorabit si est: & hoc est impossibile.

Sergo diffiniens demonstrat, &c.

Et tunc manifestum est, quòd diffinientes non demonstrant quid est secundum modos terminorum (hoc est, diffinitionum) qui nunc dicti sunt. Hoc autem dicimus: quia est alius modus terminorum secundum quem modum expositio nominum dicitur diffinitio, de quo in sequenti inquirimus capitulo. Huius exemplum est, quòd si circulus dicatur, quod ex medio, hoc est, à medio est æquale per differentiam, & sit conuertibile cum circulo: & hoc demonstrator probat adhuc, tali ratione vel diffinitione concluſa contingit quærere, propter quid est diffinitum? si est vel propter quid est circulus? quia per illud quod sic diffinitur, non ostenditur esse: quia quod est vel esse oportet sciri ante quid est: propter quod talis diffinitio est non dicens esse quid: sicut si dicêretur diffinitio montis æneus qui esse non habet.

Sed inconueniens est, &c.

Et attende semper, quòd quia est, non præsumitur nec præscitur ante quid est: ita quòd sit in actu & secundum naturam in rebus naturalibus extra, sed quia est ante in suis principijs essentialibus: & non in illis sic sciatur: quia sic in illis non potest aliquo modo diffiniri per quid est. Mons autem æneus & alia impossibilia simpliciter non habent esse in principijs aliquibus: & ideo talia realiter non diffiniuntur: & ideo cum tales termini assignatur à diffinientibus, non determinatur quia possibile sit esse quod dicitur cum assignant termini: neque probant, quòd illud est, cuius dicunt esse diffinitiones ipsi diffinientes: sed semper adhuc licet quærere, propter quid, si est quod diffinitur. Diffinitio ergo per seipsam non demonstratur. Primum quod postum est, melius est, & hoc est in commento.

***

CAPVT VI.

Quod diffinitio nominis non est quid demonstrabile, sicut nec diffinitio rei.

Amplius rationes omnes, &c.

Si ergo aliquis dicat, quòd diffinitio non semper demonstrat quid est res secundum quod quid est de re, sed aliquando demonstrat quid significat nomen, hoc est, nominis diffinitionem siue significationem, & sic demonstrat quid est aliquo modo: ostendemus, quoniam diffinitio non demonstrat diffinitionem nominis sicut non demonstrat diffinitionem rei. Si enim non est nullo modo (negatio superfluit & est sensus) si nullo modo demonstratio erit eius quod quid secundum quod quid est secundum substantiam & naturam: tunc forte dicet aliquis, quòd sit alia diffinitio demonstrabilis quæ est ratio siue diffinitio nominis idem significans, hoc est, quæ est de nominis significatione.

Amplius neque vna scientia, &c.

Sed talem diffinitionem esse demonstrabilem inconueniens est. Primum quidem inconueniens quod ex hoc sequitur, est, quòd secundum hoc non substantiarum (hoc est, eorum quæ non sunt) esset diffinitio: eò quod contingit per nomen significare ea quæ non sunt sicut ea quæ sunt, sicut significatur hircocerus & chimera: cum autem demonstratio necessariorum sit, & per diffinitiones proprias, patet quòd talium non est diffinitio quæ medium sit demonstrationis vel conclusio.

Amplius secundum inconueniens quod ex hoc sequitur, est, quòd omnes rationes & orationes erunt vel habebunt diffinitiones: quia omnes sermones possunt significari per nomen aliquod positum, de quo detur diffinitionem, quę dicat nominis significationem. Ex hoc sequitur, quòd omnis nostra locutio & disputatio essent termini siue diffinitiones: quod falsum est: & secundum hoc Ilias (hoc est, Troianæ historiæ) esset diffinitio: quia dicitur quod hoc nomen, Ilion, Troianam historiam significat per materiam: quia principale quod tangitur in historia illa, fuit turris Ilion quæ cecidit.

Amplius à signo probatur idem: neque vna enim scientia (hoc est, nulla) de omnibus sic procedit demonstrando, quòd demonstret, quod hoc nomen vel illud per suam significationem significat quod quid est: neque ipsæ scientiæ demonstratiuæ tales assignant diffinitiones, quæ sint nominum significationes. Ex quo concluditur, quòd diffinitio vera non est ex his. Adhuc autem iam habitum est ex præmissis, quod diffinitio nihil demonstrat, & quod non demonstratur quod quid est: neque diffinitione, neque demonstratione cognoscere est quod quid est: si enim diffinitione cognosceretur, esset diffinitionis diffinitio: si autem demonstratione, tunc oporteret, quòd alia diffinitio esset medium quo probaretur diffinitio esse diffinitio. & hoc iam in antehabitis improbatum est.

Posset tamen hic quæri, an hoc verum sit

semper, quòd ante quid est oportet semper scire quia est. Et an oporteat quia est præcedere in re & in actu vel in anima: Et qualiter hoc sit quod dictum est, quod non simul scitur quid & quia est. Sed ad hoc iam latis dictum est, quod quia præcedit quid secundum quod res est vere in suis principiis, quamuis non sit in actu vel in anima: & secundum hoc quia semper præcedit quid: & ex his aliquis venatur ex diffinitione inquirens ex quibus principiis & qualiter: & hoc modo non aliter præscire oportet quia ante quid est: & super talia ponitur & fundatur demonstratio, & non super alia quæ tantum sunt in sensu per partes, quas componendo coniungit anima, vt chimera, nomina habent significantia id quod est in anima: ad ea enim quæ sunt in anima, voces habent primam relationem siue compositionem, eò quod voces sunt notæ eorum quæ sunt in anima. Et secundum hoc quod sunt, ponitur ratio eorum: sed hæc non est ratio vel diffinitio super quam fundetur demonstratio. Dicendum quod quia est per medium accidentale potest haberi ante quid est, vt dictum est: sed si quia est proficitur per medium essentiale, hoc non erit diffinitorium & ratio quia est & quid est simul scientur: & hoc expressè dicit Commentator. Et tunc cum scitur per medium essentiale, tunc etiam non simul aliquo modo: quia non æquè immediatè sequitur vtrumque ex demonstratione: quia non sequitur ex demonstratione tali immediatè: & tunc cognoscendo si est per essentialia, percipitur & colligitur diffinitio ipsius.

Solutio. Verùm semper ante quid est oportet scire quia est.

Quia est potest haberi ante quid est per medium accidentale.

Dubitatio. Ad intelligendum autem quod quæritur à quibusdam, vtrum eorum quæ non sunt, possit esse demonstratio, vel diffinitio vel scientia? Notandum est, quod impossibilium quidem nullo modo existentium habentium, nec in se, nec in causis suis vel principiis, non potest esse diffinitio, vel demonstratio, vel scientia demonstrativa: sed possibilium, & iam in suis causis & ordine principiorum suorum essentialium, potest esse diffinitio & demonstratio & scientia, vt de eclipsi futura, & ortu & occasu stellarum, & aliorum similium: & planum hoc est ex dictis. Et si dicat aliquis, quod sciens quid, scit ipsum esse: iam patet responsio, quòd scit ipsum esse in suo ordine suorum principiorum, vt dictum est. Et ex hoc patet, quòd nullo homine existente hæc adhuc vera est, homo est animal. Sed de talibus multa in antehabitis libris dicta sunt.

Solutio. Verùm eorum quæ nō sunt, possit esse demonstratio, & scientia, & diffinitio?

Nullo homine existente, hæc est adhuc vera, homo est animal.

Obiectio. Obiiciunt tamen quidam etiam de impossibilibus, sicut de hac, vacuum est locus priuatus corpore, & chimera est opinabilis: hæc enim nunquam esse possunt: & tamen istæ locutiones videntur esse veræ. Sed ad hæc & omnia talia dicendum, quòd talia per partes ad minus significantur à natura, sed componit ea anima: & ideo sicut talia habent nomine & significationes & diffinitiones secundum quod sunt in anima componente, quæ tamen referuntur ad naturam, & sic sunt veræ locutiones, vacuum est locus priuatus corpore: quia per separationem alicuius corporis à loco accipit anima separabilitatem cuiuslibet, & sic locum sine spatium sine corpore. Et sic non entium extra animam aliquo modo est esse, & impossibilium aliquo modo est acceptio secundum naturam componentem ea quæ in natura composita non sunt.

Solutio.

CAPVT VII.

Qualiter secundum modum demonstrationis inductorum & diffinitio demonstrari vel syllogizari possit.

POstquam autem de his quæ dicta sunt, disputatum est, iterum speculandum quid horum quæ disputata sunt, dicitur bene, & quid non bene: & postea dicemus quid sit diffinitio, & quid sit diffinitio eius quod quid est, siue quidditatis explicabimus. Quæramus igitur quæstionem (quæ principalis est intentio) dicentes, nunquid diffinitio quodammodo est demonstratio, aut nullo modo? hoc est, videamus & quæramus, an diffinitionis scientia sit diffinitio, aut demonstratio, aut neutro modo sciatur quid est diffinitio? Vnde commentum Arabicum sic habet, an scientia de ea cadat vt sit diffinitio, an demonstratio, aut neutro modo cadat scientia?

Iterum autem speculandum, &c.

Quoniam autem (sicut à principio istius secundi libri diximus) idem est scire quod quid est, & scire causam ipsius, si tamen est ipsius aliqua causa: quia si ipsius non est aliqua causa, tunc non scitur per demonstrationem, sed nobiliori & meliori modo. Ratio autem huius est: quoniam si eius quod quid est, est aliqua causa, hæc erit aut eadem, aut alia. Commentum Arabicum exponit, hoc est, causa ex eisdem essentialibus sumpta: aut alia quæ est accidentalis, sicut cum dicitur, omnis homo est risibilis: omne risibile est rationale mortale: ergo omnis homo est animal rationale. Vnde vtique illa quæ est alia causa & accidentalis, aut est demonstrabilis, aut indemonstrabilis, hoc est, talis quod per eam possit demonstrari, aut non? Si contingit per eam demonstrari: tunc non cessat, quòd illa causa accidentalis sit medium: & necesse est in primo modo primæ figuræ fieri syllogismum, siue demonstrari, siue syllogizari: eò quod conclusio sit vniuersalis & prædicatiua quæ demonstratur, hoc est, syllogizatur: quod non potest fieri nisi in primo modo primæ figuræ.

Quoniam autem sicut diximus, &c.

Expositio commenti Arabici

Vnus quidem igitur modus nunc exquisitus est id quod quid est (hoc est, diffinitionem) per aliquid (hoc est, secundum accidentale medium quod alterius naturæ est) diffinitionem demonstrare. Diximus autem in præcedenti diuisione, quòd si aliqua est causa, aut est eadem, aut alia: & ostendimus, quòd si alia est, per eam potest quod quid est syllogizari: & hoc modo demonstrari quo id quod syllogizatum est, demonstratum esse dicitur.

Vnus quidē igitur modus, &c.

Si autem eadem causa est: tunc est horum quod quid est: quia de natura & essentialibus eadem accipitur: & tunc tale medium (quod est eadem causa) est de numero eorum quod quid est: & est diffinitio diffinitionis, & est de numero propriorum & conuertibilium, & est

Et horum enim quod quid est, &c.

proprium: & de hoc supra ostensum est, quod per ipsum non est syllogizare vel demonstrare diffinitionem: propter quod hoc quidem quod est causa alia, monstrabit diffinitionem: illud verò quod est causa eadem, non monstrabit eam diffinitionem quæ est de numero eorum quæ quid erant esse eiusdem rei cuius est causa.

Hic quidem igitur modus, &c. Expositio Alphar.

Talis autem modus concludendi diffinitionem, quòd non sit verè & propriè demonstratiuus, dictum est prius: quia non est ex essentialibus & propriis, sed per communia & accidentalia syllogizatus est syllogismus ipsius quod quid est, hoc est, diffinitionis. Hæc directè de verbo ad verbum expositio est commenti Arabici, quod Alpharabio inscribitur.

Expositio Latinorum.

Sunt tamen Latini qui in hac parte profundant intellectum, & fingunt quædam mirabilia, dicentes, quòd Aristot. intendit hic dicere, quòd aliqua diffinitio demonstratur: & hoc soluendo ad superius inductas quæstiones & certificando eas. Probat autem, vt dicunt, intentum per duas rationes: quarum vna est, quòd aliqua causa demonstratur: diffinitio autem aliqua causa est: causa autem aut eadem, aut alia: & si sit eadem, habetur propositum: & si sit alia, aut demonstrabilis, aut indemonstrabilis: si sit alia & demonstrabilis tunc alia causa, habetur iterum propositum: & diffinitionem sic demonstratam necesse est esse medium de numero eorum quæ quid sunt, & de numero conuertibilium, & quod tunc sit syllogismus dialecticus concludens diffinitionem secundum inhærentiam solum, & non secundum modum inhærentiæ, qui est vt insit quid in eo quod quid est. Et vt hanc suam confirment intentionem, multa oportet intelligere. Primum quidem est, quòd illud idem quod dicitur causa secundum id quod dat esse alteri, diffinitio est eiusdem secundum quod est principium cognitionis ipsius.

Expositio aliorum & fabilis.

Et cum dicitur, quòd causa quædam est eadem, & quædam alia, quidam dicunt, quòd sic intelligitur, quòd illæ dictiones (eadem & alia) sunt ablatiui casus, hoc est, quod quædam est causa eadem, hoc est, in seipsa non habens aliam causam, & illa non est demonstrabilis: quædam autem alia, hoc est, ab alia, & illa est demonstrabilis, illa alia causa posita pro medio demonstrationis: & hoc est planum, sed non concordat cum alia translatione, nec cum commento.

Expositio quorundam.

Alij autem dicunt, quòd cum dicit, eadem & alia, nominatiui sunt casus, quæ dicuntur eadem & alia: quædam enim est causa eadem illi rei, cuius est causa, & quædam non. Dicitur autem causa eadem cum re causata causa formalis, non quia sit omninò eadem cum re causata, sed quia tota essentia rei est ab ipsa, & ipsa secundum quod diffusa est in materia: formæ enim quæ sunt sine materia, meliori modo & puriori habent esse, quam illæ quæ sunt in materia: & si formæ naturales possent esse sine materia, verius essent & melius repræsentarent esse, quam secundum quod sunt in materia. Sic ergo causa eadem cum re dicitur causa formalis. Causa autem alia dicitur quæcunque alia, vt causa efficiens, & finalis, quæ extra stant & non sunt de rei integritate: causa autem materialis quamuis de integritate rei sit, non est tamen de quidditate rei & essentia verè rei, sed assumpta est tantum propter formæ necessitatem: quia vt forma sit, necesse est materiam talem esse vel talem: & sic causa quodammodo alia à re, est materialis, finalis, & efficiens. Quod autem dicitur, quòd causa alia demonstrabilis, alia indemonstrabilis, dicunt quòd causa alia indemonstrabilis est causa finalis, quæ ideò demonstrari non potest, quia omnium causarum causa est: & si forte demonstratur, demonstratur secundum id quod est finis, non secundum id quod est causa finalis. Alia autem causa demonstrabilis, dicunt, quòd est materialis, quæ secundum quod disposita est ad formam, per formam potest demonstrari. Causa autem alia quæ est efficiens, inquantum talis causa est, per finem potest demonstrari, & non per formam. Causa autem eadem quæ est forma, dupliciter consideratur, scilicet secundum quod est effectus operationis efficientis in materia: & sic causæ proprie non habet nomen, sed effectus, & potest per efficientem demonstrari. Secundum autem quod informat materiam & dat ei esse, sic causæ nomen habet, & demonstrari non potest. Hoc est igitur quod dicunt quidam & subtiliter, sed non est secundum intellectum commenti.

Expositio aliorum.

Alij dicunt, quòd totum hoc quod dicitur, causa eadem & alia, refertur ad intellectum & diffinitionem passionis quæ potest esse formalis tantum & dicens quid: & sic est eadem, & non demonstratur. Vel dari potest ad subiectum, quod est alterius naturæ, & tunc est alia, & ratio dari potest per subiectum proprium, & tunc est demonstrabilis: vel per subiectum non proprium & accidentale, & tunc est indemonstrabilis.

Adhuc autem alij sunt, qui dicunt intelligi per causam eandem, diffinitionem subeo quod diffinitio subiecti sit semper ex his quæ sunt eiusdem generis: per causam autem aliam diffinitionem passionis quæ sit per subiectum quod est alterius generis: & tunc alia causa quædam demonstrabilis, vt diffinitio passionis dicens quid solum: quædam autem indemonstrabilis, vt diffinitio passionis dicens quid & propter quid.

Laudat expositionem Alphar. prae aliis, non ut iterato tamen aliis.

Et si obiicitur, quòd contra rationem causæ est, quòd sit demonstrabilis, cum causa sit, quam de necessitate sequitur aliud, & non quæ sequitur ad aliud. Dicunt, quòd non est inconueniens id quod est causa, esse demonstrabile: quia hoc quod est vni causa, potest esse causarum ab alio.

Obiectio.

Solutio.

Hæc igitur sunt quæ dicunt. Primum autem horum est sententia communi & veritas intentionis Aristot. vnde translatio Arabica quam ipse exponit, habet sic: quia non euacuatur causa quin sit per vnum modum, scilicet quia est talis, ex qua constituitur rei essentia: aut quia non constituitur rei essentia: tamen etiam alia subtiliter dicta sunt, & ideò non abiicienda.

CAPVT VIII.

Qualiter ex demonstratione elicitur diffinitio quamuis non demonstretur.

Quo autem modo contingat, &c.

QVo autem modo contingat ex demonstratione elici diffinitionem, nunc in hoc capitulo dicemus, dicentes iterum & incipientes ex principio, hoc est, considerantes in his quæ à principio sunt quæsita, scilicet si quid est demonstratione: & quorum est demonstratio?

Dicimus igitur, quòd sicut prius habentes quia, quærimus statim propter quid, & non ante propter quid, quam quia scitus, & aliquando, hoc est, in aliquibus modis simul sunt manifesta: quia per eadem media efficiuntur: sed tamen neque propter hoc possibile prius cognoscere propter quid quam quia: quia ipsum quia immediata est conclusio demonstrationis: & ex mediis illius elicitur propter quid. Et sicut se habet quia stio propter quid ad quæstionem quialic se habet quæstio quid ad quæstionem si est. Nunc manifestum est, quòd similiter & quod quid erat esse quod quæritur per quæstionem quid, non scitur sine scientia quia est, hoc est, si est: sed oportet quia est, & si est, ante cognoscere. Cuius ratio est: quia impossibile est scire quid eos qui ignorant si est, vel quia.

Hoc autem si est aliquādo quidem, &c.

Procedamus igitur in illo & videamus quibus modis scimus si est vel quia est. Dicamus igitur, quòd aliquando si est vel quia est, habemus aliquando secundum accidens, hoc est, per medium accidentale quod potius est signum quam causa. Aliquando autem scimus & quia est & si est habentes quid, hoc est, essentialem causam esse ipsius: vel autem, sicut patet in exemplis naturali & mathematico. Scimus enim aliquando, quia tonitruus essentialiter sonus est, qui de extincto igne scilicet ignis factus est nebulatum, hoc est, nubium spissarum ad modum nebulæ: talis enim sonus essentialis causa est tonitrui. Et hic scimus quia est eclipsis sive defectus in luna, quando scimus, quod est quædam privatio luminis in luna, obiectu scilicet terræ proueniens: & quando scimus hominem, quoniam homo est animal quoddam, hoc est, rationali & mortali determinatum: & quando scimus, quia anima est numerus seipsum mouens, si hæc ponatur esse animæ diffinitio essentialis. Et in omnibus aliis similiter sumitur, quando scimus de aliquibus quia sunt hoc quid sunt.

Sed quæcunque quidem secundum accidens, &c.

Sed quandocunque quædam de aliquibus scimus quia sunt, & scimus illud secundum accidens, hoc est, per accidentalia media, hoc tale scire quia sunt, necessarium est nullo modo se habere ad sciendum quod quid est, vel propter quid est: quia quid est ex accidentalibus non construitur. Et huius ratio est: quia cum per accidentalia scimus quia, etiam non recte scimus quia sunt hoc quod sunt: vnde tunc scimus quia ex consequenti, scilicet quia est cui accidit aliquid: & tamen nescimus quia sunt hoc quod sunt. Quærere autem quid est non habentes quia est per essentialia, nihil est quærere: quia tali quæstione nunquam deuenitur in quid est. Sed quando per essentialia scimus quia sunt aliqua hoc quod sunt, vt quod homo est homo, & eclipsis est eclipsis, & tonitrus est tonitrus: tunc facile est elicere quid est: vnde secundum quæcunque media essentialia habemus quia est, facile est elicere quid est: propter quod sequitur, quòd quemadmodum habemus quia, per eadem & quid est, vel resoluendo conclusionem in præmissas sicut effectum in causam, vel colligendo media ipsius: quia & hæc collecta & ordinata dicunt quid est.

Quæ autem habemus alia, &c.

Hæc autem ad modum & figuram syllogisticam sic reducere habemus. Sunt enim aliqua quorum per scientiam quia, habemus aliquid ipsius quod quid est, hoc est, aliquod medium essentiale quod est diffinitiuum ipsius. Et gratia exempli sit hoc lunæ eclipsis: & ponatur primum (hoc est, majus extremum) quod est defectus, quod de luna concludi debet, & sit illud in quo ponitur hæc litera a. luna autem minor extremitas sit id in quo c. litera ponitur: medium autem quod est essentialis causa quod est terræ oppositio inter lunam & solem, sit in quo est litera b. & facile est facere syllogismum in primo primæ: omne b. a. omne c. b. ergo omne c. a. vel in terminis sic: omne corpus recipiens lumen à sole, obiectu terræ in medio deficit: luna est corpus recipiens lumen à sole: ergo obiectu terræ deficit. Manifestum est autem, quòd quærere in tali terminorum dispositione (quando quæritur vtrum luna deficit, aut non deficit) est quærere b. hoc est, essentiale medium quod est causa defectus quod significatur per b. secundum quæcunque autem media habemus, quia luna essentialiter deficit, secundum eadem prædicto modo facile est elicere quid defectus per causam essentialem. Propter quod sequitur ex præmissis, quòd quemadmodum habemus quia est per medium, quæro dicens, nunquid est vel nonne est hoc idem quid est, aut non est quid per eadem media: ac si dicatur, quòd procul dubio per eadem habetur quid est. Hoc autem quod est b. medium quærere nihil differt quam si hoc medium (quod quæritur ad ipsum quia) sit ratio & diffinitio ipsius: & sic est quid est: & si est ratio ipsius si est vel quia est, tunc illud dicimus esse quid est: & si non est causa vel ratio ipsius si est vel quia est, tunc non dicimus ipsum esse quid est: tunc enim quærimus dicentes, quod hæc est ratio & quid est, vel dicatur qualis contradictionis, hoc est, qualis partis contradictionis sit ratio, aut affirmatiuæ, aut negatiuæ: sicut manifestando per exemplum patet, quando assignamus esse vniuersalem causam, quia triangulus habet tres duobus rectis æquales, quærimus, vtrum causa assignata sit ratio & causa habendi duos rectos aut non habendi: vnius enim duorum est causa: quia vel est causa, vel non est causa: & si est causa, non potest esse causa nisi habendi: si autem est, & non est causa huius, tunc erit causa non habendi duobus rectis æquales: cum autem inueniamus in medio, quia est causa eius, quod quia vel si est: tunc simul cum quia scimus

scimus & propter quid: quia eadem est causa quid: si tamen hoc quod quæritur per media illa sic scimus, aut eliciendo, quamuis in modo quærendi non sciatur quid per quia, quia aliæ sunt quæstiones adinuicem & diuersæ. Si verò non sic per talia media essentialiter, sed sicut media accidentalia: tunc per talia media habemus quidem quia, sed non habemus propter quid. Hoc autem patet in terminis ordinabilibus in modo & figura accidentali medio posito.

Sit igitur, sicut prius, luna minor extremitas c. defectus verò maior extremitas sit a. medium autem sit hoc totum simul, lunam plenam vmbram non posse facere nullo modo medio existente manifesto: & hoc totum sit medium in quo est b. hoc est, quando luna plena, quòd tunc non possit vmbram facere ad eclipsim, si nullus nostrum vel aliquod corpus manifestum & vmbrosum sit medium: hoc enim constat, quòd sine tali manifesto & spisso & opaco interiecto non potest facere vmbram ad eclipsim: & tunc non facere vmbram, est signum accidentale & non causa: & ideo per illud non cum illo scitur quid. Si igitur in tali terminorum dispositione in omni c. est b. medium in minori propositione, quod scilicet b. medium est lunam plenam non posse facere vmbram, cum nullus nostrum sive nullum opacum medium sit inter lunam & solem: in hoc autem b. scilicet sit a. in maiori propositione quod est maior extremitas, quod positum est esse deficere lunam: tunc manifestum in conclusione, quia luna deficit: sequitur enim conclusio dicens, quòd est defectus: sed ex tali accidentali medio nondum manifestum id quod est propter quid: quia medium causa non fuit, sed accidentale signum: & tunc per tale medium scimus, quia defectus est: quid autem per propriam diffinitionem & causam essentialem sit talis defectus nescimus, nec ex tali potest elici demonstratione.

Cum manifestum est autem quia, &c.

Cum autem manifestum per demonstrationem, quia a. maior extremitas est in c. minori extremitate, vt defectus in luna, & sonus in nube: tunc enim sequitur passio esse in subiecto vt prædicatum ipsius. Sed est adhuc quærere, propter quid sit defectus in luna, vel sonus in nube: tunc hoc quærere est quærere hoc, scilicet verum medium & causa defectus sit obiectio alicuius opaci inter solem & lunam, aut sit lunæ conuersio, vt quidam dixerunt, quòd luna sit nigra in vna parte, & luminosa in altera, & tunc conuertat ad nos partem nigram, & hoc sit causa defectus: aut sit extinctio, vt alij quidam dixerunt, quòd lumen lunæ est extinguibile: & quando extinguitur, tunc est defectus. Vel quòd extinctio referatur ad aliud exemplum de tonitruo, cuius causam essentialem extinctionem ignis in nubibus dixit esse Democritus. Hoc autem tale essentiale medium ratio & diffinitio & causa alterius termini qui est maior extremitas, & per illud medium maior extremitas probatur inesse minori in conclusione: quia ipsum medium inest minori extremitate in propositione assumpta pro minori.

Aliter exponit Lincolniensis Ægidius hoc modo expōnat.

Ægidius tenet primam expositionem, tamen secunda est bona.

D. Alber. Mag. Logica.

Quid est tonitruum, &c.

Huius autem exemplum est si quæratur dicendo, quid est tonitruus? vt dicatur secundum Democritum, quòd est ignis extinctio in nube: & si hæc in demonstratione ordinanda sunt sic: nubes (quæ est subiectum & minor extremitas) sit c. tonitruus autem maior extremitas sit a. extinctio autem ignis, quod est medium, sit b. in c. igitur, hoc est, in nube est b. medium: extinguitur enim in ipsa nube ignis: & hoc est minor propositio: hoc autem b. est sonus per causam essentialem, & b. est ratio sive quid est ipsius a. quod a. est primus terminus, hoc est, maior terminus in maiori. Si autem iterum huius quod diximus, scilicet quia a. sit in c. hoc est maior extremitas in minori, dicatur esse aliud medium quod non sit essentiale & dicatur esse ratio maioris extremitatis data per accidentalia, hæc erit exceptis quibusdam rationibus logicis & non ex demonstratione: & ideo ex illa non elicitur quid est.

Aliter D. Albert. & aliter Linco. & aliter D. Th. exponit hunc partem.

Sicut quidem igitur accipitur quid est, &c.

Iam igitur dictum est, sicut sive qualiter eliciendo accipitur quid est, & sit notum. Propter quod patet, quòd non sit syllogismus ipsius quod quid est neque demonstratio: manifestum tamen est per syllogismum & demonstrationem eliciendo quid est ex medio syllogismi & demonstrationis. Propter quod relinquitur, quia neque sine demonstratione est cognoscere quid est in eo quod quid est: non enim potest sciri cuius est causa sine demonstratione: nec tamen est demonstratio ipsius quid est in eo quod quid est sicut & in oppositionibus in præcedenti capitulo diximus.

CAPVT IX.

Cui diffinitioni conueniat, quòd eliciatur ex demonstratione, & cui non.

Est autem quorundam quidam altera causa, &c.

CVm autem iam dictum sit, quòd quandam diffinitionem non est demonstrare, sed contingit elicere de demonstratione, & hoc non de omni diffinitione sit verum: oportet nos distinguere in diffinitionibus, vt sciatur quæ sunt non demonstrabiles, sed eliciuntur ex demonstratione. Dicamus igitur, quòd quorundam terminorum sive eorum quæ sunt quid, est altera causa, per quam demonstrari possunt: quorundam autem terminorum sive eorum quæ dicunt quid est diffinitionum, non est altera causa, per quam possint demonstrari. Diffinitiones enim & quid est secundum speciem (hoc est, formam) factæ, nullum habent medium, quod sit causa per quam valeant demonstrari: sed diffinitiones secundum materiam factæ, possunt habere medium per quod demonstrentur.

Quare manifestum est, quoniā eorum, &c.

Propter quod manifestum iam ex dictis est, quòd de numero eorum quæ sunt quid est sive diffinitionum, alia quidem sunt sine medio: & hæc sunt principia per quæ demonstratur, quæ & esse, hoc est, quia sunt: & quid sunt, supponere oportet, & non demonstratione accipere: sicut & de subiecto supponitur,

tur, & quia alias aut oportet alio modo talia manifesta facere, quam per demonstrationem, sicut per inductionem sensibilem: quod verè arithmeticus in sua facit demonstrativa scientia: & namque arithmeticus supponit de veritate sicut subiecto, & quid est per diffinitionem, & quia.

Hoc dicit etiam Tho. missus hic.

Sed habentium medium, &c.

Sed diffinitiones quæ sunt de numero eorum quid est quæ habent medium, & quorum terminorum vel quid est altera causa per quam possunt demonstrari, quæ causa est substantiæ, hoc est, diffinitionis, & est causa ipsius esse, & quia sit. Alias enim est (siue contingit) ostendere per demonstrationem, sicut dictum est: quia habentium medium est demonstratio: non tamen est per demonstrationes demonstrantes quòd quid est secundum quod quid est, sed demonstrat simplicem inhærentiam rei, & quod diffinitio sit in diffinito.

Est autem hic notandum, quòd iam soluta est quæstio superius mota, an scilicet quid est sit demonstrabile, vel non: & ex solutione istius quæstionis patet solutio alterius quæ fuit, quis sit modus introductionis in quid est: vna enim istarum soluta & alia soluta est.

Quid sit diffinitio data secundum speciem, & quid data secundum materiam.

Sed sciasq; quòd diffinitio data secundum speciem, est diffinitio data secundum formam quæ est species materiæ, & est causa eius, quod materia est talis vel talis: & ideo quodammodo est causa materiæ & demonstrationis. Ea autem quæ data est secundum materiam, proprie est illa quæ concernit materiam in qua est causa ipsius quod diffinitur materialis: sicut cum dicitur, quòd ira est accensio sanguinis circa cor ex euaporatione fellis, quia euaporatio fellis causa materialis est iræ datur per formalia, erit materialis (hoc est, imperfecta) respectu diffinitionis datæ per subiectum, & specificantis, & quasi in esse formali ponentis passionem, vt in septimo primæ philosophiæ, & in octauo dicit Arist.

Tract. 1. c. 8. Quod diffinitio secundum speciem non sit diffinitio subiecti, sed passionis, & quare.

Ex his autem quæ dicta fuerunt in præhabitis secundum intentionem Aristot. videtur, quòd diffinitio subiecti non sit diffinitio secundum speciem: quia dictum est, quòd diffinitio quæ est medium demonstrationis, ratio est primi termini: cum ergo primus terminus sit passio conclusa de minori termino qui est subiectum, videtur quòd diffinitio passionis sit illa quæ est secundum speciem: quia illa quæ est secundum speciem demonstrationis, est illa quæ est medium demonstrationis. Adhuc diffinitio subiecti si detur secundum speciem, erit ex genere & differentia: & illa, sicut dicitur in primo de anima, vana est ad demonstrationem.

Com. 16.

Si autem forte propter hoc aliquis dicere velit, quòd diffinitio secundum speciem demonstrans sit diffinitio passionis & demonstrans, diffinitio autem subiecti sit demonstrata & sit secundum materiam: contra hoc esse videtur, quòd passio prior sit subiecto: & sic in demonstratione potissima (de qua hic loquimur) erit demonstratio ex posteriori: & secundum naturam: & sic demonstratio non demonstrat propter quid, sed solum quia: quod valde est inconueniens.

Quòd non vtraque sit subiecti, sed vtraque est diffinitio formalis & materialis sit passionis.

Si forte dicatur, quòd vtraque sit subiecti, aut vtraque & formalis & materialis sit passionis. Procedamus primo contra hoc quòd vtraque sit subiecti: hoc enim videtur non esse verum, cum diffinitio subiecti formalis sit data per genus & differentiam, quæ diffinitio vana est ad demonstrationem, & sic non est demonstrans: dictum est autem, quod diffinitio secundum speciem est demonstrans. Si autem dicatur, quod vtraque sit passionis: & formalis demonstrans, materialis autem detem demonstrata: contra hoc esse videtur, quòd continuus formaliter diffinitus (quæ est passio) dicitur esse continuus sonus: materialiter autem diffinitus, dicitur esse extinctio ignis in nube aquosa: & tamen illa quæ est materialis, demonstrat: & illa quæ formalis est, demonstratur: quod omnino non potest esse secundum dicta Aristot.

Quòd vtraque sit passionis, & quare.

Videtur autem quibusdam, quòd vtraque sit subiecti: cum enim sit ex materia, potest per materiam diffiniri: adhuc autem cum sit per formam, potest etiam & debet secundum formam diffiniri: & quia forma principium cognitionis est respectu materiæ, & sit causa, quòd materia sit talis vel talis, videtur quòd diffinitio formalis sic sicut demonstrans, & diffinitio materialis subiecti sicut demonstrata. Videtur autem quibusdam, quòd vtraque sit passionis, & quòd illa quæ non dicit nisi quid passionis & ex essentialibus passionis data, sit imperfecta demonstrabilis, & demonstrans illa quæ est perfecta, & illa quæ est dicens solum quid passionis sit materialis dicta propter sui imperfectionem & possibilitatem ad alia: alia verò demonstrans propter sui determinationem & causalitatem & perfectionem

CAPVT X.

De dubitatione antiquorum, quæ sit diffinitio secundum speciem, & quæ secundum materiam.

DVbitabile enim est, vtrum diffinitio secundum speciem sit diffinitio subiecti: eò quod subiectum est quid in specie determinata constitutum, & diffinito secundum materiam sit diffinitio passionis: eò quod passionis esse semper est in subiecto aliquo determinato esse, ex quo fluit ex causa, & in quo est esse ipsius, est. cuius passionis semper refertur ad subiectum. Aut forte si non sit sic, vtrum vtraque diffinitio sit subiecti, eò quod subiectum constituitur ex materia & ex forma, & potest diffiniri secundum propriam materiam, vel secundum propriam formam: aut vtraque sit passionis, eò quod etiam illa dari potest secundum formalia, ex quibus est essentia passionis, vel secundum materialia coniungendo formalibus passionis subiectum inquantum est talium passionum subiectum: quia tunc diffinitio passionis data ex formalibus ipsius passionis, imperfecta est & non specificata respectu diffinitionis quæ est per subiectum quod specificat passionem: & sic diffinitio quæ

nem sit demonstrans formalis, sicut expresse dicit Arist. in 8. primæ philosophiæ.

Solutio.

Ad hæc autem & similia dicendum, quòd si loquimur de potissima & principalissima demonstratione, illa est in qua demonstratur passio de subiecto per diffinitionem passionis, quæ dicit & quid & propter quid, & in qua eadem ratione diffinitio passionis demonstratur quæ dicit quid sicut demonstratur & ipsa passio: quia sicut demonstratur passio, sic demonstratur & diffinitio passionis dicens quid solum: sic ergo loquendo de diffinitione diffinitio data secundum formam, est diffinitio subiecti, & dicitur secundum formam data, eo quod datur de re in forma specifica constituta quam ad formam determinat: & hæc (sicut & ipsum subiectum) supponitur, & quia est & quid est: sed non intrat in demonstrationem, quia nec demonstrat sicut intrinsecum demonstrans principium, nec demonstratur. Est autem diffinitio passionis dicta secundum materiam: quia est rei cuius est esse in materia subiecta quæ est causa & principium ipsius: & hæc est duplex, scilicet ea quę dicit quid tantum, & non datur nisi per essentialia passionis prout ipsa est essentia formaliter constituta in materia, & hæc est demonstrata sicut ipsa passio. Est autem alia passionis diffinitio, quæ dicit & quid & propter quid, quæ cum formalibus & essentialibus passionis concernit subiectum quod causa est passionis: & hæc dicit propter quid, quia subiectum est principium & causa passionis. Prima ergo formalis diffinitio subiecti, est sicut demonstrationis principium, nec demonstrans, nec demonstrata: secunda autem materialis passionis diffinitio dicens quid tantum, est sicut demonstrationis conclusio demonstrata, & non demonstrans: tertia autem est sicut demonstratio positione differens à demonstratione, quia sicut ratio maioris extremitatis ponitur in maiori, & sicut causa ponitur in minori propositione, & illa est demonstrans & non demonstrata sic: omne priuatum lumine propter terræ obiectum, deficit: luna priuatur lumine propter terræ obiectum: ergo luna deficit.

Secundum autem illum modum facile est determinare hanc quæstionem: quia diffinitio data secundum speciem, est diffinitio subiecti, & data secundum materiam, est diffinitio passionis: & cum dicitur, quòd illa quæ est secundum speciem, demonstrabit, si generaliter intelligitur, falsum est: quia diffinitio subiecti nec demonstrat, nec demonstratur, nec hoc dicit Aristot. sed dicit, quòd quædam data secundum speciem, non habet medium quo demonstratur.

Solutio.

Si autem dicat quis, quòd ambæ possunt esse subiecti & vna demonstrans, & alia demonstrata. Dicendum, quòd hoc verum est: sed ille modus demonstrandi non est potissimus & principalissimus. Sic igitur dicendum est de principalissima demonstratione.

Obiectio.

Si autem extendamus naturam demonstrationis ad quamcunque demonstrationem: tunc demonstratio erit, quæ demonstrat diffinitionem dicentem quid, per illam quæ dicit quid & propter quid: & tunc dicemus, quod diffinitio quæ est secundum speciem & propter quid, datur per formam: quia datur de re subsistente in forma & specie constituta. De subiecto autem duplex est diffinitio: vna quid est per materiam, hoc est, per causam subiectam materialem, & hæc demonstratur: & alia datur per eandem subiecti causam formalem: & hæc demonstrat, sicut patet in iræ diffinitione, cuius materialis causa est accensio sanguinis circa cor ex euaporatione fellis, & eius diffinitio formalis est appetitus contrarij doloris: & hæc demonstrat hic: cuicunque inest appetitus contrarij doloris, illi inest accensio circa cor sanguinis ex euaporatione fellis: irato inest appetitus contrarij doloris: ergo irato inest accensio circa cor sanguinis ex euaporatione fellis. Formalis enim est causa materialis, sicut dicit Auer. super secundum de anima, sicut ea quæ sunt animæ, sunt causa eorum quæ sunt corporis in composito ex corpore & anima. Dicitur autem materialis diffinitio passionis, non quia semper assumat materiam, sed quia est rei existentis in materia & causatæ ab ea. Et materia, hoc est, subiectum & principia subiecti sunt, ex quibus oritur passio. Dicit enim Rabbi Moyses, quod verius dicitur materialis quæ est in corpore, vel in materia, vel ex materia, sicut subiecto & origine.

Com. 3.

Diffinitio materialis est triplex, formaliter autem simpliciter est vna

Obiectio. Solutio. Aliter.

Patet igitur, quòd triplex est materialis diffinitio, & vna sola simpliciter formalis. Vna materialis est subiecti per formalem demonstrata. Et si dicitur, quòd formalis subiecti logica est vana ad demonstrationem. Dicendum, quòd vana est ad passionem demonstrandam, sed non ad demonstrandam diffinitionem materialem. Vel potest dici, quod diffinitio logica passionis, quæ tantum formaliter dicit quid, vana est: hæc enim non demonstrat, sed demonstratur. Secunda materialis diffinitio est passionis, quæ non dicit nisi quid: quamuis enim illa non concipiat in se materiam vel subiectum, tamen datur de reconstitura in materia & non habente speciem per scipsam: & ideò hæc passionis diffinitio, est sicut conclusio, & demonstratur. Tertia autem diffinitio est passionis, in qua concipitur subiectum quod est causa passionis: & & quia hæc dicit & quid & propter quid, ideo ista est medium demonstrationis & demonstrat.

Est ergo diffinitio, vt principium demonstrationem non ingrediens: & diffinitio vt conclusio, quæ est materialis subiecti diffinitio, & formalis passionis dicens quid: & est diffinitio vt medium demonstrationis, & hæc duplex, formalis scilicet subiecti, & alia passionis quę dicit & quid & propter quid, illa enim in se concernit passionis essentiale principium.

***

CAPVT XI.

Cuiusmodi diffinitio debet esse medium in demonstratione passionis.

SVnt autem qui dubitant cuiusmodi diffinitio debeat esse medium in demonstratione qua passio de subiecto demonstratur. Sunt enim qui asserunt, quòd diffinitio passionis debet esse medium in tali demonstratione: ad hoc inducentes rationes quinque, scilicet prima harum: quia idem est quid & causa rei essentialis: sed per causam essentialem fit demonstratio: cum igitur causa essentialis rei demonstratæ (quæ est passio) sit diffinitio passionis, videtur quòd diffinitio passionis sit medium demonstrationis in qua passio concluditur de subiecto. Secunda est: quia secundum habita medium demonstrationis est illa diffinitio passionis quæ dicit quid & propter quid. Tertia est: quia si passio demonstratur, per propriam suam causam debet demonstrari: non autem est causa propria passionis nisi quidditas sua, & non subiecti. Quarta quia medium in demonstratione potissima debet esse vere & posticum medium, posterius primo, & antecedens secundum: hoc autem est diffinitio passionis, & non subiecti: hæc enim diffinitio subiecto posterior est, & prior suo diffinito quod est maior extremitas: si autem esset diffinitio subiecti, hæc esset prior primo & non esset posticum: e medium: talis enim passionis diffinitio ex prioribus passione est & posterioribus subiecto. Adhuc cognitio eius quod quid est subiecti, vtilis est ad cognoscendas causas passionum, vt dicit Aristot. in principio de anima. Si autem vtile est ad cognoscendas causas, tunc per seipsum non est causa: & sic per subiecti diffinitionem non potest demonstrari passio, sed per causam passionis, ad quam cognoscendam vtile est scire quid est subiecti. Sic igitur dicentes passionem demonstrari de subiecto per diffinitionem passionis, suam confirmant intentionem.

Prima ratio dicentium diffinitionem passionis esse medium in demonstratione.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Quinta ratio.

Tex. com. 11.

E contra autem dicunt alij, quòd demonstratio in qua passio demonstratur de subiecto, debeat fieri per subiecti diffinitionem: quatuor ad hoc inducentes rationes, in quibus vis esse videtur. Vna quidem: quia si per diffinitionem passionis passio demonstratur de subiecto: cum diffinitio & diffinitum sint idem, incidet in demonstratione petitio principij. Secunda est: quia in primo posteriorum, vbi vniuersalis demonstratio comparatur ad particularem, dicit Aristot. quòd illud cui per se inest passio: hoc autem est subiectum: oportet igitur, quòd fiat per subiecti diffinitionem. Tertia ratio est: quia constat, quòd demonstratur passio de subiecto per medium. Quæratur ergo de medio, vtrum sit essentiale subiecti, aut accidentale. Et si substantiale: tunc vel est tota essentia subiecti, & sic erit subiecti diffinitio: si autem est pars, tunc erit aliqua pars diffinitionis eius: & sic iterum habetur propositum. Si autem est accidentale: constat, quòd non est accidens per accidens, sed accidens per se, cuius causa est subiectum & essentialia subiecto: & ita per illa debet demonstrari.

Prima ratio dicentium diffinitionem subiecti esse medium in potissima demonstratione.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Quarta est: quia loquimur de accidente facto in subiecto: cum enim hoc sit propria passio, erit de subiecto proprio demonstrabile. Aut ergo per diffinitionem propriam: & hoc non: quia ens incompletum vt in altero factum non habet diffinitionem: eò quod in genere aliquo non constituitur vt species perfecta in illo. Demonstrabilis ergo per subiecto diffinitionem. Addunt etiam: quia medium per quod demonstratur passio, aut est subiecto essentiale, aut accidentale. Si substantiale, habetur propositum. Si accidentale, constat, quòd illud iterum per aliud inerit. Aut ergo & illud est accidentale, vel substantiale: & hoc vel ibit in infinitum, vel stabit in aliquo quod est subiecto essentiale: & per illud tunc demonstratur passio vt per priman causam: hoc autem essentiale subiecto erat diffinitio subiecti: & sic diffinitio subiecti medium est ad demonstrandam passionem de subiecto.

Quarta ratio.

Quinta ratio.

Ad hæc autem secundum præinducta dicendum est, quòd omnis passio completa & vt essentia completa accepta, demonstratur de aliquo sibi proprio subiecto: & hoc semper demonstratur per diffinitionem propriam, quæ concernit subiectum, & dicit quid & propter quid. Quando autem est passio non per se, sed in subiecto accepta vt ens incompletum: hæc (quia inter subiectum vt orta de ipso accipitur) per diffinitionem subiecti demonstratur. Quamuis passio & sua diffinitio eadem sint, non tamen secundum totum sunt idem: quia diffinitio notior est, & per cuius notionem vt notior est, fit demonstratio: subiectum enim quamuis sit causa passionis, non tamen secundum totum est causa, quia aliquid passionis ex rebus sui generis causatur sicut ens constitutum in genere accidentis: & tunc oportet cognoscere in medio, quòd passio sit ex illis: & sic oportet, quòd diffinitio passionis sit medium: & ideò oportet, quòd diffinitio & dicat quid passionis & propter quid, & concernat subiectum quod est causa: & talis diffinitio est verum medium demonstrationis. Et per hoc patet solutio eorum quæ inducebantur. Cum autem demonstratio sit per causam materialem & formalem & efficientem, sicut dictum est, quòd principium est subiectum: hæc enim causa est efficiens. Tamen attendendum, quod licet finalis sit causa rei & sit prima intentione, quamuis sit vltima in executione: tamen in naturalibus passionibus non fit demonstratio per causam finalem: ad esse enim rei sufficit materialis & efficiens & formalis: quia efficiens facit, forma dat esse, & materia perficitur ipso & tenet esse: & ideo finis in talibus est posterior: ex posterioribus autem secundum esse non fit demonstratio: finis autem secundum esse posterior: & si mouet efficientem, hoc est metaphoricè dictum: actum enim & opus mouentis non facit, nisi efficiens: & ideo ad demonstrandum esse passionis non oportet congregare nisi efficientem & formam & materiam. Quamuis tamen non fiat demonstratio per ipsam, tamen consideratur à naturali inquantum

Solutio dubitationis de medio potissima demonstrationis, quid sit secundum propriam ipsorum intentionem.

In naturalibus non fit demonstratio per causam finalem.

Finis non mouet nisi metaphoricè.

Remouet dubium.

inquantum natura non facit frustra, sed semper propter finem ipsum: est tamen finis non tantum ipsius fieri, sed etiam ipsius esse: sed quia posterior est ipso esse, & ex posterioribus non fit demonstratio, ideò non oportet, quod in demonstratione potissima finis ponatur cum aliis tribus terminis.

Quare demonstratio potissima non fit per finem.

Licet mathematicus abstrahat à materia sensibili, non tamen abstrahit passiones à subiectis.

In demonstrationibus autem mathematicis attendendum, quòd quamuis mathematicus abstrahat à materia sensibili, & quamuis abstrahat sua subiecta, vt lineam, & superficiem, & corpus, à materia sensibili, non tamen passiones subiectorum abstrahit a subiectis: & ideò in diffinitione passionis mathematicæ ponitur subiectum, quando dicunt quid & propter quid.

Adhuc autem quamuis abstrahat à motu qualitatiuo, vt dicit quidam, non tamen abstrahit à motu locali, vt patet in astrologia. Quamuis hoc non satis bene sit: quia astrologus non considerat quantitatem motam secundum principia motus, sed secundum quod quanti tantum: & sic etiam ipsum motum considerat vt est quantitas quædam diuisibilis & mensurabilis vt quantum: & quia passiones non abstrahit, patet quod diffinitiones passionum, quæ sunt media demonstrationis, concipiunt in se subiectum & causam formalem passionis, & sic dantur per materiam in qua est passio: passio enim materiam ex qua fit, non habet: & sic etiam mathematicæ diffinitiones concipiunt subiectum vt materiam in qua sint. Quod patet in hac passione, habere tres æquos duobus rectis: hæc enim probatur per hanc diffinitionem, figura plana, tribus lineis contenta, habens exteriores angulos intrinsecis sibi oppositis æquales: quæ enim diffinitur & dicitur, figura plana, tribus lineis contenta, dicitur totum esse trianguli: quia non secundum partem, sed secundum totum suum esse causa est huius passionis: cum autem additur, habens exteriores angulos duobus intrinsecis sibi oppositis æquales, tota causa formalis dicitur passionis: & sic diffinitio quæ dicit quid & propter quid passionis, est ex formalibus passionis & subiecto, sicut & in aliis. Sicut autem in naturalibus passionibus quando diffiniuntur, aliquando subtrahitur forma, quia manifesta: ita in mathematicis aliquando subtrahitur subiectum, quia est manifestum: cum enim dicitur, rotundus est extinctio ignis in nube, & non dicitur sonus continuus vel contentus in nube propter extinctionem ignis, quia manifestum est: sic etiam aliquando tacetur subiectum in mathematicis propter eandem causam.

Quomodo astrologus considerat quantitatem motam & motum.

Subiecta secundùm totum suum esse eorum non secundùm partem est causa passionis licet non sit causa totius esse passionis, vt dixit supra à principio solutionis huius.

Adhuc autem notandum, quòd quamuis mathematica secundum esse fiat ab efficiente aliquo, & habeant aliquem finem propter quem fiunt, tamen quia mathematicus non considerat ea secundum quod sunt à tali efficiente & ad talem finem, ideò non diffinit passiones, neque per efficientem, neque per finem, sed tantum per formam & materiam intelligibilem. Et tunc sequitur, quòd naturalis considerat & demonstrat per omnes causas, & mathematicus per duas tantum. Et tamen nobilior & certior est cognitio mathematica quam naturalis: & hoc est propter puritatem & certitudinem cognitorum, quæ in abstractione a motu & materia considerat: naturalis autem considerat ea permixta ad materiam, & vt accipiunt incertitudinem & contingentiam & mutabilitatem.

Quare mathematicus non diffinit per efficientem, aut finalem causam.

Naturalis demonstrat per omnes causas, mathematicus per duas tantum: & tamen hæ demonstrationes mathematicæ sunt certiores naturalibus.

Sciendum etiam, quod artificialia moralia & contingentia & futura demonstrari non possunt: quia demonstratio vel est eorum quæ semper, vel eorum quæ fiunt frequenter secundum causam ordinatam: & ideò in talibus, quamuis habeant causas, non potest esse demonstratio, nisi demonstratio extenso nomine vocetur ostensio per causam & syllogismum. Non enim est demonstratio nisi eorum quæ habent causam ordinatam & stantem, & quæ secundum esse præcedat effectum, & huiusmodi non est causa finalis talium: & ideò per finem in talibus nihil potest demonstrari: quamtamen causa finalis potissime in talibus attendatur: tamen eo modo quo in talibus potest esse demonstratio, maxime est per causam finalem sic: omne defendens à caumatibus & imbribus, est domus: hoc artificiatum defendit à caumatibus & imbribus: ergo est domus. Demonstratur etiam aliquando per formam communem materiæ, vel materiam communem formæ, quod idem valet: sic compositum ex lapidibus & lignis in talem figuram, est domus: artificiatum sic & in talem figuram est compositum: ergo est domus. Sed istæ non sunt veræ demonstrationes.

In artificialibus est demonstratio per finem, licet sit imprò a demonstratio.

Vltimo autem notandum, quòd cum metaphysicus considerat omnia secundum veritatem & subtilitatem, quod sine demonstratione fieri non potest, pro certo demonstrat: sed hoc verum est, quòd ex parte illa qua considerat substantiam simplicem, non diffinit, neque demonstrat per materiam: & ex parte qua considerat partes entis de quibus sunt scientiæ speciales, considerat etiam causas, & argumentatur de ipsis causis, non per causas, sed per rationes communes: hoc enim sibi congruit, cum sit sapiens communis, & considerat omnia in communi secundum veritatem, quæ aliæ scientia considerant in speciali: & cum demonstrat, per omnes causas potest demonstrare: eò quod non est astrictus legi alicuius specialis scientiæ: habet enim determinare quæ diffinitione & quibus causis scientia specialis habet demonstrare & diffinire. Hæc igitur ad intelligentiam aliorum interpolita dicta sunt.

CAPVT XII.

An idem sit diffinitio & demonstratio aliquo modo, & qualiter se habeat diffinitio ad demonstrationem.

NVnc consequens est determinare an idem sit diffinitio & demonstratio, an non, & quomodo se habet diffinitio ad demonstrationem. Adhuc autem præmittere oportet quot & quæ sunt genera diffinitionum, vt de quolibet

bet genere ſcitur qualiter ſe habeat ad demonſtrationem.

Diffinitio autem quoniam quidē dicitur ratio ipſius quod quid eſt, &c.

Dabimus igitur primo quatuor diffinitionum genera & ſumemus omnia illa ſecundum illam rationem, diffinitionis de qua dicit Arist. quod diffinitio genere inter dicitur ratio ipſius quod quid eſt, hoc eſt, ratio quidditatem ſignificans: quia enim eſt diffinitio aliquid rei quæ ſignificatur per nomen, manifeſtum eſt, quoniam etiam aliqua erit ratio ipſius communis, qua dicitur quid ſignificat ipſum nomen: aut etiam quæ eſt ratio altera nomina ponens ad nominis declarationem: quod idem eſt cum eò quod dictum eſt, oratio explicans nominis ſignificationem: nomen enim habet ampliùs idem quod explicat oratio ſignificationem nominis declarans, & hoc ſub aliis nominibus poſitis quæ magis nota ſunt, quam ipſum nomen. Hæc igitur eſt diffinitio quædam ſignificans id quod dicitur per nomen, vt quid ſignificat illud nomen quod datur triangulo ſecundum quod triangulus eſt, ab ipſius rei forma impoſitum: ſi enim eſſet nomen ab accidente impoſitum, non determinaret de ipſius ſignificatione talis ratio ſiue diffinitio: hæc autem ſignificat quoddam quid eſt, quod (hoc eſt, quam diffinitionem) vere habentes (quantum per ipſam innoteſcit nomen) & quod genus diffinitionis vere habentes, quærimus vlterius, quia eſt, vel ſi eſt: & quærimus propter quid, quando accipimus ſi eſt. Difficile autem eſt per talem diffinitionem accipere: quia eſt res de his quæ neſcimus alio modo quam per nominis expoſitionem, quia ſunt, & an ſunt. Cauſa autem huius difficultatis eſt dicta prius: quia per talem nominis expoſitionem de re quacunque neque ſcimus ſi eſt verè, neque ſcimus verè ſi non eſt: ſed aut (hoc eſt tantum) ſecundum accidens ſcimus per talem rationem nominis de re ſi eſt, aut ſi non eſt. Hoc autem accidens eſt quia neſcimus niſi inquantum in apprehenſione cadit per nomina, & non ſcimus per rei eſſentialia. Hæc igitur nominis declaratio eſt vna.

Ratio autē vna eſt duplex, &c.

Ratio autem vna, hoc eſt, altera de re ipſa data, eſt duplex, ſecundum quod duplex eſt vnum: eſt enim vnum ordine & connexione multorum: vnde ſicut vnum dicitur Ilias, hoc eſt, verſus Homeri de hiſtoria Troiana, quæ connexio eſt multorum, & ordine vnum: & hæc vnitas vocatur continuctio multorum adinuicem: & huic ſimilis eſt ratio ſubiecti, quæ datur ex genere & differentiis, ad vnum vltimum complementum ordinata per modum ordinis quo potentiæ plures ordinantur ad actum vnum: & hæc eſt diffinitio quæ extra ſtat, & non ingreditur demonſtrationem, vt in antehabitis diximus, & eſt principium demonſtrationis extrinſecum. Alia verò ratio eſt vnius verè: & hoc eſt vnum de vno oſtendens, & non eſt ſecundum accidens (hoc eſt, ſecundum accidentalia data, ſed per ſubſtantialia dicentia & quid & propter quid) ſicut eſt diffinitio paſſionis, quæ dicit eſſe vnius de vno ſubiecto, in quo & per quod diffinitur.

Vna quidem igitur eſt terminus, &c.

Vna quidem harum diffinitionum eſt terminus, & hæc eſt diffinitio ſubiecti coniungens ſubſtantialia ſubiecti vſque ad terminum qui eſt vltima differentia. Vnde dicitur terminus, quia eſt terminus (hoc eſt, ſubiecti) vſque ad vltimum actu terminati. Alia verò (quæ eſt paſſionis terminus) eſt etiam paſſionis ratio demonſtrans paſſionem de ſubiecto, & eſt propter quid dicens cauſam propter quam paſſio eſt in ſubiecto. Propter quod prima quidem diffinitio ſignificat quid eſt ſubiectum, ſed non demonſtrat ſicut ingrediens per ſubſtantiam demonſtrationem, ſed eſt principium demonſtrationis ſtans extra & ſtatuens ſubiectum & confirmans illud contra illum qui forte diceret ſubiectum proprium non eſſe. Illa verò diffinitio paſſionis quæ poſterius eſt poſt ſubiecti diffinitionem dicens quid & propter quid, manifeſtum eſt, quoniam erit vt demonſtratio eius diffinitionis quod quid eſt, hoc eſt, illius diffinitionis quæ ſolum dicit quid eſt paſſio: quia illa concluditur ſicut & ipſa paſſio. Manifeſtum quia illa quæ dicit quid & propter quid, erit vt demonſtratio, poſitione differens a demonſtratione. Hoc autem diuerſi diuerſimode exponunt. Dicunt enim quidam breuiter ſe ad ſoluentes, quòd poſitione differre eſt per concretum & abſtractum differre: quia cum in demonſtratione concluditur, vt in ſubiecto eſt, oportet eam accipere in concreto ſic, ignis extinctus in nube tonat. Cum autem ſumitur vt diffinitio (eò quod diffinitio ſignificat quidditatem) oportet quod ſignificetur vt in abſtracto ſic, tonitrus eſt ignis extinctio in nube, vel ſonitus extincti ignis. Alter dicunt alij & ſubtiliùs, quòd talis diffinitio dicens quid & propter quid, continet omnia quæ ſunt in demonſtratione alio ordine poſitionis, quam in demonſtratione ſunt: dicendo enim ſic, tonitrus eſt in nube aquoſa ignis extincti ſonus continuus, ibi eſt ſubiectum demonſtrationis nubes, & medium demonſtrationis ignis extinctus, & maior extremitas ſonus continuus. Sed in hoc differt, quòd extremitas quæ in diffinitione eſt vltima, in demonſtratione eſt prima: & ſubiectum quod primum eſt in diffinitione, eſt tertium in demonſtratione: & minor extremitas de qua maior extremitas eſt concludenda, & medium eſt poſitione medium.

Quomodo diffinitio dicens quid & propter quid differat a demonſtratione poſitione.

Secundi

Ita ergo quæ dicunt, Alpharabius dicit (vt in antehabitis expoſitum eſt) quòd differt poſitione: quia talis diffinitio in demonſtratione partim ponitur in maiori propoſitione, partim in minori, & partim in concluſione. Id enim quod dicit quid paſſionis tantum (quod eſt maior extremitas) ponitur in maiore: medium autem dicens propter quid, ponitur in minori cum ſubiecto: & ſubiectum & id quod dicit quid paſſionis, ponitur in concluſione: & ita quod continuè poſitum eſt in diffinitione, interruptam & diſcontinuam poſitionem habet in demonſtratione, & ſic poſitione differt à demonſtratione in qua ponitur: ita quod præpoſitio a dicat cauſam differentis poſitionis: quia demonſtratio hoc exigit in ordine præmiſſarum vt ſic differentem accipiat (ad ea quæ in diffinitione continua ſunt) poſitionem.

Tertia quæ eſt Alpharabij ab aliis à ſecunda.

Differt enim dicere quid tonat, &c.

Differt enim dicere in demonſtratione & demonſtrare id quod tonat (hoc eſt, quòd alicui tonus ineſt vt paſſio & prædicatum) & dicere diffiniendo quid eſt tonitruum: differunt enim dicere id quod tonat in eo quod tonat: & dicere quid eſt tonitruum. Dicet enim ſic ille qui dicit quod hoc tonat, & demonſtrat quod hoc tonat, ſic, quod propter hoc tonat hoc vel illud, quòd extinguitur ignis in nubibus. Dicens autem diffinitiuè quid eſt tonitruum, dicet quod tonitruum eſt extinctio ignis in nubibus, hoc eſt, ſonus extinctionis ignis in nube: quid enim paſſionis aliquando ſubticetur: eò quod manifeſtum eſt, ſicut in antehabitis dictum eſt. Propter quod patet, quod eadem ratio (hoc eſt, diffinitio dicens quid & propter quid) alio modo (hoc eſt, diuerſo modo) dicitur: & ſic quidem demonſtratio continua, hoc eſt, omnia habens quæ diffinitio continua habet. Sic autem (hoc eſt, alio modo ſumpta ſecundum poſitionem) continua diffinitio & dicens quid & propter quid. Tres igitur iam ſunt determinatæ diffinitiones, nominis ſcilicet & ſubiecti, & paſſionis, quæ dicit quid & propter quid.

Amplius eſt terminorū, &c.

Amplius adhuc præter dictos terminos eſt alius terminus qui eſt dicens quid paſſionis ex ſolis eſſentialibus paſſionum: ſicut ſi dicatur, quòd tonitrus eſt continuus ſonus in nubibus: & talis terminus eſt qui eſt ipſius demonſtrationis concluſio, quia concluditur ſicut paſſio. Illa verò quæ eſt in medio inter hanc & illam, quæ dicit quid & propter quid, eſt diffinitio ipſius quid eſt ſubiecti & eſt indemonſtrabilis: quia neque concluditur, neque demonſtrationem ingreditur. Vna (hoc eſt, altera) quæ eſt paſſionis dicens quid & propter quid, ſicut ſyllogiſmus demonſtrationis caſu differens à demonſtratione in hoc quod vna pars cadit in diuerſum cum alia.

Tertium autem terminorum genus eſt, quod eſt ipſius demonſtrationis concluſio. Diffinitio igitur nominis demonſtrat quid ſignificat id quod dicitur. Diffinitio paſſionis dicens quid & propter quid, principium eſt demonſtrationis ingrediens in ſubſtantiam eius. Diffinitio autem paſſionis dicens quid, eſt ſicut id quod concluditur. Diffinitio autem ſubiecti dicens quid ſubiectum, neque ingreditur, neque concluditur: & ideo medium iſtorum dicitur ſicut dicitur medium per abnegationem extremorum.

Manifeſtum igitur ex dictis eſt, & qualiter ipſius quod quid eſt, eſt demonſtratio, hoc eſt, non: & quorum ſiue quarum diffinitionum ſiue terminorum eſt demonſtratio, & quorum terminorum non eſt demonſtratio. Amplius autem vlterius manifeſtum eſt ex dictis, diffinitio quot modis dicitur, & qualiter quod quid eſt (ſiue diffinitio) demonſtratur (hoc eſt, demonſtratione concluditur) & quomodo non demonſtratur: quia diffinitio ſubiecti & paſſionis quæ dicit quid & propter quid, non demonſtratur: ſed illa quæ dicit quid tantum paſſionis demonſtratur & quorum terminorum eſt demonſtratio, & quorum non eſt demonſtratio. Adhuc autem ex dictis manifeſtum eſt etiam, quomodo ſe habet diffinitio ad demonſtrationem, & quomodo contingat eiuſdem eſſe diffinitionem & demonſtrationem, quia incomplexi eiuſdem ſunt ſicut paſſionis, & complexi quod eſt paſſionis dicens quid tantum diffinitio: & qualiter non contingat eiuſdem eſſe diffinitionem & demonſtrationem: & ſic quæ quæſita ſunt in præcedentibus, ſoluta ſunt.

Manifeſtum igitur ex dictis, &c.

TRACTATVS III.

Qualiter demonſtratio ſit in ſingulis cauſis.

CAPVT I.

Quod cum demonſtratur per cauſam, cauſa debet ordinari in medio.

QUAM in præhabitis determinatum eſt de medio (quod eſt quid eſt) ſecundum viam cognitionis, hoc eſt, qua via cognoſcatur. Quia autem quid eſt, etiam eſt cauſa, ideò tangendum eſt de medio ſecundum quod cauſa eſt, & hoc eſt de eo quod eſt quid inquantum eſt propter quid: & ideo etiam oportet tangere de aliis cauſis.

Quoniam autem ſcire, &c.

Dicimus igitur, quoniam ſcire opinamur cum ſciamus cauſam, oportet hîc determinari de medio demonſtrationis ſecundum quod eſt cauſa. Cauſæ autem ſunt quatuor, quarum vna quidem eſt formalis, quæ quid erat eſſe ſignificat, & diffinitionem ſecundum formam, quæ totum eſſe dicit. Vna verò (hoc eſt, alia ſiue ſecunda, quæ eſt cauſa materialis) cauſa eſt neceſſitas. Hæc autem talis, quod cum hæc ſint (quæ ad vltimam neceſſitatem adducunt materiam) neceſſe eſt hæc eſſe, hoc eſt, cauſata ipſius: quia aliter materia non poteſt poni in demonſtrationibus in quibus ex neceſſitate ſequitur concluſio. Si enim materia deſcriberetur ſecundum quod eſt in potentia, non de neceſſitate inferret concluſionem: nec etiam eſſet cauſa materia aut diſpoſita vltima diſpoſitione ad formam: eò quod iam accepit formam, neceſſariò infert cauſatum. Aliter autem & tertio genere cauſalitatis

opinamur quum cauſam ſcimus, &c.

causalitati dicitur causa motus siue efficiens, quod ad primum (hoc est, per se & formaliter) mouet ad effectum. Quarta quoque causa dicitur, per cuius medium omnes istæ causæ demonstrantur, quia illa est causa causarum, & est causa finalis.

Et hæc quidem quum sit, necesse est, &c.

Diximus autem de causa materiali, quòd cum sit hoc, ibi esse est esse aliquid quod est effectus. Hoc autem non est intelligendum sic, quòd vna propositione necesse sit aliquid sequi, si tamen vna propositio accipiatur: quia ex vno nihil sequitur syllogistice: sed duabus propositionibus acceptis ad minus sequitur syllogistice conclusio. Hoc autem est cum duæ propositiones vnum habent medium, in quo communicent extrema illarum duarum propositionum. Hoc igitur medio vno accepto secundum quod est vnitivum extremorum, conclusionem necesse est esse siue sequi.

Removet dubium, quomodo scitetur hic & 2. phys. & 5. metaphys. agatur de causis à 1. com. 2.

De causis enim hic intendimus secundum quod sunt principium cognitionis, scilicet medium: secundum quòd autem sunt relatæ ad esse & fieri quod causant, pertinet ad secundum physicorum determinare de ipsis: sed in communi prout sunt differentiæ entis secundum quod singula scientiæ consistunt has vel illas, determinare de ipsis pertinet ad quintum primæ philosophiæ librum. Sunt enim causæ aut esse, aut fieri. Si esse: aut est formalis, quæ dat esse: aut materialis, cui datur. Si autem sunt causa fieri: aut est causa quæ fieri inchoat, & est efficiens: aut quæ fieri terminat, & est finalis: quia motus efficientis durat vsque ad vltimum finem inclusum, & tunc quiescit.

Sufficientia quatuor causarum.

CAPVT II.

Qualiter fit demonstratio per causam materialem & formalem.

DE his autem omnibus demus exempla qualiter per quamlibet causam fit demonstratio cum pro medio ordinatur ad concludendum effectum, sicut passionem de subiecto. Primum autem de causa materiali. Materia autem sunt partes aliquod totum materialiter & integraliter componentes. Dicamus igitur, quod id dictum est de causis in communi, quòd scilicet ipsis in medio ordinatis concluditur effectus. Hoc autem in communi de causis manifestum est, & sic sigillatim, scilicet inducendo causas & vnamquamque pro medio ordinando. Ponamus autem primo in causa materiali: & vt bene intelligatur exemplum, describatur primo circulus & diuidatur per diametrum per centrum eductum ex vtraque parte ad circumferentiam: deinde ab extremitatibus diametri ex vtraque parte ducantur duæ lineæ directe ad punctum, in quo directe est medietas semicirculi. Istæ duæ lineæ cum diametro faciunt triangulum, cuius illæ anguli qui stat in concauo circuli, rectus est, sicut vides in margine. Deinde protrahantur lineæ duæ à terminis diametri protractæ extra circulum in continuum & directum. Tunc patet, quod linea recta perpendiculariter cadens super lineam rectam facit duos angulos rectos: & sic duæ lineæ alicuius diametri protractæ & perpendiculariter se secantes in concauo semicirculi, faciunt quatuor angulos rectos: vna scilicet duos ex vtraque parte sui vnum: & altera duos, quorum vnus est angulus trianguli qui est in semicirculo, & ipse est pars media duorum angulorum ab vnaquacunque vis linearum illarum constitutorum.



Sic disposita figura procedamus sic ad demonstrationem, quòd angulus in semicirculo stans est rectus: angulus enim qui est medietas duorum rectorum, rectus est: angulus super arcum circuli stans est medietas duorum rectorum: ergo est rectus: & probatum est per causam materialem. Attende etiam, quòd angulus apud Græcos est fœminini generis, & in exemplo Arist. ponitur sic: propter quid recta angula (scilicet vt ita liceat loqui) in medio circulo descripta recta est, hoc est, per causam materialem, quam notat cum dicit, propterea probatur esse recta.

Hoc idem Lincon. notat hic

Et vt hoc in demonstrationis terminis ordinetur, sit recta angula (quæ est maior extremitas) in quo est litera a: hæc enim rectitudo angulæ concludenda est de angula in semicirculo constituta: medium autem huius demonstrationis (quod est causa materialis prout est necessitas) est angulam illam mediam, hoc est, medietatem duarum angularum rectarum sit in quo litera b. angula autem quæ est in medio circulo siue in semicirculo (quæ est minor extremitas) sit in quo est litera c. concludetur igitur, quòd cum rectam angulam esse est in c. hoc est, in angula semicirculi. Causa autem per quam concluditur, est b. hoc enim quod est b. æquale est cum a. quia medietas duorum rectorum est vna angula recta: & vna angula recta est a. b. ergo &c. a qualiter angulæ sunt: & b. est recta: ergo & a. recta. Ei verò quod est c. (hoc est, angulæ in semicirculo positæ) inest b. medium: eò quod b. positum est esse duarum angularum rectarum medium. Existente autem c. medio duarum rectarum angularum (sicut dicit minor propositio) concludetur, quòd a. maior extremitas (quæ est rectam esse angulam) in c. est in conclusione, sicut maior extremitas est in minori. Hoc autem quod est c. erat angulam in semicirculo

Sit igitur recta in quo est a. &c.

circulo existentem rectam esse: & hoc erat propositum.

Huic autem idem est &c.

Huic autem conclusioni idem est (quoad conclusionem eandem inferendam) id quod erat esse (hoc est, diffinitio) recti, cum hoc aliquis demonstrare volens per causam formalem ratione diffinitiua significando pro medio poneret. At verò si aliquis diceret, quòd diffinitio medium esse non posset. Dicimus, quòd causa formalis quid erat esse in diffinitione dicens, iam in antehabitis significata & probata est esse medium: & tunc sic erit arguendum: omne cuius ratio rectitudinis habetur, rectum est: anguli in semicirculo constituti ratio est rectitudinis: ergo est rectus. Ratio enim rectitudinis est in angulo æqualitas angulorum ex vtraque lineæ perpendiculariter super aliam lineam stantis & duos rectos ex vtraque parte sui facientis, sicut vides in margine. Secundum autem causam materialem sic arguitur: omne quod est medietas duorum rectorum, est rectum: angulus in semicirculo est medietas duorum rectorum: ergo est rectus. Hoc igitur modo arguitur per causam materialem & per causam formalem. Exempla autem quæ ponuntur, non sunt potissimæ demonstrationis, sed inducuntur ad ostensionem, quòd ex ordinatione causæ pro medio concluditur effectus.

CAPVT III.

Qualiter fit per causam efficientem, & qualiter per causam finalem.

Hoc autem propter quid, &c.

HOc autem propter quid (sicut efficientem causam) Medorum (hoc est, contra Medos) bellum factum est Athenis (hoc est, ab Athenis) sicut si quæratur, quæ causa efficiens est præliari (hoc est, quare prælientur Athenienses contra Medos?) & respondetur causa efficiens quæ facit præliari Athenienses, hæc; scilicet quoniam primo in Sardos amicos & socios Athenensium commiserunt bellum Medi: propter hoc enim sicut per causam efficientem & inductiuam, primum est bellum Athenensium contra Medos. Et si hoc in terminis demonstratiuis aliquis vult ordinare, sit bellum quod est maior extremitas in quo a. medium quod est causa (quod est prius committens bellum cum Sardis) in quo est b. Athenienses autem minor extremitas sit c. Est igitur b. medium in c. minori extremitate in minori propositione: prius enim committere bellum Athenensibus (hoc est, contra Athenienses) Medos, per hoc quod contra Sardos prius commiserunt. a. verò est in c. in conclusione: quia Athenienses debellant eos, qui prius iniusti fuerunt in eos bellum Sardis mouentes. Est itaque etiam in b. a. in maiori propositione: quia Athenienses debellant prius incipientes bellare, per quod ad bellum moti sunt Athenienses. b. autem est in Athenensibus sicut causa mouens eos ad bellum: eò quod Medi prius bellum incepe-runt. Medium itaque hoc in hac demonstra-

tione causa est mouens & efficiens: finalis autem causa esse non potest: quia nemo bellat propter bellum: & sic arguitur: omne b. a. omne c. b. ergo omne c. a. omni enim mouenti prius bellum ad rebellandum mouendum est. Athenensibus prius illatum est bellum. Ergo Athenensibus bellum mouendum est.

Quorumcunque autem causa est, &c.

Quarumcunque autem efficientium causarum est propter aliquid (hoc est, propter effectum vel finem) in his & finis concluditur per efficientem, & è conuerso efficiens per finem. Et dicatur gratia exempli, vt propter quid ambulat post cœnam? sic enim interroganti dicimus, vt sanus fiat: hic enim finis intentus est illud quod sanis sit. Vlterius est ad hunc finem vt saluet substantiam indiuidui. Dicere autem propter quid sicut efficiens oportet post cœnam ambulare, & cuius gratia oportet ambulare, in talibus quoad demonstrationem nihil differt: quia vtrunq; haberet per alterum. Si autem in terminis demonstrationis ostendi debet, oportet vt causa efficiens sit medium sic: ambulare post cœnam sit in quo est c. quod est minor extremitas: non eminere cibos siue superius esse (quod est causa & medium) sit in quo b. sanari autem (quod est maior extremitas) sit in quo a. in eo enim quod est post cœnam aliquis ambulat (quod est minor extremitas) est facere non eminere cibos ad os stomachi: & hoc est causa inductiua & factiua eius quod est sanum esse: in hoc enim quod est ambulare (quod est c.) videtur inesse sicut causa id quod est b. medium in minori propositione. b. enim est non eminere cibos. In hoc autem quod est b. videtur esse a. quod est sanatiuum esse in maiori propositione. Quæratur, quæ sit causa efficiens vel inductiua, quod a. maior extremitas sit in c. minori extremitate in conclusione, quæ inquantum causa sit propter quid, siue propter quam sit talis effectus: illa est b. quod significat non eminere cibos: & formatur sic demonstratio: omne b. a. omne c. b. ergo omne c. a. sic: omne faciens non eminere cibos ad os ventris, est sanatiuum: deambulare post cœnam, facit non eminere cibos ad os ventris: ergo ambulare post cœnam est sanatiuum. Hoc autem vltimum (quod est sanatiuum) est sicut ratio (hoc est, causa finalis) ad illud quod est deambulare: finis enim est ratio motus efficientis. a. enim (quod est sanari) sic demonstrabitur & concluderetur per causam dicentem propter quid, quia si b. est in c. quoniam hæc litera quæ est a. est sanari vel sanatiuum esse.

Oportet autem commutare rationes, &c.

Oportet autem in tali demonstratione (quæ est per causam finalem) commutari propositiones & terminos propositionum: quia finalis causa dicitur esse medium, quæ prius fuit maius extremum: & quæ fuit medium, erit maius extremum sic: omne a. b. omne c. a. ergo omne c. b. sicut in materia speciali: omne sanatiuum facit non eminere cibos; deambulatio sanatiuum: ergo deambulatio facit non eminere cibos. Sic enim commutaris rationibus de causa efficienti in finalem, & è conuerso, magis apparebit & manifesta erit vnaquæ-

que demonſtratio, vtiam ſit per cauſam efficientem vel finalem.

Generationes autem è contrario, &c.

Generatione autem & tempore e contrario hic ſe habet medium, hoc eſt, in cauſis finalibus & in cauſis ſecundum motum ſiue efficientibus: ſiquidem enim in cauſis efficientibus medium (quod eſt cauſa) oportet primum eſſe generatione & tempore: hoc autem ipſum c. (ſubiectum ſcilicet in quo maior extremitas) erit vltimum generatione: & ideo concluditur ex illo. Vltimum autem generatione & tempore eſt propter quid eſt, hoc eſt, cauſa finalis. Et hoc eſt vltimum generatione, & primum intentione: & ideo cum ſit demonſtratio per cauſam finalem, tunc ponitur primum, quamuis generatione ſit vltimum. Sic igitur demonſtratur per cauſam efficientem & finalem, vt prius dictum eſt, qualiter demonſtratur per cauſam materialem & formalem: & ideo de cauſis per ſingulas cauſas dictum eſt.

CAPVT IV.

De his quæ per plures cauſas demonſtrantur.

Contingit autem idem & vnum &c.

COntingit autem idem & vnum in concluſione vel effectu demonſtrari, & per quid eſt, hoc eſt, per formam: & propter quid eſt, hoc eſt, per finem: & ex neceſſitate, hoc eſt ex materia, quæ eſt neceſſitas demonſtrationis: ſicut eſt exemplum in hoc effectu vel concluſione per lucernæ pellem lumen tranſire: & hoc patet: & namque ex neceſſitate degreditur, quod in parua eſt partibilius, & per maiores poros, hoc eſt, per maiores poros datur exitus ex materia neceſſitate, quod partibilius eſt, hoc eſt, valdè partibile. Et hoc poteſt eſſe ex neceſſitate pellis per quam egreditur lumen, vel ex neceſſitate materiæ luminis, vel forte ex neceſſitate vtriuſque. Et melius exponitur ſi ex neceſſitate pellis: quia pellis diuiditur per maiores poros, quam terreſtres ſoliditates poris interpoſitæ: ita quod maiores habet poros, quam ſint continuitates interpoſitæ: & ideo luminis emiſſionem non impediunt, ſed pori tranſducunt lumen emiſſum. Ex parte luminis ſic, quod lumen propter ſuæ ſubſtantiæ ſubtilitatem diuiſibile in ſubtiliores radios à luminoſo corpore (quod in lucerna eſt) emiſſos, quam ſint pori pellis: & ideo radiales lineæ vbique pertranſeunt poros: & ſic egreditur lumen, & lumen ſic emiſſum diſgreditur & latè illuminat: quia à quolibet puncto luminoſi protractum, à quolibet poro egrediens diſgreditur in figuram pyramidis, cuius conus eſt in puncto luminoſi vel in poro pellis: baſis autem locus illuminatus: radius enim inferius aduenies à luminoſo, aſcendit ſurſum: & radius ſuperius à luminoſo ad porum veniens, deſcendit deorſum: & à dextro veniens, vadit ad ſiniſtrum: & à ſiniſtro veniens, vadit ad dextrum: & ſic efficitur pyramis latior, quò magis diſtat à luminoſo vel à poro: ſiquidem ignis luminoſus plus & plus ſit diſgrediendo, hoc eſt, per reflexiones ad porum ſe ſpargendo. Hoc eſt de forma & natura luminoſi, quòd ſic ſpargitur & multiplicatur ad porum. Hoc eſt complementum.

Of things that are in act & in mane

Quidam autem dicunt, quòd lumen vel lux eſt ſubſtantia, cuius natura formalis eſt ſe multiplicare per emiſſionem partis à parte: ſed hoc nunquam aliquis dixit auctor: ſed fictiones ſunt quorundam ita dicentium. Et ſic coniunctæ ſunt duæ cauſæ: formalis, & materialis ad idem oſtendendum, vt ſic per aliquod genus cauſæ vel per aliquot numero plura vnum oſtendatur effectum. Siquidem per materiam arguitur, tunc talis erit demonſtratio: omne corpus diuiſibile per poros maiores, quam ſint ſoliditates interpoſitæ poris, tranſducit luminis tranſitum. Per cauſam autem formalem ſic: omne corpus extra formam penetrationis & reflexibile, pertranſit pellem lucernæ ad maiorem illuminationem: forma ignis vel alterius lucernis eſt talis: ergo pellem lucernæ pertranſit ad maiorem illuminationem. Propter aliquid autem & propter finem ſic: quod eſt conſeruatiuum vel contentiuum luminis, faciens ne ambulans offenderetur, luminis permittit tranſitum: tale eſt lucerna: ergo permittit & multiplicat tranſitum luminis. Et ſic idem per tres cauſas demonſtratur. In talibus autem ſi eſſe contingit (hoc eſt, demonſtrari) aliquid per plures cauſas ſecundum eſſe: tunc etiam contingit fieri, hoc eſt, demonſtrari per plures cauſas ſecundum fieri.

Sicut ſi tonat extincto igne, &c.

Hoc autem patet in alio exemplo præhabito (hoc enim exemplum quod iam induximus, fuit in perfectius, ſicut ſi tonat extincto igne in nube aquoſa, ſicut dixit Democritus: tunc enim ſonus tonitrus probatur per ignis extinctionem ſicut per cauſam efficientem: extincto enim igne in nube aquoſa neceſſe extinctum & ignitum ſiſinire & ſonare: ſiſinum enim vocatur ſtrepitus & ſonus quem ignis extinctus facit in humido: ſic ergo demonſtratur per cauſam efficientem.

Et ſi quemadmodum Pythagorici dicunt, &c.

Et ſi quemadmodum Pythagorici dicunt, tonitrus ſit minarum & terroris cauſa his qui ſunt in tartaro, quatenus timeant illi qui ſunt in tartaro iuxta fluuios infernales: tunc poteſt demonſtrari per cauſam finalem: quia nunc tonat Iupiter quatenus timeant illi qui in tartaro ſunt.

Plurima autem huiuſmodi &c.

Plurima autem huiuſmodi ſunt, quæ ſic efficiente & fine & materia demonſtrata ſunt in his quæ natura dicuntur ſubſiſtere. In his enim & efficiens & materia & forma & finis ſunt in natura conſtantibus: hoc quidem (hoc eſt, quædam) propter hoc determinatum ſcilicet finem natura fecit: illa verò fiunt ex neceſſitate. Neceſſitas autem duplex: hæc quidem ſecundum naturam, ſicut eſt neceſſitas materiæ: & alia ſecundum motum alicuius exterioris violenter mouentis, ſicut lapis ex neceſſitate violentiæ fertur ſurſum, & ex neceſſitate materiæ fertur deorſum. Sed non ſic fit propter eandem & vnius rationis neceſſitatem: quia illa quæ eſt ſecundum violentiam, eſt neceſſitas efficiens. In naturalibus autem eſt neceſſitas materiæ.

Neceſſitas dupliciter, ſcilicet naturæ & violentiæ.

Sed in his quæ ſunt ab intelligentia agente, &c.

Sed in his quæ ſunt ab intelligentia agente ſiue à propoſito, alia quidem, hoc eſt, quædam nequaquam

nequaquam ſiunt ab eo quod eſt per ſe fruſtra (hoc eſt, ſine cauſa finali) ita quod fiant fruſtrà, ſicut artificialia in quibus vel actio ipſa vel opus factum finis eſt, vt domus effigies (hoc eſt, imago vel idolum) quòd ſit vt repræſentet abſentem. Neque ex neceſſitate materiæ fiunt: quia materiæ neceſſitas non eſt niſi ad naturalia, quæ potentia ſic ſunt in materia, quòd motore naturali educuntur de illa: ſed ſunt talia propter hoc quod determinant finem: & ideo talia per finem habent demonſtrari. Alia verò talium ſunt à fortuna vel caſu quæ ſunt per accidens, vt ſanitas aliquando, & ſalus aliquando: vt qui non intendens ſanari ambulauit, & ambulando ſanatus eſt: & qui intendit exire de domo non vt ſaluetur, domo poſtea cadente ſaluatus eſt exeundo.

Maximè autem in quibuſcunque, &c.

Maximè autem attenditur finis in quibuſdam naturalibus & artificialibus in quibuſcunque poſſibile eſt fieri & ſic & aliter: quæ contingentia ſunt, in quibus fortuna non eſt cauſa: quia in illis non intenditur finis in quibus generationis (hoc eſt, effectus) fortuna eſt cauſa: in illis enim non eſt finis. Propter quod patet, quod finis bonus (hoc eſt, finis qui eſt bonum) ſemper eſt in eo quod propter aliquid fit: & ſit tale quid aut natura aut arte: & in talibus eſt demonſtratio ex efficiente vel fine: à fortunæ autem nihil propter aliquid: & ideò in talibus nihil per finem demonſtratur.

In his quæ ſunt à fortuna, nihil per finem demonſtratur.

CAPVT V.

Quod eiſdem cauſis demonſtratur rès eſſe & futura, eſſe & facta eſſe & cauſa variata ſecundum differentias temporum.

Eadem autem cauſa eſt, &c.

EAdem autem cauſa ſecundum ſubſtantiam eſt & in his quæ fiunt in præſenti, & factis in præterito, & futuris, hoc eſt, his quæ fient ex futuro, quæ verè eſt his quæ ſunt in eſſe cauſa: ſed cauſa variabitur ſecundum eſſe fieri, & factum eſſe, & fore in futuro. Cauſa enim quæ media eſt (ſiue medium) in his quæ ſunt in eſſe, eſt, quæ eſt ſtans in eſſe. Ipſis autem quæ fiunt, cauſa eſt quæ fit & generat, & fiendo cauſa eſt, ſicut in his quorum eſt eſſe in fieri: factis autem in præterito cauſa eſt, quæ facta eſt in præterito ſecundum cauſalitatem: & futuris quæ fient cauſa eſt futura ſecundum futuritionem ſuæ cauſalitatis.

Vt propter quid factus eſt defectus, &c

Sicut patet in exemplo ſi quæratur, propter quid factus eſt defectus lunæ ſiue eclipſis in præterito? & reſpondetur cauſa de præterito, dicendo, quòd propter id facta eſt, quod interpoſita terra inter lunam & ſolem, facta eſt ſecundum interpoſitionem in præterito: fit autem in præſenti propter id quod in præſenti terra interponitur: erit autem defectus in futuro propter id quod interpoſitio terræ erit in futuro: & eſt eclipſis propter id quod in præſenti terra interpoſita eſt.

Similiter & quid eſt cryſtallus, &c.

Aliud autem exemplum eſt phyſicum, vt

D. Alber. Mag. Logica.

Si quæratur, quid eſt cryſtallus ſecundum eſſe? & ſi debeat ad modum & figuram demonſtrationis ordinari: accipiatur igitur per diffinitionem materialem, quoniam cryſtallus aqua denſata eſt. Sit igitur cryſtallus ſubiectum, & minor extremitas ſit c. denſata aqua, ſit in quo a. quod eſt maior extremitas concludenda de cryſtallo. Id autem in quo eſt b. medium & cauſa, ſit defectus caloris penitus. Eſt igitur ſecundum hanc terminorum diſpoſitionem in c. quidem b. in minori propoſitione: in b. autem eſt a. in maiori propoſitione: quia a. eſt denſatum eſſe quod eſt maior extremitas vt dicta de medio: ſit autem cryſtallus in fieri quando ſit b. in fieri ſuæ cauſalitatis: factus eſt autem facto b. ſecundum cauſalitatem: erit autem cryſtallus quando futurum eſt b. ſecundum cauſalitatem. Et effectus quorum eſt aliqua cauſa, ſimul ſunt cum cauſis, quando cauſæ vt cauſæ ſunt: & ſimul cauſata fiunt, quando fiunt cauſæ ſecundum cauſalitatem: & in eo quod factum eſt in præterito & fiet in futuro ſimiliter eſt: quia cauſatum præteritum cum cauſa præterita, & cauſatum futurum cum cauſa futura.

CAPVT VI.

De demonſtratione in cauſis & cauſatis quæ non ſunt ſimul.

In his autem quæ non ſimul ſunt, &c.

IN his autem cauſis & cauſatis quæ non ſimul ſunt, ſicut eſt in artificiatis, in quibus præcedens cauſa & incompleta eſt conſequentis, vt deciſio lapidum cauſa eſt fundamenti, & fundamentum cauſa incompleta domus: & talis cauſa vocatur cauſa ſine qua non, & eſſentialiter eſt in cauſato: & ipſa cauſa poſita non de neceſſitate ponitur cauſatum, ſed è conuerſo cauſato poſito de neceſſitate ponitur cauſa. In his ergo cauſis & cauſatis (quæ ſic non ſimul ſunt, quòd cauſa poſita ponatur cauſatum) quæramus quæſtionem primo dicentes, nunquid cauſa & cauſatum ſunt in continuo tempore, ita quod illud tempus quo cauſa eſt, continuetur tempori, quo effectus eſt, ſicut videtur ex præhabitis aliis cauſis, neceſſitas ſcilicet & completas, aliorum effectuum cauſas eſſe in continuo tempore cum ſuis cauſatis: quia continuo tempore quando interponitur terra inter lunam & ſolem, eſt eclipſis continuo tempore, & nullum tempus intercidit medium. In talibus enim videtur nobis hoc facti eſſe (hoc eſt, effectus) & alterum huius facta cauſa ſit cum facto effectu, & è conuerſo: & futuri effectus tempus videtur nobis eſſe cum futura cauſa, quia futura terræ interpoſitio erit ſimul cum eclipſi futura: & eius quid ſit nunc, quæritur, ſi eius aliquid anteaquam ipſum fiat, aliqua cauſa eſt, ex qua fit quæ ſimul ſit cum ipſo, qua poſita, ponatur effectus, vel non?

Soluitio tertius.

Ad determinationem ergo huius quæſtionis procedentes dicimus, quòd in talibus incompletis cauſis, ſine quibus non eſt effectus, & quæ poſitæ non continuò ponunt effectum,

Eſt igitur a. poſterius facto ſyllogiſmus, &c.

à priori causa non potest inferri vel syllogizari effectus: sed ab effectu infertur & syllogizatur causa. Est igitur syllogismus (hoc est, medium quod est principium syllogismi) à posterius facto accipiendus, hoc est, ab effectu qui tempore posterior quam causa: igitur principium quod est medium horum syllogismorum, est illa quæ facta sunt: quia à suo effectu inferri & syllogizari potest causa, & non è conuerso. Et quamuis causa sit aliquod principium essendi effectum, quia incompleta est, non potest esse principium & medium inferendi causatum: sed causatum (quia completè continet causam) est principium completum inferendi & syllogizandi causam. Vnde & in his quæ fiunt tempore successiuo, inter causam & causatum similiter est, quod hoc quod à posteriori sumendum est principium inferendi prius, & non è conuerso: à priori enim non est inferre posterius, vt infratur, quòd hoc factum est, quoniam est causa incompleta. Ideò quia hoc idem effectus qui posterius cum tempore factus est (hoc est, qui posterius factum est) ideo necesse est illud quod est causa incompleta huius, prius factum esse tempore: & in futuro secundum omnem futuritionem similiter est, quod scilicet prius infertur ex posteriori posito in esse.

Remoues dubium.

Neque enim infiniti aut finiti, &c.

Huius autem probatio est: quia medium temporis inter causam positam & effectum nec finiti nec infiniti erit temporis, in quo sequatur, causa est, vel erit: ergo causatum est, vel erit tempore determinato vel aliquando infinito tempore, hoc est, indeterminato: non enim sequitur, lapides decisi sunt: ergo domus est: nec sequitur, lapides decisi sunt, vel erunt: ergo domus erit tunc, vel aliquando infinitè & indeterminatè: quia causa non completa, nec simul cum causato: si enim esset tempus finitum vel infinitum accipere: tunc in illo tempore medio verum esset dicere factum esse hoc quod est effectus: altero facto quod est quidem causa: & hoc est falsum: quia nunquam sequitur, quòd tali causa facta factus sit, vel fiat, vel futurus sit effectus: nunquam enim sequitur, lapides decisi sunt: ergo sit vel facta est vel est vel erit domus. Eadem ratio est in futuro: neque enim per omnem futuri successionem sequitur, quòd quia hoc factum est quod est causa, ideo hoc continuè erit.

Medium enim simul genitum, &c.

Medium enim ad inferendum reliquum, genitum simul oportet esse cum hoc quod infertur ex ipso, & factorum in præterito oportet simul esse factum, & futurorum medium oportet simul esse in futuro: sicut cum domo genita simul decisio lapidum est genita, sed non cum decisione lapidum genita simul domus genita est: & cum his quæ sunt in fieri, oportet & illud simul fieri: & cum his quæ sunt in esse, oportet & illud quod infertur ex ipso esse. sed futurum quod non infertur ex causa, & erit, hoc est, quia erit, & non statim sequitur ex causa, non contingit esse simul cum causa genitum effectum, ita quod posita causa ponatur effectus.

Amplius neque infinitum, &c.

Amplius resumamus adhuc, quòd tempus medium inter talem causam & tale causatum, nec contingit esse finitum, neque infinitum: falsum enim erit in medio tempore dicere, quòd causa posita ponatur effectus: nec contingit dicere quanto tempore finito sequatur effectus, nec tempore infinito: quia nunquam sequitur, si lapides decisi sunt, erit domus: quia potest esse, quòd nunquam erit domus etiam lapidibus decisis. Et hoc non est in aliis in quibus causa futura est: si enim interpositio terræ erit inter solem & lunam, verum erit dicere, quod aliquando determinato tempore vel indeterminato erit eclipsis. In causis autem incompletis nunquam contingit hoc dicere.

Speculandum ergo quid est contingens, &c.

Speculandum autem est in talibus quod est illud sic contingens, quod est sic positum in esse, vt post hoc quod factum est, hoc fieri, hoc est, sequatur aliud fieri in rebus talibus, aut consequenter se habentibus: aut iam forte hoc manifestum est, quia non est continuum in talibus id quod fit in effectu cum facto esse causam: non enim ad factum esse causam, sequitur fieri vel factum esse effectum simul cum primo, hoc est, cum prima causa facta est: quia non sequitur, quòd cum factam esse decisionem lapidum sit fieri vel factam esse domum: factum enim esse primum vt fundamentum, est terminus cuiusdam fieri: & factam esse domum, est terminus cuiusdam fieri ex lapidibus decisis: & quia terminus sunt hæc duo facta esse: atomi, hoc est, duo indiuisibilia sunt: quia fieri non terminatur nisi indiuisibili sicut & motus: & sicut duo indiuisibilia non continuantur, ita duo facta non continuantur, præcipuè quorum vnum ex alio sicut ex causam factam esse est causatum factum esse: sed oportet, quòd fieri sit in medio, sicut inter duo puncta est linea, quando vnum punctum ponitur fluere ex altero. Neque puncta sunt immediatè copulata per continuationem. Et sic etiam ex his quæ fiunt ex inuicem (in talibus causis & effectibus) duo facta, causa scilicet, & causatum, non copulantur adinuicem: vtraque enim facta & puncta sunt indiuisibilia: & similium non est copulatio adinuicem: quia continua & copulata sunt ad vnum terminum, cum indiuisibile sit terminus, ad terminum aliquem copulari non potest: & ideò sequitur, quòd illud quod fit (vt effectus) cum eo quod factum est (vt causa præcedens) secundum factum esse non copulatur nisi fieri intercedat: & in tempore illius non sequitur fieri factum esse causati ad factum esse causæ: sicut non sequitur ad factam esse decisionem lapidum, factam esse domum, vel tempore determinato ex aliqua differentia temporis, vel indeterminatè, vt ante dictum est.

Neque igitur quod: sic cum quod factum, &c.

Propter idem autem nec sequitur, quòd continuetur quod fit in effectu cum eo quod factum est in causa: quod quidem enim sit secundum generationem, diuisibile est, sicut motus, & tempus: quod autem factum, est indiuisibile: sicut ergo linea ad punctum se habet, quòd scilicet ex illo fluit, & ad illud continuatur, & sic inter duo puncta intercedit linea: sic se habet id quod fit ad factum esse: quia ex illo fluit & ad factum esse terminatur: & sic fieri intercedit medium inter duo facta esse in causa & effectu: sunt enim infinita facta

Sicut se habet linea ad punctum, ita fieri ad factum esse.

facta in eo quòd sit secundum fieri medium intercidens inter duo facta, sicut infinita puncta. De his autem magis manifeste & substantialiter oportet dicere in lib. 6. phys. in quo loquendum & tractandum erit de vniuersalibus quæ sunt de motu determinanda: de motu enim vniuersali & immobili & passionibus motus non contracti ad hoc vel illud ibi loquemur. Tantum autem nunc acceptum sit de his secundum quod hæc se habent ad causam mediatam, hoc est, quæ sumenda est pro medio inferentiæ ad inferendum syllogisticè illud quod in talibus incompletis causis sit consequenter ex illo. Sicut enim in aliis mediatum ad immediatum docuimus reducere, ita necesse est in his quæ incompletæ sunt causæ & non simul cum suis effectibus mediam quæ est prima causa inferentiæ immediatam esse: & hæc est vltima tempore à qua incipit inferentia syllogismi, sicut quod diximus, quòd decisio lapidum est prima, fundamentum positum secunda, erectio parietum tertia, tecti compositio quarta, perfectio domus quinta & vltima, & hæc est immediata non habens medium à quo inferatur, & est inferens omnes alias: quia si domus est, tectum est, & parietes sunt, & fundamentum, & lapidum decisio: sed domum esse ex nullo illorum potest inferri.

Fez. dom. c. 2 & 58.

Vt a factum est, &c.

Huius autem exemplum in terminis communibus est a. c. d. & sit a. decisio lapidum. c. parietum erectio, vel aliud medium. d. autem domus: tunc enim à posteriori syllogizando prius, sequitur, quòd a. factum est, quoniam c. factum est: ante autem est a. si enim fundamentum vel erectio parietum est, decisio lapidum est: principium ergo inferendi est in c. propter hoc, quod ipsum c. proximum est ipsi nunc temporis in quo factum est a. & ideò concluditur ex c. sicut ex proximo posteriori: nunc enim principium est temporis in quo fit c. sed sequitur, quod c. factum est facto d. ergo cum fiat d. quod est domus, necesse est a. (quod est decisio lapidum) factum esse. c. autem est causa ad. d. sine qua non est d. ergo cum factum sit d. necesse est factum esse c. c. autem facto posteriori, necesse est a. prius factum esse. Sicut autem accipiens semper aliquod medium inter primum & vltimum, stabit alicubi, & hoc est immediatum, vt domus: quia non vadit in infinitum in causis, vt in antehabitis ostensum est.

Aut semper extra, &c.

Et si diceretur, quòd non stabit: tunc semper medium extra medium accipitur in infinitum: hoc enim continuè in talibus causis est factum, ita quod sit semper consequès ad illud, quemadmodum dictum est: sed incipere necesse est a medio & ab ipso nunc primo quod proximum est præcedenti facto: cuius fieri est a priori factum esse: quia ab illo infertur antecedens. Similiter autem est in eo quod erit in futuro secundum omnem futuritionem: quia semper posterius infert prius: si enim in futurum verum erit dicere, quoniam d. erit, domus scilicet, necesse est necessitate inferentia, quòd erit verum dicere, quòd erit a. decisio scilicet lapidum: huius autem causa est c. & sic reducitur ad immediatam hoc modo: si d. est a. etiam erit, cuius causa est c. ergo c. necesse est, quod erit: siquidem enim d. erit, sequitur quod prius erit c. si vero c. erit, sequitur quod prius a. erit.

Similiter autem erit decisio, &c.

Similiter autem erit infinita decisio, hoc est, non terminata ad aliquem terminum certi numeri in futuritione futurorum: & in his enim futuris quæ erunt, ita quod vnum ex alio conuenientia, hoc est, consequentia adinuicem, ita quod vnum est ex alio: principium autem quod est primum medium ad alia inferenda, est acceptum sine medio siue immediatum: & hoc erit vltimum secundum esse & generationem, primum autem in intentione, quod intenditur ante omnia alia.

Habent autem sic se in operibus, &c.

In operibus autem artium quæ apotelesmata dicuntur, plerumque sic se habent, quòd ab vltimo (quod solum immediatum est) incipienda est demonstratio: in his enim si facta est domus (quæ generatione vltima est) sequitur, quòd necesse est decisos lapides esse: & factum est hoc propter quid (hoc est, propter aliud) hoc scilicet quoniam necesse est fundamentum factum esse in quo sunt lapides decisi, sequitur à posteriori si fundamentum domus est, necesse est lapides decisos esse: & sic refertur ad immediatum vltimum per medium fundamentum: si enim non sit fundamentum, tunc sequitur dicendum, quòd & domus facta non est: & ideo fundamentum causa domus est, sine qua non est, & non perfecta & completa causa. Si verò fundamentum est, lapides prius est necesse decisos esse: quia lapides decisi sunt causa sine qua non est fundamentum: & etiam ponuntur fundamento posito. Iterum si erit domus, similiter sequitur, quòd necesse est prius lapides decisos esse: & sic primum sequitur ex medio, & ex vltimo medium, cum insit virtute vltimi quod est immediatum, quia simpliciter est vltimum: erit enim fundamentum (quod medium est) prius secundum inferentiam ad lapides decisos, & prius sicut causa sine qua non ad domum.

CAPVT VII.

De demonstratione eorum quæ frequenter sunt & circularem habent generationem.

Quoniam autem videmus in his quæ fiunt circulo, &c.

QVoniam secundum ordinem talium causarum videmus circulo quandam esse generationem, contingit hoc esse in demonstrationibus sicut in causis, si consequuntur secundum conuertibilitatem se adinuicem medium & termini quæ sunt extrema, sicut in secundo priorum dictum est. Hæc autem conuertibilitas attenditur, ita quod vnumquodque sit primum & vltimum & medium ad aliud secundum causam & causatum, quæ vocatur causa sine qua non, & non necessario cum suo simul effectu: in his enim talibus est conuerti demonstratione. Ostensum autem est & hoc in primis (hoc est, in prioribus analyticis)

lyticis; quòd conclusiones concludantur super præmissas: ad inferendum eas: hoc autem est circulo esse demonstrationem, conclusionem scilicet conuerti super præmissas vt conclusiones maneant.

In operibus autem videtur sic, &c.

Exemplariter autem hoc videtur fieri in operibus (hoc est, in effectibus naturæ) in quibus fit reiteratio substantiæ corruptibilis mota, sicut docet hal. et in secundo de generatione: sicut quia deputa terra per calorem vaporantem humida terra, necesse est vaporem fieri. Hoc autem vapore sic facto, necesse est fieri nubem, frigiditate medij inferentis aëris condensante vaporem in nubem. Hoc verò facta sic nube condensata, necesse est deplutam terram esse. Hoc autem erat quod assumptum erat ex principio ad inferendum vaporis generationem. Et sic ex principio infertur conclusio, & ex conclusione infertur principium. Propter quod talis demonstratio circulo (hoc est, circulariter) circuitur. Cuius probatio est: quia cum vnum horum quodlibet est (siue principium siue conclusio est vel esse ponatur) sequitur alterum esse ex illo: & cum illud quod conclusum est, ponitur esse, iterum sequitur alterum esse conclusum, quod prius erat principium. Attendendum tamen, quòd in talibus est circulatio ad eadem specie non numero: quia circulatio in eadem numero fieri non potest, vt in primo huius scientiæ libro probatum est: & huius causa ponitur in secundo de generatione: quia quæ habent substantiam corruptibilem motam in circulo, non reiterantur eadem numero sed specie.

Tex. com. 24 & 70. & 59.

Tex. 2. c 6. in fine. Tex c 79

Sunt autem quædam quæ fiunt, &c.

Sunt autem in causis & causatum demonstrationibus quædam quæ fiunt vniuersaliter & semper, & in omni suo inferiori & in omni tempore sic se habent, quod semper & in omni fiunt, & sunt sicut stellarum conuersiones & orbium, & in illis veræ sunt per stantem causam demonstrationes: alia vero non semper sunt nec in omni fiunt, sed sicut frequenter, quæ non semper simul sunt cum suis causatis, sed vt frequenter, sicut in generationibus præhabitis: sicut exemplariter patet, quòd non omnis homo est masculus, quamuis omnis pater masculus sit generans, & femina patris quantum est de se similitudinem patris in omnibus generans inducat, & sic semper masculum generare intendit: tamen (vt dicitur in secundo de generatione animalium) propter materiæ inæqualitatem secus fit, & aliquando fit fœmina. Vnde in talibus est sicut frequenter esse, quod à masculo masculus generetur: necesse est ergo in talibus etiam medium (à quo sumitur inferentia) sicut frequenter esse: quia aliter conclusio dissimilis esset præmissis: sicut enim se habet in his quę semper sunt, ita se habet in his quæ sunt frequenter.

Com. 3.

Fœmina, generatur propter materiæ inæqualitatem.

Si enim a. prædicatum de b. subiecto, vniuersaliter prædicatur & semper in maiori: & hoc quod est b. medium, vniuersaliter & semper prædicatur de c. subiecto in minori propositione: sequitur quòd necesse est a. de c. in conclusione semper & de omni prædicari: hoc enim iam in primo huius scientiæ libro determinatum est, quum vniuersaliter prædicari in demonstrationis dicatur, quod vniuersaliter prædicatur de omni & semper: sed hic supponitur est, quod sint sicut frequenter esse: necesse ergo medium quod est causa sicut frequenter & non semper: medium autem est in quo est licita b. de quo maior, & quod de minori prædicatur extremitate: esse igitur in demonstratione eorum quæ sunt frequenter oportet prima principia (à quibus accipitur virtus consequentiæ) sine medio, hoc est, immediata, in his quæcunque frequenter, sic sunt aut fiunt: quia aliter non immediatè staret demonstratio.

Si enim a. de b. vniuersaliter prædicatur, &c.

Quomodo quidem igitur quod quid est siue diffinitio inter terminos (hoc est, inter extrema) ponendum, vel inter terminos qui diffinitiones diuersæ sunt, assignatum est dudum in præhabitis. Iterum qualiter sit demonstratio eius quod quid est & qualiter non, prius ante illud dictum, & etiam qualiter sit ipsius diffinitio, & qualiter non, in præhabitis determinatum est.

Quomodo igitur quod quid est, &c.

TRACTATVS IV.

De venatione diffinitionis quod est inuentio medij demonstrationis per viam inuentionis.

CAPVT I.

Quomodo per diuisionem in venatione diffinitionis subiecti procedatur.

Quomodo autem oportet venari.

VOMODO autem oportet venari in eo quod quid est venantia, hoc est, venata, siue venatione diffinientium accipienda, nunc dicemus in hoc tractatu. [illegible]tur in hoc accipiendum est, quòd

cantur de ipso: at verò non insunt soli illi, sed & alij: vt exemplariter sit dicere, aliud est quod inest trinitati (hoc est, trinario) omni & non soli, sed & alij speciei numeri inest, qui non est trinitas siue trinarius. Hoc autem duplex est: quia vel est extra genus, vel in genere eodem quod est numerus. Si est extra genus: tunc est sicut id quod est (hoc est, ens quod est transcendens omne genus) inest trinitati siue trinario, & non trinitati, hoc est, non trinario: sed est extra genus: quia inest ei quod est non numerus, vt albedini: & ideo remouendum à diffinitione: quia in diffinitione non ponitur nisi id quod est in eodem genere cum diffinito: sed impar (si accipiatur pro numeri differentia) tale prædicatum est quod inest omni trinitati, & est in plus quam trinitas: quia non soli inest trinitati siue trinario: quia etiam quinarius est impar numerus: ergo est in plus quam trinitas. Et namque, sicut diximus, ipsi quinque, hoc est, quinario inest, qui non est trinitas, quamuis sit in genere numeri eodem in quo est trinitas siue trinarius: quinque enim numerus, & nullum (quod est extra numerum ponere) impar est: & ideò quinarius in eodem genere cum trinario est. Huiusmodi enim genus diuidentia (scilicet genus eius quod diffiniendum est) accipienda sunt, & diuidentia generis diuisione & subdiuisione, vsquequo tot accipiantur subdiuidendo, quorum acceptorum vnumquodque quidem secundum se acceptum in plus sit actu vel potentia, quam quod diffiniendum est: totum autem ex omnibus diuidentibus collectum sit inæquè cum diffiniendo & non in plus quam ipsum quod diffiniendum est. Hanc enim orationem ex omnibus diuidentibus ad illud ordinatis sic collectam, necesse est substantiam (hoc est, substantialem diffinitionem) esse rei diffiniendæ quæ est species vt subiectum demonstrationis: sicut trinitati inest vt diffinitio, quòd sit numerus impar vtrobique primus: cum enim numerus qui impar est, diuiditur, etiam impar est: & ideo est numerus impar, & est vtrobique primus, qui componitur ex vtroque numero (hoc est, ex vnitate quæ est primum in numero prout est vnitatum aggregatio) & ex binario qui est primum & multitudinis principium inquantum numerus est multitudo, & non fit ex ductu numeri in numerum: & quamuis hæc simul accepta (scilicet numerus impar vtrobique primus) sit diffinitio conuertibilis cum trinario, tamen & numerus est in plus, & impar est in plus, & vtrobique ex primo esse est in plus. Et de numero quidem & impari per se patet. Id autem quod est vtrobique primum esse, etiam est in plus: quia etiam binario conuenit, qui non ex ductu alicuius numeri in numerum aliquem, sed ex aggregatione vnitatum prima, quæ facit primum numerum. Totum autem simul non nisi trinario conuenit siue trinitati: quia binarius non est impar: nullus autem inter binarium numerus est vtrobique primus præter trinarium: & ideo hæc diffinitio omnia quæ sunt trinitati substantialia, colligit, & ab omnibus aliis separat. Patet igitur, quòd est diffinitio ipsius. Sic autem conuenit etiam trinitati, quòd sit numerus qui non mensuratur numeris sue numero, & sicut conuenit eidem non componi ex numeris, sed ex numero & vnitate quæ non est numerus.

Horum est imparibus omnibus inest, quodque, &c.

Sic igitur procedendum est, quòd numerus aut impar, aut par: & constat, quòd non par, sed impar: trinarius igitur est numerus impar. Et aut numerus vtrobique primus, aut non vtrobique primus. Et si est numerus, aut numero mensuratus, aut non: & constat, quòd non est numerus numero mensuratus: est igitur trinitas numerus impar vtrobique primus, numero non mensuratus. Adhuc si est numerus, aut ex numeris compositus, aut non: & constat, quòd non ex numeris compositus: igitur trinitas est numerus impar vtrobique primus, numeris non mensuratus, neque ex numeris compositus. Et ponatur quod fiat ibi numeri diuisio: hæc igitur oratio ex omnibus his collecta quæ vniuersaliter & substantialiter in hac diuisione de trinario prædicantur, est per diffinitionem substantialem trinitas siue trinarius, qui est numerus impar primus: & sic primo conuenit ei, quòd sit numerus impar.

Quoniam autem iam in præhabitis ostensum est à nobis, quòd ea quæ necessaria sunt, illa sunt quæ in eo quod quid est prædicantur de aliquo: & quòd ea quæ sic prædicantur de aliquo, sunt vniuersalia superiora & communiora prædicata, quæ de omni semper prædicantur: & ideò in diffinitiones ingrediuntur talia prædicata quæ sunt in primo modo dicendi per se, in quo prædicatum est in ratione subiecti: & talia prædicata de trinitate (hoc est, trinario) & etiam in illo numero de quo prædicantur talia prædicata in eo quod quid est, ita quod sunt de diffinitionibus illorum subiectorum de quibus sic prædicantur: & ideò (sicut dictum est) per diffinitionem sic accepta & collecta simul, erunt hic simul collecta per diffinitionem trinitatis, hoc est, trinarius est secundum quid est & diffinitione.

Quoniam autem ostensum, &c.

Quoniam autem substantia (hoc est, substantialis diffinitio vniuscuiusque) sit ex his (scilicet ex substantialibus sic per diffinitionem acceptis) manifestum est: necesse enim est, & necessariò sequitur, quòd nisi hoc modo dicto collecta esset trinitatis (hoc est, trinarij) esse & diffinitio: cum prædicetur in quid, & tale prædicatum in quid & non in quale, aut est diffinitio, aut genus. Si ergo non est diffinitio tale prædicatum, sequitur necessario, quòd sit genus. Si autem conceditur, quòd sit genus: tunc sequitur, quòd prædicatur sine

Quod autem substantia sit ex his, &c.

conuertione de eo cuius est genus eo quod genus est in plus quam quod insit soli trinitati: genus enim plusitus inest speciebus: concessum enim & probatum in antehabitis, genus esse huiusmodi prædicatum quod sit in plus quam species de qua prædicatur, secundum ambitum & potentiam suæ communitatis: tale autem prædicatum non est diffinitio, sicut dictum est, collecta. Si ergo genus non est, sequitur ergo, quod sit prædicatum vt diffinitio: & si nulli inerit alij quam atomis (hoc est, singularibus) & secundum communitatem indiuisibilibus trinitatis, vt hinc trinario, & illi, & sic de alijs trinarijs: tunc sequitur hoc sic collectum esse trinitatis siue trinarij esse (hoc est, essentialem esse diffinitionem) soli enim conuenit trinitati & omni atomo trinitatis, & est prædicatum in quid est. Supponatur enim ex dictis & pro suppositione habeatur, quod hoc sit substantia & substantialis diffinitio vniuscuiusque, quod vltimum est prædicamentum siue prædicatum quod vlterius non est diuisibile, & ideo conuertibile cum specie specialissima diffinita.

Quare similiter & cuilibet alij, &c.

Propter quod, sicut dictum est de trinario & diffinitione eius, sic in omnibus alijs speciebus specialissimis est: ita quod cuilibet speciei specialissimæ erit illud diffinitio, quod sic vltimo collectum est ex substantialibus differentijs & genere in omnibus quæ sic demonstrantur, vt species specialissima & diffinienda proponuntur.

Dubitatio quomodo partes diffinitionis se habeant quam diffinitam.

Attendendum autem quod dictum est, quòd diffinientia singula sunt in plus quam diffinita species, & totum collectum in æque, quod est contra hoc quod dicitur 7. primæ philosophiæ, vbi ostenditur, quòd vltima differentia est conuertibilis. Sed hoc quamuis multoties à nobis sit solutum, tamen hic potest dici, quòd si diuisio deducitur vsque ad atoma quæ vlterius secundum formam communem indiuisibilia sunt, oportet quòd vltimum prædicatum (quod est, differentia) cum specie conuertibilis sit: quia aliter vlterius esset diuisibilis: sed quia differentiæ vltimæ prout sunt diuisiuæ, innominatæ sunt, communibres autem nominatæ: ideò dicitur, quod inter nominatas quælibet communior est specie specialissima diffinita.

Solutio quærendam. Com. 43.

Dicunt tamen quidam & satis rationabiliter, quòd diuisio potest esse dupliciter, scilicet per vltima, vel per ea quæ sunt ante vltima. Et si sit per vltima: tunc planum est quod dicitur in 7. primæ philosophiæ: quia illa conuertibilia sunt. Si autem sit non per vltima: aut accipiuntur vna, hoc est, vnius diuisione, aut pluribus diuisionibus. Si vna diuisione, iterum est diuisio per vltima & vltim generis quod diuisibile est, & hoc est proximum speciei specialissimæ: & sic iterum vltima conuertibilia sunt. Si autem accipiuntur pluribus diuisionibus: aut illæ diuisiones accipiuntur ordinatæ à primo ad vltimum, aut coæquæuæ, ita vt vnum per plura coæquæua diuidatur, quorum vnum non est sub alio. Exemplum primum est vt substantia, quæ diuiditur per corpoream & incorpoream: & postea corporea per animatum & inanimatum: & sic decurrit diuisio: & tunc tales differentiæ diuisiuæ acceptæ secundum singulas, semper sunt in plus quam species specialissima quæ diffinienda est: & de talibus est verum quod hic dictum est: quia differentia differentiæ nomen habet ab eo quod est diuisiuum, & non ab eo quod est constitutiuum. Si autem accipiantur plures diuisiones non ordinatæ, sed in coæquæuis: tunc planè verum est quod dictum est, quod singula sunt in plus, & totum in aquè. Cuius exemplum si diuidatur numerus, vt paulò ante dictum est, in numerum vtrobique primum, & non vtrobique primum: & iterum numerus diuidatur in ex numeris compositum, & non ex numeris compositum: & iterum diuidatur in numerum numero mensuratum, & in non mensuratum: omnes diuisiones ex æquo sunt ei quod diuiditur, & non sunt ordinatæ per successionem, ita quod id quod diuidit superius, subdiuidatur, & sic ad vltima decurrat diuisio: & in tali diuisione acceptæ differentiæ sunt in plus: totum autem collectum efficitur in æque propter abnegationem alterius & contradictionem adinuicem in singulis: sicut rationale excludit irrationalia, & mortale excludit immortalia. Et hoc modo quod dictum est, planum est partes esse in plus, totum autem in æque.

Differentia habet nomen differentiæ ab eo quod est diuisiuum, & non ab eo quod est constitutiuum.

CAPVT II.

De modo inueniendi diffinitionem speciei subalternæ.

Congruum autem est, &c.

COngruum autem est cum totum vniuersale quod est species subalterna, diffinire velit aliquis, & negotietur ad diffiniendum speciem talem subalternam, quod ille qui sic negotiatur departiatur illud genus vel speciem subalternam in atoma speciei, hoc est, quod diuidatur illud primo quod diffiniendum est, vsque ad species specialissimas quæ sunt atoma specie, hoc est, indiuisibilia in alias species: & prius diffiniat omnes illas species specialissimas in quas diuisit subalternum: hæc enim sunt specie prima, hoc est, specialissima. Verbi gratia, vt si numerus, qui est subalterna species, diffiniendus est, diuidatur numerus in specialissima, vt dualitatem, & trinitatem, & alias numerorum species specialissimas: & postea studeat sic (hoc est, per artem diffiniendi quæ iam tradita est in præcedenti capitulo) illorum quæ specialissima sunt tentare accipere diffinitiones. Vt gratia exempli, si linea vel angulus diffiniendus est, vel quodlibet aliud subalternum, diuidatur linea in specialissimas lineas, rectam scilicet, & curuam, & circularem: & diffinianturr omnes illæ specialissimæ. Vt dicatur, quòd recta linea est longitudo sine latitudine, cuius medium non exit ab extremis. Linea autem circularis, linea regulariter curua in idem punctum reflexa, cuius medium est punctum, à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam, sunt æquales, & est sine latitudine. Curua autem est longitudo sine latitudine, cuius medium exit ab extremis & in idem punctum non recuruatur. Adhuc idem faciat de angulo primo in specialissimis

specialissima diuidendo, sicut in rectum, & acutum, & obtusum.

Post hæc autem accipiendum, &c.

Et postquam omnia specialissima per diuisionem acceperit, oportet aliquem diffinire volentem subalternum, esse accipientem quod genus sit omnium diuidentium, verum scilicet sit genus quantitatum aut qualitatum, vt numerorum & linearum genus est quantitas, angulorum autem genus est qualitas circa quantitatem dicta. *Genus angulorum est qualitas circa quantitatem dicta.* Genere omnium illorum accepto oportet speculari proprias passiones, hoc est, differentias quæ ad id se habent, sicut propriæ passiones ad subiectum, quia sunt essentiales qualitates ipsius, sicut propriæ passiones sunt qualitates subiecti. Hæc autem oportet speculari per communia prima, quæ primo genus diuidant, & postea quæ proximè diuidunt: compositis enim illis differentijs, & sic genus diuidentibus & subdiuidentibus vsque ad atoma siue indiuisibilia specie, oportet conuenientia (hoc est, communia) quæ omnibus diffinitis & specialissimis conueniunt, colligere: & illa erunt manifesta ex omnium diffinitionibus simul comparatis; quia in illam patebunt communia quæ in omnium specialissimorum diffinitionibus ponuntur.

Per propias passiones exponit differentias essentiales: quia conueniunt in esse qualitatis.

Propterea quod principium omnium, &c.

Propterea quia principium omnium diffinitionum est id quod simplex est, hoc est, subalternum, quod simplex est respectu specialissimorum: eo quod ex illis differentijs quæ per diuisionem ipsius accipiuntur, non est compositum: quia non sunt in ipso actu, sed potentia tantum: & tunc videbis, quòd solum simplicibus siue subalternis illa insunt vt diffinientia quæ omnibus specialissimis sunt conuenientia: & quod hæc aliis inferioribus non conueniunt nisi secundum illa, hoc est, secundum quod illa subalterna prædicantur de illis. Cuius exemplum est si linea quæ est subalternum, diffiniri debeat, diuidatur in specialissima, rectam scilicet, & curuam, & circularem: & diffiniantur singulæ sicut paulo ante dictum est, & respiciatur in quibus differentijs omnes illæ diffinitiones conueniunt: omnes enim conueniunt in hoc, quòd quælibet est longitudo sine latitudine: differunt autem in hoc quod recta est, cuius medium non exit ab extremis? in circulari autem, quòd medium est centrum à quo lineæ eductæ ad circumferentiam, sunt æquales: & in hoc quod in curua medium non regitur extremo. Coniungat ergo ea in quibus omnium specialissimorum diffinitiones conueniunt cum genere in quo sunt subalterna quæ diffinienda sunt, & diffinitionem subalterni: sicut cum dicitur diffiniendo lineam, linea est quantitas continua longitudo sine latitudine. Hæc igitur est ars inueniendi diffinitionem subalternæ speciei.

Diuisio est vtilis ad cognitionem quod quid est: non autem ad ipsum inueniendum.

Diuisio est vtilis ad cognitionem quod quid est, & non ad ipsum inueniendum, si tamen via vtilis ad inueniendum diffinientia debeat haberi, tunc in hac via considerandum est ostendendum est vt perueniamus ad differentias vtiles ad diffinitionem eius quod diffiniendum est. Vtiles autem sunt in eo quod sic quæramus per diuisionem & colligamus: tamen dictum est in proximis sicut & qualiter demonstrant tales argumentationes diuisiuæ: non enim demonstrant, sed accipiant alterum diuidentium absque prolatione. Vtiles enim sunt tales diuisiones sic solum vt alterum diuidentium acceptum sit ex aliqua diuisione, quod proportionale ei quod debet diffiniri: & sic ad colligendum quod quid est, & non ad syllogizandum & etiam statim videatur vtique nihil syllogistice facere: sed videntur mox sine probatione accipere omnia tanquam si ex principio petendo & non probando acceperit aliquis: propter quod ad colligendum vtiles sunt & non ad probandum diffinitiones.

Differt autem aliquid prius & posterius, &c.

Differt autem quando talia per diuisionem accipiuntur, quod prædicamentorum (hoc est, prædicatorum generum vel differentiarum) aliquid secundum ordinem prius vel posterius prædicetur vel ordinetur. Vt gratia exempli dicatur in diffinitione hominis animal mansuetum bipes, ita quod genus ponatur primo, & differentia communior: post hæc adiungatur minus communis: hic enim est debitus ordo partium diffinitionis. Et si dicatur bipes animal mansuetum, ita quod differentia (quæ per diuisionem exit à genere) ponatur ante genus; est indebitus ordo partium diffinitionis: quia sic partes non procedunt restringendo & coarctando diffinitum, & significatur actus esse ante potentiam in eodem, quod secundum ordinem naturæ non contingit.

Differentia diuisiua generis non debet poni ante illud genus in diffinitione.

Licet actus absolutè sit prior potentia, tamen in eodem est è conuerso, vt patet 3. metaph.

Et iterum ex hoc differentia est, quæ attendi debet, vt alia accipiat & colligat quæ sunt esse, & ex quibus est esse substantialiter, vt homo secundum substantiale esse, aut quodlibet aliud quod ex suis substantialibus habet esse: si enim alia accipiat per diuisionem, non valebit ad diffinitionem. Vnde siue propter quid, hoc est, per talia, necesse est diuidentem, hoc est, per diuisionem diffinitionem colligentem repetere, hoc est, quasi repetendo incidere de communiori ad minus commune. Quidam autem legunt petere: & falsa est litera.

Et iterum ex hoc, &c. Vide quid dicunt alij expositores circa hanc literam.

Amplius autem ad nihil, &c.

Amplius autem studendum est sic diuidenti ad nihil relinquendum de differentijs & generibus inferioribus quod sit tenendum in eo quod quid est, hoc est, in diffinitione: sic enim solummodo contingit: quia sic diffinitio sufficiens erit, neque abundans, neque diminuta. Hoc autem sic contingit, quòd in diffinitione aliquis vt diuidendum accipiat primum (hoc est, commune genus quod est prima potentia, & subiectum eius quod diffiniendum est) tunc illud diuidat per proximas & immediatas sibi differentias: si enim accipiatur primum genus, & sub illo accipiat non proximas (sed aliquius sub illo inferiorum generum) diuisiones & differentias, tunc primum genus cui non immediatæ differentiæ acceptæ sunt, non totum siue omne incidit in differentias diuidentis sub disiunctione acceptas. Cuius exemplum est, vt si animal accipiat sicut superius genus, & diuidat

CAPVT III.

De inueniendo diffinitione per diuisionem, & quòd vtilis est hæc via.

Sed diuisiones quæ sint secundi differentias, &c.

SEd quamuis dictum sit, quòd oportet venari diffinitionem substantialem per diui-

diuidat, ipsum per differentias suis (quod est genus sub animali acceptum) cum dicat sic: omne animal aut totum pennatum, aut diuisum pennis: tunc enim non totum animal secundum ambitum suæ communitatis cadit sub altero diuidentium: quia multa animalia sunt, nec pennata, nec pennis diuisa: sed conuerso omne pennatum, vel diuisum pennis, animal est, & non conuertitur: & ideo pennati animalis diuisio & differentia est quæ inducta est, & non animalis secundum quod in sua communitate animal diuiditur. Dicimus autem hoc diuisum pennis, hoc est, alis, quod alas habet pennis molles consitas: pennatum autem (hoc est, alatum) quod habet alas membranales ad modum vespertilionis, qui habet alas non consitas pennis diuisis. Prima autem differentia (hoc est, diuisio per differentias) est, in quam omne & totum animal incidit: sicut si dicatur, quòd omne animal aut est rationale, aut irrationale.

Similiter autem est, &c.

Similiter autem faciendum in vnoquoque aliorum generum vt scilicet non diuidatur his differentijs quæ sunt extra genus, & vt non diuidatur differentijs generum inferiorum quæ sunt sub generibus superioribus. Extra sunt dupliciter, scilicet quæ superiorum generis, vel quæ sunt per accidens. In eas autem quæ sunt inferioris generis, non totum incidet superius genus. Cuius exemplum, sicut si diuidatur hoc genus auis, in quod incidet omnis auis, siue pennata, siue diuisa pennis: & sicut est in pisce in cuius diuisione propria incidet omnis piscis. Sic quidem ambulans siue repens id quod est vere scire per quid est (siue diffinitionem) quando nihil relictum est sub alijs, quod per diuisionem non acceptum sit: aliter autem ambulantem necesse al qua de necessarijs ad diffinitionem relinquere: & hoc non est scire perfecte ea quæ pertinent diffinitioni.

Nihil autē oportet diffinientem, &c.

Nihil autem pertinet ad diuidentem & diffinientem scire omnia quæ per diuisionem accepta sunt: sed sufficit vt ea sciat, quæ essentialia sunt diffinito, & opposita illorum scire non oportet, neque quid sint, neque de quibus prædicentur, vel quorum sunt. Cum enim animal diuiditur in rationale, & irrationale, nihil erit hoc ad eum qui vult diffinire hominem, de scientia irrationalis: quia hoc non pertinet ad diffinitionem. Et tamen quamuis verum sit quod dictum est, sunt quidam errantes (& fuerunt Heraclitici discipuli & sequaces) qui dixerunt impossibile esse omnes differentias rerum diffinierdarum cognoscere, quæ differentiæ sunt vbiuscunque ad vnumquodque, nisi quis cognoscat vnumquodque: & dixerunt, quòd non est vnumquodque scire, nisi cognoscantur omnes differentiæ quæ quodlibet habet ad quodlibet. Et ratione illud probabant dicentes, quòd idem est illi vnumquodque, à quo non differt differentia: vt ergo cognoscatur determinatè in seipso diuinctum ab aliis, oportet omnes differentias ad alia omnia cognoscere: hoc autem est impossibile: ergo nihil potest cognosci per diffinitionem: quia à quo non differt, illi idem est: & à quo differt, ab illo alterum est, vt dixerunt.

Opinio Heraclitis & sequacium.

Ratio eorum.

Primū quidem igitur, &c.

Isti enim falsum dicunt, quòd oporteat omnes differentias cognoscere. Et primum quidem falsum est quod dicunt, per instantiam quæ est ad illos qui hoc dicunt: non enim quodlibet diffinitorum secundum omnem differentiam est alterum ab alio quod diffiniendum est. Non enim diffinitur nisi species: & multæ sunt differentiæ accidentis (in his quæ specie eadem sunt), quæ non sunt differentiæ secundum substantiam, neque per se prædicatæ de diffinito, sed per accidens: & illas non oportet scire: quia diffinitio non inducit nisi substantiam. Hæc tamen instantia est ad illos: quia illi dicebant omnes modos differentiarum oportere colligi in diffinitione.

Quasi dicat, quod ista ratio est ad hominem.

Postea alia & vera est instantia: quia cum per diuisionem accipiantur opposita (hæc est, oppositæ differentiæ) & cum omne siue totum genus, diuisum incidat aut hinc in istam differentiam, aut inde in aliam, & in altero diuidentium accipiat illud quod quæritur (hoc est, cuius diffinitio quæritur esse essentialiter) & hoc cognoscet quod essentiale est ei quod diffinitur, nihil differt oppositum & condiuidens scire, aut non scire in quibuscunque prædicantur aliæ differentiæ de alijs quæ sunt acceptæ oppositæ: quia illæ non sunt de substantia eius quod diffinitur. Manifestum est enim si sic vadens per diuisionem veniat ad vltimum in hoc, quorum non est amplius aliqua differentia in qua formaliter & substantialiter diuidatur: & constat, quòd non habebit (colligendo differentias diffinito essentiales cum diuiso genere) rationem substantiæ, hoc est diffinitionem totam substantiam diffinitam dicentem.

Postea si accipiatur opposita, &c.

Si autem aliquis dicat, quòd sic accipere diuidentia immediata, est petitio principij: vel si dicat, quòd ponere superius cum inferiori vocaliter (cum superius intelligatur in inferiori est repetitio nugatoria. Dicimus hoc non esse verum: quia via diuisiua non est per modum ratiocinationis: & ideò quia omnia superiora genera vel tota incidant in diuisionem, hoc est, diuidentes differentias (cum sint oppositæ immediatæ quibus nihil interest medium) non est principij petitio, sed collectio debita diffinientium: & cum diffinitio explicet dicat esse substantiale diffiniti, si hoc modo ponuntur explicitè diffinientia, non est inutilis repetitio. Necesse enim est omne vel totum diuisum in aliquo ipsorum diuidentium esse, siquidem diuidentia sunt ipsius diuisi differentiæ, totum posse diuisi sub diffinitione continentes.

Omne autē intendere & diuisionem, &c.

CAPVT IV.

Quot & quæ in diuisione sunt considerandа.

Ad probandum autem terminum, &c.

AD probandum autem terminum (hoc est, diffinitionem) per diuisiones, tria oportet coniecturari. Ad probandum autem dico, & vt pro medio per diuisionem diffinitio habeatur, & vt ostendatur perfecta esse diffinitio.

Primo

Primo quidem coniecturandum est, quòd accipiat talia prædicamenta (hoc est, prædicata) per diuisionem quæ prædicentur in eo quod quid est. Secundum autem est (quod coniecturandum est), quod hæc (quæ prædicantur in eo quod quid est) accipiat ordinatim, semper actum proximum cum proxima potentia ponendo, & semper minus commune est post magis commune ordinandum, & accipiat quid primum aut secundum, & sic de alijs. Et tertio commensurandum hoc esse hoc quod diffinitur, & nihil superfluum & nihil diminutum sit, quam quod hæc sunt esse diffiniti.

Semper minus commune est magis communi & ordinandum in diffiniendo.

Est autem horum primum, &c.

Est autem horum vnum primum quidem, quod prædicatum inesse & in quid prædicetur: hoc enim oportet considerari, & quod inest, & quod insit vt quid; vnde hoc primum (quantum ad inesse) oportet per artem indagare quam in topicis posuimus, sicut ad accidens esse: quia ibi docetur inesse simpliciter, quod oportet per methodum accidentis considerare & colligere, quoniam est & inest simpliciter: inquantum autem inest vt quid, oportet per methodum colligere de genere, quę in quarto traditur topicorum, & sic probare, quod prædicata insunt & in quid.

Ordinati autem sicut oportet, &c.

Id autem quod ad diffinitionem exigitur, est ordinare sicut oportet, quod fuit secundum enumeratum inter coniecturanda, si primum (hoc est, primitus) in diuisione & diffinitione accipiant genus communissimum, quod sicut prædicatum omnibus sequentibus inhæret. Illi verò vt subiecto non inhærent omnia. Necesse enim tale aliquid in omni coordinatione esse, quod de omnibus est communissimum. Hoc autem sic accepto secundo huius ordinis gradu, aliorum inferiorum primum illi adiungere oportet: quia in inferioribus idem modus est accipiendi quod secundum habentium (hoc est, consequentium) illi secundo immediatè adiungatur: remoto enim a diuisione, quia iam acceptum est & positum quòd est sursum (hoc est, supremum) quod per diuisionem non accipitur, sed in inferiora diuiditur: tunc post hoc aliorum inferiorum primum est accipiendum, & supremo coniungendum. Similiter faciendum est in omnibus aliis.

Quod autem omnia hæc sint, &c.

Quod autem omnia hæc simul collecta sint (quod tertium fuit inter ea quæ coniecturanda sunt) manifestum est ex eo quod recipimus primum secundum diuisionem quod est genus: quoniam totum simul cum primo genere acceptum, aut homo quidem diffinitum est, aut animal: homo quidem si species specialissima diffinienda est, animal autem si species subalterna. Cum autem hoc (quod additum est generi proximo) totius differentia, hoc est, generis, & quando simul congregatum est ex genere & differentia, à toto diffinito quod compositum est ex omnibus diffinientibus, specie & forma nihil differt: quia omnia quæ formaliter sunt in diffinito, simul colligit diffinitio.

Amplius manifestum: quoniam

Amplius autem hoc manifestum est: quoniam in diffinitione neque plus apponitur quam est in diffinito: omnia enim quæ sunt

neque plus apponitur, &c.

de numero eorum quæ sunt in eo quod quid est, accipiuntur, quæ ex tali diuisione colliguntur: neque a primo vsque ad vltimum talium minus pertransit quod relictum sit: si enim aliquid deficit, hoc est vtique aut genus, aut differentia: genus quidem non deficit: quia hoc primum est quod positum est & est acceptum, eius ante alia cum differentijs per ordinem secundum diuisionem acceptis sibi adiunctis: differentiæ autem omnes sub genere vsque ad speciem quæ diffinitur, continue acceptæ per diuisionem & collectæ continentur cum genere vsque ad diffiniti speciem: non enim amplius vltra speciem diffinitam sunt vltima, quæ sint speciem diffinitam vlterius diuidentia: si enim essent aliqua vlterius diuidentia formaliter id quod diffinitur, tunc sequeretur, quòd vltimum diffinitum (quod est species specialissima) differret specie, hoc est, quod prædicaretur de pluribus differentibus specie, quod est impossibile, cum sit species specialissima.

CAPVT V.

De inuentione diffinitionis passionis.

Quærere autem oportet, &c.

INtendentem autem ad inueniendam diffinitionem passionis, quæ non est vt ens stans per seipsum, sed sicut ens in hoc: quod inclinatum ad aliquid sicut ad subiectum in quo habet esse, oportet quærere (intendentem in similia & indifferentia specie) primum quæ per vnam naturam & rationem communem illam passionem participant: & oportet inspicere quid omnia illa in specie indifferentia idem habeant secundum quod insit eis illa passio communiter: quia secundum illud inerit eis illa passio. Postea autem iterum prospiciendum in alteris individuis, quæ cum primo consideratis individuis in eodem genere sunt & specie, quibus illi passio inest secundum alteram & alteram rationem inuentam in eisdem quæ cum primis quidem sunt idem specie, & illorum alteri inest per aliam rationem illorum siue ab illis, ita quod ista cum illis non participant illam passionem per eandem rationem. Cum autem in his (quæ illam passionem per vnam rationem participant) accipiatur quod omnia, siue quod in omnibus illis idem sunt, scilicet quæ illam passionem participant: & in alijs quæ illam passionem per aliam rationem participant, accipiatur similiter quæ eandem participant passionem. In acceptis sic dupliciter singularibus intendendum si sit idem quo illam participant passionem: & hoc quidem per omnia singularia sic faciendum est, semper à singularibus incipiendo, & resoluendo ad communem, quousque illud (secundum quod omnibus illa inest passio) veniat ad communem rationem illius secundum quod inest omnibus illis illamet passio: & quando congregata fuerint secundum quod inest passio,

hoc

hoc vtique congregatum erit illius diffinitio passionis.

Si verò non vadit, &c.

Si verò consideratis omnibus singularibus (& his quibus secundum vnam naturam inest, & his quibus inest secundum plures) non vadit per resolutionem in vnam rationem, sed in duas, vel plures rationes, manifestum est, quòd non vtique est vnum secundum naturam & nomen & rationem, quod quæritur diffiniendum (hoc est, passio diffiniendа) sed est plura secundum rem & rationem & nomen: vnde illa plura habet æquiuocè.

Vt cum dico, si quid est magnanimitas, &c.

Vt dico per exemplum, si quærimus, quid est per diffinitionem magnanimitas (quæ passio est magnanimi) intendendum in quosdam magnanimos, qui magnanimitatem per vnam & eandem participant rationem, quos scimus per eandem rationem esse magnanimos; & videndum quid vnum secundum speciem & rationem habent omnes secundum quod magnanimi sunt, hoc est, inquantum huiusmodi sunt, secundum quod dicitur Alcibiades magnanimus, aut Aiax dicitur esse magnanimus, aut Achilles, considerandum quid vnum secundum speciem & rationem sint, secundum quod dicuntur esse magnanimi: sicut quod est non tolerare iniurias, h. e. est, quòd iniuriati sint, & iniuriam non patiantur: quia videntur sibi indigni esse, quòd iniurias sustineant aliquorum: propter hoc enim quòd iniurias pateretur aliquorum Alcibiades, pugnauit & periculo bellorum se commisit. Ille verò Achilles infaniuit, indignans quòd iniurias pateretur. Hic verò tertius, Aiax scilicet interfecit seipsum, ne iniurias pateretur: & sic omnibus his magnanimitas inest secundum vnum & idem specie, quod est non posse tolerare iniurias.

Quomodo Alcibiades, Aiax & Achilles fuerint magnanimi.

Iterum in alteris, &c.

His autem consideratis iterum in aliis qui magnanimi sunt, non per eãdem rationem alicuius quod eis inest, vt in Lysandro & Socrate qui magnanimi esse dicti sunt, non per idem quo supradicti magnanimi esse dicti sunt: sed illi indifferentes specie ab illis, quod & illi & isti homines fuerunt: & dicuntur magnanimi, quod prosperati & improsperati indifferenter se habuerunt, nec prosperis elati, nec improsperis & infortuniis deiecti fuerunt. Hæc igitur duo, scilicet eundem animum in prosperis & aduersis habere, & iniurias non posse sustinere, intendendo quid idem habent secundum quod inest vtrique his magnanimitas: aut quid idem habent impossibilitas deiectionis animi quæ est circa fortunas prosperas & aduersas, aut non tolerantia iniuriarum quæ fuit secundum quod dicebantur magnanimi tres primi inducti: & si hæc in vno aliquo conueniant, sicut in amplitudine animi contemnentis minorantia. Si verò nullum sit in quo ista conueniant: tunc duę vtique erunt species magnanimitatis, & non habent nisi nomen vnum æquiuocè de illis dictum. Si autem omnibus his commune secundum quod magnus & non minoratus attenditur animus: tunc vna ratione & nomine vniuoco participant magnanimitate: hoc enim vnum quod in illis est vniuersale secundum quod ineſt illis magnanimitas, & semper hoc danda est magnanimitatis diffinitio.

Semper enim est omnis diffinitio vniuersalis, &c.

Semper enim in demonstratiuis omnis diffinitio est vniuersalis: cuius probatio est: quia & medicus assignans oculi passionem quæ est sanabile, non dicit (hoc est, non diffinit) sanabilitatem prout est in quodam oculo, & quædam sanabilitas: sed aut dicit eam prout in omni vniuersaliter, aut diffinit eam secundum se, sed non secundum accidens: aut diffinit tantum in specie vniuersaliter determinans, hoc est, diffiniens ipsam. Sed à singularibus inspiciendum est si per vnum aliquid conueniat omnibus: quia facile (hoc est, facilius) est diffinire (hoc est, vniuocationem nominis & rationis inuenire) in singulari quam in vniuersali: inquantum enim aliquid communicat nomine, plus appropinquat vniuersali quam singulari, & plus conuenit cum æquiuocis quam singulare: & ideo vnitas naturæ (secundum quam inest passio in vniuersali) minus videtur. Vnde, vt videtur, oportet in consideratione talium diffinitionum à singularibus in singularium inspectione ad vniuersalia procedere, & sic vniuersale inuentum diffinire: & namque hoc est: quia æquiuocationes magis latent in vniuersalibus quam in his quæ differentia numero sunt & singularia. Et hæc ratio iam dicta est.

Æquiuocationes plus latent in vniuersalibus quam in singularibus sicut in demonstrationibus oportet, &c.

Sicut enim in demonstrationibus oportet syllogizari esse aliquid vel non esse secundum complexionem certam & determinatam in esse & substantia: hoc autem conuenienter erit si per ea sigillatim inspecta quæ singularia sunt in vnoquoque genere vel specie secundum aliquam passionem diffiniri studeant separatim inspecta, in quo illam passionem participent. Cuius exemplum est si simile vel similitudo diffiniri debeat (quæ est passio eandem qualitatem habentium) non statim diffinietur vt omne est (siue prout in omnibus est) sed inspicitur primo simile prout est in coloribus, & prout est in figuris. Et si acutum debeat diffiniri, inspicitur primo prout est acutum in voce, & prout est in angulis, & prout est in saporibus, & sic in singularibus inspecta passio est: & viso secundum quid est in singulis, tunc & ascenditur in commune quod est vniuersale, ab aliquo timente ne æquiuocatio contingat in communi nisi per singula inspiciatur. Si autem ita procedat, non erit ambigua diffinitio: ambigua enim esse non debet in demonstratiuis: quia si in demonstratiuis non est disputare (hoc est, demonstrare) metaphoris (hoc est, ambiguis) multipliciter per similitudinem aliquam factis: sic neque quæcunque dicuntur (hoc est, diffiniuntur) dici vel diffiniri debent in metaphoris siue ambiguis: si enim aliquid in metaphoris diffiniatur, necesse erit etiam disputare (hoc est, demonstrare) in metaphoris: quia diffinitio est medium demonstrationis & principium.

Sic igitur colligitur diffinitio passionis quæ dicit quid tantum passio, quæ est ex communibus quæ considerat logicus. Diffinitio enim passionis quæ dicit quid & propter quid, quia est propria scientiæ metaphysicæ, refer

Remouet dubium.

reseruanda est ei. Hæc autem ars tradita est in adinuentionem diffinitionis, quod quid inest vt diffinitio ad determinationem problematis de diffinitione pertinet: & hæc reseruanda est dialectico topico in sexto topicorum.

CAPVT VI.

De inuentione propter quid siue causæ in demonstratione particulari.

Vt habeamus autem proposita, &c.

VT autem habeamus proposita (hoc est, causam in qualibet quæstione demonstrabili nobis expositam, siue factа nobis, propter quid hæc passio insit subiecto, vel propter quid non insit) eligere oportet, hoc est, electione vnam diuisionem vtilem alteri in vnum præoptare: quia, sicut diximus, non omnes diuisiones ad hoc sunt vtiles: oportet ergo eligere decisiones vtiles ad inutilibus. Decisiones autem dico totius integri diuisiones, in quibus aliquandò per partem aliud demonstrat inesse toti, vt crispitudo demonstratur inesse homini propter caput quod crispum est. Diuisionem autem voco quæ fit diuisione totius vniuersalis in partes suas subiectiuas. Sic ergo oportet primo eligere diuisiones & decisiones vtiles ab inutilibus, si veram causam in quæstionibus propositis volumus inuenire. Si autem electis decisionibus & diuisionibus (in quas diuiditur propositum genus vel propositum totum) oportet eligere genus subiectum, quod subiectum communiter est omnibus diuidentibus quæ per diuisionem electa sunt, quod est commune omnium illorum, & illud inuenire: vt si quædam sunt quæ considerantur per diuisionem animalia, hoc est, species animalium, quarum nulla est subalterna: sed ex æquo diuidunt genus, oportet & eligere talia qualia essentialia & per se insunt omni animali, hoc est, animali vniuersali vniuersaliter considerato: de illis enim consideratio est vtilis: quia quæcunque participant aliquod genus commune, participant omnia consequentia illius generis per illam communem naturam generis, & illa communis natura generis erit causa participandi consequentia ad illam naturam. Vnde si animalia sunt quæ considerantur per diuisionem acceptа & propositа, accipiendum est animal quod est genus commune omnibus istis, & considerandum qualia insunt animali secundum quod est animal, hoc est, tales passiones eligendæ sunt, & causæ quæ sequuntur essentialia animalis in eo quod est animal, & non in eo quod est hoc animal vel illud in specie cõsideratũ vel indiuiduo. Acceptis autem his per electionem, tunc posteà considerandum est de reliquis quæ sub animali per diuisionem sunt accepta, & considerandum qualia illi etiam inhærent, quod vt species vel genus proximum sub animali communi acceptum est. Vt si gratia exempli, acceptum sub animali est

Quæ dixit decisiones & diuisiones.

auis, considerandum est qualia (hoc est, quales passiones & passionum causæ) omni auí inhærent, & non huic vel illi tantum: & sic semper descendendo à communi ad proximum sub illo, considerandum est & videndum est quid sequatur ad illud in communi acceptum: sic enim manifestum est & hoc erit, quoniam habebimus iam dicere causam per se propter quid insunt esse quæ speciebus animalis per diuisionem dicuntur inesse vt passiones: quæ passiones sunt reductæ sub commune quod est animal. Vt verbi gratia, habebimus dicere causas vel causam propter quid hæc quæ inhærent homini, insunt aut equo: insunt enim his propter hoc quod animalia sunt: quorumcunque enim est vna natura communis, illis insunt omnia quæ sunt consequentia ad illam naturam.

Sit autem animal in quo a, &c.

Hoc autem si ad demonstrationem in terminis communibus debeat reduci, ponamus quòd a. medium in tali demonstratione sit animal: quia animalitas est causa inhærentium animali. b. autem (quod est maior extremitas) sit ea quæ inhærent animali vt passiones. c. d. e. minor extremitas sint quædam animalia in specialissimis considerata, quorum nullum est sub alio, sed omnia coæquatа sub animali accepta & diuersa: de quolibet in propria natura particulari accepto debet demonstrari passio proposita, sicut si dicatur, quòd c. d. e. sunt homo, leo, & equus. Manifestum igitur tali dispositione terminorum facta propter quid vt causam est b. passio in d. hoc est, in leone: quia propter hoc quod d. est a. Similiter autem manifestum est propter quid idem b. est in aliis, scilicet c. & e. quæ sunt homo & equus: cuilibet enim illorum inest propter a. sic enim syllogizatur: omne a. est b. omne c. a. ergo omne c. b. In terminis autem specialibus: omne animal sensibile: omnis homo animal: ergo omnis homo sensibilis. Et est demonstratio particularis: quia id de quo probatur passio, in particulari & propria natura est consideratum: talis enim (vt dudum determinatum est) vocatur particularis demonstratio. Similiter autem considerandum est in aliis communibus sub illo communi primo acceptis, & semper in aliis subdiuisis communibus acceptis deorsum à communi prædescendendo: quia in illis omnibus est eadem ratio quoad hoc, quod acceptis inferioribus & considerato quod cuilibet inest & non tantum vni: hoc enim commune sequitur ad ipsam rationem proximæ communis naturæ quæ est in eis.

Nunc quidem igitur &c. ea quæ, &c.

Nunc quidem igitur in hac arte inueniendi causam dicemus communia nomina generum, & per illam naturam generis omnibus communem talibus insunt eis: & quamuis de communi hoc dicamus, tamen oportet non solum considerare communia secundum naturam, sed etiam considerare in ea quæ sunt communia ex accidente naturali: quia in illis hoc commune & naturale accidens erit causa quare insit passio, quæ sub illo communi sunt accepta. Vnde considerare etiam oportet si aliud aliquod commune accipiatur secundum accidens commune pluribus: tunc enim oportet

tet considerare in suis partibus, scilicet specialibus sub illo communi proximo acceptis: hoc enim inerit eis secundum illud commune accidens. Vnde oportet accipere qualia sunt illa quæ hic per diuisionem accepta sub communi sequantur omnia communiter: hæc enim omnia ab illo accidente communi causantur.

Vt cornua habentia, &c.

Exemplum, sicut si sub animali accipiamus cornua habentia siue cornuta: omne enim cornutum, animal: sed non conuertitur: omne autem cornutum sequitur habere plures ventres, & sequitur non in vtraque mandibula, superiori scilicet & inferiori dentes anteriores esse qui incisores vocantur: & hæc reducenda sunt in proximum commune, quod est cornua habere siue cornutum esse: quia illa omnia sequitur habere plures ventres & dentes incisores in mandibula superiori non habere: sic enim manifestum est propter quid hoc quod dicitur, quod est passio talis, est in illis quæ per diuisionem sub illis accepta sunt, sicut in ariete, boue, & ceruo, & hirco, & huiusmodi: syllogizando sicut prius: propter idem enim quod est in particularibus omnibus (sicut propter habere cornua siue cornuta esse) inest eis talis passio qualis est plures ventres habere, & carere anterioribus dentibus in superiori mandibula. Propter quam autem naturam particularem hoc sit in hoc & illo animali, ad scientiam libri animalium pertinet subtiliter probare. Sed in communi duos ventres habent animalia dentibus carentia, quibus (vt durus cibus conteri possit ad minima) his natura dedit ventrem vnum in quo cibus non sufficienter diuisus traiiciatur & mollificetur, à quo primo quum mollificatus est, reuocetur, quibus talibus dentibus existentibus mollis cibus conteratur, & tunc in secundum ventrem, qui est stomachus, traiiciatur ad dirigendum.

Quare animalia cornuta propter carentiam dentium in superiori mandibula habituarunt duos ventres.

Debilium autem dentium in superiori mandibula & aliquando deficientium est vt frequenter causa euaporatio materiæ terrestris (ex qua dentes generari deberent & fortificari) in cornua: hæc tamen ad scientiam libri animalium pertinent, & hic gratia exempli inducti sunt ponenda. Sic igitur per commune accidens particularibus demonstrantur inesse passiones illius communis.

Amplius alius modus, &c.

Amplius autem quia commune aliquando non est vt genus, neque sicut commune accidens, sed potius aliquando commune secundum analogiam siue secundum proportionem, ideò alius modus est aliquando commune secundum analogiam eligere quod omnibus insit in propria natura & particulari sub illo communi acceptus. In aliquibus enim est accipere vnum quod sit omninò idem in natura vel accidente vniuocè, sicut patet in eo quod (quia proprium nomen non habet) oportet vocare sepion, & est loco ossis in pisce qui sepia vocatur, & spinam piscis & os animalis terrestris: hæc enim non possunt habere aliquod vnum quod vniuocè dicatur de illis: quia sepion carneæ est substantiæ, compositionis magis continuæ & flexibilis: os autem magis durum & non flexibile & non passibile. Sunt tamen quædam passiones quæ sequuntur etiam huius ratione communis quod per analogiam est in eis causa huius quod est in eis, sicut vna natura per analogiam ad vnum, sicut quod est continere mollia corporis ne decidant.

Eadem autem proposita, &c.

Eadem autem proposita (hoc est, passiones propositæ) sunt omnia hæc consequentes, quæ quidem idem habent medium in communi analogo, hoc est, eandem causam: quia medium est causa per quam causam syllogizantur omnibus subiectis in esse, & est duricies vel soliditas in sepion, & spina, & osse: omnia hæc dura sunt, & per hoc continent mollia ne decidant, & syllogizatur sic: omnia quæ dura habent in mollibus, habent ea vt contineant mollia: sepia habet sic dura: ergo, &c. Similiter est de pisce & spina, & terrestri animali & osse. Amplius autem talia communia (per quæ particularibus probantur inesse passiones illud commune consequentes quod vnum est in particularibus in propria natura acceptis) diuersimodè sunt: horum enim quædam sunt eadem genere, vt primo inducta, homo, leo, equus, & quæcunque habent differentias proprias constitutiuas specierum: ex quo communi deriuata sunt aliorum specialium: aut aliter sunt per analogiam vel per accidens commune, sicut illis quæ dicta sunt, sepion, spina, & os: quibus commune est contrarius status: sistunt enim omnia hæc & continent mollia in contrario statu: natura enim mollium est concidere deorsum, & illa tenent ea ad situm membris proportionatum. Et in vno communi genere sunt vel secundum analogiam communem echo, iris, & idolum in speculo apparens: omnia enim hæc tria idem medium quod est causa proposita & quæsita: in genere enim illius sunt vnum: omnia enim ista repercussio vel reflexio sunt: sed sunt specie altera: quia repercussio idoli est reflexio ad speculum, echo reflexio soni ad solidum planum concauum, iris autem reflexio luminis solis ad aquosam nubem soli secundum situm appositam.

Echo, iris & imago speculi, sunt vnã in genere analogo, scilicet in reflexione.

Alia autem ex eo quod mediũ, &c.

Alia autem de numero oppositorum differunt in hoc quod medium & causa (propter quam probantur inesse his quibus insunt) est subalternum medium positum quod est causa causæ vel medij: vt si quæratur, propter quid Nilus finiente mense quando luna deficit (quia de mense lunari intelligitur) magis fluit? respondetur propter illud quod vernior (hoc est, humidior & calidior) est finis lunaris mensis: quia vernum tempus est calidum & humidum, & calidum plus mouet ad fluxum, humidum autem ministrat materiam. Et hoc est sub alia causa & medio: vt si quæratur, propter quid est vernior finis mensis? & respondetur, quod hoc est propter hoc quod luna deficit: quia in defectu luna soli coniungitur, & solis coniunctione iuuatur à sole per calorem vt magis fluat humidum maiori calore motum, & defectu lunæ augetur humidum: & sic Nilus & alia humida magis fluunt: hæc enim (scilicet lunæ defectus & fluxus in augmento Nili) sic habent adinuicem, quia vnum est sub altero sicut sub medio & causa. Causa autem fluxus Nili (vt dicit Aristot. in capitulo de Nili inundatione) est, quòd terra circunstans Nilum vndique

Quare Nilus magis fluit in fine mensium.

Quare fines mensiũ sunt calidiores & humidiores, & quare tũc humida magis fluunt.

vndique calore ex defectu lunæ destituta non trahit à Nilo humidum: & ideo non diminuto humido in fine mensis plus inundat. Aliis autem remotionibus cum lunæ lumen exhaurit, humidum minus fluit. Hæc autem ad physicum pertinent. Et quod alij huius alias assignant causas, fallum est, & contra Aristot. qui Aristot. ista (quæ dicta sunt) dicit.

CAPVT VII.

Dubitatio de habitudine causæ ad causatum, & è conuerso causati ad causam.

ANtequam autem determinemus artem inueniendi medium propter quid in demonstratione vniuersali, mouenda est dubitatio ex cuius determinatione hoc totum ostenderur, qualiter in demonstratione vniuersali medium propter quid inueniatur.

De causa autem & cuius est causa, &c.

Dicimus igitur mouendo dubitationem, quòd de causa propter quid & de eo cuius causa est, dubitabit aliquis quærens & dicens, nunquid cum est causatum siue effectus, est causa? hoc est, nunquid causato posito statim ponitur causa? Cuius exemplum est, vt si folia fluunt de arbore, quod est vnus effectus in naturalibus: & si deficit luna, quod est alius effectus in astronomicis: quod statim scilicet positis illis causatis, ponantur necessario & causa deficiendi lunam, & causa folia cadendi posito casu foliorum, ita quod causa erit si effectus erit: vt si huius effectus qui est folia fluere, causa quidem est lata folia habere: & si alterius effectus (qui est lunam deficere) causa est terram interpositam in medio esse inter lunam & solem: vtrum scilicet, posito effectu in esse statim sequatur causam esse? Si enim non effectibus positis ponitur causa: tunc sequitur, quòd non est ista, sed alia quædam erunt causæ ipsorum: quia in demonstrationibus loquimur de causa, ex se, ad quam de necessitate sequitur effectus, & è conuerso sequitur per consequentiam effectus ad causam: & ideo si non sint simul causa & causatum, quòd posito vno ponatur & alterum, sequitur si iste effectus non habebit per se hanc causam, quòd vtique habebit causam aliam: oportet ergo simul causam esse & causatum, & posito vno ponitur reliquum: vt si in medio inter solem & lunam recto diametro est terra, sequitur quòd luna deficit: aut si ponitur, quòd latum folium est, quod illa folia fluunt: & sic posita causa ponitur effectus. Si autem sic est, quòd causa ponit effectum, & effectus ponit causam: tunc sequitur, quòd causa & effectus simul vtique erunt: & sic demonstrentur per alterum, hoc est, per se adinuicem, ita quod vtrumque per alterum.

Sit enim folium fluere in quo a. &c.

Cuius exemplum est in terminis communibus, quòd causatum demonstretur per causam: sit enim folium fluere (quod est maior extremitas & effectus medij) in quo est a. latum autem folium habere (quod est causa & medium) sit in quo est b. vitis autem subiectum & minor extremitas, cui inest passio in quo est c. Et arguatur sic: omne b. a. omne c. b. ergo omne c. est a. Omne enim latum habens folium, folia fluit. b. autem medium est causa huius; & hoc est in minori: quia vitis habet latum folium, propter hoc sequitur, quòd vitis folio fluit in conclusione: & sic probatur effectus per causam.

Sed quoniã latus foliis, &c.

Sed etiam è conuerso erit demonstrare causam per effectum, sicut quod vitis latis foliis sit, probatur per hoc quod folio fluit. Sit enim d. maior extremitas quod est habere latum folium, e. autem medium sit folio fluere: vitis autem subiectum & minor extremitas sit in quo est z. Patet igitur, quòd in z. est e. quod est folio fluere, omnis enim vitis fluit. In e. autem est d. omne enim folio fluens, latum habet folium: concluditur causa per effectum sic: omne quod fluit folio, latum habet folium: omnis vitis folio fluit: ergo omnis vitis latum habet folium. Causa autem consequentiæ & non consequentis (quæ est medium) est folio fluere.

Si autem non contingit causas, &c.

Si autem hic forte vellet aliquis concedere hoc, quòd sic posset fieri in demonstrationibus, in contrarium huius est, quòd in demonstrationis causa prius sit in eo cuius est causa: & si deficiendi quidem causa est, in medio inter solem & lunam recto diametro terram esse, non est causa deficere: siquidem igitur demonstratio propter quid est, tunc erit per id quod vere est causa consequentis, sicut patet in priori demonstratione. Si verò non est per causam veram consequentis, sed est per causam consequentiæ tantum (cuiusmodi causa est effectus) tunc est demonstratio quia, & non propter quid, quæ non est demonstratio potissima: per talem enim demonstrationem cognouit aliquis, quòd terra est in medio inter solem & lunam, sed non cognouit per causam propter quid, sed per effectum. Quod autem id quod est deficere lunam, non sit causa huius quod est terram in medio esse, sed hoc quod est in medio solis & lunæ esse terram, sit è conuerso, causa lunam deficiendi, manifestum est: in ratione enim diffinitiua dicente causam propter quid eius quod est lunam deficere, est id quod est terram in medio solis & lunæ esse, & non è conuerso: propter quod manifestum est, quòd per hoc quod est terram in medio esse sicut per causam, id quod est lunam deficere, cognoscatur demonstratione propter quid, sed non hoc per illud, hoc est, terram in medio esse per id quod est lunam deficere.

Aut contingit vnius plures, &c.

Sic ergo quæstio est, si causa ponit causatum determinatè, & causatum ponit determinatè causam? Disputetur autem ad vtramque partem: & primo, quòd causatum positum non determinatè ponit vel concludit causam. Et namque si est vel contingit idem (hoc est, eandem passionem) de pluribus subiectis prædicari à quo immediatè erunt ponamus, quòd a. passio sit esse in b. sicut in subiecto primo & immediato: & eadem passio a. sit in c. alio subiecto sicut primo & immediato: & b. sit in d. & c. sit in e. ita quod d. sit passio eius quod est b. & e. sit passio eius quod est c. Hac dispositione sic facta sequitur, quòd a. sit in d. & in

e. & causa quare sit in d. est b. & causa quare idem a. sit in e. est c. & sic eiusdem essent duæ causæ: quia causæ eius quod est d. essent b. & c. quia a. erit in d. & in e. & quod est in d. huius causa est b. & quod est in c. huius causa est c. a. enim, sicut posuimus, est passio quæ est in duobus subiectis primis. Ex quo patet, quòd bene sequitur, si causa est, causatum est: sed non sequitur e conuerso, si causatum est, quòd sit diffinita & determinata causa: sed sequitur, si effectus est, quòd aliqua causa est: sed non sequitur, quòd sit omne illud quod est determinata huius causa: & sic videtur, quòd non semper cum effectu sit causa, & quod causa determinata semper sit simul cum suo effectu, quod est vna pars quæstionis propositæ, negatiua scilicet.

Aut si semper est vniuersale, &c.

Ad oppositum autem, hoc est, ad partem affirmatiuam sic obiicitur. Oportet concedere dictam rationem, quòd non semper sequitur causa diffinita ad effectum determinatum: aut dicere oportet, quòd si oppositum (hoc est, quæstio proposita) ad demonstrandum semper est vniuersalis alicuius & de vniuersali, quod secundum ipsum de omni & semper est: & sic causa totum quoddam est secundum indiuisum in causando, & id cuius causa est (hoc est, causatum) & sic æquiua & conuertibilia sunt causa & causatum. Cuius exemplum est, sicut si dicamus hanc passionem quod est foho fluere, in toto quodam vniuersali subiecto determinatam esse, quamuis illius totius vniuersalis fortè sunt species quædam, quibus non primo ineat passio: & dicamus, quod ista ineat illi subiecto vniuersaliter, omni scilicet & semper. Igitur si sic ineat: aut ineat plantis in eo quod plantæ sunt vniuersaliter: quod non est verum de hac passione, quæ est folio fluere, nisi per accidens: aut ineat huiusmodi plantis determinatis, succum scilicet aqua facile condensabilem per frigus partium constringens habentibus: & hoc est verum. Et si plantis ineat, hoc est per consequens: quia tales plantæ sunt. Propter quod in talibus vniuersaliter propositis medium (quod est causa) oportet æquale esse (hoc est, conuertibile) cum maiori extremo, quod est passio vel effectus, cuius illud medium est causa, & oportet conuerti cum ipso. Vt si gratia exempli quæratur & sit quæstio proposita, propter quid arbores folio fluunt? Si igitur propter densitatem, hoc est, succum facile frigore ipso condensabilem huiusmodi folio fluit arbor, oportet densitatem, hoc est, plantam facile in succo condensabilem esse causam: si tamen verè siue causa nunc vera densitas (hoc est, succi densabilitas) non est in qualibet arbore, siue folio fluat, siue non: quia si in talibus ineesset, non est conuerti: sed si in arbore folio fluente: tunc enim conuertitur cum effectu. Hæc enim disputatio est quæstionis tam ad partem negatiuam, quam ad partem affirmatiuam.

***

CAPVT VIII.

De determinatione quæstionis inductæ.

HAnc autem quæstionem determinare cupientes resumimus adhuc quæstionem vt melius intelligatur determinatio. Est igitur hæc quæstio, vtrum in demonstratiuis contingat eiusdem effectus & vnius non eandem esse causam cum effectu conuertibilem, sed alteram, aut hoc non contingat? Ad hoc autem dicimus, quòd siquidem per se fiat demonstratio, ita scilicet quòd passio per se demonstretur de subiecto per se & per causam per se, & fiat demonstratio secundum accidens (hoc est, per medium accidentale) quæ est demonstratio vera & potissima, non potest esse, quòd idem habeat plures causas, & quòd causa diffinitè & determinatè non sequatur ad effectum determinatum. Si verò non sic est demonstratio, sed per medium accidentale, vel signum, quæ est demonstratio non potissima: tunc contingit in his quibus passio ineat vt duobus primis subiectis, vt præhabitum est. Est autem in demonstratiuis causam, & id cuius est causa siue effectum aliter considerare secundum accidens: hoc enim sæpè contingit quamuis tale accidens intendatur ad ea quæ proposita sunt, & pertinent essentialiter ad demonstrationem: & tunc aliquantulum aliter se habebit causa ad causatum, ita quod posito causato non diffinitè ponitur causa. Si autem non sit secundum accidens, sed per se & per suam substantiam sit causa: tunc penitus similiter (hoc est, in habitudine vna) se habebit medium ad extremum quod causatum est, ita quod sicut est vnum, ita est alterum, hoc modo quod secundum eandem adinuicem se habent habitudinem, ita quod siquidem æquiuocum est medium quod causa est, & causatum erit æquiuocum. Si verò medium est sicut in genere vno, cuius ratio vna & vniuoca est, similiter se habebit effectus, ita quod vnius generis & vniuocus est. Si autem medium est analogum secundum proportionem ad vnum in multis generibus vel speciebus acceptum: tunc etiam effectus vel causa erit analogicè in multis, sicut in passione quam dudum in terminis habitis posuimus, proportionale quod est commutabiliter, est in multis, scilicet in numeris & lineis & tempore & motu & ponderibus & multis aliis, & est in numeris primo, in aliis autem secundum proportionem ad numerum.

Vtrum autè contingat non eadem causam, &c.

Si ergo quæratur, propter quid commutabiliter proportio est in istis? medium (quod est causa in hac quæstione per demonstrationem determinanda) est analogum commune omnibus istis secundum analogiam ad numerum. Alia enim causa in particulari accepta huius demonstrationis est in numeris, & alia particulariter accepta in lineis, licet in communi proportio sit ad vnum, inquantum est linea secundum se particulariter accepta, alia est causa & diuersa. Inquantum autem linea est quantitas

tas per diuisionem numeri suscipiens proportionale augmentum, sic secundum analogiam eadem causa est talis passionis & in numeris & in lineis, sicut & in omnibus aliis in quibus attenditur communicatio proportionis.

Similem autem esse colorem, &c.

In æquiuocis autem exemplum est, vt similem esse colorem colori & figuram figuræ, aliam oportet ponere causam in similitudinibus in coloribus, & aliam in figuris: quia similitudo in figuris & similitudo in coloribus diuersa sunt, non analogica, neque æquiuoca: & ideò aliud & aliud medium oportet dare: nec habebit hoc vnum nomen non æquiuocè: & quod illud medium est causa, ideò causa erit æquiuoca. Similiter similitudo est æquiuocum in omnibus diuersis similitudinibus, & in diuersis hæc quidem similitudo quæ est in figuris vel figuratis inquantum vnius figuræ sunt, & analoga (hoc est, secundum idem proportionata) habere latera, & habere æquales angulos: quia figuræ similes sunt, latera & angulos habentes æquales secundum proportionem vnius ad alterum. In coloribus autem simile vel similitudo est habere sensum vnum formalem secundum vnum & idem specie subiectum, aut aliud aliquod huiusmodi in vna qualitate acceptum: & ideò simile in coloribus & figuris est æquiuocum: & quæ passiones secundum analogiam eædem sunt, plerumque illæ etiam in demonstratione qua demonstrari debent de communi illorum subiecto, medium habebunt commune secundum analogiam. Hæc autem omnia ideò dicta sunt, vt sciatur quæ passio vniuoca vel analoga vel æquiuoca de quo subiecto & per quam causam habeat demonstrari.

Habet autem sic consequi causam, &c.

Et gratia huius materiæ dicimus, quòd causa & causatum sic se habent secundum consecutionem adinuicem, & etiam subiectum in quo causa est & de quo per causam passio habet demonstrari. Hæc autem habitudo talis est, quòd accipiente aliquo vnumquodque subiectum particulare cui ineat passio & causa passionis, semper passio & causa passionis est in plus quam illud particulare subiectum. Sicut patet in hac passione, quòd est interiores & exteriores quatuor angulos rectis æquales habere: est enim passio quadrati & quadranguli & trianguli: & ideo in plus est, quam particulare subiectum quod est triangulo esse, aut quam in hoc particulari quod est esse in quadrangulo. Si autem accipiatur hoc in quo omnia hæc sunt: tunc sunt in æqualibus: ita quòd subiecto quod secundum ipsum illi passioni subiectum est, æquale est, & non est in plus vnum quam alterum: si enim hoc accipiatur cui secundum se ineat passio, tunc essent æqualia: sicut si dicatur, quòd omnis figura in qua linea super lineam cadens, constituit angulos exteriores & interiores his subiectis & supra quatuor recta, æquales sunt, tunc illud subiectum & medium & passio similiter, hoc est, æqualiter est, quia conuertibilia erunt: cuius æqualitas causa est: quia medium dicens quid & propter quid, est ratio diffinitiua primi termini, hoc est, passionis, quæ in demonstratione secundum verum est primus & maior terminus: quia non subiicitur, sed prædicatur tantum. Prædicatum autem est in ratione primi, & ideo conuertitur cum passione: & cum subiectum sit causa dicens propter quid & in diffinitione dicente quid & propter quid, conuertitur etiam hæc cum subiecto vniuersali quod secundum seipsum subiectum est. Et sic maior extremitas & medium & subiectum in tali demonstratione (quæ potissima est) conuertitur. Ex tali enim medio quod est primi termini ratio, omnis scientiæ conclusionum demonstratiuarum fiunt in his demonstrationibus, quæ perfectæ & potissimæ demonstrationes sunt, sicut folia fluere (quæ est quædam passio communis relata ad subiectum, sicut dictum est) sequitur particulariter ad vitem, sicut ad subiectum particulare, & excellit eam, quia in pluribus est quam sit vitis: & similiter sequitur ficum sicut particulare subiectum, & excellit eam, quia in pluribus est quam ficus: sed non excellit omnia simul accepta in illo quòd verè est subiectum, & in quo omnia particulariter accepta vniuntur, sicut in vniuersali quod est causa talis passionis.

Si enim accipiat aliquis primum & immediatum medium siue causam, quod medium ei sit aliquis, &c.

Si verò accipiat aliquis primum & immediatum medium siue causam, quod medium est: vera ratio siue causa fluendi folia: tunc non excedit nec passio subiectum, nec causa causatum: quia tunc primum tale subiectum erit etiam in altera particularia subiecta medium, & erit causa per quam etiam collecta simul sunt vnum subiectum immediatum talis passionis. Cuius exemplum est, quòd accipiatur tale generale medium ad hanc passionem, folia fluere, sicut est cuius succus ad frigus facilè densatur: huius enim facile fluunt folia: aut aliud aliquid accipiatur ex huius similibus quod sit vniuersale subiectum huius passionis, & quod secundum ipsum subiectum sit: sicut si quæratur, quid secundum subiectum & causam est folio fluere planta? & respondetur causa quare talis passio est in subiecto, dicendo quòd folio fluere per causam & subiectum est densari (hoc est, densabile esse) in contactu ad porum arboris vnum folium semen vel succum trahit: ibi tamen in poro densato humido, constringitur porus, & constricto poro cadit folium.

CAPVT IX.

Quod in demonstratione quæ est per accidens & particularis vel vnius passionis, possunt esse plures causæ.

QVamuis autem in demonstratione quæ est per se, & primo demonstratio vnius causati, non possit esse nisi causa vna: tamen in demonstratione quæ dicitur per accidens (quæ demonstrat passionem de subiecto particulari) vna & eadem passio siue effectus de pluribus subiectis particularibus demonstratus, causas potest habere plures in istis subiectis acceptas. Et hoc quidem in figuris quan-

tum

In figuris autem sic assignabit, &c.

tum ad dispositionem terminorum ad dispositionem figuræ ordinatorum in figura prima sic aliquis assignabit satisfaciendo per figuram syllogismi quærenti: us consecutionem causæ & effectus huc eius cuius causa est, verum scilicet semper vnica causa sequatur vnicum effectum vel non? sed vnius effectus possunt esse plures causę in subiectis diuersis. Sit enim a. maior extremitas & passio quæ sit in omni b. medio quod est causa passionis in proprio subiecto. b. autem medium (quod est causa) sit vniuersaliter in vnoquoque eorum quæ sunt d. quod est minor extremitas, ita quod medium vniuersaliter insit omnibus contentis sub d. tunc patet per syllogismum, quòd a. maior extremitas in conclusione vniuersaliter erit in ipsis omnibus quæ sunt d. sic: omne b. a. omne d. b. ergo omne d. a. Hoc autem hic dico explanando vniuersale quod non conuertitur, hoc est, quod non conuersim prædicatur de subiecto: sed prædicatur de ipso sicut superius de inferiori: & hoc est quando passio communis prædicatur de subiecto particulari, sicut fluere folio, prædicatur de vita: quia quamuis omnis vitis sit folio fluens, non tamen omne folio fluens est vitis: omnia autem talia particularia reducta in vnum commune subiectum & in illo simul accepta, prædicantur de passione conuersim: & hoc est quia extrahuntur à particularibus subiectis ad commune quod per se talis passionis est subiectum: sed omnia sigillatim accepta non nisi particulariter prædicantur de illa communi passione, & excedunt ab ipsa: quia prædicatum in plus est quam subiectum. Tali autem dispositione terminorum posita, quòd a. sit in ipsis d. (hoc est, omnibus subiectis quæ sunt sub a.) causa est medium b. oportet igitur, quòd a. extendatur secundum communitatem in plus quam b. (hoc est, quod passio in plus sit quam particularis causa passionis) quia b. non est causa a. secundum totum ambitum ipsius a. sed tantum secundum hoc quod a. est in d. b. enim est causa inhærentiæ, quòd a. est in d.

Si verò aliquis diceret, quòd non est in plus, sed in æquè: tunc cum medium in prima figura accipiatur supra subiectum & sub prædicato, & sic causa est medium: tunc quæremus, quid hoc est quare vel propter quid, hoc, scilicet b. magis est causa illius, quòd a. insit d. quam è conuerso, quòd a. esset causa qua b. est in d. & non esset rationem assignare: quia in conuertibilibus vtrumque subiicitur alteri & prædicatur de altero: oportet igitur secundum dispositionem primi modi in prima figura maius extremum in plus esse quam medium. Vlterius quia a. medium positum est esse in pluribus particularibus subiectis quam in d. in quo est per b. medium & causam, sit aliquod subiectum particulare in quo est a. communis passio, ita quod a. sit in omnibus particularibus subiectis ipsius e. & prædicetur de omni e. & concludi poterit de e. sicut de d. concluditur: oportet igitur, quod omnia quæ sunt e. & de quibus prædicatur e. sint vnum & vnita in aliquo vno quod sit medium & causa particularis per quam concluditur a. de e. vniuersaliter, & quod illud medium sit aliud quam b. quia quod passio aliqua communis insit duobus diuersis specie particularibus sub iectis, non potest esse vna & eadem causa propria, cum causa passionis de propriis & essentialibus subiecti sumatur: & iam positum sit, quòd subiecta particularia sunt specie diuersa.

Si autem aliquis diceret cauillator, quòd hoc quod dictum est, non est verum, scilicet quòd a. per vnam & propriam causam insit verique subiecto: tunc quæramus ab illo, quomodo potest esse verum, quod verum siue vere & propriè sit dicere &, demonstrare, quòd a. sit in omni eo in quo est e. hoc est, quomodo per propriam causam potest concludi vniuersaliter de e. in quo e. non est d. sed diuersum specie ab ipso? Et causa propria sumitur de propriis subiectis, cum e. non prædicetur de omni in quo est a. quia non prædicatur de b. cui tamen omni inest a. erit igitur alia causa propter quid dicens, quòd a. sit in omnibus quæ sunt d. oportet igitur considerare in talibus si illa quæ sunt d. erunt aliquod vnum secundum quod inest eis passio a. quod est medium per quod concluditur a. de d. Sit illud e. per quod a. est in e. & sic causa est quare a. sit in d. b. & c. causa est quare a. sit in e. a. autem est idem & vnum specie, sicut folio fluere, vel longæ vitæ esse. Sic igitur eadem specie non specialissima, sed communi, contingit in pluribus subiectis particularibus particulari demonstratione plures causas esse, qua demonstratur inesse diuersis quod in vniuersali & potissima demonstratione non contingit: & hoc est quod iamdudum diximus, quòd augentur demonstrationes, non per media, hoc enim verum est de vniuersali demonstratione: non tamen contingit plures causas esse passionis acceptæ secundum eandem speciem specialissimam: quia ex illa non potest sumi causa diuersa secundum speciem.

Quomodo vnius speciei plures possint esse causæ.

Huius autem exemplum in terminis præhabitis hoc est, vt hæc passio, longæ vitæ esse, demonstretur de quadrupedibus & de auibus vt de subiectis specie diuersis. De quadrupedibus quidem per causam quæ est non habere choleram dissoluentem complexionem & consumentem naturale & radicale humidum. De auibus autem per alteram causam, quæ est volatilia propter generationem pennarum sicca esse, & habere humidum non facilè putrescibile: propter hoc quod non vincit in eis humidum. Et sic eadem passio (quæ est longæ vitæ esse) aliam causam habet in quadrupedibus, & aliam in auibus. Idem ergo dicto modo plures habet causas in demonstratione per accidens & in particulari: & hoc est quod probare intendimus. Sic ergo se habet in causis in vniuersali & in particulari demonstratione immediatis.

Vt longæ vitæ esse, &c.

Si autem causæ quæ sunt media demonstrationum sunt mediatæ, & non statim (hoc est, immediatè) veniunt in atomum (hoc est, immediatam & indiuisibilem causam) quæ vlterius in aliam diuidi non possit: & non solum nec vnum medium inter subiectum & passionem

Si autem in atomo non statim, &c.

passionem vel inter extrema, sed plura sint media ordinata secundum vnam & eandem coordinationem, & sic sint plura media & causæ plures: tunc aliquis quæret, quæ sit habitudo istarum causarum adinuicem? Et dicemus ad hoc, quòd qualis vel qualiscunque causa de numero mediorum (quia quælibet est medium quod est vniuersale, hoc est, ad vniuersalem passionem propinquior) illa est in hoc ordine mediorum causa prima, & infert omnes alias sequentes: aut quæ in eodem ordine est ad singulare subiectum propinquior, illa est magis propria, & per illam magis propriè passio de particulari subiecto demonstratur.

Manifestum igitur quòd magis proximæ, &c.

Ex quibus manifestum est, quod vnicuique sibi proxima causa est sibi magis causa & propria: primum quidem, quòd aliquid sit sub vniuersali cuius est passio per se, est causa illa quæ est prima, & iuxta vniuersale proxima, sicut diximus b. causam esse propter quam a. est in d. quod autem est in c. causa est ipsius b. si b. causa mediata dicatur esse c. igitur prima causa est, quòd a. sit in d. quod autem sit in c. causa est b. quod autem sit in b. non est alia causa, sed eadem illa est prima & immediata.

De syllogis. igitur & demonstratione, &c.

Epilogando ergo omnia quæ à principio libri priorum dicta sunt vsque huc, dicimus, quòd de syllogismo quidem igitur in lib. priorum, & demonstratione in hoc libro posteriorum quid per diffinitionem & substantiam vnumquodque horum est, & quomodo sic est vt determinatur in partibus & passionibus, & quomodo sit & generetur vnumquodque istorum ex suis principiis, per dicta manifestum.

Scientia demonstrationis est idem demonstrationi sicut eius effectus.

Similiter autem iam determinatum est de scientia demonstratiua: quia illa idem est demonstrationi: quia est effectus ipsius notus ex ipsa determinatione demonstrationis.

Subiectum quod in demonstratione potissima est vltimum, secundum ordinem naturalem est primum.

Attendendum autem, quòd quamuis in syllogismo secundum ordinem naturalem maior extremitas primum, & medium sit positione medium, & secundum & minus extremum ordine naturali sit vltimum: tamen in demonstratione potissima secundum ordinem naturalem è conuerso est ordo: quia subiectum quod est minor extremitas, secundum ordinem naturalem est primum: quia hoc est in diffinitione quæ dicit propter quid vt principium ipsius: & diffinitio dicens propter quid quod medium est secundum primum subiectum, & diffinitio passionis dicens quid est passio, & passio quæ est maior extremitas secundum ordinem naturæ est vltimum. Propter quod non oportet tradere artem venandi propter quid: quia diffinitio dicens propter quid, semper continet subiectum in scipsa, & scitur quod per subiectum vel aliquod subiecti principium habetur. Nec oportet logicum descendere ad docendum qualiter in diuersis scientiis diuersimodè per propter quid demonstretur vel per causas: hoc enim & metaphysici est & illi relinquendum: & quantum ad communiter consideranda pertinet, satis scitur quod iam determinatum est, qualiter per causas singulas & omnes est demonstrandum. De syllogismo ergo & demonstratione satis dictum est.

TRACTATVS V.

De cognitione principiorum demonstrationis.

CAPVT I.

An sint in nobis cognitiones principiorum, aut non.

De principiis autem quomodo sunt cognita, &c.

QVIA cognitio demonstratiua ex cognitione principiorum generatur, oportet hîc de principiis ostendere duo, scilicet qualiter sint cognita à nobis, & quis specie & nomine sit ea cognoscens habitus. Hoc autem hinc & ex hic dicendis manifestum, ita quod primum per modum dubitationis inquiramus de illis tanquam nobis dubitantibus ad vtramque partem contradictionis rationes ponentibus. Supponamus igitur ea quæ circa libri primi huius scientiæ principium sunt demonstrata: horum autem vnum est, quòd quidem non contingit scire aliquid per demonstrationem, si aliquis non cognoscat prima principia immediata quæ demonstrari non possunt: hoc enim dictum & probatum est prius in anteriori istius scientiæ libro: oportet ergo immediatorum principiorum cognitionem esse ante demonstrationem, ex quo est cognitio talis in omni demonstratione supposita, eò quod non nisi ipsa causa existente incipit demonstratio. Et ex quo est talis cognitio, aliquis dubitabit, & iam dubitare potest, vtrum cognitio principiorum eadem est cum cognitione demonstrationis siue demonstratiuæ scientiæ vel non: & hoc est dubitare, vtrum vtrisque, scilicet cognitioni demonstratiuæ & principiis sit eadem scientia vel habitus, vel non est eadem cognitio vtrisque, sed diuersa: aut quidem demonstratæ conclusionis habitus est scientia: illius autem quæ est principiorum cognitio, alterum aliquod genus habitus sit, qui dicatur propria principiorum cognitio. Hæc est ergo quæstio de principiis determinanda.

Et verum cum non insint, &c.

Alia autem sive secunda est, vtrum principiorum habitus cum insint nobis, vtrum fiant & generentur in nobis: cum autem non fuerint in nobis, aut non generentur in nobis, sed insint per naturam, & nos lateant donec excitati studio percipiamus eos in nobis esse? hoc enim orsit Plato in lib. qui Menoni inscriptus est. Hanc ergo secundam quæstionem, quantum ad propositum sufficit, prius vt negatiuam partem determinemus: tunc enim ostenderur qualiter cognitio principiorum fiat in nobis.

Opinio Platonis in Menone, quòd habitus principiorum sint in nobis per naturam.

Siquidē igitur habemus ipsos, &c.

Dicamus igitur, quòd si nos habemus ipsos per naturam existentes in nobis secundum cognitionem intellectiuam, videtur accidere inconueniens. Est enim inconueniens si nos habentes talem cognitionem in nobis hoc lateat: quia contingit, quòd certissima & certissimorum cognitiones (ex quibus omnia alia certa fiunt nobis) sint in nobis, & habeamus eas: & tamen demonstrantes ex illis ipsæ nos lateant: quod esse non potest, cum ex illis demonstret aliquis omne quod demonstrat: omne enim quod demonstratur, refertur ad cognitionem principiorum, & certificatur ex illa & ad illam. Si autem detur alia pars quæstionis, quòd scilicet eas cognitiones principiorum accipimus generatas & factas in nobis, cum ante in nobis non fuerint tunc quæratur, qualiter cognoscimus cognitionem talem, & qualiter addiscimus tales cognitiones, cum non simus habentes prius cognitionem aliquam priorem ista: tunc enim illorum cognitio non potest referri ad aliquid in nobis vnde probemus hanc cognitionem esse principiorum cognitionem: & tunc scientia talium generatur in nobis non ex præexistente cognitione: hoc autem impossibile est, sicut diximus in primo libro de demonstratione & scientia demonstratiua. Hæc autem ratio est cui maximè innitebantur Socrates & Plato supponentes, quòd nihil inuentum cognoscitur inuentum nisi per suum simile, quando intellectus inueniens refertur ad simile quod apud seipsum habet: & si non habet ad quod referatur, non cognoscit se inuenisse: propter quod omnium inuentorum & acceptorum per doctrinam oportet apud nos esse similes cognitiones, vt dixerunt.

Ratio Socratis & Platonis tollens scientiam de nouo.

Manifestum igitur est, quoniã, &c.

Manifestum igitur si declarari debeat hæc quæstio, quoniam neque per naturam habere possibile est principiorum cognitionem omnino & perfectè, neque possibile talem cognitionem in nobis fieri ignorantibus ignorantia negationis, ita scilicet quòd neque vnum (hoc est, nullum) apud nos habeamus habitum ipsorum, ex quo cognitionem principiorum accipiamus.

Necesse est itaque habere, &c.

Ante cognitionem ergo principiorum necesse est habere quandam potentiam ad huiusmodi, quæ (inquam) potentia habitualis sit & disposita ad principiorum acceptionem, sicut inferius ostendemus: & necesse est nos non huiusmodi habere cognitionem vel potentiam intellectiuam, quæ vt cognitio quædam illis simul sit in nobis per naturam: quia illa talis, aut esset cognitio actualis principiorum, aut esset honorabilior quam cognitio principiorum in eo quod per illam cognitionem principiorum acciperemus, sicut honorabiliorem dicimus esse cognitionem principiorum, quam cognitionem scientiæ demonstratiua: eo quod scientiam demonstratiuam accipimus per principiorum cognitionem: & ideo certiorem & honorabiliorem dicimus cognitionem principiorum. Hæc autem potentia quæ est nobis, est potentia quidem sensus, qui videtur omnibus inesse animalibus, quamuis perfectiori potentia secundum ordinem & gradus cognitionis sit in quibusdam quam in aliis: habent enim omnia animalia potentiam quandam primo cognoscibilium iudicatiuam præsente materia, quam nos vocamus sensum communiter loquentes, non secundum quod est sensus simpliciter, sed secundum quod est animæ & animali cognitionis indicatiuus, & ad animam & animal relatum, cui talem indicat cognitionem in ipsis sensibilibus apprehensam, quæ potentia sit sensibilium cognitione, compositione, & diuisione, & collatione, & iudicio eorum quæ cum sensibilibus accepta sunt, quando completa est sensitiua potentia, & contingit finem debitum: ad hoc enim natura data est vt ex apprehensis nociuum ab vtili discernat, ad fugam vel ad consecutionem apprehensi.

Cum ergo ineſt sensus, secundum diuersas ineſt potentias: in quibusdam animalibus enim sic ineſt, quòd vis sit mansio sensibilis, accepto etiam abeunte sensibili, sicut in his quæ cum sensu proprio & communi habent potentiam imaginatiuam & æstimatiuam & phantasiam & memoriam. In aliis autem animalibus quibusdam non sit talis mansio sensibilis, sicut quæ sensibile non accipiunt nisi præsente sensibili, vt sunt muscæ quædam & parui quidam vermiculi solo sensu vigentes, & forte parua imaginatione. In quibusdam igitur non sit mansio sensibilis: aut omninò, ita quòd nullo modo manet in absentia sensibilis: aut fortè si manet, non manet secundum aliquid, vt scilicet æstimetur æstimatione & iudicetur de ipso aliquid: in his enim non sit aliqua cognitio iudicatiua vltra sensum, hoc est, conueniens in sensu: & ideò ad sensum ita fugiunt vel insequuntur apprehensa. In quibus autem ineſt mansio sensibilium in absentia sensibilis; in illis est vel contingit habere vnum quoddam in anima reseruatum ex similibus sensibilibus generatum, ad quod conuertuntur illa animalia, etiam absente sensibili, & hoc dicunt esse memoriam, quæ thesaurus est formarum sensibilium prius acceptarum in potentiis sibi adiunctis, quæ sunt imaginatiua, phantasia, & æstimatiua. In anima autem rationali & homine coniuncta huic potentiæ est reminiscentia & rationalis in sensata reflexa, & iudicans de ipsis.

Quum autem ineſt sensus, &c.

Multis igitur talibus similiter per sensum acceptis & in anima manentibus iam fit quædam differentia, quæ ad sensibile differt: quia accipitur similitudo essentialis sensibilium, quæ vniuersale differens à sensu & sensibili: propter quod in his (scilicet sensatis) ita manētibus, est (vel contingit) quædam fieri ratione reflexiua ad sensibile manens & eliciente quod vniuersale

Multis igitur factis huiusmodi, &c.

vniuersale est. Fit autem hoc ex talium sic inanentium in anima memoria per rationem collata. In his autem animalibus in quibus sensibilia talibus potentiis obiecta non manent, non fit taliter vniuersalis differentia.

Ex sensu igitur fit memoria, &c.

Patet quidem igitur, quòd ex sensu fit memoria, sola mansione sensibilis in anima: ex memoria autem multoties facta fit experimentum siue compositio experimentalis: & hoc dupliciter, quod si fiat multiplex acceptio similis sensibilis, & semper iudicatiua potentia accipiatur esse ad hoc vel illud conferens vel nocens, vel quod hoc ex illo est consequens: tunc fit experimentum. Iterum si semel tantum fit acceptum & iudicio inuenatur in omnibus similibus idem, iterum factum est experimentum. Experimentum enim est vniuersalis cognitio ex similitudine sensibili accepta per potentiam iudicatiuam: multa enim sunt experta per vnam sensibilem cognitionem, quando statim videtur, quòd in omnibus est simile: multæ enim memoriæ numero experimentum faciunt: sed multitudini numeri (maximè in numero conuersionum rationis super hoc quod in memoria reseruatum est, & in iudicio quod in omnibus quæ vel sunt actu multa vel potentia) est simile: experimento autem, aut ex omni si in omnibus expertum est, aut in pluribus accepto per rationem vniuersali quiescente in anima, hoc est, cum ita quieuerit, quòd non inuenitur aliqua instantia, qua fiat contradictio contra ipsum: tunc enim quiescit & non aliter, quod sit vniuersale. Vnde vniuersale secundum sui naturam simplicem est vnum præter multa, quamuis secundum esse sit in multis vt similitudo essentialis in eis, quod scilicet quiescens in anima in omnibus acceptis per sensum, cum vnum sit & simpliciter in essentia & effectu, idem illud per rationem est artis principium & scientiæ: artis quidem inquantum est vnitiuum præceptorum ad vnum operationis finem: quia ars operationis est directiuus cum ratione habitus. Scientiæ autem, inquantum est vnitiuum principiorum ad finem speculatiuæ veritatis: quia scientia est veritatis contemplatiuæ demonstratiuus habitus. Vnde siquidem vniuersale illud accipitur circa generationem (hoc est, operationem) principium est artis. Si verò vniuersale accipitur circa principium ipsius rei esse, tunc est principium scientiæ: quia eadem sunt & essendi & cognoscendi principia.

Experimentum quid, & quomodo multa sunt experta per vnam sensibilem cognitionem.

Quomodo vniuersale est principium artis & scientiæ, diuersimodè tamen.

His ita habitis ad dubitationem de principiis inductam dicimus, quod principiorum cognitiones non sunt in nobis vt determinati ad sua cognita habitus & perfecti: neque fiunt in nobis per inuentionem vel doctrinam ex aliis habitibus cognoscibilium, ex quorum fiant præexistenti cognitione: sed fiunt in nobis à sensu, hoc est, à sensibili cognitione stante in anima, super quam est conuersio rationis iudicantis & elicientis vniuersale, sicut dictum est. Huius autem simile in monomachia sive bello quod est duellum, in quo pugnat vnus contra alterum, quod monomachia vocatur. In tali igitur monomachiæ euersione (hoc est, quando euertere vult hostem) cum vno primum stante alter accedens ad illum & adiuuans similiter armis & pugnat, stetit, & tertius cum duobus, & quartus, & sic de aliis donec hostis expugnatur, & quousque tot sint quod confortati adinuicem veniant ad principium pugnæ. Similiter est in anima, quòd stante vna acceptione sensibilis stat altera, & tertia: & cum anima his acceptionibus confortati talis fit, quòd post ex acceptis incipit ponere vniuersale quod est principium artis & scientiæ.

Neque igitur determinati sunt habitus, &c.

Vt autem omnem remoueamus dubitationem, quod iam olim in metaphysicis dictum est, iterum dicamus hic: non enim saris certo dictum est per antehabita, nisi dubitatio quæ oriri posset, remouetur. Dicimus igitur, quòd stante siue manente in anima vno indifferentium sensibiliter deceptorum, quæ in vniuersali vno indifferentia sunt: tunc statim ad primum quidem (quod stat in anima) est vniuersale. Et namque huius ratio est: quia sensus est & sensum accipere est vniuersale, quod mixtum & confusum est in singularibus: quamuis enim sentire, secundum actum sit singulare, tamen sensus (hoc est, acceptio per sensum) est ipsius vniuersalis: sicut acceptio per sensum non est tantum Calliæ hominis, sed est acceptio hominis. Talis autem est sensus per accidens qui ex reflexa ratione ad sensum mixtum in sensibili accipit vniuersale adiutorio superioris potentiæ: & hoc acceptum manens iterum ratione stat in his vniuersalibus ad vniuersaliora semper resoluendo quæ in sensibili mixta sunt, sicut resoluendo speciem ad genus, & genus resoluendo in generalius, quousque sic vniuersalia accepta stent ad impartibilia per resolutionem: & hæc sunt vniuersalia prima & generalissima omnibus priora, sicut huius animalis considerati in hac specie fit resolutio quousque veniat ad animal simpliciter, & in hoc similiter fit, quousque stet in primo vniuersali communissimo & simplicissimo.

Quod autem dictum est olim, &c.

Similiter quidem ex his quæ dicta sunt, patet quòd prima vniuersalia manifesta fiunt nobis singularium & sensibilium inductione: talia enim sic primum cognoscere est necessarium: cuius ratio: quia sensus (hoc est, sensibilium inductio) cum in omnibus similiter est, facit vniuersale. Sic igitur patet qualiter vniuersalia principalia fiant in nobis.

Et hoc similiter manifestum est, &c.

CAPVT II.

Quis principiorum cognoscitiuus habitus.

Quoniam autem circa intelligentiam, &c.

Secunda quæstio de principiis fuit, quis sit principia cognoscens habitus? Dicimus igitur ad hanc quæstionem determinandam, quoniam autem circa intelligentiam habituum (quibus de re verum dicimus) alij quidem semper sunt veri, alij autem quidem aliquando recipiunt falsitatem, quæ uis vero per eos dicere intendamus, vt opinio quæ aliquando falsa est, & ratio (hoc est, ratiocinatione de singularibus accepta conceptio) quæ frequenter fallit.

Et

Et hæc ratio à quibusdam cogitatio quasi coagitatio vocatur, proprie per discursum rationis de quibusdam singularibus æstimatio. Vera autem & veri habitus sunt semper scientia & intellectus. Et cum scientia sit habitus demonstratæ conclusionis ex principiis quæ demonstratione certiora sunt, & nihil sit certius scientia quam intellectus, & principia demonstrationum notiora sunt ipsis demonstratis omnibus, scientia autem omnis cum ratione est collativa, sequitur quod principiorum cognitio & habitus cognoscens ea, non est scientia: quia collativus habitus non potest esse eorum quæ indemonstrabilia sunt. Quoniam autem nihil contingit in habitibus verius esse scientia (hoc est quam scientia) & nihil scientia quam intellectus ex quo accipitur scientia sicut ex principio, intellectus utique erit & vocabitur principiorum cognoscitivus habitus. Et hoc patet omnibus ex his quæ dicta sunt considerantibus: quia ex quo sumit et verus est & non scientia est, sequitur quod sit intellectus: cum sapientia non sit in habitibus secundum proprietatem accepta, quæ non est nisi in summis & difficillimis hominibus cognoscitivis: tunc sequitur necessario, quod intellectus habitus principiorum cognoscens est.

Quod intellectus sit habitus principiorum.

Et quod demonstrationis sit principium, &c.

Patet etiam si considerantibus, quod quidem intellectus principium demonstrationis sit & non demonstratio: quia neque scientiæ principium est scientia. Sequitur nihil aliud vel nullum aliud genus habitus habemus, quod sit secundum sententiam ad ipsam relatum sicut principium ad principiatum, quod sit semper dicens verum, nisi intellectum, sequitur quod intellectus utique erit habitus qui est scientiæ principium. Hoc autem omne (quod de intellectu & demonstratione dictum est) similiter se habet in communi ad omne genus rerum, hoc est, ad omnem rem scitam in omni scientia: in omnibus enim scientia conclusionum causatur a cognitione intellectuali principiorum: & in hoc una scientia non differt ab alia.

Hoc autem aliter exponit Alpharabius, dicens, quod sequitur, quod intellectus scientiæ principium, & est principium principiis, hoc est, vniuersalibus quæ sunt artis & scientiæ principia. Hoc omne quod vniuersale et acceptum similiter se habet ad omne genus rerum particularium: quia vniuersale similitudo vna est in particularibus accepta. Determinare de his virtutibus intellectualibus cum subtilitate pertinet ad 6. ethicorum: quia hoc ex logicis subtiliter determinari non potest. Verum scientiæ & intellectus sint in nobis per naturam vel non, ad secundum pertinet ethicorum, & ad primum Philosophum in 5. vbi stabilit existentias prædicamentorum.

Exclusio Alpharabij.

Sic igitur finis sit posteriorum analyticorum. Si autem in hoc non subtiliter procedimus transponendo sententiam in syllogismis, nemo miretur: his enim pauperibus in religione positis studemus, quibus simul ordinationem literæ Aristot. & ipsam scientiam tradere studemus, vt in eo labore & scientiam habeant, & etiam notitiam literæ Aristot. Nec difficile putamus quamlibet sententiam in syllogismum ponere: hoc enim modicam vel nullam habet difficultatem: vt si tunicam quis vendat pro quinque, & dicat: quicquid in lana & opere valet quinque, pro quinque vendendum est: tunica in lana & opere valet quinque: ergo pro quinque vendenda est. & addat huius rationis positæ conclusionem, & tacet maiorem & minorem, quia manifestæ sunt.

Excusatio Auctoris.

LIBER I.

TOPICORVM.

CAPVT I.

Proœmium D. Alberti.

Nota continuationem huius libri ad præcedentes.

DE syllogismo & syllogismi generatione secundum formam (quæ est figura & modus secundum ordinem & dispositionem terminorum & resolutionem syllogismi in ea quæ formalia sunt in ipso, quæ est resolutio sua prima, & in principalia formalia quæ sunt syllogismi inquantum est syllogismus, & non sunt syllogismi huius, aut illius) determinatum est. Et quoniam omnis syllogismus est ex principiis conclusionis, & hæc principia oportet esse nota: eò quod per syllogismum non possit aliquis venire in notitiam ignotæ conclusionis nisi per nota: nota autem principia maximè in demonstratione: & iterum quia consequentia quæ est in syllogismo, in demonstratione accipit firmitatem: ideo post hoc de posterioribus resolutoriis oportuit determinari. Et quia syllogismus demonstrativus addit supra consequentiam syllogismi, etiam consequentis necessitatem, quæ sciri non potest nisi per resolutionem consequentis in principia ipsius. His ergo iam declaratis, ad syllogismum

Compar Boetium & Cicerone in topica sua.

syllogismum dialecticum accedendum, qui diminuit à consequentis necessitate: quia probabile ex probabilibus syllogizatum, consequentis non habet necessitatem. Propterea in scientia logicali scientia libri topicorum post librum posteriorum est ordinanda.

Cum ratio differendi, quam veteres Peripatetici logicam siue rationalem scientiam vocauerunt, diuidatur per scientiam inueniendi, & scientiam iudicandi; & iam de generatione syllogismi & iudicio habitum sit & determinatum (in quo est perfecta consequentia ipsius, & esse suum perfectissimum) consequens esse videtur de his etiam determinare, in quibus non perfectè attingit suæ consequentiæ vltimum. Et hoc resolutoriè & iudicatiuè tradi non potest: quia propriè resolutio non est in imperfectum: sed potius inuentiuè tradendum est, eò quod ignotum quidem in hoc negotio ex probabilibus & verisimilibus commixtum est coniecturationi, & non habet consequentiæ perfectam rationem. Omnis autem ratiocinatio coniecturationi mixta, inuentionis modo fit, & non per iudicium & resolutionem. Cum ergo logica complectatur vtrumque, id est, inuentionem & iudicium: & cum tradita sit ars iudicandi & de consequentia in prioribus, & de consequente in posterioribus: & per hoc sciamus syllogismum esse perfectam ratiocinationem, per quam ignotum cognoscitur per notum: superest, vt de inuentione dicamus vt partes logicæ perfectè cognoscantur.

Quare hæc ars non fuit resolutoria.

Quare hic liber topicorum vocatur.

Oportet igitur vt in hoc negotio topicè procedatur, ostendendo in quibus rerum habitudinibus, vt in quibusdam locis claudatur ignoti notitia, quod scire desideramus: propter quod etiam hæc scientia liber topicorum vocatur. Cuius quidem materia & subiectum est syllogismus topicus siue dialecticus: qui ideo topicus dicitur: quia à locali habitudine rerum adinuicem trahit suæ consequentiæ necessitatem. Et ideo dicitur dialecticus: quia procedit ex probabilibus, quæ in consequentia syllogistica (in qua principia ad conclusionem referuntur) mixtam sibi habent coniecturationem ex probabilibus & habitudine rerum adinuicem. Hic tamen syllogismus postquam visus & inuentus est, eorum vsum habet circa probabile, hoc est, quæstionem ex communibus terminandam. Ex communibus autem dico, quæ vel in pluribus vel in omnibus inueniuntur, non profundata in ipsis, sicut profundantur propria & essentialia, sed quæ apparent in superficie statim, quamuis ex ipsis propria possint coniecturari, propter id quod verè probabilia aliqualiter pertingunt in profundum ad propria sicut signa propriorum.

Subiectum libri huius.

Quomodo syllogismus topicus est ex communibus.

Quomodo syllogismus dialecticus est subiectum huius libri: probabile autem est materia circa quam versatur subiectum huius libri.

Et ideo quamuis syllogismus dialecticus in se & in vsu huius scientiæ subiectum sit de quo probantur passiones: tantum probabile est, & subiecti materia, circa quod talis est syllogismus: & ideo propriè loquendo syllogismus est subiectum: & quia syllogismus est vt instrumentum quo idam deueniendi de noto ad ignotum, & omne instrumentum circa aliquam habet fieri materiam in quam motu artificis inducit formam, ideo probabile est materia subiecta circa quam est operatio huius syllogismi, & non est subiectum de quo probantur passiones. Omnis enim ratio qua aliquid differitur, de logica est & logicæ pars, siue sit dissertio per syllogismum simpliciter, siue per syllogismum demonstratiuum, siue per dialecticum, siue etiam sophisticum. Et ideò logica non perfectè traditur nisi omnis modus, & omnis species differendi determinetur.

Causa efficiens scientiæ dialecticæ & syllogismi dialectici.

De causa autem efficiente aliquid dici non oportet, nisi quod cum omnis scientia, & omnis ars ab inuentione rationis procedat, processus iste proculdubio ratiocinatiuus est, secundum quod Isaac diffinit rationem, quòd ratio est vis animæ intellectualis habituatæ, & habituantis, procedens ex causa in causatum. Propter quod dicit Dyo. quod discursus est disciplinæ rationis: simplex autem veritatis intuitus, est intellectus: syllogismus secundum quod est syllogismus, rationis est actus: & quia prima conuersio rationis (vt ratio) est ad principia, & principia sunt ipsius intellectus & intellectualia, ideo primus syllogismus ex intellectualibus procedens est demonstratio, quæ est rationis actus, & inuentio secundum conuersionem rationis ad intellectum & habitum intellectualem, qui per naturam est quodammodo intus, sicut habitum est in fine libri posteriorum. Secunda autem conuersio rationis est ad res circa quas est ratio negotians scientiam ignoti. Ea autem quæ primo occurrunt rationi in rebus, vt probatur in principio primi physicorum, sunt communia, non propria. Et ideò talis ratio primo considerans hæc communia, & habitudines earum adinuicem perpendens ex principiis quæ intus habet, propria causa efficiens est syllogismi dialectici secundum quod primò est illa scientia ex inuentione: & hæc est propria causa efficiens talis scientiæ: quia etsi homo sit inueniens, non tamen inuenit nisi per taliter (vt dictum est) dispositam rationem.

Habitus intellectualis, id est, principiorum principiorum, est quodammodo in nu, & ideò forte dicitur intellectus.

Tex com. 4. Concludit quæ sit causa efficiens syllogismi dialectici.

Via doctrinæ & forma huius scientiæ.

Forma autem scientiæ istius, cognoscitur in scientiæ diuisione, quæ est singulis tractatibus, partibus, & capitulis perpendenda: & hæc quidem forma doctrinæ, etiam habet modum & diffiniendo & diuidendo, & exempla etiam subiungendo: sed iste doctrinæ potius est quam scientiæ modus.

Finis scientia huius.

Finis autem infra determinabitur, qui est finis scientiæ: est tamen finis quidem scientis potius quam scientiæ, qui est, vt idoneus fiat sciens ad ea quæ sunt illius scientiæ, & perfectus in illis: & hæc cognitionis est facultas eorum quæ traduntur. Propter quod oportet cognoscere circa quæ est hæc scientia, & qua forma, & qualiter fiat vt generetur in eo qui accipit scientiam de istis. Et primum est probabile. Secundum autem scientiæ forma. Et tertium est instrumentum quod est syllogismus topicus siue dialecticus.

Propositio huius libri ad totam philosophiam.

Ex hoc quam patet, quòd ista scientia sub illa parte philosophiæ est, quæ logica vocatur. Et ideò potius est philosophiæ & philosophandi modus, quam philosophia, nisi philosophia

losophia largo modo sumatur, vt modus philosophandi est ipsa philosophia: sed de hoc alibi satis dictum est.

Nomen libri vel tituli.

Titulus qui est quasi radius illuminans ea de quibus agitur in scientia, est. Incipit liber topicorum: eo quod topos Græcè, est locus Latinè: & id quod docetur in hoc libro, est qualiter ab hac tudine locali trahatur consideratio ad problematis determinationem.

Dialectica duplex, scilicet docens & utens.

Est autem memoria tenendum (quod alibi dictum est) quod scientia dialectica siue de syllogismo dialectico, & est docens, & est vtens: eò quod per doctrinam acceptum est. Et quod omnis scientia docens modo demonstrationis traditur: quia aliter ex doctrina certus & stans habitus non generatur: & vtrumus nec scientia esset, nec doctrina. Vtens autem eo quod per doctrinam acceptum est, scient a est coniecturis mixta, & ex habitudinibus localibus coniecturis & rationis trahens considerationem.

Vtilitas huius scientiæ.

Vtilitas autem est ad talia perficere ratione intellectualibus informata, & ad exteriora reperta sciendarum coniecturis. Dicit enim Victorinus, quod natura in talibus facit habilem, ars autē & scientia facilem, vsus facit potentē: propter quod perfectio naturæ est in scientia & arte quæ sunt virtutes intellectuales, & vltimū in bono intellectus vel rationis illius de qua dictum est. Perfectio autem scientis est in vsu & exercitio: quia (sicut dicit Philotophus) exercitium est causa potentiæ siue facultatis: quia facultas nihil aliud est quam facilis potestas, quæ de facultate habitus quando vult actum elicit & operatur non impedit. Hæc ergo sufficiant ad dicendorum præhuationem. Sed addendum hoc esse videtur, quia sicut in aliis, sic & hic etiam studebimus ad facilem explanationem, & non aliorum quæ obiici possunt, solutionem: quia etiam ipsa quæ ab Aristotele in hac scientia tradita sunt, non magnam habent difficultatem: quia de talibus non est subtilis ratio requirenda.

Hoc facit pro tenentibus hos ipsū præcedere libros resolutorios.

CAPVT II.

Prœmium operis.

Propositum quidem negotij, &c. Quare dixit negotij & non negotiū.

Dicamus ergo prœmialiter incipiendo, quòd propositum quidem negotij, siue quod proponimus tradere in hoc negotio, quod logicum est. Et ideo id quod tradendum est, est pars negotij logici: quia propositum quod hic proponimus, non totum negotium logicum est, sed negotij illius aliquid & aliqua pars eius. Propter quod etiam non dicitur actualis operatio & diligentia circa ea de quibus intenditur. Hoc ergo propositum huius & talis negotij logici, est hic inuenire methodum, qua poterimus syllogizare de omni problemate ex probabilibus. De qua methodo iam instructi, etiam nos ipsi respondentes disputationem dialecticam suscipientes, nihil dicemus repugnans ad methodum secundum ipsius traductionem & principia.

Quomodo nomen methodi sumatur vt metaphorice.

Est autem quod dicimus methodum metaphoricè: dicitur enim methodus breuis via, quæ via est compendij, & vulgariter vocatur summa. Per similitudinem ergo transfertur ad istam scientiam propriè & artem: quia cum speculabilia & operabilia multa offerantur, sua multitudine & longitudine, distantiæ quidem ipsorum dispendium faciunt, nisi per formam scientiæ & artis ad compendium redigantur: & ab hac similitudine nomen methodi ad artem & scientiam transfertur. Quod autem dicitur inuenire, est idem quod prius ignorum, & iam per inuentionem necessariam scientiam tradere per artis principia: & ideò inuentio talis non est artis opus, sed potius rationis talis qualis ante dicta fuit, quæ ad eúdem finem qui est terminatio problematis, colligit & in vnum redigit, & ex his artem efficit. Est ergo iste sensus, quòd negotij suscepti (quod est logicum negotium) in hoc libro propositum est inuenire methodum talem, de qua sicut formaliter informante, poterimus, hoc est, posse & facultatem habeamus in habitu & in intellectuali virtute syllogizare de omni problemate, sicut circa quod est nostra consideratio ex probabilibus. Et dicitur de omni problemate in genere: quoniam omne problema, vel est problema de inesse, sicut quod est inesse vt accidens, vel inesse vt genus, vel inesse vt proprium, vel inesse vt diffinitio: & quando idonei sumus ad artem syllogizare ad illa quatuor, sumus potentes syllogizare omne problema, quod ex probabilibus potest ostendi inesse. Quia inesse vt differentia reducitur ad genus, & inesse vt idem reducitur ad diffinitionem. Species autem quæ est subiectum, non reducitur ad inesse, & ad subiectum cui insit: quia prima substantia quæ est individuum, nec subiectum, nec prædicatum artis vel scientiæ esse potest. Et hoc est quantum ad opponentem. Quantum autem ad respondentem (qui etiam informatur & perficitur) subditur, & ipsi nos disputationem problematis dialectici sustinentes in respondendo nihil dicemus repugnans siue contrarium vel artiui vel probabilibus ex quibus fit methodus.

Quare dixit inuenire.

Quare dixit de omni problemate.

Individuum non potest esse subiectum nec prædicatum artis nec scientiæ.

Primum ergo, &c.

Quia ergo syllogismus dialecticus subiectum huius scientiæ est, vt diximus, & quia à communioribus inchoandum est, primum dicendum est quid sit syllogismus, & quæ sunt eius differentiæ specificæ, quibus in specie constituitur, quatenus ex contradiuisione sumatur syllogismus dialecticus, quia hunc quærimus, & quæ partes & passiones eius, secundum negotium propositum, cuius intendimus traditionem.

Hoc facit pro tenentibus libros ipsū sequi libros resolutorios. Obiectio. Solutio. Ex quo patet, quod subiectum vno modo quæritur in scientia, & alio modo præsupponitur.

Et si quis obiiciat, quòd sicut dicit Auic. nihil est subiectum & quæsitum in scientia: & si syllogismus dialecticus sit quæsitus in hac scientia, tunc videtur non esse subiectum: quod enim quæritur vt subiectum, quomodo per principia entis vera & necessaria stabilitur & determinatur vt specialis scientiæ sit subiectum. Et hoc modo non quærimus syllogismum, sed quærimus ipsum non in esse, sed secundum accidentia ipsius propria secundum quod in probabilibus est secundum omnium differentiam probabilium. Quid autem syllo

syllogismus sit, ex declaratis in lib. priorum accipiemus.

Remouet dubium.

Et quod hic aliqua dicimus de syllogismo, non est nisi vt per diuisionem accipiamus dialecticum, quem intendimus constituere & ordinare secundum omnem sui potestatem quam potest ex probabilibus accipere, sicut scimus de syllogismo simpliciter in prioribus, & de syllogismo demonstratiuo in posterioribus: sic enim in omni scientia & in omni arte procedendum est, vt ex communibus fiat speculatio & res intenta secundum esse & posse & partes subiectiuas & accidentia propria determinetur: quia tunc scitur secundum suam perfectionem.

6. ethic. c. 5.

Est autem differentia artis & scientiæ, non secundum substantiam, sed ex fine. Scientia enim est secundum quod est ad finem speculationis & vim: & tunc manifestatur subiectum diffinitione per propria, & diuisione per exteriora, & per potestatem principiorum essentialium in propriis, & per potestatem perfectum esse consequentem cum effectu propriæ potestatis. Ars autem, vt dicit Arist. factiuum est cum ratione principium: & ideo est collectio multorum præceptorum ad eundem finem tendentium, quæ est operatio artis. & sic est ars rectificatio operationis, scientia verò speculationis, & methodus est demonstratio viæ in vtraque. Methodus ergo pro isto toto suppositi libro: quia ea quæ in primo libro dicentur, quasi vniuersalia principia præsciuntur ad syllogizandum de omni problemate.

Quæ autem in sequentibus continentur, sunt principia ad syllogizandum de hoc vel illo problemate: quæ tamen vniuersalia sunt in genere problematis de accidente, & in genere problematis de genere, & in genere problematis de proprio. & sic de aliis. Et ea quæ tradentur in actuo, sunt ad ablationem impedimentorum ex parte opponentis, & ex parte respondentis, vt non impedite syllogizetur de omni problemate.

Sic ergo propositum negotij logici quod nunc propositum est in topicis, est dictam inuenire methodum, quæ quamuis dicatur inuentio, fit tamen scientia docente siue arte, in materia quidem quoad inuentionem principiorum & constructionem ex quibus sequuntur conclusiones, in forma quantum ad ordinem & diffinitionem artis & scientiæ tota die continuè docet inuenire ea ex quibus omne probabile speciale arte illa. Nos enim à scientia ista (sicut à regula regente) poterimus ex habitu perfecte de omni syllogizare problemate, sicut de matera circa quam negotiatur syllogismus dialecticus. Methodum autem istam sic inuentiuam & inuenire docentem inuenit ille qui materialiter & formaliter tradidit eam prius: sed materialia ipsius inueniens & tradens secundum aliquid formaliter, ad formam scientiæ & artis redigens, simpliciter inuenit.

TRACTATVS I.

De syllogismis & paralogismis.

CAPVT I.

De syllogismo in communi.

Diffinitio syllogismi, & eius explanatio.

Est igitur syllogismus oratio, &c.

Oratio pro argumentatione, & ista videtur ex positio Boetij in lib. de syl.

Eius etiam quæ præmittenda sunt, in primis est, vt diffiniatur quid est syllogismus in communi & in suis speciebus, vt ex his ostendamus quid est syllogismus dialecticus, & quibus differentiis ab omnibus aliis sepatatus. Est ergo syllogismus oratio, in qua quibusdam positis, aliud aliquid à positis ex necessitate accidit per ea quæ posita sunt. In hac diffinitione oratio est vt genus: & (vt hoc proximum sit secundum vim nominis) accipitur oratio quasi oris ratio, hoc est, ratio sermone explicata. Et cum ratio propriè sit actus illius virtutis animæ quæ ratio vocatur, & cum sic dicta idem sit quod ratiocinatio, & ratiocinatio idem sit quod argumentatio, sensus est, quòd syllogismus est oratio quæ est in forma argumentationis in *logismo eā* sermone. Et quod additur, in qua, notat quòd talis oratio in se plura ad vnam formam ordinata continet & ambit: vnde talem continentiam (qua forma vna plura continet) notat cum dicitur, in qua. Et quod sequitur, quibusdam, per virtutem participantis notat materiam propriam & proximam, quæ est propositiones, vt propositiones sunt pro altero, id est, conclusione: materia autem non propinqua sunt tres termini, ex quibus medio bis sumpto duæ propositiones fiunt, vt in prioribus determinatum est. Quando autem additur, positis, compositio fit partium in toto & ordinatio, & notatur dispositio terminorum in figura, & dispositio terminorum in quantitate & qualitate ad modi complexionem. Dicunt etiam quidam, quòd quia positio est quædam rei fixio, quod per hoc quod dicitur, positis, notatur fixio propositionum in animo respondentis. Sed hoc non est proprium propositionis: nec oportet sic exponi, nec conuenit cum expositionibus alio-

gor.

Quæ sit materia proxima syllogismi, & quæ remota.

rum Philosophorum: sed prima expositio tenenda est.

Quod in diffinitione syllogismi non debet poni ly concessis.

Et quod addit Boet. concessis, addi non oportet, quòd sint concessæ. Si enim sunt propositiones, tunc in se virtute ac potestate habent conclusiones pro quibus ponuntur: non enim haberent virtute in se conclusionem, nisi iam in se veræ sint: quia falsa propositio nihil in se continet quod per modum probationis possit concludi per ipsam quando simpliciter est falsa: & sic virtute propria non est positio nisi vera, nec est posita nisi vera. Et ideo non oportet poni, concessis, nisi forte in sophisticis. In aliis verò in quibus quæ simpliciter positæ sunt, veræ sunt, & ipla rerum veritate concessibiles: & aliter propriè loquendo positæ, non sunt concessæ, nec propositæ. Quamuis autem verum per falsum syllogizetur, hoc non per veritatem propositionum, nec quia sunt propositiones in se habentes conclusionem, nec causæ eius: sed est ex quadam forma & complexione valde generali propositionum: quæ non probant, nec causam in se habent probationis alicuius: & talis syllogismus non est syllogismus ad propositum aliquod probandum.

Syllogismus ex falsis non est syllogismus probatius.

Quomodo conclusio est aliud à positis quantum ad totam complexionem, non tamen est aliud quantum ad extrema.

Quod autem additur, aliud aliquid à positis, dicitur pro conclusione, quæ quamuis sit vtriusque præmissarum medietas, tamen complexio eius est alia à complexione præmissarum, & ideo complexum est aliud. In præmissis est complexio & compositio medij cum maiore extremitate, & eiusdem complexio est cum minori, sed in conclusione vnitur extremum cum extremo: & sic aliud est conclusio à præmissis, quamuis in materia terminorum cum maiore & minori propositione conueniat. Sic ergo est aliud à positis. Et quod additur, ex necessitate, de necessitate intelligitur consequentiæ, quæ vocatur necessitas à quibusdam inferentiæ, quæ est ex figura & modo per medij ordinationem, quod medium est causa consequentiæ conclusionis per hoc quod sua relatione ad vtrumque extremum coniungit extrema: & talis vocatur aliud à positis cum dicitur, aliud à positis. Quod dicitur, à positis, notat propositiones sub forma stantes determinatæ positionis: sub forma autem talis positionis perfectæ non stat nisi quod secundum materiam potentiale est ad talem formam: & hoc non est falsum: vnde peccans in materia syllogismus, non simpliciter & perfectè est ex positis. Et quod dicitur, accidit, secundum compositionem verbi debet accipi pro cadit ad: quia si (sicut dictum est) ponantur propositiones, conclusio per consequentiam ad eas cadit, hoc est, ex præmissis cadit ad positam de necessitate, quæ est virtute in præmissis, quæ virtus disponitur per præmissarum ordinationem & positionem. Vnde præmissæ conclusionis sunt causa: præmissæ autem dicto modo positæ sunt vt causa causans secundum actum totius causalitatis. Necessitatem notat hoc quod dicitur, ex necessitate. Consequentiam autem effectus ad causam notat hoc quod additur, accidit. Quod autem subditur, per ea quæ posita sunt, notat quòd præmissæ sunt causa conclusionis: & sic primo quod est positione, sint causa consequentiæ: igitur vt per eas talis causetur consequentia, & in syllogismo ad propositum ea quæ posita sunt, ex tali habitudine sint causa eius quod sequitur. Aut notat sub forma consequentiæ: quia sic propriè consequens appellatur.

Quæ diffinitio hic syllogismum & non alias species argumentationis

Hæc ergò est diffinitio syllogismi, & non accipitur hic ideo syllogismus, quia dialecticus alia non vtatur argumentatione, sicut inductione, exemplo, & enthymemate: sed ideo ponitur, quia syllogismus potissima est ratiocinatio, & per ipsum potissimè concluditur probabile, & aliæ argumentationes sunt sub ista. Hanc ergo diffinitionem hîc ponimus & non alibi: quia formari non potest nisi syllogismus generatus & perfectus secundum formam, potestatem, & speciem, quæ in scientia libri posteriorum iam prædicta est. Generatio enim demonstrationis secundum sua principia in posterioribus est posita, qua potissimus est syllogismus: & ideò syllogismus sic generatus iam habet sic diffiniri, & in species secundum hoc diuidi.

Primum quod sumitur sub syllogismo in communi, est demonstratio.

Primum quod sumitur sub syllogismo in communi, demonstratio est: quia in primo & summo participat syllogismi nomen & diffinitionem. Quam diffiniendo dicimus, quòd demonstratio est quando ex veris propositionibus & primis fit syllogismus, aut ex talibus quæ per aliqua prima & vera, eius quæ circa ipsa est cognitionis principium sumpserunt. Cuius diffinitionis iste est intellectus, quòd demonstratio ideò dicta est: quia euidens est sua manifestatione demonstratum id quod ponitur in syllogismo demonstratiuo: & ex isto concluditur ex præmissis euidenter, quasi digito demonstretur. Quod autem dicitur, syllogismus, notat genus in quo primo & per se ponitur diffinitum. Quod autem dicitur, quãdo ex veris, ibi præpositio ex quidem notat causam materialem. Verum autem triplicem

Quid sit demonstratio, & explanatio singulorum eius.

Demonstratio dicitur quasi ex digito monstratio & manifestissimus euidentissimè concludens.

Demonstratio est ex veris vt ly verum, notat triplicem veritatem.

notat veritatem. In compositione propositionum, quæ sic veræ sunt, quod nihil falsitatis nec dubitationis habent admixtum. Et veritatem in forma: quia scilicet verè ad veritatem formæ syllogisticæ sunt positæ. Et tertio notat veritatem propositionum vt propositio est, ita scilicet quòd verum sit causa conclusionis & concluſi: quia aliter non habet veritatem propositionis vt propositio est. Et quod sequitur, ex primis, dicitur propter potissimam demonstrationem quæ est ex immediatis, ad quæ probanda non est aliud medium, eò quod ante ea nihil sit per quod possunt concludi: quia talia prima vera (sicut principia) nobiliori habitu quam scientia sunt sumpta & cognita. Quantum ad demonstrationem minus potentem additur, aut, scilicet disiunctiua coniunctio, præmissæ & minus potentis demonstrationis notans disiunctionem. Ex talibus autem notat similitudinem principij quod est principium de principio, similitudinem ad id quod est principium de principio. Et quod addit, quæ per aliqua prima & vera, notat conclusiones illas quæ per prima vera concluduntur, vel quorum veritas ex talibus confirmatur, sicut dignitates quæ non ingrediuntur

Ex quo colligitur, quod demonstratio duplex est. scilicet magis potens quæ ex indemonstrabilibus procedit, & minus potens quæ ex mediantis.

ingrediuntur syllogismum, sed extra manent, veritatem aliquorum ingredientium confirmantes: sicut & Euclides conclusum ex primis veris & demonstrationibus, pro theoremate sumit ad aliud concludendum. Quod autem dicitur; eius cognitionis quæ circa ipsa prima & vera est & non alterius principium ab ipsis sumpserunt primis & veris: tunc enim secunda alia cognitio non habet, nisi ex primis virtutem generatiuam: quia in secundis per se & vniuersaliter & generaliter sunt prima, sicut communia ad materiam propositam determinata: & sic in ipsis sunt & actu & intellectu & subsistantialiter: propter quod eandem in ipsis generant cognitionem. Hæc ergo est demonstrationis diffinitio, quæ syllogismus est potissimus & cui conuenit prima ratio syllogismi.

CAPVT II.

De syllogismo dialectico.

Dialecticus autem syllogismus, &c.

Dialecticus autem syllogismus post demonstrationem rationem syllogismi participat: quia minus addit super syllogismi consequentiã & necessitatem consequentiæ quam demonstratio: sicut verius causa est, quod assequitur causam per necessitatem, quam quod assequitur causam per probabilitatem. Est syllogismus dialecticus, qui ex probabilibus est quantum ad materiam, & est syllogizatus quantum ad formam quæ est ex terminorum numero & ordine in figura, & ex modo qui est combinatio propositionum secundum formam debitam in qualitate & quantitate & ordine qualitatis & quantitatis. Et quia licet ex affirmatiua & negatiua possit fieri syllogismus, tamen minor propositio in prima & tertia non potest esse negatiua: & si fiat, non est syllogizatus talis syllogismus, quia formam combinationis vtilis non habet.

Sunt autem vera, &c.

Quæ autem sunt probabilia inferius dicetur, & gratia illius præmittemus eorum (quæ prius in diffinitione demonstrationis dicta sunt) declarationem, dicentes, quòd vera quidem & prima sunt, quæ non per alia sicut media vel principia; sed per seipsa secundum sui naturam habent fidem: & istæ sunt dignitates quas quisque probat auditas. Sicut enim in visu quædam luce manifestantur aliena, sicut colorata: quædam autem luce propria, vt lucida: sic est in intellectualibus, quòd prima non habentia medium suæ constitutionis inter lucem intelligentiæ & ipsa, sed ipso lumine intellectuali constituta sua propria luce manifestantur intellectui. Alia autem quæ mediantibus formis aliorum procedunt, ab intellectu non accipiuntur, nisi lumine primorum illustrata: & quæ sic accipiuntur, sunt secunda & non prima: quia non sunt intelligentiæ lumini immediatè coniuncta. Nullum intelligibile ab hominis accipitur intelligentia, nisi inquantum lumen est intelligentiæ agentis ipsum, quod si sola agit, per se intelligitur: si autem agit ipsum per medium, oportet quod illustretur lumine ipsius, antequam ab intellectu accipiatur: quæ autem est causa propter quam quædam per se intelliguntur, iam dictum est.

Et ex hoc causatur vlterius, quòd non oportet quærere, hoc est, oportet non quærere in scientiis disciplinalibus siue doctrinalibus quærendo propter quid: in scientiis enim disciplinalibus siue doctrinalibus ex primis & veris proceditur & immediatis, hoc est, ad quæ syllogizanda nullum est medium: & ideo oportet in ipsis non quærere propter quid: quia terminus dicens propter quid, est medium, vt dicit Aristot. & cum talia medium non habeant, non quæritur propter quid: quia si haberent terminum propter quid, haberent medium, & sic non essent immediata: sed oportet vnumquodque quod est principiorum primorum & ipsum esse sibi fidem, hoc est, fidei causam. Fides enim est assensus in ipsum respondentis, sicut dictum est, propter quod talia principia prima communes animi conceptiones vocantur, vt dicit Auicenna, quòd statim assentit eis animus audientis: propter quod etiam indemonstrabilia talia dicuntur. Hæc igitur sunt principia demonstrationis, ex quibus demonstratiuus fit syllogismus.

Non oportet autem, &c.

Probabilia autem (ex quibus fit syllogismus dialecticus) sunt verisimilia. Dupliciter autem verisimilia: aut enim in se sunt verisimilia, eò quod ipsa habitudo prædicati ad subiectum verisimilis est, eò quod nec prædicatum est in subiecto per se, nec subiectum in prædicato per se, nec vtrumque in vtroque, nec prædicatum necessariam & essentialem inhærentiam habet cum subiecto, sed verisimile est in signis non in causis necessariis acceptum. Aut quia necessariam habet inhærentiam, sed non accipitur nisi per signum: & hoc est probabile secundum modum acceptionis, quamuis in se sit necessarium: sicut solem esse maiorem terra (eò quod vbique vnius quantitatis apparet) probabiliter acceptum est. Solem autem esse maiorem terra per quantitatem diametri acceptum, est necessarium & non probabile, secundum quod probabile & necessarium opponuntur. Probabile autem, sic dictum, verisimile est, quod per suipsius veritatis figuram videtur omnibus aut pluribus aut sapientibus, & his sapientibus videtur omnibus aut pluribus aut maximè notis, & probabilibus: ita quod sapientibus & his vel omnibus sapientibus vel pluribus vel maximè notis vel probabilibus, totum pro vno membro ponatur.

Probabilia autem sunt, &c.

Ex quibus patet, quòd probabilia sunt duplicia, scilicet in se, & secundum modum acceptionis.

Signa verò verisimilitudinis, aut occurrunt statim in superficie & in exterioribus rei quæ accipit sensitiua potentia comparans sensata adinuicem: & si talia sunt signa, probabile est quod videtur omnibus, sicut nigrum esse albam per hoc quod nix est paruæ partes perspicui in patua coniuncti, in cuius partibus vndique lux diffunditur: hoc enim signum sensui est medium. Si autem signa indicium facientia de verisimilitudine, sunt non in superficie, sed aliqualiter profundata, non ad necessaria, sed nec in superficie extrinsecus manentia: tunc est id quod videtur pluribus: quia sensui aliquid miscent rationis, sicut quod stella in cauda minoris vrsæ sit polus, eò quod non deprehenditur

Ex quibus colligitur causa multiplicis modi probabilis.

henditur eius singularis motus: hoc enim rationis iudicium sensui est permixtum. Si autem figuram verisimilitudinis profundatur in essentialium & conuertibilium causas quæ sunt conuertibilia sicut causæ: unc est quod videtur sapientibus, sicut est, quòd luna moueatur in epiciclo: quia profundius & altius transit per vmbram terræ: hoc enim non est causa, sed signum.

Ideò illud quod videtur sapientibus, gradus habet: quia aut videtur omnibus, aut pluribus, aut maximè notis vel probabilibus. Quia signum conuertibile cum causa: vel apparet mixtum sensui: & tunc videtur omnibus. Vel in ipsis substantialibus profundatur: & tunc non videtur nisi probatis & probabilibus sapientibus. Vel medio modo est acceptum: & hoc dupliciter. Si enim plus est inclinatum ad sensum: tunc videtur pluribus sapientibus. Si autem plus est profundatum ad necessaria essentialia & intellectualia: tunc est quod videtur maximè notis, qui ex potestate scientiæ & artis hoc deprehendere nouerunt. Hoc igitur est probabile, ex quo fit syllogismus dialecticus, quod tali & taliter diuersificato deprehenditur signo. Hæc est sententia commenti Arabici: & sic scientia demonstratiua & etiam dialectici syllogismorum determinata est.

CAPVT III.

De litigioso syllogismo.

Litigiosus quare sic dicitur.

Litigiosus autem syllogismus à lite (quæ inter opponentem & respondentem oriri potest) nomen accipit. Potest autem esse his de syllogismi materia, & potest esse his de syllogismi forma, & potest esse his de vtroque illorum: & ideo sic describitur vel notificatur syllogismus litigiosus. Litigiosus est, qui est ex his quæ videntur probabilia, non sunt autem probabilia, sed probabilitas est in eis quædam phantasia siue apparentia, ita quod ex talibus est syllogizatus formam perfectam habens syllogismi in figura & modo & inferentia: & hic est primus modus litigiosi peccans in materia. Et ille est etiam litigiosus secundo modo, qui ex probabilibus vere est, & non ex apparentibus probabilibus tantum: sed non est syllogizatus secundum formam figuræ & modi. Aut etiã ille litigiosus est tertio loco, qui apparẽs siue apparẽter & non existẽter syllogizatus ex his quæ non sunt, sed videntur probabilia: & iste peccat tã in materia, quã in forma.

Litigiosus autem est syllogismus, &c.

Ex quo patet, quòd duplex est syllogismus, scilicet simpliciter, & probabilium.

Hoc autem dupliciter exponitur, scilicet de materia, & forma syllogismi simpliciter, & de materia & forma syllogismi ad propositum. Priori quidem modo de forma & materia simpliciter exponendo dicitur tale exemplum. Omnis statua est naturalis: Herculis statua est statua: ergo est naturalis. Patet, quòd prima est falsa, & non probabilis: videtur tamen esse secundum phantasiam probabilitatis, per locum sophisticum procedentem sic: omne æs est naturale: statua est æs, ergo statua est naturale. Ordo autem terminorum & combinatio propositionum in qualitate & quantitate formam tenent syllogisticam: propter quod ille syllogismus peccat in materia tantum, & non in forma. Si autem sic arguitur: omnis homo est animal: omnis asinus est animal: ergo omnis asinus est homo. Ille syllogismus procedit ex verè probabilibus: tamen non est syllogizatus, quoniam formam in figura & modo non habet, cum sit in secunda figura ex affirmatiuis, nec tenet figuram & modum nisi inutilis coniugationis. Si autem sic arguitur: omnis homo est animal: nullum risibile est homo: ergo nullum risibile est animal. Erit falsa minor & improbabilis: quæ tamen videtur probabilis apparenter per locum sophisticum: quia omne risibile est proprium: nullum proprium est animal: sic, nullum proprium est animal: omne risibile est proprium: ergo nullum risibile animal. Et sic peccat in materia in minori propositione: & peccat in forma, quia minor est negatiua contra formam in modo primæ figuræ: peccat igitur tam in materia, quã in forma.

De syllogismo autem ad propositum, planum est hìc exponere: quia si sic arguitur: omnis canis est latrabile: omne marinum est canis: ergo omne marinum est latrabile. Constat, quod iste syllogismus est litigiosus, & non peccat contra syllogismum simpliciter, sed contra formam syllogismi ad propositum: si enim termini ponit in tali syllogismo rectè se haberent in habitudine medij ad maius extremum, & in habitudine medij ad minus extremum, esset syllogismus probans & ad propositum: sed quia non habent terminorum debitam habitudinem, quæ est causa concludendi in syllogismo ad propositum in forma ipsius, ideo peccat contra formam syllogismi probantis: & secundum hanc formam non est syllogizatus, quamuis habeat formam simpliciter.

Et secundum hoc trium syllogismorum litigiosorum ista sunt exempla. Omne nomen vnum significat vnum: canis est nomen vnum: ergo significat vnum. Vel sic secundum Epicurum: omnis voluptas est bona: coitus est voluptas: ergo coitus est bonus. Hìc enim peccatur in prima propositione contra probabilitatem quæ est materia syllogismi dialectici: & non peccant termini in habitudine positi in figura & modo. Si autem sic arguitur: omnis iustitia est bona: omnis honestas est bona: ergo omnis honestas est iustitia. Habitudo terminorum probantium non valet: quia non sequitur si idem consequens sequitur ad duo antecedentia, quòd vnum istorum sequatur ad aliud: & ideò peccat contra formam syllogismi ad propositum, quamuis in materia non peccat in aliquo. Si autem sic arguatur: omnis canis est latrabile: marinum est canis: ergo marinum latrabile. Hìc prima falsa est peccans in materia probabilitatis: & habitudo medij ad verumque extremum indebita: & sic peccat contra terminorum habitudinem ad probandum, & sic peccat contra formam syllogismi ad propositum. Distinximus autem inter syllogismum ex probabilibus, & syllogismum ex apparentes probabilibus: ideò quia non omne quod videtur probabile per locum aliquem,

est etiam probabile secundum rei veritatem: nihil enim horum quæ videntur probabilia tantùm in superficie ex signo aliquo fallaci, omninò siue omnimodam & profundatam habet phantasiam, hoc est, apparentiam, quæ vsque ad existentiam pertingat velut si habere accidit apparentiam quæ est circa principia quæ sunt loci sophistici litigiosarum disputationum: litigiosa enim disputatio locis sophisticis innititur sicut principiis: statim enim in primo intuitu (etiam eis qui parua per rationem videre possunt) manifesta est in eis (quia talia sunt) talsitatis natura siue causa: & ideo sint probabilia, & aut quæ videntur probabilia.

Ergo primus syllogismus idem, &c.

Distinctis autem, vt dictum est, litigiosis syllogismis, dicamus, quòd primus de numero eorum qui dicti sunt syllogismi litigiosi, est litigiosus syllogismus, syllogismus quidem in forma, litigiosus autem in materia: & ideò ille dicatur & litigiosus & syllogismus, nomen syllogismi habens, eò quòd seruat formam syllogisticam. Reliquus autem qui peccat in forma, & ille qui peccat in materia & forma (hi autem duo nisi per peccatum in forma à primo segregantur: & ideò quoad hoc quòd à primo segregantur, in vnum coincidunt, quo peccato formali à primo segregantur) ille ergo reliquus duplicatus syllogismus, dicatur syllogismus litigiosus. Sed non dicatur syllogismus simpliciter & sine determinatione quia nomen à forma imponitur: & quod non participat formam, non participat nomen. Quod autem non dicitur syllogismus, est: eo quod videtur quidem syllogizari, non autem syllogizatur: quia formam syllogisticam non seruat. Et quamuis sint tres syllogismi litigiosi, tamen peccata non sunt nisi duo, scilicet peccatum in materia, & peccatum in forma, quæ simul colligit peccans in vtroque.

Quare dixit reliquus ergo non reliqui, cum duo sint. Quare litigiosus peccãs in forma tantum vel in vtroque non meretur nomen syllogismi.

Obiect. 9.

Si autem quis obiiciat contra hoc dicens, quòd in naturis deficiente materia deficit forma rei & nomen. Et similiter in syllogismis deficiente materia debet deficere nomen & ratio: & sic peccans in materia, non debet dici syllogismus. Non est curandum, & est dicendum, quòd est materia syllogismi simpliciter, termini scilicet & propositiones, & in hac materia non peccat, sed sufficit ad seruandam formam syllogismi: & est materia syllogismi ad propositum, quæ est probabilitas propositionum: & contra hanc peccat, & ideo etiam nomen amittit syllogismi ad propositum: quia syllogismus peccans in materia, non est syllogismus ad propositum.

Solutio. Materia syllogismi duplex, scilicet materia syllogismi simpliciter, & materia syllogismi ad propositum.

Obiectio.

Et si quis obiiciat, quòd quicquid est in genere inferiori, est etiam in genere superiori. Syllogismus autem peccans in forma, est in genere litigiosi syllogismi, & syllogismus litigiosus est etiam syllogismus. Ergo peccans in forma, est etiam syllogismus. Sunt dicendæ huiusmodi obiectiones: quia cum syllogismus diuidatur in demonstratiuum, dialecticum, litigiosum, & falsigraphum, non diuidatur vt genus, sed vt analogum figuraliter acceptum secundum quod quidem syllogismum figuram imitatur: & ideo syllogismus litigiosus non est nisi secundum hoc quidem, quia scilicet figuram & modum syllogismi imitatur: & ideò non sequitur, quòd peccans in forma sit syllogismus: quia in figura & modo syllogismum non imitatur, sicut syllogismus secundum quid, & non simpliciter: quare litigiosus talis non est syllogismus per huiusmodi imitationem.

Solutio. Syllogismus analogum ad demonstratiuum, dialecticum, litigiosum, & falsigraphum.

Et attende, quòd statim in superficie omnibus apparentia occurrunt, quæ apparent ad aliquem locum sophisticum per aliquid commune & accidentale, sicut fel apparet mel per similitudinem humoris croci: & hæc faciunt deceptionem non de facili deprehensibilem. Quædam autem fiunt phantasiam per signa naturalia, sicut signum est habere lac in mammillis ad conceptum, summi status habere magnas ad esse forte: & hæc faciunt probabilitatem.

Quid intelligendum per eos qui parua videre possunt.

Attende etiam, quòd quidam dicunt (qui parua videre possunt) sui tales & sapientes, parua subtilia vocantes, quibus facile est sophistica videre: licet enim talsitatis aliquando lateat talsitatis natura, hoc est in accidente. Sed hæc expositio dicti sancti & veritatem Auctoris: quamuis verum sit quod dicit: quia procul dubio parua sunt sophistica: propter quod dicit Aristot. quòd occultantur, ne paruitas eorum appareat: & sic nulla reputentur: & ideo qui parua videre possunt, sunt imparis periti: quia tale sophisticum distinguere. Et quod accidens aliquando latet sapientes, est propter similitudinem extranei ad essentiale, sicut suo loco declarabitur.

CAPVT IV.

De paralogismis.

Amplius autem præter omnes, &c.

Amplius autem præter omnes (qui dicti sunt) syllogismos fiunt quidam syllogismi ex his quæ sunt circa materia circa aliquas disciplinas, hoc est, particulares scientias, vt mathematicas, qui dicuntur paralogismi, quia inter syllogismos qui sunt ex propriis & veris & primis sumptis, qui modo dicuntur in geometria & huic cognatis mathematicis, siue geometriæ subalternis accidit fieri: qui falsigraphus dicitur, quia falsa deceptione per ea quæ ex propriis principiorum tantum syllogizat.

Videtur autem hic modus, &c. In quo modo differt falsigraphus à demonstratiuo, dialectico, & litigioso.

Videtur autem hic modus syllogismi differre à prædictis modis: nam neque ex primis & veris syllogizat falsigraphus, & sic differt à demonstratiuo in qualibet materia vel modo materiæ. Neque syllogizat ex probabilibus: probabile enim non cadit in diffinitionem materialem falsigraphi, sicut non cadit in diffinitionem demonstrationis. Cuius probatio est: quia falsigraphus neque sumit in faciendo syllogismum quæ omnibus videntur, neque quæ pluribus, neque quæ sapientibus, & his omnibus vel pluribus, vel quæ probabilibus, vel præcipuis: sed ex communibus & propriis quidem disciplinæ sumptis, non autem veris facit syllogismum. Nam in eo quod semicirculos describit non vt oportet, in linea quæ duplicis est formæ concauitatis & con-

uexitatis, aut lineas simplicis formæ, aut rectas ducit non vt sunt ducendæ, paralogismum facit, qui dicitur à para quod est iuxta, & syllogismus, qui est ex oppositis eorum quę propriè sunt conuenientia scientiæ demonstratiuæ: & in hoc differt à dialectico, & litigioso. Conuenit cum demonstratiuo in forma & quadam materia: quia cum duplex sit materia syllogismi, propinqua, & remota propositiones sunt materia propinqua in qua non conuenit, quia principia & opposita principiorum non sunt eædem propositiones, sed distantes per affirmationem & negationem, & per esse & non esse. Sed materia remota sunt termini: & quoad hanc materiam est falsigraphus ex conuenientibus & propriis disciplinæ sicut & demonstratiuus. Et ideo non habet recedere proprium horum, in quo specialiter hic syllogismus docetur: quia formam nouam non habet, nec etiam materiam differentem a materia demonstratiui, sed qualitatem aliam habet materiæ proximæ & non remotæ: quia ista eadem est in omni qualitate & quantitate. Propter quod cum differat ab aliis in materia aliquo modo considerata, præter omnes alios modos est iste modus syllogismi.

Quomodo falsigraphus conuenit cum demonstratiuo.

Quare falsigraphus non habuit proprium librum, in quo tractaretur sicut alij syllogismi.

Species igitur syllogismorum, &c.

Sunt igitur species syllogismorum probantium siue syllogismorum qui sunt ad propositum illi qui dicti sunt, demonstratiuus & dialecticus, litigiosus & falsigraphus: duo penes materiam rectam & formam, duo autem penes obliquitatem ab aliis deficientes. A dialectico quidem deficiens sicut à minus bono litigiosus. Deficiens autem à demonstratiuo falsigraphus siue disciplinæ paralogismus. Vnde dupliciter est deficiens, vel tripliciter paralogismus disciplinæ; quemadmodum litigiosus tripliciter deficit a dialectico: quia nouam formam non addit demonstratiuus super dialecticum syllogismum, sed consequentiæ necessitas confortatur in ipso, sicut dialecticus formam habitudinis localis addit supra formam syllogismi simpliciter, contra quam peccare potest litigiosus. Nec habet eandem formam demonstrationum, cum falsigrapho & demonstratiuo non sunt eædem propositiones sicut in dialectico qui est collectiuus vtriusque partis contradictionis. Non enim sequitur, si affirmatiua propositio dialectica est, quòd negatiua dialectica non est: quia negatiua est probabilis sicut affirmatiua. Sed in demonstratiuis si affirmatiua demonstratiua est, sequitur quod negatiua eius demonstratiua non est. Sed in terminis tantum communicat demonstratiuo paralogismus disciplinæ. Nec possunt esse nisi duo syllogismi perfecti: per quod est materia probabilis vel necessaria, quæ differentia habent principia: nam deficientes ab his non possunt esse nisi duo: vnus quidem deficiens à perfecto, quod non nisi vno modo est falsigraphus simplex & diuisiuus est: alter autem deficiens ab imperfecto perfecto cum illo modo quod multis modis est litigiosus: & ideo est multiplex: & tres (vt dictum est) habet differentias.

Si autem quæratur de tentatiuo, dicendum quòd quia tentans ex communibus procedit, continetur sub dialectico. Ille autem qui ex manifestè falsis & impossibilibus, non est ex positis: & ideo non intenditur secundum istam, quæ supernus posita est, syllogismi diffinitionem.

Figuraliter igitur (hoc est, superficietenus distinguendo hæc de syllogismo & syllogismi speciebus) ista quæ dicta sunt, sufficiunt. Non enim diuiditur syllogismus secundum genera disputationum: quia disputatio est actus & opponentis & respondentis. Syllogismus autem collectio & collatio eorum qua complent perfectam ratiocinationem: & ideo secundum differentiam sic collatorum diuiditur in species.

CAPVT V.

Ad quot & quæ vtile sit hoc opus.

VT autem modus quo ista determinanda sunt (prout huic negotio proprium est) determinetur, oportet quod vniuersaliter ex communibus & communiter dicatur de omnibus prædictis quæ artem & syllogismum dialecticum circumstant, & etiam de his quæ postea sunt dicenda, quantum ad problemata, & considerationes in tantum nobis determinentur. Igitur quod vniuersali & communi ratione determinetur de omnibus, est: eo quod de nullo dictorum & dicendorum subtilem & causalem, & ex propriis essentialibus sumptam capimus assignare rationem vel diffinitionem; sed aliquantulum per communia & exteriora figuraliter, hoc est, superficialiter volumus pertransire, non profundantes considerationem in ipsis, eò quod secundum propositam methodum omninò sufficiens arbitramur esse, si quoquo modo probabili possumus ex facultate illius actus cognoscere vnumquodque dictorum & dicendorum methodum istam circumstantium. Hoc igitur de modo procedendi dictum sit.

Vniuersaliter autem dicendum, &c.

Quare vniuersali & communi ratione determinandum.

Sequens autem erit his quæ proœmialiter dicta sunt, dicere ad quot & quæ negotium hoc sit vtile: in hoc enim finitur pars proœmialis. Est autem vtile ad tria, ad exercitationes, & ad obuiationes, & tertio ad secundum Philosophum disciplinas, id est, quæ sunt secundum philosophiam. Quoniam autem ad exercitationes est vtile, sic probatur, & ex his quæ dicenda sunt, erit manifestum: quia hanc methodum habentes (quæ docet communia inuenire) de singulis ab antecedentibus, consequentibus, & repugnantibus, & omnibus localibus habitudinibus facile (per considerationes communes talium localium habitudinum) de quolibet proposito problemate argumentari poterimus & valebimus artis facultate quæ hæc docet. Omnis autem habitus facultatem conferens ad facile de proposito arguendum de vtraque parte contradictionis, valet ad exercitationes, hoc est, ad frequentes artis operationes, per quas facilior semper efficitur artem habens: ergo ista ars valet ad exercitationes.

Consequens autem erit, &c.

Ad obuiationes verò valet: eò quod in vnoquoque

noquoque problemate multorum Philosophorum annumerantes opiniones, quas ex probabilibus circumstantibus cognoscimus an veræ an falsæ sint, in quolibet quæsito problemate sermocinabimur, hoc est, ratiocinabimur ad eos siue contra eos, non ex doctrinis extraneis siue aliorum, sed ex propriis istorum doctrinis per eadem quæ docent, rationem contra eos accipientes: quia in probabilibus si affirmatio est probabilis, etiam negatio oppositæ probabilis erit: quia quod potest esse, potest etiam non esse: & sic erimus transmutantes eos in oppositum sui dicti in omnibus, quicquid non videntur nobis bene dicere per probabilia opposita persuadentes.

Considera hoc.

Valet autem ad secundum philosophiam disciplinas: quoniam ex ista arte potentes ex artis facultate ad vtraque dubitare, hoc est, ad vtramque partem contradictionis in quolibet problemate, facilè speculabimur in singulis quæ sunt scientiarum: videbimus autem quid verum & quid falsum sit, & hoc in problematibus & conclusionibus singulorum. Amplius autem ob hoc ad secundum philosophiam disciplinas vtile est hoc negotium: quia ad prima; hoc est, ad principia philosophiarum quæ sunt circa vnamquamque disciplinam: nulla enim philosophia quæ de ente determinato est, stabilire potest sua principia, sed accipit ea stabilitâ ab ea quæ est de ente communi considerans inquantum est ens: quia impossibile est aliquid dicere de principiis ex conuenientibus & propriis, quæ sunt circa vnamquamque disciplinam, eò quod vniuscuiusque principia sint prima omnium in genere illo: & ideo per nulla quæ ante se habeant in illa disciplina, poterunt determinari & stabiliri ex propriis: sed per ea quæ sunt communiter circa singula probabilia, non causalia autem, necesse est de his principiis singularum philosophiarum pertransire non profundato sermone.

Hæc tangitur primo Ie. 1. c. 2. & primo physicor. text. com. 8.

Hoc autem ex communibus & probabilibus persuasionem facere, vel proprium est dialectico, vel maximè conueniens. Proprium enim inquantum ex probabilibus est: maximè autem conueniens inquantum ex communibus est. Quia metaphysicus ex communibus hoc facit: sed communia metaphysici sunt essentialia & non signa tantum, & sunt communia reducibilia & determinabilia ad propria: sed communia quæ considerat dialecticus sunt signa, non causæ, & ad propria reducibilia. Ex talibus igitur persuadenter verificare principia scientiarum maximè proprium est dialecticæ: quia cum sit inquisitiua, est inuentiua communium, & per talia conuenientem viam habet ad omnium methodorum specialissima principia sic per probabilia stabilienda.

Differentia inter communia metaphysici & dialectici, cumutterque ex communibus procedat.

Ad ista autem tria (vt dictum est) vtilis est methodus: nihil enim prohibet vnum & idem (quod est ex communibus) habere plures fines secundum diuersa. Est autem finis substantialis methodi secundum ipsam methodum, vel secundum methodum habentem finem. finis scientiæ. Et finis scientis est finis quidem scientiæ ad secundum philosophiam disciplinas. Finis autem scientis duplex est: in ipso, & in altero. In ipso autem secundum exercitationem quæ est causa potestatis in omni actu & opere artis & methodi. Finis autem in altero & ad remotionem impedimenti est ad obuiationem. Et quidem per philosophiæ disciplinas curatur ignorantia negationis, quæ est negatio. Per obuiationes curatur ignorantia dispositionis quæ est in contrario. Per exercitationes autem & fit habitus acquisitus: & sic fortificatur ad actus vt facultatem habeat sciens ex eis quæ scit in eadem operationes. Adhuc autem circa principia quædam est vtilitas quæ est ad secundum philosophiam disciplinas: eò quod habet viam ad principia: secundum autem quod est secundum conclusiones, est ad exercitationes, & secundum quod est ad alterum: quia disputatio dialectica commune opus est, & est ad obuiationes vt transmutet aduersarium veritatis.

Remouet dubium.

Ex quo patet, quòd vnus illorum finium substantialis est, qui est ad secundum philosophiam disciplinas. Alij autem sunt ad illum, & propter illum. In se quidem exercitatio est finis propter alterum: quia exercitatus facilè ea quæ sunt circa principia. In altero enim propter philosophiam finis est obuiatio, vt remoueatur impedimentum quo vnus operari nequit ea quæ sunt ad philosophiæ contemplationem. Cum enim disciplina sit circa philosophiam, circa principia sit: exercitatio enim circa conclusiones, obuiatio est ad eum qui contradicit vtrisque & principiis & conclusionibus.

Sicut autem dicit Ptolemæus in quatripartito, nemo quæsat in scientia quod ex principiis eiusdem non potest. Sic etiam in dialectica nemo quærit sufficientem de singulis demonstrationem: quia hoc haberi non potest ex probabilibus.

Sed hanc methodum perfectè habebimus (perfectione quæ talibus conuenire potest) quando similiter habere poterimus eam: sicut in sanatiuis virtutibus & persuasiuis, vt in rhetorica, & medicina, perfectè habetur finis secundum perfectionem rhetoricæ & medicinæ, & huiusmodi potentiis. Et voco potentias artes non in vna parte contradictionis per firmitatem argumentationis, sed potius inter duas partes contradictionis fluctuantes ex argumentationis infirmitate: hoc autem est ex conuenientibus & probabilibus facere & persuadere quæ appetimus persuadere. Neque enim rhetoricus aduocatus omninò & vniuersaliter persuadebit, impedimento triplici impeditus: malitia causæ, peruersitate iudicis, & debilitate allegationis suæ. Nec medicus similiter omninò sanabit propter triplex impedimentum, scilicet fallacia experimenti, malitia infirmitatis, & inoedientia ægroti: & ideo non semper consequuntur finem in alio. Et similiter impeditur dialecticus ex debilitate probabilis quod adducit, & ex peruersitate respondentis, & difficultate problematis circa quod disputat, ita quod non semper consequitur finem in alio. Sed si vnusquisque horum trium ex contingentibus secundum suæ artis facultatem nihil omiserit, di-

Habemus autem perfectè methodum, &c.

Vocauit rhetoricam medicinam & dialecticam potentias secundum Alex. quia licet bene & male eis vti.

Vel quia sunt coniecturales: & ideo in eis opus est prudentia.

Quomodo rhetor triplici iter potest impediri vt non persuadeat, & medicus vt non sanet, & dialecticus vt non faciat fidem.

Ex quo patet, quod finis medici non est sa-

nare: quia aliter sequeretur, quod non modo ut esset medius & medius esset non medius, vt inquit Alexander. Nota quomodo dialectica habet viam ad probandum principia sua; hoc est quod ipsa vtens potest probare principia sua usquantò do ctus est.

cemus disciplinam & disciplinabilem finem habere sufficienter secundum artis contingentiam, quamuis non semper habeat finem sufficienter in alio secundum effectum perfuationis vel sophistici vel dialecticæ probationis & cognitionis.

Est autem hic attendendum, quòd dialectica imperfectiua est: eò quod non est entis & subiecti determinati: quamuis enim dialectica docens determinati sit subiecti, quia de syllogismo dialectico, & ideo demonstratiua est passionum ipsius: tamen vsus ipsius, qui à pluribus vocatur dialectica vtens, non est entis determinati: & ideo oportet, quod sit in quantum habet communium quæ sunt circa singula. Et hoc modo viam habet ad methodorum principia, ita quod etiam ad sua principia viam habet secundum quod est methodus demonstratiua. Vtens enim inquisitiua est communium per quæ perfundentur principia docentis: & cum via inquirendi & inquisitio sit per rationes probabiles, fortificatis illi vel multiplicatis ad viam partem contradictionis cum progressu ipsorum principiis recessus sit relongatio ab altera parte contradictionis: & sic paratur via ad principij cognitionem, quæ via non est inductio, sed syllogismus per habitudinem localem inductus per maximas locos confirmantes, vt de quocunque prima species & genus, & huiusmodi.

Dialectica de quocunque ita pertractat sua principia communia: quia per principia demonstrationis.

Ad id quod est principii, est via: id non ad principium secundi quod est primum. Quare syllogismus dialecticus dicitur figuralis

Obiectio. Siquis autem obiiciat, quòd principia dupliciter cognoscuntur, vt per terminos, sensum, memoriam, experimentum, & vniuersale, & sic hæc cognitio non est necessaria. Dicendum est, quòd principia aut accipiuntur in se, aut in cognoscente. Vel melius dicatur, quòd aut sumuntur in se, aut comparata ad actum, prout sunt causæ. Si in se accipiantur: tunc accipiuntur secundum substantiam qua constituta sunt ex terminis: & sic cognoscuntur cum cognitione terminorum. Si autem accipiantur comparata ad actum: sic sunt in potentia sua accepta. Aut ergo in potentia remota, aut in potentia propinqua. Si remota, sic cognoscuntur sensu, memoria, experimento, & vniuersali. Si autem in potentia propinqua prout inferunt effectum, sic habent rationes dialecticæ viam ad ipsa.

Solutio. Quomodo principia prima possunt multipliciter cognosci.

Probabile duplex.

Adhuc notandum est, quòd est probabile quod secundum ipsum ordinatur ad necessarium, sicut est probabile quod est circa vniuersale in phantasmatibus acceptum & signis: hoc enim depurandum est ipsum necessarium. Et probabilitas est circa ipsum prout est in phantasmatibus; & per hoc est via ad principia methodorum. Est autem probabile in contingentibus, quod secundum sui substantiam probabile est: & hoc nullum habet ordinem nisi valde remotum forte per modum adminiculantis.

Adhuc autem notandū est, quòd principium demonstrationis duplex est, & ingrediens in substantiam demonstrationis, sicut propositio maior & minor dicuntur principia: & hæc per posterius per demonstrationem possunt ostendi: & ad hæc non est vtilis dialectica, ita quod sit necessaria ad ista. Sunt autem alia principia in substantiam demonstrationis non ingredientia, vt dignitates, suppositiones, petitiones, diffinitiones, quæ per posterius non possunt ostendi, sed per inquisitionem inuentionem communium localium via habetur ad ipsa. Adhuc autem dupliciter accipitur principium: aut id quod est principium, & sic habetur via ad ipsum: vel secundum quod est primum, & sic est immediatum, & non habetur viam ad ipsum. Et quia ex communibus est omnis syllogismus dialecticus, figuralis est: quia figura extrinsecè est vltimum ad quod terminatur essentia figurati, & sic omnibus aliis magis est extrinsecum: propter quod non facit cognitionem principij secundum quod est scitum, sed facit viam ad ipsum prout est opinatum & per rationem iuuantem elongatur ab altera parte contradictionis, & sic accedit ad veritatem alterius: & hoc est dare viam per cognitionem, & adminiculum, & non per proprias causas, ex quibus fit scientia veritatis rerum. Hæc igitur procemialiter dicta sunt.

Remouet duorum: & responsio sua est etiam Alexandri in principio huius libri.

Adhuc notandum est, quòd quamuis dialectica sit circa singula, tamen est ex communibus singulorum, & non ex propriis: & ideò certam non potest de singulis facere cognitionem: propter quod non superfluunt, sed necessariæ sunt species scientiæ quæ de singulis in speciali perfectam ex propriis faciunt cognitionem.

TRACTA-

TRACTATVS II.

De methodo diffinitionis, generis, proprij, & accidentis.

CAPVT I.

Ex quibus est methodus.

Primum ergo considerandum, &c. PRÆMISSIS autem his quæ procemialiter huic doctrinæ præmitti debent; nunc ad propositum accedendum. Primum considerandum est, ex quibus est methodus: quia ista substantialiter ingrediuntur in syllogismum dialecticum, & propinquissimè se habent ad ipsum. Cum autem dicimus, ex quibus est methodus, intelligimus quòd hæc propositio, ex, materiā notat secundum quod materia dicitur materiale principium: sic enim materia habet formam secundum inchoationem in seipsa: sicut enim principia inuoluram habent in se conclusionem, sic accepta materia & huiusmodi materia, & non materia indeterminata. Et intendimus, quòd eadem præpositio notet ordinem & dispositionem: quia hoc alibi notare consueuit, vt cum dicitur, ex mane fit meridies, vel ex certantibus fiunt olympia. Hoc igitur modo determinandum est ex quibus fit methodus vt ex principiis materialibus, & qualiter dispositis. Si autem sumatur ad quot est problemata secundum genera singulorum, & ad quæ est problemata terminanda, & sumamus ex quibus sunt orationes, hoc est, argumentationes dialecticæ: & sumamus quomodo his abundemus in omni materia problematis per considerationes locales & in considerationibus determinatis, & quomodo syllogismis etiam dialecticis abundemus per exercitationem & obuiationem: tunc sufficienter habebimus propositum: quia tunc in omnibus propositis finem habebimus intentum. Propositiones enim sunt materia ex qua, problemata autem materia circa quam. Abundantia autem est in multitudine siue multiplicatione mediorum, vel ad omnia, vel ad singula problemata.

Ly ex notat habitudinē causæ materialis, & quandoque etiam ordinem & dispositionem.

Sunt autem numero æqualia, &c. Incipiemus igitur hic, Orationes, hoc est, syllogismi, & ad quæ siue de quibus problematibus sunt syllogismi, sunt numero æqualia. Cuius probatio: quia orationes siue disputatiuæ, argumentationes materialiter sunt ex propositionibus. De quibus autem siue ad quæ sunt syllogismi dialectici, sicut ad determinanda, sunt problemata. Omnis autem propositio inquisitione quærente de compositione ipsius, problema est: & omne problema separatum à quæstionis dubitatione, & enuntians simpliciter hoc esse hoc, vel hoc non esse, propositio est. Sic igitur eadem quoad terminos sunt propositiones, & problemata quoad prædicata sunt numero æqualia.

Omnis enim propositio &c. Same differentia tam generica quam specifica, non ponitur in numerum illi prædicatis diuersis.

Prædicata autem sunt quatuor, & problemata in genere sunt æqualia illis & eisdem. Omnis enim propositio & omne problema, aut indicat proprium, aut genus, aut accidens. Etenim differentia de qua dubitari posset, an insit vt aliquid illorum, cum sit generalis, in eodem prædicato cum genere est locanda & ordinanda. Generalis quidem est vna in se existens, quæ est non vltima & diuitiua, & non vltima cum specie conuertibilis, quæ est in vltimo constitutiua & indiuisibilis. Quicquid enim differentiarum, aut vltima est illarum, aut prædicatum essentiale non conuertibile, quod ad vltimam se habet vt potentia ad actum, & ita vt genus, hoc est, generalis forma: quia sicut dicit Auerr. genus enim est forma generalis, habens se sicut formale indistinctum ad vltimum distinguens ipsum esse specificum ad actum talis igitur differentia in plus est, quam genus: & vt essentiale est vt genus, & dicit id quod est in potentia formali indistincta sicut est genus: cum genere ergo inter prædicata locatur. Vltima autem differentia, quæ in plus non est, sed conuertibilis, dicit actum purum: & ideo cum specie locatur ad subiectum, & non est ad prædicatum. Ista sunt igitur prædicata principalia, de quibus quæritur in problematibus, & ad quæ terminanda inducuntur syllogismi.

Primo metaph. com. 17.

Ordo inter prædicata dialectica, ex unde sumatur ratio ordinis.

Ordinantur autem secundum quod perfectè & secundum rationem insunt, vel non insunt. Maximè autem ineſt, quod conuertim ineſt: quia hoc ineſt secundum totum, ita quod nihil est subiecti secundum quod non inſit: quia si aliquid subiecti esset secundum quod non ineſſet, non conuerteretur: sic ergo totum proprium toti ineſt subiecto, ita quod de proprio nihil est extra subiectum, & de subiecto nihil est extra proprium. Genus autem ineſt secundum partem generis & secundum partem subiecti, & ineſt substantialiter, & nomine & rationem: & secundum partem generis ineſt, quia non nisi secundum partem suæ potentiæ & ambitus ineſt subiecto: secundum partem autem subiecti, quia secundum id subiecti ineſt quod est in potentia & in ipso: & ideo suum ineſſe sequitur ad ineſſe, & est pars. Accidens autem dicitur ineſſe nec vt totum, nec vt pars: neque dicit ineſſe substantiale siue ex substantialibus secundum quod est accidens: quia cum insit in aliquo, non est in eo sicut pars, nec fluit ex

ex essentialibus sicut proprium, nec determinat ad esse, nec prædicatur nomine & ratione. Infernus autem non eodem ordine sunt in exercitat.one & ita ill us ordinis dabimus propriam & aliam rationem.

Quoniam autem proprium, &c.

Primum autem horum prædicatorum subdiuiditur: quoniam hoc quidem proprium conuertibile, quod totum toti inest subiecto, significat quid est esse per omnia essentialia terminata & ordinata ad vltimum sicut ad actum: illud autem aliud proprium non significat quid est esse subiecti per essentialia, sed per accidentalia: quia in hoc sunt tantum accidentalia, quia sunt esse consequentia & ab essentialibus causata: ideo diuiditur hoc prædicatum quod nominamus proprium, in vtrasque nunc dictas partes, essentiale & accidentale proprium. Et ideo illud proprium quod significat quid est esse per essentialia dicencia potentiam & actum rei; vocetur terminus siue diffinitio: quia omnia complectitur, quæ esse rei in potentiam & actum determinant, & esse substantiale ad terminos suos (extra quos de esse rei nihil est) deducunt. Reliquum verò proprium accidentale & esse consequens, & extra esse, sicut post esse existens, vocetur proprium secundum communem de eis assignatam nominationem. Ab vltima enim differentia vltimum nomen imponitur. In diffinitione autem proprij vltimum est conuersim prædicari: & ideo hoc nomen retinet proprium quod non est terminus. Vltimum autem in ratione diffinitionis non est conuersim prædicari, sed potius dicere quid est esse: & propter hoc est terminus, & non proprium ipsum quod addit differentia vltimus completiua super vltimam proprij differentiam, & ideo speciale sortitur nomen.

Quare diffinitio dicitur terminus & sortitur speciale nomen, non sic autem proprium.

Palam ergo ex his, &c.

Palam igitur ex dictis est propter quid secundum diuisionem præsentem nunc inductam (cum tria sint, & vnum distinguatur in duo) necesse est, quòd quatuor sint prædicata. Igitur aut proprium quod communiter dicitur proprium, aut terminus, quæ duo conuersim prædicantur, aut genus, aut accidens, quæ duo non conuersim prædicantur. Sed proprium refertur ad esse speciei sicut causatum ex ipsa specie. Terminus autem est simplex, & non est consequens ad speciem vt prædicatum ad subiectum, sed est secundum naturam verum accidens ad ipsum sicut causa ad causatum. Genus autem est sicut pars subiecti. Accidens autem vt consequens communiter, quod non est per essentiam causatum à subiecto, sicut nec causa ipsius. Et ideo sic ordinantur hæc secundum quod plus vel minus habent de ratione prædicati, secundum quod prædicatum est vt consequens ad subiectum.

Dat causam quare prædicabilia proprie diffinitur in enumerando prædicata dialectica.

Remouet dubium. Nemo autem, &c.

Nemo autem nos opinetur velle dicere, quòd vnumquodque illorum quatuor prædicatorum incomplexè acceptum, propositio est, vel problema: sed ideò dicimus esse quatuor prædicata: quoniam ab his vt inhærentibus subiectis fiunt & propositiones & problemata. Subiectum enim vnum est & non diuersificatum: quia species. Prædicata autem secundum se inhærentium dicentia sunt plura: & ideo penes modum inhærendi quo prædicatum est in subiecto, multiplicari est necesse & propositiones & problemata. Terminus autem vt est terminus, inhærentiam dicit: similiter & proprium. Terminus autem inhærens vt antecedens & causa. Proprium autem sicut semper & solum & esse consequens. Genus autem vt consequens essentiale non conuersim. Accidens autem inhærens tantum vt causatum à subiecto.

Differunt autem probl. &c.

Quamuis autem ab eisdem formentur & propositiones & problemata, & in hoc conueniant, tamen differunt hoc modo. Si enim sic dico, Putasne hæc enuntiatio, animal gressibile bipes, diffinitio hominis est, vel non? Et si dico, Putasne animal genus hominis est, vel non? propositio fit, ita quod nota dubitationis non cadat supra compositionem propositionis, sed expectat consensum respondentis sub hoc sensu, animal gressibile bipes diffinitio hominis est, putasne hoc esse verum, vel non: animal genus hominis est, putasne hoc, vel non: & sic de aliis. Dialectica enim propositio interrogat consensum respondentis: quia probabile (quod est materia ipsius syllogismi dialectici) est quod videtur omnibus, vel pluribus: & quia in visu consistit vtrum ita videatur, vel non videatur, ideò necesse est, quòd quærat consensum iudicantis de ipso. Si autem sic dicam, vtrum animal gressibile bipes sit diffinitio hominis, vel non? ita quod nota dubitationis cadat supra compositionem prædicati cum subiecto, & quærat an prædicatum insit subiecto, vel non: tunc probabile problema, siue quæstio est, vt sit sensus, vtrum hoc prædicatum, animal gressibile bipes, insit huic subiecto vt diffinitio, vel non; ita quod nota dubitationis simul quærat inhærentiam & modum inhærendi, qui importatur in prædicato hoc vel illo. Similiter autem & in aliis prædicatis si formarentur, diceretur propositiones & problemata. Nam hoc modo ab omni vel ex omni propositione, hoc est, ex terminis omnis propositionis facies siue facere poteris problema: & è conuerso transumpto modo dubitationis, qui si ponatur super compositionem, problema est. Si autem prædicatum enuntietur de subiecto, & modus dubitationis sequens ad compositionem ponatur ad consensum iudicantis de propositione: tunc propositio est.

Græci non exponist hæc modo textũ, nec habent hanc differentiam: sed duplicatur dicunt differre propositionem dialecticam & problema dialecticum, scilicet ex parte signi, vel nota interrogationis: & ex parte totius contradictionem quæ exprimitur in problemate dialectico, & non in propositione dialectica.

Dicendum autem quid terminus, &c.

Quare incepit à diffinitione.

CAPVT II.

Quid terminus siue diffinitio & quæ ad methodum de diffinitione reducuntur.

Dicendum sigillatim autem quid terminus siue diffinitio, quid genus, quid proprium, & quid accidens. His igitur sigillatim determinatis, procedere poterimus ad methodos speciales, vt terminare quid insit vt terminus, & quid insit vt genus, & sic de aliis, & propositiones & rationes de his formare poterimus. Et quia diffinitio dicit totum esse, ideo à diffinitione incipiemus. Nihil enim ita inest subiecto,

subiecto, sicut id quod inest vt diffinitio. Adhuc autem quoniam omnia alia ad diffinitionem aliquo modo ordinantur, ideò diffinitio principalior est: & ideo ab ipsa hìc incipiemus.

Quare omnis diffinitio est oratio, & non potest esse vnum tamen.

Est autem terminus, &c.

Est autem terminus siue diffinitio, quædam oratio explicitè & per partes potentiæ & actus significans quid essentialiter & substantialiter est esse rei diffinitæ, ita quod perfectum esse sit demonstrans, & totum secundum partes, & ordinem ad vltimum, quod respectu omnium præcedentium est actus & complementum. Cum enim diffinitio referrur ad diffinitum: tunc oratio sumitur pro nomine, hoc est, iuxta nomen diffiniti. Aut igitur oratio explicitè dicit quod significat nomen diffiniti implicitè: & nunc directè pro nomine, hoc est, iuxta nomen & secundum nomen assignatur. Aut assignatur oratio diffinitiua pro oratione, hoc est, iuxta orationem, vt si aliqua pars (eius quod in oratione diffinitiua est) debeat diffiniri vt clarior sit diffinitio, vt cum dicitur, quid est homo? & dicitur, animal rationale mortale, oratio diffinitiua pro nomine est assignata. Si autem quæritur, quid est animal rationale? & dicitur, animal vtens ratione, assignata est pro oratione, hoc est, iuxta id quod significatur in oratione. Hæc est expositio Arabica.

Quomodo oratio diffinitiua, aut sumitur pro nomine, aut pro oratione.

Alia expositio quomodo oratio diffinitiua quandoque sumitur pro nomine, & quandoque pro oratione.

Sunt tamen alij, qui aliter dicunt, & satis rationabiliter, quod quando diffinitum significatur vno nomine & diffinitur: tunc assignatur oratio diffinitiua pro nomine, vt dictum est, explicitè dicens quicquid nomen dicit implicitè: sed diffinitum aliquando significatur circumloquendo per orationem: vt cum dicitur passibilis qualitas pro vna specie qualitatis: & quando talis species diffinitur, assignatur oratio diffinitiua pro oratione, hoc est, iuxta id quod implicitè continet talis oratio. Quædam sunt quæ congregata, significant vno nomine, vt album quod est res alba, quæ si diffiniri debeant, necesse, quod oratio diffinitiua iuxta orationem assignetur. Sed prima expositio magis videtur secundum intellectum Aristot. esse: quia subdit. Aristot. assignans dicti sui rationem. Possibile est enim etiam eorum quæ sub oratione significantur, quædam terminari, hoc est, diffiniri.

Quæ orationes non possint diffiniri, & quomodo prædicatum sub omni ratione non potest diffiniri.

Attende, quòd oratio indicatiua siue enuntiatiua diffiniri non potest: hæc enim oratio singularis est. Singulare autem diffiniri non potest. Eadem ratione prædicatum quod sub oratione indicatiua est, dupliciter consideratur: & prout res prædicata solum, & sic diffiniri potest. Potest etiam considerari prout habet in se compositionem: & sic eadem causa quæ dicta est, diffiniri non potest: quia & compositio est singularis. Subiectum autem proprie habet diffinitionem. Propter quod inter prædicata ponitur diffinitio: quia talis debet esse diffinitio explicitè notificans per essentialia quæ non vt vnum, sed vt multa comparantur ad diffinitum.

Quicunque autem, &c.

Palam est, quoniam quicunque quolibet modo nomine vno suæ significationis assignationem faciunt, cum multa essentialia explicitè vno nomine significari non possunt: & ideò patet, quòd non assignant eius rei quam nominant, realem & explicitam diffinitionem: eò quod omnis diffinitio explicans per essentialia diffinitum, est oratio: quia essentialia constituentia rem secundum quod sunt essentiæ, vno nomine explicitè significari non possunt: & ideò omnis diffinitio est oratio, & non potest esse nomen vnum.

Diffinitiũ tamen, &c.

Problema tamen diffinitiuum, hoc est, ad problema de diffinitione, reducibile, est etiam problema huiusmodi, quod est vtrum aliquid alij sit idem, vel diuersum. Vt si quæratur, vtrum bonum sit idem quod honestum, vel non, sed diuersum ab illo? Similiter problema de eodem & diuerso est, si quæratur, vtrum idem est sensus & disciplina intellectualis, aut non? quod Heraclìti discipuli dixerunt. Cuius ratio est certa: quia circa diffinitiones in construendo & destruendo plurima fit attentio laboris, vtrum idem sit diffinitio cum diffinito, vel diuersa ab ipso. Et sic sub eadem methodo adducuntur considerationes de eodem & diuerso cum diffinitione, sed sub eadem methodo diffinitiones terminantur quæ de eodem & diuerso inducuntur. Ergo de eodem & diuerso in diffinitione sub eadem continentur methodo cum diffinitionibus. Vnde methodus sexti libri ibi facta cum methodo septimi, eadem sunt methodus: in sexto construitur diffinitio: in septimo autem docetur qualiter destruere & construere ad eandem pertinent methodum. Quoniam autem omnia quæ dicta sunt de eodem & diuerso eiusdem modi sunt: & tunc idem diffinitiuè maximè considerabitur. Palam autem est ex his quæ nunc dicuntur. Si autem per aliquam methodum potentes sumus ex facultate methodi disputare, quoniam idem & quoniam diuersum hoc cum illo vel non. Eodem modo per easdem considerationes facile conari poterimus ad diffinitiones. Et hoc patet: quia cum dialecticæ disputationes sint ad vtramque partem contradictionis, si erimus ostendentes, quoniam non idem est, erimus ostendentes, quoniam non inest vt diffinitio, & sic interimentes erimus diffinitionem: non tamen conuertitur quod nunc dictum est, quod ostendendo, quòd aliquid est idem, ostensum sit, quod sit idem diffinitione cum ipso, vel quod sit diffinitio ipsius: quia potest esse idem & non erit idem diffinitione: quia multipliciter dicitur idem, sicut infra patebit. Non enim sufficiens est ostendere, quòd vnum est diffinitio alterius, si ostendatur, quoniam est aliquo modo idem illi.

Quid problema de eodem & diuerso reducatur ad diffinitionis.

Oportet autem scire, quòd idem quod reducitur ad diffinitionis methodum, est idem quod causatur ab vnitate substantiæ totius: quia sicut in qualitate simile causatur ab vna qualitate, & in quantitate æquale causatur ab vna quantitate (& ideò quando de simili est quæstio, de vna qualitate est quæstio: & quæstio de æquali, est quæstio de vna quantitate) ita idem in substantia quam dicit diffinitio, idem genere causatur à parte substantiæ, idem autem numero à parte materiæ: & ideo illa

non

non sunt simpliciter vnum. Sunt igitur quod videtur vnum, habet exemplum alterum. Et ideo postilme idem sui recto sunt, quorum vnum est definitio, & alterum diffinitum. Hæc enim sunt & idem genere, & eadem specie, & idem numero, & vnum individuale: quia neutrum exemplum, alterum aliud habet sui: & ideo ad problema de diffinitione reduci habet.

CAPVT III.

Quid est proprium sic quod est prædicatum.

Quemodo proprij plus conuenit cum diffinitione, quam cum aliis prædicatis.

PRoprium autem est quod non indicat quid est esse rei. Quod proprium iuxta diffinitionem proximè considerandum est: quia cum eo conuenit nomine & modo prædicationis qui est conuersim prædicari. Quod enim diffinitio prædicatur essentialiter, & proprium accidentaliter, non est modus prædicati secundum quod prædicatum est, sed modus naturæ quæ prædicatur.

Proprium autem est, &c. Non est intelligendum proprij prædicari de specie conuersim, quia & species prædicatur de ip.o.

Dicamus igitur, quòd proprium est quod non indicat secundum modum prædicandi quid est esse rei per substantialia explicando illud, sed accidentaliter prædicatum soli inest subiecto, & conuersim prædicatur, non ita quod subiiciatur speciei propriè, sed quod cuicunque inest proprium, de hoc prædicatur species quantum ad individuorum subiectionem: species enim non est prædicatum: & ideo non est problema vel methodus de specie, sicut de aliis prædicatis. Prædicatum enim est quod vel in specie subiecta est sicut causa, vel in quo est species sicut causa: neutro illorum modum species est in proprio. Et ideo artificiali prædicatione & naturali species non prædicatur de proprio, & e conuerso proprium de specie. Et dicitur conuersim prædicari: quia prædicatio proprij speciem non excedit, & non exceditur ab ipsa: & hoc est quod soli inest, & conuersim prædicatur. Cuius exemplum est, sicut dicimus, quòd proprium hominis est grammaticæ vel cuiuslibet disciplinæ esse susceptibile. Conuersim enim sequuntur ad inuicem. Nam si aliquod est homo, sequitur quòd per naturam est grammaticæ susceptibile, nisi impediatur per accidens. Et si aliquod grammaticæ susceptibile est, homo est. Nemo enim dicit artificiosè loquens, proprium simpliciter & propriè, quod contingit etiam alij inesse, vt dormire quod contingit homini & bruto inesse.

Nemo enim, &c.

Nemo etiam dicit proprium, quod communiter inesse videtur, etsi forsitan insit soli per aliquod tempus, vt si ponamus solum hominem dormire & nullum aliud animalium, quia non emanans ex essentialibus vt proprium. Si fortè autem aliquod talium communiter accidentium proprium dicitur, non simpliciter proprium, sed est proprium quando: quia & alij inest. Vel dicetur ad aliud proprium, vt dormire est proprium ad non dormientem. Nam aliquod ex dextris quidem esse, proprium quando est, quia pro tempore quo solus est à dextris. Bipes autem vel bipedem esse, est proprium ad aliud: quia aliud quadrupes est, vel non bipes: sed bipedem esse proprium est homini ad equum, & non simpliciter.

Quid conuersim prædicatur sit vltima & completiua differentia.

Conuersim ergo prædicari, proprij est completiua & vltima differentia. Quod enim conuersim prædicari insit proprio soli vt completiua differentia diffinitionis eius, & nulli aliorum prædicatorum (quæ insunt aliis vt subiecto) conueniat nisi proprio, manifestum est, quòd non sequitur (de accidente quod secundum sui naturam inest aliis) quòd sit necessarium quicquid dormit, hominem esse, cum tamen dormire insit illi, & non possit non inesse. Et cum non sint nisi duo, quorum esse sit inesse: proprium quod est accidens speciei, & communiter accidens quod accidit indiuiduo, & non conuenit indiuiduo conuersim prædicari: relinquitur, quod eorum quæ sunt sub proximo genere, quod est alteri inesse vt accidens, conuersim prædicari sit differentia completiua diffinitionis proprij, quum conuersim prædicetur cum proprio sub eodem genere proximo quod est inesse vt accidens: & sic patet, quod diffinitio est proprij quod est non indicare esse, & conuersim prædicari, & quod conuersim prædicari sit differentia completiua proprij.

CAPVT IV.

Quid genus secundum quod est prædicatum, & de reducibili ad methodum generis.

Genus autem est, &c.

GEnus autem est, quod de pluribus differentibus specie in eo quod quid est prædicatur. Genus enim est primum subiectum in quolibet (vt dicit Auicenna) formabile & determinabile differentiis, vsquequo formetur in specialissimas, quæ differentiis non sunt formabiles, & ideo nullo modo possunt esse genus. Et quia genus formabile non est nisi differentijs, nec formatur aliquod nisi forma diuidente & distinguente, & differentia nec diuidit nec differre facit nisi per oppositionem, & oppositio non est vnius ad se, sed duorum ad minus inde est, quòd oportet genus habere duas differentias & duas species: & ideò cum sit prædicatum vniuersale quod de pluribus proximè subiectis prædicatur, sequitur de necessitate, quòd proximè est & per se prædicatum de pluribus differentibus specie. Species autem cum dicat complementum in esse, differentia formari non potest vltrius, sed multiplicari potest per materiam in indiuidua. Genus autem cum dicat id quod est in potentia & confusum & indistinctum & incompletum, formationem differentiarum accipit, vt potentia etiam recipit actum: propter quod formalem recipit diuisionem, quæ ad minus in duabus oppositis est differentijs, quæ duas constituunt species.

Quare genus de necessitate prædicatur de pluribus differentijs specie.

Quare genus prædicatur in quid.

Quia verò verum genus est primum subiectum eius in quo est, & illud solum est quid natura

natura & modo prædicandi, deo oportet, quod in eo quod quid est prædicetur. Ad hoc autem (vt dicunt Auicen. & Algazel) tria exiguntur. Vnum quidem, quod genus actu & intellectu sit vt quid eius de quo prædicatur, & eius essentialis qualitas est differentia. Secundum autem, quod sic sit per aliquam potentiam, sed non de necessitate naturæ & substantiæ, ita quod sic insit, vel quod ponatur sic inesse, siue sit sic, siue non: non enim prædicatum est ponibile, vbi per naturam suam non est intra subiectum per intellectum, vt accidens: & ideo possumus dicere. Ponatur homo esse albus vel niger. Tertium est, quod posito genere, statim potentia formali inducta ponitur inferius, & in quod formabile est genus. Et ideo species per inchoationem sui est in genere, sicut res formata est in propria materia: propter quod in diffinitione vnum habent ordinem materia & genus: & sicut materia est quid materiatæ & primum subiectum, sic est genus primum subiectum differentiarum & quid speciei. Et quia formatum aliud esse accepit ab vna forma formante, & aliud ab altera, ideo dicitur in primo de anima, quod ratio generis sic, vnum vnumquodque est altera & altera. Et est sensus, quod hoc quod dico (vnumquodque) determinet hoc quod dico (ratio) hoc est, ratio data de genere secundum vnumquodque est altera & altera.

Species est in genere per inchoationem.

In eo autem quod quid est prædicari, &c.

In eo autem quod quid est prædicari talia dicuntur, quæcunque contingit eum qui interrogatus est per quid, reddere (hoc est, respondere quid est quod proponitur in quæstione de prædicato comparato ad subiectum: quid enim est quærit de natura & substantia rei, vt quid est homo: conuenienter respondetur animal. Sicut enim dicunt & Auicenna & Algazel, per quid quæritur tripliciter. Vno quidem & primo modo de intellectu signato per vocem significatiuam, vt si quæratur quid significetur per hanc vocem, antropos: & respondetur homo: & hoc ideo, quia talis vox vt signum refertur ad rei signatæ materiam & suppositum. Secundo quæritur per quid de tota rei substantia & essentia, hoc est, si quæratur, quid est homo? & respondeatur animal rationale mortale. Tertio quæritur de eo in quo inchoat rei essentia & substantia, vt si quæritur, quid est homo? & respondeatur animal in quo vt in subiecto inchoatur hominis natura. Et hæc est quæstio prima secundum ordinem causæ: quia hæc est causa quare diffinitio est quid: & hæc est causa, quod vox significat quid, sicut responderi quid primo conuenit generi: & est differentia complectiua generis, quemadmodum in homine siue de homine cum quis interrogatus est, quid est quod propositum est, hoc est, homo, conuenienter dicitur, quoniam est animal.

Tribus potest fieri interrogatio per quid.

Prius quæritur de genere per quid quam de alio.

Cum autem dicit Porphyrius, quod etiam species prædicatur in quid, accipit Porphyrius prædicata non vt prædicata sunt vniuersalia, distinctas essentias habentia, de quibuscunque potentialiter prædicata: sed species naturaliter prædicatum esse non potest per se, eo quod non habet subiectum secundum naturam & artem id ad quod referatur. Indiuiduum enim subiectum esse non potest, eo quod est corruptibile, vt dicunt communiter. Sed ideo Auicenna dicit, quod hoc est: quia substans in eo alterius naturæ quam substans differentia: materia enim in qua substat individuum accidentibus & formis, alterius naturæ est quam genus quod substat differentiis sicut formabile ab eis: & ideo non sic subiectum est vt genus subiectum differentiæ: propter hoc modo species non potest esse prædicatum cum tale non habeat subiectum in cuius ratione sit prædicatum, sicut subiectum primum. Hoc igitur est genus.

Remouet dubium.

Generale autem (quod ad eandem reducitur methodum de genere) est, vt si quæratur de aliquo, vtrum in eodem genere sit cum alio aliquo determinato, vel in diuerso? vt si quæratur, si homo & equus sint in eodem genere, aut non? Sicut enim ad methodum de diffinitione reducitur quæstio, an aliquid idem alij sit diffinitione, an non? sic ad methodum de genere, reducitur quæstio, an vnum alteri sit idem genere, an non? huiusmodi enim problemata cadunt sub eadem methodo generis, hoc est, de genere, quia Græci carent ablatiuo, genitiuum pro ablatiuo ponentes. Quod autem tale problema ad methodum generis reducatur, sic probatur: quia nos disputantes, quoniam animal sic est genus hominis. Similiter autem eadem animal sit genus bouis. Et sic homines & boues probantes vnum & idem esse genere, disputantes erimus, quoniam hæc duo in eodem genere sunt. Si autem ostenderimus, quoniam animal alterius horum, hominis scilicet, vel bouis genus est, & alterius sui: reliqui non est genus animal, ostendentes erimus, quoniam homo & bos in eodem genere non sunt: in vtroque enim illorum problematum oportet disputare per generis considerationes, vtrum tale prædicatum subiecto insit vt genus, vel non insit. Hoc igitur prædicatum est essentiale non conuertibile, partem essentiæ notificans. Et ideo sicut in prædicatis conuertibilibus (quæ sunt terminus & proprium) essentiale antecedit rationem subiecti substantiam declarans: accidentale autem (quod est proprium) sequitur rem, eo quod illud partem potentialem in subiecto notificat per genus in quo ponitur proprium, & per essentiam proprij quæ de genere accidentium est (vt Boëtius dicit) notificat esse formale nō per essentialia, sed per accidens quod est proximum essentialia consequens: ita inter prædicata non conuersim prædicata primum secundum naturam ponitur genus, quod per partem esse potentialis designat subiectum de quo prædicatur, & non designat totum esse ipsius. Prædicata enim ista quatuor hic ordinantur secundum quod plus vel minus in toto vel in parte designant subiectum: ideo ponimus hic genus ante accidens, & accidens vltimum: quia accidens non per essentiam subiectum designat.

Generale autem, &c.

Quia genus debuit præcedere accidens.

***

CAPVT V.

De accidente & reducibili ad methodum de accidente, &c.

Accidēs autē est quod nihil est horum, &c.

ACcidens autem est, quod nihil horum est, ita quod nec substantia, nec genus, nec proprium, sed inest secundum inesse solum. Cum enim proprium (loquendo secundum sui naturam) non sit ens, quia quod secundum sui naturam est ens, illud ex suis naturalibus est ens, & sic est ens per se existens, quod non est accidens, cuius esse est inesse, & ab inesse habet esse: & ideo conuenienter priuatione eorum quæ per se sunt & essentialiter prædicata, in tali priuatione vel esse priuationibus permixto diffinitur. Et conuenit ei hæc diffinitio secundum esse actuale à quo trahit esse.

Quod conuenienter fuerit diffinire accidens per negationem aliorum prædicatorum.

Et quod contingit inesse, &c. *Nota istas duas conditiones quas ponit pro veræ diffinitionis accidentis secundo loco positæ: & ex illis soluuntur multæ dubitationes.*

Si autem diffiniatur secundum potentiam inesse di, & non secundum actum: tunc accidens est, quod vni & eidem cuilibet subiecto contingit inesse & non inesse, dummodo ad proprium subiectum secundum dictam potentiam comparetur, & comparetur ad ipsum non secundum quod est causa ipsius, sed secundum quod est subiectum tantum. Cum enim dicitur, quod domus combustio sit accidens subiecti domus, falsum est, sed proprium subiectum combustionis est materia domus, & illi contingit eidem non inesse & inesse. Similiter cum dicitur, homo moritur: hoc enim est subiectum corruptionis quod est subiectum generationis. Domus autem ædificationis non est subiectum, sed est finis: ideo non est subiectum destructionis. Cum enim dicitur, cignus est albus, prædicatum non comparatur ad subiectum tantum, sed sicut ad subiectum & causam, propter inseparabile esse accidens, & non contingit eidem inesse & non inesse: sed hoc est accidens, quia potest intelligi coruus albus. Si prædicatum ad subiectum comparetur remota causalitate quam subiectum nominat causalitate prædicati, vt ad subiectum comparetur accidens, contingit eidem inesse & non inesse, vt sedere conuenit eidem inesse & non inesse eidem. Similiter autem & album esse sic comparatum vt ad subiectum tantum, contingit eidem alicui inesse & non inesse: quia nihil prohibet idem aliquando non album esse & aliquando album esse.

Est autem accidentis secunda diffinitio, &c. *Quomodo secunda diffinitio accidentis melior est prima.*

Si comparentur istæ accidentis diffinitiones secundum quod de accidente dantur vt de prædicato: tunc diffinitio secunda melior est quam prima: quia prædicatum oportet declarare subiectum: & quod per se declarat, est melius quam quod non declarat nisi aliis declaratis. Nam prima diffinitione accidentis dicta vel data necessarium est (si diffinitè quis debet intelligere quid est quod dicitur per sermonem) scire quid diffinitio, quid genus, & quid proprium. Et quodlibet illorum est extraneum à natura accidentis, & sic nihil facit ad accidentis diffinitionem, nec aliquod illorum est de intellectu accidentis. Secunda autem ab ipsa natura accidentis sumpta per se finita est hac cognitione aliorum: & ideo melior est ad cognoscendum prædicatum vt accidens, & ad cognoscendum quid est quod implicite dicitur per naturam accidentis, & quid est quod dicitur, quod aliquod prædicatum inest vt accidens.

Quid dupliciter capitur: vt in substantia, vt in accidente.

Accidentale tamen quod quid vno modo dicitur vt quid per se: & sic sola substantia est quid, & accidens non est quid, nec est substantia. Et quid dicit etiam quid in causa vt essentiale formale dicitur, vt in anteriori capitulo dictum est: & sic accidens non remouetur ab eo quod est quid vt genus: sicut cum dicitur, album est coloratum disgregatiuum visus, hoc est quidem substantiale non est substantia. Dicit enim Auicen. quòd substantiale medium est inter substantiam & non substantiam; & neque est accidens, neque substantia propriè. Reducibilia autem ad eandem methodum & quæ subiacent accidenti (hoc est, methodo accidentis) hæc sunt quæ adinuicem sunt comparationes secundum accidens factæ quolibet modo, hoc est, per maius, siue per minus, siue per æquè eligendum factæ, vt libet, finitæ, ab accidente dictæ. Vt gratia exempli, vtrum pulchrum vel bonum melius aut magis eligendum sit, aut quod expedit, hoc est, vtile. Et vtrum suauior & magis eligenda vita quæ secundum virtutem & honestum, vt dixerunt Stoici: aut quæ secundum frugalitatem siue fruitionem quæ est in delectabilibus sensibilibus, vt dixit Epicurus, quorum princeps Sardanapalus. Et quicquid probatum est aliud in accidente, similiter in his comparationibus ad subiectum ad electionem relatis dictum. In omnibus enim talibus duobus & pluribus propositis quæstio fit, vtrum ens siue prædicatum accidentale magis insit vt accidens: & ideò quæritur, si prædicatum insit vt accidens: quod non nisi per considerationes accidentis fieri potest: & ideò sub eadem cadent methodo cum accidentis methodo. Qualiter autem ad diuersos referantur libros, in sequentibus suo in loco dicemus.

Substantiale est medium inter substantiam & non substantiam, vt inquit Auic.

Opinio Stoicorum quæ fuerit de vita magis eligenda, & quæ opinio Epicureorum.

Ex his autem quæ dicta sunt, manifestum est, quoniam nihil prohibet quin id quod inest vt accidens, fiat aliquando proprium quando, & aliquando fiat proprium ad aliquid non ad omnia: vt sedere cum sit accidens & insit vt accidens, proprium fit quando, cum aliquis solus sederit: tunc enim inest soli quod conuenit proprio: tunc enim quando proprium est: quia tunc soli inest. Si autem aliter inest sessio non soli, sed alij quidem sedent, & alij quidem stant vel iacent: tunc sedere ad quosdam proprium vt ad non sedentes: quia ab illis per sessionem distinguitur sedens: propter quod & ad aliquid & quando nihil prohibet accidens (siue quod inest vt accidens) proprium esse: sed accidens & quod inest vt accidens, nunquam erit proprium simpliciter quod secundum naturam est proprium, & quod conuenit omni & soli & semper. Et huius quidem causa est: quia proprium est vt accidens speciei, & fluit ab essentialibus speciei: propter quod in eodem genere ponitur cum specie, quando potissimo modo assignatur, vt animal mansuetum

Manifestum autem ex eisdē, quoniam, &c.

Quare quod inhæret vt accidens, non potest esse proprium simpliciter.

manifestum est proprium hominis, sicut & ipse homo est animal. Et ideo problemata de proprio, ad methodum accidentis non possunt reduci: quia alius modus inhærendi est proprij, & alius accidentis: & in problemate non quæritur principaliter quid inlit, sed potius quomodo insit, vel vt diffinitio, vel vt proprium, vel vt genus, vel vt accidens. Sic ergo patet qui sit diffinitiuè quodlibet dictorum prædicatorum, & qualiter hic ordinentur: infra tamen aliter ordinabuntur in executione: & huius ordinis causa infra dicetur.

CAPVT VI.

Quod omnia problemata ordinantur ad problema de diffinitione.

Non lateat autem nos, quoniam, &c.

NOn lateat autem nos, quoniam omnia quæ dicuntur vel reducuntur ad genus vel ad problema de genere, & quæ reducuntur ad proprium siue ad problema de proprio, & ad accidens siue ad problema de accidente, quomodo & ex consequenti contingit dici ad diffinitiones, & maximè destructiuè. Cuius probatio est (vt incipiamus à principio) quoniam ostendentes, quoniam aliquod prædicatum nō inest soli, quod contingit ei quod inest vt proprium quod est sub diffinitione (hoc est, quod inest vt diffinitio) vel dicitur inesse quemadmodum in proprio (hoc est, in prædicato vt proprio) oportet soli inesse: aut ostendentes, quòd id quod pro genere assignatum est in diffinitione, non inest vt genus: aut ostendentes, quoniam non inest simpliciter, sicut inesse construitur in accidente. Si enim aliquod eorum quæ in diffinitione assignata sunt, ostenderimus simpliciter non inesse (quoniam etiam simpliciter inesse dicitur in accidente) interimentes erimus diffinitionem. Quia quod inest vt diffinitio, oportet quod insit simpliciter, & quod omnia præter vltimum insint vt genus, & quod totum insit conuersim & soli: propter quod secundum iam prius assignatam rationē (qua scilicet oportet alia præsciri) omnia alia erunt quodammodo diffinitiua, hoc est, ad problema de diffinitione adminiculantia. Dico autem quodammodo: quia destructiuè, & non constructiuè. Omnia enim quæ enumerata sunt hoc modo, faciunt ad diffinitionem per modum adminiculationum & secundum benè esse.

Sed propter hoc non in omnibus, &c.

Et non tamen propter hoc vniuersalis & vna methodus est quærenda de omnibus prædicatis vel problematibus inductis. Cuius duę causæ sunt: vna quidem ex parte nostra, & alia ex parte methodi. Nobis enim non facile est inuenire talem methodum quæ sic vnitur ad quatuor prædicata hæc vel problemata: quia prædicata (quum diuersa inter se sint quantum ad modum inhærendi qui quæritur in problemate) difficile est nobis inuenire commune in quo vniuntur sicut vno communi, quod sit eiusdem rationis in omnibus: & si inueniatur, non potest inueniri qualiter illud commune per singula propria contractum adaptetur ad singula: & si inueniatur commune omninò, talis methodus erit incerta: quia illud commune non per vnam rationem inest singulis: & erit raro vtilis: quia raro inuenitur qualiter & quibus propriis illud commune coaptetur ad propositum, cum dialectica ex communibus & probabilibus procedat: & sic rara vtilis erit ad propositum quodcunque problema. Et sic in se est inutilis & incerta methodus, propter hoc quod commune non vna ratione erit, sed analogicè: & nobis erit difficilis ad inueniendum propter difficultatem reductionis istorum in vnum commune ad omnia. Sed propria assignata methodo de vnoquoque istorum per proprias considerationes non communes, hoc est ad finem intentum deductio propositi tantum: quia tunc singulis libris perficitur propria methodus: & omnibus his simul acceptis interrogatur vna communis methodus, quæ est à nullo istorum determinatè denominata, sed in communi vocatur methodus dialectica. Propter quod quia communis methodus est difficilis & raro vtilis (ad diffinitiones enim solas vtilis est & quodammodo & non simpliciter) ideò singulariter de singulis horum per se, quemadmodum prius dictum est, diuidentium, idem diuisim tractandum est.

Reliquorum vero quæ maximè, &c.

Ea autem quæ sunt de numero eorum prædicatorum quæ principalibus sunt adiuncta, & ad illa reducibilia sunt adiungenda ad prædicata principalia sibi conuenientia, vt de eodem & duerso ad diffinitionem, & de differentia generali ad genus, & accidente comparato ad accidens, & sic de aliis. Hæc autem adiuncta sumus nuncupantes diffinitiua & generalia & accidentalia, propter hoc quod considerationibus diffinitionis vel generis & accidentis terminantur. Ea autem prædicata quæ dicta sunt, pēnes ea quæ sunt prædicata principalibus adiuncta. Penes autem dico, quod nihil adiunctum adhuc est proprio, vel quia adiuncta in speciali adhuc non ostendimus, sicut facimus in sequentibus specialiter de singulis adiuncta prosequentes.

Est autem hic notandum, quòd quælibet (sicut dictum est) omnia sint aliquo modo distincta: non tamen potest vna vniuersalis esse methodus de omnibus quæ fit ex communibus ad omnia problemata terminanda: illa enim non posset esse intrinsecus, quia intrinseca cuiuslibet non sunt omnia: nec potest esse omnia: sed oporteret, quòd esset per locos extrinsecos: & sic esset iuncta: quia illi loci parum certificant: & incidit in eis frequenter petitio principij, sicut in loco ab oppositis & à simili & huiusmodi, vbi æquè ignotum est inferens sicut illatum.

Methodus dicitur vniuersalis tripliciter.

Dicitur tamen methodus vniuersalis tripliciter. Et quoad ea de quibus est: & sic methodus quæ est ad omnia, dicitur vniuersalis, & sic methodus istius primi libri vniuersalis est methodus. Dicitur iterum vniuersalis methodus quantum ad illud quod construitur in ipsa: & sic methodus secundi libri est vniuersalis methodus: quia construitur in ipsa inesse quod supponitur in omnibus aliis: quia

quod ineſt, ſupponitur in eo quod ineſt vt genus, & in eo quod ineſt vt proprium, & ſic de aliis: & hoc modo ſumpta vniuerſali methodo, quò vniuerſalior eſt, eò certior & vtilior eſt. Dicitur tertio vniuerſalis, quæ ad ſingula problemata inferenda eſt vniuerſalis, vt ex plurib⁹ propria inferat ſecundum omnes differentias quæ ſibi conueniunt: & hæc impoſſibilis eſt: quia etiam ex quibus dicto modo inferantur problemata, ſunt conſiderationes quæ non poſſunt eſſe vniuerſales omnibus: & quia artis diffinitæ omnia præcepta ſic ad vnum finem ordinata inueniri non poſſunt: & quæ ſic inueniuntur, extrinſeca ſunt & incerta, & ratò vtilia ad concludendum problema propoſitum: & ideò non eſt inquirenda talis methodus: quia difficultas maior eſt, quam vtilitas ipſius, ſi adiunctum cum eo cui adiungitur, vna communi methodo terminatur, per eaſdem conſiderationes terminatur adiunctum, per quas terminatur principale.

Hoc autem modo non dicuntur alia problemata diffinitiua: quia taliter per conſiderationes per quas terminatur diffinitio, ſecundum aliud terminatur in ipſis quod ſupponitur in problemate diffinitionis: & ideò quod ineſt vt diffinitio, colligit modum ineſſendi omnium aliorum: & ideò aliquid facientia & adminiculantia ordinantur ad problema de diffinitione.

CAPVT VII.

De adiuncto quod eſt idem vel diuerſum.

Primum autem omnium de eodem, &c.

INter adiuncta autem primum omnium eſt determinandum de eodem quoties (hoc eſt, quot modis) dicitur. Hoc enim pluribus vel omnibus videtur eſſe adiunctum. Idem enim proprio videtur eſſe adiunctum proprio, & idem generi adiunctum generi, & idem diffinitione adiunctum diffinitioni: quæ ſunt modi eiuſdem. Conueniens eſt igitur ante omnia determinare quoties dicitur idem. Videbitur autem idem per rationem vnius quod cauſat identitatem, intuendi, vt figuraliter, hoc eſt, probabiliter & ſuperficialiter ſic diceretur, tripliciter diuidi, hoc eſt, per diuiſionem per tria factam accipi multiplicitas eius quod eſt idem. Aut enim numero, aut ſpecie, aut genere idem ſolemus appellare, conſiderantes ad vnum quod eſt identitatis cauſa. Dicit enim Ariſt. in 4. primæ philoſophiæ, quod vnum in ſubſtantia facit idem. Hoc autem aut vnum eſt in ſuppoſito, in quo non reperitur diuerſitas: & tunc eſt numero idem, teſtante Boët. qui dicit, quod idem numero eſt, in quo non inuenitur diuerſitas in numerando. Omnia autem quorum diuerſa ſunt ſuppoſita, numerum faciunt: quia diuiſio ſuppoſiti numerum facit. Si autem vnum in ſubſtantia, non eſt differentia ſuppoſiti vel eius quod eſt, vel eſt vnum formalis eſſentiæ: & tunc illud vnum aut erit eſſentiæ totius quo totum eſſe formale eſt: & ſic erit idem ſpecie. Dicit enim Boëtius, quòd ſpecies eſt totum eſſe indiuiduorũ, & quidquid poſt ſpeciem eſt, de indiuiduantibus eſt, & non eſt de eſſe formali & eſſentiali. Si autem eſt cauſa identitatis vnum quod ſecundum potentiam & non ſecundum totum eſſe eſt: tunc eſt vnum genere.

Vnum multipliciter dicitur.

Vt autem facilius ſit quod dicitur, ſubiicimus exempla. Numero quidem eadem ſunt, quorum nomina plura, res autem vna, ſicut ea quæ Latine dicuntur multinoca, Græcè autem ſynonima, vt tunica & veſtis, quæ Græcè ſynonima ſunt, & ab vnico quidem (differenter conſiderato) impoſita: tunica à tegendo, veſtis à circumgerendo eſt impoſita. Verè tamen ſynonima ſunt enſis, mucro, ſpata, gladius, framea, & huiuſmodi: quia omnibus his nominibus vna & eadem res (in qua non inuenitur diuerſitas in numero) ſignificatur. Attendendum autem, quòd diuerſitas nominis nihil facit ad rationem eius quod eſt idem numero, quemadmodum ad cauſam eius quæ eſt vnum in re ſignificata: ſed facit ad relationem quæ importatur in eo, magis rei quam vocis: quantumcunque enim ſit indiuiſibile & indiuiſum ſuppoſitum alicuius, tamen multis proprietatibus innoteſcit apud intellectum. Cum autem omnibus illis innititur ad vnam rem & vnum ſuppoſitum ſignificandum, ſunt multa nomina ad minus habitualiter, & vna res ſignificata: & ideo vnum numero eſt, quod ſic multis ſignificatur nominibus: propter quod vnum numero diuiditur in plures modos, vt inferius oſtenderur. Specie autem ſunt idem, quæ cum ſint plura numero ſuppoſiti, tamen indifferentia ſunt ſecundum ſpeciem & ſunt idem ſpecie: quia indifferentia eſt cauſa identitatis, & indifferentia ſpeciei cauſa eſt eiuſdem in ſpecie quæ eſt eſſentialis (vt dicit Boëtius) ſimilitudo indiuiduorum, ſicut hic homo omni homini, hic equus omni equo eſt idem ſpecie. Similiter autem genere ſunt eadem, quæcunque ſub eodem ſunt genere, in quibus ſicut veritas eſt indifferentia generis, cauſa eſt eius quod eſt idem. Hi ergo ſunt modi figuraliter conſiderando quibus dicitur idem prout eſt prædicatum adiunctum.

Idem ſolemus appellare numero, &c.

Diuerſitas nominis non tollit identitatem numeralem.

Dubitatio Philoſophi. Videbitur autè ab eodem fonte, &c.

Eſt tamen dubium circa hæc quæ dicta ſunt, & videbitur forraſſe alicui, quòd aqua duobus vaſis hauſta, & à fonte ſeparata, vel vno vaſe vel pluribus, vel etiam aliter diuiſa à fonte (ita quod non in eodem loco ſit cum aqua fontis) aliquam differentiam (hoc eſt, aliquam differentem identitatem) habeat cum aqua quæ eſt in fonte quæ ſit præter omnes identitatis modos qui dicti ſunt: hauſta enim à fonte vel diuiſa, maiorem habet ſimilitudinem cum aqua fontis, quam alia aqua non ab eodem fonte hauſta: & cum non ab eodem fonte hauſta cum aqua fontis ſit eadem ſpecie, videbitur, quòd hauſta à fonte ſit plus eadem quam ſpecie: propter quod videtur eſſe eadem numero: ſed cum ſeparata ſit in loco diuerſo, & idem numero ſecundum ſuppoſitum non poſſit eſſe in locis diuerſis, vt dicit Boëtius, patet quòd non eſt eadem numero: quia per locum in ea inuenitur diuerſitas in numerando.

Solutio.

Et eſt dicendum, quòd talis aqua cum aqua fontis eſt eadem ſpecie non numero: hæc enim ſunt quolibet modo dicta ſicut ſecundum accidens diuerſa, vt in claritate, vel turbiditate, frigiditate, vel caliditate, vel ſapore: cognata ſunt ſecundum vnam ſpeciem ſubſtantialem: & ideo licet differant accidente, tamen proxima ſibiinuicem ſunt & omninò cognata in ſpecie ſubſtantiali. Nam omnis aqua omni aquæ eadem ſpecie eſſe dicitur. Eò autem quod aqua ab eodem fonte accepta habeat quandam in accidentibus ſimilitudinem, quam nulla alia habeat aqua, dicitur validior in accidentibus ſimilitudo, propter quod talem aquam non ſeparamus (hoc eſt, in ſeparatum modum eiuſdem ponimus) ab aliis quæ ſecundum vnam ſpeciem quolibet modo ſecundum accidens differre dicuntur eodem.

Non tamen ſed huiuſmodi in eodem, &c.

Quomodo intelligitur, quod omnis aqua ſit eiuſdem ſpeciei cum omni aqua,

Attende autem, quod hæc quæ dicta ſunt, de aqua intelliguntur quę remanet in vna eadem ſimplicitate ſpeciei. Sed eſt elementi ſpecies quæ formam reſoluit in formam aliam. Sunt enim liquida quæ aquæ dicuntur ſpecies in quarto metheororum, quæ habent ſpecies mixtorum, vt vinum, lixiuia, medo, & huiuſmodi, & aquæ alchimicæ quæ mixtorum habent ſpecies: quamuis à prima materia dicantur, non ſunt omnes eiuſdem ſpeciei: ſed in ſimplicibus aquis verum eſt quod hic dictum eſt in ſolutione dubitationis inductæ.

Idem numero eſt perfectius idem alijs modis.

Si autem modos eiuſdem comparemus ad eam identitatem quæ eſt vnitas ſubſtantiæ vt diximus: tunc maxime ſecundum rem & indubitanter quoad nos idem ab omnibus videtur dici, quod vnum eſt numero, in quo ſecundum ſuppoſitum & id quod eſt, non inuenitur diuerſitas in numerando.

Solet autem hoc aſſignari, &c.

Solet autem hoc (quod idem numero dicitur) multipliciter aſſignari: ſed hæc multiplicitas ad tria reducitur, quibus vnum idem ſuppoſitum deſignatur. Propriè autem & primum ſiue principale & quod maximè vnum numero eſt, quando aliquid eodem nomine vel diffinitione aliquid idem aſſignatum fuerit ſecundum quod diffinitio eſt nominis. Nomine, vt tunica & veſtis, quæ Græcè ſynonima ſunt. Diffinitione, ſicut animal greſſibile bipes idem dicimus eſſe homini: quia talis identitas eſt ſecundum vnum eſſe perfectum implicitè in omnibus ſubſtantialibus, & ſupponendo ſuppoſitum per vnum ſupponitur per alterum. Secundo autem dicitur idem numero à proprio conſequente eſſentiam accidentaliter, vt quando eſt idem proprio: per proprium enim & id cuius eſt proprium, idem ſupponitur, licet non idem ſignificetur: ſicut animal diſciplinæ ſuſceptibile, idem eſt homini ex intellectu proprij: & quod natura furſum fertur, idem eſt igni: & ſumptum eſt proprium à natura generantis & generati. Tertium verò dicitur idem numero tertio loco & minus propriè dictum, quando idem ſuppoſitum deſignatur ab accidente, cuius denominatum idem dicit ſuppoſitum cum nomine, ſicut ſedens, vel muſicus, cum dicimus eſſe idem Sorti, ſi Sortes eſt ſedens vel muſicus: omnia enim hæc tria vnum numerum ſecundum ſuppoſitum volunt ſignificare: & hæc qui dicit de eodem nomine & diffinitè, & de eodem propoſitio planum eſt.

Quoniam autem vt verum eſt, &c.

Quoniam autem quod nunc dictum eſt de accidente, eſt verum, ſcilicet quod vnum numero ſignificat, probatur, ita quod aliùs hoc addiſcere poteſt ex his quæ vt deſignent idem ſuppoſitum, permutant ſuas appellationes nominum in denominationes factas ab accidente quod ſenſibiliter ineſt & manifeſtè. Nos enim ſæpè præcipientes nomine vocari aliquem, vt Socratem, vel Platonem, qui eſt de numero ſedentium, permutamus & non vtimur nomine proprio adillum qui ſub proprio nomine non intelligit quem nunc vocari velimus; eò quod neſcit illum tali appellari nomine iſte cui præcipimus vt nobis vocet eum quem volumus: & tunc minus nullum proprium nomen dicentes: ſed per accidens quod ineſt vocari illum facimus: eò quod ſub iſto accidente magis intelligit quem vocari volumus, quam ſub propria nominatione: & ſic iubemus ſedentem vel diſputantem vocari ad nos. Ex quo palam eſt, quoniam eundem in ſuppoſito ſignificare opinamur ſiue intendimus, & nomine & accidente denominatiuè: & ſic patet, quòd nomen vt accidens de eo de quo denominatiuè dicitur, idem numero, dicunt in ſuppoſito. Patet igitur, vt epilogando dicamus, quod idem (quemadmodum dictum) vt eſt prædicatum, tripliciter adiunctum diuidimus, hoc eſt, in tria.

CAPVT VIII.

De ſufficientia horum quatuor prædicatorum.

Quoniam autem ex prius dictis ſunt, &c.

QVoniam autem ex prius dictis ſufficienter ſunt orationes ſiue diſputationes, & per hæc (hoc eſt, propoſitiones ex his formatas) & ad hæc (vt ad problemata) fides eſt & per inductionem & per ſyllogiſmum. Vna quidem enim & ſenſibilis fides eſt facta per inductionem. Si enim quis conſideret vnamquamque propoſitionem dialecticam quæ dicit prædicatum ineſſe ſubiecto, & conſideret vnumquodque problematum ad quod terminandum dialecticus inducitur ſyllogiſmus, ſingula ſigillarim conſiderando videbit, aut à diffinitione, aut à proprio, aut à genere, aut ab accidente prædicaro factam eſſe: & ſic inducendo omnia inferet vniuerſaliter, quòd omnis propoſitio vel problema (quoad prædicatum) facta eſt ab aliquo iſtorum.

Alia autem fides per ſyllogiſmum, &c.

Alia & ſecunda fides eſt per ſyllogiſmum: neceſſe eſt enim quod de aliquo prædicatur, aut conuerſim prædicari dere, hoc eſt, de ſubiecto, aut non conuerſim. Et ſi conuerſim quidem prædicatur, erit diffinitio vel proprium. Nam ſi conuerſim prædicarum ſignificat explicitè quid eſt eſſe: tunc tale prædicatum eſt diffinitio. Si autem quod conuerſim prædicatur (non quid eſt eſſe ſignificet, ſed ſicut accidens, ſpeciem & ſubiectum conſequens) tunc eſt proprium. Hoc autem quod ſic conuerſim de re ſubiecta prædicatur, erat ſupe-

Ratio propriæ numerum prædicatorum dialecticorum.

tius dictum proprium, quod non significat quid est esse: alii enim (sicut supra dictum est) remansit nomen proprium. Si autem est prædicatum, sed non conuersim prædicatur de re, hoc est dupliciter: aut enim est ex his prædicatis quæ sumuntur in diffinitione subiecti secundum primum modum dicendi per se: aut non est de illis, sed est prædicatum non sumptũ in diffinitione subiecti. Et si est ex his quæ in diffinitione subiecti dicuntur & sumuntur: tunc est genus, vel differentia generalis quæ cum genere iocanda est, eò quod descriptio ex diffinitione fit ex genere vel differentia vel differentiis. Si verò est prædicatum, & non ex his quæ dicuntur in diffinitione subiecti de quo prædicatur: palam quoniam est accidens commune, quod indiuidui accidens vocatur. Nam accidens in superius assignata diffinitione dicebatur, quod nec diffinitio, nec genus, nec proprium est, sed simpliciter siue determinato modo inhærentiæ ineſt rei, & ab inesse habet esse.

Remouet dubium. Quamuis autem aliqua conueniant in eadem substantiali differentia, non tamen habent specialem modum quo dicantur idem: quia vltima diff. rentia est actus & forma constituens: & ideò facit idem specie: quia non conuenienter potest dici idem differentia: quia differentia potius est nomen diuersitatis, quam vnitatis & identitatis.

Si autem syllogismum formare vis, quo formatur horum sufficientia, sic formabis. Omne quod prædicatur conuersim & non conuersim, in quid vel in quale, genus est, vel diffinitio, vel proprium, vel accidens. Sed omne quod prædicatur in propositione dialectica, prædicatur conuersim vel non conuersim, in quid vel in quale. Ergo omne quod prædicatur in propositione dialectica, vel est diffinitio, vel genus, vel proprium, vel accidens. De his tamen (prout inter se sunt diuisa abinuicem sub hoc communi quod est vniuersale prædicabile) plurima à nobis in scientia vniuersalium dicta sunt; quæ coniuncta cum his quæ hic dicta sunt de eis (inquantum sunt prædicata, à quibus formantur propositiones dialecticæ) perfectiorem faciunt doctrinam.

Alia sufficientia de numero prædicatorum quam non ponit textus. In esse enim quod determinatur in problemate quantum ad modum inhærendi variari non potest, nisi quod insit vel vt substantia, vel vt accidens quod ineſt substantiæ. Et si ineſt vt substantia, aut ineſt vt totum esse, vel non totum. Et si vt totum, est diffinitio: quia species prædicatum esse non potest. Si autem vt non totum, tunc est genus. Si verò ineſt vt accidens: aut vt accidens speciei, & est proprium: aut vt accidens indiuidui, est est commune accidens.

CAPVT IX.

Quod hæc quatuor prædicata sunt in omnibus prædicamentis.

Post hæc autem oportet determinare, &c. POst hæc autem oportet determinare genera prædicamentorum in quibus singulis sunt quatuor dictæ differentiæ quatuor prædicatorum, ex quibus sumitur differentia problematum, vt sciatur generalis esse præinducta prædicatorum diuisio. Sunt autem prædicata numero decem, in quorum quolibet dicta sunt quatuor prædicata. Hæc autem sunt quid est, siue substantia, & quale est, & quantum, relatio siue ad aliquid, & vbi, & quando, & situm esse, habere, & facere, & pati. Omnia autem hæc denominatiuè determinamus: quia vt prædicata accipimus, quæ de subiecto per informationem dicuntur. Semper autem prædicatum vt genus, & prædicatum vt accidens, & prædicatum vt diffinitio, erit in numero decem prædicamentorum: quia in quolibet istorum est prædicari conuersim, & non conuersim: & quolibet illorum est prædicari in quid & non in quid, secundum totum & secundum partem. Si enim superius de inferiore eiusdem generis prædicetur, prædicatio erit in quid non conuersim. Si autem idem de se prædicetur secundum omnem modum eiusdem qui dictus est qui est essentialis, velut homo est homo, vel homo est animal rationale mortale, vel album est album, vel album est coloratum disgregatiuum visus, semper prædicatio est in quid. Si autem ad res alterius generis comparetur vt prædicetur, prædicabitur vel in quale speciei, & erit proprium, vel in quale subiecti & indiuidui, & erit accidens. Nam omnes propositiones dialecticæ sunt sumptæ ab his quatuor quæ in omnibus generibus sunt prædicamẽtorum: omnes enim significant (quantum ad sua prædicata) aut quid est, hoc est substantiam absolutè, aut quale secundum quod est prædicamẽtum, aut quantum secundum quod est prædicamẽtum, aut significant aliquid aliorum prædicamẽrorum, hoc est, rem in quodam prædicamento constitutam.

Remouet dubium. Manifestum est autem ex eisdem, quoniam quid est significat quandoque substantiam, quadoque autem quale, & quandoque aliquid aliorum prædicamentorum. Nam quando posito homine pro subiecto dixerit quis quod positum est, implicitè vel explicitè hominem esse, totam substantiam de ipso prædicans: vel dixerit quod positum est, animal esse, partem substantiæ prædicans de ipso, & quid est dicit (hoc est, id quod absolutè est) & substantiam de subiecto prædicat, & substantiam significat: quia significatum prædicati absolutè & ad subiectum non comparari, substantia est. Quando verò colore posito dixerit (hoc est, prædicauerit) quod positum est pro subiecto, album esse, si album est, siue dicat implicite siue explicite quod positum est album esse, vel partem substantiæ designans in prædicando dixerit colorem esse, quod est genus diffinitiuum albedinis, quid est dicit, quia tale prædicatum in comparatione ad subiectum, substantiale est, & significat quale, quia tale prædicatum absolutè acceptum, non significat nisi quale. Simpliciter autem est si bicubitali magnitudine posita pro subiecto dixerit (hoc est, prædicauerit) quod positum est pro subiecto, bicubitalem esse magnitudinem, totum suum esse prædicans: vel

vel dixerit esse magnitudinem designando per partem sui esse: & quid est dicit subiecti, comparando prædicatum ad subiectum, & id quod est absolutè acceptum, quantum significat. Quia hoc significat ad quod significandum imponitur nomen: sed hoc prædicat, cuius habitudine dicit ad subiectum: & hoc est vel diffinitio, vel genus, vel proprium, vel accidens. Similiter autem est in omnibus aliis prædicamentis. In omnibus enim ita est, quòd comparata ad ea quæ sunt suæ coordinationis, dicunt quid est: in se autem accepta, significant ea ad quæ significanda instituta sunt vnumquodque talium prædicamentorum: siue idem de eodem dicatur vt species de specie, vt homo est homo secundum totum esse, vel album est album: siue dicatur genus de hoc quod prædicatur vt pars esse, in omni genere quid est significat: sed hoc qui dicit, significat substantiale, non absolutè substantiam. Quando vero dicitur siue prædicatur de alio quod non est suæ coordinationis: tunc respectu illius non quid est significat (hoc est, substantiale) sed significat quantitatem secundum quod est mensura subiecti, vel qualitatem secundum quod est dispositio subiecti, aut aliud aliorum prædicamentorum in quibus isti duo modi sunt prædicationum.

Quare de quibus sunt disputationes, &c. Vnde cum non sint nisi decem prædicamenta, & in omnibus istis ista quatuor sunt prædicata, & non plura: patet, quòd omnia de quibus (hoc est, ad quæ) & ex quibus materialibus & integralibus simplicibus principiis sunt disputationes siue argumentationes dialecticæ, hæc & tanta sunt dicta. Dictum est autem in præhabitis, quòd habemus perfectè methodum, si habuimus ad quod & ad quæ. Quomodo autem sumemus ea ex quibus vt complexis est methodus, & quomodo faciemus ea in communi per quæ facile poterimus habere methodum, post hæc deinceps dicendum. Per quæ autem facile poterimus habere methodum, infra docebimus quando dicemus instrumenta huiusmodi syllogismi dialectici.

TRACTATVS III.

De complexis integrantibus syllogismum dialecticum.

CAPVT I.

De propositione dialectica, quid sit, & per quæ diuiditur.

Primũ igitur, determinandum quid est propositio dialectica, &c. INter hæc igitur quæ de complexis & integrantibus syllogismum dialecticum dicenda sunt, primum determinetur quid est propositio dialectica: quia illa sicut principium se habet ad syllogismum dialecticum. Problema autem se habet sicut conclusio: & ideò determinata propositione dialectica, determinandum est quid sit problema dialecticum. Non enim ponit, quòd omnis propositio dialectica sit, & quòd omne problema sit dialecticum. Nullus enim (qui mentem bene dispositam habeat) proponit propositionem dialecticam esse, quod manifestè est falsum, & quod nulli videtur: quia hoc materiam probabilitatis (quæ est materia dialecticæ propositionis) non habet. Nec aliquis proponit pro dialectica propositione, quod omnibus est manifestum, ex ipsis quæ vt ex causis prædicato & subiecto propositionis accipiuntur: quia hoc est necessarium, aut per demonstrationem, vel vt demonstrationis principium, vel quod pluribus secundum sensum indicantibus, quia hoc ad sensum est manifestum. Dico autem, quòd nullus hæc proponet vt terminanda, in problemate: quamuis fortè talia proponat in simplici propositione, quæ non est dialectica: quia dialectica propositio est interrogatio, & habet dubium in consensu plurium. Nam hæc quæ quidem simpliciter manifesta sunt, vel in consensu plurium, non habent dubitationem, & omnes consentiunt in illud. Illa autem quæ sunt manifestè falsa, nemo ponet vt problemata: quamuis fortè simpliciter proponat per modum enuntiationis: quia (sicut dictum est in periherm.) contingit enũtiare quod est esse, & quod est non esse, & quod non est esse, & quod non est non esse. Sed dialectica propositio est interrogatio consensus in probabile, nec consensus requireretur si probari non deberet: manifestè autem falsum probari non potest, & manifestè verum non indiget probari, sed ad alterius alicuius assumitur probationem.

Est autem propositio dialectica, &c. In diffiniendo ergo propositionem dialecticam secundum potissimum suum statum dicimus, quòd propositio dialectica est interrogatio probabilis: ita quod probabilis sit genitiui casus (hoc est, interrogatio de probabili) quod est materia propositionis dialecticæ. In probabili enim (quia ponitur in iudicio eius cui proponitur, vtrum sic videatur vel non) oportet quærere respondentis iudicium & consensum, antequam procedere possit opponens. Sic ergo dialectica propositio interrogatio est probabilis. Et hac ratione etiam Boëtius in diffinitione syllogismi dicit, quòd est oratio in qua quibusdam positis & concessis, respiciens ad propositiones syllogismi dialectici. Cuius

causa est, quòd probabile de se non habet sufficientem causam consequentiæ vel inferentiæ, & causam inferentiæ sufficientem accepit à concessione respondentis. Hæc igitur est tota diffinitio propositionis dialecticæ.

Quid sit probabile.

Sed vt sciatur per explanationem quid sit probabile, dicimus quod videtur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, & his omnibus, vel pluribus, vel maximè notis, non extranea. Et quia dictum est, quod propositio est interrogatio probabilis: & interrogatio nota dubitationis est inter duas partes contradictionis, scilicet & in parte affirmatiua & in parte negatiua, vt matrem diligere quia mater est, & matrem non diligere quia in cœna duos suos deuorauit Medea natos. Posset tamen dici, quod cum dicitur propositio dialectica, est interrogatio probabilis, sic est intelligendum, quòd propositio est interrogatio probabilis, & circa probabile, & de probabili, & iuxta probabile facta: & hæc est expositio verior secundum Commentatores. Sed quod dicitur probabile esse, quod videtur omnibus, & in antehabitis est expositum & per proprias differentias declaratum.

Sed hic notandum, quòd quamuis id quod videtur sapientibus sit eminentis veritatis secundum intellectum, tamen ad hoc quod sit propositio dialectica, oportet quod illud idem pluribus vel omnibus non sit extraneum per signa probabilitatis apparentia in ipso: quia aliter disputari non posset per probabilia: sed demonstratiuè disputaretur per causas essentiales sapientibus tantum notas. Ponet enim aliquis respondentium concedendo id quod videtur sapientibus: propter hoc ipsum quod videtur sapientibus: quia sic est probabile, nisi sit contrarium plurium opinioni, & extraneum pluribus. Hanc expositionem ponunt Auctores, qui dicunt causam, exponunt nisi pro quamuis, & illi dicunt, quòd hoc quod dicitur, ponet enim aliquis rationem eius quod probabile est quod videtur sapientibus, qui non iudicant secundum superficiem, sed secundum eminentem veritatem, cum eo ipso quod videtur sapientibus. Aliquis respondentium dialecticè ponet id, nisi, hoc est, quamuis contrarium sit aliis opinionibus plurium: & sic ponitur non per causam, sed propter iudicium sapientum quod est ex causa probabili. Ponet enim, vt dicit Auicenna: quia sapientes homines sunt & non dubitant: & ideò falli non possunt in iudicio.

Sunt autem dialecticæ propositiones, &c.

Hæc igitur & talis propositio dialectica habet diuisionem secundum modos probabilitatis variatæ & diuisæ: sunt enim quædam propositiones dialecticæ, probabiles in veritate, sicut dictum est: & sunt probabilia quæ probabilibus sunt similia, à quibus sumuntur dialecticæ propositiones: similia autem sunt vel probabilia, & similiter contraria his quæ videntur probabilia, contrariétare subiecti, & prædicati, vel vtriusque: & sunt probabilia contraria his quæ videntur probabilia, & sunt secundum contradictionem (hoc est, secundum negationem quæ nota est contradictionis) protensa ad similem propositionem: & probabiles sunt interrogationes vel propositiones dictæ & positæ secundum artes inuentas, eò quod artificialibus in talibus opinionibus siue conceptis quæ secundum artem sunt, assentiendum est. Cum ergo sit diuisio trimembris, scilicet probabile in se, & probabile in similitudine, & probabile secundum artes inuentas. Sed probabile in similitudine diuiditur: quia est similitudo ad ipsum, & ad contrarium, siue per contrarium dupliciter: in contrario similitudinari, & in protenso secundum contradictionem per contrarium similiter, vel de contrario subiecto, vel contrario prædicato, vel vtriusque: & hæc omnia cum nota contradictionis siue non contradictionis. Et de omnibus his dabimus exempla.

Probabile triplex, scilicet in se, in similitudine, secundum artes.

Probabile igitur simpliciter est, quod videtur omnibus pluribus vel sapientibus, & his omnibus vel pluribus vel maxime notis.

Si enim probabile est contrariorum &c.

Similiter autem probabile est, quorum simile est iudicium probabilitatis, vt si probabile est eandem contrariorum esse disciplinam, eò quod vnius sunt generis & potentiæ: à simili probabile etiam contrariorum esse eundem sensum, propter simile & per locum à simili terminatur. Similiter autem si probabile est vnam numero scientiam esse grammaticam propter subiecti communis vnitatem, probabile erit à simili & musicam esse vnam scientiam propter simile iudicium. Si autem probabile est plures esse grammaticas propter artes subiecti quæ plures sunt, probabile erit & musicas plures esse: omnia enim hæc similia & cognata adinuicem videntur. Et de rebus similibus, vt dicit Boëtius, est idem iudicium.

Similiter autem & ea quæ probabilibus, &c.

Similia probabilia sunt etiam ea quæ probabilibus sunt contraria in subiecto vel prædicato, & sunt secundum contradictionem protensa, hoc est, secundum affirmationem & negationem protensa & multiplicata: hæc enim omnia probabilia videntur & dicuntur protensa in eodem more variata. Si enim probabile est, quoniam oportet amicis benefacere, quod dixit Socrates: tunc etiam probabile erit, quoniam amicis non oportet malefacere. Hæc autem contraria habent prædicata, vt benefacere, & malefacere, sed protensa secundum contradictionem affirmationis & negationis: quia amicis benefacere est affirmatio, amicis autem non malefacere est negatio. Quod vocatur secundum contradictionem: ideo non contradicitur sic, quod dictæ duæ propositiones sint contradictoriæ, sed secundum quod distant per affirmationem & negationem, quæ sunt notæ contradictionis, & sic distensæ sunt eiusdem moris, amicis benefacere, & amicis non malefacere. Contrarium autem propositionis huius, oportet benefacere amicis, secundum prædicatum est, quoniam oportet malefacere amicis. Illæ duæ, oportet amicis benefacere, & quoniam oportet amicis malefacere, in prædicatis sunt contrariæ: quæ quia contraria prædicata ad idem subiectum referuntur, sunt contrarij moris, & ideo non eiusdem iudicij. Cum additur negatio quæ nota est contradictionis eius quod dicebatur in prædicato: tunc efficitur contrarium ad eundem morem protensum, vt cum dicitur, oportet

Nota quid intelligat hic per propositiones protensas secundùm contradictionem.

oportet amicis benefacere, & non oportet amicis malefacere.

Similiter autem & si oportet amicis, &c.

Similiter autem est si contraria sint subiecta: si enim hoc apparet probabile, oportet amicis benefacere, erit hæc probabilis, inimicis non oportet benefacere: sed sunt eiusdem moris: quia cum subiecta sint contraria, prædicata per affirmationem & negationem ad eundem morem sunt protensa, & ideo idem habent probabilitatis iudicium. & illud exemplum etiam est secundum cõtradictionem, hoc est, per affirmationem & negationem eiusdem prædicati contrariorum subiectorum: & ideo affirmatio & negatio reducuntur hic ad eundem morem. Contrarium autem in subiecto non protensum ad contradictionem est, quoniam oportet inimicis benefacere: hæc enim in subiecto contraria est illi, oportet amicis benefacere: & quia per contradictionem non est protensa, ideo est contrarij moris: quia vna est virtutis, & altera est vitij. Similiter autem faciendum in aliis, vt in omnibus sic multiplicatæ accipiantur probabiles propositiones.

Probabile autem apparet in, &c.

Adhuc vnus specialis modus propositionis est probabilis: apparet enim probabile in parabola, hoc est, collatione & proportione ad probabile, vt si vnum attribuitur vni contrario, contrarium attribuitur reliquo propter similitudinem proportionis & attributionis.

Locus per simile in contrario siue probabile in parabola quid.

Et ille locus vocatur per simile in contrario, vt si dicatur probabile esse, quod oportet amicis benefacere, quod dicatur, quòd probabile, quòd oportet inimicis malefacere: & est contrarium tam in prædicato, quam in subiecto: & ideò ex vtraque apparebit contrarium id quod est amicis benefacere, ei quod est inimicis malefacere: sed propter vnam parabolam siue simile contrariorum prædicatorum ad contraria subiecta ad vnum referuntur morem. Vtrum autem secundum virtutem se habeant adinuicem ista vt contraria, vel non, in sequentibus & in libro secundo in his quæ de contrario dicentur, ostendemus. Et veritas est, quòd non verè possunt esse contraria quæ eiusdem sunt moris.

Palam autem quoniam quæcunque, &c.

Tertius autem modus dialecticæ propositionis probabilis fuit propositiones secundum artes inuentas: palam enim est, quòd etiam quæcunque opiniones siue conceptiones, vt præcepta tradita secundum artes bene inuentas, dialecticæ sunt propositiones. Ponet enim aliquis probabiliter (secundum quod probabile est, quòd videtur sapientibus & maximè notis) ea quæ videntur his quæ probati & antiquiores sunt in artibus traditis, vt de his in geometria ponet quæ videntur geometræ: de his verò quæ sunt in medicina, ponet vt probabiliter medicus posuit: in quod & sufficiens est ratio positionis: quia sic de eis dixit Auctor illius artis.

CAPVT. II.

De problemate, quid & qualis diuisionis.

Problema autem dialecticum, &c.

HAbita parte integrali syllogismi dialecti, quod est circa proprium principium ipsius, determinandum est de complexo quod est circa orationes & conclusiones: & hoc est problema siue quæstio. Dicimus igitur, quòd problema est speculatio contendens ad electionem vel fugam, vel ad veritatem & scientiam. Contendens dico in eo quod contendit: aut ad ipsum, vt finis & sic quod ipsum scire volumus: vel quia est vt adminiculans ad alterum quod per ipsum intendimus scire. Et sic simul datur diffinitio, & dicta diuisio problematis per materiam & finem.

Declaratio diffinitionis problematis.

Est diffinitionis hæc explanatio, quòd problema dicitur speculatio, intelligitur speculatio posita vt genus: & est speculatio habitualis & ex habitu siue vt habituali intellectu procedens consideratio. Et est speculatio non finita: quia si finita esset, non contenderet vlterius: contendere conatum dicit ad vlteriora, & dicit pugnam quam considerans intellectus habet ad vtramque partem contradictionis, per aquè validas vel quasi aquè valentes rationes: quod Boët. vocat ambiguum: quia æqualiter vel quasi æquualenter ambas amplectitur partes condictionis. Et attende, quòd non contendit ad fidem vel opinionem: quia fides & opinio sunt fines speculationi coniunctis: statim enim vt per rationem speculatur, fidem accipit vel opinionem, & non contendit ad coniunctum, sed ad distans. Et ideò vlterior finis ponitur qui per fidem & opinionem speculationis intenditur ad electionem vel fugam in moralibus conferentibus, & omnibus consimilibus ad finem inducendum, sicut in ciuilibus & omnibus mechanicis. In omnibus enim his speculatio contendit quid eligatur ad finem consequendum, & quid fugiatur sicut executionem finis impediens. In aliis autem physicis vel mathematicis vel metaphysicis problematibus speculatis talis non terminata, sed contendens inter vtramque partem contradictionis, contendit ad veritatem rei, si sic vel sic res se habeat: aut fortasse experitur viam veritatis vt sic vel sic comprehendatur. Quamuis sit in moralibus ad duo opposita quæ sunt electio & fuga: eò quod vtrumque expediens & intentum vt finis: non tamen in physicis est ad veritatem & falsitatem, sicut ad opposita, & ad ignorantiam & scientiam sicut ad opposita: quia falsitas & ignorantia fines per speculationem contendetis ad aliud esse non possunt. Nemo enim contendit ad falsum, & nemo contendit vt ignoret.

Falsitas & ignorantia non possunt esse fines speculationis.

Est autem alia diffinitio, quòd problema est speculatiu in eo quod est, aut vt ipsum, secundum se consideratum, aut vt adminiculans ad aliquid. Vt ipsum quidem, sicut est problema quod est essentialis philosophiæ. Adminiculans autem, sicut id quod est de modo omnis philo

philosophiæ: & hoc est logicum secundum quod logica generaliter dicitur omnis scientia sermocinalis, quæ in termino determinatur. Omnia ista quæsita ad alia quæ per ea scienda referimus: & sic sub illa diuisione omnia omnium scientiarum problemata continentur. Est etiam consideratio logicæ duplex: considerat enim vt scientia, & vt ars. Vt scientia quidem considerata, habet finem vt ipsum vt quid dicunt. Considerata verò vt ars, ad modum refertur aliarum scientiarum. Primum autem horum verius. Est autem problema speculatio ad electionem contendens vel fugam, vel veritatem & scientiam, ad aliud speculandum, de quo neutro modo opinatur: quia neque determinatè ad vnam partem contradictionis, nec determinatè ad alteram: aut de qua contrariè opinantur plurimi sapientibus, aut è contra sapientes plurimis, aut vtrique iidem eisdem, hoc est, sapientes sapientibus, & plurimi plurimis.

Obiectio. Et si obiciatur, quòd sapientes non possunt contrariè opinari sapientibus: quia omnes æqualiter iudicant per principia intellectus. Dicendum, quòd sapientes largè dicuntur dispositi & non perfecti secundum sapientiam. *Aliter.* Vel melius dicatur, quod non eodem problemate sapientes iudicant contrariè sapientibus: quoniam propter difficultatem problematis non potest videri causa: & necesse per signa iudicare: & signa apparent ad vtramque partem contradictionis: nisi enim essent contrariè iudicantes per rationes ad vtramque partem facientes, non esset speculatio contendens.

Quædam enim problematum vtile ad, &c. Explanatio diuisionis est, quòd vtile est scire in moralibus vel ciuilibus vel œconomicis vel mechanicis terminum ad eligendum, hoc est, vt informent iudicium electionis: & ideò in talibus facit parum scire, sed ad eligendum vel fugiendum quærimus. Vt gratia exempli, cuin disputatur ad hoc, vtrum voluptas eligenda sit tanquam summum in vita, vel non sit eligenda, sed fugienda tanquam impeditiua ad consecutionem optimi in vita. Quædam autem speculando contendimus ad sciendum, & scire ipsa est contentionis finis, vt vtrum mundus sit æternus, vel non: vel vt dicit Plato, vtrum mundus sit factus, aut non. Quædam autem de numero per se sunt pro se sunt neutro modo inquisita, & ad neutrum horum ordinata: quia nec vt eligibilia, nec vt fugibilia, nec vt per se scire desiderata: quærimus tamen vt adminiculantia sunt ad aliqua talium, sicut vtrum syllogismus constat ex tribus terminis & duabus propositionibus: quod non valet in se, sed ad aliud vt adminiculans ordinatur, quod vel sciendum quæritur, vel eligendum, vel fugiendum: & ideò talia sunt propter alia, vt per hoc aliquid aliud cognoscamus.

Sunt autem problemata de quibus, &c. Sunt autem quædam problemata, de quibus, hoc est, ad quæ contrarij sunt syllogismi, hoc est, ad contraria contendentes: dubitationem enim habent vtrum sic pro parte affirmatiua, vel non sic pro parte negatiua se habet veritas: eò quod in vtrisque partibus contradictionis rationes sunt æqualiter vel quasi æquiualenter verisimiles: & hoc iam ante ambiguum diximus propriè vocari. Est enim putatio interminatus motus rationis super vtramque partem contradictionis. *Putatio ambiguitas, &c.* Ambiguitas, quando vtramque partem ambit per rationes æquales. Fides autem, quando in vnam inclinatur, & illi acquiescit. Opinio autem ex his generatus est non stans sed tremens habitus: eò quod rationem non habet sufficientem. Talia etiam sunt problemata, de quibus (h. e. est, ad quæ) pro vna vel altera parte propter materiæ difficultatem non habemus rationem: vel forte quia in talibus exercitati non sumus, cum sint magna materiæ altitudine & subtilitate: & ideò sumus arbitrantes difficile esse, siue quòd difficile sit in talibus assignare quare, hoc est, causam propter quid: & oportet in talibus ex signis procedere ad disputandum, vt vtrum mundus est æternus, vel non: quia oportet scire si est factus, vel non: & in talibus causæ proximæ & essentiales non inueniuntur. Melius exemplum est, vtrum intelligentia sit ens secundum, vel non: & vtrum intelligentiæ in 10. sunt ordinibus, vel non: & vtrum intellectus hominis est intelligentia vndecimi ordinis, vel non: & talia huiusmodi. Problemata ergo & propositiones dialecticæ, vt dictum est in hoc & in anteriori capitulo, determinentur.

CAPVT III.

De positione.

Positio autem est opinio, &c. POsitio autem adiuncta est problemati, & est quasi accidentale principium syllogismi dialectici. Problema enim est principium quod est circa conclusiones dialecticas, de quo neutro modo opinamur. Positio autem est de quo opinamur contrariè: & ideo hic post problema determinandum est de positione. Positio verò est opinio extranea alicuius notorum secundum philosophiam. Est verò, vt diximus, speculatio duplex. Determinata scilicet, & quiescens in vno per rationem relatam in illud: & hæc vocatur positio. Et est speculatio indeterminata neutri adhærens parti contradictionis: & hoc est problema propriè. Quod autem dicitur extranea, ideo dicitur, quòd pluribus contraria est, licet sapientibus ita videatur. Quod dicitur alicuius notorum secundū philosophiam, meo iudicio est neutri generis, hoc est, alicuius rei opinabilis quæ secundum philosophiam per rationes est notificata: & hoc accipitur ab Arist. in 12. primæ philosophiæ, vbi distinguit inter positum & fictum, dicens quòd positum secundum philosophiam ponit & suppositum: fictum autem est coactum ad positionem: quia sine ratione physica est positum ad voluntatem, quod est præter naturam positionis: quia inualiter posito non ponitur neque quiescit anima ponentis.

Secunda expositio est Alexandrini. Multi tamen & communiter omnes dicunt, quòd est generis masculini sub hoc sensu, quòd positio est opinio extranea alicuius Philosophi,

losophi, qui notus est & approbatus & secundum philosophiam. Et prima expositio est melior, quamuis & ponens non sit notus secundum philosophiam, neque rationem positionis suæ habeat in philosophia. Huius autem exemplum est, quod dicit Antisthenes Heracliti discipulus, quoniam non est contradicere, eo quod contradictio est oppositio eiusdem secundum idem & in eodem tempore: & cum naturaliter omnis res continuè mutetur ab vno in aliud, non erit oppositio eiusdem secundum idem: & cum non possit simul assignari & negari in eodem individuali tempore, non occurrent simul affirmatio & negatio. Hæc autem in quarto primæ philosophiæ habent determinari. Est autem sapientibus extranea hæc positio. Et aliud exemplum positionis est: quoniam omnia continuè mouentur secundum Heracliti positionem, qui hoc posuit: quia vno moto secundum locum, proximum illi mouetur cedendo illi, vel duo simul erunt in eodem loco: & eadem ratione tertium cedit secundo, & quartum tertio: & sic vno moto mouentur omnia & nihil quiescit. Et de hoc in 4. physicorum, habet determinari: non enim necesse est, quod cedat secundum quod in se poni cedere potest per inspissationem vel compressionem alicuius. Aut quoniam vnum est ens, quemadmodum dicit Melissus, quod in primo physicorum & in primo primæ philosophiæ habet determinari.

Secundum Antisthenem non contingit contradicere.

Omnia mouentur secundum Heraclitum.

Bene autem dico, quòd est alicuius notorum secundum philosophiam, & quod positio est ad quam & contra quam disputatur physicè. Stultum autem est esse sollicitum aliquem proferre (hoc est, vt proferat) contraria contradisputando opinionibus quolibet modo prolatis, siue sophistica ratione. Aut etiam stultum est aliquem sollicitum esse proferre rationes disputatiuas opinionibus illis, de quibus habemus planam & aptam in contrarium rationem, vt in positione sophistarum, vt dicitur in Timæo Platonis: sicut diximus, quòd non omne quod est, vel factum, vel æternum est, sicut dicunt & probant sophistæ instantes sic. Nam musicum esse grammaticum (quod per accidens est factum) nec simpliciter est factum, nec est æternum: quia (vt dicunt) quod factum est, ex materia factum est, accid. n autem, maximè spirituale accidens quod est in anima, non habet materiam ex qua fiat: ergo non est factum: nec tamen æternum, cum & incœperit & mutabile sit. Solutio autem sophisticis sit, quòd licet accidens non habeat materiam ex qua fiat, habet tamen materiam in qua fiat: & sic & in illa factum est & non est æternum. Ad talia igitur sollicitari stultum est: quia hoc quod vera est positio, & non fictio, etsi aliis non videatur (eo quod est extranea opinio) videbitur tamen alicui vel de sapientibus, vel de pluribus: eò quod rationem habeat philosophiæ.

Ratio sophistarum, qua concludebat non omne quod est, esse factum vel æternum.

Solutio rationis.

Est igitur omnis positio quidem problema, &c.

Habent igitur se adinuicem positio & problema, sicut inferius & superius: quia omnis positio problema est, sicut omne problema speculationis determinatæ est problema: non autem omne problema positio est: quia non omnis speculatio determinata vel indeterminata, speculatio determinata est: eò quod quædam problematum talia sunt, de quibus neutro modo opinantur: nec ad partem affirmatiuam, nec ad partem negatiuam: & hæc non sunt positiones, cum positio sit problema siue speculatio determinata & quiescens in vna parte contradictionis. Quoniam autem positio omnis problema sit, palam est: quoniam cum positio sit opinio extranea, & sit quorundam opinio, & quibusdam extranea, necesse est ex his quæ dicta sunt de problemate & positione, aut quod plures contrariè sapientibus circa positiones dubitare, aut vtrosliber sapientes sapientibus, aut plures pluribus contrariè dubitare de positione: & cum problema sit quo contrariè opinantur, sequitur quòd positio sit problema, eo quod positio sit opinio quædam quibusdam extranea & quibusdam opinio credita.

Quomodo differunt problema & positio.

Nunc autem in vsu Philosophorum nostri temporis omnia dialectica problemata vocantur positiones, quamuis secundum rationem prædicto modo differant. Sed ad præsentem intentionem nihil differt, quolibet modo dicatur, siue vno siue alio modo. Non enim diuisimus ea siue distinximus prædicto modo, vt nomen diuisum à problemate positionem faciamus, sed vt non lateant nos quæ eorum (hoc est, problematis & positionis) contingunt esse differentiæ abinuicem. Sicut autem iam ante dictum est, non oportet omne problema nec omnem positionem quocunque modo sine ratione propositam per speculationem contendentem ad aliud considerare, sed oportet illam considerare quam dubitabiliter, hoc est, quam modo dubitationis proponet, qui est de numero eorum qui ratione indigent iuuante & confortante ad fidem alterius partis contradictionis: hunc enim considerationibus dialecticis iuuabimus, vt de problemate veniat ad positionem, & de ambiguo ad fidem.

Pene autem nunc omnia, &c.

Nec oportet considerare problema propositum ab his qui indigent pœna in ciuilibus, vel in ira, et sensu in naturalibus. Nam in ciuilibus qui dubitat, vtrum oportet Deum verere & parentes honorare, indiget pœna, quæ hac lege sancia & sacrata: & persuasiuam virtutem non habent, sed coactiuam, vt dicit Aristot. 10. ethic. & ideo indigent pœna legali, qui de hoc dubitant: quia non licet de talibus dubitare. Qui verò dubitat & problema proponit, vtrum nix sit alba, cum in sensu per se manifestum sit, & sensus in physicis particularibus sit certior ratione, indiget sensu.

Non oportet autem problema, &c.

Nota sententiam.

Neque verò problema est vel positio eorum quorum propinqua iuxta sensum omnibus per ea demonstratio est: quia ista omnibus sunt manifesta. Neiterum problema est & his quorum demonstratio per causam est valde longè à sensibus elongata: quia illa ignota sunt, & ratio dialectica non habetur ad ista: propinqua enim manifesta sunt, & habent demonstrationem per causam propriam: ista verò quæ longe distant, sunt plus elon

Neque verò quorum propinqua, &c.

elongera à nobis, quam quòd ad ea argumentari valeamus secundum exercitationem potestatem, ad quam ea dialectica. Hoc tamen notandum, quòd hic valde stricte sumitur positio & pro eo solo opinione inhærente intrinsecè hoc distinctur. & ideo dicitur, quòd de nulla positione possumus neutro modo opinari: quia positio est opinio firmata in vno. In octauo autem in sequentibus huius scientiæ accipietur positio in communi ad probabile & improbabile & neutrum de quo contrarie aliquis potest opinari. Hoc autem in sequentibus et modicum in propriis locis est huius scientiæ.

CAPVT IV.

De speciebus ratiocinationis dialecticæ.

HAbitis autem iam principiis incomplexis & complexis inter talibus ratiocinationis dialecticæ, nunc determinandum est de partibus eius subiectiuis, in quas vt in species diuiditur ratiocinatio dialectica. Determinatis enim his quæ vt complexa & incomplexa integrando constituunt ratiocinationem dialecticam, oportet determinare quot & quæ dialecticarum ratiocinationum sunt species. Quæ non ideo dicuntur species, quod ex æquo diuidant ratiocinationem dialecticam: quia syllogismus per prius participat nomen ratiocinationis dialecticæ & inductio per posterius: sed ideo dicuntur species, quia sunt mod. eiusdem ratiocinationis communitate analogiæ dictæ de ipsis. Est autem hæc vna quædam species ratiocinationis dialecticæ inductio, illa vero syllogismus. Et quidam volunt exemplum contineri sub inductione, enthymema vero sub syllogismo: sed non oportet cum non accipiantur hic species ratiocinationis similiter sicut in secundo priorum, sed tantum species ratiocinationis dialecticæ & completæ: & prius quidem in antehabitis dictum est quid syllogismus est dialecticus.

Inductio est quidem ad vniuersalia, &c.

Quare oratio non ponitur in diffinitione inductionis sicut syllogismi.

Quare dicit ad vniuersalia, & non ad vniuersale.

Inductio autem est à singularibus in vniuersalia progressio. Quia verò inductio non nominat orationem, vel orationum collectionem sicut syllogismus, ideo oratio non ponitur in sua diffinitione in genere orationis sicut in syllogismo, sed nomine suo nominatur ductionis: & ideo dicitur progressio, hoc est, ab inferiore ad superius egressio. Motus autem iste incipit à singularibus, non vno, sed omnibus diuisim acceptis, vel per se, vel vt dicatur, & sic de singulis. Terminus verò ad quem, est vniuersalia, quæ ideo pluraliter dicuntur à singularibus ad vniuersalia progredi, & non dicitur ad vniuersale: quia multiplex est vniuersale: est enim vniuersale rei & vocis per signum distributiuum, & est vniuersale intellectus, quod secundum se à singularibus collectum accipitur: & in omni siue in qualibet inductione est progressio in inductione ad vniuersalia & non ad vnum vniuersale, hoc est, vno modo acceptum. Progressio autem dicitur inductio magis quam alius motus: quia sicut in progressiuo motu primo additur secundum, & secundo tertium, vt patet in passibus, & sic inducitur terminus & finis ista inductione singulare singulari additur, vsque dum in summo singularium vniuersale includitur. Exemplum autem huius est, vt si sit gubernator optimus, & velimus ostendere, quòd qui eruditus est in arte nautica, est optimus auriga: & rector ciuitatis qui est eruditus in regimine ciuitatis, est optimus: & faber eruditus in fabrilibus, est optimus, & sic de aliis: ergo similiter gubernator eruditus in naualibus, est optimus. Et nota, quod infimæ concernit inductionem & exemplum. Vnde Boët. tale ponit exemplum: Rector ciuitatis optimus non eligitur sorte, sed arte, & similiter rector architectonicæ, & sic de aliis: ergo nec rector nauis eligitur sorte, sed arte.

Et nota hic, quòd in omnibus singularibus quæ inducuntur inductiuè, debet esse similis relatio subiecti ad prædicatum in inductione, & sunt singularia, & similitudo. Et quoad singularia quæ sensibus offeruntur, dicitur quòd inductio quoad nos est verisimilior quam syllogismus, & non dicitur verior. Ratione autem similitudinis quæ est inter singularia partiendo prædicatum, dicitur planior, quia in æquè se habent quoad prædicatum singularia, & nullum alteri supereminet. Sicut diffiniens planum dixit Plato, quòd planum est, cuius partes partibus in æquè se habent. In syllogismo autem vna propositio est vt maior, & altera vt minor sub maiori stans, & non æquè, sed contrahens eam. Secundo autem quia sensibus percipiuntur & obiiciuntur singularia, dicitur inductio secundum sensum notior: propter quod etiam inductione ex singularibus collatis ad vniuersale infertur vniuersale, & sic principiū sunt, & vniuersale illatū vel principiatum. Quia autem plures sequuntur iudicium sensus, ideo inductio in pluribus communis est, syllogismus autem sapientibus. Syllogismus autem è conuerso procedens à toto ad partem, violentior est inferendo & probando: quia pars ex toto infertur quæ virtute est in toto, & totum habet influentiam entitatis super partem, & non è conuerso: & ad contradictiones in obuiationibus siue contradictorias conclusiones per syllogismum ad impossibile ducentem, efficacior, quam inductio: & ideo ratione ostensiui syllogismi dicitur violentior: quia ob ligatione principiorum concludit, & ratione syllogismi ad impossibile dicitur ad contradicendum efficacior. Via igitur in ratione dialectica: aut est ex prioribus quoad nos, aut ex prioribus secundum naturam. Primo quidem modo aut est completa, aut incompleta. Si completa, sic est à singularibus ad vniuersalia vniuersaliter accepta, & est inductio. Si autem est incompleta, tunc est de parte ad partem, siue de singulari ad singulare, & est exemplum, quod sub inductione continetur. Si autem sit ex prioribus secundum naturam, aut completa, aut incompleta in medio & principijs. Si completa, est syllogismus. Si incompleta, est enthymema quod sub syllogismo continetur.

Vel sic: omnis processus vel est à parte ad totum,

Determinatis autē his oportet &c.

Ratiocinatio dialectica non dicitur de syllogismo & inductione æquè primò, nec vt de speciebus.

Enthymema & exēplum non sunt species ratiocinationis dialecticæ completæ.

Est autem inductio verisimiliter, &c.

Quare inductio dicitur pluribus communis.

Sufficientia rationum dialecticarum.

Alia sufficientia.

torum, vel à toto ad partem. Si est à parte ad totum: aut est processus ad terminum, vel ad medium. Primo modo est inductio, secundo modo exemplum. Similiter processus à toto ad partem: aut cum determinatione & contradictione totius ad determinatam partem, & sic est syllogismus in quo minor contrahit & determinat maiorem, vt patet cum dicitur: omne animal currit: omnis homo est animal: ergo omnis homo currit. In quo animal determinatur in minori ad hominem, & sic de homine concluditur. Aut est sine determinatione totius, & sic est enthymema. Non est autem processus à toto ad totum: quia inter totum & totum non est aliud continuans: processus autem omnis in aliquo continuante motum vult esse processus, non de toto ad partem: est enim forma totius continens partem. Processus autem de partibus ad totum, est iterum in forma totius collecta ex partibus, & processus de parte ad partem in forma totius secundum vnum modum sparsa in partibus. In forma autem partis non est alius processus, quia forma partis non est commune continens, sed singulare distinctum & segregatum.

Ergo genera de quibus &c.

Generaverò rationalium, propositionum, & problematum, & positionum, de quibus (hoc est, ad quæ) fiunt disputationes, & ex quibus sunt, complexis, vt propositionibus: incomplexis, vt diffinitione, genere, proprio, & accidente, quemadmodum de singulis horum est prædictum in hoc eodem libro, determinatur. Hic enim non oportet ostendere qualiter vna via rationis reducatur ad aliam, sicut quod inductio reducatur ad syllogismum. Non tamen inductio dialectica reducitur ad syllogismum dialecticum. Cuius causa est: quia probabile non semper est quod videtur sapientibus: & ideo inductio reducitur ad syllogismum simpliciter, non ad dialecticum syllogismum: & inductio talis iam in superiori scientia cui ista subalternatur, ostensa est, & supponitur ab ista, sicut etiam supponitur quid terminus, quid propositio, & quid syllogismus, & quæ forma ipsius. Oportet hic specialiter de singulis speciebus rationis completæ & incompletæ, tractare: quia hæc omnia supponuntur à libro priorum.

Quare inductio dialectica non reducitur ad syllogismum dialecticum.

Quærunt tamen quidam, cuius virtute inferat inductio, vtrum virtute sensus, an virtute intellectus? Et videtur, quod nec virtute sensus, nec intellectus: quia sensus non accipit vniuersale quod infertur, nec intellectus accipit singularia ex quibus infertur. Sed ad hoc planum est respondere, cum omnis illatio sit ex collatione inferentis ad illatum, oportet quod illatio sit per virtutem illationis, quæ (vt dicit Isaac) est virtus collativa faciens currere causam in causatum: quia in inductione reflectitur ad sensum, quando accipitur sensibile prout stat sub vniuersali, hoc est, sicut problema in primo physicorum in sensibili mixtum & confusum est.

Dubitatio.

Solutio.

TRACTATVS IV.

De quatuor instrumentis huiusmodi in syllogismis dialecticis.

CAPVT I.

De quatuor instrumentis in communi.

Instrumenta autem per quæ, &c.

INSTRVMENTA autem per quæ abundemus syllogismus, hoc est, quæ nos struunt & instruunt siue intus erudiendo conseruant, vt ad omne problema terminandum syllogismis abundemus. Syllogismus dico quod est principale instrumentum disputationis dialecticæ. sunt quatuor. Vnum quidem & primum est propositionum suppositio, hoc est, propositiones dialecticas scire sumere. Quia propositio immediatarum inter se, rale est ad syllogismum. Sumere autem scimus propositiones, quando eas abundantes ad omnem propositionem concludendam scimus inuenire. Secundum est, quoties vnumquodque dicitur posse diuidere, & diuidere & distinguere: & hoc est secundum quod in terminis (qui in propositione sunt) est acceptum: & ideò vno gradu distat à syllogismi immediato principio: propter quod secundum est: & accipitur hoc absolutè in principiis simpliciter. Tertium autem est differentias vnius ad alterum posse inuenire, quod accipitur in principiis syllogismi comparatis ad alia secundum differentiam quæ alietatis est principium. Quartum verò est similitudinis consideratio tam in syllogismo, quam in contrario & protenso secundum contradictionem & in parabola: & ideo vltimum est inter ea quæ dicta sunt.

Remanet dubium.

Quamuis ista quatuor sunt, non tamen quatuor artes de istis diuisim tradendæ sunt: quia tria istorum reducuntur ad artem primi: tria enim sequentia ad sumptionem propositionum (quæ immediatarum est principium syllogismi) reducuntur. Cuius probatio est: quia quodcunque siue quodliber trium est facile propositionem dialecticam sumere, sicut patet in secundo quod est posse distinguere multiplex, vt si ponatur, quod bonum est eligendum, & potestas distinguendi quot modis dicitur

Sunt autem quodammodo tria, &c.

citur bonum. Dicitur verò bonum idem quod honeſtum & ſuaue ſiue delectabile, & dicitur bonum vtile: per analogiam dicitur de iſtis bonum: & ſiquis hoc ſcit diſtinguere, facit ad facultatem ſumendi propoſitiones. Similiter autem eſt in tertio quod eſt differentias inuenire, quod ſimiliter facit & faciliter propoſitiones inuenire, vt ſiquis proponat, quoniam differt ſenſus à diſciplina, aut negauerit illis qui dixerunt diſciplinam eſſe cognitionem ſenſibilem, & verum dixerunt eſſe in apponendo ſenſibili apprehenſione: conſiderans autem differentias ſenſus & diſciplinæ, eo quod hunc quidem ſenſum amittenti non eſt rurſum ſumere poſſibile: illam autem diſciplinam amittenti rurſum ſumere poſſibile eſt, quia de obliuione ad ſcientiam eſt poſſibile deuenire: & huius differentiæ & illarum differentiarum inſpectione facile eſt propoſitiones ſumere ad propoſitum. Similiter autem & quartum, quod eſt ſimilitudinis inſpectio, facit ad propoſitionum ſumptionem, vt ſicut ſe habet ſanatiuum ad ſanitatem, & eucchiuum ad eucchiam: & qui facit ſimilitudines propoſitionum proponat, quoniam ſimiliter multas ad hæc problemata propoſitiones ſumet. Eſt autem eucchia bona carnis condenſatio in interioribus & exterioribus: quia condenſata caro repellit à ſe contraria, quod non facit caro laxa. Sic ergo reducuntur tria ad primum. Omne quod facit ad facile ſumendum propoſitiones, ad artem ſumendi propoſitiones reducitur. Sed multiplicis diſtinctio, ſimilitudinis conſideratio, differentiarum intentio, facit ad facile ſumendum propoſitiones. Ergo reducuntur ad artem ſumendi propoſitiones. Eſt autem hæc & prima propoſitio ſiue propoſitionum ſumptio quoad facultatem ſumendi ab eo quod eſt multipliciter dictum, ſiue à diſtinctione multiplicis. Secunda autem facultas ſumendi eſt à differentiis conſideratis. Tertia verò facultas ſumendi propoſitiones eſt à ſimilibus, ſiue à conſideratione ſimilium. Omnes ergo tres ſequentes modi habendi in ſyllogiſmis reducuntur ad primum: & ideo cum primo in eadem methodo tractandi ſunt, & ſic de aliis, & cætera.

Eucchia quid.

CAPVT II.

De propoſitionum ſumptione, quod eſt propoſitiones dialecticæ ſcire ſumere.

Redeuntes ergo ad tractandum de ſingulis illorum quatuor, dicimus de primo, quòd ex quo ſic eſt, quòd omnes reducuntur ad primum: ergo propoſitiones quidem eligendum inſpiciendo ad principia eſſentialia & formalia propoſitionis dialecticæ, ex ipſa propoſitione dialectica ſumpta penes ea quæ cadunt in diffinitione propoſitionis dialecticæ, vt dialectica eſt propoſitio. Dicimus ergo, quòd ex dictis propoſitiones eligendum omnibus illis modis quoties (hoc eſt, quot modis) determinatum in probabili eſt (hoc eſt, quoties determinatio ſit accipiendæ propoſitionis in ipſa) propoſitiones, diffinitiones, vel opiniones proponenti (hoc eſt, quoties determinatur alicui qui proponit) opiniones, hoc eſt, propoſitiones opinabiles: ille enim vel proponit aut opiniones omnium, aut ſapientum: & horum vel omnium, vel plurimorum, vel notiſſimorum inter ſapientes. Et iſte eſt vnus modus ſumendi propoſitiones per ea quæ formaliter ponuntur in diffinitione propoſitionis dialecticæ.

Ergo propoſitiones quidem eligendum, &c.

Exempla probabilium propoſitionum.

Exemplum autem quod videtur pluribus, eſt hoc quod dixerunt Democritus & Seneca in libro de temporibus naturalibus, quòd ventus apud vulgares nihil aliud eſt quam motus aëris per loca in quibus eſt aër coarctatus. Huius autem quod videtur pluribus, exemplum eſt, quod verius ſcit aliquis aliquid, ſciens illud per artem, quam per experimentum: hoc enim dicunt omnes ſapientes. Huius autem quod plures ſapientes dicunt, exemplum eſt, vt mundum vnum perfectum eſſe: in hoc enim plures ſapientes conuenerunt. Exemplum autem huius, quòd notiſſimis videtur inter ſapientes, quòd intellectus eſt quoddam diuinum & incorporale in anima. Sic ergo ſumuntur propoſitiones per formalia propoſitionis dialecticæ poſita in diffinitione eius, vt ſumantur prædicabiles ſecundum artes inuentas, ſicut in antehabitis dictum eſt. Sumuntur etiam per formalia poſita in diffinitione dialecticæ propoſitionis: vnde & contrariæ probabili propoſitæ ſecundum omnem differentiam probabilis ſunt accipiendæ: quia contrariæ erunt probabiles, ſi probabile pro contingenti accipitur: quia quod contingit eſſe, contingit non eſſe: & quod contingit omni, contingit nulli: & probabilibus contrariæ ſimiliter ſumendæ ſunt. Quod ſimpliciter contrarias vel in contrario ſubiecto, vel in contrario prædicato, vel in vtroque ſimiliter ſumptis, vel in contrariis ſecundum notam contradictionis protenſis in parabola, quemadmodum dictum eſt prius in diuiſione propoſitionis.

Vtile autem & facere eas, &c.

Vtile etiam eſt ad propoſitionum ſumptionem, non ſolum ſumere propoſitiones probabiles abſolutè, ſed etiam ſub comparatione ad electionem relatas: propter quod vtile eſt & non ſolum quæ in ſe ſunt probabiles, ſed etiam quæ ſunt ſimiles probabilibus, vt cum ſic proponitur, quòd contrariorum eſt eadem diſciplina, quoniam idem ſenſus eſt contrariorum. Et ad exemplum, quoniam videmus intus ſuſcipientes aliquid non extra mittentes ſimpliciter, & videmus & ſecundum alios ſenſus fieri formas ſuorum obiectorum intus ſuſcipiendo: ſic enim audimus & videmus intus ſuſcipiendo, non extra mittendo aliquid, & olfacimus., &c. & ſimiliter in omnibus aliis ſenſibus.

Amplius quæcunque, &c.

Amplius autem ſumendæ ſunt propoſitiones, non tantum penes ipſa formalia in ipſa propoſitione dialectica ſumpta, ſed etiam penes formalia aliunde ſumpta: & primo quidem modo ſumendæ ſunt propoſitiones quæ habent probabilitatem in omnibus vel in pluribus & in quibus non videtur inſtantia, ſed verius aliunde ſumpta eſt: quia videntur eſſe veræ vel in omnibus, vel in pluribus: & iſtæ ſumendæ ſunt vt principium ſyllogiſmi dialectici,

lectici, & tanquam veræ apparentes propoſitiones quæ nullam habeant inſtantiam: tunc enim illis ſumptis tanquam veris (qui non conſpiciunt, quod in aliquo ſit inſtantia propter quam ſic non eſt ſicut vniuerſaliter proponitur) facilius ponent ſiue concedent. Vnde hoc ipſum eſt tam inſtrumentum ſumendi propoſitiones, quam cautela.

Eligere autem oportet, &c.

Adhuc eligere oportet propoſitiones ex quibus abundes & ſcriptis Philoſophorum & rationibus, & facere etiam deſcriptiones faciendo de bono, ſicut fecerunt Stoici, dicentes bonum eſſe quod omnia exoptant: & de animali, ſicut quod eſt animal quod a ſe mouetur motu locali quocunque modo. Et ſumendæ ſunt generales & de bono omni, non de bono moris tantum: quia quanto communius ſcimus, tanto ad plura abundabimus: & illas deſcriptiones, vel ſcriptas vel ad ſimilitudinem figurarum factas, debemus proponere exemplum ad reſpondentem, vel etiam deſcriptiones extra proponimus, quando implicite in re deſcripta per ſermonem explicamus, & ſemper incipientes debemus eſſe in deſcriptionibus vel diffinitionibus, ab eo quod quid eſt, hoc eſt, à genere vel à rei ſubſtantia: quia per iſta eſt facilius ad accidentalia ſci procedere.

Opin. Stoicorum de bono.

Aſſignare autem oportet, &c.

Aſſignare autem oportet iuxta hunc modum & ſingulorum opiniones auctorum vel ſapientum, vt quoniam Empedocles quatuor materialia dixit mixtorū corporum elementa, auctoritati Empedoclis innitentes: quia aliquis reſpondentium præſumens de auctoritate Empedoc. ponit de facili quod audit ab aliquo probabili vel probato in philoſophia dictum eſſe. Hæc autem omnia alienam quandam habent probabilitatem.

Sunt autem vt figuraliter, &c.

Si autem per materiam volumus multiplicare ſumptiones propoſitionum: tunc vt figuraliter (hoc eſt, ſuperficierenus & in communi) ſit complecti & congregare, ſunt propoſitionum & problematum partes tres. Nam aliæ quidem propoſitiones ethicæ, ſecundum quod ethica largè dicta comprehendit monaſticam, œconomicam, & ciuilem. Aliæ ſunt phyſicæ, ſecundum quod phyſica largè dicta comprehendit naturalem & metaphyſicam. Aliæ logicæ, ſecundum quod logica generaliter dicta totum comprehendit trinium vel quatriuium ſecundum Ariſt. quia poetriam ponit pro ſcientia ſpeciali, & logica comprehendit logicam ſtrictè dictam, cuius vna pars eſt dialectica: quia logica ſtrictè dicta eſt de ſyllogiſmo omni, tam ſimpliciter accepto, quam dialectico, quam demonſtratiuo, quam etiam ſophiſtico: dialectica autem de ſyllogiſmo ex probabilibus. Hæc ergo comprehendit & rhetoricam, & grammaticam, & poetriam. Ethicæ quidem ſunt (vt in exemplo declaretur huiuſmodi) vt vtrum oporteat parentibus magis vel legibus obedire ſi diſſentiant: & conſtat, quòd legibus, & leges ſunt ad regulam iuſtæ. Logicæ autem ſunt huiuſmodi, vt vtrum contrariorum ſit eadem diſciplina, vel non. Et nota dubitationis ſemper debet poni & ordinari ad conſenſum reſpondentis, ſi ſint propoſitiones: ſi autem ſint problemata, ad compoſitionem propoſitionis. Phyſicæ ſunt, vt vtrum mundus ſit æternus. Similiter materialiter tria problemata: quia ab omni propoſitione problema faciens tranſumptiuo modo.

Propoſitiones & problemata tria, logica, phyſica, & ethica.

Logica dupliciter capitur & propoſitiones logica ſunt duplices.

Quales autem ſint ſingulæ earum, &c.

Sed cum ſic materialem habeant differentiam, quales ſunt diffinitione ſubtili & propria ſingulæ dictæ propoſitiones, non facile ex logicis eſt diffinitio: quia talis diffinitio vana erit: ſed tentandum ea cognoſcere conſuetudine veritatem vniuſcuiuſque eorum, hoc eſt, conſueta cognitione plurium, quæ eſt per inductionem: & hoc quidem tentandum eſt conſideranti iſtas diuiſionis propoſitionum ſecundum prædicta exempla: ad iſta enim aliæ relatæ cognoſcuntur, vtrum ſint ethicæ, phyſicæ, vel logicæ: & per inductionem cognoſcuntur eſſe veræ. Ergo ad philoſophiam quidem primam ſecundum veritatem & diffinitionem propriam eſſentialem de his pertinet negotiari: dialecticæ autem pertinet negotiari de illis quoad opinionem: & ideo dialecticæ inductio ſufficit. Non ſolum autem materialia & formalia conſideranda ſunt in propoſitionum ſumptione, ſed etiam accidentalia, & præcipuè vniuerſalitas: quia quod eſt categorica vel hypothetica, affirmatiua vel negatiua, parum vel nihil facit ad propoſitionum ſumptionem.

Sumendum autem quàm maximè, &c.

Vnde ſumendum eſt quam maximè vniuerſales propoſitiones: ex his enim contenta omnia particularia ſub illis concludi poſſunt, vt quoniam omnium oppoſitorum eſt eadem diſciplina, & quoniam eorum quæ oppoſita ſunt non ad aliud, eſt eadem diſciplina. Eodem modo ipſa contraria ſub oppoſitis ſumpta ſunt diuidenda, & diſtinguenda, in ſpecialia contraria, donec contingit diuidere, quouſque ad materialem multiplicationem ſtet diuiſio, vt quoniam boni & mali in moribus, & albi & nigri in ſenſibus, & calidi & frigidi in tangibilibus ſenſibus eſt eadem diſciplina. Similiter autem & in aliis quæ diſtinguere habent, faciendum eſt ita ſemper, quod ab vniuerſaliſſimis diſtinctio incipiatur, & fiat vſque ad vltimum. Qualiter ſumenda ſunt ea quæ dicta ſunt, ſufficiunt ad intentionem præſentem: quia ſingularis eſt & vniuerſalis ad omnia problemata, ſicut in arte vniuerſali tractandum eſt.

CAPVT III.

De diſtinctione multiplicis in extremis contrariis, quæ eſt ſecundum inſtrumentum.

Quoties autem negotiandum, &c.

Secundum autem membrum eſt multiplicis diffinitio. Quoties autem vnumquodque dicatur quod eſt multiplex, non ſolum oportet inſpicere vel dicere diuerſum modum ſecundum quem multiplicia ſunt, hoc eſt, quòd conſideretur quia multiplicia ſunt, ſed etiam tentandum eſt aſſignare rationes multiplicis, ſi ſecundum vnumquodque multi-

plicium est altera. Verbi gratia, si bonum oportet dicere, quòd in alio speciali modo dictum est iustitia & fortitudo & alia virtus, & alio speciali modo dicitur eucchiuum & sanatiuum: sed oportet assignare rationem, quoniam bonum de iustitia & fortitudine dicta sunt bonum, vt qualia quædam bonum participantia vt genus: ista autem, eucchiuum & sanatiuum, non dicuntur bonum, eò quod qualia quædam sunt in genere boni, sed dicuntur bona, quia alicuius boni, sicut eucchiæ & sanitatis in aliquo, sicut in hou ine sunt perfectiua: vnde dicuntur bona & sana, quia eucchiæ & sanitatis in homine sunt perfectiua. Similiter autem est faciendum in aliis multipliciter dictis. Hæc enim vt ars quædam de inuentione multiplicis (an aliquid sit multiplex vel non) propria quidem est vniuersalior ars ad inspiciendum in aliud, quam in seipsum: & inspiciendo in aliud, primo inspiciendum est in contrarium, quam in conueniens vel simile.

Verum autem multipliciter vel simpliciter, &c.

Dicamus igitur, quòd verum aliquid multipliciter vel simpliciter (hoc est, non multipliciter) dicitur specie (hoc est, secundum suam speciem & nomen speciei) per hæc quæ statim dicuntur, considerandum est. Primum quidem (hoc est, vniuersaliori & meliori consideratione) perspiciendum est in contrario ipsius, verum illud multipliciter dicitur, siue dissonet ab eo, vt contrarium à contrario, nomine vno est conueniens, specie formæ dissonet, siue nomine diuerso dissonet, & etiam specie nominis: quædam enim contraria statim nominibus & figura vocis diuersa, vt calidum & frigidum: quædam etiam vna figura vocis significantur: & de his post dicemus, vt acuto quidem quod in figura vocis cum acuto consonet in angulis & saporibus: sed acuto quidem in voce contrarium est graue: in magnitudine autem anguli acuto contrarium est obtusum siue hebes. Patet ergo, quoniam contrarium acuto in communitate vocis accepto, dicitur multipliciter & diuersa ratione. Si autem contrarium multipliciter dicitur & in diuersa ratione ad vnum, & in diuersa ratione ad aliud opponitur alteri, & vnius vno modo dicti non sunt diuersæ rationes, iam secundum vtrumque horum diuersum & oppositum in ratione diuersa erit contrarium. Rursum alio exemplo hoc considerandum. Graui in voce acutum in voce est contrarium: graui in magnitudine, quod vocatur graue mole magnitudinis, est contrarium non acutum, sed leue. Propter quod per eandem considerationem rationum multipliciter secundum æquiuocationem graue dicitur: ideo quia contrarium ipsius multipliciter diuersis vocibus dicitur: quia in multis est non figura nominis conuenientibus. Similiter est in alio exemplo de bono siue de boni multitudine: & hæc multiplicitas non est boni vt est bonum, sed est boni huius: siquidem bono vt est animalis (quod est animalis naturale bonum) opponitur fœdum: secundum hoc enim bonum animalis est pulchum in commensuratione partium, & compositione & compositione humanorum ad æquale suæ naturæ: ei verò bono quod est in domo, opponitur pestilens. Bona domus est spatiosa, distincta consistorio, cœnaculo, & cubili, fenestra ad Orientem & Aquilonem, clausa versus Meridiem & Occidentem, & huiusmodi, sicut dat Tullius in libro de structura ciuitatis: pestilens à corruptione ædificiorum, vel aëris pestilentiam inducens. Patet ergo, quòd bonum æquiuoce dicitur de animali & de domo. Hæc igitur quæ dicta sunt multiplicia, contraria quidem habent diuersa, sub diuersa vocis figura, & plurimam contrariorum multiplicitatem ostendit in eis.

Bona domus quæ sit.

In quibusdam multiplicibus contraria (per quæ inuenitur multiplicitas nominibus) nihil dissonant, sed ad vnum nomen æquiuocè dictum de illis: specie autem, hoc est, natura vel significatione manifesta est in eis differentia rationum & diffinitionum. Cuius exemplum in albo & nigro: vox autem alba & nigra dicitur, & similiter color: ergo nominibus multiplex ipsum nihil dissonat: quia vtrumque vno & eodem nomine vel modo dicitur album, specie autem vel natura vel significatione manifesta est in eis differentia. Est enim palam, quòd non similiter (hoc est, secundum significationem vnam) & color albus dicitur, & vox: quia per sensum est discretio & diuersitas significationis statim inuenta. Nam eorum quæ idem sunt obiectiuè & qualitatiuè, idem est sensus: album autem quod in voce & colore est, non iudicamus eodem sensu: sed hoc album quod in colore est, iudicamus visu acceptum: illud autem in voce album, iudicamus acceptum auditu: vox enim dicitur alba quæ clara est graui non interrupta. Similiter autem & acutum & obtusum multiplicia esse probantur dicta in humoribus & saporibus & magnitudine angulata: sed hoc iudicamus acceptum tactu acutum, quod in angulis: illud acutum quod in saporibus, iudicamus acceptum gustu: & ideo multipliciter dicitur. Hæc autè nominibus non dissonant in multiplicibus ipsis; quia in colore & in voce vnum nomen est, & in angulis & in saporibus vnum nomen est: & sic in ipsis nomine non dissonant. Nec etiam dissonant nominibus in contrariis: quia etiam contraria vtriusque vno censentur: obtusum enim contrarium est vtrique: quia obtusum saporibus dicitur & in angulis: sed in vno istorum alia est significatio, quam in alio. Sic ergo considerandum est in habentibus contrarium in vtroque sensu.

In quibusdam autem nominibus, &c.

Amplius considerandum est in his quæ non in vtroque significato habent contrarium, si dicto de vno est contrarium, & dicto de alio non est contrarium: constat enim, quòd multipliciter dicitur, quod sic de diuersis dicitur. Cuius exemplum est, vt delectatio quædam dicitur de potu, & quædam dicitur de theoria, siue contemplatione intellectus in theorematibus: ei enim delectationi quæ est de potu conuenienti, contraria est tristitia quæ est à siti, siue à potu inconuenienti: ei verò delectari quod est in delectabili disciplina in contemplatione theorematum, ab eo quod est contemplari siue considerare, quoniam diameter

Amplius si huic quidem aliquid, &c.

metet est costæ assimeter, vel aliud intellectuale theorema, nihil est contrarium: propter quod delectatio dicitur multipliciter de delectatione potus, & delectatione intellectus. Huius vero causa est: quia intellectus non recipit contraria in virtute actiua contrarietatis, quia sic materialia sunt: sed recipit species contrariorum quæ non sunt contraria, sed æqualiter intellectui conuenientia inquantum sub lumine intelligentiæ accepta ad operationem quasi naturalem & propriam proprij & connaturalis habitus non impediram: sensus autem recipit contraria, & maximè tactus in virtutibus agentibus in contraria. Aliud exemplum eiusdem est eius quod est amare, quod si accipiatur in animæ animali actu siue rationabili siue sensibili agente non præsente materia, sicut est amor & concupiscentia, cui odire contrarium est, quod est volintas siue desiderium nocendi. Et autem amare quod est secundum corporalem actum, nihil est contrarium. Et hæc non est causa quæ dici consueuit: sed hæc est causa, quia amare quod est secundum corporalem actum, est osculari, vel amplexari, & præcipuè communiter illi nihil est contrarium. Sed in spiritualibus siue rationabilibus formæ contrariæ sunt: item idem secundum desiderium nocendi, & desiderium bonum intelligendi siue volendi: & ideo in spiritualibus habet contrarium. Palam ergo, quia amare est æquiuocè dictum de actu carnali, & spirituali, qui est velle bonum: alius vero amor est actualis concupiscentiæ: alibi autem vocatur amor amicitiæ. Sic & acutum dicitur, quod veloci motu & breui tempore penetrat, & quod subtiliter sonat: sed alia ratione in auditu & tactu plana sunt exempla. Sed hoc quod dictum est de delectatione potus, & delectatione theoriæ, est contra Platonis dictum, qui dixit omnem delectationem esse corporalem, & esse generationem siue impressionem conuenientis in animam sensibilem: quod Aristot. impugnat 10. ethicorum ostendens, quòd delectatio æquiuocè dicitur de materiali, & immateriali, & propria, id est, propria & communi delectatione, quæ longum est interferere & superfluum. Ad præsentem intentionem sufficit scire tali signo quod in vno sensu habet contrarium, in alio autem non, quod ipsum æquiuocum.

Quare delectationi quæ est secundum intellectum, nihil est contrarium.

Contra Platonem qui dixit omnem delectationem corpoream esse.

CAPVT IV.

De distinctione multiplicis in mediis.

Amplius in mediis, &c.

AMplius ad distinctionem multiplicium inueniendâ non in extremis tantum considerandum est, sed etiam in mediis si huic quidem in vna significatione est medium: illi autem in alia significatione accepto nihil est medium: tunc enim constat illud esse in multiplex & multipliciter dictum. Cuius exemplum est, vt albi & nigri in coloribus medium est fuscum: in voce autem inter album vocem & nigram nihil est medium: quia vox dicitur nigra per priuationem, & alba per habitum. At si fortè dicatur aliquid medium, illud erit raucum, quod quasi æqualiter distat ab acuto & graui: hoc autem aliud est medium à fusco, quemadmodum dicunt quidam vocem raucam mediam esse inter acutam & graucm, quamuis proprie loquendo non sit verum: quia medium inter contraria stat in actu completo medium perfectum: raucum autem in nullo actu stat, sed est corruptio vocis acutæ, vt dictum est. Propter quod patet per talem medij inspectionem, quòd æquiuocè dictum est album de colore & voce. Similiter autem per eandem consimilitudinem æquiuocè est dictum nigrum de eisdem.

Albi & nigri in coloribus septem sunt media.

Amplius si multiplex & multiplicis distinctio, si horum in vno sensu acceptorum contrariorum plura sunt media, illorum autem in alio sensu acceptorum contrariorum est tantum vnum medium, sicut patet in albo & nigro. Nam horum in coloribus acceptorum plura sunt media, quia septem, vt in lib. de sensu & sensato probatur. In voce autem accepti albi & nigri est tantum vnum medium, secundum quosdam raucum. Patet ergo, quòd album multiplicetur dicitur de colore & voce.

horum, &c.

Rursum non tantum inspiciendo in contraria & media inuenitur multiplicitatis distinctio, sed etiam inspiciendo in contrarium est generalior, quam inspiciendo in contradictionem: quia contradictio non opponitur termino simplici, sed complexo. Considerando ergo in illud, inspiciendum si quod secundum contradictionem opponitur, multipliciter dicitur vel non: nam si hoc multipliciter dicitur: tunc propositum quod secundum contradictionem huic opponitur, dicitur multipliciter. Cuius exemplum est, non videre dicitur dupliciter: vnum quidem non videre in vno sensu dictum, non habere visum, sicut cæcus dicitur non videre: alterum autem non videre dicitur non vti visu, in quo sensu aliquis clausis oculis dicitur non videre: si hoc negatiuum dicitur multipliciter, necessarium est & affirmatiuum quod est videre, multipliciter dici ad habere visum & ad vti visu. Sed quia forte obiceret aliquis, quòd sæpè in contradictoriis negatiua est multiplex, cum tamen affirmatiua non sit multiplex, ideo addendum, quòd hoc non est ita: quia negatiua in vtroque sensu habet affirmatiuam etiam oppositam: vtrique enim non videre vtroque modo dicto opponitur videre, quod est habere visum: ei autem non videre, quod est non vti visu, opponitur videre quod est vti visu: quando negatiua est multiplex & non affirmatiua, tunc negatiua non nisi in vno sensu opponitur affirmatiuæ.

Rursus autem in eo quod, &c.

Non videre multipliciter dicitur: ergo & videre.

Amplius ad inueniendum multiplex, considerandum est in his quæ opponuntur secundum priuationem & habitum: si enim alterum priuatiuè oppositorum multipliciter dicitur, scilicet animam in operatione sentire virtutis quod est idem quod habere sensum, & dicitur etiam secundum corpus sentire in actu operatum quod est quasi vti sensu: tunc

Amplius in his quæ secundum priuationem, &c.

Quemodo sensibile & insensibile multipliciter dicuntur.

etiam insensibile dicitur multipliciter, hoc est, non potens sentire, hoc est potentiam sensitiuam vel virtutem vt organo, vel non operans secundum eam dicitur non sentire, & insensibile, non à priuatione animæ sensibilis in genere, sed à priuatione actus, scilicet sentiendi secundum actum, & secundum habitum: hoc enim dicitur secundum animam à priuatione virtutis in organo, & secundum priuationem actus sensitiui organi. Quoniam autem quæ nunc dicta sunt, opponuntur secundum priuationem & habitum, sensibile etiam & insensibile palam est per seipsum eò quod animalia nata sunt habere vtrumque sensum, etiam in habitu virtutis & in actu, & sic vtroque priuati possunt & sensu secundum animam siue animæ organicam virtutem, & secundum corpus hoc est, secundum organa corporalis operationis & actum: & sic hac consideratione est multiplicitatis inuentio. Disputare autem hic de diffinitione generis oppositionis & differentia & ordine, non est opportunum: eò quod non intendit hic de hoc, sed in prædicamentis. Hic autem non inducuntur genera oppositionum nisi ad multiplicis inuentionem. Nec etiam oportet hic disputare quæ mediata sint contraria, & quæ immediata, etiam quæ plura habeant media, & quæ vnum: & propter quod propter eandem causam, & quia tales quæstiones sufficienter per rationes dialecticas terminari non possunt, & his dimittantur rationibus: quia plus impediunt, quam prædictæ valeant: in aliis enim à nobis est disputandum.

CAPVT V.

De distinctione multiplicis in his quæ conueniunt ei quod est multiplex.

Amplius in casibus, &c.

Casus præ flexione nominis in aduerbium.

AMplius inuenitur adhuc multiplicis distinctio in his quæ conueniunt ei quod est multiplex: & primo considerandum est in casibus secundum quod casus est inflexio nominis in aduerbium: quia cadit à principali à quo formatur, vt si iuste multipliciter dicitur quod est casus, & iustum multipliciter dicitur quod est principale, per cuius inflexionem sumitur casus. Nam secundum vtrumque istorum, hoc est, vtramque acceptionem eius quod est, iustè, quæ duæ sunt, dicitur iustum. Vt verbi gratia si iustè dicitur secundum cognitionem iudicare, hoc est, secundum propriam conscientiam: quia merita rei & accusati cognoscit iudex: & dicitur verè iudicare vt oportet, hoc est, secundum allegata, etsi sit contra conscientiam iudicis. Similiter vtroque illorum modorum dicatur & iustum: quia iustè iudicare est iustum reddere.

Quando iustè dicitur duplicitur sicut iustum.

Quando sanatiuum & sanatiuè multipliciter dicuntur.

Eodem modo est in alio casu, & si sanatiuum dicitur multipliciter, & sanatiuè, & è conuerso in illis quorum vnum inflexum est ab altero sicut casus à principali, sanatiuum quidem multipliciter, & hoc quidem, id est, vno modo est sanitatis effectiuum, vt diæta, vel cibus: illud verò alio modo dictum sanatiuum, dicitur sanitatis significatiuum, vt vrina, vel pulsus: tunc in eadem multitudine casus, qui est sanatiuè, multipliciter dicetur etiam effectiuè vel conseruatiuè vel significatiuè sanitatis. Similiter autem est in aliis, quoniam si ipsum principale multipliciter dicitur, & casus ab eo per inflexionem formatus multipliciter dicetur: & è conuerso si casus multipliciter dicitur, & ipsum principale multipliciter dicetur.

CAPVT VI.

Quomodo inspiciendum in diuersum ab eo quod distinguitur per multiplex.

DIstincta sic inuenta multiplicitate inspiciendum in diuersum ab eo quod distinguitur: inuenienda est etiam inspiciendo in idem ei quod distinguitur, sicut diffinitum & diffinitio sunt idem secundum quod diuersa sunt genus & differentia. Dicamus ergo primo, quòd in distinctione multiplicis considerare oportet si genera eorum quæ sunt distinguenda, sunt secundum nomen prædicamentorum, hoc est, si sua significata sunt in diuersis prædicamentis vel non, hoc est, si eadem sint in omnibus prædicamentis. Nam si significata in generibus prædicamentorum non sunt eadem, manifestum est, quod dicitur æquiuocè, quod dicitur in diuersis generibus esse secundum sua significata: quia essentiæ prædicamentorum sunt impermixtæ. Sicut exemplariter loquendo, bonum quidem in genere ciborum dicitur effectiuum voluptatis: bonus enim cibus est voluptuosus. In genere medicinæ bonum (quod bona dicitur medicina) est effectiuum sanitatis. In anima verò tanquam in alio genere dicitur bonum, qualem esse secundum bonitatem vel castum vel fortem vel iustum. Similiter autem aliquoties hoc modo dicitur in homine qui bonus dicitur: quia qualis est secundum aliquam virtutem. Aliquoties autem in alio genere dicitur bonum, vt quando quod in illo tempore melius est, etsi non simpliciter sit, plerumque dicitur bonum secundum quantitatem, vt quantum sufficit, est bonum: & superfluum & diminutum ab illo, malum: & in medio dicitur bonum, quod nec superfluit, nec deficit à mensura: dicitur enim mediocre bonum quod medium virtutis attingit: propter quod æquiuocum est bonum in omnibus his generibus edictum.

Considerare autè oportebit, &c.

Simili autem exemplo & album in genere colorum est color: in voce autem tanquam in alio genere est album bene audibile & clare. Similiter in alio exemplo & tertio acutum in diuersis generibus significat diuersa: non enim accipitur similiter secundum vnam rationem in omnibus generibus in quibus inuenitur: nam vox quidem acuta velox est, sicut dicunt qui secundum numeros vocum harmonici siue musici sunt, citò & veloci motu penetrans auditum. Angulus autem acutus in geometria est, qui minor est recto. Cultellus autem in genere substantiæ dicitur esse acutus, vel gladius, qui

Similiter autè album in corpore, &c.

qui est anguli acuti. Sic acutum dicitur multipliciter in generibus illis.

Considerare autem genera, &c.

Considerare autem oportet si oppositum cuius multiplicitas quæritur, sit in eodem generalissimo secundum omnes suas acceptiones: tunc oportet considerare genera subalterna eorum quæ sunt sub eodem nomine, si sunt diuersa & non subalternatim posita, quamuis sunt in eodem generatiuo, vt asinus dicitur animal, & vas quo cochlearia referuantur: secundum hoc enim genera in quibus est asinus, vas & animal, diuersa sunt similiter & ratio: quia alia est ratio vasis, & alia animalis: nam hoc quidem enim vna significatione significat quale quid, hoc est, animal in genere animalis: illud verò in alia significatione significat quale quid quod est vas.

Quomodo asinus est æquiuocus multiplex.

Si autem subalterna genera sunt, &c.

Si autem subalternatim posita sicut in genere sint in aliquibus, vt corpus animatum & animal, non propter hoc necessarium diuersas habere rationes: quia quod est in inferiori, est etiam in superiori, & recipit vniuocè vtriusque generis. Sicut dicimus cornicem & animal & auem esse: & non propter hoc dicitur coruus æquiuocè animal & coruus. Quando ergo dicimus coruum & animal esse & auem, quale quidem dicimus vniuoce coruum esse: quia vtraque genera sic subalternatim posita de coruo, eodem nomine & ratione prædicantur. Similiter autem in differentiis generalibus, vt quando dicimus coruum & volatile & bipes: cum enim coruum & volatile & bipes dicimus, & sic genera vtraque subalternatim posita, de coruo vniuocè prædicantur, de eodem prædicatur ratio eorum generi in quibus ponitur coruus. In non subalternatis autem generibus non accidit; quando idem, hoc est, sub eodem nomine dicitur esse in illis: nec enim quando asinum vas dicimus, animal significamus: sed dicendo coruum auem, significamus eum esse animal: & dicendo ipsum animal, significamus esse auem.

Considerare autem non solum, &c.

Considerandum autem non solum si propositi, cuius quæritur multiplicitas, sint diuersa genera & non subalternatim posita, vt dictum est: sed considerandum in contrario, si contrarium huius secundum diuersa multipliciter dicitur, palam, quoniam & propositum ad minus secundum habilitatem, quamuis fortè contrarium prout in diuersis generibus est, nomen vnum non habeat: quia à nobis est vtrum sit vnius nominis vel diuersorum: in hoc autem nulla vis est.

Vtile autem & ad diffinitionem, &c.

Non tantum ad differentias est vtile inspicere ad multiplicis inuentionem: sed & vtile est inspicere ad totam diffinitionem, quæ est essentia completa diffiniti, cuius quæritur multiplicitas, quæ fit ex toto composito distincto. Dico autem compositum vt compositum ex genere & eo quod dicitur esse in ipso, vt album quando ponitur in corpore, & quando ponitur in voce, vt in generibus, compositum est corpus album, & compositum est vox alba: si enim diffiniatur corpus album & vox alba, si album vniuocè est in illis, tunc perempto siue ablato eo quod vtrique proprium est, & in quo vnum separatur ab altero, quod est corpus & vox, eius quod remanet, vnam oportet relinqui rationem in vtroque. Hoc autem in æquinocis non accidit: quia in illis eius quod relinquitur, diuersa est ratio, vt patet in illis quæ nunc dicta sunt: quia album est quod relinquitur, & ex hoc in duobus dictis generibus non est: nam hoc quidem etiam album in corpore erit corpus talem colorem habens: in diffinitione enim accidentis præcipuè denominatiuè dicti cadit subiectum: illud autem etiam in voce erit vox bene audibilis. Interempto ergo à diffinitionibus istis corpore & voce, quæ sunt propria & priuata & separata genera, non idem & vna ratione est dictum in vtroque genere quod restat, quod est album, non vnius est rationis in talibus.

Sæpè autem & in ipsis, &c.

Tamen sæpè etiam in ipsis diffinitionibus in quas inspicitur, latet assequens, hoc est, diffinitioni communicans æquinocum: propter quod etiam in diffinitionibus considerandum eadem consideratione si aliquid sit positum æquinocè. Cuius exemplum est, vt alius dicat diffiniêdo significatiuum sanitatis, sanatiuum, quod mediocriter se habet ordinatiuum ad medium siue temperamentum sanitatis: & eodem modo quod mediocriter se habet ad sanitatem, diffiniat & perfectiuum sanitatis: non enim statim pertransitoria inspectione discedendum est ab inspectione diffinitionis, sed inspiciendum quid hoc est, in qua significatione dixit, mediocriter se habens ad sanitatem, secundum vtrumque sanitatis etiam significatiuum & sanitatis perfectiuum. Et considerandum est si hoc mediocriter etiam sanitatem in vna significatione dixit diffiniendo tantum esse secundum significationem quantum est significare medium sanitatis: illud autem mediocre in alterius diffinitione tale dixit, quod sit significare qualis quidem habitus sanitatis, quia medij & contemperati: patet quia mediocriter se habens ad sanitatem in his diffinitionibus æquiuocum & multiplex est.

Amplius si non comparabilia, &c.

Amplius autem considerando in accidentibus deprehenditur multiplex: si enim ea quæ sunt sub vna voce, non sunt comparabilia secundum vnam formam in voce figuratam. Dico autem comparabilia simpliciter, vel secundum magis & minus & æquè: omnia enim vniuoca comparantur secundum magis & minus accidentia, secundum prius & posterius analoga: & ideò si in illa forma comparari non possunt ea quæ sub eadem voce figurantur, erunt proculdubio æquiuoca, & multipliciter dicta, vt alba vox, & vestis alba non comparantur in albedine: quia vox nec magis nec minus, nec æquè alba dicitur vt vestis. Et similiter acutus humor & acuta vox in accidente comparari non possunt: hæc enim nec similiter (hoc est, æquè) nec magis nec minus vnum altero dicitur acutum. Propter quod æquinocum est & album & acutum in diuersis generibus dictum. Nam omne vniuocum in forma quam significat nomen, comparabile est, quod eandem formam & nomen idem participarent non similiter (hoc est, secundum æquè) dicetur, vt homo & asinus animal: aut alterum dicetur magis vel minus, vt nix dicitur albior veste.

Quoniam autem diuersorum generum &c.

Quoniam autem diuersorum generum & non subalternatim nec sub aliquo communi

Dixit nec sub alio communi genere p. sorum: propter inf. ant. ph. l. 4. topic. c. 2. in princ.

genere positorum diuersæ sunt species & differentiæ, vt animalis & scientiæ, quæ sub nullo genere communi vno modo ponuntur. Considerandum si ea quæ sunt sub eodem nomine, diuersorum generum & non subalternatim positorum sunt species & differentiæ: si enim sic sunt, constat quod æquiuocum non est. Cuius exemplum est, quod acutum est species & differentia vocis, & angulate magnitudinis: differt enim vox à voce, eò quod vna sit acuta propter hoc acutum est æquiuocum in voce & magnitudine: diuersorum enim generum, &c.

Rursus si eorundem, &c.

Rursum autem in diuersa genera considerando, si eorum quæ sunt sub eodem nomine significata, diuersæ sunt species & differentiæ & non subalternatim posita, item est æquiuocum, vt coloris qui in corporibus dicitur color albus, & coloris qui est in melodijs musicis, sunt diuersæ differentiæ, & non subalternatim positæ: nam coloris qui est in corporibus, sunt aggregatiui & disgregatiuicius vero coloris qui est in melodijs, non sunt eædem differentiæ & clarè & non clarè audibile propter quod colore erit æquiuocum: nam eorundem, hoc est, eorum quæ dicuntur vt eadem, sunt eædem differentiæ & diuisiuæ & constitutiuæ.

Amplius quoniã species nullius est, &c.

Amplius adhuc considerando in id quod est idem: quoniam species in aliquo genere constituta non est differentia, cum species nullius generis vel speciei differentiæ sunt: quia species sunt in esse perfecto constitutæ: singularium enim eorum species est inspiciendum, si eorum quæ sunt sub eodem communi nomine proposito (cuius multiplicitas quæritur) hoc quidem species est, illud autem significatum est differentia. Cuius exemplum album quod in corpore acceptum, est species coloris: album autem quod est in voce, est differentia. Cuius probatio est: quia differt vox à voce: eò quod alba vel clara sit, alia autem non alba siue obscura sit: æquiuocum est ergo album. Siquis autem huic obuiet, quod corporeum & incorporeum sunt diuersa, & non subalternatim posita: & tamen eorum est vna differentia quæ rationale dicitur, quæ homini conuenit & Deo, vt dicit Porphyrius. Ridendum est potius, quam soluendum. Ergo de eo quod est de multiplici dicto instrumento per hæc quæ dicta sunt & huiusmodi (hoc est, per similia his) est perspiciendum.

Obiectio.

CAPVT VII.

De differentijs, & est tertium instrumentum.

Differentias & in ipsis, &c.

Differentias autem est considerandum, & considerandæ sunt in ipsis quæ sunt in eisdem generibus posita, quas habent differentias adinuicem: quia in illis in quibus est maior conuenientia, magis difficile est differentias inuenire, sicut exemplariter loquendo in quo differt iustitia à fortitudine, vel in quo differt prudentia & temperantia: omnia enim hæc sunt in eodem genere virtutis, & sunt partes honesti, vt in fine primi rhetoricæ dicit Tullius. Considerandæ autem sunt differentiæ ex alio genere ad aliud, hoc est, in his quæ sunt in diuersis generibus non subalternatim positis: in his tamen quæ non nimis differunt. Dico autem nimium differre, quæ in nullo genere conueniunt, nec propinquo, nec remoto, sicut illa quæ sunt in diuersis generalissimis: nam illa quæ nimis differunt in talibus, manifestæ sunt differentiæ, & non oportet dare artem ad inueniendum illas. Exemplum autem huius considerationis, vt si quæritur, in quo differat sensus à scientia? sensus enim est in genere corporis, scientia autem in genere virtutis intellectiuæ: & non sunt in eodem genere habitus, sed differunt per materiale & immateriale, & acquirere per experimentum & doctrinam.

CAPVT VIII.

De similitudine, & est quartum instrumentum.

Similitudinem autem considerandum, &c.

Similitudo quæ est quartum instrumentum in his quæ sunt in diuersis generibus: quia in his artificiosius est eam inuenire: & hæc est inuentio similitudinis & similitudo habitudinum in proportione, vt sic dicatur, sicut se habet alterum ad alterum in eo quod quid in genere sit, sic se habet aliud ad aliud. Verbi gratia, sicut se habet disciplina ad disciplinatum in accipiendo intellectuale, sic se habet sensus ad sensatum in accipiendo sensibile siue materiale: & iterum in habitudine ad subiectum, sicut cum dicitur, sicut alterum est in altero, sic aliud est in alio sicut in subiecto: quemadmodum visus est in oculo, sic mens est in anima: & vt tranquillitas est in mari, sic serenitas est in aëre. In similis autem inspectione maximè oportet exercere in his quæ multum distant: ita tamen, quòd in eodem sint genere: quia in reliquis quæ non multum distant, facilè poterimus ex nobis conuenientias & similitudines inuenire, & in quæ nimium distant, similitudines inuenire vel nimis difficile est vel impossibile.

Considerandum autem &c.

Considerandum autem in his quæ sunt eadem secundum formam: quia hoc facile est: quia ista quæ sunt in eodem genere, sunt in forma generis similia. Sed considerandum si quid accidentalium omnibus inest idem: quia in hoc sunt similia, vt si quicquid inest homini & equo & cani, quæ sunt in eodem genere: nam si aliquid inest omnibus idem, & vnum in omnibus existens, proculdubio in eo similia sunt: cum similitudo, vt dicit Boëtius, sit rerum differentium eadem qualitas.

***

CAPVT

CAPVT IX.

De vtilitate distinctionis multiplicis.

Vtile autem quoties dicitur, &c.

TAngendo horum instrumentorum vtilitates, non oportet exponere primi: quia hæc per immediatam ordinationem vt principium ordinantur ad syllogismum, & in syllogismo patet vtilitas eius. Tangendo autem vtilitates secundi instrumenti dicimus, quoties dicitur vnum quod est, est vtile considerare ad manifestum (hoc est, vt manifestum fiat) in quo sensu accipiatur propositum, vt opponens & respondens ad idem se referant: magis enim sciet & melius quis respondentium, quid hoc est in quo sensu proponitur ab opponente, quando per distinctionem multiplicis palam factum est quot modis dicitur, quod ponitur. Vtile etiam est ad fieri (hoc est, si fiant) similiter opponentes ad eandem rem (hoc est, ad eundem sensum) in quo accipit respondens: & sic non fiant syllogismi ad nomen tantum, & non ad intentionem, nisi prius fiat distinctio multiplicis: si enim ex multitudine obscure sit aliud quoties dicitur, accidit non ad idem secundum rem & intentionem, & eum qui respondet, & eum qui interrogat, intentionem ferre. Si autem per distinctionem manifestum sit quoties dicitur, & ad quid respondens se ferat (hoc est, ponat) siue concedat ipsum, ridiculosus videbitur interrogans siue opponens, si non ad idem cum respondente sermonem (hoc est, rationem) faciat. Tertio autem vtile est hoc instrumentum & ad non paralogizari quoad respondentem, & paralogizari quoad opponentem. Cuius probatio est: quia nos scientes quoties aliquid dicitur, non paralogizabimur respondenti, sed statim per distinctionem sciemus, si non ad idem quod positum est, sermonem (hoc est, ratiocinationem) faciat qui interrogat siue opponit. Et nos ipsi opponentes facultate huius instrumenti poterimus paralogizare respondenti nobis. Dialecticis autem hoc aliquando necessarium, vt quando proteruus est respondens, vt paralogizatus quiescat à proteruia. Paralogizabimus ergo respondentem vt sit sciens quoties dicitur vnumquodque in oratione vel disputatione accepta. Hoc autem quod est paralogizare proteruum, non in omnibus orationibus est possibile: quoniam multiplicia fiunt de numero eorum quorum vnum (hoc est, vno sensu) acceptum verum, in alio falsum: tunc enim magis patebit inconueniens conclusum.

Est autem non conueniens, &c.

Est autem modus hic qui est paralogizare, non conueniens dialecticæ disputationi: propter quod omninò & vniuersaliter verendum est dialecticis hoc disputare, ad nomen & non ad rem referendo disputationem, nisi opponenti qui scit per experimentum proteruiam respondentis, quod non possit alias propter respondentis importunitatem de proposito disputare. Sunt ergo tres dictæ vtilitates secundi instrumenti: quia distinctio multiplicis, aut vtilis est propter propositum in se acceptum, & sic est vtilitas prima: aut vtilis propter propositum ad aliud comparatum: & tunc aut est comparatum ad disputationem, & sic est vtilitas secunda: aut comparatur ad condisputantem, & sic est vtilitas tertia.

CAPVT X.

De vtilitate inuentionis differentiarum.

Differentias autem vtile, &c.

DIfferentias autem inuenire (quod est instrumentum tertium) est vtile & præcipuè ad syllogismos de eodem & de diuerso construendos: & hoc est vtilitas differentiæ inquantum differentia est & diuisiua. Et secundo est vtile ad cognoscendum per diffinitionem vnumquodque: quia per differentiarum diuisionem venamur diffinitionem: & scientes vltimam differentiam constitutiuam cum genere, scimus, quod est species diffinita. Quòd autem sit vtile ad syllogismos de eodem & diuerso, manifestum est ex his quæ nunc dicuntur: nos enim inuenientes differentiam propositorum (hoc est, inter preposita) ostendentes erimus, quoniam non idem. Quòd autem vtile sit hoc instrumentum ad cognoscendum quid est siue diffinitionem, hoc probatur: eò quod solemus separare ab aliis omnibus, hoc est, rem talem damus quæ suis differentiis separet ab aliis omnibus: hoc autem facimus conuenientibus in vtrisque differentiis, quæ sunt tunc vnum quod diffinitum. Vtilitas autem prima accipitur à differentia inquantum est diuisiua. Secunda autem à differentia inquantum est constitutiua.

CAPVT XI.

De vtilitate speculationis similitudinis.

Similitudinis autem speculatio, &c.

SImilitudinis autem speculatio, quæ est quartum instrumentum, vtilis est ad inductiuas ratiocinationes: eò quod singula quæ sunt in vniuersali forma similia, habent induci ad vniuersale inferendum: & hæc est prima similitudo quæ speculanti occurrit. Secundo autem vtilis est ad syllogismos ex hypothesi: quia illi ex sensu procedunt, vt si sit in vno quod in omnibus simile. Et tertio vtilis est ad assignationem diffinitionis. Hæc autem per ordinem probantur. Quod autem ad inductiuas rationes sit vtile similitudinem inspicere, ex hoc probatur, quod tunc singula in similibus accepta, hoc est, in quo sint similia, aggredimur adducere, siue vniuersalem propositionem concludere: hoc enim non facile (sed impossibile) est sic inducere ignorantibus similia, hoc est, id in quo singularia sunt similia.

Ad syllogismos, &c.

Quod autem vtile sit ad syllogismos ab hypothesi, probatur: quia iste procedit ex hoc

hoc consensu, quod si probabile est apud respondentem, quod quemadmodum in vno similium se habet, sic se habeat in reliquis omnibus similibus: vt si anima Sortis sit immortalis, quòd anima cuiuslibet hominis sit immortalis. Propter quod ex vno similium concesso, ad quodlibet aliorum poterimus disputare, si præconcedimur pro consensu, quòd quemadmodum in his quæ alij sunt similia, se habet, sic & in proposito se habere: ostendentes autem illud quod in similibus se habet, ostendentes erimus ex hypothesi, quoniam in proposito sic se habebit: facimus enim sic demonstrationem ostensionem ex similibus per hypothesim inductam.

Ad diffinitionis assignationem probatur valere inspectio similium: eò quod ponentes inspicere quid in vnoquoque inferiorum est est idem essentiale quo omnia inferiora eadem sunt, non dubitamus in quid oporteat genus ponere, vnum id quod propositum est, diffinientes, ponere: & sic eadem sunt genere. Nam inter communia genus est id, quod maximè prædicatur in quid de eo cuius est genus. Hæc ergo diffiniendo ponemus pro genere, & sic procedemus ad diffinitiones. Similiter autem & in multum (non tamen minimum) distantibus ad diffinitiones vtilis est similitudinis inspectio, vt in his quæ sub eodem genere generalissimo in diuersis generibus sunt non subalternatim positis. Vt gratia exempli considerabimus, quoniam idem & simili genere remoto, tranquillitas in mari, & serenitas in aere (vtrumque enim quies est) in hoc sunt similia. Et quoniam idem punctus in linea & vnitas in numero: vtrumque enim est principium, licet non eiusdem. Quoniam in omnibus rebus diffiniendis primum quidem conuenientiæ genus assignantes (hoc est, primum commune assignantes pro genere) opinabimur non extraneè diffinire, sed propriè.

Ad diffinitionum assignationem, &c.

Penè autem & omnes aliquid determinantes siue diffinientes sic ex genere incipientes, solent diffinire assignando primò: & deinde ex isto accipientes differentias. Nam vnitatem sicut genus ponentes sic diffiniendo principium numeri dicunt esse, & punctum lineæ, in genus vtrumque ponentes modum: ergo quoniam aliquid commune vtrorumque est vnitatis & puncti, genus ponunt quod est principium.

Penè autem & determinantes, &c.

Istæ autem vtilitates sic accipiuntur. Requiritur enim aliquorum similitudo: aut vnum similium continetur in alio vt pars in toto, aut vtrumque similium continetur in alio vt in toto in quo assimilantur. Si primo modo, sic valet ad syllogismos ex hypothesi, vbi ex vno singulari infertur vniuersale. Si autem ambo continentur in alio vt in toto: aut ipsa similia sunt in illo actualiter, & sic sumitur prima vtilitas, quia singularia inducentia actu sunt in vniuersali: aut sunt in ipso potentialiter, & sic sumitur vltima, continetur enim species potentia in genere, & inferiora in suis superioribus similiter. Ipsa autem in scientia sic accipi possunt: aut enim inferunt huiusmodi in syllogismis immediatè videlicet in syllogismum, aut mediatè. Si immediatè, sic est primum instrumentum: quia sumptio propositionum immediata principij syllogismi est inspectio. Si autem ordinantur ad syllogismum mediatè: hoc est directè, aut indirectè. Si directè: aut ordinantur ad syllogismum negatiuum, aut affirmatiuum. Primo quidem modo est instrumentum tertium: quia differentiæ faciunt ad syllogismum negatiuum. Si secundo, sic est instrumentum quartum: quia similitudinis inspectio ordinatur ad syllogismum affirmatiuum: quia simile affirmatur de simili.

Sufficientia vtilitatum quæ est ex speculatione similitudinis.

Instrumenta igitur per quæ abundantia sumitur syllogismi dialectici, hæc sunt quæ dicta sunt, loci & considerationes ad quos vtilia sunt, ea sunt quæ dicta sunt, hæc quæ in sequentibus libris per singula determinabuntur. Ea autem quæ contra hæc quæ dicta sunt, obiici solent, ridiculosa sunt.

Instrumenta autè per quæ, &c.

LIBER

LIBER II.

TOPICORVM, DE INESSE simpliciter, & vt accidens secundum eius primam diffinitionem.

TRACTATVS I.

De terminatione problematis per essentialia & intrinseca problematis.

CAPVT I.

Quatenus procedendum, & quid obseruandum, & quid cauendum in hac arte.

Sunt autem problemata tum alia, &c.

IAM autem quantum præsenti sufficit intentioni, determinatis his circa quæ & de quibus est syllogismus topicus siue dialecticus, quæ est ars generalissima accingi debemus ad determinandam artem specialem, quæ est ars terminandi singula problemata in speciali. Sed quia omnia problemata per inesse sic vel sic, terminari habent: inesse perfectissimè est inesse vt diffinitio, quia hæc inest per se & essentialiter & secundum esse completum & conuertibiliter; ideo omne quod per diminutionem ab hoc inesse est, clarè refertur ad ipsum, sicut proprium quod per se & conuersim inest, sed non essentialiter: & sicut genus quod essentialiter inest & per se, sed non secundum esse completum: & sicut accidens quod neque essentialiter, neque per se, neque secundum esse incompletum vel completum inest, sed inest tantum non conuersim. Propter quod, vt dicit Boët. in diuisionibus suis, quidam Peripatetici id quod inest vt accidens, inesse vt genus dicebant: propter hoc quod simplicis inhærentiæ est. Et primum elementum ad inesse, vt diffinitio, probloma de accidente primo ponemus: quia accidentis diffinitio prima inesse accidentis determinat: quia neque inest vt genus, neque vt proprium, neque vt diffinitio: inest autem rei, ita quod simpliciter inest, aut ab inesse habet esse, eò quod causatur ab eo: ideò cum accidente dicto simpliciter, determinabimus hanc & quandàm vniuersalem artem, sicut in præhabitis quantum ad determinationem eius quod inest, diximus: & ideò rationabiliter aliis est anteponenda.

Ab hac ergo incipientes, primo quæ seruanda & quæ cauenda sunt in hac arte dicamus. Supponentes igitur diffinitionem problematis ante habitam, secundum eam problema primo diuidimus dicentes, quòd sunt problematum alia vniuersalia, signo vniuersali affirmatiuo vel negatiuo distributa: alia verò particularia signo particulari in suis subiectis determinata, in quibus infinita comprehenduntur: vtraque autem sunt vel affirmatiua vel negatiua. Exempla autem horum sunt, vt (quoniam omnis voluptas est bonum) propositio cui appositio modo dubitationis ad compositionem, formatur problema vniuersale affirmatiuum. Exemplum autem propositionis à qua formatur problema vniuersale negatiuum, est quoniam nulla voluptas bonum: in quod negatio feratur ad compositionem, vt quoniam quædam voluptas non est bonum.

Sunt autem ad vtraque, &c.

Quamuis sic per quantitatem problemata diuidantur: tamen in ipsis problematibus potentiora sunt vniuersalia, quam particularia: & quia vniuersalia communia sunt & ad concludenda vniuersalia, & ad concludenda particularia, & constructiuè, & destructiuè. Nos enim ostendentes, quoniam omni inest, & quoniam alicui inest ostendentes erimus: & per vniuersale concluditur particulare. Similiter in negatiuo modo ostendentes, quoniam nulli inest, ostendentes erimus, quoniam non omni inest, quod æquipollet alicui non inesse. Ordo igitur consequentiæ expostulat, quòd primum ostendamus de vniuersalibus qualiter terminentur, quam de particularibus: & inter vniuersalia primum de negatiuo vniuersali, quam de affirmatiuo: quia negatiuum destruc-

tiuum

ctiuum est: & eò quod communia sint huiusmodi vniuersalia problemata, vt diximus, ad vniuersalia & particularia. Negatiuum autem præponitur affirmatiuo, quia magis est de intentione opponentis negatiuum, quam affirmatiuum: quia respondentes magis afferunt de inesse affirmatiuo, quam de non inesse: disputantes opponentes destruunt (hoc est, destruere conantur) & sic intendunt concludere negatiuam problematis. Hic igitur vnus modus procedendi.

Est autem difficillimũ conuerti, &c.

Secundus autem modus, quo inest quod inest vt accidens, obseruandus est, hoc est, quod notandum est, quod difficillimum est conuerti eam conuenientem nominationem quæ est in accidente, quia inesse probatur, hoc est, quòd difficillimum est probare; quòd simpliciter conuertitur inesse ad denominationem ab inesse: hic enim vocatur conuerti, vbi sequitur denominatio ad inesse simpliciter, sic sequatur ab inesse simpliciter ad denominationem: sequitur enim, iste est albus: ergo isti simpliciter inest albedo: sed non conuertitur, isti simpliciter inest albedo: ergo est albus. Dico autem simpliciter inesse, quod supra inesse nihil addit, ita quod inesse est simplex non determinatum aliquo modo inhærendi, hoc est, quod non inest vt genus, nec vt proprium, nec vt diffinitio, sed simpliciter inest rei, ita quod simpliciter modum dicat inhærendi, à priuatione modi qui aliud addit supra inhærentiam: sic enim albedo secundum dentem simpliciter inest Æthiopi, & nigredo secundum pedes simpliciter inest cigno. Huius autem causa est, quòd in his solis quo, hoc est, secundum quid inest, & non vniuersaliter, hoc est, & sine determinatione in solis conuenit accidentibus. Et huius probatio est, quòd prædicationem factam à genere, proprio, & diffinitiuè, necessarium est conuerti. Sequitur enim, risibile inest vt proprium homini: ergo homo est risibilis: & è conuerso, ergo risibile est in homine: & iterum hoc inest vt genus, vt animal homini: ergo homo est animal, & è conuerso ergo animal inest homini: & similiter in eo quod inest vt diffinitio, vt si inest alicui gressibile bipes, est similiter. Similiter autem conuertitur à genere: nam si animal inest alicui, illud similiter est animal. Eadem autem conuersio est etiam in proprio: si enim inest alicui hoc proprium, grammaticæ susceptibile esse, erit similiter prædicatum, quod est grammaticæ susceptibilis: nihil enim horum trium prædicamentorum contingit secundum quid inesse & non simpliciter, vel non inesse secundum quid: sed simpliciter contingit hæc tria vel inesse, vel non inesse.

Quid sit inesse simpliciter intelligendum.

In accidentibus autem nihil prohibet, &c.

In accidentibus autem nihil prohibet aliud secundum quid inesse, & non simpliciter, vt iustitiam secundum quid inesse, vt albedinem conuenit inesse secundum quid, quando non inest nisi secundum partem non principalem à qua denominari non potest totum: & iustitia secundum partem, hoc est, imperfectè, & non simpliciter secundum perfectum esse iustitiæ, quod est inesse secundum habitum, & secundum suæ causæ perfectionem, quæ est assuetudo. Propter quod non sufficit ostendere, quoniam inest albedo, vel iustitia, ad ostendendum quoniam aliquis iustus simpliciter vel albus est simpliciter. Propter quod non est necessarium in omnibus generaliter quibus aliud inest vt accidens, denominationem fieri quæ est ab eodem quod est in accidente. Causa autem huius est, quamuis ex dialecticis determinari non possit, tamen vt facilior sit doctrina, interponatur ex alijs. Dicamus igitur, quòd sunt quædam formæ subiectum determinantes, ita quod sunt esse subiecti vel causatæ à subiecto simpliciter, ita quod non secundum partem, vel secundum quid: & ab illis omnibus conuertitur prædicatio ab inesse, & è conuerso, vt genus & diffinitio quæ simpliciter sunt esse subiecti, & formæ totius, & proprium causatur à principijs propriis subiecti simpliciter, & non secundum partem: & ideo in talibus conuertitur adinuicem prædicari simpliciter, & inesse, & è conuerso. Sunt etiam formæ non determinantes subiectum simpliciter, sed secundum quid: & hoc dupliciter, vel quia insunt secundum quid subiecti, vel quia insunt secundum quid causæ causantis ea in subiecto: secundum quid subiecti, vt albedo in dente Æthiopis: secundum quid causæ causantis in subiecto, vt iustitia inest dispolito & non perfecto secundum iustitiam: & ab his non conuertitur ab inesse ad prædicationem: quia talibus licet insint albedo & iustitia, non sequitur, quod albi & iusti sint.

Quare non valet consequentia ab inesse ad esse in accidentibus, ad bene in alijs prædicamentis.

Obiect. 6.

Fiunt tamen instantiæ ab his quæ dicta sunt, crispus simpliciter dicitur, cui inest crispitudo secundum caput: & simus vel aquilus, cui insunt illæ passiones secundum nasum. Et quod quidam dicunt, quod hoc est, quod licet talis forma insit secundum partem vt subiecto, tamen causa talis formæ (quam dicunt esse secundum complexionem) inest secundum totum. Ridiculum est, & non verum: non enim oportet crispitudinem capitis à tota causari complexione, nec etiam simitatem in naso. Et ideo dicendum est, quòd sicut in anatomia est, quod quædam partes corporis, vniuersalis sunt virtutis, influentiam super alias partes habentes, vt cor, hepar, & cerebrum, & vasa genitalia, à quibus totum denominatur: vnde totum corpus calidum dicitur à calore hepatis, totum viuum vita cordis, totum masculum à sexu genitalium: sic & denominatione, quòd à parte a qua totum denominatur, vt à capite homo crispus, & à naso simus: à formis autem aliarum partium quibus totum non est natum denominari, non fit talis totius denominatio: & hæc est solutio vera.

Solutio quorundam ridiculæ.

Alia solutio pro qua vide D. Albert. 5. phys. text. com. 1.

Determinare autem oportet & peccata, &c.

Determinare autem ante alia nos oportet etiam peccata quæ sunt in problematibus impedientia disputationem: quoniam hæc sunt duo vitia, vel in eo quod mentiuntur proteruiendo contra requisitum sensum aliud ponentes, vel in eo quòd transgrediuntur positam nominationem locutione nominum aliter vtentes quam ad significandum instituta sint. Nam & mentientes etiam, quia dicunt aliquid inesse quod non inest, peccant: quia impediunt consequentiæ opus. Sed hoc peccatum remediabile est: quia corrigi potest disputatiuè ducendo ad inconueniens respondentem mentientem.

tientem. Et quia extraneis nominibus res (de quibus est sermo) appellant, vt qui hominem dicunt plantam propter proceritatem & spissionem. Et illud peccatum non est remediabile per disputationem: quia ex tropis & metaphoris nullus est processus syllogisticus: eò quod transgreditur positam locutionem siue nominationem: & peccatum mendacij est in voce relata ad rem: aliud verò est in sermone relato ad loquentem. Hæc igitur duo peccata in problematibus cauenda sunt.

Et si obiicitur, quod nemo ponit id quod est omninò falsum, vt in primo huius scientiæ lib. dictum est. Dicendum, quòd mendacium quod est peccatum in problematibus, maximè est in mendaci consensu respondentis, vt dicat se consentire in affirmatiuam, quando consentit in negatiuam: vel dicat probabile quod non est probabile: per hoc enim impeditur consequentiæ opus & est prauissimus.

CAPVT II.

De determinatione problematis de inesse vt accidens per locos intrinsecos per respectum ad prædicatum.

PRoblema igitur de accidente primo per locos & considerationes à locis tractas, determinandum est. Dico autem per locos & considerationes speciales: ideo quia hoc quod inest vt accidens, ab inesse habet esse, & denominationem, & generationem: quod non est in aliis prædicatis: quia quod inest vt genus, per hoc quod inest, est causa, & similiter quod inest vt diffinitio: & quamuis proprium à subiecto trahat esse & causam, hoc tamen non fit nisi ex substantialibus subiecti: propter quod genus vel aliud principium essentiale ponendum est cum proprio; quando bene assignatur proprium: & ideo addit modum inhærendi specialem super inesse, & quoad hoc non totum esse suum accipit ab inesse simpliciter: sicut accidens propter quod inest vt accidens, non verè ineſt: & ideo inesse simpliciter habet determinari cum eo quod inest vt accidens. Primo igitur oportet ponere considerationes tam destructiuas quam constructiuas ad inesse vel non inesse simpliciter: & tandem in sequenti libro determinabimus problema de inesse vt accidens, non absolutum, sed ad aliud comparatum. Procedendo autem ad determinandum problema de inesse vt accidens, primo sumemus considerationes à locis intrinsecis, & postea à locis extrinsecis, & à locis intrinsecis sumendo primo considerabimus in his quæ sunt intrinseca vt pars essentiæ, & postea in his quæ sunt tota essentia: sed quia hæc omnibus intuentibus, vel à quibus trahuntur considerationes, manifesta sunt, amplius in his non est immorandum.

Cum autem accidentis duæ diffinitiones assignatæ sunt in libro præcedenti, quarum prima data est de accidente secundum quod actu inest, altera secundum quod potẽtia inest: primus locus erit & summus, si aliquid assignatur inesse vt accidens, tale prædicatum tunc considerandum est, si id quod vt accidens inest, se dixit respondens, secundum aliquem modum alium alterius prædicati inest: tunc enim sequitur, quòd non inest vt accidens, cum accidens sit quod neque est genus, neque diffinitio, neque proprium, sed inest ei simpliciter, ita quod ab inesse trahit esse suum. Hoc autem modo maximè peccatur contra genera: eò quod vtrumque horum prædicatorum inest non conuersim: & ideo habent similitudinem hæc duo prædicata adinuicem. Propter quod dicit Boët. quòd aliquando quod inest vt accidens, inesse vt genus alij dicebatur: quia quantum ad inesse non conuersim simpliciter insunt vt genus & accidens. Huius autem exemplum est, vt si quis albo accidens dicat colorem esse: album enim ratione formæ sumptum, species est coloris, & non subiectum: & ideò non accidit ei inesse colorem, sed est substantiale vt genus dans esse speciei: non enim accidit ei sicut subiecto colorem inesse, sed genus albi sic sumpti color est. Hoc autem peccatum contingit determinare eum qui ponit, siue eum qui respondet positum concedendo secundum nominationem. Quamuis non semper exprimat sermone, quòd inest vt accidens id quod ponit inesse: vt quando dicit, quòd accidit iustitiæ virtutem esse, quamuis non addat, quòd inest vt accidens. Sæpe enim non determinante respondente modum inhærendi, manifestum est, quòd id quod inest vt genus, assignatur inesse vt accidens, vt in prædicto exemplo si dicat iustitiæ accidere virtutem esse, cum virtus non sit accidens iustitiæ, sed genus eius, & quod in ipsa. Hoc fit etiam in modo prædicationis, quando id quod est genus & substantia alicuius, denominatiuè prædicatur de substantia speciei, vt si quis dixit albedinem colorari, ita quod prædicet colorem denominatiuè non aliquid coloratum: non enim color alio & alio albedo motu à generante fit, sed eodem: quia color est substantia albedinis, & eodem fit albedo & color.

Vnus ergo locus est inspicere, &c.

Si autem albedo diceretur colorari propriè: tunc oporteret, quòd albedo esset substantiuum inesse in toto motu, & color alio quodam motu inferretur in ipso, vt probatur quinto physicorum: & hoc modo denominatio non fit nunc ab accidente quod per motum sit in subiecto. A nullo enim genere, eo quod ipsum est quid non inductum per modum motus, denominatiua fit prædicatio de sua specie. Idem est si dicat aliquis ambulationem moueri: ambulatio enim species est motus: & motus est genus ambulationis. A nullo enim genere prædicatio denominatiua dicitur de specie secundum dictum modum denominationis: sed omnia genere prædicantur vniuocè nomine & ratione quæ secundum nomen generis sumuntur de suis speciebus: nam species in prædicando suscipiunt & nomen & rationem. Respondens igitur qui dixit, album est coloratum, non assignauit prædicatum vt genus eò quod id assignauit prædicari denominatiuè, quod generi non conuenit, quando vt

genus prædicetur, nec assignatur vt proprium neque vt definiens eam prædicati, eo quod differentia neque proprium alicuius subiecti est, nisi eorum est definitio vel proprium: sed multa etiam de numero aliorum ab albis colorantur, vt nigrum & medio colore colorata, vt lignum, lapis, homo. Manifestum ergo est, quod id quod denominatiuè dicitur inesse, vt accidens inesse assignetur.

Obiectio.

Si quis autem obiiciat, quòd sæpè denominatiuè prædicetur & genus, vt videtur. Omnis enim linea breuis, vel longa, omne longum vel breue quantum est, ergo omnis linea quanta vel quantum. Omnis numerus rectus vel paucus: omne paucum vel multum quantum: ergo omnis numerus quantus. Et sic est in multis. Dicendum, quòd denominatio sit propriè, & communiter. Denominatio autem propriè dicta non fit nisi à forma quæ altero motu alterationis inducitur subiecto: ideo enim propriè esse constituere inesse enim est de subiecto ad subiectum. Et hoc ostendit ipsum nomen denominationis: de enim proprie, cum tranſitionem & diuersitatem notet, alicuius diuersitatis adnotationem importabit: & cum nominis communis, vt homo est animal substantia fiat à forma substantiali, consequenter denominatio ab accidentali forma fieri debet: & hæc est propriè denominatio, quæ fit per motum ad formam alio motu introductam præter subiecti esse: per talem enim formam propriè fit denominatio: & sic quod vt genus, non prædicatur denominatiuè. Et iterum denominatio large & non propriè dicta, quæ non habet rem denominatam, sed modum tantum, sicut principium qualitatis est, secundum quam quales dicuntur: & tamen per vnam formam accidentalem propriè fit denominatio à forma generis, & à forma differentiæ, & à forma speciei, & alij ab huiusmodi forma quæ vt habitus communiter significatur. In tali enim forma duo sunt: & inclinatio ad id quod subsistat et quod largè loquendo vocatur subiectum, & quo est dispositio ad actum vel finem: & quoad primum substantialis forma constituit subiectum, & quoad secundum est dispositio ipsius, quæ habet modum qualitatis, & ab hac accipit modum denominationis, vt cum dicitur homo humanus qui humana agit, & animalis homo qui totaliter suas prosequitur concupiscentias, & sic de aliis. Et linea dicitur esse faciens quantitatis dimensionem, & breue & longum hoc modo quanta dicuntur: & hoc modo vnitas dicitur vna, quia facit actum vnitatis in vnitate sicut in aliis, facit enim eam in se indiuisam, & ab aliis diuisam: & hoc modo dicitur vnitas vna, & bonitas bona. Et in talibus, vt diximus, non est vera denominatio, sed modus denominationis. Hoc tamen modo non dicitur albedo alba, & scientia sciens, vel sapientia sapiens: quia tales formæ accidentales non habent talem differentiæ respectum ad subiectum, & ad actum vel finem per inclinationem ad subiectum non constituunt subiectum, sed constituuntur ab eo: & ideò sunt dispositiones ad actum vel finem respicientes: propter quod non ita reflectuntur in seipsis denominatiuè. Et hæc est vera solutio dubitationis, quamuis quidam aliter dicant, de quorum dictis non est curandum.

Solutio. Quomodo denominatio est duplex, & quomodo genus de se prædicari denominatiuè de suis speciebus, & quomodo non.

CAPVT III.

De eodem per locum à partibus sufficienter enumeratis.

ALius autem locus est inspicere ad aliqua subiecta quibus inesse dicitur prædicatum: & est locus iste à partibus sufficienter enumeratis. Si enim vniuersaliter dicitur aliquid alicui inesse vt accidens, aut omnibus affirmatiue, aut nulli negatiuè considerandum est illud secundum species sub subiecto distributo acceptas: & sic sub subiecto accipiendo non oportet accipere statim infinita singularia accidentia in infinitis singularibus existentia: quæ à genere non statim descendendum est ad singularia: quia infinita sunt: quia hoc difficile esset vel impossibile considerare singillatim in vniuersis singularibus. Vnde statim ad species considerandum est an inueniatur instantia vel non: in his enim est via magis & facilior: & ideo est via magis in talibus: quia in paucioribus consideratio est facilior ad propositum concludendum. Oportet enim considerare & incipere sic à prioribus partibus & speciebus, & quæ immediate sunt sub genere communi: & si in illis non inuenitur instantia, deinde sub speciebus oportet descendere vsque ad individua, in quibus stat diuisio ipsius totius subiecti, circa quod aliud vniuersaliter inesse vel non inesse dicitur. Cuius exemplum est vt si aliquis dixerit omnium oppositorum eandem esse disciplinam, perspiciendum primo in generibus & speciebus oppositorum hoc modo, si eorum oppositorum quæ sunt ad aliquid, sit eadem disciplina: & si eorum quæ sunt opposita secundum contradictionem, sit eadem disciplina: & si eorum quæ secundum priuationem & habitum sunt opposita, sit eadem disciplina.

Abus locus est inspicere, &c.

Et si in his quæ sunt species oppositorum nondum sit manifesta instantia, rursus vlterius est diuidendum, & sub speciebus oppositorum accipiendum vsque ad individua, in quibus vt ibi vltimis stat diuisio. Verbi gratia, vt si iusti & iniusti sit eadem disciplina, quæ sunt sub specie contrariorum: vel si dupli & dimidij sit eadem disciplina, quæ sunt sub oppositis eorum quæ sunt ad aliquid: vel si cæcitatis & visus sit eadem disciplina, quæ sunt sub oppositionis specie dictæ secundum priuationem & habitum: vel si esse & non esse sit eadem disciplina, quæ sunt sub oppositione dicta secundum affirmationem & negationem. Nam si sic descendendo ad partes subiectiuas ostendatur probando, quoniam non est eadem disciplina aliquorum oppositorum: tunc interimentes erimus problema propositum, & quod non omnium oppositorum est eadem disciplina: quoniam omnium oppositorum esse eandem disciplinam & aliquorum oppositorum non esse eandem disciplinam sunt contradictoriæ:

Et si in his manifestum non sit, &c.

dictoriæ: & ideo non possunt simul esse veræ: quia aliter de eodem numero esset affirmatio & negatio vera: quia signum vniuersale facit, quod eodem numero affirmatur in vniuersali & negetur in particulari oppositio. Similiter autem est faciendum, quando prædicatur nullum esse in negatiua vniuersaliter: quia instantia quæ in partibus ad interimendum vel construendum propositionem.

Iste autem locus conuertitur, &c.

Iste autem locus à partibus, vel consideratio tracta à loco, conuertitur per oppositas qualitates & ad destruendum & ad construendum propositionem. Hoc patet: quia si in omnibus partibus videatur inesse prædicatum, quæ proferuntur per diuisionem ad individua, vel in pluribus, ita quod non videatur instantia: tunc est concedendum, & vniuersaliter est ponendum prædicatum inesse subiecto: aut oportet respondentem instantiam ferre, quia in aliquo contento sub vniuersali sic non sit, sicut vniuersaliter est propositum: nam si neutrum horum faciat respondens, & quod nec vniuersaliter concedat, nec ferat instantiam per quam id interimat quod vniuersaliter proponitur, & tamen neget propositum, inconueniens videtur non ponere vniuersaliter quod est positum: & sic videtur esse prauus socius, & peccans peccato mendacij contra problema.

Obiectio prima.

Si autem hic obiicitur, quòd quædam propositiones vniuersales non supponunt nisi pro generibus singulorum, vt cum dicitur, omne animal fuit in arca Noë: in quibus non habet descendere ad individua. Adhuc autem quædam videntur veræ vniuersales, nullam habentes singularem veram, vt omnis homo de necessitate est animal: cum tamen hæc, Sortes nec Plato de necessitate sit animal. Adhuc autem in descendendo sub oppositis relatiue duplum & dimidium, & sub contrariis ad album & nigrum, non est descensus ad individua. Et ad individua descenditur ad infinita, de quibus non potest fieri disciplina, vt dicit Plato: & sic videtur ista consideratio esse falsa & inutilis.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Solutio prima.

Dicendum est cum dicitur descendi habere sub vniuersalis distributo, intelligendum, quòd tantus debet esse descensus, quanta est distributionis diuisio: quando autem distribuitur pro generibus singularium, non fit diuisio sub nisi in partes ad formas diuisas: & ideò vltra istas in tali diuisione nihil accipiendum: & si aliquid vlterius accipitur, tunc fit descensus ad id quod non est sub distributione, & non valet talis processus. Quando autem fit distributio pro singulis subiecti materialis: tunc ad omnia materialia sub subiecto existentia descendendum est.

Solutio secunda.

Hæc autem propositio, omnis homo de necessitate est animal, sicut multi dicunt, duplex est: ex eo quod potest esse de re, vel de dicto. Et si est de re, dicunt quod est falsa. Si autem est de dicto, dicunt quod est vera, sub hoc sensu, omnem hominem esse animal de necessitate est verum, vel hominem esse animal est necesse. Potest tamen dici, quòd necessariam esse propositionem dicitur dupliciter: aut necessitate rei; vel necessitate cohærentiæ prædicati cum subiecto: sicut & hæc, necesse est Deum esse ij sius rei necessitate: & sicut dicimus, quòd necesse est hominem esse animal necessitate cohærentiæ prædicati cum subiecto: & hoc mediate vel immediate. Immediate quidem, vt quando inter subiectum & prædicatum non est medium, per quod prædicatum inest subiecto, vt cum dicitur, homo est animal. Mediatè autem quod per medium aliquod essentialem substantiam participat, vt cum dicitur, Sortes est animal: quia Sortes est homo, & homo est animal: & hoc modo Sortes de necessitate est animal, quia Sortes essentialiter est homo.

Necessitas propositionis dupl. ex: rei, & cohærentiæ.

Quomodo ista, Sortes est animal, est necessaria mediatè: ista autem, homo est animal, est immediatè necessaria.

Cum autem sic descenditur ad partes formaliter diuisas, & non materialiter: tunc istæ partes dicuntur indiuisæ: non quia simpliciter diuisio sit in ipsis, sed quia fiat in ij s diuisio formalis; & sic duplum & dimidium, & album & nigrum dicuntur individua: & similiter dicendum est in aliis, &c.

Solutio tertia, & quarta.

CAPVT IV.

De determinatione eiusdem problematis de accidente per inspectionem ad diffinitionem subiecti vel prædicati problematis vel vtriusque.

Alius autem locus, &c.

Alius autem locus intrinsecus ad determinandum problema de inesse siue modo accidentis (ita vt non exprimatur per sermonem, quod insit vt accidens, sed quod simpliciter insit, vel non insit) est diffinitiones facere accidentis seu prædicati quod inesse dicitur, vel vtriusque subiecti etiam & prædicati aut alterius eorum: & facti s diffinitionibus oportet considerare in diffinitionibus, si aliquid subiecti & prædicati non verum secundum rem, vt verum in propositione sumptum sit: & hoc primum considerandum est in diffinitione prædicati. Cuius exemplum est, vt in probleniate quæsitum est, si inest Deo non iustitiam facere (hoc est, si hoc prædicatum, iniustitiam facere, inest Deo) hoc est, insit vel possit inesse Deo: diffinicndum est prædicatum sic, Iniustitiam facere, est proximo nocere sponte & sine causa: statim erit manifestum, quoniam non est (vel conuenit) Deo hoc prædicatum quod est iniustitiam facere: non enim hoc conuenit inesse Deo quod est nocere sponte: quia sic Deus esset malus & vitiosus, quòd non potest esse. Similiter considerandum est in diffinitione subiecti, quis sit inuidus, & quæ per diffinitionem sit inuidia: quia vnum conjugatorum scitur per alterius diffinitionem: nam si inuidia est tristitia in apparenti prosperitate alicuius, & studiosus nullos ad mala prouocans: tunc manifestum, quòd inuidus non est nec esse potest: sequeretur enim, quod studiosus esset prauus: & si prauus, non studiosus.

Irerum diffiniatur vtrumque, & prædicatum & subiectum, & diffinitio vnius referatur ad diffinitionem alterius. Cuius exemplum est,

fiat problema conueniens si reprehensor sit inuidus: diffinitione notificetur vterque, & reprehensor, & inuidus: manifestum erit ex comparatione diffiniti ad rem, vtrum verum vel falsum est quod dictum est prædicatum inesse subiecto: videtur ergo si inuidus est, qui tristatur in bonorum prosperitatibus, reprehensorem esse illum qui in malorum prosperitatibus tristatur. Et hic palam est, quoniam inuidus non est reprehensor. Impedimentum huius considerationis posset esse, quod aliquid positum est in diuisione non manifestum, propter quod à respondente negaretur tota diffinitio: & hoc impedimentum removendum est sic, quod pro his nominibus (quæ sunt non manifesta in diffinitionibus) oportet sumere diffinitiones: & si adhuc in illis diffinitionibus pro nominibus sumptis sunt iterum quædam non manifesta, pro illis sumenda sunt diffinitiones: & hæc oportet non dimittere, sed continuè facere, donec ad notum veniat, ita quod respondens per notum habeat occasionem negandi propositionem. Et hoc quidem facere est necessarium; quia sæpè fit in disputatione dialectica, in qua ex probabilibus proceditur, quòd tota diffinitio designata adhuc non palam est quod quæritur quia quæ in diffinitione ponuntur, non sunt manifesta, vel de aliquo illorum quæ in diffinitione ponuntur, non est manifestum, quod in problemate quæritur inesse subiecto. Quando autem diffinitio ponitur pro aliquo eorum quæ posita sunt in propositione (hoc est pro aliquo nominum in diffinitione positorum) manifestum tunc fit vtrū insit vel non insit quod inesse quærebatur aut dicebat: & ideo vtile est diffinitionem pro nomine obscuro ponere, cum per hoc problema determinetur, & per hoc respondens non habeat negandi occasionem. Hæc autem diffinitionem dicimus omnis nominis declarationem, siue sit diffinitio, siue descriptio, siue nominis interpretatio: eò quod hæc omnia prout sunt principium inferendi in syllogismo dialectico, per vnum modum communem sunt dispositio medij syllogismi dialectici. Et ideo non distinguitur diffinitio à descriptione vel nominis interpretatione: quia prout sunt dispositio medij vno modo ad inferendum dispositionem. Sed si referuntur ad rem, quam notificat, oportet sic distinguere: quia aliter notificat rem ista tria, & aliter diffinitio, quia per substantialia: & aliter descriptio, quia per accidentalia: & aliter nominis interpretatio, quia per causam quæ illa imposuit: & hoc modo hæc tria sunt tres loci in trinseci, sicut in topicis suis dicit Boët. Sed hæc non considerantur hic, sed vt vnumquodque istorum, si inuenerit faciens manifestum ad considerandum hic sumitur: & ideo vno nomine indistinctè hæc significatur idoneitas istius considerationis quæ penes rem sumpta est hic: quia adhuc præter ea quæ dicta sunt.

Quid per diffinitionem hic intelligendum

Quomodo diffinitio descriptio & nominis notificant aliter & aliter rem.

Amplius oportet eum qui opponit, quòd non secundum inesse ad prædicatum accidentale proponatur vniuersale, propositionem cōsiderare apud se, vtrum ista propositio habeat instantiam: & si apram habeat instantiam, tunc proponit eam cum ipsa instantia, quia tunc respondēs facilius admittit eandem gratia aliorum: nam instantia erit argumentum mentem arguens respondentis ad propositum destruēdum: & hoc cauetur per hoc quod ab opponente ponitur instantia: quia tunc non habet respondens occasionem præter quam neget propositionem gratia aliorum. Est autem hic locus de inesse vel de diffinitione accidentis, penè idem cum penultimo siue cum eo qui immediatè ponitur ante istam considerationem, & docet aliquid inesse, vt accidens eis subiectis, quibus vel omnibus inest vel nullis, secundum quod dictum est inesse vel non inesse: nam & ibi docetur si aliqua est instantia vniuersalis propositæ per diuisionem vsque ad singularia. Differt autem in modo quodam: quia ille considerat prædicatum vt accidens inesse subiecto vniuersaliter: hic autem constituit prædicatum inesse subiecto non determinando modum etiam quod vt accidens insit sed vt simpliciter prædicatum in subiecto esse vniuersaliter. Idem ille docuit considerare, vtrum insit aliquid vt accidens: hic autem docet considerare, vtrum insit vt diffinitio. Adhuc autem quia ille est per comparationem ad opponentem tantum: hic autem per comparationem ad opponentem & respondentem. Alia autem idoneitas qua idonei crimus secundum hunc locum, est sumpta ex parte sermonis.

Amplius præter ea quæ dicta sunt, oportet opponentem determinare quæ sunt illa quæ oportet dicere vt plures, & quæ sunt quæ non oportet dicere vt plures. Hoc enim vtile est ad destruendum propositum & ad construendum: & sic maior est potestas siue facultas istius considerationis quam alterius. Verbi gratia, quoniam nominationibus res ipsas nominandum siue nuncupandum vt plures, siue communitas hominum nominat ipsas eadem. Sed quæ rerum sint huius virtutis vel effectus, iam non attendendum est pluribus qui vires & naturas rerum ignorant. Cuius exemplum est, vt istud nomen quod dicitur sanatiuum: quod autem sanatiuum perfectiuum sit sanitas, dicendum est vt plures: ad hoc enim significandum vtimur dicto nomine: vtrum verò res proposita, scilicet diæta vel medicina secūdum actum sit sanitas perfectiua vel non, non dicendum vt plures dicunt: quia non per interiora rei iudicant: sed dicendum est de talibus rebus vt dicit medicus sapiens, qui scientiam talium experimentalem habet & artem, quod non est plurium, sed paucorum & sapientum. Propter quod dicitur communiter, quòd loquendum est vt plures, sentiendum autem vt pauci: quia sapientes sunt pauci.

Amplius de-terminare quæ oportet dicere, &c.

Si autem alius obiiciat, quòd nomina imposita sunt à rerum proprietatibus & formis, & sic à sapientibus, & sapientis est hoc considerare, & loquendum est vocabulis, & vtendū prout sunt imposita: & sic videtur, quòd loquendum sit vt sapientes. Dicendum, quòd hoc verum est, quòd à rerum proprietatibus sapientes imposuerunt & imponunt vocabula, sed ab exterioribus rei imposita sunt & communibus: & sic sunt in vsu communiter loquentium: & hoc modo etiam in loquendo sumen

Obiectio.

Solutio. Quare non est loquendū vt sapientes, sed vt plures & quomodo hoc intelligendum.

sumenda sunt vocabula: sed sapientes in vsu vocabulorum profundantes in rebus inspiciūt proprietates, & ad illas referunt vocabula, & ideo transgrediuntur politam locutionem, & ideo peccant in problematibus. Propter quod non est loquendum vt sapientes, maximè in rerum diffinitionibus & descriptionibus quæ loco nominum siue vocabulorum ponuntur, vt ista docuit considerare: idoneus ergo sic efficitur in dicta consideratione opponens, si apertam non in vniuersali proponit instantiam, & si vocem nominum refert ad plures, & rerum virtutes & causas & effectus refert ad sapientes & paucos qui secundum intentum iudicant de rebus propositis.

Amplius si multiplex sit propositum, &c.

Amplius si obscuritas sit in propositione proposita, aut est obscuritas propter multiplex aliquid in oratione proposita, aut aliter obscuratur oratio, propter quam causam non conceditur à respondente: & siquidem est multiplex, oportet quod illud sit multiplex non valens ad disputationem dialecticam, cum non deseruiat nisi deceptioni sophisticæ, sicut est multiplex in compositione & diuisione & figura dictionis. Si autem in propositione vel problemate proposito dicatur aliud esse multiplex siue dicatur sic, quoniam inest prædicatū subiecto in propositione negatiua, hoc est dupliciter in æquiuoco multiplicitate vero multiplex latet respondentem, aut non latet illud multiplex ad propositum. Si quidem latet respondentem ipsum multiplex: tunc sufficit alterum siue vnum sensum manifestare siue probare eorum quæ multipliciter dicuntur, si non possit in vtroque sensu ostendere: si enim in vtroque sensu potest ostendere, tunc omnis occasio negandi auferetur respondenti. Si autem non valet in vtroque sensu ostendere propositionem, ostendat saltem in altero: quia tunc conceditur à respondente: quoniam latet multiplex omnis sēsus multiplicitatis. Hoc modo est vtendum in multiplicibus æquiuocis quæ latent respondentem: nam si respondentem non lateant quæ multipliciter dicuntur: tunc in alio sensu quam probent, instabit respondens, dicens quoniam non monstratum est, quòd ipse dubitabat, hoc est, in hoc sensu non est probatum in quo ipse dubitando negabat. Potestas autem huius loci est siue considerationis, quòd ad vtrumque, scilicet ad construendum & destruendum conuertitur. Nam construere volentes propositum, ostendemus, quoniam alterum, hoc est, in vno sensu inest quod propositum est inesse: quia totum vniuersale construitur vna sui parte constructa. Construemus ergo alterum inesse si ambo non poterimus. Destruentes autem siue destruere volentes propositum, ostendemus quoniam ipsum multiplex alterum (hoc est, in altero sensu acceptum) non inest, si non poterimus ostendere ambo (hoc est, in vtroque sensu) non inesse, & tunc destruere secundum omnem sensum inesse. Sic ergo & ad construendum & ad destruendum valet ista consideratio, & locus considerationis, qui est locus à partibus.

Sed destruēti quidem non oportet, &c.

Sed differentia est inter hæc, quòd alicui opponenti in destruendo nihil oportet vti præconfessione respondentis ad destruendam vniuersalem propositionem, siue sit affirmatiua, siue negatiua: non enim oportet vti in disputando præconfessione respondentis, quod si velimus destruere omni inesse, siue velimus destruere nulli inesse. Si enim ostenderimus vni alicui singularium non inesse, siue quod secundum vnum sensum non inest, siue præconfiteatur respondens siue non, interemptum est omni inesse, siue secundum omnem sensum multiplicitatis inesse. Similiter autem in proposito. Si enim ostenderimus, quoniam vni alicui inest secundū vnum sensum multiplicitatis inest, interimemus nulli inesse, siue secundū nullum sensum verū esse. Sed construētibus, hoc est, construere volentibus vniuersale ex particulari, præconfitendum, hoc est, præconfessione respondentis vtendum & in negatiua & in affirmatiua, vt quod confiteatur respondens, quòd sicut est in vno, ita est in aliis: vel sicut non est in vno, ita non est in aliis: & hoc est ideo: quia non aliter ex vno particulari inferrur vniuersale vniuersaliter distributum. Præconfitendum ergo si vni inest, omni inesse. Et si similis sit propositio, hoc est quod sicut se habet in vno, ita se habeat in omnibus proposito posita: non enim sufficit disputasse si vni inest, omni inesse, nisi ex præconfessione: vt si ostendatur, quoniam anima vnius hominis est immortalis, quod sequitur, quoniam omnis hominis anima est immortalis.

Hoc autem non semper faciendum in vniuersalibus problematibus, sed in aliquibus quando non facile est vnam dictarum rationū dicere vel ostendere, secundum quam singularia respiciunt vniuersale, sicut faciliter potest ostendere geometer vnam communem rationem, quòd omnis triangulus rectilineus habet tres angulos æquales duobus rectis. Sic ergo procedendum, quando respondentem latet æquiuocum in propositione proposita.

Hoc autem non semper faciendum, &c.

Si autem respondentem non lateat æquiuocum quod multipliciter dicitur: tunc vt respondens negandi vel concedendi non habeat occasionem ab opponente, tunc dicendum est vel distinguendum multiplex secundum omnem sensum, & contingit interimere si concedit respondens secundum omnem sensum, & construere si negauerit respondens. Cuius exemplum est, si quæritur, si opportunum est expediens vel bonum siue honestum. Si hoc negauerit respondens, vel tentandum ambo interimere de proposito problemate si ea concesserit respondens, si opportunum neque bonum est neque expediens. Si autem non contingit vtrumque (hoc est, in vtroque sensu construi vel destrui) tunc alterum inest (hoc est, quòd in altero sensu est verum) id autem non inest, hoc est, in alio sensu falsum est. Eadem autem ratio est, & si plura sint in quæ diuidatur (hoc est, si in plures quam in duos diuiditur sensus) id quod est multiplex: secundum enim omnes sensus distinguendum est, & secundum omnes sensus est construendum vel destruendum, si fieri potest: vel secundum aliquem construendum vel destruendum si secundum omnem sensum construi vel destrui non potest, propter superius assignatam ratio-

Si autem non lateat, &c.

Quomodo totum vniuersale vniuersaliter sumptum & totum multiplex, sunt similia in construendo vel destruendo.

nem. Secundum enim modum totius vniuersalis constructi vel destructi habet multiplex æquiuocationis: quia sicut totum vniuersale se habet ad sua significata: & ideo sicut totum vniuersale construitur ex sui parte, & sic multiplex construitur ex suo significato: & sicut interimitur vniuersale vniuersaliter sumptum si alicui vni non inest, & sicut interimuntur nulli si alicui vni inest, sic multiplex secundum omnem sensum esse verum destruitur si secundum vnum sensum verum non est, & secundum nullum sensum esse verum destruitur si secundum vnum aliquem sensum verum est. Propter quod etiam similia sunt in construendo vel destruendo totum vniuersale vniuersaliter sumptum, & totum multiplex. Sic ergo proceditur multiplicari secundum æquiuocationem.

CAPVT V.

Qualiter procedendum sit in multiplici amphibologico.

Rursum quæcunque non secundum æquiuocationes, &c.

RVrsum quoque in his quæ sunt secundum æquiuocationem, dicuntur multipliciter, sed alio modo, accidentali tamen multiplicitate, sicut secundum amphibologiam: sicut dicitur disciplina vna plurium: hoc enim secundum multiplicitatem amphibologiæ dicitur: multipliciter enim dicitur disciplina vna plurium, vt quod plura sint vnius finis totius disciplinæ, & eius quando est ad finem: sic enim vnius est vt finis, & alterius vt eius quando est ad finem: vt medicina dicitur vna disciplina plurium, quia est disciplina sanitatem faciendi, vt finis, & cibandi & diætandi vt eius quod est ad finem: & sic est plurium quæ non in vna penitus habitudine construuntur, & hoc quod est disciplinam vnam esse plurium. Dicitur etiam vna disciplina plurium velut amborum finium: & tunc genitiuus plurium ratione suppositorum in vna dependentia se habet ad nominatiuum, qui est, vna disciplina est plurium. Vel ad accusatiuum, quando dicitur vnam disciplinam esse plurium. Sic dicitur, contrariorum eadem disciplina, vt medicina sanorum & ægrorum: & sic enim disciplina vna speculatiua plurium est quæ æqualiter contraria, vt fines in periculosis considerare: quamuis disciplina practica non sit nisi vnius vt finis, & alterius per accidens vt caueatur. In speculatiuis autem nihil magis vnum contrariorum est finis altero: quia per speculationem non potest finitè cognosci vnū contrariorum, nisi cognoscatur alterum. Aut etiam dicitur vna disciplina plurium: quia est vnius, vt eius cuius est per se, & alterius, vt eius cuius est per accidens: sicut disciplina, quoniam triangulus habet tres angulos æquos duobus, &c. quæ disciplina relata ad subiectum plurium est, quia est trianguli & æquilateri: sed trianguli secundum se, æquilateri per accidens, quoniam accidit triangulo esse triangulum æquilaterum, & contingit triangulo per id quod est consequens esse totum triangulum. Quæcunque autem totum esse sequuntur, accidunt: eò quod non sunt de substantia illorum quorum esse sequuntur, quamuis in seipsis sint substantialia. Sed quod accidens quidem dicunt opponi ad per se & non ad subiectum, & vocant ipsum accidens ad visendum quamuis substantiale sit ad essendum: quia non per se, sed per extraneum participat prædicatum, cognoscimus, quòd æquilaterus habet tres æquos duobus rectis, per hoc quod est triangulus, & non per hoc quod est æquilaterus.

Disciplina hæc quod triangulus habet tres, est trianguli per se, æquilateri vero per accidens.

Capitur accidens hic vt opponitur ad per se, & non ad substantiam.

Sic ergo amphibologicè dicitur ad multiplex: nec dicitur, quòd hic multiplex sit non secundum æquiuocationem, eò quod nihil sit æquiuocum: quia hoc esset falsum: cum vnum nomen vnius per se & alterius propter aliquid, vel vnius per se & alterius per accidens, non possit esse nisi æquiuocè. Sed dicitur non secundum æquiuocationem: quia multiplicitas hic non consideratur in æquiuocis, sed in diuersa dependentia generum quæ est plurium ad nominationes vel accusationes præcedentes.

Quare multa licitas amphibologicè non secundum æquiuocationem dicitur

Vsus autem huius considerationis in destruendo quidem problema quod oportet destruere, multiplex secundum quemlibet sensum est: quia si nullo modo secundum quemlibet sensum est vna disciplina plurium, tunc vniuersaliter destructa erit propositio quæ dicit disciplinam esse plurium: tunc enim manifestum est, quoniam omnino (hoc est, vniuersaliter) non erit vna disciplina plurium. In construendo autem sufficit vno aliquo modo disciplinam vnam plurium esse. Exemplum propositionis propositæ propriè loquendo non est multiplex: sed nomine multiplicis extenso, multiplex dicitur propositio, quæ plures causas habet veritatis, cuius veritas non destruitur nisi omnibus modis & causis veritatis destructis. Constituitur autem veritas, causa vna constructa veritatis eiusdem.

Si ergo nullo modo contingit, &c.

Propositionē multiplicem exponit, id est habentē plures causas veritatis.

In talibus autem multiplicibus quæ non latent respondentem, vtile est diuidere siue distinguere multiplex quoties dicitur secundum omnem modum suæ multiplicitatis, ne respondens negandi habeat occasionem, aliquo modo non diuisim accepto. Sed si construere volumus propositionem, addendi & accipiendi sunt à nobis omnes sensus veri, vt accipiamus quæcunque contingunt & vera sunt: & diuidendum est propositionem in ea tantum quæ vera sunt, hoc est, in sensus multiplicitatis veros, omittendo sensus falsos: quia sic accipimus quæcunque vtilia sunt ad construendum: quia sensus falsus ad construendum non est vtilis. Si autem destruere volumus, accipiendi sunt omnes sensus multiplicitatis falsi, ita quod accipiamus ex sensibus multiplicitatis ea quæ non contingunt & falsa sunt, & reliqua quæ sensus veri relinquamus: quia verum non valet ad destruendum, cum ex vero non sequitur nisi verum. Taliter autem faciendum est in multiplici, quod non latet respondentem: quia aliter negabitur propositio propter multiplex indiuisum.

Diuidere autem quoties, &c.

Verum non valet ad destruendum.

Hæc

Esse autem hoc huius vel non esse, &c.

Hæc autem multiplicitas non consideratur tantum in his quæ sunt plurium, sed etiam in hoc quod est vnius. Vnde esse hoc huius, vel non esse hoc huius, eadem multiplicitate multipliciter dicitur: & ex eisdem locis considerationis est construendum & destruendum. Et si propositio formato problemate dicat disciplinam hanc huius esse: aut erit huius vt finis, aut vt alicuius eorum quæ sunt ad finem: aut alicuius essentiæ dicitur vt eius cuius est per se, aut vt eius cuius est per accidens. Similiter etiam dicitur in negatiua quæ dicitur hoc non esse huius aliquo modorum prius dictorum. Eadem autem ratio est in alio exemplo quo desiderium dicitur huius, & eadem ratio in aliis omnibus quæcunque dicuntur vel pluraliter vel singulariter, hoc huius est vbi desiderium horum vel huius & eorum quæ sunt ad finem, vt cognoscere medicinam vel cibum ad sanitatem ordinarum. Est etiam desiderium aliquorum vt vnius per se & alterius per accidens, velut in vino vel vini desiderium est in eo quod amicus dulcis: huius enim est desiderium quidem vini per accidens, sed est dulcis per se vt finis: non enim appetit vinum, quia vinum est, sed appetit idem, quia dulce est: talis enim per se dulce desiderat, vinum autem per accidens: si enim austerum esset, iam non desiderabit illud amicus dulcis. Patet ergo, quòd per accidens desiderat vinum per hoc quod accidit vina dulcia esse. Cum enim omnia relatiua dicantur alicuius vel aliquorum, patet quod maximè vtilis est locus hic & consideratio ab eo sumpta in his quæ sunt ad aliquid siue relatiua alicuius vel aliquorum: omnia enim quæ sunt ad aliquid & sunt de numero relatiuorum, penè talia sunt. Et dico penè propter quædam relatiua quæ expresse determinant sua correlatiua: & ideò in talibus non potest esse talis multiplicitas.

Amplius transferre ad euidentius, &c.

Si autem obscuritas sit in proposito non ex multiplici, sed ex nomine ignoto, transferre oportet propositionem in nomine illo ad aliud nomen idem significans quod sit notius vel euidentius quam primum: sicut si dicatur, quòd certum in opinione hominum non est notum, proponitur planum: planum enim in notitia est, quod leuiter cognoscitur à quolibet: & si dicatur inuestigari, ponet pro eo perquirere, quia aliter fere respondens negandi accipit occasionem pro non noto nomine pro euidentiori facto quod dictum est, in proposito facilius argumentabilis est propositio. siue problema: quia respondens faciliter consentit in id quod euidenter notum. Est autem hic locus siue consideratio ab expositione nominis tracta, ad vtrumque habens potestatem communis ad destruendum & construendum.

Quomodo diuersimodè vtuntur

Et attende, quòd quamuis hic locus sit à transumptione quæ extrinsecus est: tamen hic ponitur inter locos intrinsecos à substantia rei tractos: eò quod non sumitur hic à transumptione vt dispositio medij ad inferendum, siue vt locus à quo trahatur argumentum, sed vt idoneitas quædam opponentis. Adhuc etiam intelligendum, quòd multiplici vtitur sophista, ptour & etiam dialecticus: sed sophista vtitur eo prout est dispositio medij ad decipiendum, sed dialecticus prout est in altera extremitatum ad inferendum illud. Extremum autem infertur dupliciter vt conuertibile, ita quod ster pro eodem pro quo stat medium: & est locus dialecticus à conuertibili dictus: vel infertur alio modo, & est locus sophisticus. Adhuc autem cum dicitur, quòd ex vno sensu probaro infertur aliquid esse multiplex, hoc potest esse dupliciter. Vno modo si inferatur pro eodem sensu pro quo ster medium: tunc non sequitur, quod multiplex sit. Si autem pro alia significatione pro qua non stat medium: tunc non vtamur, quod multiplex in vno sensu probatum est. Adhuc quod si proterunt est respondens, non est discedendum ab opponente multiplex: quia destructo multiplici proterunt respondens magis proteruiet: sed quandò non est proterunt, discedendum: quia ex hoc expeditur opus commune.

multiplici dialecticus & sophista.

CAPVT VI.

De transactione problematis de inesse per inspectionem ad locos intrinsecos, quæ sunt partes esse vel esse incompletum.

Ad ostendendum autem contraria, &c.

AD cognoscendum autem siue ostendendum problema de inesse, cuius exemplum sit, si problema fiat, an contraria eidem insunt, & velimus ostendere quoniam contraria insunt eidem subiecto, eò quod nata sunt fieri circa idem secundum simpliciter inesse siue secundum simplicem inhærentiam: considerandum est primo considerationē in genere eius cui ponuntur inesse, hoc non consequens ad subiectum, considerationes hic trahemus à locis intrinsecis, quæ sunt substantia rei incompleta. Hi simpliciter post locum à diffinitione (quæ eorum esse rei dicit) sunt ponendi. Inter hos prima considératio sumitur à genere, quod est essentiale & non conuertibile. Consequens prius non est, quam antecedens causa ipsius per esse & essentialiter prædicatur de subiecto. Sic ergo volentes ostendere, quòd aliquid essentialiter inest accidenti siue speciei, quoniam essentialiter contraria sunt vera siue circa idem in genere subiecti, accipiemus primo considerationem. Verbi gratia, si velimus ostendere, quoniam circa sensum secundum actum & secundum agere factum est rectitudo & peccatum: sentire autem est in genere eius quod est iudicare: iudicare quidem circa diuersa & circa aliud est, scilicet circa rectè & non rectè, & essentialiter & per se conuenit hoc ei quod est iudicare, secundum quod est à principiis informantibus iudicium: quia sic omne iudicare vel rectè vel non rectè sequitur, ita quod etiam circa sensum in agere est rectè & peccatum: & sic in hoc consideratio est sumpta ex genere circa speciem deducto: quoniam hoc quod essentialiter & per se inest generi, probatur inesse speciei, per genus illud quod est essentialiter

ſpecies participat: nam iudicare eſt genus eius quod eſt ſentire: & ideo pars eius quod eſt iudicare, probatur ineſſe ei quod eſt ſentire: quia ſentire eſt quoddam iudicare: ſicut habere tres æquos duobus, &c. probatur ineſſe iſoſceli, per hoc quod eſt triangulus: nam qui ſentit, iudicat aliquo modo.

Quando intelligẽdum quòd error ſenſum eſt rectitudo & peccatum.

Eſt autem intelligendum de ſentire ſenſus communis qui componit & diuidit ſignata particularia, & componendo & diuidendo iudicat de ipſis per mixtionem æſtimatiuæ potentiæ æſtimantis nocium vel conuenientis in acceptis per ſenſum componentem & diuidentem: & non eſt intelligendum de ſentire ſenſus particularis, quia iſte non peccat in proprio ſenſato. Hæc autem in principio philoſophiæ, in ſecundo de anima habent probari, & ex logicis probari non poſſunt: quamuis ex logicis diſputari poſſint ad problema de ſimpliciter ineſſe ſpeciei, quia eſſentialiter ineſt generi.

Text. com. 63.

Rurſum autem conſideratio trahitur ex ſpecie ad probandum aliquid ineſſe generi ſimpliciter: generaliter enim verum eſt, quòd quæcunque inſunt ſpeciei, ſimiliter inſunt & generi: cum genus ſecundum rectum & intellectum ſit in ſpecie. Cuius exemplum vt problema fiat, ſi eſt in genere prauæ & ſtudioſæ diſpoſitio, & arguatur ſic. Diſciplina eſt prauæ & ſtudioſæ: ergo & diſpoſitio eſt prauæ & ſtudioſæ: quia diſpoſitio genus eſt diſciplinæ: & paſſio ſpeciei probatur ineſſe generi per ſpeciem. Sumitur autem diſciplina generaliter pro quacunque doctrina, quæ prauæ eſſe dicitur, quando eſt praui alicuius, ſicut ad furari & mœchari, de quibus dicit Ariſtot. in 11. primæ philoſophiæ, quòd melius eſt vilia neſcire. Et ſic dicitur diſciplina prauæ rationis adiuncti, ſiue eius de quo eſt, & non rationis ſimpliciter inquantum diſciplina eſt: adiunctum autem ipſius (rationis cuius prauæ eſt) eſt prauitas ad malum, quæ incitat ad malum, ſcito malo, quòd non faceret ſi malum neſciretur. Omnis enim ſcientia in ſe bona: quoniam dicit Boët. quòd ſcientia mali bono deeſſe non poteſt. Sumitur autem hîc diſpoſitio generaliter non prout diſtinguitur contra habitum, ſed prout eſt quælibet diſpoſitus.

Rurſum ex ſpecie generi, &c.

Quomodo intelligẽdum quòd aliqua diſciplina eſt prauæ.

Text. com. 52.

Ergo primus quidẽ falſus eſt, &c.

Si autem has duas conſiderationes à genere & ſpecie tractas ſecundum generalem poteſtatem inferendi ſuas concluſiones comparemus adinuicem: tunc primus locus à genere ad ſpeciem tractus, falſus eſt, ſiue fallit ad affirmatiuè concludendum: quia affirmatiuè non procedit ſemper à ſuperiori ad inferius, nec tenet in affirmando niſi in eſſentialibus generi, ſicut dictum eſt. Secundus autem locus à ſpecie ad genus, ſecundum generalem inferentiam ſumptus, eſt verior ad concludendum in affirmatiuis: quia affirmatiuus eſt proceſſus ab inferiori ad ſuperius. Cuius probatio eſt: quia non eſt neceſſarium, quod quæcunque prædicata generi inſunt, & ſpeciei inſint. Et inſtantia eſt: quia animal in ambitu ſuæ generalitatis eſt & volatile & quadrupes: & vtrumque horum ineſt generi: homo autem ſpecies eſt animalis, neque eſt volatile, neque eſt quadrupes: & ſic non ſequitur à genere ſemper ad ſpeciem affirmando. Sed quæcunque inſunt ſpeciei, ſimiliter illa vt tota inſunt etiam ſpeciei & generi: & ſic à ſpecie ad genus proceditur affirmando. Si enim detur, quod homo eſt ſtudioſus, ſequitur quod animal eſt ſtudiotum, ad hoc quia homo eſt animal. Ad deſtruendum primus quidem locus à genere tractus vniuerſaliter eſt verus: quia à ſuperiori ad inferius proceditur negando. Secundus autem ad deſtruendum eſt falſus, qui trahitur à ſpecie ad genus: quia non valet procedendo ab inferiori ad ſuperius negando. Huius autem ratio eſt: quia quæcunque vniuerſaliter generi non inſunt, illa non inſunt ſpeciei alicui generis illius: ſed quæcunque non inſunt huic vel illi ſpeciei, non neceſſe eſt etiam non ineſſe generi.

Apparens obiectio.

Siquis autem obiiciat, quòd nulla ſpecie exiſtente poteſt intelligi ſubſtantia animata ſenſibilis & vt ſic à genere omnis ſubſtantia animata ſenſibilis eſt animal: & tamen non eſt neceſſe deſcendere ad ſpeciem in eſſentialibus. Patet quòd non valet: quia conſiderationes inductæ ſumuntur de genere prout dicit ambitum communitatis ad continendas ſpecies. Quando autem diffinitio generis ponitur de genere, non ſumitur genus niſi ſecundum ſimplicitatem ſubſtantiæ ipſius, prout genus diuiſum à ſpecie ſecundum ſubſtantiam & eſſe generis: & hæc quidem conſideratio ſumpta à genere ſicut conſequenti, & alia ſumpta à ſpecie ſicut antecedente, de genere & ſpecie tractæ ſunt, prout non in concretione, ſed in ſimplici & abſtracto & ſubſtantia conſiderantur.

Solutio.

Et in concretione ſecundum denominationem factam ab ipſis conſiderata, talis eſt conſideratio à genere ſumpta: quoniam quidem primum pro maxima ſupponendum, quoniam neceſſarium eſt, quòd de quibus genus prædicatur, & ſpecierum aliquam illius generis oportet prædicari: eò quod nihil eſt in genere, quod non ſit in aliqua eius ſpecierum: & quæcunque genus habet, & dicuntur ineſſe generi, vel quæcunque denominatiuè à genere aliquo dicuntur, & aliquam ſpecierum neceſſe eſt habere, vel denominatiuè dici ab aliqua ſpecierum illius generis: vt ſi de aliquo prædicetur hoc genus, diſciplina, neceſſe eſt, quod de eodem prædicetur vel grammatica, vel muſica, vel aliqua aliarum diſciplinarum in ſpecie determinatarum. Similiter ſi aliquis habendo diſciplinam denominatur à diſciplina vt diſciplinatus, ſequitur etiam, quòd grammaticam habebit, aut aliquam aliarum in ſpecie determinatarum, vel ab aliqua denominabitur.

Quoniam autem neceſſarium eſt de quibus, &c.

Conſideratio tracta a genere ſic in ambitu ſuarum ſpecierum accepto, talis eſt: & ſi aliquid ponatur dictum vel denominatum à genere quolibet modo dictorum modorum, vt gratia exempli dicat animam moueri ſiue etiam mortuam ſui, vt Plato dixit animam eſſe numerum ſeipſam mouentem, & ſic denominat animam à motiuo & motu; conſideretur in ſpeciebus motiui & moti, ſi ſecundum aliquam ſpecierum conuenit animam moueri à ſeipſa, verbi gratia vt ſi contingat ipſam augeri vel minui à ſeipſa generari vel corrumpi, quæ

Si ergo aliquid ponatur dictum, &c.

quæ ſunt fines vel termini motus, vel quæcunque aliæ ſpecies ſunt motus: ſi ſecundum nullam ſpeciem ipſius motus contingit animam moueri à ſeipſa, palam eſt, quoniam anima à ſeipſa non mouetur. Hoc autem locu ſic tractus à genere ad aliquam ſpecierum, communis eſt ſecundum poteſtatem ad vtrumque & conſtruendum & deſtruendum. Et ſi enim ſecundum aliquam ſpecierum mouetur anima, palam eſt, quoniam anima mouetur à ſeipſa, & ſic valet conſtruendo: & ſi ſecundum nullam ſpeciem motus anima mouetur à ſeipſa, patet quoniam non mouetur, & ſic valet deſtruendo.

Quomodo Plato dixit animam eſſe numerum ſeipſum mouentem.

Attendendum tamen hoc, quod Plato non dixit animam eſſe numerum ſeipſam mouentem motu qui eſt actus imperfectus, ſed motu qui eſt actus perfectus, ſecundum quod motus eſt actus mouentis, & non actus mobilis. Si enim eſt anima principium & cauſa vitæ & motus talis in quo per eſſentiam ſubleuatur ſupra naturam, & ex huius principio animæ perfectio principium & cauſa eſt motus talis, probatur eſſe numerus à Platone & Socrate. Hoc autem qualiter fiat, alibi conſiderandum eſt.

Non idoneo autem conari, &c.

Iuxta autem has conſiderationes ſumitur idoneitas ad arguendum: opponente enim non idoneo conari (hoc eſt, vt conetur) ad vndare arguendo ad poſitionem intrinſecam circa id quod ineſt generi vel ſpeciei, innitendum eſt ex diffinitionibus antecedentis ſiue ſpecierum, & ex diffinitionibus conſequentis ſiue generis, ſiue iſtæ diffinitiones ſint veræ & eſſentiales diffinitiones propoſitæ rei quæ continetur in problemate propoſito, ſiue eſſe videantur & non ſint, ſicut deſcriptiones quæ virtutem videntur habere diffinitionis: & ſi non poſſit conari ad propoſitionem ab vna diffinitione, ponat plures, & ab illis conetur. Quia tales diffinitiones (ſic largè diffinitiones vocatæ) plures poſſunt eſſe eiuſdem rei. Sic verò ipſis opponentibus diffinientibus antecedens & conſequens facile erit arguere de propoſito: quia facile eſt argumentari ad diffinitionem: eò quod ex multis conſtruitur & deſtruitur. Nam ad diffinitiones facilis eſt conſideratio.

Plures diffinitiones ad eſt, deſcriptiones poſſunt eſſe eiuſdem rei.

Remouet dubium.

Hæc igitur conſideratio differt ab ea quæ in antehabitis inducta eſt: quoniam iſta inducitur inſpiciendo ad aliud quam ad diffinitionem, antehabita autem ad ipſam diffinitionem ſic inſpectio.

Conſideratum autem, &c.

Adhuc autem in antecedente & conſequente ſecundum compoſitionem antecedentis ad conſequens, & è converſo fit inſpectio ſiue conſideratio: aut quia in propoſito conſiderandum eſt ad antecedens, quo exiſtente neceſſarium eſt propoſitum conſequens eſſe, eò quod antecedente poſito ponitur: aut quod eſt illud conſequens quod neceſſe eſt eſſe ſi propoſitum antecedens eſt. Quia conſtruere quidem affirmatiuè volenti conſideratio erit ad illud pro exiſtente & ſu poſito propoſitum conſequens erit de neceſſitate. Nam ſi illud antecedens oſtendatur eſſe, etiam propoſitum conſequens erit: quia ab antecedente ad conſequens proceditur affirmando, ſicut à ſpecie ad genus. Sed deſtruere volenti conſideran-

dum eſt ad genus etiam quid eſt conſequens ſi propoſitum antecedens eſſe ponatur: nam ſi oſtenderimus illud non eſſe quod eſt conſequens propoſito antecedenti, ſequitur etiam quod antecedens non erit, & interdum etiamus propoſitum antecedens procederetur enim à ſuperiore ad inferius negando.

Amplius ad tempus inſpiciendum, &c.

Amplius autem in his quæ eſſentialiter & ſimpliciter inſunt, perſpiciendum eſt ad tempus, ſi aliquando (hoc eſt, ſecundum aliquam differentiam temporis) diſſonat. Cuius exemplum eſt, ſi reſpondens conceſſit omne quod nutritur, augeri ex neceſſitate. Palam enim, quoniam hoc aliquando diſſonat, vt in virili ætate poſt inuenterem: augentur ſecundum quidem tempus iuuentris quo mollia ſunt oſſa, & calor fortis ad extendendum ſecundum longitudinis diametrum: in omni autem ætate nutriuntur ſecundum ſubſtantiæ conſeruationem, & deperditi reparationem à cibo qui potentia ſubſtantia eſt, quamuis non potentia mouentis ſit quanta ſubſtantia. Similiter autem in exemplo ſpirituali, ſi reſpondens dixerit ſcire idem eſſe quod reminiſci, ſicut dixerunt Socrates & Plato, hoc eſt, quod reminiſci præteriti temporis eſt, ſcire autem eſt præſentis tantum & futuri. Reminiſci enim (vt dicitur in lib. de memoria & reminiſcentia) dicitur reflexius actus rationis ſecundum potentiam recordatiuam redeuntis ex aliquo medio ſuper partem oblitam: & ideo eſt cum interruptione habitus: in quo differt memoratio qui eſt reditus ſuper prius in ſenſu acceptum & in theſauro formarum ſenſibilium retentum. Scientia autem eſt eorum quæ neceſſaria ſunt, & ſemper præſentia ſunt, vel in ſeipſis, vel in neceſſitate ordinis ſuæ eſſentiæ, vt eclipſis ſolis: ſcimus enim hoc modo & præſentia & futura, vt quando eſt eclipſis ſolis defectus ſiue eclipſis: quia defectus Latinè, eclipſis eſt Græcè. Reminiſci autem non contingit niſi præterita, cum reminiſcentia ſit reditus recordatiuæ poſitæ ſuper prius notum & oblitum ex medio propinquo, vel antiquo, vel remoto. Et ſic duæ conſiderationes trahuntur ab antecedente & conſequente: vna conſideratis antecedente & conſequente ſecundum ſeipſa, & alia conſideratis eiſdem ſub differentia temporis in qua conueniunt vel diſſonant.

Reminiſci quid ſit in quo differat à recordari.

CAPVT VII.

De conſid: ratione ad antecedens vel conſequens cum digreſſione ad modum ſophiſticum.

Amplius autem digredi liceat dialectico ad modum ſophiſticum in cautelis: tunc ſophiſticus modus eſt ducere reſpondentem ad tale antecedens vel conſequens, ad quod magis idonei ſumus argumentari. Hoc autem erit tribus modis, ſiue vno, vel pluribus trium modorum. Eſt autem id ad quod ducitur reſpondens, quandoque quidem neceſſarium ſiue vtile ad propoſitum: quandoque autem apparens neceſſarium ſiue vtile ad propoſitum, quamuis

Amplius ſophiſticus modus, &c.

quamuis secundum rem non sit necessarium: & hoc est quando est vtile ad præternecessarias propositiones, & non ad ipsam conclusionem propositam. Quandoque autem tertio modo neque necessarium, neque necessarium apparens, sed digressio fit ad ipsum propter prauitatem respondentis vt in aliquo. Fit autem propter respondentem, aut propter propositum. Propter respondentem in tertio modo. Propter propositum autem: aut in conclusione principali, & sic est modus primus aut in præternecessaria propositione, & sic est modus secundus. Secundum autem primum modum digressio fit: & quando negat ille qui respondet aliquid vtilium proposito, tunc videt opponens illud tamen esse propositum confirmans. Sed cauendum est opponenti, quod id ad quod digreditur, sit de numero talium ad quod facile sit abundare argumentis: tunc respondens videns illud confirmari pluribus, de facili acquiescit proposito. Similiter autem transgrediendum est a proposito, & quando respondens est faciens inductionem instantiæ propter quod propositum falsificatur, negatur tunc non simpliciter, sed cum instantia quam contra propositum fert: & sic per instantiam interimere conatur propositum: & tunc oportet digredi vt ostendatur non esse instantia quam inducit: quia aliter interimeretur propositum. Hoc autem cuius fert instantiam interempto, & propositum interimitur: ideo opponentem necesse occurrere instantiæ quam affert respondens. Hic ergo est primus modus.

Apparens autem, &c.

Secundus autem modus est apparens necessarium siue vtile proposito ad quod digreditur: quando autem illud ad quod digreditur, videtur vtile proposito, vel positioni ad probandum propositum, & non est vtile principaliter intento ad quod sumitur: contra quod fiunt apparentes disputationes, sic negante id respondente qui conclusionem siue disputationem sustinet, negante simpliciter sine instantia, siue etiam negante respondente id quod videtur vtile ab inductione probabili: & per instantiam quam probabiliter inducit iterum respondens, per positionem apparentis ad id quod propositum est factam, & per instantiam illius interimere conatur id quod propositum est: & ideo ad id debet opponens digredi.

Reliquum enim quando, &c.

Reliquum vero (quod est tertium) est digredi ad id quod nec necessarium siue vtile ad propositum, nec apparens vtile ad illud, sed digreditur ad illud ad quod sint faciles multæ rationes, quæ sunt ad redarguere in aliquo proteruum respondentem, vt conclusus in aliquo confundatur, & sic faciem non habeat amplius proteruiendi. Et quia postremus dictoctorum modorum ad hominem, non ad orationem est, oportet caueri a dialectico, nisi omnino aliter compesci non possit proteruitas respondentis: omnino enim semotus & extraneus videtur esse a dialectico cupiente terminari problema secundum rem & ex proprietatibus rei. Propter quod etiam in dialectico negotio oportet etiam respondentem non discolum esse discolia proteruitatis, sed ponere siue concedere non solum non vtilia secundum veritatem & apparenter probabilia, sed etiam extranea a proposito etiam non vtilia ad propositum siue ad positionem: protestando tamen & designando, quoniam ea quæ ponit & concedit, non videntur vtilia proposito: ponit tamen ea vt in omnibus opponentem adiuuare videntur: tunc enim ipsis interrogantibus siue opponentibus magis accidit dubitare quid ad propositum sumatur, omnibus talibus concessis eis a respondente, quando omnibus talibus concessis adhuc non concludunt propositum: & sic opponentes magis displicebunt & magis dubitantes erunt in seipsis, nescientes quod accipiant ad propositum concludendum.

Hic autem modus, vt dictum est, sophisticus est: sed est sophisticum vnum quidem a principio loci sophistici & fallibilis locus sophisticus. Aliud autem sophisticum dicitur a modo qui est in cautelis: & hoc secundo modo sophistico sæpe vtitur dialecticus: quia disputat a consensu respondentis, ad quem inclinandum ad assensum vti oportet cautelis: cum ex virtute propositionis dialecticæ quæ falsa & vera esse potest, ad consensum cogi non possit.

Modus sophisticus dicitur dupliciter: & quomodo dialecticus vtitur quodammodo sophistico.

CAPVT VIII.

De considerationibus quæ fiunt post factam digressionem in antecedentibus & consequentibus simplicibus quæ sunt eiusdem essentiæ.

Amplius omnis qui dixerit, &c.

AMplius facta iam digressione considerandum est in antecedentibus & consequentibus quæ sunt vnius essentiæ vel substantiæ. Omnis enim qui dixit quodlibet antecedens essentiale vnum, quodammodo implicite dixit multa, quæ in ipso sunt per intellectum consequentia ad ipsum: eò quod plura sunt quæ ex necessitate insunt illi vni antecedenti consequentia secundum illationem, quamuis priora sint ipso secundum naturam, causam, & rationem: vt qui dixit hoc antecedens quod est hominem, dixit etiam per consequens quod est animal, & quod est animatum, & quod est consequens ad animal, & quod est bipes quod est differentia ipsius, & quod est disciplinæ susceptibile quod proprium ipsius: & ideo ponitur ipso posito. Propter quod quolibet illorum consequentium vnico interempto, interimitur antecedens ipsum. Si enim non est animal, non est homo: si non est animatum, non est homo, & sic de aliis. Quolibet ergo interempto, interimitur antecedens quod primo positum est esse. In tali autem consideratione in qua sic destruitur antecedens consequente destructo oportet cauere: quia alij consequentis assumptio difficilior est, ita quod plura exiguntur ad consequentis destructionem, quam antecedentis: & ad magis difficile non debet digredi opponens: sicut si dicam, putasne homo est albus, cauendum est ne assumatur, quòd homo non est

Quib subst. autem esse,

est disgregatiuus visus, quam homo non est albus: idem est quia magis difficile est destruere, quod homo sit disgregatiuus visus, quam homo non est albus. Idem est si dicam, putasne homo est: assumam quod sit animal: magis enim est difficile respondere, quòd non sit animal, quam quod non sit homo: cum plura ad destructionem quod hic non sit animal requirantur, quam quod non sit homo. Quandoque enim facile est interimere consequens, quando & est accidentale, & tunc assumendum est ad destructionem antecedentis: quandoque autem facile est interimere id quod præcedit, hoc est, antecedens.

Quibus substantijs autem necesse, &c.

In sequentibus autem quæ sunt contraria in quibus alterum necesse est inesse subiectò antecedenti, vt homini necesse est inesse ægritudinem vel sanitatem, eò quod necesse est omne animal sanum vel ægrum esse, in his est æqualis facultas & ad construendum & ad destruendum: vnde si ad alterum horum facile est disputare, quoniam inest vel non inest, eadem facilitate poterimus disputare ad reliquum illi contrarium, quoniam inest vel non inest eadem. Talis autem consideratio in contrariis vel oppositis immediatis conuertitur ad vtrumque inesse & non inesse: ostendentes enim, quoniam non inest alterum immediatè oppositorum, eo ipso ostendentes erimus, quoniam reliquum inest: inter ea enim non est medium. Palam igitur est, quoniam conuertitur ad vtrumque, ad destruendum & ad construendum conclusiones. Locus autem iste ab oppositis sumptus hic ponitur inter locos intrinsecos; quia non trahitur consideratio ab oppositis secundum quod sunt opposita, sed ab antecedente & consequente quod est alij oppositum: & talis locus est intrinsecus sicut locus a genere & specie.

Amplius autè transferentem, &c.

Consideratis autem & antecedente & consequente eiusdem essentiæ vel oppositæ essentiæ secundum rem, considerandum quod in voce qua significatur antecedens vel consequens: vnde amplius præter ea quæ dicta sunt, oportet argumentari aliquando de proposito transferentes nomen antecedentis vel consequentis in orationem nomen illud declarantem, velut maximè congruum oppositum quod assumat oratio nem: quia magis congruit ei quam nomen impositum, & facilius arguitur propositum eius. Vnde si nomen antecedentis sit æquanimus, non transferatur in vnum nomen quod significat ex impositione, hoc est, in modestum, sed transferatur in hac oratione quæ est extra, quam animam habentem esse æquanimum, quemadmodum magnanimum non transferat in fortem sicut impositum est, sed in hac oratione, magnum animum habentem esse magnanimum. Similiter & fortunatum in bene fortunatum secundum quod est vna dictio non transferat, sed in orationem transferat dicens, quod bene fortunatus est, cui fuerit anima studiosa, quemadmodum Xenocrates dixit fortunam esse: dixit enim hanc vnicuique fortunam esse qui habet animam studiosam: eò quod felicem fortunam, fortunam esse dixit: felicitatem autem posuit inesse studiosis. Hæc autem translatio nominis in orationem idem quod nomen significantem, sed clarius & apertius, differt ab ea quæ in præcedentibus habita est, in hoc: quia illa fuit nominis ad nomen, & sine digressione ad aliud: hæc autem est nominis ad orationem, & cum digressione.

TRACTATVS II.

De determinatione problematis de inesse per rei extrinseca.

CAPVT I.

De determinatione eiusdem problematis per locum à disparatis.

SIc autem determinato problemate de accidente siue inesse vt accidens per inspectionem ad intrinseca eorum quæ sunt in problemate, sicut subiectum & prædicatum: nunc, vt magis abundemus, docendum est qualiter terminatur inspiciendo ad extrinseca eorundem. Et quia extrinseca magis inter omnia sunt opposita, videndum est qualiter terminari habeat problema de accidente respiciendo ad opposita. Quia verò locus à disparatis reduci habet ad locum ab oppositis, cum omne oppositum sit disparatum & non conuertitur, ideo in loco à disparatis est inspiciendum in hoc tractatu.

Quoniam autem rerum aliæ quidem, &c.

Dicemus igitur, quoniam eorum accidentium quæ insunt subiectis vt prædicata, aliæ res quidem insunt ex necessitate cum modo necessitatis determinatæ, vel sine modo necessitatis secundum rei necessitatem propositæ. Aliæ autem insunt vt in pluribus, sicut ea quæ insunt contingenter secundum contingens natum. Secundo etiam cum modo vel sine modo contingentis propositæ. Aliæ verò res sunt positæ inesse secundum contingens ad vtrumlibet, sicut illæ quæ sunt de contingenti infinito vel cum modo vel sine modo propositæ: tunc tamen quod est sine habitudine prædicati

dicati ad subiectum sicut de tali contingenti: hæc omnia inter se adinuicem sunt disparata, ita quod constructo vno destruitur reliquum de eodem, nec aliquod vtum est suscipibile horum simul. Considerandum ergo si prædicatum quod de necessitate inest, vt in pluribus ponat respondens inesse, aut è conuerso quod vt in pluribus inest, ponat ex necessitate inesse, siue ponat contrarium eius, quod est vel inest in paucioribus, ex necessitate inesse: contingens enim in pluribus & contingens in paucioribus contraria sunt secundum modum quæcunque ergo horum ponat vt ex necessitate inesse, vel è conuerso id quod inest ex necessitate, contingenter ponat inesse, siue id contingens sit ad vtrumlibet siue natum, semper det locum argumentationis opponenti, vt per locum à disparatis in contrarium arguatur. Quod patet per singula. Nam si quod ex necessitate est vel inest, ponatur vt in pluribus esse vel inesse: tunc manifestum, quoniam dicendo vt in pluribus vel in paucioribus inesse, dicit non omni inesse, cum id tamen quod necessario inest, omni inest: necessitas enim prædicati cum subiecto secundum inesse, causat quod prædicatum inest secundum totam communitatem suam subiecto, vt omnis homo de necessitate est animal: & hoc est in omnibus in quibus prædicatum est de substantia subiecti. Propter quod peccauit respondens cum dixit quod in pluribus inest, omni inesse: cum non insit omni secundum quod inest vt in pluribus tantum: quoniam vt in pluribus inesse cum sit determinatio eiusdem contingentis nati, etiam disparatum est ab omni inesse: & vt cum præcisione accipiatur, vt dicatur tantum vt in pluribus inesse, quod confirmatur à diffinitione contingentis nati. Similiter autem & per locum à maiori patet, quod peccauit si contingens vt in paucioribus, quod est contrarium ei quod est vt in pluribus, ex necessitate dixit inesse: semper enim contingens quod est vt in paucioribus, est contrarium ei quod est vt in pluribus: quia contingens natum secundum aliquid est dispositum vel ad aliquid adest dispositum: sed contingens infinitum non est dispositum: & ideo de eodem dici non possunt, sed de disparatis & contrariis.

Cuius exemplum est, vt si de contingenti nato vt in pluribus sunt praui homines, & hæc, sunt praui homines, est de contingenti nato, dicetur bonos homines vt in paucioribus. Propter quod etiam amplius magis peccauit, qui contingens vt in paucioribus dixit ex necessitate inesse, quam qui contingens vt in pluribus dixit ex necessitate inesse. Propter quod amplius magis peccauit si bonos homines ex necessitate esse dixit, quàm ille qui praues esse dixit ex necessitate: quia in pluribus sunt praui homines ex contingenti nato, in 7. ethico. probatur, vbi ostenditur qualiter violentia incontinentiæ licet secundum sensibilem animam adueniat, ligat rationem ita vt non videat quemadmodum oporteat eam videre: eò quod violentior sit motus incontinentiæ quam rationis, quamuis ipse incontinens habeat rationem.

Similiter dat locum argumentationis respondens & peccat, si dedit id quod ad vtrumlibet est, vel vtrumque oppositorum æqualiter, vt contingens infinitum, dixit inesse ex necessitate vel vt in pluribus inesse, neque id quod inest ad vtrumlibet, inest vt in pluribus: neque quod inest vt in pluribus, inest ad vtrumlibet: sed sunt disparata. Hoc autem peccatum contingit cum modo necessitatis & contingentis vtriusque appositio, vt dictum est.

Contingit etiam in problematibus & propositionibus, quæ secundum esse & habitudinem prædicati ad subiectum sunt tales, quamuis ipse respondens non dixerit eas determinatas cum modo necessitatis vel vtriusque contingentis in sermone, ita quod determinat sermonem vtrum vt in pluribus vel ex necessitate prædicatum insit subiecto. Sit enim res de qua proponitur propositio vt in pluribus: tunc disputare contingit ad oppositum, ac si dixerit id respondens esse ex necessitate propter similitudinem eius quod est in pluribus, cum eo quod est ex necessitate: vt si aliquis dixerit prauos esse exhæredandos, quod est in pluribus secundum habitudinem realem prædicati ad subiectum, & dixerit hoc non determinans per modum necessitatis: tunc contia talem positionem disputare contingit, sicut si apposuisset modum necessitatis: propter hoc quod prædicatum similiter se habet ad omne contentum sub subiecto, & ideò de omni inesse videtur: de omni autem inesse relinquitur à necessario inesse: quoniam modus est prædicati determinatio, & non determinatio compositionis: si enim determinat compositum, neque cadunt neque de omni, neque cadunt etiam semper in tempore sicut in propositione modali: sicut quando est determinatio prædicati, causat totalitatem tam subiecti quam temporis: cum enim dicitur, quòd omnis homo de necessitate est animal, oportet quod homo omni tempore sit animal, & quod quælibet pars subiectiua hominis sit animal.

Contingit autem &c.

Si autem aliquis obiiciat, dicendo quod si ex necessitate inesse, semper causat omni inesse: tunc cum sit propositio, omnis homo de necessitate est animal, conuertitur in hanc, quòd animal de necessitate est homo: & sic omne animal est homo. Dicendum, quòd propositio conuersa inquantum stat sub conuersione, non est propositio dialectica, sed est principium reductionis: & ideo de tali propositione non oportet, quòd ex necessitate inesse causatur omni inesse & semper: sed propositio dialectica est, in qua prædicatum quod est accidens, vel genus, vel proprium, vel diffinitio, referur ad subiectum quod est species: & in omni tali necessarium causat totalitatem subiecti & temporis, siue sit de necessitate cum modo, siue sit talis secundum rem & sine modo: si enim homo est animal, omnis homo est animal: ex quo genus de specie prædicatur. Contingens autem vt accidens prædicatur de subiecto, neutrum horum potest causare totalitatem.

Obiectio.

Solutio. Quomodo ex necessitate inesse non semper causat omni inesse.

Amplius autem tertia consideratio trahitur à disparatis, quòd peccauit respondens si idem sub

Amplius & si idem sibi accidēs, &c.

sub alia voce etiam ipsi inesse vt accidens posuit: eadem enim etiam inesse vt prædicatum necessitate cohærentiæ: quamuis forte ponat illud vt alterum, non tamen sit eadem enim essentia aliis & aliis nominibus nominatur. Quemadmodum peccauit Philosophus nomine Prodicus, qui diuidebat voluptatem: hæc enim omnia vnius & eiusdem voluptatis nomina sunt: & hæc dicere & accidere voluptati, est dicere idem & accidere sibi. Sed voluptas hæc refertur ad quietantia desiderium & passentia ipsum. Gaudium est dilatatio cordis in concepta boni, quod est voluptas. Iucunditas autem per effectum hilaritatis redundans in corpore gesticulario. Lætitia autem quæ à loco dicitur, nominat eadem voluptatem prout est dilatatio temperati caloris & spiritus & sanguinis. Si ergo aliquis respondentium ei quod est gaudere, dicit accidere id quod est lætari, idem dicit sibi accidere.

Gaudium, Iucunditas, Lætitia, quid.

Et est notandum, quòd idem accidentale potest accidere ei cui est idem, sed non secundum quod est idem, sed secundum quod est ei accidentale alterius generis quam id cui accidit. Et sic patet solutio ad id quod obiici posset, quod nihil accidit etiam ipsi: quia aliter substantia esset accidens alicui. Adhuc autem notandum, quòd quatuor modi superiori diuisione innuuntur, licet tres expresse ponantur in diuisione disparatorum, etiam necessario inesse vnus: contingenter inesse, tres etiam, in pluribus, in paucioribus, & ad vtrumlibet. Quia omne quod inest, ex inhærentia naturali & substantiali, aut inest contingenter: & si inest ex inhærentia naturali & substantiali: tunc inest necessario: quia necessitas causat & totalitatem subiecti, ita quod inest omni: & totalitatem temporis, ita quod inest semper, quod est de ratione ipsius cui inest: quæ ratio fundatur in substantia quæ subiectum non relinquit. Si autem inest accidens ab accidente communiant inest cum dispositione inclinante ad illud: aut inest ei, ita quod non est dispositum ad illud. Et si est dispositum ad illud: aut dispositio est fortis & ferè ad necessitatem inclinans, & sic est contingens in pluribus: aut non est fortis, sed inchoata tantum, & sic est contingens in paucioribus. Et sic quatuor sunt, & de necessitate inhærens, & contingens in pluribus, & contingens in paucioribus, & contingens secundum potentiam & non secundum actum inhærens, quod est contingens ad vtrumlibet.

Fiunt ergo partiales considerationes 12. quamuis Aristot. non ponit nisi vnam in communi. Potest enim id quod est necessarium, poni vt contingens ad vtrumlibet: & id quod est contingens ad vtrumlibet, poni vt necessarium: & sunt duæ considerationes. Et potest necessarium poni vt contingens in paucioribus, & è conuerso: & sunt iterum duæ. Et potest necessarium poni vt contingens in paucioribus, & è conuerso: & sic sunt iterum duæ. Et sic videlicet fiunt in vniuerso comparatione primi ad reliqua tria, & è conuerso in quibus sit peccatum in sic vel sic ponendo. Et quod necessarium ponitur vt contingens alij, & è conuerso contingens vt necessarium: ideo fieri potest, quòd omne quod contingens est vni, alicui alij est necessarium simpliciter. Contingens in pluribus, potest poni in contingens vt in paucioribus, & è conuerso: & sic sunt duæ considerationes. Et potest poni contingens in pluribus, in contingens ad vtrumlibet: & iterum sunt duæ. Et sic sunt quatuor in comparatione secundi ad tertium & ad quartum. Iterum potest poni contingens vt in paucioribus, vt contingens ad vtrumlibet, & è conuerso: & sic duæ comparationes tertij ad tertium: & quatuor & duæ simul iuncta faciunt duodecim. Sed vna est ratio peccati in omnibus etiam, quia disparatum in disparatum. Propter hoc ista sub vna comprehenduntur consideratione: & ideo secundum rationem vnus locus est à quo omnes istæ trahuntur considerationes. Sic ergo sufficit quod dictum est de disparatis: quia vna communis ratio in omnibus eis locum dat argumentationi.

CAPVT II.

De inspectione ad inhærentiam & ad complexionem adinuicem contrariorum.

NVnc ergo videndum est qualiter problema de inesse vt accidens, determinetur de inspectione ad locum ab oppositis. Et quia duo considerantur in oppositis, etiam oppositorum inhærentia, & oppositorum consequentia: ideò primo determinabimus de oppositis secundum suam inhærentiam, & postea docebimus inspicere ad opposita quantum ad suam consequentiam.

Quoniam autem sex modis, &c.

Dicamus igitur, quòd ideò oportet contraria siue opposita accipere, & ad inhærentias eorum aspicere, quolibet modo fuerit vtile opponenti ad locum argumentationis siue ad construendum siue ad destruendum: ideo oportet videre quot modis contraria complexa per inhærentiam adinuicem faciunt contrarietatem. Dicimus, quoniam contraria per inhærentiam adinuicem complectuntur inuicem sex modis: sed non omnibus adinuicem complexa faciunt contrarietatem, ita quod alterum repugnet alteri, sed quatuor modis contrarietatem faciunt, ita quod repugnant adinuicem & secludunt ab eodem subiecto.

Quot modis contraria inhærentiæ ad inuicem complectantur.

Quod autem sex modis complectantur adinuicem, patet ex hoc quod si quatuor accipiantur contraria secundum inhærentiæ complexionem, aut complectuntur quod contrarium prædicetur de contrariis subiectis diuisim, aut quod eadem prædicentur de contrariis. Si primum, contrarium inducerem secundum naturalem repugnantiam, sicut si dicam, amici & inimici sunt duo contraria, & benefacere & malefacere sunt duo contraria. Et secundum naturalem inhærentiam benefacere est amicis, & malefacere est inimicis, vt dicit Socra. Hæc enim natura omnia animalia docet. Hæ sunt ergo duæ complexiones quæ contrarietatem non faciunt, amicis benefacere, & inimicis malefacere: quæ ideò contraria non

Secundum ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit.

sunt, quia sunt vnius complexionis, quia sunt eiusdem moris: quia secundum ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit, vt in Zenone dicit Socrates, & Plato dicit id de Socrate. Aut complectuntur admixtem indirectè secundum repugnantiam naturalem, vt amicis malefacere, & inimicis benefacere: & sic iterum non faciunt contrarietatem: quia sunt eiusdem mali moris contra ius naturale instituti, quod est contrarium in facie naturali, quam natura omnia animalia docuit. Aut si sic complectuntur, quòd ambo contraria diuisim ponantur de vno contrariorum, & ambo de reliquo, vt amicis benefacere, & amicis malefacere: ita quod hæc duo contraria prædicantur de hoc vnico quod est amicis, & ambo de reliquo quod est inimicis, vt inimicis malefacere, & inimicis benefacere: & vtroque modo faciunt contrarietatem: quia amicis benefacere non est eiusdem moris cum eo quod est amicis malefacere: nec eiusdem moris est inimicis benefacere, & inimicis malefacere. Aut sic complectuntur, quia contraria prædicantur de eodem: & hoc dupliciter, vt amicis benefacere, & amicis malefacere: & hæc complexio facit iterum duas contrarietates, eò quod hæc sunt contrarij moris: quia vnum est de iustitia naturali, & alterum dispositi secundum iustitiam naturalem. Prima ergo complexio non facit contrarietatem, sed ahæ quatuor faciunt contrarietatem, sicut ea quæ sunt contrariorum affectuum habituum.

Obiectio.

Et si aliquis obiiciat, quòd contraria nata sunt fieri circa idem: benefacere & malefacere sunt contraria: & ideò si amicis benefacere circa idem natum est fieri, etiam id quod est contrarium ei, quod est malefacere. Dicendum, quòd contraria potentia nata sunt fieri circa idem, & non actu simul: & sic subiectum & susceptibile contrariorum est non secundum formam vltimò perficientem constituram: & de ista verum est, quòd contraria nata sunt fieri circa idem & non actu simul: & si est susceptibile per formam propriam constitutum & perfectum, nihil prohibet per formam illam inclinatum esse ad vnum contrariorum, & non ad alterum: & tale susceptibile est amicus & inimicus: & ideò est amicis benefacere, & non est secundum morem amicis malefacere. Huius autem causa est, quòd susceptibile horum contrariorum non est materia ex qua vel in qua fiant contraria, sed potius obiectum circa quod: & tale obiectum est ratio actus & finis: & ideo est amicis benefacere, & ratio & causa propter quam est amicis benefacere, est quia amici sunt: vnum autem & idem non potest esse ratio oppositorum: & ideò etiam hæc procedunt à contrariis habitibus: & ideò contraria opera, quod est amicis benefacere, fit moris iustitiæ naturalis: & amicis malefacere fit eiusdem moris, patet per Tullium in fine suæ primæ rhetoricæ dicentem, quòd ius & iustitia naturalis est, quod non opinio genuit, sed innata quædam vis inseruit. Et Isidorus, quòd ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit: omne enim animal benefacit amico, vel malefacit inimico, vel fugit ab eo. Propter quod in diffinitione hominis posuit Socrates, quòd homo est animal ratione amicis benefaciens & inimicis malefaciens, sicut legitur in primo Zenonis.

Quare amicis oportet benefacere.

Solutio.

Obiectio. Soluto.

Et si aliquis insteret per hoc quod dicit lex, quod inimicis benefiat. Non habemus contra hoc dicere: quia hoc ex principiis philosophiæ non probatur, sed potius ex gratia supergrediatur ad naturam & ad rationem, & ad maiorem ordinet perfectionem, ad quam non potest se extendere Philosophus.

Sic primæ quidem duæ complexiones, &c.

Ex dictis autem patet, quod duæ primæ complexiones non faciunt contrarietatem: nam illud quod est amicis benefacere, et quod est inimicis malefacere, non est contrarium: quia hæc eiusdem moris sunt, vt dictum est, & habitus: vtraque enim hæc eligenda sunt, & eiusdem moris sunt, vt dictum est: nec illud quod est amicis malefacere, contrarium est ei quod est inimicis benefacere: per eandem rationem: quia hæc vtraque sunt fugienda, & sunt eiusdem mali moris: videtur enim, quod spernendum & fugiendum non sit contrarium spernendo, nisi sit vnum vt abundantia, alterum vt defectus. Taliter autem non sunt contraria benefacere & malefacere, sed sunt opera & effectus contrariorum propter prædicata contraria de eodem: hæc enim de contrario sunt more, & ita sunt per se & proprij effectus contrariorum: & horum duorum, amicis quidem benefacere est eligendum: amicis autem malefacere, spernendum: & vnum tantum eorum boni moris.

Palam ergo ex his, &c.

Palã ergo ex his quæ dicta sunt ex incidenti, quoniam eidem subiecto accidit plura esse contraria, non quidem secundum plura quæ sunt in ipso. Cuius probatio per exemplum est: quia ei quod est amicis benefacere, & illud quod est inimicis benefacere, contrarium est ex parte subiecti: quia est de contrario subiecto: & ideo etiam quod est amicis malefacere, contrarium est ex parte prædicati: sed contraria prædicata ad idem referuntur. Similiter autem se habet & in aliis apparebunt singularium dictorum, eodem modo, vt dictum est, ex parte subiecti vel prædicati considerantibus: semper enim vnum vt hoc modo consideretur, pluribus est contrarium, & semper vnum contrarium erit duobus. Et ideo ab opponente est accipere illud contrarium quodcunque ad positionem erit magis vtile, hoc est, quo magis est argumentari ad positionem.

Amplius si est aliquid contrarium, &c.

Amplius autem in dispositis secundum complexionem contrariorum ponendæ sunt considerationes, quæcunque trahi possunt à tali complexione contrarij. Considerandum ergo primum si illi accidenti quod inesse dicitur alicui subiecto, est aliquid contrarium. Et considerandum est si illud contrarium inest secundum actum illi subiecto cui dicitur inesse accidens: & accidens quod ponebatur inesse, non inerit ei tunc: quia contraria secundum actum simul non possunt inesse eidem. Impossibile enim est contraria simul eidem inesse secundum actum. Hæc igitur est in contrariis consideratio. Considerandum etiam secundo si quid talium accidentium dicatur inesse eidem, quo inhærente necesse est contraria eidem inesse: tunc enim per locum à contrariis non contingit inesse illi cui inesse dicebatur: vt siquis

liquis cum Platone formas ideales in nobis ponat, dixerit esse vt formales causas, quæ secundum Platonem & per accidens & per se sunt immobiles & insensibiles. Si hoc quidem dicatur, accidit & sequitur, quod eædem formæ & moueantur & quiescant: in se enim sunt immobiles & insensibiles: secundum esse quo sunt in nobis, mouentur ad minus per accidens. Et eadem ratione accidit eas sensibiles & insensibiles esse: formæ enim ideales secundum se vniuersaliter quiescere siue immobiles esse & intelligibiles his qui ponunt formas, Socratici & Platonici & Stoici: cum autem sint in nobis, sequitur quòd impossibile est eas in nobis immobiles esse & insensibiles: nam mouentibus nobis, necessarium per motum per accidens ad minus omnia moueri quæ in nobis sunt. Palam autem & quoniam sensibiles sunt omnes formæ ad minus per accidens sensu visus quæ sunt in nobis. Visus per se, aut per accidens accipit omnes primas formas quæ sunt in nobis: nam per sensum qui visus est, omnem eam quæ in vnoquoque est, formam cognoscimus vel per se, vel per accidens.

Nota de visu.

Rursum si positum est accidens, &c.

Rursus tertia consideratione consideranda est si positum est à respondente aliquod accidens inesse alicui subiecto, quod habet aliud contrarium, si illud contrarium potentia inest eidem subiecto vel non: si enim inest accidens, contrarium accidenti eidem potest inesse: quia idem est susceptibile contrariorum, nisi alterum insit natura: si autem aliud non est susceptibile contrarij, nec accidentis quod etiam inesse dicitur, erit susceptibile. Cuius exemplum est, vt si aliquis dixerit odium sequi iram quantum ad inesse in eodem subiecto secundum positionem: tunc sequitur, quòd odium erit in specie furoris quod est irascibilis, sicut in subiecto ira est in irascibili. Prospiciendum ergo si & contrarium odio est in specie furoris siue irascibilis: contrarium autem odij amor est: & ideò inspiciendum est si amor est in eodem subiecto: nam si non est amor, sed irascibilis est, eò quod in concupiscibili est, alias secundum Platonem: tunc patet, quod odium iram non sequitur, sed eidem inesse: quia odium & amor sunt contraria, quæ secundum vnum & idem subiectum habent fieri circa animam. Similiter autem in alio exemplo si dixerit respondens in concupiscibili anima esse ignorantiam: tunc enim sequitur, quòd in concupiscibili anima sit disciplinæ perceptibile, sicut contraria vel opposita priuatiuè sunt vera fieri circa idem: & si non videtur disciplinæ esse susceptibile id quod est concupiscibile, tunc nec ignorantiæ susceptibile.

Nota glossam.

Destruenti ergo quem admodum dictum est, &c.

Iste autem locus considerationis tertiæ non valet astruenti, quoniam inest: quia si contrarium contingit inesse, non sequitur, quòd propositum inest, sed tantum quod contingit inesse: vnde ad accidentis propositum contingit inesse, locus vtilis est: sed valet ad contingere inesse proposito propter hoc quod contraria contingunt eidem inesse: ostendentes enim, quoniam susceptibile subiectum contrarij, ostendentes erimus, quoniam non susceptibile accidentis propositi quod inesse dicebatur, & quod nec inest, nec contingit inesse: si autem ostenderimus, quoniam inest contrarium, aut quod subiectum susceptibile est contrarij quod contingit eidem inesse, nondum ostendentes erimus, quoniam contrarium illius inest subiecto: quia non sequitur, si vnum contrariorum contingit alicui inesse, quòd contrarium illius insit: sed sequitur tantum, quòd contingit inesse: & hoc ergo tantum sequitur, & non illa, quod insit secundum actum. Sic ergo considerandum est in contrariis secundum inhærentiam accidentalem vel potentialem consideratis.

Triplex anima secundum Platonem Vide primo de anima. com. 7.

Attende tamen, quòd vltima consideratio maxime tenet secundum Platonem, cuius dictum fuit, quod irascibilis & concupiscibilis & rationalis essent diuersæ animæ, in diuersis partibus sitæ, ita quod rationalis sita esset in capite siue in cerebro, concupiscibilis in hepate & inguine quodammodo sepulta, irascibilis in scisse: & secundum hoc istæ animæ non erunt vnum in subiecto, ex quo possint esse vnum subiectum alicuius accidentis. Etiam quod odium dicitur duplicitèr: est enim odium inueteratæ iræ, & sic odium in eodem subiecto est cum ira, & ab eadem irascibili anima. Est etiam odium malæ voluntatis ex ira causata, & sic opponitur amori qui est benivolentia voluntatis in amatos, & sic est in concupiscibili anima. Sciendum etiam, quòd hoc quod dictum est in contrariis, intelligendum est etiam in omnibus oppositis: quia opposita elargato inesse contrariorum contraria dicuntur, &c.

Odium dupliciter.

CAPVT III.

De consideratione problematis de accidente quomodo multipliciter construi & destrui potest ex inspectione ad consequentias oppositorum.

IDem esse problema de accidente, & construi & destrui potest multipliciter ex inspectione ad consequentias oppositorum siue contrariorum. Et in omnibus generibus oppositorum est ostendendum, quòd consequentia omnis est in complexione, & contradictoriè oppositæ sunt in complexis: ideò primò ostendatur hoc in contradictoriis: & ideò maximè se habent in oppositione.

Nota multiplicitèr capi consequentiam.

Sed præmittendum, quòd consequentia in communi dicta est inter ea quorum vnum sequitur ad aliud, & è conuerso reliquum sequitur ad reliquum. Et in hoc differt a consequentia simplici, quorum vnum sequitur simpliciter ad reliquum, & non è contra: eò quòd antecedens non sequitur ad consequens. Sed cõsequentia est inter ea propriè, quorum vtrumque aliquo modo affirmatum vel negatum, & antecedere potest & consequi reliquum.

Consequentia in ipso quid.

Et talis consequentia in communi loquendo est duplex, in ipso, & è contrario. Consequentia in ipso est, quando eodem ordine terminorum consequens sequitur ad antecedens, & oppositum consequentis sequitur ad oppositum antecedentis: & hoc non potest esse nisi

inter paria & conuertibilia, vt si homo est, risibile est: & si non est homo, non est risibile: si risibile est, homo est: & si risibile non est, homo non est: in qua consequentia sicut ad affirmationem antecedentis sequitur affirmatio consequentis, ita ad negationem antecedentis sequitur negatio consequentis, & vtrumque antecedit & sequitur alterum. Consequentia autem è contrario est, quando non eodem ordine contrariorum sequitur affirmationem affirmatio & negationem negatio, sed ordine è contrario sumpto, vt si affirmationem antecedentis sequitur affirmatio consequentis, ita è contrario negationem consequentis sequitur negatio antecedentis. Ita tamen, quòd antecedens non sermone tantum, sed realiter antecedit, & consequens naturaliter consequitur: quia sic consequens erit in antecedente & per substantiam velut causa est in ipso. Et causa huius est: quia in omnibus talibus antecedens est sicut pars subiectiua ad consequens, & cõsequens ad totum vniuersale, & sic se habet ad antecedens.

Consequentia è contrario quid.

Est autem regulariter verum, vt dicit Michael Ephesius, quod si in talibus affirmatio antecedentis est pars subiectiua consequentis, in negatiuis negatio consequentis est sicut pars subiectiua negationis antecedentis, & negatio consequentis infert negationem antecedentis, sicut substantiua pars infert suum totum: cum enim dicitur non animal & non homo, non homo de pluribus dicitur quam non animal, & non animal est pars subiectiua eius quod est non homo. Et cum in talibus non sit consequentia nisi de parte ad totum, & contrariè se habeant secundum totum & partem in talibus affirmatio & negatio, oportet consequentiam esse è contrario: & hæc est vera causa consequentiæ in ipso, & consequentiæ è contrario: non homo enim de omni dicitur quod est non animal, & de pluribus quæ sunt animal: non animal autem de omni non dicitur quod est non homo: quia asinus est non homo, & tamen non est non animal. Hæc igitur est causa consequentiæ in ipso, & consequentiæ è contrario: & quia quicquid est consequens naturaliter & generaliter ad alterum, oportet quod id quod est consequens, sit in antecedente: quia aliter non posset inferri ex ipso, &c.

Et hoc est quod dicunt moderni, quod quanto terminus finitus est superior, tanto infinitatus sit inferior, & è contra.

CAPVT IV.

De inspectione problematis de accidente circa oppositorum consequentias.

Quoniam autem oppositiones, &c.

His habitis in consequentiis oppositorum dicamus ergo, Quoniam autem oppositiones sunt quatuor secundum genera diuisæ, vt in prædicamentis determinatum est, considerandum in terminatione problematis de accidente ex contradictionibus (hoc est, ex his quæ opponuntur vt contradictoria) quemadmodum à consequentia è contrario facta & interimenti problema & construenti. Sed quia ad maximam istius loci probandam non est via nisi ex posterioribus, ideo sumendum est hoc ex inductione: & quod si aliquod naturaliter sequitur ad aliquod absque hoc quod antecedit ad ipsum, quod ad oppositum contradictorie consequentis sequitur oppositum contradictorie antecedentis. Cuius exemplum est, si homo est animal, non animal est non homo. Similiter autem est & in omnibus aliis sicut dictum est se naturaliter antecedentibus & naturaliter se consequentibus: nam hæc in talibus est è contrario consequentia. Et consequentia in ipso in talibus esse non potest, propter causam quæ dicta est: nam hoc modo hominem animal sequitur: & sicut sequitur animal hominem secundum naturalem consequentiam, sic non animal sequitur non homo. Hic ergo modus consequentiæ in omnibus huiusmodi concedendus est: vt si bonum siue voluptuosum siue delectabile est suaue siue conueniens, & è contrario erit non suaue non bonum: & est exemplum secundum Epicuros. Manifestum autem est, quoniam ad vtrumque (hoc est, ad construendum & destruendum) conuertitur in contradictione consequentia, non in ipso, sed è contrario facta. Si ergo aliud dicatur sequi ad aliud secundum inesse, considerandum est vtrum oppositum antecedentis consequitur ad oppositum consequentis: & si consequitur, sic sequitur propositum ad propositum: & si non sequitur oppositum contradictorie antecedentis contradictorie oppositum consequentis, neque propositum sequitur propositum: & sic valet construi & destrui.

Limitat regulam.

Sumendum autem est istud inquantum est vtile in omnibus, nisi in causis immediatis & effectibus suis, in quibus quamuis naturaliter causa antecedit effectum & infert eum, tamen propter terminorum conuertibilitatem sicut causa antecedit effectum, ita negatio causæ antecedit negationem effectus: quia in talibus sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis: sicut enim ad habere pulmonem sequitur respirare, ita ad non habere pulmonem sequitur non respirare: & sic patet, quod sicut consequens sequitur ad antecedens, ita oppositum antecedentis sequitur ad oppositum consequentis.

Causa secundum quid, quare in contradictoriis non est consequentia in ipso.

Quod dicunt quidam, quòd eius quod dictum est, quòd in contradictoriis non est consequentia in ipso, sed è contrario, causa est, quòd omnes contradictiones sunt æquales: eo quod in omni contradictione alterum contradictoriorum dicitur de omnibus quæ sunt & non sunt, & de nullo simul: & omnino oportet esse æquales contradictiones consequentis. Si autem consequentia in ipso esset in talibus oppositis, sequeretur, quòd contradictiones antecedentis & contradictiones consequentis essent non æquales: sed sicut consequens est in plus quam antecedens, ita negatio consequentis esset in plus negatione antecedentis. Potest quidem dici, quòd hæc non est causa, sed potius est illa vera causa quæ dicta est superius.

In contrariis autem considerandum, &c.

In contrariis autem quæ plus accedunt ad oppositionem cõtradictionis, ideò quod in illis est & consequentia in ipso, & consequentia è contrario, post contradictoriam considerationem ponenda est in contrariis: Considerandum si aliud dicatur sequi ad aliud, vtrum contrarium illius quod

quod dicitur sequi, sequitur ad contrarium alterius, aut secundum consequentiam in ipso, aut secundum consequentiam è contrario facta: & si sic, construitur problema: si non, destruitur: & sic valet ad construendum & ad destruendum in contrariis vbi ipsa consequentia est, vt in fortitudine & debilitate siue timiditate: nam fortitudinem sequitur virtus sicut totum vniuersale sequitur partem, debilitatem siue timiditatem sequitur vitium sicut totum vniuersale sequitur partem, & virtutem sequitur esse de eligendis, vitium autem de spernendis: ergo consequentia istorum est consequentia in ipso: contrarium enim est eligendum spernendo. Si ergo dicatur fortitudo eligenda, per consequentiam sequitur eodem ordine contrarium consequentis ad contrarium antecedentis secundum consequentiam in ipso factam. Similiter autem & in aliis huiusmodi est contrariis.

Limitatio regulæ.

Sed hic huius consequentia accipienda est inquantum est vtile: quia non tenet in omnibus: quamuis enim auaritia & prodigalitas sint contraria, non tamen sequitur, si auaritiam sequitur vitium & spernendum, quòd prodigalitatem sequitur virtus & eligendum. Sed tenet in his quibus aliquid per se causa vel aliquid sui causa est ad inferendum, & non in aliis, sicut fortitudo (quæ est virtus) causa est, quòd sit eligendum, & debilitas per aliquid sui causa est, quòd sit spernendum per hoc quod est excessus medij: causa autem eligendi est virtus per hoc quod est medium. Auaritia enim non est causa eligendi, neque prodigalitas. Formetur ergo sic consideratio, si contrarium dicatur sequi aliquid, considerandum est si contrarium consequentis sequitur ad contrarium antecedentis secundum consequentiam in ipso: & sic constructum est problema. Si autem non, sic interimitur problema.

E contrario autem consequentiam, &c.

In contrariis autem quæ se adinuicem habent sicut totum integrale & pars integralis, inspiciendum est in antecedente & consequente secundum consequentiam è contrario factam in talibus: quia pars integralis non ponit totum, sed è contrario totum ponit partem, & pars negata negat totum, & totum negatum non negat partem, vt patet in topic. Boëtij: & ideo in taliter contrariis non potest esse consequentia in ipso, sed è contrario. Cuius exemplum est, eucchia & cachechia opponuntur contrariè: & eucchiam sequitur sanitas, cachechiam autem non sequitur ægritudo, quamuis sanitas & ægritudo opponantur: vnde non sequitur, eucchia & cachechia sunt contraria, sanitas & ægritudo sunt contraria: & eucchiam sequitur sanitas: ergo cachechiam sequitur ægritudo: è contrario sequitur, cachechia sequitur ægritudinem: vnde sic valet consequentia: si eucchia est sanitas, & infirmitas sit cachechia, ita quod sicut consequens sequitur ad antecedens, ita ad contrarium consequentis sequitur contrarium antecedentis: quæ (sicut dictum est) consequentia est è contrario. Et huius causa est, quod eucchia est totum integrale ad sanitatem, & sic infert eam vt totum integrale infert partem. Quoniam enim densitas carnis est ex bona dispositione interiorum & exteriorum causata in complexione & compositione: cachechia autem mala dispositio est in exterioribus & mala habitudo causata in naturali augmento, vt in supra modum pinguibus: & tamen non sequitur, quòd infirmi sint simpliciter: quia inter sanum & ægrum est medium. Sic ergo in talibus est consequentia è contrario, si eucchia sanitas est, infirmitas cachechia erit.

Et nota, quòd in illis contrariis aliud est signum conuertentis, & aliud signum conuertibile cum causa: cachechia enim est signum imperfectum, sicut id quod in parte est, eius quod est in toto: & ideò manifestum est, quòd in talibus est consequentia illa quæ dicitur è contrario. Raro autem & in paucioribus contrariis fit consequentia in e contrario: quia non accidit nisi in his quæ se habent ad totum integrale vt pars, vt dictum est: sed in pluribus aliis fit consequentia in ipso. Sic ergo consideratio formetur, si propositum dicatur sequi ad propositum, considerandum est si oppositum antecedentis & oppositum consequentis se consequuntur, aut secundum consequentiam inuenitur problema: si enim in contrariis & antecedentis & consequentis inuenitur talis consequentia, tunc in propositis quæ dicta sunt, necesse est alterum sequi ad alterum.

Similiter autem contrariis, & in priuatione, &c.

Similiter autem vt in contrariis perspiciendum est in priuatione & habitu quantum ad consequentiam: sed in priuationibus non tenet consequentia è contrario, sed consequentia in ipso: vt si visus & cæcitas opponuntur vt habitus & priuatio, si visus est sensus, cæcitas est insensibilitas quædam, ita quod insensibilitas sumatur à priuatione cuiusdam sensus & non à priuatione sensus in communi, sicut visus ponit quendam sensum & non omnem: oppositum enim sensus est insensibilitas vt priuatio & habitus: nam hic sensus est habitus, & alterum cæcitas priuatio: & sic patet, quòd in priuatione & habitu est consequentia in ipso tantum. Cum autem in contrariis sit etiam & consequentia in ipso & e contrario, in priuatione autem & habitu consequentia in ipso tantum, reducuntur contraria ad priuationem & habitum aliquo modo, & non è conuerso: & ideò consideratio in oppositis secundum priuationem & habitum, est post considerationem in contrariis. Si ergo dicatur aliquid quod vt priuatio & habitus se habet sequi ad alterum, considerandum est, vtrum oppositum consequentis sequitur vt oppositum antecedentis: & sic construitur problema. Si autem non, interimitur problema.

Similiter priuatione & in his quæ sunt, &c.

Similiter his secundum priuationem & habitum oppositis his quæ sunt ad aliquid siue relatiuis, vtendum est: in oppositione enim eorum quæ sunt ad aliquid, eadem consequentia est vtendum, hoc est, in ipso consequentia vt in priuatione oppositis: vt si triplum est multiplex, subtriplum quod correlatiuum antecedentis dicitur, est submultiplex: dicitur autem opponi relatiuè triplum ad subtriplum, & multiplex ad submultiplex dicuntur relatiuè opposita in consequente. Et hoc quidem exemplum est in his quæ sunt secundum esse &

non secundum dici relatiua, quæ relatiua sunt & vere relatiue opposita: sed exemplum (in his quæ secundum dici relatiua sunt) est, vt si scientia est opinio, & scibile est opinabile: & si visus est sensus, & visibile est sentibile: cum scientia dicatur ad scibile, & scibile ad opinabile, si sequitur consequens ad antecedens, sequitur correlatiuum consequentis ad correlatiuum antecedentis, quæ est consequentia in ipso.

Obiectio textus. Instantia quoniam, &c.

Instantia autem quæ contra hanc consequentiam videtur esse, propter quam non necesse in his quæ sunt opposita vt ad aliquid, consequentiam in ipso fieri generaliter quemadmodum dictum est. Nam sensibile quod ad sensum dicitur, scibile est quod dicitur ad scientiam: & tamen sensus non est scientia.

Solutio.

Sed huius solutio est, quòd instantia quæ dicta est, non est vera instantia contra prædictam consequentiam: multi enim sunt qui non dicunt sensibilium vt sentibilia sunt esse scientiam, sed sensibilium vt abstracta sunt à sensibus communibus & facta sunt intellectiua, dicunt esse scientiam: & ideo sicut sensibile non est scibile, ita sensus non est scientia.

Amplius ad contrarium, &c.

Amplius ergo dicunt, quòd non minus est hæc consideratio vtilis ad contrarium quod est secundum negationem, quàm ad propositum quod est secundum affirmationem: nam sequitur, sicut sensibile non est scibile, ita nec sensus scientia. Consideratio autem talis, si aliquid relatiuorum dicatur sequi vt aliud, considerandum si opposita his correlatiue sequuntur seinuicem secundum consequentiam in ipso factam: & sic constituitur problema: & si non, interimitur. Hæc igitur in consequentiis oppositionum dicta sunt: alia enim & in prædicamentis & in aliis dici habent.

CAPVT V.

De inspectione problematis de accidente ad extrinseca eiusdem, sed tamen conuenientia cum illo.

Sic ergo terminato problemate per locum ab oppositis qui extrinsecus est, & oppositus subiecto vel prædicato problematis, vel vtrique, inspiciendum est ad illa quæ extrinseca sunt prædicato vel subiecto problematis, sed tamen conuenientia sunt cum illis. Et primo respiciendum est ad illa quæ cum ipsis habent similitudinem essentialem, & postea ad illa quæ cum eisdem similitudinem habent accidentalem. Similitudinem autem essentialem cum prædicatis & subiectis problematum habent coniugata cum ipsis & casuali inflexione deriuata ab ipsis: & ideo primo videndum est quæ sunt coniugata & casualia, & qualiter adinuicem comparantur.

Rursus in coniugatis & casibus, &c. *Quæ dicatur coniugata, & quare sic appellantur*

Dicemus igitur, quòd rursus ad terminationem problematis de accidente tam id interimere volenti, quam constituere, considerandum est in his quæ ex eis abundabit argumentationibus. Videamus igitur quæ dicuntur coniugata. Sunt autem coniugata principale & sumptum à principali per concretiuam denominationem, quamuis secundum grammaticum (qui modos in formatione vocum attendit) principale descendit à sumpto, vt iustus sti, addita tia, fit iustitia: considerando tamen ad rem & naturam compositum descendit à simplici. Principale simplex est abstractum à quo deriuatur concretum, & sumptum ab ipso dicitur & dicuntur coniugata quasi sub vno iugo principalis significationis coniuncta secundum modum significandi diuersum. Casus autem qui à cadendo dicitur, inflexio aduerbialis a principali descendens & sumpto quæ in his quæ primæ & secundæ deriuationis, vt iustitia, iustus, iusti, iustè. Quandoque regulariter cadit per inflexionem vltimæ syllabæ, & quandoque cadit irregulariter, vt à bonis boni bene, in quo prima & vltima syllaba inflectuntur. *Quæ dicantur casus.*

Dicuntur igitur coniugata quæ sunt huiusmodi à iustitia, iustus, iusta, iustum, quæ sunt coniugata, sunt sub vno & eodem iugo principalis significati, quod est iustitia coniuncta, à quo non differunt nisi per modum significandi diuersum. Dicuntur ergo coniugata huius quæ sunt vt iustus, sta, stum, iustitiæ: quod principali significato coniuncta, & à nominibus tertiæ declinationis sumpta, sicut fortia & fortis coniugata sunt fortitudini. Similiter perfectiua, aut consideratiua alicuius habitus corporalis vel spiritualis deriuata non per inflexionem, sed per denominationem dictam, propter aliquem modum quo se habent ad illum habitum vel formam, dicuntur illi habituali formæ coniugata, sicut diæta vel vrina dicuntur sanitati coniugata, cuius sunt perfectiua & conseruatiua, vt salubria siue sanitatis effectiua sana dicuntur & coniugata sanitati: & euechiua, hoc est, euechiæ factiua vel conseruatiua, coniugata sunt euechiæ. Eodem autem modo in omnibus aliis. Ergo quæcunque coniugata qualiter (hoc est, aliqualiter) vt sumpta à principalibus denominatione (vt in communi dicatur) taliter (vt dictum est) solent dici. Casus autem per inflexionem venit in aduerbium, qui modus actus verbi terminat, vt iustè inflexum à nomine secundæ declinationis, vel fortiter vel salubriter deriuatum à sumpto tertiæ declinationis, hi casus dicuntur: & est in eis modus aduerbialis qui est modus verbi.

Videntur autem & quæ sunt, &c.

Licet autem sic dicantur coniugata: tamen non modo proprio, sed communi dicuntur quæ sunt secundum casum quodammodo coniugata esse, vt iustè coniugatum videtur esse quodammodo iustitiæ, & fortiter fortitudini dicitur vel videtur esse coniugatum: quia casus à principali descendit, quamuis per medium: sumptum autem à principali sine medio descendit. Coniugata enim dicuntur omnia quæ sunt secundum eandem coniugationem ad principalia respicientia, vt iustitia coniugata sunt hoc modo communi iustus, sta, stum, & iustè.

Manifestum ergo, quoniam vno &c.

Hoc modo determinatis coniugatis & coniugationis formando considerationem, manifestum est, quoniam vno quolibet ostenso accidente & de aliquo quod coniugatum est alteri,

alteri, aut velut casus se habet ad aliud, ostensum erit illud accidens in omnibus coniugatis inesse, vt si ostendatur aliud eorum bonum esse vel laudabile, & reliqua omnia ostensa sunt similia in eodem accidente, vt si ostendatur, quòd iustitia est de numero laudabilium, ostensum est, quòd iustus laudabilis, & quod iustè fit laudabiliter, & coniugata iustitia & casus eius sunt de numero laudabilium: sed casus per inflexionem nominis in aduerbium dicetur iustè & laudabiliter secundum casum ab eodem principali cadens, & dicuntur isti à laudabili secundum eundem modum casus, sicut iustus dici à iusto ostensum erit, & casus ostensus erit de casu: & si non dicitur principale de principali, neque sumptum dicetur de sumpto, neque casus de casu.

Considerandum autem non solum in eo, &c.

Considerandum tamen si in casibus & coniugatis est non solum in ipsis principalibus & sumptis & casibus, sed etiam in contrariis illorum contraria inspicienda sunt. Cuius exemplum est, quòd si coniugatum habens contrarium dicitur de coniugato habente contrarium, si contrarium de contrario dicitur coniugato, & propositum dicitur de proposito, & si non, non. Verbi gratia, bonum & malum sunt contraria, suaue & triste contraria, si bonum est suaue, & bonitas est suauitas, & bene suaue, & malum triste, & malitia tristitia, & male triste: sit vel tristanter, & si non, non: & in eo iudicio bonum & malum sunt prædicata, & suaue & triste sunt subiecta. Est autem suaue delectabile, & triste molestum, quod tamen aliquando non est malum, sed bonum vtile, sicut aduri vel incidi: vnde si triste est malum, & suauiter est bonum: & si triste aliquando non est malum, & suaue aliquando non erit bonum, neque suauitas bonitas, neque suauiter bene: aut si hoc triste est malum, & suaue bonum. In principalioribus exemplum est Socratis qui dixit virtutes esse scientias: eò quod malus est ignorans, sic arguens: iniustus est ignorans: ergo iniustitia est ignorantia: & in contrario iustitia scientia: quia si iustitia est scientia, & iniustitia erit ignorantia: & si quod iustè est vel fit scienter vel experienter fit, sequitur tunc quod iniustè est vel fit, ignoranter est vel fit. Sic autem in coniugatis in contrario non est verum.

Magis apparebit, &c.

Necesse quæ de coniugatis posita sunt (quæ nunc dicta sunt) vera sunt, & quod iustitia est scientia: & iustum scitum & experrum, & iustè scienter: magis enim apparebit si quis ethicè principia vitiorum consideret, quòd illud quod iniustè fit, experienter & ex certa scientia fit magis, quàm quod fiat inexperienter: quia nisi scienter fieret, esset inuoluntarium quod est iniustum: quod non est verum: sed fiunt scienter particularia in quibus est actus.

Hic autem modus, &c.

Hic autem modus qui nunc dictus est prius, etiam est dictus in contrariorum consequentiis, quamuis nunc consideretur contrariorum sequentia in coniugatis & casibus: quod superius similiter in contrariis ostendimus: eò quod nunc nihil ostendimus, si ut dictum est, in coniugatis quam quod ad contrarium coniugato sequitur contrarium per oppositionem contrariorum. Si ergo in coniugatis in se & in suis contrariis est inspiciendum ad terminationem problematis de accidente, & in casibus similiter: quia casus quodammodo sunt coniugati.

CAPVT VI.

Qualiter in consideratione problematis de accidente intendendum est in generationibus & corruptionibus, & in efficientibus & corrumpentibus, & in similibus.

Amplius in generationibus & corruptionibus, &c. *Quid per generationem & corruptionem hic intelligendum.*

Amplius autem opponenti ad problema de accidente intendendum est, siue construere volenti siue interimere volenti, in generationibus & corruptionibus. Et generatio vocatur quicunque motus inducens in esse, siue substantiale, siue accidentale: & per oppositum dicitur corruptio motus quicunque educens ab esse. Et generationes & corruptiones dicuntur esse manentes in tali motu, & in hoc differunt ab eo quod simpliciter est causa, quorum generationes bonæ sunt, & sic ipsa bona sunt: & sic constituitur problema quod vt accidens dicitur inesse generato: & è contrario etiam tenet, quòd si generata bona sunt, & generationes bonæ sunt: quia bona est inductio boni ad esse, & è conuerso: & quorum generationes sunt malæ, & ipsa sunt mala, & è conuerso. In corruptionibus autem est contrarium quantum ad inferens & illatum: nam si corruptiones aliquorum sunt bonæ, & ipsa sunt mala, & è conuerso.

Eadem ratio est in efficientibus, &c.

Eadem autem ratio consequentiæ quantum ad inferens & illatum, est in efficientibus & corrumpentibus: quia quorum effectiua sunt bona, & ipsa sunt bona. Et hoc intellige de effectiuis per se & non per accidens: sic enim diximus, quòd boni est bona adducere: & quorum corruptiua sunt mala si per se sunt corruptiua, illa quorum corruptiua sunt, bona sunt.

Rursus in similibus, &c. *Quæ sint similia & qui fit similitudo.*

Peramplius in eiusdem problematis de accidente terminatione considerandum est in similibus, & est considerandum, quòd quorum inest vna qualitas, similia sunt: quia vnum in qualitate est simile, vt dicit Aristot. & Boet. dicit, quòd similitudo est rerum differentium eadem qualitas: similitudo autem habituum duorum vel plurium ad vnum vel vnius ad plura vel plurium ad plura faciens proportionem & proportionalitatem secundum omnis proportionis differentias: quia quamuis proportio propriè sit in quantitate ramen extenso nomine secundum quod locus à proportione accipitur in similitudine habitudinum quorumcunque similiter se habentium ad vnum, & in communi in talibus omnibus est inspectio ad similia secundum inesse, vel in habitudine vna siue similia. Vt verbi gratia, si disciplina vna ponatur plurium & opinio est vna, audi tum habere est audire: quia disciplina & opinio vna habitudine simili se habent ad ea in quibus sunt: & si visum habere est videre

in habitu, ad minus est videre in habitu, auditum habere est audire; quia vna simili habitudine habitus virtus & habitus auditus se habent ad suos actus & habitus in vtu acceptos. Similiter autem & alius habitus alius, & in vna proportione ad vnum se habentibus, & in his quæ sunt secundum eum sic similia, & in his quæ similia esse videntur.

Vtilis autē locus hic, &c.

Potestas huius loci à proportione est vtilis ad vtrumque & ad construendum & ad destruendum, problema. nam si in aliquo aliquod simile in se haberet affirmatiuè, & in alio sic se habebit: & sic constructum est problema. Si autem in aliquo similium non sic se habeat, similiter in alijs similibus non sic se habebit: & sic destructum erit problema. Hæc autem consideratio est in his quæ singulariter se habent ad vnum in communi. Considerandum etiam est in vno ad quod similiter se habent & in pluribus, sicut quando plura eodem modo se habent ad vnum. Si dicatur scire idem est quod intelligere, inspiciendum est qualiter ambo se habeant ad idem sicut ad multa, hoc est, si eodem modo scire se habeat ad multa sicut intelligere, hoc est, vtrum contingit multa intelligere simul, sicut contingit multa scire: intelligere autem non contingit multa simul. Si autem hoc non contingit, manifestum est, quòd scire non est intelligere. Et in vno & eodem si scire dicatur secundum habitum, multa cōtingit simul scire: & si scire dicatur secundum actū, tunc scire est conclusionis, ad quod sciendum multa oportet scire actualiter relata ad ipsam, vt principia, & illationem quæ est vt imagere. Similiter si intelligere accipiatur in actu, tunc intelligere est simpliciter intueri intelligibile: simplex autem virtus non potest esse nisi ad vnum simplex, sicut linea terminatur ad vnum punctum. Si autem in habitu accipiatur, tunc intellectus est habitus principalis, qui est in vno & non in pluribus secundum quod simplex habitus. Sic ergo considerandum est in similiter se habentibus ad aliquid.

Quomodo plura contingat scire & intelligere, & quomodo vnum tantum.

Amplius in his quæ vna qualitate similia sunt, considerandum est ex magis & minus inesse per intensionem & remissionem qualitatis inhærentis. Sic autem eius quod secundum magis & minus inest, sunt loci quatuor à quibus trahuntur argumentationes ad problematis de accidente terminationem. Vnus quidem locus est in comparando ad alterum: quia si prædicatur accipiendo ad subiectum est magis: quia si prædicatum est magis, sequitur ad subiectum simplex: & ideo vnus locus est, si magis sequitur magis: sicut si voluptas bonum est, magis voluptas est magis bonum: & si iniuriam ferre malum est, magis iniuriam ferre, magis malum est: & hic comparatur magis ad inesse simpliciter, & magis inest & simpliciter inest. Hic autem locus vtilis est ad vtrumque, ad construendum problema, & destruendum. Nam si consequens (hoc est, prædicatum) est accidentis incrementum (hoc est, intensum est secundum magis) hoc subiecti incremento (hoc est, intensionem subiecti) quemadmodum in exemplo inducto dictum est, manifestum quoniam accidit. Simpliciter autem ponebam inesse accidens. Si autem sequitur cum incremento prædicatum, quando incrementum accipit subiectum tunc manifestum est, quòd simpliciter non accidit. Hoc inductione autem sumendum est quia hæc maxima huius loci est, & non nisi ex posterioribus probari potest.

Amplius in his quæ vna qualitate similia sunt, considerandum est ex magis & minus inesse per intensionem & remissionem qualitatis inhærentis. Sic autem eius quod secundum magis & minus inest, sunt loci quatuor à quibus trahuntur argumentationes ad problematis de accidente terminationem.

Amplius autem secundus locus est vno prædicato de duobus subiectis dicto, sicut per locum a maiore qui destructus est: si enim cui magis videtur prædicatum inesse, non inest, nec cui minus videtur inesse, inerit: sicut expugnare castrum videtur inesse regi & militi: & regi non conuenit: ergo nec militi: & è conuerso tenet affirmatiuè per locum à minore: si inest ei cui minus videtur inesse, inerit ei cui magis videtur inesse, vt si expugnatio castri inest militi, & regi.

Amplius vno de duobus dicto, &c.

Rursus tertius locus est de duobus prædicatis siue accidentibus de vno subiecto secundum magis & minus dictis, iterum per locum à maiori & per locum à minori. Si enim in talibus prædicatur, quod magis videtur inesse, non inest: nec quod minus videtur inesse, inerit: & si prædicatum, quod minus videtur inesse subiecto, inest, & quod magis: sicut imperatori inest expugnatio castri, & ciuitatis: & magis videtur inesse imperatori expugnatio castri, quam ciuitatis: minus autem expugnatio ciuitatis, quam castri: quia castrum à ciuitate defenditur, & non è conuerso. Et hic est tertius & constructiuus & destructiuus.

Rursus duobus, &c.

Amplius quartus locus est eius quod est magis & minus duobus prædicatis & duobus subiectis cum magis & minus dictis, iterum per locum à maiore & minore arguendum. Si enim prædicatum quod magis videtur inesse subiecto suo & non inest, nec quod minus: & si quod minus & quod magis, vt expugnatio castri inest regi, & expugnatio ciuitatis inest præsidi vel duci: si enim præses potest expugnare ciuitatem, quod minus videtur, poterit & rex expugnare castrum, quod magis videtur inesse: & si rex non expugnat castrum, nec præses ciuitatem, quod minus. Illorum enim quatuor locorum considerationes sumuntur ex comparatione eius quod est magis & minus inesse ad simpliciter inhærens. Secundus ex comparatione minus prædicati ad duo subiecta. Tertius ex comparatione duorum prædicatorum ad vnum subiectum. Et quartus ex comparatione duorum accidentium siue prædicatorum ad duo subiecta.

Amplius duobus de duobus, &c.

Amplius autem adaptando tres vltimas considerationes ad similiter inesse, vel quod videtur similiter inesse quemadmodum in eo quod magis & minus & in posterius dictis tribus locis fieri dicebatur: siue enim vnum quidem prædicatum duobus subiectis secundum magis & minus inesse dicebatur. Similiter autem inesse videtur: tunc si cui magis videtur inesse, non insit, sequitur quod nec ineat alteri cui minus videtur inesse: & si cui minus, & cui magis. Si etiam duo prædicata similiter insunt eidem subiecto, si quod magis videtur inesse subiecto, non inest, nec reliquum quod minus videtur inesse, inerit: & si quod minus, & quod magis,

Amplius ex eo quod similiter inest, &c.

magis. Et si duo prædicata accidentia duobus subiectis simpliciter insint : nam si alterum illorum prædicatorum quod magis videtur, alteri subiecto non inest, nec reliquum quod minus videtur inesse subiecto suo, inerit : & si quod minus, & magis se habet, sicut dicit tertia consideratio.

Ex magis ergo, &c.

Ergo epilogando dicatur, quòd magis & minus, & similiter ipsse tot modis, vt dictum est, contingit argumentari ad problema de accidente. Manifestum ergo ex dictis & ex similibus dupliciter contingit argumentari, & ex similibus se habentibus ad aliquid vel ad aliqua, & est à proportione : & ex similiter inhærentibus, & est locus à simili : & quia non à similiter inhærentibus inhærentia suscipiunt magis & minus, ideo consideratio secundum magis & minus non est nisi in similiter inhærentibus cum magis & minus, & non in similiter se habentibus in proportione, vt patet: magis enim se habent adinuicem correlatiua quam subiectum & passio : & tamen non sequitur, si passio dicitur de subiecto, quòd correlatiuum dicatur de suo correlatiuo. Item cum dicitur, quod si magis ad minus, & simpliciter ad simpliciter, & e conuerso, & si simpliciter ad simpliciter, & magis ad magis : non enim suscipiunt magis & minus, nisi quæ similiter & accidentaliter insunt, & in his in quibus vnum est per se causa alterius : aliter enim sequitur, si homo est animal, magis homo est magis animal : & si bibere est bonum, sequitur quod magis bibere est magis bonum, quod est falsum : sed sequitur, si voluptas est bonum, quod magis voluptas est magis bonum : quia voluptas per se est causa boni delectabilis.

Argumentum à maiori, à minori, à coniugatis, & à similibus non possunt reduci nisi ad syllogismum hypotheticum.

Adhuc notandum, quòd argumentum à maiore & minore & coniugatis & à similibus cum sit ex quatuor terminis, non potest reduci ad syllogismum categoricum ostensiuum : sed oportet, quòd reducatur ad syllogismum hypothericum. Vnde cum sic arguitur: voluptas est bona : ergo magis voluptas est magis bona : non conceditur nisi sub hypothesi, si aliud de altero dicitur, vtroque sumpto simpliciter, dicitur alterum de altero, vtroque sumpto cum magis & minus : & sic fit syllogismus hypothericus, & non categoricus ostensiuus. Hæ autem omnes considerationes constructiuæ sunt & destructiuæ.

CAPVT VII.

Qualiter construitur problema de accidente per locum ab appositione.

Amplius ex appositione, &c.

AMplius autem construitur problema de accidente ex inspectione appositionis alicuius virtutis accidentis ad aliud quod est subiectum ipsius quod apponitur, vt si debeat ostendi de aliquo quod ipsum sit aliquale, considerandum est si aliquod quod est quale vel qualitas, appositum alteri facit ipsum magis quàle, ita quod auget vel intendit qualitatem in ipso reperiam : & si quod alterum est ab ipso quod appositum facit ipsum magis tale quam erat intrinseca qualitate ipsius, constructur problema, quod ipsum cuius ex appositione auctor qualitas, fuit & est aliquale & tale. Similiter autem & in quanto & aliis prædicamentis, vel in aliis quæ circa hæc considerantur, vt in separatione : quia si separatum ab ipso facit ipsum minus tale, constat quod & ipsum erit aliquale.

Hæc est regula scripta primo posteriorum. t. 2. comm. 5.

quòd propter quod vnumquodque tale est, &c.

Secunda consideratio iuxta idem est si aliquod appositum ad alterum facit ipsum magis tale quam fuit prius, sequitur quod ipsum erat aliquale, sicut bonum appositum alicui facit ipsum bonum vel magis bonum, & album appositum alicui facit ipsum album vel magis album, & quod ipsum sit album & bonum quod apponitur. Nec valet instant a quam quidam afferunt: sequitur ex illa, vinum facit ebrium, & magis ebrium; quia hoc intelligitur de agentibus vniuocè : vniuocè autem agunt ea in quibus agens & actum sunt in forma vna & eadem secundum quam agit agens, & quam recipit patiens secundum actionem : sic autem non agit vinum ebrietatem.

Amplius si hoc quod erat, &c.

Remouet instantia quæ solet tangi primo posteriorum, contra illã propositionem: propter quod vnumquodque tale est, &c.

Potestas autem huius loci non est vtilis in omnibus appositis, sed tantum vtilis est in his quæ secundum intensionem & remissionem suscipiunt magis & minus, in quibus eius quod est, magis incrementum accidit fieri ex appositione, hoc est, in his quæ secundum intensionem & remissionem suscipiunt magis & minus. Amplius autem istic locus non habet potestatem vt conuertatur ad problematis destructionem, & constructiuus est tantum: nam si non facit aliud ad quod appositum est bonum id quod apponitur, nondum manifestum est si ipsum non bonum : nam bonum malo appositum, non ex necessitate & semper totum bonum facit : neque album nigro appositum, ex necessitate album vel magis album, sed fortè medium vel medio colore coloratum.

Vtilis autem non, &c.

Ex quo patet, quòd illa regula, propter quod vnumquodque tale est, &c. non valet nisi in his quæ suscipiunt magis & minus.

Rursum alia consideratio & parte & toto in modo tracta, cuius pars sit ex aliquo appositio ad totum, vt legere bene pars est eius quod est legere : sic enim considerando, quod magis & minus dicitur secundum partem inesse, hoc & simpliciter infert, suum totum. Vnde quod magis est album, est album : & quod magis est album, nec magis nec minus est bonum vel bonum, est bonum : & totum destructum destruit partem : quod enim non est bonum vel album, nec magis nec minus est bonum vel album. Ideò totum modale & pars modalis sunt sicut totum vniuersale & pars vniuersalis siue subiectiua se habentia : nam malum quod non est bonum, neque magis neque minus bonum de aliquo dicetur, sed dicetur magis vel minus malum. Et non conuertitur hic locus ad problema destruendum : quia multa quæ non dicuntur magis, insunt simpliciter: homo enim non dicitur magis & minus homo, non propter hoc sequitur, quòd non sit simpliciter homo : à parte enim in modo ad suum totum simpliciter acceptum non valet processus nisi affirmatiuè. Sic ergo construitur problema dialecticum per media constructiua tantum, quæ habent conuenientiam & similitudinem

Rursus si quidem magis, &c.

Et hoc est quod solet dici, quod comparatiuus præsupponit suum positiuum.

tudinem cum subiecto & prædicato problematis accidentalis.

CAPVT VIII.

Qualiter construatur problema per media partim dialecticæ & partim sophistica ex appositione.

Eodem autem modo considerandum, &c.

EOdem modo etiam considerandum est in his quæ sunt appositionis determinationis secundum quid (hoc est, secundum aliud & ad aliud) & secundum quando, & secundum vbi. Nam si aliquid secundum quid contingit frequenter, sequitur, quòd contingat simpliciter, quamuis in aliquo habeat instantiam: sequitur enim, iste est crispus secundum caput, ergo est crispus: et legit aliquando, ergo legit: iste disputat aliquando, ergo disputat. Videtur autem hæc consideratio per quandam elargationem dari præcedentis & partim in modo & toto: dextructius enim est locus iste sicut à toto modaliqua quod simpliciter non conuenit vt impossibile, hoc nec conuenit secundum quid, nec secundum quando, nec secundum vbi, vel alicubi.

Instantia quoad secundum quid, &c.

Hic autem locus quia partim sophisticus instantiam habet, & instantiam quidem ad id quod est secundum quid est, quod homines sunt secundum quid studioli, sicut secundum quid liberales, & secundum quid sunt casti: quia naturaliter nati sunt ista virtutes suscipere. Simpliciter autem non sunt studioli vel liberales vel casti, qui sic naturaliter sunt studioli vel boni vel casti vel liberales. Similiter autem instantia est ad id quod est quando: contingit enim secundum quando aliquid de numero corruptibilium non corrumpi, vt tempore augmenti: simpliciter tamen nihil corruptibilium contingit non corrumpi: omne enim corruptibile corrumpetur de necessitate. Eodem modo instantia est in vbi: alicui expedit vti diæta, vt in locis ægrotantis: simpliciter autem non expedit ea vti vbique. Amplius autem aliud exemplum de instantia ad vbi: alicubi enim non est possibile nisi vnum esse tantum, vt in loco vno: simpliciter tamen non est possibile tantum vnum esse, sed necesse est esse multa. Eodem modo instantia est contra vbi: quia vbi siue alicubi bonum est hoc, vt mactare patrem in Triuallis: non tamen simpliciter est bonum vel pium mactare patrem. Hæc autem vltima instantia non significat duplicem instantiam contra vbi, sed significat quibusdam gentibus esse bonum: vbi enim non facit differentiam ad simpliciter: nihil enim differt si illæ gentes sint vbique, bonum enim erit eis mactare patres, sicut & bonum est eis in Triuallis: & ideò vbi in hoc non facit differentiam ad simpliciter, sed quibusdam esse bonum. Rursum autem instantia quæ contra quando dicta est, vt quando siue alicui expedit medicari, vt quando ægrotat, non tamen simpliciter expedit medicari: aut fortè nec hoc quando significat illud quod infert per quando ad simpliciter, sed inter per cuidam, sicut in eo qui afficitur aliquo modo ægritudinis: nihil enim differt quandocunque secundum tempus, dummodo affectus sit secundum ægritudinem.

Simpliciter autem est, &c.

Et quia tam sæpius diximus simpliciter esse & secundum quid, oportet exponere quid simpliciter esse, & quid secundum aliquid. Dicimus ergo, quòd simpliciter dicitur esse quod est nullo addito quod determinat ad restringendum quod dicis, sicut simpliciter dicitur quod est bonum sine determinatione, aut de quo dicis simpliciter contrarium boni, vt patrem mactare non dicit simpliciter bonum esse, sed dicit quibusdam gentibus esse bonum, & religione hoc putare pietatem: sed non dicit hoc simpliciter bonum esse, sed dicit honorare deos simpliciter bonum esse, nihil addens determinationis: simpliciter enim bonum est quod nullo addito est vel videtur esse bonum, & simpliciter prauum est vel videtur esse, vel aliquod talium prædicatorum, quod nullo addito determinante vel restringente simpliciter dicitur illi inesse vel non inesse.

Quomodo valet consequutio à determinato ad simpliciter, & est locus dialecticus: & quomodo non valet, & est locus sophisticus dictus fallacia secundum quid & simpliciter.

Ad intelligentiam autem horum notandum, quòd in problemate de inesse vel de accidente, aut prædicatum gratia sui conuenit subiecto, aut ratione determinationis, aut ratione vtriusque. Si gratia sui conuenit: tunc determinatum infert simpliciter, vt Sortes est homo albus: ergo Sortes est homo: vel Sortes est hic homo: ergo est homo: & sic semper est locus dialecticus. Si autem non gratia sui prædicatum inest subiecto vel gratia vtriusque: tunc est locus sophisticus, qui dicitur secundum quid & simpliciter, si simpliciter inferatur ex ipso. Exemplum autem quod gratia determinationis refertur ad subiectum, vt Sortes est albus pedes: ergo est albus: non sequitur. Exemplum eius quod est in ratione vtriusque referri ad subiectum etiam gratia sui & determinationis est, Sortes est homo mortuus: ergo est homo: non sequitur, sed est fallacia secundum quid & simpliciter.

Determinato multiplex. Nihil ad dens nisi ens vari nu Restringens. Destruens Diminuens.

Adhuc est notandum, quòd determinatio addita, aut nihil addit supra id quod simpliciter est & indeterminatum nisi ens rationis, vt cum dicitur, Sortes est vnus homo, hoc quod est vnus, non addit nisi rationem indiuisionis: & talis determinatio infert simpliciter, vt Sortes est vnus homo: ergo est homo. Aut addit aliquod restringens & determinans id quod est simpliciter: & tunc id additum, aut saluat inesse ipsum quod est simpliciter & solùm determinat ipsum & restringit: & hoc iterum infert suum simpliciter, vt Sortes est homo albus: ergo est homo. Aut illud additum destruit & diminuit ipsum simpliciter, & hoc non infert suum simpliciter, vt Sortes est homo mortuus: ergo est homo: non sequitur. Aut non totaliter saluat, nec totaliter destruit, sed diminuendo trahit ipsum ad partem, ita quod cum illo saluatur in ipso determinationis contrarium: & hoc iterum non infert simpliciter, vt Æthiops est albus secundum dentem: non sequitur, ergo est albus: pluit in Anglia, ergo pluit, & sic de aliis.

Ad intelligentiam verò de Triallis scias, quòd litera corrupta est quæ dicit, Triallis per duas ll, post mediam syllabam positis: sed vitio scriptoris

scriptoris u. litera quæ in figura duæ ll. videtur quando duæ lineæ quæ sunt in u. litera protrahuntur in longum in duas ll. transformata. Dicitur enim gens illa Triuau, quod in Latinis sonat macta tores vel occisores. Est autem gens Sclauorum in Dalmatia inter Græcos & Vngaros versus Orientem habitans, cuius quidem duces cum parte gentis super fluuium quæ Albia dicitur in terra quæ nunc Saxonia dicitur, veniens, ibidem vsque hodie habitat, & locum suæ habitationis à prima à qua venerunt, nominauerunt Triuauia. Est autem vsque hodie seruans illud pro religione, quod miserrimos in vita reputant pium esse occidere. Propter quod gibbosos claudos & cæcos vel aliter inutiles filios occidunt, & patres senio confectos, & senes ne in miseriis viuant, occidunt & sepeliunt: & hoc reputant pietatem in terra ista. Igitur ego pro meipso & hoc ab incolis perquirens didici, & oculata fide aspexi, & tumulos sic occisorum, filiis (qui patres & matres occiderant) indicantibus aspexi. Sunt autem proceri homines fortes & pulchri, vsque hodie religionem patrum suorum in occisione parentum suorum obseruantes.

Nota consuetudinem illius gentis quæ dicitur Triuau.

LIBER III.

TOPICORVM DE ACCIDENTE contracto & comparato.

TRACTATVS I.

De accidente contracto & comparato.

CAPVT I.

De præambulo & proœmio.

Remouet dubium.

DICTVM est in primo libro huius scientiæ, quòd problema est speculatio contendens ad electionem vel fugam, & ad veritatem & scientiam: propter quod cum ea quæ ponuntur in diffinitione alicuius formaliter distinguant ipsum, patet quod problema de eligendo vel fugiendo formaliter differt ab aliis problematibus: & ideò per alia principia terminandum est: & ideo substantiale librum de eo oportet introduci, & cum problemate de inesse simpliciter non potest determinari. Quia autem iterum in primo libro determinatum est, quòd problematum quædam sunt ethica, quædam physica, quædã logica, & problemata ethica in vna forma eligendi vel fugiendi vnita sunt & finita sunt ad formam vnam communem, constat quod finita sunt quæ hoc modo in problematibus ethicis. Physica autem & logica in vna forma vniuntur, sed secundum materiam remanent infinita: & ideo patet, quòd infinita sunt quæ in physicis & logicis ad materiam contracta quæruntur. Propter quod substantiales libri fieri non possunt de problematibus ad materiam contractis physicis & logicis, sed de ethicis ad materiam contractis secundum rationem dictam oportet librum fieri specialem.

Pro intentione huius libri & causa intentionis.

Cum autem iterum dictum sit in primo huius scientiæ, quòd quædam problemata sunt principalia, & quædam adiuncta principalibus, vt problema de differentia adiungitur problemati de genere, & terminatur in eodem libro cum genere, eò quod differentia est generalis, & problema de accidente contracto & comparato est prædicatum accidenti, non debuit in eodem libro cum problemate de accidente terminari: quia differentiam formalem habent ad ipsum, vt dictum est: quod non habet problema de differentia ad problema de genere, quamuis genus & differentia constituantur in diuersis essentiis secundum quod constituunt tertium, vt differentia, cum sit non conuertibilis & generalis, cadit in intentionem generis: & quando est generalis & conuertibilis, accipit in prædicando & subiiciendo speciei intentionem, & sic ad idem pertinet cum genere & specie. Accidens autem absolutum & comparatio accidentis quamuis in eadem essentia fundetur, cũ alia & alia habẽt esse suæ terminationis ad formam: quia accidens secundum esse absolutum

absolutum eligendum, eligibilis vel fugibilis formam non habet æquam, sed formam habet accidens comparatum. Et hæc est forma ad quam contendit prodiens per principia specialia differentia a principiis illis quibus habet terminari inesse vt accidens. Et ideo de hoc adiuncto prædicato oportet substantialem induci librum, cuius primum tractatum faciemus de accidente contracto & comparato: quia hoc immediatè contingitur post considerationem de inesse simpliciter: quia tam contractum quam comparatum in eo quod inest vt accidens, fundatur, & contractum per se & comparatum per se contenent sub hoc generali quod est contractum & comparatum: & ideo prius de accidente tam contracto quam comparato dicendum occurrit: quia per loca illius determinatur & accidens comparatum & non contractum, & etiam accidens contractum & comparatum.

Verum autem sit magis eligendum, &c.

His igitur sic habitis & præmissis proœmialiter, primo dicimus, quod verum duum vel pluriumve ipsi propositorum accidentium contractorum ad materiam, & secundum magis & minus comparatorum adinuicem, & ad nos, & sit magis & minus eligendum simpliciter vel nobis, in quid sit magis duum vel plurium propositorum, ex his quæ in hoc libro dicenda sunt, est perspiciendum: electio enim, vt dicit Damascen. est duobus vel pluribus propositis, hoc alteri vel alteris præoptare. Primum autem in hoc proœmio determinetur: quoniam determinationem non facimus de plurimum distantibus in eligendo: quia scire hoc facile est, & arte non indiget: & ideo non faciemus considerationem de his, & magnam in bono & eligendo habentibus differentiam: nullus enim dubitat in talibus. Cuius exemplum: quia nullus dubitat, vtrum beatitudo vel diuitiæ sint magis appetendæ. Omnes enim appetunt beatitudinem quæ consistit in bono sine impedimento miseriæ viuere: & propter illam beatitudinem agunt quicquid agunt, vt dicunt Stoici. Diuitiæ autem non appetuntur nisi inquantum partes sunt beatitudini permixtæ: quæ pars est sufficientes esse: quia diuitiæ sufficientiam dare putantur: eò quod generalis fideiussor sunt futuræ necessitatis, vt de nummismate mensurali dicit Aristot. secundo ethicorum: & ideo diuitiæ referuntur ad beatitudinem ab his quibus appetuntur. Propter quod nullo dubitante beatitudinem plus quam diuitias appetendam. De sic ergo de talibus non oportet facere artis considerationem, sed de his consideratione artis opus est, quæ propinqua in forma boni & eligibilis, & de his quibus rationaliter dubitare possumus; vtrum comparatorum oportet magis bonum esse, vel magis eligendum: eò quod nullam statim & prima facie videamus alterius ad alterum præeminentiam in bono & eligendo, sed de hoc comparato oportet habere scientiam & considerationem.

Nullus dubitat, vtrum beatitudo vel diuitiæ sint magis appetendæ.

Electio quid secundum Damasc.

Palam igitur in his, &c.

Palam ergo ex his quæ dicta sunt, quoniam in his talibus ostensa per artem differentia secundum præeminentiam in bono vel eligibili, vel vna differentia siue præeminentia, vel pluribus (si plures sint rationes præeminentiarum) constructur & conformabitur intellectus practicus: quod est magis appetendum quod inter ea est præminens alteri, in primo libro in quo constructum est inesse vt accidens, quod ad veritatem & scientiam contendit, constructus est intellectus speculatiuus. In hoc autem tertio de eligendis construitur intellectus affectiuus siue practicus, quo voluntati permixtus est.

Ethicorum duplex est cognitio.

Propter quod notandum, quòd ethicorum duplex est cognitio. Vna quidem ex propriis principiis, quæ sunt natura, consuetudo, voluntarium, inuoluntarium, electio, consilium, & huiusmodi quæ ad ethicam pertinent. Alia autem speculatiua rationum, quare quid eligile siue fugibile contenditur, quæ pertinent ad dialecticum: & hanc hic tradimus. Tradendo autem non faciemus considerationes per inspectionem eorum quæ antecedunt vel sequuntur prædicatum vel subiectum problematis, sicut in anteriori huius scientiæ libro fecimus, sed tantum dabimus maximas eligendi regulas: quia illæ rectificant intellectum practicum ad rectè eligendi considerationem, per inspectionem eorum quæ sunt in subiecto vel prædicato problematis; & magis sunt ad destruendum intellectum speculatiuum. Dabimus autem præcipuè maximas constructiuas electionis: quia per illas scietur discretiuè quid fugiendum & quid non eligendum. Sic ergo in hoc tertio libro topicorum procedemus.

CAPVT II.

De electione per inspectionem ad eligibile & eligentem, & eligibile subiectum siue formam, &c.

PRimum ergo intelligendum est, quòd non dabimus maximas de præminentia eligendi ad non eligendum: quia hæc plurimum habent differentiæ distantiam: sed primò dabimus maximas ostendentes differentiam eligendi ad indifferenter se habens ad eligendum vel fugiendum: vel cum electio non sit finis, sed eorum quæ sunt ad finem, possunt dari considerationes sumptæ ex ipso eligendo, vel ex fine ad quem respicit electio. Respiciendo autem ad ipsum eligendum ponamus primò maximas quæ omnibus notæ sunt, & in quibus subtili consideratione non est opus.

Primum ergo quod diuturnius, &c.

Considerando ergo bonum eligendum in se damus hanc maximam, quod id quod est diuturnius, est magis bonum secundum hoc eligendum. Comparando autem bonum eligendum ad nos damus istam, quod id quod certius est bonum, quoad hoc est magis eligendum, quam id quod est minus certum vel minus diuturnum. Istæ ergo sunt duæ considerationes in suis maximis determinatæ inspiciendo ad eligibile in se consideratum & ad nos comparatum. Sunt autem aliæ maximæ per inspectionem ad eligentem & non ad eligibile

gibile acceptæ: & sic accipiuntur 7. maximæ vel vna ex 7. constans.

Et quod magis eligit prudens, &c.

Prima quidem est, quod magis eligendum est, vbi prudens eligit: quia prudens est, qui cum ratione agendorum habet prudentiam. Secunda est, quod id est magis eligendum, quod eligit vir bonus: quia bonus est cum virtute dispositus, vt in magnis moralibus dicit Aristot. & qui non solum dicto, sed etiam facto probat per amorem honestorum verba & electiones suas. Tertia est quod lex recta præcipit eligendum: lex enim recta, vt dicit Tullius, est ius scriptum præcipiens iustum prohibensque contrarium. Et ideo lex recta nihil præcipit agere nisi iustum & honestum. Quarta est, quod studiosi dicti circa singula magis dicunt eligendum in eò quod tales sunt, magis eligendum: studiosi enim sunt optimè boni & circa singula sunt optimè circa singula studiosi: & his credendum est: quia experientia & affectu loquuntur. Quinta est, de vnoquoque de specialiter eligendis in hoc vel in isto, hoc est, quod in vnoquoque genere negotij vel artis præcipiunt esse eligendum, vt ad nauigandum nauta sciens, vt Calypso, & sic de aliis. Sexta, in generibus bonis ad vitam ordinatis, vt quæcunque plures dicunt eligenda: & hoc diuersificatur in plures vel omnes, vt dicunt in medicina quæcunque plures vel omnes medici: quia plures vel omnes sunt experti plus quam vnus. Septima est, quæcunque omnia entia appetunt: & hoc est de bono diuinos omnia enim appetunt bonum diuinum, & propter id agunt quicquid agunt. Hoc autem est esse secundum quod fluit esse à causa prima: hoc enim est simpliciter bonum inquantum est causa prima, & vnicuique optimum inquantum à causatis est participatum. Hæ considerationes sumuntur ex parte eligentis. Eligens enim per exemplum est ratio & regula electionis debitæ. Aut igitur regula est habita à regente in ipsam electionem, aut regula quam eligit vniuersaliter vel particulariter. Si vniuersaliter: aut secundum virtutem intellectualem, vel moralem: & primo modo est prudens, secundo modo bonus. Si autem regula informante electionem ipsius: tunc est lex iusta. Si autem est regens electionem per exemplum particulare: tunc sunt studiosi, & circa singula dicti: & hoc exemplum vel est in vno vel in pluribus vt plures vel omnes. In eligibilibus enim magis imitandi sunt plures vel omnes quam vnus: & si est in bonis diuinis, tunc regula electionis sunt omnia.

Aliæ de electi.

Oportet autem ducere, &c.

In talibus autem quia electio regitur alio quodam eligente vel docente quid oportet eligere & non illud, ideo in talibus oportet ducere prudentem & virum bonum & studiosum circa singula, & ducere ad quicquid (hoc est, ad omne) quod fuerit vtile, quod dicendum est, & debere eligi ad exemplum vel dictum ipsius in communi cum sic est differentia. Item hoc simpliciter & vniuersaliter melius est & magis eligendum, quod dictum est eligi secundum meliorem disciplinam, vt quod præcipit eligi disciplina scientiæ virtutis heroicæ, alicui autem eligibilius: & id magis est eligendum quod est eligendum secundum disciplinam propriam, vt fabro quæ fabrilis, & politico quæ præcipit ciuilis. Quare oportet inspicere eligentem contradictiones eligibilis vel boni & essentiales & accidentales. In essentiales quidem in eas quæ sunt boni secundum causam.

Deinde quod hoc aliquod, &c.

Respiciendo ergo necessarium siue substantiam boni eligibilis, magis est eligendum quod in genere boni est fixum & stans secundum substantiam in hoc genere quod est bonum, quam id quod non secundum substantiam est fixum quid in genere boni, vt iustitia est bonitas fixa & stans in genere boni vt bonitatis species, & est bonitas (vt in magnis moralibus dicit Aristot.) magis eligenda iusto: & dico iustus quod est opus iustitiæ, vel effectus. Et ratio electionis est: quia hoc quod est iustitia, secundum sui naturam est in hoc genere quod est bonum: illud autem quod est iustum sicut actio vel effectus, non est in eodem genere, sed in genere actionis, & potest esse non bonum simpliciter, vt iustitiæ opus quod est damnatio vel punitio. Aliquando non bonum est eligibile, vt si dicatur quod iustus, vt homo iustus: sed hoc non est ita euidens. Et tunc ratio electionis est: quia iustitia est causa iusti: & causa est magis eligibilis causato. Et quod non sit essentialis in bono sicut in genere, patet: quia sicut albus homo non est quid in genere coloris, quia non est color: ita iustus homo vel iusta actio, vel iustitiæ effectus non est bonitas, sed bonum per informationem boni: non enim secundum prædicationem in recto factam dicitur hoc genus, ita quod genus rectè prædicetur de ipso quod non est in genere essentialiter sicut quid ipsius generis. Vnde albus homo non est color. Similiter autem est in aliis respondendum.

Et quod propter se eligendum, &c.

Est autem in conditionibus essentialibus (cum enim bonum diuidatur propriis differentiis in bonum propter se, & in bonum propter alterum) sicut sanum esse in habitu sanitatis magis eligendum, quam exercitare vel deambulare, quod fit propter sanitatem inducendam, vt motu corporis euentilentur & descendat humor ab ore stomachi: sanum enim esse propter se, exercitari autem eligitur propter aliud. Et sic propter se dicit proximationem relationis ad vlteriorem finem: & hoc potest esse dupliciter: & similiter in genere ordinis ad finem in illo ordine intentum in quo quiescit motus appetentis & nihil quærit plus ad habendum finem illum, nisi forte vt conseruetur, vt infirmus quærit sanitatem vt vltimum in motu ad sanitatem. Similiter tamen vt vltimum quæritur beatitudo, sed illa quæruntur vt vltimum ad quod refertur tota vita.

Et quod per se eo quod per accidens, &c. Quid per se bonum, & quid per accidens.

Adhuc autem diuiditur bonum essentialiter in per se bonum, & per accidens bonum. Et per se bonum est, quod intra se habet causam & substantiam, quod sit bonum vt honestum, de quo dicit Tullius, quòd sua substantiali vi nos trahit, & sua substantiali vi nos allicit. Hoc enim dicitur de natura sui mouens ad eligendum ipsum. Per accidens autem bonum est, quod in se non habet causam electionis, sed in aliquo quodam ad quod ordinatur secundum aliquem modum sequendi ex ipso. Cuius

exemplum est. vt amicos iustos esse magis eligendum, eo quod est inimicos iustos esse: quia amicitia, vt dicunt Aristot. & Tullius & Theophrastus, fundatur supra virtutem quæ est causa electionis boni amicorum, quod est causa electionis virtutis & honesti. Bonum autem eligere inimicis cum non fundetur supra virtutem, sed vitium inimicitiæ, non potest esse inimicis, sed in alio quod est occasionatum ex ipso. Amicos ergo esse iustos per se eligendum: inimicos autem esse iustos secundum accidens eligimus, vt quod nihil nos noceant: quod occasionaliter, ex hoc quod iusti sunt; quia iustus non vult nocere alicui. Hic autem locus eligendi est idem cum eo quod immediatè dictum est. Et quod id quod est propter se, magis est eligendum quam id quod est propter alterum. Sed modo quodam differt: quia ille est per respectum ad finem, iste est per respectum ad intrinsecam boni eligibilis naturam & priuationem eiusdem, in eo quod per accidens eligitur. Vterque tamen est per se, vel per accidens. Quia igitur per se dicitur dupliciter, & per accidens dicitur dupliciter. Per se enim dicitur quod opponitur ad propter aliud: & sic virtus non per se eligitur, sed propter habitudinem. Et quod opponitur ad id quod est per accidens: & sic virtus eligitur per se, & non per accidens, sed gratia suiipsius. Similiter per accidens dicitur, quod gratia accidentis, vel ex ipso occasionari intelligitur vel eligitur. Et hoc sic intellecto planæ sunt considerationes.

CAPVT III.

De inspectione causæ boni in generali & speciali secundum quod causa regimen electionis.

Et causa boni per se, &c.

COnsiderandum est in causa boni: tamen in communi in bono causato secundum quod ordinatur ad causam in commune, non descendendo ad hanc causam vel illam. Sic autem causa boni per se magis est eligenda, quam causa boni per accidens. Quemadmodum virtus in eligendo differt à fortuna. Nam virtus est causa bonorum per se. Fortuna autem causa bonorum fortunæ subiacentium, quæ sunt diuitiæ, potestas, & gloria, quæ sunt secundum se non bona, sed sunt bona vt organa beatitudinis & condecorantia beatitudinem. Et similiter in aliis si quid aliud est huiusmodi, vt fatum, & casus, & huiusmodi. Similiter autem in contrario per oppositum: nam quod est causa mali per se, magis est fugiendum quam quod per accidens est causa, vt vitium est causa mali per se, & per se magis fugiendum, quam casus, vel infortunium, quod est causa mali per accidens, vt paupertatis vel miseriæ, quæ sunt mala per accidens.

Bona fortuna sunt organa beatitudinis.

Et quod simpliciter bonum, &c.

Et quod simpliciter & per se bonum est, magis est eligendum, quam quod est causa boni particularis & alicui, vt sanum fieri vel sanari magis est eligendum, quam secari, quod non est causa boni nisi indigenti sectione in quo (nisi fiat) putrescit membrum putridum.

Et quodnam bonum, &c.

Similiter inspiciendum est in causis specialibus, & post inspiciendum est in formali causa quæ est dans esse & rei naturam proprian: & hoc modo quod natura propria siue naturaliter eligendum est, quoad hoc magis eligendum est, quam id quod non natura sui eligitur, vt iustitia quæ natura sui eligitur, est magis eligenda iusto quod eligitur vt acquisitum: & dicitur iustum & per iustitiam communicatiuum vel distributiuam ascitum & adeptum.

Et inspiciendum autem in causas naturales, non ex quibus fit bonum eligibile: quia talem naturam non habet inquantum est eligibile: sed inspiciendum in diuersitatem causæ materialis in qua est bonum eligibile quod melius & prius: ita quod iustitia est subiectum boni: & videtur, quod bonum est proprium talis subiecti: quia hoc fluit de substantialibus subiecti illius.

Et quod melior, &c.

Vnde hoc modo quod meliori & honorabiliori inest vt proprium, magis est eligendum & melius, quam quod peioris & ignobilioris est proprium. Est autem melius quod meliori virtute est perfectum, vt melior est virtus regis quam militis, & hominis quam leonis, & Dei quam hominis: vnaquæque enim rerum bonum habet secundum aliquod vltimum suæ virtutis. Honoratius autem est quod in demonstratione operum suæ virtutis maiorem meruit honorem recipere virtutis præmium: & sic quod inest Deo vt bonum suæ virtutis, melius est & magis eligendum, quam quod inest homini secundum suam virtutem, quæ propria hominis virtus est.

Et quod melioris proprium, &c.

Et melius est quod inest Deo secundum Dei virtutem, quam quod inest homini secundum hominis virtutem: & quod inest animæ secundum animæ propriam virtutem, quam quod inest corpori secundum corporis propriam virtutem. In propriis enim considerandum est: quia secundum communia quæ in vtrisque sunt Deo & homine & anima & corpore, nihil differunt: quia commune non est ratio differendi, sed conueniendi: sed in propriis quæ ex subiecto fluunt, propriis differentiis alterum ab altero separatur, & efficitur melius quod inest meliori.

Et quod in melioribus, &c.

Aliter autem inspiciendo inspiciendum est in subiectum quoad subiecti principia constituentia ipsum: & sic habet triplicem inspectionem: quia aliquid inest prioribus subiecti principiis & est bonum fundamentale quod inest secundum virtutem primorum principiorum, & est bonum melius quod inest secundum virtutem meliorem constituentium subiectum, & est bonum honorabilius quod inest secundum virtutem honorabiliorum principiorum constituentium subiectum. Et exemplum primi in corporalibus bonis est sanitas, quæ magis est eligenda robore & decore: eò quod bonum fundamentale est & robur & decor: nam hæc etiam sanitas consistit in humidis & siccis prima complexione, quibus omnia membra & humores ex quibus omnia similia membra generantur, constant, quibus turbatis

turbatis omnia necesse est turbari. Similiter priora esse dicendum est, ex quibus vt primis fundamentis constructum est animal. Robur autem & decor consistunt in posterioribus naturam complexionantibus: nam robur consistit in neruis & ossibus membra dissimilia componentibus: decor autem consistit in membro vel corpore disposito: eò quod decor videtur esse quædam elegans commensuratio componentium secundum decentiam proportionatæ qualitatis & congruentiam corporis.

Obiectio.

Si autem quis obiiciat, quòd secundum hoc melius est quod inest secundum sensibilem, quam quod inest secundum rationalem: quia in generatione prior est sensibilis quam rationalis, vt videtur Aristot. dicere.

Solutio.

Non valet: quia rationalis etiam in generatione propinquior est efficienti intelligentiæ quam sensibilis. Vera tamen solutio est, quod in materialibus quæ ex materia educuntur, tenet consideratio. Anima autem non educitur de materia: quia non est corpus, nec harmonia corporis, nec ad harmoniam conueniens, sed vmbra quædam & imago intelligentiæ. Hæc autem alibi probata sunt.

Aliter.

Et finis his quæ ad finem, &c.

Inspiciendum etiam ad finem sicut ad causam: finis enim in omnibus magis eligendus & volendus est, quam ea quæ sunt ad finem: quia ea quæ sunt ad finem, non eligimus nisi vt sunt ad finem: vnde appetitio est finis secundum quod appetitus est voluntas, quia voluntas est finis. Et sic quod in ethicis dicitur, quòd electio non est finis, non est contrarium: quia sumitur ibi electio secundum quod est acceptatio rationis eius quod ex consilio determinatum est. Consilium autem est eorum quæ sunt ad finem. Hic autem sumitur electio secundum quòd est actus rationis determinans in his melius, quæ secundum bonam rationem comparantur & librantur adinuicem.

Remanet dubium.

Et duum quod est propinquius, &c.

Hæc autem consideratio multiplicatur: quia ex quo finis gratia eliguntur & ea quæ sunt ad finem, sequitur quod inter ea quæ sunt ad finem, vnum quod ordinatur duum siue duorum vel plurium, magis est eligendum quod finis est propinquius: quia hic in medicinis est bonus finis.

Et omnino quod ad vitæ finem, &c.

Adhuc autem secundum hoc alia consideratio, quod id quod est ad vitæ finem, inquantum vita hominis secundum optimum virtutis est hominis optimum, & magis eligibile, quam id quod est ordinatum ad aliquid aliud sicut ad finem: & hoc modo melius & eligibilius est, quod ad beatitudinem quæ est totius vitæ finis, conferit & ordinatur, quam quod ad prudentiam quæ est propriè eorum quæ conferunt ad vitam monasticam, vel œconomicam, vel ciuilem conferendam.

Et possibile impossibile, &c.

Et iterum inter ea quæ sunt ad finem, magis sunt eligenda possibilia quam impossibilia non adesse: quia sic electio non est de impossibili, sed voluntas, vt in ethicis dicitur, sed possibile & impossibile dicitur per quod potest haberi finis intentus.

Amplius duobus effectiuis existentibus, &c.

Amplius autem in effectiuis siue efficientibus causis considerandum est: & hoc multipliciter. Vno quidem modo: quia duobus existentibus causis duorum, aliud melius est, cuius effectiuum bonum est melioris finis. Cuius enim efficientis est finis melior, & ipsum est melius & magis eligendum. Adhuc autem alia maxima quando duobus effectiuis ad duos fines quos efficiunt ex proportione ad suos fines sumpta, quasi immutata proportione plus superat finis finem, quam ille alius finis superet proprium effectiuum. Vt verbi gratia, beatitudo quæ est finis, plus superat sanitatem quæ est finis, quam sanitas superet proprium effectiuum quod est sanitatis effectiuum. Consideratio eli, quod tunc sequitur: quia effectiuum beatitudinis melius est sanitate, quæ est finis quidam. Hoc autem quod dictum est, quantum siue inquantum superet beatitudo sanitatem, cum tamen superet, & effectiuum beatitudinis id quod est sanatiuum: sanatiuum autem minus superat, quam beatitudo, beatitudinis effectiuum: quare multo plus superabit effectiuum beatitudinis, sanatiuum, quam sanitas superet sanatiuum. Palam ergo, quòd magis eligendum est effectiuum beatitudinis, quam sanitas: eò quod plus illud superabat beatitudo, quam sanitas suum effectiuum.

Argumentum autem à commutata proportione sic formandum est inter quatuor terminos: sicut se habet sanitas ad sanatiuum, sic beatitudo se habet ad beatificatiuum: ergo commutata proportione primi ad tertium, & secundi ad quartum, sicut se habet sanitas ad beatificatiuum, sic se habet sanatiuum ad beatitudinem: sed beatificatiuum superat sanitatem, quia beatificatiuum est secundum animam & ad meliorem finem quam sit sanitas: ergo multo plus superat beatitudo sanitatem: & sanitas superat sanitatem: ergo multo plus beatitudo sanatiuum, quam sanitas superat sanitatem. Palam ergo, quoniam effectiuum beatitudinis magis est eligendum, quam sanitas: quod autem magis eligendum est magis eligendo, multo magis eligendum est minus eligendo. Plus autem eligendum in hac consideratione vocatur, quod magis eligendus est finis eo quod est ad finem: & magis eligendum est quod est ad meliorem finem, vt quod ad finem totius vitæ & simpliciter, quam quod ad finem quendam, & quod magis eligendum effectiuum effectiuo: sicut se habet beatitudo ad sanitatem & sanitatis effectiuum: igitur effectiuum beatitudinis magis eligendum, quam effectiuum sanitatis: & sicut se habet beatitudo ad beatificans, ita se habet sanitas ad sanatiuum: sed ita se habet sanitas ad sanatiuum, sicut se habet beatitudo ad beatificans quod superat illud in bonitate & ratione electionis: ergo sanitas sic se habet ad sanatiuum, quòd superat idem in bonitate & electione: ergo à permutata proportione, sicut se habet beatitudo ad sanam sanitatem, ita se habet beatificans ad beatificatiuum: sed ita se habet beatitudo ad sanitatem, quòd plus superat eam in bono & eligibili, quam sanitas superat sanatiuum: ergo ita se habet beatificans ad sanatiuum, quod plus superat ipsum quam sanitas superat sanatiuum. Primum tamen melius est, & melius probat propositum.

Amplius quod melius est, &c.

Consideratis autem & sic ipsis causis boni & eligibilis, considerandum est in ipsum bonum causatum quoad ea quæ insunt ipsi & quæ sequuntur ad ipsum. Dico autem ad ea quæ insunt ipsi gratia sui inquantum est bonum. Vnde dicimus amplius præter inducta considerandum esse in ea quæ insunt bono, vt de ratione ipsius existentia: quod enim melius est inter bona & honorabilius & laudabilius, magis est bonum & magis eligendum: amicitia diuitiis, & iustitia est magis eligenda sanitate & robore: nam hæc quidem, amicitia, & iustitia, sunt de numero eorum quæ per se laudabilia sunt: ista verò, diuitiæ, sanitas, & robur, sunt de numero non per se laudabilium, sed propter aliud, inquantum & organa, & inquantum ad per se laudabilia referuntur. Nullus enim honorat vel reuereatur vel veneratur diuitias propter ipsas, sed propter aliud inquantum & sunt sufficientiam vt necessitatis fideiussor promittens. Amicitia autem eo quod ipsa per se dulcis, venerabilis & honorabilis.

Amplius quando duo aliqua fuerint, &c.

Amplius vero id quod in ipso bono tantum essentialiter est tantum considerandum, sed etiam in consequens ad bonum: quando enim aliqua duo bona & valde in eligibilitate sibi conuenientia, & non poterimus per eminentiam vnius ad alterum prolpicere ex his quæ per se insunt eisdem, videndum est quod eorum præemineat ex his quæ sequuntur ad ipsa: nam cuius per se consequens est magis bonum, hoc est magis eligendum. Dico autem consequens, quod secundum rationem sequitur ipsum in esse positum & in effectu existēs: quod enim sic sequitur ex ipso, propriè est sicut effectus ejus: nobilioris autem causæ nobilior est effectus. Hoc autem ideo est: quia consequens quod est magis bonum, magis est eligendum: & si fuit consequentia duorum effectuum mala; tunc cuius consequens est minus malum, magis est eligendum. Cum enim duo aliqua eligenda sunt, nihil tamen prohibet quin difficile aliquid sequatur vel altum vel vtrumque in acquisitione eius. Dupliciter enim trahitur ab eo quod sequitur consideratio: vnum enim sequitur ex positione ipsius, & alterum sequitur vt causatum ab ipso: nam posito aliquo in esse, sequitur aliud fuisse prius ipso quod sequitur ex positione, & posterius sequitur aliud ex ipso quod sequitur ex ipso vt causatum ex ipso: præcedens autem sequitur ex ipso vt communiter accidens. Vt si ponas aliquem esse aliquid dicentem vt communiter accidens, sequitur quod antecedēter ignorant vt ne effectus sequitur ex ipso quod posterius fuit. Plerumque tamen melius est id quod posterius sequitur; quia hoc sequitur vt causatum ex ipso. Tamen de anterioribus & posterioribus sequentibus sumendum est secundum hanc considerationem vtrum vis inquantum ad propositum vtilius est. Quòd autem dictum est, quædam esse meliora, & quædam laudabiliora, & quædam honorabiliora, in ethicis sic distincta sunt, quod meliora sunt per quantitatem bonitatis vtcunque quæ est ex ipsis ad actum, laudabiliora sunt præconio virtutis digna, honorabiliora autem quibus honor præbetur qui est virtutis præmium in denominationibus & magnificentia collatæ dignitatis vel conferendæ.

CAPVT IV.

De inspectione ad ea quæ insunt bono, ita quod concomitantur ipsum.

Amplius bona plura pauciori-bus, &c.

AMplius autem terminare problema de accidente per ea quæ vt concomitantia insunt eligibili & bono: sicut quantitas discreta in numero bonorum, & sicut voluptas bona ex conuenientia cum eligente, & sicut tempus quod est mensurans: exemplum huius. Dicamus igitur, quod plura bona pauciori bus in eadem ratione bonis existentibus magis sunt eligenda. Dico autem plura dupliciter: siue plura numero, siue quando pauciora sunt contenta in pluribus tanquam pars ipsorum.

Instantia sic, &c.

Hoc tamen videtur habere instantiam, non quæ impediat considerationem, sed quæ rectū intellectum considerationis doceat. Et hæc instantia est in pluribus, in quibus nihil est magis eligendum vtrumque quam vnum: quia in eo quod propter alterum est, non est conditio aliqua qua eligatur, nisi ea quæ est ex eo propter quod ipsum est: & sic vnica ratio electionis est in ambobus & in vno, cum tamen duo sint plura vno. Sed hæc instantia non instat, quòd consideratio procedat in illis in quibus vnum propter alterum, vt sanitas & sanum fieri, ambo non magis eligantur quam sanitas: cum sanitas causa sit electionis in ambobus, sicut in vno. Et hoc modo secundum discretam quantitatem non bona, hoc est, duo quæ ambo non sunt bona, nihil prohibet magis esse eligenda propter præeminentiam vel præexcellentiam vnius boni, quod inest non bonis: eò quod negetur bonum in ambobus diuisim, sed in ambobus coniunctim, propter alterum quod in bono, non facit numerum in reliquo. Cuius est exemplum, beatitudinem & aliud aliquod paruum bonum, vel indifferens, nihil prohiber magis eligendum esse quam iustitiam & fortitudinem: quia beatitudo præponderat bonis illorum, & non bonum beatitudini adiunctum non diminuit bonum ipsius. Et propter hoc dicitur in ethicis, quòd beatitudo siue felicitas desiderativa est nihil: tamen dicit, quòd cum in numero bonorum coniuncta magis eligenda sit. Hæc etiam consideratio est referibilis ad circunstantiam temporum, & quod eadem bona cum voluptate, hoc est, in tempore quo voluptuosiora sunt, magis sunt eligenda, quam in tempore quo non ita voluptuosa sunt, vel cum tristitia: sicut frui deliciis in iuuentute magis quam in senectute, quando non est vigens sensus ad discernendum suaue vel amarum, quando voluptates in tristitiam vertuntur.

Et vnumquodque in quo tempore magis valet, &c.

Et hoc generaliter extenditur, quòd vnumquodque in tempore quo magis valet, hoc est, magis vtile est, magis est eligendum. Cuius exemplum est, quòd iustitia magis est eligenda in senectute, quam in iuuentute: quia senum

num iustitia propter stantem ætatem honorantes recipit. Iuuenum autem iustitia stabilis fore non creditur propter iuuentutis fluxum & motum concupiscentiæ. Secundum hoc autem & prudentia in senectute est magis eligenda, quam in iuuentute: quia prudentia stabilis longo indiget experimento, & ideo magis creditur in senectute, & magis recipit honoris prudentia senum, ita quod ducatus & magistratus conferuntur eis. Nemo autem sapiens eligit iuuenes esse duces: quia non constat eos esse sapientes secundum quod sapientia dicit prudentiæ vltimum & virtutem in optimo. Fortitudo autem è contrario magis eligenda in iuuentute: quia à iuuenibus fortia requiruntur opera propter robur ætatis. Vnde & Plato in Timæo de re militari loquens dicit, quòd ad rem militarem electa iuuentus est assumenda. Similiter & temperantia in iuuentute eligenda est: quia magis iuuenes quam senes à concupiscentiis molestantur: & tunc necessarium est temperantia vt refrænetur motus concupiscentiæ.

Et quod in omni tempore, &c.

Adhuc autem quod in omni tempore vel in pauçioribus temporibus est vtile: & secundum hoc iustitia magis eligibilis est, quam temperantia & fortitudo: quia iustitia in omni tempore est vtilis, temperantia autem & fortitudo in iuuentute tantum. Et hoc intelligendum de iustitia & prudentia & temperantia & fortitudine in ciuilibus & politicis officiis & actibus, & respiciendo ad bonum & eligibilis sufficientiam, magis eligibile est quod omnibus hominibus habentibus nihil altero quod ad hoc cooperatur, indigeremus, quam habentibus id omnibus hominibus adhuc reliquo indigeremus: sicut iustitia magis eligibilis est fortitudine ciuili, quæ est in bello contra hostes pro defensione reipublicæ. Nam si omnes homines essent iusti, nihil vtilis esset talis fortitudo ciuilis: quia nemo moueret bellum contra rempublicam. Si verò omnes homines essent fortes, adhuc necessaria esset iustitia in distributione communium & communicatione. Hæc igitur in eligibili considerantur concomitantia potius quam consequentia ad ipsum, &c.

CAPVT V.

In quo est inspectio ad bonum eligendum per motum ad ipsum & quantitatem, & à simili cum bono, & contrariis istorum, & est per locos communes non proprios secundum id quod ante habitum est.

Amplius ex corruptionibus & abiectionibus, &c.

AMplius considerando in motibus ad bonum vel à bono simpliciter, vel quoad nos, vel quoad ea ex quibus sunt motus, & ad quæ istæ sunt considerationes. Generatio enim boni & corruptio sunt motus ad esse boni: sumptiones autem & abiectiones sunt motus ab acquisitione boni quoad nos: contraria autem à quibus & ad quæ motus. Simile autem est in motu quoad terminum ad quem genera-

Et quod simile bono, &c.

tum simile est generanti. Vnde simile est consequens generatum in relatione ad genera vel differentias tales, valde facile est inuenire cuilibet. Vnde ex corruptionibus boni & abiectionibus & generationibus & sumptionibus & contrariis est boni inspicere rectas rationes eligendorum, quorum consideratio non est de intrinsecis de bono, sed de extrinsecis ipsi bono. Quorum enim bonorum corruptiones sunt magis fugiendæ, ipsa bona sunt magis eligenda: quia talium corruptiones melius bonum priuant, cuius priuatio est magis fugienda. Similiter autem in abiectionibus & in contrariis etiam: quia quorum abiectiones magis fugiendæ sunt, meliori bono destituunt, & huius abiectio magis fugienda est, quam si minori bono destitueret: & quorum contrarium magis fugiendum, huius contrarium melius bonum destruit, & ideo magis fugiendum propter ipsum bonum quod abiicitur: & cuius contrarium magis fugitur, melius est & magis eligendum.

In generationibus autem, &c.

In generationibus & sumptionibus è contrario: quorum enim sumptiones & acquisitiones & generationes sunt magis eligendæ, magis bonum conducunt vel nobis, vel in esse, & ideo sunt magis eligendæ.

Alius locus, &c.

Alius est locus ad idem considerando in ipsum generatum vel adductum per relationem ad optimum quod est habitudo: quod enim summo bono est proximius, magis est eligendum. Dicitur autem proximus summo, in cuius actibus magis est summum bonum: & prudentia magis est eligenda fortitudine, secundum quod actus prudentiæ est felicitas ciuilis: & ideo hæc dicitur virtus hominis, & optima virtutum in ethicis.

Et quod simile bono, &c.

Similiter in consideratione similium, quod similius est bono, melius esse dicitur, vt iustitia quam iustum magis est eligenda: quia magis similis est bono: cum iustitia sit ens fixum & stans in genere boni: iustum autem non est tale ens, vt prius dictum est: & ideò similior est bono quod est genus in moribus.

Et quod meliori, &c.

Et si duo comparentur ad duo, id quod meliori duorum similius est, quoad hoc magis est eligendum: quia hoc informarum est bonitate melioris, quod aliter in bono non esset similis illi. Quemadmodum Aiacem Vlysse quidem dicunt esse meliorem, eo quod in bonis & in heroicis virtutibus similior erat Achilli, qui optimus fuit quam Vlysses.

Instantia huius, &c.

Instantia autem huius consimilitudinis quædam esse videtur, quæ non sophisticam fert considerationem, sed ad rectum adducit intellectum: videtur tamen generaliter verum quod dictum est, quòd Aiax similior Achilli in eo quod optimus est (hoc est, in virtutibus heroicis) altero quidem, hoc est, Vlysse existente bono, non similiter autem in optimis virtutibus: & ideo consideratio intelligitur de similitudine & in optimis virtutibus, & non in quibuscunque.

Considerandum, &c.

Vnde etiam in talibus considerandum est si in ridiculosioribus meliori sit simile vel simili, velut simia homini est similior, quam equus: tunc enim non sequitur, quòd id quod similius est meliori, sit melius: non

enim simia melior est equo & quolibet bruto.

Rursum in duobus, &c. Rursum autem per hunc locum considerandum in duobus comparatis ad vnum melius ipsis, si hoc quidem in meliori sit simile bono: illud autem aliud cui comparatur in peiore, sit simile eidem: erit enim melius quod in meliori est simile: quia hoc melioris boni informatum est qualitate.

Obiectio textus. Habere autem instantiam & in hoc videtur, non quæ considerationem impediat, sed quæ ad rectum intellectum ducat considerationis: possibile enim est, quod Aiax Achilli optimo parum sit similis in optimis. Parum autem dico in paucis esse similem. Vlysses autem Nestori bono minus sit similis in multis & valdè.

Solutio. Sed huius solutio est, quòd intelligitur de similitudine in pluribus & melioribus: & sic procedit consideratio.

Alia obiectio textus. Adhuc autem instantia videtur esse si hoc quidem comparatorum est simile meliori in peioribus quæ insunt meliori: illud autē aliud comparatorum simile sit peiori in moralibus, vt equus & asino in melioribus asini similis est, & simia homini ridiculosioribus & peioribus.

Solutio. Sed sicut dictum est, non sic procedit consideratio. Et istæ consimilitudines, vt quidam dicunt, sumptæ sunt in contracto bono ad quantitatem boni. Sed dicendum, quòd sumuntur, sicut dictum est in expositione earum.

Et quod nobilius, &c. Consideratio autem in qualitate boni accidentali: tunc id quod nobilius est secundum originem suam, magis est eligendum quam id quod minus est tale, & nobile, quod in origine est alterum ex principiorum & bonorum principio de quo procedit, vt dicit Victorinus.

Et quod difficilius, &c. Adhuc autem in boni acquisitione siue sumptione considerandum est: quia quicquid difficilius est sumere, est magis eligendum. Magis amamus cum habemus ea quæ difficile est sumere. Et huius causa redditur tertio ethicorum: quia apud sapientes non ponitur difficultas in acquirendo, nisi bonitas acquisiti vincat in bono laborem acquirentis: & ideò difficiliter acquisitum, magis eligendum est secundum prudentiam sapientis: & sic intelligitur consideratio: quia aliter electio stulta esset, vt dicitur in ethicis.

Quare difficiliter acquisitum est magis eligendum.

Et quod magis proprium, &c. Eodem modo magis est eligendum magis proprium secundum boni considerationem priuati, quam quod minus est proprium, sed & alteri debetur: quia proprio in vsu posito non contradicitur, sed communi contradicitur.

E contra comparando ad malum id quod est malum incommunius, hoc est, incommunicabilius, magis est eligendum quam id quod communicabilius est malum: & prudentia est siue calliditas, quæ communicabilius est malum. Et huius ratio est: quia magis eligendum est id quod nulla difficultas sequitur in processu ad bonum, quam id quod sequitur adhuc difficultas in processu ad bonum: diuinus autem cum sit astutus circa ea quæ sunt ad finem, difficultatem habet in processu: quia alias virtutes non habet coniunctas sicut prudens: & ista est vera considerationis intentio, & probatur ex 6. ethicorum.

Amplius si hoc illo melius, &c. Amplius autem considerandum in bono naturali secundum excessum, si hoc in bono naturali in isto alio comparatur melius, & eo quod melius sui boni ad meliorem attingit virtutem, & melior est alij, magis est eligendum: quia suum optimum melius est eo quod in altero est suæ speciei optimum: & sic melior est homo in naturali bono, quam equus erit: similiter homo melior equo. Et si optimum vnius speciei secundum eandem boni comparationem est melius optimo speciei alterius, sunt etiam similiter, hoc ideò melius erit, vt si optimus homo optimo equo melior, & similiter homo similiter equo est melior.

Amplius quæ ad amicos, &c. Amplius autem consideratio in communicatione boni accepti est: acquisitum enim bonum quod acquisitum est, erit vel contingit participari cum amicis velit & cupiat optima, magis est eligendum, quam id quod non contingit participari cum amicis. Similiter illud erit melius bonum, quod volumus ad amicos agere secundum legem amicitiæ, quam ponit Tullius in libro de amicitia, quod prima lex amicitiæ censeatur, vt pro amicis non nisi honesta faciamus, quam quæ contingit agere ad quoslibet: hæc enim indifferentia sunt ad quoslibet agere cupimus quæ non sunt cordis nostri volumus secundum veritatem magis bene facere & bene agere ad ipsos, quam ad faciem secundum exteriorem hominem videri bene facere & bene agere ad ipsos, & non secundum veritatem: propter quod iustè agere secundum quod amicitia est in iusta & reali communicatione, vt in 9. ethicorum dicit Aristot. magis quam in videri bene facere & bene agere quo vtimur ad quoslibet secundum exteriorem faciem communicando, è contrario modo quo ambulamus ad amicos.

Et quæ ex circunstantia, &c. Adhuc comparando bonum naturale quod necessarium est, sine quo non saluatur natura, ad bonum morum quod est ex circunstantia bonum, vel bona quæ sunt ex circunstantiis actus & agentis & negotij, & siue bona sunt meliora in bono quam necessarium, & naturalia sine quibus non saluatur natura, & similiter magis eligenda: hoc enim modo melius est bene viuere ex circunstantiis, quam viuere naturaliter: & similiter quod est sine circunstantiis bonum: melius est enim simpliciter viuere, quam non viuere. Ipsum autem viuere aliquando tempore ægritudinis & aliter indigenti vita magis est necessarium.

Aliquando autem melior, &c. Et ideò aliter & aliquando magis eligendum, & aliter ea quæ simpliciter sunt meliora sunt magis eligenda, non simpliciter, & non alicui, nec alij: propter quod non sequitur, quòd si aliqua sunt meliora, & propter hoc sunt magis eligenda: philosophari etiam simpliciter melius est quam simpliciter diuitiis: sed nō sequitur, quòd præ omnibus & magis semper sit magis eligendum alicui indigenti necessariis: quia indigens studere in liberalibus non potest, vt dicit Aristot. primo primæ philosophiæ suæ, quòd omnibus ad necessitatem & ad voluptatem habentibus prius sacerdos in schola intrare concessit vt liberalibus studeret: & ob hoc liberalia studia liberalia dicta sunt.

Et hoc

Et circunstantia autem est, &c. Et hoc est quod dicit Arist. quòd bonum ex circunstantia quando iam existentibus necessariis, alia quidem non vtilia sed per se & propter se quæsita, alia quædam de partibus honesti, de numero bonorum honestorum existentia: si quis enim ista diligenter consideret, pene in omnibus inuenire magis eligendum, quando & alicui bonum quod necessarium est: malius tamen inuenire simpliciter esse bonum quod est ex circunstantia bonum: & hoc est honestum & propter se eligibilius. Dico autem pene, non propter hoc quod aliqua necessaria sunt meliora his quæ sunt ex circunstantiis, sed quod vna causa propter quam aliquando necessarium magis eligitur propter fugam sui contrarij quod magis est nociuum: & sic aliquando viuere magis eligitur quam bene viuere, non simpliciter, sed quando per viuere periclitatur bonum ex circunstantia: si enim per viuere illud periclitaretur, tunc esset mors bono & forti tali salute eligibilior, sicut dicit Arist. 3. ethicorum.

Et quod nō est ab alio posse, &c. Amplius eo, quod non est ab alio accipi posse, magis est eligendum in eo quod tale, quam quòd est posse accipi ab alio. Quale quod secundum rationem eligibilis passa est iustitia ad fortitudinem: & est exemplum Platonis in politicis dicentis, quòd iustitia politica in republica & causis stare non potest, nisi per actū fortitudinis repellentis hostes hominum: & sic fortitudo habet posse à se, iustitia autem à fortitudine: & ideò quoad hoc fortitudo est magis & prius eligenda; & ita quod sine alio prodest, aliud autem sine isto non.

Et si hoc si illo, &c. Et magis est eligendum quod sine alio prodest: & secundum est potestas politica sine prudentia non est eligenda, quia imprudens abutitur potestate accepta: prudentia verò quod actiuus habitus est cum ratione agendorum, sine potestate politica vtilis est & eligenda: & ideò magis eligenda quam potestas.

Et duum si alterum &c. Adhuc autem comparatis duobus rationis & naturalis acquisitionis, vnum abnegamus vt reliquum videatur inesse, melius est & eligibilius est illud propter quod vt inesse videatur alterum, abnegamus, sicut est ingenium & studium: abnegamus enim studium & studere vt ingeniosi esse videamur, &c.

CAPVT VI.

De comparatione boni ad absentiam vel præsentiam vel abundantiam ipsius.

Amplius cuius absentia, &c. AMplius operando bono secundum absentiam de quo dolemus & grauiter ferimus: inter illa enim bona cuius absentia vel amissione minus nobis dolentibus & minus grauiter ferentibus boni illius absentiam, increpandum est nobis & fortiter increpamus, eò, quod minus dolemus de absentia ipsius, hoc est melius bonum & magis eligendum, quam de cuius absentia minus increpamur, eo quod non dolemus de absentia ipsius: quia nisi melius esset, non increparemur ab omni de absentia ipsius. Et ideò hoc magis eligendum: & sumitur ex comparatione boni ad perditionem ipsius iuxta boni ablationem de qua prius dictum est. Et similiter hoc bonum cuius absentiam nobis non grauiter ferentibus magis nobis increpandum, & increpationes duriores sustinere habemus, eò quod nos grauiter ferimus, hoc est melius propter eandem rationem & magis eligendum.

Amplius eorum quæ sunt, &c. Amplius bona duo vel plura quæ sunt sub eadem speciali ratione, si comparentur adinuicem secundum sui boni virtutem, melius est illud quod attingit boni proprij & speciei virtutem & habet eam, quam id quod non attingit, nec habet eam: quia id quod attingit virtutem, est perfectum: aliud autem est imperfectum. Et si duo comparentur eiusdem speciei bona, quorum vtrumque attingit vltimum suæ virtutis, melius est quod melius & magis attingit suæ virtutis vltimum.

Amplius si hoc quidem facit bonū, &c. Amplius iuxta idem siquidem habet propriæ virtutis actum & effectum, & facit bonū illud cui adest vt subiecto, illud autem actum non attingens & effectum non facit id quod bonum, magis eligendum est id quod facit bonum, quam id quod non facit bonum: eò quod non facit propriæ virtutis comparationem, est destructum & deficiens in seipso: nam vt dicit Damasc. nihil nisi deficiens propria destituitur operatione. Probatur hoc à simili: quia in natura calidius est quod calefacit, quā quod calefacere non potest. Et si vtrumque illud circa idem facit bonum, tunc à fortitudine actionis discernendum: quia tunc melius inter ista erit quod magis facit bonum, quam illud quod minus facit quantum ad hoc. Et iuxta hoc considerandum, si ambo faciunt bonum illud cui adsunt, melius est quod in principaliori bono facit bonum, sicut in virtute heroica quam in virtute morali: vel si facit circa hominem vnum circa corpus, & alterum circa animam, melius erit quod bonam facit animam quæ monet & regit & continet corpus, quam id quod circa corpus. Istæ autem considerationes sunt omnes à multiplicatione vel effectu boni vel actu sumptæ, quibus præeminentia boni ad bonum intelligitur à consideratione virtutis boni.

CAPVT VII.

De comparatione boni ad bonum à casibus & vsibus & actibus & operibus.

Amplius autem à casibus, &c. AMplius autem comparandum est bonum ad bonum per locum à casibus & vsibus & actibus & operibus boni, quod in præhabitis non fecimus: quia sunt circa bonum magis contractum, vt quidam dicunt, quam præcedentes, considerant sic, vt quidam dicunt. Vel dicatur melius, quòd casus & vsus & actus & opera sunt circa ea quæ à bono deriuantur per aliquem modum, præcedentes autem loci sunt circa bonum in se consideratum: in talibus tamen parua vis est: quia cuilibet patere

poteſt de facili, vnde trahuntur conſiderationes & à quibus locis.

Remanet dubium.

Sed hoc notandum eſt, quòd non poſitæ ſunt conſiderationes ab oppoſitis aliis, niſi contrariis: quia ab aliis oppoſitis tractæ non valent ad electionem, ſed conſtruunt ineſſe ſimpliciter: & ideo à talibus conſiderationes poſitæ ſunt in ſecundo libro huius ſcientiæ, vt quidam dicunt, ſuperiores: & altiores quæ propriè ſunt in moralibus, ſecundum quod ordinantur ad electionem, poſitæ ſunt hic & non in ſecundo: quia ad probandum ineſſe non valent. Et quamuis hic à generatione boni tractæ ſunt conſiderationes à corruptionibus & abſentiis boni, non tamen tractæ ſunt à generantibus: & per ſe generans intelligitur in generatione: per accidens autem genetans eſt infinitum: hæc tamen in iſta materia parum valent poſt multiplicationem boni per accidens. Actionem (quæ à cauſa efficiente ſumpta eſt) ſequitur conſiderare in caſibus & vſibus & actibus & operibus boni. Eſt autem caſus vt ſumptum de principali deriuatum, vt dictum eſt, quando eſt in aduerbium inflexum. Vſus autem eſt vtilitas ipſius in alio. Actus verò proprium ſuæ formæ actionis effectus. Operatio verò dicit id quod eſt proprium eius effectum in eo cuius vel in quo eſt bonum. Vnde etiam diuiditur in ethicis in actum & operatum quod apoteleſma in Græco vocatur, quod ſonat operationis intentum vltimum, in quo quieſcit operatio cauſæ agentis.

Sic ergo à caſibus accipientibus conſiderationem, dicimus quòd à caſibus vſibus & actibus & operibus conſiderandum eſt, ſecundum quod ab illis bonis, quorum præeminentia conſideratur, deſcendat: hæc enim ſequuntur ſeinuicem vt coniugata vel caſus deſcendunt ab aliquo: coniugata enim & caſualia ſequuntur ſeinuicem: vt ſi quod iuſtè eſt magis eligendum in actionibus quam quod fortiter, ſequitur quòd iuſtitia magis eligenda quam fortitudo: & ſi iuſtitia magis eligenda eſt, ſequitur quod id quod fit iuſtè, magis eligendum ſit quam id quod fortiter fit. Similiter autem & in aliis bonis adinuicem ſecundum caſus conſideratis.

Amplius ſi alio eodem, &c.

Amplius ſi duo comparentur ad idem aliquod quod bonum eſt: & hoc quidem comparatorum ſit magis eligendum, quam id cui comparantur illa duo: illud autem reliquum comparatorum ſit minus eligendum, quam id cui ambo compareatur: ad quod magis eligendum reſpectu illius cui comparantur: quia quod magis eſt eligendum magis eligendo, etiam magis eſt eligendum minus eligendo. Sed etiam iuxta hoc ſumitur alia conſideratio etiam, quod ſi duo aliqua ſint comparata ad alterum & ambo magis eligenda quam tertium, ſed vnum plus excedit ipſum & alterum minus, erit magis eligendum quod reſpectu illius magis excedit, & ſic magis eligendum reſpectu illius, hoc eſt, quod excedit plus in boni quantitate, quam id quod minus excedit, & ideo minus eligendum. Aut ſi aliquid eſt in bono maius maiore, eſt etiam maius minore. Iuxta idem etiam ſumitur alia maxima, quòd ſi aliqua duo bona inæqualiter in vno aliquo entia tertio, ſicut magis apud ſapientem eligendum, quod magis reſpectu illius eligendum eſt, ſimiliter eſt eligendum. Et hoc differt à præcedente: quia illud refertur ad eligibile, id autem refertur ad eligentem.

Amplius de cuius ſuperabundantia &c.

Amplius de multitudine & incremento boni eſt, quod cuius ſuperabundantia eſt boni, vt amicitiæ in actibus & effectibus, magis eſt eligendum, quam pecuniæ, cuius ſuperabundantia non eſt bonum. Quamuis ſuperabundantia & egeſtas circulatæ ad medium virtutis cauſent vitium & fugant, tamen in bonis ſuperabundantia in operibus & affectu & poſſeſſione bona eſt & eligenda, & ideo magis eligenda ſuperabundantia amicitiæ in actibus & affectibus, quam pecuniarum. Dico autem in operibus & affectibus: quia ſuperabundantia in numero amicorum non eligenda, vt dicitur in ethicis. Et iuxta hoc ſumitur alia maxima, quòd hoc eſt magis eligendum in bonis, cuius magis eligit quis ſapiens cauſam eſſe: quia gloria vera eſt in hoc quod quis eſt cauſa boni & magis boni; vt quis eligit ſe magis eſſe cauſam amicorum, quam pecuniarum: eò quod hoc magis eſt naturalis boni: quia dicit Ariſt. quòd boni naturalis eſt philantropia, quæ naturalis amicitia ad homines perficitur, cum quis efficitur cauſa amicitiæ.

Amplius ex appoſitione, &c.

Amplius incrementum quoddam ſit ex genere boni ex appoſitione boni ad bonum? & ideò conſiderandum eſt, quòd ſi idem appoſitum fuerit alicui, quod eorum facit bonum vel magis bonum: tunc illud cui tale appoſitum fuerit, magis eſt eligendum, quam cui tale non eſt appoſitum, vel appoſitum magis eligendum quam illud cui apponitur.

Cauere autem oportet, &c.

Cauere tamen oportet in hac conſideratione, ne protendatur ad omnia quocunque modo ſibi appoſita. Si verò altero appoſitorum vtitur communiter ſecundum ſubſtantialem actum artis vel officij ſui, & alterum illi appoſitum quolibet modo eſt cooperatiuum illi & quaſi adminiculans in aliquo non principali: reliquo autem vtitur, & non eſt cooparatiuum in ſecundario, ſed vſus eius eſt in principali: tunc non tenet conſideratio vel maxima. Cuius exemplum eſt, vt ſi in fabrili lignatia arte quæratur, vtrum ſerra appoſita cum falce, hoc eſt, inſtrumento falcante & dolante, magis eligenda ſit? patet ſtatim, quòd ſic: non tamen ex hoc ſequitur, ſi ſerra in arte lignaria appoſita falci & dolabro, ſi dolabrum magis eligibile eſt, quod ſimpliciter ſerra in iſta arte falce & dolabro magis ſit eligibilis, ſed potius è conuerſo: quia faber lignarius falce defalcante vtitur communiter in omnibus, eò quod omnes figuræ quas inducit in ligna, figuræ ſunt incitionis: ſed ſerra non vocatur niſi in quibuſdam diuidentis adminiculum. Intelligenda eſt autem conſideratio in his in quibus appoſitum perficit ſecundum boni rationem actus eius cui apponitur, quod non facit ſerra appoſita dolabro falcanti ligna.

Rurſum ſi minori, &c.

Rurſum iuxta idem conſideratio eſt, quòd ſi aliquid de numero bonorum alicui minori bono appoſitum, totum facit magis bonum, in eiuſdem boni ratione facit, quod totum eſt magis

magis bonum, & melioris bonitatis quam prius fuit, id erit magis bonum quod apponitur, & magis eligendum: & ſic ſanitas magis eſt eligenda decore: quia id cui apponitur ſanitas, facit in meliore & maiore bonitate, quam decor faciat id cui apponitur decor.

Similiter autem ex ablatione, &c.

Similiter autem conſiderandum eſt in bono à boni ablatione: ſi enim aliquid eſt, quo ablato ab aliquo, quod reſtat, eſt minoris bonitatis, non intenſione, ſed ſecundum ſpeciem alterius bonitatis inferioris: ſequitur ſic, quòd id quod magis eſt, magis eligendum eſt, quam id cui apponitur. Cuius exemplum eſt in rationali, quod appoſitum ſenſui facit ſenſibile melioris bonitatis, & ablatum facit illud idem bonitatis inferioris: ergo rationale melius eſt ſenſibili. Aliter autem conſideratio falſa eſt: quia beatitudo eſt magis eligibilis appoſito etiam numero bonorum, quo ablato minus eſt eligendum: non tamen ablatum & appoſitum magis eſt eligibile, quam beatitudo.

CAPVT VIII.

De conſiderationibus eligendi relati ad finem.

Et ſi hoc quod propter ſe, &c.

IN conſiderationibus & regulis eligendi bonj, quæ trahuntur ex ipſo relato ad finem, conſiderandum: quia ſi vnum quidem ſit bonum propter ſe, quia ſibi per ſe eſt finis in bono: alterum autem boni rationem habet, eò quod ad gloriam, ſicut in corporalibus bonis ſanitas eſt magis eligenda decore qui propter gloriam deſideratur, cum ſanitas deſideretur propter ſeipſam. Diffinitio autem faciens cognoſcere id quod eſt propter gloriam, & non gloriæ diffinitio eſt, quòd nullo conſciente non feſtinat ineſſe: gloria enim, vt dicit ſapiens, eſt clara cum laude notitia, vt eſt dictum Auguſtini. Tullius autem dicit, quòd eſt latè patens præconium, vel ore multorum celebrata laudatio. Et ideò patet, quòd id quod fit propter gloriam, quærit innoteſcere præconiis hominum in laude: & ideo nullo conſciente illud cum faciente, non feſtinaret ineſſe: quia non cognoſceretur, & non laudaretur. Dico autem feſtinare id quod propter gloriam fit: quia gloriatio calcaribus feſtinat & incitatur ad feſtinandum. Vnde Horatius,

Excitat auctor ſtudium, laus ſtrataque creſcit
Virtus, & immenſum gloria calcar habet.

Gloria quid.

Et verum de dubbus, &c.

Iuxta hoc autem alia accipitur maxima, quod ſi duorum relatorum ad finem, hoc ſit propter ſe & propter gloriam ciuilem (quæ non eſt vana nec mala) illud autem reliquum bonum ſit propter alterum: illorum tamen melius eſt, quod eſt per ſe eligendum: quodcunque enim eſt magis propter ſe honorandum, hoc quidem eſt melius & magis eligendum. Honorabilius autem erit, quòd per ſe eſt bonum, ita quod nihil aliud eſſe debeat per ipſum acquiſitum: cum enim dicitur aliud eſſe bonum propter aliud, per hoc ipſum quod eſt propter aliud, diminuit rationem boni.

Amplius diuidendum quotics, &c.

Amplius in conſiderationibus boni per ſe & propter alterum, diuidendum eſt per diſtinctionem quoties (hoc eſt, quot modis) quod eligendum eſt, dicitur, & quot modis dicitur eligendum aliorum finium gratia ad quos refertur: & verbi gratia videtur eligendum gratia aut expedientis ſiue delectabilis, vel boni (hoc eſt, honeſti) quod eſt ſecundum ſe bonum, vel delectabile quod eſt ex conuenientia coniunctionis cum eligente bonum: nam quod ad omnia hæc vel ad plura eſt vtile ſicut cauſa boni, magis eligendum, ſicut dicit Tullius de virtute de amicitia ſuper virtutem fundata, quæ per ſe bona eſt, & multam habet delectationem & vtilitatem adiunctam: & hoc magis eligendum, quam quod non eſt ſic vtile ad omnia vel ad plura.

Si autem eadē vtrique, &c.

Si autem aliquod bonum eſt, quod eadem cauſa vtriſque bonorum comparatorum inſint: tunc conſiderandum eſt vtro vel vter magis hæc inſunt inter duo vel plura comparata, & vtrum ſit delectabilius vel melius, hoc eſt, honeſtius, vel expedientius ſiue vtilius: quia hoc erit magis eligendum.

Rurſū quod propter melius, &c.

Rurſum iuxta hoc accipitur conſideratio, quòd id duorum bonorum vel plurium quod propter melius eſt & quod concluditur ad ipſum, magis eſt eligendum. Si autem non includeret illud melius propter quod ineſt, non teneret conſideratio, ſicut melius eſt quod eſt propter virtutem, quam id quod eſt propter delectationem corporalem. Similiter autem per contrarium eſt in fugiendis: nam magis fugiendum eſt quod impedit virtutes, vt ægritudo quæ impedit actum virtutum exteriorem: quia magis fugienda eſt, quam fœditas quæ eſt in ablatione decorum corporalium. Nam voluptaris quæ eſt ex corpore vel ex virtutum actibus exterioribus, prohibentior eſt ægritudo, quam fœditas.

Amplius ex ſimilitudine, &c.

Amplius hoc modo contingit ex ſimilitudine monſtrare eligendum magis vel minus eligendum & fugiendum quod poſitum eſt: minus enim eligendum eſt, quod aliquis ſapiens & eligit aliquando & fugit aliquando, quam quod eligendum eſt tantum & non fugiendum: quia hoc ſimilius eſt bono & eligibili, & ſubſtantialiorem habet rationem eligendi.

Epilogatur ergo dicendo comparationes boni contracti & comparati qua ſunt eligendorum adinuicem comparatorum, & qualiter faciendæ ſunt comparationes eligendorum, & ſecundum quas maximas, iam ſatis dictum eſt. In his autem nullum dubium eſt: quia omnes intelliguntur non ſimpliciter, ſed quoad hoc quod conſiderandum, vnum eſt melius alio: & eſt ſuperfluum diſputare de talibus, & diſputationes ſunt ad nihil vtile. Penes autem quid accipiantur, facile elicitur, & ſi titulo capitulorum adinuicem comparantur, & vi ſecundum quid diuerſum ſingulæ conſiderationes ſub vno communi titulo conuenientes accipiantur: quia ex hoc procedit conſiderationum multiplicatio. Et ſunt adhuc multo plura, quæ in talibus conſiderati poſſunt: ſed hæc ſatis ex his quæ dicta ſunt, poſſunt intelligi & de facili conſiderari, &c.

TRACTA

TRACTATVS II.

Qualiter eisdem locis qui inducti sunt, terminatur problema speciale siue contractum, & non comparatum tantum.

CAPVT I.

De determinatione specialis problematis, scilicet contracti, non comparati, &c.

Idem autem loci sunt, &c.

IDEM autem loci qui inducti sunt ad terminandum problema de accidente contracto & comparato, vtiles sunt ad demonstrandum quodlibet accidens eligendum vel fugiendum, hoc est, contractum ad formam eligendi & sine comparatione: ad hoc enim quod prainducti loci terminent contractum & non comparatum, non oportet auferre ab inductis considerationum locis nisi eam præeminentiam quæ est ad alterum comparatione, & nobis simpliciter eligendum absque eo quod secundum magis & minus comparetur. Si enim constructum sit, quod honorabilius est magis eligendum ex ratione honorabilitatis quæ excellit alterum, sequitur ex eodem, quod honorabile simpliciter est eligendum absque comparatione, & contractum sit, quod vtilius in aliquo ex ratione vtilitatis est eligendum, sequitur, vt le simpliciter absque comparatione est eligendum. Solummodo autem est in aliis prædicatis accidentis, quæcunque huiusmodi secundum præeminentiam talem habent ad alterum comparationem in bono, & non in malo: quemadmodum enim vtilius est (hoc est minus damnosum) perdere digitum, quam oculum: non tamen simpliciter eligendum, sed ratio eligibilis in talibus est in ipsa comparatione, & non in comparatis: & ideo de talibus loquimur.

In aliquibus autem comparatis & contractis prædicatis accidentibus rectum oportet, quod secundum eam quæ ad alterum est comparationem sequatur etiam electio simpliciter sine comparatione, hoc est, quod eligendum simpliciter: quia cum comparatione eligitur. Cuius exemplum est, vt quando hoc quidem eligendorum est natura bonum, illud autem reliquum comparatorum non natura bonum dicimus, nam quod naturaliter est bonum, dicimus palam, quoniam ex ipsa bonitate sua simpliciter est eligendum: & hoc est in omnibus in quibus ratio eligibilitatis & causa est in ipsis quæ in bono comparantur, & non in comparatione tantum. In omnibus enim istis comparatio infert positionem simpliciter: & sic ergo contractum & non comparatum terminatur per eosdem locos per quos terminatur contractum & comparatum prædicatum accidentis. Locos dico dialecticos, qui sunt communes: quia de talibus hic loquimur locis, &c.

In aliquibus autem comparatis, &c.

CAPVT II.

Quod per eosdem terminatur locos comparatum non contractum.

AD terminandum autem problema de accidentali prædicato generali siue non contracto & non comparato iidem qui inducti sunt loci, vtiles sunt ad determinandum huius generale problema comparatum, & sumendum est locos quam maximè vniuersales, ita vt contractum non contractum fiat, & speciale fiat generale: nam sic in genere sumpti loci ad plures argumentationes & propositiones fiunt ea vniuersalia quæ sunt de pluribus, vtiles erunt loci inducti. Est autem eorundem locorum qui inducti sunt, magis vniuersales facere, ita quod valeant ad generale qui, ad speciale inducti sunt, sicut loci præcipuè de maiore & minore, hoc est, à maiore & minore, vel melius dicatur de comparatione sumpta à maiore eligendo & minore siue minus eligendo: illi enim sic sumpti, hoc est, generales & vniuersales facti, ad plures locos vtiles erunt, & plures de pluribus arguentationes. Modus autem quo vniuersales speciales fiunt, iste est, qui est eorundem qui inducti sunt locorum, quosdam facere magis vtiles quam inducti sunt, ita quod transmittentur secundum appellationem siue nomen, vt etiam manente comparatione speciali ponatur in generali, & contractum & non contractum. Verbi gratia, vt dictum est, quod natura bonum vel natura eligibile dicatur loco boni quod nullam determinati accidentis dicit qualitatem, vt dicatur, quòd natura est tale, magis est tale quam id quod non est natura tale: & dicatur, quòd cuicunque inest vt subiecto quod natura facit magis tale, quam quod non facit magis tale, illud est magis tale vniuersaliter: & hoc est à causa sumptum.

Sumendum autem quam maxime, &c.

Amplius autem in alio loco si eodem in aliquo (hoc est, ad idem aliud) duo comparata, hoc quidem magis tale, reliquum autem minus tale, patet quòd id quod est magis tale, magis

Amplius si eodem alio, &c.

magis est tale quam id quod comparatum eidem minus est tale. Amplius iuxta idem si duo comparentur eidem, si hoc quidem comparatorum tali comparatum est magis tale, id verò quod est reliquum tali comparatum, non est tale, manifestum, quod sequitur, quòd primum est magis tale.

Amplius ex additione, &c.

Amplius idem est in loco qui est ex additione sumptis: si enim eidem additum efficitur ex additione totum magis tale, patet quod additum est tale: aut etiam si ex additione id quod minus erat tale, efficitur totum magis tale quam prius, sequitur esse magis tale. Amplius sequitur ex ablatione: nam quo ablato reliquum siue relictum manet minus tale, sequitur quod ablatum est tale & magis tale.

Et quæ in contrariis, &c.

Similiter in his considerationibus quæ sunt à contrariis, quæ sunt in contrariis impermixtiora, sunt magis talia quam quæ contrarijs sunt permixtiora, sicut dicitur album nigro impermixtius. Et hoc quidem sub eadem comparatione ad aliud referri non potest: quia in genere nihil comparatur, sed in specie: & ideò non dicitur tale talius, sed dicitur species suo contrario impermixtior, & hoc secundum magis & minus.

Amplius præter ea, &c.

Amplius autem præter ea omnia quæ dicta sunt etiam magis & minus referri potest ad diffinitiones prædicatorum accidentalium quæ comparantur: magis enim tale quod magis suscipit propositi rationè ex magis, vt si albi est idem color disgregatiuus visus, albius est color magis disgregatiuus visus, & illud erit magis tale: in genere autem contracto accepeum, intenso enim diffiniro, quamuis genus non necessariò intendatur, eo quod species & genus non omnino idem sunt, tamen quia diffinitum & diffinitio idem sunt, intenso vno quantum ad differentiam complentem in specie, intenditur alterum: & penes hoc accipitur consideratio inducta: & ideò non dicitur albius coloratius, vel talius, sed magis disgregatiuum visus. Hæc igitur de problematibus accidentalis prædicati quod est vt accidens siue comparatum & contractum, siue contractum & non comparatum, siue etiam non contractum sed comparatum, dicta sunt: alia enim ex his potuerunt cogitari, &c.

TRACTATVS III.

De determinatione problematis particularis & determinati.

CAPVT I.

De determinatione particularis.

MVCVSQVE à principio secundi huius scientiæ libri dictum est, qualiter destruitur & construitur problema de inesse & accidente, siue simpliciter insit, & non contractum & comparatum accipiatur, siue accipiatur vt contractum & comparatum. Deinceps autem determinandum est de problemate particulari. Et cum duplex sit problema particulare, & particulare secundum rem & particulare secundum modum, & particulare secundum rem & non secundum modum, prius determinandum de eo quod est particulare secundum rem & modú, quod quidem in re particulariter & non vniuersaliter inest, & signum habet particulare per quod particulariter inesse designatur, vt quidam homo currit: & deinde dicendum erit de particulari secundum rem & non secundum modum particularis determinatum, quod est infinitum. Adhuc autem particulare secundum rem & modum potest terminari absque hypothesi construendo, siue sit affirmatiuum siue negatiuum: potest etiam terminari cum hypothesi destruendo. Primo modo dicamus qualiter particulariter & vniuersaliter positum problema de accidente construatur absque hypothesi.

Si autem particulariter, &c.

Dicimus igitur, quòd si particulariter & non vniuersaliter problema de accidente ponatur, primum notandum, quòd communes loci præinducti ad problema de accidente vniuersaliter posito, siue sint destructiui, siue constructiui, omnes sunt vtiles ad terminandú problema particulare: constructiui enim construunt affirmatiuum, & destructiui construunt negatiuum. Nam nos vniuersaliter interimentes problema de accidente & vniuersaliter construentes, & particulare positum idem de accidente problema perimatur. Si enim sit probatum quòd omni inest, monstratum est, quòd & alicui inest: & si monstratum est, quod nulli inest, & quod alicui non inest, monstratum est. Maximæ autem & sic communes loci ad construendum vniuersale & particulare problema de accidente, competentes ad constructionem tam affirmatiui quam negatiui, sunt loci ex oppositis & casibus & coniugatis. Nam si oppositum de opposito, quia propositum de proposito: æqualiter enim ista & opinabili. & probabilia sunt & in vniuersali & particulari. Si enim omnis voluptas bonum, æquè opinabile est omnem tristitiam malam esse: & si aliqua voluptas est bona, æquè opinabile est aliquam tristitiam malam esse. Et in oppositis priuatiuè similiter est sicut in contrariis. Si enim aliquis sensus non est potestas naturalis secundum sensum

sensum illum agendi, atque probabile illi erit, quod aliquis istorum est in ipso naturalis: & ita quod magis mereatur esse opportunus non est disciplinatus: sed hoc, sequitur æque probabiliter, quòd quædam malitia non est disciplina: & hoc est per locum à relatiuis oppositis. Rursum per locum à contrariis virtute oportunum vt primarie & habitus sequitur si quod nullum est bonum; tam æquè probabiliter sequitur si est malum malum, & quod mauult esse, malè esse: si quæ delectabile fugiendum, est dolorosum prosequenda per locum à coniugatis sequitur. Secundum hoc autem quod eiusdem loci a coniugatis sunt, & sequitur æquè probabiliter, quòd si aliquid delectabile inquantum delectabile non est prosequens & bonum, erit quædam delectatio proficiens & bonum quoddam.

Obiectio contra locum à coniugatis. Quamuis locus a coniugatis videatur habere instantiam, quia non sequitur, album est clarum, ergo albedo est clara: cum album est disgregatiuum visus, ergo albedo est visus disgregatiuum. Sed intelligendum, quòd in coniugatis principale & magis prum debent esse secundum formam & eidem essentiæ, sicut albedo color, album & coloratum: & nunquam habet instantiam.

Solutio.

In corruptius autem, &c. Adhuc in corruptionibus quidem & generationibus sunt loci ad hoc competentes: sequitur enim æque probabiliter, quod si aliquid sit corruptium delectationis alicuius, vel corruptium disciplinæ est alicuius, sequitur æquè probabiliter, quod quædam delectatio & quædam disciplina est malum siue de numero malorum. Similiter autem æquè probabiliter si corruptio quædam cuiusdam disciplinæ est de numero bonorum, & aliqua generatio alicuius disciplinæ est de numero malorum. Cuius exemplum est quod obliuisci scientiæ qua quis fœda agit, vt furari, vel perdere, de genere bonorum est: quia talis forte malum est. Dico autem de scientia practica, non speculatiua. Similiter autem e conuerso reminisci scientiæ quæ quidem mala agit, de numero malorum est, sequitur æque probabiliter, quod scire scientiam practicam qua quis fœda agit, de numero malorum. Similiter autem & in aliis similibus & in omnibus talibus simpliciter siue æque optabile in vniuersali & in particulari vnum sicut aliud.

Amplius ex magis & minus, &c Amplius etiam ex locis ad vniuersale affirmatiuam & negatiuam construendum, adductus est locus sumptus ex magis & minus tractus. Si enim aliqua duo non ex eodem genere comparentur, non secundum magis & minus accidens quod est bonum inesse, & vnum eorum sit magis tale vel videatur esse, aliud autem sit ita quod nihil sui generis sit tale, vt magis quædam disciplina videatur esse bonorum quædam quam corporalis voluptas, vt si magis videatur quædam disciplina bonum quam voluptas videatur bonum, sic & nulla disciplina bonum sit vel de numero bonorum, sequitur quod nec voluptas quædam est bona vel de numero bonorum. Et secundum quod dicit Aristot. in 6. & 7. intelligitur de disciplina practica malorum quæ dianoetica vocatur, & de voluptate tormentali quæ non est naturalis ex genere, nec etiam ex specie, sed vocatur in rethetic. agrypnodinalis: de his enim intellecta consideratio est generalis. Ex similiter autem & minus videtur inesse eodem modo, & erit construere problema particulare tam affirmatiuum quam negatiuum. Ex similiter quidem acceptis considerationibus erit vtrumque facere & interimere & construere: ex minus autem siue a minori vel construere tantum, & non destruere: quia a minori valet argumentum affirmatiue tantum & non negatiue: si enim sic se habet potestas ad bonum, & disciplina quædam potestas est, est autem quædam potestas bonum in politica, sequitur quod erit etiam quædam disciplina bonum: & hoc est construere a simili. Si autem nulla potestas bonum, hoc est, minus videatur potestas quædam bonum quam disciplina videatur esse bonum, si nulla potestas sit bonum cum videatur minus, non erit necesse propter hoc quod null. disciplina sit bonum: quia a minori non valet negando. Manifestum ergo, quoniam per locum a minori non erit nisi construere tantum: non tantum autem ex alio & alio genere sumptis & ad idem accidens comparatum aliquibus, & est destruere per locum a minori problema particulare: sed etiam ex eodem genere sumptis aliquibus comparatis ad idem accidens ab eo qui sumit quod maximè videtur esse tale in illo accidente, & non inest ei accidens: tunc enim sequitur, quòd nec inest ei communius videtur inesse. Vt si positum sit ab aliquo respondente, quòd quædam disciplina est bonum: tunc accipitur disciplina quædam quæ maximè videtur esse bonum, vt prudentia quæ maximè videtur bonum, vt ostendatur, quòd prudentia quæ maximè bonum non est bonum, sequitur quòd nec aliqua alia quæ minus bonum esse videtur, erit bonum: quia si alicui magis videbatur inesse, & non inest, sequitur quod nec cui minus videbatur inesse, inerit: sunt autem disciplina & prudentia eiusdem quod est virtus intellectualis.

Obiecti contra locum à simili. Id autem quod est dictum, quòd locus à simili tur constructiuus & destructiuus, videtur habere calumniam: quia videtur, quòd non vniuersaliter conuenit destrui vel construi per locum a simili: non enim vniuersaliter sequitur, si a. & b. similiter se habent ad c. si a. est genus c. quod b. similiter sit genus c. quia non contingit plura esse genera eiusdem. Similiter non sequitur, si a. & b. ordinantur ad c. si a. est diffinitio eius quod est c. quod b. sit diffinitio eiusdem: quia non contingit plures esse diffinitiones eiusdem. Sed ad hæc respondetur, *Solutio.* quòd reuera locus à simili in prædicatis essentialibus non est constructiuus, sicut obiectum est, sed in accidentalibus. Obiiciunt tamen quidam dicentes, quòd si a. & b. similiter ordinentur ad c. si a. non est diffinitio, nec b. erit diffinitio: ergo à consequentia à contrario si b. est diffinitio, & a. est diffinitio, non valet: quia consequentia è contrario non tenet in contrariis, nisi in prædicatis essentialibus & essentialiter ordinatis, vt si albedo color, illud quod non color, nec albedo. Si autem quæratur, qualiter problema particulare terminetur in hoc tertio cum particulare sit in vniuersali, & ex ipso

ex ipso terminetur, vt prædictum est: vel à signo particulari quod non opponitur vniuersali, & particulare secundum rem, & hoc opponitur vniuersali & inhærenti & fundatur in natura accidentis contracti, de tali particulari hic loquimur: & ideo cum accidente contracto in eodem libro determinatur.

Amplius ex hypothesi, &c. Amplius quod ex hypothesi probare contingit: & si alicui inest accidens, quod sequitur per hypothesim & omni inesse: & si cui non inest, sequitur nulli inesse vt hominis alicuius anima videtur esse immortalis, sequitur per hypothesim & alias aliorum animas hominum esse immortales. Si autem detur, quod huius hominis anima non sit immortalis, sequitur ex hypothesi, quòd nec aliæ hominum animæ sunt immortales. Si ergo aliquod accidens positum est inesse alicui, ostendendum est ab opponente quando alicui non inesse, & hoc ab opponente per hypothesim sequitur nulli inesse. Si autem a respondente positum est alicui non inesse, & hoc ab opponente per hypothesim destrui debeat: tunc ostendendum est ab opponente, quoniam inest alicui: nam si per hypothesim consequitur tamen inesse, & per hoc destruitur particulare negatiuum alicui non inesse.

Palam ergo quoniam, &c. Palam ergo ex dictis est, quoniam qui in terminatione problematis particularis hypothesi vtitur, facit de particulari problema vniuersale: quia confitetur sicut est in vno, ita esse in omnibus aliis: vel sicut non est in vno, ita nec esse in aliquo aliorum: & sic qui particulariter concedit aliquid inesse vel non inesse, probabit vniuersaliter oportere confiteri, eo quod vni & omni similiter probat: dicit enim, quòd sicut est in vno, ita est in omnibus aliis.

CAPVT II.

De determinatione indefiniti.

Quum autem indefinitum, &c. CVm autem indefinitum est problema secundum rem & modum, ita quod signo vniuersali nec particulari determinatum est, sed infinitè se habet inter duo, ad neutrum autem est determinatum, vno quidem modo destruere contingit siue sit affirmatiuum siue negatiuum. Infinitum autem dico, vt si dixerit voluptatem esse bonum, nihil addens ad terminandum subiectum quo trahatur ad standum pro particulari vel vniuersali, vt si dixerit voluptatem non esse bonum negatiue: destruitur autem id vno modo tantum, & vt verificetur in particulari: si enim dixerit voluptatem indefinitè vel aliquam voluptatem esse bonum, si debeat interimi propositum, ostendendum est, quoniam nulla voluptas bona. Similiter & si dixerit infinitè voluptatem non esse bonum, vel particulariter dixerit aliquam voluptatem non esse bonam, si debeat interimi propositum, ostendendum est, quoniam omnis voluptas bona: quia alicui non contingit interimere problema infinitum, nisi per suum contradictorie oppositum. Si enim ostenderimus ad interimendum infinitum, quoniam est quædam voluptas bonum, vel quoniam est quædam voluptas non bonum, nondum per illud interimitur propositum: quia subcontrarie in contingenti materia in quia prædicatum accidens potest esse vel non esse, possunt esse simul vera. Palam ergo, quoniam tale problema dicitur opponens interimere vno modo & per contradictorium.

Construere autem dupliciter, &c. Remouet dubium. Construere autem contingit dupliciter: siue enim particulariter siue ostenderimus omni vel nulli inesse, vel aliquo inesse vel alicui non, conuertitur est infinitum problema, vt patet exemplis Philosophi. Notandum, quod in decursu syllogistico infinitum comprehenditur sub particulari: eò quod nullam certa subiectum ponit quantitatem, ita quod possit esse decursus syllogisticus circa infinitum sicut circa particulare: tamen in problematibus specialem habet terminationem: quia in hoc differt a particulari, quod particulare dicitur esse determinatum secundum esse & rationem & signum: infinitum autem determinatum est in partem secundum rem, non tamen secundum rationem quæ signo demonstretur: & quia sic differunt, habent etiam differentes doctrinas suæ terminationis. Sic ergo terminandum est problema infinitum.

Quum autem fuerit determinata positio, &c. Est autem adhuc determinata positio respondentis per aliquam determinationem subiecti per modum multiplicationis restringentis subiectum, & videndum est qualiter talis positio & construi & destrui debeat ab opponente. Determinatam autem dico, vt si ponatur alicui vni voluptati inesse quoniam bonum (hoc est, si dicatur aliqua vna voluptas esse bona) & aliqua non esse bona: & sic tunc dupliciter destrueretur propositum: siue enim ostendatur, quoniam nulla voluptas est bona: interemptus erit propositum: quia hæc vna voluptas bona ratione determinationis, repugnat ad omnem si vna ponatur formaliter: quia tunc tantum valet, quantum vnica retione prædicati quod subiecto affirmatiue redditur, & repugnat ad nullam & omnem voluptatem bonam. Si autem per duo determinet & per vnam & per dictionem exclusiuam tantum vel solum sic, vna voluptas tantum est bona: tunc hanc positionem multipliciter erit destruere: quia plures quam duas habet causas veritatis: si enim ostenderimus, quoniam omnis voluptas est bonum, vt Epicurus dicit, siue quoniam nulla voluptas est bonum: siue ostendamus plures voluptates esse bonas quam vnam: semper interimentes erimus propositum: & sic interimitur quòd determinatur cum dictione exclusiua: dupliciter autem determinant cum vna siue dictione exclusiua. Positione autem aliqua ad hoc autem determinat plus quam per tria determinetur specificando & subiectum & vniuersali & dictione exclusiua, vt si dicatur sic, quoniam prudentia vna sola virtute moralium est scientia: quadrupliciter contingit interimere: ostenso enim quoniam omnis virtus est scientia, vt dicit Socrates: vel ostenso, quòd nulla virtus est scientia: vel ostenso, quod aliqua alia est scientia, vt iustitia quæ est in rationabili parte animæ sicut & prudentia propter scientiam destruendi vel communicandi: vel si monstretur, quoniam eadem virtus quæ est prudentia

non est scientia quolibet istorum modorum, interemptum erit, quod prudentiæ vna sola virtutum est scientia.

Vtile autem est, &c. Vtile autem est & idoneum & abundantem facere opponentem, & in singula inspicere quæ sunt subiectorum partes subiectiuæ, quibus & subiectis aliud dicitur vniuersaliter inesse, vel non inesse: quia hoc ad constructionem particularis vtile est.

Amplius autem, &c. Amplius autem in prædicato quod inesse dicitur, inspiciendum in generibus prædicati in quorum aliquo prædicatum continetur, & vtile est hoc componenti & diuidenti prædicata quæ insunt secundum species vsque ad individua, sicut prius dictum est in huius scientiæ libro in quo de vniuersali problemate secundum inesse dictum est: nam siue omni dicatur inesse affirmatiuè, siue nulli negatiuè, opponente vel ea proferente per quæ probatur vniuersale affirmatiuè vel negatiuè probandum, necesse est respondenti vniuersaliter confiteri inesse affirmatiuè, vel vniuersaliter non inesse negatiuè, aut quod ferat instantiam in aliquo, in quo nõ sit sic vniuersaliter proponatur.

Amplius in quibus, &c. Amplius id quod inest vt accidens, vtile determinatre per subiecta in quibus & qualiter insit, vt determinetur tempore & numero, vt sic videatur si secundum nullum horum est in subiecto, quæ sunt specie & numero sub accidente ipso. Huius exemplum, vt si probare velimus, quoniam tempus non mouetur neque est motus, vt quidam dixerunt, valet opponenti inspicere in prædicatum, & diuidenti quot sunt species motus. Nam si nihil horum quæ sunt species motus, inest tempori, manifestum est, quoniam tempus non mouetur nec motus est. Similiter autem si probandum sit, quòd anima non est numerus, vt dixit Plato, valet hoc opponenti diuidenti numeros in species, in quibus omnis numerus continetur, vt quoniam omnis numerus aut abundans, aut perfectus, aut diminutus. Nam si anima nullus istorum est, palam quod sequitur, quòd non est numerus: & sic interemptum erit problema. Problema igitur de prædicato quod est accidens per huiusmodi locos, vt dictum est, & ex similibus his erit argumentandum, & cætera.

LIBER IV.

TOPICORVM.

TRACTATVS I.

De problemate generis & proprij.

CAPVT I.

Proœmium Libri.

Post hæc autem de his, &c. IN hoc quarto libro topicorum post hæc quæ dicta sunt de determinatione problematis de accidente, quod non conuersim prædicatur, & primum & remotissimum est elementum diffinitionis, perspiciendum de locis & considerationibus pertinentibus ad genus, hoc est, ad inesse vt genus vel non inesse, & de locis & considerationibus pertinentibus ad proprium, siue ad problema de proprio determinandum: quod genus requiritur ad bonitatem proprij, & proprium propter modum prædicandi conuersim, immediatius est elementum diffinitionis, quam genus: sunt enim hæc prædicata elementa eorum locorum quæ pertinent ad diffinitiones: quia inesse vt diffinitio ex his elementaliter componitur: quia quod inest vt diffinitio, & inest simpliciter, & quid, & conuersim prædicatur: quorum primum est accidentis, secundum generis, tertium proprij: propter quod ante diffinitionem ista consideratione est necessarium: quia ita supponitur in eo quod inest vt diffinitio.

Est autem & alia causa huius quod est vtile: de his enim eisdem prædicatis (prout sumuntur secundum inesse vt genus & inesse vt proprium) rarò considerationes fiunt in disputationibus. Et huius rationem quantum ad genus reddit Boët. in lib. diuisionum: quia quidam antiquorum inesse vt genus sub inesse vt accidens comprehendere voluerunt: propter hoc commune eis quod est inesse vt accidens, & inesse vt genus, est non conuersim prædicari. Ideo autem quantum ad inesse vt proprium est quod hoc voluerunt comprehendere sub

re sub inesse vt diffinitio: cum vtrumque proprium sit, & dicatur vtrumque conuertim prædicari. Vtile ergo est distinguere ista ne vnum sub altero contentum esse credatur: sed vnumquodque istorum sit prædicatum ab altero secundum modum inhærendi distinctum: hoc enim ex considerationibus & locis ostenderur.

CAPVT II.

De genere prout assignatur genus alicuius speciei.

POnemus igitur primo considerationes proprias sumptas penes particulas in diffinitione generis logicè positas. Deinde ponemus particulas penes ea sumptas quæ consequuntur ad particulas positas in diffinitione generis logici non contracti ad materiam generis: & ipsum consideremus prout assignatur genus alicuius, & non prout genus simpliciter vel omni: & hoc est comparare genus ad propinquum etiam, vel remotum, & non ad remotum.

Si ergo ponatur genus alicuius, &c. Si ergo ponatur genus vel pro genere alicuius existentium quod significet ens existens. Existens autem propriè est compositum: quia omne genus & species composita sunt. Primum quidem igitur inspiciendum est ad omnia quæ sunt illa (quod pro genere positum est) cognata, hoc est, eiusdem coordinationis in linea prædicabili eius quod dicitur esse genus: omnia enim quæ sunt in ipso, sunt suæ coordinationis vt originata secundum essentiam ab ipso: & ideo de omnibus illis prædicatur. Vnde inspiciendum est si de aliquo illorum non prædicatur quemadmodum de accidente in secundo huius scientiæ libro dictum est: quia si de aliquo eorum cognatorum non prædicatur, non erit genus quod assignatum est pro genere, & problema propositum interimendum est. Cuius exemplum est, vt si voluptatis ponatur genus esse bonum (sicut posuit Epicurus) considerandum si aliqua voluptas, est non bonum, sicut voluptas ægritudinalis vt in 2. ethic. prædicatum est: & si hoc concedatur & inueniatur, manifestum quoniam bonum non est genus voluptatis: & sumitur penes hoc, quod in diffinitione generis ponitur prædicari de omnibus speciebus & individuis. Dico autem de eadem specie: quia generalissima genera sunt species entis, vt dicit Aristot. in prima philosophia, & alia species genus est generis, & alia qualitatis genus, & sic de aliis.

3. meta. text. com. 10. & 10. com. 6. & 3. phys. com. 4.

Deinde si non in eo quod quid, &c. Deinde alia consideratio sumitur penes hoc quod in diffinitione generis est prædicari in quid: vnde considerandum est demum id quod sumitur penes hoc, quod assignatum est pro genere, de omnibus cognatis in quid est prædicatur, vel non, sed in quale: velut album si dicatur esse genus niuis, aut velut de anima prædicatur mobile, vel mouens vt genus, vt dicit Plato animam esse quod est mobile vel motiuum sui, sicut in genere dicimus animam esse quod per se mobile est, hoc est, à se, siue quod mouet seipsum: quamuis enim Plato dicat animam esse numerum, vt genus animæ: tamen quia mobile à se ponit differentiam, & differentia generalis cum genere collocanda est, mobile à se etiam potuit genus animæ: & cum nec album de niue, nec mobile à se in quid prædicetur de nive & anima: patet quia neutrum est genus eius cuius positum est esse genus: neque enim nix secundum quid album est, vel albi suscipit prædicationem: nec anima secundum quid est quod mouetur: & propter hoc non est album genus niuis, vt dixit Empedo. nec anima est quid quod mouetur, vt dixit Plato: accidit enim moueri animæ, & non prædicatur de ea in quid quemadmodum accidit animali frequenter moueri vt ambulare vel ambulans esse.

Amplius hoc quidem probatur, quòd non mobile esse non est genus animæ: quia mobile esse à se non significat quid est in ipso de quo prædicatur, sed significat aliud facere vel pati: mouere enim significat quid faciens in genere actionis, à se moueri significat quid patiens in genere passionis. Similiter autem & album: non enim & album significat quid est nix, sed indicat quale sit illud quid, siue aliquid de quo prædicatur. Propter quod neutrum horum in eo quod quid est prædicatur de eo de quo prædicatur.

Amplius non mobile, &c.

Maximè autem, &c. Aliæ etiam est ratio ad idem, quod maximè in diffinitione accidentis est inspiciendum, si diffinitio accidentis & ea quæ sunt in diffinitione, aptantur conuenienter ad id quod dictum est esse genus, vt patet in his quæ dicta sunt album & mobile: contingit enim vt accidens idem mouere seipsum, & aliquando non mouere. Similiter contingit aliud album aliquando esse album, & aliquando non contingit: & sic non erit album genus, sed inest vt accidens, cuius diffinitio est, quod contingit eidem inesse & non inesse. Propter quod neutrum horum est vt genus, sed vt accidens est vtrique illorum de quibus prædicatur, eò quod (sicut diximus) vtrique illorum contingit inesse & non inesse.

Amplius si non eadem diuisione, &c. Amplius si attendatur consequentia ad particulas positas in ratione generis: tunc prima est quæ est prædicari de pluribus, secundum regulam quæ data est in prædicamentis, quæ dixit, quòd quando alterum de altero prædicatur vt de subiecto, quæcunque de prædicato dicuntur, & omnia de subiecto dici necesse est: & exista sequitur, quòd omnia de quibus dicitur genus, sint eiusdem coordinationis cum genere secundum rectam lineam. Si ergo non in eadem diuisione vel coordinatione fuerit genus cum his quorum dicitur esse genus, & species similiter de qua prædicatur genus, sed hoc quidem vt genus sit substantia, hoc est, in genere substantiæ: aliud autem de quo prædicatur genus, hoc est, species, sit qualitas, hoc est, in genere qualitatis: tunc non erit genus quod pro genere assignatum est. Verbi gratia, vt nix quidem & cignus (qui alba sunt species secundum Empedoclem) quidem substantia: album autem (quod genus eorum dictum est) non est substantia, sed quale. Propter quod

non est album genus linis, nec genus cignis: quia non istæ eiusdem coordinationis vel diuisionis.

Rursum dis-ciplina, &c. Rursum iuxta idem consequens accipitur, quòd disciplinatum ad aliquid est, hoc est, ad disciplinarum vel disciplinabile: bonum autem vel pulchrum dicunt quale: propter quod nec bonum nec pulchrum sunt genus disciplinæ: quia non sunt eiusdem coordinationis & diuisionis. Nam eorum quæ sunt ad aliquid secundum speciem, genera oportet esse ad aliquid, vt patet in duplici quod est species de numero eorum quæ sunt ad aliquid, & multiplex quod est genus eiusdem, & etiam ad aliquid. Vniuersaliter in talibus quidem dicendum est & pro maxima, quod sub eadem diuisione & coordinatione prædicabilium oportet genus esse speciei, siue insertum cum specie secundum rectam lineam: nam si species est substantia, & est genus de ista specie prædicatum substantia: & si species est quale quid, & genus erit quale quid. Cuius exemplum est si genus est quale quid & species non, vt si album est quale quid, & color quid erit. Similiter autem & in aliis.

Rursum si necesse est, &c. Secundum consequens ad idem est, quòd si genus prædicatur, semper prædicatur: quia est prædicatum essentiale de pluribus, & penes consequens accipitur. Vnde rursum considerandum est, quoniam genus dicitur de pluribus prædicari, si necesse est vel contingit genus participare id quod positum est in genere, sicut inferius essentialiter participat suum superius, & participare est suscipere participati superioris rationem & nomen vniuocè: manifestum enim, quoniam quidem species participant genera secundum nominis prædicationem, & hoc modo genera non participant species: si autem species suscipit generis nomen & rationem, genus non suscipit nomen & rationem speciei.

Considerandum ergo si contingit, &c. Vnde considerandum si contingit assignatum genus vel assignatum pro genere, participare speciem secundum nomen & rationem: quia tunc non erit genus quod pro genere assignatum est: vt verbi gratia, vt siquis assignet aliquid pro genere entis vel vnius: tunc enim cum ens & vnum de omnibus dicantur, dicuntur etiam de isto quod pro genere eorum est assignatum: & sic accidit, quod id quod assignatum est pro genere entis vel vnius (quæ dicuntur esse species suæ) participabit rationem eorum, quod est inconueniens. Et huius causa est: quia de omnibus quæ sunt, vnum & ens prædicantur, & etiam de isto quod assignatum est vt genus eorum. Propter quod ratio eorum etiam, scilicet entis & vnius, participatione prædicatur de ipsis. Rationem autem dico expositionem quæ est maioris declarationis quam nomen: quia aliam ens & vnum non habent rationem.

Amplius si de aliquo assignata species, &c. Amplius ad idem quod est prædicare de pluribus, consequens est, quòd genus de omnibus his prædicatur species, & de pluribus. Vnde si de aliquo vel aliquibus vna vera est species secundum prædicationem, de quibus non est verum genus prædicatum de eisdem, non erit genus quod assignatum est pro genere. Verbi gratiâ, si ens aut scibile dicatur esse genus opinabilis: nam de non ente prædicatur opinabile: multa enim non entia sunt opinabilia, vt quod sol sit monopedalis, vel quod fauni vel tatyri sint: cum autem ens vel scibile non prædicentur de non ente: & ratio est, quia ens non est non ens: & quod scitur vel scibile est, hoc est vnum propter quod ens & scibile non est genus ad opinabile: quia de pluribus prædicaretur species quam genus: quia de quibus prædicatur species, & genus de eisdem prædicari necesse est: nunc autem opinabile prædicatur de quibus non prædicatur ens vel scibile.

Rursum si nullam speciem, &c. Adhuc autem de pluribus prædicari quarto loco consequitur, quòd omnia de quibus prædicatur ipsum genus, participabunt illud genus. Diffinitio autem eius quod est participare, est suscipere participati rationem. Participatum autem dicimus, cuius secundum partem suæ potestatis, & secundum partem suæ communitatis inferens suscipit prædicationem, vt homo suscipit rationem animalis & prædicationem. Vnde si nullum eorum quæ sunt species positæ sub eodem genere, contingit participare, id quod positum pro genere, non erit genus quod pro genere est assignatum. Nam impossibile est participare genus, quod nullam speciem participat, nisi sit aliqua primarum specierum primæ diuisionis generis sui primi, in qua immediatè primum genus est diuisum: hoc enim participat primum genus tantum, & nullam participat speciem: aliæ autem omnes subalternæ species quæ sunt in genere primo, participant genus secundum aliquam specierum: quia quicquid est in genere, est in aliqua specierum illius generis præter species primas. Si ergo ponatur motus genus esse delectationis siue voluptatis, de qua dixit Plato, quòd omnis delectatio est generatio in sensibilem animam, considerandum si participat aliquam specierum motus: nam si nec est generatio nec corruptio neque nullus specialis motus de numero omnium specierum motus, manifestum est, quod nulla specierum motus est: propter quod nec participat genus: eò quod necessarium est & pro maxima supponendum, id quod genus participat, & aliquam specierum participare: propter quod sequitur, quòd voluptas non erit species motus, nec motus erit genus voluptatis, neque erit aliud individuorum quæ sunt sub motu: nam individua omnia participant speciem, & per speciem participant genus, vt alius homo individuus & hominem participat & animal quod est genus hominis.

Quid sit participare. Delectatio secundum Platonem quid.

Remouet dubium. Quod autem dictum est hic, quod genus & species debent esse eiusdem coordinationis siue diuisionis prædicamenti, non est contrarium ei quod in prædicamentis in capitulo relationis dictum est: nihil enim prohibet genus esse in ad aliquid, & speciem & non esse in ad aliquid, sicut scientia est in ad aliquid, non autem grammatica: quia essentia generis & essentia speciei semper sunt in eadem coordinatione, quamuis id quod additur super essentiam, aliquando sit in alia coordinatione: & hoc patet, quia scientia (secundum id quod est)

Quomodo genus potest esse in ad aliquid species sua non existente in ad aliquid.

est) habitus vel dispositio, est: quamuis accidat ei (ex comparatione ad id de quo est) in relatione esse.

Amplius de pluribus, &c. Ponitur etiam consideratio accepta penes hoc consequens quod est prædicari de pluribus differentibus specie: ad hoc enim sequitur genus de pluribus prædicari, quam species. Adhuc autem ad hoc sequitur non de æqualibus prædicari cum specie. Dicamus igitur ad hoc inspiciendo amplius præter inductas considerationes, quod si id quod pro specie in genere positum est, de pluribus dicitur siue prædicatur, non erit genus illius speciei quod assignatum est pro genere, sicut si omnia ale dicatur species entis, vt dixit Pythagoras, qui posuit, quod magis est ens opinabile quod est extra animam, sicut causa est plus ens causato: opinabile autem cum dicatur tam de ente quam de non ente, & de pluribus prædicatur quam ens: ergo opinabile non est species entis, nec ens est genus opinabilis. Hoc autem ferè positum est in antehabitis istius capitulinitet differe illud ab isto: quia quod præcedit, destruit genus assignatum per hoc quod de aliquo prædicatur species, de quo non genus: hic autem destructio fit per hoc quod de pluribus species & numero differentibus species quam genus prædicatur: de pluribus enim genus semper quam species prædicatur.

Pythagoras posuit opinabile esse speciem entis.

Removet dubium.

Rursum si genus de æqualibus, &c. Rursum alia consideratio consequens ex ista penes idem prædicari de pluribus sumpta, & est hæc, quòd si de æqualibus in numero dicuntur species assignatæ ex genus. Cuius exemplum est, vt si eorum quæ omnia sequuntur, & in quæ omnia sicut in prima resoluuntur, quæ sicut dicit Auic. sunt ens, vnum, res, aliquid, ponatur vnum genus, & alterum species ipsius, vel per se, vel in eo quod accidit illis inesse: vt si ponatur ens esse genus, & vnum species, de omnibus enim dicitur & ens & vnum: propter quod neutrum neutri competit: potest esse genus: eo quod de æqualibus & secundum numerum & secundum speciem dicuntur. In hoc autem quod accidit illis, exemplum est in eo quod ista prima sunt & principia: vnde si primum & principium ad seinuicem comparata ponantur genus & species, idem accidit inconueniens: quia vtrumque quæ dicta sunt, idem sunt: & ideo neutrum de pluribus prædicetur quam alterum, & sic neutrum est genus ad alterum.

Que sint ea que sequuntur omnia secundum Auic.

Elementum autem est omnia, &c. Elementum autem vel fundamentale principium ad omnia ista quæ dicta sunt, est quod de pluribus prædicetur siue dicitur genus: quia species & quam differentia: de patre enim oris enim differentia dicitur, quam genus: quia aliter nec diuideret genus quando est diuisua: nec opposita genera contraheret potestatem generis quando est constituta, penes idem consequens quod est prædicari de pluribus specie differentibus & in quid.

Videndum amplius si, &c. Adhuc sumitur consideratio: quia inspiciendum si aliud assignatum pro genere, sit genus aliquius eorum quæ non differunt specie, ab his quæ sunt in specie contenta, cuius genus assignatum: quia si non est: eius eorum quæ indifferentia sunt species ab illis, non erit genus quod pro genere est assignatum: vel etiam si non videatur esse genus eorum, non erit genus quod pro genere est assignatum. Et hæc consideratio sicut valet destruendi, ita valet construendi. Si enim construat, quod idem genus eorum quæ non differunt, concluditur illud vere esse genus per hanc maximam, quod omnium quæ non differunt specie, est idem genus. Si ergo vnius talium genus esse monstretur, quod vnius talium quod assignatum est, non est, manifestum est, quod requitur, quod nullius eorum sit genus, quia vna ratio est in vno & in omnibus quod alle genus vel non alle genus. Cuius exemplum est, vt siquis ponat alle lineas inflexas, ex quibus lineis diuisibilibus componuntur, vt in libello de indiuisibilibus lineis dicit Aristot. eò quod omne diuisibile ex indiuisibilibus componitur, vt dixerunt Democritus & Leucippus, Plato in hoc sibi ponens indiuisibiles lineas, quum dicit indiuisibile esse primum genus linearum, patet quod peccauit: id enim quod genus esse assignatur, non potest esse genus indiuisibilium linearum, pula indiuisibile de indiuisibili non predicatur: cum tamen lineæ diuisibiles & indiuisibiles sint eadem, siue secundum speciem indifferentes: omnes enim rectæ lineæ indifferentes sunt, siue sint diuisibiles, siue indiuisibiles. Rectæ autem dico: quia rectitudo est forma simplex & vno modo, quæ competit primis finis quæ sunt compositarum linearum principium vnius enim formæ est rectitudo & simplex. Curua autem ex duabus formis componitur, conuexo & circulari, & concauo: & ideo curuitas est multis modis, rectitudo vno modo. & ideo indiuisibile non potest esse genus ad rectas lineas. Et hæc est vera istius considerationis expositio. & de hoc quod alij dicunt, non est curandum.

Omnium que non differunt species est eadem genus.

Pristot. in libello de indiuisibilibus.

Rectitudo est forma simplex curuitas autem est composita ex duabus formis.

CAPVT III.

De considerationibus acceptis considerando ad plura genera.

Considerandum si quod sit genus, &c. His habitis quæ inspectionem ad vnum genus assignatum considerare docent, considerandum est in plura genera si aliud aliud genus assignatæ speciei ponat, vt videndum si aliud genus eiusdem speciei, quod continet assignatum genus, nec ipsum differentias ipsi, neque continetur sub illo siue sit diuisum: si enim tale genus aliud assignato inuenerit, id quod assignatum est pro genere, non erit genus. Cuius exemplum est Socratis, vt siquis eorum quæ assignata species ponat multitia genus esse ad ipsum continendorum vel distribuendorum, considerandum est. Forte occurrit, quod aliud genus est iustitiæ quod est virtus moralis, & aliud genus horum continet alterum: patet ergo quod non potest esse scientia genus virtutis, non tamen cum scientia genus sit virtus, non tamen omnis virtus talis: quia scientia est speculativa, & virtus moralis est habitus in ordine ad rationem conformans, vt dicit Tullius: & hoc modo sub vno communi non continentur, sed sub

Virtus est scientia: non tamen virtus moralis.

diuersis sunt ordinibus prædicabilium: & medium virtutis est latet plus & minus: medium autem scientiæ est ratio recta, vt in 6. ethic. dicit Aristot. & ti vtrumque dicatur virtus, non erit hoc per vnam rationem: & ideo virtus non est genus vnum sub quo ambo continentur. Quod autem secundum vnam rationem non prædicatur de contentis, non est genus, neque prædicatur vt genus.

Habet enim dubitationem, &c.

Calumniam autem videtur habere quod dictum est & instantiam: videtur enim quando siue aliquando, quòd vna assignata species sub duobus generibus est, quod alterum sub altero generum illorum continentur vt in pluribus, habet tamen dubitationem in quibusdam, & non videtur generaliter verum esse: quibusdam enim videtur, quòd prudentia (quæ est assignata & debita species) & virtus sit, siue in genere virtutum, & scientia, hoc est, in genere scientiæ esse: & neutrum istorum generum à neutro videtur contineri: & sic instantiam videtur habere inducta consideratio.

Non tamen ab omnibus, &c.

Sed ad hoc respondendeo, quod non ab omnibus conceditur prudentiam scientiam esse: quamuis enim exemplum eius sit agendorum ratio recta, non est tamen nisi his quæ sunt ad finem ad quem tendunt, vt nulla virtus moralis: & ideo non est scientia absolutè, quæ non consideret nisi verum, & sit ad finem veri sicut scientia. Et si quis admittit verum esse quod dictum est, prudentiam esse scientiam, non tamen est necessarium neque videtur esse necessarium, quòd scientia sit virtus, aut sint sicut genera subalterna, quorum vnum sub altero continetur, vt scientia sub virtute, quæ eiusdem, hoc est, prudentiæ genera esse dicuntur: sed satis est, quod ambo sint sub eodem genere subalternante vtrumque, quemadmodum in virtute & scientia accidit: vtraque enim sunt sub eodem genere: nam vtrumque istorum secundum generis prædicationem est habitus & dispositio certa, sicut dictum est. Proponatur consideratio sic, quòd considerãdum si aliud à genere assignato inuentũ est genus assignatæ speciei, ita quod illa duo genera sic se habeant, quòd neutrum illorum quæ dicta sunt, inest generi quod assignatum est, & quod nec vnum sub alio est, nec sub eodem genere ambo sunt genera: tunc non erit genus quod assignatum est pro genere.

Considerandum autem est genus, &c.

Adhuc autem an genera non subalterna considerandum est & inspiciendum est in genus assignati generis, & sic semper ascendendo in eadem linea prædicamentali ascendendum est & videndum si omnia superiora genera prædicantur in quid, per hanc maximam, quando alterum de altero prædicatur vt de subiecto, omnia quæ de prædicato dicuntur, & de subiecto dicuntur, & eadem prædicatione dici oportet: & ideo si genus assignatum prædicatur in quid, omnia superiora de eadem specie in quid prædicabuntur. Nam omne superius genere assignato de specie assignata in quid prædicari oportet: & si aliud superiorum assignati generis non prædicatur de specie assignata, non erit genus quod assignatum est pro genere.

Rursum si genus participat, &c.

Rursum in plura genera subalternatim posita inspiciendum est penes hoc, quod oportet inferius participare suum superius, & non è contrario. Considerandum ergo si assignatum genus vel aliud genus in recta linea super genus assignatum sit: eò quod nullum quod est superius, participat quod inferius: & si ergo tale genus sit assignatum quod vel ipsum vel aliud superiorum participat speciem assignatam, non erit genus quod pro genere est assignatum. Hac consideratione vtendum est destruenti, quemadmodum dictum est: astruenti autem siue problema astruere volenti, si concedat, quod id quod assignatum est pro genere, inest speciei cuius esse assignatum est etiam ponendo inesse, adhuc dubitat vtrum id quod assignatum est pro genere, assignatæ insit vt genus, cum tamen non dubitet quin insit vt prædicatum, sufficit ostendere, quòd aliquid superiorum in recta linea ad genus assignatum inest speciei assignatæ in eo quod quid est sicut inest genus: vno enim talium superiorum in eo quod quid est de assignata specie prædicato, omnia quæ superiora sunt ad illud, in eo quod quid est prædicantur de eadem specie: & hoc est verum si sint superiora his de quibus prædicantur secundum rectam lineam: omnia enim taliter superiora prædicantur in eo quod quid est sicut inest genus suis inferioribus: propter quod assignatum genus in eo quod quid est prædicabitur, si aliud suorum superiorum in eo quod quid est prædicetur, & si vnum assignatum est pro genere.

Quoniam autem vno taliter superiorum in eo quod quid est de specie assignato prædicato, omnia alia in eo quod quid est prædicantur. Sumendum ergo etiam inductione in omnibus generibus prædicamentorum, quamuis hoc in prædicamentis sit determinatum: & sic quidem faciendum est quando non dubitat, sed sine dubitatione certum est, quòd insit speci & prædicetur de specie id quod pro genere est assignatum: tunc non sufficit ostendere id tantum quod & aliud superiorum generum illi quod dubitatur inesse, in eo quod quid est prædicetur & de specie assignata, sed oportet duo ostendere sicut duo sunt in dubitatione, etiam quando dubitaui vtrum insit, & vtrum vt genus insit: oportet enim ostendere, quòd superiorum aliud insit vt genus, & quod nullum genus ex oppositi diuisum contra genus assignatum, prædicatur de assignata specie: quia diuersorum generum & non subalternatim positorum diuersæ sunt species & differentiæ. Huius exemplum est, vt si ambulationis tanquam assignatæ speciei genus assignetur latio, siue secundum locum mutatio, non sufficit ostendere, quoniam ambulatio est motus, & quod motus, de ambulatione prædicatur in quid, eò quod alij præter lationem motus sunt: sed oportet hoc ostendere, quòd ambulatio nullum contentorum sub motu participat de numero eorum quæ sunt secundum diuisionem, nisi lationem solum: & ideo quia est necesse, quòd id quod genus participat, aliquam specierum etiam (quæ sit in genere illo) participare: quia prædicatur participatiuè de genere, prædicatur & participatiuè de specie. Prædicentur quæcunque sunt participata de inferioribus

ferioribus secundum primam & rectam diuisionem, nisi lationem solam: & tunc sic arguendum est, quod si ambulatio nec augmentum participat nec diminutionem nec aliorum motuum aliquam prælationem, tunc medium est quod latio nem & genus participabit: & ideo sequitur, quòd latio erit genus ambulationis.

Rursum de quibus species, &c.

Adhuc in subalternis generibus considerandum est, si id quod assignatum est pro genere, prædicatur in quid de eisdem de quibus prædicatur in quid assignata species. Similiter considerandum, si omnia quæ directè supra genus assignatum sunt, de eadem & eisdem prædicentur: quoniam si alicui in aliquo eorum, quæ superius sunt, dissonant, palam quoniam non est genus quod assignatum est pro genere: si enim esset genus, omnia superiora hoc & etiam plus quod assignatum est pro genere, de specie assignata in eo quod quid est prædicarentur: & quando non sic est, non est genus quod assignatum est pro genere. Destruere igitur volenti vtile est considerare si non prædicatur genus vel aliquod superiorum assignatum pro genere in eo quod quid est: accidit enim in omnibus coordinationibus genus & speciem de eodem in eo quod quid est prædicari. Astruere autem volenti vtile est videre si aliquod prædicatum vel aliquod superius ad ipsum in eo quod quid est prædicetur: tunc enim accidit (hoc est, sequitur) & genus assignatum & speciem assignatam de eodem in eo quod quid est prædicari: propter quod etiam ipsum quod est species assignata cum sub duobus sit generibus, necesse est ista genera esse subalterna, quorum vnum sub altero continetur, si ostendatur, quòd id quod voluimus genus esse non contineri sub specie: tunc palam est, quòd sequitur, quòd sub hoc alterum sicut species sub genere erit: quia ex quo subalterna sunt, & id quod sub illo non continetur, necesse est sub reliquo contineri, & reliquum sub alio contineri. Sic ergo in genera tam subalterna quam non subalterna considerandum: quia si illud non est genus quod præter hæc accipitur, tunc patet, quòd nec illud est genus quod assignatum est pro genere.

Considerãdum autem & rationes, &c.

Adhuc considerandum ad totam rationem generum, & non tantum in particulas quæ ponuntur in diffinitionibus generum eorum quæ assignata sunt, vel quæ superiora ipsorum. Considerandum autem & rationem illorum generum, si aptantur per conuenientiam substantialem ad assignatam speciem: necesse est enim omnes rationes generum superiorum prædicari de assignata specie, & de omnibus his quæ participant speciem, sicut inferiora superiora sua participant. Si ergo in aliquo dissonet, quod ratio superiorum inferiori non aptatur, palam quod non est genus quod pro genere est assignatum. Sic ergo in particulas diffinitiones generis, & in eas quæ particulas consequuntur, vt in totam diffinitionem generum tam non subalternorum quam subalternorum est considerandum: quæ omnia in linea rectè ascendenti prædicamentali considerantur: quæ considerationes sunt plurimum destructiuæ, aliquæ tamen sunt constructiuæ, in aliquibus admixtæ. Quod autem est dictum, quòd diuersorum generum & non subalternum positorum diuersæ sunt species & differentiæ, ideo est: quia si esset genus vnum talium specierum, hoc esset de diffinitione vtriusque, & sic vnum esset diffinitium duorum oppositorum, quod est inconueniens.

CAPVT IV.

De considerationibus sumptis ex comparatione generis ad differentiam & speciem, &c.

HAbitis considerationibus quibus discernitur & aliquando constituitur genus per inspectionem ad intrinseca generi & essentialia, quæ sunt particulæ diffinitionis eius vel consequentia ad particulas, & per inspectionem ad totam diffinitionem, quia genus aliquo modo continet differentias potestate saltem, & continet species vt partes subiectiuas eius: nunc considerationes sumendæ sunt per inspectionem eorum quæ accipiuntur ex comparatione generis ad differentias & ad species. Primo ergo inspiciemus ad hæc comparando id quod est genus per substantiam, ad differentias & species: & deindè dabimus considerationes quæ sumuntur ex comparatione generis ad differentias & ad species, per ea quæ sequuntur genus vt proprietates ipsius, & quæ consequuntur ad ipsum ex tali comparatione quæ est ad differentiam & speciem.

Rursum si differentiam vt genus, &c.

Dicamus igitur, quòd destruere volenti genus assignatum considerandum est si aliquis differentiam substantialem vt genus possit prædicari. Verbi gratia, vt si possit immortale quod est animalis differentia, esse genus Dei: nam immortale differentia est animalis, eò quod animalium quædam mortalia, quædam immortalia. Palam ergo quia peccauit: quoniam nullius differentia est genus. Et quod hoc sit verum, sic probatur ex hoc quod modum est per dicta instrumenta vniuersalium, quod nulla differentia in modo prædicandi dicit quid per se stans in natura rei sicut fundamentum formarum, sed magis significat quale per qualitatem essentialem, quæ qualitas est perficiens potentiam generis, sicut perficit forma potentiam materiæ, vt gressibile & bipes sunt dicentia quale quid animal, & non dicunt quid in ipso animali.

Quòd differentia vnius non possit esse genus alterius.

Et si differentiam in genus posuit, &c.

Alia autem consideratio est & destructiua si differentiam posuit aliquis in genus, ita quod differentiam diuisiuam generis dicit in genere esse. Verbi gratia si dixit, quod abundans, quod est differentia diuisiua numeri, in numero est, quod est genus diuisum per differentias: quia tunc sequitur, quòd differentia esset species, & abundans differentia est diuisiua numeri, sed constitutiua essentialis qualitas est speciei. Nec videtur secundum veritatem, quòd differentia participat genus, sicut id quod directè continetur in genere, genus participat: quia omne quod sic participat genus, quoad

Differentia proprie non participat genus.

nomen & rationem est species vel individuum & non differentia: differentia autem quoad hoc quod est consequens esse generis, modum habet prædicandi de genere propriæ passionis, & non genus participans. Hæc autem omnia in scientia de vniuersali ius probata sunt. Vnde cum dicitur, animal est rationale, non est prædicatio differentiæ de genere eius sicut eius quod sit de ratione animalis, neque sicut species quæ particulariter prædicari dicitur de genere vt species participans genus, quia animal non est de ratione rationalis, sed prædicatio consequentis ad animal secundum esse, sicut passio prædicatur de subiecto. Sed non sequitur propter hoc, quod differentia sit proprium: eò quod est qualitas essentialiter perficiens potentiam generis & constituens speciem: proprium autem est consequens esse speciei, & est de natura accidentis in eo quod consequens est ad esse perfectum speciei: vnde cum omninò quod participat genus, species sit vel individuum, ideo palam est, quòd differentia non participat genus. Propter quod nec abundans est species numeri, sed differentia: quoniam non participat genus quod est numerus.

Amplius si genus in speciem posuit, &c. Amplius per comparationem generis ad speciem considerationes sunt ex quibus destruitur problema de genere vt siquis genus in speciem posuit, vt idem dicatur esse genus quod sub specie contineur. Exemplum huius est, quòd contiguatio dicatur esse species continuationis. Continua enim sunt, quorum terminus vnus, ad quem est continuatio. Contigua vero, quorum terminus continuationis non vnus quidem, sed termini duorum contiguorum sunt simul: non tamen sunt vnum, sed colligata ab alio: quia sicut dicitur in 5. physic. continuum per prius & posterius dicitur multipliciter, si qua se contingunt in vltimis, quæ colla siue glutino continentur (quæ sibiinuicem infiguntur) encastrantur: quia contigua sunt, & continuum commune est ad hæc, non est vera communitas generis, sed tamen mutata generis communitate: & ideo qui dicit, quòd continuum est contiguum, ponit genus in speciem: & sic de pluribus species prædicatur vel tot sicut prædicatur genus. Eodem modo peccat, qui dicit mixturam esse idem quod temperantiam. Temperantia non simpliciter mixtura est, sed quædam est mixturæ per posterius dicta: quia mixtura vel mixtio est miscibilium alteratorum vnio: mixta enim sic miscentur per minimum cuiuslibet vnius cum minimo alterius, agens & patiens vnumquodque in aliud & ab alio, & sic vnumquodque recedens ab excellentia suæ qualitatis & reductum ad medium. Temperantia autem sunt quodammodo mixta: & sic temperantia in minus est quam mixtio. Hoc peccato Plato peccauit, quando lationem quæ est idem quod vectio (sicut mouetur id quod vehitur) dixit esse loci mutationem: vectio enim siue latio quædam mutatio secundum locum est, & est in minus quam loci mutatio. In omnibus his tribus exemplis idem impedimentum & peccatum est: non enim necessarium est vt contiguitas sit continuitas, sed

Text. com. 25.

Temperantia in mixtis est quam mixtio.

è conuerso continuitas est contiguitas quædam necessario: non enim omne contiguum est continuum, sed è conuerso continuum est contiguum quodammodo: quia quorum vltima sunt vnum, eorum vltima sunt simul, & non è conuerso. Et similiter nec omnis mixtura est temperantia: nam siccorum mixtura vt granorum, temperantia non est: quia vnum non alterat aliud ad medium. Nec omnis mutatio secundum locum est latio siue vectio: nam ambulatio secundum locum mutatio est: & non videtur latio siue vectio esse: latio enim siue vectio dicitur quidam motus rotarum siue curruum siue vehiculorum: penè enim in his quæ inuoluntariè mota sunt, latio dicitur, quemadmodum accidit in curribus siue vehiculis quæ proprium non habent motum, sed vehuntur ad onera. Penè autem dico: quia alia, vt homines aliquando inuoluntariè vehuntur: sed tunc mouentur motu alterius. Palam autem est, quoniam in assignatis exemplis de pluribus dicitur species quam genus: cum tamen secundum diffinitionem speciei & generis oportet è contrario fieri.

Quando contiguum non est continuum: sed conuerso continuum est contiguum quodammodo. Vectio quid & in quibus reperitur.

Rursum si differetiam in speciem posuit, &c. Rursum peccatum est & destruitur problema comparando differentiam ad speciem si differentiam diuisiuam generis in speciem posuit, hoc est, sub specie contentam. Cuius exemplum est vt si immortale idem dixit quod Deum, cum immortale sit differentia animalis rationalis, & generis differentia sit speciem (quæ est Deus) constituens. Sic enim accidit per hanc positionem de equis, aut de pluribus speciem prædicari quam differentiam: de equis quidem si idem dixit differentiam & speciem: de pluribus, si differentiam posuit in speciem: & hoc est inconueniens: nam differentia si est diuisiua, de pluribus quam species dicitur. Si autem est vltima & constitutiua, tunc de equis dicetur cum specie: diuisiua enim secundum aptitudinem respicit speciem: & sic ip plus est quam species constitutiua, & vltima est secundum actum speciem constituens: & ideo est æqua. Neutro autem modo in speciem est: quia quod ponitur in alio, in minus est quam ipsum: & ideo genus illius differentiæ multo minus in speciem est ponendum. Qualiter autem & quæ differentia animalis sit generalis, in antehabitis dictum est.

Amplius si genus vt differentiam, &c. Amplius ex comparatione generis ad differentiam consideratio est destructiua iuxta præcedentem accepta, vt si genus in differentiam posuit, vt siquis dicat, quòd color quod est genus, sit congregatiuum visus, per substantialem prædicationem: aut numerum dicat esse impar, cum impar sit differentia quæ vt genus de numero non prædicatur. Qualis autem sit huiusmodi prædicatio cum dicitur, impar est numerus, vel è conuerso numerus est impar, videtur iamdudum determinatum esse: quod enim sequitur totum esse generis, non potest esse quid de ratione eius: & ideo non prædicatur de ipso vt genus vel proprium proximum vel remotum, vt potest de ipso prædicari differentia constituens ipsum: cum totum esse generis sequatur: prædicatur ergo vt passio, quæ pro certo accidens esset, nisi quia actus est determinans & perficiens generis potentiam.

Qualis sit illa prædicatio, numerus est impar.

potentiam.. Propter quod est qualitas essentialis.

Et si genus vt differentiam, &c.

Adhuc autem peccat, si respondendo ad speciem dixit genus esse vt differentiam: quamuis enim hoc non sæpe fiat, tamen possibile est aliquid suscipere vel concedere talem prædicationem: propter hoc quod diximus, quòd differentia cum sit generalis, cum genere collocanda est, vt siquis dixit mixturam esse differentiam temperantiæ cum sit genus eius, aut dicat secundum locum mutationem differentiam lationis siue vectionis. Sic enim accideret differentiam plus esse quam genus: quod est inconueniens: ideo non est genus quod sic assignatum est.

Perspiciendum autem omnia, &c.

Omnia autem quæ sunt huiusmodi ex considerationes generis ad differentiam & speciem comparari possunt per eandem maximam: omnes enim isti loci communicant in hoc quod de pluribus genus quam differentiam oportet prædicari: & oportet, quòd genus non participet differentiam illo modo participationis, qui in præhabitis determinatus est. Sic autem assignando genus &, ponendo in differentiam, neutrum eorum quæ dicta sunt, possibile est accidere: quia & genus de paucioribus, quam differentia prædicabitur, & participabit differentiam vt substantiale prædicatum.

Rursum si nulla differentia, &c.

Rursus ad plures vel omnes differentias generis respiciendo si tale assignatur genus cuius nulla differentia prædicatur de specie assignata (cum non nisi ex genere & differentia sit species) sic male est assignatum genus: quia cum nulla differentiarum generis de specie prædicatur, nec genus prædicabitur: eò quod tale genus non est speciei. Omne enim genus in sua specie per differentiæ alicuius coarctationem determinatur ad speciem: genus autem non prædicatur nisi per hoc quod est in specie per substantiam, vt de anima: nec prædicatur abundans, nec perfectum in numeris: ergo nec numerus prædicatur de anima, vt dixit Plato.

Amplius si contingit amittere, &c.

Amplius secunda proprietas, natura generis consequens est, quòd genus (quia substantialiter inest) semper inest: & ideo si contingat amittere genus, ita quod aliquando speciei non inest vel potest non inesse, non erit genus quod assignatum est pro genere. Cuius exemplum est, vt siquis dicat animam moueri siue in genere mouentium seipsa esse: vel siquis dicat opinionem esse per verum vel falsum vt per differentias: neutrum enim dictorum potest esse genus vel differentia: eò quod neque genus neque differentiam amittit species: nam anima est absque eo quod moueat se: quia aliquando quiescit, & aliquando opinio est neque vera, neque falsa, sed dubia: & opinio vera fit falsa, sicut & omnino in prædicamentis dictum est. Si autem esset differentia, opinio vera non efficeretur falsa secundum rei opinatæ mutationem: quia differentia non amittitur ab eo, cuius est differentia: & iste est primus modus amittendi genus vel differentiam.

Videtur enim differentia sequi, &c.

Secundus autem modus est, quod videtur esse suppositum quod genus & differentia sequuntur semper speciem donec sit species, hoc est, quandiu sit species. Vnde intendendum etiam id quod in genere positum est: si enim illud participat aliud quod est de numero contrariorum assignato generi per ipsum genus, & participat per substantialem prædicationem: tunc sequitur, quòd non est genus quod assignatum est pro genere: quia si esset genus, non participaret species assignata & id & suum contrarium quod est in ipso: & sic idem substantiale participabit contraria substantialiter: quod esse non potest: eò quòd species assignata genus suum nunquam amittit, quam sibi insit & actu & intellectu: & si idem participaret contrarium generi cum genere participato, sic idem contraria participabit.

Obiectio. *Solutio.*

Hoc tamen in mixto videtur fieri, quòd contraria participat & substantialiter. Sed ad hoc dicendum, quòd mixtum non participat contraria secundum simplices & puros actus contrariorum, sed secundum medium & medij actus.

CAPVT V.

De considerationibus acceptis ex consequentibus ad genus, &c.

Amplius si prior natura species, &c.

AMplius accipiuntur considerationes ad terminandum problema de genere ex his quæ consequuntur genus, vt proprietates essentiales quæ sunt ex parte rei vel ex parte sermonis acceptæ: ex parte enim rei prima generis proprietas quæ consequitur ipsum secundum quod ad speciem comparatur, est quod genus prius sit natura quam species: vnde si assignatum pro specie sit prius natura, quam assignatum pro genere: & si species assignata interempta simul interimit genus: tunc patet quòd species est prior natura quam genus: cum videatur è contrario debere fieri, quod scilicet genus interemptum simul interimat speciem, & non è contrario. Et constat, quòd non est genus quod est assignatum pro genere.

Amplius si aliquid cõmunicat species, &c.

Amplius autem tertius modus amissionis generis vel differentiæ est, si species assignata communicat (hoc est, communicabiliter recipit) aliquid cum eo quod assignatum est sibi pro genere: quod impossibile est inesse: & sic contingit inesse omnibus his quæ sunt sub eodem genere: eò quod generi repugnat. Neque erit genus quod assignatum est pro genere: quia sic disparata conuenirent ad consecutionem eiusdem: quod est impossibile, vt anima vitæ communicat cum sit per diffinitionem suam principium & causa vitæ, vt secundo de anima dicitur. Numerorum autem nullum (hoc est, nullam speciem numeri) viuere possibile est, hoc est, vitæ principio communicare: constat, quòd nulla species numeri est anima: & sic numerus assignatus pro genere animæ non est genus eius. Quæ vero ratio Platonis in his fuerit, non est ostendendum in hac scientia: quia ex communibus & probabilibus ad hoc disputari non potest. Adhuc autem ex parte sermonis tres sunt generis proprietates,

Text. com. 28.

&

& quod vniuoce dicitur de specie, & quod dicatur de pluribus differentibus specie, & quod dicatur proprie & non per translationem: & iuxta hæc sunt tres considerationes generis destructiuæ.

Considerandum ergo si species assignata est æquinoce in genere, hoc est, quòd genus de specie nomine & non ratione prædicetur. Ad hoc autem quod hoc inueniatur elementis (hoc est, principijs) vtendum est quæ in primo huius scientiæ libro de inuentione multiplicis dicta sunt, & æquinoci distinctione. Vniuocum autem genus est ad ea quorum est genus & vniuoca species: & non est vere genus, quod quidem essentialiter est in specie, & non tamen omnino per rationem vnam, vt ens in speciebus prædicamentorum.

Quoniam autem omnis generis sunt plures species & non vna sola, perspiciendum est diligenter si non contingat esse aliquid in speciem dicti generis præter eam quæ assignata est. Si ergo non contingat hoc: tunc quod dictum & assignatum est pro genere, non est genus.

Attendendum autem, quòd aliter de specie est: quia licet species quælibet de pluribus differentibus numero prædicetur, tamen sufficit ei ad communitatem multitudo potentialis, quamuis vnum solum individuum sit in actu, vt in sole & phœnice. & in omnibus illis quæ sunt ex materia sua tota. Et hoc ideo est: quia forma in talibus non multiplicatur nisi multitudine materiæ: species autem multiplicatur ex generis formali diuisione, quæ non potest fieri nisi per differentias, siue formas oppositas, quæ duæ erunt ad minus, quarum vtraque adiuncta generi constituit speciem secundum actum: & sic duæ ad minus erunt species generis. Vnde non est genus quod non habet nisi vnam speciem.

Considerandum est tertio si nomen generis translatiue & non proprie de specie dicitur id quod assignauit aliquis: vt si quis temperantiam virtutem dicat esse consonantiam vel in genere esse consonantiæ siue harmoniæ: quod non potest esse nisi per similitudinem & translationem ad temperantiam acuti & grauis in sonis: & ideo translatiue dicitur: & ideo non potest esse genus speciei assignatæ: nam omne vere genus proprie & per substantiam de suis speciebus prædicatur, & non per similitudinis translationem. Consonantia verò de temperantia non proprie dicitur, sed translatiue: omnis enim consonantia proprie in sonis est: propter quod etiam consonantia à sonis nomen accepit: propter quod etiam translatione vti in problematibus peccatum est, vt in secundo huius scientiæ libro dictum est. Dicit enim Boetius, quòd consonantia proportio est acuti & grauis in sonis: & hoc erat dictum Pythagoræ. Hoc autem ideo est; quia genus essentialis est similitudo specierum, sicut species est similitudo individuorum. Translatio autem adductio est nominis ad accidentalem similitudinem: & sic translatio aufert genus, sicut similitudo essentialis repugnat accidentali similitudini, sicut patet in dicto exemplo, vt temperantia quæ est determinata secundum rationem rectam ad naturam cibi vel potus proportio: & hæc transumitur ad sonorum proportionem, quod generi comparato ad speciem conuenire non potest. Sic ergo genus non contractum ad materiam per locos intrinsecos est determinandum.

Considerandum & si æquinoca species, &c.

Ens æquinocum est ad prædicamenta.

Quoniam autem omnis generis, &c.

Quare genus debet habere plures species actu: non sic aliud species plura indeterminata actu.

Videtur tertio de anima com 14 ab auer. Quare magis latet aufert genus. Translatio quia.

TRACTATVS II.

De genere logico, siue non contracto per locos extrinsecos.

CAPVT I.

De considerationibus acceptis à contrariis.

SIc autem determinato problemate de genere per locos intrinsecos, videndum est quomodo idem problema per locos extrinsecos habeat terminari. Considerabimus autem primo in contrariè oppositis dicentes & ponentes primo considerationes destructiuas: post constructiuas etiam ponemus ad doctrinæ sufficientiam. Docemus ergo discernere genus comparatum ad suam speciem, quando species habet contrarium suum. Et deindè ponemus considerationes à contrariis, specie contrarium non habente, dicentes.

Amplius (præter omnia quæ intrinsecus generi sunt aaducta ad generis destructionem) considerandum est si ei quod assignatum est pro specie, aliquid sit contrarium. Est autem multiplex hæc considerario: quia variatur tam inspiciendo in extrema contrariorum, quam etiam inspiciendo in media. Inspiciendò quidem extrema secundum quod sunt in eodem genere, & secundum quod sunt in diuersò genere, & secundum quod sunt in vno genere: & sic inspectio in extrema variatur. Primum quidem igitur considerandum si contrarium assignatæ speciei sit in eodem genere cum ipsa specie: quia contrariæ sunt quæ posita sub eodem genere maximè à se distant. Adhuc autem (quia vera contraria habent fieri circa idem

Amplius si contrarium aliquid speciei, &c.

idem materiale cui respondet genus) oportet igitur contrarium speciei assignatæ in eodem genere esse, si nihil sit contrarium generi, sed speciei tantum: & si contrarium speciei non est in eodem genere cum specie assignata, non est genus quod assignatum est pro genere.

Considerandum & si genus, &c.

Quum autem est contrarium generi, &c.

Consideratione autem secunda considerandum si tam species assignata quam genus habent contrarium. Inspiciendum autem si contrarium speciei sit in contrario genere, sicut est assignata in proposito genere: necesse est enim contrarium speciei esse in contrario genere cum sit generi assignato ad contrarium. Palam est vnumquodque eorum quæ dicta sunt per inductionem: & si contrarium specie non in contrario genere, non est bene assignatum genus quod pro genere dictum est inesse.

Rursum si omnino in nullo, &c.

Rursum si ambo habeant contraria & genus & species, considerandum est in contrario speciei vtrum sit in genere, vel genus in genere, vt bonum: bonum enim & malum genera sunt aliorum, præcipuè in moribus: quia ad ipsa omnia alia referuntur per prædicationem, & non conuertitur. Sunt autem contraria secundum quod in habitibus & actibus accipiuntur. Considerandum ergo si contrarium speciei nō est in genere, sed genus sit: si enim hoc non est in genere, sed genus, nec contrarium generi est in genere sed genus: & si assignatum sit in genere existens, est male assignatum: sicut accidit in bono & in malo: neutrum enim horum est in genere, sed vtrumque est genus.

Deinde si contrarium, &c.

Deinde considerandum est in contrariis medium habentibus per inspectionem ad media. Considerandum ergo si contrarium alicui & in genere & in specie, ita quòd genus & species habeant contraria & contrariorum generum vel specierum est aliquod medium: illorum autem reliquorum nihil est medium: tunc male assignatum est genus. Nam si contrariorum generum est aliquod medium, & contrariarum specierum erit aliquod medium: & si speciorum contrariarum est aliquod medium, erit etiam contrariorum generum aliquod medium, sicut patet in virtute & vitio quæ sunt contraria genera, & iustitia & iniustitia quæ sunt contrariæ species: vtrorumque enim est aliquod medium: virtutis quidem & vitij indifferens, quod nec vitium nec virtus est, vel bonum in genere: sed potentia est vtrumque. Iustitiæ autem & iniustitiæ medium est quod nec communicatiuum nec distributiuum est. De speciali enim iustitia loquimur: & non de generali vel heroica iustitia; quia taliter dicta iustitia & iniustitia medium non habent.

Remouet dubium. Instantia huiusmodi quoniam, &c.

Instantia tamen videtur huius considerationis: quoniam sanitatis & ægritudinis in corporalibus non est medium: boni autem & mali medium est. Sed huius solutio est, quòd bonum & malum non vno modo sumuntur secundum quod sunt genera in moribus, & secundum quod sunt genera sanitatis & ægritudinis. In moribus enim medium habent in quibus est bonum simpliciter, & malum simpliciter siue per se. Secundum autem quod sunt consequentia ad sanitatem & ægritudinem, non sunt genera, sed transcendentia quæ

Bonum & malum non sumuntur eodem modo vt sunt genera in moribus & vt sunt genera sanitatis & ægritudinis.

sunt in omni genere & non in vno genere qualitatis: & sicut in genere logico hoc modo non sunt contraria: sed opponuntur vt priuatio & habitus: quæ medium non habent: & ideo instantia non impedit considerationem. Vnde quidam dicunt, quòd de moralibus contrariis intelligitur, & non de naturalibus. Primum dictum est melius.

Aut si est quidem aliquod, &c. Ex hoc patet quod duplex est medium secundum philosophum scilicet per participationem & per abnegationem.

Adhuc autem si vtraque contraria & genera & species habeant, & vtraque habeant media. Considerandum est si similiter siue vniformiter ponantur vtrorumque media, vel non vniformiter: sed horum quædam media ponantur per extremorum abnegationem: illorum autem ponantur vt subiectum in extremis, hoc est, per extremorum participationem: quia id quod extrema participant, subiicitur eisdem vt principiis constituentibus ipsum: quamuis hoc non sit necessariū: tamen probabile & vt in pluribus est verum, quod medium in vtrisque, hoc est, contrariis generibus & contrariis speciebus sit similiter siue vniformiter, sicut in virtute & vitio, inter quæ est medium per abnegationem: & iustitia & iniustitia, inter quæ est medium similiter per abnegationem: in vtrisque enim horum secundum abnegationem est medium.

Amplius quando non est contrarium generi, &c.

Amplius adhuc tertio inspiciendum est etiā ad contrariorum medium: quando enim non est generi assignato aliquid contrarium, sed species assignata habet contrarium: tunc enim tantum non considerandum est ad contrarium, sed ad medium quod est inter contraria, ita quod tunc non tantum contrarium cum contrario debet esse in eodem genere, sed etiam medium quod est inter ea, debet esse eiusdem in eodem genere: & si non, male assignatum est genus: quia in genere in quo sunt summa (hoc est, extrema) in eodem est medium inter ea, præcipuè si dicitur medium participatione extremorum, sicut patet in albo & nigro extremis in colore: quia color est vnum genus horum mediorum colorum.

Instantia quidem quoniam egestas, &c.

Instantia tamen etiam contra hanc considerationem esse videtur: quia egestas & abundantia in vitiis distant à medio: & audacia & timiditas sunt extrema: & fortitudo quæ media est, non est in eodem genere cum extremis: cum extrema sint in genere mali, virtus autem medium est in genere boni. Nec videtur esse instantia contra hanc considerationem in media: quia ista est de eo quod habet contrarium in genere. Instantia autem de eodem quod in genere habet: quia egestas & abundantia sunt contraria genera: & ideo dicunt quidam, quòd instantia est, quæ videtur & non est. Et sic ad minus est instantia contra hoc quod dictum est, in eodem genere sunt extrema & medium. Sed intelligendum est, quòd extrema superabundantia & defectus sunt extrema in malo, & ideò sunt in genere vno: vtrumque enim & abundat & deficit à genere boni: quod est in medio. Et hoc modo virtus in medio est, quæ nihil abundat nec deficit à medio. Et ideo in bono virtus est extremum nō medium. Consideratio autem est de his quæ omni modo medium sunt per participationem extremorū, sicut est in coloribus in quibus medius participat

pat

pat genus sicut & extremum coloris: quod non poterit esse in egestate & abundantia: quia medium causa est quod citra extremis in eodem genere esse non potest: eo quod in nullum extremum esse causatur ab ipsa mediatione, quæ caritat affirmationem generis extremorum: & hæc est vera sententia instantiæ & causa: sed si medium non esset nisi medium & non extremum, sequitur, quòd si contrarium haberet species & medium, & genus, non quòd in eodem genere esset medium cum extremis: sed ipsa ab eo efficitur medium per circumstantias & extremum in bono, ideo oportet, quòd sit in alio genere quam extremum. Medius autem color per ipsam mediationem non constituitur nisi in natura ipsa citrinitatis generis & ad speciem determinatur in illa: & ideo oportet, quod sit in eodem genere cum extremis.

Obiectio. Solutio.

Et si quis obiciat, quod tunc non est generalis considerato. Dicendum, quod sufficit, quòd ipsa dialectica sit in pluribus: & si non in omnibus, tamen generalis est in talibus mediis de quibus dictum est.

Considerandum autem si genus, &c.

Amplius autem inspiciendo ad medium è contrario inductæ considerationi: & si genus quidem aliquod contrarium est assignato generi, species autem assignata non est contraria alicui speciei: nam si genus est alicui contrarium, oportet quòd species sit contraria eidem in speciem considerato, & ad speciem deducto, quemadmodum virtus & vitia contraria sunt genera, & iustitia & iniustitia contrariæ species: & si iustitia est virtus, erit iniustitia vitium. Vnde si genus assignatum habeat contrarium, assignata autem species non habeat contrarium, non est genus quod assignatum est pro genere. Exemplum autem huius per oppositum: quemadmodum virtus & vitium sunt genera contraria, & iustitia & iniustitia sunt contrariæ species: vt etiam hoc modo homo species non habeat contrarium, sicut iustitia & iniustitia contrariæ sunt. Similiter & in aliis exemplis consideranti medium esse videtur.

Instantia in sanitate & ægritudine, &c.

Instantia tamen videtur esse in quibusdam: in sanitate enim & ægritudine, & simpliciter vniuersaliter sanitas ægritudini contraria est. Quædam autem ægritudo species est ægritudinis, nullum habens contrarium in specie: cum tamen sanitas & ægritudo bene sunt assignata genera. Quædam autem ægritudo nullum habens contrarium sicut febris & ophtalmia, quod est oculi apostema. Et intellige, quòd hæc instantia non impedit considerationem: quia reuera contraria genera contrarias habent species. Sed quando species causatur à priuatione medij quod genus constituit: tunc non habet nomen nisi in genere, sicut ophtalmia dicitur ægritudo: quia sanitas est medium in complexione & debita proportione compositionis & figuræ totius corporis & omnium membrorum, & ophtalmia est solutio figuræ in debita proportione, & febris solutio medij in debita complexione, quod in speciali hoc vel isto non habet nisi genus in quod dicatur hæc vt infirmitas aliquo speciali sic dicta: & cum primum habitum sanitatis in toto corpore & medium contrarium non habet secundum quod est in hoc, sed secundum quod est in toto corpore, quia pars in toto & non totum in parte, agritudo partis soluit medij rationem. quia non omnes istæ considerationes à contrariis & mediis destructiuæ sunt.

Interimendi ergo tot modis, &c.

Ideo epilogando subiungimus, quod ei qui intendit interimere problema de genere inspiciendo in contrariis & mediis, tot modis qui dicti sunt, inspiciendum est: si enim insunt genera vel speciei secundum inspectionem ad contraria vel media quæ dicta sunt, palam quoniam non est genus quod assignatum est pro genere.

Construenti veri tripliciter, &c.

Construere autem volenti problema de genere, tripliciter considerandum est in istis. Primum quidem si genere non habente contrarium, sed specie habente contrarium, considerandum est si contrarium speciei sit in dicto genere: nam si contrarium est in genere assignato, tunc est medium, quod etiam species proposita est in eodem: quia contraria sunt in eodem genere: & sic verum assignatum est genus. Amplius si medium inter contraria speciei sit in eodem genere: quia tunc bene assignatum est genus loquendo de medio participatione extremorum, vt paulo ante dictum est. Rursum tertio modo quando & generi & speciei est contrarium, si contraria species in contrario, & alterum contrarium in altero generi illi contrario: tunc enim palam est, quòd sicut contrarium est in contrario, etiam propositum est in proposito: & tunc iterum bene assignatum est genus.

CAPVT II.

De considerationibus acceptis à casibus & coniugatis.

Rursum in casibus & coniugatis, &c.

RVrsum per locos extrinsecos cognationem habentes cum proposito sicut à casibus & coniugatis, & ea quæ similiter se habent vt cognata proposito, quæ similiter sese consequuntur, vt casus & coniugata, & interimere volenti & construere problema de genere considerandum: & hoc quidem considerare non est difficile, vt in talibus si nomen est genus in vna coniugatione, casus erit genus in casuum coordinatione: hæc enim secundum similitudinem vnam & eandem insunt vt genera, vt si iustitia est disciplina quædam vel scientia, vel quod disciplina sit genus iustitiæ, tunc & iuste fieri erit disciplinate fieri: ita quod casus erit genus casus, & in coniugatis erit iustus disciplinatus, ita quod sumptum erit genus sumpti, sicut principale genus est principalis. Si autem horum aliquid non est genus sibi coordinati, nec reliquum vllum est genus sibi respondentis in coordinatis secundum casus & coniugata.

Rursum in his quæ similiter, &c.

Rursum considerandum in similibus secundum proportionem in qua duo ad duo comparantur in his quæ similiter secundum proportionem se habent adinuicem, sicut si suaue siue delectabile similiter se habet ad voluptatem, sicut se habet perficiens (hoc est, vtile ad bonum (hoc est, honestum) & ratio similitudinis, quod vtrumque est vtriusque effectiuum, hoc est; hoc illius, alterum alterius: quia summe est effectiuum siue inductiuum voluptatis, & perficiens est effectiuum honesti, sicut id quod est ad finem, est inductiuum finis, ita quod sic ordinetur proportio: sicut se habet suaue ad voluptatem in efficiendo eam, sic proficiens ad bonum in efficiendo ipsum: & commutata proportione, sicut se habet secundum ad quartum, sic se habet primum ad tertium: ergo si voluptas est aliquod bonum honestum, erit suaue aliquod perficiens. Et est destructiua: quia nec voluptas est genus boni, nec suaue est genus perficientis.

Similiter autem in generationibus, &c.

Similiter autem in generationibus & corruptionibus aliquorum inspiciendum est, vt si ædificare, hoc est, generare quoddã est operatitur: ic secundum locum à coniugatis, ædificasse secundum genus est operatum esse. Et eodem modo si discere est reminisci (vt in Menone dicit Socra. vt dixit Plato) secundum genus: tunc sequitur, quòd didicisse est recordatum esse secundum genus. Et in corruptionibus similiter. Si enim dissolui est corrumpi secundum genus, & dissolutum esse est corruptum esse secundum genus, & dissolutio secundum genus est corruptio. Et in generatiuis & corruptiuis eodem modo, quod similiter in his quæ dicunt potentiam siue facultatem ad aliud, & in vsibus siue in his quæ dicunt vsum secundum quod vsus est expedirus actus ex frequenter egisse proueniens. & omnino siue vniuersaliter secundum quamlibet similitudinem proportionalè acceptis & seinuicem consequentibus: & hæc tam interimere volenti problema de genere, quam construere volenti sunt omnia ista consideranda, quemadmodum in generatione & corruptione secundum casus & coniugata iam parum ante diximus. Nam si dissolutiuum secundum genus est corruptiuum, sequitur quòd dissolui est corrumpi secundum genus, & generatio secundum genus est factio. Similiter autem in coniugatis casibus secundum potentiam siue facultatem & vsum sumpra: nam si potentia siue facultas est dispositio secundum suum genus, & si alicuius vsus est actus secundum genus: tunc sequitur, quòd vti secundum genus proprium sit agere, & vsum esse etiam secundum suum genus erit egisse.

vsus quid.

Secundo autem si, &c.

Secundo destructiue comparatur si considereturcomparatione duorum ad duo, hoc est, comparatione habitus generis & habitus speciei, & oppositas priuationes eorum: & considerandum est si oppositum in genere oppositum in opposito, sicut propositum in proposito: si enim non sic est, malè assignatum est genus. Interimere ergo volenti problema de genere inspectione in priuationem & habitum, quemadmodum dicunt, est vrendum. Construenti autem siue construere volenti idem problema, eadem inspectione vtendum est iuxta secundo dictam considerationem, secundum quod oppositum vt priuatio speciei assignatæ est in opposito sicut in genere, propositum in proposito est sicut in genere: tunc genus est bene assignatum. Nec obstat quod ante dictum est, quòd priuatio aut in nullo genere est, aut non est in proximo siue in vltimo: quia ibi dicitur genus generalis forma in natura, quam quoniam est genus, & illam non ponit priuatio: hic autem dicitur genus commune à quo non conuertitur consequentia siue sit affirmatio & negatio, siue habitus siue priuatio: vt si cæcitas est insensibilitas quædam, ita quod sit in ea sicut in genere, sequitur quòd visus secundum suum genus est sensus, &c.

Remouet dubium.

CAPVT III.

De inspectione in oppositis secundum priuationem & habitum.

Si autem priuatio sit, &c.

INspiciendo autem in oppositis secundum priuationem & habitum pro construi & destrui problema de genere. Et ponamus primo considerationes destructiuas, & deinde constructiuas. Et primo prima destructiua ex comparatione duorum ad vnum talis est: si enim id oppositum assignatæ speciei duobus interimere est problema de genere. Considerandum est enim si politum est aliud oppositum assignatæ speciei, & id quod est oppositum assignatæ speciei sit in eodem genere assignato in quo est species assignata, male est assignatum genus quod est dictum esse genus. Priuatio enim aut in nullo genere est eodem cum habitu simpliciter aut vniuersaliter, aut cum habitu est in genere vltimo, hoc est, proximo. Cuius exemplum est, vt visus quæ est assignata species, est in vltimo siue proximo genere assignato, quod est sensus: cæcitas quod est priuatio visus, non erit sensus: ita quod sensus de ipsa cæcitate prædicatur vt genus, sed vel in nullo simpliciter, eò quod priuat formam generis, vel non est in eodem vltimo genere, si priuatio relinquat genus & priuet formam speciei sicut facit cæcitas.

Rursum in negationibus considerandum, &c.

CAPVT IV.

De inspectione in affirmatione & negatione.

RVrsum ad determinandum problema de genere, considerandum in negatione contradictorium per consequentiam è contrario factam: quia processus à genere ad speciem non valet nisi negando, quemadmodum in secundo huius scientiæ libro problemate de accidente & simpliciter inesse dictum est, vt si suaue siue delectabile est quod siue aliquod bonum sicut genus, ita quod suaue est in genere boni, per consequentiam è contrario factam sequitur non bonum esse non suaue: impossibile enim est, quòd si bonum sit genus suauis, quòd aliquod non bonum sit suaue. Nam de quibus genus non prædicatur, quinimo remouetur ab eis, neque specierum aliqua prædicatur: quia negato superiori secundum totum ambitum suæ communitatis, negatur quodlibet inferius

inferius ipso. Sic ergo vtendum destruenti. Astruenti autem similiter in contradictoriis est perficiendum. Nam si non bonum est non suaue sicut negatio genus est negationis, sequitur quod suaue sit bonum generis prædicatione: quia si negatio antecedentis sequitur ad negationem consequentis, sequitur positio consequentis ad positionem antecedentis: & si antecedens est species, & consequens est genus. Nec hic est vis facienda in eo quod bonum genus dicitur suauis, cum non sit verè genus, sed commune per prius & posterius dictum de suaui, vtili, & honesto, sicut diximus: hoc enim dicimus genus, quod habet modum generis quantum ad consequentiam e contrario factam: quia hoc inest vt genus: inesse autem vt genus terminatur hoc libro.

CAPVT V.

De inspectione in relatiuis siue ad aliquid.

Si autem ad aliquid sit species, &c.

IN ad aliquid autem inspiciendo terminatur idem problema considerandum in assignata specie: nam si species assignata est ad aliquid verè non secundum dici tantum, sed secundum esse: tunc considerandum si assignatum genus sit ad aliquid: nam si species verè secundum esse est ad aliquid, & genus erit ad aliquid, velut patet in duplici & multiplici: duplicis enim est genus multiplex: vtrumque autem horum est ad aliquid: è contrario tamen non videtur necessarium quod etiam si genus sit ad aliquid, quòd species sit etiam ad aliquid: nam disciplina (quæ genus est) est ad aliquid: grammatica autem (quæ est species disciplinæ) non est ad aliquid. Sic ergo considerando in relatiuis oportet dicere.

Non autem quod prius, &c.

Sed neque illud quod prius in consideratione dictum est, verum esse videbitur generaliter, quod scilicet si species est ad aliquid, quòd genus sit ad aliquid: nam virtus quòd bonum (hoc est, species boni) & quod pulchrum sint in genere pulchri & honesti: & virtus est quidem ad aliquid: bonum verò non est in genere ad aliquid, neque pulchrum quæ sunt in genere virtutis. Attende autem, quòd bonum est genus virtutis in eo quod virtus & honestum. Pulchrum autem genus eius est secundum quod est laudabilium bonorum. Virtus autem est ad aliquid secundum quod est perfectio ad actum. Instantia quæ ponitur, est in his quæ id quod sunt, amborum dicuntur, quæ relata secundum dicitur sed nunquam est instantia contra considerationem in his quæ id quod sunt, ad aliquid sunt.

Rursum si non ad idem, &c.

Rursum ad relatiue opposita inspiciendo in his quæ secundum esse relatiua sunt, vtrum ad idem dicantur genus & species: quia si non ad idem dicantur, non est genus quod assignatum est: debet enim ad idem dici species secundum se & secundum suum genus, vt si duplum dicitur dimidij duplum, & multiplex quod est genus dupli, dicitur dimidij multiplex. Si autem non ita multiplex dicatur ad idem, non erit multiplex genus dupli. Amplius considerandum est ad superiora genera: quia si species non ad idem dicitur & secundum se & secundum genus proximum, & secundum omnia illius coordinationis genera generi proxima, malè assignatum est genus: quia si duplex est multiplex dimidij cum hoc transcendens vel excedens, sic genus multiplicis erit genus dupli transcendens proportionem dimidij: & sic simpliciter & vniuersaliter sic secundum omnia superiora secundum eandem coordinationem genera, ad dimidium dicitur.

Instantia, quoniã non accidit, &c.

Instantia autem contra hanc considerationem esse videtur, quod etiam non necesse sit aliquid secundum se & secundum suum genus ad idem dici relatiuè. Nam scientia dicitur scibilis, scibile scientia scibile: habitus autem qui est genus scientiæ & dispositio, non sunt scibilis, ita quod dicantur dependentia ad scibile, sed dicunt aliud quòd importat dependentiam positione ad actum, quo perficitur positio ad actum. Vnde dicitur habitus animæ secundum positionem ordinatam ad actum. Et huius causa est: quia scientia addit supra habitum respectum ad id de quo est: quod non facit habitus, qui non ponit respectum nisi cuius vt subiecti est habitus, & non ponit respectum ad id de quo est habitus vt obiecti: & ideo etiam non est instantia: quia scientia dicit dependentiam ad scibile: habitus autem dicit dependentiam ad rem habentem.

Rursum, similiter dicitur genus, &c

Rursum autem adhuc inspiciendo ad relatiua considerandum est adhuc in verè relatiuis si similiter, hoc est, secundum eundem casum dicitur species & genus ad aliquid, ita quod secundum casus dicantur similiter, vt si species dicatur alicui secundum datiuum, aut alicuius secundum genitiuum, aut quomodolibet aliter: nam vt species secundum aliquem casum dicitur ad aliquid, & genus illius secundum eundem casum dicetur ad idem: & si non, tunc non est genus quod assignatum est pro genere: velut est videre in duplo & in superioribus dupli generibus: illa enim dicuntur omnia secundum datiuum ad aliquid, dicitur enim alicui duplum, & alicui multiplex. Similiter autem est vt in relatiuis secundum dici ad aliquid secundum comparationem ad subiectum, vt in scientia quæ alicuius scientia dicitur: & similiter genera in quibus vt in superioribus est vt habitus & dispositio, & alicuius secundum genitiuum dicuntur vt animæ vel hominis.

Instantia autem quoniam, &c.

Videtur autem instantia esse in hoc: quia aliquoties videtur non esse sic. Dicuntur enim differens & contrarium ad aliquid secundum datiuum: dicitur enim differens alicui differens, & contrarium alicui contrarium: diuersum autem cum sit genus ad differens & ad contrarium, dicitur ad aliquid secundum ablatiuum: dicitur enim diuersum ab aliquo diuersum. Hæc instantia non reperitur in his quæ verè sunt relatiua: hæc enim secundum eundem casum referuntur in generibus & speciebus. Differens autem & contrarium & diuersum quamuis verè relatiua sint, non tamen relatiuum habent: quia differens dicit, quòd aliqua

aliqua quacunque differentia differt: contrarium autem ponitur respectu ad extremum: diuersum autem est medium inter hæc: & opponuntur eidem: & quia dicunt habitudines & dependentias diuersas, ideo referuntur secundum diuersos casus.

Rursum adhuc in relatiuis est considerandum secundum quod ad conuertentiam dicuntur, si similiter (hoc est, secundum eosdem casus) conuertantur ea quæ dicuntur ad aliquid in specie & in genere: quia si non conuertuntur similiter, non est genus quod pro genere assignatum est, velut patet in duplo & multiplici: vtrumque enim horum ad conuertentiam dicitur vt alicuius secundum genitiuum; & sic dicitur idem: alicuius enim dicitur idem, & similiter alicuius dicitur dimidium: quod etiam secundum conuertentiam genitiuum ad conuertentiam dicitur dupli, & alicuius submultiplex quod secundum genitiuum ad conuertentiam dicitur ad multiplex.

Similiter autem est & in relatiuis quæ secundum dici sunt relatiua, vt patet in disciplina & opinione: nam alicuius vt alicuius conuertuntur, hoc est, secundum conuertentiam dicuntur. Similiter autem disciplinatum, cuius dicitur esse disciplina, & opinatum cuius opinio dicitur esse, dicitur alicuius disciplinæ disciplinatum, & alicuius opinionis opinatum. Si vero species assignata & genus assignatum non similiter conuertantur in specie & genere, palam, quòd non est genus vnum alterius quod est assignatum pro genere.

Amplius si non ad æqualia, &c.

Rursus adhuc in relatiuis considerandum quando ad plures secundum plures casus comparantur: si enim tunc ad æqualia non dicuntur genus cum specie, non erit genus quod assignatum est pro genere. Et similiter enim, hoc est, secundum similes casus, & æqualiter, hoc est, tot modis & casibus genus, quot species ad aliud dici videntur; quemadmodum est in dono & datione quæ genus doni est: dicitur enim donum alicuius ratione eius quod donatur, & alicui ratione eius cui donatur, & sic dicitur ad aliquid & secundum genitiuum & secundum datiuum, & datio quæ est genus doni dicitur similiter, & alicuius ratione eius quod datur, & alicui ratione eius cui datur.

Datio est genus doni.

Est autem datio genus doni: nam donum non omnis datio est, sed est datio quædam irreddibilis, hoc est, eius quod gratis datur, & redditio non expectatur. Datio quæcunque datio est, siue sit gratuita, siue spe redditionis facta.

In aliquibus autem non accidit, &c.

Instantia tamen videtur esse ad hoc: quia in aliquibus non accidit ad æqualia dici speciem & suum genus. Nam duplum dicitur alicuius duplum: superans autem & maius dicitur aliquo superans & maius: & tamen superans & maius videntur genera esse duplici, secundum quod genera hic accipiuntur: quia magis sequitur ad duplum, & etiam superans absque conuersione dicitur superans aliquo & secundum quid, hoc est, secundum aliquid in quo excedit: omne enim superans & maius aliquo superat & aliud superat. Propter quòd oportet dici, quòd aut non sunt genera quæ dicta sunt dupli: eò quod non ad æqualia & similia specie dicitur genus & species, aut quod non vniuersaliter verum est quod dictum est, quod etiam genus & species ad æqualia & similia dicantur. Et per hoc patet, quòd instantia non instat: quia duplum dicit comparationem proportionis ad excessum, hoc est, ad id quod exceditur. Maius autem dicit excessum sine proportione: superans autem indiffinitè ex parte excedentis: & ideo secundum diuersa referuntur ad aliquid. Consideratio est in his quæ secundum idem comparantur in proportione.

Videndum autem est & si opposita, &c.

Adhuc autem considerandum est in relatiuis respiciendo ad plures species & oppositas, & ad plura & opposita genera. Considerandum enim si oppositum genus oppositæ speciei: quia tunc etiam propositum genus erit propositæ speciei, vt si est genus dupli multiplex, tunc subdupli erit genus submultiplex: in talibus enim quæ verè relatiua sunt, oportet oppositum genus esse oppositæ speciei. Si ergo ponat aliquis scientiam esse idem quod sensum, hoc est, quædam sensum, ita quod sensus sit genus & scientia species, oportebit etiam tunc in correlatiuis illorum, quòd scibile sit quoddam sensibile secundum genus: sed hoc non est verum: non enim scibile sensibile est, cum genus vniuersaliter de specie prædicatur. Quod autem non sit scibile sensibile, sic probatur. Intelligibilium, hoc est, intelligentiarum quædam scibilia sunt quæ non per se sensibilia sunt. Propter quod sensibile non est genus scibilis. Si autem hoc non est genus illius, sequitur, quòd nec sensus erit genus scientiæ. Fuit autem dictum Pythagoræ, quòd esset sensus genus scientiæ, & quod icire omne sit sentire quodammodo.

Quomodo sensibile est scibile, & quomodo non.

Vtrum autem sensibile sit scibile vel non, sciendum quòd sensibile dicitur dupliciter etiam secundum quod sensibile à sensu, & secundum formam & virtutem sit acceptum, & sensibile in sensu acceptum, & secundum hoc dicitur dupliciter vt in sensu secundum actum acceptum, & cum sensu secundum actum facto acceptum. Primo modo sensibile non est intelligibile vel scibile. Secundo autem modo in sensu acceptum est intelligibile: quia vniuersale accipitur in sensu, & secundum sensum notius est, prout est confusum in sensibili, quamuis secundum hoc esse quo est in sensibili, non sit intelligibile vel scibile. Tertio modo quo sensibile accipitur, est adiunctum intelligibili per collationem ad nociuum & conueniens, sicut amicum esse vel inimicum hoc quod acipitur sensu: & hoc est æstimabile in brutis, rationale autem in hominibus: tamen in talibus non est magna vis quantum ad præsentem intentionem: quia non vtitur hic exemplis istis Aristot. nisi vt facilior sit doctrina apud discentem.

Quoniam autem eorum quæ ad aliquid, &c.

Triplicia sunt relatiua secundum comparationẽ ad subiecta in quibus sunt.

Adhuc autem quantum ad terminandum problema de genere inspiciendum in relatiuis secundum comparationem ad subiecta in quibus sunt. Ad hoc autem talem dabimus trimembrem diuisionem, quod etiam eorum quæ ad alia dicuntur, quædam ex necessitate sunt in illis, vt in subiecto ad quæ dicuntur: alia

autem sunt circa ista ad quæ dicuntur, & non sunt in illis vt in subiecto : alia autem contingit in illis esse aliquando vt in subiecto, aliquando contingit non esse in illis. Exemplum primi est vt habitus & dispositio & mediocritas virtutis, quia in alio nullo pacto possit ille esse esse, nisi in illis ad quæ dicta sunt. Est enim habitus habentis, & dispositio dispositi, & mediocritas omnis quoad nos: & ideo id quod est in nobis, est mensura medij virtutis, & sic ista sunt in illis ad quæ dicuntur. Alia autem quæ sunt de tertio membro, non necesse quidem esse in eodem subiecto ad quod dicuntur : conuenit autem aliquando, sicut scibile quidem & scientia sunt in anima aliquando, & dicuntur scibile & scientia adinuicem : eò quod nihil prohibet aliquando scientiam suiipsius habere animam: & tunc scientia & scibile sunt in anima, non tamen sicut relatiuum in suo correlatiuo vt in subiecto: potest enim & in alio habere esse eadem scientia quando scibile non est in anima: & tunc non erit scientia in scibili vt in subiecto, sed in alio quam in scibili: quia tunc scientia est in anima quæ tunc non est scibile. Alia verò quæ sunt de subiecto secundo membro, simpliciter & vniuersaliter non contingit in illis esse vt in subiecto ad quæ dicuntur, vt contrarium dicitur ad suum contrarium, & non est in illo : quia contrarium non est in contrario vt in subiecto, nec potest esse : nec scientia potest esse in scibili nisi primo modo solo, si scibile sit anima vel homo sciens & scitum.

Considerare autē oportet, &c.

Sic autem sta diuisione præmissa considerandum si alius in genere ponat ad relatiuum huius de aliquo trium membrorum quod non est huius in veritate : quia tunc interemptum est genus quòd assignatum est pro genere. Cuius exemplum est, vt si memoria secundum genus dixit mansionem, ita quod mansio sit genus memoriæ: eò quod, sicut dicit Damascenus, memoria est mansio scibilium specierum & reseruatio : omnis enim mansio propriè est in manente siue in eo quod manet : quæ mansio nihil aliud est, nisi mora manentis, & est mansio circa illud quod manet: cum enim mansio sit alicuius vt manentis: propter quod etiam scientiæ mansio est in scientia sicut in subiecto: ergo & memoria quæ species est huius generis quod est, mansio & in scientia: quia memoria per diffinitionem est mansio scientiæ. Secundum hoc autem non contingit, quòd memoria sit in scientia sicut in subiecto : omnis enim memoria est in anima vt in subiecto: ergo mansio non est genus memoriæ. Sciendum autem, quod mansio est propriè manentis, seruatio est genus eius in quo est mansio manentis, sicut etiam circumscriptio est actus circumscribentis & circumscripti. Hoc autem in mansione est magis euidens : quia mansio non est nisi continuata mora manentis in eo in quo manet.

Est autem qui dictus est, &c

Est autem locus considerationis istius qui dictus est communis ad interimendum : eò quod nihil differt dicere memoriæ genus esse mansionem, aut alius confiteatur: quòd accidit memoriæ mansionem esse, ita quod insit ei mansio. Nam si quolibet duorum memoria est mansio scientiæ siue vt genus siue vt accidens, eadem aptabitur de ea ratio inductæ considerationis destructiuæ : intuitur enim & quod non ineſt vt genus, & quod non ineſt simpliciter : & sic hic locus vtilis est ad problema de accidente, & ad problema de genere.

TRACTATVS III.

De determinatione generis contracti.

CAPVT I.

De considerationibus sumptis ab habitu & potentia & actu.

Rursus si habitum in actum posuit, &c.

Rursus igitur præter omnia quæ de genere logico non contracto dicta sunt, in terminatione generis contracti ad materiam moralem considerandum si assignando genus speciei assignatæ habitum (qui est species) in actum posuit vt in genus proprium : aut è conuerso actum posuit in habitum vt in genus : sic enim male assignauit genus. Verbi gratia, sensum secundum habitum dixit esse in genere motum per corpus : male enim assignauit : quia sensus est habitus siue potentia habitualis habitu naturali perfecta. Motus autem actus vel operatio : & sic species esset in genere qualitatis, & genus in genere actionis : quòd esse non potest : quia diuersorum generum & non subalternatim positorum diuersæ sunt species & differentiæ. Similiter autem hoc eodem peccato peccauit si memor am (actum siue operationem)

tionem) dixit esse habitum contentiuum siue conseruatiuum opinionis siue per opinionem assignatorum : nam nulla memoria dicitur habitus, sed magis actus est : sic enim speciem quæ est actus, posuit in genus quod est habitus, & sic genus qualitatis erit genus speciei prædicamenti actionis: & sequitur idem inconueniens quod prius, quod etiam diuersorum generum & non subalternatim positorum erit vna & eadem species.

Quomodo memoria semper est actus & non habitus.

Quod autem diximus memoriam semper esse actum & non habitum, intelligendum de memoria animæ rationalis quæ non potest esse potentia siue pars animæ rationalis, vt in libro de anima à nobis est prædicatum : nec potest esse habitus animæ rationalis, sed est actus eius secundum conuersionem rationis vel intellectus ad ea quæ sunt in memoria quæ est pars sensibilis animæ : & hæc conuersio reminiscentiæ quæ est animæ rationalis, est actus, vt dictum est.

Peccant autem iuxta hoc peccatum & illi qui habitum, id est, speciem quæ dicit habitum, ordinant in abstinentiam sicut in genus, cum abstinentia iræ non genus sit mansuetudinis, sed consequens ad genus eius & ad mansuetudinem in passione & actu circa quæ est mansuetudo : & non est quid mansuetudinis. Sic peccant qui dicunt fortitudinem esse abstinentiam superfluorum timorum, & dicunt iustitiam abstinentiam esse lucrorum, quæ sunt minus accipere in damnis & plus in lucris, vt in 5. ethicorum dicit Aristot. Hæc enim consequuntur fortitudinem & iustitiam, & non sunt quid de ratione istarum virtutum, sicut genus est quid de ratione speciei. Et ideò Aristot. in lib. de bonis laudabilibus consequentia distinguit à virtutibus & operibus virtutum.

Aristot. in lib. de bonis laudabilibus.

Probatio autem eorum quæ in exemplis dicta sunt : quia fortis & mitis est, qui non patitur : & ideo abstinentia iræ & passionis consequuntur fortè vt proprium accidens : abstinens autem est, qui est continens, & in 7. ethic. vocatur qui patitur & sentit illicitas passiones, sed non deducitur à mente mensurante rectum per vim passionis. Propter quod abstinens siue continens ab ira non est genus mitis & fortis : mitis enim est qui neque sua ira aliquem prouocat, neque aliena ira prouocatur. Fortis verò est, qui non sentit periculum perfectione virtutis. Iustus est, quem non mouent illicita lucra. Continens autem siue abstinens in omnibus his qui quidem sentit multum patiendo, sed passionibus non deducitur à dictamine rationis & mensura. Propter quod talis abstinentia siue continentia ab actu & non à passione imperfecta virtus ab Aristot. vocatur, quamuis sit imperfecta non habendo modum virtutis in hoc quod ipso gaudeat abstinens, cum generalis sit membrorum continentia ab omnibus illicitis, nec in actum prorumpant, & sic à meta mentis in concupiscentiæ vel passionis alterius actus. Et propter hoc fortasse sequitur potentia siue facultas talis vtrumque dictorum & mitem & fortem, vt scilicet si passa fuerit motu passionis ad illicitum mouentis, quod non deducatur, sed teneat se & membra, ne perficiat in opere illiciro quod patitur concupiscendo, & sic at stineat vel abstinentiam habeat : nec tamen propter hanc continentiam hoc quod est abstinentia iræ vel timoris, ineſt huic quod est mitis vel fortis vt genus speciei. Et ideo non sequitur abstinentem timorum fortem esse, nec abstinentem iræ mitem, sed potius sequitur illum fortem esse & mitem qui nihil patitur ab huiusmodi passionibus timoris vel iræ.

Aliquoties autem & quod consequitur, &c.

Et aliquoties iuxta idem peccant in id quod quolibet modo sequitur secundum consequentiam rationis dicimus, vt isto posito aliud sequatur ex isto, quamuis fortè præcedat secundum causam & tempus : sic enim peccant qui ponunt tristitiam esse genus iræ, & opinionem genus fidei : vtraque enim ista sequitur quodammodo conuerti ad assignatas species iram & fidem : neutrum tamen horum est genus ad quod sequitur, sicut iam paulo ante probatum est. Cuius ratio est : quia qui irascitur, tristatur : tristatur quidem prior secundum causam & tempus in eo facta tristitia: quæ tristitia est etiam causa iræ : non enim ira est causa tristitiæ, sed è conuerso tristitia est causa iræ: genus enim est causa naturæ speciei. Propter quod similiter vt quidem genus iræ non est tristitia secundum eandem rationem, neque fides est opinio recta, vt opinio sit genus fidei. Cuius probatio, quod contingit eandem opinionem habere & credentem & fidem non habentem : quod non contingeret si fides esset species opinionis : quia non contingit speciem de genere in non genus permutari, cum genus sit quid de ratione speciei: non enim contingit, quòd idem permaneat in ratione cuiusdam si id quod est secundum speciem, permutatum sit : quemadmodum non contingit idem animal quandoque esse hominem, & quandoque non esse hominem, subiecto eodem permanente.

Tristitia est causa & genus iræ, & non è conuerso.

Opinio non est genus fidei.

Si autem quis dicat, &c.

Siquis autem contra hæc quæ dicta sunt, obiiciendo dicat, quòd contingit omnem opinantem simul cum hoc quod opinatur credere : tunc sequitur, quòd opinio & fides secundum æqualem ambitum prædicationis dicuntur. Propter quod sequitur, quòd neque opinato erit genus fidei : quia de æqualibus tunc opinio & fides dicuntur. Iam autem dudum ostensum est, quòd de pluribus oportet genus prædicari quam species.

Videndum autem est & si in aliquo, &c.

Considerandum autem in rebus moralibus comparando eas ad illa secundum quæ natæ sunt inesse animæ : si enim species sit animæ secundum aliquam potentiam : & genus non insit secundum eandem potentiam interimitur genus : & non bene assignatum est genus. Videndum etiam præter inducta si super aliquo vno nata fieri sint species & genus : in quo enim vt in subiecto est species, & genus est in eodem, vt patet : quia in quo vt in subiecto est album, in eodem & secundum idem est color : & in quo grammatica vt in subiecto, in eodem & secundum idem est disciplina siue scientia. Si verò alius verecundiam vt speciem dicat esse timoris, ita quod verecundia species sit, & genus eius de eo essentialiter prædicatum sit timor: si quis hoc modo iram vt speciem dicit

dicit esse, tristitiam vt genus, accidit, quæ non in eodem & neque secundum idem in quo est genus & species: & sic constat, quòd male genus assignauit nam verecundia quidem non est in anima nisi in rationali potentia: propter quod dicit Aug. quòd primum signum rationis est verecundia: propter quod etiam nullum de brutis animalibus verecundatur. Timor autem qui est figura cordis secundum systolem, cum fit in anima secundum animositatem (hoc est, secundum irascibilem) quæ animositate mouetur: quia in illa est audacia quæ est timori contraria: Similiter est de tristitia & ira: quia tristitia quæ est constrictio cordis ex absentia delectabilis & præsentia contrarij, est in concupiscibili, in qua est etiam voluptas siue delectatio siue gaudium. Ira autem fit in anima secundum inanimositatem: propter quod non sunt timor & tristitia verecundiæ & iræ quæ sunt assignata pro generibus: eò quod non in eisdem & secundum eandem potentiã sunt natã fieri in anima cum speciebus assignatis. Similiter autem est quis peccans si amicitiam posuit in concupiscibili: tunc amicitia non erit voluntas quædam: quia amicitia voluntas est quædam secundum prædicationem generis de specie: omnis enim voluntas rationalis inest animæ: & sic species & genus non insunt secundum idem.

Primum signum rationis est verecundia secundum Aug.

Vtilis autem hic locus est non tantum ad genus, sed etiam ad accidens comparatum ad subiectum cui accidit: quia sequitur, si non inest secundum idem, quod similiter non inest, & similiter inesse vel non inesse determinatur in accidente.

Vtilis autem hic locus, &c.

Est autem hic notandum, quòd pro certo ab Auctoribus timor ponitur esse genus verecundiæ: dicit enim Damascenus, quòd verecundia est timor in turpi perpetrato. Sed timor dicitur æquiuocè secundum quod est fuga turpis, & secundum quod est fuga periculi. Hoc autem modo quo est fuga cordis in periculo, non potest esse genus verecundiæ: & sic intelligitur quod dicitur hic.

Obiectio. Quomodo timor potest esse genus verecundiæ & quomodo non. Solutio.

Rursum inspiciendo in speciem & genus simul & modum quo species genus participat, considerandum quòd si assignatum genus secundum partem participat speciem, cum secundum totum debeat genus speciem partipare. Dico autem secundum totum: quia secundum totum tam materiale quam formale quod est in genere. Totum enim genus est in specie quoad esse: genus enim non videtur secundum quid participari à specie: nam homo non est secundum quid animal, nec grammatica secundum quid disciplina: similiter est in aliis speciebus participantibus sua genera. Considerandum ergo in quibus speciebus secundum quid & non totum participatur genus: cuius exemplum est, vt animal dicatur visibile vel sensibile secundum genus: nam non nisi secundum quid siue secundum partem animal sensibile vel visibile dicitur: quia secundum corpus solum est sensibile vel visibile animal, & non secundum totum quo animal est animal: & ideò sensibile vel visibile non est genus animalis.

Rursum si secundum quid genus, &c.

Latet autem aliquando alij & decipiuntur totum (hoc est, totam speciem) in partem ponentes vt in genus: & ideo peccant vt ponentes animal secundum genus esse corpus sensibile, hoc est, quod sentitur & est particulare: nullo enim modo pars de toto compositio siue specie composita prædicatur. Propter quod non est corpus genus animalis. Et ideo quia est pars materialis eius. Sciendum tamen, quòd Porphyrius corpus ponit genus animalis: sed hoc non est corpus hoc particulare, sed corpus vniuersale ad stractũ ab hoc vel ab illo.

Latet enim quandoque, &c.

Quomodo corpus est genus animalis, vt dicit Porphyr. & quomodo nũ, vt dicit Arist. hic.

Adhuc autem coaeruando naturalia cum moralibus videndum, si aliquid de numero vituperabilium siue fugiendorum vt species ponunt in potentiam aut possibile, sicut in genus, hoc est, potestatem: quia quis potens ad agendum siue faciendum aliquid efficitur vituperabilium siue fugiendorum, vt actus genus ponunt: quia tunc actum vituperabilis ponentes in potentiam agendi vt in genus peccant: quia potentia agendi vituperabile non est vituperabilis, nec de vituperabili essentialiter praedicatur vt genus, vt sophisticũ vel detractorem vel latronem dicẽs secundum genus eum qui valet (hoc est, potest vel facultatem habet) latenter extranea furari: sophista quidem qui scientias, detractor autem famam, & latro lucra: non necesse enim de numero prædictorum, quòd aliquis existat in hoc talis, videlicet, quòd sit sophista vel detractor vel latro, in eo quod habeat potentiam aliquid talium faciendi, sed potius ab actu: quia à potẽtia quæ ante actum est & non coniuncta actui, non necessario dicitur aliquis vel malus vel bonus in aliquo operabili, sed potius ab actu, vt dicit Arist. 9. primæ philosophiæ: quia sic omnis homo diceretur & bonus & malus, & laudabilis & vituperabilis: potest enim & secundum hanc potentiam & Deus & studiosus (hoc est, virtuosus homo) praua agere: sed non sunt denominati, quod sint praui vel sophistæ, vel detractores, vel latrones, vel deus studiosus. Nam omnes qui dicuntur praui, & nomen accipiunt secundum appetitum actualem prauitatis, & non secundum potentiam prauitatem faciendi: quia anima est natura ipsa rationalis. Et dico sophistam decipientem in verbis, detractorem susurratorem ad alicuius infamiam, latronem autem actualiter volentem tractare in furno (hoc est, in nigro) censum hominum. Deum dico secundum diffinitionem deorum, qui nihil prauum velle potest: quia prauum velle non est potentia, sed impotentia & defectus. Studiosum autem dico, qui mobilitate suæ honestatis nihil prauum vult secundum actum: potest tamen praua agere: eò quod (sicut dicit Damasc.) omne creatum vertibile est secundum electionem & voluntatem ad minus: increatum autem nullo modo est vertibile.

Nullus dicitur bonus vel malus in aliquo operabili à potestate quæ est ante actum, sed potius ab actu.

Ad idem autem adhuc est alia ratio, quòd etiam nihil secundum potestatem dicatur laudabile vel vituperabile: quia omnis potestas siue facultas aliud faciendi (cum hæc sit de factione) verè est de numero eorum quæ sunt eligenda: eò quòd potestas benefaciendi & potestas malefaciendi est vna numero in radicali principio rationis: quia ratio in hoc differt

Amplius omnis potestas est eorum, &c.

fert à naturali potentia: quia potestas rationalis valet ad opposita, & non obligatur ad vnum, vt dicit Aristot. 9. primæ philosophiæ. Nam hoc modo in praua potestates (hoc est, potestates agendi praua) eligendæ sunt, non inquantum praua sunt, sed secundum quod sunt de perfectione potestatis agendi in rationali natura: eò quod & deum & studiosum eas habere dicimus: posset enim dij & studiosi praua agere, hoc est, tales habẽt potestates quibus aliquando praua aguntur: hoc enim est de commendatione boni, quando benefacit non ex necessitate, sed cum possit praua agere. Vnde potestas praua agendi, signum est in bonis, quod libere bonum agunt, & sic commendabiles: eò quod agunt bona potestates tales habentes. Patet ergo, quòd peccant, qui aliquid actu vituperabilium vt speciem in potestate faciendi tanquam in genus ponunt: propter quod nulliùs secundum actum & speciem vituperabilis erit genus potestas faciendi id.

Text. 650 vt dicit

Si autem non, &c.

Adhuc autem ad hoc est alia ratio deducens ad impossibile: quia si dicatur, quòd non est, sicut dictum est, quòd potestas aliquid faciendi sit genus alicuius secundum actum & speciem vituperabilis, accider per consequentiam argumenti quoddam vituperabilium esse eligendum: quia faciendi eligenda est: ergo potestas faciendi erit secundum hoc vituperabilis: quia genus eius quod est vituperabile, vniuersaliter secundum totum suum ambitum suæ communitatis est vituperabile. Idem autem peccatum accidit si quid (hoc est, aliquid) de numero propter se honorabilium & intelligibilium in potestate posuit vt speciem in genus, vel posuit ipsum in possibile, hoc est, in potens hoc facere vt in genus: vel etiam posuit ipsum vt genus effectiuum illius, quia hoc etiam secundum potestatem efficiendi determinatur. Nam omnis potestas & omne possibile siue potens siue effectiuum alicuius, est eligibile propter aliud, & propter id ad quod est, & propter aliud eligibile non potest esse genus eius quod est eligibile propter se.

Aut si quid eorum quæ sunt, &c.

Adhuc autem considerandum non in vnum genus tantum, sed in genus multiplicatiuum interimitur problema de genere: considerandum enim (& præcipuè in moralibus) si aliquid in specie assignatum, quod est de numero eorum quæ in duobus sunt, sicut in genere) posuit in altero tantum sicut in genere: duo enim vel plura circumloquuntur vnum genus tantum: & si ponitur id in vno illorum tantum (cum potestas generis ex duobus sit vel pluribus) male assignatur genus: hoc quidem enim non contingit in vnum, ponere vt in genus: quia generis perfectio consistit in duobus vel pluribus, vt in seductione vel detractione in specie & actu detractum non contingit in vno vt in genere ponere, cum seductor sit qui appetit, & potest facere impossibilia (hoc est, inconuenientia ad quæ non est data potestas, cum omnis potestas sit data ad bonum) dicitur seductor vel detractor ab vtroque istorum simul. Vnde potens non apperens, ersi potens dicitur, non tamen dicitur seductor vel detractor: sed tantum ille qui habet vtrumque hoc simul, hoc est, potestatem cum actu appetitus coniunctam: propter quod vnum illorum tantum non est ponendum genus, sed vtraque hæc simul quæ dicta sunt. Neque enim dicere intendimus, quia aliquid vnum specie sit in duobus generibus non subalternatim positis, sed quod duo sunt quæ integrant vnum genus & circumloquuntur ipsum: & non est hoc ponendum in altero illorum sicut in genere.

Remouet dubium.

CAPVT II.

De consideratione generis contracti quando assignatur vt differentia, vel è contrario.

Amplius aliquoties è contrario genus, &c.

INterimit etiam potest ex hoc quod genus pro differentia, & è contrario differentia pro genere assignatur. Amplius autem præter omnes cõsiderationes habitus quibus interimitur genus, aliquoties interimitur genus, cò quod è cõtrario quam fieri debeat genus quidc vt differentiam & differentiã vt genus posuit alicuius: & tunc interimitur problema: quia genus non est differentia, nec differentia est genus. Cuius exemplum est, siquis stuporem vt speciem dicat diffiniendo esse superabundantiam admirationis, hoc est, quòd stupor per diffinitionem (quæ est ex genere & differentia) est superabundantia admirationis: tunc enim in diffinitione superabundantia in recto de stupore prædicatur, & admiratio in obliquo vt differentia: cum stupor sit potius admiratio superabundans, sic quod admiratio sit genus, & superabundans differentia: est enim stupor admiratio quæ sui abundantia & magnitudine conficit insensibile ad cognoscendum qualitates sensibiles, cum eius quod admiratur si est sensibile, est membrum stupidum ad hoc quod à sensibili permutetur ad cognitionem qualitatis sensibilis. Aliud exemplum est, si aliquis dixit esse fidem (diffiniendo per genus & differentiam) vehementiam opinionis, cum potius sit opinio vehemens, ita quod opinio sit genus, & vehemens differentia: nam neque superabundantia neque vehementia videntur esse genus stuporis & fidei, sed differentiæ sunt superabundantia quidem cum admiratione stuporem constituens: vehementia autem cum opinione constituens fidem: videtur enim stupor esse admiratio superabundans diffinitione data per genus & differentiam: & hoc modo dicitur fides opinio vehemens. Propter quod genus est tam admiratio quam etiam opinio: superabundantia autem & vehementia differentiæ sunt. Male ergo assignatum est genus quod non est genus, sed differentia.

Amplius si quidem superabundãtiam, &c.

Hoc etiam probatur ratione: quia siquis superabundantiam & vehementiam genera dicat, sequitur quod inanimata fidem facient idem habendo, & stupebunt stuporem habendo inanimata, quod est impossibile. Hoc autem sequitur hac ratione: quia illud cuius est superabundantia, & id cuius est vehementia, & id denominabitur ab illis. Si ergo stupor superabundantia vt genus, stupor denominabitur

superabundantia: propter quod sequitur, quòd admiratio (cuius superabundantis superabundantia est, stupor, quod est falsum, cum admiratio sit res inanimata. Similiter autem per eandem rationem & fides erit opinio: liquidem fides est opinionis vehementia, fides autem est vehementia, vt ponit qui dicit vehementiam esse genus fidei: propter quod etiam sequitur, quòd vehementia sit etiam opinionis: ergo opinio est fidem habens vel faciens: quia de quo prædicatur species, & genus: hoc autem est impossibile: quia opinio est res inanimata, cui non conuenit habere fidem.

Amplius accidit, &c.

Amplius similiter adhuc accidit inconueniens aliud sequi: accidit enim sic assignanti differentiam vt genus, & genus vt differentiam, vehementiam dicere vehementem per denominationẽ suipsius à seipsa, & superabundantiam dicere superabundantem: est enim fides vehemens, & ex hypothesi vehementia est genus fidei. Si ergo fides vehementia est, & fides vehemens, sequitur quod vehementia sit vehemens. Similiter autem eadem ratione & stupor erit superabundantia superabundans. Si ergo stupor superabundantia vt genus, erit superabundantia superabundans. Non videtur autem hoc esse verum: neutrum enim horum bene dicetur: quia non denominat seipsum idem quemadmodum nec disciplina denominatiuè dicitur disciplinata, neque motus denominatus à seipso dicitur mobilis.

Remouet dubium.

Quod autem aliquando à se denominatur aliquid, vt vnitas dicitur vna, oportet secundum diuersa fieri: dicitur vnitas vt ens quoddam, & dicitur vnitas vt dispositio entis, & vnitas accepta vt dispositio entis denominat vnitatem acceptam vt ens quoddam. Hæc autem determinata sunt in antehabitis libris logicæ. Sic autem non potest esse in superabundantia & vehementia, quæ si pro generibus accipiuntur, non possunt esse dispositiones entis. Patet ergo, quòd his rationibus peccant, qui differentiam vt genus & genus vt differentiam assignant. Fides enim non erit vehementia, sed fides est opinio vehemens, vt dictum est: quia genus est quid speciei, & differentia est quale ipsius essentiale: quod cum eo quod est quid potentiale, speciem constituit, quæ quale quid dicit. Hic autem consideratum est genus sicut in præcedentibus: sed comparatum est ad differentiam, & differentia ad ipsum. Et est intendere de differentia vltima quæ est actus speciei: quia differentiæ generales cum genere collocandæ, &c.

CAPVT III.

De consideratione generis contracti ad materiam naturalem.

Quando autem peccant & passionem, &c.

QVandoque autem peccant contra problema de genere præter omnia quæ dicta sunt etiam passionem speciei in siue pro genere ponentes. Dico autem passionem generaliter esse accidens subiecti, siue conuertibile, siue non conuertibile, vt immortalitatem dicunt esse vitam sempiternam: sempiternum enim est idem quod semper aeternum: passio enim vitæ quæ est assignata species, vel casus, hoc est, accidens vitæ, videtur immortalitas esse, & non videtur esse genus vitæ, sed accidens. Quoniam autem verum est quod dicitur immortalitas casus & accidens vitæ, palam fiet. Si enim ex mortali concedat quis aliquem factum immortalem, nullus talem sic factum immortalem dicit aliam secundum speciem vitam sumere, sed dicit eum casum aliquem vitæ accidentalem habere vel accepisse, vel dicet aliquam passionem vitæ huic eidem generari, hoc est, vitæ continuitatem: quare vita non est genus immortalitatis: quia si immortalitas esset differentia, aliam & non tantum alteram faceret vitam.

Rursum si passionem cuius est, &c.

Rursum considerando passionem generis iterum peccant genus assignando, si passionem illius generis, cuius est passio vt genus pro genere assignant. Huius exemplum est, quòd quidam diffinientes & ponentes in genus ventum, dicunt ventum esse aërẽ mobilem. Et est exemplum de positione Democriti, qui hoc dicit: magis enim motus aëris ventus est: quia essentia venti non est nisi motus aëris.

Ventus quid secundum Democritum.

Diffinitio ventis secundum Auic. dicens quid & propter quid.

Diffinitio quæ dicit quid & propter quid venti, est quam ponit Auic. quod ventus est vapor terreus aërem vique transcendens, & eum fortiter impellens, & impulsus aëris ex vapore terreo impellente aërem factus. Vnde passio eius quæ pro genere ponitur, est genus quod est motus aëris, & aër non est genus: nam aër quod genus assignatur, permanet idem in substantia & specie, & quandoque mouetur, & quandoque manet: & ideo nullum amittit substantiale quando mouetur, & quando non mouetur: & non omnino siue nullo modo ventus est aër secundum generis prædicationem. Si enim ventus esset aër secundum genus, cum sit substantiale prædicatum speciei, oportet quod etiam aëre non moto sit ventus: quia aëre non moto aër est aër: & ventus dicitur esse aër secundum genus, vt dicit hypothesis: si quidem idem aër permanet quemadmodum quando erat ventus. Similiter autem in omnibus aliis huiusmodi quibus passio generis ponitur pro genere. Vnde non verè potest dici, aër mobilis est ventus. Et si forte aliquis diceret, quòd cum ventus non sit genus mobilis vel moti, quomodo aër motus est ventus: Dico, quòd potest prædicari ventus de aëre mobili vel moto: sed non prædicatur sicut genus, sed sicut passio vel effectus. Sic ergo concedere oportet, quoniam aër mobilis vel motus est ventus: sic enim oportet hoc concedere de omnibus huiusmodi in quibus effectus prædicatur de causa materiali: sed quando materia est permanens in materiato, sicut ferrum in cultello, tunc verè dici potest, hoc ferrum est cultellus. Vbi autem verè assignatur, vt quando est materia transiens, non erit verum: non quidem de omnibus est verum quod dictum est, sed est verum de his de quibus verè prædicatur genus materiæ transeuntis, in quibus verè prædicatur de effectu assignatum genus materiæ non transeuntis.

In

Nam in quibusdam non videtur verum, &c.

In quibusdam enim non videtur esse verum in quibus est materia transiens, vt in luto, & in mue; in quibus est materia transiens: nam niuem dicunt esse aquam congelatam frigido: & non sequitur, ergo nix est aqua: quia transiuit ad materiam quæ proprio termino terminabilis est: quia non est aqua. Lutum verò dicunt esse terram vel humum humido temperatam: & ideò non sequitur, lutum est terra: neque enim nix est aqua, neque lutum terra, sicut iam diximus: propter quod neutrum assignatorum generum est genus secundum veram generis rationem: oportet enim verum genus esse semper de specie cum sit prædicatum essentiale de ratione speciei existens: & sic oportet semper vnum esse prædicatum de omnibus suis speciebus.

Similiter autẽ neque vinum, &c.

Similiter autem & eadem ratione neque vinum est aqua putrefacta in vite, sicut dicit Empe. quia sequeretur, sicut dicit Empedo. vinum esse aquam putrefactam in ligno vitis: nam vinum simpliciter sine additione sumptum non est aqua: & hoc oportet si aqua esset genus vini: quia genus semper prædicatur de specie.

CAPVT IV.

De determinatione generis in communi sumpti ad materiam & naturalem & moralem & per locos communes, &c.

Amplius si omninò quod assignatum, &c.

SIc autem considerato qualiter considerentur genus non contractum ad materiam moralem vel naturalem. Considerandum qualiter terminatur genus non contractum, quod vtrique materiæ commune est. Prima igitur consideratione inspiciendum est si id quod pro genere assignatum est omninò (hoc est, vniuersaliter) nullius est genus: quia sic sequitur, quòd etiam propositi non est genus. Quod autem nullius omninò sit neque genus morale neque genus naturale, considerandum est in eo quod ea de quibus prædicatur, nihil differunt specie, cum genus de pluribus differentibus specie prædicetur. Omnis autem species generis (hoc est, de quibus prædicatur genus) sunt differentes specie & numero solo. Propter quod album nullius est genus: quia album non nisi de albis prædicatur, & alba in eo quod alba specie abinuicem non differunt.

Rursum si quod omnia, &c.

Rursum non erit omninò & vniuersaliter alicuius genus si aliquid eorum quæ omnia sequuntur, dixit esse genus vel differentiam: & hoc primò ostendamus in genere vbi plura sunt quæ sequuntur omnia, vt ens & vnum sunt de numero eorum quæ omnia sequuntur. Si ergo assignauerimus, quod ens sit genus, patet quoniam omnium ens erit genus: quia ad omnia sequitur: eò quod ens prædicatur de omnibus eis: de nullo enim prædicatur genus nisi de suis speciebus: prædicatur enim de vno: ergo vnum erit species entis: conuertuntur autem ens & vnum: accidit ergo per consequentiam rationis de omnibus de quibus genus, prædicatur quod ens & speciem prædicari: eò quod ens & vnum similiter de omnibus prædicantur: & hoc est inconueniens: quia oportet speciem de paucioribus prædicari quam genus: ergo quod assignatum est pro genere, nullius est genus: ergo nec est genus propositi siue propositæ speciei.

Si ens esset genus: tunc sequeretur, quòd species prædicaretur de quibuscunque & genus prædicatur.

Si autem quod omnia sequitur, &c.

Si autem inspiciendo non ad genus, sed ad generale quod est differentia, id quod omnia sequitur (vt vnum & ens) dixit esse differentiam & non genus: tunc palam est, quòd sequitur ex hoc quod differentia de æqualibus vel pluribus quam genus dicitur: quia tunc differentia prædicabitur de omnibus vt vnum, secundum quod dicit entis dispositionem de æqualibus cum ente si ens genus dicatur esse: vel prædicabitur de pluribus quam genus, si verè genus ponatur esse vt substantia vel qualitas. Vnde si genus omnia sequitur sicut differentia, tunc differentia prædicabitur de æqualibus: si verò genus ponatur verum quod non omnia sequitur, de pluribus genus quam differentia dicitur: & vtrumque est inconueniens: quia ex quo genus per differentias oppositas diuiditur, vtramque differentiam continet ambitu genus.

Amplius si in subiecta specie, &c.

Inspiciendum est etiam ad modum prædicationis, quòd etiam prædicetur in quid, & non in quale sicut denominatiuum. Vnde considerandum si genus assignatum dicitur denominatiuè esse in subiecta specie, velut album adiectiuè & non substantialiter, & non vt quid sed vt quale est in niue: tunc enim interimitur genus; nec est genus quod assignatum est pro genere: genus enim non dicitur nisi de subiecta ei specie, & non dicitur esse sicut accidens in subiecto.

Considerandum autem, &c.

Considerandum adhuc in modum prædicandi in voce siue nomine generis. Inspiciendum est enim si non vniuocum sit genus speciei: nam de omnibus suis speciebus genus vniuocè prædicatur. Propterea si non vniuocè prædicatur assignatum genus de assignata specie; non est quod assignatum est pro genere genus.

CAPVT V.

De interpretatione & constructione generis comparati.

Amplius quando existente, &c.

AMplius ex consideratione generis comparati interimitur genus: & primo ex consideratione comparationis duorum ad duo: quoniam aliquo contrario existente generi, & aliquo contrario existente speciei, quæ adinuicem secundum melius & peius siue vilius comparantur, si tunc aliquis quod melius est inter speciem & suum contrarium posuit in genus, peius siue quod peius est, inter genus & suum contrarium: tunc enim reliquum quod peius est, accidit per consequentiam rationis esse in reliquo, hoc est, peius in meliori sicut in genere: & tunc interimitur genus: eò quod

quòd contraria secundum melius & peius sunt in generibus contrariis: quod in moralibus est verum secundum quod bonum & malum sunt in genere secundum genera aliorum existentia secundum hoc quod est melius. Videtur ergo in peiore esse sicut in genere, quod est inconueniens. Videtur quòd meliorum speciem sit genus melius.

Et si eodem ad vtraque, &c.

Comparando autem vnam speciem ad duo genera, considerandum si eadem species ad vtrumque genus posuit etiam, & melius æqualiter se habente aliquis ponit illam speciem in peius, & non in melius, peccat & non indebitum genus posuit: & sic interimitur genus. Vt si aliquis posuit animam quod motum, hoc est, aliquod motum vel mobile, & in genere mobili existentem. Similiter enim anima eadem est & stabit, & erit mobilis, hoc est, similiter & æqualiter se habet ad motum & quietem. Propter quod si melius est statio siue quies quam motus: tunc oportet animam in genere quiescentis poni magis quam in genere mobilis: & sic peccauit assignans animam in genere se mouentis.

Nota quomodo quies dupliciter sumitur, scilicet pro priuatione motus, & pro perfectione mobilis.

Est autem statio siue quies dupliciter considerata etiam: vt priuatio motus, & sic considerator secundum essentiam suam: quia sic priuatio est motus: & motus est habitus siue actus priuatus, & quies priuatio. Consideratur etiam vt finis in quo quiescit motor à mouendo & mobile à motu: & sic quies non est priuatio, sed perfectio mobilis inuenta à mouente, & quies melior est motu, & animam melius est quiescere quam moueri à seipsa. Et est notandum, quòd contraria omnia participant vnam communem naturam generis: & id quod illam plus participat, est vt habitus: & quod illam secundum minus participat, est vt priuatio: & id quod secundum plus participat, est melius: & quod participat secundum minus in eadem natura, peius.

Hoc colligitur 2. physic. comm. 15. Vide.

Amplius ex magis & minus differenti, &c.

Amplius: quia ex comparatione contrariorum causatur magis & minus simile, propter hoc considerandum ex magis & minus ad genus assignatum destruendum: destruere enim volenti considerandum si genus quidem suscipit magis & minus, species autem assignata (quæ supponitur generi) non suscipit magis & minus, nec ipsa nec id quod secundum ipsam denominatiuè dicitur: tunc palam, quoniam non est genus quod assignatum est pro genere. Cuius exemplum est: quia si virtus (quæ est genus) suscipit magis & minus: tunc etiam eius species vt iustitia: & etiam id quod denominatur ab ipsa vt iustum, suscipit magis & minus: quia in denominatione est magis & minus, non autem in abstracto dicitur iustior alter altero. Si ergo assignatum genus suscipit magis, species autem supponitur generi, nec ipsa nec quod secundum ipsam denominatiuè dicitur, suscipit magis, non erit genus speciei illius quod assignatum est pro genere.

Rursum si quod magis videtur, &c.

Iuxta hoc per locum à maiore destruitur genus, & per locum à simili. Si enim inter duo genera comparata ad vnam speciem quod magis videtur esse genus, & similiter siue æqualiter videtur esse genus, non est genus, palam est, quòd neque propositum (quod assignatum est pro genere) est genus: quia vel minus vel æqualiter propositum videtur esse quam id. Hic autem locus considerationis vtilis est & præcipuè esse videtur in his in quibus plura videntur in quid prædicari de assignata specie, & dubitatur quod illorum sit genus, eò quod illud non sit demonstratum: quia per rationem ostendentem habemus dicere quod illorum sit genus. Sicut verbi gratia de ira in eo quod quid est tristitia & opinio videtur prædicari. Iratus enim in eo quod iratus, contristari videtur propter illatam iniuriam, & opinatur, quod iniuria illata sit ei: & ideò in talibus vtilis est consideratio ad interimendum id quod videtur esse genus & non est genus. Ex eisdem etiam consideratio est in specie assignata, si ad illud aliquid comparetur quod sit vt species secundum magis & minus & similiter: nam si quod maius & similiter videtur vt species in assignato genere, & non est in ipso vt species in genere, palam est, quòd sequitur, quòd neque assignata species est in illo vt in genere. Capitulando ergo & epilogando dicimus iam satis dictum quemadmodum locis & considerationibus opinandi vtendum est ad interimendum genus assignatum.

TRACTA

TRACTATVS IV.

CAPVT I.

Quibus considerationibus construitur genus.

Astruenti verò si quid, &c.

ASTRVENTI verò siue genus assignatum astruere volenti per considerationes constructiuas, inspiciendum primo, quod non vtilis hic locus, qui paulo ante dictus est ad interimendum vtilis esse: & quod si genus & species suscipit magis & minus: quamuis sequatur, quòd id non sit genus quod non suscipit magis & minus, specie magis & minus suscipiente: tamen non videtur inferri genus si species suscipit magis & minus. Et similiter genus quod sequatur illud esse genus assignatæ speciei: nam bonum, & album vtrumque suscipit magis & minus: & tamen est neutrum alterius genus: nihil enim prohibet vtrumque suscipientium magis & minus non ita se habere adinuicem, vt si duo genera vel plura comparentur ad vnam speciem, & vnum similiter videatur esse genus & alterum, sequitur probabiliter, quòd si vnum est genus eius, quod alterum etiam sit genus ipsius.

Similiter autem si magis & minus, &c.

Similiter sequitur duobus generibus comparatis ad vnum vt ad speciem, si vnum minus videtur esse genus quam alterum & sit genus, quòd & alterum quod magis videtur, sit genus. Verbi gratia, vt si potestas continentiæ secundum quod continentia est membrorum tenentia ne ad illicitum moueantur, genus magis esse videtur quam virtus, & virtus minus videtur esse genus, & virtus est genus: ergo est potestas genus cuius esse videtur.

Eadem autem secundum magis & minus & similiter conuenit dici: nam similiter secundum rationem hoc & hoc siue duæ species comparatæ ad vnum genus: & si similiter vna sicut alia est species propositi generis & assignati, & alterum illorum est species assignati generis, sequitur eadem ratione, quòd & reliquum sit species eius. Adhuc autem sequitur per locum à minori, si id quod minus videtur esse species assignati generis, est species, quòd etiam id quod magis videtur esse species, sit species.

Amplius ad construendum problema de genere, inspiciendum ad ea quæ sunt in generis diffinitione: & si de his de quibus prædicatur assignatum genus, prædicatur in quid, ita quod non sit tantum ista species assignata, sed plures de quibus genus in quid prædicetur: quia considerandum est si de aliis speciebus assignatum genus in eo quod quid est prædicetur, quæ differunt specie ab assignata specie: tunc enim palam est, quòd erit genus quod assignatum est pro genere: quia genus est quod de pluribus & differentibus specie in eo quod quid est prædicatur: & hæc consideratio vtilis est etiam ad speciem considerando. Si enim aliud assignatur pro specie assignati generis, considerandum est etiam si de aliis quam de assignata specie prædicetur in eo quod quid est: tunc enim rursum vt prius accidit genus de pluribus & differentibus specie in eo quod quid est prædicari: & ideo vt prius construitur genus, &c.

Amplius ad construendum, &c.

CAPVT II.

Qualiter genus à differentia separatur.

Quoniam autem videtur quibusdam, &c.

QVoniam verò videtur quibusdam & differentia generalis de pluribus speciebus in eo quod quid est prædicari, propter hoc quod substantialis est differentia, & in esse substantiali quod quid est perficit speciem, ideò ne aliquis in hoc decipiatur, putans fortè, quòd differentia sit genus, separandum est genus à differentia. Et dabimus primò tres differentias. Prima est, quòd genus de pluribus dicitur semper quam differentia: hæc in antecedentibus probata est.

Primæ tres differentiæ inter genus & differentiam.

Deindè secunda est: quoniam genus magis prædicatur secundum assignationem modi prædicandi in quid, quam differentia: talis enim prædicatio magis conuenit generi, quam differentiæ: quia generi conuenit, quòd prædicetur in quid sumptum formabile per differentiam: differentiæ autem non conuenit in quid prædicari, nisi per effectum eius: quia est causa eius quod est quid. Nam qui dicit hominem esse animal, magis in prædicato indicat quid est homo, quam qui dicit hominem esse gressibile, vel aliam differentiam de homine prædicando.

Tertia autem differentia est: quoniam quidem differentia qualitatem essentialem generis significat, quæ generis determinat & perficit potentiam: genus autem qualitatem differentiæ non significat, sed significat quid distinguibile & determinabile per differentiam: nam qui dicit animal gressibile esse, quale quid significat quod est animal: qui verò dicit gressibile esse animal, non dicit quale quid gressibile, sed dicit quid gressibile stans & fixum substantia. Epilogatur ergo dicendo, vt dictum est,

est, tribus differentiis differentia separata est à genere.

CAPVT III.

Qualiter construitur genus per locum à coniugatis.

Quoniam autem videtur musicum, &c.

PEr locum autem à coniugatis constituitur genus: quoniam videtur musicum in eo quod musicum sciens esse quid, vt genus prædicatum de ipso in quid: aliter enim non esset musicus, nisi esset sciens quid: sequitur à coniugatis, quòd musica est species, & scientia genus: & si ambulans in eo quod ambulans, mouetur vel est motum quid, videtur à coniugatis ambulatio motus esse, & species motus esse ambulatio: quia si sumptum de sumpto, & principale de principali vt genus prædicatur. Considerandum ergo in quocunque genere quis voluerit aliquod genus constituere secundum prædictum modum à coniugatis tractum: sic enim genus constrtui poterit. Si autem ostenderit, quòd sciens fidit secundum quod scit à coniugatis, sequitur quod scientia fides quædam erit. Eodem autem modo erit in aliis.

CAPVT IV.

Qualiter probatur & non de necessitate constituitur genus.

Amplius quoniam quod sequitur aliquid, &c.

AMplius ad constructionem generis adhuc considerandum est, quoniam id quod sequitur ad aliud semper & non conuertitur, difficile est inuenire separationem illius à ratione generis, ita quod ostendatur non esse genus: cum genus sit commune consequens à quo non conuertitur consequentia, maximè si hoc prædicatum illud subiectum & accidens omne sequitur vniuersaliter & semper & sine conuersione, in quod nequaquam antecedit ad ipsum, & ita quod non sequitur ipsum omni esse, vt omnis homo est animal, sed non omne animal est homo: sicut sequitur tranquillitatem quies, & numerum sequitur diuisibile est. Est enim omnis tranquillitas quies, sed non omnis quies tranquillitas, & omnis numerus diuisibilis, & non omne diuisibile est numerus, nec omnis quies tranquillitas: quia tranquillitas est quies in mari tantum: & ideo quòd sic est semper consequens illius, contingit oppositio vti vt genere tali prædicato, quod semper & vniuersaliter est consequens tale subiectum, cum illud prædicatum in tali consequentia non conuertatur ad alterum quod est subiectum vel species. Probabile est enim, quòd sit genus: sed non est necessarium, cum tale prædicatum possit esse accidens: est enim omnis nix alba, sed non omne album est nix, cum tamen album non sit genus niuis: & similiter est de albo & cigno & de multis aliis. Vnde ista consideratione cautè est vrendum, siue cum cautela, ita vt nos disputantes vramur ea pro nobis: alio autem præcedente eandem, diue proponente eam contra nos quando sustinemus disputationem, non oportet vt illi sic obediamus, quòd suscipiamus in omnibus & vniuersaliter esse veram: habet enim instantiam, vt diximus.

Instantia huius quoniam, &c.

Et instantia huius considerationis est: quoniam id quod fit, generaliter ad minus in permanentibus, sequitur non esse: quia quod fit, sic non est: & non conuertitur: quia quicquid non est, quod omne fiat. Sed tamen non ens non est genus propter hoc eius quod fit, ita quod fit genus eius simpliciter. Cuius ratio est: quia non entis nullæ sunt species vel differentiæ: genus autem & species & differentias oportet habere: sed tamen in problematibus hoc aliquando pro genere potest accipi, sicut dictum est: vnde etiam in antehabitis sæpè instantias dabamus, quibus pro nobis vti possumus. Sed quando sumus sustinentes disputationem talem, contra nos non recipiamus.

Id autem quod dicitur, quòd non entis non sunt species, intelligitur simpliciter de eo quod est simpliciter non ens, & non de non ente quod non est simpliciter non ens, sed ens in potentia, quod secundum quid est ens: tale autem videtur posse habere differentias & species. Sed dicendum, quòd tale non ens non est ens actu: hoc autem non habet species nec differentias: quia species non sunt nisi quæ sunt actu, & differentiæ nisi quæ sunt actus.

Plurimæ autem considerationes inductarum, siue sint destructiuæ, siue constructiuæ generis, in hac generali consideratione fundantur, quòd inspicienda sunt ea quæ diffiniunt genus & consequentia ad illa: quia si illa omnia alicui prædicato conueniunt, illud proculdubio est genus: & si aliquod illorum dissonat, tunc sequitur illud non inesse vt genus.

Epilogatur ergo dicendo in problematum disputatione & determinatione, vbi quæritur, vtrum aliquid insit vt genus, transeundum est (quemadmodum dictum est) & quoad prædicata, & quod ineſt vt accidens non comparatum vel comparatum, quod ineſt vt genus vel generale, quod est differentia, iam quantum ad præsentem spectat intentionem, sufficienter dictum est. Et etiam dictum est de prædicato quod sequitur vt genus, quamuis non sit genus secundum veritatem. Propter quod etiam in libro diuisionum dicitur, quòd verè quidam Peripateticorum tale prædicarum putabant inesse vt genus, & ipso pro genere vtebantur: cum tamen non sit genus secundum veritatem, & cætera.

LIBER V.

TOPICORVM DE DETERMINATIONE problematis de proprio.

TRACTATVS I.

De modis proprij.

CAPVT I.

De intentione & diuisione proprij.

Vtrum autem proprium vel non, &c. Intentio huius libri quinti & causa instantiæ.

TRVM autem proprium vel non proprium & quod dictum est & assignatum inesse vt proprium, in hoc quinto libro topicorum est perspiciendum. Ex quo enim ordinantur prædicata, secundum quod sunt elementa ad inesse vt diffinitio, à quo remotissimum est ipsum inesse simpliciter, & vt accidens: & iuxta hoc vno gradu appropinquans inesse vt genus: quod cum accidente conuenit: quia accidens prædicatur frequenter non conuersim vt genus. Ex quo in primo præmissa est methodus quantũ ad ea de quibus est methodus, & in secundo de inesse simpliciter & vt accidens secundum eius primam diffinitionem, & in tertio dẽ adiũcto prædicato accidẽtis determinatũ est: in quarto autem determinatur de inesse vt genus, & de adiuncto etiam prædicato quod est differentia. Sed quia de problemate de proprio in istoquinto determinatur, quod propter hoc quia cõuersim prædicatur, immediatè præcedit diffinitionẽ: quia propriũ simpliciter conuersim prædicatur secundum totalitatem temporis, & inesse vt diffinitio ad hoc addit illud quod est substantialiter secundum totalitatem substantiæ prædicatæ. Et quia ex additione se habet ad prædicationẽ proprij, ideo methodus de proprio est post præcedentes methodos quinta, & est ante sextam methodum de diffinitione. Sic igitur habetur huius methodi intentio.

Assignatur autem proprium, &c. Proprium duplex, scilicet per se & semper, & ad aliud & secundum quando.

Est autẽ diuisio siue distinctio proprij quod à Philosophis assignatur. Proprium aut per se proprium & semper, quod in nulla parte subiecti, & in nullo tempore relinquit subiectum, & quod quoad essentiam fluit ab essentialibus subiecti, & est accidens per se speciei. Aut assignatur ad aliud extra subiectum, & hoc est quando (hoc est, aliquando) proprium. Vt per se proprium hominis est, quòd sit animal mansuetum natura. Proprium autem per se dicitur ideoquia per se conuenit, in secundo modo dicendi per se, nec vnquam deserit speciem cuius est, nec ipsum, nec actus eius. Et ideo dicitur natura conueniens. Est tamen accidens: quia est consequens esse totum speciei: esse autem quod non est de esse rei sed consequens ipsum, est de genere accidentis. Et quia est de essentialibus speciei fluens, ideo dicitur accidens speciei & non indiuiduum. Et quia species est communis & essentialis similitudo indiuiduorum, ideò conuenit omni. Et quia de essentialibus speciei fluit & ineſt speciei, vt est sola inse constituta, ideo conuenit soli. Et quia substantialia nõ derelinquunt, sunt enim substantialia, quandiu res est, ideo conuenit semper.

Ad aliud autem proprium est & in eodem ex diuersis composito, vt proprium est animæ ad corpus & coniunctum respiciendo (vt dicit Plato in apoletegis) quoniam hoc quidem quid est anima, est imperatiuum, & est propriũ corporis, quoniam est ministratiuum per exhibitionem membrorum ad actus quos imperat anima, & secundum Platonem hoc non est nisi perfectio animæ: quia sensibilis est pars animæ, & vegetabilis est pars partis animæ. Et ideo (vt dicit Platõ) magis aguntur à natura quam agant: nec imperant propriè: quia à materia non eleuantur, sed imperantur propriè.

Proprium est animæ comparate ad corpus, esse imperatiuũ, & hoc non de omni anima intelligendum, sed de intellectiua tantum secundum Platonem.

Semper autem proprium est, quod nec derelinquit subiectum in se, nec aptitudine, nec potentia ad actum, vt Dei dicitur esse proprium animal immortale esse, secundum quod Deus dicitur substantia intellectiua diuina aptitudinem mobilitatis non habens, propter corruptibilitatem substantiæ, vt dicit Plat. Vnde Apuleius in libro de Deo Socratis dicit, quod dæmones sunt natura animalia, corpore aërea. Et hoc dixit Orpheus, quod aër est ple-

nus diis. Hoc igitur est proprium per se, & proprium ad aliud.

Differentia inter proprium per se, & proprium semper, & proprium quando.

Sunt propria per se consequentia naturale esse speciei: sed proprium semper est assignatum ad positionem Platonis: quia per se loquendo de Deo non potest assignari, cum nihil sit in ipso accidentale.

Quandoque autem proprium est per defectum huius quod est per se sicut actus hominis, qui aliquando conuenit, sicut ambulare in theatro, quando solus ambulat in theatro: quod non dicitur proprium, nisi quando soli conuenit, & est causatum ab accidente indiuidui, & non à principijs speciei: & ideo aliis eiusdem speciei indiuiduis non conuenit: propter quod non conuenit omni, nec soli speciei, nec semper.

Sufficientia modorum proprij.

Et ideo proprium vel est à natura speciei, vel accidente indiuidui. Si à natura speciei: aut in se, aut ad aliud. Si in se, sic conuenit omni soli & semper, & hoc est proprium simpliciter. Si ad aliud tantum dicitur comparatum ad id quod illam naturam non habet, sed aliam à qua fluit aliud in modo oppositio proprium, sicut imperare & ministrare oppositos habent modos. Proprium autem quando est conueniens indiuiduis ab accidente.

Remouet dubium.

Describitur autem & diuiditur hic proprium, & diuidentia describuntur secundum quod insunt subiecto: quia sic terminatur in problematibus per syllogismum dialecticum, de quo hic intenditur. A Porphyrio autem describitur, & dicitur proprium secundum sui substantiam: quia sic vnum est de vniuersalibus prædicatis: tamen facile est illam determinationem proprij deducere ad istam.

Quomodo diuisio proprij hic posita reducitur ad illam Porphy.

Hæc autem diuisio proprij, quæ hic posita est, ad diuisionem Porphyrij reducetur, ita quòd membrum ad membrum reducatur: proprium enim quod conuenit omni & non soli, inquantum conuenit omni & non soli, reducitur ad proprium ad aliud: proprium autem quod conuenit soli & non omni, inquantum soli conuenit, reducitur ad per se: inquantum autem conuenit non omni, continetur in proprio ad aliud. Iterum proprium quod conuenit omni soli & non semper, inquantum conuenit soli & omni, reducitur ad proprium per se: quia eisdem causatur principijs subiectum: inquantum autem non semper, reducitur ad proprium quando. Et hoc modo tria membra diuisionis Porphyrij, scilicet quod conuenit omni soli & semper, duo membra istius diuisionis continent, & proprium per se, & proprium semper: vtrumque enim illorum conuenit omni soli & semper.

Notandum etiam, quòd proprium per se dicitur propter causam inhærentiæ quæ per se est: proprium autem dicitur omni à totalitate subiecti: proprium autem conueniens est soli, & dicitur a modo actus proprij, qui separat ab omni: semper autem proprium ab vniuersitate & totalitate temporis in conueniendo ad subiectum: & sic differunt propria. Proprium autem quando, quod in omnibus his deficit, dicitur prædicatum ab accidentali actu proprij, qui est ab omnibus distinguere per accidens vt nunc inhærens. Talis igitur est diuisio propriorum secundum seipsum considerando proprium.

Remouet dubium.

Genus autem in præhabita methodo sic diuidi non oportuit: genus enim secundum quod accipitur à Philosophis, non accipitur nisi secundum vnam eius significationem: & ideo multiplicitas errorem facere non potuit: & ideo pro nihilo distinctum fuisset & diuisum. Sed proprium in pluribus significationibus sumitur: & ideo distingui oportuit, ne confusio faceret errorem in determinatione problematis. Nec distinctio ista posita est vt omninò proprij terminetur problema de proprio per hanc methodum, sed vt accipiatur modus proprij in quo terminatur problema de proprio, & alij modi dimittantur: quia methodum de accidente terminare habent, &c.

CAPVT II.

De reductione quadrimembris diuisionis ad bimembrem diuisionem.

QValiter autem ista quadrimembris diuisio ad bimembrem reducatur, vt sciatur qualiter vnumquodque problema de proprio terminari habet, nunc dicendum est primo de hoc quod vnicuique istorum propriorum conueniat. Est autem proprium (quod ad aliud alicui subiecto assignamus) ad alterum subiectum siue ad aliam speciem per aliquid in quo ab illo differunt, aut duo, aut quatuor problemata, hoc est, duobus problematibus vel quatuor terminabile. Si enim vnum proprium duobus subiectis comparetur per affirmationem ad vnum, & per negotiationem ad alterum: tunc ipsum est duo prædicata. Si autem duo opposita propria per affirmationem & negationem duobus subiectis aut speciebus comparentur, erunt tunc quatuor problemata, quibus terminatur. Cuius problatio est: quia si vnum proprium de hoc quidem in parte vna accepto subiecto fuerit assignatum per affirmationem, de illo verò in parte alia subiecto sumpto fuerit negatum, ipsum quidem problema de proprio, duo problemata fiunt. Vnum quidem per affirmationem de proprio, alterum per negationem de aliquo. Velut hominis prout ad equum comparatur, proprium est, quoniam homo est bipes, equus autem non. Nam quoniam homo non est bipes, conabitur quis: & secundo modo potest conari ad hoc, quoniam equus est bipes. Vtrumque autem siue disputetur ad primum, siue ad secundum istorum, semper interimitur proprium. Et sic patet, quòd duobus problematibus interimitur.

Est autem proprium quod ad alterum, &c.

Si autem duo propria duobus subiectis assignata fuerint, ita quod vnumquodque siue vtrumque de vtroque & affirmatiuè assignatum fuerit, & de vtroque negatum, duplicabuntur proprij problemata, & erunt quatuor problemata. Velut si dicamus sic, hominis proprium ad equum est quoniam homo bipes est, equus autem quadruplex: duobus subiectis homini

Si autem de vtroque, &c.

homini etiam & equo assignentur: & ad hoc inter mendum, quatuor problematibus quis vti potest. Nam conabitur ad hoc disputando, quoniam homo non est bipes, & quoniam homo quadrupes natus est, & tertio quoniam equus bipes, & quoniam equus non quadrupes: & sic quatuor problematibus possibile est conari per disputationem ad problematis interemptionem: quolibet enim istorum modorum (vt ostensum est) interimitur proprium quod propositum est, & ostenditur non esse proprium. Hoc igitur est conueniens proprio, quòd dicitur proprium ad aliud.

Est autem per se proprium, &c.

Est autem quod conuenit proprio per se, sic accipiendo proprium quidem per se, quod ad omnia quæ subiecto vt partes subiectiuæ assignantur, & omni conuenit, & secundum actu proprij ab omni separat, ideo conuenit soli, quemadmodum proprium hominis est, quòd sit animal mortale disciplinæ susceptibile, separat & à brutis: quorum aliqua quidem quauis in libro de animalibus dicantur magis aliis disciplinabilia, tamen non sunt disciplinæ susceptibilia per iudicium siue discretionem rationis: quia rationem non habent conferentem de acceptis per sensum ad finem verum continentem, sed quædam in operabilibus imitantur disciplinam per memoriam prius auditi & visi. Ad aliud autem proprium est, quod non separat ab omni, sed terminat siue separat & distinguit ab aliquo statuto subiecto vel specie, cui id secundum aptitudinem non potest conuenire: velut virtutis ad disciplinam comparatæ proprium est, quoniam hæc quidem virtus est in pluribus, illa autem disciplina est in rationali tantum, & in habentibus rationem nata est fieri. Dico autem virtutem naturalem, qui terminus est vltimus secundum actum optimum vniuscuiusque subiecti vel speciei, prout alia virtus equi, alia hominis vel leonis, & in eadem specie differt secundum actum & officia, vt alia virtus ciuis, alia militis, alia ducis. Sic virtus circa multa valdè habet fieri, & non est nata fieri in vno aliquo tantum, sed in multis, secundum naturam officiorum & actuum propriorum diuersitatem. Disciplinam autem dico eam, quæ est speculatio de acceptis per sensum ad finem veri, cuius medium est ratio recta. Iste verò actus quia non est nisi in habentibus rationem secundum rationalem naturam, ideo non habet sui boni vltimum nisi in habentibus rationem. Si autem semper est proprium, conuenit quod secundum omne tempus verum est, & nunqam relinquit subiectum, velut est illud proprium animalis, animal esse compositum ex corpore & anima, quamuis animali sit essentiale componi ex corpore & anima. Sunt enim essentialia compositio animali componentia corpus & anima: tamen compositum ex his esse consequitur ad ipsum compositum iam in esse constitutum: & ideo est accidentale & proprium.

Brutæ non sunt, vere disciplinabilia.

Virtus est in pluribus: disciplina vero est in rationali tantum.

Quomodo esse compositum ex corpore & anima, est proprium animalis.

Et quando verò quod secundum aliquod, &c.

Quando verò siue quando proprium est, quod secundum aliquod tempus est verum, & non ex necessitate, vt proprium per se, & ad aliquid & non semper est vt proprium, & ideo nec ex necessitate neque semper consequitur ad subiectum: sicut proprium alicuius hominis est ambulare in foro, quando solus in foro ambulat.

Est autem ad alterum, &c.

Est autem adhuc prænorandum, quòd in proprio ad alterum adhuc sunt duæ causæ assignandæ, vt sciatur proprij illius diuisio sufficiens: quando enim assignatur ad aliquod, aut inest in omnibus suppositis subiecti cui inesse assignatur secundum perfectam sui totalitatem, aut secundum imperfectam, & semper secundum perfectam totalitatem temporis: aut quia inest sæpius & in pluribus secundum perfectam temporis & subiecti totalitatem. In omnibus quidem & semper, velut hominis ad equum proprium, quoniam bipes est: nam homo quidem & semper est bipes, & omnis homo est bipes: & hoc modo proprium ad aliquid reducitur ad proprium per se: equus autem nullus ex natura est bipes & nunquam. Sæpius autem & in pluribus velut rationalis comparatæ ad concupiscibilem & irascibilem, proprium est, quòd ipsa quidem imperat, illa vero quæ est concupiscibilis & irascibilis, imparatur: hoc enim non omni conuenit, neque semper: nam neque rationalis semper imperat actu, quamuis habeat impetare in intemperato: non enim imperat & in molli qui secundum rationem corruptus est, vt videtur 7. ethic. in illis enim ratio imperatur, quando intemperati & molles sunt. Neque concupiscibilis & irascibilis semper imperatur, sed quandoque imperat, vt cum fuerit anima peruersa secundum rationem, & per passionem corrupta, vt in intemperato & molli: in continente enim corruptò ratio quidem imperat, sed vi passionis incutitur imperium, ne perueniat ad effectum: & hoc modo proprium ad aliquid, reducitur ad proprium & quando & alicui.

Rationalis potentia vt in pluribus imperat concupiscibile, licet non semper, sed quandoque è contrario.

In continente corrupto ratio dem natur & quomodo.

Ex his quæ dicta sunt, bimembris resultat diuisio, secundum quòd proprium determinabile est per rationem & dialecticum efficitur, secundum quod propriorum quædam sunt rationabilia, & quædam irrationabilia. Dico autem propria rationabilia esse, sicut lineæ dicuntur rationales ab Euclide, quibus positis ratiocinamur: & sic dicitur esse proprium rationali in cuius assignatione multa ponuntur, ex quibus per ratiocinationes dialecticas construi vel interimi potest irrationabile, quod per ea quæ in eius assignatione posita sunt, per rationes dialecticas & proprias, tamen illud destrui non potest.

Propriorum autem sunt rationabilia, &c.

Secundum hoc ergo propriorum maximè sunt rationabilia illa quæ sunt per se propria, & semper: & post sunt illa rationabilia quæ sunt rationabilia ad aliud, & non ad hoc. Proprium quidem ad aliud sunt problemata plura. Duo enim sunt aut quatuor, quemadmodum paulo ante diximus. Plures autem siue multæ sunt rationes siue syllogismi dialectici. Possunt etiam adhuc fieri duo vel quatuor problemata. Quod autem per se & semper proprium, ad multa siue per multa est argumentari syllogismo dialectico: & ipsa propria talia est obseruari ad plura, ad quæ considerari potest etiam particulis positis in diffinitione eius. Et hoc patet: quia per se proprium est ad multa diffinitiua considerandum: nam primo (& hoc patet

considerando in eo) oportet illud inesse subiecto ad vnumquodque contentum sub subiecto quod conuenit omni propter hoc considerando.

Quare autē si non & ad omnia, &c.

Adhuc quod si aliquid assignatum est vt per se proprium, & non ab omni alio separat, non erit proprium bene assignatum. Quod autem proprium est semper ad plura tempora relatum, & obseruare si in quolibet tempore conueniat: si enim non est in præsenti, vel in præterito non fuit, vel in futuro non erit, interimitur proprium: quia semper inest in omni præsenti, & infuit in omni præterito, & inerit in omni futuro. Id verò quod proprium est quando siue quando vocatum, non consideramus, nisi ad tempus referendo secundum præsens; quia nunc inest soli vni cui illud accidit inesse, & non ad plura referimus. Non igitur sunt vel possunt esse rationes dialecticæ plures ad ipsum terminandum: & ideo irrationale est: illud problema rationale est, ad quod terminandum rationationes dialecticæ fiunt multæ & spissæ & bonæ siue efficaces ad propositum includendum. Spissæ verò sunt multis & bonis mediis in principalibus & præterneccssariis propositionibus confirmatæ: talibus enim, vt dicitur in posterioribus, inspissantur syllogismi & maximè dialectici, qui multa habent talia: tali enim diuisione posita eliguntur in hac methodo ad proprium terminandum.

Problema rationale quid.

Dicatur igitur determinando proprium, quòd aliud quidem proprium dictum satis determinatur, & satis terminari potest ex his locis & considerationibus, qui dicti sunt in secundo huius scientiæ libro de accidente siue de inesse vt accidens, si consideratur qualiter huic & quidem accidit, & qualiter huic aliquando non accidit inesse. De proprio autem quando non oportet dicere: quia hoc iam in primo huius scientiæ libro ad accidens reductum est, & est irrationabile quantum ad hoc quod propria methodo non est per rationem terminabile. De his ergo propriis quæ semper & per se sunt propria, remanet in primo libro per propria methodum considerandum, quantum ad considerationes hæc propria determinantes, &c.

Ergo ad aliquid quidē dictum proprium, &c.

TRACTATVS II.

De terminatione proprij secundum bonitatem proprij.

CAPVT I.

De inspectione proprij ad ea quæ sunt, quod per notiora ponendum est proprium.

His præmissis diuisione proprij tradenda est ars per locos conuenientes quibus terminatur problema de proprio secundum inesse, & non inesse. Primum ergo tradendum est quod facilius est, qualiter & constructur vel destruitur aliud inesse vt proprium, considerando ad bonitatem proprij secundum bene esse. Et postea qualiter constructur & destruitur considerando ipsum secundum esse suum.

Primū quidem si non bene, &c.

Primum quidem dabimus considerationes sumptas ex hoc si non bene vel bene assignatum proprium, & inspiciemus ad conditiones proprij absolutè accepti. Et postea ad conditiones ipsius inspiciemus ad aliud comparati. Est igitur vnum in conditionibus proprij absolutè considerati, quòd nec superabundet nec diminuat à subiecto, si sit in æquè cum ipso. Et si hoc quidem est, vnum est considerandum in proprio assignato alicui subiecto vt inspiciatur primum si est assignatum per non notiora, vel si est assignatum per notiora subiecto vel positum.

Destruenti ergo considerandum est si est positum per non notiora: quia ex illo interimitur proprium. Eius autem quod est per non notiora esse positum proprium, duo sunt modi. Vnus est quoad esse proprij, & alius quoad bene esse proprij. Primus quidem modus, si omninò quoad esse ignotius est proprij quod propositum est, quam subiecti cuius dictum est esse proprium, interimitur proprium: sicut enim quidam dixerunt, tunc erit bene positum si sit notius subiecto, & erit assignatum secundum bene esse proprij. Nam proprium & diffinitio redditur, vt innotescat, cuius est proprium, & cuius est diffinitio: sicut enim per diffinitionem cognoscimus totam substantiam, sic per proprium tanquam secundum proprium accidens cognoscimus posse ipsius substantiæ vel subiecti: quia sicut dicitur in primo de anima, scientia accidentium proprio- Text. com. rum maximè confert ad cognoscendum quod quid est. Ex quo patet, quòd proprium per notiora reddendum est quam subiectum: & sic non erit malè assignatum proprium. Exemplum autem huius est in positione Democriti & Leucippi, qui ponit ignis proprium, quòd sit simillimum animæ corporum siue inter corpora: hoc enim in proprij assignatione (quæ sic dicit) ponitur anima, quæ ignotior est quam ignis sensibili cognitione: magis enim scimus quoad nos scientia quid est ignis, quam quid est anima: non ergo bene positum est ignis proprium

Ergo destruēti quidem, &c.

12.

proprium, quòd sit simillimum animæ corporum siue inter corpora.

Aliud autem est si non notius, &c.

Aliud autem quod secundo considerandum per considerationem ad notius est inspiciendum, si non notius est hoc quod assignatum est proprium huic subiecto cui assignatur inesse, quam subiectum esse secundum sensum qui non scit per notiora, quoniam hoc quod est proprium huic subiecto inest, & non cognoscis si illi soli inest, ita non scit si sit proprium: quoniam de substantia proprij est, quòd soli insit, & sic non scit esse proprium secundum se: quare quolibet horum duorum modorum accidente obscurum fit proprium, & sic per ipsum non potest innotescere subiectum, & sic malè est assignatum. Huius autem secundi exemplum est, vt qui ponit proprium ignis esse in quo primo nata est esse anima, ignotiori vtitur pro proprio quoad esse quam sit subiectum, hoc quod est siue quod est in seipso, vel si in hoc inest anima, & si primo inest igni: propter quod non erit bene positum proprium, dicendo quod hoc est proprium in quo primo nata est esse anima. Hoc dictum est propter naturalem calorem, qui ignis habet proprietatem. Et quia mobilitas ignis esse putabatur ex atomis rotundis semper moris, & ex eisdem putabatur esse anima quæ est principium motus vitæ per motum cordis.

Obiectio.

Siquis autem obiiciat, quòd proprium causam sui habet in subiecto, & sic semper subiecto est ignotius.

Solutio.

Dicendum, quòd subiectum notius est causa & natura: sed notius proprium debet esse quoad nos, & sicut signum quod accipitur ab eo quod est esse consequens: & hoc modo intelligitur quod dicitur hic: & dialecticus syllogismus ex talibus signis procedit.

Constructi autem, &c.

Hæc consideratione per oppositum modum vtendum est construenti. Si enim per notiora significauit siue posuit proprium secundum vtrumque modum, etiam secundum esse & secundum inesse, erit tunc secundum hoc siue quoad hoc bene proprium assignatum: nam affirmationorum locorum siue considerationum de eo quod bene assignetur proprium secundum bonitatem proprij & non secundum entitatem ipsius. Alij quidem non probant proprium bene assignari simpliciter, sed probant, quòd bene assignatur quoad hoc quod inspicitur in ista consideratione, & quoad hoc demonstrant, quòd bene assignatum est proprium, vt qui dixit animalis proprium esse sensum habere, per notiora, & per notius assignauit proprium secundum vtrumque modum, & quantum ad esse & quantum ad inesse: & ideò benè erit assignatum secundum hoc propositum quod positum est animalis esse proprium sensum habere.

Remouet dubium.

Et est notandum, quod quamuis ad demonstratorem pertineat cognoscere causam inhærentiæ proprij in subiecto, sicut in primo posteriorum ostenditur: tamen ipsam inhærentiam proprij in subiecto pertinet ad dialecticum cognoscere: & sic terminatur problema de proprio: quia ipsa inhærentia per communia & probabilia determinatur. Adhuc autem notandum, quòd in hac methodo præcipuè considerationes constructiuæ iuxta destructiuas ponuntur: quia proprium conuertibile est, & per quæcunque construitur quantum ad inesse, per eadem opposita illorum destruitur quantum ad inesse: quod non est in accidente, nec in genere, nec in aliis prædicatis. Adhuc notandum, quòd considerationes proprij quantum ad bene esse non destruunt ipsum simpliciter, sed destruunt bene esse ipsius quantum ad hoc, & non simpliciter: quia ex multis construitur & destruitur bene esse proprij: & consideratio quælibet non inspicit in se ad vnum illorum: & ideò non construit vel destruit bene esse simpliciter, sed construit vel destruit ad hoc quod de multis considerat.

CAPVT II.

De determinatione proprij destructiuè & constructiuè respictendo in multiplex ex parte sermonis & in proprio & in subiecto.

Destruenti deinde si quod, &c.

QVia verò per notiora assignandum est proprium, & multiplex ex parte sermonis facit obscuritatem, deinde post considerationem ad notius, destruenti vel destruere volenti problema de proprio, inspiciendum est siquid vel aliquod nominum (quæ in proprio sunt assignata ad circumloquendum ipsum proprium) multipliciter dicitur secundum æquiuocationem, vel etiam considerandum si tota oratio plura significat secundum amphibologiam vel aliam multiplicitatem: & si sic, non est secundum hoc bene positum proprium. Cuius exemplum est, quoniam sentire æquiuocè multa significat. Vno quidem modo significat sensum habere in habitu. Vno quidem siue alio modo sentire significat sensu vti secundum agere. Et ideò male assignatur proprium animalis esse sentire. Propter quod autem in assignatione proprij non est vtendum multiplici, nec nomine quod multipliciter dicitur, neq; oratione quæ multa significat: quia id quod multipliciter dicitur, obscurum facit id quod dictum est ad proprij circumlocutionem: quia dubitat opponens qui debet arguere ad proprium terminandum vtrum fortè sensum dicit vel dicere intendit eorum quæ multipliciter dicuntur: & ideo malè per multiplex assignatur proprium. Nam proprium docendi gratia assignatur: multiplex non docet, sed obscurat.

Sentire est æquiuocum, & ideo non est proprium animalis.

Multiplex obscurat & obnubilat intellectum.

Amplius autē adhuc, &c.

Amplius autem adhuc alia ratio est ad hoc: quoniam necessarium aliquam increpationem ad hoc fieri semper si multiplex assignatur proprium: quia sunt mali socij opus commune impedientes, & transferentes disputationem dialecticam ad sophisticam: quia sic assignare proprium opponens in dissonanti sensu quem non intendit respondens, facit syllogismum de eo siue ad aliud quod multipliciter dicitur: & vt hanc increpationem euadat, per simpliciter dicta debet assignare proprium.

Astruenti autem, &c.

Astruenti autem siue astruere volenti pro-

prium, è contra inspiciendum est, si non plura significat, ne quid, hoc est, aliquod nominum neque tota oratio: erit enim secundum hoc bene positum proprium. Cuius exemplum est, vt quia neque corpus multipliciter dictum plura significat, neque mobilissimum in superiorem locum, nec totum quod ex his compositum est, quod est oratio circumloquens proprium, erit bene positum secundum hoc proprium ignis, quod sit corpus mobilissimum in superiorem locum.

Deinde destrusati, &c.

Deinde iuxta hoc idem destruenti inspiciendum est in subiectum, si multipliciter dicitur illud subiectum cuius proprium assignatur: non determinetur autem per distinctionem multiplicis, cuius illorum (hoc est, in quo sensu accepto subiecto) proprium ponatur: non enim positum erit tunc proprium. Ob quas autem causas hoc sit, non est dubium: quia paulò ante dictum est, quòd multiplicitas obscuritatem generat, cum subiectum referatur ad proprium causa innotescendi. Nam idem incommodum accidere necessarium est quod accidit ex multiplicitate proprij. Cuius exemplum est, vt quoniam hoc scire plura significat vt pronomen subiectum: scire autem proprium vnum (hoc est, secundum vnum sensum) in quo est pronomen nominatiui casus, est scientiam habere ipsum in habitu: alterum (hoc est, in alio sensu) in quo eiusdem casus est nominatini: & hoc est scientia vti secundum agere. Aliud vero in alio sensu in quo pronomen, hoc est accusatiui casus scientiam esse, hoc est, de ipso esse: & ideo eius proprij cuius circumlocutio est scire hoc, non bene positum, quando non determinatur cuius horum (hoc est, in quo sensu dictorum) ponitur proprium.

Scire est multiplex ad scire in habitu, & in actu.

Astruenti verò si non dicitur, &c.

Astruenti verò per oppositum modum hac consideratione vtendum est, considerando etiam ad subiectum cuius est proprium assignatum. Si enim non multipliciter dicitur, sed est vnum simplex secundum sermonem, erit bene assignatum secundum hoc proprium. Cuius exemplum est, vt quoniam homo simpliciter dicitur vt subiectum, erit bene secundum hoc positum hominis proprium, quòd sit animal mansuetum natura. Et notandum est, quòd corpus in priori exemplo positum dicitur multipliciter de naturali & mathematico: & homo dicitur multipliciter de picto & animali homine: tamen in exemplis restricta accipiuntur ad naturale corpus mobile & naturale, & hominem. Adhuc notandum, quòd multiplex in fallacia in dictione respicitur, & non obscuritas secundum fallaciam extra dictionem, quod fallacia extra dictionem fit in argumentatione per quam non fit circumlocutio proprij, sed multiplex tamen in dictione est in nomine vel oratione per quam fit proprij circumlocutio.

****

Corpus & homo possunt sumi vt multiplicia, & etiam vt vnum: & hoc respectu diuersorum significatorum.

CAPVT III.

De considerationibus destructiuis & constructiuis per inspectionem ad superfluum in sermone & intellectu & nominis communitate.

Deinde destruenti quidem, &c.

DEinde destruenti proprium considerandum & inspiciendū in id quod est superfluum proprio, primo explicitè, & secundo implicitè, & tertio etiā in pluralitate propriorum. Primo ergo inter hæc considerandū destruere volenti proprium siue rationē circūloquentem proprium, si frequenter dictum est idem explicitè: hæc enim faciliter sæpè latent, & tamen hæc destruunt proprij bonitatem. Latent autem hoc facientes in proprio, quemadmodum in diffinitionibus & frequenter latent dicentes idem: & secundum hoc non erit bene positum proprium cum assignetur causa manifestationis & non latentiæ: & ideo non est bene positum, quod hoc, id est, repetitionem eiusdem passum est: repetitio enim eiusdem perturbat audientem cum sit superflua, quamuis non iudiceretur nugatio: quia si nugatio esset, interimeret entitatem proprij, & non bonitatem tantum. Impeditur autem nugatio in ista prima consideratione: quia propter partitiuam considerationem vnum accipitur vt pars alterius, vt statim patebit in exemplo: conturbat tamen & impedit proprij manifestationē: eò quod non potest esse de essentia proprij, cum proprium, vt dicit Boët. sit de natura accidentium, eò quod sit de consequentibus totum esse subiecti: & sic perturbat audientem frequenter, eò quod incertum necessario sit proprium ex frequenter dicto: & contra hoc exercitari videntur & anxiari opponentes.

Repetitio eiusdem perturbat audientem.

Eueniet autem frequenter dicere idem duobus modis. Vno quidem quando explicitè nominauerit quis idem frequenter, velut si quis proprium ignis ponendo assignet dicens, quòd ignis proprium est, quòd sit corpus tenuissimum corporum: hoc enim sic assignans frequenter siue bis dixit corpus per significationem & vocem, quamuis per modum significandi participatiuæ constructionis videatur esse diuersum. Secundo autem euenit frequenter idem dicere intellectum in voce explicita: & tunc patet, quòd frequenter idem dicitur, si quis pro nominibus impropriè positis assignet diffinitiones eorum quæ in oratione proprium circumloquente ponuntur, velut si quis reddat vel ponat terræ proprium, quòd terra est substantia quæ maximè corporum secundum naturam fertur in inferiorem locum, videlicet centrum: deinde loco eius quod dicit corporum, assumat diffinitionem corporum, idem dicit: eò quod huius substantia est corporearum substantiarum. Sic enim species ponitur cum genere in eadem assignatione, vt si dicat, quòd terra est corporea substantia quæ maximè corporearum substantiarum fertur in inferiorem locum. Hic enim patet, quòd frequenter

Eueniet autem frequēter dicere, &c.

quenter idem dicatur, quod etiam intellectui prioris orationis sic iterabatur: vnum enim quantum, ad significatum secundum intellectum est corpus, & huius, hoc est, corporea substantia. Patet ergo, quòd substantia hoc modo secundum intellectum erit frequenter dicta: & sic conturbatio fit in audientes: quare neutrum & neque frequenter dictum in voce, neque frequenter iteratum secundum intellectum, est bene positum proprium.

Astruenti vero si nullo, &c.

Constructiua consideratio iuxta hanc accepta est: quia astruenti proprium considerandum est, si nullo eodem frequenter vsus est in nomine quod ponitur in proprij assignatione: & sic erit secum hoc siue quantum ad hoc bene assignatum proprium dictum, veluti qui dixit hominis proprium esse disciplinæ suscepribile: sic enim dicens, non est vlus frequenter eodem nomine: & secundum hoc erit bene assignatum proprium hominis.

Deinde destruenti quod si tale, &c.

Respiciendo in superfluum conuertibilitatem proprij considerandum destruenti problema de proprio, si tale assignauit nomen in propria significatione, vel tale proprium quod sicut transcendens omnibus insit vt vnum & ens. Hujus ratio est: quia tale nomen inutile erit ad proprium, cum sit contra propriam rationem proprij. Proprium enim est, quod ab omnibus separat & soli conuenit. Quod igitur non separat ab aliquo, inutiliter ponitur in assignatione proprij: velut etiam particulæ quę ponuntur in diffinitione, quarum quælibet separat ab aliquo: ita enim separantes ab aliquo oportet esse particulas positas in proprio. Si ergo transcendens non coarctatum ponatur in assignatione proprij, non est bene proprium assignatum. Cuius exemplum est, vt qui posuit scientiæ proprium, dicens, quòd scientiæ proprium est esse opinionem siue conceptum irreprobabile sub ratione vnum existens, hoc est, quòd scientia vnum est existens sub ratione quæ est opinio irreprobabilis: Et dico vnum existens sub ratione: quia ratione certissima & irreprobabili confirmatur & probatur. Opinio autem dicitur ab opinante & non opinabili: hic enim taliquo vsus est in proprio (hoc est, in assignatione proprij) vno quod est transcendens non coarctatum: ideo omnibus adest, & á nullo separat, & ideo quoad hoc non erit bene positum scientiæ proprium.

Astruenti autem si nullo vsus est, &c.

Iuxta eandem considerationem per modum oppositum inspiciendum est si in assignatione proprij in oratione circumloquente proprium nullo termino est vsus communi transcendente non constricto, quorum quodlibet ab aliquo separat: & sic erit tunc bene secundum hoc positum proprium. Cuius exemplum est, vt si quis dixit, quoniam proprium est animalis animam habere, nullo vsus est termino communi in constricto: erit ergo secundum hoc bene positum animalis proprium, quod est animam habere.

Differentia adiuncta generi non facit negationem, sed bene species adiuncta generi.

Et attende, quòd in diffinitione adiunctæ differentiæ generibus quæ alio modo habent genus, si secundum esse accipiantur, non est nugatio: eò quod non est inutilis repetitio, quia sunt ad specificandum: neque nugatio nisi species in eadem ratione coniungatur cum genere. Adhuc notandum, quòd transcendens restrictum non destruit bonitatem proprij positum in oratione circumloquente proprium: aliter enim non esset proprium quod in prædicamento substantiæ dicitur, quod proprium substantiæ est, quod cum sit idem & vnum numero, sit susceptibile contrariorum secundum sui permutationem: contrahitur enim ibi vnum per adiunctum etiam quod est idem numero.

Deinde destruenti quidē si plura propria, &c.

Deinde adhuc destruenti problema de proprio inspiciendo in proprium, multipliciter considerandum est, si aliquis plura propria assignat eiusdem subiecti vel speciei, non determinans aliquid in sermone positum: quia plura sunt propria quæ ponit: tunc enim plura ponit vt vnum, quod esse non potest, cum à diuersis subiecti principiis causentur: vnde tunc non erit bene positum proprium. Nam quemadmodum in diffinitionibus oportet præter orationem quæ indicat diffiniti substantiam, non adiicere aliquid plus quod non sit de substantia diffinitionis, eò quod diffinitio nihil continet superfluum neque diminutum vt sit diffinitæ rei terminus: sic oportet, quòd neque in propriis aliquid superfluum adiiciatur, eò quod proprium causa innotescēdi proprij potestatem redditur: vnde nihil debet continere plus præter eam orationem quæ facit proprium: nihil enim coassignandum est proprio, eò quod inutile sit huius proprium propter superflui additionem. Cuius exemplum est, vt quoniam qui dixit ignis proprium esse, quòd sit corpus tenuissimum & leuissimum, pluta assignauit propria: vtrumque enim de solo igne verum est dici: & sic vtrumque erit ignis proprium: & quia vt vnum assignauit, non erit bene positum ignis proprium, quòd dicatur corpus esse subtilissimum & leuissimum. Iuxta hoc autem consideratio constructiua formatur: astruenti enim valet per oppositum considerare si non plura assignauit, sed vnicum, erit secundum hoc bene assignatum proprium. Cuius exemplum est: quoniam qui dixit humidi proprium esse quod in omnem figuram, eò quod malè sit terminabile termino proprio, & bene alieno: hoc assignauit proprium esse non pluta: & ideo erit secundum hoc bene positum humidi proprium.

Vnius subiecti sunt multa propria, à diuersis tamen subiecti principiis causata.

Attendendum est, quòd vnius subiecti sunt multa propria, sed à diuersis subiecti principiis & potestatibus causata: & quoad ista diuersa principia cadit subiectum in diffinitione proprij: & quando non fit distinctio & determinatio de illis, videbuntur propria ad idem referri principium: & ideò generat confusionem, & non declarat subiectum, &c.

****

CAPVT IV.

De interemptione & constructione problematis de proprio penes conditiones proprij sumptas comparati ad aliquod subiectum.

Deinde destruere volenti problema de bonitate proprij comparati ad aliud aliquod sicut ad subiectum, & in his conditionibus proprij comparati, primo inspiciendum est ad subiectum proprium eiusdem proprij, quod si bene esse assignauit. Inspiciendum ergo si eodem subiecto vsus est in proprio, cuius proprium assignauit cum aliquo eorum quæ sunt eiusdem subiecti vel partes essentiales, vt genus, & differentia: vel pars subiectiua, vt animalis pars est homo: tunc enim non erit bene positum proprium. Et huius ratio est: quia causa dicendi & notificandi subiectum assignatur proprium: si ergo assumat idem, assumet id quod similiter siue æqualiter ignotum est, & sic non potest declarare subiectum. Si autem assumat aliquid eorum quæ sunt subiecti & pars subiecti, assumet in proprio quod posterius erit subiecto, & sic iterum declarare non poterit: quia non est notius illo: propter quod non fit siue non contingit per tale proprium magis aliquid discere sicut per declarans subiectum: & sic inutiliter assignatur proprium. Huius exemplum est, si quis dixit animalis proprium esse, quòd sit substantia, cuius species est homo: aliquo vsus est illorum quæ sunt animalis vt substantia cum adiunctis, & aliquo vsus est quod est animalis pars vt homo: & ideo non bene positum est proprium.

Deinde destruëti quidem si eodem vsus est, &c.

Astruenti autem si neque, &c.

Astruenti autem valet vti hac consideratione per oppositum, quod inspiciat si nec eodem subiecto, nec aliquo eorum quę sunt eius, vtitur in proprij assignatione: tunc enim erit bene positum proprium. Cuius exemplum est, vt qui ponit animalis esse proprium, quòd sit ex anima & corpore, neque eodem subiecto cuius assignatum est proprium, neque aliquo quod subiecti sit vt pars subiectiua, vsus est in assignatione proprij: & ideo bene erit positum secundum hoc proprium. Eodem modo in aliis considerandum positis in assignatione proprij quæ non faciunt notius subiectum.

Destruenti quidem si aliquo vsus est, &c.

Vnde ad considerandum problema de bonitate proprij considerandum si aliquis in assignatione proprij, aut oppositi subiecti, aut eo quod simul natura est cum ipso, aut aliquo quod posterius est illo quoad cognitionem vsus est: tunc enim non erit bene positum proprium: nam opposita simul sunt natura & neutrum notius est reliquo inquantum sunt opposita: tunc enim non erit bene positum proprium: quia quod est simul natura vel posterius subiecti, non potest facere notius subiectum. Cuius exemplum est, vt qui dixit boni proprium esse quod malo maximè opponitur, opposito vsus est boni: non erit ergo secundum hoc bene assignatum boni proprium.

Astruenti autem si nullo, &c

Astruenti autem consideratione vtendum est, inspiciendo si nullo vsus est neque oppositi, neque quod simul est natura, neque posteriore: erit enim secundum hoc bene assignatum proprium. Cuius exemplum est, qui posuit disciplinæ proprium, quòd sit opinio siue conceptus maxime faciens fidē, nullo vsus est neque oppositi, neque quod sit omninò simul natura, neque posteriore: erit ergo secundum hoc bene positum proprium disciplinæ. Disciplinam autem dico eam quæ in disciplinabilibus & demonstrationibus cōclusionum acceptus est habitus, quæ opinio est in opinante, & non ab opinabili dicta: eò quod accipit demonstrabile per medium non proprium & proximum, sed per effectum vel causam remotam vel communem.

Obiectio. Hic autem cauendum est: quia priuatio & habitus sunt oppositi: & tamen non sunt simul natura: quia priuatio notificatur per habitum. Sed ad hoc dicendum est, quòd oppositi sunt simul natura inquantum opposita, & quod habitus notificat priuationem, non est, ex hoc quod opponitur, sed ex hoc quod est principium & materiale & naturale ad priuationem: quia non est priuatio nisi habitus, & est priuatio in aptitudine ad habitum: vnde quod opposita non debent poni in proprio, intelligendum est inquantum opposita sunt.

Aliocirca dio Et quod dictum est, quòd non debet esse posterius, cum tamen proprium sit de genere accidentium: & similiter particulæ quæ ponuntur in oratione circumloquente proprium, sunt accidentales, & sic posteriores subiecto.

Solutio. Intelligendum quoad illam cognitionem qua proprium notificat subiectum: & hoc est quoad cognitionem. Similiter proprium notificat subiectum cum cadat in eius diffinitione. Et quod aliqui dicunt, quòd species potest considerari secundum essentiam siue secundum substantiam, & quoad esse. Et si secundum substantiam, tunc nihil habet prius nisi genus & differentiam. Et si consideretur quoad esse, sic proprium prius: quia dicit aptitudinem ad esse quæ prior est quam esse: non est curandum: quia falsum est, cum dicatur ab Auicenna, quòd proprium est posterius ipso esse speciei, sicut id quod ab esse speciei fluit, & non est essentia quæ sit ante esse. Et hoc patet: quia subiectum secundum esse acceptum cadit in diffinitione proprij: neque potest esse subiectum nisi secundum esse perfectum.

Dictum quorundam falsum & non curandum.

Deinde destruenti quidem inspiciendum est si quis assignauerit proprium, id quod non semper sequitur & non conuersim ipsum subiectum: hoc enim posterius est & non prius secundum aliquem modum: nec potest esse proprium, nisi quando & in particulari, de quo non potest esse cognitio per rationem: vnde hoc aliquando sit non proprium: vnde non erit bene positum huius proprium. Cuius ratio est: quia id in quo comprehendimus idem proprium ineſſe sicut in subiecto, de hoc non de necessitate & per se dicitur proprium: cum aliquando non insit: & sic non semper erit verum proprium prædicatum de subiecto: quia nomen proprij

Deinde destruenti quidem, &c

proprij de subiecto aliquando non prædicatur secundum actum. Neque etiam comprehendimus vt nunc non ineſſe proprium: sed nomen negatum de ipso non de necessitate dicetur eidem non ineſſe, sed quandò ineſt contingenter, quando abest contingenter (cum proprium debeat aut de necessitate ineſſe, aut de necessitate non ineſſe) propter hoc quia non seruat maximas & regulas proprij, non erit bene positum proprium.

Amplius autem ad hoc, &c.

Amplius autem ad hoc alia ratio est: quia quando assignauit quis tale proprium: siquidem est tale vt ipsum quandoque ineſt, & quandoque non ineſt: vel si non est manifestum si ineſt, vel non ineſt: tamen tale sit proprium quod sit vel contingit amittere: non ergo erit planum & notum tale proprium quod semper non ineſt. Cuius exemplum est, vt qui posuit proprium animalis moueri quidem & stare. Quia indoque enim mouetur & quandoque stat: & ideo non erit bene positum proprium.

Astruenti autem si quod, &c.

Astruenti autem eadem consideratione per oppositum vtendum, & considerandum si aliquis tale proprium assignauit quod de necessitate semper ineſt & sequitur subiectum: erit enim bene positum secundum hoc proprium. Cuius exemplum est, vt qui posuit virtutis proprium in comparatione ad subiectum siue ad eum cūius est virtus, quod habentem facit studiosum siue virtuosum, assignauit proprium quod semper sequitur cuius est proprium: & ideo quoad hoc bene positum est proprium.

Deinde destruenti &c.

Deinde secundum eandem considerationem destruenti est considerandum, si aliquis quod vt nunc proprium est assignans, non determinauit per aliud in sermone positum, quod vt nunc & non simpliciter: tunc non erit bene positum tale proprium. Cuius quidem prima ratio est: quoniam tale proprium sit extra morem siue consuetudinem assignandi proprium: hoc enim tale secundum omne tempus assignari consueuit: & quod sit extra morem siue consuetudinem assignandi proprium, indiget determinatione: quia aliter intelligitur secundum morem aliorum priorum. Solent autem plerumque secundum morem omnes Philosophi proprium assignare id quod semper sequitur subiectum. Secunda autem consideratio siue ratio est: quia est obscurum verum tale sit si non determinauit assignans tale proprium, quod vt nunc & non simpliciter voluit assignare proprium.

Astruenti autem si nunc, &c.

Eadem autem consideratio per oppositum modum inspecta, valet astruenti si aliquis vt nunc proprium assignans determinauit in sermone, quoniam vt nunc proprium assignauit: nec enim inconuenienter sic determinando dixit: & ideò erit secundum hoc bene positum tale proprium vt nunc. Cuius exemplum est, vt qui dixit, quoniam alicuius hominis proprium est ambulare nunc, vel vt nunc, hoc per hunc terminum segregans vt nunc proprium à simpliciter proprio: & ideò secundum hoc bene erit positum tale proprium.

Deinde destruenti quidem, &c.

Considerandum deinde destruenti si aliquod tale assignauerit proprium quod ineſſe alio modo non est manifestum quam sensu: tunc enim proprium non erit rectè assignatū: sensibile enim quod ex solo sensu manifestum factum est, nec aliunde cognoscitur, incertum est: cum parum post amisso circa eum sensu eius etiam cognitionem amittamus. Dubium est enim tunc (amisso circa eum sensu) verum adhuc insit cui prius inerat: eò quod sensu solo cognoscitur. Erit autem hoc verum in his quæ sciemus consequi non ex necessitate, aut semper. Si enim ex necessitate sciremus ea consequi, amissa adhuc sensatione circa ipsa cognoscemus & quod insunt cui prius inerant. Huius autem dicti exemplum est, vt siquis posuerit hoc solis proprium esse, scilicet astrū quod fertur super terram ludicissimum: hic enim tali aliquo vsus est vt proprio, scilicet super terram ferri, quod (vt patet) sensu cognoscitur: & ideò per hoc non est assignatum solis proprium: quoniam ignotum est quantum ad sensum, quum sol iuerit in occasum, vtrum adhuc feratur super terram: eò quod tunc amisimus sensum circa ipsum.

Astruenti verò si tale, &c.

Sed per oppositum volenti astruere proprium inspiciendum si tale assignatum sit proprium, quod non solo sensu sit manifestum: sed si est sensibile cum hoc etiam ex necessitate ineſſe palam sit: hoc enim modo bene positum ac rectè assignatum est proprium. Cuius exemplum est, vt siquis posuerit superficici proprium esse hoc, quod est primum coloratum esse: est enim superficies immediatum subiectum coloris: tunc sensibili quidem aliquo vsus est proprio: sed tali vsus est proprio, quod licet sensibile sit, tamen manifestum est ipsum semper ineſſe superficiei etiam absque sensu: quare hoc modo conuenienter erit assignatum superficiei proprium.

Deinde destruenti quidem si diffinitionem, &c.

Destruenti postea valet quidem hæc consideratio, vt si diffinitionem vt proprium assignauit: nō enim oportet ipsum proprium quid est esse seu rei essentiam indicare. Cuius exemplum est: quoniam qui dixit animal gressibile bipes esse hominis proprium, assignans quid est esse hominis, assignauit (hoc est, assignare credidit) hominis proprium. Non igitur bene assignatum est hominis proprium. Diximus autem autem non oportere proprium indicare quid est esse rei: quoniam duplex est proprium, vt in primo huius scientiæ libro dictum est. Aliud quidem quod quid est esse rei indicans, vt diffinitio: aliud autem non, vt proprium de quo hic loquimur. Diximus etiam animal gressibile bipes esse hominis diffinitionem, & quid est esse eius indicare, non curantes de exemplo, licet rei veritas sit alia.

Astruenti autem si quod conuersim, &c.

Volenti autem astruere intuendum si illud vt proprium assignauit, quod conuersim prædicatur & non indicat quid est esse rei: & si ita se habuerit, tunc erit secundum hoc bene assignatum proprium. Vt verbi gratia, qui posuit animal mansuetum natura esse hominis proprium, assignauit tale hominis proprium quod non est quid est esse significans: & tunc secundum hoc bene assignatum erit hominis proprium.

Deinde destruenti quidem, &c.

Confert deinde destruenti quidem si assignans proprium non posuerit ipsum in quid est, hoc est, in genere suo: nam oportet in propriis accidentalibus ita assignare proprium genus,

nus, ſicut etiam in diffinitionibus & poſtea adaere reliqua diſtinguentia & ſic ſeparare: & ideo quod non eſt hoc modo poſitum proprium, non erit bene aſſignatum. Cuius exemplum eſt, vt qui dixit animam habere, eſſe animalis proprium, iſte non poſuit in quid eſt omne animal: & ideo hoc non erit bene poſitum animalis proprium.

Aſtruenti verò ſi quidem, &c.

Sed ſiquidem cuius eſt proprium aſſignauerit, ponens in quid ipſum ſit & reliqua ſuperaddat ſeparantia & diſtinguentia, conſtruenti proficit, & erit ſecundum hoc bene aſſignatum proprium, vt qui proprium hominis aſſignauit animal diſciplinæ ſuſceptibile, proprium hominis aſſignauit, ponens ipſum in quid eſt, hoc eſt, in genere ſuo: animal enim genus hominis exiſtens dicitur etiam genus in quod, hoc eſt, genus ſubiectum proprietatis hominis, licet non ſit ſubiectum adæquatum: & ſecundum hunc modum erit bene poſitum hominis proprium.

Verum ergo bene aut non bene, &c.

Per hæc itaque perſpiciendum (vt circa dicta concludamus) verum bene aut non bene aſſignatum ſit proprium. Ex his igitur conſiderandum etiam, verum proprium ſit omninò quod iam dictum eſt eſſe proprium, aut non ſit. Nec illæ ſunt conſiderationes diſtinctæ: quoniam loci qui conſtituunt proprium ſimpliciter, quoniam bene poſitum eſt, erunt idem his qui proprium omninò faciunt: in illis ergo ſcilicet primus locis, dicuntur (hoc eſt, continentur) loci ſecundi, quaſi dicamus, quòd quia loci per quos perſpicere poſſumus verum proprium ſit bene aſſignatum, ſunt loci facientes immediatè cognoſcere verum proprium ſit omninò quod iam aſſignatum eſt, ideò non ſunt ſeorſum pertractandi: nam in dictis locis de conſtructione & de ructione proprij continentur & loci de cognitione eius quod aſſignatum eſt verum ſit proprium vel non.

Primum ergo deſtructem, &c.

In primis itaque oportet deſtruentem (hoc eſt, deſtruere volentem aliquid eſſe proprium) inſpicere in vnumquodque inferius cuius proprium aſſignauit verum nulli inſit, aut ſi non eſt verum hoc proprium ſecundùm hoc, id eſt, ſi non conueniat alicui illorum inferiorum, hoc eſt, ſi illud quod proprium aſſignatum eſt, non conueniat alicui ex illis inferioribus, licet fortè aliis conueniat: aut ſup. dato, quòd omnibus illis inferioribus conueniat, non ſit tamen proprium cuiuſque eorum ſecundum illud commune cuius aſſignatum fuit proprium: ſi enim aliquod iſtorum modorum ſe habuerit, non erit proprium quod poſitum eſt eſſe proprium. Cuius exemplum eſt, ſi aſſignetur proprium eſſe ſcientis infallibilem eſſe ſub ratione ſiue argumentatione, inſpiciendum ſi hoc omni ſcienti conuenit, vt videndum ſi geometer qui eſt ſciens, ſit infallibilis in ſua argumentatione ſemper, & vſo quod hoc non conuenit geometræ: eò quòd aliquando fallitur falſo deſcribendo figuras, de quibus argumentatur. Non eſt ergo hoc ſcientis proprium quod dictum eſt, quod eſt infallibilem eſſe ſub oratione: quia non conuenit omni ſcienti.

Aſtruenti autem ſi de omni verum, &c.

Iuxta hanc conſiderationē oportet aſtruentem ſiue aſtruere volentem conſiderare ſi de omni verum eſt proprium: quia ſi de omni verum eſt: tunc eſſet ſimpliciter verum etiā de ipſo: quia quod per ſe omni conuenit, conuenit ſecundum quod ipſum & ſimpliciter & ſoli illi: & ſic erit ſimpliciter proprium, quod poſitum eſt eſſe proprium. Cuius exemplum eſt, vt quoniam animal ſuſceptibile diſciplinæ de omni homine verum eſt: & ideò quod de quolibet verum eſt, erit ergo proprium hominis. Vt autem idoneus ſit aliquis ad diſcernendum quando conuenit omni & ſecundum ipſum, dicimus quod hic locus iſtius conſiderationis vtilis eſt deſtruenti quidem vt inſpiciat ſi non dicitur ratio quæ deſcribit proprium de omni eo de quo dicitur nomen ſubiecti: ita etiam ſi de quocunque dicitur nomen, de illo eodem non dicitur ratio quæ eſt proprij: & è conuerſo ſi non dicitur ratio propria, neque nomen eius, ita quod conuerſim prædicarentur de ſeinuicem: tunc enim non erit proprium. Conſtruenti autem vtilis eſt oppoſito modo conſiderando, ſi de quo dicitur nomen, ſemper de eodem dicitur ratio proprij: & è conuerſo ſi de quo dicitur ratio, & nomen ſiue ſubiectum prædicatur. Dicitur autem proprij ratio: quia ad determinandum ponitur, ſicut ratio quæ eſt diffinitio. Et dicitur ſubiectum nomen: quia ſicut nomen diffiniti ſe habet ad diffinitionem, ita ſubiectum ſe habet ad proprium, quantum ad hoc quod declaratur per proprium quàm ad quantitatem, ſicut in antehabitis dictum eſt.

Deinde deſtruenti quidem conſiderare oportet ad hanc proprij conditionem quæ eſt conuerſim prædicari, etiam quod ſi non dicitur nomen de omni de quo dicitur ratio, & è conuerſo ſi non dicitur ratio de omni eo de quo dicitur nomen: tunc enim non erit proprium quod dicitur ineſſe vt proprium. Cuius exemplum eſt, vt animal ſuſceptibile diſciplinæ dicitur de omni homine, & è conuerſo iuxta eandem conſiderationem per oppoſitum modum acceptam. Aſtruentem conſiderare oportet, ſi de omni de quo ratio & nomen prædicatur, & è conuerſo: quia tunc eſſet bene poſitum proprium, vt de quocunque verum eſt & prædicatur animam habere, & animal eſſe verum eſt & prædicatur. Et è conuerſo de quo verum eſt eſſe animal, & de quo prædicatur animal, de omni illo prædicatur animam habere: erit ergo animam habere animalis proprium.

Deinde deſtruenti quidem, &c.

Deinde deſtructiuè quidem oportet conſiderationem habere ad hanc proprij conſiderationem vel conditionem quæ eſt non in quid prædicari: quid autem in diffinitione proprij eſt ſubiectum poſitum in diffinitione propriæ paſſionis. Vnde conſiderandum deſtruenti ſi aliquis aſſignauit ipſum ſubiectū cuius paſſio eſt propria, vt & ipſum ſubiectum ſit proprium eius quod eſt in ſubiecto: tunc enim non erit proprium quod ſic ponitur. Cuius exemplum eſt, vt qui aſſignauit quod eſt ignis eſſe ſubtiliſſimum corpus, cum ignis ſit ſubiectum, & ſubtiliſſimum corporum eſſe paſſio ſiue proprium, hoc tale ſubiectum aſſignauit prædicari vt proprium: non eſſet ignis proprium ſubtiliſſimum corpus. Ignis in quid, ſubtiliſſimum autem corporum eſſe in quale prædicatur: &

propter

propter ſubiectum erit proprium eius paſſionis ſiue proprij quod in ſubiecto eſſe dicitur. Cuius ratio eſt: quia ſi hoc dicatur, ſequitur quod vnum & idem plurium etiam ſpecie differentium proprium erit: nam eidem ſubiecto inſunt plura etiam ſpecie differentia, quæ tamen vt propria de ſola ſubſtantia ſunt dicta: quorum omnium ſecundum hoc proprium erit, quod ſubiectum erit eorum.

Obiectio quorundam.

Contra hoc tamen quidam obiiciunt: quia ſi vni ſubiecto multa inſunt propria, hæc omnia conuertuntur cum ſubiecto prædicato: ſed quæcunque vni & eidem conuertuntur, ipſa etiam inter ſe conuertuntur: ergo iſta propria inter ſe conuertuntur: & ſic vnum eſt alterius proprium, quod falſum eſt. Sed ad hoc dicendum, quòd propria largè dicuntur hic quæcunque inſunt omni & ſoli, vt grammatica & muſica homini ſecundum aptitudinem: & tunc inconueniens eſt ſubiectum dici proprium eorum quæ ſunt in ſubiecto: quia ſic homo erit proprium grammaticæ, & proprium muſicæ & albedinis & aliorum multorum: quod eſt contra naturam proprij, quod conuenit vni & ſoli ſecundum ſpeciem.

Solutio.

Aſtruenti vero ſi, &c.

Aſtruenti verò valet hæc conſideratio oppoſito modo conſiderando etiam & ſi id quod in ſubiecto eſt vt paſſio, aſſignauit quis eſſe proprium ſubiecti: hoc enim cum in quali & non in quod prædicatur, erit proprium quod ab aduerſario poſitum eſt non eſſe proprium: ſi quidem de ſolo ſecundum ſpeciem, vt dictum eſt, prædicatur. Cuius exemplum eſt, vt qui dixit terræ proprium eſſe, quod ſit corpus grauiſſimum in ſua ſpecie: hoc enim ſubiecto aſſignauit proprium quod de ſola re ſubiecti dicitur, & vt proprium prædicatur in quale: & ideo erit rectè poſitum terræ proprium.

Deinde deſtructi quidem, &c.

Deinde alia conſideratione penes eandem conditionem proprij quæ eſt non in quid prædicati reſpiciendo ad genus quod eſt quid in diffinitione, oportet deſtruentem conſiderare ſi aliquis aſſignauit proprium quod ſecundum participationem refertur ad ſubiectum: tunc enim non erit proprium quod poſitum eſt eſſe: eò quod ſecundum participationem ineſſe conducit ad aliquid ineſſe ſubſtantialiter vt genus & differentia: vnde tale quid participat ſubiectum, non erit proprium, ſed ſubſtantialis differentia quædam de aliqua ſpecie generis dicta quam conſtituit. Cuius exemplum eſt, vt quoniam non aſſignauit vt proprium qui dixit proprium hominis eſſe greſſibile bipes: hic enim differentiam aſſignauit vt proprium hominis ſecundum participationem eius quod quid eſt eſſe conducit: & ideò non erit hominis proprium greſſibile bipes, ſed ſubſtantialis differentia.

Conſtruenti autem, &c.

Iuxta hanc conſiderationem per omnem modum oportet aſtruentem conſiderare, ſi aliquis aſſignauit proprium non ſecundum participationem eius quod participat ipſum ſubiectum, nec id quod aſſignauit, eſt quid eſt eſſe rei ſubſtantiale ſignificans, ſed in quali accidentali prædicatum: tamen etiam ſoli conuenit, & de quo res ſubiecta conuerſim prædicatur: vt animalis proprium eſſe quod natum eſt ſentire: hoc enim neque participa-

tiuè dictum de ſpecie aſſignauit proprium, neque quid ſit eſſe ſignificans: & tamen de quo res ſubiecta conuerſim prædicatur: erit ergo animalis poſitum rectè quod ſentire natum eſt.

Deinde deſtructi quidem ſi non contingit, &c.

Deinde conſiderando proprium ad id quod conſequitur conditionem proprij quæ eſt omni & ſoli ineſſe: ad id enim ſequitur ſimul ineſſe proprium ſitum cum ſubiecto, & non prius, nec poſterius. Oportet igitur conſiderare deſtruentem ſi contingit ſubiecto poſito ineſſe proprium ſimul. Dico tempore & conſequentia, & non cauſa ſimul & natura: ſed contingit vel prius vel poſterius ineſſe ei ſubiecto cuius eſt nomen quod innoteſcit per proprium: tunc non erit proprium quod poſitum eſt eſſe proprium: ſed quando erit proprium: quia aliquando non ſequitur ad ipſum: ſed quando contingit prius eius ineſſe vel poſterius, non erit proprium quandoque neque ſemper: quia non ſemper ſequitur ad ſubiectum & antecedit ad ipſum, vt id quod contingit & prius alicui ſubiecto ineſſe quam ſubiectum, ſiue poſterius alicui ineſſe quam ſubiectum, non eſt proprium. Cuius exemplum eſt, vt ambulare per forum, quod contingit prius & poſterius eſſe quam hominem: & ideò non erit ambulare per forum hominis proprium quandoque, neque ſemper erit proprium, hoc eſt, quandoque erit non proprium, neque ſemper erit proprium. Et non intelligitur iſtud ſicut quidam dicunt, quòd nec ſit proprium quando, nec proprium ſemper: ſed potius, quòd non eſt, nec erit proprium: & ideo ſemper non erit proprium: vt quoniam contingit & prius alicui ineſſe ambulare per forum quam homini, & alicui contingit poſterius ineſſe quam homini: & ideo ambulare per forum hominis, nec quandoque erit proprium, nec ſemper.

Mala expoſitio quorundam.

Conſtruenti autem, &c.

Aſtruenti autem iuxta eandem conſiderationem per oppoſitum modum conſiderandum: quòd aſſignatum eſt proprium ſimul cum ſubiecto ineſſe ex neceſſitate ſecundum tempus & conſequentiam: cum tamen nec differentia ſubſtantialis ſit nec diffinitio, ſed nihil ſit de eſſe ſubſtantiali: erit enim tunc proprium quod ab aduerſo oppoſitum eſt non eſſe proprium. Cuius exemplum eſt, vt quoniam animal ſuſceptibile diſciplinæ quod proprium eſt hominis, & homo quod eſt ſubiectum ſimul, & ex neceſſitate conſequentiæ ſimul eſt, poſito vno ponitur alterum, & è conuerſo: cum tamen animal ſuſceptibile diſciplinæ, nec differentia hominis ſit, nec genus, nec diffinitio hominis ſit. Erit ergo verum & rectum proprium hominis quod dictum eſt.

Deinde deſtruentem quidem, &c.

Deinde iterum conſiderando in id quod ſequitur hanc conditionem quæ eſt ſoli ineſſe, & deſtruitur proprium. Oportet igitur deſtruentem conſiderare proprium ſi eorundem in ſpecie in eo quod idem ſunt ſpecie, non eſt idem proprium. Proprium enim, vt dicit Boëtius, eſt accidens ſpeciei: & ideò eſt vnum proprium omnium illam ſpeciem participantium: & ſi ſit non idem, non erit proprium quod poſitum eſt. Cuius exemplum eſt in moribus: & quoniam eius quod aſſequendum eſt, non eſt proprium quod videatur quibuſdam bonum,

&c.

bonum, ita quod assequendum sit id quod quibusdam bonum esse videatur: assequendum enim & eligendum eadem sunt specie appetibilis: & eligendi non est proprium videri quibusdam bonum: ergo nec assequendi: quia multa assequenda quæ eligenda sunt, non videntur quibusdam esse bona. Idem autem specie assequendum & eligendum.

Astruenti si eiusdem, &c.

Iuxta eandem considerationem per oppositum oportet considerare construentem, si eiusdem speciei in eo quod idem specie est, idem proprium: tunc enim erit proprium quod ab aduersario positum est non esse proprium. Cuius exemplum est: quoniam hominis in eo quod homo est, est proprium triplicem (hoc est, trium potentiarum) animam habere. Locus autem huius considerationis vtilis est non solum in proprio, sed etiam in accidente: quia sicut eorundem inquantum talia, est idem proprium: sic eisdem inquantum talia, necessarium est accidere idem, vel non inesse in accidentibus quæ à subiecto causantur.

Deinde destruenti quidem, &c.

Deinde etiam comparatur proprium non solum secundum identitatem simpliciter, sed etiam secundum identitatem secundum quid, quæ est generis & speciei. Vnde destruentem oportet considerare si eorum quæ sunt eadem specie subalterna, non idem semper specie est vt proprium, quod assignatum est. Cuius exemplum, vt quoniam idem specie sunt subalterna homo & equus: & moueri in seipso & stare in seipso, sunt propria eiusdem speciei, & equi proprium non est semper moueri in seipso siue à seipso: ergo nec proprium est hominis semper moueri in seipso siue à seipso: & sicut equi non est proprium, quod semper stet in seipso, ita hominis non est proprium semper à seipso moueri: idem enim specie semper est moueri & stare in seipso: quia ab vna causa est, vtrumque, quod est animal processiuum: hoc enim solum habet, quòd mouetur in seipso & stat in seipso, vt dicitur 8. physicorum: secundum enim quod est animal processiuum, accidit ei vtrumque istorum.

Astruenti autem si eorum, &c.

Iuxta hoc idem astruenti considerandum occurrit, si eorum quæ sunt idem specie subalterna, semper est idem proprium: tunc sequitur, quòd rectè positum est inesse proprium, quod ab aduersario dictum est non esse proprium: vt quoniam hominis qui idem est specie cum equo, est proprium esse grossibile bipes: proprium autem erit quæ idem specie subalterna cum homine esse volatile bipes, quod est idem specie cum eo quod est grossibile: vtrumque horum subiectorum & propriorum est idem specie, in eo quod hæc ambo vt sub eodem genere subalterno proximo sunt species: cum sint sub animali: ista autem propria & grossibile bipes, vt volatile bipes, sunt vt differentiæ generis proximi etiam animalis.

Hic autem locus falsus est, &c.

Hic autem locus falsus est: quia non videtur generalis esse, nisi in his in quibus proprium ad vnam solam speciem refertur, vt grossibile bipes ad hominem: est enim siue contingit in quibusdam quæ eadem specie subalterna: quoniam alterum propriorum vni soli inest specici: alterum verò non vni soli inest, sed pluribus, & non vni soli conuenit: sicut homo & equus sunt idem specie: & grossibile bipes, & grossibile quadrupes idem specie: & non sequitur si grossibile bipes est proprium hominis, quòd grossibile quadrupes est proprium equi, & pluribus conuenit, & non vni soli equo.

CAPVT V.

De remotione cauillationum quæ fieri possunt.

Quoniam autem idem & diuersum, &c.

QVia verò iam dictum est, quòd eorundem specie, diuersorum numero est idem proprium & idem numero, & diuersum dicitur multipliciter: labor est contra eum qui sophisticè ad obuiandum sumit idem & diuersum assignare proprium vnius & alicuius solius: eò quod labor est scire, quod sit vnum numero solum: quia accidente subiectum est numero idem: cum tamen sint in ipso specie diuersa & genere, quorum non potest esse idem proprium. Cuius ratio prima est: quia quod inest alicui subiecto per se sumpto, cui subiecto accidit aliud, & videtur etiam inesse accidenti concretiuè sumpto cum eo subiecto, tantum accidit illud accidens cum sit idem numero subiectum per se sumptum, & sumptum concretiuè cum accidente: vt quod inest homini vt per se sumpto, inerit etiam albo homini concretiuè sumpto cum accidente: cum sint idem numero homo, & albus homo: & idcò quod albo homini inerit, & homini propter eandem causam.

Accusabit autem, &c.

Tamen aliquis sophisticè obuians accusabit siue reprobabit cum increpatione huiusmodi propria, cum subiectum secundum se & subiectum cum accidente sumptum non sint idem: eo autem accusabit quod est faciens siue dicens aliud quidem quod subiecto inest secundum se accepto, & aliud faciens ipsum subiectum cum accidente concretiuè sumptum. Vt verbi gratia aliud quidem hominem esse dicet secundum se sumptum, aliud verò album hominem: & sic diuersa dicet esse propria. Amplius autem alia ratione ad idem inducta taliter obuians etiam dicet esse diuersum habitum accidentis in abstractione sumpti, & id quod secundum habitum accidentis informatur concretiuè dictum: nam si idem sint hæc, tunc sequitur, quòd habitui ineat vt proprium, hoc etiam inerit ei quod informatur secundum habitum, denominatiuè etiam inest habitui à quo denominatur inesse. Vt verbi gratia, quoniam sciens dicitur denominatiuè à scientia disponi & informari, & habitus & subiectum sunt diuersa genera essentiæ, non erit scientiæ proprium irreprobabile esse sub ratione: nam hoc est proprium scientis qui diuersus à scientia erit irreprobabilis sub ratione: & sic eiusdem numero dicit esse diuersa propria.

Construenti autem dicendum, &c.

Huius autem solutio est, quòd construenti problema inductum, quod etiam eorundem specie est idem proprium: dicendum, quòd non est diuersum simpliciter subiectum cui aliquid

aliquid accidit, & accidens cum eo cui accidit concretiuè sumptum: sed cum idem sint supposito, aliud non dicitur vnum ab alio, eo quod talibus est inesse secundum formas diuersas: cum idem enim est homini per se sumpto hominem esse à forma substantiali, & albo homini esse album hominem per formam accidentalem: & ideo est proprium eius, quod idem numero sumptum, sed non idem proprium, inquantum est diuersis essentiis congregatum.

Amplius autem considerandum, &c.

Amplius autem ei qui propter casus, hoc est, propter inflexionem vocis diuersam, quidem principale & sumptum diuersam habent inflexionem: diuersa enim propria subiecti & accidentis, siue sumpti & principalis, quod idem proprium etiam sit, diuersimodè deflectitur ad concretum & abstractum, siue principale & sumptum, ad quæ refertur vt ad subiectum: eo quod sic sumendo neque sciens qui dicit concretum, proprie est irreprobabile sub ratione significando proprium neutraliter vt essentiam stantem per se: vt est irreprobabilis quidem sub ratione vt nomen proprij, & vt informans subiectum, & vt adiectiuum substantiuorum significetur: neque scientia propriè loquendo est irreprobabilis sub ratione, sed irreprobabile quoddam: cum scientia vt abstracta à se stans significetur: & ideo propriè designari debet per adiectiuum: substantiuatur hic cum dici sic oporteret: nisi quia ei qui obuiando instat, omninò siue omni modo est aduersandum ne occasionem habeat cauillandi. Aliter autem dicere sufficisset, quod subiecto sunt idem subiectum per se & subiectum accidente formatum, & sic ipsorum est idem proprium: & secundum esse formale diuersarum formatum sunt diuersa, & sic habent diuersa propria.

CAPVT VI.

De modis specialibus propriorum deficientium à vero proprio.

Deinde destruentem quidem si quod, &c.

SIc autem determinato proprio per conditiones proprij communes, & per ea quæ sequuntur ad illas, considerandum est qualiter terminetur destructiuè & constructiuè per modos substantiales propriorum deficientium à vero proprio quod conuenit omni & soli & semper: & dabimus primò considerationes quatuor ex parte proprij sumptas, & secundò dabimus sex modos sumptos ex parte subiecti. Deinde docebitur qualiter terminatur problema de proprio secundum modos illos.

Dicimus igitur, Deinde (post considerationes sumptas à conditionibus communibus proprij) oportet destruentem proprium inspicere si aliquis assignans proprium quod naturaliter, hoc est, secundum aptitudinem & ordinem & potestatem solam naturæ inest, sicut in sermone assignauit hoc modo secundum locutionem, sicut quod semper inest secundum actum: tunc enim videbitur aliquando moueri (hoc est, à subiecto remoueri) id quod

positum est proprium, quod est contra proprij rationem, cuius est non derelinquere subiectum: secundum autem locutionem semper inesse significat qui in locutione non determinat modum specialem quo inest proprium: quia tunc non intelligitur in sermone nisi modus simpliciter proprij. Cuius exemplum est, vt qui dixit hominis proprium esse, quòd sit bipes, vult quidem siue intendit assignare non simpliciter proprium, sed proprium quod naturaliter (hoc est, secundum naturæ potestatem & ordinem) inest: locutioni autem quia non determinat modum specialem proprij, non relinquitur nisi modus proprij: simpliciter enim significat proprium quod simpliciter ex actu & semper inest, & tale est proprium: ideò quod est esse bipes, non erit hominis proprium: non enim omnis homo est duos pedes habens: quia per accidens violentiæ, vel infirmitatis, vel materiæ malitia in formatione generati potest non duos pedes habere secundum actum.

Construenti autem problema idem oportet, &c.

Construenti autem probl. &c. vult, &c.

Constituentem autem problema idem oportet per oppositum modum considerare si aliquis vult vel intendit de proprio assignare aliquid quod naturaliter inest, quod locutione significans determinat hoc modo inesse, vt dicat hoc esse naturaliter proprium & non simpliciter: quia tunc sequitur, quod significat secundum naturam inesse, ne remoueatur, hoc est, de subiecto remoueatur, quin semper secundum naturæ aptitudinem & potestatem insit. Cuius exemplum est, vt quoniam qui hominis proprium assignauit, quòd secundum naturam est animal susceptibile disciplinæ, vult locutionem significare, quòd naturaliter est proprium, & ita proprium quod à subiecto non remouebitur, sed in hoc quoniam est secundum naturam proprium hominis animal susceptibile disciplinæ. Quamuis per occasionem & accidens violentiæ vel infirmitatis non semper conueniat, vt patet in iunioribus & apoplecticis & cerebro læsis, qui disciplinæ non sunt susceptibiles.

Amplius, quæcunque dicuntur, &c.

Amplius specialis modus interimendi proprium est assignare propria quæcunque dicuntur propria inesse vt secundum aliud aliquid prius, sicut ipsum subiectum quod prius est natura & causalitate, aut vt prius sicut ipsum subiectum, opera quidem est (hoc est, labor) assignare talium subiectorum proprium: nam si cuius sub quo secundum aliud illius proprium assignauit: & tunc proprium de priori verum erit, & de omnibus partibus illius: & sic non soli conuenit. Si autem prioris secundum se accepti proprium non posuit: tunc proprium etiam de priori verum erit, & de omnibus partibus illius: & sic non soli conuenit. Si autem prioris secundum se accepti proprium posuit: tunc proprium de eo prædicabitur quod est secundum aliquid: & sic non conuenit proprium secundum ipsum subiecto: & sic iterum non erit proprium: quia inesse subiecto est vna substantialium conditionum proprij. Cuius exemplum est, vt si quis alicui colorato assignauit proprium quod superficiei conuenit, dicens superficiem coloratum quid esse: quia tunc & de corpore terminato su-

perficie verum erit dicere corpus coloratum esse: & si proprium dicat corpus coloratum esse, etiam de superficie verum erit & prædicabitur coloratum esse: & si non erit verum, quòd de quo prædicatur ratio quæ est proprium, prædicetur & nomen quod est subiectum.

Quæstio tamen est de conditionibus essentialibus proprij, quòd de quo prædicatur ratio quæ est proprium, prædicetur & nomen quod est subiectum significans. Hoc autem modo prædicatur superficies de corpore, nec corpus de superficie: de quibus tamen hic prædicatur hoc modo assignatum proprium, quod est esse coloratum, quod prius inest secundum superficiem, & posterius secundum corpus. Istæ ergo sunt substantiales conditiones modorum proprij, quos per determinationem in locutione factam assignare oportet.

Accidit autem in quibusdam talibus propriis, &c.

Ergo quidem accidit in quibusdam talibus propriis vt plurimum fieri peccatum aliquod: eò quod non determinatur in locutione circumloquente proprium, quo modo speciali & quibusmanu subiectis determinatur proprium, siue quorum subiectorum antecedentium vel consequentium ponitur proprium siue assignatur. Enumeratis ergo quatuor modis in quibus non determinatur talis modus vel talis in locutione, contingit peccare circa proprium. Dicimus ergo, quòd omnes conantur assignare aut quod naturaliter inest: eò quod proprium fluit à naturalibus & essentialibus subiecti: & iste est modus primus iuxta naturam subiecti proprij acceptus, vt proprium hominis dicitur esse bipes. Aut quod vt nunc inest & alicui, vt alicuius hominis propriù ponitur quatuor digitos habere tantum per naturæ defectum vel violentiæ infirmitatis: & iste est modus secundus. Aut quod est consequens speciem, velut ignis est proprium subtilissimù esse corporum: quia non nisi in subtilissimo saluatur species ignis: & iste est modus tertius. Aut quod consequitur naturam simpliciter, hoc est, vniuersaliter, velut animalis proprium dicitur esse viuere vita manifesta: quia vita occulta viuere habet plus modos corporis quam animæ, cuius proprius effectus est viuere: & iste quidem sumitur vel causatur à substantialibus subiecti, vel deficientibus ab illis: & iste est modus quartus. Aut assignatur modus proprij inhærentis secundum aliquid ipsi subiecto, velut animæ assignatur, quòd sit prudens, quod conuenit secundum rationem: & iste modus est quintus. Per aliud enim quam per rationabilem partem non est quis prudens nisi per rationem, cui vt prius inest prudentia: & iste est modus sextus. Aut vt id quod conuenit subiecto in eo quod aliud habet, vt scientis proprium dicatur irreprobabile esse sub ratione qua conuenit quod conuenit, & inest per scientiam quam habet prudens: & iste est modus septimus. Nihil enim aliud est scientem irreprobabilem esse sub ratione, quam habere aliquid quo sit irreprobabilis sub ratione. Aut assignatur in eo quod habetur cui conuenit gratia eius quod habetur, vt scientiæ ponitur proprium irreprobabile esse sub ratione: hoc enim conuenit scienti in eo quod habetur ab ipso scientia irreprobabilis sub ratione: & iste est modus octauus. Aut assignatur proprium in eo quod participatur ab aliquo, sicut essentialiter superius participatur ab inferiori aliquo, sicut animalis proprium dicitur esse sentire, quia participatur ab ipso sensibile: & iste est modus nonus. Sentit enim & aliud quod inferius illo est, vt homo: sed non sentit nisi vt iam hoc participans quod est sensibile. Aut significatur proprium in eo quod aliquid aliud participat vt inferius participat suum superius, sicut dicitur proprium alicuius animalis esse viuere in eo quod participat vitam vel vitæ principium: & iste est modus decimus. Quatuor istorum modorum primi sunt iuxta proprium sumpti. Sex autem posteriores sumpti sunt iuxta modos subiecti, vt communiter dicitur.

Numerus & ordo priorum.

Possunt autem modi inducti sic assignari: omne enim proprium, aut est simpliciter proprium & in nullo deficiens à ratione proprij: & sic est vere proprium. Aut est in aliquo deficiens à proprij ratione: & tunc secundum quid est proprium, & non verè. Si autem deficit à proprij ratione, cum proprium simpliciter sit, aut in eo quod est soli, aut in eo quod est omni inesse. Si deficit in eo quod est omni quod conuenit omni & soli & semper: aut deficit in eo quod est omni, & est proprium species quod vni soli conuenit, sicut patebit inferius. Si autem deficit ab eo quod est semper inesse: hoc contingit dupliciter. Aut enim respicit tempus simpliciter secundum naturæ ordinem determinatum: & hoc est proprium quod naturaliter inest. Aut respicit tempus determinatum vt nunc: & sic est vt nunc proprium. Si autem deficit ab eo quod est soli inesse, hoc conuenit etiam alij subiecto: & tunc ista duo (quibus inest proprium) aut sic se habent adinuicem, quòd vnum est de essentia alterius: aut non sic se habent, quòd vnum sit de essentia alterius. Si sic se habent, quòd vnum sit de essentia alterius, sic est proprium quod participatur, aut vbi illud de cuius essentia est reliquum: & sic est vere proprium in eo quod participat. Si autem vnum non est de essentia alterius: tunc accidentaliter se habent adinuicem subiecta quibus inest proprium, & tunc aut se habent adinuicem secundum ordinem susceptionis proprij æqualiter, aut secundum prius & posterius. Si secundum prius & posterius: tunc aut est proprium cui inest per prius, & sic est proprium quod prius inest: aut est eius cui inest per posterius, & tunc est proprium quod inest secundum aliud. Si autem æqualiter se habeant ad proprij susceptionem: aut ergo assignatur proprium eius quod habet, & sic dicitur proprium in eo quod habet: aut est eius quod habetur, & sic est acceptio propriorum.

Tamen melius colligitur numerus & ordo priorum ex his quæ dicta sunt in explanatione singulorum modorum, sicut cuilibet patere poterit per ea quæ dicta sunt, diligenter consideranti, quæ circa singula dicta sunt ex parte modi propriorum, vel ex parte subiectorum à quibus sumuntur propria.

CAPVT

CAPVT VII.

De peccatis quæ fiunt circa dictos modos propriorum.

Ergo qui non addit quidem, &c.

IVxta autem modos accidit peccare in assignatione propriorum, ex eo quod in locutione non terminatur explicitè quomodo proprium assignetur. Ergo quid in assignatione proprij secundum naturam conuenientis non addit hanc determinationem, naturaliter, qua determinatur proprium, non simpliciter sed secundum naturæ aptitudinem esse assignatum, peccat: eò quod contingit id quod naturaliter inest, alicui non inesse cui inest naturaliter, sicut proprium hominis est duos pedes habere: & èo peccatum est primum. Qui verò non terminat in locutionv, quòd hoc quod inest nunc, hoc est, quòd hoc quod vt nunc assignatur designatum, aliquando non erit tale, quale nunc est: quod non conuenit proprio: & hoc est peccatum secundum, sicut qui dicit proprium hominis quatuor digitos tantum habere. Qui autem assignans proprium non indicat, quoniam vt prius, aut quod inest secundum cui prius inest, ponit in ipso, quoniam non erit verum de quo prædicatur ratio quæ est proprium, & nomen subiectum prædicetur: & hoc est tertium peccatum. Huius autem exemplum, velut qui colorari superficiei siue corporis proprium assignauit. Qui verò assignando proprium, non prædicit in locutione determinando secundum quid, aut in eo quod est habere, aut in eo quod est haberi proprium, quod assignauit pro proprio, peccauit: quia proprium quod assignauit, soli inerit & non habenti. Si autem assignauerit proprium habenti & habiro, & è conuerso, inerit. Cuius exemplum est, velut irreprobabile sub ratione scientiæ vel scientis est proprium, vt iam supra dictum est: & hoc est quartum peccatum. Qui verò præsignificauit in locutione, quòd in eo quod participat vel participat assignauit proprium peccauit: eò quod & in alijs quibusdam subiectis inerit proprium, quam in subiecto cui ponitur inesse proprium: si enim in eo quidem participat, assignauit proprium, tunc omnibus participantibus illud inerit proprium: si assignauit in eo quod participatur, tunc sequitur, quòd inerit omnibus quæ participantur, velut si alicuius vt hominis assignauit proprio viuere. Qui verò assignauit proprium & speciem, & qui diuidit, hoc est, distinguit proprium quod specie conuenit, dicens in oratione, quod specie proprium assignauit, peccauit: quia secundum suam assignationem inerit vni soli quæ sub specie illa subalterna, cuius speciei subalternæ proprium assignauit. Et hæc est ratio: quia quod secundum superabundantiam dicetur, vni soli conuenit & inerit, vt ignis significat proprium leuissimum esse corporum.

Aliquoties autem & specie, &c.

Vnde aliquorum etiam qui assignant proprium specie, etiam quando determinando dicit, quod assignauit proprium specie, adhuc peccat: quia, in talibus propriis vnam solam speciem specialissimam illorum propriorum qui per superabundantiam propriam etiam dicuntur quando determinando secundum quid inest proprium ad addidit speciem, hoc est, specie proprium assignauit: hoc enim quibusdam speciebus subalternis non accidit vt tale conueniat eius proprium, vt in igne: non enim est vna species, hoc est, tantum species ignis: sed habet sub species specialissimas. Diuiditur enim ignis in igne qui est carbo, & in igne qui est flamma, & in igne qui est lux: & diuiditur in hac specie, eò quod istæ sunt diuerse species ignis. Et propter hoc oportet, quando determinando declaratur, quòd specie assignatur proprium, diuersam ab aliis & diuisam speciem esse, & specialissimam eius quod dicitur proprium esse specie: quoniam alius quidem ignis secundum magis, & alius secundum minus inerit, quam dictum est & assignatum inesse propriù, vt patet in igne, cuius proprium est subtilissimum esse corporum. Habet autem ignis species quæ sunt lux, flamma, & carbo: & vnumquodque istorum est ignis: & propter hoc non oportet esse diuersam speciem quando dicitur determinando specie, sed esse specialissimam, quando id quod dictum est proprium in speciebus subalternis, alijs quidem speciebus inerit secundum magis, & alius secundum minus, velut in speciebus ignis subtilissimum est lux: est enim subtilior carbone & flamma. Hoc autem quod secundum magis & minus, non oportet prædicari proprium, quando nomen, hoc est, species secundum nomen speciei non secundum magis prædicatur de eo de quo ratio, hoc est, proprium prædicatur, & secundum maxi & minus est verum. Si autem non oportet proprium de omni magis & minus de aliquo eodem specie, non erit etiam, quòd nomen, hoc est, species secundum magis & minus dicatur de eisdem. Hoc autem falsum est: quia secundum magis & minus dicitur ignis de carbone & flamma & luce. Ergo & proprium subtilissimum corporum esse quod secundum minus in carbone, & secundum magis in flamma, & secundù maxime erit in luce.

Ignis non est species specialissima.

Amplius autem ad hoc idem, &c.

Amplius autem secundum hoc accidit, quod idem proprium est eius quod simpliciter est species, & eius quod maximè est tale: & hoc quod per superabundantiam dicitur, non vni soli conuenit, velut de igne dictum hoc proprium quod est subtilissimum corporum: se habere. Nam hoc proprium est simpliciter ignis: & lucis idem erit proprium: lux enim est subtilissima inter species ignis: incouueniens est proprium prædicari secundum magis & minus specie non secundum magis & minus prædicata: & huius causa est, quod proprium, vt dicit Boërius, manat de principijs speciei: & ideò principijs secundum magis & minus prædicatis incouueniens proprium quod est quasi ratio declarans speciem non secundum magis prædicati. Adhuc autem si de eo quod est simpliciter, & de eo quod maximè est, esset idem proprium, non assignaretur proprium ad vetè proprium: quia hoc conuenit vni soli.

Inconueniès est proprium prædicari secundum magis & minus specie non sic prædicata.

Ad omnes autem dictos modos quibus peccatum accidit in ponendo proprium sic erimus

idonei, quòd aliquo disputante contra nos sic assignante proprium, vt dictum est, conandum est instando contra eum. Sed eidem non est danda occasio instandi: & hoc est quando apud nos ipsos taliter proprium assignamus: tunc enim instando nobis aduersarius prouocaretur: vnde statim determinandum est quando proprium ponitur, ne occasio instandi detur aduersario.

Remouet dubium.

Et illis modis patet, quòd nouem sunt considerationes de nouem non verè propriis elicitæ: sed de verè proprio nulla ponitur consideratio: quia inutilis esset: eò quod verè proprium ponitur sine determinatione.

CAPVT VIII.

De determinatione proprij per considerationes sumptas ex comparatione proprij ad speciem siue ad subiectum.

Deinde destructi quidem si idem, &c.

DEinde considerando ad subiectum cuius proprium assignatur, considerare oportet si idem nomine & diffinitione eiusdem proprium posuit: tunc enim non erit proprium quod positum est esse proprium. Cuius ratio est: quia idem esse indicat: aut implicitè, si idem nomine: aut explicitè, si idem diffinitione: quod autem esse indicat, non proprium, sed diffinitio, vt diffinitio large sumatur pro omni eo quod implicitè vel explicitè indicat esse rei. Vt quoniam qui dixit honesti proprium esse decens vel pulchrum: decens enim in moribus vel pulchrum idem est honesto, vt dicit Tullius. Peccauit ergo sic assignans proprium: quia idem in moribus decens & pulchrum & honestum. Non ergo est proprium decens honesti.

Constituenti autem si non, &c.

Iuxta autem eandem considerationem per oppositum acceptam constituentem inspicere oportet, si aliquis non idem eiusdem proprium assignauit, sed in entia diuersum, conuertim tamen de subiecto prædicatum: tunc enim erit proprium quod ab aduersario positum est non esse proprium. Cuius exemplum est, vt qui ponit animalis proprium esse, quòd sit substantia animata, non posuit idem eiusdem proprium: & assignauit pro proprio id quod conuertim prædicatur: ergo est animalis proprium substantia animata. Et intelligendum, quòd substantia animata dicitur dupliciter, vt composita ex anima & corpore, anima corpus continente: & sic non est proprium, sed esse indicans animati vt diffinitio. Dicitur etiam substantia animata, substantia habens animationem & habitum relatum ad actum: & sic animatum est consequens esse animalis: & sic est proprium conuertim prædicatum: & sic planta non habet perfectam animam ex qua fit motus vitæ manifestus: sed, sicut dicitur in libro de plantis, habet partem partis animæ secundum motum augmenti & alimenti & generationis.

Substantia animata dupliciter sumitur. Vno modo vt diffinitio, alio modo vt proprium.

Deinde quia in homogeniis eadem est ratio totius & partis, destruentem oportet considerare, quòd in his quæ similium partium sunt, si quod totius est proprium, non verum est de parte, ita quod verè de parte prædicetur: tunc enim non erit proprium quod positum est esse proprium. Similiter considerandum si in talibus proprium quod assignatur parti non prædicatur de toto: tunc enim iterum quia eadem est ratio & species quæ est forma partis & totius, non erit proprium quod positum est esse proprium. Accidit enim in aliquibus homogeniis hoc fieri siue sic assignari proprium totius quod vniuerso conuenit & non parti, & aliquando quod parti conuenit & non toti vniuerso: assignabit enim aliquis taliter in his totis quæ similium partium sunt proprium aliquoties quidem intuens siue inspiciens in vniuersum totum & non in partem, aliquoties autem intuens siue inspiciens in id quod particulariter parti conuenit & est particulare, & non inspiciens in totum: cum tamen totum vniuersum & pars sint eiusdem rationis: & sic aliquis ipsum seipsum intelligens siue intellectum dirigens, aliquando inspicit ad totum non ad partem, aliquoties ad partem & non ad totum: erit enim tunc neutrum proprium ratione assignatum, & ideò non erit proprium. Cuius exemplum est, vt in vniuersum intuens & non in partem quamlibet, vt qui dicit maris proprium esse, quòd sit aqua plurima salsa: hoc enim eiusdem totius quod similis partis est, posuit proprium: tale autem assignauit proprium quod non verum est de qualibet parte: quia non quælibet pars est aqua plurima: non enim erit quædam pars fortè parua & pauca mare: quælibet enim pars maris marè est, non tamen aqua plurima salsa: non ergo erit maris proprium, quòd sit aqua plurima salsa. In parte considerantes & non in toto exemplum est, vt qui posuit proprium aëris spirabile esse: hoc enim alicuius quod est similis partis, posuit proprium: tale autem posuit proprium quod est de aliqua aëris parte verum, & non de toto aëre vniuerso verum dicitur: non enim totus aër spirabilis est, sed tantum ille qui est refrigerans in pectore spirantis: non igitur erit aëris proprium spirabile.

Deinde in his quæ similium, &c.

Astruenti autem iuxta eandem considerationem considerandum est per oppositum si id quod positum est in talibus proprium, verum est prædicatum de vnoquoque quod est pars talis totius, & non verum etiam per vniuersum. Cuius exemplum est, vt quoniam verum est de omni siue vniuersa terra simul deorsum ferri secundum naturam: est autem & hoc idem proprium, & alicuius quod est pars quælibet terræ, secundum vniuersum siue per naturam vniuersi est pars eiusdem speciei: nam tunc secundum terram (hoc est, terræ naturam & speciem quæ in parte saluatur) erit terræ proprium deorsum ferri secundum naturam. Attendendum autem, quòd vniuersum dicitur totum homogenium: eò quod vna ratione quælibet pars participat totum, vt particularia subiectiua participant speciem: alia autem tota non dicunt vniuersum.

Astruenti autem si verum est, &c.

TRACTA

TRACTATVS III.

De determinatione problematis de proprio per locos extrinsecos.

CAPVT I.

De inspectione in quatuor genera oppositorum & ex disparatis.

Deinde ex oppositis considerandum, &c.

DEinde ad determinandum problema de proprio considerandum est per oppositiones sumptas ex oppositis, & inter opposita primo considerandum est in contraria: quia contrariorum oppositio est oppositio entis absoluti ad ens absolutum. De truenti ergo considerandum est si duo subiecta sunt contraria, & duo propria sint contraria prædicata, ita quod duo ad duo comparentur: si enim contrarium non sit proprium contrarij, nec reliquum reliqui. Cuius exemplum est, vt quoniam contraria sunt subiecta, iustitia & iniustitia: & duo contraria subiecta, optimum & pessimum: & non est iustitiæ proprium esse optimum: ergo nec iniustitiæ est pessimum.

Astruenti verò si contrarium,

Astruenti vero hac consideratione per oppositum est vtendum: si enim contrarium contrarij proprium est, & propositum propositi. Cuius exemplum est, bonum & malum sunt contraria subiecta: eligendum & fugiendum, contraria prædicata: & boni proprium est eligendum: ergo & mali proprium est fugiendum.

Secundo autem ex his, &c.

Secundo autem trahendæ sunt considerationes ex oppositis relatiuè & in entibus secundum quid & in entibus absolutè. Destruenti igitur in relatiuis considerandum est si duo subiecta sint relatiua, & duo propria sint relatiua: & si vnum relatiuorum non est proprium subiecti vnius quod est ad aliud, non erit reliquum reliqui proprium: vt duplum dicitur ad dimidium relatiuè: & sunt duo subiecta, superans & superatum, sicut duo propria: non est autem duplicis proprium superans: non erit ergo dimidij proprium superatum. Non est autem vis in exemplo: tamen potest dici, quòd duplum est in plus quam superans: quia duplum est in discretis & continuis: superans autem proprie in discretis in quibus dicitur numerus abundans superans: & sic duplum & superans non conuertuntur: & sic superans non erit proprium dupli. Vel dicatur, quòd superans in triplo est & quadruplo & causa multiplici: & ideo non est proprium dupli sed in plus: & non conuertitur cum duplo, & ideo non est eius proprium.

Quomodò dupli est in plus quam superans.

Astruenti autem si eius, &c.

Astruenti autem ista consideratione oppositio modo vtendum est etiam si eius subiecti (quod est ad aliud) id quod est ad aliud, erit proprium, & eius quod est ad aliud sicut proprij subiecti correlatiuum erit proprium relatiuè dictum ad proprium alterius correlatiui. Cuius exemplum est, quoniam relatiuè dicitur duplum ad dimidium: duo autem correlatiua dicuntur ad vnum: est autem duplicis proprium habere se sicut duo ad vnum: erit dimidij proprij habere se sicut vnum ad duo. Et attendendum, quòd vnum & duo nec secundum intentiones nominum adinuicem sunt relatiua, neque secundum rem & esse, sed in ratione superantis & superati referuntur adinuicem.

Tertio destruenti quidem, &c.

Tertio quidem considerandum est in oppositis secundum priuationem & habitum: & ista oppositio est inter ens simpliciter, & non ens, quod tamen aliquid ponit in genere. Destruenti quidem problema de proprio considerandum quando sunt duo subiecta opposita secundum priuationem & habitum, & duo propria prædicata & similem oppositionem habentia. Si enim habitus qui est subiectum hoc proprium quod secundum habitum dicitur, non erit proprium, neque priuationis quæ est subiectum priori oppositum alterum quod secundum priuationem dicitur, erit proprium, nec habitus qui est subiectum hoc proprium quod secundum priuationem dicitur, erit proprium. Cuius exemplū est, vt quoniam non dicetur proprium surditatis insensibilitas simpliciter esse: quia non conuertuntur: sed insensibilitas est in plus: nec auditus erit proprium sensum vel sensualitatem esse simpliciter propter eandem causam.

Constituenti verò si, &c.

Constituenti autem eadem consideratione per oppositum modum considerandum est sic, si illud proprium quod secundum habitum dicitur subiecti quod est habitus, est proprium: tunc etiam priuationis quæ est subiectum, priuatio erit proprium. Vt quoniam visus est videre proprium, vel visu discernere, secundum huius quod habitum visum dicimus, erit cæcitatis proprium non videre vel discernentem non esse secundum visum, secundum quod non habemus visum, vel secundum quod priuari sanas habitu visus.

Deinde ex contradictionibus & negationibus, &c.

Deinde ad huius problematis considerationem considerandum est in oppositis contradictorie: quæ contradictio est inter ens & non ens quod nihil ponit. Primo quidem in quibus duo prædicata affirmatiuè vel negatiuè sumpta ad idem subiectum referuntur: vnum secun-

dum affirmationem, & alterum ſecundum negationem. Et prima conſideratio eſt ex ipſis prædicatis quæ de ſubiecto vno prædicantur. Et locus iſte non eſt niſi vtilis deſtruenti tantum. Poſſet tamen videri alicui, quòd ſit etiam conſtructiuus per hoc quod dicitur, quod de quolibet affirmatio vel negatio vera eſt. Ad hoc dicendum eſt, quòd non ſit hic ſermo de affirmatione & negatione verus: ſed ſit hæc reſponſio de negatione termini inſtituti, vt patet, quòd quamuis negetur terminus inſtitutus de aliquo, non tamen ſequitur affirmatio termini inſtituti de eodem: quia non ſequitur, non eſt non iuſtus: ergo eſt iuſtus: vt ſi affirmatio aut quod ſecundum affirmationem eſt proprium alicuius ſubiecti, non erit eiuſdem ſubiecti proprium negatio, aut quod ſecundum negationem dicitur: & è conuerſo ſi negatio aut quod ſecundum negationem dicitur, eſt alicuius proprium, non erit affirmatio ſiue quod ſecundum affirmationem dicitur, eiuſdem proprium: hoc enim in contradictoriis propriis tenet ſecundum conſequentiam quæ eſt in ipſo quæ eſt in contradictoriis & ratione conuertibilitatis terminorum: in aliis enim non teneret, vt quoniam animalis proprium animatum eſſe, non erit animalis proprium non animatum eſſe.

Secundo autem ex prædicatis, &c.

Secundo autem conſiderandum in his in quibus duo propria ad duo ſubiecta referuntur prædicata ſecundum affirmationem, vel non prædicata ſecundum negationem, & de quibus ſubiectis prædicantur vel non prædicantur ſiue negantur. Deſtruenti quidem hac conſideratione vtendum, & dicendum, quòd ſi affirmatio affirmationis non eſt proprium, neque negatio negationis erit proprium: & è conuerſo ſi negatio negationis non eſt proprium, nec affirmatio affirmationis erit proprium. Cuius exemplum eſt, vt quoniam non eſt proprium hominis animal, nec non hominis proprium erit non animal: & è conuerſo ſi non hominis proprium non videtur eſſe non animal, nec hominis erit proprium eſſe animal.

Aſtruenti autem ſi affirmationis, &c.

Aſtruenti autem hac conſideratione oppoſito modo vtendum eſt: ſi enim affirmatio affirmationis eſt proprium, & negatio negationis eſt proprium, & è conuerſo. Vt gratia exempli, ſi non animalis eſt proprium non viuere vita manifeſta, erit animalis proprium viuere. Si autem animalis ſumitur proprium viuere, etiam non animalis videbitur proprium eſſe non viuere: & tenet in his ſecundum conſequentiam in ipſo factam propter cauſam ſuperius dictam.

Tertio ex ipſis ſubiectis, &c.

Tertio adhuc per contradictoria, ſecundum quod duo ſubiecta ad quæ refertur vnum prædicatum, deſtruenti quidem conſiderandum eſt ſi illud quod aſſignatum eſt propriũ affirmationis ſiue ſubiecti affirmari, non erit idem affirmatum etiam negationis proprium: & eius proprium quod aſſignatum eſt negationis proprium ad idem, non erit proprium affirmationis: non enim erit affirmationis & negationis proprium. Cuius exemplum eſt, vt quoniam animalis eſt proprium animatum eſſe, non animalis non erit proprium animatum: & quoniam non animalis eſt proprium non animatum eſſe, animalis non erit proprium idem eſſe.

Conſtruenti verò ſi aſſignatum, &c.

Conſtruenti verò ſic iſta conſideratione vtendum eſt: quia ſi proprium (quod aſſignatum eſt ab aliquo) non eſt proprium affirmationis: tunc erit proprium negationis. Hic autem locus in quibuſdam falſus eſt: non enim affirmatio negationis eſt proprium, nec è conuerſo: eò quod affirmatio negationi omninò (hoc eſt, vniuerſaliter) non ineſt, ita quod ſequatur ad ipſam: negatio autem affirmationi ineſt, ita quod ſequatur ad affirmationem negationis: ſed ineſt ei vt proprium: ſequitur enim, iſte eſt homo: ergo non eſt aſinus: ſed non ſequitur, iſte non eſt aſinus: ergo eſt homo. Quidam tamen dicunt, quòd affirmatio & negatio poſſunt dupliciter conſiderari. Primo ſecundum intentionem: & ſic neutrum eſt in alio: ſecundo modo, vt pars integralis & totum, & ſic negatio eſt in affirmatione vt pars integralis: quia homo currit, pars eius eſt quod dicitur, homo non currit. Prima eſt melior expoſitio. Cauſa autem quare non tenet, eſt, quod idem non poteſt eſſe proprium plurium: affirmatio enim non poteſt eſſe proprium negationis, nec negatio affirmationis: affirmatio enim non ſequitur ad negationem, ſed negatio ſequitur ad affirmationem: ſed non conuerſim vt proprium: ſed quia diſparata per diuiſionem propriarum differentiarum accipiuntur.

Negatio ſequitur affirmationem, ſed non è conuerſo: & hoc colligitur etiam ſecundo periherm. Quomodo affirmatio eſt pars negationis. & quomodo non ſecundũ quoſdam.

Deinde ex quo in diuerſo, &c.

Deinde poſt oppoſitorum inſpectionem deſtruentem problema de proprio oportet conſiderationem accipere ex his quæ contrario diuiduntur, ſicut ſpecies diſparatæ ſub vno genere diuerſo per diuiſionem accipiuntur: quia qualiter per coæquæua fit diuiſio, deſtruenti quidem eſt conſiderandum ſi ſpecies eſt ex diuerſo diuiſa, & propria ſimiliter ex diuerſo ſint diuiſa: tunc conſiderandum eſt ſi nullum aliorum propriorum ab aſſignato proprio ſit reliquatum ſpecierum ab aſſignata ſpecie: tunc enim poſitum proprium non eſt proprium aſſignatæ ſpecie. Sicut ſi talis fiat propriorum diuiſio: animalium aliud ſenſibile, aliud intelligibile. Item animalium aliud deus, aliud homo. Si animal ſenſibile nullius aliorum à diis eſt proprium, non erit animal intelligibile dei proprium. Et dicitur deus animal intelligibile ab animato: quia antiqui hæc (qua cœleſtia ſunt) animalia eſſe dicebant & immortalia: vocantes animal hoc quod habet animam per vitam & motum (vt dicit Apuleius in libro de Deo Socratis) & intelligentiam dicebant per intellectum agentem & mouentem & non per intellectum adeptum. Sed tamen quantum ad conſiderationem non magna vis eſt de exemplo. Senſibile autem non eſt proprium mortalium animalium, ſed differentia: & ſimiliter intelligibile non dei proprium, ſed differentia.

Aſtruenti autem, ſi reliquorum, &c.

Eadem autem iſta conſideratione vtendum eſt per modum oppoſitum ſic etiam, ſi reliquorum ſubiectorum quæ è diuerſo diuiduntur (ſiue per diuiſionem accipiuntur) cuiuſlibet ſumptum per diuiſionem eſt proprium, ita quod ſingulis eorum reſpondet proprium è diuerſo cum aſſignato proprio diuiſorum:

tunc

tunc reliquum proprium quod cum aliis contrario diuiſum eſt, erit aſſignatæ ſpeciei proprium, cuius ab aduerſario poſitum erat non eſſe proprium: vt ſi diuidantur virtutes modo ſpecierum in prudentiã, temperantiam, & fortitudinem, & diuidantur poſitæ motiuæ: nimæ in rationabilem, concupiſcibilem, & iraſcibilem, participantes aliqualiter rationem: ſi concedatur, quod prudentiæ proprium eſt, quod nata ſit per ſe, quod ſit virtus potẽtiæ rationalis, cuius perficit actum, ſequitur quod temperantiæ proprium eſt, quòd per ſe nata ſit, quòd ſit virtus & perfectio ad actum concupiſcibilis, & fortitudo ſit virtus & iraſcibilis potentiæ ad actum perfectio.

CAPVT II.

De conſiderationibus ſumptis à caſibus ex ſimilibus & proportionalibus in eſſe & generari & corrumpi & huiuſmodi.

Deinde ex caſibus deſtruenti, &c.

Eſt autem locus extrinſecus ex conuenientibus eſſentialiter & accidentaliter ſumptus. Eſſentialiter quidem vt caſus: accidentale autem vt ſimile proportionabile magis minus, & huiuſmodi. Deinde ergo (poſt oppoſita quæ maximè & extrinſeca ſunt) deſtruere volenti problema de proprio, conſiderandum ſi caſus propoſiti proprij non eſt propriũ caſus ſubiecti aſſignati: tunc enim ſequitur, quòd nec in propoſito caſus erit proprium: vt quia eius quod eſt iuſtè, non eſt proprium id quod eſt bene, nec iuſti proprium erit bonum: ſi enim caſus remouetur à caſu, & nomen remouetur à nomine.

Conſtruenti autem, ſi caſus, &c.

Conſtruenti autem hac conſideratione oppoſito modo vtendum eſt, ſi caſus eſt propriũ caſus, tunc & nomen nominis, & è contrario: vt quoniam hominis proprium eſt greſſibile bipes eſſe, & homini erit proprium greſſibile bipedi ſecundum caſum dici, vt etiam gradiendo bipedaliter dicatur. Hæc autem conſideratio à caſibus non tantum eſt in oppoſito, ſed in natura oppoſitorum, quemadmodum in prioribus locis huius ſcientiæ vbi de caſibus agebatur, dictum eſt. Si enim eius quod eſt iuſte fieri, proprium eſt bene fieri: & eius quod eſt iniuſtè fieri, proprium eſt malè fieri.

Deſtruenti quidem ſi oppoſiti, &c.

Deſtruenti quidem ergo hoc loco ſic vtendum, quod ſi oppoſiti caſus non eſt proprium oppoſiti caſus, tunc neque in propoſito propoſiti caſus. Cuius exemplum eſt: ſi enim eius quod eſt iuſtè fieri, proprium eſt bene fieri, & eius quod eſt iniuſtè fieri, eſt proprium malè fieri.

Conſtruenti verò, ſi oppoſiti, &c.

Conſtruenti verò hac conſideratione per oppoſitum modum vtendum ſit, ſi caſus oppoſiti eſt proprium caſus alterius oppoſiti, tunc & in propoſito caſus iſtius oppoſiti eſt proprium caſus illius oppoſiti: vt ſi boni eſt proprium eſſe optimum, vt boni per ſe eſt proprium eſſe optimum inter per ſe bona quæ ſunt vtile, delectabile, honeſtum, tunc etiam mali erit per ſe proprium peſſimum: & de quibus debet formari ſi optime eſſe eſt caſus boni per ſe, peſſime eſſe eſt caſus mali per ſe.

Deinde ex his quæ ſimiliter, &c.

Deinde etiam inſpiciendum in ea quæ ſimiliter ſe habent in proportione ad aliud. Deſtruere quidem volenti problema de proprio conſiderandum ſi quatuor ſunt, quorum primum ad ſecundum ſe habet ſicut tertium ad quartum: ſi ſecundum non eſt proprium primi, quarum non erit proprium tertij. Si enim quod ſimiliter ſe habet, eius quod ſimiliter ſe habet in proportione ad ipſum, non eſt proprium: neque in propoſito quod ſimiliter ſe habet, eius quod ſimiliter ſe habet, erit propriũ. Cuius exemplum, ſicut quoniam ſimiliter ſe habet ad faciendum ædificium ædificator, & medicus ad faciendum ſanitatem, vterque arte facit: ſicut non eſt medici proprium vt ex arte ſemper inducat ſanitatem, ita non erit ædificatoris proprium facere vel perficere ædificiũ.

Conſtruenti autem ſi quod, &c.

Hac autem conſideratione conſtruenti per oppoſitum eſt vtendum, ſi quod ſimiliter ſe habet, eius quod ſimiliter ſe habet, eſt proprium: quia quod ſimiliter ſe habet in proportione eadem, eſt eius quod ſimiliter ſe habet, proprium in proportione ſimili. Cuius exemplum eſt: quoniam ſimiliter ſe habet medicus ad præſeruationem ab infirmitatis periculo, ſicut gyruſtes, hoc eſt, luctator ad perfectiuum euechiæ. Eſt autem gyruſtes proprium, quod ſit perfectiuum euechiæ, erit proprium medici præſeruando facere ſanitatem, ſiue quod hoc modo perfectiuum ſit ſanitatis. Intelligendum autem, quòd gyruſtes in antiquis vrbibus fuit luctarum in curſibus & pugnis & ludis magiſter: quia, ſicut dicit Victorinus, inſtituta fuerunt ad euectationem corporum, & excitationem caloris, & ſubtiliationem ſanguinis, vt in bona diſpoſitione & denſitate carnis conſeruetur corpus: & ideo arte ad hoc indiguit, quòd ludos & pugnas & luctas inſtitueret, & quando & quibus & vbi quilibet etiam exercerent luctas in corpus: apud inertes & pigros reſoluitur & laxatur caro vt nociuum recipiat & laxum, & à ſe repellere non poſſit per calorem heberatum: & tales luctæ ſunt vt palæſtræ curſus in ſtadiis. Iccirco curſus equorum pypodroneum vocatur & tripudium & huiuſmodi: per hæc enim præſeruabant corpora ne cachechiam incurrerent.

Deinde ex his quæ ſic ſe habent, &c.

Deinde comparando vnum proprium ad duo ſubiecta per ſimilem proportionem, inſpiciendum ex his ſubiectis quæ ſic (hoc eſt, ſimiliter) ſe habent ad illud proprium quod comparatur ad ipſa. Et deſtruenti quidem conſiderandum ſi quod ſic (hoc eſt, ſimiliter) ſe habet, non eſt proprium ſubiecti quod ſimiliter ſe habet: tunc neque in propoſito quod ſic ſe habet ad proprium. Si autem eius quod ſic ſe habet in ſimili habitudine, eſt proprium eius quod ſic ſe habet: tunc ſequitur, idem proprium quod prioris ſubiecti eſt proprium, non eſt proprium ſecundi ſubiecti, ad quod ſimiliter ſe habet ſicut ad primum, ſicut poſitum fuerat eſſe proprium eius. Et huius cauſa eſt: quia idem proprium non poteſt eſſe duorum ſubiectorum ſpecie differentium. Huius autem exemplum

Idem non potest esse proprium diuersorum subiectorum specie vel vniuersum.

est : quoniam si sic se habet prudentia ad pulchrum in moribus & fœdum, quod disciplina vtriusque eorum eiusdem est autem prudentiæ dicit; hanc esse pulchri : sequitur quod etiam non erit proprium eius disciplinæ esse fœdi. Si verò est proprium prudentiæ disciplinam esse pulchri, sequitur quod non sit proprium eius disciplinam esse fœdam: possibile enim est idem esse plurium proprium, vt dictum est. Vnde locus iste construenti nihil vtilis est: eò quod se habet vni vnum proprium ad subiecta plura comparatur. Proprium autem vnius non potest esse plurium subiectorum. & si ponatur, destruitur proprium.

Deinde destruenti quidem, &c.

Deinde adhuc destruenti in similitudine habitudinum considerandum est inesse & generatione & corruptione similiter habentibus. Destruenti igitur inspiciendum ad esse & generari, & non inesse & corrumpi: si enim id proprium quod secundum esse dicitur, est proprium alicuius secundum esse dicitur: tunc etiam corrumpi (hoc est, quod secundùm corruptionem dicitur) erit proprium eius subiecti quod dicitur secundum corrumpi: neque enim id proprium quod secundum rationem dicitur, erit proprium eius subiecti quod dicitur animal generari: quoniam non est hominis proprium, quando est, esse animal, sed est consequens ad ipsum: neque eius quod est hominem generari, erit proprium generari animal, sed ex consequenti generatur: neque eius quod est hominem corrumpi, erit proprium corrumpi animal, sed ex consequenti corrumpitur. Eodem autem modo accipiendum est è conuerso ex habitudine eius quod est generari ad esse & corrumpi, & ex corrumpi ad esse & generarari: & quemadmodum dictum est nunc in consideratione vltimo inducta, ex esse ad generar. & ad corrumpi : quæcunque enim horum trium aliis duobus comparentur, similis erit habitudo quantum ad susceptionem proprij.

Construenti autem si eius, &c.

Construenti autem hac consideratione opposito modo vtendū est, si eius quod est secūdum esse positum, proprium est eius subiecti quod secundum esse positum est, tunc erit proprium. Cuius ratio est : quia & eius quod secundum generari positum est, erit hoc proprium quod secundum generari dicitur : & eius quod secundum corrumpi positum est, erit proprium hoc quod est secundum corrumpi assignatum. Cuius est exemplum, vt hominis accepti secundum esse proprium est esse mortale : tunc etiam eius quod est generari hominem, est generari mortale : & eius quod est corrumpi hominem, est proprium corrumpi mortale. Eodem modo accipiendum est è conuerso, & ex generari & ex corrumpi ad esse arguendo & ad propria quæ ex his sunt in construendo, velut dictum est, & in destruendo, paulo habita consideratione : & quia species est similitudo quædam individuorum.

Deinde suspiciendum est in speciem, &c.

Deinde post omnia quæ dicta sunt de similibus, inspiciendum est in speciem positi siue subiecti cuius assignato proprio secundum esse & generari & corrumpi. Destruenti considerandum si proprium quod assignatur, speciei illi cui assignatur, non inest secundum esse quod habet in materia secundum naturam, aut si non inest speciei secundum quod dicitur esse species id quod est subiectum cuius proprium assignatum est : tunc enim non erit proprium quod assignatum est esse proprium. Cuius exemplum, vt quoniam eidem homini secundum quod habet esse in natura & in materia non inest hoc proprium quod est quiescere, hoc est, immobilem esse in eo quod homo est in natura & in materia & generari & corrumpi, sed inest homini in eo quod species & generari & corrumpi à materia est : patet quod non est hominis proprium quiescere.

Construenti autem si speciei, &c.

Construenti autem hac consideratione per oppositum modum vtendum est, si proprium assignatum inesse speciei & secundum quod est proprium quod dicitur siue prædicatur de eodem assignato subiecto, illud subiectum cuius subiecti positum est esse proprium : tunc enim erit proprium quod ab aduersario positum est non esse proprium. Cuius exemplum est, vt quoniam eidem animali quod in natura & in materia est vt proprium ex anima & corpore esse compositum, & inesse ei in eo quod animal secundum esse in natura: tunc hoc erit animalis proprium quod est ex anima & corpore esse compositum.

CAPVT III.

De considerationibus sumptis à maiore & minore, ad problemata de proprio determinandum.

Deinde ex magis & minus &c. Removet dubium.

DEinde ex magis & minus determinandum est proprium. Dicimus autem magis & minus non ita quod proprium prædicatur secundum magis & minus de subiecto : quia hoc falsum est : cum secundum vnam & eandem naturam speciei (quæ magis & minus non recipit) inest proprium : sed quod magis & minus referatur ad subiectum secundum quod magis & minus attingit naturam speciei subiecti cui proprium assignatur. Consideremus ergo primo secundum quod magis & minus comparatur ad simpliciter, & secundo considerabimus in his secundum quod magis & minus referuntur adinuicem. Dicamus igitur, quod destruenti secundum inspectionem ad magis & minus considerandum est si quod videtur esse proprium eius quod est magis, & videtur magis esse subiectum, non est proprium, neque quod minus est & videtur esse proprium, erit proprium eius quod minimè videtur esse subiectum : neque quod maximè videtur esse proprium eius quod maximè videtur esse subiectum, erit proprium : tunc neque quod simpliciter eius quod simpliciter dicitur esse subiectum. Cuius exemplum est, vt quoniam id quod est magis colorari eius quod magis dicitur esse subiectum vt corporis quod magis dicitur esse corpus, non est proprium : neque colorari omnino & simpliciter erit proprium eius quod est simpliciter corpus & omnino.

Construenti autem si quod magis est, &c.

Construenti autem hac consideratione per oppositum modum vtendum est, quod si quod magis

magis videtur esse proprium eius quod magis videtur esse subiectum, est proprium, sequitur etiam quod id quod minus videtur esse proprium eius quod minus videtur esse subiectum, est proprium : & quod minimè videtur esse proprium, erit proprium eius quod minimè videtur esse subiectum, & quod maximè est proprium eius quod maximè, & quod simpliciter proprium est eius quod simpliciter. Cuius exemplum, vt quod magis viuentis videtur esse proprium id quod est magis sentire, & minus viuentis videtur esse proprium quod est minus sentire, & quod est maximè sentiens proprium est eius quod maximè viuens, & eius quod simpliciter proprium est quod simpliciter sentiens.

Ex eo autem quod, &c.

Eodem autem modo ex eo quod est simpliciter ad eadem quæ minus dicta minimè & maximè considerandum eodem modo. Destruenti quidem considerandum, si quod simpliciter est proprium eius quod simpliciter erit subiectum, non est proprium : tunc nec eius subiecti quod est magis, erit proprium : nec quod minus videtur esse proprium, erit proprium eius quod minus videtur esse subiectum: nec quod maximè videtur esse proprium, erit proprium eius quod maximè videtur esse subiectum : nec quod minimè eius quod minimè videtur esse subiectum. Cuius exemplum est, vt quoniam non videtur hominis proprium esse studiosum, nec magis hominis magis studiosum esse videtur esse proprium.

Construenti autem si quod simpliciter, &c.

Construenti autem hac consideratione per oppositum modum est vtendum sic, si quod simpliciter est proprium, tunc & quod magis videtur esse proprium eius quod magis subiectum, est proprium, & quod minus eius quod minus, & quod minimè est eius quod minimè, & quod maximè est eius quod maximè est proprium. Cuius exemplum est, vt quoniam ignis est proprium sursum ferri secundum naturam: & tunc magis ignis proprium erit magis sursum ferri secundum naturam. Eodem autem modo considerandum est in omnibus aliis, quod ex quolibet eorum argumentando ad omnia alia & ad quodlibet aliorum quæ huiusmodi dicta sunt secundum magis & minus, & maximè & minimè & simpliciter.

Secundo autem destruenti quidem, &c

Secundo autem modo comparando duo prædicata duobus subiectis, destruenti considerandum est, vt quoniam est magis proprium animalis sentire, quam hominis scire : eò quod sentire sequitur omne animal, scire autem non sequitur omnem hominem : non est autem proprium animalis sentire, sed differentia : non erit proprium hominis scire per locum à maiori. Construenti autem hac consideratione per locum à maiori vtendum est, vt & si quod minus videtur esse proprium eius, est proprium cuius minus videtur esse proprium, erit etiam quod magis videtur esse proprium eius, proprium cuius magis videtur esse. Vt quoniam minus videtur esse proprium hominis esse mansuetum natura quam viuere animalis, & mansuetum natura est proprium hominis, sequitur quod etiam viuere sit proprium animalis.

Sentire non proprium animalis, sed eius differentia.

Tertio verò destruenti, &c.

Tertio autem comparando vnum prædicatum duobus subiectis secundum magis & minus, destruenti quidem considerandum est si eius quod magis videtur esse proprium, aliquod non est proprium illius : tunc etiam non erit proprium cuius minus videtur esse proprium inter duo subiecta quibus comparatur, per locum à maiori. Sed non valet construenti : non enim sequitur, si est proprium eius cuius magis videtur proprium esse, quod sit etiam proprium eius cuius minus videtur proprium esse. Cuius exemplum est, vt quoniam colorari magis videtur esse proprium superficiei quam corporis, non est autem corporis, non sequitur, quòd nec superficiei. Construenti verò non valet : quia non sequitur, si sit superficiei proprium, quod etiam corporis. Hic autem locus nulli construenti est vtilis, vt dictum est : eo quod impossibile est vnum plurium esse proprium : & idco si construitur vnius esse proprium, non potest per magis & minus construi alterius esse proprium.

Quarto destruenti, &c.

Quarto comparando duo subiecta siue propria vni subiecto secundum magis & minus, destruenti considerandum est, si illud quod magis videtur inter duo propria esse proprium alicuius subiecti, & non est proprium eiusdem : tunc sequitur, quòd neque est eius proprium quod minus videtur esse proprium. Cuius exemplum est, vt magis videtur proprium animalis esse sentire quam partibile esse : non autem animalis est proprium sentire : non erit animalis proprium partibile esse. Construenti autem hac consideratione per locum à maiori vtendum, si duorum propriorum alicuius subiecti si quod minus videtur esse proprium, est proprium, & quod magis. Vt minus videtur proprium animalis sentire quam viuere : est autem animalis proprium sentire : etiam & viuere.

CAPVT IV.

De determinatione proprij per locum à simili.

Deinde ex his quæ similiter insunt, &c.

DEinde per locum à simili ex his quæ similiter insunt, problemata de proprio terminandum est, primo comparando duo prædicata siue propria duobus subiectis. Primo igitur destruenti considerandum est, si proprium vnum quod simile est quantum ad inesse vni subiecto, alteri proprio quod simile est quantum ad inesse alteri subiecto, non est proprium illius subiecti cui similiter inest : tunc nec propositum proprium quod similiter inest assignato subiecto, erit proprium illius subiecti cui similiter inest. Cuius exemplum est, vt quoniam sunt duo subiecta concupiscibilis & rationalis potentiæ, & duo propria concupiscere & ratiocinari, & concupiscibilis similiter sit concupiscere, & rationalis ratiocinari sunt hæc propria per proprios casus sua subiecta consequentes : si concedatur concupiscibilis non esse proprium concupiscere, sequitur quod nec etiam rationalis erit proprium ratiocinari.

Construenti verò si quod, &c.

Construenti autem hac consideratione per oppositum

oppositum vtendum est sic, quòd si alicuius subiecti est proprium eius cuius similiter est proprium, erit & huius in proposito & assignato subiecto, cuius similiter assignatum est proprium. Cuius exemplum est, vt quoniam est rationalis, quòd sit prudens & prudentiæ habitus, sicut concupiscibilis temperans habitus: est autem rationalis potentiæ primum & per se habitus prudens siue prudentiæ: erit & concupiscibilis primum & per se temperans habitus.

Secundo autem per locum à simili comparando prædicata ad vnum subiectum destruenti considerandum est, si duo vnius proprius similiter se habentibus ad vnum subiectum, si quod similiter est proprium, non est illius subiecti proprium, sequitur quòd nec propositum proprium quod similiter videtur esse proprium, erit proprium. Vt gratia exempli, quoniam similiter est hominis proprium videre & audire: non est hominis proprium videre: sequitur, quòd nec audire.

Constructi autem hac consideratione opposito modo est vtendum sic, quod similiter, & quod similiter, vt patet in exemplo posito in litera. Vt animæ proprium esse concupiscibile esse: primæ autem etiam proprium animæ partis eius esse rationale primæ. Dico autem primæ, quod hi actus primo sunt potentiæ, & secundo animæ, & tertio hominis: quia per potentiam sunt animæ, & per animam sunt hominis.

Tertio verò per locum à simili, comparando vnum prædicatum duobus subiectis terminandum est problema de proprio: & hoc modo destruenti considerandum, si id quod similiter est propositum duobus subiectis, non est proprium vnius eorum, sequitur quod nec est proprium assignati subiecti cui similiter videtur inesse vt proprium: sequitur quoniam etiam non erit alterius proprium subiecti. Et causa iam sæpius dicta est: quia non potest esse vnum proprium diuersorum subiectorum propriè siue bene: sic enim esset commune non proprium. Huius exemplum est, vt quoniam similiter est flammæ vrere sicut carbonis: non est autem proprium flammæ vrere: non erit etiam carbonis proprium vrere: propter causam dictam. Et sic hic locus constructi non est vtilis.

Quia autem in præhabitis proprium per similes habitudines proportionum terminatum est, non superfluum quod hic sumitur per locum à simili: quia differt hoc quod est secundum proportionem ex similiter se habentibus adinuicem, vel ad aliquod, ab eo loco qui ex his quæ similiter insunt eidem vel diuersis, in hoc, quod hoc quidem quod est ex similiter se habentibus secundum proportionem ex similitudine habitudinum sumitur, non in eo quod similiter aliud inest tantum considerandum est. Id autem quod est ex similibus, ex eo tantum quod inest similiter alicui vel aliquibus comparatur, si non per similem comparationem accipiatur.

Secundum autem de structi, &c.

Quare idem non potest esse proprium diuersorum specierum.

Tertio verò destructi, &c.

Differt autem qui est ex similiter, &c.

Constructi verò si quod similiter est, &c.

TRACTATVS IV.

De determinatione proprij contracti ad potestatem & actus, & ad superabundantiam dicti.

CAPVT VNICVM.

DEINDE ad proprium aliquo modo speciale & contractum ad dictum secundum potestatem & actum, & superabundantiam dictum, hac consideratione destruenti considerandum est, si aliquis potestate proprium assignans subiecto existente in actu, proprio autem non existente: & ad hoc subiectum quod est proprium, quod non est assignauit, vel quod potestate est non contingente, hoc est, potestate quæ non est, & quam contingit non esse id quod non est, existente tamen eo cui inest vt proprium: tunc enim non erit proprium quod positum est esse proprium. Exemplum, vt qui dixit aëris proprium esse, quòd inspirabilis sit, secundum actum assignauit proprium quod potestate passiua est proprium, quæ in actu non ducitur nisi per aliud actiuum & spirans: nam huius ens quod est aër vel spiralę, vt spirari possit, aliquo actiuo spirante spiraculo indiget: assignauit autem & ad hoc respectu eius quod non est vel potest non esse proprium: quia cum non est animal quod inspirare natum est aëra, contingit siue possibile est aërem esse: non tamen possibile spirari aërem actu, cum non est animal spirans: propter quod non erit proprium aëris huius quod est spirari vel spirabile esse, cum animal non erit huiusmodi vt spirare possit: non ergo erit aëris proprium spirabile esse.

Constructi autem hac consideratione opposito modo vtendum est, vt si potestate ens assignans proprium ad hoc subiectum quod est actu, assignauit proprium, aut ad hoc quod non est actu, sed potestate tali quali contingit id proprium, quod non est inesse aliquando: erit enim tunc proprium quod ab aduersario opinatum est non esse proprium. Cuius exemplum

Deinde destructi quidem, &c.

Constructi autem si potestate, &c.

plum est, vt qui assignauit proprium entis simpliciter, quod possibile est pati vel facere, quod est subiecto proprium, aut simpliciter est, hoc est, potestate, quidem assignans proprium ad hoc, assignauit proprium ad hoc quod est, non tamen entis quod actu est proprium, & possibile pati & facere erit aliquando proprium: propter quod proprium entis est quod possibile est pati aliud aut facere. Et attende, quòd potest assignari secundum potestatem materiæ: & sic nihil prohibet proprium assignari potestate ens. Potest autem assignari potestate passiua relata ad actiuum aliquod: & sic male assignatur potestate ens ad subiectum ens actu.

Deinde destruenti considerandum est si ex subiecto non existente dicitur esse proprium, si per abundantiam ponit proprium: tunc enim non erit proprium: accidit enim sic assignantibus proprium, non veram esse rationem quæ est proprium de quo: non tamen subiecti est proprium: corrupta enim re nihilominus vera erit ratio quæ est proprium: quia adhuc alicui de numero eorum quæ sunt, proprium maximè, hoc est, per superabundantiam inerit. Cuius exemplum est, vt si quis igni assignat proprium esse corpus leuissimum corporum: tunc enim corrupto igne vel posito non esse, aliud adhuc corporum residuorum ab igne adhuc leuissimum est: & tamen tunc non erit ignis proprium, quòd sit corpus leuissimum.

Constructi autem si non, &c.

Constructi autem hac consideratione vtendum est quod consideret si aliquis non id quod per superabundantiam assignauit proprium: & secundum hoc bene positum est proprium. Attendendum autem, quòd hæc consideratio refertur ad proprium specie quod est supra consideratum: sed illic interimitur proprium si non ponitur hæc consideratio specie: hic autem interimitur ex eo quod subiecto destructo adhuc potest proprium existere. Attendendum, quòd superius est assignatum proprium semper. Vnde vbi dicitur semper inesse proprium, est actu, & hoc est quo existente subiectum potest non esse.

Deinde destructi quidem, &c.

Obiectio.

Si autem alius obiiciat, quòd omne proprium dicit aptitudinem, & sic omne proprium potestate est. Soluendum, quòd aptitudo est duplex. Actiua, & illa est actu: & passiua, & illa est potentia & non actu. Item quod arguitur, quòd spirabile posse non esse per spirare quod non est, videtur argui vnum contrariorum per aliud: hoc autem inconueniens non est quando vnum contrariorum est causa alterius.

Solutio.

LIBER VI.

TOPICORVM.

TRACTATVS I.

De interemptione diffinitionis secundum bonitatem.

CAPVT I.

De proœmialiter præmittendis.

CVM autem iam determinatum sit qualiter dialectico syllogismo terminatur problema eius quod est inesse vt accidens, secundum quod prædicatum accidit subiecto per hoc quod inest ei: & hoc est prædicatum inesse subiecto: & si non inest, non est prædicatum sicut accidentis esse est inesse: & si non inest, sequitur quòd similiter non est accidens, & consequenter quod non est in eo. Quod si est: aut est substantia, aut accidens & non substantia. Item si non inest: ergo non est accidens, & sic nihil si non inest. Ergo & in hoc simile est inesse prædicati (vt prædicatum est) accidenti: quia si non inest subiecto, non est prædicatum ipsius: & hoc fuit prædicatum primum elementare ad diffinitiones. Et ideo sequitur, si non inest, non inest vt diffinitio: vt si non inest, non est prædicatum. Et si non inest vt prædicatum, non inest vt diffinitio: quia potissimum prædicatum est diffinitio.

Propter quod syllogismo dialectico ostensum qualiter terminatur problema de genere, quod quid dicit in diffinitione prædicato de diffinito: & iterum qualiter terminandum est problema de proprio quod per inesse conuertitur, quod conuenit diffinitioni inquantum est terminus diffiniti, nec plus nec minus continens quam diffinitum: & non sint plura elementaliter

mentaliter ordinata ad diffinitionem. Restat nunc dicere qualiter vtile sit legitimo dialectico ex probabilibus haberi terminari propositiones de diffinitione. De diffinitione enim docere qualiter est tota rei cientia, relinquendum docere primo Philosopho. Qualiter autem medium demonstrationis & causa passionis de subiecto, iam in doctrina posteriorum determinatum est. Qualiter communis prædicati est intentio, secundum quod communiter ad subiectum vt prædicatum referri habet per communia & probabilia haberi determinari, hanc doctrinam habet tacere dialecticus.

Qualiter de diffinitione aliter tractat metaphysicus & aliter posteriorista & aliter topicus.

Sic autem hic loquentes de diffinitione dicimus, quod eius negotij dialectici quod est circa diffinitiones, prout communia prædicata elementaria referuntur communiter ad quodcunque subiectum, partes sunt quinque. Aut enim hic quantum ad inesse comparatur ad subiectum, ita vt de quo subiecto de quocunque de quo verum est dicere vel prædicare nomen diffiniti secundum quod datur diffinitio, non sit verum etiam dicere vel prædicare rationem siue diffinitionem: & sic per non inesse simpliciter intelligitur diffinitio: quod est propter hoc: quia oportet hominis rationem siue diffinitionem de omni homine veram esse. Et similiter dicendum est de qualibet vera diffinitione alia relata ad suum diffinitum. Et ista est pars prima negotij.

Eius autem quod est circa diffinitiones, &c.

Aut genere existente diffiniti ille qui diffinit diffiniendo non ponit diffinitum in genus, quod primum est in diffinitione ponendum vel si posuit ipsum in genus, non tamen posuit in genus conueniens, sed forte in remotum vel analogum: & hoc quia oportet, quod qui diffinit ponat in genus primo, & sic post genus oportet differentias addere generi, quæ genus vsque ad vltimum actum determinent. Et huius causa est: quia genus videtur maxime omnium eorum quæ sunt in diffinitione, substantiam diffiniti significare.

Aut quoniam genere existente, &c.

Obiectio. Et si quis obiiciat, quod in diffinitione genus est potentia & sic materia, differentia autem forma & vt actus: actus autem in plus est & indicat quam potentia. Dicendum est, quòd genus est vt quid substans, & in quid prædicatum, & hoc modo confert etiam speciei in quid prædicari, & vt in quid stans & fixum in seipso esse videtur: differentia autem actus & conferre actu esse vt forma quæ genus formatum per differentiam facit ipsum quale quid secundum formam & perfectionem substantiæ, & perficit ad actum, sed non facit quid, sed potius quid generis format & perficit secundum quale formale: & sic quantum ad hoc non indicat quid, sed quale: quia omnis forma in quale prædicatur. Et sic intelligitur quod dicitur, quòd genus omnium eorum quæ ponuntur in diffinitione, maximè significat quid diffiniti, sicut primum stans & primum formabile per differentias. Istæ ergo sunt duæ partes huius negotij.

Solutio.

Aut quoniam non propria, &c.

Tertia autem est, vt quoniam non est diffinitio propria, hoc est, conuertibilis cum specie diffinita: tunc enim est propria quando omni conuenit & soli: quia tunc propria dicit speciei & essentialia: & quia soli conuenit & ad alia non extenditur, oportet eam esse conuertibilé cum diffinito secundum nomen & speciem: oportet enim diffinitionem propriam esse, quemadmodum prius & nunc dictum est.

Aut si omnia quæ dicta sunt, &c.

Quarta autem pars istius negotij, aut si omnia tria quæ dicta sunt aliquis est faciens siue obseruans, diffinitio assignata non dicit quid est esse diffiniti per essentialia illius.

Reliquum autem præter ea, &c.

Adhuc autem quinta pars istius negotij est: quia aliquando præter omnia quæ dicta sunt, considerandum, quòd si etiam diffinitio determinauit quid est, non bene tamen & obscurè, ita quod non clarum sed confusum generat intellectum. Istæ sunt partes quinque negotij, non diffinitionis: quia diffinitio ex his non ponitur, sed negotium determinationis problematis diffinitionis interimendi circa ista versatur. Et hæc quinque non vt partes integrales ad diffinitionem referuntur: sed modus inhærendi quintupliex acceptus ab his quinque accipitur: & hoc modo sunt partes & non aliter. De his igitur enumeratis partibus istius negotij dicamus, de quibus iam dictum est, & de quibus restat in hoc lib. considerandum.

Si ergo non verum est de quo, &c.

Dicimus igitur, quod si considerari debeat prima harum partium, hoc est, quòd si non est verum inesse vel prædicari rationem de quo vt de subiecto prædicatur nomen, secundum quod datur, vel est verum si inest eidem, nomen & rationem, considerandum ex his locis & considerationibus quæ in secundo huius scientiæ libro ad inesse vt accidens adducta sunt: quia ex his quæ ibi dicta sunt, terminatur simpliciter inesse prædicatum subiecto, sicut sæpè dictum est: eò quod si quid accidit, accidit substantiæ in qua est secundum inesse quod est accidentis secundum prædicatum per se stanti, accidit quantum ad inesse, quo subiectum informatur, nos oportet hic ad hoc specialem facere considerationem: quando enim in secundo libro superius disputauimus, quoniam inest generaliter accidens: tunc quia ab inesse causatur verum esse accidens prædicatum de subiecto, tunc satis ostensum fuit, quia verum est illud inesse: & quando disputare docuimus, quoniam non inest, tunc ostensum fuit, quoniam non est verum prædicatum de subiecto: nam illic in secundo libro, vtrum verum vel non verum sit prædicatum de subiecto per simpliciter inesse vel non inesse prædicatum in subiecto, omnis consideratio fit, sicut ibidem determinatum est.

Si vero non in conueniente genere, &c.

Si vero aliquis subiectum non in conueniente genere posuit, quod est secunda pars negotij: aut etiam propter hoc si conuertibilis est assignata ratio siue diffinitio, quod fuit tertia pars negotij præsentis: ex his considerationibus & locis quæ ad genus siue inesse vt genus in quarto libro huius scientiæ, & quæ ad proprium siue inesse vt proprium in quinto huius scientiæ libro adducta sunt: ex illis vbi de his duabus partibus est perspiciendum: ex illis enim hæc duo sufficienter considerantur. Reliquum siue relictum est in hoc libro considerandum de quarto & quinto si diffinitiones non determinauit, per quod destruitur substantia diffinitionis: aut si bene non diffinitur,

niuit, per quod destruitur bonitas diffinitionis. De his enim duobus in hac methodo sexta aliquo modo per communia & probabilia transeundo, & non determinando nec profundando subtiliter vsque ad causarum assignationem relinquitur dare in hac methodo.

Primum ergo inspiciendum, &c.

Et quamuis esse simpliciter sit ante bene esse, tamen primo ostendemus qualiter destruitur diffinitio quantum ad bene esse, & posteà quomodo secundum esse destruitur. Cuius ratio est: quia facilius est quodlibet fecisse secundum substantiam & esse, quam fecisse bene secundum perfectam sui bonitatem: & ideo magis erratur circa benefacere aliquid, quam circa facere: eò quod laboriosius est benefacere quam facere: quia plura requiruntur ad benefacere, quam ad facere simpliciter: propter quod facilior est argumentatio opponentis, quæ est contra hoc quod est benefacere, quam contra illud quod est simpliciter facere. A facilibus autem inchoandum est: & plura sunt ex quibus destruitur benefacere diffinitionem, quam ex quibus destruitur facere eam simpliciter, &c.

CAPVT II.

Quibus modis interimitur bonitas diffinitionis, eo quod datur per obscurum.

Sunt autem eius quod est non bene, &c.

VOlentes ergo primo ostendere qualiter destruitur diffinitio secundum bonitatem tantum, &. non secundum esse ipsius, dicimus, quòd sunt duæ partes eius negotij, quod est non bene assignatam esse diffinitionem. Vnum enim siue vna pars ipsius est, quod aliquis potest vti obscura interpretatione siue diffinitione, cum oporteat diffinitionem quam exigit, vt conuenit siue quantum conuenit siue quantum permittit diffinitum, planissima vti interpretatione. Dico verò conuenit: quia, vt dicit Boëtius, quod sicut intelligibilia propter sui excellentiam perfecto intellectu non capiuntur, vt perfecta interpretatione explanentur, vt causa prima à qua deficiunt linguæ propter excellentiam esse ipsius: quædam autem propter sui imperfectionem non perfectè intelliguntur, nec perfectè explanantur, vt materia prima, & motus, & tempus: sed cum in his ponitur explanatio quæ fieri potest, planissima interpretatione vtendum est: ideo quod innotescendi causa redditur diffinitio: & quando non facit innotescere diffinitum, caret bonitate finis sui, propter quod & ad quem assignatur.

Duplex enim est causa difficultatis in cognoscendo aliquod intelligibile, vt dicit Auic. 1. metaph. com 1.

Secundus autem si amplius, &c.

Secundus autem modus peccandi contra bonitatem diffinitionis, si amplius dixerit diffinitionem per comparationem superflui quam oportuit: nam quod appositum est in diffinitione vltra esse diffiniti, superfluum est. Appositum autem est superfluum quod non est in esse diffiniti. Et hoc verum est de diffinitione dicente quid tantum: quia diffinitio ista dialectica est: quia quæ dicit quid & propter quid, ad demonstratorem pertinet: & ideo quia ipse considerat causam quare passio

Remouet dubium.

ineſt ſubiecto, potius quam quid eſt paſſio, non eſt ſuperfluum in illa diffinitione apponere cauſam quæ non eſt de eſſe paſſionis.

Rurſum autem quod in vtriſque illis partibus prima etiam & ſecunda dictum eſt, in plures diuiditur partes: obſcurum enim diuiditur in obſcurum ex multiplicitate ſermonis, & obſcurum ex tranſlatione dictum. & in hoc quod in reſecatis ſermonibus explicatur vel exponitur. Obſcurum enim ex multiplici eſt, vt ſit aliquid æquiuocum quod in diffinitione ponitur, ſicut qui diffinit generationem dicens, quòd generatio eſt ductio in ſubſtantiam ſiue in eſſe ſubſtantiale. Omnia enim nomina in tio deſinentia verbalia æquiuoca ſunt ad actionem agentis & paſſionem patientis. Vnde ductio cum ſit ducentis, actio eſt: & ductio ducti, paſſio. Hoc modo obſcura eſt diffinitio quando diffinitur ſanitas dicendo, quòd ſanitas eſt commenſuratio calidorum, ſiccorum, frigidorum, & humidorum, è conuerſo: cum enim eſt & ductio & commenſuratio propter cauſam quæ dicta eſt. Incertum ergo eſt vtrum ſignatorum in æquiuocatione poſitum in diffinitione velit dicere quando tale æquiuocum ponit, & diuidens per diſtinctionem multiplicis non dixit in quo ſenſu accipiat in diffinitione poſitum.

Rurſum autem vtrumque quod dictum eſt, &c.

Similiter autem considerandum per inſpectionem ad diffinitum, ſi diffiniuit diffinitum quod multipliciter dicitur, & non diſtinxit diuidens multiplicitatem diffiniti quo ſenſu diffiniuit: incertum enim erit cuius ſignati multipliciter dicti aſſignauit diffinitionem. Maximè autem contingit hanc obſcuritatem fieri quando æquiuocatio latet: latet autem quando non determinatur per diſtinctionem. Contingit autem calumniari talem diffinitionem ab aduerſario, velut non conueniente tali diffinitione ad omnia, hoc eſt, ad omnes ſenſus ſignatos, quorum diffinitionem per æquiuocum aſſignauit. Maximè autem hanc increpationem contingit fieri latente æquiuocatione. Contingit autem etiam quod dicimus, quot modis dicitur æquiuocum quod in diffinitione aſſignatum eſt, ſyllogiſmum facere contra talem diffinitionem ponentem: nam diſtincto multiplici ſi ſecundum nullum modorum vel ſenſum multiplicis diffiniti ſufficienter & clarè dicta eſt diffinitio, manifeſtum eſt, quoniam nec eſt diffinitio, nec eſt diffiniens ſecundum modum quo diffinitio dicitur de diffinito.

Similiter autem & ſi diffinito multiplici, &c.

Amplius obſcurè diffinit ſi ſecundum tranſlationem dictis in diffinitione nominibus vſus. Vt ſi dixit diffiniendo ſcientiam incadibilem: aut terram diffiniens, dicat nutricem: aut temperantiam diffiniens, dixit conſonantiam eſſe: quia quod ſecundum tranſlationem dicitur, incertum eſſe dicitur: quia neſcitur qua ſimilitudine tranſferatur: & ideò contingit calumniari eum qui ſecundum tranſlationem dicit diffiniendo aliquid, velut impropriè dando diffinitionem: non enim ad diffinitum propriè ſumptis terminis aptabitur dicta diffinitio: cum enim dicat temperantiam eſſe conſonantiam, propriè adaptari non poteſt:

Amplius ſi ſecundum tranſlationem, &c.

quia omnis consonantia proprie dicta est in sonis. Amplius autem alia ratio eiusdē est, quòd tale diffinitum in duplici ponitur genere, si genus temperantiæ dicatur consonantia: propterea continget idem esse in duobus generibus non continentibus temnicem, hoc est, non subalternatim positis. Temperantia enim cōstat, quod est in genere virtutis, & est in genere consonantiæ: cum nec consonantia contineat sub se virtutem, neque virtus proprie contineat consonantiam. Hoc autem inconueniens est: quia diuersorum generum & non subalternatim positorum diuersæ sunt species & differentiæ.

Amplius adhuc obscurum est, si in diffinitione non positis nominibus vtitur, hoc est, in eo modo significandi quo imposita sunt nomina. Vt Plato vmbriciliorum oculum dixit: eò quod vmbra ciliorum obumbretur. Aut putrimordax, hoc est, putredinis corrosiuum puluerem dicat telagon, hoc est, fellis siue amaritudinis angorem vel angustiam dicat, & ita diffiniat. Est autem telagon pulvis putri siue putredinis carnis corrosiuus. Aut medullam dicat ossigenam. Nam sic dictis tribus modis obscurum quod inconsuetum est, & non in propria significatione terminorum positum.

Amplius si positis nominibus, &c.

Telagon quid.

Quædam enim nomina multiplicia neque secundum æquiuocationem, nec secundum translationem ponit diffiniens: neque tamen vtitur nominibus proprie dictis, sicut dictum est, aliter quam institutæ sunt nominibus & numeris. Vt cum dicitur diffiniendo, quòd lex est mensura vel imago eorum quæ naturaliter iusta sunt.

Sunt autem huiusmodi peiora, &c.

Et sunt huiusmodi peiora quam per translationem dicta: quia translatiue dicta ad minus per similitudinem de diffinito certificant: abusiue autem dicta intellectum penitus obscurant. Vnde translatione facta facit terminus translatus dictus vel positus quodammodo notum quod significatum est per similitudinem translationis: omnes enim transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt: & per illam similitudinem aliquo modo declaratur diffinitum. Nomen autem quod est huius & abusiuè sumptum, nihil facit notum: & hoc ideo est: quia nec similitudo inest talibus nominibus abusiuis, quod mensura, vel imago, lex dicatur: nec etiam in tali sermone solet lex dici, sed potius à ligando: eò quod ad pœnam obligat lex transgredientem: propter quod si propriè intendendo loqui, mensuram vel imaginem legem iustorum esse dixit, mentitur: imago enim propriè dicta est, cuius generatio per artem vel per naturam vel per immutationem facta est eius cuius est imago. Imago enim vt dicit Hilarius est rei ad rem coæquandæ similitudo indifferens. Hæc autem siue talis generatio figuræ non inest legi. Si autem non propriè loqui intendit, palam est, quoniam obscurè dixit, siue diffinitionem per obscura posuit: & penus quoad obscuritatem dixit quolibet illorum modorum qui secundū translationem dicuntur: & ista per similitudinem aliud certificant, illa verò nihil certificant.

Lex vnde dicatur.

Imago quid. Lib. de synodis.

Amplius si non manifesta, &c.

Amplius si tali diffinitione diffinit per quam non est manifesta contrarij ratio, si diffinitum contrarium habet: quia contrariorum idem est est genus, quod cum diuiditur, differentiæ contrarij sunt manifestæ: & ideò qui nouit diffinire vnum contrariorum, nouit & reliquum: quia cum genere & contraria differentia constituitur reliquum: nam qui bene per diffinitionem assignauit hoc modo contraria, assignauit quòd vnum cognoscitur ex reliquo.

Amplius autem considerandum si diffinitione assignata non est manifestum, cuius est diffinitio: sed sic intrinsecus est diffinitio velut epithaphia quæ sunt antiquorum scriptorum, nisi in illis quis superscripserit cuius sunt, non cognoscentur quod est vnumquodque eorum. Ex his ergo quæ dicta sunt, cognoscetur vel cognosci poterit, si aliquis non planè diffiniuit aliquid ex his quæ dicta sunt, & similibus.

Aut si per se dicta, &c.

CAPVT III.

Qualiter interimitur bonitas diffinitionis per superfluum in diffinitione positum.

Si autem amplius, dixit, &c.

INterimitur etiam bonitas diffinitionis, si amplius aliquid dixit in diffinitione quam necessarium sit: & hoc quidem appositum potest esse tribus modis, ita quòd vel appositio fiat diuersi ab omnibus diffinitionibus, vel fiat appositio eiusdem, vel fiat appositio partim eiusdem & partim diuersi. Et si fit appositio diuersi, hoc fieri potest tripliciter: vel quod appositum diuersum sit in plus omnibus diffinitionibus vel diffinientibus, vel quod sit in minus, vel quod sit in æque cum eis.

Primum quidem considerandum, &c.

Primo igitur considerandum si aliquis apponens ad diffinitionem diuersum amplius (siue quod est amplius) siue superfluum, cum isto sic addito dixit siue assignauit diffinitionem: & tunc considerandum si in tali appositione quo hoc est aliquo vsus est, quod sui communitate omnibus insit, sicut ens & vnum & huiusmodi, quod inest omnibus simpliciter existentibus. Considerandum etiam si aliquo tali in appositione vsus est, quod non omnibus insit sub eodem genere positis quod est genus diffiniti: tale enim appositum necessarium est dici esse amplius siue superfluum. Cuius ratio est: quia nihil ponendum est in diffinitione quod ab aliis non separet: oportet enim diffinitum separare ab aliis generibus, & ab aliis quæ sunt in eodem genere cum diffinito: quod autem positum est in diffinitione, si omnibus simpliciter inest, vt ens, hoc à nullo separat: eò quod omnibus conuenit, & ita differentiam nullam ab aliquo facit, & sic additur inutiliter & superflue in diffinitione id quod omnibus inest quæ sunt sub eodem genere: cum diffinitū non separet ab his quę sunt sub eodē genere cum diffinito, sed ponit conuenientiam ad illa: ab aliis autem generibus separatur per genus positum: & sic superflue addunt quod conuenit omnibus quæ sunt sub eodem genere: propter quod vanum & inutile est huius appositum.

Obiectio.

Si autem obiiciat, quòd per ens apposi

positum in diffinitione separatur diffinitum à non ente, & sic non superfluè apponitur. Dicendum; quòd tales obiectiones friuolæ sunt: quia eadem separatio fit per quodlibet genus, siue generalissimum, siue subalternum in diffinitione positum, per quod diffinitum esse intelligitur.

Solutio.

Dubitatio. Solutio. Quare ens non potest esse genus. Ens non-potest prædicari per se de aliquo, sed semper per aliud.

Si verò quæritur, quare ens genus esse non possit in diffinitione positum? Sæpius in hac scientia à nobis assignata est ratio, & est, quòd ens & esse accidit ei quod est, non quod accidens sit, sed per aliud conuenit: cuius probatio est, quod cum prædicatur de aliquo, non prædicatur tanquam id quod sit de ratione subiecti, & sic non prædicatur per se, sed per aliud. Probatum est & in libro de causis, quòd omne quod est, secundum id quod est, nihil est in eo quòd est: & quod est, conuenit ei ex comparatione ad causam primam, & secundum id quod est: genus autem est prædicatum quod est de ratione subiecti, & quod inest ei secundum id quod est. Hæc igitur est vera causa, quare ens non potest esse genus.

Aut si est quidem proprium, &c.

Aut si est quidem proprium quod appositum in diffinitione, hoc est, conuertibile sit, ita tamen quòd ablato illo à diffinitione, residuum adhuc conuertibile sit cum diffinito, ita quod adhuc est propria diffinitio, & dicat adhuc substantiam diffiniti, superfluè est additum. Simpliciter autem & vniuersaliter esse illud superfluum est dicendum, quo ablato à diffinitione, quod reliquum est residuum, sufficienter manifestum facit id quod diffinitum est. Talis autem (vt exemplum ponamus) est animæ Platonis diffinitio, si anima secundum Platonem dicatur numerus seipsum mouens: nam, sicut diffinit, seipsum mouens est anima, & conuertitur cum anima seipsum mouens esse, & separat animam à natura quæ non mouet seipsam, & est principium motus & quietis in anima per se & non secundum accidens: & ideò superfluè ponitur numerus.

Aut fortè contra id quod dictum est, obiicict aliquis, quòd non superfluit id quod dicitur numerus; quia quamuis non separet ab aliis generibus, nec ab his quæ sunt in eodem genere, tamen id quod dicitur mouens seipsum, non indicat substantiam siue quid diffiniti, interempto siue ablato à diffinitione numero: numerus enim dicit quid animæ, vt dicit Plato. Si enim sic dicat aliquis, dicimus ad hoc, quòd quolibet modo se habeat numerus ad animam, siue vt genus & quid animæ, siue non, difficile est explanare, & altioris est inquisitionis quam sit præsens negotium.

Vtendum ergo in omnibus, &c.

In omnibus ergo quæ sic latent diffinitionibus opposita, vtrum necessaria vel superflua sint, vtendum ad expediens diffinitionem, sicut patere potest in phlegmatis diffinitione data de ipso secundum causam agentem, quod est humidum primum à cibo separatum indigestum: quod enim per superabundantiam dicitur; vni soli conuenit: dicitur autem primum per superabundantiam: & sic vnum solum phlegma primo à cibo separatum, est conuertibile cum phlegmate, præter hoc quod dicatur addendo indigestum: & sic superfluè additur, indigestum, eò quod hoc ablato, adhuc quod reliquum est, diffinitio est propria & conuertibilis cum phlegmate: eò quod non contingit à cibo aliud quidem primum separari. Aut non dicit phlegma esse simpliciter primum cibum à cibi indigestione in hepate facta separatum: sed dixit primum indigestorum: quia quamuis cholera separetur, illa separatur in sede sanguinis residens, & ad cistim fellis mittitur: & quamuis melancholia separetur, illa separatur vt adustum & ad splen trantmissum. Solum autem phlegma separatur vt primum indigestorum, & sic addendum est indigestum: & sic intelligendo non superfluit quod dicitur indigestum. Nam illo primo modo dicta & intellecta diffinitio phlegmatis non erit vera diffinitio secundum bene esse diffinitionis: propter hoc quod phlegma omnium separatorum à cibo primum non est: quia ante digestionem quæ fit in hepate, facta est prima digestio in stomacho, per quam grossum à subtili per colorem digestiuum separatur, & grossum per cœcaum ad inferiora ventris dimittitur: & tùc subtile per venas mesaraicas in hepate figitur: & ibi stans in digestione phlegma fit viscosum & indigestum primum ibidem indigestorum à cibo, qui chymus Græcè vel massa tysanaria Latinè vocatur, quæ verè est cibus, & in cibum membrorum apratur sub medio talamo cordis, vt dicit Arist. quamuis Gal. hoc non dicat: sed de hoc nulla vis est hic: quia exemplo non vtitur Aristot. nisi vt significet & intelligat qui discit. Si ergo modis dictis superfluum quis apposuit in diffinitione, plus sumendo, peccauit, etiam superfluum ponens in minus. Diximus enim, quòd si aut in plus posuit superfluum, aut in minus diffinito, quod peccauit.

Aut si quid eorum quæ sunt in diffinitione, &c.

Aut si quis posuit aliquid de numero eorum quæ non omnibus insunt quæ sunt sub eadem specie quæ diffinitur: tale enim minus commune facit, quòd non conuertitur diffinitio, ita quod omni & soli insit: & ideo tale quid apponentes ad diffinitionem peius diffiniunt, quam qui communius apponunt. Commune enim per appositionem & determinationem restrictum fit conuertibile. Vnde illo quidem modo quando apponitur communius quod omnibus inest, erit pro terminatione propria & conuertibilis diffinitio: & tota simul accepta cum communioribus determinatè accepta, erit propria & conuertibilis. Si verò illo secundo modo aliquid eorum quæ sunt in diffinitione, sic positum sit in minus, & non omnibus inest quæ sunt sub specie diffinita, impossibile est totam diffinitionem propriam esse vel fieri: eò quod sic non conuersim prædicatur de re diffinita. Cuius exemplum est, vt si diffinitioni hominis quæ est animal gressibile bipes, additur tetracubitum, eò quod aliquis homo tetracubitus & non omnis: nam huius diffinitio tali superfluo appositio non conuersim prædicabitur de re diffinita: eò quod id quod appositum est, tetracubitum, non omnibus inest quæ sunt sub specie diffinita quæ est homo.

Rursum si idem frequenter dixit, &c.

Rursum si respiciens in æquè commune ex eadem parte siue frequenter dixit illud actu, siue intellectu dicitur in illo eo quod

actu sit in illo. Cuius exemplum est, si concupiscentiam quis diffiniens dixit, concupiscentiam appetitum esse delectationis: omnis enim concupiscentia delectationis & delectatio est: intelligitur enim concupiscentia pastura in fruitione delectabilis, & talis pastura & fruitio est delectatio ipsa sensibilis. Et est exemplum secundum Platonem positum, qui dixit, quòd omnis delectatio motus passiuus est in sensibilem animam: & propter id secundum Platonem est & concupiscentia delectatio: & in delectatione tali secundum Platonem iterum dicitur concupiscentia: & tunc sensus est, concupiscentia est appetitus concupiscentiæ pascentis se & fruentis delectabili quo fruitur: propter quod idem erit delectatio ipsi concupiscentiæ: & sic idem frequenter dicitur. Sic ergo per superfluum diffinitio concupiscentiæ datur, quando dicitur, quod concupiscentia est appetitus delectationis: propter hoc quod vtrumque horum delectatio est, & sic idem frequenter ponitur. Sic ergo dicetur, quòd talis diffinitio secundum bonitatem per appositionem eiusdem interimitur.

Omnis delectatio secundum Platonem est motus passiuus in sensibilem animam.

Aut hoc quod nihil est inconueniens, &c.

Aut oportet dicere, quòd aliquando idem frequenter dicere nihil est inconueniens, quando & in propositione non ex eadem parte subiecti vel ex eadem parte prædicati fiet, sed si solum in subiecto vel prædicato fiat: quoniã diffinitio vel subiicitur tota, & aliud positum in ea prædicatur: vel prædicatur, & aliud positum in ea subiiciatur, de quo tota diffinitio prædicatur: quod patet: quia homo est bipes, & idem est bipes homini: & sic idem erit bipes homini quando prædicatur de eo. Similiter est idem homo est animal gressibile bipes: & talis bipes est gressibile bipes; & de hoc toto sicut de homine prædicatur bipes, & è conuerso illi toti subiicitur quod est, animal gressibile bipes est bipes: & bipes est animal gressibile bipes: sed non propter huius frequenter idem dicere inconueniens aliquod accidit: quia vnũ dicitur ex parte subiecti, & repetitur ex parte prædicati, & è conuerso: & sicut quando idem de se prædicatur, & arguitur sic: homo est bipes: animal gressibile bipes est homo: ergo animal gressibile bipes est bipes.

Sed non propter hoc &c.

Nec est inconueniens, quòd diffinitio hominis datur, quòd homo est animal bipes, non prædicatur bipes de animali gressibili per modum propositionis, vt sit sensus, animal gressibile est bipes: sed si nunc adderetur iterum bipes, vt sic diceretur, animal gressibile est bipes bipes, esset inconueniens propter negationem eiusdem ex eadem parte prædicati frequenter positi: sed si tota diffinitio prius simul subiicitur, & postea bipes (vt idem) de diffinitione prædicatur, sicut animal gressibile bipes est bipes, sicut animal gressibile bipes est animal, non est negatio: quia repetitio non fit ex eadem parte: sed vnum subiicitur, alterum prædicatur, ita quod de animali gressibili bipede bipes prædicatur: quod nihil est inconueniens: quia tunc semel tantum bipes prædicatur. Et similiter in priori exemplo de concupiscentia, cum dicitur, concupiscentia est delectationis appetitus, vt sit sensus, appetitus est delectatio, sed potius de tota diffinitione in subiecto posita & pro subiecto delectatio prædicatur: & sic non est in eadem parte concupiscentia & delectatio in prædicato: & hoc nihil inconueniens est: vnde bis dicere idem nomen, non est semper de numero inconuenientium: sed de numero inconuenientium est dicere frequenter idem de eodem, & ex eadem parte prædicari. Exemplum autem huius, sicut Xenocrates prudentiam diffinire volens dixit, quòd prudentia est determinatiua & contemplatiua eorum quæ sunt, dixit vtrumque esse determinatiuum & contemplatiuum in prædicato ponens & prædicans de prudentia: nam determinatiua contemplatiua quædam est, & non conuertitur: quia contemplando quid faciendum sit, determinat quid sit agendum ex contemplatione: propter quod bis idem & de eodem dicit siue prædicat, quando post determinatiua rursus prædicando addit dicens & contemplatiua. Rursus autem idem ex eadem parte multoties dicit quicunque dicit, quòd refrigidatio est priuatio caloris qui secundum naturam: nam omnis priuatio caloris vel refrigidatio dicitur apud medicos, non alterius, sed caloris eius qui secundum naturam est: & qui ab exteriore calore refrigeratur, non frigidatus, sed frigestus dicitur: & ideò addendo, qui secundum naturam, idem additur quod per intellectum erat in illo: & sic intelligitur exemplum hic inductum. Et non est curandum de dictis eorum qui student verificare qualiter omnis priuatio sit priuatio naturalis habitus: quia falsum est: sed verum est, quòd hæc priuatio (quæ in medicina refrigidatio vocatur) priuatio est caloris qui est secundum naturam, nec priuatur in eo calor nisi naturalis. Et propter hoc superfluum est addere, quòd refrigidatio priuatio caloris est qui est secundum naturam.

Rursum si vniuersali dicto, &c.

Rursum frequenter idem dicitur si vniuersali ex eadem parte non per appositionem & determinationem addit particulare quod actu & intellectu se habet sub vniuersali, vt si dicatur, homo est animal rationale gressibile, & sic recipit id quod quodammodo est idem & quodammodo est diuersum, frequenter ex eadem parte positum, ita quod inter vniuersale & partem eius (quod particulare est, eo quod pars est & vocatur) interponat copulatiuam ad notandum diuersitatem. Cuius exemplum est, vt si aliquis diffiniens clementiam dicat, clementia est diminutio vel remissio in pœnis exigendis expediatiũ & iustorum: talis enim remissio in principe clementia vocatur: nam in tali diffinitione iustum est expediens quoddam, hoc est, particulare est expedientis. Quia verò iustum cuius clementia remissio est vbi expediens ad rempublicam obseruandam: quia maximè sic exigentia pœnarum propter iustũ continetur in expediẽte. Abundans ergo quoddam & superfluum est talis diffinitio: nam qui dixit vniuersale, addidit & particulare per cõpulam tanquam diuersum sit ab ipso, cum in particulari iterum dicatur vniuersale. Idem autem & eiusdem est, qui dixit medicinam esse de numero sanatiuorum animali & homini. Et intelligatur non de scientia medicinæ, sed de medicina purgante vel sanitatem conseruante animali

animali & homini. Quia dicens animali non oportuit addere homini: quia animal reperitur in homine. Et simile exemplum est, qui legem diffiniens dicit legem imaginem eorum quæ naturaliter sunt bona & iusta: eò quod lex posita est ad imaginem naturalis rectitudinis accipi: nam iustum est quoddam bonum & particulare ipsius in quo repetitur bonum: & ideò sic diffiniens frequenter idẽ dixit, & sic contra diffinitionis bonitatem peccauit.

Quomodo particulare additũ vniuersali non facit negationem, sed bene è conuerso. Sed si cum copula addatur, fit inutilis repetitio.

Attendendum autem est hic, quòd omnia quæ in diffinitione sequuntur genus particularia, quodammodo insunt generi, & non fit negatio: quia non inutiliter sed ad generis determinationem ponuntur, sicut formatiua generis ad speciem sunt. Adhuc autem potest addi per appositionem particulare suo vniuersali sine copula ad determinandum vniuersitatem eius, & non fit negatio, nec fit inutilis repetitio. Sed si eidem particulari per posterius addatur (vt homo animal) inutiliter additur, cum vniuersale in particulari dicatur. Idem enim est ac si dicatur, homo animal, animal: oportet enim, quòd negatio si esse debeat, quòd idem sæpius in eadem parte orationis inutiliter dicatur. Vtrum igitur bene vel non bene aliqui diffiniunt, per hæc quidem & huiusmodi perspiciendum est.

TRACTATVS II.

Qualiter interimitur diffinitio inspiciendo in conditiones diffinitionis & partium eius.

CAPVT I.

Si non per notius diffiniunt & prius, coniunctim in hæc aspiciendo.

POSTQVAM autem determinatum est qualiter interimitur ex prædictis locis & considerationibus diffinitio secundum suam bonitatem, determinandum est nunc qualiter destruitur secundum suam substantiam, ita quod non remaneat diffinitio sic destructa. Vtrum autem aliquis similiter diffiniuit & per diffinitionem dixit esse diffiniti, vel non diffiniuit, ex talibus deinceps dicendum est. Hæc igitur declaranda sunt primo inspiciendo in conditiones tam diffinitionis totius, quam partium eius: & postea etiam inspiciendo in ipsam diffinitionem & partes. Et primum quidem inspiciendo in conditiones diffinitionis & partium eius, inspiciendum est si aliquis diffiniens non per notius siue per notiora & euidentiora, quæ (prius & notius) sunt conditiones diffinitionis, & partium eius formales, per quas notificat diffinitum, qui est proprius actus diffinitionis. Vnde si non per notiora aliquis fecit diffinitionem, interimitur diffinitio: quia ênim diffinitio redditur siue datur causa innotescendi per essentialia id quod dicitur, hoc est, diffinitum. Cognoscimus autem non ex quibuscunque, sed ex notioribus & prioribus & euidentioribus, quemadmodum etiam in demonstrationibus notitia conclusionis ex prioribus vel secundum rem & causam: & ex notioribus ad intelligendum est, & euidentioribus quoad actum manifestandi propositum: sic enim omnis doctrina quæ docetur per causam, & omnis disciplina (quæ per intellectum accipitur) se habet, & ita fit. Et hoc dictum est in notitia complexi quod est conclusio, cuius medium est diffinitio, quæ est per notiora incomplexi. Manifestum ergo, quòd qui non per huiusmodi priora & notiora & euidentiora diffiniuit siue determinauit, in terminis sui esse explicitè ponens diffinitum, non diffinit omninò, & diffinitio secundum substantiam interimitur.

Vtrum vero diffiniuit & dixit, &c.

Hoc probatur per deductionem ad impossibile: sequitur enim, quòd plures erunt eiusdem diffinitiones, si concedatur quod talis diffiniuit: si enim iste diffiniuit qui non per notiora & priora & euidentiora diffinitionem assignauit, tunc data ab ipso est quædam diffinitio. Palam autem multo magis est, quod & ille diffiniuit qui per priora & notiora diffinitionem assignauit: & hoc erit alia diffinitio eiusdem: & sic vnius & eiusdem plures erunt diffinitiones. Quod est inconueniens: quia hoc non videtur, scilicet quod vna res, cuius est vnum esse substantiale, plures possit diffinitiones habere: ideo quia vnicuique eorum quæ sunt, est vnum esse quod est secundum substantialia seu esse principia: propter quod si plures eiusdem erunt diffinitiones, vnum & idem erit esse: quia secundum vtramque diffinitionem significatur esse diffiniti: hæc autem duo esse per duas diffinitiones significatas de diffinito in eodem esse non possunt, eò quod diffinitiones sunt diuersæ & per diuersa assignatæ: manifestum ergo, quòd non diffiniuit, qui diffinitum non per priora & euidentiora determinauit. Sic igitur inspiciendo ad prius & notius coniunctim, patet quòd destruitur diffinitio si non assignatur per priora & notiora.

Si diffinitio dari posset per posteriora & ignotiora, tunc plures erunt eiusdem diffinitiones.

Quare inconueniens eiusdem esse plures diffinitiones.

Inspiciendo autem diuisim adhuc etiam per prius

Igitur non per euidentiora, &c.

prius & notius potest interimi diffinitio. Igitur vt hoc ostendatur, per non euidentiora fieri diffinitionem simpliciter dicitur, sicut & notius dicitur dupliciter. Vnde non euidentius dupliciter est accipere: si enim per non notiora fit differentia, aut ex ignotioribus simpliciter & secundum naturam rei diffinitæ, aut fit ex ignotioribus nobis siue quoad nos: vtrumque enim istorum contingit & contingere potest quòd duobus istis modis ex ignotioribus assignatur diffinitio. Dicitur ergo simpliciter euidentius quod prius est simpliciter quoad naturam posteriorem secundum naturam, vt punctus prior est linea, eò quod est principium eius secundum substantiam: & hoc eodem modo linea prior est superficie, & superficies prior soliditate siue corpore: quia lineæ terminus essentialis & formalis est punctus, & superficiei linea, & corporis superficies: & sic prior est simpliciter punctus quam linea, & linea quam superficies, & superficies quam corpus, quemadmodum vnitas est prius & principium omnis numeri. Similiter autem littera prior est quam syllaba, & syllaba quam dictio, & dictio quam oratio, & principium suo principiato, & simplex omne suo composito. Nobis esse notiora è contrario modo accidit: nobis enim notius est, quod maximè sub sensu cadit: quia per sensum primo notitiam accipimus. Vnde solidum siue corpus nobis est notius quam superficies, & superficies quam linea, & linea quam punctus: quia maximè solidum cadit sub sensu: propter quod etiam plures (hoc est, non sapientes) hoc magis cognoscunt quam sua principia simplicia: nam hæc quidem principiata quolibet modo & sensu & ratione cognoscuntur: illa autem quæ sunt illorum principia & simplicia, non est apprehendere nisi subtili & abundanti intellectu qui fit per resolutionem principiati & compositi in principium & simplex.

Quid sint notiora simpliciter.

Quæ sint nobis notiora.

Melius est cognoscere diffinitum per simpliciter priora, quam per posteriora.

Ex quo patet, quòd melius est cognoscere diffinitum per simpliciter priora & notiora, quam per posteriora vt diffinita: & taliter cognoscere posteriora per simpliciter priora, disciplinabilius & intellectuabilius est. Verum ad eos qui imperiti sunt & sensum sequuntur (& ideò impotentes sunt cognoscere per simpliciter priora) necessarium est fortassè aliquando facere notitiam per posteriora quæ illis sunt notiora, & per illa facere diffinitionem, quæ tamen non est diffinitio vera, sed assignatio quæcunque maioris declarationis quam fit nomen diffiniti. Sicut si gratia exempli dicatur quales sunt puncti, & lineæ, & superficiei diffinitiones, vt punctum per lineam quando dicitur lineæ terminus, & superficies est terminus corporis, & linea est terminus in quo stat resolutio superficiei: hæc enim vt in diffinitione puncti linea, & in diffinitione lineæ superficies, & in diffinitione superficiei corpus, non ponuntur ibi vt priora simpliciter, sed quoad nos, & quoad plures sensu iudicantes de cognoscibilibus illis. Omnes enim istæ diffinitiones notiſi ant priora simpliciter per posteriora simpliciter: nam hæc quidem puncta lineæ, illud autem quod est linea superficiei. illud vero quod est superficies, diffinientes dicunt soliditatis terminos esse, posterius in diffinitione prioris ponentes.

Sic autem dupliciter dicto eo quod est ignotius & notius, oportet non latere, quoniam sic diffinientes ex posterioribus secundum naturam & ex prioribus quoad nos, non contingit iudicare per talem diffinitionem quid est esse diffiniti per sua principia essentialia: quia per priora quoad nos esse non accipit, sed notitiam quandam quæ est ex parte cognoscentis & non rei cognitæ: nisi forte contingat idem & nobis notius esse & simpliciter notius, quod non conuenit apud plures, sed apud sapientes solum, & in sensu prius esse vniuersali particulare deprehensibile, sicut in principio physic. dicit Aristot. Cuius ratio siquidem hæc est: quia certè oportet per genus proprium & differentias essentiales diffinire eum qui diffinit bene: genera autem & differentiæ priora sunt simpliciter, quam species cuius est genus & cuius sunt differentiæ. Huius autem probatio est: quia à genere & differentia non conuertitur consequentia ad speciem: genus enim interemptum & differentiæ interemptæ interimunt speciem, & non è conuerso. Cuius causa est: quia simpliciora sunt genus & differentia, & simpliciora secundum naturam quam species. Priora igitur & notiora sunt genus & differentia, quam species diffinita per hæc tanquam per euidentiora. Cuius est & alia ratio: quia specie quidem nota per diffinitionem, necesse est & genus & differentias notas esse: quia ignotum non fit notum nisi per notum: species autem ignota per genus & differentias fit nota: necesse ergo est genus & differentiam ante siue prius cognosci. Nam qui hominem scit per diffinitionem, necesse est vt sciat animal gressibile prius: quia per ista notificatur homo, sed non conuertitur: quia genere vt in se & differentia vt in se notis, non necesse est speciem continuè cognosci: propter quod sequitur, quòd species posterior sit secundum naturam genere & differentia. Igitur qui non per hæc diffiniuit diffinitionem speciei, secundum naturam diffiniti & esse ipsius substantiale non dicit.

Non autem oportet latere, &c.

Quod genera & differentiæ sint priora simpliciter quam species & notiora.

Amplius alia tertia ratio ducens ad impossibile: his enim qui dicut diffinitiones veras & substantiales secundum huiusmodi esse quæ sunt per priora & notiora, & non secundum naturam, sed ex his quæ singulis sunt notiora, accidit plures eiusdem rei esse diffinitiones: nam secundum idem alia & alia aliis siue diuersis, & non eadem omnibus conuenit esse notiora: alia enim pluribus & alia paucioribus & sapientibus sunt notiora. Propter quod ad vnumquodque diffinitum diuersa secundum notitiam diuersorum est assignanda diffinitio: & sic plurimæ erunt vnius & eiusdem diffinitiones, sicut dicebat Heraclitus.

Amplius his qui secundum veritatem, &c.

Amplius autem & alia ratio est: quia alio & alio tempore eisdem eadem sunt diuersimodè magis nota: nam in principio quidem quando imperitus & insipiens est, sunt etiam magis nota sensibilia: postea autem quando tales fiunt certiores per doctrinam & sapientes, tunc è contrario etiam magis nota priora secundum

Amplius alio tempore eisdem, &c

secundum naturam, & econtra minus nota sensibilia etiam videntur: propter quod secundum hoc sequitur, quod ad eandem rem diffiniendam non semper erit eadem & ex eisdem diffinitio, sed temporibus diuersis diuersa: & hoc accidit his qui per ea quæ singulis sunt notiora, dicunt diffinitione assignandam esse.

Palàm ergo, quoniã non determinãdum, &c.

Ergo ex dictis palam est, quod diffinitum non est diffiniendum siue determinandum per ea quæ huiusmodi sunt, hoc est, per nobis notiora: sed per simpliciter & secundum naturam notiora: sola enim sic assignata diffinitio est vera diffinitio, & hæc est vna siue vnica sicut vnicum est esse secundum naturam diffiniti, & hæc diffinitio est semper & in omni tempore eadem. Fortassis etiam dicitur simpliciter notum: non tamen ideo quia secundum naturam rei cognitæ est notum, nec etiam simpliciter est notum quod omnibus est notum vniuersaliter: sed dicitur simpliciter notum, quod omnibus bene dispositis secundum intellectum non impeditum est notum: velut etiam simpliciter sanatiuum dicitur, quod his est sanatiuum qui bene dispositi sunt secundum corpus: & non dicitur simpliciter sanatiuum, quod quibuscunque vt infirmis est sanatiuum: quia interperata aliquando infirmis sunt sanatiua: oportet enim vnumquodque talium multipliciter dictorum subtiliter per distinctionem inuestigare: & postquam inuestigatum est, oportet eo vti ad id quod expedit proposito apud disputantes: quia hoc factum est de distinctione notioris prioris. Si autem per considerationem ad prius & notius factam interimi debeat diffinitio, maximè secundum rem, indubitanter quoad aduersarium interimitur diffinitio si ostendatur ab opponente, quòd contingit fieri siue assignari diffinitionem, nec ex simpliciter notioribus, nec ex nobis notioribus: quia tunc vtroque modo destructa est.

Maximè destruenda est diffinitio quæ nec ex nobis notioribus nec naturæ procedit.

Patet ergo (vt dicta consideratione epilogantes cõcludamus) quòd vnus (qui dictus est) locus est interemptionis diffinitionis respiciendo si non per notiora sed per posteriora prioris diffiniendo significare (hoc est, notificare) conatur diffinitum. Ad hoc enim tota ista inducta est consideratio: quia distinctio inducta de priore & notiore est hic, vt cognosci possit quid est prius & notius quod est in hac superiori consideratione. Nec consideratio tantum interimit secundum benè esse diffinitionem, sed etiam secundum esse: eò quod notius & prius accipitur secundum rem, non quoad nos tantum: si enim esset quoad nos tantum, non interimeret nisi bonitatem diffinitionis: sicut & obscurum quod est quoad nos notius, est appositum, & tantum bonitatem diffinitionis interimit.

Vnus ergo locus est eius, &c.

Alius autem locus adhuc inspiciendo conIunctim siue simul ad notius & ad prius, sed in speciali considerãdum est, si aliquid eius quod est in quiete, est diffinitum ad formam in qua quiescit, per infinita (hoc est, non finita & interminata & quæ in motu sunt) assignata est alicuius speciei diffinitio: nam quæ in motu sunt in potentia exeunte ad actum, nondum finita sunt, & sunt in motu sicut in actu nondũ finito sed infinito & imperfecto: & ideo si per talia assignatur diffiniti diffinitio, interimitur diffinitio: quia id quod est permanens finitum ad actum & speciem, est prius & euidentius eo quod est in motu & indeterminatum ad actum formæ: sed eius prius est euidentius eo quod est infinitum & in motu: & sic diffinit per posterius & ignotius. Quamuis enim quies priuatio motus sit secundum quod stat in ea intentio & actus mouentis, tamen res secundum quod stat in ea intentio & actus mouentis in qua quiescitur, terminus est rei motæ & finis: & hoc modo notius est quod est in quiete, quàm id quod est in motu.

Amplius autẽ si eius quod est in quiete, &c.

CAPVT II.

Inspiciendo in prius diuisim qualiter interimitur diffinitio.

Eius autem quod non est, &c.

EIus autem quod est inspicere diuisim in hoc quod diffinitio assignata non ex prioribus simpliciter est, tres loci siue considerationes sumuntur penes numerum eorum ad quæ inspiciter. Si autem numeretur locus penes modum inspiciendi in ista, tunc sunt loci quatuor: quia penes inspectionem ad idem & secundus & tertius accipientur. Primus quidem in his est si oppositum per oppositum diffinitur, vt si per malum diffiniatur bonum: & est inspectio ad contraria siue contrariorum oppositum: & malum & bonum contraria sunt prout in actibus & habitibus accipiuntur. Causa autem quare talis diffinitio interimitur, est: quia non dicitur per vere propria: simul enim natura sunt, quæ sunt contrariè opposita: habent enim vnum genus, & contrariis & coæquæuis differentiis constituuntur: & ideo necesse est ea simul vera: quibusdam enim eadem disciplina videtur esse vtriusque contrariorum: & secundum hoc vnum non est notius altero: & sic diffinitio assignata oppositi & per oppositum non est ex prioribus, & ideò interimitur, ita quod non est diffinitio.

Remouet dubium.

Obiectio. Tex. com. 15.

Et si obiciatur, quod contraria secundum Arist. in 10. primæ philosophiæ reducuntur ad priuationem & habitum. Priuatio autem & habitus non sunt simul vera, sed habent se vt prius & posterius. Dicendum, quòd hæc obiectio prouenit ex falso intellectu Philosophi in metaphysicis: non enim reducuntur ad priuationem & habitum nisi secundum causam, & non secundum modum oppositionis qui accipitur in formis oppositis oppositorum: quia hoc est impossibile: & sic stat consideratio inducta.

Solutio. Quomodo intelligendum illud Philosophi, quod contraria reducuntur ad priuationem & habitum.

Oportet autem non latere, quoniam in quibusdam oppositis quædam opposita non est vel contingit aliter diffiniri, nisi vnius ratio sit in ratione alterius, vt in relatiuis, vt duplum sine dimidio non diffinitur, quod est etiam relatiuè oppositum: & vt vniuersaliter dicatur, quæcunque ad aliud sunt & dicuntur, & non secundum dici tantum sunt ad aliud: nam omnia quæ per se ad aliud dicuntur & sunt relatiua, huius idem esse quod sunt ad illud sunt,

Oportet autem non latere, &c.

& ipso nomine suo sic id aliud dicuntur, quia sunt ad aliu sese habere secundum esse quo diffiniuntur: quare non est possibile alterum sine altero per diffinitionem cognoscere: eò quod necessarium est in alterius diffinitione sumi alterum correlatiuum. Sed intelligendum subtiliter tunc, quando vnum relatiuum ponitur in diffinitione alterius, non ponitur in diffinitione vt diffiniens: nec hoc modo omnium relatiuorum est in alio vt diffiniens in diffinito, sed potius est in diffinitione alterius sicut id ad quod datur eius diffinitio secundum id ad quod dicitur secundum esse relatiui quod ad ipsum est, & ad hoc recipitur in diffinitione sicut terminus ad quem extrinsecus stat diffinitio: & hoc modo non stat inconueniens. Propter quod oportet cognoscere subtiliter naturas oppositorum, & omnibus huiusmodi quæ assumuntur ad terminandum problema secundum hunc locum oportet vti in his quæ sunt opposita prout ad propositum videbitur expedire.

Vnum relatiuorum non ponitur in diffinitione alterius vt diffiniens, sed vt terminans.

Alius autem locus huius considerationis est inspiciendo in natura prius, si & eodem vsus est in diffinitione ei quod diffinitur: tunc enim non diffinitur per simpliciter priora: quia idem non est prius natura seipso: hoc enim aliquando factum in diffinitionibus latet, quando idem posuit, sed non sub eodem diffiniti nomine, sed ratione ipsius loco nominis posita. Vt siquis volens diffinire solem dixit solem esse stellam albam quæ de die apparet. Et huius ratio est, quod idem in diffinitione sui ponit: quia die in diffinitione vtendo, vtitur etiam sole. Sed ad deprehendum talia peccata, in diffinitionibus vti oportet siue accipere diffinitiones nominis, & loco nominis ponere diffinitiones. Vt quoniam dies si diffinatur, est latio siue motus solis supra terram, palam quod qui lationem solis supra terram dixit in nomine diei, dixit etiam solem: propter quod solem diffiniendo vtitur die.

Alius si eodem vsus est in diffinitione ei quod, &c.

Rursus terrius locus huius cõsiderationis est inspiciẽdo in prius natura, considerandum si eo vtitur in diffinitione, quod è contrario diuiditur cum diffinito: è contrario vero diuisa coæquæua sunt. Sicut qui diffiniuit abundans quod est impar numerus, dicens quod abundans siue impar numerus est, quod vnitate maius est vel excedit perfectum, hoc est, parem numerum: simul enim natura sunt quæ è diuerso ex eodem genere proximo diuiduntur, hoc est, per coæquæuam diuisionem accipiuntur. Abundans autem & perfectum ex eodem genere (quod est numerus) è diuerso coæquæuè diuiduntur: sunt enim ambo hæc par & impar numeri, & species coæquæuæ in hoc genere quod est numerus: & idcò vnum illorum non est prius altero secundum naturam.

Rursum si eo quod ex diuerso, &c.

Similiter autem si per inferiora secundum rectam lineam superiora diffiniuit. Cuius exemplum est, si aliquis diffiniendo dicat perfectum numerum qui bipartitè diuiditur aut bonum diffiniendo dicat habitum virtutis esse: nam bipartitè vtitur in diffinitione perfecti siue paris per deriuationem à duobus: bipartitè enim diuidi idem est quod in duo diuidi. Duo autem perfecta sunt, hoc est, par quidem numerus. Et virtus est bonum quoddam siue species & pars subiectiua boni. Propter hoc hæc duo etiam & virtus inferiora sunt quæ illa, & perfectum & bonum: quia ista sunt genera, & istæ sunt partes subiectiuæ illorum: & sic in illis ista dicuntur, quia sunt in eis actu & intellectu, & sic ad idem sumuntur in diffinitione.

Similiter autem si per inferiora, &c.

Amplius ad idem alia ratio est, quòd necesse est eum qui inferioribus vtitur superiorum, & eodem vti, si diffinitio pronomine ponatur: nam qui virtute in diffinitione boni vtitur, bono ipso vtitur in boni diffinitione, si diffinitio virtutis loco nominis ponatur: quod fieri potest, sicut in antehabitis sæpius dictum est. Ideo ergo bono vtitur in diffinitione boni: quia virtus est quoddam speciale bonum in quo bonum est actu & intellectu. Similiter autem & eodem modo qui eo quod est bipartitè in diffinitione perfecti vtitur, etiam perfecto vtitur, eò quod in duo diuidi significat bipartitè diuidi, sicut paulò ante dictum est. Duo autem quædam perfecta sunt siue paria sunt: & sic idem sumitur in diffinitione sui ipsius. Duo ergo posita sunt in ista vna consideratione: & quia posterius sumit in diffinitione prioris, & quia idem sumit in diffinitione sui ipsius: & sic non ex prioribus & notioribus facit diffinitionem. Vniuersaliter ergo epilogando secundum prædicta dicendum est, quòd vnus in communi est locus non per priora & euidentiora fecisse diffinitionem, ex quo interimitur diffinitio: partes autem illius loci sunt quæ dictæ sunt.

Amplius autem si ad plura dicto, &c.

Amplius autem eum necesse est eum qui, &c.

CAPVT III.

Qualiter interimitur diffinitio inspiciendo in partes eius, quæ sunt genus & differentia.

SEcundus autem in communi acceptus locus quo interimi potest diffinitio, est per inspectionem ad ipsas partes diffinitionis, & ad ipsa ex quibus est diffinitio quantum ad substantiam, a qua communi consideratione multæ trahuntur considerationes speciales. Et primo quidem ad genus inspiciendo si non ponatur genus, & si non ponatur genus certum & finitum, & si non ponatur genus proximum.

Inspiciendum ergo primo si cum res diffinita est in genere, per diffinitionem assignatam non est sita siue posita in genere aliquo: in omnibus enim huiusmodi diffinitionibus peccatum est, in quibus non ponitur primo siue prius in ordine partium diffinitionis in ratione (hoc est, in diffinitione ipsa) genus quod prædicatur in quid: quia illius essentiales differentiæ sunt quæ formant ipsum in quale quid, quod est species. Hoc modo peccat corporis diffinitio quando dicitur, quòd corpus est quod habet tres dimensiones: quod enim est nomen infinitum & genus nullum dicit, per quod ab aliis generibus corpus separetur.

Secundus autem si quum est in genere res, &c.

Ly quod est nomen infinitum.

Vel

Vel si hominem diffinire volens dixit, quòd homo est qui scit numerare: eò quod solus inter animalia scit numerare; hic enim nullum est positum genus in diffinitione. Genus autem, vt diximus, vult quid est esse significare, cui addita differentia facit quale quid, quod est species, quæ sine genere non est quid, sed quale tantum: quia non est quid formarum: & ideo genus primum ponitur eorum quæ in diffinitione ponuntur, & primum subiectum, & primum substans differentiis formantibus & distinguentibus ipsum.

Amplius autem si ad plura dicto, &c.

Amplius inspiciendum adhuc si aliquid diffiniri debeat ex suo genere ad plura sicut ad fines: dicto enim eo quod diffinitur ad plura ex ipso suo genere, considerandum est si aliquis in diffinitione assignata non ad omnia ad quæ dictum est, assignauit: tunc enim peccauit, & interimitur diffinitio. Cuius exemplum est, vt si aliquis grammaticam diffinire volens, dicat eam scientiam esse scribendi: hic enim genus posuit, sed non omnia ad quæ scientia est grammatica, posuit: indiget enim adhuc, quod apponatur, quoniam grammatica est scientia cognoscendi per constructionem ad intellectum relatum: & sic grammatica est scientia scribendi & cognoscendi eius quod profertur in oratione & in partibus orationis, & nihil magis scribendi quam intelligendi declarat grammaticam esse scientiam ille qui assignat perfectam grammaticæ diffinitionem. Propter quod non diffinit qui aliquid (hoc est, alterum illorum) ponit. Sed ille vere diffinit grammaticam, qui vtraque hæc ad quæ ex integro est diffinitio, dixit sic. Grammatica est scientia rectè scribendi & rectè intelligendi quod proferatur in oratione & partibus orationis. Huius autem ratio est: quia plures non contingit esse diffinitiones substantiales eiusdem: & si diffinitur ad vnum, eadem ratione diffinietur ad alterum, quando vtrumque per suum genus & non per accidens: & sic non continget eiusdem plures esse diffinitiones & diuersas. Est autem quod genus est aliud sicut scientia ad scitum.

Eiusdẽ non possunt esse plures diffinitiones substantiales.

Ergo in quibusdam quidem ex necessitate sic se habet, quòd oportet diffinire ad vtrumque ad quæ est, quando sine his non perfectè determinatur genus, sicut dictum est. In quibusdam autem non est sic. Et ideo non correctione, sed determinatione per distinctionem facta indiget consideratio, vt in quibusdam, vbi non per se dicitur genus ad vtrumque, sed ad vnum per se, & ad alterum per accidens, velut medicina dicitur esse scientia ad sanitatem & ægritudinem facere. Nam de hoc siue ad hoc quidem quod est sanitatem facere, per se dicitur: quia hæc scientia faciendi sanitatem. De illo autem quod est ægritudinem facere, est per accidens. Simpliciter autem (hoc est, per se) alienum est à medicina ægritudinem facere. Propter quod nihil magis diffiniuit medicinam qui ad vtrumque diffiniuit eam dicens, quòd medicina est scientia ad sanitatem facere & ægritudinem, quam si ad alterum quod est sanitatem facere diffiniuisset: quia non est ad ægritudinem facere, nisi propter sanitatem; quando ægritudo est causa sanitatis & vitæ longioris: & scitur iam ex scientia posteriorum, quòd vbi vnum est propter alterum, vtrobique est tantum vnum. Sed forte inspiciendo subtiliter, peius diffiniuit qui diffiniuit ad vtrumque, quam si ad alterum tantum diffiniuisset: eò quod etiam reliquorum siue aliorum & à medico quilibet cuiuslibet artis vel scientiæ potest ægritudinem facere, vel vulnerando vel immoderatè corpus implendo, vel immoderatè exercitando, vel huiusmodi aliquid faciendo: ad hoc enim nec scientia nec ars requiritur: quoniam non est difficile & bonum.

Medicina scientia dicitur per se de hoc quòd est facere sanitatem per accidẽs verò de hoc quod est facere ægritudinem.

Quod medicina non sit scientia ad ægritudinem facere.

Amplius adhuc inspiciendo ad genus quod elementum est, qui vult interimere diffinitionem, consideret si aliquid quod ad plura est quæ in qualia sunt secundum bonum & malum, sed non ad melius, sed ad peius per diffinitionem ex genere factam assignauit ad vnum, cum sint plura ad quæ secundum genus sumi dicitur id quod diffiniuit. Nam omnis scientia & omnis potestas ad aliud dicta, siue sit naturalis, siue artificialis, siue etiam politica, est eius quod est optimum in illo ordine secundum quem ad illud dicitur: & ideo ad illud secundum genus suum est diffinienda. Aut etiam adhuc peccatum est quoad genus inspiciendo diffinitum per diffinitionem assignatam non positum in proprio genere, vtrum vere positum sit in proprio genere, vel non, considerandum ex his elementis vel principiis quæ sunt inducta in quarto huius scientiæ libro. Dictum autem est prius quando ponitur in æquiuoco vel analogo sicut in genere.

Amplius si non ad melius, &c.

Rursum autem adhuc inspiciendo ad genus, interimitur diffinitio, si assignans diffinitionem ea dixit esse genera quæ transcendunt, hoc est, quæ non sunt proxima diffinito, sed ponit superiora intermediis & vltimis omissis. Cuius exemplum est, vt iustitiam specialem virtutem volens diffinire, dicit iustitiam esse habitum æqualitatis affectiuum vel distributiuum, eò quod in communicandis vel distribuendis facit æquale, sed non secundum mediocritatem arithmeticam vel geometricam, transcendit proximum genus qui sic diffiniuit: reliquit enim virtutem quæ est proximum genus iustitiæ, & non dixit quid est est iustitia: quia quamuis dicat in genere remoto quid est esse iustitiæ, hoc non est nisi infinitè & indeterminatè. Quare aut proximum genus ponendum, aut omnes differentias superiori generi addendum, quoniam trahunt vsque ad genus proximum cuius differentia constituit speciem: quia differentia transcendens generis adiuncta illi generi non complet diffinitionem. Vnde ex remoto genere non completur diffinitio: sed vtraque coniuncta sunt vt potentia & genus ad ipsum diffinitum: substantia enim cuiusque diffiniti & quid est in genere suo, vt sæpius diximus. Hoc autem quod dictum est, in genere transcendenti diffinitum ponere, idem est quod non ponere ipsum in proximum genus. Nam qui virtutem dixit esse genus iustitiæ diffiniendo iustitiam, dixit & habitum: quia in inferiori dicitur superius, & non è conuerso, sicut sæpius dictum est. Et

Rursum si non positũ est, &c.

ideo

ideo quod proximum genus diffinitio diffiniendo posuit, in proximo genere omnia superiora genera & transcendentia proximum genus dixit: eò quod omnia superiora genera per se de inferioribus prædicantur, & in ipsis sunt & dicuntur ad minus implicite. Propter quod diffinitum aut in proximum genus ponendum est, aut si transcendens genus ponatur, tunc addendum generi remoto omnes superiores differentias superiorum generum, quæ coarctent genus remotum ad genus proximum: quia per istas sic generi remoto additas determinatur & finitur genus proximum: & tunc ponitur diffinitio proximi generis, & ista in diffinitione stat loco ipsius: sic enim præmissis nihil omisit de his quæ ex genere ad proximum genus vel proximi generis constitutionem pertinent: sed pronomen proximi generis in diffinitione speciei dictum erit inferius genus per suam constitutionem. Sicut si diffiniendo hominem dicam, quod homo est substantia corporea animata sensibilis rationalis mortalis. Ille verò qui diffiniendo non dicit nisi superius genus tantum sine additione differentiarum contrahentium, dicendo sic superius genus, non dicit inferius: quia inferius non est in suo superiori nisi potentia & indefinite, & non est in ipso in actu & intellectu. Nam qui plantam dicit, quod est superius genus, non dicit arborem nisi potentia & infinitè. Et ideo in superius genus non diffinitur. Scias autem, quòd assignans diffinitionem per genus remotum, & contrahens per differentias, licet non interimat diffinitionem secundum substantiam, interimit cum bonitate diffinitionis: quia differentiam non posuit vt debet.

In diffinitione debet poni proximum genus diffinitum, aut genus remotum contractum differentiis contrahentibus ad genus proximum.

Diffinitio data per genus remotè contractum per differentias, licet habeat substantiæ diffinitionis, non tamen habet bonitatè diffinitionis.

CAPVT IV.

Qualiter interimitur diffinitio inspiciendo ad differentias.

RVrsum volenti interimere diffinitionem similiter sicut in genere in differentiis considerandum tripliciter, vt si simpliciter deficit differentia, sicut non est substantialis diffinitio, aut si non propria, aut specifica. Considerandum ergo si diffinitionem assignans per genus debitum, in diffinitione cum genere & differentias proximi generis dixit: nam si non rei ipsius diffiniunt differentiis, procul dubio diffinitionem interimit.

Rursum in differentiis similiter considerandum, &c.

Tripliciter contingit interimere diffinitionem ex parte differentiæ.

Aut etiam considerandum si omninò siue generaliter vt differentiam aliquid tale accidentale dixit, quod nullius diffiniti substantialem esse differentiam contingit, vt animal aut substantiam quæ genera sunt, & nullius differentiæ sunt constitutiuæ, quamuis ab aliquo separent vt genera: palam enim, quoniam sic diffinire volens non diffiniuit: quia ei quod est quid, qualitatem substantialem (quæ diffinit quale quid & facit) non adiunxit: ea enim quæ dicta sunt, animal & substantia, nullius sunt differentia, sed sunt quid in subiectis differentiis formabile & determinabile.

Aut si & omnino, &c

Videndum autem & si, &c.

Adhuc autem inspiciendo ad differentiam videndum est, si differentiæ positæ in diffinitione assignata est aliud quod è diuerso per contrarium in eodem genere diuiditur, id est, per diuisionem generis accipitur, dictæ in diffinitione differentiæ: nam si non est opposita differentia, palam quod non erit quæ dicta est generis differentia posita in diffinitione: cum omne genus his differentiis diuidatur, quæ è diuerso diuiduntur, hoc est, per diuisionē accipiuntur, velut animal genus diuiditur gressibili volatili & bipedi tanquam oppositis differentiis. Huius causa est: quia nullum genus est, quod sua communitate constituat speciem: & ideo oportet ipsum diuidi. Cum autem sit forma, formæ autem non diuiduntur nisi per oppositionem quam habent adinuicem, & quemlibet diuidentem oportet habere formam oppositam. Si igitur differentia posita in assignata diffinitione non habet differentiam etiam oppositam, interimitur & ipsa diffinitio in qua ponitur.

Aut etiam si sit è diuerso diuersa differentia alhqua, considerandum si est vera de genere, hoc est, quod si cum genere continens speciem: est enim differentia vera de genere, quando est essentialis qualitas diffiniens & determinans ad actum substantialem potentiam generis. Vnde patet, quod si opposita differentia non est vera de genere, palam est, quoniam neutra neque proposita neque opposita generis assignati in diffinitione erit differentia: omnes enim quæ è diuerso diuiduntur ex genere differentiæ hoc modo, veræ sunt de proprio genere ex cuius genere per diuisionem accipiuntur.

Aut si est quidem è diuerso, &c.

Similiter autem considerandum est: quia si vera est quidem de genere, non facit autem opposita generi speciem, eò quod non est specifica, palam quod non erit hæc quæ assignata est, differentia specifica generis in diffinitione positi. Nam omnis specifica differentia cum genere coniuncta facit speciem. Si autem hoc oppositum non est differentia, nec quæ dicta est, erit differentia: quia illa illi è diuerso diuiditur. Et sic interimitur diffinitio interempta vera differentia specifica per quam fieri debet diffinitio.

Similiter & si vera quidem, &c.

Amplius adhuc interimitur diffinitio respiciendo ad differentiam considerando si negatione (hoc est, differentia per negationem assignata) diuiditur genus: quia negatio nullius speciei constitutiua est: velut contingit ipsi Euclidi etiam qui lineam diffinit, dicens lineam per diffinitionem esse longitudinem sine latitudine: quæ tamen diffinitio primo à Platone posita est, & ab Euclide assumpta. Sine latitudine autem est negatiua differentia: quia idem est sine latitudine quod non habens latitudinem: nihil enim aliud significat sine latitudine, quam talis longitudo non habens latitudinem. Accidit autem ex tali assignatione differentiæ inconueniens. Primum quidem, quòd genus participat speciem, & vniuersaliter species prædicabitur de genere. Quod sic patet: quia quod est, vel est cum latitudine, aut sine latitudine: nam de omni eo quod est, affirmatio vel negatio vera est. Hæ autem differentiæ cum latitudine esse, vel sine latitudine,

Amplius si negatione diuidit, &c.

Diffinitio lineæ data ab Euclide prius posita fuit à Platone.

Quomodo sequitur quod si differentia assignetur per negationem, quod genus participat speciem & vniuersaliter quod species prædicatur de genere.

latitudine, apponuntur per affirmationem & negationem. Propter quod sequitur, quòd de genere lineæ (quod est longitudo) alterum horum verum erit: longitudo ergo quæ genus est lineæ, aut est cum latitudine, aut sine latitudine: non cum latitudine: ergo longitudo qua est genus lineæ, erit longitudo sine latitudine: sed de quo prædicatur diffinitio, prædicatur & diffinitum: longitudo autem sine latitudine, vt dicit aduersarius) est diffinitio lineæ: ergo linea prædicatur de longitudine quæ est genus lineæ. Ex quo sequitur, quòd genus participat speciem: quia ista ista prædicatio est essentialis. Hoc autem est inconueniens. Ergo inconueniens est hoc ex quo sequitur, quod etiam differentia per negationem assignetur. Sic etiã probatur, quòd differentia essentialis & vniuersaliter prædicabitur de genere: quia longitudo est genus: latitudinem non habens, differentia: prædicabitur autem latitudinem non habens de longitudine, vt iam probatum est: & hoc est rerum inconuenienscrgo non debet assignari differentia per negationem.

Similiter autem & differentiæ: eo quod altera, &c.

Similiter autem & simile inconueniens sequitur si genus quod est longitudo, cum latitudine esse dicatur tanquam cum opposita prædictæ negationi differentia: nam sine latitudine & cũ latitudine differentiæ sunt oppositæ eiusdem generis: ex genere autem & differentia est speciei ratio siue diffinitio: propter quod sequitur, quòd genus recipit in prædicando speciei rationem: & ideo per consequens etiam species prædicabitur de genere: quod est inconueniens. Et similiter suscipiet genus differentiæ prædicationem: quod est inconueniens: eo quod altera dictarum differentiarum per affirmationem & negationem oppositarum de necessitate prædicabitur de genere par hanc maximam, de quolibet affirmatio vel negatio est vera.

Est autem dictus locus, &c.

Dictus autem hic locus vtilis est contra eos qui ponunt genera esse formas separatas secundum se realiter consistentes: nam si est eadem numero separata longitudo quæ est genus separatorum, quodammodo etiam separatè prædicabitur de isto genere separatorum quod idem numero est, vt dicit Plato, quia latitudinem habet, aut sine latitudine est, per eandem maximam, quòd oportet de omni longitudine alterum eorum quæ dicta sunt, verum esse, siue separata sit siue concepta cum materia: siquidem de genere siue generaliter de longitudine verum esse debeat, hoc quidem verum est etiam, quòd omnis longitudo vel cum latitudine vel sine latitudine est: sed non accidit hoc quod genus participet speciem, & quod differentia vniuersaliter prædicetur de genere: sunt enim longitudines latitudinem non habentes, vt lineæ: & cum latitudine sunt quædam, vt superficiei & corporis: propter quod ad illos solos qui formas ponunt (qui vnum numero in his genus ponunt) vtilis est hic locus. Qui verò non vnum numero genus ponunt, sed diuersum: & id potest esse: quia idem genere bene & non inconuenienter contraria in se habet: sed ad illos valet, quicunque genus vnum dicunt esse vnum numero: hoc autem faciunt, qui solas formas genera esse ponunt: nam illi eandem numero longitudinem & idem numero animal genus esse dicunt, cuius sunt contrariæ differentiæ.

Quamuis autem hic dictum sit, quòd negatiua non sit differentia, tamen hoc non generaliter verum est: quia forsasse in quibusdam quorundam diffinitionibus necessarium est vti negatione in assignatione differentiæ, vt in priuationum diffinitionibus: nam cæcum per diffinitionem est, quod non habet visum quando per naturam natum est habere. Et hæc quidem de negatiua differentia dicta sunt. In talibus autem nec affirmatiuè accepta differentia valet ad diffinitionem: quia non habet differentia eriam condiuisam per affirmationem. Vnde nihil differt negatione siue negatiua differentia diuidere genus, aut huiusmodi affirmatione, quam negatione, hoc est, ad quam affirmationem necesse est è diuerso diuidi cum negatione. Vt si longitudinem quæ est genus, habens latitudinem diffinisit: nam nihil è diuerso diuiditur nisi non habens latitudinem: propter quòd sequitur, quòd necessario negatione diuidatur genus: & sic relinquitur idem quod prius inconueniens.

Forasse autem & in quibusdam, &c. *In diffinitionibus priuationum oportet vti negatiua differentia.*

CAPVT V.

De inspectione ad differentiam comparatam ad ea quæ sunt in linea prædicamentali.

RVrsum considerandum est in differentiæ diffinitione ad interimendam differentiam & diffinitionem: & quia hoc contingit secundum considerationem factam ad differentiam comparatam ad ea quæ sunt in linea prædicamentali, & differentiam comparatam secundum prædicationem & ordinem quem habet ad illa, vtrumque istorum considerando ponemus, vt contingat abundare eum qui diffinitionem vult interimere ex defectu differentiæ. Comparatur enim ad ea quæ sunt in recta linea prædicamentali tripliciter, vt ad speciem, ad genus, & ad individuum.

Primo ergo considerandum si aliquis in diffinitione speciem vt differentiam assignauit. Cuius exemplum est, vt qui fraudem diffiniẽs, dixit quòd fraus est iniuria cum illusione: nam illusio quædã species est iniuriæ, sicut & fraus: propter quod non differentia est illusio constituiua, sed condiuisa species cum fraude sub hoc genere quod est iniuria. Et aduertendum, quòd loco eius secundum aliam expositionem ponitur opprobrium: opprobrium autem est cum illusione facta iniuria: fraus autem est deceptio cum damno.

Rursum si speciem vt differentiam, &c.

Differentia inter opprobrium & fraudem.

Amplius inspiciendum ad differẽtiam comparatam ad genus. Considerandum ergo si aliquis genus vt differentiam in diffinitione assignata posuit. Cuius exemplum est, si diffiniens virtutem, posuit esse habitum bonum vel studiosum: nam bonum quod loco differentiæ posuit, genus est virtutis: & similiter studiosum. Vtroque istorum modorum etiam interimitur differentia, & per consequens interimitur

Amplius si genus vt differentiam dixit, &c.

Bonum & studiosum dupliciter dicuntur.

tetimitur diffinitio. Sed quia bonum & studiosum dupliciter dicuntur: & pro natura boni quæ est bonitas, vt in magnis moralibus dicit Aristot. & pro forma boni. Et primo modo bonum est genus prædicatum de virtute: quia dicit Aristot. quòd virtus est bonitas quædam: forma autem boni (quæ ex essentialibus sumitur) est virtutis differentia: ideo vt bene intelligatur inducta consideratio, colligenda est sic, quòd aut dicatur, quòd bonum sit bonum sicut prætendit consideratio, aut quod bonum non sit genus habitus vel virtutis, sed differentia. Adhuc considerandum, quod verum est quod in prædicamentis dictum est: quoniam non contingit idem in duobus generibus se non continentibus esse, hoc est, non subalternatim positis: & sic se habent adinuicem bonum & habitus vt duo genera non subalternatim posita: nam neque hoc genus quod est bonum, continet habitum, neque habitus continet bonum vt subalternatim. Cuius probatio est: quia à neutro ad alterum conuertitur consequentia vniuersali facta prædictione, sicut genus de specie prædicatur: neque enim omne bonum est habitus, neque omnis habitus est bonum: propter quod non erunt genera hæc ambo seipsa adinuicem continentia, & diuersorum generum & non subalternatim positorum est: vna & eadem species: & quoniam habitus est genus virtutis, palam quoniam bonum concretiuè de virtute dictum, non est genus, sed differentia magis.

Amplius habitus quidem, &c.

Amplius ad hoc idem alia ratio quia habitus significat quid est virtus vt genus: bonum autem formaliter acceptum, non significat quid est virtus vt genus, sed quale significat virtutis: & differentia videtur quale quid (hoc est, quale aliquid est) significare: id etiam quod differentia informat, & hoc est suppositum speciei. Attendendum autem, quòd virtus dupliciter consideratur: secundum relationem ad potentiam, cuius est vltimum & perfectio in bono: & sic consideretur virtus vt virtus ad alterum dicitur: & sic est in genere habitus: quia, vt dicit Auicen. habitus est quo quis aliquid agit cum voluerit. Consideratur etiam secundum id quod est virtus: & secundum hoc quod supponit in nomine virtutis, & sic est in genere boni, & benè quidem si consideratæ est virtus: & hoc modo dicit Aristot. Nihil prohibet idem esse in diuersis generibus.

** Virtus dupliciter consideratur & est in duplici genere.*

Habitus quid secundum Auic.

Videndum autem & si non quale, &c.

Videndum in tertia consideratione si in diffinitione assignata, id quod ponitur pro differentia, non significat quale quid est: sed hoc aliquid significat, vt inuiduum. Videtur enim omnis differentia significare qualitatem essentialem, qua quale est aliquid quod est speciei suppositum: si enim non significat sic quale, sed hoc aliquid, interimitur & differentia assignata & diffinitio in qua ponitur. Et nota, quod differenter differentia & species significat quale quid: species enim quale quid significat, ita quod est quid & quale aliquid est sui, quia significat quid formatum quali: differentia autem significat quale quid, ita quod nihil sui est quid, sed ipsa est qualitas eius quod est quid in specie.

Nota quomodo dam differentia quam species significat quale quid, differenter tamen.

Intendendum autem & si differentia, &c.

Attendendum autem ad differentiam ad accidens comparatam, quod quale significat: & considerandum si secundum accidens siue modum accidentis inest differentia ipsi diffinito: si enim sic, interimitur & differentia & diffinitio. Cuius ratio est: quia nulla differentia inest diffinito ad modum eorum quæ secundum accidens insunt: sicut nec genus diffinito inest vt accidens. Cuius ratio est: quia non contingit differentiam alicui cuius est differentia inesse & non inesse, sed semper essentialiter inest ei cuius est differentia vt actus proprius & forma substantialis, quæ sui essentia constituit in esse substantiali, id cuius est differentia constitutiua.

CAPVT VI.

De inspectione ad differentiam comparatam ad ea quæ in linea prædicamentali secundum comparationem ordinis & prædicationis.

Amplius si prædicatur de genere differentia, &c.

AMplius autem ad interemptionem differentiæ & diffinitionis per inspectionem differentiæ comparatæ ad genus & speciem, considerandum si vniuersaliter prædicatur de genere assignato in diffinitione differentia assignata; aut species quæ est diffinita, aut aliquid de numero eorum quæ sunt inferiora specie: nullum enim eorum quæ dicta sunt, contingit de genere vniuersaliter prædicari, etiamsi secundum esse accipiatur. Et causa huius est: quia genus (omnium eorum quæ in diffinitione ponuntur, & ad quæ diffinitio refertur ad diffinitum) amplissimè siue communissimè dicitur siue prædicatur: & ideò si differentia prædicatur de genere, communior erit genere, & non restringet genus cui apponitur: & sic interimetur differentia & diffinitio: quia non valet ad propositum.

Rursum si prædicatur genus de differentia, &c.

Rursus considerandum iterum si genus secundum hoc quod est genus, prædicetur de differentia vt differentia est, hoc est, quia essentia quæ est genus de essentia quæ est differentia prædicetur: tunc enim interimitur & differentia & diffinitio. Et huius causa est: quia genus in eo quod genus, non prædicatur de differentia in eo quod differentia, sed de illis videtur dici siue prædicari de quibus est & differentia, vt de suppositis informatis per differentiam, vt animal genus prædicatur de homine, & boue, & de aliis gressibilibus (hoc est, gressibili tanquam differentia formatis animalibus) & non prædicatur de ea differentia quæ de specie cuius est differentia, prædicatur. Huius autem ratio prima ducens ad impossibile est: quia si genus quod est animal, prædicaretur secundum vnamquamque differentiam, vt quælibet differentia participationis: tunc iure & multa animalia de specie prædicarentur. Et huius causa est: quia differentia diuidit genus, & multæ differentiæ in multa diuident, & diuersę diuident in diuersa: & sic numeraretur animal diuersitate differentiarū vt participatum diuiditur

ditur secundum participantia diuersa: & sic tunc (quia vna species habet plures differentias quæ de specie prædicantur) multa an malia de eadem specie prædicarentur: quia quælibet differentia infert genus quod ipsa participat.

Obiectio. Si autem quis obiiciat, quando similiter à primo descenditur vsque ad vltimum, multa genera prædicantur de vno. Non est simile: quia nullum eorum per quæ descenditur per opposita, diuidit genus: & ideo genus non numeratur in illis, sed est idem plus & minus coarctatum secundum quod plus est & minus descensus à primo.

Solutio.

Amplius differentiæ omnes aut species aut individua, &c. Amplius ad idem alia ratio est: quia si genus de differentia prædicatur, & substantiali & essentiali prædicatione: non tamen talis prædicatio est superioris de inferiore secundum rectam lineam prædicabilium: quia si sic, sequitur quòd differentiæ omnes essent species vel individua: quia tali prædicatione non nisi de specie & individuo prædicatur genus: si quidem hoc certum est in his de quibus animal prædicatur: nam vnumquodque animalium de quo animal genus prædicatur essentiali prædicatione, species est, aut individuum. Est autem hic attendendum, quòd hæc natura quæ est genus, de hac natura quæ est differentia, nullo modo prædicatur, sed disparatæ naturæ sunt, quarum vna est vt id quod est potentia & materiale quod est genus, & altera est sicut actus purus cuius nihil est id quod est subiectum & potentia: vnde cum omne id quod prædicatur affirmatiuè de aliquo, sui aliquid secundum esse habeat in eo de quo prædicatur, & genus secundum id quod est natura quædam & subiectum & in potentia, sui nihil secundum esse habeat in differentia, eò quod est id quod est in subiectum in potentia existens, impossibile quod alterum de altero essentialiter prædicetur, sed sunt essentiæ & naturæ disparatæ. Et huius causas diuersi diuersas assignant: sed non alia causa est, quam illa quam dicit Aristot. & Philosophi, quòd id quod est subiectum in potentia existens secundum rem, nunquam in idem cum forma & actu coincidit: sequeretur enim, quòd idem esset formans & formatum, & distinguibile & distinctum, & perficiens & perfectum: quæ omnia sunt impossibilia & contra omnem intellectum. Ergo oportet dici, quòd quando genus de differentia vel differentia de genere prædicatur, vel quando species vel individuum de differentia, vel è conuerso prædicatur, quòd differentia, secundum esse & concretionem quam habet ad suppositum quod informat, accipiatur: & sic dicitur, quòd animal est rationale, & rationale est animal: & quod homo est rationalis, & rationalis homo: & rationalis Sortes, & Sortes rationalis. Dicunt tamen quidam, quòd cum dicitur, rationale est animal, vel è conuerso animal est rationale, quod duplex est locutio: ex eo quod hoc quod dico, rationale, potest stare formaliter: & sic falsa est locutio: quia sic rationalitas esset animal: vel potest stare pro supposito: & sic est vera. Et hoc est idem cum priore, sed dicit, quòd prior solum causam dicit eorum quæ dicta sunt. Et ex his plane intelligitur quòd hic dicitur.

Similiter autem perficiendum, &c. Similiter adhuc inspiciendum in differentiam comparatam ad species, si species aut aliud inferius specie (sicut individuum, vel specialissimum quod subalterna specie continetur) prædicatur essentialiter & vniuersaliter de differentia: hoc enim est impossibile: cuius prima ratio est: quia sic in ampliùs. Aliud inconueniens sequitur: quia sic accidit siue sequitur, quòd species sit differentia: siquidem prædicabitur de differentia aliqua specierum, constat, quòd non accidentali prædicatione prædicatur, vt homo est albus: prædicabatur ergo essentialiter affirmatiue: constat ergo, quòd prædicata species aliquid sui habet in subiecto quod est differentia: constat autem, quòd cum non sit in specie nisi genus & differentia, quòd alterum horum habet species in differentia: patet quod non genus: ergo differentiam: sequitur ergo, quòd species sit differentia: quod est inconueniens. Nam si prædicatur de differentia hæc species, homo, palam quod sequitur, quòd homo sit differentia: & sic interimitur differentia & diffinitio.

Amplius accidit differentiam speciem esse, &c.

Rursum si non prior, &c. Rursum comparando differentiam ad speciem secundum prioritatem, considerandum est si non prior est differentia specie: sic enim interimitur differentia & diffinitio: eò quod genere posteriorem, specie autem priorem oportet esse differentiam.

Obiectio. Est autem obiectio consuera quæ in multis locis & hic & in secundo posteriorum & in aliis locis fieri consuevit, quod dicit Aristot. quòd differentia in ampliùs prædicatur quam species: & in 7. primæ philosophiæ dicit, quòd differentia vltima specifica conuertibilis est cum specie, & non est in ampliùs quam species ipsa: quæ etiam esse vi lentur contraria & repugnantia. Sed ad hoc satis pius à nobis in diuersis libris est responsum, quòd est quæ secundum nomen & actum differentiæ differentia est: & est quæ diuidit & differre facit in specie, quia alia non diuidit: & si differre facit speciem ab aliis, hoc est ex consequenti: quia constituendo format: & & sic per formam ab omnibus (quæ ad illam formam disparata sunt) diuidit. Et ideo differentia, secundum actum differentiæ differentia existente, intelligitur quòd quantum est de se, communior est quam species, de qua etiam supra in primo huius scientiæ libro dictum est, quòd est generalis & cum genere collocanda: & in prima philosophia in 7. innuit Aristot. quòd omnes differentiæ quæ sunt ante vltimam, sunt vt genus, & pro genere ponuntur: quia in potentia sunt, non vt actus purus & stans & perfectus: sed illa quæ est actus totus purus secundum se, est in actu formæ constituentis & determinantis totam generis potentiam: & quod differre facit, non habet nisi ex consequenti: & ideò non diuidit inter se id cuius est differentia, hoc est, speciem, sicut facit differentia diuisiua quæ inter seipsam diuidit genus cuius est differentia: sed ex consequenti diuidit totam speciem integrã ab aliis. Et de tali differentia nec hic fit sermo, nec etiam in secundo posteriorum, sed in 7. primæ Philosophiæ, vbi agitur de veris principiis earum constituentibus eas in substantia

Solutio.

Tex. com. 12.

Tex. com. 43.

& ineſſe: & ſic ſoluuntur contraria. Alij autem aliter ſoluunt, de quorum dicto non curamus.

Conſiderandum autem & ſi diuerſi generis, &c.

Adhuc volenti interimere conſiderandum eſt ad differentiam comparatam ad aliud genus quod non eſt diffiniti genus, quod non continet genus diffiniti, nec continetur ab eo ſicut genera ſubalternatim poſita: quia non videtur, quòd diuerſi generis neque ſubalternati ſimul, nec ſubalternantis genus diffiniti ſit eadem & ſubſtantialis differentia, ſicut nec vna ſpecies eſt alium generum ita adinuicem ſe habentium. Hoc autem probatur per deductionem ad impoſſibile: quia ſi detur, quòd non eſt ſic, vt dictum eſt, accidet ſiue ſequetur, quòd vna ſpecies erit in duobus generibus non continentibus ſeinuicem, hoc eſt, non ſubalternatim poſitis. Cuius ratio eſt hæc: generale eſt, quòd quælibet differentia ſecundum ſe accepta infert ſuum proprium genus in quo eſt, velut greſſibile & bipes quæ ſunt differentiæ animalis, inferunt animal ſi ſecundum ſe accipiantur. Similiter quælibet differentia cum ſuo genere accepta conſtituit vnam ſpeciem, & vnica differentia conſtituit vnicam ſpeciem: vnica ergo differentia cum vno genere conſtituit vnicam ſpeciem, & eadem cum alio genere accepta conſtituit ſpeciem, quia vnica eſt duorum generum vt dicit hypotheſis: & verum eſt, quòd de quo prædicatur differentia, de eodem prædicatur & genus illius differentiæ. Sint ergo genera a. b. & vnica differentia ſit c. ſpecies autem conſtituta ſit d. prædicatur autem c. de d. ergo & a. genus prædicatur de d. per eandem rationem prædicabitur & b. de d. per differentiam quæ eſt c. quia iſta duorum generum eſt differentia: ergo differentia & ſpecies vna eſt in duobus generibus, vt in a. & b. quod eſt contra hoc quod in prædicamentis dicitur, quod diuerſorum generum & cætera.

Hoc cum conſilio (vt melius intelligatur) corrigendum eſt: quia quamuis ſit generalis vera de differentia vltima conſtitutiua, tamen de aliis differentiis accepta indiget interemptione. Et quidem aut ſic dicendum eſt vt poſita eſt conſideratio de vltima differentia, aut dicendum eſt, quòd impoſſibile eſt eandem differentiam duorum generum eſſe non continentium ſe adinuicem, ſiue non ſubalternatim poſitorum: ſed addendum, quòd duorum non ſubalternatim poſitorum quæ ambo genera non ſupponuntur vni quod eſt commune genus ad vtrumque: quia aliter conſideratio habebit inſtantiam: nam greſſibile animal & volatile animal genera ſunt non ſubalternatim poſita, & vtriuſque eorum eſt vnica differentia quæ eſt bipes: & ideo addendum eſt, quòd nec vtriuſque generis ſit genus vnum, quod ſi vnum ſit genus vtriuſque generis exiſtentis ſub eodem communi genere ad vtrumque: & tunc non habet inſtantiam: nam ambo quæ dicta ſunt genera quæ ſunt animal greſſibile, & animal volatile, ſunt ſub vno communi vtrique generi.

Palam autem, quoniã non neceſſe, &c.

Palam autem pro ſecunda parte conſiderationis, quoniam & hoc habet inſtantiam: quia in talibus differentiis non neceſſe eſt differentiam vniuerſaliter proprium genus inferre: eo quod contingit eandem differentiam duorum eſſe generum non continentium ſeinuicem: non enim ſequitur, eſt bipes, ergo eſt volatile: nec ſequitur, eſt bipes, ergo eſt greſſibile vel homo: ſed alterum tantum horum generum ſub diſtinctione ad reliquum inferre neceſſe eſt: & ſuperiora hæc omnia ſimul ſub diſiunctione coniuncta ex ſuis inferioribus differentiis inferuntur: ſequitur enim, bipes, ergo greſſibile vel volatile: & hæc inferunt animal, commune genus quod ambo illa genera continet.

CAPVT VII.

De inſpectione ad differentiam abſolutè acceptam & ad differentiam contractam.

Videndum autem & ſi in aliquo, &c.

VIdendum autem volenti interimere differentiam & diffinitionem, ſi in aliquo quod diffinitur, aſſignauit differentiam loco determinatam vel deſignatam: tunc enim interimitur differentia: quia differentia eſt de intrinſecis eſſentialibus: locus autem extrinſecus eſt, & non eſſentialis: non enim ſubſtantialiter videtur differre ſubſtantia vna diffinita à ſubſtantia, alia diffinita in eo quod vbi ſiue in loco. Propter quod etiam illi increpantur, qui in greſſibili animali & volatili animali diuidunt animal, diuidentes animal in aquatile & terreſtre: quod tamen Ariſtot. facit in libro animalium nono. Sed hi non increpandi ſunt, quod ita diuidunt velut greſſibile & terreſtre & aquatile vbi ſignificet: cum hæc ſint differentiæ quæ penes vbi accipiuntur. Sed tamen in his hæc conſideratio correctione indiget: quia aut male dicunt penes vbi differentiam aſſignantes, aut in his quidem aſſignantes differentiam non rectè increpantur, ſi intentionem ad hoc referunt, quod in naturali & eſſentiali aptitudine animalis eſt in aqua vel in terra eſſe: tunc enim differentia quæ eſt aquatile vel terreſtre, non ſignificat in aliquo loco eſſe vel in vbi, ita quod ad hoc accipiatur differentia: ſed ſignificat quale quid eſt illud animal ſecundum naturam & differentiam ſubſtantialem. Quod ex hoc probatur: quia ſi aquatile ſecundum locum, in ſicco ſit, ſi eſt auis aquatica ab aqua remota, adhuc per naturam eſt aquatile. Similiter autem & terreſtre eſt terreſtre, etſi in humido ſit ſecundum locum, vt bubalus in aqua exiſtens: & cocodrillus cum eſt in humido, non eſt aquatile, ſed terreſtre. Adhuc quamuis ſic aſſignans penes locum differentiam, non ſit increpandus, attamen ſi aliquis aliquando ſecundum locum aſſignet differentiam, non ad intrinſeca & eſſentialia reſpiciens, tunc palam eſt, quòd aſſignans peccans erit, & interimitur differentia. Si autem aliquis quærat, quare reſpiciendo ad tempus non datur hæc conſideratio ſicut reſpiciendo ad locum? Dicimus, quòd omnes tales quæſtiones in hac materia quæ ex probabilibus eſt, ſuperfluæ ſunt: tamen dici poteſt, quòd

Quomodo differentia quæ penes vbi accipiuntur, increpande ſunt, & quomodo non.

quòd locus magis conuenit cum differentia, quam tempus: quia locus eſt contentiuus & ſaluatiuus, ſicut differentia: tempus autem eſt magis cauſa corruptionis per motum, qui facit diſtare à principio id quod mouetur: & ideò magis aſpiciendo ad locum, quam ad tempus ponitur conſideratio. Et quamuis idem ſit (quoad generans) motus ad locum & ad formam, eò quod tantum datur de loco, quantum de formâ ipſi mobili: cum diuerſi motus ſint localis & generationis, localis quidem in eo quod extrinſecus ſe habet ad rem, generatio autem in eo quod intrinſecus ad ipſam ſe habet: & ideò peccat penes locum differentiam aſſignans, & non peccat differentiam aſſignans penes generationem.

Rurſum ſi differentiam paſſionem, &c.

Rurſum adhuc volenti interimere diffinitionem, inſpiciendo ad differentiam ad materiam contractam, conſiderandum eſt ſi aliquis diffinitionem, ponens paſſionem eſſe aſſignauit. Paſſionem autem dicimus omne id quo ſecundum qualitatem actu patitur id quod alterando mouetur: hoc enim modo Aſpaſius in libro de paſſionibus paſſionem diffiniens dicit, quòd paſſio eſt motus quo patiendo mouetur quod continuè alteratur: continuè enim hoc recipit, cum paſſio à Græco quod eſt pati, quod latinè ſonat recipere, dicatur. Omnis enim paſſio talis quæ vere paſſio in paſſione vel paſſionabili qualitate exiſtens, magis facta per motum, in mobili plus & plus accepta, abiicit à ſubſtantia: quia ipſe motus alteratiuus (qui eſt formâ paſſionis) magis & magis acceptus, dicitur abiicere à ſubſtantia: quia abiicit de ſubſtantia à contrario continuè ex quo fit motus: etiam id quod dicitur abiicere à ſubſtantia, eſt idem quod abiicere à ſubi. &c: quia ſubiectum ſubſtantia eſt quæ mouetur. Quare autem talis paſſio differentia non ſit, ideò eſt quia differentia (cum de eſſentialibus ſit) magis videtur ſaluare ſubſtantiam, & omne quod in ſubſtantia eſt, quam abiicere: quia non eſt ſecundum motum alteratiuum, ſed potius amorio ipſius & finis motus.

Et ſimpliciter impoſſibile eſſe ſingulum, &c.

Adhuc autem ad idem eſt, quòd ſimpliciter impoſſibile eſt eſſe ſingulum eorum quæ ſunt ſi non eſt propria differentia: quia iſta eſt forma ſubſtantialis ipſius: & ideò de iſta nihil abiicitur, & ipſa nihil abiicit. Nam cum non eſt greſſibile ſecundum aptitudinem (& ſi non ſit ſecundum actum) non erit homo. Simpliciter autem ſiue vniuerſaliter dicendum ſecundum quæ (hoc eſt, ſecundum quæcunque) alteratur habens iſta vt paſſionem, nihil horum eſt differentia illius. Omnia enim quæ huiuſmodi ſunt, quòd ſecundum ea alterantur ſubiecta habentia ea (cum magis fiunt ſecundum motum qui eſt forma) ſemper plus facta abiiciunt à ſubſtantia ſubiecta & habent contraria: quod non facit differentia quæ eſt actus purus & ſimplex, & non procedit de minus in plus ſecundum ſui ſubſtantiam. Propter quod ſi diffiniens per genus & differentiam (aliquam huius paſſionem vt differentiam aſſignauit) peccauit: ſimpliciter enim nulla alterantur ſecundum plus & magis fieri per motum ſecundum differentias ſpecificas.

Et ſi aliquis eorum quæ ſunt, &c.

Adhuc reſpiciendo in differentiam totam eorum quæ ſunt ad aliquid: in illa enim diffinitione differentia ponitur. Et conſiderandum ſi aliquis ſpeciei diffiniendæ (quæ eſt de numero eorum quæ ad aliquid ſunt) aſſignauit dicens, quòd non eſt ad aliquid: ſequitur enim ex hoc, quod idem non ſit hoc ipſum quod eſt ad aliquid: & ſic quod eſt ad aliquid, erit non ad aliquid: vnde eorum quæ ſunt ad aliquid, differentias conſtitutiuas oportet eſſe ad aliquid, vt patet. Exemplum in diſciplina ſpeculatiua, & actiua, & poetica. Et eſt ſpeculatiua ad ſpeculandum ad finem veri. Actiua autem, vt dicit Ariſtot. (cuius habitus prudentia) eſt conſideranti ad finem boni. Poetica (quæ operatiua eſt) ad finem operis eſt, qui eſt actus liberalis, ad quem mirabilia fingendo inducunt poetæ, vt eſt palæſtra, exercitamentum, bellum pro republica, & huiuſmodi.

Conſiderandum autem & ſi ad quod natum eſt, &c.

Et in his quæ ſic ſunt ad aliquid conſiderandum (ab eo qui vult differentiam interimere & diffinitionem) ſi id ad quod natum eſt ſiue per naturam ſiue per artem, ſingulum eorum quæ ſunt ad aliquid dicta, diffiniens, aſſignauit ſiue diffiniuit ipſum. Nam quibuſdam quidem eorum quæ in ſpecie ſunt ad aliquid, non eſt vti diffiniendo niſi ad id diffiniatur ad quod natum eſt fieri & eſſe ſingulum eorum ſigillatim ſecundum ſpeciem acceptum: ad aliud autem nihil vti & diffiniri illa niſi ad hoc: vt viſu non contingit vti niſi ad videndum, oportet quod diffiniatur ad id. Quibuſdam autem etiam eſt vti ad aliud aliquid quam ad id ad quod nata ſunt, vt ſubtelare eſt nauicula concaua in medio extoris transferens litia per ſubtextum, quamuis ad hoc factum ſit, contingit tamen vti eo ad hauriendum aliquid: attamen ſiquis diffiniuit ſubtelare inſtrumentum ad hauriendum, ad quod non per naturam natum eſt (quamuis hoc fieri poſſit ſubtelari) peccauit: non enim ad hoc natum eſt ad quod diffiniuit: diffinitio autem eius quod ad aliquid natum eſt, eſt ad quod natum eſt quo ipſe vtitur prudens, & ad id quo vtitur propria diſciplina circa ſingula, vt textor ſubtelari ad transferendum litia, ſicut natura naui ad nauigandum: & ad hæc diffinienda ſunt.

Amplius ſi non primum, &c.

Amplius autem quando contingit aliquid ad plura ſecundum ſubiectum dictum eſſe per ſe & per accidens prius & poſterius, conſiderandum eſt, ſi non aſſignauit ipſum ad principale, peccauit, vt qui diffiniuit prudentiam dicens virtutem eſſe animæ hominis, & non aſſignauit eam virtutem eſſe rationalis primi: quia illius eſt prius: primi vt ſubiecti eſt rationalis potentiæ virtus prudentia, & per id eſt virtus animæ hominis. Nam ſecundum hoc quod eſt rationale primum vt potentia & anima & homo rationalis, dicetur prudens.

Amplius ſi non ſuſcepibile, &c.

Amplius adhuc in his quæ ad aliquid vt ad ſubiectum dicuntur, conſiderandum eſt ſi illud diffinitum non eſt ſuſceptibile cuius diffiniti quod ad aliquid eſt, dicitur diſtincta diſpoſitio paſſio vel qualitas: tunc enim aſſignata differentia non eſt differentia, vel quodlibet aliud à paſſione & diſpoſitione quod eſt ad aliquid: nam omnis diſpoſitio & omnis paſſio in illo nata eſt fieri cuius eſt diſpoſitio vel paſſio, & per ipſum diffiniri, vt ſcientia nata eſt fieri in

anima, eò quod est cui eius dispositio animæ. Aliquando autem quis peccauit in talibus ad alia quam ad ea in quibus (vt subiectis) nata sunt fieri. Vt quicunque diffinientes somnum dicunt, quòd somnus est impotentia sensus secundum actum facti. Et si peccauit diffiniens dubitationem, qui dicit, quòd dubitatio est æqualitas contrariarum rationum. Et qui dolorem diffinientes dicunt, quòd dolor est distantia naturalium partium facta cum vi nerui: nullus enim horum diffiniuit in comparatione ad id in quo primo hæc nata sunt fieri vt in primo subiecto. Nam nec somnus secundum causam natus est primo fieri in sensu secundum actum facto, sed in organo sensuum, vt in organo sensus communis. Nec dubitatio nata est fieri in ratiocinationibus, sed in ratione sicut in primo subiecto. Nec dolor vt in primo subiecto in naturalibus partibus: si enim dolor concedatur adesse naturalibus partibus, cum etiam inanimata naturales partes habeant, sequitur etiam quod inanimata doleant, quia naturales habent partes. Talis autem & taliter peccans est etiam sanitatis diffinitio, si concedatur per diffinitionem esse sanitas medium siue medietas calidorum & frigidorum: quia multis inest inanimatis: sequitur enim, quòd necesse est sana esse quæcunque sunt mediocriter calida & frigida: eò quod singulorum medietas in illis eisdem est, quorum vt subiectorum est medietas: propter quod sequitur secundum hoc quod omnibus illis inest sanitas, quod falsum est, cum sanitas sit habitus animalis tantum.

Amplius hoc quod sit, &c.

Amplius si hæc quæ dicta sunt, illis quæ dicta sunt, non insunt sicut subiectis, sed sunt in ipsis sicut in causis effectiuis: vnde quod hoc est sic accidit ponere in suum effectiuum, aut è contrario effectiuam causam in ipsum. Sicut diffiniens somnum, vel dubitationem, vel sanitatem: non enim vt subiecti est dolor distantia naturalium partium, sed distantia naturalium partium est suum effectiuum. Et dicatur ratio ista per causam efficientem. Nec impotentia sensus est somnus per essentiam: cum enim ad locum digestionis reuocatur ab exterioribus organis sensuum calor, frigus subrepit in corpore, & frigiditas in sensuum organis, impotentes efficiuntur sensus ad sentire secundum actum: & sic efficitur somnus qui est sensuum ligamentum & impotentia, & in talibus est sensus vt in subiecto primo: alterum enim istorum est effectiuum alterius ipsorum. Aut etiam propter impotentiam sentiendi dormimus: & hoc verum est, & è contrario propter somnum (qui est sensuum ligamentum) impotentes ad sentiendum sumus: & hoc est verum: quia prius inducitur somnus per sentiendi impotentiam, vt dictum est: inducto autem somno, frigiditate exteriori subrepente, ex somno tenentur organa sensuum nisi resoluantur ad sentiendum secundum actum. Similiter autem in alio exemplo dubitationis non ponitur subiectum, sed causa efficiens, quæ est æqualitas contrariarum rationum, ita vt dubitatio dicatur. Ambiguum enim, dicit Boëtius, est quando ratio ambit vtramque partem contradictionis per æquales rationes. Dubium autem est interminatus motus rationis sine ratione, vel cum praua ratione ad vtramque partem contradictionis quæ ratiocinantibus similiter siue æqualiter videntur ad quæ (si ratiocinamur) omnia, siue ambo ad quæ ratiocinamur, tunc dubitamus siue ambigimus vtrum illorum agamus, vel alterum præferamus.

TRACTATVS III.

Qualiter interimitur diffinitio inspiciendo in ea quæ diffinitionem comparatam ad diffinitum consequuntur secundum identitatem.

CAPVT I.

Si diffinitio diffinito secundum omnia tempora consonet, vel si alicui in aliquo tempore dissonet.

Hoc autem terminata diffinitione vel problemate diffinitionis penes essentialia diffinitionis, determinandum idem problema penes ea quæ diffinitionem comparatam ad diffinitum consequuntur secundum identitatem. Et primo quidem considerandum si diffinitio diffinito secundum omnia tempora consonet, vel si alicui in aliquo tempore dissonet: quia tunc interimitur diffinitio. Vt si aliquis diffiniuit animal immortale, quod est nunc incorruptibile: nam nunc incorruptibile animal, ita quod hæc dictio, nunc, determinet hoc quod est incorruptibile, nunc est immortale, & hoc modo nunc immortale nunc incorruptibile est. Sic ergo hoc modo interimitur diffinitio.

Amplius secundum tempora omnia considerandum, &c.

Aut fortè dicendum, quòd in exemplo inducto non est instantia vera quin possit esse diffinitio:

Aut in hoc quidem non accidit, &c.

diffinitio: hoc enim quod dicitur nunc incorruptibile esse, dubium est & multos sensus habere potest. Aut enim incorruptibile dicitur ab actu corruptionis, & dicitur nunc incorruptibile quod non nunc corrumpitur: & hoc modo non est diffinitio immortalis. Aut incorruptibile dicit priuationem potentiæ corruptionis, non simpliciter, sed vt sit sensus, quod incorruptibile dicitur, quoniam impossibile est corrumpi nunc: & sic iterum non est diffinitio immortalis. Aut incorruptibile dicit quidem priuationem potentiæ corruptionis simpliciter, & nunc tale sit dictum ipsum incorruptibile, hoc est, vt huiusmodi sit nunc quod nunquam corrumpi possit: & hoc modo potest esse diffinitio immortalis. Quando ergo dicimus, quòd incorruptibile nunc est animal, non hoc dicimus assignando quoniam nunc tale animal quod non corrumpitur, sed ostendimus quoniam nunc tale sit, quod nunquam corrumpatur nec corrumpi possit: hoc autem idem est immortali & diffinitio eiusdem: propter quod non accidit nunc secundum hoc tempus præsens tantum id idem immortale esse: sed dicimus hic vnum sic esse considerandum, si secundum omne tempus sequitur in his vbi accidat id quod secundum diffinitionem assignatur, sequi diffinitum & inesse nunc secundum hoc præsens tempus & præteritum tempus, & non semper. Quod autem secundum nomen diffiniti ad quod aptatur diffinitio, accidit aliquando non inesse, non erit idem nunc & prius.

Vtendum ergo, &c.

Hoc igitur loco considerationis (quia multos sensus habet) non simpliciter secundum omnem sensum, sed in sensu in quo dicit nominis diffinitionem (quemadmodum dictum est) vtendum est. Sciendum autem hic, quòd incorruptibile propriè loquendo est plus quam immortale: quia immortale propriè est eius cuius est vita, incorruptibile autem opponitur corruptibili quod est compositorum ex contrariis vel eorum quæ super talia delata sunt, vt formæ eorum: & sic incorruptibile potest esse differentia eius quod est immortale, & non penitus idem illi, sed in plus. Adhuc autem quamuis immortale sit differentia saluans & perficiens, & immortale à priuatione dicatur, tamen vt est differentia, ab aptitudine sumitur, & non ab actu: & sic perficit & saluat in esse tali.

Quomodo immortale est differentia, licet sumatur à priuatione.

CAPVT II.

Qualiter interimitur diffinitio ex comparatione diffinitionis ad diffinitum secundum magis & minus.

Perspiciendum autem & si secundum aliud, &c.

Perspiciendum autem adhuc secundum consequentia diffinitionis & diffiniti penes eadem sumpta secundum magis & minus quæ dicunt mutationem in tempore: & hoc comparando primo diffinitionem ad diffinitum. Quod tribus modis fieri potest: vt si diffinitum suscipiat intentionem aliam quam secundum designatam diffinitionem: & si diffinitum suscipiat magis & non diffinitio, vel è conuerso. Item si vtrumque suscipiat, sed non semper in eodem tempore.

Tribus modis potest comparari diffinitio ad diffinitum.

finitum susceptum magis & minus.

Respiciendum ergo primo (volenti interimere diffinitionem ex comparatione diffinitionis ad diffinitum secundum magis & minus) si diffinitum ad aliud magis est diffinibile quam secundum assignatam de ipso rationem siue diffinitionem: tunc enim interimitur diffinitio. Cuius exemplum est, vt si iustitia sic diffiniatur dicendo, quòd iustitia est potentia æqui distributiua: tunc enim à coniugato accipitur, quòd per aliud magis est diffinibilis iustitia quam per potentiam. Iustus autem dicitur magis diffinitus qui diligit æquum distribuere, quam qui potest: ergo & iustitia magis electio vel dilectio distributionis æqui, quam potentia. Quare intercepta erit diffinitio: quia secundum hoc non erit iustitia potentia æqui distributiua: virtus enim habitus est & voluntarius, magis in electione consistens, quam in potestate, nisi intelligatur de potestate quæ est facultas ex habitu: sed non de hac procedit diffinitio, sed de potentia quæ infinita est & ad actum deducibilis: & sic virtutes potentiæ non dicuntur: si enim iustitia potentia esset æqui distributiua, tunc etiam maximè esset iustus, qui maximè posset distribuere æquum.

Iustus quid.

Virtus magis consistit in electione quam in potestate.

Amplius penes idem considerandum si res quidem diffinita suscipit magis, & id quod assignatur secundum diffinitionem (hoc est, diffinitio) non suscipit magis: aut è contrario si id quod assignatur secundum diffinitionem (hoc est, diffinitio) suscipit magis, & res diffinita non suscipit magis: interempta enim erit diffinitio: oportet enim aut vtraque suscipere magis, aut neutrum: siquidem idem est rei diffinitæ & secundum idem, quod secundum diffinitionem assignatur de ipsa.

Amplius si res quidem suscipit magis, &c.

Amplius tertio considerandum, si quidem vtraque & diffinitio & diffinitum suscipiunt magis, non tamen simul & in eodem tempore, interimitur diffinitio. Vt si amor qui dicitur apud medicos concupiscentia coitus, interimitur hæc diffinitio: quia magis amans non magis concupiscit coitum, sed fortè præsentiam amatæ, etiam quando appetit coitum: propter quod non simul vtraque in eodem suscipiunt magis: oporteret tamen hoc, si idem secundum idem esset diffinitio & diffinitum. Amplius comparando diffinitionem & diffinitum ad tertium, considerandum est si duobus aliquibus propositis (vt est diffinitio & diffinitum) & tertio comparatis de quo res diffinita secundum magis dicitur, de eodem hoc quod secundum diffinitionem (hoc est, diffinitio) minus, interimitur diffinitio. Vt si ignis diffinitio dicatur corpus subtilissimum: cum enim sint tres species ignis in materia aliena, videlicet, carbo, flamma, & lux, magis est ignis flamma quam lux: corpus autem subtilissimum quod ponitur esse diffinitio ignis, minus est flamma quam lux: patet quod non est diffinitio ignis, quod assignatum est pro diffinitione: quia vtraque & diffinitio & diffinitum magis eidem inessent, si recta esset diffinitio.

Amplius si suscipiunt quidem, &c.

Tres sunt species ignis in materia aliena.

Quod ignis in sua propria sphæra non lucet, & per consequens carbo, flamma & lux non sunt species eius nisi vt est in materia aliena.

Hic autem attendendum, quod sicut Auicenna & Auer. dicunt, ignis in sua spræria & & in sua propria natura, hoc est lux neque lucet: quia sic nunquam videretur eclipsis lunæ: cum luces tegat id quod post se est. Nunquam etiam apparerent stellæ. Vnde istæ species sunt ignis in materia aliena, quæ magis & minus accedunt ad naturam ignis: & ideò subtilissimum esse (quod est naturalis forma ignis prædicta) suscipiunt magis & minus. Et cum dicitur ignis magis esse flamma quam lux, hoc dicitur: quia naturalem qualitatem (quod est vtiuum & combustiuum esse) magis habet flamma quam lux. Est enim ignis candens in materia terrea, flamma autem fumus accensus, lux autem in vapore ad formam & subtilitatem aeris condensati & à terrestri deparata micans & luminans.

Quomodo differunt ignis carbo, flamma & lux, quantum ad materiam in quæ sunt.

Rursum considerandum si hoc quidem vt diffinitio duobus aliquibus prope sitis similiter sine æqualiter, illud autem alterum vt diffinitum non inest similiter eidem, sed alterum inest secundum magis, interempta erit diffinitio: & hoc plenum est cuilibet: quia cum idem dicant diffinitum & diffinitio secundum formam, & non differant nisi quia diffinitio dicit id explicitè, quod diffinitum dicit secundum nomen implicitè, oportet quod vtraque æqualiter insint illis quibus dicuntur inesse secundum formam.

Rursum si hoc quidem similiter, &c

Amplius si duo diffinitionem, &c.

Amplius potest interimi diffinitio per inspectionem ad duas diffinitiones per disiunctionem ad diffinitum relatas, ita quod vtraque diuisim sit diffinitio, cum disiunctum pro altera tantum verificetur: vnde si inspiciendo ad duo disiuncta diffinitionem assignaut secundum alterutrum (hoc est, quod diuisim alterum coniunctorum conueniat diffinito) peccauit, & interimitur diffinitio. Vt si quis diffiniens dicat bonum esse per visum aut per auditum delectabile: & si quis diffiniens ens (sicut dicit Boëtius) dicat id quod facere aut pati potest. Ex hoc enim sequitur, quod simul idem erit bonum & non bonum: & huius ratio est: quia diffinitio & diffinitum sunt idem, & quæcunque sunt eadem, etiam opposita eorum sunt eadem: est autem delectabile per auditum idem bono, sicut diffinitio & hypothesis dicit: ergo per oppositum quod non est delectabile per auditum, erit idem non bono: nam eisdem per diffinitionem etiam opposita per contradictionem erunt eadem per diffinitionem. Nam si homo est animal rationale mortale, non animal rationale mortale erit non homo. Opponitur autem bono quod est non bonum vt diffinitum diffinito: & similiter per auditum delectabile opponitur per auditum non delectabili vt diffinitio diffinitioni. Palam ergo, quoniam idem est per auditum non delectabile ei quod est non bonum. Si ergo aliquid est per visum delectabile: hoc autem non est per auditum delectabile: sic idem erit non bono: ergo bonum erit non bonum.

Quòd si diffinitio daretur per disiunctionem diuisim: tunc sequeretur, quod bonum esset non bonum.

Similiter autem ostendemus, &c.

Similiter ostendemus, quoniam idem ens & non ens: quia si idem est ens ei quod pati potest per diffinitionem, quod non est, erit, quod non facere potest: ergo idem non enti: & sic erit idem ens non enti. Et hoc si diffinitio fiat per ambas partes diuisim. Si autem diffinitio fiat per disiunctum, ita quod ambæ partes disiunctiuæ simul referantur ad diffinitum, non potest dari diffinitio per disiunctiuam quia talis est diffinitio enuntiationis in perihet. & diffinitio problematis in antehabitis, & multorum aliorum sic diffinitorum.

CAPVT III.

Qualiter interimatur diffinitio ex comparatione diffiniti secundum quod est ad aliquid.

Amplius & in generibus & differentijs, &c.

AMplius quia iam ostensum est qualiter interimitur diffinitio per defectum differentiæ ad materiam contractæ, ostendamus qualiter interimitur per defectum generis & & simpliciter, & hoc sine circunstantiis. Dicamus ergo prius generali documento, quòd in generibus & differentijs & aliis omnibus quæ sunt & debent esse in diffinitione assignatis, eos qui interimere volunt diffinitionem, & pro nominibus generum vel differentiarum vtuntur diffinitionibus nominum, vt melius videatur quod consonat & dissonat diffinito, oportet considerare si quid dissonat.

Considerãdum si non dictum, &c.

In speciali ergo considerandum si id quod diffinitur, est ad aliquid, aut per seipsum, aut secundum genus, vt grammaticam quæ secundum genus est ad aliquid: tunc considerandum est si in diffinitione eius quod est ad aliquid, non est dictum per differentiam & signatum quod est ad aliquid: & tunc interimitur diffinitio per defectum generis & differentiæ quæ debent esse in diffinitione. Cuius exemplum est, vt si quis scientiam (quæ secundum dici est ad aliquid) diffiniens dicat, quòd scientia est opinio rata: aut voluptatē diffiniens dicat, quòd voluptas est appetitus sine tristitia. Nam eius quod est ad aliquid substantia quæ est esse ipsius, est quod ad alterum est: eò quod idem fuit vnicuique eorum quæ sunt ad aliquid esse & ad aliquid quodammodo se habere, vt in prædicamentis dictum est: & ideo in diffinitione ponendum id ad quod est diffinitum: oportebat ergo diffiniendo scientiam dicere, quòd scientia est opinio scibilis siue eius quod est scibile: & oportebat diffiniendo voluptatem dicere, quod voluptas est appetitus boni vel boni delectabilis: quia ad hæc sunt scientia & voluptas. Similiter & si grammaticam diffiniens aliquis dixit grãmaticam esse scientiam literarum, peccauit: eo quòd oportebat in diffinitione relatiui dicere & ipsum ad quod per se dicitur, aut ad quod dicitur secundum suum genus: hæc enim oportet in diffinitione relatiuorum assignari.

Aut si alicuius ad aliquid dicti, &c.

Adhuc autem peccauit, qui alicuius ad aliquid dicti secundum speciē (quæ est finis eius) non ad finem illum per diffinitionem assignauit: finis enim in vnoquoque est id quod optimum est, & per optimum est danda diffinitio: aut etiam finis est cuius gratia omnia fiunt: & propter hoc in diffinitione dicendum est id quod

quod est optimum & vtilissimum. Vt si diffiniatur concupiscentia, & non diffiniatur esse appetitus delectabilis, sed diffiniatur esse delectationis: quia non est delectabile nisi propter delectationem, cum propter delectationem etiam ipsum delectabile eligimus.

Considerandum autem & si generatio, &c.

Considerandum etiam in his quæ ad finem diffiniuntur, si finis ad quem assignatur diffinitio, est generatio quæ fit in fine, vel sit iste finis actus, hoc est, actum esse vel factum: hæc enim sunt diuersi fines, vt dicit Aristot. primo ethicorum: vnde in quibusdam est finis actio, in quibusdam autem actum: in arte actiua actionem volunt, in ædificatiua autem ædificatū, quod Græcè apotelesma vocatur: & in talibus vel talium quæ sunt generatio & actio, est magis finis in talibus egisse & generasse & quod consummatum est, quam agere & generare. Aut forte in quibusdam, sicut dictum est, non est ita: non enim in omnibus est verum, quòd ita sit: penè enim omnes plus volunt delectari in fieri delectationem, quam quieuisse & perfeciisse delectari secundum perfectum esse: propter quod in talibus agere & facere magis finem faciunt & ponunt quam egisse. Est autem hic attendendum, quòd sunt quædam simpliciter imposita à formis secundum suū esse ad aliquid dependentibus, vt pater & filius, dominus & seruus, & huiusmodi: & hæc ad alios fines non sunt nisi ad ea ad quæ dicuntur. Et sunt quædam à formis quidem absolutis imposita, habendo tamen respectum ad alia, vt scientia, concupiscentia, & huiusmodi: & illa sunt etiam ad actus comparata præter id ad quod dicuntur, præcipuè quando nominant dispositiones vel habitus potentiarum actiuarum vel passiuarum: & de his & hoc vtilius dictum est.

In quibusdam eorum quæ sunt ad finem finis est actio: in quibusdam autem actum.

Eorum quæ sunt ad aliquid, quædã ad alios fines non sunt nisi ad ea ad quæ dicuntur, & sunt relatiua secundum esse: quædam verò præter id ad quod dicuntur sunt etiam ad actus comparata, & hæc sunt relatiua secundum dici.

CAPVT IV.

Qualiter interimitur diffinitio eius diffiniti quod est ad aliquid, si non determinauit eiusdem qualitates vel quantitatem vel vbi vel alias differentias.

Rursum in quibusdam & non determinauit, &c.

RVrsum in quibusdam eorum quæ sunt ad aliquid, interimere volenti diffinitionem, considerandum est si non determinauit circunstantias vel conditiones eiusdem quod est ad aliquid. Considerandum enim si non determinauit qualis vel quanti vel vbi vel secundum alias differentias circunstantiarum secundum quas imponitur nomen diffiniti; & si sic, peccauit; & interimitur assignata diffinitio. Vt si diffiniatur ambitiosus, & non determinetur qualis honoris vel quanti sit honoris appetens, vel vbi, vel quomodo, vel secundum alias differentias honorum. Non enim potius imponitur nomen ambitiosi ei qui simpliciter honorem appetit: cum enim honor sit de per se appetibilibus, omnes honorem appetunt: vnde hoc non est in vitio: propter quod cum ambitio sit nomen vitij, non sufficit dicere, quòd ambitiosus est, qui appetit honorem: sed addendum dictas differentias, vt quantum, & vbi, & in quibus, & in qualibus, & propter quid, & alia his similia. Similiter & cum dicitur auarus: non enim dicitur quis auarus à pecunia amanda: quia omnes appetunt pecuniam: sed oportet addere circunstantias qualiter, & quantum, & vbi, & propter quid, & etiam huiusmodi. Cum autem dicitur luxuriosus, non dicitur ab omni amore voluptatum: sed oportet addere quantum, & quas, & quales, & quando, & vbi, & propter quid, etiam in quibus amat voluptates, & à quibus retinetur voluptatibus, & huiusmodi. Et rursum in naturalibus, vt qui diffinit noctem, & dixit eam vmbram esse: oporteret enim dicere qualis & quanta vmbra, & vbi, & quando. Et quando diffiniuit cysmon (hoc est, casum terræ, vel quod est casio terræ prouciens) non sufficit dicere, quòd cysmos est motus terræ: oportet enim addere vnde, & quantum, & quale, & vbi, & quando, & alias circunstantias. Aut etiam nubem diffiniens, dixit esse aërem condensatum: oportet enim addere ex quo, & quid, & vnde, & quando sit aër condensatus. Aut etiam qui diffinit ventum esse motum aëris: oportebit enim addere qua de causa, & vbi, & qualiter, & huiusmodi. Similiter autem est in aliis talibus: in omnibus enim talibus qui relinquit aliquam differentiam circunstantiarum in aliquibus talibus circunstantiis, non dicit quid est esse: cum tamen omnia à circunstantiis esse trahant substantiale secundum suum nomen. Oportet enim in diffinitione conari ad id quo diffinitum indiget ad sui optimi esse declarationem: non enim quolibet modo mota terra est terræmotus: sed oportet dicere à quanto vapore terrestri, & à quanta soliditate solidi, per quam vapor euaporare non possit, & inclusus moueat terram: vnde non quantacunque motio, cysmos (hoc est, terræmotus) erit. Et ideo in talibus oportet addere circunstantias siue conditiones ex quibus trahit esse: & non huiusmodi sunt diffinitiones quæ dictæ sunt.

Verum tamē: & ideo non omnes sunt ambitiosi.

Amplius in appetibilibus si non appositum, &c.

Amplius autem in appetibilibus diffinitio non valet, si non appositum est id quod videtur appetibilius, vt si ad apparens mouetur, siue ad id quod videtur: & hoc oportet ideò apponi: quia omnis appetens visus mouetur: & hoc oportet apponi in omnibus circunstantiis, in quantiscunque aliis circunstantiis consonat vel conuenit secundum nomen diffiniti. Vt cum dicitur, quoniam voluptas est appetitus boni: aut cum dicitur, concupiscentia est appetitus delectabilis: sed non additur, quòd est appetitus vel concupiscentia apparentis boni: cum tamen non moueat appetitum vel concupiscentiam, nisi apparens bonum vel delectabile: & ideò oportet illud adesse: plerunque enim latet appetentes quid vel quod sit bonum vel delectabile secundum veritatem, & mouentur ad apparens. Propter quod non est necessarium bonum esse per se, cuius appetitus est voluptas; neque necesse est delectabile esse per se, cuius appetitus est [illegible] scientia: sed debet dici apparens bonum: hoc enim in eo quod apparet, facit voluptatem & concupiscentiam: vnde sic per apparens bonum opo-

Honor est de per se appetibilibus: & ideo omnes appetunt honorem; diffe-

tebat assignationem facere voluptatis & concupiscentiæ, vt quod per illud esset omnis voluptatis & concupiscentiæ. Si enim aliquis definiens voluptatem & concupiscentiam, assignaret quod dictum est, ita quod apponat, quod apparens bonum est voluptatis, & apparentis delectabilis est concupiscentia: tunc adhuc qui vult interimere definitionem, debet ea quæ assignat in specie separatas boni & delectabilis reducere: quia, sicut dixit Plato, sunt causæ & formæ eorum sensibilium: quia quod non est in causis, hoc non est in effectibus. Cum enim apparens non vt visi apud nos, quibus videtur apparet hoc esse bonum vel delectabile, & causatur ab eo dum apparet: cuius signum est quòd diuersis diuersa apparent delectabilia & bona: sequitur quòd non forma separata sunt quæ sunt causa alicuius apparentis boni vel delectabilis: quia apparens vt apparens est, causam & formam non habet extra cum cui apparet: species autem ad speciem videtur dici in omnibus difficilibus, sicut res ad rem, & ita se habere: quia omnium eorum quæ sunt quidditatem facientia, sunt species quæ sunt esse eius quod est.

Quid igitur & quod per se concupiscentia separata sit a speciebus, si per se delectabilis in speciebus, & per se voluptas in speciebus sit per se boni, in ostentum est, quod apparentis boni vt apparens est, non erit per se voluptas, nec apparentis delectabilis erit per se concupiscentia: ostentum enim est, quod inconueniens est apparens bonum, quod non habet causam extra cum cui apparet esse per se separatum: & similiter inconueniens est apparens delectabile per se separatum esse: & sic ista (quæ apparens bonum sunt & apparens delectabile) non possunt esse diffinientia quidditatem voluptatis & concupiscentiæ: quia nihil diffinit & facit quidditatem sui stantiam alicuius rei non separatum, vt dicunt opinatores formarum: aliter enim talis diffinitio non posset esse cauta & medium in demonstratione, nec est principium conuincendi esse diffiniti.

Amplius respiciendo in plures diffinitiones formarum habituralium, tunc considerandum est si huius siue formæ quæ est habitus, sit vel dicatur esse habitus diffinitio: vtrum etiam habens illum habitum, sit diffinitio habentis, à coniugatis: si enim non est sic, interimitur diffinitio. Et è conuerso considerandum si habens non sit diffinitio habentis: tunc nec habitus erit diffinitio habitus. Sic autem & in aliis talibus. Cuius exemplum est, vt si delectatio sit quoddam iuuare: tunc sequitur, quod delectatus erit quidam iuuatus.

Amplius, si sit quidem habitus, &c.

Similiter volenti interimere tales diffinitiones, dicendum est & considerandum, quòd in huiusmodi considerationibus vel diffinitionibus accidit, quod qui determinat sic vel sic, diffinit plura vno & diffiniuit quodammodo quæ ex diffinitione sic data debent notificari: & si non sic, interimitur diffinitio. Nam qui scientiam diffinit, quodammodo per oppositum & ignorantiam diffiniuit. Similiter autem quodammodo diffiniuit coniugata habens, vt scium siue scientem, & insciuum, hoc est, inscientem, vt ita liceat dicere, & scire & ignorare quodammodo diffiniuit: nam primo (hoc est, principali) palam facto per diffinitionem, & reliqua opposita & coniugata, quodammodo palam sunt. Perspiciendum est ergo in omnibus talibus oppositis & coniugatis, ne quid dissonet ei qui vtitur elementis, hoc est, principiis diffinitionis, & perspiciendum est ex oppositis & coniugatis, vt iam dictum est: quia si aliquid dissonat, interimitur diffinitio.

Vt autem aliter dicendum in huiusmodi, &c.

TRACTATVS IV.

Qualiter interimitur diffinitio per locos extrinsecos tam in oppositis secundum genera oppositorum, quam à similibus vel à coniugatis sumptos.

CAPVT I.

Qualiter interimitur diffinitio inspiciendo in oppositis quæ sunt ad aliquid.

QVM autem iam dictum sit qualiter diffinitio interimitur per locos extrinsecos, inspiciendo in ea quæ sunt de essentia diffinitionis vel consequentia ad ista vel circumstantiæ eorum: consequens est nunc ostendere qualiter interimitur per locos extrinsecos tam in oppositis secundum genera oppositorum, quam à similibus vel à coniugatis sumptos. Inter opposita autem prius est inspiciendum in relatiuis: quia plus habent de ente, cum verumque sit ens actu. Dicimus igitur, quòd considerandum primo in oppositis quæ ad aliquid sunt, si assignata diffinitione eius quod est ad aliquid, genus positum in diffinitione est ad aliquid, verum species etiam sit ad idem suo modo, hoc est, specialiter, sicut genus generaliter est: si autem non, interimitur diffinitio.

Remouet dubium.

Amplius in his quæ ad aliquid sunt, &c.

diffinitio: Cuius exemplum est in relatiuis quæ secundum dici relatiua sunt, sicut & opinio est dicta ad opinatum, & quædam sunt specialis opinio ad quoddam siue speciale opinatum: & sicut multiplex dicitur ad submultiplex in genere, vtrum quoddam speciale multiplex in specie dicta dicatur ad quoddam submultiplex, si enim non sic diffinitio assignatur vel genus in diffinitione, interimitur diffinitio.

Videndum autem & si oppositi, &c.

Videndum autem est adhuc in relatiuis considerando (si diffinitio assignata dicetur esse pro oppositio) si oppositi correlatiui quod refertur ad illud sit opposita diffinitio. Verbi gratia, si dimidij diffinitio opposita est ei diffinitioni quæ est duplicis. Verbi gratia, si duplex est per diffinitionem quod secundum æqualem partem dimidium superat, dimidium erit quod in æquali parte à duplo superatur. Illud autem (quantum ad secundo inductam considerationem) est etiam in contrariis. Nam & in illis contrariis contraria ratio erit siue diffinitio secundum vnamquamque complexionem contrariorum: plures enim complexiones contrariorum in primo huius scientiæ libro determinatæ sunt. Cuius exemplum est, vt si iuuatiuum est per diffinitionem quod est boni effectiuum, erit per contrarium nociuum secundum diffinitionem quod est mali effectiuum: nam contraria inquantum contraria sunt & opposita, relationem habent adinuicem: alterum enim horum contrariorum necesse est contrarium esse ei quod ex principio dictum est: quia quodcunque horum ex principio assignetur, alterum erit ei contrarium: iuuatiuum enim erit ad nociuum, & è conuerso: & bonum ad malum, & è conuerso. Si ergo neutrum contrarium est ei quod ex principio dictum est, palam est ex ipsa contrarietate ipsorum adinuicem: quia neuter neutro (quod in principio ponitur) conuenit, vel erit diffinitio eius quod posterius per contrarietatem ad id assignatur, si rectè & secundum quidditatem diffinitio assignetur.

Si autem neutrum contrariorum secundum

Quoniam autem quædam contrariorum priuatione alterius, &c.

Inspiciendo autem specialiter in contraria dicimus, quòd quædam contraria accipiuntur sic, quòd vnum est vt priuatio, alterum vt habitus: quidam autem accipiunt ambo vt habeus: & primò inspiciemus in ea quorum vnum est priuatio, & alterum vt habitus. Dicamus igitur, quòd contrariorum quædam sunt contraria sic, quòd vnum dicitur priuatione alterius, vt inæqualitas & æqualitas: quia æqualitas priuatione æqualitatis videtur esse inæqualitas: inæqualia enim dicuntur quæ non sunt æqualia, & sic mutuò se expellunt ab eodem susceptibili. Palam autem ex his quæ sæpè dicta sunt, si talia contraria debeant diffiniri, palam erit, quòd id quod secundum priuationem dicitur, debet diffiniri per alterum: reliquum verò contrariorum quod dicitur secundum habitum, non oportet per id quod secundum priuationem dicitur, diffiniri: quia priuatio non est principium cognoscendi habitum, sed è conuerso: non enim contingit alterutrum talium contrariorum per alterutrum cognosci, sed per habitum cognoscitur priuatio, & non habitus cognoscitur per priuationem.

Considerandum ergo in contrariis, &c.

Et in contrariis considerandum est huiusmodi peccatum per quod interimitur diffinitio, vt si quis diffiniat æqualitatem dicendo, quòd æqualitas est per diffinitionem contrarium inæqualitati: nam per hoc quod sic diffinitur secundum priuationem, dicitur habitus qui est æqualitas: & ideo interimitur diffinitio. Amplius aliud peccatum est: quia sic diffinientem necesse est in ipsa sua diffinitione vti eo quod diffinitur: & hoc est inconueniens. Hoc autem palam est si pro nomine in diffinitione posito accipiatur diffinitio nominis eiusdem. Nam quia inæqualitas nihil differt & priuatio æqualitatis, cum vnum sit diffinitio alterius, cum diffinitum inæqualitatis, & diffinitio eius sit contrarium æqualitatis esse, erit æqualitas quæ diffinitur, contrarium inæqualitatis esse: & erit idem ac si dicat, æqualitas est contrarium secundum priuationem æqualitatis esse: & sic æqualitas cadit in diffinitione æqualitatis: propter quod sic diffiniens, eodem erit vsus in diffinitione suiipsius.

neutrum contrariorum, &c.

Si autem priuationem dicitur, sed vtrumque secundum habitum: assignetur autem ratio siue diffinitio: similiter autem vnum per alterum, vt dicatur sic, bonum esse per diffinitionem quod est malo contrarium: tunc palam est, quoniam & malum per diffinitionem est quod est bono contrarium. Nam hoc modo contrariorum similiter assignanda est ratio, quòd vtrumque diffinitur in hoc quod est alteri contrarium. propter quod rursum sicut in aliis (quorum alterum secundum priuationem dicitur) eodem contingit vti in diffinitione suiipsius: & hoc ideò quia inest in malo ratione bonum, quando sic diffinitur, quòd bonum est quod est malo contrarium: nihil autem differt malum ab eo quod est bono esse contrarium: & sic per diffinitionem bonum contrarium boni contrario: & sic eodem vsus est in diffinitione suiipsius: quia bonum in diffinitione boni est positum.

Amplius aut. si quod secundum priuationem, &c.

Amplius inspiciendo in priuationem & habitum: priuatio autem habet comparationem ad id in quo est, sicut in subiecto quod relinquit, & ad oppositum suum: & ideò oportet, quòd in diffinitione diffiniatur ad vtrumque: ideò considerandum est, quòd si ad oppositum (quod secundum priuationem dicitur) aliquis diffiniens non assignauit cuius est priuatio sicut habitus priuatio, aut cuius est vt contrarij vel oppositi, vt quoniam est horum habituum priuatio. Adhuc autem & si non additur in diffinitione in quo sicut in subiecto natum est fieri priuationem illam, & etiam in quo natum fieri prima specie, peccauit, & interimitur diffinitio: vel simpliciter in quo natum est fieri talem priuationem, hoc est, vniuersaliter. Verbi gratia, vt si ignorantia dicens (hoc est, diffiniens) non dixit in diffinitione, quòd sit priuatio scientiæ, ex eo quod comparatur ad habitum per quem cognoscitur. Aut etiam si in diffinitione non addidit in quo est nata fieri priuatio illa vt in subiecto simpliciter vel primo, eò quod per subiectum cognoscitur accidens. Vt si diffiniens ignorantiam non dixit, quoniam scientiæ est priuatio, & quod nata est fieri in homine & primum

in

mationis præter animam : nam si sic diffiniens, quod per illorum non facit, peccabit. Similiter autem & in corporalibus priuationibus : nam si quodlibet illorum quæ dicta sunt, non faciat, & quod non dicat in quo simpliciter vel in quo primo peccabit, & irretiuntur diffinitio. Si enim dicat quid est cæcitas, & non dicat cæcitatem esse visus priuationem in oculo: oportet enim bene assignantem diffinitionem priuationis, & quid est quod priuatum est, & in quo est fieri ut sim. liciter suscepti uo, vel in primo susceptiuo, & etiam dicere quid est quod priuatum est per ipsam.

Quid n. patiatur a cæcitate diffiniendum priuationem

Adhuc considerandum præter omnia quæ dicta sunt, si aliquis id quod secundum priuationem dictum est, non secundum priuationem diffinit, sed secundum negationem : tunc enim videtur esse huiusmodi fere simile peccatum his qui ignorantiam non secundum negationem puram, sed secundum priuationem diffiniunt : nam secundum illos (sicut & verum est) quod negatiue non habet scientiam, non videbitur ignorare : quia priuatio relinquit subiectum & aptitudinem : quod non facit negatio : vnde quod negatiue non habet scientiam, non videbitur ignorare, sed magis videbitur ignorare quod aptitudinem habens ad sciendum, fallitur ex parte subiecti. Huius signum est : quia nec inanimata nec pueros dicimus ignorare : quia non sunt susceptibiles scientiæ : vnde in talibus non potest diffiniri ignorantia secundum priuationem scientiæ quæ reliquit subiectum & aptitudinem : & ideo in talibus diffinitionibus debet ponere habitum quem priuat, & subiectum in quo est priuatio : alias interimitur diffinitio.

Videndum autem & si non secundum priuationem, &c.

Nec inanimata, nec pueri dicentur ignorare, si sic ignorantiæ priuatiuè diffiniatur.

Amplius si duo nomina sint æquiuoca, & vnum eorum habeat duas diffinitiones, & alterum habeat vnam diffinitionem, & ex illis duabus diffinitionibus vna assignata sit ab vno, & alia ab alio

TRACTATVS VI.

De diffinitione complexorum.

CAPVT I.

Qualiter interimitur diffinitio complexorum in communi.

POSTQVAM de æquiuocorum diffinitione sic terminatum est, quæ quodam modo sunt multa, videndum est qualiter interimitur diffinitio complexorum quæ similiter sunt multa. Si ergo alicuius eorum quæ complectuntur, assignetur diffinitio: tunc alicui auferenti rationem alicuius (hoc est, cuiusdam partis eorum quæ diffiniuntur quę est pars rationis totius) cõsiderandũ est si ad illa quæ remanẽt de partibus diffiniti, reliquum rationis quod remãsit de diffinitione, aptari possit: nam si non potest hoc ficti, palam est, quòd nec tota diffinitio totius fuit diffiniti. Cuius exemplum est, siquis hoc totum complexum, quod est esse lineam finalem rectam, diffiniat ita per diffinitionem hoc esse finem palam habentem fines, cuius superadditur interiacendo medium finibus: tunc separatur diffinitio finalis lineæ: & hæc est finis plani habentis fines vel habens fines: hæc enim est diffinitio lineæ finalis, quòd sit finis plani habens fines quibus finit planũ: huius ergo quod remansit de diffinito (quod est recti) oportet esse relidua diffinitionis, quod est cuius medium interiacendo superadditur finibus: hæc autem recti non est diffinitio: quia infinitum rectum est, & neque habet medium, neque fines siue extrema: propter quod patet, quod reliqua pars diffinitionis non est diffinitio reliqui quod remansit de diffinito.

Si autem alicuius eorum quæ complectuntur, &c.

Adhuc amplius considerandum si (cum sit compositum siue complexum quod diffinitur) assignetur diffinitio æquicola, quod est ex tot numero partibus complexa diffinitio, ex quot diffinitum complexum est: tunc enim interimitur diffinitio: colon enim membro, & æquicola quando tot membra habet vnum sicut alterum. Æquicola ergo esse dicitur diffinitio, quando quanta secundum numerum partium sunt composita (hoc est, complexa diffinita) tanta etiam in diffinitione assignata fiunt vel imponuntur nomina: necesse est enim omnium talium complexorum diffinitionibus & ipsorum nominum permutationem fieri in amplius: quia illud explicitè dicunt quod implicitè diffinitum: & hoc aut omnium nominum quæ in diffinito ponuntur, aut ad minus aliquorum & quocunque modo semper fiat, diffinitio est in plura quam diffinitum: ergo æquicola diffinitio interimenda: eò quod nihil in plus in diffinitione, vel non plura dicta sunt nomina quam prius erant posita in diffinito.

Amplius si quam sit compositũ, &c.

Quid sit diffinitio æquicola, & unde sic dicitur, & quare est interimenda.

Oportet autem & diffinientem, &c

Oportet autem diffinientem talia complexa rationem plurium nominum pro nominibus in diffinitione positis assignare: & maximè (hoc est, præcipuè) hoc est faciendum pro omnibus & pro quolibet oratio ponatur. Si autem aliquando quando quidam diffinita nomina valde manifesta sunt, tunc ad minus pro pluribus eorum orationes sunt ponendæ: sic enim etiam fit in simplicibus, hoc est, in complexis. Vnde si nomen in nomen & non in orationem transumat, non erit diffiniens. Vt si transumat pro tunica hoc nomen, vestem, licet vestis communius & notius sit tunica: tamen quia vnicum nomen est, non est diffinitio.

Amplius autem &c. magis peccatũ, &c.

Amplius autem adhuc in tali transumptione magis peccant, & etiam si in nomine & in nomen transumptionem fecit, & non transumpsit in nomina notiora quam sit diffinitum: quia nihil notificant de diffinito: nomen autem si notius sit quamuis vniuocum sit, tamen aliquid notificat. Cuius exemplum, vt siquis hoc complexum, quod est tunica nigra, diffinire debeat, & pro tunica nigra collobium atrum ponat, hic diffinivit diffinitũ in obscuriora quam ipsum sit transumptum: & ideò plus peccat, quam si in vnum nomen notius ipsum diffinitum transumeret: talis enim non diffinit, cum minus sit planum illud quod transumit, quam id quod transumitur.

Considerandum &c.

Considerandum autem in tali permutatione omnium in quibus vnum in aliud transmutatur, vtrum nomina transumpta & in qua sit transumptio, idem significent vel non: quia si non idem significent, interimitur diffinitio. Cuius exemplum, vt siquis contemplatiuam scientiam dixit notificando contemplatiuam esse opinionem, quod quamuis contemplatiuum contemplatiuo sit idem, tamen opinio scientiæ non significat idem: quia scientia est stans habitus & firmatus, opinio autem est habitus tremens & incertus. Oportet autem ideò esse totum quod est diffinitio idem toti diffinito. Nam contemplatiuum communiter est positum in vtrisque orationibus diffinita & diffiniente: reliquum verò quod est opinio, est diffiniens & non significat idem cũ scientia, &c.

***

CAPVT

CAPVT II.

Qualiter interimitur diffinitio complexorum per considerationem transmutandorum & transumendorum.

Amplius alterius nominum, &c.

AMplius in tali transumptione inspiciendum est in partes diffinitionis quæ sunt genus & differentia, & considerandum est si transmutans nomina alterius nominum fecit transumptionem, vt si generis & non differentiæ transumptionem, sicut patet in exemplo quod positum est: quia enim scientia est genus, & contemplatiuum vt differentia, & scientiam transumpsit & non contemplatiuum: vnde concemplatiuum (quod est, vt differentia) ignotius est quam scientia, quod est vt genus: & ideo potius transumi debuit: eò quod hoc quidem vt scientia est, vt genus, illud vero vt contemplatiuum est vt differentia: genus autem communius est quam differentia & notius & euidentius: propter quod non generis, sed differentiæ oportebat transumptionem fieri: eò quod ignotior est.

Aut hæc quidem ridiculosa increpatio, &c.

Aut hoc quidem sic dicendum est, aut forte aliquis contra hæc obiciens dicet, quòd hæc increpatio sic transumentis genus & non differentiam ridiculosa est: quia nihil prohibet differentiam aliquando notissimo nobis nomine dici, genus autem non sic dici nomine notissimo. Sed ad hoc dicendum, quòd sic se habentibus genere & differentiis, generis secundum nomen & non differentiæ transumptio est facienda: aut genus quidem semper notius secundum rem & naturam, differentia autem nobis notior quoad nos.

Si autem nomen nomen pro nomine, &c.

Quando autem nomen non simplex pro nomine simplici transumit (ideò quod non satis notificatur per nomen simplex secundum rationem complexam vnam) siue orationem pro nomine ponens, complexa transumit: tunc palam est, quoniam magis diffinitio differentiæ suo notificatio facienda est in tali transumptione: quia notificandi causa assignatur diffinitio, & constat ex prædictis, quod differentia impus nota est quam genus.

Si autem differentiæ terminum, &c.

Adhuc si differentiæ terminum siue diffinitionem sic transumens assignauit, considerandum tunc si assignata differentiæ diffinitio est non solùm differentiæ, sed etiam alicuius alius siue alterius: quia tunc non bene assignauit. Cuius exemplum est, sicut si aliquis in hoc complexo, quod est imparem numerum, transumere volens impar quod est vt differentia, dicat imparem qui medium habet: nam tunc numerus communis est in vtrisque rationibus siue orationibus: imparis autem est transumptio (hoc est, per transumptionem accepta) diffinitio, quod est medium habere, & hoc non solum conuenit impari numero, sed in pluribus aliis: habent autem linea & superficies & corpus medium, cum tamen constet, quòd illa non sint imparia: quia non sunt numeri. & ideo hæc diffinitio quæ dicit medium habere, non erit propria diffinitio imparis. Si autem multipliciter dicitur medium in continuis & discretis: tunc determinandum fuit primo per distinctionem, & hoc non faciens peccauit: & ideò aut increpatio sit contra eum, aut syllogismus (in altero sensu medio accepto) ad interimendum diffinitionem: eò quod non diffiniuit in quo sensu medium accipitur in diffinitione.

Rursum si cuius quidem, &c.

Rursum in tali transumptione nominis in rationem, considerandum si sit transmutans alicuius quod est de numero eorum quæ sunt, siue quod sit de numero entium id quod transumpsit in talem rationem, & quod id quod est sub tali ratione significatum, non est de numero eorum quæ sunt, sed est non ens, ille peccauit: quia ens per non ens diffiniuit. Cuius exemplum est, vt si aliquis album diffiniens dixit album esse colorem igni permixtum: quia impossibile incorporeum (hoc est, tale subtile & spirituale quod est de substantia spiritus) permiscere corpori grosso & terminato a puritali: eò quod neminor tale est: sicut etiam dixit Aristo. in de sensu & sensato, quod aër non nutrit quia subtile, & vt incorporale habet humidum album autem non est nihil in corpore grosso terminato: vnde ignem admiscere tali corpori est non ens, quod est falsum & impossibile. Album autem est ens & ideò per diffinitionem non erit album color igni permixtus.

Impossibile est incorporeum permiscere corpori.

Attende tamen, quòd reuera dicit Aristot. in libro de coloribus, quòd lux est colorum hypostatis, & quod album est ex admixtione ignis clari cum corpore albo. Sed hoc non intelligitur de admixtione miscibilium, secundũ quod mixtio est alteratorum vnio: quia sic spirituale non admisceatur grosso nisi prius alteretur: sed intelligitur de diffusione in clara superficie quæ mutat in in albo, & est hypostasis eius secundum esse formale quod habet: & ideo etiam albedo candor vocatur, quia tali candet luce, & substantiatur ex ipsa secundum esse formale, qua dicitur esse color extremitas perspicui in corpore terminato.

A quibus causis fiat album secundum Philosophum in lib. de coloribus, & remoto dubitatione.

Amplius qui unque condiuidunt, &c.

Amplius autem adhuc fiunt interimitur diffinitio si datur per simpliciter non ens, ita interimitur si datur per non ens ad propositum: præcipue autem hoc fit in his quæ sunt ad aliquid, cum ea quæ ad aliquid, frequenter dicantur ad plura: per se & per accidens, & communiter & proprie, quæcunque diffinitiones assignantes non dividunt siue distinguunt in his quæ sunt ad aliquid, vt accipiant id ad quod relatiuum dicitur per se & proprie, sed dicunt id ad quod dicitur in pluribus complectentes, vt in eo quod est per se & per accidens, in communi & proprie, totum simul complectuntur, malè diffiniunt & per non ens ad propositum: quia aut omninò siue vniuersaliter, aut in aliquo siue in aliqua parte mentiuntur. Cuius exemplum, vt si aliquis medicinam (quæ secundum genus est ad aliquid) diffiniendo dixit esse disciplinam eius quod est ens, multa complectitur: vnde si medicina nullius eorum quæ sunt, est disciplina, palam quoniam omnino mentitur: quia tota ratio siue diffinitio falsa: dicitur enim in toto falsa, quia pro to-

to falsa, quia non continetur in eo ad quod assignatur, nihil enim entium est cuius ipsa sit disciplina. Si autem ostendatur, quòd medicina est alicuius entis disciplina & alicuius non, tunc ratio siue diffinitio in aliquo mentitur & hoc est inconueniens: quia ratio entium debet vera esse: si enim per se est diffinitio & non secundum accidens, oportet quod sit de omni eo ad quod dicitur, quemadmodum etiam in aliis diffinitionibus se habet quæ sunt ad aliquid, quas omnes oportet esse de omni, nam omne disciplinatum ad disciplinam dicitur inquantum disciplinatum est. Et similiter est etiam in aliis: & hoc ideo quia quæ ad aliquid sunt, conuertuntur, siue ad conuertentiam dicuntur.

Amplius si forte aliquis dicat, quòd quando dicitur medicina disciplina entis, hæc clausa quædam diffinitio, sed non assignatur ad id ad quod est per se, sed ad id ad quod est per accidens: & hic quod dicat, quòd rationem diffinitionem assignauit: tunc sequitur inconueniens: quia sic singulum eorum quæ ad aliquid dicuntur, non ad vnum, sed ad plura dicitur, quæ accidunt illi ad quod dicitur: nihil enim prohibet ens ad quod assignatur, & album & bonum esse & plura alia per accidens. Propter quod sequitur, quod qui medicinam ad quodlibet assignauit & recte assignauit, vt dicit aduersarius, sequitur quod qui id quod est ad aliquid, ad id ad quod secundum accidens dicitur, assignauit, rectè assignauit, quod falsum est, cū diffinitio dicat esse substantiale & per se.

Amplius autem aliud inconueniens sequitur: quia impossibile est huius rationem esse propriam assignationem eius quod est ad aliquid: planum enim est, quod non sola medicina est entis, sed plures de numero aliarum disciplinarum, vt geometria & arithmetica dicuntur esse ad esse siue ad ens: propter quod sequitur, quòd vnaquæque illarum erit disciplina entis: non ergo medicina est proprium ad ens diffinitum: & sic diffinitio non conuertitur.

Amplius si in his quæ non per se, &c.

Amplius autem impossibile, &c.

CAPVT III.

De inspiciendo quando transumitur diffinitum ad bene esse & non esse.

Quandoque autem diffiniunt, &c.

QVando autem diffiniunt diffinitum transumendo ad bene esse & non esse, diffiniunt ipsum secundum bene esse hoc diffinitu & perfectu ad actū, & tunc non diffiniunt esse seu substantiam esse, sed diffiniunt rem bene se esse habentem secundū quod bene se habet & perfectè in actum. Et hoc est peccatū, & interimitur diffinitio. Talis est autē latronis & rhetoris diffinitio quam quidam dederunt, vt rhetor quidem qui in vnoquoque quod est verisimile, potest cum effectu considerare quid allegandum & quid concludendum, & quid iudicandum, & nihil de contingentibus prætermittere. Latro autem per diffinitionem dicatur, qui clam sumit secundum actum contrectandi rem alienam inuito domino. Palam quoniam vterque istorum sic diffinitus, est talis secundum dispositionem secundum bene esse, & non secundum esse. Hic enim hoc modo diffinitus est bonus rhetor, & non rhetor simpliciter. Iste autem sic diffinitus est sic bonus latro: non enim qui sumit, sed clam vult sumere, latro est simpliciter: non enim (vt dicit sapiens) quantitas ipsius rei, sed effectus in crimine est.

Rursum in taliter acceptis secundum bene peccatur in eligendis, & est è conuerso etiam si aliquis diffiniendo id quod per se eligendum est, assignauit per diffinitionem vt per aliud eligendum: hoc enim per se bonum vt per non propter aliud bonum diffiniunt. Vt si dicat per se bonum & effectiuum esse boni aut operatiuum boni, vel quolibet alio modo dicat eligendum esse, & bonum propter aliud quam propter seipsum. Sic peccant diffinientes iustitiam dicentes esse bonam & eligendam vt legis saluatricem: aut qui diffiniunt sapientiam esse bonum quid & eligendam vt beatitudinis effectiuam: saluatiuum enim & effectiuum sunt de numero eorum quæ propter aliud eliguntur: sic ergo dicendum tales male diffinire, aut corrigendum quod dictum est, dicendo quod nihil prohibet, quodād quod per se eligendum est, & propter aliud esse eligendum. Dicendum autem ad hoc, quòd etiamsi hoc concedatur, nihil tamen minus peccauit qui bonum & eligendum per se vt propter aliud diffiniuit. Nam vniuscuiusque optimum est maximè in sua substantia, hoc est, in sua substantiali diffinitione: melius autem est quod per se est eligendum huius (propter hoc quod per se est eligendum) quam id quod per aliud est eligendum: nam hoc quod per se est eligēdum, oportebat magis ad diffinitionem assignare & per illud diffinire, quam per hoc quod propter aliud est eligendum.

Rursum quod per se eligendum, &c.

TRACTA

TRACTATVS VII.

Qualiter interimitur diffinitio totius integralis ex partibus heterogeniis.

CAPVT I.

De integrali ex heterogeniis.

AM autem viso qualiter interimitur diffinitio totius vniuersalis & logica, accedendum ad ostendendum qualiter interimitur diffinitio totius integralis & materialis & physica, maximè in his totis quæ ex heterogeniis componuntur. Et generaliter de his dicemus in primis: quia compositum ex suis partibus finitur.

Consideranduin autem & si quis, &c.

Primum igitur considerandum est in talibus vt inspiciat aliquis diffinitionem alicuius integri ex suis partibus diffiniens, si ipsum assignauit & dicat compositum esse & hoc & hoc simul, ita quod vtrumque de diffinito prædicetur in recto: aut in diffiniendo dicat, quòd totum est quod ex his, ita vt partes de toto dicantur in obliquo ambæ vel omnes: aut etiā tertio modo diffiniens dicat, quòd totum est hæc pars vna in recto prædicata de toto, cum illo, hoc est, alia parte in obliquo prædicata de toto: hæc enim tria diffinientes totum integrale per partes diffiniunt, & speciales & differentes habent considerationes, & hoc in primo modo sic patet. Nam si diffiniens totum integrale dicat totum esse hoc in recto, ita quod est hoc: tunc hoc inconueniens accidet, quod ambobus in diffinitione positis & neutri eorum sequitur diffinitum inesse, quod est impossibile, & sic contradictoria essent simul vera & contraria. Cuius exemplum est, vt si aliquis diffiniens iustitiam vt totum partibus integralibus, dicat iustitiam esse hoc quod est temperantia & fortitudo copulatæ: nam supponendum si duo sunt homines, & vterque tantum alterum habet horum, ita etiam quod vnus sit temperatus & non fortis, & alter fortis & non temperatus, sequitur quod illi ambo essent iusti, & neutrum: eò quod ambo illi habent iustitiam simul integrām, quia habent fortitudinem & temperantiam ex quibus integratur iustitia: & ambo simul habent iustitiam, ita tamen quod vterque non habet eam, quia sicut iustitia est temperantia & fortitudo, ita opposita illorum timiditas & intemperantia siue luxuria sunt integrantia iniustitiam, sicut vterque simul cum alio & integram habet iustitiam.

Si autem nondum, &c.

Si aliquis dicat, quòd hoc quod dictum est, non est valdè inconueniens, quòd aliquibus diuisis insint opposita: eò quod vni ineat temperantia & timiditas, quod non est inconueniens: alteri autem fortitudo & intemperantia, quod iterum non est valdè inconueniens, eò quod in multis alis accidit inesse opposita diuersa. Cuius simile, quia nihil prohibet aliquos duos & ambos simul habere vineam vnam communem, ita quod neuter per se habeat iliam. Si, inquam, sic dicatur: tunc erit expresse quo id improbetur, quod sequitur ex hoc quod contraria insunt simul eidem: hoc autem accidit siue sequitur, si ponatur quod hic quidem vnus duorum sui, rapositorum habeat temperantiā cum debilitate, hoc est, cum timiditate: ille autem reliquus duorum habeat fortitudinem cum oopposito temperantiæ, quod est luxuria vel intemperantia: ambas enim istas habitudines dicimus iustitiam & iniustitiam integrando: quia sicut per temperantiam est iustus, ita per timiditatem est iniustus: ex quo datur, quòd si iustitia est hoc & hoc copulatiuè, quòd tunc sequitur, quod prædicatur de altero in recto, & eodem modo si iniustitia est hoc & hoc, quod diuisim prædicatur de ipsis: nam si iustitia est temperantia & fortitudo, tunc iniustitia est timiditas & luxuria siue intemperantia. Et sic dicendo accidet vniuersaliter argumentari, quoniam idem sunt totum integrale & partes eius sic acceptæ: omnia enim per quæ hoc potest argumentari, vtilia sunt ad hoc quod nunc dictum est. Videtur enim iste qui sic diffiniuit, confiteri quòd partes toti sint eadem: quia aliter non in recto prædicarentur de toto diffinito.

Maximè autem conuenientiores, &c.

Maximè conuenientiores fiunt rationes contra sic assignatam diffinitionem in his integralibus totis in quibus per heterogeneitatem partium manifesta est partium compositio, hoc est, quod in compositione partium est totius diffinitio, & non in parte qualibet sigillatim, velut in domo & in aliis talibus totis: in talibus enim est palam, quoniam quando non sunt partes, nihil prohibet totum non esse: quinimo impossibile est totum esse non existentibus partibus: quia in talibus destructa parte destruitur totum, sed non è conuerso: quia non existente toto nihil prohibet partem esse, vt destructa domo non prohibetur fundamentum esse vel parietem. Et ex hoc pateret, quòd non idem sunt diuisim acceptæ toti: quia sic pariete posito, poneretur domus.

Si autem non hoc sed quod ex his, &c.

Si autem aliquis dicat, quòd totum integrale

grale per partes suas diffinitum non est hoc & hoc, vt partes in recto diuisim vel coniunctim de toto prædicentur, sed quod ex his esset primum totum quod diffinitur: tunc primum quidem ad interemptionem talis diffinitionis comparando totum partibus considerandum est si tales sint partes, quod nihil natum sit fieri ex his quæ ponuntur partes, vel fieri possit integratum ex his, vt linea & numerus se habent adinuicem: & tunc patet, quòd etiam vnum, cuius partes esse dicuntur, non potest fieri ex ipsis: & sic interimitur talis diffinitio.

Amplius si diffinitum quidem, &c.

Amplius in eisdem sic dictis partibus (ex quibus fiat totum & prædicentur obliquè de toto) considerandum est, si aliquis diffiniat aliud esse in talibus quæ non sunt nata fieri in eodem: tunc enim peccauit, & interimitur diffinitio: ex quibus enim partibus dixit esse totum diffinitum, non sunt nata fieri in vno aliquo primo, sed fit in vtroque diuisim vtrumque diuisim, vt in præcedenti consideratione, palam est, quia non fiunt talia ex quibus primo tale aliud, id est, quod non fit totum id quod diffinitur ex his quæ non sunt nata fieri in vno primo, ex quibus sic diffiniens tale totum dixit esse. Et huius ratio est: quia in toto integrali ea in quibus sunt partes, in eisdem necesse est & totum esse: quia in talibus non est totum præter partes: propter quod non est in vno (hoc est, in vna parte) totum primo, sed in pluribus partibus siue in omnibus simul per debitam coniunctionem congregatis.

Si autem partes & totum, &c.

Si autem partes secundo modo adhuc diffiniunt totum, & partes & totum sint in vno aliquo primo, sed partes non sint in vno illo aliquo, iterum peccauit, & considerandum tunc si non in eodem sint partes & totum, sed in vno sit totum, & in altero sint partes: eò quod in quo totum in illo partes esse videntur: & tunc peccatum est in diffinitione: quia in quolibet non est totum.

Rursum si toti, &c.

Rursum si aliquod est diffinitum ex talibus partibus, quod totum interemptum, & interimuntur partes, peccatum est in diffinitione totius integralis: quia è contrario oportet accidere, quòd per talia diffiniatur, quorum quolibet interempto totum interimitur: toto verò interempto integraliter non necesse est quamlibet partem perimi.

Quælibet parte interempta totum interimitur, sed non è conuerso.

Aut si totum, &c.

Adhuc autem consideratio est in talibus, quòd si totum (quod ex partibus est) simpliciter est quod bonum vel malum (hoc est, aliquod bonum vel aliquod malum) partes autem nec quod bonum, nec quod malum, sed quod neutrum sunt: tunc enim peccat diffinitio: quia nihil habet totum de bono vel malo, nisi à partibus. Aut etiam è contrario si partes quidem sunt bonæ vel malæ, totum autem sit neutrum, iterum peccauit: quia bonum partium forma totius est: quia ex neutris impossibile est bonum vel malum totum fieri, nec è conuerso ex bonis vel malis partibus possibile est fieri neutrum totum.

Aut si magis quod, &c.

Aut adhuc considerandum in talibus totis & talibus partibus ex quibus est tale totum, si magis quidem alterum constituentium est bonum quam alterum constituentium sit malum, totum autem quod est ex his non magis bonum pro vna parte, quam sit malum pro altera, constat quòd adhuc peccauit, & interimitur diffinitio. Cuius exemplum est, vt si dicatur imprudentia ex fortitudine & falsa opinione componi, tanquam ex quibus in his magis est fortitudo bonum, quam falsa opinio malum: oporteret ergo & totum quod ex his est, sequi id quod est magis, & esse vel simpliciter bonum, vel magis bonum quam malum: & cum sic partes non sequuntur totum, constat quòd malè est ex his diffinitum.

Aut forte dicet aliquis, quòd hæc diffinitio non est necessaria nisi in illis compositis & componentibus in quibus vtrumque componentium in composito retinet virtutem suam, ita quod vtraque & per se bonum vel per se malum retinent suam bonitatem vel malitiam: in aliis autem quibus suos perdunt effectus, non tenet: multa enim sunt quæ sunt de numero effectiuorum boni vel mali, per se quidem non bona, sed mala, vel neutra nec bona nec mala, permixta autem quibusdam fiunt bona: aut è contrario sæpius fit, quòd vtrumque permixtorum per se separatum est bonum: permixta autem simul fiunt mala, vel neutra ex alteratione quam patiuntur adinuicem. Manifestum est maximè quod nunc dictum est in medicinis compositis & commixtis ægrotatiuis & sanitatiuis: quædam enim medicamentorum sic se habent, vt vtrumque componentium per se separatum acceptum sit bonum, simul autem mixta sunt mala, cum vtrumque sit bonum.

Multa sunt quæ in se sunt mala, permixta autem sunt bona, & è contra.

Quædã medicina in se accepta sunt bona, quæ cõmixta fiũt mala.

Rursus si quod ex meliore, &c.

Rursus secundum eandem orationem considerandum est si aliquod compositum ex duobus meliore & peiore, & comparatum partibus componentibus, non est melius peiore, & peius meliore, mala fit diffinitio: quia sic debet esse secundum naturam componentium: quia vtrumque in composito remittit alterum. Aut fortè dicet aliquis iterum instans considerationi, quòd hoc non tenet nisi in his quæ per se bona vel mala, per se appetenda vel fugienda, ex quibus componuntur bona. Nam in aliis quæ non per se (hoc est, separatim) bona sunt, vt sanatiua vel iuuatiua bonorum, nihil prohibet fieri non bonum, vt in his medicinis compositis quæ modo dictæ sunt. Cuius exemplum est quod dicit Aristot. in primo lib. de regimine dominorum, quòd vinum per se est bonum, & lac per se bonum, & simul commixta generant lepram. Hæc igitur in composito secundum quod comparatur partibus, considranda sunt, quando totum compositum dicitur hoc, vel hoc & hoc, vel ex his.

Vinum admixtũ lacti, generat lepram, vt dicit Arist. in lib. de regimine dominorum.

Amplius si vniuocum, &c.

Amplius autem adhuc iuxta idem quod est totum esse ex his, considerandum si totum est vniuocum nomine & ratione cum altero componentium: oportet enim sic esse vniuocum velut in syllabis: syllaba autem nulli literarum ex quibus componitur, est vniuoca: quia heterogenium totum est syllaba.

Amplius si non dixit modum, &c.

Amplius adhuc iuxta eundem modum compositionis considerandum est si diffiniens totum ex his, non dixit modum compositionis in diffinitione qualiter compositum est ex illis

non

non enim sufficiens est ad cognoscendum compositum dicere, quòd est ex his, sed debet dici qualiter singulorum compositorum substantia est ex his, vel sic vel sic, sicut patet in domo: non enim domus est totum compositum ad formam domus, si quolibet modo partes domus ex quibus est, componantur, sed oportet, quod componantur ad figuram debitam.

Si autem hoc cum illo, &c.

Si autem aliquis compositum ex partibus diffiniens assignauit talem diffinitionem, in qua dicatur compositum tertio modo & hoc cum illo: tunc primum quidem ad interimendum diffinitionem est dicendum, quoniam hoc cum illo dicitur multipliciter: aut hoc cum illo dicitur, quia est hoc id secundum primum modum: aut est hoc ex illis simul mixtis. Cuius exemplum est, quod dicitur hydromel, quod est mel cum aqua, vel mel & aqua, dicit id quod est ex melle & aqua. Propter quod si quodlibet duorum quæ dicta sunt, idem esse confitebitur tori diffinito, sicut diffinitio & diffinitum sunt idem. tunc proueniet vel continget eadem dicere, quæ ad vtrumque horum siue circa vtrumque illorum immediatè prius dicta sunt.

Amplius dicendi, &c.

Amplius considerationes speciales sunt adhuc, quarum prima est, quòd si aliquis diffiniens totum assignauit diffiniendo ipsum hoc cum illo, diuidendum est primum, quot modis dicitur alterum cum altero, & considerandum, quod si nullo illorum modorum dicitur hoc cum illo, interimitur diffinitio, vt patet si dicitur alterum cum altero vt in quo est cum illo in eodem susceptibili siue subiecto, velut iustitia & fortitudo sunt in anima alterum cum altero vt in isto vno. Aut secundo modo dicitur alterum cum altero vt in eodem loco vnum cum altero, aut vt in tempore eodem existentia vnum cum altero. Si nullo autem modo trium modorum dictorum verum est quod dictum est in his quæ assignata sunt vt hoc cum illo, manifestum est, quoniam assignata diffinitio quæ dicit compositum esse hoc cum illo, nullius erit, sed erit interempta. Si autem diuiso quoties hoc cum illo esse, verum est secundum illum modum tantum quo hoc cum illo dicitur; quod est in eodem tempore vtrumque esse: tunc adhuc considerandum si vtrumque istorum quorum hoc cum illo dicitur, non ad idem vt ad finem dicitur, vel sicut ad actum: quia si non dicuntur ad idem, interempta erit talis diffinitio. Cuius exemplum est, vt si fortitudinem diffiniens aliquis dicat, eam esse audaciam cum intellectu recto: constat enim, quòd audacia & intellectus rectus non ad idem referuntur: quia contingit audaciam habere fraudandi, ita quod refertur ad finem hunc qui est fraudare aliquem: rectum autem intellectum non ad hoc contingit habere, sed in medicina circa ea quæ rectè sanatiua siue sanitatis effectiua sunt sine fraude: & ideò non est fortis qui in eodem tempore habet hoc cum illo, hoc est, audaciam cum recto intellectu.

Alterum dicitur cum altero multipliciter.

Amplius si & ad idem ambo, &c.

Amplius adhuc si etiam detur, quòd ad idem ambo referuntur vt ad medicinalia: nihil enim prohibet & audaciam in dando pharmacias, & intellectum rectum in confectione medicinarum habere: sed tamen nec sic ad talem actum vel finem fortis dicitur, qui hoc cum illo in medicinalibus habet: nec enim ad alterum illorum vtrumque illorum quorum vnum cum alio est, in eodem tempore oportet dici, nec ad quodlibet idem: sed oportet vtrumque dici ad proprium fortitudinis finem, vt ad præliorum pericula, aut si aliquod magis est periculum quam præliorum, & ad hoc referre audaciam cum intellectu recto, si hoc cum illo debeat esse fortitudinis diffinitio.

Quædam autem sic assignatorum, &c.

Quamuis autem hoc cum illo dicatur tribus modis dictis, quædam tamen sic assignatorum (quod hoc cum illo habent quendam modum proprium) quod nullo modo reducitur ad aliquem dictorum, vt dicatur hoc cum illo, quoniam vnum est propter aliud vt propter causam. Vt si dicatur, quòd ira est tristitia cum opinione contrarij doloris illati, vel propter opinionem deficiendi ab inferente molestiam: nam quandoque propter huiusmodi opinionem tristitia: & hoc vult significare in tali sensu acceptum hoc cum illo, quod est propter fieri aliquid, & non est idem ei quod est hoc esse cum hoc, tribus modis superius inductis: secundum enim vnum istorum modorum dicitur.

CAPVT II.

De interemptione diffinitionis totius integri per inspectionem ad formam compositi.

Rursum si horũ compositionem, &c.

RVrsum autem iam habito qualiter ex parte materiæ diffinitio integri destruitur, ostendamus etiam ex parte formæ qualiter destruitur eadem diffinitio. Considerandum ergo si aliquis diffiniens totum dixit totum esse horum ex quibus componitur totum compositione. Vt si dicat aliquis animal esse compositum corporis & animæ. Iterum primum quidem considerandum est si dicat totum esse talem compositionem, non dixit cum hoc qualis sit compositio. Vt si quis carnem diffiniens & os, ignis, aëris, terræ, & aquæ dixit esse compositionem: non enim in talibus sufficit dicere talia talium compositionem: sed etiam addendum qualiscunque sit talis compositio ad determinandum totum ad hanc formam vel illam: non enim quolibet modo compositis his quæ dicta sunt, fit caro, sed potius ex his compositis ad medium, sic quidem his compositis fit caro, sic vel aliter compositis fit os.

Nec fit caro ex elementis quolibet modo inuicem mixtis.

Videtur autem neque, &c.

Videtur autem per rationem, quòd omninò tale totum non sit compositio: & sic idem compositioni illi erit neutrum horum quæ dicta sunt: quia nec est materialiter compositum nec forma, nisi denominationis vel informationis modo forma prædicetur, & dicatur totum non compositio, sed compositum. Hoc autem probatur duabus rationibus, quarum prima est

hæc: quia omni compositioni quæ compositorum est per aliquem actum compositionis secundum artem vel naturam dissolutio est contraria: dictorum autem compositorum neutri nihil est contrarium, & abundat altera negatio: quia neutri aliquid est contrarium: quæ autem dicuntur neutrum, hæc sunt caro & os, quorum neutri est contrarium aliquid: quia nulli substantiæ est contrarium aliquid: ergo neutrum istorum est compositio. Amplius alia ratio est ad idem: quia similiter (hoc est, secundum vnam & similem rationem:) est verisimile omne compositum esse compositionem vel neutrum. Sed animalium singulum (cum sit compositum ex corpore & anima) non est ipsa compositio. Ergo eadem ratione nec aliorum compositorum integralium aliquid erit compositio aliqua. Attendendum hic, quòd forma totius prædicatur de toto vt est totum, & non tantum totius, vt forma quæ est genus, quia dicit totum in potentia, & forma speciei, quia dicit totum esse in actu. Sed de his alibi dictum est. Sed forma partis compositi non prædicatur de composito: quia animal non est anima, nec etiam forma totius quæ est compositio nisi per modum qui dictus est prius, forma secundum rationem accepta secundum esse, vt dicatur animalis compositum esse ex corpore & anima.

Quæ forma prædicatur de toto in recto, & quæ non.

Rursus si similiter in aliquo, &c.

Rursus quia iam determinatum est qualiter ex parte materiæ & ex parte formæ contrarietas est in componentibus ex parte materiæ, considerandum est ergo adhuc, quòd si in aliquo compositorum ex parte componentium æqualiter nata sunt esse contraria, & diffiniens compositum diffiniuit ipsum per alterum siue per vnum contrariorum, palam est, quòd non dixit totum esse compositi, & quod interimitur diffinitio. Si autem aliquis contradicat dicens, quòd non est verum quod dictum est, deducitur hic ad inconueniens: quia sequitur, quòd accidit plures eiusdem esse diffinitiones: quid enim magis diffinitur per hoc vnum contrarium, quam per alterum: vtraque enim contrariorum siue oppositorum nata sunt similiter fieri in composito ex contrariis: talis est enim animæ diffinitio, quam quidam assignant, vt dicatur anima substantia esse disciplinæ susceptibilis: nam similiter & æqualiter est ignorantiæ susceptibilis sicut & disciplinæ, & sic diffinibilis est per ignorantiam, sicut per disciplinam.

CAPVT III.

De vniuersalibus documentis circa diffinitionem obseruandis.

Oportet autē si non ad totam, &c.

QVia autem iam multa specialia documenta data sunt, quibus sic vel sic potest quis contra assignatam diffinitionem instare, damus nunc generalia dicentes, quod oportet aliquem opponentem si non habeat argumenta quibus contra totam diffinitionem possit simul conari, quia non tota euidens est, conari contra aliquam partem ipsius, sicut contra genus, vel contra differentiam, si sit illa pars nota & non videatur bene esse assignata: nam parte interempta, etiam consequenter tota diffinitio interimitur: quia non dicit totum esse ei.

Quæcūque autem obscuræ, &c.

Aliud documentum est ad respondentem, quòd oportet respondentem esse corrigentem quæcunque obscura sunt in diffinitionibus, & oportet cum esse formantem ea per distinctionem ad hoc quod indicent aliquid quod habeatur vnde sumatur abundantia argumentorum, & sic considerare argumenta quæ abundant ad diffinitionem terminandam: necesse enim est respondenti si debeat esse bonus socius, aut suscipere per concessionem quod sumptum est siue propositum ab interrogante siue opponente, aut oportet eundem respondentem declarare quid est quod ostensum est in diffinitione assignata.

Amplius quemadmodum, &c.

Amplius tertium documentum quod oportet in talibus fieri, quemadmodum fit in legum conuentionibus & pactis, in quibus primum inducitur lex aliqua: & deinde si propter casus emergentes occurrat lex aliqua melior, tunc per secundam interimunt anteriorem, abrogantes eam per secundam: sic etiam in diffinitionibus faciendum est; quòd si prima assignata, alia feratur melior, ita quod per eam magis indicetur & manifestetur diffinitum, palam est, quoniam interempta erit ea quæ anterius posita est, per secundam: ideò quia non sunt plures diffinitiones eiusdem, sed vnica, sicut vnicum est esse diffiniti.

Vnius non sunt plures diffinitiones.

Ad omnes verò diffinitiones, &c.

Quartum documentum, quod omne minimum elementum siue principium ad omnes generaliter terminandas diffinitiones est directè ad seipsum siue ad sui quidditatem & substantiam diffinire propositum. quod diffiniendum est, aut bene dictam & assignatam diffinitionem sæpè resumere & sæpius considerare: eò quod necesse est diffinitione diligenter considerare ad artem diffiniendi, velut si aliquid consideretur ad exemplum secundum quod factum est: & considerare oportet si est aliquid quod minus est diffinitum ex his quæ oportet habere diffinitionem: inspicere etiam quid appositum sit superfluè: quia propter id erit, si oporteret, magis abundare argumentis. Ideo vt concludatur sermo,

ea quæ circa diffinitiones sunt problemata determinanda, in tantum dicantur, &

cætera.

LIBER

LIBER VII.

TOPICORVM, DE DETERMINATIONE eiusdem & diuersi.

CAPVT I.

De locis determinantibus idem inquantum est prædicatum adiunctum diffinitioni.

Vtrum autem idem aut diuersum, &c.

VTRVM autem aliquid alteri sit idem vel diuersum ab eo, non quidem genere idem vel specie, sed secundum principaliorem modū eius quod est idem, quid est idem numero & idem diffinitione & nomine, sicut diffinitio & diffinitum sunt idem, nunc considerandum est: quia tale idem vel diuersum prædicatum adiunctum diffinitioni est: interempto enim quod non est idem, interimitur diffinitio, quamuis non construatur illo constructo. Dicebatur in præhabitis in primo huius scientiæ libro principaliter idem; quod idem numero est. Hoc igitur quod diximus, quòd vtrum idem sit aliquid alteri vel diuersum, primo considerabimus interimendo, & deinde redibimus ad construendam diffinitionem: per locos enim in quibus interimitur per se diffinitio, per consequens construitur: hoc autē in sequentibus erit manifestum. Ad interimendum autem idem primo locos communes inducemus: eò quod illi ad hoc efficaciores sunt quam proprij & intrinseci.

Principaliter idem est numero idē.

Considerandum ex casibus, &c.

Incipiens igitur destruere, quod aliquid sit idem alteri, considerandum primo ex casibus & coniugatis: nam in casibus & coniugatis inspiciendo si iustitia est idem fortitudini, sicut principale principali, & iustum forti, sicut sumptum sumpto, & casus casui erit idem. Similiter autem considerandum est in oppositis: nam si duo sunt, quorum vtrumque habeat oppositum, & opposita sint eadem, & illa sunt eadem: & si non sunt eadem, nec ista sunt eadem secundum quemlibet modum oppositionis generaliter: nihil enim differt hunc modum vel illum oppositionis sumere ad probandum, quòd eadem opposita: quia secundum omne genus sequitur oppositionis.

Rursum ex effectiuis, &c.

Rursum idem considerandum est ex effectiuis & corruptiuis, & generationibus & corruptionibus, & omnino siue vniuersaliter ex omnibus his quæ similiter secundum proportionem se habent ad alterutrum siue adinuicem comparata: nam quæcunque similiter sunt eadem nomine vel numero vel diffinitione, illorum etiam generationes sunt eædem, & effectiua & corruptiua eorum etiam sunt eadem.

Considerandum autem, &c.

Considerandum etiam per magis & minus, & præcipuè in superlatiuo gradu: quia quod per abundantiam dicitur, vni soli conuenit. Considerandum ergo si duo sint, quorum alterum aliquid dicitur maximè in superlatiuo, si alterum secundum idem accidens dicitur maximè, sequitur quòd illa non sunt eadem: sicut Xenocrates beatam & studiosam vitam assignauit siue probauit esse idem numero, cum omnium vitarum maximè vtraque sit eligenda & maxima bonitate & dignitate. Similiter autem & in aliis huius considerandum est. Indiget tamen ista consideratio correctione & determinatione: quia adhuc probetur, quod maximum est maximè eligendum, constat quod sicut est idem, oportet quod sic sit vnum numero quod dicitur hinc & inde maximum & maximè eligendum. Si autem non sic dicatur, quòd oportet esse idem numero, sequitur quòd non erit ostensum, quòd est idē simpliciter: non necessarium enim si fortissimi Græcorum sunt Peloponenses & Lacedæmonij, ita quod Pelopis sicut prouincia & Lacedæmonia sicut ciuitas in prouincia illa: non erit tunc inquantum veritas, quòd idem numero sint Peloponij & Lacedæmonij, eò quod non sunt vnum & idem numero Peloponius & Lacedæmonius, sed contineri necesse vnum sub altero, vt totum continet partem, sicut Lacedæmonij à Peloponiis continentur. Si autem non sic dicatur, sequitur siue accidit seipsis etiam inuicem fortiores esse: quod sic patet: detur enim quòd Lacedæmonij sint fortissimi: ergo fortiores sunt Peloponiis. Similiter detur, quòd Peloponij sint fortissimi: sunt ergo fortiores Lacedæmoniis: sed si sunt fortiores Peloponiis, erut fortiores seipsis: & hoc sequitur si non continentur alteri sub alteris: & hoc sequitur ex hoc quod vtique omnibus reliquis à se sunt fortitudine meliores. Similiter autem è conuerso & Lacedæmoniis si non à se continentur, necesse est meliores esse Peloponenses: nam & omnibus cæteris sunt meliores: propter quod seinuicem sunt meliores, quod est inconueniens.

Manifestum ergo quoniam, &c.

Manifestum ergo, quoniam id quod in superlatiuo dicitur, debet esse vnum numero, si

debet idem ostendi esse simpliciter. Et non probatur per hanc consideratiõnem, quòd sit idem id quod optimum & maximum dicitur: quia oportet quòd ostendatur, quòd sit idem simpliciter quòd est idem numero: propter quod etiam Xenocrates non idem esse assignauit siue probauit studiosam & bonam esse vitam, quia vtraque maximè est eligenda: quia potest esse vnum sub altero, vt contineatur vt bonum sub studioso. Et attendendum, quòd hoc tempore quando continens & contentum maximè dicitur rationis communis, inferius est ex superiore.

Iuxta illud, quod per se probatum dicitur, vni soli conuenit.

Rursum comparando duo quæ idem volumus esse ostendere, comparando tertium potest vnum alij idem ostendi: si enim est ad tertium cui alterum duorum est idem, & reliquum eidem tertio sit idem, sequitur quod ipsa inuicem sunt idem: quæcunque enim eidem sunt eadem, & ipsa sunt eadem: & si eidem non sunt idem, neque ipsa inter se sunt idem.

Rursum considerandum, &c.

Amplius ex his quæ sibi accidunt, &c.

Amplius considerandum est ex accidentibus: si enim aliqua duo sunt idem numero & simpliciter, oportet tunc, quod quidem accidit vni, accidat & alteri: vnde considerandum est in his quæ illis accidunt, & etiam in subiectis quibus hoc accidit quæ illis accidere dicuntur: nam, sicut diximus, si eadem numero sunt: tunc quæcunque vni eorum accidunt, accidunt & alteri: quia vnum est vtriusque subiectum: & si aliquo accidentium dissonant, ita quod vni eorum aliquid accidit, quod non alteri, palam est, quia non sunt eiusdem subiecti, sed subiecto differunt.

Videndum autem & si non in vno genere, &c.

Adhuc autem comparando ea quæ videntur eadem ad genus, videndum est si sunt in vno genere vel non, si hoc sit quale, illud autem quantum, vel ad aliquid indicet pro genere: quæ enim non sunt eiusdem generis, non erunt idem nomine & diffinitione.

Rursum si genus, &c.

Rursum autem comparando ad genus in moribus, considerandum si vtrumque non est idem, sed hoc quidem bonum sit in genere boni, illud autem aliud malum siue in genere mali, quæ sunt genera opposita: aut hoc quidem est virtus moralis ad actum ordinata, illud autem scientia, quæ sunt genera disparata: tunc enim palam, quòd non sunt idem quæ idem esse dicebantur.

Aut si genus quidem idem, &c.

Considerandum etiam si genus quidem duorum sit idem, differentiæ autem substantiales constituentes ea non sint idem: tunc enim palam, quòd non sunt idem quæ idem numero & nomine & diffinitione esse dicebantur.

Aut de vtroque prædicatur, &c.

Adhuc autem quando idem genus de vtroque prædicatur, sed diuersimodè acceptum: & si scientia sit illud genus, sed cum scientia duplex est contemplatiua & actiua quæ est prudentia vel ars: de vno autem prædicatur scientia prout est contemplatiua, de altero autem prout est actiua: tunc enim palam est, quoniam non sunt idem quæ idem esse dicuntur. Similiter autem considerandum in aliis his similibus quæ dicuntur idem secundum quod possunt comparari.

CAPVT II.

De considerando magis & minus in terminando idem.

Amplius autem ex magis & minus plures habentur considerationes. Primo quidem, quod si vnum duorum quæ dicuntur idem, suscipit magis, & alterum non suscipit: aut si ambo ea quæ idem dicuntur, magis suscipiunt, sed non simul, ita quod quando vnum suscipit, & reliquum magis non suscipit: si enim non sic suscipiunt, palam quoniam non idem nomine & diffinitione. Cuius exemplum est: quia non est necessarium, quòd qui magis amat amore amicitiæ, quod etiam magis concupiscat coitum propter quòd etiam sequitur, quod non est idem amor amicitiæ quod concupiscentiæ coitus.

Amplius autem ex magis, &c.

Amplius ex appositione considerandum, an aliqua sint eadem: si enim idem ad vtrumque appositum totum non facit idem, ita quod post appositionem eiusdem totum sit idem sicut prius: palam est, quod illa non sunt idem: aut si eodem vtrobique ablato, quod relinquitur, non remanet idem, planum est, quòd illa non sunt idem. Cuius exemplum est, vt si comparentur ad idem vtrique additum, vt si dicatur duplum dimidij duplum, & dicatur aliud multiplex esse dimidij, ablato ab vtroque eo quod est dimidij, oportet quòd duplex & multiplex erunt idem significantia: quia multiplex se habere non potuit ad dimidium nisi in specie multiplicis quæ est duplum: nihilominus tamen non sunt idem: quia ablato vtroque dicimus, non idem significant, sed vnum est species, & alterum est genus: quia non sunt idem nomine & diffinitione.

Amplius ex appositione si idem, &c.

Considerandum iterum ex accidentibus vel prædicatis duobus quæ dicuntur idem, si etiam ex vno accidit impossibile per consequentiam, quod non accidit ex reliquo: & non solum hoc considerandum, sed etiam si per hypothesim & positionem alicuius sequitur impossibile ex vno, quod non sequitur ex altero: tunc enim non sunt idem quæ esse dicuntur. Huius exemplum est in hyporhesi eorum qui dicunt idem esse vacuum & plenum, sicut vulgus communiter dicere solet: palam enim est, quoniam si de pleno aëre exeat aër qui eo erat, adhuc non minus erit vacuum, quam prius: sed iam postquam exiuit aër, non erit plenum aëre: propter quod posito aliquo quod accidit ex vno & non ex reliquo, siue hoc verum sit secundum rem, siue fallum (hoc enim nihil differt quantum ad præsentem intentionem) si ex tali positione alterum eorum quæ idem dicuntur interimitur, & alterum non interimitur, oportet quod illa non sunt idem numero vel nomine vel diffinitione.

Considerandum autem non solum, &c.

Vniuersaliter autem in omnibus quæ idem dicuntur, considerandum est in prædicatis quæ quolibet modo substantiali vel accidentali de vtroque eorum quæ idem dicuntur, prædicantur. Et videndum si alicui dissonet, quòd idem prædicetur

Vniuersaliter autem dicendum, &c.

prædicetur de vno & de altero: quia tunc interemptum erit, quod sint idem: nam si duo sint idem nomine vel diffinitione, quæcunque de vno prædicantur, & de altero: & etiam de quibus subiectis alterum duorum prædicatur, oportet prædicari & reliquum, &c.

CAPVT III.

Qualiter interimitur idem numero respiciendo ad modos identitatis.

Amplius quoniam multipliciter, &c.

Amplius autem respiciendo ad modos identitatis interimitur idem numero, ita quod non necesse est esse idem: quoniam enim multipliciter dicuntur aliqua esse eadem (sicut in primo huius scientiæ libro dictum est) considerandum si ea quæ dicuntur eadem, secundum aliquem modum alium quam numero eadem sunt: nam genere vel specie eadem non necesse est eadem numero esse: vnde considerandum vtrum sint eadem numero sic vel non, quæ dicuntur esse eadem. Amplius adhuc ad modum identitatis inspiciendo considerandum si potest alterum sine altero esse: si enim sic, constat quòd non erunt idem nomine, diffinitione, & numero.

Ergo ad idem tot loci, &c.

Epilogatur ergo dicendo, tanti loci considerationum dicuntur ad idem terminandum & affirmatiuè & negatiuè. Palam autem ex his quæ dicta sunt, quod omnes destructiui loci qui sunt ad idem interimendum, vtiles etiam per consequens sunt ad diffinitiones interimendas, sicut dictum est. Cuius ratio est: quia si non idem indicet & nomen diffiniti & ratio diffinitiua, palam quod non erit diffinitio quæ assignata est pro diffinitione.

Constructiuorum autem locorum qui sunt ad idem ad construendum, nullus est ad diffinitiones construendas vtilis: nam non sufficit ad diffinitionem construendam, quòd ostendatur aliquid esse idem id quod est sub ratione diffinitiua & sub nomine diffiniti: ad construendum, inquam, quòd hæc sit diffinitio: sed ostendendum omnia quæ in 6. huius scientiæ libro annumerata sunt, & necessaria sunt ad hoc, scilicet ad diffinitionem cum illo modo quo destructiui loci vtiles sunt, sic reducitur problema. Interimere autem diffinitionem (vt in 6. dictum est, & etiam per hæc quæ hic dicta sunt) tentandum est siue conandum.

Constructiuorum autem locorum, &c.

TRACTATVS II.

De diffinitione.

CAPVT I.

Qualiter construitur problema de diffinitione in communi, & primò per locum ab oppositis.

Si autem construere volumus, &c.

SI autem construere volumus problema de diffinitione, tunc primum quidem scire oportet, quòd nullus vel pauci diffinitionem syllogizant, ita quod concludant diffinitionem: solus enim demonstrator quandam diffinitionem syllogizat, sicut in posterioribus est ostensum: quæ diffinitio dicit quid & non propter quid. Dialecticus autem non syllogizat diffinitionem, quod diffinitio sit: sed de prædicato syllogizat aliquando ex probabilibus & quasi coniecturis, quod insit vt diffinitio. Sed disputantes tale principium quod est diffinitio, accipiunt & supponunt, & interimitur ab ipsis vt qui circa geometriam & numeros considerant: præmittunt enim diffinitiones sicut & principium supponentes: & similiter fit circa alias disciplinabiles scientias quando propter vtilitatem.

Deinde subtilitate quidem, &c.

Qualiter fiat diffinitio alterius & altioris negotij est assignare: hoc enim fit in 7. primæ philosophiæ, vbi determinatur & quid verè diffinitio & quomodo per quid dirate & principia ipsius esse substantialis oportet diffinire. Nunc autem quantum sufficit ad præsentem vtilitatem, solum dicendum est, quoniam possibile est fieri diffinitionem, & quod hanc contingit concludi de diffinito & de subiecto: & hoc est eius quod est syllogismum esse qui diffinitionem vt prædicatum concludi ostendat: & hoc per rationem diffinitionis probatur: nã diffinitio oratio est, quæ quid est esse rei significat: & ideo oportet ea quæ per diffinitionem siue vt diffinitio prædicantur, in eo quod quid est de re diffinita sola prædicari: quia nisi de sola re diffinita prædicarentur, non esset conuertibilis diffinitio cum diffinito. Adhuc autem sciendum, quoniam de re in eo quod quid est genera & differentiæ prædicantur: genus quidem, quia dicit quid: differentia autem quale, quia dicit quale quod vt forma facit quid esse quod in specie, & ideo specie est quale quid.

Manifestum quoniam si quis, &c.

Dico igitur, quòd syllogismo dialectico concluditur prædicatum ineſſe vt diffinitio: quoniam si quis disputantium sumat ea, genus & differentiam, quæ tantum de re specie & subiecto

subiecto in eo quod quid est prædicantur, talis oratio ex genere & differentia complexa, ex necessitate diffinitio erit, per locum à diffinitione: non enim contingit aliud esse diffinitionem quam rem diffinitam ex genere & differentia: eò quod nihil aliud à genere & differentia in eo quod quid est de re prædicatur. Si ergo contingit syllogizari, quod talis oratio quæ est ex genere & differentia concluditur de subiecto, probatum est, quòd diffinitio concluditur de subiecto. Manifestum est ergo, quòd contingit ex diffinitione (hoc est, ad diffinitionem) syllogismum fieri. Ex quibus autem oportet construere & constituere diffinitionem, determinatum est in aliis subtilius, & in 7. philosophiæ primæ & in secundo posteriorum. Ad propositam autem methodum iidem loci qui ad alia prædicata inducti sunt: quia omnia alia prædicata elementabilia sunt ad prædicatum diffinitionis; & vtilia sunt ad construendum, quod aliquid insit vt diffinitio.

Perspiciendum ergo in contrariis, &c.

Considerandum ergo primo in locis extrinsecis communibus, in quibus magis efficax est locus ab oppositis. Perspiciendum ergo in contrariis & in aliis generibus oppositorum. Perspiciendum, dico, considerauti totas rationes oppositorum, & etiam particulariter secundum vnumquodque. Nam si opposita ratio siue diffinitio est oppositi alicuius: tunc necesse est, quia ea quæ dicta & assignata est, sit propositi & assignari. Et hoc quidem in contrariis est perspiciendum. Quoniam autem contrariorum plures sunt complexiones: verbi gratia boni effectiuum habet duas complexiones & corruptiuum boni & effectiuum mali, & amicis benefacere multas, sicut in præhabitis est ostensum, sumenda est ratio diffinitiua: quia talis facillimè suscipitur à respondente: totas ergo diffinitiones considerandum est quemadmodum in præhabitis dictum est, particulariter siue ad partes diffinitionis respiciendum est hoc modo quo nunc dicemus.

Particulariter autem hoc modo, &c.

Primum in partibus diffinitionis considerandum per methodum de genere si recte genus assignatum est, quod positum est in diffinitione hoc modo. Duobus enim finitis contrariis propositis si vnum eorum est in contrario genere, & propositum diffinitum non est in eodem genere cum suo contrario, palam statim est, quòd est in genere ill. contrario. Sicut contraria sunt distincta, ita contraria sunt genera in quibus sunt: & hoc est in omnibus moralibus contrariis, in quibus contrarietas sumitur medij ad extremum: necesse est enim omnia contraria vel in eodem genere, vel in contrariis generibus esse: naturalia quidem in eodem, & moralia in contrariis in quibus contrarietas est extremi ad extremum: in contrariis enim generibus sunt moralia, in quibus contrarietas sumitur medij ad extremum. Differentias autem (quæ ponuntur in diffinitione) semper probamus contrarias de contrariis prædicari: quia differentia est forma, & contrariorum formæ sunt contrariæ: velut patet in albo & nigro, quorum differentiæ sunt congregatiuum & disgregatiuum visus: esse album enim digregatiuum visus est, nigrum autem congregatiuum. Propter quod si de contrario alicuius contraria prædicatur differentia, constat quod assignata & posita differentia prædicabitur de proposito. Propter quod cum & genus & differentiæ rectè sunt assignata, palam est: quia oratio ex his complexa diffinitio recta erit quæ assignata est, & quod inest vt recta diffinitio. Sic ergo construitur diffinitio & ad totam diffinitionem & ad partes inspiciendo.

Aut si necessariũ est de contrariis, &c.

Aut forte aliquis dicet, quòd hoc quod dictum est (quod contrariæ differentiæ prædicantur de his) indiget determinatione: non enim est verum generaliter, sed tantum de his contrariis quæ sunt in eodem genere, vt album, & nigrum. Eorum autem contrariorum quorum genera sunt contraria, nihil prohibet eandem generalem differentiam de vtrisque dici contrariis, vt de iustitia & iniustitia quæ sunt in contrariis generibus: nam hoc quidem est virtus siue in genere virtutis, illa autem est vitium siue in genere vitij: propter quod patet, quòd hæc differentia animæ, quando dicitur virtus animæ & vitium animæ, de vtrisque contrariis dicitur, & distinguit & separat hæc differentia à corporis virtute & vitio; eò quod etiam quædam virtus est corporis, & etiam vitium est corporis, vt in 7. ethicorum determinatur. Si ergo verum est, quoniam contrariorum aut oppositorum eædem sunt differentiæ probatæ, si de contrario contraria differentia prædicatur, & eadem prædicatur de proposito, palam quoniam differentia (quæ dicta est & assignata est) prædicabitur de proposito, & erit vera differentia ipsius: & sic ex vno genere & vna differentia vna diffinitio constituitur.

Quoniam non est verum semper, quod contrariorum sint, contraria differentia.

Vniuersaliter autem dicendum, &c.

Vniuersaliter autem ad construendum diffinitionem dicendum est: quia si diffinitio est ex genere & differentiis: tunc oportet, quòd si contrariorum diffinitio manifesta est, tunc etiam propositi diffinitio manifesta erit. Nam communiter contraria, aut sunt in eodem genere, aut in contrario genere. Similiter, vt iam dictum est, & differentiæ aut contrariæ prædicantur de contrariis, aut eædem de contrariis prædicantur: & palam est, quoniam de proposito diffinito vt idem genus prædicabitur, quod etiam de suo contrario prædicatur: eò quod sunt in eodem genere: & tunc sunt differentiæ contrariæ vel omnes vel aliquæ, saltem vltima & constitutiua: reliquæ autem differentiæ sunt eædem generales.

Aut diffinita sunt in genere contrario, ita quod vnum in vno est genere, & reliquum in contrario est illius: & tunc differentiæ sunt eædem, genera verò contraria: aut ambo quidem sunt contraria & genera & differentiæ. Nam ambo & genera & differentias easdem esse contrariorum non contingit: quia sic diffinitio contrariorum esset vna, quod esse non potest. Sic ergo vero genere assignato & vera differentia, veram contingit astruere diffinitionem.

In quibus contingat, quod contrariorum sint eadem differentiæ.

Attendendum autem hic, quòd quando contrariorum eadem differentia dicitur, quòd hoc est præcipuè in diffinitionibus passionum, in quibus subiectum est loco differentiæ, sicut in diffinitione aquili & simi, vtriusque differentia est nasus: & sicut dictum est in diffinitione iustitiæ & iniustitiæ, cuius vtriusque differentia est anima, de differentiis formaliter constitutiuis hoc verum esse non potest, & cætera.

CAPVT II.

Qualiter construitur problema de diffinitione per locum à casibus & coniugatis.

Amplius ex casibus & coniugatis, &c

AMplius à casibus & coniugatis considerandum est consequentia in casibus & coniugatis, & genera esse generibus, & differentias differentiis, ex quibus sunt diffinitiones, & etiam totas diffinitiones à totum diffinientibus esse secundum casus & coniugata sumptas. Cuius exemplum est, vt si obliuio est amissio scientiæ in principalibus, & oblinisci erit amittere scientiam in sumptis & coniugatis, & oblitum esse, amisisse scientiam in præterito: vnoquoque enim eorum quæ dicta sunt in principali vel sumpto concesso, necesse est & reliqua coniugata illi concedere.

Similiter autem & si corruptio, &c.

Similiter respiciendo in locum à corruptione sic, si corruptio per diffinitionem est dissolutio substantiæ, corrumpere erit dissoluere substantiam, à coniugatis & casibus, & corruptum aliquid facere, dissolutum facere erit, & si corruptiuum est dissolutiuum substantiæ, erit tunc corruptio dissolutio substantiæ. Similiter autem est etiam in aliis: propter quod vnoquoque talium sumpto, & omnia reliqua illi coniugata conceduntur: & si vnum quodlibet insit vt diffinitio, omnia alia vt diffinitiones inerunt.

Ex similibus & habentibus, &c.

Adhuc considerandum est, ex similiter se habentibus in proportione adinuicem: nam si salubre est effectiuum sanitatis secundum habitudinem causæ efficientis, sequitur quod similiter euechiuum est effectiuum euechiæ, & iuuatiuum erit effectiuum boni: hæc enim omnia differentia similiter se habent adinuicem secundum habitudinem eius causæ efficientis: vnumquodque enim horum quæ dicta sunt, similiter se habet ad proprium finem qui est intentus in ipsis effectiuis: & ideò si vnius eorum est diffinitio esse effectiuum proprij finis, etiam reliquorum singulorum sic erit diffinitio.

Amplius ex magis & similiter, &c.

Amplius inspiciendo in locum à minori, construitur diffinitio ex magis & minus videtur inesse: & hoc fit quoties contingit construere duo ad duo comparata siue comparabilia secundum magis & minus accepta. Vt verbi gratia, si magis hæc diffinitio esse videtur illius quam hæc alia videatur esse illius alterius, & hæc quæ minus videtur esse, est diffinitio, sequitur quòd hæc quæ magis esse videtur, erit diffinitio.

Si similiter hoc illius, &c.

A simili etiam sequitur constructio diffinitionis: si enim similiter sit hæc illius diffinitio vt hæc alterius, si vna est diffinitio, sequitur quod & altera est diffinitio: quia similium simile est iudicium, vt dicit Boet. Hic autem locus nihil valet ad propositum, si vna diffinitio ad duo comparetur diffinita. Similiter nec etiam valet duabus diffinitionibus comparatis ad vnum simpliciter, siue secundum similitudinem ex magis & minus considerato: eò quod nec vnam diffinitionem duorum nec duas diffinitiones vnius possibile est esse.

Sunt autem & opportunissimi, &c.

Sunt hi loci qui dicti sunt à coniugatis & casibus in proportione ex simili & ex magis & minus opportunissimi ad construendum facile diffinitionem: & ideò maximas oportet istas retinere in memoria, & per exercitium habere paratos eosdem: eò quod isti vtilissimi sunt ad plura problemata. Oportet etiam paratos habere illos locos qui maximè sunt communes siue ad plura valentes, sicut maximè sunt loci extrinseci: eò quod illi plus quam reliqui sunt maximè operatiui conclusionum multarum. Vt verbi gratia inspicere in singularibus vtrum omnibus conueniat diffinitio, & sic considerare speciem vtrum secundum esse specici data sit sic diffinitio, si simul conueniat secundum speciem diffinitio: propter quod secundum vnitatem est species prædicata de singularibus. Vnde & hic locus vtilis est ad eos (hoc est, contra eos) qui ponunt formas esse, sicut prius dictum est: illi enim vnitati specierum rationes singularibus non possunt adaptare.

Amplius si transferens, &c.

Amplius diligenter considerandum si aliquis in diffinitione vel prædicatione aliqua transferens ad aliud, dixit nomen: quia sic omne prædicatum interimitur, vt in secundo huius scientiæ libro dictum est. Et considerandum si idem de eodem vt diuersum prædicauit, & similiter si quis alius locus est communis & operatiuus siue efficax: illum enim semper proximum habere oportet ad disputantem, & præcipuè ad problema diffinitionis, ad quod omnia alia elementa sunt vel elementaliter se habent: quia ex his in plures abundabit syllogismos.

CAPVT III.

Qualiter difficilius est construere, quam destruere diffinitionem & alia prædicata.

Quoniam autem difficilius, &c.

COnsideratis iam omnibus problematibus qualiter terminantur destructiuè & constructiuè, comparando ea ad facultatem destruendi & construendi, dicimus primo communiter, quoniam difficilius est construere quam destruere diffinitionem. Hoc autem erit per ea quæ post hæc dicuntur, manifestum. Et hoc ideo est: quia cognoscere perfectè diffinitionem & sumere eam quasi concessum ab interrogantibus siue opponentibus, non est facile: eò quod multa valdè requiruntur ad diffinitionem construendam. Sicut verbi gratia difficile est sumere, quoniam eorum quæ sunt assignata in assignata diffinitione, hoc quidem est genus, illud autem differentia, &

Quod difficile sit construere diffinitionem, destruere autem facile.

illud

illud etiam quòd in eo quod quid est, genus tantum & differentiæ de diffinito prædicantur: sine his verò impossibile est fieri syllogismum ad diffinitionis terminationem. Hoc autem oportet diligenter considerare & inuenire, quod nulla alia de re prædicantur in eo quod quid est, nisi ista: quod si etiam quædam alia quam proprium genus & propria differentia de re diffinita prædicantur in eo quod quid est, statim incertum est vtrum ea diffinitio quæ ex hoc genere fit vel hac differentia vel alia quæ fit ex aliis quæ in eo quod quid est prædicantur, vera sit rei diffinitio: eò quod diffinitio est oratio quid est esse rei significans, & hoc habet ex suis componentibus, quod in eo quod quid est prædicetur, & quod non aliud sit prædicatum in eo quod quid est, & quod sit conuertibilis ex propriis & essentialis rei, & huiusmodi multa. Sed interimere diffinitionem est facile: quia ad interimendum sufficit ad vnum (hoc est, contra vnum) quo illibet illorum: vnum enim talium interimentes, destruemus diffinitionem. Sed construendi diffinitionem necesse est omnia construere: quoniam omnia quæ sunt, insunt in diffinitione: & diffinitio vera non fit nisi in omnibus his simul existentibus & conuenientibus. Amplius adhuc vniuersaliter oportet construere syllogismum de diffinitione & affirmatiuè: oportet enim quod diffinitio prædicetur vniuersaliter de omni de quo prædicatur nomen diffinitri: quia nomen & diffinitio non differunt nisi vt implicitum & explicitum: diffinitio enim dicit explicitè, quod nomen dixit implicitè. Adhuc autem amplius oportet conuerti & conuertibilem esse diffinitionem, vt de quocunque prædicatur nomen, ratio diffinitiua prædicetur de eodem. si debeat propria assignata esse diffinitio. Destruenti autem non est necesse vniuersaliter ostendere, quòd nullum conueniat: sufficit enim ad destruendum, quoniam de aliquo eorum de quibus prædicatur nomen, non est vera diffinitio. Et si vniuersalites oportet aliquando destruere, non tamen in destruendo oportet ostendere, quòd conuertitur cum diffinito, sicut necessarium est in construendo: quia sine hoc destruitur per multa: sufficit enim destruenti ostendere, quòd vniuersaliter de nullo prædicatur diffinitio de quo nomen prædicatur etiam absque diffinitionis conuertione. E conuerso verò in destruendo non oportet ostendere, quòd de nullo prædicatur nomen, de quo diffinitio prædicatur. Amplius autem & si concedatur diffinitio omni illi inesse de quo prædicatur nomen, tamen adhuc oportet, quòd soli insit: & hoc interempto, interempta erit diffinitio. Ex his igitur patet, quòd difficile est construere, & facile est destruere diffinitionem.

Similiter autē & circa proprium, &c.

Similiter autem se habet in problematibus de genere & proprio: in vtrisque enim facilius est destruere, quam construere problema. Hoc autem de proprio manifestum est ex his quæ dicta sunt in methodo de proprio & in hac methodo de diffinitione: nam in pluribus & vt frequentius si bene assignatur proprium vt in complexione assignatur: cum enim fluat de essentialibus, oportet quod habeat in se genus & accidens speciei: propter quod interimenti contingit destruere vnum, & sufficit ad interimendum proprium. Construere autem non potest aliquis proprium, nisi syllogizet & probet omnia quæ ad proprium construendum conueniunt. Penè autem & reliqua omnia quæcunque ad diffinitionem sunt necessaria esse dicta, & quod vniuersaliter & quod conuertim prædicatur, etiam ad proprium dici conuenit. Nam construendum propositum oportet monstrare, quòd omni insit proprium quod est sub nomine contentum: sed destruenti proposito sufficit ostendere, quòd vni tantum alicui non insit. Si verò & in omni vniuersaliter esse concedatur, & non insit illi soli speciei, erit iterum destructum proprium sicut & in diffinitione dicebatur nuper.

De genere autem patet, quod difficilius est construere quam destruere hac ratione: quoniam genus construere est vno quidem modo, si omni & vniuersaliter ineſt, & similiter si de eo quod etiam subijcitur, in eo quod quid est prædicatur. Sed destruenti genus conuenit destruere dupliciter: nam siue ostendatur, quod nulli ineſt, siue quod alicui non ineſt, destructum erit genus, & per contrarium & per contradictorium semper interemptum est genus quod positum est in principio pro genere. Amplius adhuc construenti genus non sufficit ostendere, quoniam insit vniuersaliter, sed quoniam ineſt vt genus, vt quod ineſt non conuersim, & prædicatur in eo quod quid est. Destruenti autem sufficit ostendere, quòd alicui non ineſt vel omni. Ex multis autem destructibile facilius est destruere: vnde in talibus problematibus videtur esse sicut in aliis in quibus corrumpere facilius est, quam facere: & sic est in his facilius destruere, quam construere.

De genere autem, quoniam construere, &c.

In accidente verò siue in problemate accidentis siue de accidente vniuersali quidem facilius est destruere, quam construere: quia ex pluribus potest destrui, & vno tantum modo construi: construenti enim ipsum ostendendum est, quòd omni vniuersaliter ineſt: destruenti autem vniuersale sufficit ostendere, quoniam vni alicui non ineſt: & per contradictorium erit destructum vniuersale affirmatiuum. Particulare autem problema de accidente è contrario se habet, quia facilius est ipsum construere, quam destruere: eò quod construenti sufficit ostendere, quoniam ineſt quocunque modo alicui: destruenti verò ostendendum, quoniam nulli ineſt: nam alicui ineſse per alicui non ineſse non interimitur: quia sunt simul vera: & ideo oportet ostendere nulli ineſse, si destrui debeat alicui ineſse: & hoc est difficile.

In accidente verò vniuersali, &c.

Ex quo habetur quod quandoque facilius est construere quàm destruere, sed hoc fit raro.

* * *

CAPVT

CAPVT IV.

Quare omnium prædicatorum facillimum est diffinitionem & proprium destruere, & difficillimum construere, accidens verò è conuerso.

COmparatis autem sic prædicatis singulis secundum quod comparatur aliud ad aliud penes cōstruendi vel destruendi facilitatē vel difficultatem, in hac comparatione manifestum est etiam, quare siue propter quid omnium prædicatorum facillimum sit diffinitionē destruere. Huius causa est: quia plurima in ea assignata (si bene assignata sunt quæ dicta sunt) erīam in aliis sunt prædicatis. Ex pluribus autem (hoc est, contra plura) sigillatim accepta citius fit interemptiuus syllogismus. Videtur autem verisimile magis & facilius peccatum fieri (omissionis, vel non ratione acceptionis) in multis, quam in paucis: quia multa est difficile ratione considerare & accipere.

Manifestum autem, quoniam, &c.

In multis magis quam in paucis fit peccatum.

Amplius ad idem alia ratio est: quia ad diffinitionem (hoc est, contra diffinitionem) conuenit & per alia prædicata argumentari: eò quod ad ipsam elementalia sunt. Verbi gratia siue enim arguat aliquis, quòd non sit diffinitio vt propria: siue arguat, quod non fit in ea vt genus quod assignatum est pro genere: siue quod non insit aliquid eorum quæ sunt in diffinitione: statim interempta erit diffinitio. Ad alia autem prædicata (siue contra alia prædicata) destruendo ex diffinitionibus non contingit argumentari: sola enim ista quæ ad accidens dicta sunt (secundum quod ineſse generaliter est accidentis) sunt communia omnibus prædicatis inductis in methodis habitis: eò quod singulum eorum quæ dicta sunt ineſse, subiecto existenti ineſt: & quod existenti ineſt, vt accidens ineſt. Si autem genus aōn vt proprium ineſt, non sequitur quod ex hoc interemptum sit genus: & sic ex proprio ad genus interimendum non contingit argumentari. Similiter autem & proprium non est necesse ineſse vt genus: & sic ex proprio non potest argumentari ad genus, neque accidens ineſse aut proprium, sed tantum simpliciter sine determinatione. Propter quod non est possibile ex aliis prædicatis ad alia argumentari nisi tantum in diffinitione. Manifestum est ergo ex hoc, quoniam facillimum omnium prædicatorum est interimere diffinitionem: quia ex quolibet aliorum arguitur interemptio ipsius, & ex nullo aliorum argui potest interemptio alicuius alterius, nec ex accidente interempto secundum ineſse.

Amplius ad idem alia ratio.

Omnium autem prædicatorum difficillimum est construere prædicatum de diffinitione: nam ad cōstructionem diffinitionis oportet etiam omnia alia prædicata construere syllogizare. Verbi gratia oportet syllogizare, quoniam insunt quæ in diffinitione dicuntur, quod est ab accidentis prædicato: & quoniam est genus verum & proprium quod est in diffinitione assignatū pro genere, & hoc est à genere: & quoniam est propria & conuertibilis cum diffinito, quod est à proprio: & adhuc præter hæc syllogizare oportet, quòd ipsa diffinitio indicat quid est totum esse rei. Et oportet, quòd hoc bene facit diffinitio perfectè & etiam clarè & non obscurè. Aliorum autem prædicatorum proprium maximè post diffinitionem est difficile construere: nam interimere quidem proprium facilius est, quam construere: eò quod (sicut diximus paulo ante) plurium fit & ex pluribus proprium quando est bene assignatum. Construere autem proprium est difficillimum: eò quod multa oportet conuenire ad proprij constitutionem, & quod solum est siue soli conueniens, & quoniam conuersim de re prædicatur.

Manifestū, quoniam facillimum, &c.

Omnium autem facillimum est accidentis construere prædicatum. Huius causa est: quia in aliis prædicatis non solum ostendimus ineſse, si quod insunt simpliciter, sed etiam quod insunt sic vel sic, oportet ostendere: & hoc est difficile. In accidente verò sufficit ostendere, quoniam ineſt simpliciter: & hoc est facile. Destruere autem difficillimum est accidens: quoniam minima & pauciſſima data sunt ad ineſse vt accidens: nam datum est ad hoc quod insit vt accidens, nisi quod insit tantum: non enim significatur in accidente quomodo sic vel sic ineſt, sed quod ineſt tantum. Propter quod in aliis prædicatis dupliciter est interimere, vt ostendendo quoniam non ineſt, vel ostendendo quoniam sic non ineſt: & hoc est facilius. In accidente verò non est interimere, nisi ei qui dat, quoniam non ineſt simpliciter: & hoc est difficilius.

Facillimum autem omnium, &c.

Epilogatur ergo dicendo, loci siue considerationes per quas idonei erimus argumentari ad singula problemata, penè sufficienter in sex libris à secundo vsque ad hunc descripti & enumerati sunt: plures enim ex probabilibus esse possunt, sed isti qui dicti sunt, sufficiant, &c.

Loci ergo per quos, &c.

LIBER VIII.

TOPICORVM.

TRACTATVS I.

De dialectica, prout est obuiatiua ex parte opponentis.

CAPVT I.

Quomodo oportet interrogare & quid & qualiter opponentem vt facilius consensum exigat respondentis.

Quomodo in diuersis topicorum libris consideratur dialectica vt scientia, & vt inquisitiua, & vt obuiatiua & exercitatiua.

DIALECTICA vt iam scientia in primo huius scientiæ libro determinata est: quia ibi dictum est, de quibus & ex quibus & ad quæ. Vt autem est scientia inquisitiua, sic determinata est in sequentibus libris. Sed dialectica vt est ars opus constituës, & sic ad alterum & vt obuiatiua & exercitatiua (secundum quod frequenter hoc facit) & prout est scientia inquisitiua ad secundum philosophiam disciplinas, in hoc vltimo libro huius scientiæ determinanda est, scilicet prout est ars ad obuiationem & ad exercitationem ordinata. Nunc ergo determinanda est, & primò prout est ad obuiationem: quia per obuiationem venitur ad exercitium. Prout autem est obuiatiua (quia opponentis principaliter est obuiare respondenti) oportet quòd primo consideretur ex parte opponentis, & secundo qualiter determinetur vt est obuiatiua respondentis: & isti sunt tres tractatus in quibus perficietur præsens negotium.

Post hoc autem ordine, &c.

Post hæc igitur quæ de dialectica vt scientia in se considerata in primo libro dicta sunt, & quæ dicta sunt de ipsa prout ipsa est inquisitiua & ad disciplinas quæ sunt secundum philosophiam ordinata, quæ in sex libris consequentibus vsque huc determinata sunt, dicendum qualiter & ipsa dialectica prout est ars obuiatiua, ordinare debet opus suum in disputando ad alterum, cuius oportet eam quærere consensum: eò quod ex probabilibus procedit: quæ quia sunt quæ videntur omnibus vel pluribus, non sine consensu respondentis accipi possunt: & dicendum erit hic quomodo oportet interrogare & quid, & cui sit præponendum in interrogatione, & qualiter, vt facilius concedatur à respondente. Hoc igitur in hoc libro est dicendum primo.

Oportet autem primũ quidem interrogare, &c.

Sciendum ergo, quòd opponentem (qui debet locum cõsiderationis inuenire vnde trahet argumentationem ac propositum problema terminandum constructiuè vel destructiuè) oportet interrogare conclusionem interiectam: quia aliter non posset ordinare locum inuentum, cum non esset propositum ad quid induceretur. In omnibus præstituendus est finis vt ab illo dirigamur. Secundum autem est, quòd interrogata conclusione & loco, vnde arguendum est inuento: tunc oportet eum formare interrogationes proponendas in forma, quibus magis efficiuntur concessibiles à respondente, & ordinare singula ad seinuicem & ad seipsum, vt videat quo ordine magis sint concessibilia & virisimiliora ad concedendum. Et hæc duo quæ apud se facit opponens, vnum sunt secundum quod ad finem eundem sunt vltimum. Reliquum vero & tertium (quod reliquum est quasi secundum inquantum duo prædicata sunt vnum in forma, & tertium est ab eis inquantum duo dicta in numero accipiuntur) iam sic inuenta & ordinata dicere siue proponere ad alterum siue respondentem: quia disputatio dialectica commune est opus, & inter duos esse oportet: propter causam quam diximus, quòd etiam procedit ex his quæ videtur.

Ergo donec inueniat locum, &c.

Ergo donec inueniant dialectici locum prium & ordinent inuenta, similiter (hoc est, secundum vnam similitudinem) se habent philosophi (hoc est demonstratores) & dialectici in suis propositis considerationibus, in hoc quod neuter proponit ad alterum, sed vterque negotiatur circa medium inueniendum arguẽdi, & ordinem proponendorum apud seipsum. Iam vero hæc quæ inuenta sunt, ordinare vel interrogare ad alterũ & interrogando proponere modo quo magis cõcessibilia sunt, proprium est dialectici & non demonstratoris: quia in hoc differunt dialecticus & demonstrator, quod huiusmodi negotium dialectici qui interrogat consensum, est ad alterum, & sine consensu alterius

alterius procedere non potest: Philosopho autem (hoc est, demonstratori) & etiam dialectico primo inquirenti secundum quod est ad secundum philosophiam disciplinas: tunc enim quærit apud seipsum dialecticus & non requirit alterius consensum. Ad hos ergo demonstratorem & dialecticum apud se quærentes, nihil pertinet qualiter ad alterum proponatur, si vera quidem sint & nota per quæ faciunt syllogismos: quamuis fortè non ponat (hoc est, non concedat) ea ille qui respondet: non enim in talibus consensus respondentis expectatur, quando in esse ipsa vera sunt, & præaudienti nota antequam proponantur: eò quod talia sunt propinqua eorum, quæ sunt ex principio quod per se creditur & est notum per seipsum: & præuideat quod est facile vel contingit accidere per consequentiam ex illis quæ sequuntur, siue concedat, siue non concedat ea respõdens: non enim probabilia sunt quæ ex videri illis iudicantur, sed sunt per se vera & nota, & non ex videri his vel illis iudicata, sed fortassè in talibus & demonstrator & dialecticus apud se inquirens etiam festinabit statim ex talibus concludens consensum respondentis non expectans: quoniam (id est, eò quod) tales propositiones & maximæ notæ sunt, & quoad veritatem propinqua sunt illis quæ dicuntur maximæ propositiones: dicit enim Boëtius, quòd tales sunt, quas quisque probas auditas: ex his enim propositionibus veris & notis sic compositis sunt disciplinabiles siue demonstratiui syllogismi. Epilogatur ergo dicendo, loci vnde siue à quibus oportet sumere siue trahere argumenta ad problema terminandum, dicti sunt prius in sex libris præcedentibus.

CAPVT II.

Quot sunt propositiones præternecessariæ & ad quid sumendæ & proponendæ ad alterum.

De ordine autem & interrogatione, &c.

DE ordine igitur ad alterum & de interrogatione siue de modo interrogationis ad consensum respondentis ordinato deinceps dicendum est. Diuidenti primò propositiones præternecessarias quot sint & ad quid, quæcunque sunt sumendæ siue proponendæ ad alterum. Hic autem (quia sciri non possunt nisi per necessarias à quibus deficiunt) determinandum est primò, quod necessariæ in constructione inferenda sunt illæ per quas fit syllogismus, ita quod ingrediuntur substantiam ipsius & non nisi ex ipsis infertur conclusio. Et sunt tales necessariæ per rationem necessitatis, qua id dicitur necessarium sine quo non potest fieri id quòd intenditur, quæ (vt dicit Boëtius) est necessitas suppositionis.

Nota quomodo hic sumatur propositio necessaria.

Quæ autem præter has, &c.

Et quæcunque sunt aliæ propositiones præter has sine quibus potest fieri conclusio, sunt præternecessariæ: tales autem quæ præter has sumantur ab opponente, sunt quatuor modis, & ad quatuor vtilitates sumptæ. Aut enim sumuntur inductionis gratia, vt ex illis detur siue concedatur probatum vniuersale in maiori vel minori propositione principaliter in syllogismo propositum. Aut sumptæ sunt secundo in magnitudinem siue amplificationem sermonis vel orationis, siue quo respondens minus recipiat quid sequitur, & citius inclinetur ad constituendum. Aut sumptæ sunt & adductæ tertio in celationem conclusionis intentæ, quam celatam prospiciens ipse qui respondet, facilius assentiat. Aut assumuntur vt manifestior sit oratio: quia in manifestum citius consentit respondens: & istæ sunt adductæ in prosyllogismis: quia propositiones aut indigent probatione, & propter dubium non consentit respondens, & sic est prima: aut ideo non consentit, quia festinè venitur ad conclusionem, & sic ampliatiua sumitur siue prolongatiua orationis: aut ideo non consentit, quia id quod proponitur, est obscurum, & sic explanatiua sumitur. Præter has autem nulla assumenda præternecessaria propositio: quia ad consensum respondentis inclinandum non valet: sed per has quatuor propositiones tentandum est augere rationem, & interrogare consensum respondentis.

Obiectio

Est tamen obiectio de vna præternecessariarum propositionum, quòd nõ dialectica, sed sophistica est: est enim certaminis gratia: & sic videtur esse ad finem gloriæ, & non ad finem inuentionis scientiæ. Sed huius solutio est: quia negotium dialectidum est alterum: eò quod innititur ei quod videtur alteri, & aliquando proceruit iste nolens concedere vel suscipere ea quæ vtilia sunt negotio inuentionis, quando videlicet id quod sequitur ex proposita interrogatione, vtile est: ideo oportet celare propositum donec suscipiat aliquam propositionem, per quam cogatur ad consensum: sic ergo & si sit certaminis gratia, est tamen iusti certaminis gratia & quod vtile negotio dialectico: quia tradit modum inquisitionis veritatis per inquisitionem: & ideo necesse est & optimum est dialectico etiam his propositionibus vti quæ celatiuæ dicuntur: dialectica enim inquãtum est obuiatiua, plus respicit positionem quam problema: & non absolnitur ab hac, quoniam respicit fictionem, secundum quod Arist. dicit in tertio primæ philosophiæ, quòd fictum est quod ad positionem est coactum: tũc ideò tale certamen est iustum, & non est ad finẽ gloriæ, sed vt facilius inueniatur veritas sine impedimento.

Sunt autem quæ ad relationem, &c.

Solutio.

Necesse est etenim his &c.

Harum propositionum talis debet esse vsus, ita quod dicamus, quòd non est opponenti statim præordinandum & proponendum illas principales propositiones & necessarias ex quibus fit (sicut ex propositionibus) syllogismus principalis: quia ex illis videns respondens quid sequitur, non consentit, donec dicat id quod sibi videtur: sed discedendum est opponenti ab illis propositionibus in suprema magis vniuersalia, in quibus tamen ista quæ intendit opponens, celata sint: quia ex illis probabuntur. Vt si propositum opponentis sit ostendere, quòd non sit contrariorum eadem disciplina, hoc non est statim proponendum, sed ex magis vniuersali vt ex oppositis syllogizabitur enim ex isto, quòd etiam contrariorum

Exemplum quopacto vti debeamus propositionibus celatiuis.

sit

sit eadem disciplina: eò quod contraria de numero oppositorum sunt. Iste ergo est vsus celatiuæ propositionis. Si verò non ponat siue concedat respondens vniuersalem propositam; tunc per inductionem tamendum est hoc modo, quod tumenda sit ista, quod contrariorum est eadem disciplina: & si non concedat respondens, tunc opponenti intendendum est in particularibus contrariis inducendis. Quia necessarias ad syllogismum propositiones, aut est sumendum per inductionem, aut syllogismum: aut quasdam quidem per inductionem maiorem vel etiam minorem: illas autem etiam maiorem vel minorem per syllogismum. Et hic est vsus inductiuæ propositionis.

Quæcunque autem necessariarum propositionum sunt valdè manifestæ, & apparet statim quid concludi possit contra respondentem, illas oportet protendere (hoc est, à proposito elongare) per alias ad alia media, per quæ tamen ista concludi possunt: quia ad probabilia multa media inueniuntur: quia id quod est accidere per conclusionis consequentiam, & quod principaliter intenditur, obscurius fit ad intelligendum respondenti semper in discessione à proposito & inductione illorum quæ à proposito elongantur: & simul quæ ad intentionem principalium inductæ sunt, oportet vlterius protendere in alia media, & sic parare & separare eas protendendo et respondenti, qui nullo modo potest eas sumere nisi protensas in multa media. Illæ verò (quæ præter has quæ necessariæ sunt, ad syllogismum sumptæ sunt) propter illas quæ necessariæ sunt, accipiendum; ex quibus alio modo explanantur istæ vel prohibendo, vel celatiuæ, vel ad vlteriora media deducuntur: vnaquæque enim talium propositionum vtendum propter id quod inducitur: & hoc modo inducendi quidem vtendum est à singularibus in vniuersali, & à notis in ignotiora: quia ignotum probatur per notum. Nota communiter sunt magis quæ secundum sensum nota sunt, vel simpliciter omnibus, vel ad minus pluribus, quia plures secundum sensum iudicant. Ex his autem quæ vniuersaliter videntur omnibus vel pluribus, procedit dialecticus. Iste ergo in communi est vsus præternecessariarum propositionum. In speciali autem inductiuè iam dictum est.

Celanti verò intendendum vt præsyllogizet ea ex quibus debet fieri syllogismus ille qui ex principio intenditur à proponte in altiora discedendo, & hoc præsyllogizat vt plurima siue multos altiores syllogismos faciat: hoc autem erit siquis non solum necessarias in suis vniuersalioribus præsyllogizet, sed etiam si earum quæ ad hæc vtiles & præternecessariæ & ad celandum inductæ, aliquam adhuc ex illa superiori præsyllogizet, ita quod ad prosyllogismum adhuc vlterius ascendendo prosyllogismum faciat.

Amplius talitèr celans, statim non debet dicere conclusiones intentas, sed postea postquam discesserit in altiora in quibus celata & clausa sunt principaliter intenta: tunc enim quasi ex longinquo medio debet inferre conclusionem: sic enim longissimè discedit à posita positione principali, quæ ex principio intenditur: & tamen consequitur propositum deducendo longissimè per omnia media vsque ad proxima. Et vniuersaliter dicendum in propositionibus celatiuis, quòd sic oportet interrogare eum qui celauerit & celatiuis propositionibus vti voluerit, vt interrogata omni siue tota oratione posita & iam dicta conclusione intenta, requiratur ipse respondens propter quid (siue ex quo medio) hoc conclusum sequitur: hoc autem fit quando ex valdè longius distanti medio absque deductione ad proximum concluditur propositio. Hoc igitur maximè & frequentissimè erat per modum antedictum. Nam quia vltima conclusione dicta sola (sine principiis proximis ex quibus sequitur) dubium est respondenti quomodo siue ex quo medio accidit siue sequitur conclusio: eo quod ipse respondens non præuiderit ex quibus principalis accidit siue sequitur conclusio, non enodatis per deductionem ad proxima prioribus syllogismis, qui per longinqua media sunt concluti. Minimè autem siue nullo modo enodabitur superior syllogismus conclusione propriè posita, si pro conclusionis, quam ex longinquo infertmus, medio non ponimus propositiones proprias & proximas, sed illas longinquas ex quibus fit altior & superior syllogismus. Et ista duo documenta valdè sunt obseruanda: quia primum est sumptum ex parte principiorum proponendorum, & secundum ex parte constructionis inferendæ.

Tertium autem documentum (quod vtile est valde ex quo plures proponit syllogismos & propositiones plurium syllogismorum) est quod non proponat eas continuas secundum situm quem habere debent in syllogismo proprio, sed permutatim maiorem vnius syllogismi cum maiore alterius syllogismi permutatim sic proponendo ad aliam & aliam conclusionem. Si enim propositiones inuicem in situ in syllogismo ponantur iuxta se debito ordine, tunc id quod accidit per consequentiam syllogisticam (hoc est, conclusio) magis erit manifestum: & hoc videns respondens, magis aduertitur & dissentit.

Est autem adhuc taliter celantibus considerandum, quòd enthymematicè arguendo oportet diffinitionem propositi sumere: quia locus à diffinitione magis est efficax ad concludendum: & talem oportet sumere in enthymemate propositionem in quibus enthymematibus vniuersalis propositio est posita: nec etiam in ipsis rebus abstractis accipienda est vniuersalis diffinitio, sed potius in sumptis & coniugatis illis & concretis: quia ipsos respondentes facilius paralogizant non videntes instantiam: eò quod in coniugato siue concreto proponitur diffinitio, & concedunt putantes non vniuersaliter concedere, sicut putarent quando in principali diffinitio vniuersaliter sumeretur. Potest enim credi, quòd ratione subiecti in quo est, ita diffiniatur: & sic concedunt facilius propositam diffinitionem. Huius autem exemplum est, vt si oporteat sumere & concedere propositum ab opponente, quoniam qui irascitur, appetit inferre pœnam

&

Quæcunque autem vel valdè manifestæ, &c.

Vtile autem & non continuas, &c.

Oportet autem & diffinitionē sumere, &c.

Celàti verò præsyllogizare, &c.

Amplius conclusiones non dicere, &c.

& repellere iniuriam propter apparentem exanimationem illatam. Sumitur autem ratio in discedendo ad altius; quoniam ira est appetitus pœnæ propter apparentem exanimationem vniuersaliter: quod ad propositum non fuisset acceptum. Manifestum enim, quoniam hoc sumpto in principali habemus aut in coniugato vniuersaliter quod præelegimus à principio: quia ex his vniuersaliter sequitur, quòd iratus appetit pœnam propter apparentem exanimationem siue exacerbationem: hoc enim sequitur. Igitur sic obseruandum est ex parte sermonis principale vel sumptum siue concretum significantis: quia per oppositum eis opponent qui prætendunt (hoc est, primo proponunt) diffinitionis in ipsis concretis instantiam magis quam in abstractis, sicut patet: quia si vniuersalis ista proponatur, quòd omnis iratus appetit pœnam, facile est accipere instantiam, probatur statim, quoniam non omnis qui irascitur, appetit pœnam: parentibus irascimur quidem, non appetimus autem pœnam. Vnde oportet primò proponere in sumpto non vniuersaliter, & postea discedendo ad altius abstractum, diffinitionem vniuersalem accipere, & per illam vniuersaliter concludere quod particulariter vel infinitè propositum fuerat.

Fortassis autem non vera, &c.

Fortassè autem alicui videtur non esse instantia quæ inducta est, eò quod aliquibus videtur, quòd etiam parentibus iratus appetit pœnam: quia aliquibus videtur, quod sufficiens pœna est contristari parentes, & facere eos pœnitere. Sed hoc quamuis fortè sit verum, tamen instantia non habet aliquid verisimile: quia pœnam ex parentibus non appetit iratus: & ideò etiam documentum verisimile est, quòd primo proponat particulariter in concreto, & postea per diffinitionem abstracti concludat vniuersaliter per locum à coniugatis, vt ipse respondens videatur non irrationabiliter negare propositum, siue vniuersaliter proponatur, cum paratam habeat instantiam saltem apparentem. In iræ autem abstractæ diffinitione generaliter proposita non similiter siue non æqualiter est facile inuenire instantiam: & ideò illam vniuersaliter concedet.

Amplius proponere oportet vt non, &c.

Amplius adhuc documentum aliud opponentis est, vt ea quæ proposuit, videantur non propter ipsum principale intentum posita esse, sed alterius disparatis proposito, vel etiam oppositi gratia proposita: eò quod ipsi respondentes magis verentur ea quæ sunt vtilia ad principalem positionem, & negant ea. Simpliciter autem & vniuersaliter dicendum, sed illud documentum opponenti vtile, quam maximè potest facere dubium ad quid inducantur proposita, vtrum ad hoc proponuntur quod propositum est, an ad oppositum eiusdem, vel disparatum velit sumere opponens. Dubio enim existente ad quid inducantur, magis concedet respondens id quod est vtile ad positionem concludendam: hoc autem fieri non potest nisi vnico modo, quod etiam discedat opponens in id quod est consequens & propositum & suum oppositum, & in consequens & propositum & propositi disparatum. Ex isto verò incipiens arguere dubium est, vtrum tendat ad propositum vel ad oppositum concludendum. Est autem istud documentum sumptum ex parte eorum in quæ discedit is qui vtitur celatiuis propositionibus.

Amplius pro similitudinem inquirere, &c.

Amplius autem eiusdem aliud documentum est (sumptum ex parte modi proponendi id quod proponit principaliter concludere) similitudinem inquirere, vt ex ipso inducto simili verisimile habeat & facilius concedatur. Fit enim verisimile ex simili, & latet in ipso simili magis vniuersale quam si per se in ipso proponeretur. Verbi gratia, si velimus concludere, quòd contrariorum est eadem disciplina, non per se, sed proponemus in similibus inuolutum, vt putasne contrariorum est eadem disciplina & ignorantia eadem? quoniam simile est in sensu, quod contrariorum est idem sensus: vel è conuerso proponatur, contrariorum est idem sensus: quia similiter contrariorum est eadem disciplina. Hoc autem (probare per simile) est simile inductioni: sed tamen non reducitur ad propositiones necessarias, sed ad celatiuas: quare non est idem inductioni, quamuis in aliquo sit simile. Nam in inductione à singularibus inductis vniuersale sumitur & construitur: & sic à partibus proceditur ad totum. In similibus autem inductis non proceditur ad totum vniuersale: nec quod ex similibus sumitur, est vniuersale sub quo sicut sub vniuersali toto omnia similia sint inducta.

Quomodo probatio per simile differt à inductione.

Oportet autem & sibi ipsi, &c.

Adhuc autem aliud documentum est eius qui vtitur celatiuis propositionibus, sumptum ex parte ipsius opponentis in comparatione ad respondentem, quòd si proponat vniuersaliter aliud quod habeat instantiam apertam, & quæ facile videatur: tunc etiam oportet ipsum opponentem sibimetipsi instantiam inferre: tunc enim ipsi respondentes non habent suspectum opponentem: eò quod insuspectè agit cum eis: quia videtur iustè sine insidiis argumentari, & contra respondentem nihil agere, sed pro ipso.

Vtile etiam dicere, quoniam, &c.

Adhuc autem alio documento sumpto ex parte eius quod proponitur, vtile est opponenti dicere, quòd proponit id quod consuetum est dici, & quod dicitur communiter huiusmodi: quia ipsi respondentes pigrescunt ex verecundia mouere (hoc est, negare & remouere) quod solitum est dici, instantiam non habentes contra illud, & præcipuè quia ipsi respondentes vtuntur talibus solitis & consuetis dici, & non caueant mouere siue remouere ea.

Amplius non properare, &c.

Amplius adhuc celantis documentum est ex parte ipsius opponentis in actu opponentis sumptum, non properare ad conclusionem opponendo. Et huius causa est: quia contra properantes magis obsistunt respondentes: & ideò quamuis omninò sit vtile ad propositum quod proponit, non tamen debet properare ad illud, sed cum mora interpositis aliis ad propositum paulatim accedere.

Et vt in parabola proponere, & parabolæ quid.

Et adhuc est aliud documentum ex parte modi proponendi sumptum, quòd id quod intendit, non proponat in seipso, sed in parabola quadam, secundum quod parabola dicitur esse rerum diuersarum sub aliquo proportionali

tionaliter simili facta collatio, in qua pluribus conferuntur quæ adinuicem habent proportionis aliquam similitudinem: sicut si dicam, sicut se habet ad statuam vel idolum æs & figura, sic ad speciem genus & differentia. Hoc autem ideo faciendum: quia propter quod aliud aliquid proponitur vel proponi videtur, magis ponent siue concedent ipsi respondentes.

Amplius non ipsum proponere, &c.

Amplius autem documentum celare volentis est, quòd si vult aliud proponere, non ponat illud in se, sed in suo accidente, ad quod propositum de necessitate est consequens: quia ipsi respondentes magis concedunt antecedens in accidente propositum quam in seipso: ideò quod non similiter (hoc est, æqualiter) manifestum sit ex antecedentibus quid accidere sit per consequentiam conclusionis, sicut si per seipsum proponeretur: & sumpto concesso hoc quod est antecedens, sumptum concessum erit & illud: quia posito antecedente ponitur & consequens.

Et in vltimis interrogare, &c.

Et debet opponens vltimo multis præmissis interrogare id quod principaliter vult sumere: & ideò fieri debet: quia respondentes prima interrogata maximè remittunt; eò quod plures de numero interrogantium siue proponentium primò interrogant ea circa quæ principaliter & maximè interrogantes proponunt, & maximè properant ad ista. Ad quoddam autem sicut ad graues & pigros melancholicos hoc documento per contrarium modum est vtendum: ad illos enim qui dicto modo graues sunt, oportet primo quæ talia sunt & principaliter proposita, prætendere: graues enim prima proposita maximè admittunt concedentes ea, nisi omninò & vniuersaliter manifestum sit cuilibet quid secundum consequentiam syllogisticam ex illis accidere possit: in fine enim excitati aduersantur plus & plus.

Similiter autem & quicunque, &c.

Similiter autem ad eos faciendum est respondentes, quicunque se arbitrantur acres esse in respondendo: tales enim facile ponentes siue concedentes prima primo proposita, in fine franguntur, & discrepare & contradicere incipiunt: & tunc in contradicendo perseuerant, & dicunt, quòd conclusio non accidit siue sequitur ex his quæ sunt posita: ponunt enim tales credentes habitui (hoc est, ex suo melancholico habitu creduliratem accipientes) qui tardus est: & sunt suspicantes, quòd ex primo propositis nihil sint passuri.

Amplius prolongare & interponere, &c.

Amplius adhuc aliud documentum est celantis quoddam, per plura proposita prolongari proposita oportet & intermittere, vel intermiscere oportet ea etiam quæ non sunt vel esse videntur ad propositum vtilia ad orationem intentam: quemadmodum sicut in falsigraphis faciunt fere figuras distribuentes: & hoc faciendum est ideo: quia cum sint plura interrogata (ipsa pluritate confundente respondentem) dubium erit in quo interrogato fallum sit sicut in medio & in causa: propter quod etiam latent aliquando interrogantes siue opponentes, quando hoc fit in absconso, sicut dictum est: & conceduntur à respondentibus, quæ si per se & aperte posita proponerentur, non concederentur. Epilogaliter ergo dicimus, quòd eo (quod dictum est in documentis & cautelis istis ad celandum in celatiuis propositionibus istis) est vtendum.

CAPVT III.

Qualiter ampliatiuis & explanatiuis vtendum est.

Ad propositum verò inductione,

Ad propositum verò siue ad propositi ampliationem vtendum est inductione similium in particularibus, vel diuisione propositi in partes: tamen induci debent cognata siue similia proposito, & in hæc etiam diuidi: quia tales iuuant ad propositum. Quale autem quid est inductio, ex præhabitis manifestum est. Diuidere autem, quod est ad ampliationem propositi, tale est per comparationem: vt quoniam disciplina vna ab alia disciplina melior, aut quia est certior in demonstrando, aut quia est melior, hoc est, melioris & nobilioris subiecti: & hoc etiam dicitur in primo de anima. Aut diuidendum penes finem: vt aliæ quidem sunt speculatiuæ, quarum finis est veritas. Aliæ sunt actiuæ, quarum finis est actio vel opus operatum, quod apotelesma dicitur. Aliæ verò poëtriæ quæ secundum fabulam ex miris compositam inuitant ad bonum: nam vnumquodque talium coornat quidem orationem, & tamen non est necessarium dici ad conclusionem, ita quod sit de ingredientibus syllogismum.

Ad explanationem autem, &c.

Ad explanationem autem præterneccssariis propositionibus vtendum est, sic vt inducamus exempla & parabolas quæ sunt similitudinarij sermones in rebus diuersis similia conferentes. Exempla autem conuenientia inferri debent & manifesta, ex quibus sciri & manifestari possit propositum, qualia consueuit ponere Homerus: non obscura quæ propositum obscurent, qualia consueuit ponere poëta nomine Chœrilus. sic enim in talibus exemplis & parabolis planum erit quod quæritur. Sic ergo de ampliatiuis & explanatiuis vtendum est.

CAPVT IV.

Qualiter inductione siue inductiuis vtendum est.

Vtendum autè in disputando, &c.

INductiuis autem qualiter vtendum sit, post hæc dicemus. Sed prænotandum est, quòd in disputando magis vtendum syllogismo, quam inductione ad dialecticos secundum quod dialecticos exercitatos in rationibus vocamus: magis enim ad illos vtimur syllogismo dialectico, quam inductione, & magis ad illos syllogismo quam ad plures. Inductione verò è contrario vtimur magis ad plures quam ad dialecticos, & quam syllogismo: hoc autem & prius dictum est: plures sequuntur iudicium sensus, dialectici autem magis rationibus intendunt.

In aliquibus verò non facile, &c.

Inductiuis autem propositionibus possibile est vti, & inductiuas propositiones interrogare in

in quibus est vniuersale vniuocum, quod vna similitudine & ratione respiciunt omnia singularia. In aliquibus autem scilicet communibus non est facile inducere: eò quod in similibus non omnibus vel singularibus est positum vnum nomen vniuocum, ad quod vna similitudine omnia singularia respiciunt secundum inductionem. Sed quoniam oportet vniuersale per inductionem particularium sumere & concedere: tunc inductis quibusdam dicunt, sic in omnibus talibus, & sic de singulis, signantes quòd omnia similiter respiciant ad vniuersale. Hoc autem diuidere & distinguere difficillimum est in his quæ non vniuocè commune nomen participant: difficile enim est distinguere qualia sunt (hoc est, quali modo commune respiciunt) quæ sunt de numero eorum quæ proferuntur inducendo, & qualia sunt huius, & qualia similiter communis prædicationem suscipiunt, & qualia non. Et hoc ideo est: quia tale aut æquiuocè dicitur de inductis, aut secundum analogiam. Si primum, tunc inducta non respiciunt ipsum in similitudine vnius rationis. Si autem dicitur, quòd secundum analogiam: tunc ipsum similiter non est nisi in vno deductorum, & de aliis non dicitur, nisi quia sunt modi quidam illius: & propter hoc etiam plerumque opponens & respondens se retundunt contendendo adinuicem in disputationibus, & alij dicunt opponentes respondentibus, quòd similia sunt quæ non sunt similia: alij verò respondentes dubitantes ex ambiguitate communis, quæ sunt similia, dicunt non esse similia.

Quære tentandum est, &c.

Remedium autem ad hoc est, quòd tentandum est in omnibus talibus per distinctionem nominis tale distinctum ad vnam significationem nomen ponere, quod sit adeò apertum, vt neque respondenti liceat dubitare, & dicere, quoniam non similiter de singularibus dicitur vniuersale quod infertur: neque liceat calumniari interroganti velut non similiter dicto; eò quod plura eorum singularium (quæ non similiter dicuntur) similiter dici videntur ab opponente.

Quando autem inducente in omnibus, &c.

Quando autem opponente inducente in pluribus similibus, respondens non dederit vniuersale concludi ex illis: tunc iustum est opponenti exigere instantiam à respondente, propter quam negat inferri vniuersale. Cum autem non dicat per inductionem, quòd in aliquibus pluribus est sic: tunc non est iustum dicere, quòd in talibus est instantia: quia tunc non daretur instantia contra inductionem, quam non facit opponens: quia non dixit in pluribus esse sic: oportet enim eum qui prius inducit & inductionem facit, sicut prius inductionem facit, ita exigere instantiam: & oportet respondentem non ferre instantiam in eo quod proponitur & quod propositum est, sed in alio, aut dicere, quoniam hoc solum est tale vbi ipsum propositum sit vnum, hoc est, sit vniuocum, in quo sit instantia, & in alio instantia non inueniatur, vt patet in hoc exemplo, cum dicitur, quòd dualitas solus primus est parium numerorum: oportet ergo eum qui instat in altero quam in proposito, instantiam inferre: aut dicere, quoniam solum propositum tale est in quo sit instantia.

Amplius ad hos qui instant, &c.

Alias enim impediendi modus contra inductionem est ad eos qui instant contra vniuersale siue vniuersali, sed non in eo ipso instantiam ferunt quod intenditur, sed in æquiuoco propter similitudinem nominis vel conuenientiam cum vniuersali. Cuius exemplum est, vt cum dicitur, quoniam aliquis non habebit sui colorem vel sui pedem vel manum: & dicente aliquo, quod hæc falsa vniuersaliter, instet aliquis & dicat, quoniam pictor non habet suum colorem, & coquus non habet suum pedem, sed fortè alterius est. Remedium in talibus est, quòd opponentem oportet in talibus interrogare, & apponere diuidentem & distinguentem talia, quod aliter est aliquid alicuius vt subiecti, & aliter vt pars totius integri, & aliter vt passio, non latente æquiuocatione bene videntur respondentes instare cõtra propositum. Si autem respondens non instat in æquiuoco, sed in eodem (hoc est, in vniuersali proposito) instet, & sic per instantiam prohibeat siue impediat inductionem in omnibus: tunc opponentem oportet esse auferentem illud per exceptionem in quo est instantia & reliqua inducere ad vniuersalem, & tantum oportet eum excipere donec per inductionem aliorum sumat quod est etiam vtile ad propositum concludendum. Sicut exemplo patere potest in obliuione & oblitum esse: non enim cõcedunt, quòd omnis qui disciplinam amisit, habet oblitum esse, ferentes instantiam, eò quod re de qua disciplina erit, cadente ab esse, sic amisit quidem disciplinam aliquis, tamen non est oblitus: & hoc fuit dictum Heraclitorum: & tunc opponenti auferendum est per exceptionem id in quo est instantia, & reliquū est vniuersaliter ex inductione sumendum, vt sic dicat, quod re permanente in eodem statu amisit disciplinam, quoniam est oblitus.

Non est idem amittere disciplinam, & oblituisci secundum Heraclitum,

Similiter autem exceptione vtendum est contra instantes ad hanc vniuersalem, quoniam bono maiori malum maius opponitur: proferunt enim instantiam, & dicunt, quoniam sanitati (cum sit minus bonum quam euechia) opponitur maius malum infirmitas etiam quã euechiæ, cui opponitur cachechia, quod est minus malum quam infirmitas: nam infirmitatem maius esse malum cachechia auferendum per exceptionem: & in hoc in quo est instãtia, & reliquum vniuersaliter est proponendum. Nam ablato eo in quo est instantia, magis ponet siue concedet respondens reliquum quod vniuersaliter sit verum: vt si dicatur, quoniam omni maiori bono maius malum opponitur, nisi conferat minus bonum ad alterum sicut pars ad totum, velut euechia se habet ad sanitatem.

Non solum autem instare, &c.

Non solum hoc faciendum est respondente instantiam ferente, sed faciendum est etiamsi non ferat instantiam, & tamen neget: eò quod præuideat aliquid talium in quo instantiã vniuersaliter ferant: ablato enim eo in quo est instãtia, cogitur ponere siue cõcedere respõdens: eò quod in reliquis nihil taliũ esse præuideat, in cuius instantia sic non sit sicut proponitur. Si autem nõ ponat adhuc, sed neget, & experatur

Propositio sumpta quæ assumitur ex dictis Philosophi huc.

tur instantia ab eo, non habebit reddere instantiam: & tunc sustinebit increpationes. Ex hinc autem tracta est quæ dicit, quòd propositio in toto falsa verificanda est per exceptionem partis pro qua falsa est. Sunt autem omnes huiusmodi propositiones, in quibus inductiuis propositionibus vti difficile est, quæ in alio quidem sunt falsæ, & in alio sunt veræ: in talibus contingit aliquem auferentem id in quo falsæ sunt per exceptionem, reliquum vniuersaliter verum reliquere. Si autem in multis inductis sint positæ, proponente vniuersaliter, respondens autem non ferat instantiam, dignū est vt ponat (hoc est, concedat) eam: & hoc per diffinitionem propositionis dialecticæ probabitur. Nam dialectica propositio vniuersaliter est, contra quam in multis sic (hoc est, similiter) se habentem non est vel non apparet instantia, &c.

CAPVT V.

Qualiter syllogismo ad impossibile non est vtendum dialecticè disputanti.

Quoniam autem contingit idem &c.

QVoniam in propositionibus necessariis ad conclusionem syllogismi dialectici contingit idem (siue eandē conclusionē) ostensiue siue deductione ad impossibile syllogizare. Et hoc facere demonstranti & non dialecticè disputanti nihil differt quoad intenti propositi probationem (vel sic) ostensiuè (vel illo modo) ducendo ad impossibile syllogizare. Disputanti autem dialectice (propter hoc quod ex probabilibus procedit in quibus falsum est probabile sicut verum, & ideo non apparet impossibile & falsum conclusum) non est vtendum per impossibile vel ad impossibile syllogismo.

In syllogismo ad impossibile duo sunt syllogismi.

In syllogismo enim ad impossibile duo sunt syllogismi. Primus ad impossibile ex dato falso cum altera præmissarum sumpto. Secundus impossibile conclusum accipiens, & per illud rediens ad propositum, & illud confirmans ex apparente falso quod sequebatur. Dico igitur, quòd non est interroganti & opponenti dialecticè disputandum vtendo syllogismo ad impossibile: nam cum ipse ostensiuè vel sine impossibili ad quod deducat, syllogizat: tunc non est vel contingit dubitare respondentem de conclusione, sed oportet, quòd concedat eam: sed quando syllogizatur impossibile ad quod deducitur, nisi valdè manifestum sit esse falsum ad quod deducitur, tunc respondentes non illud dicunt esse impossibile. Et huius causa est: quia in probabilibus non est valdè manifestè falsum: quia negatiua probabilis in contingentibus sicut & affirmatiua: & quod contingit esse, contingit non esse: & ideo dicunt respondentes illud non esse impossibile, quod conclusum est pro impossibili: & propter hoc non fit (siue non contingit) interrogantibus quod volunt de probatione propositi. Hoc igitur obseruandum est in forma argumentationis.

Quare dialecticus disputando non debet vti syllogismo ad impossibile.

Oportet autem proponere quæcunque, &c.

In propositionibus autem oportet proponere & vniuersaliter quæcunque in pluribus quidem sic se habent vt proponitur, ita quod aut non sit instantia: aut si est, non statim apparet in superficie vniuersalis propositæ: quia hoc sufficit, cum non ex rei veritate, sed ex his quæ videntur omnibus aut pluribus, procedat proprie dialecticus. Nam respondentes, quia non possunt inspicere instantias in quibus non est sic vt vniuersalis proponit, ponunt ipsum & concedunt ipsum vt verum.

Non oportet quidem, &c.

Sed hic obseruandum est, quòd licet idem fit quæstio primo proposita, & conclusio vltimò inducta, tamen dialectico disputāti obseruandum est, quòd non oportet conclusionem facere interrogationē: si autē hoc non obseruat opponens, ipso respondente renuente & negāte conclusionem propositā per modū quæstionis vel interrogationis, postea quando concludit, nō videtur ex concessis fieri syllogismus: sæpè enim ipsi respondentes etiam ipso opponente non interrogante conclusionem, sed inferente eo conclusionem sicut ex interrogatis antecedentem negant eam: & cum hoc faciunt respōdentes, tunc non videntur arguere ipsi opponentes his qui non conspiciunt neque conspicere possunt, quoniam accidit talis ex interrogatis conclusio, & ex his quæ posita sunt & concessa. Multa ergo videbuntur syllogizare, quando conclusio interrogata prius negata est: vnde quando ipse dicens siue opponens non dicit eam accidere, sed interrogabit eam, illo respondente negante eam, omninò non videbitur fieri syllogismus: & ideo conclusio non est præinterroganda disputanti dialecticè.

Non videtur autem omne vniuersale, &c.

In modo autem interrogandi non videtur omnis propositio vniuersalis dialectica propositio: vt si proponat per diffinitionem quis, quid est homo: aut per diuisionem quot modis dicitur bonum. Huius autem ratio est: quia dialectica propositio ex probabilibus est, ad quam est respondere sic vel non sub disiunctione: quia potest esse sic vel non: ad dictas autem propositiones non est respondere sic vel non: quare non sunt dialecticæ huiusmodi interrogationes. Et hoc quidem verum, nisi ipse opponens determinans sit eas per modum interrogationis: vt si dicat diuidendo respōsurus ad interrogationem, putasne bonum sic vel non sic dicitur multipliciter: Nam taliter propositam ad interrogationem facilis est ex probabilibus responsio, vel respondendo affirmatiuam, vel respondendo negatiuam. Propter quod opponenti tentandum est in disputando proponere huiusmodi, hoc est, in tali forma, aut tales propositiones. Similiter autem fortasse iustum est opponentem ab illo qui respōdet, inquirere, quot modis dicitur bonum, quando eo (hoc est, opponente) diuidente & distinguente modos boni, nullo modo consensit dici bonum quo diuisit opponens: & hoc ideo: quia opponens dialecticè non potest nisi ex datis probabilibus procedere: & ideo oportet eum inquirere iudicium respondentis, & ab eo inquirere modos quibus procedat ad distinctionem modorum multiplicis.

Quisquis autem vnā orationem, &c.

Peccatum autem incidens in modo opponendi, quòd quisquis opponentium vnam orationem siue propositionem multo tempore & multoties interrogat, peccat & malè inquirit: nam si respondente sæpius interrogato, ipse respondens sæpius responderit ad hoc quod interrogat opponens, palam quoniam aut opponens multas interrogat, aut interrogat easdem propter quod si frequenter interrogat easdem, tunc aut iuuenatur, hoc est, stultitiam iuuenum imitatur, qui non accipiunt quod responsum est: aut si plures vel plurimas facit interrogationes, non habet syllogismum: nam ex paucis, duabus scilicet propositionibus in vno termino conuenientibus, & ex paucissimis est omnis syllogismus. Si verò non habet syllogismum, respondente dicente hoc ipsum, quoniam non habet syllogismum, tunc opponens aliud facere non potest, nisi quod respondentem increpat, vel recedit à proposito, & dimittit commune opus: & posset etiam dici, quòd respondens non increpat opponentem, & recedit tanquam à iuuenante & stulto, &c.

Quid sit iuuenari.

CAPVT VII.

Qualiter probentur orationes per priora & posteriora, & qualiter oportet opponentem & interrogare & ordinare ea quæ interrogat.

Est autem & conari difficile, &c.

COmparando autem vnam orationem alteri secundum difficultatem probandi, dicimus quòd difficile est opponendo conari, & respondenti sustinere facile eisdem hypotheses siue positiones in quibusdam: talia autem sunt & quæ natura sunt prima, vt principia, & quæ natura sunt vltima, vt conclusiones. Nam principia quidem ad sui declarationem vel manifestationem indigent diffinitione: quia syllogismo terminari non possunt, cum non habeant alia priora, sed diffinitione terminorum cognoscuntur: postrema verò per multa media diffinguenti terminantur volenti continuum sumere descensum à primis vsque ad vltima: & tamen sic à primis oportet opponentem descendere vsque ad vltima, si vltima debeant bene terminari: quia aliter peteret principium, & sic sophisticè argumentabitur, & videbitur sophisticè facere argumentationes: & cum hoc sit difficile, patet quod vltimorum terminatio per syllogismum dialecticum difficilius, qui non incipit à primis & veris & immediatis. Et ideò non demonstrat qui non incipit à primis principiis, & sic per omnia media copulat vsque ad vltima: prima autem determinare difficile. Ergo quia respondentes non probant diffinire per hoc, quod non facilè acquiescunt diffinitionibus datis, neque attendunt diffinitionibus si interrogans & opponēs talia diffiniat: quia multa dici possunt contra diffinientes: Si autem principium non sit factum manifestum per diffinitiones terminorum, non erit facile argumentari: quia sicut principium scimus, inquantum terminos cognoscimus. Maximè tamen huiusmodi difficultas circa principia accidit: quia ista maximè

Principia cognoscuntur diffinitione terminorum.

Impossibile aliquem demonstrare nisi incipiat à primis principiis copulando ea vsque ad vltima.

Quæ sunt principia propinqua, difficulter probantur: quia non habent multa media.

scire oportet: quia alia quæ posteriora sunt, per hæc quæ sunt principia, cognoscimus: quia per principia monstrantur. Ipsa verò principia non contingit per alia cognosci syllogisticè: sed necesse est vnumquodque talium cognosci per diffinitionem. Adhuc autem quamuis minus difficilia sunt quam principia, tamen vix probanda sunt & difficiliter ea quæ principiis primis sunt propinqua. Et huius causa est: quia non contingit plures ex pluribus mediis ad hoc habere rationes vel inuenire: quia valdè pauca habent ante se, ex quibus probantur, cum sint ad ista pauca media eorum & principiorum, ex quibus sicut ex prioribus monstrantur quæ sunt post ipsa principia.

Diffinitionum autem difficillimæ, &c.

Prædicata autem quæ sunt de numero diffinitionum siue diffinitiones omnes difficillimæ sunt argumentabiles: & inter diffinitiones omnibus diffinitionibus illæ difficilius sunt argumentabiles quæcunque talibus vtuntur nominibus, quæ primum quidem obscura sunt, siue simpliciter (hoc est, vno modo) dicantur, siue multipliciter, hoc est, multis, modis. Adhuc autem maximè est difficile illa argumentari, de quibus non est notum vtrum principaliter secundum primam nouam impositionem, vel secundum translationem similitudinis aliquam factam dicantur de diffinito. Nam talia quia sunt incerta in quo sensu dicantur, non habent argumenta quibus terminentur. Quia verò ignorantur, quantum ad hoc quod ignorantur, si propter hoc talia sunt quod secundum translationem dicuntur, non habent increpationem.

Omnino autem omnis propositio, &c.

Prout autem difficile est ad probandum omninò & vniuersaliter omnis propositio (quæ difficilis est ad probandum aliquid) vel diffinitione arbitranda est indigere, vel est eorum quæ multipliciter dicuntur: & propter hoc est, quòd difficilis est ad probandum: vel est eorum quæ secundum translationem dicuntur: vel quia non longè est à principiis aut etiam quia non est nobis manifestum secundum quem dictorum modorum est dictum quod præstat dubitationem. Nam cum nobis efficitur manifestus modus, secundum quem dubitationem faciebat, tunc palam efficitur, quoniam aut diffinire oportebat si sit manifestum principium, aut diuidere si sit manifestandum per partes, aut oporteret medias propositiones inuenire per quas probaretur, quia incertum erat: nam per hæc quæ sunt dubia, probantur vltima.

Quot modis propositio redditur difficilis ad probandum.

Sed in pluribus propositionibus non bene, &c.

Adhuc autem in propositionibus pluribus primis (quando non bene assignatur diffinitio) non est facile conari ad disputandum de ipsis: sicut est exemplariter videre, si quæratur de hac propositione, vtrum vnum vni contrarium est, vel plura: diffinitis autem contrariis secundum modum quo debent diffiniri, vt quod contraria sunt quæ sub eodem genere maximè distant, facile est videre vtrum contingat plura eidem esse contraria: quia cum maximè distent, & quòd per superabundantiam dicitur, non conueniat nisi vni, non conuenit eidem plura esse contraria. Eodem autem modo est in aliis quæ indigent diffinitione.

Videntur autem & in disciplinis, &c.

Videntur autem in disciplinis quædam obdiffinitionis

diffinitionis defectionem obscuritatem generare, sicut patet in exemplo mathematico, vt si dicatur, linea (quæ iuxta latus secat planum) similiter diuidit superficiem & locum, hoc est, secundum diuisionem lateris inferioris & superioris æqualem diuidit in duo media æqualia, & planum, id est, superficiem, & etiam locum secundum spatium quod est inter lineas: & hoc videre poteris in figura in margine sic.

Linea

Planum

Diffinitione autem dicta, scilicet quid sit diuidi iuxta latus in duo æqualia, statim manifestum est quod dicitur: eo quod eandem ablationem siue diuisionem habent loca & lineæ: quia loca siue spatia lineis continentur, & secundum diuisionem linearum diuiduntur. Est enim diffinitio eius rationis siue proportionis, secundum quod etiam proportio diuisionis spatij siue loci quod interiacet lineis. In elementis autem siue principiis simpliciter primis, postquam diffinitiones terminorum positæ sunt, facillimum est ostendere.

Simpliciter autem prima elementorum, &c.

Vt positis quibusdam terminorum diffinitionibus, vt quid est linea, & quid circulus, quid punctus, & huiusmodi, facillimè ostendimus prima theoremata, vt patet in primo Euclidis: eò quod non est multa siue per multa media ad vnumquodque primorum argumentari: sed per ipsas suorum terminorum probantur diffinitiones, sicut patet per probationem primi Euclidis, quæ est, quod super datam lineam triangulum æquilaterum conuenit collocare: quod probatur per solam diffinitionem circuli. Si autem ista prima non probantur per tales positas principiorum diffinitiones, difficillimè probabuntur: non enim tunc probabuntur nisi experimento: fortasse autem via syllogistica, & omninò impossibile est probare ea. Similiter autem his quæ dicta sunt, & in his quæ sunt circa orationes, hoc est, dialecticas orationes se habet: & istæ ex diuersis & primis & mediis & vltimis proponuntur: & oportet non latere opponentem, quoniam difficile est argumentabilis propositio, quæ passa aliquid eorum trium quæ dicta sunt de primis & mediis & extremis. Comparando autem difficultatem propositionis ad difficultatem conclusionis, quando disputatio erit circa axioma quod est propositio pro conclusione posita (Græcè enim axioma dicitur propositio pro conclusione posita: dicunt tamen quidam, quòd axioma est propositio ad probandam alteram assumpta, quæ difficilior est ad probandum quam illa ad cuius probationem assumitur: ponitur enim hic pro propositione affirmante syllogismum) cum ista difficilior sit ad probandum, quàm principalis positio siue conclusio, maior labor erit disputare ad illam, quam ad principalem positionem siue conclusionem: & quia ipsa est immediata, ad ipsam non est via argumentationis.

Axioma quid.

Dubitabit ergo aliquis, Vtrum in dialectica disputatione ponenda (hoc est, supponenda) sint talia axiomata & cõcedenda à respondente, an sit exigenda probatio ipsorum ab opponente, eò quod dialectica inquisitiua est, & ad methodorum principia viam habet, & est ratio ad vtranque partem illius dubitationis. Nam si alius dicat, quòd respondens non ponat siue supponat ista, & præcipiat ad hoc disputare vt probentur: tunc videtur inconueniens: quia tunc præcipiet maius (hoc est, maioris laboris) negotium, quam sit quod à principio positum est: & hoc vocatur apud Philosophos difficilioris assumptio. Si verò alius dicat, quòd ea respondens ponat & supponat tanquam per se nota, tunc sequitur, quòd credet aliqua probata ex illis, tanquam ex minus credibilibus, inquantum minus probata sunt: cum tamen via dialectica sit ad ista, sicut ad methodorum principia. Ergo ex his ad vtramque partem disputatis, patet quod si oportet non facere difficilius problema: tunc ponendum est à respondente axioma. Si autem oportet semper per notiora & probata syllogizare: tunc non est ponendum axioma: aut ergo ad vtrumque occurrit inconueniens.

Dubitabit autem aliquis, &c.

Aut dicimus soluentes ad hoc, quòd diuersis disputationibus & ponendum & non est axioma: discenti enim (hoc est, disciplinaliter disputanti) non est quidem ponendum, nisi notius & verius sit per se & secundum naturam, sed dialectico exercenti (hoc est, exercitatiuè disputanti) ponendum, quamuis non sit per se notius, dummodo verum videatur, & non habeat in superficie instantiam. Propter quod manifestum est, quòd non æqualiter & discenti siue disciplinaliter disputanti dignum est huiusmodi propositiones ponere. Epilogaliter ergo dicendo, penè sufficienter dictum est, quomodo oportet opponentem & interrogare & ordinare ea quæ interrogat.

Aut discenti quidem &c.

TRACTA

TRACTATVS II.

De instructione respondentis & de modo respondendi.

CAPVT I.

Quid est opus proprium bene respondentis.

De responsione autem primum determinandum, &c.

DE instructione autem respondentis & de responsione siue de modo responsionis tractaturis nobis, primo quidem hoc determinandum est, quòd ad omnia alia sicut principium præmittendum: eò quod ex proprio opere respondentis proprius modus respondendi ad singula determinetur & inueniatur. Primo ergo determinetur quid est opus proprium bene respondentis, sicut & opus proprium determinatum est in antecedentibus opponentis siue interrogantis.

Quod sit opus interrogantis in dialectica.

Est autem opus proprium interrogantis & optimum in dialecticis, prout dialectica est ad obuiationem, sic inducere orationem interrogatiuam, vt faciat respondentem concedere improbabilissima, & aliter non esset obuiatiua ad improbabiliora quam illa quæ propter positionem improbabilem sunt necessaria, hoc est, quam ea quæ ex probabili penè sequuntur: quia sicut opponentis est obuiare respondenti, ita respondentis est obuiare opponenti: verum respondenti quidem est à contrario obuiandum, quod semper ita respondeat, quòd non videatur propter eum (hoc est, propter suam responsionem) accidere impossibile, aut aliud accidere impossibile siue improbabile: sed si quid taliuin accidit, videatur accidere propter positionem improbabilem quam sustinet: vtroque enim istorum modorum peccare posset respondens. Si autem non sustinet positionem aut si concedat improbabilia secundum rem: quia diuersum est peccatum. Aut etiam si ponat primum in ipsa positione quod non oportet: & aliud peccatum si ponat quod oportet, & non seruet illud secundum illum modum seruandi quem debet vel potest. Modus autem iste est, vt consequentia ad positionem concedat, & repugnantia neget: quod exoritur scientia falsæ positionis. Sic igitur patet in communi quid est opus bene respondentis: hoc autem diuersum est in diuersis disputationibus eius, & artificialiter nihil determinatum est adhuc de modis bene respondentis secundum suum proprium opus: oportet autem determinare hoc per disputationis diuersitatem, & positionis distinctionem.

Quoniam autem infinita sunt &c.

Quoniam igitur infinita sunt quæ obseruanda sunt respondenti, his (hoc est, ad hoc disputantes vel opponentes) qui propter gymnasium (hoc est, luctam & certamen) ad obuiationem disputationem faciunt, & similiter intimarum est quid respondenti obseruandum est ad eos qui faciunt rationes siue ratiocinationes & disputationes propter experimentum accipiendum de veritate problematis assignati vel conclusionis, sicut facit dialecticus inquisitiuus, oportet de isto facere mentionem. Non enim eædem considerationes obseruandæ in disputando, docentibus siue doctrinaliter disputantibus, & discentibus (hoc est, inquisitiuis) ad experimentum veritatis conclusionis, & colluctantibus, hoc est, ad obuiationem disputantibus vel sophisticè: quia dialecticus obuians aliquando induit formam & habitum sophistici, præcipuè in cautelis: quamuis hoc non faciat ad finem deceptionis per locum sophisticum qui est fallacia. Neque est eadem consideratio in respondendo his qui ad exercitium disputant, exercentes seinuicem perfectionis causa, hoc est, vt perspicaciores fiant. In omnibus enim his diuersas considerationes oportet habere respondentes obseruando suum proprium opus, quod est nihil videri pati propter opponentem: & si patiatur aliquid, hoc est propter positionem: quia secundum modum positioni proprium habet defendere, hoc est, vt concedat hoc quod est ex positione sequens, nihil positioni repugnans, sicut parum ante dictum est. Ars enim artifici tradita virtutem confert ad opus proprium. Quod autem considerationes diuersæ obseruandæ sunt ad diuersimodè disputantes, patet ex hoc quod discenti (hoc est, inquisitiuè disputanti) semper ponenda & concedenda sunt à respondente ea quæ videntur esse vera: quia aliter non adiuuatur ad suum opus & ad suum finem à socio siue disputante. Nullus enim discentium conatur aliquod falsum dicere vel persuadere finaliter, vt fiet in isto: & si concludat falsum ad impossibile syllogismo, ab illo redit statim ad oppositum veri: & stat in illo: & sic respondens etiam concedens ea quæ videntur esse vera, nihil patitur propter opponentem, sed quod patitur, est propter positionem.

Dialecticus obuians quãdoque induit habitũ sophistici.

Aliæ autem considerationes habendæ sunt respondendo colluctatiuè disputanti ad obuiationem: oportet enim aliud facere videri contra respondentem eum qui colluctatiuè disputat, qui non tantum intendit ad positionem disputare, sed plus intendit disputare obuiando respondenti: respondentem enim ad illum oportet se habere ad eum, vt nihil ab eo pati videatur:

videatur: & ideò ad eum indiget cautelis & considerationibus cautelarum. In conuentionibus autem dialecticis, quando opponens conuenit respondentem, in his quidem qui non colluctationis causa, sed causa experimenti (hoc est, expediendæ per syllogizationem & ratiocinationem veritatis) & causa perspectionis, id est, vt perspicaces fiant, faciunt disputationes, nondum ab aliquo artifice enodatum est quid considerando oporteat coniecturari respondentem, & qualia oporteat eum non dare siue negare ad positionem obseruandum, quam secundum proprium modum & opus oportet obseruare respondentem, vt dictum est. Et quia de hoc nihil habuimus traditum ab aliis, quod conueniens sit, oportet quod nos ipsi tentemus aliquid de hoc artem tradendo dicere.

CAPVT II.

Quæ & qualia coniectanda sunt respondenti, siue propositum, seu positio sit probabilis simpliciter, siue alicui vel respondenti vel alij.

Necesse est autem sustinere, &c.

QVia igitur positionem modo proprio positam sequitur custodire, respondentis autem positio variatur, oportet quod modus respondendi secundum diuersitatem positionis sit diuersus. Necesse est autem respondentem qui ponit orationem quæ positio vocatur, aut probabilem proponere positionem, aut improbabilem, aut neutram, quæ alicui probabilis est, & alicui improbabilis: vel quod nec videtur, nec non videtur. Et adhuc subdiuidendo hoc oportet eum ponere, aut simpliciter probabilem, aut simpliciter improbabilem, aut indifinitè & indeterminatè medio modo se habentem, vel huic quidem alicui probabilem, vel alij cuicunque, aut ipsi respondenti improbabilem.

Nihil autem differunt quolibet modo, &c.

In communi autem considerando opus respondentis quoad se & quoad ipsum, nihil differt quoad modum respondendi in communi quolibet modo siue qualitercunque probabilis siue improbabilis sit positio de qua respondet: nam idem in communi modus erit determinatus respondendi bene, & idem modus dandi (hoc est, concedendi) vel non dandi siue negandi quod interrogatum est ab opponente, quoad hoc, vt caueat vt nihil videatur pati ab opponente maximè obuiante: & tamen nihil dicat repugnans positioni. Et hoc probatur ex hoc, quòd cum improbabilis sit positio, tunc necesse est fieri vel sequi ex oppositis ab opponente obuiante probabilem conclusionem: cum verò probabilis est positio, tunc è contra necesse est fieri conclusionem improbabilem: eò quod interrogans obuians semper conatur concludere oppositum positioni. Si autem id quod positum est, siue positio, nec est probabile quid simpliciter, neque improbabile simpliciter, necesse quod conclusio quam opponens concludere conatur, sit talis qualis positio, hoc est, neque simpliciter probabilis, neque simpliciter improbabilis.

Quoniam autem qui bene syllogizant, &c.

Et vna doctrina generalis est, quòd respondens caueat, quòd ad conclusionem quam intendit opponens, non deueniat, quando obuiando disputat: quia aliud ab eo pati videbitur. Hoc autem hos modo fiet: quoniam enim qui bene syllogizant, illi ex probabilibus vel notioribus demonstrant, hoc est, ostendunt propositum siue conclusionem, manifestum est, quòd quando simpliciter improbabile est ad quod disputat obuians, tunc respondenti è contrario obuianti nihil dandum est vel concedendum de his quæ simpliciter non videntur: quia ista concedi non possunt. Neque etiam aliud dandum de his quæ videntur quidem, sed minus videntur siue minus probabilia sunt in conclusione: & hoc ideò est: quia cum improbabilis sit positio, probabilis fit conclusio: & ipse per probabilia deueniet ad conclusionem probabilem: & hoc obuiando cauere debet respondens. Si enim ad conclusionem probabilem deuenire debeat opponens, oportet quòd omnia quæ sumuntur ab ipso ad probandum probabilem conclusionem, aut probabilia esse, aut etiam magis probabilia conclusione si debet (sicut dictum est) per notiora id quod minus notum est, concludi. Propter quod si quid eorum quæ interrogantur, non tale est, hoc non est ponendum siue concedendum respondenti. Si autem simpliciter positio probabilis: tunc palam ex dictis est, quoniam conclusio quam obuiando intendit concludere opponens, erit improbabilis.

Ponendum ergo & quæ videntur, &c.

Ergo tunc respondenti ponendum est omnia quæ videntur siue probabilia sunt, & etiam de his quæ non videntur, hoc est, quæ sunt improbabilia, poni & concedi possunt quæ minus improbabilia sunt conclusione intenta: quia per ista ad improbabilem conclusionem non potest deuenire: si enim talia ponat respondens, sufficienter videbitur tractum esse opponenti. Similiter autem si neque probabilis, neque improbabilis sit positio: nam etiam sic respondenti dandum & concedendum est omnia quæ videntur siue quæ probabilia sunt, & etiam de his quæ non videntur quæcunque sunt magis probabilia conclusione: sit enim accidit fieri disputationes probabiliores in præmissis quam sit conclusio: & per talia non deueniet ad conclusionem neutram.

Ergo si simpliciter quidem, &c.

Ergo si simpliciter est probabile vel improbabile quod ponitur ad ea quæ videntur simpliciter, faciendum est responsiones (vt dictum est) talia & dando & non dando per quæ ad conclusionem intentam non deueniat. Si autem id quod ponitur à respondente, neque probabile sit simpliciter, nec simpliciter improbabile, sed sit probabile vel improbabile respondenti: tunc ponendum vel non ponendum iudicando vel comparando rationes ad ipsum quod videtur, vel quod non videtur: & ista semper talia concedat per quæ ad conclusionem intentam non deueniat: quia tunc nihil pati videtur ab opponente.

Si verò alterius opinionem, &c.

Si autem non suam opinionem, sed alterius opinionem obseruat, palam est, quoniam ponendum

nendum siue concedendum vel negandum aspiciendo ad illius intellectum, vt & nihil repugnans positioni dicat, & tamen ab opponente nihil pati videatur. Propter quod & illi qui ferunt extraneas opiniones siue positiones, sicut Heraclitus dixit bonum & malum esse idem, non concedunt repugnantes illi positioni, hoc scilicet quod contraria simul non sint in eodem subiecto, siue quod mutuò se expellant ab eodem susceptibili: quia per hoc destrueretur positio eorum: quia non videretur eis, quod secundum Heraclitum sustinendo positionem suam sic dicendum sit. Faciunt autem hoc in obuiationibus disputationibus omnes qui ab aliis vel à se susciunt opiniones vel positiones extraneas defendendas: coniectant enim intellectum positionis secundum illum sensum vt dicit qui ponit, & nihil concedunt repugnans. Diximus enim, quòd obuiando disputans plus attendit positionem & etiam fictionem, quàm problema: & respondens cauet vt nihil pati videatur ab opponente. Epilogando ergo dicimus, quòd ex dictis manifestum est, quæ & qualia coniectanda sunt respondenti, siue propositum siue positio sit probabilis simpliciter, siue alicui, vel respondenti, vel alij.

CAPVT III.

De modo respondendi ad interrogationem ab opponente propositam, siue simplex sit, siue multiplex.

Quoniam autem necesse, &c.

HIs autem determinatis quomodo respondendum est ad positionem & disputantem sic vel sic, determinandum est de modo respondendi ad interrogationem ab opponente propositam, siue simplex sit, siue multiplex. Diuidendo ergò præmittimus dicentes, quòd omne quod interrogatur ab opponente, aut est probabile, aut improbabile, aut neutrum, sicut & ipsa positio has habuit tres differentias. Et iterum hoc est pertinens ad orationem siue propositum, vel est non pertinens ad orationem. Et si quidem quod interrogando proponitur, est apparens siue probabile, & non pertinens ad orationem siue propositum: tunc respondenti dandum cum hac protestatione, quòd dicat, quod videtur esse apparens siue probabile quidem: quia ex hoc nihil patietur, cum non sit ad orationem. Si verò quod interrogando proponitur, non est apparens siue probabile, & etiam non ad orationem, dandum quidem est: sed protestando & significandum in ipsa concessione vt dat, & non videtur: & hæc protestatio facienda est ad cautelam fatuitatis: ne etiam fatuus videatur, qui dat improbabile & quod ad orationem non pertinet. Si vero sit quod interrogatur, ad orationem, & videtur etiam probabile: tunc quidem dandum est cum hac protestatione, quòd videtur probabile esse quod propositum est, sed valdè propinquum videtur ei esse quod in principio propositum est & inuolutum in illo. & interimitur hoc proposito siue concesso id quod positum est à principio. Si autem id quod interrogatur, est ad orationem & valdè improbabile: tunc fatendum est respondenti axioma accidere, hoc est, difficilioris assumptionem: & dicendum, quòd est valdè fatuum hoc ponere. Si verò nec probabile sit, nec improbabile, & quod nihil ad orationem pertinet, dandum, ita quod nihil protestetur respondens, nec aliud protestando determinet. Si autem est quod interrogatur, ad orationem, & improbabile, dandum quidem cum protestatione, quòd & hoc posito interimitur quod in principio positum (hoc est, propositum) propter concessionem eius quod improbabile est. Nam sic obseruando has cautelas, & ille qui respondet, nihil videtur pati propter hoc quod opponens interrogando proponit, si singula quæ opponens proponit, sit præuidens, & inconuenientia esse sit protestans: & etiam in his qui interrogat, assequitur syllogismum positis & concessis à respondente omnibus interrogatis quæ conclusione & proposito sunt probabiliora, & sic non habet increpationes, & nihil patitur ab opponente. Quicunque verò opponentium ex improbabilibus quam conclusio, sic conantur syllogizare, palam est, quoniam non bene syllogizant, & propter hoc sic & talia interrogantibus siue proponentibus non est concedendum à respondente quod interrogant.

Similiter autem & in his, &c.

Similiter autem seruandæ sunt in his quæ obscurè (hoc est, in multipliciter) dicta interrogantur: his obuiatiua disputatione à respondente obuiandum est caute, vt nihil pati videatur. Quoniam autem in talibus concessum est respondenti, quòd non intelligitur obscurum & multiplex, dicere à principio ad opponentem, quod non intelligit id quod proponit: & iterum conceditur respondenti aliquo propositorum multipliciter, quod non est necessarium, quòd ipse illud vel simpliciter confiteatur vel simpliciter neget. Palam ergo, quòd nisi primum propositum planum sit & simplex, non est pigritandum dicere respondenti se non intelligere: & hoc ideò faciendum est: quia sæpè obuiat difficile aliquid respondentibus, ex hoc quod dant & concedunt ea simpliciter quæ non sunt prana, cum proponuntur ab interrogantibus.

Si autem notum quidem, &c. *Ex hoc patet, quòd propositio multiplex non est semper distinguenda.*

Si autem à principio notum quidem sit respondenti, quòd interrogatum multipliciter dicitur, considerandum si ipsum multiplex in omnibus quidem sensibus verum vel falsum sit: tunc simpliciter dandum, vel simpliciter negandum ac si simplex sit. Si verò in aliquo sensu quidem sit falsum, & in aliquo verum, significandum est & protestandum à respondente, quoniam hoc multipliciter dicitur, & propter aliud quidem (hoc est, in vno sensu) est falsum, & aliud, hoc est, in alio sensu, est verum. Et hoc debet facere in principio antequam opponens procedat ad conclusionem. Si enim posterius iam facta conclusione diuidat ipsum multiplex, incertum est vtrum ipse respondens hoc dubium quod est in multipliciter à principio perspexerit: & sic minorabitur coram opponente. Si autem respondens non præui

præuiderit dubium quod est ex multiplici, & concesserit ipsum, & posteà viderit, quod multiplex est, obuiando dicere debet opponenti, quoniam non dedi siue concessi interrogatum ad hoc (hoc est, ad hunc sensum) inspiciens in quo tu concludis: sed concessi illud ad alterum eorum sensuum quos habet in se multiplex: nam pluribus existentibus sensibus quæ sub eodem æquiuoco nomine vel sub eadem oratione amphibologica, facilis est dubitatio. Si verò planum sit & simplex quod interrogando proponitur, respondendum est planè, aut sic, aut non, concedendo simpliciter, aut negando simpliciter.

CAPVT IV.

Qualiter respondendum sit ad rationem inductiuam & ad syllogismum siue ex necessariis siue præternecessariis factum.

DEterminato autem sic qualiter sit respondendum ad interrogationem & propositionem necessariam, sequitur hic dicere qualiter respondendum ad rationem inductiuam & ad syllogismum, siue ex necessariis, siue præternecessariis factum.

Quoniam autem omnis propositio, &c.

Ad hoc autem vt præambulum dico, quòd omnis propositio syllogistica, aut est earum aliqua ex quibus vt necessariis fit syllogismus, aut est propositio præternecessaria quæ inducitur propter aliquam necessariarum, vt prædictum est. Palàm autem, quoniam præternecessaria gratia alterius sumitur: quia sumitur propter aliquam necessariarum. Ex quo fit, quòd inductiua propositione plura similia sub vno vniuersali contenta, inductiuè aliquando ab opponente interrogantur: nam ipsi opponentes sumunt omne vniuersale, aut per inductionem, aut per syllogismum probatum in pluribus. Si ergo inductione sumere velit vniuersale, omnia singularia ponenda sunt & concedenda à respondente, dummodo sint vera & probabilia: ad vniuersale autem siue contra vniuersale tentandum est instantiam ferre per aliquod singulare non prius inductum ab opponente, & inducta prius ab opponente concessit respondens: & si per aliquod illorum instantiam ferret, sibi contradicere videretur. Nam siue instantia, vel quæ sit, vel quæ videatur prohibere orationem, cauendum est à respondente ne proteruisse videatur. Patet ergo, quòd quando in multis singularibus apparuit sic esse vt dicitur, & non dederit siue concesserit respondens vniuersale, cum non habeat instantiam quam proferre possit, tunc manifestum est, quòd proteruit.

Amplius autem si non fert instantiam, nec amplius habet vnde contra argumentetur per positionem; & vnde probet, quoniam non est verum quod vniuersaliter propositum est, magis adhuc proteruire videtur: quamuis tamen nec hoc sufficiat vt per hoc excludat vniuersalem propositam. Quod probatur ex hoc, quòd plures habemus à Philosophis positas huiusmodi rationes, quæ communiter opinionibus contrariæ sunt, & contra quas multæ habentur rationes: & tamen à respondentibus sustinendæ sunt, quamuis rationes quæ sunt in contrarium, non contingat soluere, vel valdè difficile sit soluere easdem. Velut est Zenonis positio, quoniam nihil contingit moueri, vel aliquod stadium vel spatium pertranfire: sed non tamen propter hoc quæ sunt talibus oppositæ siue obiecta talibus in contrarium adductis propositionibus vel rationibus dicimus, quòd tales positiones non sunt ponendæ: secundum philosophiam enim ponuntur. Si ergo aliquis respondentium est, qui neque contra vniuersalem propositam habet instantiam, vt possit contra eam instare, si non ponit siue concedit, palam est, quia proteruit. Est enim in disputationibus proterua responsio, quæ est syllogismi corruptiua siue impeditiua præter prædictos modos, vt per instantiam & per contrariam rationem.

Inferre autem propositionem & diffinitionem, &c.

Adhuc autem ipsum respondentem contra arguentem oportet inferre ipsum sibi (hoc est, pro se) & proponere diffinitiones & positiones ex aliqua causa credibiles vel necessarias, vel in quibus diffinitiones prædicantur quæ per seipsas sunt necessariæ. Nam ex quibuscunque propositionibus vel diffinitionibus propositum interimunt ipsi inquirentes siue opponentes, palam quoniam his (hoc est, per eadem) aduersandum & obuiandum est eis. Sed hoc maximè cauendum respondenti, ne inferat improbabilem positionem. Improbabilis autem positio dicitur multipliciter. Vno enim modo dicitur improbabilis positio illa, ex qua sumpta contingit dicere sequi inconuenientia, vt in positione Zenonis, si omnia dicat quis moueri, aut dicat nihil moueri, vt Melissus: ex hac enim multa sequuntur inconuenientia: & qui dicunt, quòd illa eligenda sunt quæcunque sunt peioris consuetudinis vel vrbanitatis, & quod eligenda sunt quæcunque sunt repugnantia consiliis bonorum & optimorum, vt quoniam voluptas sit bonum hominis in vita, quod repugnat bonis consuetudinibus: & quoniam iniuriam facere quam pati melius, quod repugnat bonis consiliis: audientes enim non odiùt respondentem quasi inferentem hæc sermocinationis siue disputationis causa, sed odiunt vt dicentem quæ & bona videntur & vera, & vt amplectentem talia: quia sermones morales creduntur ex amore magis, quam ex sermone persuasiuo. Ne ergo inconueniens accidat, vel ne odiatur, talia sunt inferenda à respondente. Sic ergo dictum est qualiter est respondendum ad orationem inductiuam.

Quæcunque vero orationes falsum, &c.

Ad syllogisticas verò orationes qualiter respondendum sit, nunc dicimus. Obseruandum igitur, quòd quæcunque orationes falsum syllogizant siue argumentationes, soluendum est respondenti eas siue per interemptionem eius propter quod fit siue sequitur falsum: non enim soluit falsum syllogizatum, qui interimit falsũ quod est in præmissis: neque iterum soluit, etiamsi falsum est quod interimitur: habebit enim aliquando oratio siue argumentatio plura falsa: & tamen non omnia ista falsa sunt causa

causa falsitatis conclusionis. Cuius exemplum est, vt siquis dicat eum qui sedet in eo quod sedet, scribere: ex hoc enim sequitur inconueniens: accidit enim Socratem sedere, & sequitur siue accidit ex his Socratem scribere, quod est falsum: interempto ergo falso, hoc est, Socratem scribere, nihil magis soluta est oratio: quia non dicitur & interimitur illud propter quod oratio falsa est, quamuis falsum sit axioma (hoc est, assumpta propositio) quæ interimitur: & hoc ideo est: quia non propter hoc interimitur illud propter quod oratio siue argumentatio falsa est: quia si aliquis sit sedens & non scribens, patet quod in isto non tenet solutio: quare non conuenit solutio quæ data est: quare non debuit quis interimere Socratem sedere, sed potius debuit hoc interimere, quod est sedentem in eo quod sedet, scribere: non enim omnis quis sedet, scribit in eo quod sedet. Ille ergo soluit omninò argumentationem syllogisticam, qui interimit id propter quod est falsum in minore propositione, & non in maiore: nouit autem soluere vel solutionem, qui scinit, quoniam propter hoc oratio fuit falsa. Huius autem simile & exemplum in mathematicis est in his lineis, quæ falso circulo scribuntur, vt si dicam, quòd lineæ ab eodem centro circuli ductæ ad circumferentiam, sunt æquales, & describantur lineæ curuæ à centro ad circumferentiam ductæ, & inferatur, quòd istæ non sunt æquales: non enim in talibus argumentationibus sufficit instare, & ostendere, quòd sit falsum: vt propter hoc quod lineæ curuæ sunt inæquales, vbi rectæ à centro ad circumferentiam ductæ sunt æquales. Sic enim assignando causam falsitatis, erit manifestum verum prænidens quis respondentium vel non prænidens causam falsitatis, attulit instantiam contra vniuersalem vel argumentationem syllogisticam.

CAPVT V.

De ratione ad orationem non conclusam.

Est autem orationem prohibere, &c.

ESt autem siue contingit orationem prohibere concludi, hoc est, problema siue conclusionem prohiberi ne concludatur: quia idē est quæstio, problema, & conclusio. Hæc autem prohibitio etiam ne concludatur, contingit quadrupliciter. Hoc enim contingit, aut quia respondens ostendit in quo est falsum, propter quod non concludit, vt paulo ante dictum est. Aut secundo modo ad interrogantem instantiam, hoc est, impedimentum ferre, ne procedat ad conclusionem, vt quærendo intellectum interrogatiuè propositorum, vel quæstiones laterales iuxta propositum propinquas inquirendo, & contra respondentem quasi improperando: sæpe enim non soluit respondens quidem, vt causam falsitatis ostendat, sed vt faciat quòd interrogans non possit longius proferre siue vsque ad conclusionem orationem intendere propter multa quæsita. Tertium autem impedimentum est ad interrogata siue ad interrogantem proposita contradicere: accidit enim ex interrogatis non fieri (hoc est, non sequi) quod volumus: eo quod non bene, hoc est, debito modo vel ordine vel diminutè interrogata sunt: & additò aliquo (hoc est, debito ordine) vel eo quod diminutum est, accidit fieri conclusionem intentam: tale igitur omissum respondens dicere debet contra interrogata de suo officio. Si ergo interrogans non potest propter à se omissa in amplius (hoc est, vsque ad conclusionem) suam orationem producere: tunc à respondente ad interrogantem (hoc est, contra interrogantem) erit ferenda instantia cum obiurgatione opponentis. Si autem sit impedimentum interrogantis, & non interrogati, ita quod interrogans potest quidem procedere ad conclusionem: tunc respondentis est quærere instantiam ad interrogata, vt ex ista parte impediat conclusionem, ne aliud propter eam pati videatur. Quarta autem & pessima (quæ maximè affligit opponentem) instantia est, quæ est ad tempus: prolixius quidem enim respondentes, talibus orationibus instant, ad quæ disputare plutis est temporis quam sit præsentis exercitationis, quia est circa principale propositum: & hoc est, quod ante dictum est difficultatis maioris assumptio: & his modis impeditur operans obuiariue disputans, ne deueniat ad conclusionem intentam.

Ergo instantiæ, &c.

Epilogaliter ergo dicendo, sicut dictum est prius, instantiæ fiunt quatuor modis. Comparando autem istas instantias adinuicem, dicimus quòd inter istas instantias siue impedimenta non est solutio orationis non concludentis, nisi prima tantum, vt in antehabito capitulo determinatum est. Reliquæ verò tres dictæ instantiæ non solutiones sed prohibitiones & impedimenta quædam sunt conclusionũ ne fiant contra respondentem, qui prohibere debet, ne aliud ab opponente pati videatur.

CAPVT IV.

De increpatione orationis ex parte vtentis ea in generali ex parte orationis in generali, &c.

Increpatio vero orationis, &c.

INcrepatio vero orationis siue increpabilis oratio est aliquando & secundum ipsam orationem, & etiam ex parte vtentis ea, & quando interrogatur non eadem quæ ad propositum debet interrogari secundum qualitatem propositi quod intenditur, & ad quod debet esse disputatio, vel in illo sensu in quo est interrogandum: plerumque enim respondens qui interrogatur in disputatione, causa est, quòd non bene disputatur oratio siue positio: eò quod ipse proteruiens non concedit ea ex quibus planè erat disputare ad orationem propositam: & tunc fit increpabilis oratio ex parte vtentis ea: cum enim disputare sit opus duorum, opponentis & etiam respondentis, non est in altero tantum benesumere, hoc est, ad debitum finem deducere commune opus in quo vterque iuuandus

uandus est ab altero. Vnde aliquando necessarium est opponenti conari rationibus ad eum qui dicit, hoc est, contra eum qui dicit, quòd proculdubio tunc non respondet secundum veram rationem responsionis, quamuis quidem contra opponentem, quando & is quis respondet & vicem agit respondentis, obseruat eum, vt dicat obuiando contraria interroganti siue opponenti, & nititur contrariari opponenti, & non iuuari ad inquisitionem positionis: & præcipuè quando dicit opponenti contraria, suadens ea per rationem, quia sic sit vel videatur esse probabilis: tales enim respondentes sic grauantes ipsos opponentes, faciunt quæ sunt ad exercitationem certaminis & colluctationis, & non dialecticæ, quæ ex probabilibus sunt ad problema siue ad positionem terminandam.

Quoniam autem propter gymnasium, &c.

Quoniam autem huiusmodi orationes ex parte respondentis & ex parte opponentis sunt propter gymnasium siue luctam & certamen: & propter experimentum quod respondens de viribus opponentis vult accipere, & non sunt inquisitiuæ propter doctrinam de positione faciendam, palam quoniam ad compescendum respondentem non solum verum est syllogizandum opponenti, sed etiam falsum, vt & falsa aliquando concludat contra respondentem: nec semper per vera præsyllogizandum est opponenti, sed aliquando per falsa, vt & ex falsis à respondente datis aliquando procedat contra respondentem. Sæpè enim contingit, quòd vero posito, interimere id necesse est disputantes siue opponentes: quia per illud ipsi respondentes impediunt disputationem: & tunc quia verum non interimitur per verum, sed per falsum, oportet in syllogismo protendere & proponere falsa. Quoniam & falso posito, non potest hoc interimi, nisi per falsa deducendo ad inconueniens, oportet etiam tunc protendere falsa: nihil enim prohibet in probabilibus alicui respondentium aliquando videri ea quæ non sunt (hoc est, quæ falsa sunt) magis quam videantur ea quæ sunt vera. Sicut quod sol sit monopedalis, magis alicui videtur, quam quod sit maior habitatione: propter quod argumentatione facta ex falsis, quæ illi respondenti videntur, magis erit suasus vt compescatur, quam sit adiutus.

Verum non potest interimi per verum, nec falsum per falsum, nisi deducendo ad inconueniens. Ex hoc colligitur, quòd multa falsa sunt probabilia vera.

Oppositum autem eum qui bene, &c.

Propter quod argumentatione facta ex falsis ad doctrinam siue docendum est oratio aliquando malè syllogizata ex parte opponentis: quia opponentem qui transfert & refert disputationem obuiatiuam ad respondentem, si bene se in disputando habere vult, debet transferre dialecticè & non litigatoriè, vt etiam ex probabilibus ad positionem disputet, & non ad contentionem se transferat: sicut etiam oportet geometram disputare geometricè: & hoc quidem oportet opponentem obseruare, siue falsum sit, siue verum, quod concludendum est contra propositum. Quales autem dialectici sunt syllogismi quibus vti debet opponens, dictum est prius in primo libro huius scientiæ.

Quoniam autem prauus socius, &c.

Quoniam autem prauus socius est, qui impedit commune opus, palam est quod in oratione (hoc est, in disputatione) prauus est, qui impedit disputationis processum debitum: vbi etiam quod proponitur in diffinitionibus, est commune quidem opus & opponenti & respondenti: certantibus autem his opponente & respondente & ad victoriam contra scinnicem conantibus, non est possibile euenire vtrique idem quod intendit. Certantibus enim duobus adinuicem, plures vno vincere est impossibile: ambo vincere non possunt, sed vnus vincet, & alter cedet siue succumbet. Nihil autem differt (quantum ad impedimentum disputationis) siue respondendo, siue interrogando fiat hoc, scilicet prauè litigare: nam sicut qui opponit litigatoriè (hoc est, ad finem litis) prauè litigat, sic etiam ille qui litigatoriè respondet, sicut ille qui non in respondendo concedit quod videtur, & quod est probabile, neque suscipit assentiendo quicquam eius quod interrogans vult inquirere ad propositam faciens positionem.

Manifestum ergo ex his, &c.

Manifestum ergo ex his quæ dicta sunt, quoniam non similiter, hoc est, ex eadem causa increpandum est, & per se siue secundum se orationem interrogantem siue opponentem: sed alia de causa increpatur opponens, & alia respondens: nihil enim prohibet aliquando orationem quidem prauam esse, interrogantem vero vt contingit (hoc est, quantum disputatio & oratio permittit) optimè contra respondentem disputare secundum modum & legem dialecticæ disputationis. Nam contra discolos respondentes non est fortè possibile statim, nisi prius compescatur per cauillationes, quales quis siue alius opponentium vult facere syllogismos: sed oportet eum facere tales, quales contingit facere ad compescendum discolum.

Quoniam autem est idem finitu, &c.

Quoniam autem indefinitum est siue incertum & indeterminatum, quando contraria opponenti vel respondenti, & quando ea quæ sunt in principio, sunt inconuenientia, ad intentum propositum faciunt vel proponunt homines disputantes adinuicem opponens & respondens: plurimi etiam ea prius sunt renuentes & negantes, postea concedunt & ponunt hæc, vt sæpè fit in probabilibus: & hoc fit ideo: quia respondentes plerumque subaudiunt ad peruersum intellectum audita, referendo ea quæ interrogantes interrogant à principio, & ex hoc necesse est prauas fieri disputationes. Et causa huius est ille qui respondet, hæc quidem litigiosa concedens, alia autem talia quæ faciunt ad propositum non concedens. Sic ergo ex parte vtentium oratione est increpanda oratio. Et manifestum est, vt diximus, quoniam non similiter increpandum est & orationes & interrogantes.

CAPVT VII.

De quinque increpationibus orationis secundum se.

Per se autem orationis, &c.

PEr se autem sumptæ orationis non in vsu opponentis vel respondentis quinque sunt increpationes. Prima quidem sumpta est in oratione secundum quod est causa conclusionis, quando talis est oratio, quod ex interrogatis

Quomodo præmissa sunt causa materialis conclusionis, & quomodo causa efficiens.

gatis propositionibus non concluditur aliquid, nec propositum, nec aliud omninò: cum sint vel falsa, vel improbabilia plura eorum, vel omnia in quibus est conclusio: præmissæ enim quantum extrema, materialiter se habent ad conclusionem, & quantum ad medium, vt causa efficiens habent se ad conclusionem, & conclusio est in ipsis vt effectus in causa materiali vno modo, & vt effectus in causa efficiente alio modo. Et quando neque ablatis quibusdam, neque additis, neque etiam his quidem ablatis, his verò additis fit ex ipsis aliqua conclusio: talia enim non possunt aliquo modo esse causa conclusionis: & ideo est hoc: quia omnes formæ syllogisticæ repugnant, nec seruant aliquem ordinem medij vel extremorum, nec per dici de omni, vel dici de nullo confirmantur: & ideo merito sunt increpanda. Secunda autem increpatio siue causa increpationis est, si oratio talis sit, quòd ex ea non fiat syllogismus ad propositum: peccat enim, eò quod caret fine debito: vel etiam si non fiat syllogismus dialecticus, & ex talibus probabilibus, & de quibus prius in primo huius scientiæ libro dictum est. Tertia autem increpatio siue causa increpationis est, si oratio talis est, quòd syllogismus ad propositum ex ea non fiat, nisi quibusdam additis: quia tunc patet, quòd est diminuta & deficiens, & deficit in necessariis, & maximè quando addita sunt peiora ad probandum, & minus probabilia quam conclusio. Rursum quarta causa increpationis est, si talis sit oratio, quòd non fiat ex ea syllogismus ad propositum, nisi quibusdam ablatis: quia tunc abundat superfluis, quæ esse non possunt causa conclusionis. Nam quandoque opponentes sumunt plura interroganda, quam necessaria sunt ad propositum: & propter hoc tunc non fit syllogismus concludens, eò quod hæc sunt: quia causa conclusionis esse non possunt. Amplius quinta causa increpationis est, si ex improbabilioribus & minus credibilibus quàm fit conclusio, fiat syllogismus: aut etiam fiat ex veris, sed plurima opera siue labore indigentibus ad manifestari satis, quam conclusio ad demonstrandum: hoc enim est axioma assumptum, vt prædictum est.

Non oportet autem ex omnibus, &c.

Ad intelligentiam eorum quæ dicta sunt & explanationem, notandum est, quòd non oportet dicere, quòd syllogismi dialectici & ad propositum fiant ex omnibus siue quibuscunque propositionibus: & non oportet dicere syllogismos similiter (hoc est, æqualiter) esse probabiles & verisimiles: naturaliter enim ex ipsa natura propositionum quædam earum quæ quæruntur siue interrogantur, sunt faciliora quibusdam & probabiliora, & quædam difficiliora & improbabiliora. Propter quod qui connexerit siue proposuerit syllogismos ex propositionibus maximè probabilibus inquantum conuenit secundum propositum materiam (hoc est, inquantum permittit proposita materia) hæc bene disputat: & non dicitur esse increpanda oratio, quia etiam argumentum ex probabilibus procedere constat.

Manifestum ergo quoniam, &c.

Manifestum est etiam ex dictis, quòd non est eadem causa increpationis in oratione secundum quod est ordinata ad propositum ostendendum, & in oratione secundum quod per se sumitur ad conclusionem quamcunque similiter ordinata: nihil enim prohibet per se quidem orationem esse vituperabilem, & tamen ad problema esse laudabilem: & hoc maximè fit, quando obuiatiuè disputatur ad aliquid, ad cuius positionem vel fictionem intenditur & proceditur ex datis à respondente. Rursum è contrario etiam nihil prohibet orationem quidem per se esse laudabilem, ad problema autem esse vituperabilem: quia non facit ad propositum: & hoc fit, quando oratio ex pluribus & verioribus concluſa est, & facile potest probari, sed tamen impertinentibus ad propositum. Etit autem aliquando siue contingit quandoque, quòd oratio concluſa peior est, quam non concluſa: & quidem hoc fit, quando hæc quæ concluſa est, ex fatuis concluſa est, hoc est, valdè improbabilibus: cum propositio non cōcluſa non sit huiusmodi, quod ex fatuis possit concludi, sed talis quæ ad sui probationem talibus indiget quæ sunt probabiliora & vera: & maximè tunc est mala illa oratio, quæ ex fatuis concluditur, quando etiam peccat, ita quod conclusio non est in assumptis ad syllogismum propositionibus sicut effectus in causa efficiente. Eos autem opponentes qui per falsa verum concludunt, non iustum est increpare: nam falsum quidem per falsum necessaria consequentia contingit syllogizare: verum autem per falsa quandoque contingit. Hoc autem iam olim manifestum est & determinatum in prioribus analyticis.

Quoniam autem demonstratio, &c.

Quoniam autem hæc ita determinata sunt de diuersitate orationis syllogisticas, dicemus etiam ex incidenti arguentes in his diuersificari. Dicemus ergo, quòd oratio, quæ est demonstratio, sic ostensiua est dicta alicuius determinatæ conclusionis oratio, si aliud aliquid est intermixtum tali conclusioni, quod ad conclusionem probandam vel cauendam nullo modo se habet, non erit syllogismus de illo siue ex illo sicut ex causa conclusionis, sed erit non causa vt causa. Si autem videatur facere ad conclusionem per aliquem locum sophisticum, & non facit, tunc est philosophisma, non syllogismus: & non erit demonstratio siue argumentatio ostensiua. Est autem philosophisma dictum syllogismus demonstrationis. Argumentum autem dicitur syllogismus dialecticus: eò quod argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem: fides autem proprius effectus est syllogismi dialectici: quia opinio rationibus inuicta fit fides, vt dicitur in tertio de anima. Litigatorius autem syllogismus dicitur sophisma. Aporisma autem dicitur syllogismus dialecticus contradictionis, qui maximè est in obuiatiuis disputationibus, & est græcum nomen compositum ab à, id est, sine, & poris quod est apparitio, vt communiter dicitur: quia per ipsum ad vtramque partem arguitur, & neutra apparet prius quam alia: melius tamen dicitur à poria, quod est conturbatio: quia inter vtramque partem contradictionis conturbatur.

Tex com. 157.

Si verò fiat aliquis syllogismus dialecticus, &c.

Si verò fiat aliquis syllogismus dialecticus, in quo ex vtrisque propositionibus ostenditur quod videtur, & est probabile, ita quod pro-

positiones præmissæ non similiter probabiles esse videantur, nihil prohibet id quod ostenditur, quod est conclusio, magis & magis esse probabile: sed si talis fiat syllogismus, in quo vna propositio videtur & est probabilis, illa autem reliqua propositio sit neutro modo se habens, nec probabilis, nec improbabilis: aut etiam si vna propositionum videatur & sit quidem probabilis, illa autem non videatur, eò quòd non probabilis sit, vel improbabilis, conclusio quæ sequitur, similiter erit vel neutra, vel probabilis, vel improbabilis. Si autem propositio magis se habens ad alterum, & probabilitatem vel improbabilitatem cum reliqua sit probabilis, tunc sequitur etiam conclusio vel magis se habens ad hoc ad quod magis se habens est propositio.

Est autem quoddam circa orationes vel circa argumentationes peccatum, quod tamen idem cum aliquo prædicatorum est, quia est de genere increpandæ orationis: hoc autem peccatum est, quando quis ostendit per longiora siue plura, quod præmissis inest per pauciora siue maiora: & per talia minora quæ insunt orationi (hoc est, argumentationi), sicut præmissæ insunt conclusioni quantum ad extrema: quia aliter conclusio non sequeretur ex præmissis nisi præmissæ essent in conclusione: vtriusque enim medietas præmissarum est conclusio qua maior extremitas concluditur de minore. Huius exemplum est, vt si probandum sit, quòd vna opinio magis est vera vel certa quam altera, si aliquis ad hoc probandum petit vel assumpsit, quòd singularium siue esse idem de se prædicatum magis est verum vel certum, & assumpsit ad hoc pro minore propositione, quod in opinione est idem de se opinabile, & concludit per hoc quod magis est opinio (in qua idem est de se) certa, quam illa in qua est aliud quoddam de alio opinatum, & sic formatur syllogismum. Omne idem de se prædicatum, certius est quam vbi aliud de alio prædicatur. Opinio quæ idem de se opinatur, est in qua idem de se prædicatur. Ergo est certior, quam illa quæ aliud de alio opinatur. Et hoc sufficit ad propositi ostensionem. Vbi autem hoc opinabile siue ad hanc propositionem opinabilem (quod id quod dicitur de se, magis est verum & certum) quæ fuit propositio maior, petitum est etiam opinionem eandem de se magis veram esse, quæ superflua sunt & longiorem debito facientia ratiocinationem orationi: & postea ex omnibus illis concluditur, quod eandem opinionem de se certiorem esse quam aliam: quando enim habetur, quòd omne de se prædicatum est verius alio quodam, & quòd opinio de se prædicata, non oportet assumere opinionem eiusdem de se maximè veram esse: quia conclusio habetur sine illo: & ideo peccatum est & nequitia increpandæ orationis: quæ enim posset esse maior nequitia orationis siue argumentationis, quam quæ sua longitudine & superfluitate latere facit causam consequentiæ, circa quam est oratio? cum enim plurima præmittantur, nescitur ex quibus illorum sequitur conclusio. Et quod illa sit nequitia & malitia orationis, patet in oppositio: quia oratio falsa & manifesta in bonitate vno quidem modo publicissimo (hoc est, communicatissimo) dicta, si sit concluſa ita euidenter vt nihil oporteat aliud, hoc est, amplius dubitare vel quærere. Vno autem alio modo quo etiam maxime dicitur bonitas orationis, quando talia sunt in præmissis, ex quibus sicut ex præmissis vel principiis necessarium est conclusionem esse. Est autem per conclusiones (hoc est, per probatas & notiores propositiones) concluſum siue concluſa. Amplius autem nequitia siue malitia orationis est, si deest in præmissis quod valdè probabile est, hoc est, probabilius conclusione, sicut in præmissis dictum est: sed hæc malitia, quando diminuta & longior est, quam debeat esse oratio, &c.

Est autem quoddam & idem, &c.

CAPVT VIII.

De modis falsæ orationis.

Sic igitur habitis causis & modis increpandæ orationis dicemus de modis falsæ orationis: & vocamus orationem argumentationem, sicut prius dictum. Dicimus igitur, quòd falsa dicitur talis oratio quadrupliciter. Vno quidem modo & primo, quando per orationem videtur concludi quod non concluditur: & hæc oratio est falsa: quia caret forma, & peccat in forma. Hæc autem oratio vocatur syllogismus apparens de numero litigiosorum & sophisticorum: nec hic ponit, quia ad dialecticum pertineat, sed potius numerum facit in modis falsæ orationis, ne insufficiens videatur esse diuisio. Oratio autem dicitur secundo falsa siue argumentatio, quando concluditur, non tamen ad propositum: & hæc magis est vana, quam falsa: quia vanum est, quod est ad finem quem non concludit. Peccatum hoc est maximè in syllogismis qui sunt ad impossibile ad quod ducunt: & ideo ex isto proposito non potest probari. Aut tertio modo oratio siue argumentatio dicitur falsa, quando quidem concludit ad propositum, sed non ex propriis, hoc est, secundum propriam conclusionis disciplinam sumptis, sicut fecit Brisso in circuli quadratura. Hoc autem peccatum est, quando in medicinali conclusione sumitur communis propositio, quæ non est medicinalis, videtur tamen alicui medicinalis esse: aut quæ non geometrica, videtur tamen alicui geometrica: aut quæ non est dialectica siue probabilis, videtur tamen alicui esse dialectica, siue verum vel falsum est, quod accidit in conclusione per improprias propositiones syllogisticas. Alio autem modo & quarto dicitur oratio falsa siue argumentatio, si per falsa syllogizetur, & est peccans in materia: conclusio autem per falsa syllogizata, quandoque quidem erit falsa, quandoque erit vera. Nam falsum semper quidem per falsum concluditur: verum autem contingit per non vera concludi, vt dictum est prius. Quod autem oratio siue argumentatio hoc modo falsa sit, magis est peccatum dicentis (hoc est, respondentis) quam orationis: quia nisi falsa daret respondens, dialecticus

Falsa autem dicitur oratio, &c.

lecticus ex falsis non procederet. Et adhuc neque semper tale peccatum est dicentis siue respondentis, sed quando, hoc est, aliquando: sed tunc non est peccatum dicentis, quando quidem latet eum esse falsum: eò quod falsa per se siue secundum se accepta, pluribus veris recipimus magis & magis probabilia esse: & hoc fit, si opponens aliquod verum interimit ex his falsis concessis à respondente, quæ maximè probabilia videntur, & pro veris sunt concessa: quia hoc peccatum non est in dialecticis: cum enim sit probabile falsum, non est peccatum concedere quando latet: nam cum talis est demonstratio, hoc est, ostensio interimens aliquod verum, oportet quod sit aliorum verorum, gratissimus, hoc est, genitivum pro ablativo ponens, hoc est, per alia à veris (hoc est, ex falsis) oportet esse demonstrationem siue ostensionem: quia si verum per falsum aliquod interimitur, oportet aliquod positorum (hoc est, præmissorum concessorum) non esse omninò, propter quem est huius interemptionis veri demonstratio, hoc est, ostensio vel probatio.

Si autem verum concludatur per falsa, &c.

Et ne aliquis dicat, quòd non oportet interimere verum per falsum positum in præmissis, quia verum per falsum probatur, & ideo interimi non oportet per falsum: dicimus, quòd si verum concludatur per falsa & quæ valdè stulta sunt, hoc est, improbabilia sunt pluribus etiam secundum sensus meditantibus, talis oratio erit prius quoddam, quam ille qui falsum per falsum syllogizat: non enim sequitur tale verum ex talibus falsis, nisi syllogismo formali & non probante: nec erit ostensio propter quid, sed quia tantum, sicut in prioribus analyticis dictum est.

Erit autem huiusmodi, &c.

Modus autem soluendi orationes falsas secundum omnes istos quatuor modos est. Quare palam iam ex dictis est, quòd primo modo volenti soluere, prima consideratio est orationis per se acceptæ habenda, vt consideret si concludit & soluit dicens, quòd non concludit, quia peccat in forma. Secunda consideratio est in secundo modo orationis falsæ, vt consideret verum verum vel falsum concludat ad propositum. Tertia vero in tertia oratione falsa est, vt consideret ex qualibus quibusdam præmissis concludit, vtrum etiam ex propriis vel improprijs secundum propriam disciplinam: nam si concludat ex falsis, sed probabilibus, rationalis est oratio quantum ad dialecticum, qui ex probabilibus procedit, siue veris, siue falsis. Aliquando si non probat & procedit quidem ex existentibus (hoc est, veris) sed improbabilibus, praua est oratio quantum ad dialecticum. Si autem procedit ex falsis & valdè improbabilibus & stultis, palam, quoniam tunc oratio est praua: aut simpliciter, quia stulta sunt: aut praua est ad propositum, quia nihil probat, cum consequentia in talibus causam non habeant.

* *

CAPVT IX.

De impedimento eius quod est petere id quod est in principio vel petere contrarium.

QVia autem iam in præhabitis dictum est, quòd indeterminatum est quando opponentes ponunt contrarium, vel id quod est in principio, & quibus modis petitur oppositum. Dicimus ergo primum, quòd quomodo petit interrogans id quod est in principio, & quando petit contrarium, secundum veritatem quidem in posterioribus analyticis dictum est: sed hìc dicendum est hoc secundum opinionem. Et dico secundum veritatem, quando per ignotius & æquè ignotum similiter petitur id quod est in principio. Secundo autem petitur id quod est in principio, quando per id quod est idem vel æquè notum vel ignotius quoad nos, petitur id quod est in principio. Adhuc autem notandum, quòd dicitur id quod est in principio peti; & non principium in se, sed petitur id quod est in principio inuolutum in alio frequenter vt in toto vel in parte vel conuertibili vel huius aliquo.

In principio autè & contraria, &c.

Quid est petere principium secundum veritatem.

Differentia inter petere principium, & petere id quod est in principio.

Modos autem eius quod est petere id quod est in principio, determinantes dicimus, quòd aliquis petere videtur id quod est in principio quinque modis. Manifestissimè quidem in primo modo contingit petere id quod est in principio, si quis idem quod monstrare oportet, petat in eodem nomine & re, non est facile latere respondentem. In vninocis autem (hoc est, in synonymis) in quibus est nomen idem, & ratio diffinitiua eadem orationis siue rationis complexa ad nomen, magis latet. Et hoc intelligendum de his in quibus æquè nota sunt nomen & diffinitio: quia in loco à diffinitione (prout diffinitio est principium & causa cognoscendi diffinitum) non est petitio principij. Huius exemplum est, vt si dicam, homo currit, ergo homo currit: vel in synonimis, gladius incidit, ergo spata incidit, & huiusmodi.

Petere autem videntur, &c.

Remouet dubium.

Secundo modo petitur id quod est in principio, quando id quod particulariter habet probare aliquis, petit vniuersaliter in suo toto vniuersali, cum pars à suo toto non sit diuersa, quamuis etiam non omni modo cum ipso sit idem. Cuius exemplum est, vt qui conatur ostendere, quoniam contrariorum est vna & eadem disciplina, petit quod omnium oppositorum est vna disciplina. Et attende, quòd in prædicatis essentialibus quæ magis insunt superioribus quam inferioribus, aut non insunt superioribus nisi per inferiora, vel inferioribus nisi per superiora, est iste bonus processus, & non est petitio eius quod est in principio: sed in accidentibus prædicatis quæ prius insunt inferioribus, & posterius superioribus, si inferius petatur in superiori, petetur in ignobiliori quam ipsum sit: & ideo in talibus est petitio principij, sicut patet in exemplo inducto quod est accidentale prædicatum. Est autem in talibus petitio principij quod videtur: quia id

Remouet dubium.

particulare vel speciale quod oportebat per se quidem sumptum ostendere, petitur in toto cum aliis pluribus particularibus in illo toto contentis.

Tertius modus est, siquis idem quod vniuersaliter est ostendere in proposito, petit hoc particulariter: qui modus conuersus est ad præcedentem. quatorum tale, maxime secundum quod vt integrum ex suis partibus considerator, non est nisi suæ partis compositæ potestas, aut vniuersaliter integratur ex suis partibus, quando non est enim, sed simpliciter est. Cuius exemplum est, vt si proponat ostendere de omnibus contrariis in toto aliquid, & petit hoc in aliquibus: videtur enim id quod in pluribus in toto acceptis oportebat ostendere, hoc idem in partibus extra totum diuisum sumptis petere.

Rursus quartus modus, qui conuersus tertij est, siquis diuidens petat in partibus quod propositum est, coniunctim esse demonstrandum. Vt si oporteat coniunctim ostendere medicinam esse scientiam sanatiui & ægrotatiui, & inferat ex hoc, quòd medicina est scientia sanativa, & ægrotativa: quia totum copulatum non est suæ partes simul acceptæ.

Aut etiam quintus modus est in conuertibilibus, siquis eorum quæ adinuicem se consequuntur conuertibiliter, alterum petat ex necessitate esse, & ex illo concludat reliquum. Vt si oporteat ostendere, quòd diameter est incommensurabilis lateri, petat quòd latus est est incommensurabile diametro: horum enim vnum conuertitur cum alio, & habent eandem probationem. & æquè ignotum est vnum sicut aliud. Attende tamen, quòd si vnum per aliud etiam accidens esset notius altero, tunc per illud posset inferri reliquum, & non esset petitio principij, sed locus à conuertibili, & cætera.

Remanet dubium.

CAPVT X.

De modis petendi contrarium.

Æqualiter autem & contraria, &c.

ÆQualiter autem in numero cum quinque modis petitionis principij sunt quinque modi petitionis contrarij, ita quod omne oppositum siue dispararum dicatur contrarium. Nam primum (hoc est, primo modo) petit contrarium, siquis petit secundum affirmationem & negationem: hæc enim maximè opponuntur. Secundo modo petitur contrarium, siquis petat contraria secundum oppositionem contrariorum dicta. Vt siquis petat bonum & malum idem, hoc est, vnum in altero. Tertius vero modus est, siquis debeat probare aliquid vniuersaliter, & petit contradictionem vniuersalis in particulari particulariter. Vt si aliquis ad probandum sumpserit contrariorum vnam esse disciplinam, & probet alteram, & non esse eandem disciplinam sanatiui & ægrotatiui: tunc enim petit quorundam contrariorum non esse eandem disciplinam, & sic petit contradictoriam eius quæ est omnium contrariorum esse eandem disciplinam. Aut quartus modus est conuersus tertij, si aliquis volens probare quorundam contrariorum vt sanatiui & ægrotatiui eandem esse disciplinam, tentauerit sumere in vniuersali contradictionem. Rursus quintus modus, siquis petat contrarium ei quod ex necessitate accidit: eò quod hæc sunt (hoc est, contrarium conclusionis) ex necessitate iam in præmissis, & per consequentiam: hic enim petit contrarium in contrario. Aut etiam modo alio, qui tamen ad istum reducetur: vt siquis non petat verè opposita vel contraria, petat tamen duo disparata talia, ex quibus erit consequens opposita contradictio. Istis ergo modis contrarium petitur in contrario.

Contrarium hic capitur pro omni opposito disparato.

Quia iam diximus qualiter petitur id quod est in principio, & qualiter petitur contrarium in contrario, ostendamus differentiam istorum adinuicem secundum quod faciunt malitiam in oratione argumentatiua. Dicimus igitur, quòd id quod est contraria recipere, differt ab eo quod est in principio petere tantum: quoniam huius quod est in principio petere, est peccatum relatum ad conclusionem: eò quod nos ad conclusionem aspicientes dicimus aliquem petere quod est in principio, quando petit idem quod in conclusione debuit concludere. Contraria autem sunt & petuntur in seinuicem in propositionibus præmissis, in eo quod propositiones se habeant adinuicem aliquo modo dictorum quinque modorum, de quibus diximus, quòd contrarium petitur in contrario.

Differt autem contraria accipere, &c.

TRACTA

TRACTATVS III.

Qualiter dialectica est ad exercitandum.

CAPVT I.

De documentis ad exercitationem pertinentibus, & formalibus, & rationalibus.

Ad exercitationem autem & meditationem, &c.

IAm autem tradita est dialectica secundum quod est ad inquisitionem & ad secundū philosophiam disciplinas, & tradita etiam iā est dialectica secundum quod est ad obuiationem tam ex parte opponentis, quam ex parte respondentis. Nunc igitur vltimo traditur secundum quod est aliquid ad exercitationem & meditationem quæ est actus memoriæ: & frequenter sunt idem ad exercitationem & ad meditationem talium orationum quæ valent ad exercitium. Primum quidem & formaliter exercitatiuum conferens ad documentum est, quod oportet assuescere, vt sciat vti conuerso syllogismo, vt etiam sciat conuerti tales orationes disputatas: sciendo enim vti syllogismis conuersiuis, etiam ad hoc quod dicitur, magis habebimus nos idoneos, & exhibebimus nos magis paratos, & in paucis sumptis orationibus plures habebimus orationes ad propositum facientes. Ratio autem huius est, quia conuerti vel syllogismo conuerso vti, est aliquem transumentem conclusionem primi syllogismi iam syllogizati in alterum syllogismum & in oppositum conclusioni, & id oppositum ponere cum reliquo, vel altera præmissarum interimere vnum eorum præmissorum quæ data sunt in priori syllogismo: quia necesse si conclusio non est vera, & oppositum conclusionis cum altera præmissarum syllogizatur, oppositum alterius primi syllogismi sequetur: & hoc quidem est necessarium, si hoc concedatur, quòd omnibus præmissis cum prima conclusione positis & concessis necesse fuit conclusionem esse vel sequi ex præmissis: tunc enim oppositum sequitur opposito conclusionis posito cum altera præmissarum.

Quid sit vti conuersiuo syllogismo.

Dando autem documenta secundum quod exercitatiuum est ad positionem determinandam, dicimus quòd ad omnem positionem respondentis considerandum est argumentum terminans eam ad affirmationem: quoniam sic est vt ponitur, & arguens ad negatiuam, quoniam non sic est vt ponitur. Postquam autem ad vtramque partem disputatum est: tunc quærendum est inuenire solutionem: sic enim frequenter faciendo simul accidit ad interrogandum siue opponendum & respondendum exerceri: & si ad syllogismum disputandum ad nullum alium habemus, ad nosipsos tamen sic exercitare nos habebimus.

Ad omnem autem positionem, &c.

Aliud autem documentum est, quòd argumentis sic ad vtramque partem inductis, alternatim ponderatis, eligendum est quæ sunt ad eandem opinionem argumenta magis valentia, siue ista sint ad affirmatiuam opinionis, siue ad negatiuam: hoc enim ad cognoscendum de quolibet multum confert idoneitatem, ad arguendum ad quodlibet propositum magnum habet per exercitium adiutorium: quoniam idoneus est aliquis per exercitium ad arguendum, & quoniam sic est affirmatiuè, & quoniam non sic est negatiuè. Nam ex talibus documentis accidit obseruationem, & facultatem ex obseruatis accidit fieri: & etiam habet adiutorium ad cognoscendum de quolibet secundum philosophiam speculatiuè prudentiam, hoc est, etiam prouidentiam, vt in quolibet prouideatur quid verum & quid falsum sit: & posse inspicere in singulis quæ vtrinque (hoc est, ad vtramque partem contradictionis) de vnoquoque accidit dicere ex hypothesi (hoc est, suppositione) hoc est, ex talibus propositionibus quæ supponuntur vt eis vtamur tanquam principiis: hoc enim ad hæc quæ dicta sunt, non paruum est instrumentum: ex isto enim reliquum est & relictum & causatum, nos ratione eligere alterum contradictorum, quodcunque est id quod est verum. Oportet autem ad huius electionem aliquem esse boni ingenij secundum virtutem naturæ rationalis: esse autem boni ingenij est posse ex ingenio eligere verum in quolibet, & fugere falsum: quia qui nati sunt bene, hoc est, quibus bene innatum est, hoc possunt bene facere: quia ingenium dicitur intus genitus, & hic est qui subtiles habet spiritus & expeditas animales operationes, & bonam rationem collatiuam: nam qui amant verum tanquam naturæ suæ applicabile, & qui odiunt falsum quod profertur tanquam naturæ suæ inimicum, facilè discernunt per artem iuuantem naturam optimum in omnibus.

Et alternatim eligendum, &c.

Qui sint boni ingenij, & vnde dicantur ingenij.

Aliud autem documentum, quòd cum qui exercitatus esse voluerit, oportet scire orationes disputatiuas, valentes ad ea problemata quæ sæpè incurrunt: hæc enim communia sunt & ad multa valentia, & maximè de propriis propositionibus quibus vtimur ad illa alia tanquam principiis: quia istæ sunt constructiones & valent ad multa in his propositionibus sæpè contendunt ipsi respondentes cum opponentibus,

Et ad ea quæ sæpè, &c.

nentibus, quia in multis valent problematibus.

Amplius terminorũ ideoneam, &c.

Amplius autem documentum aliud est, quòd oportet terminorum (hoc est, diffinitionum & principiorum) idoneos esse, ita quod multas diffinitiones multorum, & multa principia memoriter retineat, & in probabilioribus & in primis siue prioribus oportet esse promptum: hæc enim, vt dicit Aristot. minima sunt quantitate, & maxima potestate, & per talia fiunt multi syllogismi. Tentandum autem maximè est præcipuè memoriter retinere, in quæ sicut in principia sæpe incidunt in multis problematibus sermones, hoc est, argumentationes disputantium, quemadmodum in geometria ante opus theorematum circa elementa (hoc est, principia) oportet geometram exercitatum esse: eò quod in illa sicut in principia incidit theorematum demonstratio: & quemadmodum in numeris ante generationem proportionabilium numerorum oportet aliquem promptum se habere circa capitales numeros ex quibus oriuntur, sicut patet in principio arithmeticæ: hoc enim multum confert ad id quod est alium numerum ex capitali numero multiplicatum & genecratum cognoscere. Similiter autem in orationibus rhetoricis propositiones vtiles & allegationes scire oportet & principia velut in memoriali thesauro reponere, & statim vt reminiscentia redit ad ipsa, faciunt eadem memorari, & magis inter alias faciunt propositiones syllogisticæ (hoc est, vniuersales & communes) per quas est decursus syllogisticus: eò quod illas determinatas secundum numerum inspiciunt exercitantes: non syllogisticæ autem singulares sunt, quæ non sunt determinatæ secundum numerum, & ideo memorari non possunt. In talibus autem memorabilibus magis in memoria reponendum vniuersalem, quam orationem, hoc est, totam argumentationem: nam esse mediocriter idoneum principij & hypothesis (hoc est, positionis) est difficile, hoc est, difficile est esse aliquem idoneum etiam mediocriter circa propria principia cuiuslibet & proprias propositiones: & ideo communes memoriter sunt retinendæ.

Hoc idem habetur tertio de anima. com. 4. de principiis.

CAPVT II.

Circa quas orationes maximè exercitandum.

Amplius orationem vnam plures facere, &c.

AMplius maximè studendum volenti exercere, quòd vnam orationem siue vnam argumentationem faciat plures & plurimas si fieri potest, & quod hoc facere assuescat: hoc autem quod vna oratio plures fiat opponentibus, erit obscurissimè siue latentissimè celando à proposito abscedentibus vniuersalia & altiora proposita. Huius documentum (quòd multæ fiant argumentationes & propositiones) fiet si quisquam opponentium plurimum abscedat ab his particularibus circa quæ siue quorum est oratio, hoc est, circa quæ vel de quibus tunc disputatur: quia sic abscedendo latenter plurimæ in prosyllogismis fiunt propositiones, & syllogismi multorum mediorum: & ideo potentes orationum plurium erunt illi opponentes, qui maximè & ex consuetudine pati possunt: memoria enim passiua & receptiua positio, & assuetudo est quædam accidentia assuescendo patiens: & ideo qui his est passus memoria & assuefactione, per ipsam receptionem talis habitus potentissimus erit ad faciendum talia. Huius autem exemplum est, vt hæc sit proposita, quod non est vna contrariorum disciplina, abscedit in hoc communissimum, quòd non est vna plurium disciplina: sic enim discedendo habebit, quòd in his quæ sunt ad aliquid, non est vna disciplina, & in coniugatis erit similiter, & in omnibus quæ sunt plura, statim habebitur, quòd non est vna disciplina.

Oportet autem & rememorationem, &c.

Oportet autem in tali documento ad multiplicandas facere memorationem orationum, quæ maximè sunt vniuersaliter siue vniuersales: quia in illas maximè est abscedendum, quamuis ipse opponens fuerit disputans particulariter, hoc est, ad particulare: sic enim possibile est vnam orationem facere plures in prosyllogismis. Similiter autem est etiam in enthymematibus rhetoricis, quòd plures fiunt orationes abscedendo à causa particulari in vniuersalem: & tunc plures erunt loci rhetorici à nomine & circunstantiis negotij sumpti. Eundem autem opponentem oportet quam maximè fugere siue abscedere in vniuersale, & multos oportet syllogismos siue prosyllogismos ferre, & semper opponentem oportet considerare circa quas disputat, si in pluribus orationibus disputantur: nam omnes particulares orationes in vniuersalibus disputatæ sunt, & non è contrario vniuersalis in particularibus: & etiam in particularibus orationibus ineſt demonstratio vniuersalis: quia particulare per vniuersale demonstratur: & non est possibile quicquam demonstrare nisi per vniuersale: quia sine vniuersali non est aliud possibile syllogizari.

CAPVT III.

Ad quod vtendum & quo exercitio vtendum hoc vel illo.

Exercitatio autem faciendo, &c.

CVm autem exercitatio sit & in inductiuis propositionibus & in syllogisticis siue vniuersalibus, exercitatione inductiuarum propositionum vtendum est ad rudes & imperitos qui secundum sensum iudicant, exercitatione autem syllogisticarum propositionum siue vniuersalium vtendum est ad eruditum respondentem, qui iudicat secundum intellectum. Et quidem tentandum est à syllogisticis orationibus siue argumentationibus accipere propositiones, quæ propositiones ideo sunt & dicuntur, quia pro aliis concludendis poni possunt, & istæ sunt vniuersales. Ab inductiuis autem particularibus tentandum est sumere similitudines

dines & parabolas: sic enim multæ valdè fiunt orationes: an his enim & talibus vtraque inductiuæ. & etiam syllogisticæ exercitiuæ sunt, hoc est, ad propositum exercitium deductæ. Omnino autem & vniuersaliter loquendo ab exercitatione in disputantium tentandum, quia ad hoc exercitantur, quod possint tentare proponere & afferre syllogismum de aliquo quocunque concludendo, aut solutionem de dubio, aut propositam vniuersalem ex qua in syllogismo vti aliquis possit, aut instantiam contra vniuersalem: quoniam aliquando instantiæ solutionis sunt, siue recta ratione quis dixerit de proposito, hoc est, verè, siue non rectè, hoc est, falsè: & si aliquis hoc apud scipsum siue alteri dixerit contra quê disputat, & circa quid, hoc est, quicquid hic dixerit vterque, hoc est, opponens & respondens: quia prompiè pósse afferre propositiones & syllogismos & instantias & solutiones contra obiectorum, sunt ea ex quibus etiam potestas talia facile faciendi. Est autem exercitium causa talis facilis potestatis. Dicit enim Victorinus in sua rhetorica, quòd natura facit habilem, ars verò potestatem, vsus verò siue exercitium facit facilem: & maximè exertitium circa propositiones syllogisticas & circa instantias talem facit potestatem.

Nota dictum Victorini.

Est enim vt simpliciter dicatur, &c.

Est enim vt simpliciter dicatur, siue vniuersaliter, dialecticus exercitatiuus & propositiuus & instantiuus, & ad hoc exercitatur vt hæc prompte facere possit. Est autem proponere, vnum quoddam vniuersale facere, & quæ sunt plura in particularibus, oportet vnum omnino in vniuersali sumere, ad quod est disputatio: quia ad singulare non est disputatio syllogistica. Instare autem omnino (hoc est, vniuersaliter) quod vnum est in vniuersali facere plura in particularibus, per quæ instantia fertur. Nam instans aut diuidit primo vniuersale in particularia, aut interimit vniuersale per particulare, hoc quidem particulare dans, illud autem in quo particulare non est, non dans, & per illud quod non est dans, eorum quæ posita sunt in vniuersali, interimitur vniuersale instando contra ipsum.

Non est autem cum omni disputandum, &c.

Vltimo autem isti tractatui adiungendum, quod non est disputãdum de omni eo ad quod orationes possunt reduci, neque ad quemlibet, hoc est, contra quemlibet exercitandum: quia non ad discolum omnia negantem: quia si exercitatur contra discolos omnia negantes, necesse est prauas fieri disputationes. Nam contra eum qui discolus est, & omnia negando omnino tentat videri profugere disputationẽ, iustum quidem est tentandum omnino syllogismum facere, sed nec hoc pulchrum proponenti dialectico: eò quod non oportet dialecticum statim vt per disputationem impeditur ab aliquo, statim consistere ad bellum disputando contra quoslibet discolos: si enim contra tales disputauerit, necesse est laboriosum sermonem disputationis accidere: quia laboriosum est omnia quæ discolus negat, probare: nam illi opponentes qui exercitati sunt, abstinere non possunt à disputatione certatoria, siue contraria (hoc est, quin disputent in contrarium eius quod dicit discolus) & sic prauа fit disputatio.

Laboriosum est omnia quæ discolus negat, probare.

Oportet autem & factas habere orationes & argumentationes ad huiusmodi discolorum interrogationes appropriatas & ordinatas, & cũ hoc vniuersales, in quibus quidem minimis quantitate & numero, & maximæ potestate, eò quod sunt plures respectu aliarum, abundantes per memoriam habebimus vtiles ad plurima concludenda. Hæ verò sunt propositiones vniuersales, ad quas difficillimum est abundare continuò siue statim: & ideo oportet in memoria stantes & paratas habere in hoc libro: propter facilitatem enim disputationis positæ sunt: quia sunt de numero orationum quæ derisibiles sunt, cum vno verbo signandus sit ordo vel potius inueniendus. Si autem sunt de exemplis, sunt magis derisibiles: quia exempla, vt in pluribus, non possunt per præsentem scientiam disputari: & quia inutile est talibus immorari, cum etiam ipse Aristot. dicat, quòd exemplis sic vtimur vt sentiat qui discit: & aliquando exempla sunt falsa & ad positionem aliorum suppositа: & cum multum disputantur, illi qui determinant, dicunt finem: & idcò de talibus non curamus.

LIBER

LIBER I.

ELENCHORVM.

TRACTATVS I.

De præmittendis.

CAPVT I.

De quo sit tractandum in hoc libro.

IN hoc elenchorum sophisticorum libro de syllogismo litigatorio agendum est ad complementum logicæ scientiæ, secundum quod logica dicitur à logos quod est ratio, & non à logos quod est sermo. Dicit enim Isaac, quòd ratio est virtus collativa, faciens coire causam in causatum, secundum quod causa sumitur in communi pro causa consequentiæ & non pro causa consequentis, sicut causa est, quæ causat decursum syllogisticum per dici de omni & dici de nullo: sic enim logica est scientia de ratione argumentativa. Sed quia omnis argumentatio ad syllogismum reducitur, erit logica hoc modo dicta de syllogismo, cuius quidem principia remota (quæ sunt prædicata & subiecta) in libris de vniuersalibus & prædicamentis & sex principiis iam determinata sunt ex antecedentibus & diffinitionibus eorum secundū potestatē ipsorum, & per consequentia sunt determinata in libro diuisionum. Principia verò propinqua syllogismi & ingredientia substantiam ipsius, in libro perihermenias iam determinata sunt cum modo compositionis, siue sine modo: & quia syllogismum non constituunt nisi per consequentias quas habent adinuicem, eò quod per consequentias ordinem habent antecedendi & consequendi & repugnandi ex quo considerabatur inuentio medij, in eodem libro determinatum est de consequentiis enuntiationum adinuicem. Forma verò ipsa syllogistica quantum ad modum & figuram & medij ordinem, & etiam potestas syllogistica prout ex tali causata forma & ordine (ordo enim pars est potestatis) determinata sunt in prioribus analyticis. Et cum forma hæc referri & saluari non possit, nisi vel in materia necessaria, quæ causam consequentiæ & consequentis continet intra se, vel in materia probabili quæ intra se habet causam consequentiæ ex habitudine locali quæ locus dicitur, & quid de consequente per communia in omnibus vel in pluribus inuenta, vel in materia quæ videtur habere causam consequentiæ & consequentis, & non habet vel non sufficienter habet: & cū de ipsa prout primo modo refertur ad materiam, in posterioribus analyticis iam determinatum sit, in topicis autem etiam dictum sit de ea prout secundo modo refertur ad materiam: restat nunc determinare de ipsa prout refertur ad materiam quæ apparet esse: hæc enim proxima materia syllogismi est prout est in voce: hanc enim habet syllogismus sophisticus, quamuis non sit, sed apareat, prout ipsa materia (quæ est propositiones) refertur ad figuram. Quia igitur quantum ad vocem propositiones habet in quibus saluatur forma syllogismi, oportet ostendere qualiter forma syllogismi ad hanc refertur materiam: & tunc quoad relationem formæ syllogisticæ ad materiam consummatum erit negotium logicum siue syllogisticum.

Ratio quid secundum Isaac.

Causa pro causa consequentis & pro causa consequentiæ.

Adhuc autem cum logica prædicto modo dicta diuidatur in scientiam differendi siue inueniendi, & scientiam iudicandi, sicut in partes obiectiuas: & tradita sit in topicis vt scientia differendi, in prioribus autem tradita est sicut scientia iudicandi: apparens autem nec perfectè sit scientia differendi, nec perfectè scientia iudicandi, etsi imiteretur vtramque: ideo oportet hanc scientiam tradi in differendo primo, & iudicando secundo, siue primo per formam compositionis, secundo autem per formam resolutionis eius quod compositum est. Et ideo duos libros in hac scientia necesse est introduci, quorum primus sit de dissertiuis per formam, secundus autem resolutiuus & per formam resolutionis ad diiudicandum quod videbatur esse ad formam syllogismi compositam.

Logica sophistica habet partes duas secundum imitationem, non tamen perfectè, scilicet inuentiuam & iudicatiuam.

Adhuc autem cum omne quod traditur, si incomplexum est, per priora necesse est illud notificare per diffinitionem: si autem potestas eius determinari debet, cum omnis potestas superioris sit, eò quod in tot vel tot potest partes, oportet quod sic determinentur per diuisionem. Si autem complexum determinari debeat, oportet quod in omne vnum alteri determinetur, quod fieri non potest, nisi colligendo vnum cum altero, vt antecedens, vel consequens, vel subiectum & prædicatum de illo: oportet enim in hoc vti colligendi arte & conferendi: quia in omni arte syllogistica necessarium est, in qua maior extremitas probatur inesse minori. Hac igitur necessitate modus noster erit diffinitiuus & diuisiuus & collectiuus: qui modus in omni arte logicæ prædicto modo dictæ necessarius est: quia de his tribus tanquam integrantibus constitit logicum negotium.

Modus doctrinæ libri huius.

Adhuc autem cum alius modus sit scientiæ & alius artis (eò quod scientia sit collectio principiorum tendentium ad passionem de eodem subiecto probandam, ars autem sit collectio principiorum quæ sunt regulæ operum ad eundem finem operationum tendentium) oportet nos in hoc opere tenere & formam scientiæ in probandis passionibus de subiecto & subiecti patibus, & modum artis in docendo regulas operationum ad finem sophistarum tendentium, qui est gloria in apparente sapientia. Hos ergo modos per totum librum istum tenebimus.

Sicut autem in aliis Peripateticorum principem sequimur Aristot. & hunc explanabimus, qui, sicut dicitur, causa efficiens fuit in hoc negotio: quamuis enim hanc Zeno quidam de sophisticis tradiderit, non tamen ita ad scientiam & artem redegit, quemadmodum & Aristot.

Et erit noster finis (ad quem nostrum opus terminabitur) talem scientiam de sophisticis consequi & differendis & iudicandis: ex hoc enim & scientiarum dubia soluuntur, & cauebitur ab errore qui ex sermone vel ex re posset incidere. Finis autem intentionis erit, quòd ex hoc ratio perficiatur secundum actum colligendi talia quæ videntur esse & non sunt: peccat enim sophisticus contra dialecticum syllogismum: & ideò continuè hoc opus post opus topicorum est ordinandum. Sic igitur patet de modo procedendi in hoc opere, & causa efficiente, & fine: de materia autem continuè dicemus.

CAPVT II.

De quibus tractandum est & quot sunt sophistici elenchi.

De sophisticis autem elenchis, &c.

DE sophisticis autem elenchis qui verè secundum formam elenchi sunt, quamuis peccent in materia secūdum quod materia est propositiones ad rē significandā relata, sic falsa peccat propositio, eò quod in ea signum signato non æquatur: similiter autem & de his qui videntur elenchi, quamuis in veritate non sint elenchi, sed sunt paralogismi à para quod est iuxta, & logos quod est ratio siue ratiocinatio,

Paralogismi unde dicantur.

secundum quod ratio cadit in diffinitione argumenti, quando dicitur, quòd argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem: sic enim ratiocinatione paralogismi videntur elenchi, sed non sunt, qui peccant in forma syllogismi, & nulla res illius habet nomen, cuius non habet formam, cum omnis denominatio sit à forma: sed propter similitudinem quam habet ad elenchum, dicitur paralogismus, hoc est, coniugatio propositionum iuxta syllogismum per similitudinem facta, cum tamen consequentiam syllogismi non habet ex vera medij & extremorum positione in modo & figura naturali & reali. Dicemus in hoc libro, incipientes ab his quæ prima sunt secundum naturam eorum, & ordinem naturalem eorum quæ sunt dicenda. Incipiemus enim à quæstione, an est sophisticus elenchus, quæ secundum naturam prima est inter quæstiones quatuor, quæ de scibilibus fieri possunt, an est, quia est, quid est, & propter quid est.

Dicemus incipientes, &c.

Incipiemus igitur à metis, quæ primæ sunt secundum naturam: quia quamuis meta sit vltimum sicut ad quod ducit sophista, tamen hæc est primum in intentione eiusdem: primum autem in intentione est primum secundum naturam: quia ipsum est causa eorum omnium quæ sunt ad finem illum. Adhuc autem de sophisticis elenchis tractantes incipiemus à peccantibus in forma syllogismi, qui secundum naturam sunt primi: eò quod per eos etiam cognoscuntur peccantes in materia. Si enim dicam sic: omnis statua est natutalis: statua Herculis est statua: ergo statua Herculis est natutalis. Ante hunc paralogismum & principium cognoscendi ipsum esse paralogismum, est iste alius qui sic fit: omne æs est naturale: statua est æs: ergo statua est naturale. Qui peccat in forma: & omnibus his tribus modis incipiemus secundum naturam à primis. Primo tamen incipiemus à quæstione, an est paralogismus siue sophisticus elenchus.

Et quod dicimus de sophisticis elenchis nos tractaturos, & non de sophisticis syllogismis, ideo dicimus, quia sophisticus elenchus plus dicit quam sophisticus syllogismus, cum elenchus se habeat ex additione ad syllogismum, & sophisticus elenchus ex additione se habet ad sophisticum syllogismum. Et quod dicimus de sophisticis elenchis pluraliter, & non sophistico elencho singulariter, ideo est, quia multi & in pluralitate tales sunt sophistici elenchi: substantia enim & esse rei & totum est ex vna tota & sola causa: & ideo vnum est esse & bonum: corruptio enim est omnifariam, vt dicit Aristot. & ideo melius in plurali dicitur de sophisticis elenchis, quam de sophistico elencho: corruptio ennim elenchi in vno modo non consistit, sed in multis & partitis ad vnum modum non reducibilibus. Quod autem diximus sophisticum elenchum peccare in materia, intelligendum est quod dictum est de materia secundum vocem, scilicet & rei naturam & coniugationem naturalem rerum significatarum in oratione: & materiam quidem secundum vocem habet paralogismus peccans in materia: & sic syllogismus est verus proximam

Remouet dubium.

Remouet dubium.

Quomodo intelligendum est syllogismum sophisticum peccare in materia, & quomodo habet materiam vno modo & alio modo non.

& essentialem materiam habens syllogismi: realiter autem secundum quod ea quæ sunt in voce, sunt ad rem significandam, non habet materiam: & ideo non est syllogismus, cum materiam non habens, per consequens & forma reali sit necesse carere: vocaliter igitur syllogismus est, & non realiter: significatio enim sermonis adiacet falso, sicut figura hominis adiacet mortuo: nam statim cadunt vel corrumpuntur à figura quæ cadunt ab effesquamuis figura comitetur & consequens sit esse, sicut dicit Aristot. in quarto metheororum.

De his igitur dicemus incipientes à quæstione an est talis sophisticus elenchus, sicut diximus. Quod enim sit, sic probatur. Quoniam ergo alij quidem sunt veri syllogismi veram materiam & veram formam realiter habentes secundum naturalem & realem medij positionem, alij autem cum non sint veri syllogismi, videntur tamen esse syllogismi per aliquam causam apparentiæ & similitudinis ad veros syllogismos, manifestum est ex nunc dicendis: hoc enim fit in omnibus rebus & animatis & inanimatis: vnde quemadmodum hoc fit in aliis à syllogismis, quòd aliquid videtur esse & non est, ita fit & in orationibus syllogisticis. In hominibus enim alij quidem habent bene habitum vnde laudentur, vt nobiles & pulchri, sicut sunt secundum veritatem: alij autem in veritate quidem non habent talem habitum, videntur etenim per compositionem exteriorem habere tribualiter hoc quod non habent sibi apparenter tribuentes & inflando se per extensionem ad magna quæ non habent; procedentes & fingentes se externus vt videantur esse quod non sunt. Et sic pulchri sunt, alij quidem propter decorem quem habent in veritate, alij autem cum non sint in veritate decori, videntur tamen esse decori, componentes se exterius, vt videantur esse quod non sunt. Et hoc non tantum est in animatis, sed etiam in inanimatis similiter est: nam horum quæ sunt inanimata, hæc quidem sunt argentea verè secundum formam & materiam argenti: illa verò sunt aurea verè. Illa autem non sunt verè argentea vel aurea, sed secundum sensum apparenter, vt lirhargyria quidem (hoc est, de spuma & fæce argenti facta) & stannea videntur in sensu in superficie argentea: aurichalchea verò felle croceo canino tincta, videntur in superficie quantum ad primum intuitum esse aurea.

Eodem verò modo & syllogismus & elenchus hic quidem verè est, ille autem non verè est syllogismus & elenchus: videntur autem esse propter imperitiam distinctionis. Nam imperiti speculantur non in profundum veritatis, sed id quod in superficie apparet prima facie, velut longè distantes. Nam syllogismus in veritate est ex quibusdam principijs siue propositionibus positis & ordinatis debito ordine, & terminis & propositionibus positis & concessis, vt dicatur diuersum quid quod est ex necessitate consequentiæ euenire vel accidere. Diuersum dico ab his quæ posita sunt & si posita sunt, tunc ipsa posita sunt mater & positio eorum confert eis formam. Et si ex necessitate accidit, tunc præmissæ erunt causæ conclusionis, & excluditur non causa. Et si diuersum est quod sequitur, excluditur petitio principij. Et si posita sunt in ordine terminorum, excluduntur paralogismi peccantes in forma. Et si posita sunt per concessionem veritatis, excluduntur peccantes in materia. Elenchus autem verus est syllogismus cum contradictione conclusionis. Et hic vterque tam syllogismus, quam elenchus, verè concludit: quod non facit sophisticus: ergo sophisticus videtur esse syllogismus & elenchus, non autem est in veritate.

Videtur autē ob multas causas, &c.

Sophistici enim hoc non faciunt, quod ex necessitate concludant, tamen hoc facere videntur ob multas causas, quæ secundum omnes locos sophisticos determinabuntur, quorum locorum sophisticorum facientium, quod non concludunt ex necessitate, aptissimus est ad decipiendum per causam apparentiæ, & publicissimus est, qui fit per nomina, per quæ est æquiuocatio. Et dico aptissimum propter conueniendum cum syllogismo, non propter hoc quod habet multiplicitatem actualem, quæ magis nata est decipere quam potentialis vel phantastica, sicut & potentialis magis decipit quam phantastica. Publicissimus est idem quod communiter: quia est in incomplexo quod in plus & publicum magis est, quam quod est in complexa oratione: & quia est in nomine, maiorem habet apparentiam quam fallaciæ contradictionem.

Ratio autem & causa maioris apparentiæ in loco sophistico qui fit per nomina, hæc est, quòd non est (hoc est, non contingit) disputare aliquos ferentes vel conferentes ipsas res adinuicem: aliquando enim res sunt absentes, & aliquando non sunt res de quibus disputatur, sed in disputando vtimur nominibus notæ significationis pro rebus: & quod accidit in nominibus, etiam in rebus quoque arbitramur accidere: & hoc frequenter fallit. Huic autem simile est, quod fit in ratiocinantibus in computis numerorum siue computantibus, in quo non quilibet numerus cuilibet numerato applicabilis est, sicut nec quodliber nomen cuilibet rei est applicabile: & ideo non est simile quoad hoc quod id quod accidit in nominibus, accidat etiam in rebus. Nam nomina quidem in eodem idiomate finita sunt: & per consequens orationum multitudo finita est quoad nos, cum sint posita à nostra constitutione: nostra enim institutio quoad nos infinita esse non potest: quia quod à nobis in quodam numero finito institutum est, quoad nos infinitum esse non potest: res autem cum sint non à nobis, sunt infinitæ quoad nos.

Obiectio.

Et si aliquis obiiciat de qualibet oratione per dictum suum, & de dicto iterum suæ veritatis: si enim Sortes currit, Sortem currere est verum: & si Sortem currere est verum, Sortem currere esse verum est verum, & sic in infinitum. Dicendum, quòd hoc orationum multitudinem non facit infinitam quoad nos, nisi secundum rationem, & non secundum naturam: quia omnes illæ orationes de eodem sunt; & quia prædicato modo res in nullo quoad nos excedunt nomina & orationes, necesse est si omnes res nomine vel oratione debeat

Solutio.

beat significari in disputando, quòd vnum nomen & vna oratio plures res significet, & sic fit nomen vel oratio ambigua, in cuius rei sumatur significatione. Quemadmodum igitur illi qui in computationibus non sunt prompti numeros proportionales ferre, expelluntur & vincuntur & decipiuntur à scientibus ferre tales numeros: quòd maximè patet in scientia quæ tithimomantia Græcè, Latinè autem pugna numerorum vocatur, in qua docetur, qualiter numerus capit numerum: eodem modo fit etiam in orationibus; quia qui nominum virtutis in plura significando ignari sunt, paralogizantur & decipiuntur, & ipsi secum disputantes apud se, & etiam audientes aliquos secum disputantes. Ob hanc ergo causam & alias (quæ adhuc in aliis fallaciis dicendæ sunt) patet, quòd est aliquis syllogismus sophisticus & elenchus apparens, & non existens secundum rei veritatem, quamuis substantiam syllogismi habeat secundum vocem.

Scientia tithimomantia.

Obiectio.

Et si fortè aliquis obiiciat, quòd in nulla scientia idem est quæsitum & suppositum vt subiectum: oportet enim de subiecto & quid est & quia est, relinquere & supponere. Si ergo subiectum huius scientiæ est sophisticus elenchus, videtur quod an sit, non debeat inquiri & probari. Iam autem inquisiuimus de eo an sit, & probauimus eum esse. Ad quod dicendum, quòd quia non manifestum est eum esse cum non esse videatur, de bonitate doctrinæ fuit probare eum esse. Non enim hæc scientia accipit eum esse & stabilitum à prima philosophia, sicut aliæ scientiæ, quarum subiectum certum est: & ideo à quæstione an est, in hac doctrina oportuit incipere.

Solutio.

CAPVT III.

Cuius est vti syllogismo, & propter hæc determinantur genera disputationum.

Quoniam autem quibusdam, &c.

QVoniam autem in quibusdam qui sophistæ sunt, magis operæprecium esse siue vtile & æstimatum pretium fuit operis & sui laboris, videri esse sapientes propter gloriam, quam esse verè sapientes & non videri eo quod gloriam appetunt & laudem si sapientes apparent coram hominibus: est enim sophistica apparens sapientia, & non existens vera sapientia. Et quia sophista copiosus est ab apparente sapientia & non existente, hic talis appetit syllogismum sophisticum, quamuis sit sophisticus plus quam verum: & ideo tractandum est de ipso, quod habeat instrumentum quo suum actum exerceat, & ad proprium veniat finem: sed quia appetit videri esse sapiens in operę proprio sapientis, oportet inducere hic de opere sapientis, vt sciatur in quo sophista similis cupit esse sapientiæ: cupit enim in disputatione sophista magis sapientis opus videri facere, quam verè facere & non videri.

Quod sit opus sapientis in se consideranti.

Est autem opus sapientis multiplex in se, & ad alium. In se quidem cognoscere difficillima, & quæ difficile est homini scire, siue scire quæ rarò sciuntur & à paucis. Adhuc autem scire altissima & prima, ex quibus ordinem & rationem ordinis accipiunt omnia alia & in subiecto & in principiis. Adhuc autem scire ea quorum simul sciendi modus est & sciendi gratia. Ex his accipitur quintum opus sapientis, quod est ordinare vnumquodque & non ordinari ab aliquo: quod habet ex hoc, quod scit prima quæ capita sunt & radices & principia in omnibus. Et quia hæc sunt opera sapientis in seipso vel in his quæ suæ subiacent sapientiæ & non ad alium, ideo in talibus non est appetitus sophistæ: quia non est gloria nisi in his quæ ad alium sunt: quia per gloriam fit, vt dicitur in topicis, quod nullo consciente non festinaret in esse: & ideo in talibus non potest sophista similis esse sapienti.

Est autem vt sit ad vnum dicere, &c.

Ad alterum autem conferendo & disputando opus sapientis, in quo vera gloria est (vt ad vnum vniuersaliter sit comprehendere) in vnoquoque opus scientis & sapientis est, cum respondet, non mentiri quidem cum de quibus nouit & cum opponit, proprium opus sapientis est ipsum respondentem sibi mentientem manifestare posse per ea de quibus nouit. Causa enim qua non mentitur, nec mentiri videtur, est: quia ipse solus per prima quæ causa sunt & non habent priora ante se, nouit: omnes autem alij scientes sciunt ex secundis, & ideo aliquando mentiuntur. Secundum enim habet fidem facere ex primo, & non è conuerso. Et ex hoc quod prima nouit quæ potissima sunt & super omnia alia influunt, suum est omnia alia quæ dicuntur, examinare ad prima, & videre si vera sunt vel non, & sic suum est manifestare mentientem. Et hoc habet ad alterum, primum docendo, secundum autem opponendo: & ideo hæc appetit sophista. Hæc autem opera sunt sapientis, hoc quidem in eo quod ex facultate propria potest dare verissimam propositionem orationi, id autem opus habet in eo quod potest iudicando eam sumere, & concedendo vel negando approbare vel imorobare.

Necesse est ergo eos qui, &c.

Cum ergo hoc sit opus sapientis ad alterum, necesse est eos qui volunt siue appetunt agere sophisticè, & gloriam de opere sapientis habere, quærere genera earum quæ dicuntur & vocantur disputationes: quia in aliis opus sapientis non habet gloriam. Et quia in omnibus principia ordinat & dat sapiens, non quærit in vnica disputatione sophistica opus sapientis: & ideo non in specie, sed in ipso genere disputationis quærit & appetit opus sapientis: hoc enim est sibi pretium suo opere. Nam huiusmodi potestas tradendi & sumendi talem orationem in apparentia, qualem tradit & sumit sapiens, in omni disputatione facit sophistas videri sapientes, cuius apparentiæ sunt sophistæ desiderium habentes.

Quoniam ergo huiusmodi genus, &c.

Vt ergo epilogaliter concludatur, iam manifestum est, quoniam est huiusmodi genus disputationum, quod ad alterum est, in quo sophista appetit videri similis esse sapienti. Et quoniam illi quos vocamus sophistas, talem qualem diximus dandi & sumendi apparentiæ orationem, appetunt potestatem, oportet igitur nos tradere quot species sophisticarum dis-

putationum per numerum metarum quæ sunt fines penes quos distinguuntur sophisticæ disputationes, & oportet determinare ex quot numero fallacijs consistit potestas dandi & sumendi orationem, & consistit potestas talium disputationum: & adhuc oportet determinare quot sunt partes negotij: quia duo libri erunt, vnus dandi, alter sumendi orationem potestatem docens. Et adhuc propter bonitatem doctrinæ determinare oportet de aliis quæ ad hanc artem suffragantur, vt de cautelis dandi & sumendi sophisticas orationes: his enim determinatis perfectum erit istius scientiæ negotium.

CAPVT IV.

De generibus disputationum.

Sunt ergo disputationum, &c.

INcipientes à disputatione in qua sophista opus appetit sapientis apparenter, dicemus quod disputationum sunt quatuor genera, scilicet doctrinales, dialecticæ, tentatiuæ, litigiosæ: quæ genera penes suos fines distinguuntur: eò quod disputatio motus est, cuius motor est opponens, mobile autem quod mouetur, est respondens: finis autem motus qui est terminus motus, habitus est, quem aut facere aut experiri intendit opponens in respondente. Et quia omnis motus sine suo siue termino & distinguitur & specificatur & determinatur & nominatur, ideò etiam disputatio sic est distinguenda. Hæc autem dicuntur genera & non species: quia vnaquæque earum disputationum plures habet sub se species. Et quia ad aliud tendit conatus opponentis, & ad aliud conatus respondentis in pluribus earum, ideo etiam genera & non genus dicuntur propriè.

Remouet dubium.

Doctrinales quidem, &c.

Doctrinales quidem dicuntur quæ ex propriis principijs sunt vniuscuiusque disciplinæ: quia si etiam sunt ex communibus, illa in qualibet scientia necesse est appropriare, & ex eis procedere sicut ex propriis, & non sunt ex his quæ respondenti videntur, hoc est, quia respondenti videntur: quia cum ipse sint nota, doctrinalis non interrogat nec expectat consensum respondentis: & ideo procedit, siue respondenti videantur, siue non: quæ si etiam negaret respondens, probari non possent: cum sint prima & immediata. Vnde in talibus oportet respondentem discentem siue disciplinaliter accipientem credere & probationem per syllogismum ab opponente non requirere.

Dialecticæ autem, &c.

Dialecticæ autem disputationes sunt, quæ sunt ex probabilibus collectiuæ contradictionum (hoc est, ad vtramque partem contradictionis opponentes) non quidem ad redarguendum vt sophista facit ad metam ducens redargutionis: sed vt ad vtramque partem contradictionis disputans eligat, quod verius est de vtraque parte contradictionis.

Tentatiuæ verò, &c.

Tentatiuæ autem disputationes ex his communibus vel propriis quæ videntur respondenti, & quæ necessarium est scire cum qui simulat vel dicit se habere scientiam (hoc est, quibus nescitis procerto accipitur experimentum ignorantiæ) & quibus scitis non propter hoc habetur experimentum scientiæ: & hæc sunt communia: quia illis nescitis ignoratur ars siue scientia, & illis scitis non sequitur, quòd propter hoc sciatur ars vel scientia. Quomodo autem tentatiua sit circa talia, determinatum est in aliis quæ de topicis iam habita sunt: si tamen circa propria tentat aliquando demonstrator & singula propria, tunc acciperet experimentum scientiæ, quæ si nescirentur, nesciretur ars, & quibus scitis etiam ipsa consequenter scitur ars.

Litigiosæ verò, &c.

Litigiosæ autem disputationes, quæ sunt ex his quæ videntur probabilia per locum sophisticum, non sunt autem verè & secundum esse probabilia: syllogizant enim ad minus syllogismum verum factum secundum formam & materiam, quam syllogismus quærit in oratione: procedunt enim ex duabus propositionibus secundum vocem communicantibus in termino vno, quod est medium duorum terminorum, in quibus à seinuicem differunt propositiones: & hæc est vera quantum ad vocem forma & materia syllogismi, quando in qualitate & quantitate debitis ad modum alicuius figuræ combinantur: & ideò syllogizant verè hac veritate syllogismi sophistici, quamuis non veritate probantis syllogizent.

Sufficientia disputationum.

Istarum autem disputationum sufficientia penes terminos & fines accipitur: quia disputans mouendo respondentem, aut intendit facere habitum, aut experiri si verè inest sibi habitus quem dicit esse factum. Si autem intendit facere habitum: tunc ille habitus aut est necessarius & immobilis, & sic est doctrinalis: aut est vincens cum ex probabilibus per necessariam consequentiam, & tunc est dialectica deficiens à necessitate consequentis quæ est in doctrinali, & retinens necessitatem consequentiæ: aut intendit facere habitum qui videtur & non est, qui quidem generatur ex his quæ sequuntur in voce, & ideò in re sequi videntur & non sequuntur: & tunc est disputatio litigiosa. Si autem intendat experiri habitum qui factus dicitur esse, erit disputatio tentatiua.

Remouet dubium.

Et notandum, quòd penes idem videtur esse diuisio syllogismi & diuisio disputationis quantum ad materiam: & tamen syllogismus diuiditur in topicis, & disputatio diuiditur hic: quia cum syllogismus & maximè syllogismus probans, per prius & posterius dicatur de demonstratiuo & dialectico & litigioso, syllogismus dialecticus medius est vt mutans quantum materia permittit demonstratiuum: cum autem mutatur litigiosus: & sic vt medium refertur ad vtrumque: & sic in consideratione ipsius omnes differentiæ syllogismi considerantur. Propter quod in scientia de syllogismo dialectico conuenjens fuit syllogismum in suas diuidere differentias: quia aliter nesciretur cum quibus vt extremis syllogismus dialecticus communicat. Disputatio etiam dicitur per prius & posterius de

de generibus disputationum, sed per prius dicitur de disputatione litigiosa. In his autem quæ per prius & posterius dicuntur, commune quidem est in vno, & in aliis est secundum proportionem ad illud: nec sciri possunt modi secundorum, nisi cum principali: & ideò hic conueniens fuit distinguere modos disputationum.

Obiectio.

Si autem quis contra hoc obiiciens dicat, quòd hæc diuisio syllogismi debuit poni in libro posteriorum, & non in libro topicorum.

Solutio.

Dicimus, quòd hoc esset verum, si syllogismus non diuideretur, nisi vt verè probans: quia tunc syllogismus non esset verè syllogismus: nunc autem quia diuiditur vt inferens, qualis supponitur ex scientia libri priorum, ideò competentius diuiditur in libro topicorum, in quo de syllogismo agitur, qui communicat cum aliis duobus syllogismis.

Dubitatio.

Et si quæratur, quare non determinatur genus disputationis ad quod sicut subiectum pertineat paralogismus disciplinæ?

Solutio.

Dicendum, quòd hæc quæstio falsum supponit: pertinet enim paralogismus disciplinæ ad tentatiuam disputationem, secundum quod tentat in propriis sumens opposita principiorum, quæ si concedat respondens, accipitur experimentum ignorantiæ ipsius.

Dubitatio.

Adhuc autem si quæratur, quare non determinatur proprius syllogismus tentatiuæ disputationis?

Solutio.

Dicendum, quòd non est aliquis nec potest esse proprius syllogismus tentatiuæ disputationis: si enim tentat circa communia, tentat per syllogismum dialecticum: si verò tentat circa propria ex communibus, adhuc tentat per syllogismum dialecticum propriis adaptatū vt si circa hoc tentet, quod est triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, sic procedat: Omne proprium inest vniuersaliter ei cuius est proprium: habere tres duobus rectis æquales, est proprium trianguli: ergo inest ei vniuersaliter. Adhuc si tentat ad experimentum ignorantiæ circa communia, sumit syllogismum sophisticum potestate in materia: proponet enim propositiones falsas, quas si concedit respondens, satis habetur experimentum ignorantiæ ipsius. Et sic patet, quòd nullus est syllogismus de his qui dicti sunt, quo non aliquando vtatur tentator: & ideò non est aliquis syllogismus specialiter tentatiuus.

Ergo de demonstratiuis, &c.

Sic autem determinatis & distinctis generibus disputationum, vt accipiamus illam quā intendimus, de demonstratiuis quidem disputationibus in analyticis posterioribus dictum est: de dialecticis autem & tentatiuis in aliis (hoc est, in libro topicorum) satis dictum est, & in vniuersali, & in particulari secundum singula problemata: de agnosticis autem & litigiosis disputationibus nunc in scientia huius libri dicemus.

CAPVT V.

De quinque metis.

Primum ergo sumendum, &c.

QVia finis est ad quem omnia quæ in disputatione sunt, referuntur, primo sumendum est quot sunt numero quæ coniectant tanquam metas & fines, hi qui proponendo & respondendo in disputationibus ad seinuicem determinant, & velut à præculinis dentium decertant in seinuicem se exacuentes. Hæc autem sunt ad quæ seinuicem deducere & protrahere volunt, quinque numero. Primū quidem quod maximè intendunt, est redargutio, vt si sibipsi contradicere cogatur: hoc enim maximam reputant gloriam, si alter alterum hoc facere cogat. Secundum autem est apertè falsum, vt si alter alterum ad se cogere possit, vt apertè falsum dicat vel concedat. Tertium autem est inopinabile, si scilicet violentia argumentationis ad hoc deducatur, quòd dicat inopinabile contra suam propriam, vel omnium vel sapientum opinionem existēs. Quartum autem, quòd minus præhabitis intendunt, est solœcismus, vt scilicet saltem incongruè & contra grammaticæ regulas aliquid dicat. Quintum (quod præ omnibus minus intenditur à sophista opponente) facere vel cogere sophistam nugari: nugari autem facere, est cogere respondentem facili repetitione idē dicere frequenter. Singulum autem eorum quæ metas esse dicimus, non attendit sophista tantum secundum veritatem cogere, quod si sit aliquod quod dixit, & cogatur præconcessum dicere, quod non sit, vel cogatur falsum dicere, vel inopinabile, vel solœcismum, vel nugari, & sic negare quod concessit: sed si non potest aliud, cogatur ad hoc, quòd horum aliquid pati videatur.

Ad quam metam principaliter intendat deducere sophista.

Attendendum autem hic, quòd per quodlibet quorum potest, primum intendit sophista redire & inferre redargutionem: vt si ad falsum ducat, inferat, quod non sequitur falsum nisi ex falso, & sic hoc quod concessit respondens, sit falsum, & ideo cogatur negare præconcessum, & sic redarguatur. Similiter si ad inopinabile ducat, & inferat, quòd inopinabile non nisi ex inopinabili sequitur, & sic quod inopinabile sit præconcessum, & sic idem negare cogatur quod præconcessit. Similiter si ad solœcismum ducit, intendit quòd nihil signauerit in præconcesso, & sic quod præconcessit, negare cogatur. Et idē est in nugari: quia per hoc improbare vult quod præconcessit: quia inutile fuit, & sic præconcessum sit negandum. Ex quo patet, quòd in omnibus aliis intendit primum: ipsum autem primum intendit principaliter: & ideo loci sophistici qui sunt fallaciæ, non ponuntur nisi ad redargutionem. Ad alias autem metas aliæ viæ ponuntur, & non fallaciæ.

Obiectio.

Si autem aliquis obiiciat & dicat, quòd quicunque concedit contradictoria, eo ipso dicit oppositum esse falsum, & è conuerso: & sic omnis redargutio ducitur ad falsum: & sic falsum

falsum & redargutio non sunt metæ diuersæ. Dicendum, quod licet talis dicat falsum, non tamen dicit falsum prout est meta secundum se. Dicit enim falsum secundum quod falsum est in comparatione ad præconcessum: quia impossibile est contradictoria esse simul vera. Quando autem falsum secundum se est meta, est falsum non relatum ad præconcessum, sed simpliciter & aperte falsum: & hoc non est verum in contradictoriis: quia sæpè vtrumque contradictoriorum est possibile: & tamen ambo simul esse vera non possunt. *Solutio.*

Similiter si aliquis obiiciat, quòd omne inopinabile est falsum: & ideo falsum & inopinabile sunt meta vna. Dicendum, quòd falsum est: quia sæpè falsum & etiam impossibile est opinabile: sicut solem esse maiorem terra, necessarium est & demonstratiuum: & contradictorium eius est impossibile, & tamen est opinabile pluribus: & hoc sufficit ad hoc, quod sit opinabile: omne enim quod pluribus opinabile est, opinabile est, & non conuertitur. *Alia obiectio.* *Solutio.*

Si verò quis obiiciat de solœcismo, quòd non est de intentione logici. Dicendum, quòd est secundum quod impedimentum veræ significationis in oratione perfectæ: sic enim est meta: quia logicus sophista intendit hoc modo qui dictus est, conuenientiâ in oratione: secundum autem quod vitium est in consignificatis orationis, sic est de intentione grammatici. Cum autem barbarismus sit vitium in dictione, & sic vitia annexa barbarismo sicut & solœcismo, non tamen potest accipi meta iuxta ea: quia non sunt in oratione perfecta quæ est conclusio syllogismi, sed in dictione, cuius conuersio non est per syllogismum aut metam, intendit ducere sophista per syllogismum, sicut iam dictum est. *Alia obiectio.*

Similiter si obiiciatur de eo quod est facere nugari: quia si penes inutilem repetitionem accepta est meta, videtur quod etiam penes omissionem alicuius necessariorum vel vtilium debeat esse meta: & sic sex metæ esse videntur. Dicendum ad hoc, quòd meta est in oratione perfecta, vt dictum est: si autem aliquid vtilius in oratione dimittatur, iam non erit oratio perfecta ad significandum id quod ponit respondens: & sic non potest esse meta. *Solutio.*

Sufficientia autem numeri metarum hoc modo accipitur. Cum enim meta sit inconueniens conclusio: conclusio autem oratio perfecta: aut ergo erit inconueniens in re, aut in oratione. Si in oratione: aut erit penes substant iam vocis, aut penes accidentia, quibus vox ad vocem adiicitur. Et penes accidentia inconueniens est solœcismus. Penes substantiam autem aut penes vitium in abundantia, & sic est nugatio: aut penes diminutionem, & non erit vitium in oratione perfecta quæ est conclusio: quia subtracto aliquo necessariorum non remanet oratio perfecta. Si autem est inconueniens conclusio in re: aut erit in re absolutè, & sic est falsum: aut in comparatione ad respondentem: & hoc dupliciter: aut enim refertur inconueniens ad respondentis positionem, & sic est inopinabile aut refertur ad præconcessum vel prænegatum, & sic est redargutio. Et sic patet, quòd dubium esse *Sufficientia numeri metarum.*

poterat de metis vel de finibus litigiosarum disputationum, quæ quamuis sint secundum quod sunt termini actus disputantis, tamen fines esse non possunt bene intendentis nisi per accidens, vt scilicet apparente eo quod est inconueniens, redeant ad veritatem. *Nulla quinque metarum potest esse terminus bene intendentium nisi per accidens.*

Tamen scias, quòd vt vitia sunt fines sophistæ, qui in victoriam videtur consequi & gloriam. Non enim inconueniens est, quòd vitium sit finis corruptæ intentionis. Intentio autem sophistæ corrupta est, cum meta propriè loquendo non sit finis, sed terminus ad quem ducere conatur opponens respondentem, vt victus videatur: & talis meta bonum per se esse non potest: & si est bonum, est bonum per accidens, vt dictum est per singula in communi. *Remouet dubium.*

Ex dictis patet, quòd sophistæ maximè volunt videri redarguentes: quia in redargutione videtur esse gloria. Secundo autem appetunt aperte falsum aliquid monstrare dicere respondentem: quia ex hoc videtur opponens gloriosus coram audientibus. Tertium autem quod intendit, est deducere respondentem, quod dicat aliquid præter opinionem & maximè suam vel omnium. Quartum autem est solœcismo vti facere respondentem: hoc autem est facere secundum locutionem siue orationem perfectam in accentibus orationis facere barbarizare siue inconsuetè loqui. Vltimum autem quod intendit, est frequenter idem cogere dicere nugando. *Epilogus metarum ad quas intendit deducere sophista.*

CAPVT VI.

De modis arguendi ad reductionem, quæ sunt fallaciæ in communi.

MOdi autem arguendi siue per quos arguitur ad redargutionis metam ducendo, sunt duo, scilicet secundum apparentiam acceptam in dictione, secundum quod dictum est idem quod voce literata & articulata pronuntiatum est siue prolatum: & alij modi sunt extra dictionem secundum rem accepti, secundum quod res ipsa enuntiata subsistat dictioni siue prolationi: omne enim quod dicendo profertur, hoc vocatur dictio: vnde hoc modo & oratio dictio est: forma enim dictionis sic modo accepta prolatio est: & quæ vna continua prolatione profertur, vna dictio: & quæ pluribus, plures est dictiones. *Modi autem arguendi sunt duo, &c.* *Dictio hic capitur pro omni eo quod dicendo profertur.*

Ea autem in modis illis quæ secundum dictionem faciunt phantasiam siue apparentiam, sex sunt numero. Sunt autem in dictione modi illi, scilicet qui nunc dicentur, scilicet æquiuocatio, amphibologia, compositio, diuisio accentus, figura dictionis. Quod autem tot sint & non plures, fides est & per inductionē & per syllogismum. Per inductionem quidem: quia cum modus arguendi in dictione non faciat apparentiam nisi cum oratione syllogismi topici, conuenientia illa aut erit in dictione, aut in oratione. Tertia enim conuenientia quæ posset esse & in dictione & in oratione, differt à conuenientia quæ est in oratione. Si autem est *Sunt autem ea quæ secundum dictionem, &c.* *Sufficientia fallaciarum in dictione ostenditur per inductionem.*

est in oratione: aut erit secundum materiam dictionis tantum, aut secundum formam tantum, aut secundum vtrumque, materiam & formam. Si enim secundum materiam tantum, est fallacia accentus: quia in duabus dictionibus diuerso accentu prolatis, & in aliis quæ sunt in voce eisdem existentibus, non est nisi materia vna. Vt si dicam persona, media correpta, & persona, media circumflexa. Si autem est secundum formam tantum, cum terminatio sit de forma dictionis, erit fallacia figuræ dictionis. Si autem est secundum vtrumque simul, erit æquiuocatio, quæ & in materia & in forma habet eandem vocem. Et sic patet inducendo: quia in voce incomplexa sic est, & similiter in voce complexa; & non sunt plures, & sunt tot: ergo sunt sex modi. Si enim sit conuenientia in voce complexa: aut erit secundum materiam & formam, & sic est amphibologia: aut secundum formam tantum, & sic erit iterum figura dictionis: quia eadem est terminatio orationis & dictionis, cum omnis oratio ad dictionem terminetur: aut in materia tantum, & sic compositio & diuisio: si enim vna continua prolatione pronuntietur, erit composita: & si diuersis prolationibus pronunticetur, erit diuisa: nec conueniunt nisi in materia tantum oratio composita & diuisa.

Probatio numeri fallaciarum in dictione per syllogismum.

Per syllogismum autem probatur hoc modo: quandocunque eisdem nominibus vel orationibus non idem significamus, apparentia in dictione fit aliquo istorum sex modorum: sed in omni fallacia in dictione decipiente non idem eisdem nominibus vel orationibus significamus: ergo omnis modus arguendi decipiendi in dictione fit aliquo istorum sex modorum. Sic ergo fides est, quòd hi & tot & non plures sint modi arguendi sophisticè in dictione.

Cum autem dicitur eisdem nominibus vel orationibus non idem signari, debet accipi idem & eadem oratio largè, id est, secundum quod habet vnitatem siue identitatem in omnibus, materia scilicet & forma & terminatione, siue in materia tantum, siue in forma terminationis tantum, siue in duobus ipsorum: quæcunque enim identitas sit in his, siue in omnibus vt in æquiuocatione & amphibologia, siue in duobus vt in accentu & compositione & diuisione, in quibus terminatio eadem, siue in terminatione sola vt in figura dictionis, sufficit ad eandem dictionem & eandem orationem, secundum quod hic sumitur eadem dictio vel oratio: sed non potest esse fallacia penes materiam eandem & diuersam terminationem: quia quorumcunque in voce & syllabis per omnia est materia eadem, oportet esse terminationem & figuram terminationis eandem.

Et attende, quòd quamuis res prior sit nomine & oratione apud instituentem nomen & orationem, & sic id quod sumitur ex parte rei, debeat præcedere id quod sumitur ex parte dictionis, tamen in disputatione secundum quod disputatio est diuersa putatio inter duos, sermo siue vox est prior apud respondentem: quia per hunc percipit conatus respondentis: & hoc modo fallaciæ in dictione, sunt ante fallacias extra dictionem.

Si autem aliquis quærat, cum habeamus locum sophisticum quando eodem nomine plura significamus, quare non habeamus alium locum sophisticum, quando idem diuersis nominibus significamus? Dicendum, quòd hoc esset nugario: loci autem sophistici non multiplicantur nisi ad redargutionem: & ideo non est locus sophisticus attentus penes hoc. *Dubitatio.* *Solutio.*

TRACTATVS II.

De fallacia in dictione.

CAPVT I.

De paralogismis æquiuocationis.

VNA multiplicitas actualis est ante multiplicitatem potentialem & phantasticam, æquiuocatio autem & amphibologia dicunt multiplicitatem actualem, cæteræ autem fallaciæ in dictione dicunt multiplicitatem vel potentialem vel phantasticam, ideo prius agendum de æquiuocationis & amphibologiæ paralogismis. Et quia æquiuocatio in dictione, amphibologia autem in oratione, ideo prius de modis paralogismorum æquiuocationis, quam amphibologiæ est agendum.

Incipientes igitur de modis æquiuocationis, dicimus, quòd secundum æquiuocationem decipientes orationes sunt huiusmodi, quales nunc dicemus. Cum enim æquiuocatio ab æqua vocatione dicatur, erit modus primus & principalis, quando vox sic æqualiter ad plura significata refertur, quod ad vnumquodque refertur æqualiter, & non significat vnum principaliter & aliud secundario, sicut modum aliquem principalis significati: talis enim dictio æqualiter plura significat secundum diffinitionem æquiuocationis in prædicamentis datam, quòd æquiuoca sunt, quorum solum nomen *Sunt autem secundum æquiuocationem, &c.* *Æquiuocatio vnde.*

commune est, ratio autem substantiæ significatæ diuersa: & secundum hos modos paralogismorum concluditur sophisticè, quoniam discunt scientes, sic formando paralogismum: Grammatici discunt: Grammarici sunt scientes: ergo scientes discunt. Vt autem ostendatur multiplicitas esse æquiuocationis, patet quòd discere est æquiuocum, & in maiori & in conclusione: discere enim æquiuocè dicitur ad vti disciplina & ad accipere disciplinam. Dicimus enim eum discere qui secundum intellectum considerando actualiter vtitur disciplina, & mouetur ab habitu ad actum: & hoc discere est ad habitus radicationem: & sic verum est, quòd Grammatici & scientes discũt. Cum autem dicitur disciplinam alicuius ignorati accipere, tunc falsum est, quòd Grammatici discunt: quia Grammatici scientiam non accipiunt hoc modo: etiam falsum est, quòd scientes discant. Patet ergo, quòd iste est primus modus æquiuocationis: quia discere æqualiter se habet ad duo ista significata, vti disciplina, & accipere disciplinam.

Quomodo discere est æquiuocum.

Et rursus, quoniam mala, &c.

Rursus secundus modus æquiuocationis est, quando non æqualiter vna vox plura significat, sed vnum principaliter, & aliud secundariò, per quem modum sophisticè concluditur, quoniam mala sunt bona, sic formando paralogismum: quæcunque expediunt, bona sunt: mala expediunt: ergo mala bona sunt. Probatio minoris: quia incisio membri putrescentis mala est: quia pœnalis: & tamen expedit vt corpus non putrescat ex membro putrido. Probatur autem in paralogismo esse talis multiplicitas: quia expediens duplex est (hoc est, duo significat) scilicet id quod necessarium est si debeat haberi corporis sanitas, sicut membri incisio: & sic id quod est malum, expediens est frequenter: plerumque enim in malis accidit aquid expediens esse. Et secundo modo principaliter in his quæ in se bona sunt, dicemus esse expedicns, sicut expedit virtuti studere & ditari & philosophari, & huiusmodi: tamen expediens dicitur principaliter in bonis, & secundariò in malis quibusdam, eò quod conferunt aliquando mala secundum aliquid.

Amplius eundem sedere & stare, &c.

Amplius tertius modus est, ex eo quod dictio aliqua secundum se sumpta significat vnum solum & modo vno significandi, sed coniuncta cum alia dictione in oratione eadem, modos significandi accipit plures, & secundum hoc sophisticè concludetur eundem sedere & stare, & eundem laborare infirmitate & sanum esse, sic formando paralogismum primum: quicunque surgebat, stat: sedens surgebat: ergo sedens stat. Secundus autem sic formatur: quicunque sanabatur, sanus est: laborans sanabatur: ergo laborans sanus est. Quod autem in orationibus multiplicitas æquiuocationis sit, sic ostenditur. Fiat enim vis in hoc quod dicitur, surgebat & sanabatur: hæc enim quia sunt præteriti imperfecti temporis, includunt in se præsens tempus, & sic in se duo habent tempora, præteritum in parte, & præsens: vnde si ponatur præteritum quod in se non includat præsens, & dicatur, quicunque surrexit, stat, falsa est locutio. Similiter si dicitur sic: quicunque sanatus fuit, sanus est, falsa est propositio. Quando autem præteritum imperfectum ponitur, tunc sunt veræ in vno sensu: quia præteritum imperfectum dicit actum incompletũ includẽtem in se præsens ad quod continuatur actus. Quod autem in talibus sit multiplicitas æquiuocationis, patet ex hoc, quòd laborantem, quod formatur à præterito imperfecto, quodlibet facere aut pati, hoc est, adiunctum verbo actiuæ vel passiuæ significationis, de præterito non significat vnum, sed plura: sed ratione duorum temporum quæ in se claudit, aliquando significat præsens quod nunc instat, vt dicat eum qui nunc laborat, & sic falsa est, qui laborat, sanus est: quia sequeretur, quòd nunc laborat, & nunc sanus est. Quandoque autem significat præteritum, vt cum dicitur, qui laborabat prius, sanus est nunc, & hæc vera est. Et sic est etiam de ista, qui sedebat, stat. Et sic patet, quòd est hîc multiplicitas æquiuocationis in dictione quidem vna, sed ex coniunctione dictionis ad aliam, quæ si per se poneretur, non esset æquiuoca: vnde sanabatur laborans & non laborans secundum diuersos sensus, & sanus est non laborans in hoc sensu, quòd sanus est laborans, non nunc in præsenti in quo sanus est, sed laborans prius in præterito in quo non sanus fuit.

Præteritum imperfectum includit præsens.

Sufficientia specierum æquiuocationis.

Hi ergo tres modi sunt secundum æquiuocationem ad quos omnes modi æquiuocationis reducuntur. Et sufficientia eorum patet ex ipsa diuisione: omne enim quod plura significat, aut significat omnia principaliter, aut vnum prius & alia ex consequenti, aut significat ea secundum se, aut ex coniunctione cum aliquo.

Obiectio.

Videntur insufficienter positi modi æquiuocationis: quia ex diuersa significatione casus vel numeri videtur prouenire æquiuocatio, sicut si dicam: quicunque sunt Episcopi, sunt sacerdotes: isti asini sunt Episcopi: ergo isti asini sunt sacerdotes. Hic enim modus ex

Solutio.

diuersitate consignificationis casus & numeri proueniens, sub nullo inductorum modorum videtur contineri. Et dicendum, quòd hic modus sub primo modo prius inducto continetur: quia diuersa significatio communiter sumitur ad significationem & consignificationem: quamuis enim dictio principaliter significet hoc quod dicit in recto, tamen significat etiam hoc quod dcit in obliquo, quamuis non primo, sed ex consequenti.

Quomodo æquiuocatio communius sumitur hîc quam in prædicamentis.

Vnde patet, quòd aliter sumitur in sophisticis elenchis æquiuocatio, & in prædicamentis. In prædicamentis enim sumitur prout impedit aliquod poni in genere vno prædicamenti, & hoc non facit nisi ex diuersa principali significatione in re significata: hic autem sumitur prout est principium decipiendi, & hoc facit ex diuerso modo consignificandi, & ex diuersa significatione principali æqualiter: & ideò magis largè sumitur hîc æquiuocatio, quam ibi.

CAPVT

CAPVT II.

De solutione dubiorum quæ sunt circa æquiuocationem.

Dubitatio prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

DVbitationes autem quæ sunt circa dicta de æquiuocatione, sunt plures: sed de quibus curandum est, sunt quinque. Quarum prima est, an vna dictio possit plura significare? Secunda, si plura significat, qualiter illa significat? Tertia, an vna dictione semel posita contingat vnum & eundem vti æquiuocè? Quarta de distributione quæ adiungitur dictioni æquiuocæ. Quinta, quæ sit causa apparentiæ in dictione æquiuoca?

Ad primam dubitationem obiectiones.

Ad primam istarum quæstionum sic obiicitur: omnis dictionis perfectio est sua significatio: ad hoc enim est instituta & inuenta: sed vnius perfectibilis non est nisi vna perfectio: ergo vnius dictionis vna est significatio: non ergo aliqua dictio actualiter plura significat.

Perfectio dictionis duplex.

Sed hoc facilè soluitur distinguendo perfectionem dictionis: est enim perfectio dictionis vt dictio est, & est perfectio dictionis vt signum est. Prima est dictionis substantialis: & hæc est cotinua syllabarum & literarum in dicendo prolatio: & tales perfectiones plures vna dictio habere non potest. Perfectio autem dictionis vt signum est, accidentalis est: quia accidit dictioni signum esse: vnde signatio quæ est ex relatione dictionis ad significandum, perfectio est accidentalis: & tales perfectiones vna dictio potest plures habere: quia plura vni & eidem possunt accidere: & sic contingit vnam dictionem actualiter plura significare.

Obiectiones ad secundam dubitationem.

Secundo quæritur, qualiter vna dictio actu plura significat? vtrum scilicet significet ea discreta & discretè sub copulatione, & copulata ad vnam vocem æqualiter, vel significet ea sub disiunctione, quòd potentia ad eandem vocem relata sit, vt vel vnum dicat vel alterum, vt sic vtrumque possit significare? Quod autem sub disiunctione plura significet, non videtur: quia si plura sub disiunctione significaret, non esset oratio multiplex, in qua ponitur dictio æquiuoca, sed vel simpliciter vera, vel simpliciter falsa: si enim in omni sensu vera est, simpliciter vera iudicatur: & si in omni sensu falsa est, simpliciter iudicanda est falsa. Cuius exemplum est: quia cum dicitur, canis currit, si hæc dictio, canis, sub disiunctione dicit sua significata, idem est dicere, canis currit, quod latrabile vel marinum vel cæleste sydus currit: istæ enim æquipollent: sed hæc semper vera est, vel semper falsa, & nunquam distinguenda, latrabile vel marinum vel cæleste sydus currit: ergo nunquam erit distinguenda æquipollens sua, quæ est, canis currit: hoc ergo falsum est: ergo dictio æquiuoca sua significata non dicit sub disiunctione. Adhuc disiuncta non dicuntur vna dictione, nisi potentia dicat vnum, vel aliud, vtrumque potens dicere: ergo secundum hoc æquiuocatio non faceret multiplicitatem actualem, sed potentialem: quod tamen falsum est.

Si autem dicatur, quòd plura significet sub copulatione discreta & discrete illa significando, videtur contrarium: quia secundum hoc omnis oratio in qua ponitur dictio æquiuoca supponens respectu verbi singularis numeri, erit incongrua, & sic hæc erit incongrua, canis currit, sicut hæc, latrabile & marinum currit, quod falsum est.

Adhuc autem aliud videtur sequi inconueniens: quia si significet significata sub copulatione: tunc licet conuersim inferre dictionem æquiuocam ex quolibet suo significato, & è conuerso quodlibet significatum ex dictione æquiuoca, sicut infertur pars copulationis ex tota copulatione: & sic sicut sequitur, Sortes & Plato currunt, ergo Sortes currit: ita sequitur, canis currit, ergo latrabile currit, quod falsum est: ergo æquiuocum non dicit significata discreta per modum copulationis copulata in vna voce importata.

Adhuc autem idem sequitur inconueniens quod superius dictum est, scilicet nulla oratio in qua ponitur terminus æquiuocus, est distinguenda, sed vel simpliciter vera, vel simpliciter falsa: quia si pars copulationis est falsa, copulatiua similiter est falsa. Et similiter si oratio in qua ponitur dictio æquiuoca, pro parte significationis est falsa, tota est falsa: hoc autem falsum est: ergo dictio æquiuoca non significat sua significata per modum copulationis.

Quod vox æquiuoca significet sua significata copulatiuè.

Ad hoc dicendum, quòd terminus æquiuocus significata sua dicit discreta, & quodlibet illorum actu significat & per modum copulationis: aliter enim propositio in qua ponitur terminus æquiuocus in prædicato vel subiecto, non faceret propositionem vniuersalem, eò quod esset de pluribus prædicatis, quod falsum est: quia dicit Aristot. in lib. perihermenias, quod si hæc dictio, tunica, imponatur ad significandum hominem & equum, qui sic dicit, tunica est alba: aut dicit, quòd homo est albus, & equus est albus: aut nihil dicit: constat autẽ, quòd non nihil dicit: ergo duo dicit, quòd homo est albus, & quod equus est albus, & sic plures est propositio, & plura dicit actu. Huius signum est: quia si vnus proferat hanc vocem, canis, & duo audiant, vnus intelligit latrabile, & alter intelligit marinum: & cum non possint intelligere nisi quod actu significatur in voce, constat quòd vtrumque in voce significatur actu & per modum copulationis, ita quod & hoc & hoc. Vnde dictio æquiuoca ad sua significata modo modo se habet, partim vt totum vniuersale, & partim vt totum integrale. In hoc enim quod non constituitur in multiplicitate æquiuoca, nisi ex omnibus significatis simul congregatis, se habet ad sua significata vt totum integrale: in hoc autem quod infertur ex parte suæ significationis & non infert eam, habet se vt totum vniuersale. Et per hoc patet, quod facile est soluere ad obiecta.

Dictio æquiuoca se habet ad sua significata, partim vt totum vniuersale, & partim vt totum integrale.

Dicendum enim, ad primum, quòd locutio in qua ponitur terminus æquiuocus, supponens verbo singularis numeri, non est incongrua: quia cum constructio referenda sit ad intellectum, eo modo ad intellectum referenda est

est quo signa in voce. In dictione autem æquiuoca plura significantur in voce vna singulariter: & sic secundum intellectum illius vocis supponit verbo singularis numeri, vt plura in vna voce singulari coordinata.

Ad aliud dicendum, quòd dictio æquiuoca infert quandoque suum significatum, sed non non infertur ex eo. Et huius causa est: quia ad illud se habet sicut totum vniuersale: eo quod tota vox saluatur in qualibet parte suæ significationis, sicut totum vniuersale saluatur in qualibet sua parte, & ideo infertur ex qualibet sua parte: sed non infert eam, sicut nec totum vniuersale partem suam infert: eò quod pars sua non est in ipso nisi in potentia: ex potentia autem nihil actualiter inferri potest.

Obiectio. Siquis autem obiiciat, quòd copulatiua infert partem suam: si enim Sortes currit & Plato disputat, sequitur, ergo Sortes currit: & sic videtur sequi, canis currit, ergo latrabile currit. Dicendum, quod ea quæ antecedunt ad aliqua d' inferendum, dupliciter contingit antecedere, scilicet vel ita quod totum antecedens referatur ad totum consequens, vt cum dico, si homo est, animal est: vel sic quod non quidem totum, sed pars eius antecedentis ad consequens referatur, sicut cum dico, Sortes currit & Plato disputat, ergo Sortes currit. Ista enim consequentia non est nisi ex parte antecedentis, scilicet gratia huius quod est Sortes currit: & alia pars est ad consequens non causa, & non facit ad consequentiam: & ideò ex parte non potest inferri ea pars tua. Et quod ex parte significationis inferatur tota vox æquiuoca, hoc est ideo, quia habet in hoc naturam ipsius vniuersalis, quod tota vox refertur ad qualibet partē significationis: & ideo sequitur, latrabile currit, ergo canis currit: licet nō sequatur, Sortes currit, ergo Sortes currit & Plato disputat: quāuis è cōuerso sequatur, Sortes currit & Plato disputat, ergo Sortes currit.

Obiectio Solutio. Siquis autem obiiciat dicens, quòd si pars copulatiuè est falsa, tota est falsa. Dicendum, quòd si intelligatur ratione copulationis, verū est: si autem intelligatur ratione copulatorum, est falsum: dictio autem æquiuoca plura significat vt copulata, & non ratione formal s copulationis: & ideo cum in vna significatione est falsa, non est in toto falsa: & ideo ratione ex ea pars infertur, & ratione partis vera esse videtur pro parte & non pro toto. Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

Argumenta ad tertiam dubitationem. Tertio quæritur, an vna dictione semel posita contingit vti æquiuocè? Videtur autē, quòd sic: ex quo enim dictio æquiuoca plura significat actu & discreta sub copulatione, ita quod hoc & hoc, tunc videtur, quòd proferens eā in omni sensu suo potest vti ea, & sic vtitur æquiuocè. Adhuc si aliquis dictionē æquiuocā proferat, eam diuersi audientes prolationem, accipiunt in diuersis significatis: non autem sic accipiunt eam pro diuersis significatis, nisi proferens eam vteretur pro diuersis proferendo: ergo vtitur dictione semel prolata & semel posita æquiuocè.

In contrarium autem huius est quod dicit Boëtius, quod termino semel posito non contingit vti æquiuocè.

Ad hoc dicendum, quod vti dictione semel posita dicitur dupliciter, scilicet secundum intellectum referentem vocem ad plura significata, & secundum prolationem solam sine intellectuali relatione vocis ad significata. Et primo quidem modo non contingit vna dictione semel posita vti æquiuocè: quia dicit Arist. quòd scire quidem plura possumus, intelligere autem minimè: & ideò per vnum & eundem actum intelligendi non contingit dictionem semel acceptam referri ad plura distinctè significata. Secundo autem modo contingit vnica prolatione termino semel prolato vti æquiuocè à diuersis audientibus, vt dictum est: contingit etiam ab vno & eodem bis vtente secūdum duplicem actum intelligendi vti vno termino æquiuocè. Et sic patet huius quæstionis solutio.

Argumenta ad quartam dubitationem. Quarta quæstio est de distributione termini æquiuoci: quærit enim si adueniat ei signum distributiuum, vtrum distribuatur pro omnibus suis significatis, vel pro vno tantum? Videtur, quòd pro omnibus, ex quo continet in se omnia sua significata per medium copulationis, qua ratione distribuetur pro vno, eadem ratione distribuetur pro quolibet: ergo pro omnibus distribuetur. Adhuc vt totum vniuersale se habet ad sua significata: sed totum vniuersale, pro omnibus contentis sub vno distribuitur: ergo & vox æquiuoca pro omnibus significatis suis, quæ in ea continentur vt partes subiectiuæ, distribuetur.

In contrarium huius est, quòd vnius distributi tantum vna est distributio: plura autem forma & ratione sunt in termino æquiuoco: ergo pluribus & non vna distributione distribuetur.

Ad hoc dicendum, quòd terminus æquiuocus dupliciter potest determinari à signo distributiuo: potest enim determinari ratione partium significatarum in vnitate & communitate vocis: & sic vna distributione pro omni sua distribuitur significatione. Si autem ratione significatorum respiciatur à distributione, non posset vna distributione distribui pro partibus cuiuslibet significati. Et per hoc patet solutio quæsiti.

Argumenta ad quintam dubitationem. Quinto quæritur, quæ sit causa apparentiæ in dictione æquiuoca? Videtur enim nulla esse: quia ex quo plura actu significat, videtur illa distinctè significare, & non vnum in alio.

In contrarium autem est, quòd si causam apparentiæ non haberet, non deciperet: decipit autem aliquem: ergo habet causam apparentiæ.

Ad hoc autem dicendum, quòd causam apparentiæ habet vnitatem vocis secundum materiam & formam substantialem quæ est dictionis vt est dictio: ex hoc enim credit aliquis, quòd significata sint vnum: causam autem non existentiæ habet diuersitatem significatorum. Et attende, quòd ad terminum æquiuocum non debet addi signum vniuersale ad hoc vt sit paralogismus, sed ad hoc vt paralogismus videatur esse syllogismus: & vt sic sub figura syllogismi decipiat, debet addi signum vniuersale: quia sine signo vniuersali non fit syllogismus.

CAP VT

CAPVT III.

De modis amphibologiæ.

Ratio diuisionis. *Secundum autem amphibologiā, &c.* QVia amphibologia multiplicitatem facit actualem in oratione ex diuersa constructione: & ideo post æquiuocationem modos ponemus amphibologiæ. Et sequentes Aristot. quinque modos simul ponemus. Quorum primus est multiplex, ex eo quod oratio principaliter plura siue multa significat, quorum primus modus est, Vellem accipere me pugnātes: & debet sic formari paralogismus: quoscūque vellem me accipere, vellem quod me acciperent: pugnantes vellem me accipere: ergo vellem, quòd pugnantes me acciperent, quod falsum est. Hæc enim multiplicitas est secundum amphibologiam ex eo quod iste accusatiuus, me, potest construi cum infinitiuo ex parte ante, & potest construi cum eodem ex parte post: & in primo sensu vera est, in secundo autem falsa.

Et putas quod quis scit, &c. Secunda ratio est, Putas quod quis scit, hoc scit? quæ oratio exemplum est secundi modi amphibologiæ, scilicet quia oratio per se significat vnum solum, & adiuncta aliquando plura significat. Et paralogismus sic est formandus: quod quis scit, hoc scit: grammaticam scit aliquis: ergo grammatica scit. Nam in tali oratione & scientem & scitum contingit vt scientem significari: quia hoc pronomen, hoc, potest hæc significare: quia hoc pronomē, hoc, potest significare scientem, & tunc construitur cum verbo ex parte suppositi, & ante verbum ponitur: & sic est oratio falsa. Potest etiam significare scitum, & tunc construitur ex parte appositi: & tunc est vera.

Et putas quod videt quis, &c. Tertius modus est, vt, Putasne quod quis videt, hoc videt: columnam aliquis videt: ergo columna videt. Formatur autem paralogismus, sicut iam habitum est: & patet multiplicitas ipsius ex hoc quod hoc pronomen, hoc, potest construi cum hoc verbo, videt, ex supposito: & sic est nominatiui casus, & construitur ex vi suppositi. Vel potest construi cum verbo eodem ex parte appositi, & est accusatiui casus, & construitur ex vi transitionis: & sic patet multiplicitas.

Et putas hoc quod tu dicis esse, &c. Quartus est, Putasne ne quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse a dicis aurem lapidem esse: ergo tu lapis dicis esse. Et patet multiplicitas istius ex eo quod hoc pronomen, hoc, potest esse nominatiui casus, & construi cum supposito verbi quasi determinatis suppositum sub hoc sensu, putas quod tu existens dicis esse? Vel potest esse accusatiui casus & construi cum dicis ex parte post ex vi transitionis, & sic columnam vel aliud dicis esse. Facile autem est in omnibus talibus multiplicitatem inuenire ex diuersa constructione.

Et putas est tacentem, &c. Quintus modus est in oratione syllogismi primæ orationis: ex eo quod in primo non est distincta multiplicitas: vt in ista distincta intelligatur & esse in prima: & hæc est oratio, Putas est, siue contingit, tacentem dicere? Et potest sic formari paralogismus: contingit Sortem dicere: Sortes est tacens: ergo contingit tacentem dicere. Duplex est huius oratio: quia significat tacentem dicere, & hunc tacentem: hæc enim oratio potest significare hæc duo, hoc scilicet, tacens dicit: & sic construitur hoc participium, tacens, cum verbo dicere infinitiuo ex parte ante ex vi suppositi. Potest etiam significare hoc, tacens dicitur: & sic construitur tum eodem verbo ex parte post: quia hoc (quod est tacentem dicere) dicitur vt quoddam de numero dicibilium. Hi igitur sunt modi amphibologiæ, ad quos omnes modi deceptionum (qui proueniunt ex diuersa constructione dictionis cum dictione in eadem oratione) reducuntur. Et causa apparentiæ in eis est identitas orationis secundum formam & materiam: causa autem non existentiæ est significationis actualis diuersitas.

CAPVT IV.

De solutione dubiorum quæ sunt circa modos amphibologiæ.

Æquiuocatio & amphibologia licet conueniant, non tamen sunt vna fallacia specie. ESt autem primo notandum, quòd quamuis in æquiuocatione & amphibologia identitas vocis secundum formam & materiam sit causa apparentiæ, & diuersitas significationis sit causa non existentiæ, & sic vnam & eandem causam videantur habere causam apparentiæ & non existentiæ, & per consequens vna videtur esse fallacia: tamen vna non est fallacia: tum quia vna est in dictione, & altera in oratione: tum etiam, quia vna est in diuersa sententia, & alia in diuersa significatione. Sententia propriè dictionis non est, sed orationis. Et ideo conuenientia quam habent in causa apparentiæ & in causa non existentiæ, est conuenientia in genere & non in specie, & non facit conuenire æquiuocationem cum amphibologia, nisi in hoc quod vtraque causat multiplicitatem actualem, & non in modo fallendi speciali.

Quod amphibologia non sit generalis fallacia, sed specialis. Adhuc autem secundum notandum, quòd quamuis in omni fallacia in dictione sit ambiguitas substantiæ, & sic amphibologia videatur generalis ad omnes fallacias in dictione, tamen quia ambiguitas amphibologiæ est vna & eadem ratione ex diuersa construendi habitudine, & talis ambiguitas in nulla alia fallacia in dictione est, quia accentus & figura dictionis & æquiuocatio sunt in dictione, & non in oratione, compositio autem & diuisio non sunt in vna oratione secundum materiam, ideo amphibologia est specialis & non generalis fallacia.

Adhuc tertio notandum, quòd licet in talibus modis (quod aliquis scit, hoc scit) sit multiplicitas ex consignificatione diuersi casus nominatiui & accusatiui, ex quo in præhabitis diximus prouenire æquiuocationem: tamen principaliter & primo sunt istæ orationes secundum amphibologiam: quia in talibus quælibet oratio significat vnum solum, & coniuncta vna cum alia ex diuersa significatione efficitur

efficitur dubia sententia: vnum significat hæc oratio, omne quod quis scit, & vnum solum significat hæc, hoc scit: coniuncta autem ex diuersa habitudine constructionis pronominis cum verbo, fit dubia sententia: & quod est ibi æquiuocatio, est ex consequenti.

Nota modum amphibologiæ quem non posuit Aristot.

Quarto notandum est hic, quòd quamuis amphibologia dicatur prouenire ex diuersa habitudine principaliter, tamen etiam prouenit ex ambiguitate sententiæ quæ prouenit ex proprio & transumptione sumpto: vt quicquid ridet, habet os: pratum ridet: ergo pratum habet os. Quamuis enim idem modus in genere sit construendi transumptum & proprium, tamen pro vtroque est ambiguitas sententiæ, secundum quod sententia ad intellectum refertur: & hoc sufficit ad amphibologiam: quia dubiam in oratione vna secundum formam & materiam facit sententiam. Sed tamen non ponitur ab Aristot. iste modus: quia vsitatus est & manifestus: quia fere omnes vruntur parabolis. Adhuc notandum, quòd ponens dubiam sententiam, aut intendit decipere per eam, aut tantum exemplificare. De multiplici primo modo oportet, quod proponentes eam forment in modo & figura: quia aliter non deciperet. Secundo autem modo distinguendum est: quia aut est manifesta multiplicitas, & tunc non oportet nisi proponere. Secundo autem modo debet deducere vt manifesta fiat eius multiplicitas.

CAPVT V.

De tribus modis in quibus conueniunt æquiuocatio & amphibologia.

SEd quia æquiuocatio & amphibologia operantur multiplicitatem actualem, modi earum in multis conueniunt, quod non est in aliis fallaciis, nisi in compositione & diuisione: sed in his per omnes modos manifestum est: quia si compositio fallit, diuisio soluit, & è conuerso. & ideo in illis conuenientiam & differentiam non oportet assignare, sed in æquiuocatione & amphibologia assignata iam differentia modorum æquiuocationis & amphibologiæ, consequens est assignare in quo conueniunt.

Sunt autem tres modi, &c.

Dicamus igitur quòd tres sunt modi secundum æquiuocationem in dictione, & iuxta illos tres sunt modi in oratione secundum amphibologiam. Vnus quorum & primus est, quando dictio secundum æquiuocationem, vel oratio secundum amphibologiam, principaliter significat plura. Et huius exemplum in æquiuocatione, vt piscis æquiuocum ad piscē verum, & ad piscem pictum: & canis æquiuocum ad latrabile, & marinum. Et huius exemplum in amphibologia supra positum est in hac oratione, vellem me accipere pugnantes, sicut patuit per antedicta: & ideò hoc repetere non oportet.

Amplius autem quādo sic soliti, &c.

Alius autem est quando soliti sumus per similitudinem translationis in dictione vel oratione sic dicere, quòd vnum dictio vel oratio significat propriè, aliud autem per similitudinem translationis secundario & impropriè, de quo exemplificare non oportet: quia multæ & notæ sunt parabolæ & in dictione & oratione.

Tertius verò modus &c.

Tertius verò modus est, quando dictio vel oratio compositæ aliæ dictioni vel orationi plura significant: separatæ verò dictio & oratio significant simpliciter, hoc est, vnum & non plura. Et huius exemplum est in amphibologia, vt hæc oratio, scit seculum, per se significat vnum: coniuncta verò alij orationi, vt huic, quodcunque scit aliquis, hoc scit, plura significabit: eò quod iste terminus, seculum, in nominatiuo coniunctus verbo ex parte suppositi vnum generat sensum, & in accusatiuo constructus cum eodem verbo ex parte post, alium sensum generabit, sicut supra patet de hac oratione, quodcunque scit aliquis, hoc scit: grammaticam scit aliquis: ergo grammatica scit: quæ isti orationi per omnia similis est. Nam horum siue harum orationum vtrumque si contingit, vnum significat. Dico autem si contingit: quia potest adiungi orationi & vnum significanti & plura significanti, & accipere ex ipsa adiunctione multiplicitatem: ambo autem siue orationes simul iunctæ significant plura. Et hoc, scilicet quodcunque scit aliquis, hoc scit: hoc enim nō est multiplex: quando autem in paralogismo additur, seculum scit aliquis, statim est multiplicitas ex adiuncto: quia ex adiunctione accipit, quod verbo sciendi potest construi ante vel post, quod sine huius coniunctione non habet: significat enim aut seculum ipsum scientiam habere, si ex parte suppositi cum verbo construatur: aut significat alium scientiam habere seculi siue de seculo, si iste terminus, seculum, sit accusatiui casus & cum verbo sciendi ex parte appositi construatur.

Ergo amphibologiæ, &c.

Epilogaliter ergo dicendo amphibologia & æquiuocatio communiter circa hos tres sunt modos. Quod autem quidam dicunt & scire & seculum multipliciter dici, & ex hoc causare multiplicitatem, falsum est, nisi scire cum adiuncto sibi in hac oratione, seculum scit, intelligatur: quia aliter non esset ad propositum. Si fortè hac oratione secundum se sumpta quæratur, vtrum sit multiplicitas vel non, etiam si alij non adiungat? Dicendum, quòd non est multiplex.

Reprehensio quorundam.

Obiectio.

Si autem quis obiiciat, quòd adhuc in oratione illa, seculum, potest construi cum verbo ex parte suppositi, vel ex parte appositi. Dicendum, quòd hoc falsum est: quia si construatur ex parte appositi, nihil est quod supponitur verbo, cum omne verbum tertiæ personæ exigat suppositum vel finitum vel infinitum, constat, quòd cum nullum habeat suppositum quando iste terminus, seculum, construitur cum eo ex parte appositi, oratio erit incongrua: & sic in hoc sensu nec vera nec falsa est: & sic perit multiplicitas eius. Non enim potest excusari quin exigat, nec est exceptæ actionis: & hoc scitur esse verum.

Solutio.

Obiectio.

Et si obiicitur, quòd sic se habet infinitiuus ad accusatiuum exigendo ipsum ex parte ante, sicut indicatiuus tertiæ personæ ad nominatiuum. Hoc patet esse falsum: quia infinitiuus

Solutio.

non

non necessariò ante se exigit accusatiuum, vt patet in pluribus, vt scio metere, volo currere. Indicatiuus autem de necessitate exigit nominatiuum ante se pro supposito, & nisi habeat eum certum & determinatum, non est oratio perfecta ad verum vel falsum significandum, & talis imperfecta oratio non potest esse multiplex. Propter quod patet, quòd ista oratio, scit seculum, ex seipsa non est multiplex, nisi alij adiungatur. Sic ergo de amphibologia & modis communibus amphibologiæ & aequiuocationis determinatum sit.

CAPVT VI.

De tribus modis compositionis.

Quare præposuit fallaciam compositionis & diuisionis ante fallaciam accentus.

DE potentiali multiplicitate post actualem multiplicitatem determinandum est, quæ licet sit in compositione & in diuisione & accentu, & compositio & diuisio sint in oratione, accentus autem in dictione: tamen de compositione prius est agendum: quia in accentu (in diuersis pronuntiationibus acuti & grauis & circumflexi accentus) non remanet eadem forma dictionis secundum quod prolatio forma dictionis est: & ideò magis refertur ad diuersitatem. In oratione autem siue composita siue diuisa dictiones secundum formam & materiam remanent eædem, & ideo magis respiciunt vnitatem: & sic compositio ordinanda est ante accentum, & compositio ante diuisionem, licut habitus ante priuationem.

Secundum compositionem autem & diuisionem, &c.

Et ideo in hac multiplicitate primo damus modos compositionis, qui sunt tres. Quorum primus prouenit: quia aliqua dictio in oratione est composita cum aliquo, & tamen non diuiditur id quod est in oratione: & tales sunt hæ duæ orationes, vt posse sedentem ambulare, & posse non scribentem scribere. Siquis enim dicat istas orationes, componens accusatiuum cum infinitiuo, & dicat eas diuidens eundem accusatiuum cum eodem infinitiuo, non idem significabit, sed multiplex secundum compositionem & diuisionem: si enim componit accusatiuum cum infinitiuo, tunc significat idem quod hæc oratio, quod habet aliquis possibilitatem vt non scribens scribat, & est falsa. Siquis autem non componat accusatiuum cum verbo, tunc significat, quòd qui nunc non scribit, habet possibilitatem vt scribat: & hæc est vera. Composita ergo est falsa, diuisa vera. Diuisa sic pronuntianda est, verum est non scribentem, scribere posse, ita quod punctus suspensiuus ponatur ad scribentem, & subinferatur scribere posse. Composita autem oratio sic pronuntiatur, verum est non scribentem scribere posse, ita quod suspensio ponatur ad scribere, & sic falsa est.

Quomodo differenter sunt pronuntianda propositiones de sensu composito & propositiones de sensu diuiso. Et discere nunc literas, &c.

Secundus modus prouenit ex hoc quod aliquid componitur cum aliquo in oratione eadem posito, & diuiditur etiam ab aliquo posito in eadem oratione: & huius exemplum est, discere nunc literas, siquidem didicit quas scit, & formatur sic paralogismus: proponatur ista, quicunque scit literas, didicit illas. ex hac enim elicitur ista quæ est multiplex, quicunque scit literas nunc didicit illas. Si enim componatur hoc aduerbium nunc, cum hoc verbo didicit, & diuidatur ab hoc verbo scit, sic est falsa. Si autem componatur cum hoc verbo, scit, & diuidatur ab hoc verbo, didicit, vera est oratio: & sic composita fallit, & diuisa soluit, quicunque scit literas, aliquando didicit illas, & in præterito tempore vsque nunc didicit illas: & quicunque scit literas, didicit illas: sed iste scit literas: ergo nunc didicit illas.

Amplius quod vnum solum, &c.

Tertius modus est, quando componit cum aliquo in oratione posito, sed sub intellectu in eadem oratione: & huius exemplum est quod dicitur, quod vnum solum potest ferre, plura potest ferre: sensus enim compositionis est secundum quod continua & composita est prolatio inter hæc duo, vnum solum, cum hoc verbo infinitiuo, ferre, sic, quod potest ferre vnum solum, ita quod nihil amplius plura potest ferre: sic enim composita est & falsa: & sic dictio exclusiua respicit infinitiuum ferre: quia quod sic vnum solum potest ferre, & nihil amplius, non potest ferre plura: quia sic dictio exclusiua ponit formam suam circa hunc terminum, vnum, & excludit id quod est oppositum vni ab infinitiuo super quod ponitur posse vel possibile: & ideo quod sic vnum solum potest ferre, non potest plura ferre. Si autem discontinua & diuisa sit prolatio inter hæc duo, vnum solum, tunc dictio exclusiua excluditur ab isto termino, vnum, & coniungitur cum participio subintellecto quod est ens: vel existens solum, potest ferre: & hoc est verum: & ideò diuisa est vera, composita falsa.

Sunt autem qui exemplum istius tertij modi aliter distinguunt ex compositione: dicunt enim, quòd hæc oratio, quod vnum solum potest ferre, plura potest ferre, potest reddi subiecto coniunctim vel diuisim. Si reddatur ei coniunctim, tunc falsa sub hoc sensu illud enim quod potest ferre vnum solum, non potest coniunctim cum hoc ferre plura. Si autem diuisim reddatur ei, oratio est vera sub hoc sensu: quia illud quod potest ferre vnum solum diuisim, non potest coniunctim vel cum hoc ferre plura.

Dicunt adhuc alij, quòd hæc oratio, quod vnum solum potest ferre, plura potest ferre, non est multiplex, sed simpliciter falsa: nec ponitur ideò quod sit multiplex, sed quia sequitur ex multiplici sic, quod vnum & aliud potest ferre, vnum solum potest ferre: ergo quod vnum solum potest ferre, plura potest ferre. Pluribus etiam modis hæc oratio potest distingui ex compositione & diuisione: sed primus modus rationabilior videtur.

CAPVT VII.

De tribus modis diuisionis.

Secundum diuisionem verò quoniam, &c.

SEcundum diuisionem verò siue fallaciam diuisionis dabimus tres paralogismos iuxta tres modos compositionis secundum eundem

ordinem. Primus ergo modus erit, quando aliquid diuiditur ab aliquo in oratione posito, & cum nullo componitur in eadem oratione posito: & de hoc duo sunt exempla sic, quinque sunt duo, & tria: & formatur sic: quæcunque sunt duo & tria, sunt quinque: duo & tria sunt duo & tria: ergo duo sunt quinque, & tria sunt quinque, quod falsum est. Adhuc alia oratio: quæcunque sunt duo & tria, sunt paria & imparia: quinque sunt tria & duo: ergo quinque sunt paria & imparia. Adhuc autem pendes eundem modum accipirut & hæc oratio, quæ est maius esse æquale & formatur sic: quod est maius, est tantundem & amplius: sed quod est tantundem, est æquale: & quod est amplius, est inæquale: ergo quod est tantundem, est æquale & inæquale.

Cum autem in his orationibus sit multiplicitas in hoc quod eadem oratio secundum materiam in omnibus his diuisa & composita non eadem significat, sed aliud, in omnibus his significat diuisa & composita. Exemplum autem quod est quando aliquid in eadem oratione componitur cum aliquo, & diuisum ab isto componitur cum aliquo in eadem oratione posito, vt ego te posui seruum entem liberum: & est in hac oratione multiplicitas, ex eo quod hoc participium, entem, potest componi cum hoc nomine seruum, & sic est oratio composita & vera: vel diuidi ab illo & componi cum hoc nomine, liberum, & sic est diuisa & falsa: & hoc est iuxta secundum modum compositionis.

Exemplum autem eius quod est tertius modus compositionis (scilicet quod diuisum ab aliquo in oratione posito componitur cum aliquo non in eadem oratione posito, sed sub subiecto intellecto) est hoc: quadraginta virorum, centum reliquit diuus Achilles: & est hæc multiplicitas ex eo quod hæc dictio, centum, potest componi cum isto termino, virorum, & tunc est adiectiuū eius & est casus genitiui: & sic oratio est composita & vera sub hoc sensu, centum virorum reliquit diuus Achilles quadraginta. Vel iste terminus, centum, potest addi ad hunc terminum, reliquit: & tunc componitur cum hoc termino subintellecto quod est virorum: & sic est diuisa & falsa sub hoc sensu, quod de numero quadraginta virorum, centum reliquit diuus Achilles, quod est impossibile. Isti ergo sunt modi compositionis & diuisionis.

CAPVT VIII.

De exclusione dubiorum quæ sunt circa fallacias compositionis & diuisionis.

ATtendendum est autem quoad solutionem dubiorum quæ sunt circa has duas fallacias, quòd multiplicitas potentialis in oratione, non facit nisi vnam fallaciam, quæ est accentus: & quamuis eadem videatur causa apparentiæ in compositione & diuisione, quæ est identitas orationis secundum materiam in composita oratione & diuisa, tamen compositio & diuisio sunt fallaciæ distinctæ: & hoc est propter duas causas, scilicet quia non eadem causa apparentiæ, sed diuersa. Alia autem est: quia non est aliquid commune in vno cum quo ille duæ fallaciæ nominari possint. Vnde quantum ad constitutionem vnius loci sophistici non est simile de multiplicitate potentiali & actuali in oratione: oratio enim in qua multiplicitas est actualis, non habet nisi vnam causam apparentiæ: oratio autem in qua est multiplicitas potentialis, duas habet causas apparentiæ: & hoc patebit in sequentibus.

Adhuc notandum, quòd non est simile de multiplicitate potentiali in dictione & oratione: quia in dictione per accentum non est nisi vna causa apparentiæ: in oratione autem multiplici duæ sunt causæ apparentiæ, & ideò duæ fallaciæ.

Adhuc autem notandum, quòd licet semper simul sint compositio & diuisio in oratione quantum ad hoc quod si compositio fallit, diuisio soluit, & è conuerso: tamen non ita sunt simul, quòd generaliter sit quod hoc quod componitur cum vno, diuidatur ab alio in eadem oratione posito, sicut patet in modis tribus cōpositionis, & in tribus modis diuisionis in antehabitis paulo ante positis: nec etiam omnis compositio falsa facit fallaciam compositionis, sicut patebit in sequentibus.

Dubitatio. Si autem quis quærat, quæ sit propria causa apparentiæ compositionis, & quæ propria causa diuisionis, & quæ propria causa non existentiæ compositionis, & quæ diuisionis? *Solutio.* Dicendum, quòd propria causa apparentiæ compositionis est identitas orationis materialis diuisæ ad compositam, & è conuerso identitas materialis compositæ ad diuisam, est causa apparentiæ specialis in diuisione. Causa autem non existentiæ est diuersitas in formali oratione & diuisa & composita, sicut patet per antedicta.

Dubitatio. Solutio. Si autem quæritur penes quid accipiantur modi compositionis & diuisionis? Satis patet per prædicta: quia diuisum ab aliquo in oratione posito: aut non componitur cum aliquo in eadem posito, & sic est primus modus: aut componitur cum aliquo: & si componitur, aut componitur cum aliquo in oratione posito, aut non posito, sed subintellecto. Et primo modo est secundus modus, altero autem modo tertius tam in compositione quam in diuisione.

Dictum quorundam. Sunt tamen qui dicunt, quòd nihil componitur cum aliquo vel diuidatur ab illo, nisi adiectiuum verbi vel nominis: & hoc diuisum à suo substantiuo sua dependentia exigit vt cum altero componatur: quia per se stare non potest. Sed ad hoc dicendum, quòd licet non possit esse per se, nisi componatur cum alio secundum constructionem: potest tamen esse per se & diuidi secundum prolationem. Disiunctio autem in prolatione facit diuisionem, sicut & continua prolatio facit compositionem secundum quod hic intenditur de compositione & diuisione.

Argumentū circa primum modum compositionis. Adhuc specialiter circa primum modum compositionis notandum est: illius enim modi exemplum est posse non scribentem scribere: &

& hæc vera esse videtur & in sensu compositionis & in sensu diuisionis. In sensu enim diuisionis, secundum quod diuiditur accusatiuus ab infinitiuo, significatur quòd ille qui nunc non scribit, potest scribere: & hoc est verum. In sensu verò compositionis, secundum quòd accusatiuus componitur cum infinitiuo eodem, nihil aliud significatur, nisi quod prædicatum dicti possit inesse subiecto: & hoc est non scribentem scribere posse: & hoc iterum verum est. Adhuc eadem extrema manent, hoc est, idem prædicatum & idem subiectum in sensu compositionis & in sensu diuisionis: & manentibus eisdem extremis semper manet eadem falsitas & eadem veritas.

Solutio. Quomodo sensus huius propositionis, posse nō scribentem scribere, est aliud in sensu cōposito, & aliud in sensu diuiso. Sed ad hoc dicendum, quòd diuersus est sensus in compositione & diuisione orationis primi modi compositionis: & non est verum, quòd in sensu compositionis non significet aliud quam quod prædicatum dicti possit inesse subiecto: significatur enim, quòd prædicatum dicti actualiter insit subiecto, quod est non scribentem: & hoc est possibile. Est enim sensus compositionis, non scribentem scribere est possibile, hoc est, dictum istius propositionis, non scribens scribit, est possibile, quod esse non potest, cum propositio sit impossibilis: & ideo dictum oportet esse impossibile. Nec etiam sunt eadem extrema, quæ sunt prædicatum & subiectum. In sensu enim compositionis subiicitur tantum accusatiuus, non scribentem, & prædicatur hoc totum, scribere est possibile: & sic diuersa sunt extrema compositæ orationis & diuisæ.

Circa secundum modum compositionis. Adhuc vlterius quæritur in secundo modo in quo diuisum ab vno componitur cum alio. In hoc enim videtur esse duplex compositio, & duplex diuisio ex duarum causarum altera oportet, quòd proueniat, aut scilicet quod sint in oratione vna determinatio & duo determinabilia, aut è conuerso duæ determinationes & vnum determinabile. Prioris modi exemplum est, vt quicquid viuit, semper est: hic est vna determinatio quæ est hoc aduerbium, semper, & duo determinabilia, scilicet quod dico viuit, & hoc verbum, est: & in hoc exemplo quod supra factum est, quadraginta virorum, centum reliquit diuus Achilles. Si autem vna sit determinatio, duo vero determinabilia, considerandum est si illa determinabilia sic se habent adinuicem, quòd vnum sit pars alterius, aut non. Et si vnum est pars alterius, tunc non contingit ibi duplex compositio & duplex diuisio. Si autem non se habent adinuicem vt totum, siue quod vnum sit pars alterius, sed sunt diuersa vel disparata, tunc accidit multiplicitas ex præpositione vel postpositione determinationis. Ex præpositione sic, non vnum hominem sedere sequitur ad istum hominem sedere: hic enim est multiplicitas ex hoc, quòd negatio potest referri ad totum vel ad partem. Ex postpositione autē determinationis accidit multiplicitas, vt hic, omne aliud quam animal, quod & Sortes sunt duo, differe à Sorte: quia hæc determinatio, quod, potest determinare hoc totum, aliud quam animal, vel partem eius, scilicet animal.

Generaliter ergo loquendo quando vna est determinatio & duo determinabilia, quorum vnum se habet vt totum, reliquum vt pars: tunc dicendum, quòd oratio dicitur composita ex compositione determinationis cum illo determinabili quod se habet vt totum, & ex diuisione eiusdem ab illo dicitur omninò diuisa: & secundum quod diuiditur ab illo, non componitur cum aliquo alio, vt hic, non, vnum hominem esse, sequitur ad omnem hominem esse, ita quod punctus suspensiuus statim ponatur post negationem sic, non, vnum hominem esse, sequitur ad omnem hominem esse: hoc enim modo est oratio diuisa, secundum quod est prolatio discontinua inter illud totum & negationem præcedentem. Si autem continuè pronuntietur, sic est composita. Similiter autem quod subsequitur determinatio, vt hic, omne aliud quam animal (quod & Sortes sunt duo) differt à Sorte: secundum enim quod hæc determinatio, quod, hic est pars totius relati, continuè profertur cum toto hoc, aliud quam animal, sic est composita sub hoc sensu: omne aliud quam animal, quòd & Sortes sunt duo, differt à Sorte: secundum autem quod pars eius ad quod refertur, continuè profertur cum relatione & non vt totum, sic est oratio diuisa, secundum quod fit quædam pausatio parua inter hoc quod dico, aliud, & hoc quod dico, quam sic, omne aliud, quam animal quod & Sortes sunt duo, differt à Sorte.

Si verò sint duo determinabilia & sic se habeant, quòd neutrum sit vt totum respectu alterius, sicut si sint duo, substantiua, vel duo verba ad quæ determinatio referri possit: tunc semper accidit multiplicitas ex interpositione determinationis, vt hic, quicquid viuit semper est: tunc enim non esset oratio multiplex, si præponeretur vel postponeretur determinatio sic, semper quicquid viuit, est: vel sic, quicquid viuit, est semper.

Quando ergo sic est, quòd determinatio ponitur inter determinabilia: tunc considerandum est, verum illa determinabilia se habent in oratione secundum æquè, ita quod neutrum sit principalius in oratione, aut vnum est principalius alio. Si autem vnum est principalius alio: tunc determinatione composita cum principaliori dicitur oratio composita, & ad diuisionem eiusdem determinationis ab illo debet dici diuisa. Et huius causa est: quia determinatio de natura sua antecedens & dependens est ad alterum, & principalius magis natum est suscipere suam dependentiam, quam quod minus est principale. Si verò ita se habeant, quòd neutrum sit magis principale, vt hic, posui te seruum entem liberum: tunc considerandum est, quod illorum magis habet naturam determinabilis, & hoc semper erit præcedens determinationem: de natura enim determinabilis est semper præcedere determinationem suam vt subiectum præcedit formam: & tunc ex compositione dererminationis cum magis determinabili dicitur oratio composita, & à diuisione eiusdem ab eodem dicitur diuisa.

Si verò accidat duplex compositio, vel duplex diuisio, eò quod vnum est determinabile & duæ determinationes: tunc accidit

multiplicitas ſolum ex interpoſitione determinabilis inter duas determinationes, vt hic: quinquaginta virorum, centum reliquit diuus Achilles: ſi enim determinabile præponatur, non eſt oratio multiplex ſic, virorum quinquaginta, centum reliquit diuus Achilles: vel etiam poſtponatur, vt hic, quinquaginta, centum virorum reliquit diuus Achilles: adiectiuum enim & ſubſtantiuum ſemper volunt ſimul coordinari immediatè. Quando ergo determinabile ponitur inter duas determinationes, conſiderandum eſt quæ illarum magis hãbeat determinationis, & ex compoſitione illius cum determinabili debet dici oratio compoſita, & ex diuiſione illius ab eodem debet dici oratio diuiſa: & hæc determinatio quæ magis habet naturam determinationis, ſemper erit ſequens determinabile: eò quod de natura determinationis eſt, ſemper ſequi ſuum determinabile, cum naturaliter ſit poſterior ipſo. Et ex hoc patet, quòd non omnis propoſitio falſa, facit fallaciam compoſitionis: nec omnis diuiſio falſa, facit fallaciam diuiſionis.

Et ex his tribus modis facile videtur de compoſitione & diuiſione ſi aliquid determinabilium duorum alterum ſe habeat vt totum, & alterum vt pars, vel non, & an ſint duo determinabilia & duæ determinationes, vel duo determinabilia & vna determinatio, vel vnum determinabile & duæ determinationes. Et hæc dicta ſint de fallaciis compoſitionis & diuiſionis.

CAPVT IX.

De excluſione dubiorum circa modos compoſitionis & diuiſionis.

Dubitatio. DVbitatur etiam de modis compoſitionis & diuiſionis, & primo de tertio modo compoſitionis & diuiſionis, quãdo ſcilicet cõpoſitum cum aliquo in oratione poſito & diuiſum ab iſto componitur cum aliquo, non in eadem oratione poſito, ſed ſubintellecto: ex hoc enim poſſet videri alicui, quòd iſtæ fallaciæ eſſent extra dictionem, cum non in voce ſed in re prout eſt intellectu proueniant. Et ad hoc dicendum, quòd non ideo dicitur fallacia, quòd cum ſubintellecto componatur, vel diuidatur, ſed principaliter eſt fallacia, quia in prolatione diuiditur ab eo cum quo componebatur, & per conſequens ipſum neceſſe eſt componi vel diuidi cum aliquo vel ab aliquo ſubintellecto.

Solutio.

Quomodo accuſatiuus poteſt diuidi ab infinitiuo & quomodo non. Adhuc autem quamuis dicendum ſit in primo paralogiſmo, quòd prouenit ex hoc multiplicitas, quòd accuſatiuus poteſt diuidi ab infinitiuo, vel componi cum eodem: tamen ſciendum eſt, quòd accuſatiuus non poteſt diuidi ab infinitiuo, ita quod infinitiuus non ſemper exigat accuſatiuum ſicut indicatiuus nominatiuum: & ideo non poteſt diuidi ab ipſo quantum ad conſtructionem, poteſt tamen diuidi ab ipſo quantum ad continuæ prolationis interpoſitionem: & hoc facit multiplicitatem.

Adhuc notandum, quòd licet prius inducta exempla de multiplicitate compoſitionis data ſint, tamen hæc ſimpliciter vera, quicunque ſcit literas, aliquando didicit illas: & hæc ſimiliter falſa, ſciens diſcit literas: nec ideo ponuntur, quòd multiplices ſint: quia ponitur oratio vera, vt ex ea eliciatur multiplex: & ponitur oratio falſa, quia ſequitur ex multiplici, ſicut in antehabitis patuit informatio prædictorum modorum.

Adhuc autem notandum, quòd in hac oratione, quod vnum ſolum poteſt ferre, plura poteſt ferre, principaliter fallit compoſitio, & ſoluit diuiſio ex conſequenti: tamen hoc ſequitur, quòd dictio excluſiua poteſt teneri ſyncategorematice, ſicut tenetur in ſenſu compoſitionis: vel categorematice, ſicut tenetur in ſenſu diuiſionis: & hoc non eſt inconueniens, quòd in vna oratione plures ſint cauſæ fallendi, vna ſcilicet principaliter, altera autem conſequenter.

Adhuc autem circa hanc orationem, quinque ſunt duo & tria, notandum eſt, quòd cum copula ſemper ſimilium ſit, vel orationem copulat orationi, vel dictionem dictioni, & non orationem dictioni vel è conuerſo: & ſic licet oratio videatur eſſe falſa, tam diuiſa, quam compoſita: tamen non eſt ita, quòd vterque ſenſus ſit falſus: ſed ſenſus compoſitionis eſt verus, & ſenſus diuiſionis eſt falſus: & copulatur terminus cum termino, tam in ſenſu compoſionis, quam in ſenſu diuiſionis: in ſenſu tamen compoſitionis totum copulatum redditur ſubiecto, partes copulatæ diuiſim. Secundum enim quod hæc (duo & tria) coniunctim proferuntur, eſt compoſita: ſecundum autem quod diuiſim, eſt diuiſa. Et ideo compoſitio & diuiſio ſunt paſſiones orationis exiſtentis in voce, & non in intellectu: & ſi aliquando tantum vno modo proferatur actu quoad conſtructionem, poteſt tamen diuerſimodè proferri in proferendo: & ex hoc cauſatur multiplicitas compoſitionis & diuiſionis

CAPVT X.

De fallacia accentus & modis eius duobus.

Quomodo accentus diuerſimodè conſideratur à logico & grammatico DE fallacia vero accentus conſiderantibus prius occurrit determinandum qualiter accentus ſit de conſideratione logici & ſophiſtæ, & qualiter de conſideratione grammatici. Sciendum, quòd accentum conſiderare in genere & ſub differentiis ſpecialibus accentuum grauis & acuti & circumflexi, facit ad diſcretionem ſignificationis in dictione: per accentum enim debitum & diſcretum cognoſcitur ſignificatio dictionis, vel remiſſio ſignificationis: vt ſi dicam, legere, media correpta, vel legêre, media producta. Propter quod etiam in determinatione caſuum variatur accentus, vt primæ declinationis conſequentis in e productam, & ſic de aliis, & ſic facit ad bonum diſcretæ ſignificationis in dictione, & ideò ſic non operatur fallaciam. Sed conſide-

ratio accentus sub confusione ad vnum vel plures, vel grauem vel acutum, generat confusionem, & ideò operatur deceptionem in dictione: & efficitur sic locus sophisticus, & est de consideratione sophistæ, & est instrumentum eius.

Quare accentus facit fallaciā: non autem sic. alia quæ accidunt literæ, syllabæ, aut dictioni.

Quamuis autem sit fallacia penes accentum, non tamen potest esse fallacia penes alia quæ accidunt syllabæ, vel literæ, vel dictioni: penes accentus enim differentiam dictio manet eadem secundum materiam, quamuis non secundum formam, & sic potest habere conuenientiam cum syllogismo & elencho, & ex illa conuenientia accipere potest causam apparentiæ: variata autem in libris vel numero literarum, tunc amittit conuenientiam illam, & per consequens causam apparentiæ.

In tempore autem variata syllaba vel dictio retinet eandem materiam, & est eadem quantum ad prōnuntiationem: & ideò sensum non variat, nec facit multiplicitatem potentialem: vt si dicam caput, prima longa vel breui: vel si aliquid variat, hoc erit æquiuocatio & non accentus: quia accentus vult habere eandem materiam & diuersum modum proferendi. Similiter autem & spiritus qui accidit dictioni, neque diuersificat dictionem secundum materiam, neque secundum modum proferendi: vt si dicam hominem cum aspiratione, & ominem sine aspiratione: in vtraque enim est eadem prolatio sicut idem modus proferendi: quando autem nomen est idem secundum materiam & secundum prolationem, & diuersa significata,

Quam fallaciam causabit numerus literarum, & quam spiritus & tempus.

tunc est æquiuocatio. Numerus autem literarum si aliquam causabit fallaciam, illa est fallacia figuræ dictionis. Spiritus autem & tempus diuersum causabunt æquiuocationem.

Tamen antiquorum quidam dixerunt, quòd deceptio causata à spiritu & tempore, reducuntur ad fallaciam accentus, sicut hæc: bonum est viros iustos pendere: sed pendere est pati pœnam: ergo bonum est iustos viros pati pœnam. Et hoc dictum non est inconueniens. Alij tamen dixerunt, quòd quando productio & correptio temporum causant diuersum accentum, quod tunc causant æquiuocationem potius quam accentum: quia sic neque diuersificant dictionem quantum ad materiam, nec quantum ad formam siue modum proferendi.

Licet diuersus numerus autem causæ possint causare æquiuocationē, non tamē diuersus accentus.

Attendendum autem, quòd licet diuersus casus causent æquiuocationem, vt in præhabitis dictum est: tamen diuersus accentus non potest causare æquiuocationem: quia in diuerso accentu diuersa est prolatio: nec potest esse æquiuocatio, quia nomen variatur. In diuersis autem numeris & casibus idem manet nomen secundum prolationem, licet varietur significatum quoad modum significandi: & hoc causat æquiuocationem. His habitis ponendi sunt modi decipiendi secundum accentum in dialecticis.

Secundum accentum autem, in his quidem, &c.

Qui sunt sine scriptura poëmatum, non est idoneum facere sophisticam orationem: quia statim accentus dictionis manifestatur diuersitas. In scripturis autem Auctorum & maximè in poëmatibus, in quibus diuersitas pronuntiationis non est adeò manifesta, magis est idoneum sophisticam facere orationem. Et dabimus de hoc duos modos in poëticis. Primo quando sub vno accentu pronuntiantur duæ dictiones quæ diuisos habent accentus: vt me tuo longas pereunte noctes Lydia dormis. Est enim multiplicitas ex hoc quod me tuo prout est vna dictio, vno pronuntiatur accentu: prout autem oratio me tuo, duobus accentibus habet pronuntiari. Aliud autem exemplum est, heu qui nam tanti cinxerunt æthera nimbi: & de diuersitate acuti accentus & grauis in vna voce: si enim hoc ipsum quod dicitur, quinam, acuto accentu in fine pronuntietur, tunc valet tantum quantum cur, & est vna dictio, & est ac si dicatur, heu quinam tanti cinxerunt æthera nimbi: si autem graui pronuntietur, tantum valet, quantum quia, vel quantum valet nam, & habet aliam significationem.

Ergo circa accentum, &c. Obiectio.

Ergo circa accentum huiusmodi (quales dictæ sunt) fiunt huiusmodi orationes sophisticæ. Ex modis autem inductis videtur, quòd accentus non sit fallacia diuisa à compositione & diuisione. Compositio enim & diuisio fallaciæ ex hoc proueniunt, quòd dictiones diuisæ coniunctim proferuntur, vel è conuerso compositæ proferuntur diuisæ. Sed hoc nihil est: *Soluitur.* quia in accentu duæ proferuntur, vel vna vt duæ. In compositione autem semper manent dictiones distinctæ, siue compositæ, siue diuisæ proferantur.

Vlterius notandum in illis modis, quòd licet in speciali in duobus modis inductis duæ diuersæ sint causæ apparentiæ: in speciali tamen non sunt duæ fallaciæ: quia est vnum commune vniuocum ambobus, quod est communis causa apparentiæ, à quo causatur vna tantum fallacia: & hoc est apparentia vnius significati propter vnitatem dictionis secundum materiam: & ideo non sunt duæ fallaciæ, sed vna.

Licet diuersæ fallaciæ accidere possint circa eandem orationem, tamen multiplicitas vnius non est multiplicitas alterius.

Notandum etiam, quòd licet diuersæ fallaciæ coincidant in vnam, tamen multiplicitas vnius non est multiplicitas alterius, & causa multiplicitatis vnius non est causa multiplicitatis alterius, sicut patet in compositione, & diuisione, & amphibologia: possunt enim coincidere in eandem orationem, sed tunc habent ordinem adinuicem, tunc enim per prius accidit in oratione compositio & diuisio, & per posterius amphibologia, vt ex hoc sophismate: omne quod est verum sciri a te est verum: hoc enim est multiplex secundum compositionem & diuisionem, & est diuisa secundum quod discontinua est prolatio inter hæc duo, à te scilicet, & omne quod est verum, sub hoc sensu: omne quod est verum: & fiat pausatio: & inferatur illud residuum, à te sciri est verum: & sic est falsa. Composita autem est secundum quod est continua prolatio vnius cum altero sic: omne quod est verum sciri à te, est verum: & sic est vera. Et sic posterius accidit multiplicitas secundum amphibologiam: eò quòd hoc nomen, omne, potest construi cum hoc verbo, sciri, & sic est falsa, & est sensus: omne sciri à te quod est verum, est verum: vel potest construi cum hoc verbo, est, & sic est vera, & est sensus: omne illud est verum, quod est verum sciri à te.

Similiter est de æquiuocatione & accentu, quod

quod coincidunt in vnam orationem, non tamen modus fallendi vnius eſt modus fallendi alterius ſecundum ordinem hunc: ita quòd prius eſt in tali oratione fallacia accentus, & poſtea per diſtinctionem accentus accidit æquiuocatio: ex eo quod poteſt eſſe nomen vel aduerbium: & ſic eſt in multis.

Patet ergo, quòd diuerſæ fallaciæ coincidunt in vnam orationem: non tamen ita quòd cauſa & modus fallendi in vna, ſit cauſa & modus fallendi in alia. Duo autem modi qui poſiti ſunt de fallacia accentus, ſumuntur penes duas accentus variationes: poteſt enim variari vnus in plures, vel è conuerſo, & ſic eſt modus primus, vt hoc: quicquid Deus fecit inuite, fecit inuitus: ſed vinum fecit in vite: ergo vinum fecit inuitus. Poteſt etiam variari à differentia accentus ad differentiam aliam, & ſic eſt ſecundus modus. Et vnitas vocis ſecundum materiam quam aliquis credit vnitatem debere eſſe accentus, eſt cauſa apparentiæ: diuerſitas autem ſignificationis ſub accentu cauſa eſt non exiſtentiæ. Et hæc de accentu dicta ſint.

Quotmodo ſunt duo modi fallaciæ accentus, & qui ſunt hi.

CAPVT XI.

De fallaciæ figuræ dictionis & de modis eiuſdem.

Circa fallaciam figuræ dictionis primo notandum, quòd figura dictionis eſt in ſimilitudine terminationis: propter quod principaliter eſt in dictione, & per dictionem poſterius & per accidens in oratione: & quia per ſe eſt in dictione, ideò dicitur figura dictionis & non figura orationis. Ideò etiam licet aliæ multiplicitates diuerſas fallacias cauſent in dictione & oratione, hæc tamen multiplicitas & in dictione & in oratione non operatur niſi fallaciam vnicam. Cauſa autem apparentiæ in hac fallacia eſt ſimilitudo figuræ dictionis: & cauſa non exiſtentiæ eſt, quòd non idem eſt in ſignificatione, vt idem interpretamur in dictione propter terminationis ſimilitudinem. Et ideo duas habet differentias ad alias fallacias in dictione. Vna quarum eſt: quia in aliis idem ſecundum vocem vt idem ſecundum rem interpretamur: hic autem non idem ſed ſimile ſecundum vocem vt idem interpretamur. Alia verò: quia in aliis fallaciis in dictione, in voce ſignificatur aliquid quod non creditur ſignificari: in iſta autem & ſimili figura vocis non ſignificatur quod creditur ſignificari.

In quo ſit figura dictionis principaliter, & quare ſic dicatur.

Duplicitèr differt hæc fallacia ab aliis fallaciis in dictione.

Dicamus igitur, quòd orationes quæ fiunt ſecundum figuram dictionis, accidunt quando aliquid non idem in ſignificando ſimiliter (hoc eſt, propter ſimilem vocis ſignificationem) ſimiliter ſignificare cum alio interpretatur: & hoc fit duobus modis. Vno quidem modo in generibus conſignificatis, formam naturæ & eſſentiæ ſignificantibus, vt ſi interpretatur maſculinum eſſe fœmininum, vel è conuerſo fœmininum maſculinum, propter terminationis ſimilitudinem, vt muſa & Cathelina: vel genus quod eſt inter hæc (quod eſt neutrum) interpretatur vt alterum illorum, vt ſcamnum & dominium, vel ſcamna & fœmina vel vir. Siue & ſecundo modo in generibus ſignificatiuis prædicamentorum propter ſimilitudinem terminationis interpretatur quantum in quale, vel è conuerſo, aut interpretatur diſpoſitum ad paſſiones vt faciens, & ſimiliter de generibus aliis, vt prius in prædicamentis eſt determinatum. Contingit enim id quod non eſt facere (hoc eſt, quod non eſt in genere actionis ſiue factionis) ſignificare dictione (hoc eſt, figura vel ſimilitudine terminationis in dictione) velut (hoc eſt, ſimiliter) quia ſit eorum (hoc eſt, de numero eorum) quæ ſunt facere, hoc eſt, in genere factionis. Cuius exemplum eſt, vt vigere ſecundum figuram dictionis in terminatione, ſimiliter dicitur ei quod eſt ſecare: & propter id videtur alicui, quod ſit eiuſdem generis prædicamenti ſicut & ædificare & operari: quamuis non ita ſit: quia hoc quidem quod eſt vigere, quale quid dicit & affectum ſecundum actum vitæ & paſſionem dicit: illud verò quod eſt ſecare, dicit ſimpliciter facere, & non quale vel affectum paſſionis ſecundum actum aliquem. Eodem autem modo eſt in aliis quando permutatur genus in genus, vel ſpecies in ſpecies prædicamenti.

Attendendum tamen eſt, quòd quamuis ſimilitudo in figura vocis ſit pro certo cauſa apparentiæ in fallacia figuræ dictionis, & quamuis fortè in tali oratione nomen ſit idem: vt quicquid vidiſti heri, vides hodie: heri vidiſti album: ergo hodie vides album: tamen eſt figura dictionis: quando enim dicitur ſimilitudo figuræ vocis eſſe cauſa apparentiæ, non accipitur vera ſemper, ſed per ſimilitudinem quæ creditur & apparet in verbo vel nomine phantaſticè: quia fallacia multiplicitatem phantaſticam operatur: apparet autem, quòd quid ſignificet vt quale, & ſic fieri fallacia figuræ dictionis.

Quomodo intelligendum quod ſimilitudo figuræ vocis ſit cauſa apparentiæ in has fallacia.

Adhuc notandum, quod licet ſimilis figura dictionis maximè ſit penes ſimilitudinem in fine dictionis, tamen etiam poteſt eſſe in medio & principio & in tota dictione, vt hæc: quiſlibet hominis aſinus currit: ergo aſinus cuiuſlibet hominis currit, quod poteſt eſſe falſum: & hæc, omnium oppoſitorum eadem eſt diſciplina: ergo eadem diſciplina eſt omnium oppoſitorum. Et variatur hæc, quod ſimilitudo vocis eſt principium fallendi in fine, vel in principio, vel in medio, vel etiam in tota dictione. Paralogiſmi autem iuxta primum modum figuræ dictionis ex commutatione generis conſignificati prouenientes, ſic habent formam. Vno quidem modo quando duo genera ſimiles habent terminationes: quia ſecundum grammaticam genera per terminabiles literas & ſyllabas diſtinguuntur, vt ſi dicam, muſa eſt fœminini generis: ergo & poëta. Vel ſic: ſecari eſt paſſiui generis: ergo & operari & loqui eſt paſſiui generis. Quod falſum eſt. Alio modo formari poſſunt vt in eundem modum ſic, quòd ponatur genus commune accidentale in oratione in principio, & ſub iſto accipiatur aliud genus tanquam

Quomodo paralogiſmi qui ſunt in primo modo huius fallaciæ poſſunt duplicitèr formari.

Quæ autem ſecundum figuram ſunt dictionis, &c.

quam vtrumque ſignificet, & alterum ex duobus inferatur: vt quemcunque diligis, ille eſt amicus tuus: puellam diligis: ergo puella eſt amicus tuus.

Quot modis poſſunt formari paralogiſmi, qui ſunt in ſecundo modo huius fallaciæ.

Iuxta ſecundum autem modum ſic poſſunt formari. Vno quidem modo, vt dictum eſt, quando duæ dictiones eiuſdem terminationis ponuntur in oratione, & propter illam ſimilem terminationem arguitur illa eſſe eiuſdem generis prædicamenti: vt amari eſt pati: ergo & opetari. Secundo autem modo poteſt formari quando nomen vnius generis prædicamenti ponitur vniuerſaliter, & ſub illo ſumitur res alterius prædicamenti, ac ſi ſit eiuſdem generis: vt quicquid vidiſti heri, hodie vides: heri vidiſti album: ergo hodie vides album. Tertio modo poteſt formari ita quod primo ponatur nomen ſignificans rem alicuius generis ſine vniuerſalitate, & inferatur nomen rei alterius generis: vt iſte dat vnum ſolum denarium: & non habet vnum ſolum: ergo dat quod non habet. Solum enim ſignificat relationem: quod autem ſignificat ſolum quod quidam dicunt, prætermittere vniuerſalem in qua ſit cauſa apparentiæ ſic: quæcunque ſunt eiuſdem determinationis, ſunt eiuſdem generis: ſecare & vigere ſunt eiuſdem determinationis: ergo ſunt eiuſdem generis. Iſte enim modus in aliis fallaciis in dictione non obſeruatur.

Cauſa apparentia in hac fallacia.

Ex omnibus autem his patet, quòd cauſa apparentiæ in figura dictionis eſt ſimilis figuratio vel eiuſdem dictionis ad ſeipſam, vel vnius dictionis ad alteram. Eiuſdem ad ſeipſum vt hæc, omnium oppoſitorum eſt eadem diſciplina: ergo eadem diſciplina eſt omnium oppoſitorum. In qua hæc dictio, eadem, ſtans confuſè eſt ſimilis ad ſeipſam ſtantem determinatè pro vna diſciplina. Ad aliam autem, vt Cathelina & muſa ſunt eiuſdem terminationis: ergo eiuſdem generis.

Similis figuratio diſtinctum duplicitèr fit.

Scias autem, quòd iſta ſimilis figuratio dupliciter fit. Vno quidem modo, quod dictiones ſimilis figuræ in terminatione exprimuntur in oratione, vt ſecare & vigere, & muſa & ſcamna & pœta & nauta & huiuſmodi. Alio autem modo quando non exprimuntur, ſed continentur ſimiliter figurata in aliquo genere poſito, ex alio ſicut partes inferuntur: & hoc dupliciter, ſcilicet quod figurata intelliguntur ſecundum genus conſignatum vel ſecundum genus prædicamenti prioris. Exemplum eſt, vt quemcunque vides, eſt amicus tuus: puellam vides: ergo puella eſt amicus tuus. Sub hoc enim ſigno, quemcunque, multa continentur in a deſinentia quæ ſunt maſculini generis, vt nauta, poëta, piſcerna, & huiuſmodi, per quæ aliquis credit, quòd propter ſimilem terminationem etiam puella ſub eodem contineatur. Aliquando autem eſt ſecundum commutationem prædicamenti prædicabilis: vt quicquid vidiſti heri, vides hodie: heri vidiſti album: ergo hodie vides album. Multa enim neutrorum habentia eandem terminationem, continentur ſub hoc ſigno, quicquid, vt ſcamnum, pomum, vinum, acetum, & huiuſmodi, propter quorum conſigurationem poteſt credi etiam album contineri ſub ipſo, & inferri ab ipſo.

Talis etiam fallacia figuræ dictionis ex commutata ſpecie quantitatis in aliam fit: vt quandocunque ſediſti, fuiſti homo. Probatio: heri cum ſediſti, fuiſti homo, & ante heri, & pridie, & perendie, & ſic de aliis, & quandocunque. Contra: quandocunque ſediſti, fuiſti homo: ergo multoties fuiſti homo: quandocunque enim dicit tempus ſub continuitate: & ſic partes eius ſunt heri & pridie & perendie, & hæc commutantur in quotieſcunque quod dicit numerum: & ſimilis figura in quotieſcunque & quandocunque, cauſa eſt deceptionis.

Sic etiam fit mutatio ſingularis in plurale ſecundum vnam ſpeciem diſcretæ quantitatis mutatam in aliam ſic: quodcunque nouit aliquis, nouit inueniendo: & plura nouit aliquis vel nulla nouit aliquis: ergo nouit inueniendo: & penes huiuſmodi figuram dictionis accipiuntur modi tres figuræ dictionis qui ſuperius dicti ſunt.

TRACTATVS III.

De fallaciis extra dictionem.

CAPVT I.

De his quæ in communi præmittenda ſunt.

Non poteſt ſumi numerus fallaciarum extra dictionem per aliquod commune vniuerſum.

Antequam de fallaciis extra dictionem ſpecialiter ſecundum ſingulas fallacias determinetur, in communi de omnibus prænotandum eſt, quòd non eſt in fallaciis extra dictionem aliquod vnum vniuocè participatum ab omnibus, penes cuius diuerſam participationem poſſit ſumi determinatio numeri fallaciarum extra dictionem, ſicut eſt vnum commune quod eſt ſermonis identitas, vel in parte vel in toto, quæ diuerſimodè participata determinat numerum fallaciarum in dictione. Et hoc ideo: quia hoc quod eſt cauſa apparentiæ in fallaciis in dictione, non poteſt eſſe cauſa apparentiæ in fallaciis extra dictionem: & ideo cum vnitas vocis ram in materia quam in forma ſit cauſa apparentiæ in

æquiuocatione & amphibologia & figura dictionis fallaciis, & in eis sit causa non existentiæ diuersitas rei significatæ: non potest fieri, quòd vnitas vocis in materia & forma & diuersitas rei significatæ sit causa apparentiæ & non existentiæ in aliqua fallaciarum extra dictionem. Nec iterum potest fieri e conuerso, scilicet quod diuersitas in voce sit causa non existentiæ, & vnitas in re sit causa apparentiæ: quia talis complexio nullam habet similitudinem cum syllogismo & elencho: sicut si dicam, omnis gladius incidit vel quidam, vnicus est sensus: ex hac enim complexione nihil infertur: quia caret & medio & extremis in dispositione syllogismi & elenchi positis. Nec iterum fieri potest, quod identitas vocis in parte vocis (h c est, secundum materiam) & diuersitas in parte altera vocis sit causa apparentiæ & non existentiæ: quum hæc sit causa in tribus aliis fallaciis a dictione, compositione, & diuisione, & accentu. Et sic relinquitur, quòd causa apparentiæ in fallacijs extra dictionem sit vnitas rei secundum vnam partem, & diuersitas rei secundum alteram partem sit causa non existentiæ.

Causa apparentiæ & causa non existentiæ in fallacijs extra dictionem.

Vnitas ex qua sumitur numerus fallaciarum extra dictionem & sufficientia earundem.

Penes ergo huiusmodi vnitatem sic potest sumi numerus fallaciarum extra dictionem penes tria quæ faciunt vnitatem siue identitatem: aut enim ista est vnitas substantiæ, & facit idem: aut vnitas quantitatis, & facit æquale: aut vnitas qualitatis, & facit simile. Si est penes vnitatem qualitatis quæ facit simile, hæc erit altero duorum modorum: aut enim erit similitudo in ipso significato, aut in modo significandi. Si est in ipso significato, eo quod communicant in significato aliquo: tunc est fallacia secundum non causam vt causam: in illa enim propositio quæ non est causa, apparet causa conclusionis: quia communicat & similis est cum propositione quæ est, est causa eiusdem conclusionis in significato termini alicuius. Si autem sit similitudo in modo significandi, sic vnitas similitudinis est causa apparentiæ in fallacia secundum plures interrogationes vt vnam: in hac enim propositio plures apparet esse vna: quia communicat cum vno in modo significandi, eo quod interrogatio facta ex affirmatione & negatione propriè non vna est, vt hæc, est ne homo animal, vel non? & id o quando proponuntur duæ interrogationes diuersæ, propter modum significandi similem putatur, quòd illa sit vna interrogatio, & sic interrogatio composita ex affirmatione & negatione putatur vna, & sic quod plures interrogationes sint vna. Si autem fiat apparentia penes vnitatem rei quæ est æqualitas, sic vnitas est causa apparentiæ in fallacia petitionis principij: ibi enim conuertibilitas medij cum altero extremorum facit apparere, quòd medium cum extremis ordinatur sicut notius vt faciat cognoscere conclusionem, cum sit æquè ignotum vel minus notum conclusione. Si autem fiat penes causam vnitatis quæ est identitas: tunc non potest esse causa apparentiæ idem in genere, specie, & numero: & quia quandoque apparet aliqua istarum identitatum esse causa apparentiæ, tunc semper contingit fallacia accidentis & non alia.

Et ideò sic dicendum est: Idem aut est idem accidentis ad subiectum, aut antecedentis ad consequens, aut absoluti & simpliciter dicti ad eandem dictionem cum determinatione. Et primo quidem horum trium modorum est fallacia accidentis. Secundo verò modo identitas est causa apparentiæ in fallacia consequentis. Si verò identitas tertio modo dicta est causa apparentiæ, hoc contingit duobus modis: quia aut est determinatio quæ infert simpliciter, & hæc determinatio vocatur propria: aut quæ non infert. Si primo modo vnitas absoluti & determinati sit causa apparentiæ, sic fit fallacia secundum ignorantiam elenchi: identitas enim talis absolutè dicti & determinati facit apparere, quod quicquid stat cum vno, possit stare cum alio: identitas autem determinationis non inferentis suum absolutum est causa apparentiæ in fallacia secundum quid & simpliciter: quia illa identitas facit credere, quòd de quocunque dicitur secundum quid, dicatur & de eodem simpliciter.

Alia sufficientia fallaciarum extra dictionem.

Alio modo consueuit dici, quòd accipitur numerus fallaciarum extra dictionem secundum ea quæ faciunt causam non existendi: diuersitas enim rei aliqua est non existenti per quam diuersitatem deficit à syllogismo & elencho. Si enim sit defectus ille ex parte materiæ, sic est fallacia secundum plures interrogationes vt vnam facere: quia in illa accipitur propositio plures, cum in syllogismo & elencho propositio simpliciter vna sit accipienda. Si autem deficiat ex parte formæ, hoc erit dupliciter: aut enim deficit ab elencho, aut à syllogismo. Si ab elencho: tunc est ignorantia elenchi quæ infert ex veris & vera, sed non infert conclusionem. Si verò deficit à syllogismo, hoc contingit dupliciter: aut enim deficit à syllogismo per impossibile, aut à syllogismo ostensiuo. Si ab eo qui est per impossibile, sic est non causa vt causa: quia in non causa vt causa non verè interimitur hypothesis, quamuis interimi videatur. Si verò deficit ab ostensiuo, hoc contingit tripliciter: medium enim aut est penitus diuersum, aut partim idem & partim diuersum. Si penitus idem, sic est petitio principij. Si autem penitus diuersum, tunc nulla est causa apparentiæ: & ideò nulla fallacia. Si autem partim sit idem & partim differens, tunc identitas quam habet cum extremo, aut est essentialis, aut accidentalis. Dico autem essentialiter ambo esse eadem, quando vnum de altero prædicatur, vt albus dentes, & albus. Si medium habet cum extremo identitatem essentialem, ita quod vnum de altero prædicatur, hoc contingit tripliciter: medium enim aut erit antecedens ad conclusionem, aut est consequens ad eandem siue illatum ex conclusione. Si est antecedens: aut erit argumentum affirmatiuum, & sic illa non est fallacia: quia antecedens affirmatum infert consequens: aut est negatiuum, & sic est fallacia consequentis à destructione antecedentis. Si autem sit consequens ad ad id quod infertur

ex

ex ipso: tunc iterum aut est argumentum affirmatiuum, & sic est fallacia consequentis à positione consequentis: aut negatiuum, & sic non est fallacia: quia consequens negatum infert antecedens negatum. Si autem identitas medij cum extremo sit accidentalis: aut ergo illa identitas prouenit ex additione determinationis, & sic est fallacia secundum quid & simpliciter: aut prouenit ex comparatione mutua extremorum adinuicem & ad tertium, & sic est fallacia accidentis, in qua medium cum vno extremorum non habet nisi accidentalem identitatem: & hoc prouenit ex comparatione medij ad extrema.

Sufficientia earundem fallaciarum planior sumpta ex Alpharabio.

Alpharabius leuius innuit numerum fallaciarum extra dictionem sic: fallacia extra dictionem peccat contra syllogismum & elenchum, aut in materia, & sic est fallacia secundum plures interrogationes vt vnam, vt dictum est: aut in forma quæ est in ordine propositionum vel terminorum. Si in propositione, aut secundum quod propositio causa est conclusionis, & sic est non causa vt causa: aut secundum quod principium notius est quam conclusio, & contra hoc peccat petitio principij. Si autem in ordine terminorum, sic est peccans contra hoc fallacia accidentis: si autem non peccat contra propositionis formam vel terminorum, & tamen peccat contra formam syllogisticam: tunc oportet, quòd peccet contra consequentiam ipsam secundum quòd vnum sequitur ex altero: & hoc est aut contra id quod vnum perfectè sequitur ex altero, & sic contra hoc peccat fallacia consequentis: aut secundum quod inferens imperfectè infert consequens, & sic est fallacia secundum quid & simpliciter. Si autem peccat contra elenchum, & sic est ignorantia elenchi. Et hæc acceptio plana est & vera.

CAPVT II.

Quæ sunt fallaciæ extra dictionem & quis ordo.

Eorũ verò qui extra dictionem sunt, &c.

His ita præmissis patet, quòd eorum locorum sophisticorum quæ sunt extra dictionem siue paralogismorum, species sunt septem. Vna quidem species est & prima, quæ dicitur fallacia secundum accidens. Secunda verò in eo quod aliquid dicitur simpliciter & absolutè & sine determinatione, & non simpliciter, sed dicitur quo, & hoc dico propter conditionem determinationis quæ id quod simpliciter dicitur, contrahit ad partem subiectiuam, aut vbi quantum ad conditionem ad partem in loco, aut quando quantum ad conditionem & partem ad partem in tempore, aut ad aliquid dicitur quantum ad conditionem ad aliquem respectum. Tertia autem species est fallacia secundum ignorantiam elenchi. Quarta verò species est secundum consequens. Quinta verò est fallacia secundum quod in principio est sumere. Sexta verò species est secundum quod est non causam vt causam ponere. Septima verò est secundum quod est plures interrogationes vt vnam facere.

Ordinari autem possunt dupliciter. Vno quidem modo sic quod priores sunt quæ peccant contra principium syllogismi, vel elenchi formam, quam illæ quæ peccant in materia: & inter peccantes contra principium quod est medium iungens extrema, & sic primus locus est fallacia accidentis: aut peccant contra principium secundum quod est inferens, aut contra principium quod est probans. Si contra principium secundum quod est inferens: aut perfectè, aut imperfectè. Minus peccando recedit qui peccat contra inferens imperfectè: & sic secundum est secundum quid & simpliciter. Peccans autem contra elenchum est tertia: quia minus recedit à consequentia: non enim peccat contra consequentiam, sed contra illatum quod non est vera contradictio. Quarta autem fallacia consequentis quæ totam peruertit consequentiam, & sic quarta est consequentis fallacia. Si autem peccat contra principium probans, tunc manifestum est magis contractum: & sic peccat in hoc quod est esse causam conclusionis: & sic sexta est non causa vt causa. Vltima est plures interrogationes vt vnam facere, quæ peccat contra dispositionem materiæ syllogismi.

Ordo fallaciarũ extra dictionem.

Potest etiam aliter sumi ordo fallaciarum extra dictionem secundum quosdam sic, quod scilicet illæ sint priores, in quibus maior est vnitas causa apparentiæ, & illæ posteriores in quibus est minor vnitas causa apparentiæ omnibus. Ergo posteriores sunt non causa vt causa, & plures interrogationes vt vna: quia in illis (vt superius habitum est) causa vnitatis non est nisi similitudo: & sic est non causa vt causa prior quam plures interrogationes vt vna: quia maior est conuenientia similitudinis in participando in significato, quam sit conuenientia in participando in modo significandi. Fallacia autem accidentis omnibus prior est in ordine fallaciarum vt fallaciæ sunt: quia plus habet de virtute decipiendi. Secundo autem secundum quid & simpliciter propter identitatem inferentis imperfectè ad illatum, quod est quasi identitas partis ad totum. Et tertia secundum ignorantiam elenchi propter causam dictam. Et quarta est secundum consequens propter identitatem antecedentis ad consequens quæ substantialis est. Quinta autem petitio principij: quia ibi est identitas æqualitatis siue quantitatis in conuertibilitate.

Alius modus sumendi ordinem in eisdem.

CAPVT III.

De his quæ dicenda sunt de fallacia accidentis.

Inter fallacias ergo extra dictionẽ primo occurrit determinare de fallacia accidẽtis. Primum autem videndum est, quæ sit differentia inter fallaciam accidentis & figuram dictionis: cum in omni paralogismo figuræ dictionis inueniatur etiã fallacia accidentis, quamuis non sit

sit verum è conuerso, quòd in omni paralogismo accidêtis sit etiam fallacia figuræ dictionis.

In quo consistit fallacia figuræ dictionis & quare sic dicatur.

Et ad hoc sciendum, quòd fallacia figuræ dictionis secundum veriorem opinionem consistit in sim li terminatione dictionis primo, & in simil terminatione orationis consequenter: propter quam quidem similem terminationem putatur esse simile significatum in similiter terminatis explicitè vel implicitè: fallacia autem fit & defectus ex diuersitate significationis in similiter terminatis vel prolatis. Secundum tamen quorûdam opinionem signum in modo signandi applicando se significato habet se per modum figuræ: quia ambit & continet totum significatum, sicut figura ambit & continet figuratum: & secudum hos metaphoricè dicitur figura dictionis à figura quæ est terminatio quanti: & tunc illius signi siue figuræ duplex comparatio est: potest enim accipi comparatio signi ad vrentem signo, & potest accipi comparatio signi ad signatum. Et siquidem primo modo comparationis accipiatur: tunc identitas faciens apparentiam erit in dictione: & sic erit fallacia figuræ dictionis: quia fallacia in dictione quæ causam apparentiæ habet in dictione, & causam non existentiæ in ipsa rei diuersitate, si accipiatur similitudo & identias ex parte significati ad signum comparati, tunc identitas rei erit causa apparentiæ, quod medium scilicet ex parte idem est alteri extremo, & putatur propter hoc extremum idem esse extremo, vel quia accidens est idem rei subiectæ, cum hoc non sit verum: & sic est fallacia accidentis.

Pernotandum est etiam quid vocetur res subiecta, & quid vocetur accidens assignatum rei subiectæ & accidenti inesse. Ad hoc satis competenter dicunt aliqui, quòd subiectum est medium quod in prima propositione subiicitur secundum primæ figuræ dispositionem: accidens autem subiectũ minoris propositionis quod accidentaliter conuenit medio: accidens autem quod significatur & rei subiectæ & accidenti inesse, est prædicatum maioris propositionis, quod est maior extremitas, vt hic: homo est species: Sortes est homo: ergo Sortes est species. Hic enim accidens homini est Sortes: accidens quod & rei subiectæ & accidenti assignatur siue concluditur inesse, est species, quæ concluditur de Sorte per hoc quod Sortes est homo.

In fallacia accidentis est duplex accidens.

Et secundum hoc in fallacia accidentis est duplex accidens quoad omnes modos eius, scilicet vnum quod accidit rei subiectæ, & hoc est idem quod extraneum: & alterum quod assignatur rei subiectæ & accidenti inesse, & concluditur in conclusione de accidente, & hoc est id quod non est necessarium in concludendo, siue quod non est necessarium minori extremitati inesse in comparatione ad aliquid tertium, sicut cum dico, ergo Sortes est species.

Accidens dupliciter

Ad hoc autem quod hoc bene intelligatur, oportet scire, quòd accidens rei subiectæ dupliciter potest comparari. Vno modo prout res subiecta accipitur vt substantia substans secundum se firmans in se, & occasionis modo causans vt alterum sit in potentia, & sic accidens rei subiectæ est verè accidens, & vnum de quinque prædicabilibus quæ Porphyrius ponit, & vnum de quatuor prædicatis quæ ponit in topicis Arist. & huius exemplum est, vt cum dicitur, homo est albus, vel album est homo. Alio modo dicitur accidens rei subiectæ secundum quod subiecta est, & hoc est omne illud quod extraneum est subiecto inquantum stat sub forma talis prædicati, vt cum dico, homo est species, homo non potest stare sub tali forma prædicabilis, nisi accipiatur homo secundum se, & non secundum quod stat pro partibus suis subiectiuis, siue secundum quod accipitur in partibus suis subiectiuis: & ideò Sortes accidit homini, & est extraneum ab ipso homine sic stante sub forma prædicati: & quando infertur, ergo Sortes est species, per hoc quod Sortes accidit homini, assignatur omnem speciem accidentis huic Sorti, & rei subiectæ huic homini (prout in Sorte est) inesse: & ideò est fallacia accidentis.

Secundum hoc igitur in omni modo fallaciæ accidentis est duplex accidens, vnum scilicet in essendo quod dicitur rei subiectæ inesse, & alterum in consequendo quod dicitur inesse & accidenti & rei subiectæ.

Quot modi fiat fallacia accidentis

Secundum hoc igitur dicere oportet, quòd in prædicato considerandum primæ propositionis, & in subiecto minoris: prædicatum enim maioris, aut est consequens, aut antecedens, aut conuertibile, aut per accidens conueniens subiecto. Consequens, vt homo est animal: animal est genus: ergo homo est genus. Quamuis enim animal sit substantia hominis, tamen vt stat secundum se per intentionem qua genus est, non est substantia hominis, sed accidit homini quasi rei: & ideo accidit etiam accidenti animalis quod est homo: quia animal secundum quod est in homine & substantia hominis, non est genus: & sic est fallacia accidentis in præhabito paralogismo. Similiter est si prædicatum sit vt antecedens, sicut si dicam: homo est Sortes: homo est species: ergo Sortes est species. Inquantum enim subiectum stat sub tali prædicato, multa accidunt ei quæ non accidunt ei secundum quod absolutè sumitur: & in omnibus talibus est fallacia accidentis. Si autem est prædicatum conuertibile, tunc est sic: homo per se est risibile: Sortes est homo: ergo Sortes per se est risibile. Vel sic: triangulo per se conuenit habere tres angulos æquales duobus rectis: isosceles est triangulus: ergo isosceli per se conuenit habere tres angulos æquales duobus rectis. Secundum enim quod triangulus secundum se acceptus est, sic substat huic prædicato quod est habere tres æquales duobus rectis: & sic accidit triangulo isosceles: & ideo quando assignatur isosceli inesse, assignatur idem accidenti & rei subiectæ inesse. Sic etiam fit assumendo vel medio consequens sic: triangulo per se accidit habere tres æquales duobus rectis: triangulus autem est figura: ergo figuræ per se accidit habere tres æquales duobus rectis. Et sic fit fallacia accidentis in prædicatis essentialibus vel antecedentibus vel consequentibus.

Animal inquantum genus accidit homini.

In accidentalibus fit sic: Cognoscis Coriscum: Coriscus est veniens: ergo cognoscis venientem. Secundum tertiæ figuræ dispositionem: secundum enim quod medium (quod est res subiecta) est in se, accidit ei venientem esse, & secundum quod stat sub forma prædicati (quod est cognosci) iterum accidit ei. Potest tamen accidere oppositum: & ideò quando cognosci concluditur de veniente, assignatur rei subiectæ & accidenti inesse. Idem est hic: homo currit: Sortes est homo: ergo Sortes currit: Sortes enim accidit homini indefinitè stanti sub forma cursus siue prædicati: & ideò quando sub homine sumit Sortem, sumit accidens: & quando concludit, ergo Sortes currit, assignat idem & accidenti & rei subiectæ inesse. Sed bonus est syllogismus si sic dicamus: omnis homo currit: Sortes est homo: ergo Sortes currit. Quia homò secundum quod stat sub forma cursus, essentialiter & substantialiter stat pro partibus distributum: pro partibus sit ergo distributio: & sic Sortes vel quidam homo non accidit ei: sed substantialiter stat sub ipso: & ideò quod est in medio, oportet quod insit parti medij. Sic ergo scitur quid res subiecta, & quid accidens, & quid assignatum rei subiectæ & accidenti inesse.

Declaratio huius fallaciæ & modorum eius secundum alios.

Alij dixerunt (quod tamen ad idem redit) quòd accidens in fallacia accidentis non est accidens secundum quod ex opposito diuiditur contra substantiam, sed accidens à quo nominatur fallacia accidentis est medium quod accidentaliter se habet ad extrema per modum qui dictus est: & tale accidens in præmissis syllogismi aliquando subiicitur, & aliquando prædicatur secundum diuersarum figurarum dispositionem. Et ideò etiam quamuis prædicari sit inesse quod est accidentis simpliciter, non dicitur hæc fallacia prædicati: quia accidens non accipitur hic pro eo quod alij inest, sed pro eo quod ad aliud sicut extremum actualiter se habet & extraneè, & quod non est necessarium in consequendo. Propter quod etiam non dicitur fallacia medij: quia non est fallacia ex medio, sed ex medij ad extremum accidentali habitudine: propter quod dicitur fallacia accidentis quasi fallacia accidentalis habitudinis ad extremum.

Quare hæc fallacia non dicitur fallacia prædicati, nec medij, sed accidentis.

Hæc autẽ accidentalis habitudo (vt dicunt) potest considerari in argumento negatiuo & in argumento affirmatiuo. Si in argumento affirmatiuo considereur, considerari debet si medio (secundum quod medium idem est alteri extremorum) possit inesse oppositum alterius extremi: quia si sic est, tunc est fallacia accidentis, vt hic: homo currit: Sortes est homo: ergo Sortes currit. Planum enim est, quòd huic medio quod est homo (secundum quod homo est in Sorte vt idem) potest conuenire non currere. Et ideo est fallacia accidentis. In negatiua autem argumentatione considerandum est, si medio prout est idem vni extremo, potest conuenire alterum extremum vel non: si enim sic est; tunc est fallacia accidentis: vt homo non currit: Sortes est homo: ergo Sortes non currit. Constat enim, quòd homini secundum quod est idem Sorti, potest conuenire currere quod est oppositum ad non currere. Horum autem neutrum est in bono syllogismo: si enim affirmatiuè syllogizetur sic omnis homo currit: Sortes est homo: ergo Sortes currit: oppositum eius quod est non currere, non potest conuenire medio, hoc est, homini prout est idem minori extremitati, hoc est, Sorti, si maior vera esse supponatur. Similiter in negatiuo: nullus homo currit: Sortes est homo: ergo Sortes non currit: maior extremitas non potest conuenire medio, prout est idem Sorti, si prima sit vera: & ideo cum in omni bono syllogismo probetur idem rei subiectæ & accidenti inesse, non tamen est fallacia accidentis: quia medium ibi per se se habet ad extrema non accidentaliter.

Ex his patet quare fallacia accidentis dicatur fallacia medij. Si autem alterum deberet dici, competentius diceretur fallacia medij, quam fallacia prædicati. Ex hoc iterum patet, quare non dicitur fallacia subiecti & accidentis: eò scilicet quod non denominatur ab accidente quod opponitur subiecto, quia nunquã hoc subiicitur in propositione, sed potius de re subiecta: sed dicitur ab accidente quòd est accidentaliter se habere medium ad extremum in comparando medium ad inferendum alterum, quod vtrique & accidenti & medio inesse assignatur.

Quare hæc fallacia non dicitur fallacia subiecti.

CAPVT IV.

De fallacia accidentis quantum ad causam apparentiæ & causam non existentiæ.

Ergo secundum accidens quidem, &c.

ERgo dicamus, quòd secundum accidens (hoc est, secundum fallaciam accidentis) paralogismi sunt quantum ad causam apparentiæ, quando in syllogismo dialectico similiter inesse, quod licet assignatum fuerit in maiori extremitate & in consequendo rei subiectæ (hoc est, medio quod subiicitur in maiori propositione) & accidenti, hoc est, minori extremitati quæ est vt accidens subiecti siue medij, de qua prædicatur in minori propositione: tunc enim propter hoc quod medium in parte idem est cum extremo altero, videtur extremum extremo inesse per hoc quod inest medio: & hoc non est necessarium. In talibus enim sic extremum inest medio, quòd oppositum eius potest esse, sicut in antehabito capitulo dictum est. Nam quoniam aliquando multa eidem subiecto accidunt (hoc est, accidentaliter insunt) hoc est, multa vt extrema ei vni, scilicet medio accidentaliter insunt, quæ insunt vt maior extremitas in omni figura, non necesse inesse omnibus prædicatis quæ sunt in prima & in secunda figura medium: medium enim in prima figura prædicatur in minori propositione, & in secunda figura prædicatur in vtraque propositione: in minori enim propositione semper ponitur subiectum per accidens subiecti vel medij: & tamen prædicatum non semper dicit accidens: quia si semper diceret accidens, tunc in prima figura medium semper esset accidens in paralogismis accidentis: quod non est verum: quoniam in quibusdam paralogismis è

contrario

contrario accidit, vt hic: omnis aqua est naturalis: balneum est aqua: ergo balneum est naturale. Vel hic: omne æs est naturale: omnis statua est æs: ergo omnis statua est naturalis.

In tertia vero figura per hoc quod dicitur, prædicatis, intelligimus minorem extremitatem. Per hoc autem quod dicimus, de quo, accipimus medium: quia figura prædicatur minor extremitas de medio. Et sic generaliter loquendo quia multa eidem accidentaliter insunt, non necesse est in consequentia omnibus prædicatis in prima & secunda figura, & eidem de quo prædicantur hæc vt de subiecto, omnia quæ hic prædicatis insunt, accidentibus inesse: quia quando multa accidentaliter insunt alicui medio, ita vt secundum quod medium est idem vni extremo, possit ipsi medio oppositum alterius extremi conuenire: & in negatiuo syllogismo secundum quod medium remouetur ab vno extremo, possit eidem medio inesse aliud extremum: tunc enim quando ita est, necesse est omnia prædicata conclusionum inesse prædicatis in minori propositione, & ei de quo prædicantur, hoc est, subiectis in minori propositione: non tamen è contrario. Et hoc quidem dico propter tertiam figuram: in hac enim quamuis prædicatum propositionis maioris insit subiecto minoris, non tamen necesse est inesse prædicato eiusdem. Cuius exemplum est hoc: homo est albus: homo est niger: ergo album est nigrum. Licet enim album in maiori propositione insit homini, quod est subiectum minoris propositionis, non tamen necesse est inesse in eo quod est prædicatum eiusdem.

Hoc autem probatur deducendo ad impossibile: quia si hoc dicam necessarium esse in consequendo, sequitur quòd omnia sic erunt eadem. Hoc autem sic probatur: quia si omnia quæ eidem accidunt, necesse esset inesse prædicatis & de quibus prædicantur subiectis, sequeretur quòd cum superiori accidunt opposita quorum vtrumque inest ipsi superiori, tunc sequeretur, quòd etiam esset oppositum in opposito: sed quæcunque sunt vni & eidem eadem, inter seipsa sunt eadem? & cum omnia sint eadem in ente, omnia erunt eadem inter se. Sicut si dicam: ens substantia: ens est accidens: ergo accidens est substantia. Vel sic: statua est ens: accidens est ens: ergo accidens est substantia. Et sic est de omnibus oppositis siue disparatis in suo communi: & sic sequitur omnia esse eadem.

Quomodo in omni paralogismo accidentis oportet esse tria, & quomodo cognoscantur illa.

Notandum ergo, quòd cum in omni paralogismo accidentis oporteat ad minus esse tria, assignatum scilicet, & res subiecta, & accidens, generaliter in omni figura assignatum accidenti, & rei subiectæ est maior extremitas. Ad inueniendum quid sit res subiecta & quid accidens, considerandum est in minori propositione quæ semper continet rem subiectam & accidens: tunc enim in minori propositione aut subiectum est accidens, & prædicatum res subiecta: aut è conuerso prædicatum accidens, & subiectum res subiecta: termini enim minoris propositionis non nisi tripliciter se possunt habere adinuicem, scilicet aut sicut superius & inferius, aut sicut subiectum & accidens, aut sicut duo accidentia disparata adinuicem se habent. Si se habent sicut superius & inferius, siue superius prædicetur de inferiori, siue è conuerso, nihil differt quantum ad fallaciam accidentis: quia, sicut in antehabitis istius fallaciæ dictum est, & superius accidit in inferiori, & inferius accidit in superiori: vnde vtrumque illorum potest esse accidens & reliquum res subiecta, & semper erit fallacia accidentis si idem assignatur & rei subiectæ & accidenti inesse. Si autem termini minoris propositionis se habeant vt subiectum & accidens: tunc, id debet dici res subiecta quod est verè subiectum, & accidens id quod inesse dicitur illi. Si autem termini minoris propositionis se habeant vt duo accidentia disparata, tunc illud quod magis inter accidentia habet naturam subiecti, debet dici res subiecta, & reliquum debet dici accidens, & hoc semper est minor extremitas: quia de subiecto debent probari passiones: minor autem extremitas semper est de qua maior probatur siue concluditur extremitas, & ideo est loco subiecti: & sic patet generaliter quid sit subiectum, quid accidens, & quid assignatum, subiecto & accidenti.

CAPVT V.

De formatione modorum paralogismi accidentis.

DE formatione autem paralogismorum fallaciæ accidentis exempla primo ponenda sunt, & posteà ostendenda est formatio & modus formationis. Est autem exemplum Aristot. tale: si ab homine Coriscus est alter, ipse est alter à se: est enim homo, vt sic formetur: ab homine Coriscus est alter: Coriscus est homo: ergo Coriscus est alter à seipso. Hæc enim formatio sufficit ad deceptionem: & tunc in prima propositione hoc totum, Coriscus est alter, est maior extremitas: & ab homine est medium quod subiicitur in maiori propositione: & assumitur minor, Coriscus est homo, & non habet idem subiectum cum maiori: & quando infertur, ergo alter est Coriscus à se, non subiicitur idem, sed potius minor extremitas: & sic habet paralogismus similitudinem cum vero syllogismo in figura. Aliter autem si sic formaretur: Coriscus est alter ab homine: Coriscus est homo: ergo Coriscus est alter à seipso: idem erit subiectum maioris & minoris propositionis, & etiam conclusionis, quæ non est dispositio alicuius figuræ. Si autem sic formetur: ab homine Coriscum esse alterum est verum: Coriscum esse hominem est verum: ergo verum est Coriscum esse alterum à se: non valet formatio propter hoc quod secunda figura non est in affirmatiuis.

Vt si Coriscus alter est ab homine, &c.

Similiter si sic formatur, sicut quidem dicunt esse formandam: omne quod est tuum, est tuus pater: iste canis est tuus: ergo est tuus pater. Ista domus est tua: ista domus est opus: ergo est tuũ opus. Debet enim in figura accidentis vnum attribui duobus, scilicet accidenti & subiecto, sicut in præhabitis dictum est: cum autem dicitur

citur in maiori, ista domus est tua, tuum esse quod est accidens, attribuitur subiecto, quod est domus: & quando assumitur in minori, ista domus est opus, aliud accidens quod est esse opus, attribuitur eidem: & cum infertur, ergo ista domus est tuum opus, eidem subiecto attribuitur vtrumque dictorum accidentium, quod non competit, sed in conclusione deberet concludi maior extremitas de minori: & si ita dicatur, hoc verum est quando concluditur syllogisticè, & causa non syllogisticæ conclusionis est, vt significetur quod assignatum est accidenti & subiecto, insit subiecto per rationem accidentis: vnde cum dicitur, iste canis est tuus, & est pater, intelligitur quod inquantum est pater, est tuus: & vt hoc significetur, sic concluditur, ergo est tuus pater.

Contra quid peccat paralogismus accidentis.

Sed omnibus his dimissis dicendum est, quòd paralogismus accidentis non peccat contra syllogismum inquantum syllogismus est, sed contra dialecticum syllogismum in habitudine topica siue locali constitutum: & ideò secundum habitudinem sufficit formare syllogismos. Paralogismus autem accidentis cum duo in se habeat, accidens scilicet quod diuisim subiecto attribuitur, & assignatum quod etiam subiecto diuisim attributum est in maiori propositione, intendit paralogizans hæc duo coniunctim concludere de eodem: & ideò diuisim præponenda sunt in præmissis, & coniungenda in conclusione: & de quantitate & qualitate propositionum non est curandum quoad modum syllogismi, nec etiam de dispositione terminorum in figura completa, sed de apparenti locali dispositione ad inferendum coniunctim quod diuisim est propositum, sicut hic: tu es in aëre: aër est in turri: ergo tu es in turri. Tu cognoscis Coriscum: Coriscus est veniens: ergo tu cognoscis venientem. Causa enim apparentiæ in hac fallacia est identitas accidentis & subiecti apparens, & identitas medij in parte cum extremis apparens, propter quam creditur, quod quicquid attribuitur medio, attribuatur extremis. Et causa non existentiæ est diuersitas vera istorum. Sic ergo, vt dictum est, formandi sunt paralogismi.

Quot sunt modi huius fallaciæ.

Et non ponuntur nisi duo modi: quia duo sunt quibus potest attribui assignatum: aut enim attribuitur accidenti, & putatur attribui per accidens subiecto: aut è conuerso attributum subiecto, attribuitur accidenti per subiectum. Exemplum primi est: Coriscus est alter ab homine: Coriscus est homo: ergo Coriscus est alter à seipso. Exemplum secundi: Coriscus est alter à Socrate: Sortes est homo: ergo Coriscus est alter ab homine.

Fallacia paralogismi accidentis fit tam ex veris quam ex falsis.

Est autem hic notandum generaliter, quòd quando ipsi medio comparato vni extremorum potest conuenire oppositum alterius extremitatis (quamuis fortè propositio sit vera) potest tamen esse falsa: & sic conclusio non sequitur ex præmissis: & ideò conclusio paralogismi accidentis & fallacia fit tam ex veris quam ex falsis, vt iste est bonus, & est clericus, ergo est bonus clericus. Iste est malus, & est ciuis, ergo est malus ciuis, & huiusmodi.

Propter exemplum quod ponit Aristot. de

ista, Coriscus est alter ab homine, & quod ponit in vno paralogismo pro præmissa, & in altero pro conclusione, notandum, quod meo iudicio hæc falsa est, Coriscus est alter ab homine: quia alter notat diuersitatem, & in termino circa quem ponit diuersitatem, notat diuersitatem formalem: & tunc patet, quòd propositio est falsa: & cum dicitur, Coriscus est alter à Socrate: Socrates autem homo: cum medio comparatur homo, hoc est, Socrati attribuitur homo: sic enim potest conuenire Corisco alterum esse à Socrate, quum non sit idem cum Socrate.

Identitas medij in syllogismo duplex.

Notandum etiam, quod in syllogismo bono duplex est medij identitas: vna scilicet medij comparati ad extrema, & hæc identitas aliquam admittit diuersitatem: sic enim medium in parte est idem extremitati, & in parte diuersum. Alia est identitas medij secundum quod medium est acceptum secundum suam substantiam secundum quod est bis positum siue iteratum in præmissis, & hæc identitas non admittit diuersitatem, quinimo sicut ponitur in vna, secundum eandem significationem debet poni in altera, si bonus debeat esse syllogismus, in quo habitudo localis est dialectici syllogismi.

Contra quid peccat identitas medij syllogismi huius fallacia.

Et contra hanc identitatem medij peccant paralogismi istius fallaciæ. Vnde identitas medij secundum substantiam iterati facit apparentiam: diuersitas autem eiusdem secundum rationem facit defectum, vt hic: homo est species: Sortes est homo: ergo Sortes est species. Hic enim idem medium quod est homo secundum substantiam bis positum est siue iteratum: diuersimodè autem sumptum est secundum rationem: quia in prima stat homo secundum se, in secunda autem stat pro supposito. Hic ergo est vnus modus accidentis ex diuersitate medij diuersificati secundum rationem.

Secundus autem modus est, quando consequens medij sumitur, & illi assignatur accidens medij, vt hic: homo est species: homo est substantia: ergo substantia est species. Et alij multi modi iuxta hos possunt formari secundum compositionem antecedentis & consequentis, vel subiecti & propriæ passionis, vel substantiæ & accidentis, vt prius dictum est.

Quod autem quidam dicunt hoc: triangulus habet tres æquales duobus rectis: isosceles est triangulus: ergo isosceles habet tres: esse sophisticum syllogismum quoad demonstrationem: & bonum syllogismum quoad dialecticum: nihil est, sed bonus est syllogismus simpliciter, licet non demonstrativus, nec sophisticus, cum non sit in eo defectus.

CAPVT VI.

De præambulis ad sciendum de fallacia secundum quid & simpliciter.

VT facilius intelligantur ea quæ de fallacia secundum quid & simpliciter dicenda

sunt, prænorandum est, quòd sicut dicit Arist. in secundo topicorum, quod secundum quid, & quando, & vbi dicitur, & simpliciter dicitur, & non est ipsi aliqua fallacia. Determinatio enim quæ apponitur ad simpliciter, aut habet se ex additione ad simpliciter, aut non. Si habet se ex additione ad ipsum simpliciter, considerandum est quid addat ad simpliciter: aut enim addit rem aliquam prius non intellectam in dicto simpliciter, aut non addit rem sed rei discretionem tantum, ita quod eandem rem significat discretè, quam simpliciter dictum significat indiscretè, vt dicitur homo simpliciter, & tamen discretè dicitur vnus homo vel solus homo. Et si discretionem eiusdem rei addit tantum: tunc sequitur suum simpliciter, vt cum dicitur vnus vel solus homo currit, sequitur, ergo homo currit. Si autem determinatio secundum quid addit rem aliquid quod non intelligitur in eo quod est simpliciter, considerandum est vtrum sit determinatio propria ipsi simpliciter, aut non propria, sed aliena. Si enim propria, tunc ex ea iterum sequitur id quod est simpliciter, vt in topicis dictum est, vt cum dicitur: homo albus currit: ergo homo currit. Albus enim est determinatio hominis secundum totum, & sic propria toti. Si autem est determinatio impropria toti simpliciter accepto, considerandum vtrum illa determinatio sit priuans totum simpliciter acceptum, aut diminuens. Si est priuatiua rationis quod est simpliciter, sicut homo mortuus, vel homo pictus: vel ens in opinione siue opinabile, vt chimera quæ solum in opinione est: vel in aptitudine, vt homo futurus: vel solum in præterito, vt Cæsar fuit homo: tales autem determinationes priuatiuæ sunt eius quod est simpliciter: & ideò ex talibus determinationibus non infertur simpliciter: non enim sequitur, est homo mortuus: ergo est homo. Neque sequitur, est homo pictus: ergo est homo. Vel est ens opinabile: ergo est ens. Vel est ens in aptitudine vel in futuro vel in præterito: ergo est ens.

Nota quæ determinationem inferunt simpliciter & quæ non.

Si autē est diminuēs, tunc determinat secundū partem, & tunc considerandum est vtrū determinet ad partem ex qua infertur totum, vt est pars subiectiua vel per modum subiectiuæ partis sumpta, sicut pars in modo. Si est ad partem ex qua non infertur totum, est sicut pars integralis sumpta, vt pars in quantitate, vel pars in loco, vel pars in tempore. Sicut bene sequitur: est homo: ergo animal: ita bene sequitur: legit bene: ergo legit. Legit aliquando: ergo legit. Legit alicubi: ergo legit. Quia istæ determinationes non diminuunt totum vel denominationem totius. Si autem est determinatio ad partem diminuentem totum vel denominationem totius, tunc vocatur determinatio impropria, & tunc est trahens ad partem materialem siue integralem, ex qua non infertur totum: & tunc considerandum est vtrum sit ad partem denominantem totum secundum formam quam dicit determinatio, aut non. Et si est ad partem à qua denominatur totum secundum formam quam dicit determinatio: tunc iterum bene sequitur à secundum quid ad simpliciter, vt est crispus secundum caput: ergo est crispus, sequitur: & est simus secundum nasum: ergo est simus. Est aquilus in naso: ergo est aquilus. Quia à talibus partibus secundum tales formas totum denominatur, & est in priuationibus & habitibus naturalibus. Similiter & etiam in acquisitis, vt est videns secundum oculum: ergo est videns. Est cæcus secundum oculum: ergo est cæcus. Est rectus in ambulando secundum pedes: ergo est rectus. Est claudus secundum pedem: ergo est claudus. Est mancus secundum manum: ergo est mancus. Et huiusmodi causa est: quia formæ vel priuationes à quibus fit denominatio, sunt istorum membrorum siue partium inquantum organa sunt totius corporis: & ideò ab eis fit denominatio totius. Si autem fit determinatio ad partem integralem & secundum formam quæ non est in ipsa secundum quod est organum totius, sed secundum quod est pars materialis tantum, vt cum dicitur, est albus dentem vel secundum dentes, vel niger secundum pedes: tunc non potest inferri simpliciter: vt Æthiops est albus secundum dentem: ergo est albus: non sequitur. Vel cignus est niger secundum pedes: ergo est niger. Et sic fit etiam in relatione ad aliquid, sicut cum dico: bonum est vti diæta tali in loco infirmo: ergo bonum est vti diæta tali. Bonum est secari ne putrescat corpus: ergo bonum est secari. Vtile est proiicere merces in mare tempore tempestatis: ergo vtile est proiicere merces, & sic in omnibus facile est videre, quod est quod infert simpliciter & quod non.

Nota, quod ista vocātur determinationes partium cōs.

Partium totū, vt inquit D. Albertus 5 phys. super text. com. 2. aut accidentia copulata secundum modū Burlæi in vniuersalibus cap. de accidente.

His habitis adhuc prænotandum est, quòd penes causam apparentiæ diuersæ distinguuntur fallaciæ, & non penes causam non existendi: quia eædem causæ non existendi possunt esse in diuersis fallaciis, vt dicit Aristot. & non potest esse vna causa apparentiæ in diuersis fallaciis. Vnde sciendum, quòd identitas dicti secundum quid ad dictum simpliciter secundum rem, est causa apparentiæ in hac fallacia, scilicet quia in dictione simillimum est, & quia re proximum esse videtur. Dico autem dicti, non quod hæc fallacia in voce vel dicto sit secundum quod est in voce vel dicto, sed secundum quod dictio rei subiacet & significatur in eo quod est in re. In omnibus enim fallaciis & in dictione & extra dictionem oportet sermonibus vti: sed ille sermo in fallaciis extra dictionem sumitur prout sermo subiacet rei, in fallaciis in dictione sumitur sermo prout res subiacet sermoni: & ideò principium deceptionis est in sermone in fallaciis in dictione, in fallaciis autem extra dictionem sumitur prout est in re & refertur ad sermonem. Vnde causa apparentiæ in hac fallacia tota incompleta est: quia dictum secundum quid & dictum simpliciter sunt valdè similia secundum vocem rebus subiacentem: & quod non videntur multum differre secundum rem & causam non existentiæ, est diuersitas rei significatæ in dicto simpliciter & in dicto secundum quid.

Penes quid distinguitur fallacia diuerſæ.

Aliud est principium deceptionis in fallacijs in dictione, & aliud in fallacijs extra dictionem.

Adhuc autem notandum, quòd hæc fallacia quæ vocatur secundum quid & simpliciter,

pliciter, vna est fallacia, quamuis à duobus nominata: quia quamuis in compositione & diuisione sint duæ fallaciæ, & non vna: & quamuis in locis dialecticis sint duo loci, vnus à parte, & alter à toto: tamen fallacia secundum quid & simpliciter non est nisi vnica fallacia & non duæ, & non vna duplex, vt quidam dixerunt. Et huius causa est: quia principium decipiendi siue causa apparentiæ (penes quod fallaciæ habent distingui) est vnum, hoc est, similitudo in dicto secundum quid & simpliciter dicto, & proximitas secundum rem, quod idem est, siue consideretur habitudo dicti secundum quid ad dictum simpliciter, siue si consideretur è conuerso habitudo dicti simpliciter ad dictum secundum quid. Et hoc non est idem in fallacia compositionis & in fallacia diuisionis: sed in fallacia diuisionis principium decipiendi est identitas orationis ad compositam secundum materiam vocis, & etiam in fallacia compositionis principium decipiendi est identitas orationis compositæ ad diuisam secundum materiam: & hæc non sunt eadem si debitè pronuntietur compositа oratio, & si debitè pronuntietur diuisa: sed formalem habent differentiam in vna vocis materia quæ est elementa vocis: quia pronuntiationes & distinctiones habent diuersas, sicut in antehabitis est manifestum. Sic autem non in hac fallacia: quia siue procedatur à secundum quid ad simpliciter, siue è conuerso, semper similitudo dicti secundum quid ad dictum simpliciter, est causa apparentiæ.

Penes aliud distinguitur loci sophistici quam loci dialectici.

Loci autem dialectici non sic distinguuntur, sed potius penes differentias maximarum. Alia autem est habitudo partis ad totum, & alia totius ad partem: quas habitudines exprimunt & dicunt maximæ: & ideò confirmant locos siue habitudines locales: & ideò non est simile de locis dialecticis & de locis sophisticis.

CAPVT VII.

De fallacia secundum quid & simpliciter, & differentia quid & secundum quid.

Secundum autē quod simpliciter dicitur hoc, &c.

DIcentes igitur de fallacia secundum quid & simpliciter, & Aristot. sequentes primum ponemus vniuersalem causam deceptionis in hac fallacia. Dicit enim Aristot. quòd hæc fallacia fit secundum quod hoc quodcunque dicitur simpliciter, dicitur quo (hoc est, non cum determinatione contrahente ad partem) & non propriè, hoc est, cum determinatione propria, quæ infert simpliciter, sed contrahitur cum determinatione impropria, quæ non infert simpliciter dictum: & est causa vniuersaliter deceptionis in hac fallacia secundum quod frequentissimè fit, quando quod particulariter dicitur (hoc est, determinatione non propria contractum) ad partem sumitur vt simpliciter dictum, hoc est, vt cum determinatione propria, quæ infert simpliciter. Et sic vniuersalis causa decipiendi in hac fallacia est similitudo dicti secundum quid ad dictum simpliciter: eò quod determinatio impropria accipitur vt propria. Hoc autem primo ostenditur in processu à dicto quo vel quid ad dictum simpliciter, vt si aliquis sic arguat: quod non est simpliciter (sicut non ens) opinabile est, hoc est, in opinione est, vt chimera est: ergo quod non æst, est. Et sic formatur paralogismus: quod in opinione est, est: sed quod non est simpliciter, vt chimera est, in opinione est: ergo quod non est, est. Causa autem defectus siue non existentiæ siue falsitatis est diuersitas dicti quid & dicti simpliciter: non enim idem est esse aliquid quidem dictum & esse simpliciter dictum.

Aut rursum quoniam quod est, &c.

Aut rursus procedendo à negatione ad affirmationem sic, vt ex eo quod non est aliquid, inferat esse simpliciter, vt dicat: asinus non est homo: ergo non est simpliciter. Et causa falsitatis est: quia non est idem aliquid non esse quid, & aliquid non esse simpliciter: non enim idem est non esse hominem, & non esse simpliciter. Tamen alicui decepto videntur hæc esse eadem: eò quod dictum quid & dictum simpliciter, proxima sint in dictione relata ad rem, propter deceptionis similitudinem propriæ ad non propriam, & maximè: quia parum secundum rem differunt aliquid aliquando esse quid (hoc est, determinatum ad partem) & esse aliquando simpliciter: & in negatione similiter parum differre videntur aliquid aliquando non esse, & non esse simpliciter.

Similiter autem est & quod est &c.

Et sicut diximus parum differre aliquid esse quid & esse simpliciter, similiter parum differunt etiam id quod aliquando dicitur secundum quid, & aliquando simpliciter: est enim ad aliquid esse secundum quid, hoc est, est quid quod contrahitur à communi ad partem aliquam materialem vel integralem: aut ad partem subiectiuam, vt homo, vel asinus: vel ad partem in modo, vt legere benè vel malè: vel in tempore, vt aliquando, vel heri: vel in loco, vt alicubi, vel in foro: vel ad aliquid, vt diuitias esse malas abutenti, vel aliquid tale. Esse tamen secundum quid proriè dicit contractionem secundum partem materialem siue integralem. Et huius exemplum est, vt si aliquis sic arguat: vt si Indus vel Æthiops (cum sit simpliciter niger) albus est dentes, siue secundum dentes: est ergo albus & non albus. Et formetur sic paralogismus: Indus est niger: ergo non est albus. Et in hac argumentatione nullum est peccatum. Et addatur, Indus est albus secundum dentes: ergo est albus. Et hoc est peccatum secundum quid ad simpliciter. Et postea inferatur, ergo est albus, & non est albus. Et hoc peccatum est idem quod prius, & est argumentum à contrario, quod secundum quid ineſt, ad alterum contrarium. Aut si alio modo arguat quis à duobus contrariis, quorum vtrumque quo (hoc est, secundum aliquam partem materialem) ineſt: vt si pica est alba in pectore & nigra in cauda, quod pica est simpliciter alba & nigra: & sic simpliciter insunt picæ contraria. Vel etiam si scu-

Ly à quo, est nota partis subiectiuæ, sed ly secundum quid, est nota partis integralis, vt dicit in cap. sequenti.

tum sit dimidium album & dimidium nigrum, quod scutum sit simpliciter album & nigrum: & sic scuto simpliciter inest contraria actu, quod est inconueniens.

Obiectio prima. Siquis obiciat, quòd in hoc paralogismo (est opinabile: ergo est) magis videtur esse fallacia consequentis quam fallacia secundum quid & simpliciter: eo quod valet è conuerso, est: ergo est opinabile. Eadem etiam est obiectio de alio paralogismo. Hic enim (asinus non est homo: ergo non est) videtur esse processus à destructione antecedentis, qui processus facit fallaciam consequentis, & non fallaciam per quid & simpliciter.

Secunda.

Solutio prima. Non est inconueniens in eodem syllogismo plures esse fallacias. Sed hæc soluere non est difficile: quia non est inconueniens in eodem paralogismo plures esse causas & modos decptionis: vnde opinabile distinguendū est: hoc enim dicitur æquiuocè, communiter, & propriè. Communiter quidem dicitur opinabile omne id quod cadit vel cadere potest in opinione: & sic sumpto opinabili, est (in paralogismo illo qui appositus est) fallacia consequentis, sicut probat obiectio. Propriè autem dicitur opinabile non ens nisi in opinione, sicut chimera: quia sic opinabile per formam opinabilitatis opponitur alio modo enti, quam in opinione: & sic in paralogismo illo est fallacia secundum quid & simpliciter: quia non sequitur: est ens in opinione: ergo est: quia hircoceruus & minotaurus est ens in opinione: & non sequitur, quòd simpliciter sit hircoceruus siue tragelaphus vel minotaurus: & hoc modo est fallacia secundum quid & simpliciter, si propriè sumatur opinabile: & sic inducitur hic. Similiter in secundo paralogismo & est fallacia consequentis, & fallacia secundum quid & simpliciter, secundum quod procedit à determinatè non existente ad simpliciter non existens: & secundum hoc est exemplum in hac fallacia.

Solutio secunda.

Alia obiectio. Siquis autem obiiciat, sicut in præcedenti fallacia obiectum est, quòd isti paralogismi deficiunt & in modo & in figura: & sic nō videntur esse paralogismi: quia similitudinem non habent cum vero syllogismo. Bona est responsio, quæ in antehabitis posita est, scilicet quod peccat hæc fallacia contra syllogismum probantem dialectic um, & non contra syllogismū simpliciter: quia (vt in principio huius libri determinatum est) etiam sophisticus simpliciter est syllogismus simpliciter: eò quod habet modum & figuram: quamuis non sit syllogismus probans in dialectica: & ideo paralogismi formantur sufficienter, quando in eis exprimitur habitudo localis, quamuis non disponantur in modo & figura.

Solutio.

Siquis autem paralogismos ita format, primum quidem sic: omne quod est opinabile, est: chimera est opinabile: ergo chimera est. Et secundum sic: omne quod non est homo, non est: asinus non est homo: ergo asinus non est. Non erit conueniens formatio: quia in vtroque paralogismorum prima erit figura: & sic videtur poni peccatum in materia plus, quam in forma: cum fallacia ista faciat peccatum in forma, & non in materia. Possunt ergo sic formari omne ens est: chimera est ens opinabile: ergo chimera est. Hæc enim videtur esse prima figura, & propter similitudinem quæ est inter ens simpliciter & ens opinabile, videtur quod illud quod subiicitur in maiori, prædicetur in minori: & sic apparet prima figura. Secundus autem potest formari sic: omne quod non est ens, non est asinus non est ens homo: ergo asinus non est. Quia enim hæc duo, ens, & non ens homo, similia sunt, videtur quod subiectum maioris sit etiam prædicatum minoris: & sic apparet ibi figura prima. In hoc tamen parua vis est: quare responsio primo posita vera est: & hoc dicit causam: quia materia paralogismorum non est ponenda in modo & figura, sed solum in habitudine locali.

Paralogismi huius fallaciæ possunt fieri à secundum quid ad simpliciter, & è conuerso.

Scias autem, quòd paralogismi isti formati sunt secundum processum ab eo quod secundum quid ad simpliciter: eò quod causa deceptionis est similitudo dicti secundum quid ad simpliciter dictum: sic enim frequentius & magis propriè secundum causam deceptionis assignatam fit processus in hac fallacia. Potest tamen è conuerso fieri, scilicet secundum processum a simpliciter ad secundum quid: vt Æthiops est niger: ergo est niger secundum dentes. Vel cignus est albus: ergo est albus secundum pedes. Et sic causa deceptionis esset similitudo dicti simpliciter ad dictum secundum quid. A simpliciter autem ad secundum quid contingit procedere & affirmando & negando. Sed cum proceditur à simpliciter ad quo siue secundum quid negando: tunc fit fallacia secundum quid ad simpliciter: & causa apparentiæ non est alia, sed eadem cum ea quæ est à secundum quid ad simpliciter, quando processus fit affirmando, vt patet hic: est opinabile: ergo est. Et hic: non est: ergo non est opinabile. In his enim processibus eadem est causa deceptionis. Si autem à simpliciter ad secundum quid processus sit affirmatiue, hic non potest fieri nisi alterò duorum modorum: aut enim fit processus à simpliciter ad quid ad partem integralem siue materialem, aut ad partem alio modo dictam, scilicet subiectiuam, aut in modo, aut in tempore, aut in loco, vel huiusmodi ad partem aliam. Si sit ad partem integralem: tunc habet causam deceptionis non eandem quam habet processus à secundum quid ad simpliciter, sed potius aliam quæ sumitur à similitudine processus à toto integro ad suam partem: sicut si dicam, est albus, ergo est albus secundum pedem: in quo processu non est eadem causa deceptionis, quæ est in processu à parte ad totum: quia cum dicitur, est albus pedem, ergo est albus: causa deceptionis est similitudo dicti secundum quid ad dictum simpliciter. Cum autem è conuerso fit sic: est albus: ergo est albus secundum pedem: causa deceptionis est: quia creditur, quòd sicut totum integrale infert suam partem, ita simpliciter inferat suum secundum quid: & hoc non est necessarium. Instantia: cignus est albus simpliciter: & tamen non sequitur, est albus pedem. Si autem sit processus à simpliciter ad partem quæ est per modum partis subiectiuæ, non videtur habere aliquam apparentiam, sicut legit: ergo bene legit, vel aliquid huiusmodi. Est sanum: ergo tunc vel ibi est sanum.

Et sic

Et sic patet, quòd processus à simpliciter ad secundum quid, & multiformis est, & aliquando aliam habet apparentiam, quam processus à secundum quid ad simpliciter, aliquando nullam: & ideò rarò contingit: & ideo de tali processu non ponuntur exempla, nec ab Arist. nec ab aliis Philosophis: cum ea quæ similia, dialecticis frequenter contingere debeat ad minus.

Rerhouet dubium.

CAPVT VIII.

In quibus facile est videre deceptionem secundum quid & simpliciter, & in quibus difficile.

Huiusmodi autem in quibusdam, &c. HViusmodi autem deceptionem quæ est secundum quid & simpliciter, in quibusdam quidem facile est considerare, in quibus, scilicet id quod est secundum quid, priuans vel diminuens est id quod est simpliciter: vt est homo mortuus vel pictus: ergo est homo. Vel è conuerso negatiue: non est homo: ergo non est homo mortuus, vel homo pictus. Vel si procedat à parte materiali quæ non infert suum totum secundum denominationem. Vt si aliquis opponentiū sumat à respondente Æthiopem esse nigrum simpliciter, & obiiciens dicat, quoniam Æthiops dentibus albus, & inferat ex hoc, quoniam albus & niger: tunc enim redarguentio respondentem putabitur disputasse, quoniam albus & non albus est, & quoniam niger & non niger est; & hoc syllogisticè putabitur feciſſe, cum perfecerit interrogationem admixtam redargutionis disputationem deducendo. In hac enim meta maximè perfecta est disputatio sophistica. Hoc enim facile videtur: quia sicut pars integralis non infert suum totum, ita denominatio partis non infert denominationem totius: & similiter è conuerso denominatio totius non infert denominationem partis: sicut Æthiops est niger: ergo est niger secundū dentes. Vel negatiuè: cignus non est niger: ergo non est niger secundum pedes. Vnum enim est motiuum in hac fallacia, siue fiat processus à secundum quid ad simpliciter, siue è conuerso à simpliciter ad secundum quid. Et huius causa est: quia secundum quid non mouet secundum se, nec etiam simpliciter secundum se: quia sic essent duæ fallaciæ: sed vnum mouet secundum conuenientiam similitudinis ad alterum.

In quibusdam autem latet, &c. In quibusdam autem latet, & non est facile considerare: & hoc contingit frequenter in illis in quibus quando quo dicitur quid, siue secundum quid. Videtur etiam sequi simpliciter illud idem dici: in illis enim non facile est considerare, vtrum contrariorum vel diuersorum quæ sunt secundum partes diuersas eidem propriè, hoc est, simpliciter vel secundum propriam determinationem sit assignandum. Fit autem huiusmodi difficultas in his in quibus secundum partes diuersas similiter siue æqualiter sunt contraria vel diuersa, à quibus secundum partem integralem fit denominatio, siue secundum quid, sicut diximus de scuto dimidio albo & dimidio nigro: videtur enim in talibus, quod aut ambo simpliciter insint contraria: aut quod concedendum sit, quòd neutrum insit contrarium: sicut si scutum dimidium sit album, & dimidium nigrum.

Obiectio. Et si obiiciatur, quòd omnis color vel albus, vel niger, vel medius: ergo omne coloratum vel est album, vel nigrum, vel medio colore coloratum, à coniugatis: scutum autem est coloratum: ergo vel est album, vel nigrum, vel medio colore coloratum. Non valet argumentum: quia cum dicitur: omnis color vel est albus, vel niger, vel medius, distribuitur color secundum partes subiectiuas per differentias coloris diuisas. Cum autem dicitur, omne coloratum, &c. habet coloratum aliam diuisionem quam color: diuiditur enim quantitatis diuisione eius in quo est: & ideò potest esse partim album, & partim nigrum, & neutrum simpliciter: & sic coniugatum non eiusdem diuisionis cum principali: propter quod non tenet talis processus.

Solutio.

Duo sunt modi huius fallaciæ. Ex omnibus autem quæ dicta sunt, accipitur, quòd duo sunt modi istius fallaciæ. Vnus quidem, quando proceditur à quo quod est nora partis subiectiuæ ad simpliciter. Alius autem, quando proceditur ab eo quod est secundum quid quod est nora partis integralis ad simpliciter.

Obiectio alia. Et si obiicitur, quòd à parte subiectiua ad totum affirmando est bonus processus, sicut ab inferiori ad superius. Dicendum, quòd hoc verum est, quando quo siue pars determinata est determinatione propria, quæ infert suum totum siue simpliciter: eò quod intellectu & actu est in illo. Quando autem determinatur determinatione non propria: sicut bonum est est mactare parres in Triuallis: ergo bonum est mactare parres. Vel pluit in Anglia: ergo pluit. Vel in aliquo tali quod diminuit vel priuat rationem eius quod est simpliciter: tunc non est ab inferiori directo ad superius: quia superius priuatur vel diminuitur & tollitur ab inferiori per talem determinationem: & tunc incidit fallacia.

Solutio.

Et attende, quòd formali differentia non sunt plures modi huius fallaciæ quam duo qui dicti sunt, à quo ad simpliciter, vel argumentum quid ad simpliciter: quia quamuis multa sint tota siue simpliciter, vt vniuersale, integrale, potestatiuum, in quantitate, in modo, & huiusmodi: tamen omnia reducuntur in modum duorum, scilicet vniuersalis & integralis siue materialis: & ideò non fit processus, nisi vel à quo ad simpliciter, vel à secundum quid ad simpliciter: & sic duo sunt modi in genere: in speciali tamen multis modis variari possunt, sicut in antehabitis dictum est.

***

CAPVT IX.

De his quæ præambula sunt ad sciendum fallaciam secundum ignorantiam elenchi.

Quæ fallacia elenchi ponitur post fallaciam secundum quid & simpliciter.

CIrca fallaciam autem quæ vocatur ignorantia elenchi, quæ post fallaciam secundum quid & simpliciter ponitur, eò quod est cum duplici determinatione, quum illa quæ est secundum quid & simpliciter fit cum vna, prænotandum est quid sit ignorantia elenchi: & tunc poterit cognosci causa apparentiæ in ipsa, & causa non existentiæ, quæ in speciali accepta, & sub differentia specifica & propria, substantialiter & in specie constituunt locum sophisticum siue fallaciam.

Notandum est, quòd quamuis ignorantia sit multarum diuisionum tam ex parte rei ignoratæ, quam ex parte ignorantis, quam etiam ex parte modi ignorandi: tamen in illa communitate in qua ambit omnia sic & tot modis dictam ignorantiam diuidentia, non sumitur hic, quando dicitur ignorantia elenchi.

Nota multiplicem diuisionem ignorantiæ.

Ex parte ignorati diuiditur in vniuersalem & particularem, quam quidam vocant ignorantiam iuris & facti: quia ignorantia iuris est ignorantia vniuersalis regulantis in partibus: ignorantia autem facti est ignorantia particularis vel alicuius circunstantiæ particularis, quæ vix in partibus est euitabilis.

Ex parte autem ignorantis diuiditur in ignorantiam inuincibilem, & in ignorantiam vincibilem: & in ignorantiam cuius nos causa sumus, & in ignorantiam cuius nos non sumus causa. Ignorantia inuincibilis est duplex. Est natura, vt morionis ignorantia. Morio autem dicitur, qui fatuus est per vitium complexionis melancholicæ. Inuincibilis autem ex accidente, sicut ignorantia insani ex vulnere vel alio accidente casus vel impulsus alicuius. Ignorantia autem cuius nos causa sumus, duplex est, ex facto scilicet illicito siue turpi, vt ignorantia illius qui inebriatur: vel ex venereis incidit in amentiam quæ heros Græco nomine apud medicos vocatur, & quadruplices maledictiones, vt dicit Arist. in. 2. ethic. Ignorantia autem cuius nos non sumus causa, est sicut ignorantia quæ est ex infirmitate accidentis. Diuiditur etiam in ignorantiam affectatam siue voluntariam, sicut eius qui non vult discere cum possit: & ignorantiam non affectatam, sed contingentem ex eo quod circúspici non possit in singularia in quibus sunt actus, sicut sunt ignorantiæ medicorum & diuinantium in astris, qui frequenter ignorant: quia omnia circunspicere non possunt considerando, in quo sunt actiones innantium vel impedientium ad diuinandum vel iuuandum infirmum: & tales sunt ignorantiæ iudicis & aduocatorum in examinando causas, & ea quæ iuuant ad considerationes causarum.

Genus ignorantiæ negationis & depositionis est ignorantia ex parte modi.

Diuisio autem ignorantiæ in modo ignorantiæ duplex est, siue in duo, scilicet ignorantia negationis quæ propriè vocatur nescientia, quando homo penitus nihil scit de re, nec in vniuersali, nec in particulari, nec in agere scientia vocata: & in ignorantiam malæ siue pravæ dispositionis: & hæc quando prauè aliquis est dispositionis ad aliquid sciendum. Et hæc est triplex secundum scientiam quæ ab Aristot. in secundo priorum diuiditur in tria, scilicet scire in vniuersali per communia, & scire in propria natura per propria, & scire in agere per comparationem principiorum ad conclusionem. In omnibus enim his contingit aliquem prauè esse dispositum, vel per hoc quod concipit contraria principiorum pro principiis, sicut fecit Heraclitus: vel quia malè accipit propria vel communia pro propriis, vt ille qui putat fel esse mel, quia non videt nisi per communia, quòd scilicet mel est croceum humidũ viscosum: vel quia malè adaptat principia ad concludendum, vel sine modo & figura, vel sine habitudine consequentiam probante per causam vel localem habitudinem.

Omnibus autem dictis ignorantiis omissis sola dicitur hic ignorantia malæ dispositionis ad scire præcipue in agere quod est in conclusione interenda secundum probationem propositi, & secundario prout est malè dispositus ad scire in propria natura, & tertiò prout est malè dispositus ad scire in vniuersali, & præcipuè in maiori propositione prout in ipsa est principium decursus syllogistici. Ex his enim causatur malè contradicere per syllogismum ex impossibili vel falso productum ad contradicendum, & in syllogismo ad impossibile. Dicit enim Arist. quòd si syllogismus per ordinem præmissarum ad conclusionem est bonus, erit etiam syllogismus ex opposito conclusionis cum altera præmissarum ad interemptionem alterius præmissarum bonus: & si alter est vitiosus, erit etiam reliquus vitiosus. Vnde ignorantia ex his quæ exiguntur ad hoc quod ex opposito conclusionis sequatur oppositum eius quod credit respondens quem opponens redarguere intendit, est ista quæ vocatur ignorantia elenchi, siue contradictionis syllogismus.

Elenchus quid, & quomodo habet quadam ex syllogismo & quadam ex contradictione.

His sic notatis sciendum, quòd elenchus est syllogismus contradictionis: & ideò habet quædam quæ sunt syllogismi, & quædam quæ sunt contradictionis propria. Ex syllogismo habet, quòd sit ex quibusdam positis & dispositis in modo & figura, & quibusdam habitudinibus quæ sunt causæ: vel topicè inferens consequentiam, & probans id quod illatum est, omittere considerare vel omnia quæ dicta sunt, vel aliqua, vel aliquod ipsorum, quia hoc fit ex omni oratione syllogistica, ideo hoc non facit fallaciam specialem. Ea autem quæ sunt contradictionis propria, sunt quatuor, scilicet quod sit ad idem, secundum idem, & similiter, in eodem tempore: & hæc in syllogismo contradictionis inconsideratè omittere, specialem modum inducit deceptionis, & ideò facit specialem fallaciam, quæ vocatur ignorantia elenchi, & non ignorantia syllogismi, nisi fortè per consequens & non primo.

Syllogismus contradictionis siue elenchus duplex.

Notandum etiam, quòd syllogismus contradictionis siue elenchus est duplex. Vnus quidem syllogizans oppositum illatæ conclusionis ex oppositis principiis. Alius autem ex opposito conclusionis cum altera præmissarum concludens oppositum alterius præmissæ. Et veerque vocatur elenchus in fallacia quæ dicitur ignorantia elenchi.

CAPVT X.

De differentia inter fallaciam secundum quid & simpliciter, & ignorantiam elenchi.

Quæ sit causa apparentiæ in hac fallacia, & quæ causa non existentiæ.

HIs habitis considerandum est de causa apparentiæ in hac fallacia & de causa non existentiæ. Sciendum ergo, quòd causa apparentiæ in hac fallacia est illorum quæ concludantur apparens contradictio: quia per hoc quod ea quæ concluduntur in duobus syllogismis, apparent esse contradictoria, videtur esse elenchus, sed secundum veritatem non est elenchus. Causa autem defectus siue nõn existentiæ est defectus veri syllogismi siue contradictionis. Vnde differentia est inter hanc fallaciam & præcedentem quæ est secundum quid & simpliciter. Quidam assignantes differentiam dixerunt, quod hæc est differentia inter fallaciam secundum quid & simpliciter, & ignorantiam elenchi, quod paralogismi fallaciæ secundum quid & simpliciter, semper accipiuntur cum determinatione vnica: paralogismi autem fallaciæ secundum ignorantiam elenchi, accipiuntur cum determinatione duplici. Cuius contrarium in præhabitis est determinatum: quia Aristot. dicit, quòd cum contraria æqualiter insunt alicui secundum diuersas medietates, vt scuto quando dimidium est album & dimidium nigrum, in eo quod est secundum quid & simpliciter, duæ sunt determinationes secundum quid: sicut cum dicitur, scutum est album secundum medietatem, & est nigrum vel non album secundum medietatem: ergo est album & nigrum, & album & non album.

Differentia inter hanc fallaciam & præcedentem secundum quosdam.

Alia opinio.

Alij autem dixerunt, quòd in hoc est differentia, quòd paralogismi huius fallaciæ semper sunt cum determinatione propria quæ infert suum simpliciter: paralogismi autem fallaciæ secundum quid & simpliciter semper fiunt cum determinatione impropria quæ non infert suum simpliciter. Sed hoc videtur inconueniens esse: quia si vtraque præmissa potest inferre suum simpliciter: & sic in conclusione concluditur oppositum de opposito: & sic conclusio semper erit falsa: & cum bene inferatur conclusio ex determinatione propria, erit conclusio benè syllogizata. Et quia falsum non sequitur nisi ex falso, oportet quod aliqua præmissarum, vel ambæ sint falsæ: & sic paralogismi istius fallaciæ erunt veri syllogismi, peccantes in materia & non in forma: & sic non erunt apparentes syllogismi vel paralogismi.

Opinio propria de differentia inter hanc fallaciam & præcedentem.

Vnde sciendum, quòd tres differentiæ sunt inter fallaciam secundum quid & simpliciter, & fallaciam secundum ignorantiam elenchi. Vna quidem quæ iam paulo ante dicta est: quia paralogismi ignorantiæ elenchi semper procedunt cum determinatione duplici: paralogismi autem fallaciæ secundum quid & simpliciter, aliquando procedant cum vna determinatione, & aliquando cum duplici, sicut in obiectione dictum est. Alia autem differentia est, quæ etiam iam habita est, quòd paralogismi fallaciæ secundum quid & simpliciter, procedunt cum determinatione propria: paralogismi autem istius fallaciæ, procedunt cum determinatione duplici & impropria. Et ad id quod obiectum est contra hoc quod dicunt, quòd in paralogismis fallaciæ ignorantiæ elenchi ambæ præmissæ veræ sint, & non habent in se contradictoria nisi apparenter, & ideò non inferuntur ex eis contradictoria nisi apparenter. Procedit autem obiectio ac si vera compositio contradictoriarum esset in præmissis: & ideò non concludit. Tertia autem differentia sequitur ex his duabus, quod scilicet paralogismi fallaciæ secundum quid & simpliciter, semper peccant in consequendo & probando: paralogismi fallaciæ secundum ignorantiam elenchi, nunquam peccant in consequendo vel probando, sed semper contradicendo.

Ad hæc autẽ melius intelligenda notandum est, quòd cum opposita accipitur in paralogismis horum paralogismorum cum determinatione, aut vtrumque oppositorũ accipitur cum determinatione, aut alterum tantum, considerandum verum sit determinatio propria, aut non propria. Si accipitur alterum oppositorum cum determinatione propria: tunc nulla in tali processu fit fallacia, sed erit peccatum in materia: quia altera præmissarum est falsa: sicut si dicam, Æthiops est albus secundum caput: & est niger: ergo albus & non albus: quia ex hoc albus secundum caput quod est simpliciter: & cum hac stare non potest, quòd sit niger simpliciter: & sic ex consequenti sequitur vera contradictio, quod est albus & non albus. Si verò ista determinatio fuerit impropria: tunc fit fallacia secundum quid & simpliciter, & non ignorantia elenchi, sicut hic: Indus est albus dentes, & est niger: ergo est albus & non albus: proceditur enim ab albedine secundum dentes & ad albedinem simpliciter, & incidit fallacia secundum quid & simpliciter.

Si verò accipitur vtrumque oppositorũ cum determinatione, hoc potest fieri tripliciter: quia aut vtrumque accipitur cum determinatione propria: aut alterum cum propria, & alterum cum impropria: aut vtrumque cum impropria. In duobus autem dictis modis, primo scilicet & tertio nunquam accidit fallacia secundum ignorantiam elenchi, sed fallacia secundum quid & simpliciter: si enim vtrumque accipiatur cum determinatione impropria, talis est processus: cignus est niger secundum pedes: & non est niger secundum reliqua corporis, sicut per alas. Vel sic: Sortes est niger secundum pedes: & non niger secundum pedes: ergo est niger & non niger. In hoc enim processu fit fallacia secundum quid & simpliciter, ex vtraque determinatione procedendo ad simpliciter. Exemplum autem eius quod est vnum oppositorum esse cum determinatione propria, & alterum cum impropria

est: Sortes est albus secundum caput: & est niger secundum oculos vel pedes: ergo albus & non albus: hic enim proceditur à determinatione impropria ad simpliciter. Bonus autem est processus in altera parte à propria determinatione ad simpliciter.

Si autem vtrumque accipitur cum determinatione propria: tunc considerandum est vtrum illa quibus adduntur determinationes sint verè contradictoria. Si sunt verè contradictoria & determinationes propriæ: tunc nunquam incidit fallacia secundum ignorantiam elenchi: sed aliquando cum altera parte processus incidit fallacia consequentis, & aliquando nulla incidit fallacia, sed peccatum est in materia tantum, sicut patet si sic proceditur: a. est duplum ad b. & non est duplum ad c. ergo duplum & non duplum. Duæ enim istæ determinationes, quarum vna est ad b. & altera significatur per hoc quod dicitur ad c. adduntur duobus verè contradictoriis, quæ sunt duplum esse & non duplum esse: & bene sequitur ab vna parte ab inferiori ad superius: sicut, est duplum ad b. sequitur, ergo est duplum. In altera autem parte processus: quia negatiuus est, non sequitur: cum enim dicitur, non est duplum ad c. ergo non est duplum, proceditur à destructione antecedentis siue ab inferiori ad superius negando quod causat fallaciam consequentis. Quandoque in tali processu nulla fit fallacia, sed tantum est peccatum in materia, vt hic: Sortes est albus secundum caput: & est niger secundum manus: ergo est albus & non albus: hic bona infertur contradictio ex consequenti: sed vna præmissarum est falsa quæcunque contingit: quia altera non stat posita altera quacunque.

Si autem ea quibus adduntur veræ determinationes, non sint verè contradictoria, sed apparentia tantum: tunc semper incidit fallacia secundum ignorantiam elenchi, sicut hic: a. est duplum ad b. & a. non est duplum ad c. duplum ad b. non est contradictorium ad non duplum ad c. & ideò quando infertur a. esse duplum & non duplum, non infert veram contradictionem, sed ignorat eam secundum hanc contradictionem: quia contradictio debet esse ad idem & secundum idem: quia ignorantia elenchi, vt dictum est, non peccat in consequendo siue in consequentia syllogistica, sed in contradicendo tantum. Ex his accipitur differentia inter fallaciam secundum ignorantiam elenchi, & fallaciam secundum quid & simpliciter.

In qua peccat ignorantia elenchi.

Obiectio.

Adhuc tamen obiici potest: quia cum in fallacia secundum quid & simpliciter sit vnum quid & vnum simpliciter, in ignorantia autem elenchi sint duo quid & duo simpliciter, & vnum sit pars duorum, nec faciat numerum pars cum suo toto, videretur fortè alicui, quòd fallacia secundum quid & simpliciter non deberet facere numerum fallacium cum ignorantia elenchi, sed deberet esse pars ipsius.

Solutio.

Et ad hoc dicendum, quòd quid & simpliciter non facit fallaciam figuræ dictionis, sed habitudo eius quod est quid ad id quod est simpliciter. Est autem alia habitudo vnius ad vnam, & alia habitudo duorum ad duo vel ad vnum: habitudo enim vnius ad duo, est habitudo sub dupli: habitudo autem duorum ad vnum, est habitudo dupli: & sic duæ sunt habitudines medij ad integrum, & integri ad dimidium: & sic etiam alia habitudo duorum quid ad duo simpliciter, & alia habitudo vnius quid ad vnum vel duo: & sic penes habitudines distinguuntur istæ fallaciæ, & ideo differentes sunt & faciunt numerum.

Est adhuc notandum, quòd tam hæc fallacia quam fallacia secundum quid & simpliciter, soluitur comparando conclusionem ad præmissas secundum contradictionem veræ contradictionis: sed differunt in hoc, quòd in hac fallacia comparatur contradictio vera conclusionis ad contradictionem apparentem in præmissis, quæ defectum habet veræ contradictionis in vtraque parte contradictionis: in fallacia autem secundum quid & simpliciter comparatur contradictio vera quæ est in conclusione ad apparentem contradictionem in præmissis, quod non habet effectum veræ contradictionis, nisi in altera parte contradictionis: & ideò differt hæc ab illa.

CAPVT XI.

De causa vniuersali fallaciæ secundum ignorantiam elenchi, & manifestatione ipsius per exempla.

Quoniam autem secundū quod non determinatur, &c.

DE fallacia igitur secundum ignorantiam elenchi determinantes dicemus, quòd paralogismi qui fiunt secundum ignorantiam elenchi, causam habent in hoc quod non determinatur in processu ad contradictionem quid est verè syllogismus, & quid est verè syllogismus, & quid est verè elenchus. Vtrumque enim oportet determinare: quia elenchus est contradictionis syllogismus: & ideo & syllogismus est, & contradictionis est. Vnde paralogismus secundum ignorantiam elenchi fit secundum diminutionem rationis syllogismi & elenchi: ratio enim contradictionis siue elenchi est, quòd elenchus est vera contradictio vnius & eiusdem, non nominis tantum, sed rei, & nominis non synonimi, sed eiusdem nominis: quia non est contradictio si dicam, gladius incidit: & dicam, ensis non incidit: ex his quæ data sunt ex præmissis ex necessitate consequentiæ accidens, non connumerato eo quod erat in principio, in conclusione, sed alio in conclusione & in præmissis accepto, ita quod per id quod est in præmissis, probetur id quod est in conclusione, sicut ignotum vel minus notum probatur per aliud notum vel magis notum: ita quod contradictio sit secundum idem, & ad idem, & similiter, & in eodem tempore. Eodem autem modo per omissionem alicuius harum conditionum contingit mentiri contradicendo de aliquo.

Quidā autem omittentes, &c.

Vnde quidam secundum ignorantiam elenchi videntur quidem arguere contradictionem, sed non agunt omittentes aliquam conditionem

ditionem siue aliquid ex his quæ dicta sunt, & præcipuè de quatuor conditionibus vltimis dictis quæ sunt secundum idem, & ad idem, & similiter, & in eodem tempore. Et hoc manifestum est in exemplis. Si enim quis sic arguat: duo sunt vnius duplum quidem: & non sunt duplum trium: ergo duo sunt duplum & non duplum. Peccat: quia omittit hanc conditionem ad idem: non enim duplum & non duplum comparantur ad idem: sed duplum ad vnum, & non duplum ad tria.

Quādo contradictio peccat, quia non ad idem.

Quādo peccat, quia non secundum idem.

Aut si sic arguat, quod idem eiusdem sit duplum & non duplum, sed non obseruet, quòd secundum idem sit duplum & non duplum, vt si aliqua superficies quadricubita sit dupla bicubitæ secundum longitudinem, & non sit dupla ad eandem secundum latitudinem, & sic concludat, quòd idem eidem sit duplum & non duplum, manifestum est, quòd omittit hanc conditionem secundum idem: nam secundum longitudinem est duplum. secundum latitudinem verò non duplum: & ita non secundum idem affirmat & negat.

Quando peccat, quia non similiter.

Aut etiam tertio modo si arguat, quòd idem eiusdem, & secundum idem sit duplum & non duplum, sed nec sequitur, vt si arguat, quòd in triangulo rectangulo latus oppositum recto angulo dimensionaliter, non est æquale duobus lateribus aliis, & virtualiter siue potestatiè sit æquale duobus lateribus aliis: quia quadratum eius est æquale duobus quadratis aliorum duorum laterum: ergo est æquale & non æquale: non sequitur: quia non affirmat & negat similiter: sed negat dimensionaliter, & affirmat virtualiter esse æquale. Vel sic: homo est species: nullus homo est species: ergo homo est species, & non species. Non contradicit: quia non similiter sumitur homo in præmissis in affirmando & negando.

Quando peccat, quia non in eodem tempore.

Aut etiam quarto si arguere videatur affirmationem ad idem & eiusdem & secundum idem & similiter, sed non in eodem tempore simul, vt si aliquis primo exhibeat manum clausam, quam statim aperiens, sic arguat: manus mea est clausa: & dicat aperiens, quòd manus mea est aperta: ergo est aperta, & non aperta: vel clausa, & non clausa. Non enim affirmat & negat idem ad idem, & secundum idem, & similiter, & in eodem tempore, sed in diuersis, & non simul: & hoc non est inconueniens.

Quod sint tatum quatuor modi paralogismorum huius fallaciæ.

Istis enim quatuor modis & non aliis fit ignorantia elenchi: quod sic probatur. Si enim defectus syllogismi & contradictionis hic non erit nisi per determinationem adiunctam: aut ergo determinatio est adiuncta ad vtramque contradictionis partem, aut ad alteram. Si ad alteram tantum: aut illa determinatio est propria, aut impropria. Si impropria: tunc impeditur contradictio, & cum contradictione syllogismus: sed est ibi fallacia secundum quid & simpliciter: & nullus modus ignorantiæ elenchi, sicut patet ex prædictis: quia ignorantia elenchi peccat contra contradictionem & non contra syllogismum. Si autem illa determinatio fuerit propria: tunc est contradictio ex consequenti: sicut si dicam, Sortes est albus secundum caput, & est niger: ergo est albus, & non albus: quod est contradictio ex consequenti: & non impeditur contradictio simpliciter, sed quædam, quæ est ex consequenti. Si autem vtraque pars sumatur cum determinatione: tunc aut additur vtrique parti determinatio eadem, aut diuersa. Si additur vtrique parti contradictionis determinatio eadem: tunc non impeditur contradictio, siue sit determinatio propria, siue non propria. Vt si dicam: Sortes est albus secundum caput, & non est albus secundum caput.

Si autē vtrique parti addatur determinatio diuersa, hoc contingit vno trium modorum: aut enim erit vtraque determinatio impropria, aut altera propria & altera impropria, aut vtraque propria. Si vtraque fuerit impropria: tunc impeditur tam syllogismus quam contradictio sola: & ideo in tali processu incidit fallacia secundum quid & simpliciter. Similiter autem fit si vna sit propria, & altera impropria: adhuc enim impeditur tam syllogismus quam contradictio, & incidit fallacia secūdum quid & simpliciter. Si autem vtraque determinatio fuerit propria, considerandum est vtrum illæ determinationes addantur oppositis, scilicet affirmationi & negationi, ratione alterius termini, subiecti scilicet vel prædicati, vel ratione compositionis. Si adduntur ratione alicuius termini, hoc contingit altero duorum modorum: aut enim adduntur ratione termini ad quem fit comparatio, aut ratione illius termini qui comparatur. Si ratione termini ad quem fit comparatio: tunc impeditur ratione illius termini siue contradictionis quæ est ad idem. Si verò addantur ratione illius qui comparatur: tunc impeditur comparatio penes aliam contradictionem quæ est secundum idem. Si autem determinationes addantur non ratione alicuius termini, sed ratione compositionis, hoc contingit altero duorum modorum: aut adduntur compositioni ratione significationis, aut ratione consignificati temporis in compositione. Si adduntur ratione significati in compositione: tunc impeditur contradictio penes hanc conditionem quæ est similiter, sicut in exemplo supradicto latus oppositum angulo recto est duplum ad alterum duorum reliquorum laterum trianguli, hoc est, duorum æqualium laterum virtualiter: & non est duplum dimensionaliter: ergo est duplum, & non duplum. Hic enim deficit contradictio ratione illius conditionis quæ est similiter. Hic enim adduntur propriæ determinationes ad vtramque partem contradictionis ratione significati suarum compositionum: quia aduerbium determinat verbum ratione suæ significationis. Si verò adduntur determinationes propriæ ratione consignificati temporis ad vtramque compositionum oppositorum, sic impeditur contradictio ratione consignificati temporis: & sic paralogismus secundum defectum huius conditionis quæ est in eodem tempore. Et sic contra elenchum inquantum elenchus est, contingit peccare quatuor modis: & ideò non sunt nisi quatuor modi paralogismorum istius fallaciæ.

CAPVT

CAPVT XII.

Vtrum verè oppoſita concludantur in paralogiſmo ſecundum ignorantiam elenchi.

Obiectio. EX dictis oritur quæſtio. Videtur enim, quòd paralogiſmi ſecundum ignorantiam elenchi ſemper concludunt vere oppoſita. Dicit enim Ariſtot. in ſecundo libri perihermenias, & in fine primi priorum, quod ad affirmatiuam de prædicato infinito ſequitur negatiua de prædicato finito: ſicut, hoc eſt non duplum: ergo hoc non eſt duplum. Cum igitur paralogiſmi ignorantiæ elenchi concludant, hoc eſt duplum, & non duplum: concludent & has, eſt duplum, non eſt duplum: & ſic concludunt verè oppoſita: quia ſi poſſunt inferre antecedens, poſſunt etiam inferre conſequens.

Solutio. Sed ad hoc dicendum, quòd non eſt generaliter verum, quòd affirmatiua de prædicato infinito poſſit inferre negatiuam de prædicato finito. In omni enim propoſitione prædicatur aliquod verbum: aut ergo verbum adiectiuum, aut verbum ſubſtantiuum. Si prædicatur verbum adiectiuum, nunquam affirmatiua de prædicato infinito infert negatiuam de prædicato finito, vt patet hic: video non album: ergo non video album: ſemper enim in tali proceſſu eſt fallacia conſequentis. Si autem prædicetur verbum ſubſtantiuum: aut hoc erit præſentis temporis, aut alterius, præteriti ſcilicet, vel futuri. Et ſi prædicetur verbum ſubſtantiuum alterius temporis quam præſentis: tunc nunquam tenet, ſed ſemper eſt fallacia conſequentis, vt hic: fuiſti non albus: ergo non fuiſti albus. Similiter hic: eris non albus: ergo non eris albus. Si autem prædicetur verbum ſubſtantiuum præſentis temporis: tunc conſiderandum eſt in termino ſibi adiuncto: aut enim ille eſt abſoluta ſignificationis, aut reſpectiuæ. Si reſpectiuæ, cuiuſmodi ſunt relatiua: tunc nunquam tenet talis proceſſus, ſed ſemper incidit fallacia conſequentis: vt eſt non ſimile: ergo non eſt ſimile. Vel eſt non duplum: ergo non eſt duplum. Si autem terminus infinitiuus additur verbo ſubſtantiuo præſentis temporis, & ſit abſolutæ ſignificationis, ſic ſemper tenet: & in hoc ſolo modo intelligitur regula inducta, quod affirmatiua de prædicato infinito, infert negatiuam de prædicato finito: vt eſt non homo: ergo non eſt homo.

Obiectio prima. Videtur tamen, quòd iſta duo non poſſunt ſimul ſtare, hoc eſt duplum, & hoc eſt non duplum: quia quando aliquid ſequitur ad aliud, cum quocunque non poteſt ſtare conſequens, cum eodem non poteſt ſtare antecedens: ſed ad iſtam, eſt non duplum, ſequitur, non eſt duplum: quod ſic probatur: quia quando aliquid ſequitur ad aliud appoſita aliqua determinatione vtrobique, aut eadem remota vtrobique, adhuc ſequitur ad illud: ſequitur autem, a. non eſt duplum reſpectu d. ergo non eſt duplum reſpectu b. adhuc ſequitur vnum ad alterum: & ſic habetur propoſitum quod ſequitur, a. eſt non duplum: ergo non eſt duplum: & ſic iſtæ duæ, a. eſt duplum, & a. eſt non duplum, ſimul ſtare non poſſunt: ſicut nec iſtæ, quòd a. eſt duplum, & a. non eſt duplum.

Secunda Adhuc priuata forma à termino abſoluto, ſequitur priuatio eius à quolibet ſubiecto illius termini, vt hic eſt non homo: ergo non eſt iſte homo, nec ille homo, & ſic de aliis: ergo ſimiliter priuata forma termini reſpectiui, ſequitur priuatio eius à quolibet ſuppoſito ad quod ponit reſpectum: & ſic ſequitur, eſt non duplum: ergo non eſt huius vel iſtius vel illius duplum: & ſic vlterius ſequitur, eſt non duplum: ergo eſt nullius duplum: ſed ad hanc, a. eſt nullius duplum, ſequitur hæc: ergo non eſt duplum: ergo à primo ad vltimum ſequi videtur: eſt non duplum: ergo non eſt duplum.

§. Iutio prima. Ad hæc autem dicendum, quòd non ſequitur, a. eſt non duplum: ergo non eſt duplum. Ad hoc autem quod primo obiicitur, dicendum eſt, quòd quando aliquid ſequitur ad aliud cum determinatione vtrobique poſita, ad antecedens ſcilicet & conſequens, quod eadem determinatione remota, adhuc ſequitur ad illud, ſi eadem determinatio eſt omninò antecedentis & conſequentis: ſed hoc non eſt in propoſito: quia cum dicitur in præmiſſa, a. non eſt duplum reſpectu b. hæc determinatio reſpectu b. eſt determinatio propria quæ poteſt inferre: ſequitur enim, a. eſt non duplum reſpectu b. ergo eſt non duplum. In concluſione autem eſt determinatio impropriè: non enim infert ſuum ſimpliciter, quòd non ſequitur, a. non eſt duplum reſpectu b. ergo non eſt duplum: ſed ex ibi fallacia conſequentis.

Solutio ſecunda. Ad id aut èquod obiicitur de priuatione termini abſolutę ſignificationis & termini reſpectiuæ ſignificationis, dicendum quod non eſt ſimile: quia in priuatione termini abſolutæ ſignificationis & termini reſpectiuæ ſignificationis intelligitur actualiter vniuerſalis negatio: quod patet ex hoc quod ſequitur: eſt non homo: ergo non eſt hic homo, vel ille, & ſic de ſingulis: & ratione illius negationis actualiter intellectæ in priuatione ſequitur: eſt non homo: ergo non eſt homo: & non ſequitur ex priuatione niſi per accidens: non enim ſequitur ratione priuationis, ſed ratione negationis intellectæ in priuatione: ſed in term. ipo reſpectiuo non eſt ita: quia illa ſaluatur reſpectu vnius tantum: ſequitur enim: eſt non duplum reſpectu b. ergo eſt non duplum: & ideo priuatio illius (cum non intelligatur in illa vniuerſalis negatio) non poteſt inferre negatiuam: ſicut bene ſequitur, a. eſt non duplum: ergo a. non eſt duplum.

Hanc fallaciam violentiam facientes poſuerunt eſſe extra fallacias extra dictionem, & inter fallacias in dictione: propter duas rationes, ſcilicet quia peccat contra dictionem, ſicut fallaciæ in dictione: fit enim fallacia in dictione: eo quod eiſdem nominibus vel orationibus non idem ſignificamus: ad contradictionem autem requiritur identitas nominis & identitas rei. Et iterum quia contradictio orationum eſt affirmatiuæ & negatiuæ: & ideo dicebant hanc fallaciam eſſe fallaciam in dictione.

CAPVT

CAPVT XIII.

De præambulis ad cognoſcendum fallaciam ſecundum petitionem principij.

DE fallacia ſecundũ petitionem eius quod eſt in principio, in primis notandum eſt, quòd principium prout hic ſumitur, eſt præmiſſa in ſyllogiſmo dialectico. Idem autem quod eſt in principio ſecundum cauſam materialem & efficientem, aliquo modo eſt concluſio. Sicut aute.n in antehabitis huius logicæ habitum eſt, nam concluſio materialiter conſicitur ex maiori extremitate quæ eſt prædicatum maioris propoſitionis, & ex minori extremitate quæ eſt ſubiectum minoris propoſitionis. Et ſic materialiter concluſio eſt in principiis ſyllogiſmi concluſioni præmiſſis. Et hoc modo quando concluſio probanda petitur vt per ſe neceſſarium ex præmiſſis, tunc petitur id quod eſt ex principio: quia præpoſitio ex notat cauſam materialem moram per cauſam efficientem: & hoc modo Ariſtot. ſæpe vocat hanc fallaciam petitionem eius quod eſt ex principio. Quia autem hæc præpoſitio, in, notat continentiam, & cauſatum continetur intra ſuam cauſam, & principiatum continetur intra ſuum principium, & non è conuerſo, & medium coniungens extrema per ſuam mediationem eſt efficiens cauſa quare extrema coniungantur in concluſione: ideo quando concluſio petitur in præmiſſis vt principia ſunt concluſionis, tunc concluſio vt in cauſa petitur in præmiſſis: & ideò ſecundum hanc rationem vocatur tunc hæc fallacia petitio eius quòd eſt in principio: & ſic hæc duo nomina, ſcilicet quod vocatur petitio eius quod eſt in principio, & petitio cuius quod eſt ex principio ſecundum Ariſt. Adhuc autem dicitur petitio principij.

Idem poteſt peti dupliciter. Poteſt autem peti idem duobus modis: aut enim eſt idem nomine & re, ſiue tranſlatione ad alterum re vel nomine, vt ſi ſic arguatur: aliquis homo currit: ergo homo currit. Et tunc inter inferens & illatum & probans & probatũ nulla eſt diuerſitas: & talis modus arguendi non cadit in arte: & hæc propriè vocatur petitio principij, & non eius quod eſt ex principio, vel eius quòd eſt in principio, & nulla eſt fallacia: & ideò non vocatur hæc fallacia ab Ariſt. petitio principij: quia præpoſitio in vel ex aliquam notat diuerſitatem: nulla enim poteſt dari cauſa apparentiæ & cauſa non exiſtentiæ in tali argumento: ideò propriè loquendo hæc fallacia petitio principij non poteſt appellari: ſed dicitur petitio eius quod eſt in principio, vel petitio eius quod eſt ex principio. Cauſa igitur apparentiæ in hac fallacia, eſt apparens diuerſitas concluſionis & præmiſſæ alicuius. Cauſa autem non exiſtentiæ eſt omnimoda ſecundum rem identitas concluſionis ad præmiſſam. Deficiente aut altero iſtorum deficit à ratione fallaciæ.

Cauſa apparentiæ in hac fallacia & cauſa non exiſtentiæ.

Adhuc autem notandum, quòd ſyllogiſmus inferens, tantum poteſt inferre idem ex eodem, & non peccabit nec in figura nec in modo, vt hic: omnis homo currit: omne animal rationale mortale eſt homo: ergo omne animal rationale mortale currit. Et ideo hæc fallacia contra ſyllogiſmum inferentem non peccat. Sed in ſyllogiſmo probante qui eſt ſyllogiſmus contractus ad materiam dialecticam vel demonſtratiuam, exigitur, quod aliud ſit probans & notius, & aliud probatum & ignotius. In petitione autem eius quod eſt in princip.o, petitur probandũ in probante vt in ipſo acceptum vt idem ipſi: & ideo hæc fallacia peccat contra ſyllogiſmum probantem ad propoſitum.

Quæ ſit petitio principij ſecundum veritatem. Adhuc notandum, quòd eſt petitio principij ſecundum veritatem, & eſt petitio principij ſecundum opinionem. Secundum veritatem eſt petitio principij quando aliquid probandum & non per ſe notum petitur in eo quod eſt per ſe accipiendum & per ſe notum, ſicut quando primo probatur cauſa per effectum: effectus enim non eſt per ſe notum, ſed per aliud probandum: & cauſa eſt probans & nota per ſeipſam: & poſtea effectus probatur per cauſam: tunc enim ſecundum veritatem effectus probatur per effectum: quia quod eſt probans principium, eſt probans principiatum: & quod eſt principium principij, eſt principiũ principiati: & tunc in tali proceſſu eſt petitio principij ſecundum veritatem: cauſa enim non probatur per effectum, niſi fortè demonſtratione quia, & non quid, & propter quid: & hoc eſt vt ſi dicam: luna eſt in capite vel cauda draconis: & interponitur terra: ergo luna deficit: & tunc eſt petitio principij ſecundum veritatem: quia idem probatur per idem ſecundum veritatem.

Quæ ſit petitio principij ſecundum opinionem. Secundum autem opinionem petitio principij eſt, quando id quod non eſt natum oſtendi per ſe, oſtenditur per idem, quia æſtimatur eſſe aliud propter intentionem aliam quã habet in qua æſtimatur notius eſſe & probabilius illo: ſicut effectus in cauſa acceptus, probabilior æſtimatur quam in ſeipſo: & cauſa in effectu accepta, aliquando probabilior eſt quam in ſe, ſecundum viam ſenſus ad minus: & ſic cauſa oſtenſa per effectum, oſtendit effectum, & per conſequens oſtenditur effectus per ſeipſum: & hoc quidem ſi ſit in intentionibus diuerſis (in quibus oſtendens & oſtenſum, probabilius & minus probabile) nullum peccatum eſt in operatis: quia diuerſis viis ſecundum intellectum & ſecundum ſenſum nihil prohibet vtrumque, ſcilicet oſtendens & oſtenſum, probabilius & minus probabile eſſe reliquo. Propter quod omnes fere loci dialectici circulares ſunt. Eſſet tamen hoc peccatum in demonſtratiuis: quia demõſtrationes non ſunt circulares.

De petitione ergo eius quod eſt in principio vel eius quod eſt ex principio intenditur hic ſecundum quod eſt in opinione, & peccat contra ſyllogiſmum dialecticum: ſed petere principium ſecundum quod præmiſſa principium dicitur, nullum ſit peccatum, quum in dialecticis vnum poſſit probari per alterum, & è conuerſo, ita quod totus ſaluatur ſyllogiſmus dialecticus. Fit tamen hic peccatum contra ſyllogiſmum dialecticum, ſecundum quod in eadem via intellectus vel ſenſus id quod probandum

bandum est, petitur sine probatione in eo quod assumitur ad probationem eius quod est probandum: quia si secundum diuersas vias hoc fieret, nullum penitus esset peccatum contra syllogismum dialecticum.

Petitio eius quod in principio, dupliciter considerari potest, secundum quod de ea agitur in duabus partibus logicæ.

Vnde petitio eius quod est in principio, in duplici est intentione, in intentione scilicet virij vel defectus canēdi in dialecticis; & quoad hoc in fine octaui topicorum dictum est de ipso. Est etiam ex apparentia eiusdem quod videtur diuersum in intentione loci decipiendi & sophistici: & sic determinatur de ipso hic.

CAPVT XIV.

De modis paralogismorum secundum quod petitur id quod erat in principio.

Qui autem in eo quod idem in principio erat, &c.

His autem sic prænotatis non difficile determinare de fallacia secundum petitionem eius quod est in principio: paralogismi enim qui fiunt in eo quod sumitur sine probatione, siue petitur id quod in principio erat, fiunt quidem sic quoad modum formationis quoties contingit petere id quod est in principio. Hoc autem in fine octaui topicorum iam determinatum est. Fit enim quinque modis.

Primus modus.

Primus quidem modus est, quando diffinitum petitur in diffinitione, vel è conuerso. Vt si quæratur, vtrum homo currit, & sumatur hoc, animal rationale mortale currit, & inferatur, ergo homo currit. Dubitatur enim de inhærentia prædicati in subiecto, & æquè ignotum est vtrum inhæret prædicatum diffinito, vel diffinitioni, & neutrum natum est notificari per alterum: quia non differt nisi per implicitum & expliçitum: & sic vnum petitur in altero.

Secundus modus.

Secundus autem modus est, quando particulare petitur in vniuersali actualiter distributo pro partibus: quia sic vniuersali sumpto particulare actualiter petitur & sumitur in illo. Vt si quæratur, vtrum omnium contrariorum eadem est disciplina, quod est particulare vnū in genere oppositorum contentum, & sumatur ad probandum, quòd omnium oppositorum eadem est disciplina: hoc enim idem quod concluditur, petitur in præmissis: quia ex quo vniuersale actu pro particularibus distributum est, vniuersale non est extra particulare, & particulare est in vniuersali.

Tertius modus.

Tertius modus est conuersus istius, quando vniuersale petitur in particulari. Vt si quæratur, vtrum omnium oppositorum est eadem disciplina, & sumatur ad probandum sic: omnium contrariorum est eadem disciplina, & omnium priuatiuè oppositorum est eadem disciplina, & omnium contradictoriorum est eadem disciplina, & omnium relatiuè oppositorum est eadem disciplina. Sicut enim in vniuersali actualiter distributo petitur particulare, sic in omnibus partibus petitur vniuersale actualiter distributum in ista.

Quartus modus.

Quartus autem modus est, quando coniunctum petitur in diuisis, quod non ratione coniunctionis, sed ratione coniunctorum est in illis. Vt si quæratur, vtrum medicina est scientia sani & ægri, & petatur, quòd medicina est scientia sani: & medicina est scientia ægri: ergo medicina est scientia sani & ægri. Nihil enim aliud est medicinam esse scientiam sani, & medicinam esse scientiam ægri, quam medicinam esse scientiam sani & ægri.

Quintus modus.

Quintus modus est, quando vnum correlatiuorum petitur in altero, non vt terminus ad quem finitur relatio, sed vt ratio qua vtrumque est in altero per intellectum. Sicut si quæratur, vtrum Sortes sit pater Platonis, & sumatur ad probandum, quòd Plato est filius Sortis, ergo Sortes est pater Platonis. Horum enim vnum non est natum probari per reliquum. Omnes autem inducti paralogismi causam habent apparentiæ per quam videntur probante syllogismo aliquid arguere: quamuis non arguant: quia videntur diuersum assumere, quod idem est: & non arguunt: quia idem est quod videtur esse diuersum: vnde ex hoc in probante syllogismo deficiunt, quod non possunt inspicere quid in probante & in probato sit idem & diuersum.

Sufficientia modorum huius fallaciæ.

Sumitur autem numerus istorum modorum sic: quia petitio eius quod est in principio secundum opinionem respondentis, sumitur, aut sine associatione sui cum altero, aut cum associatione sui ad alterum. Si primo modo: aut accipitur in seipso, aut in suis partibus. Si in seipso petitur: aut manet idem nomine & re, aut manet idem re & non nomine. Si petitum manet idem re & nomine, sic est primus modus. Si autem petitur cum associatione ad alterum, sic est secundus modus: quod enim deberet ostendi particulariter, petitur vniuersaliter secundum opinionem respondentis. Si autem petitum petatur in se, non in suis partibus: tunc petitum, aut habet partes coniunctas per copulationem, & sic est quartus modus. Si autem petatur in partibus distributis, sic est tertius modus. Si autem petatur non manens in eodem nomine, sic est quintus modus: quia tunc petitur in eodem quod ad conuertentiam dicitur cum ipso, & facile est huiusmodi accipere.

Remouet dubium.

Sciendum autem, quòd ad hoc quod petatur id quod est in principio, oportet quod conclusio secundum se totam petatur in suis præmissis, vel altera præmissarum. Cum autem nullum totum secundum se totum sit in aliqua partium suarum, ideo licet pars subiectiua inferat suum totum, tamen totum peti non potest in parte subiectiua: & ideò nullus modus petitionis eius quod est in principio, sumitur penes modum illum.

Sciendum etiam, quòd duo modi qui accepti sunt iuxta totum distributum in suas partes quando totum petitur in partibus, vel è conuerso partes in toto, intelliguntur de toto quod in partes distribuitur, & de toto in quo partes copulantur, sicut est in modo quarto.

Sciendum etiam, quòd in eodem argumento cadunt locus sophisticus, qui est petitio eius quod est in principio, & locus dialecticus: contingit

contingit enim, quòd quantum ad opponentem notius sit maiorem extremitatem dici de medio quam de minori extremitate: & hoc modo opponenti notior est præmissa quam conclusio. Contingit etiam, quòd in eodem argumento quoad respondentem notior sit conclusio, quam præmissa: & sic quantum ad respondentem petitur id quod est in principio, & quantum ad opponentem est bonus syllogismus dialecticus. Vnde semper considerandum est vtrum maior extremitas notior sit de medio, quam de minori, vel è conuerso: si enim notior sit de medio, semper est bonus syllogismus dialecticus. Si autem notior sit de minori extremitate quam de medio, semper est petitio eius quod est in principio.

CAPVT XV.

De præambulis ad intelligendum fallaciam consequentis.

Antecedens quid.

Ad intelligendum ea quæ de fallacia consequentis dicenda sunt, sciendum primo quid sit antecedens & quid consequens, & quæ & quot sint consequentiæ. Dicamus igitur, quòd antecedens est, quo posito vel necessariò vel probabiliter infertur consequens ex ipso. Necessariò quidem, quando consequens intellectu & actu est in antecedente secundum primum modum dicendi per se, secundum vel quartum. Vt si homo est, animal est: in isto antecedente, homo est, hoc consequens, animal est, actu & intellectu est, quod est diffinitionum ipsius. Secundus autem modus dicendi per se, sicut si dicatur: si linea est, recta est vel curua: linea enim est diffinitiua eius quod est rectum vel curuum. Vel sic: si numerus est, par vel impar est: numerus enim est in diffinitione paris & imparis. Secundum quartum autem modum, sicut si dicam: si animal decollatum est, interiit propter decollationem: & generaliter inter propriam causam & suum effectum. Probabiliter autem, quando positis adiunctis alicuius infertur hoc cui adiuncta sunt illa ex ipso, vt si comptus vel pollutus est, adulter est. Vel si loquitur cum diuite pauper, petit aliquid ab illo. Vel ambo amici, si eiusdem ambo inimici, vel aliquid huiusmodi quæ perspicere est solertiæ.

Consequitia antecedentis ad consequens & è conuerso, multiplex est.

Consequens autem est id quod sic infertur ex antecedente. Consequentia autem vel argumentatio extrahitur ab habitudine antecedentis ad consequens, & è conuerso ab habitudine consequentis ad antecedens: & hæc multiformis est. Est enim secundum primam diuisionem simplex & composita. Simplex, quando ex simplici antecedente infertur simplex consequens, vt si sic dicam: si homo est, animal est. Composita est, quando ex vna consequentia infertur alia, & hæc est inter opposita. Et est duplex. Vna quidem quando ex antecedente infertur consequens, & ex opposito antecedentis infertur oppositum consequentis: & hæc est inter contraria. Vt si iustitia est virtus, iniustitia est vitium. Et si fortitudo virtus vel laudabilis, timiditas est vitium vel vituperabilis. Et hæc vocatur consequentia in ipso: quia in ipsis terminis est, & ordine terminorum eodem. Alia autem est, quando ex antecedente sequitur consequens, & ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis: & hæc est inter opposita contradictorie sic: vt si homo est animal, non animal est non homo. Et huius causa est: quia consequens negatum est pars subiectiua antecedentis negati, sicut antecedens affirmatum est pars subiectiua consequentis affirmati: non animal enim pars est non hominis: & ideò sicut antecedes affirmatum infert consequens, ita è conuerso consequens negatum infert antecedens negatum: & vtraque istarum vocatur consequentia ex contrario vel antecedentis vel consequentis.

Consequentia in ipso.

Consequentia in contrario.

Alia diuisio consequitiæ secundum Boët.

Est autem alia diuisio consequentiæ quam innuit Boëtius in suis topicis, hanc scilicet, quòd consequentia alia est necessaria & non probabilis, vt in demonstrationis: alia est probabilis & non necessaria, vt in dialecticis: alia necessaria & probabilis, sed non per idem medium: alia est nec necessaria nec probabilis, sed tantum suspicionem faciens, vt in rhetoricis & poëticis.

Quomodo consequens capitur communiter in fallacia consequentis.

Et sicut consequentia communiter dicitur de omnibus huiusmodi consequentiis, ita consequens (prout dicitur fallacia consequentis quæ peccat contra consequentiam) communiter dicitur ad omne huiusmodi consequens, & à quo non conuertitur consequentia. Propter quod in omni fallacia consequentis necessariò sunt duæ consequentiæ. Vna quidem consequentis ad antecedens, & altera conuersa istius antecedentis scilicet ad consequens, quæ aliquando est vera, & aliquando fallit. Et quia in illa semper incidit defectus, ideò dicitur hæc fallacia consequentis & non antecedentis. Si enim sit consequentia simplex, non fallit in antecedente inferendo consequens, sed fallit in consequente ex quo creditur inferri antecedens. Vt si homo est, animal est: hæc consequentia non fallit, sed conuersa illius fallit, si inferatur, ergo si animal est, homo est. Si autem sit consequentia composita è contrario, tunc antecedens efficitur consequens, & tunc iterum fallit illud quod fuit antecedens, sed per negationem factum est consequens. Vt si dicatur, si homo est, animal est: ergo si non homo est, non animal est. Ibi enim procedit ur à destructione antecedentis quod per negationem factum est consequens: & ideò præcipuè incidit hæc fallacia dum aut proceditur à destructione antecedentis, aut à positione consequentis: non enim minus commune à magis communi infertur, cum tantum potentia & non actu sit in ipso: sed magis commune infertur ex minus communi, eò quod actu est in ipso.

Quare vocatur fallacia consequentis & non antecedentis.

Obiectio.

Si autem aliquis dicat, quòd etiam ex pari infertur, & è conuerso. Dicendum, quòd hoc verum est: sed ista consequentia est bona, & non inducit fallaciam. Vnde patet quare hæc fallacia dicatur fallacia consequentis & non

Solutio.

antecedentis. Causa autem apparentiæ in hac fallacia est identitas antecedentis cum consequente, quod vel necessariò vel probabiliter vel suspicabiliter est in ipso: ex qua creditur, quod sicut consequens infertur ex antecedente, ita è conuerso consequens inferat antecedens. Causa verò defectus siue non existentiæ est diuersitas consequentis ab antecedente in quo non est antecedens, nisi in potentia: & ideò non potest inferri ex ipso.

CAPVT XVI.

De fallacia consequentis & modis eius.

Qui verò secundum consequens est elenchus, &c.

His ita prælibatis de fallacia secundum consequens, dicimus quòd ille apparens elenchus qui est secundum consequens generaliter, quantum ad causam apparentiæ fit, eò quod respondentes putant conuerti consequentiam consequentis ad antecedens, quæ vera consequentia est, in eam quæ est antecedentis ad consequens. Quod fallit frequenter: nam cum hoc antecedens, scilicet verum (quod infert consequens ex necessitate consequentiæ positionis vel rei) illud sit quod est consequens ad ipsum: & ideo cum illud fit, scilicet consequens, putant ipsi respondentes & alterum quod est antecedens esse ex necessitate consequentiæ antecedentis ad consequens: & hoc non est necessarium: non enim generaliter verum est, quòd si posito antecedente ponitur consequens, quod etiam è conuerso posito consequente ponatur antecedens. Vnde etiam ex hoc causa sumitur, quòd ex sensu, hoc est, sensibilibus accidentibus communibus non propriis acceptis per sensum fiunt fallaciæ, siue deceptiones fiunt circa opinionem componentem accidens circa subiectum.

Sæpè enim fel, &c.

Tales enim sæpè suspicati siue opinati sunt mel esse fel, communia melli & felli accipiendo, æstimantes quòd sicut ad subiectum sequitur commune accidens siue prædicatum, ita è conuerso ad commune prædicatum sequitur subiectum. Si enim est mel, est rubeum, hoc est, aliquid rubeum. Et putauerunt è conuerso sequi: si est rubeum, est mel. Sed inferebant: sed fel est rubeum: ergo fel est mel. Hæc deceptio fit ideò: quia rubeus color & prædicatum commune, sequitur mel vt antecedens & subiectum. Et formatur sic paralogismus: si mel est, rubeum est: sed hoc sicut mel est rubeum, demonstrato felle: ergo fel est mel.

Et quoniam accidit terram, &c.

Et hoc est in naturalibus eodem modo: quia quoniam accidit generali consequentia per pluuiam terram madidam fieri, putant è conuerso sequi, quòd si terra madida sit, pluisse sit: & hoc non est necessarium: quia ex alia causa potest esse madida: vnde consequens non de necessitate infert antecedens. Et potest sic formari paralogismus: si terra est madida, depluta est: sed perfusa aqua terra, est madida: ergo est depluta. In vtroque enim istorum paralogismorum est fallacia consequentis, à positione consequentis: & vterque istorum fiunt in consequentia materiæ necessariæ.

Et in rhetoricis, &c.

Similiter autem in materia in quam consequentia conuersa non est necessaria, sed probabilis vel suspicabilis tantum, sicut in rhetoricis demonstrationes (hoc est, probationes siue ostensiones) quæ sunt secundum signa communia non propria: fiunt enim ex adiunctis prædicatis alicui subiecto, quæ dicuntur à Tullio communiter accidentia: volentes enim ipsi rhetores ostendere siue probare, quoniam aliquis est adulter, illud prædicatum commune quod communiter adiunctum est adultero, siue communiter accidens est adultero, accipiunt, vt quoniam compositus est & ornatus & comptus, & sæpè respicit ad vxorem alterius: aut quoniam in nocte videtur errabundus, ex quo suspicio generatur, quòd sit adulter & latro. Hæc autem accidentia communia pluribus subiectis quam soli adultero insunt siue accidunt, quibus non inest prædicatum conuersæ consequentiæ, quod est adulterum esse: & ideò hoc prædicatum non de necessitate infertur ex illo. Et potest sic formari paralogismus: si aliquis est adulter, ipse est comptus & politus: sed iste est comptus & politus: ergo est adulter. Vel sic: si aliquis est fur, iste est errabundus de nocte: sed iste est errabundus de nocte: ergo est fur. Sciendum, quòd in his talibus, sicut dicit Boëtius, locus ab adiunctis siue communiter accidentibus, quando adiuncta accipiuntur propria, quia ista sunt signa & icotæ, concludit in prima figura, vt hic: quæcunque habet lac in mammillis absque confricatione mammillarum cum sale & vrtica, peperit: hæc sic habet lac in mammillis: ergo peperit. Dico autem absque confricatione mammillarum: quia dicit Aristot: quòd si virgini vel etiam viro habenti mammillas magnas cum sale vel vrtica confricentur mammillæ, lac habebit in mammillis: sed tenue erit & modicum & non sufficiens ad locandum. Si autem sint signa & adiuncta in secunda figura quæ communia sunt prædicata, vt esse pallidam, & adiunctum ad ea quæ peperit, vt dicit Aristot. in fine secundi priorum, & solum accipiatur vnum tale accidens vel adiunctum: tunc prædicatum communius erit, quam quod possit inferre subiectum: & tunc erit fallacia consequentis. Et ideo si debeat esse locus à communiter accidentibus: tunc oportet, quòd tale adiunctum accipiatur cum circunstantiis personæ: quia cum multis talibus acceptum erit proprium, & inferet subiectum, quod solum vnum adiunctum inferre non poterit: quia in his verum est, quòd de diffinientibus & diffinitione dicit Aristot. quòd scilicet partes sunt in plus, & totum in æquè: & sic arguitur in rhetoricis & in physiognomicis, & aliis scientiis demonstratiuis, sicut in astronomia, & in aliis in quibus ex signis demonstratur.

Sciendum etiam, quòd tales consequentiæ non sunt necessariæ secundum necessitatem antecedentis & consequentis: quamuis satis necessariæ sint ad faciendam æstimationem iudicio vel suspicioni: & hoc vocatur

hic

hic consequentiæ necessitas: quia, sicut dicit Boëtius generaliter loquens de omni argumento, argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem, fidem vocans quamcunque creditatem.

Similiter autem & in syllogisticis, &c.

Similiter autem alius modus istius fallaciæ est etiam in syllogisticis, quæ simpliciter syllogistica sunt & syllogistice concluduntur, sicut Melissi ratio se habet, qua mundum probat esse ingeneratum & durationè infinitum, siue qua probat ipsum vniuersum siue mundum dici infinitum, sumens probans vniuersum esse ingenitum, hoc est, non generatum, & per consequens esse æternum, siue infinitum secundum durationem: non enim ponit creationem: quia ponit ex nihilo nihil fieri: sed quæcunque fiunt, ponit fieri per generationem ex principio materiali: omne enim quod factum est, ponit factum esse ex principio materiali, quo indiget ad hoc quod sit aliquid. Et arguit sic: si aliquid factum est, habet principium: vniuersum siue mundus non est factus; ergo non habet principium. Et potest sic formari paralogismus: omne quod factum est, habet principium: mundus non est factus: ergo non habet principium. Et est à destructione antecedentis, & hoc non est ex necessitate accidere: non enim necessarium est secundum consequentiam, quòd si omne quod factum est, habet materiale principium, etiam è conuerso quicquid habet materiale principium, & ipsum sit factum. Et est instantia huius consequentiæ velut si febris in febricitante est, calor est: & tamen non necesse est, quòd si aliquis calidus est, febriat siue febricitet.

Obiectio. Videtur tamen hoc non esse ad propositum: cum enim secundum Melissi rationem debeat ostendi, quod hæc consequentia non valet, mundus non est factus, ergo non habet principium: manifestatur istam non valere, mundus habet principium, ergo est factus. *Solutio.* Huius autem duplex est ratio, quod scilicet peccatum consequentiæ Melissi non manifestatur in se, sed in consequentia quæ antecedit Melissi consequentiam. Vna quidem: quia eadem est bonitas, & idem peccatum alicuius consequentiæ siue argumenti & sui conuersiui: & vt hoc ostendatur, manifestatur malitia consequentiæ Melissi in sua conuersa. Secunda autem ratio est, quòd hoc fit vt innuatur, quod idem modus in substantia est arguendo à positione consequentis & à destructione antecedentis.

Ex his quæ dicta sunt, patet tres esse modos fallaciæ consequentis. *Primus modus.* Primus modus est cum conuertitur consequentia secundum habitudines locales facta. Vt si est homo, est animal: ergo si est animal, est homo. Et est à positione consequentis. Similiter autem & hic: si non est animal, non est homo: ergo si non est homo, non est animal: hæc enim consequentia etiam est à positione consequentis. Similiter & hic: si est mel, est rubeum: ergo si est rubeum, est mel: sed fel est rubeum: ergo fel est mel. Similiter hic: si pluit, terra est madida: ergo si terra est madida, pluit. In omnibus enim his putatur consequentia conuerti quæ non conuertitur: & ideò incidit peccatum secundum consequens.

Secundus modus. Secundus modus est, quando putatur consequentia conuerti propter adiuncta siue circunstantias inhærentes alicui per se: & hoc præcipuè fit in rhetoricis. Vt si est adulter, est comptus. Vel si est latro, est errabundus de nocte. Ergo si est comptus, est adulter. Vel si est errabundus de nocte, est latrò. Hæc enim est fallacia consequentis: quia hæc consequentia bona est: si est adulter, est comptus: quia adulter habet aliquam de circunstantiis adulterorum: sed non sequitur è conuerso: quia non est necesse si habet aliquam de circunstantiis adulteri, quod sit adulter: sicut bene sequitur, si est homo, est coloratus: sed non sequitur è conuerso, si est coloratus, quòd sit homo. Similiter hic, si aliquis furatus est aliquid, non est illud lucratus nec accommodauit: ergo si non est lucratus nec accommodauit, furatus est.

Tertius modus. Tertius modus est, quando quis putat consequentiam conuerti secundum oppositiones factam, vt est in argumentatione Melissi: vt si est factum, habet principium suæ durationis (& intelligitur de facto per generationem vel artis factionem) ergo si non est factum per generationem vel artem, non habet principium: sed mundus non est factus. ergo mundus non habet principium: ergo mundus est infinitus durationè, hoc est, ab æterno. Melissus enim peccabat secundum consequens in prima illatione: hæc enim consequentia recta est: si est factum, habet principium: quia omne generatum natura vel arte, habet principium materiale: quia ex nihilo nihil fit. Sed non sequitur, si non est factum, non habet principium: quia fit argumentum à destructione antecedentis, & ponit consequentiam in ipso in contradictorie oppositis: cum in talibus semper sit ponenda consequentia è contrario. Vt si est factum, habet principium: ergo si non habet principium, non est factum. Hæc est consequentia bona.

Vbicunque est fallacia consequētiæ, ibi sunt duæ consequentiæ. Et ex prædictis patet quod paulo ante dictum est, quòd vbicunque est consequens, semper est duplex consequentia: quia de substantia cuiuslibet paralogismi est principium motiuum & principium defectus in omnibus fallaciis, tam in dictione, quam extra dictionem. Cum igitur in fallacia consequentis recta consequentia sit principium motiuum suæ apparentiæ, fallacia autem sit principium defectus siue principium non existentiæ, oportet duplicem esse consequentiam vbicunque est fallacia consequentis, scilicet illam quæ conuertitur, & illam in quam conuertitur. Vnde patet, quòd in talibus argumentis: animal currit: ergo homo currit. Homo currit: ergo Sortes currit. Non est sophisma consequentis, sed antecedentis.

Quod duo tantum sint modi huius fallaciæ secundùm quos fit. Dicunt tamen quidam, quòd duo sunt modi paralogizandi in fallacia consequentis: fit enim hæc fallacia cum putamus consequentiam conuerti quæ non conuertitur: sed super eosdem terminos non fit nisi tribus modis: aut enim vtraque consequentia est necessaria, aut altera tantum, aut neutra. Si vtra-

D. Alb. Mag. Logica.

que sit necessaria, tunc nulla est deceptio. Si autem vna sit necessaria & altera non, tamen respondens videt vnam consequentiam esse necessariam & credit etiam conuersam illius esse necessariam: tunc decipitur & est primus modus consequentis à positione consequentis. Si autem neutra sit necessaria, tunc accipit vnam esse probabilem, & credit propter hoc suam conuersam esse probabilem: tunc decipitur, & fit secundus modus: sicut fit etiam in argumentis rhetoricis: & sic sunt duo modi fallaciæ consequentis.

Obiectio. Et si quæratur, quare non fiunt diuersi modi penes positionem consequentis, & destructionem antecedentis? Dicunt isti, quòd hi duo modi sunt vnus modus in substantia, modo tantum differentes, vt dictum est in habitis.

Solutio.

CAPVT XVII.

De præambulis ad fallaciam secundum non causam vt causam intelligendam.

Syllogismus dupliciter ostensiuus & impossibile.

AD intelligendum autem ea quæ de fallacia secundum non causam vt causam dicenda sunt, sciendum est, quòd duplex est syllogismus, vt in prioribus dictum est: est enim quidam syllogismus ostensiuus, qui habet conclusionem vnicam ex duabus propositionibus & tribus terminis syllogizatam. vt omnis homo est animal: Sortes est homo: ergo Sortes est animal. Syllogismus autem ad impossibile est, qui concluſum aliquid ostensiuè reducit syllogisticè ad aliquid impossibile manifestum: & propter hoc interimitur altera præmissarum quæcunque est illa quæ est causa illius impossibilis quod concluſum est: & propter hoc iste syllogismus semper habet duas conclusiones. Vt si quæratur, si homo est asinus? Et si concedatur, quòd sit asinus: syllogizetur in contrarium sic: nullus asinus est animal rationale mortale: homo est asinus: ergo homo non est animal rationale mortale. Sed hoc est falsum: ergo homo non est asinus. Et sic interempta est hæc præmissa, homo est asinus. Hic enim syllogismus est in quarto primæ figuræ. Vnde sciendum, quòd fallacia secundum non causam vt causam semper fit in syllogismo ad impossibile: fallacia enim secundum non causam vt causam fit, quando non causa vt causa ponitur: propterea videtur sequi impossibile, cum non propter ipsam sequatur, sed etiam præter ipsam nihilominus accidit idem impossibile. Cuius exemplum est, vt si quæratur, an Brunellus vel quidam asinus sit homo: & si concedatur, quòd quidam asinus sit homo, arguitur in contrarium sic: nullus asinus est animal rationale mortale: homo est asinus: quidam asinus est homo, vel Brunellus est homo: ergo homo non est animal rationale mortale. Sed hoc est impossibile: ergo & hoc, Brunellus vel quidam asinus non est homo. In tali enim argumentatione est non causa vt causa: quia interimitur hæc quæ videtur esse causa impossibilis illius, quod sequebatur, & non est causa eius, hæc scilicet, Brunellus siue quidam asinus est homo: sine ipsa enim ex aliis positis sequitur impossibile: & erit syllogismus in quarto primæ, vt dictum est.

Obiectio. Cum autem secundum Aristot. in octauo topi. quædam sit oratio falsa, eò quod ex ipsa nulla penitus sequitur conclusio, quæ secundum ipsum ibidem est syllogismus apparens: alia est oratio falsa, in qua aliqua sequitur conclusio, sed non ad propositum, quæ accidit in syllogismis ad impossibile: & sic videtur, quòd omnes modi apparentium syllogismorum, cadant sub modo primo figuræ dictionis, & soli paralogismi illius fallaciæ qui accidit in syllogismis ad impossibile, cadunt sub secundo modo figuræ dictionis: & sic videtur, quòd paralogismi istius fallaciæ non sunt syllogismi apparentes, & per consequens, quòd non causa vt causa non sit fallacia, cum causam apparentiæ non habeat.

Solutio. Sed dicendum est ad hoc, quòd pro certo non causa vt causa est fallacia, & syllogismus apparens qui fit secundum ipsam. Dicitur enim syllogismus apparens dupliciter, scilicet specialiter, & generaliter. Specialiter dicitur syllogismus apparens, qui peccat contra consequentiam syllogismi ostensiui: quia hoc modo prima oratio dicitur falsa in 8. topi. & hoc modo oratio falsa non comprehendit sub se syllogismos apparentes: non enim comprehendit paralogismos secundum petitionem principij, nec etiam paralogismos fallaciæ secundum non causam vt causam: eò quod peccant contra quamcunque consequentiam siue cuiuscunque syllogismi ostensiui. Generaliter autem dicitur syllogismus apparens, qui peccat contra quamcunque consequentiam siue cuiuscunque syllogismi consequentiam: & hoc modo syllogismus apparens comprehendit sub se paralogismos omnium fallaciarum, tam in dictione, quam extra dictionem: omnes enim peccant contra aliquam alicuius syllogismi consequentiam: & hoc modo paralogismi huius loci sunt syllogismi apparentes. Peccat autem hæc fallacia contra syllogismum dialecticum: quamuis enim syllogismus ostensiuus sit propriè de vsu dialectici ad concludendum ex probabilibus suum propositum, cum & syllogismus ad impossibile in casu sit de vsu dialectici, quando scilicet ex dictis à respondente potest concludere aliquod manifestè falsum, cuius falsitati non potest obiicere respondens, & sic contra syllogismum dialecticum in tali casu, de vsu dialectici existentem, peccat hæc fallacia.

Adhuc autem notandum, quòd causa vniuersalis decipiendi in hac fallacia secundum Aristot. est, cum assumitur illud quod causa consequentiæ non est, velut propter illud, sicut propter consequentiæ causam fiat redargutio quæ causa deceptionis in omnibus est locis sophisticis siue fallacijs. In omnibus enim præmissæ videntur esse causæ redargutionis, & tamen non sunt causæ.

Quomodo non causa vt causa capiatur dupliciter. & secundum modum est in omnibus fallacijs.

Sed sciendum, quòd dupliciter est accipere non causam vt causam. Vno quidem modo, quòd ipsa ablata & aliis adhuc remanentibus sequitur conclusio: & sic dicitur in hac fallacia

non

non causa vt causa. Alio autem modo generaliter dicitur non causa, ex qua non sequitur conclusio, licet sequi videatur: & sic non causa sumpta vt causa conclusionis est in omnibus fallaciis: si enim sic arguitur: omnis canis est latrabile: marinum est canis: ergo marinum est latrabile. Neutra istarum propositionum est causa conclusionis: verumtamen altera istarum ablata, adhuc ex aliis residuis eadem sequitur conclusio.

Quod ista fallacia non possit accidere in syllogismis ostensiuis.

Sciendum, quòd fallacia ista siue locus iste sophisticus non potest accidere in syllogismis ostensiuis, nec peccat contra syllogismum ostensiuum, sed solum contra syllogismum ad impossibile, vt dicit Aristot. in secundo priorum: quia idem est non propter hoc accidere falsum, & esse non causam vt causam. Ad hoc autem intelligendum distinguendum est: quia si accipiatur propositio quæ non est causa conclusionis cum propositionibus quæ sunt causæ conclusionis eiusdem quantum ad illationem ipsius: aut communicabit illa propositio cum præmissis quæ sunt causæ, in aliquo termino: aut non communicabit cum eis in aliquo termino. Si non communicabit cum eis in aliquo termino: tunc non erit fallacia & locus sophisticus: quia defuit apparens: quia quamuis illa propositio sit non causa, non tamen est non causa vt causa: quia cum nullo est ea quæ sit causa: & de tali dicitur in secundo priorum, quòd est manifestior modus syllogismum accidere non propter hoc. Cuius exemplum positum in secundo priorum est, vt si debeat ostendi hæc, diameter est costæ asimeter, & sumatur ab opponente oppositum huius à respondente datum per hypothesim cum ratione Zenonis sic: diameter est costæ consimeter, in quolibet stadio sunt infinita spatia: sed infinita non contingit pertransire: ergo non contingit pertransire aliquod stadium. Sed hoc est impossibile: ergo hypothesis est impossibilis, ex qua sequitur, hæc scilicet, quod diameter est commensurabilis costæ. In hac enim argumentatione non communicat hypothesis quæ est nõ causa, in aliquo termino cum propositionibus quæ sunt causæ conclusionis: & ideò non est hic apparentia nec locus aliquis sophisticus.

Si autem propositio assumpta communicet cum his quæ sunt causa conclusionis in aliquo termino, per quam communicationem videtur esse causa, hoc non potest fieri nisi altero duorum modorum, vno scilicet modo, quòd per illas propositiones intenditur cõcludi aliquod falsum tantum directè, ita quòd ibi sit status: aut vlteriùs intenditur procedere & concludere, scilicet ex falsitate illius conclusionis interimere aliquam positionem siue hypothesim factam à respondente prius concessam. Si quidem primo intenditur per tales propositiones concludi falsum vt ibi sistatur, hoc potest fieri duobus modis: aut enim ex reliquis propositionibus ab isto falso assumpto sequitur conclusio de necessitate consequentiæ, aut non sequitur ex illis. Si non sequitur ex illis: tunc non est hæc fallacia facta, sed causa quare non sequitur ex reliquis, est alia fallacia siue in dictione, siue extra dictionem. Si autem sequitur conclusio de necessitate illationis ex reliquis: tunc nulla penitus erit fallacia: quia licet sit non causa, non tamen est non causa vt causa: quia in hac fallacia consistit tota apparentia penes illam propositionem quæ est non causa, quæ ad consequentiam conclusionis est assumpta: & sic non est in talibus argumentis: apparentia enim in huiusmodi argumentis est necessitas consequentiæ: non existentia vero est in propositione assumpta: & talis apparentia & talis non existentia causat aliquam fallaciam specialem. Si autem in tali processu intendatur conclusio falsa, & ex illius falsitate interdatur interimi aliqua hypothesis prius posita siue concessa tunc incidit illa fallacia quæ non causa vocatur: & tunc accidit illius fallaciæ peccatum, non in primo argumento, sed in secundo, quando scilicet à falsa conclusione procedit, & contingit falsam esse hypothesim, vt patet in exemplo quod dat Aristot. & sumitur de Phædro Platonis, quod à nobis in consequenti capitulo ponetur. Vnde cum pluribus modis se propositio (quæ est non causa) habere non possit, & penes nullum modum potest fieri nisi penes vltimum, patet, quòd non causa vt causa non potest fieri nisi in syllogismis ad impossibile: & peccat contra secundum argumentum & non contra primum, & quantum ad secundam & non contra primam.

Obiectio.

Si autem aliquis contra hoc obiiciens dicat, quòd non propter illud accidere est idem quod nõ causam vt causam esse: nõ propter hoc autẽ accidere potest incidere in syllogismis ostensiuis: ergo & non causa potest accidere in syllogismis ostensiuis: ergo & non causa vt causa potest accidere in syllogismis ostensiuis. Probet autẽ, quòd non propter accidere, possit accidere in syllogismis ostensiuis, sic: accidere aliquid quod sit non causa conclusionis tanquam vt causa, contingit dupliciter, scilicet ita vt propositio sumpta quæ est non causa, communicet cum præmissis in aliquo termino: aut non. Exemplum eius quod non communicet in aliquo termino, est sicut si dicatur: omnis homo currit: Sortes est homo: ergo Sortes currit. Exemplum autem eius quod communicet in aliquo termino, est sicut si dicatur sic: omnis asinus est animal: omnis homo est animal: ergo omne rudibile est asinus vel animal. Manifestum est igitur, quòd in his syllogismis ostensiuis contingit propositionem non causam vt causam esse, & ac si esset causa: & per consequens in syllogismis ostensiuis contingit accipere non causam vt causam & incidere hanc fallaciam.

Solutio.

Si, inquam, sic aliquis obiiciat, dicendum quòd verum est, quòd in hoc processu in primo argumento sumitur propositio quæ est non causa: sed tamen ista fallacia non habet ab hac demonstrari propter causam quæ iam ante dicta est.

Causa apparentiæ & causa non existentiæ in hac fallacia.

Causa apparentiæ in hac fallacia est conuenientia illius propositionis, quæ non est causa in aliquo termino cum propositione, quæ verè se habet vt necessaria ad illationem conclusionis: propter illam enim conuenientiam putatur, quòd non causa sit causa illationis. Causa autem falsitatis siue non existentiæ est diuersitas & differentia eiusdem propositionis, quæ non causa est, ad propositionem

quæ verè est causa illationis siue conclusionis.

CAPVT XVIII.

De fallacia secundum non causam vt causam.

Qui vero secundum non causam vt causam, &c.

His habitis facile est determinare de fallaciis secundum non causam vt causam quantum ad generalem causam deceptionis: tunc enim in his sunt cum ad propositiones præmissas sumitur adiunctum præmissis aliquod de numero propositionum quod in veritate non est causa illationis siue conclusionis: & sic assimilatur illud cum præmissis velut propter illud (sicut propter causam illationis) fiat redarguti o, hoc est, falsi illatio, contra hypothesim respondentis. Accidit autem huiusmodi paralogismus siue fallacia ad impossibile syllogismis, in quibus per falsum contrarium vel contradictorium interimitur positio siue hypothesis prius concluſa per ostensionem falsitatis alicuius præmissarum: in syllogismis enim ad impossibile necessarium est semper aliquid interimere eorum quæ posita sunt in syllogismo priori: & ideo necessarium est in his multiplicari propositiones inter quas latenter inducitur illa quæ est non causa vt causa. Si ergo ea propositio quæ est non causa vt causa, enumeretur in necessariis siue inter necessarias propositiones quæ necessariæ sunt ad illationem falsi, ex quo debet hypothesis respondentis interimi, siue in interrogationibus, quia propositio dialectica interrogatio est, vt determinatum est in primo topicorum: & enumeretur inter eas in argumento ad quod accidit siue sequitur impossibile: hoc enim est argumentum secundum non primum, quod scilicet ex falso illato destruit hypothesim, videbitur decepto respondenti sæpe fieri redarguti o quantum ad illationem oppositi ipsius hypothesis qua redarguitur respondens propter hoc: cum tamen non fiat propter hoc. Et sic vt causa mouet ad decipiendum, & vt non causa principium est fallitatis, quia non est propter illud, fit illatio: sed eo ablato verius sequeretur impossibile.

Vt quoniam non est anima & vita idem &c.

Huius autem exemplum est, vt dicamus, quòd propositum oppositi sit ostendere animam & vitam non esse idem ad concludendum falsum necessarium sumere falsas propositiones, ex quibus necessariò sequitur falsum illud quo terminatur hypothesis dicens animam & vitam esse idem. Et arguitur sic: Anima & vita sunt idem: sed omne quod contrariatur corruptioni, est generatio: vita autem contrariatur morti, & per consequens contrariatur corruptioni, quia mors etiam corruptio est: ergo vita est generatio, & per consequens viuere est generari. Sed hoc est falsum, quod scilicet viuere sit generari: ergo & primum falsum est, quòd scilicet anima & vita sint idem. Et hoc dicit Aristot. non eodem ordine, sed obscuriori sic: Vt quoniam, supple, sic ostenditur, quoniam anima & vita non sunt idem per oppositum falsum: nam si corruptioni generatio est contrarium generaliter, & sumantur generatio & corruptio prout sunt motus oppositi in terminis (quia penes terminos dicitur motus oppositus vel contrarius motui) tunc sequeretur, quòd alicui corruptioni (quæ est mors vini siue dissolutio) erit contrarium quædam generatio, quæ non potest esse nisi vita: mors enim est corruptio, & est contrarium vitæ: quare siue ergo vita erit quædam generatio, & viuere erit generari. Hoc autem est impossibile: non ergo idem est anima & vita. Et hoc non est syllogizatum ex hac propositione: anima & vita sunt idem. Cuius probatio est: quia idem impossibile sequitur ex aliis propositionibus sumptis & præmissis, etiamsi aliquis opponentium non dicat (hoc est, non cum præmissis ponat) hanc propositionem, anima & vita sunt idem, sed solum dicat & ponat in præmissis vitam esse contrarium morti: & hanc, quod mors est corrupto: & corruptioni sit contrarium proprium generatio. Et sic hæc, anima & vita sunt idem, fuit non causa illationis videlicet & non esse: quia communicat cum ista, vita & mors sunt contraria, in termino in vtroque idem significante.

Ergo insyllogizatæ quidem, &c.

Patet etiam ex his, quòd huiusmodi rationes non simpliciter (hoc est, in totum) sunt in syllogizatæ, quia prima conclusio falsi verè syllogizata est ex præmissis falsis: sed quantum ad propositum sunt insyllogizatæ, hoc est, ad hypothesim interimendam: eò quod hypothesis est impertinens ad alias propositiones assumptas: propositio autem impertinès non destruit alteram, eò quod est impertinens ad illationem. Et hæc difficultas non discernendi causam veram illationis ab ea quæ est non causa vt causa cum sumpta est, quia plurimum idem latet non minus ipsos interrogantes siue opponentes, quam in ipsos respondentes: & hoc est exemplum non causæ vt causæ.

Vtrum ista propositio sit vera, mors & vita sunt contraria.

Sunt autem in hoc exemplo propositiones multiplices quæ sic distinguendæ sunt: cum enim dicitur, quòd mors & vita sunt contraria, distinguendum est: quia mors potest dicere motum dissolutionis animæ à corpore, vel terminum dissolutionis eiusdem: & sic non est corruptio, sed tunc est corruptum esse. Primo modo mors & vita non sunt contraria: quia quod corrumpitur, quandiu corrumpitur, adhuc viuit: contraria autem simul in eodem esse non possunt. Si autem secundo modo esse dicatur mors terminus dissolutionis: tunc vita & mors iterum non sunt contraria, sed opposita vt priuatio & habitus: & sic omni modo ista est falsa, mors & vita sunt contraria, & est simpliciter falsa: vnde etiam supra in argumentatione non debuit interimi ista, anima & vita sunt idem, sed hæc, mors & vita sunt contraria.

Propositio quæ est non causa, debet communicare cum illa quæ est causa: aliter non accidet hæc fallacia.

Ex post inductis autem sequitur, quòd hæc fallacia non accidit in syllogismo ostensiuo. Vnde hic: omnis homo est animal: & sol est in cancro, vel sol est maior terra: ergo Sortes currit: non est fallacia secundum non causam vt causam: quia hæc propositio, sol est maior terra, nec est causa conclusionis, nec potest esse causa. In fallacia autem non causæ vt causa, propositio quæ est non causa, communicat cum ea quæ est causa: & ideò potest esse causa.

Obiectio.

Obiicietur autem fortassè aliquis contra hoc dicens, quòd re vera in dicto exemplo duæ sunt argumentationes, quarum prima est ostensiua falsi, secunda interimens hypothesim. Prima enim est hæc, anima & vita sunt idem: cuilibet corruptioni contrariatur generatio: sed mors est corruptio: ergo morti contraria generatio: ergo viuere generari. Hoc est argumentum primum & est ostensiuum falsi illius, quod viuere est generari. Secundum autem quod est ad interimendum hypothesim, est tale: hæc conclusio, viuere est generari, est falsa & impossibilis: ergo hypothesis ex qua sequitur, scilicet quod anima & vita sunt idem, est impossibilis: & pater, quòd in prima argumentatione inter præmissas ponitur illa propositio quæ est non causa: & sic in syllogismo ostensiuo erit non causa vt causa: & non ponitur in secundo argumento: ergo non est in syllogismo ad impossibile, sed in ostensiuo.

Solutio.

Sed ad hoc secundum ea quæ dicta sunt in cap. anteriori, dicendum quod quamuis propositio quæ est non causa vt causa, ponatur inter præmissas prioris argumentationis, quæ re vera ostensiua est: non tamen ab ipsa debet denominari: quia finaliter non ponitur ad primam conclusionem ostendendam, sed potius vt ex illa inferatur hypothesis per syllogismum secundum.

CAPVT XIX.

De modis fallaciæ secundum non causam vt causam.

Duo sunt modi huius fallaciæ.

Modi autem fallaciæ secundum numerum formationis eorum multiplicandi sunt. Sunt autem duo modi. Vnus secundum quod non causa potest communicare in aliquo termino cum propositionibus quæ sunt causæ conclusionis: si enim in nullo communicaret cum eis, tunc non posset esse non causa vt causa: si autem in altero communicat hypothesis siue propositio quæ non est causa, cum propositionibus quæ sunt causæ conclusionis fallæ: aut communicabit in subiecto, aut in prædicato. Et penes istas communicationes duo formantur modi paralogizandi: vnus scilicet quando non causa vt causa in subiecto communicat cum propositionibus quæ sunt causa, ita quod in aliqua propositionum quæ sunt causæ, sumatur subiectum hypothesis: & sic est vnus & primus modus fallendi: sicut enim ista hypothesis, omnis lapis est animal, est supposita: ita concludatur, quòd omnis homo est lapis, sic: omnis margarita est lapis: omnis homo est margarita: ergo omnis homo est lapis. Hoc est impossibile: sed non sequitur propter hypothesim: ipsa enim remota, adhuc sequitur idem impossibile. Et hunc modum ante finem secundi priorum posuit Aristot. in terminis generalibus ponens hanc hypothesim, omne b. est a. si ergo c. sumatur sub b. non quidem vt inferius sub superiori vt homo sub animali, sed ita quod in syllogismo fiat c. subiectum eius quod est b. & d. sumatur sub c. ita quod fiat subiectum eius eodem modo sicut prius, sic: omne c. est b. omne d. est c. sequitur, quòd omne d. est b. quæ quamuis falsa sit, non tamen falsa est vel sequitur propter hypothesim: & iste est modus primus. Et est planum illud si ponatur in terminis specialibus, quòd a. sit animal. b. lapis. c. margarita. d. autem homo: tunc enim est hypothesis: omnis lapis est animal, qua suppositâ concluditur, omnis homo est lapis, sic: omnis margarita est lapis: omnis homo margarita: ergo omnis homo lapis. Et hoc quidem est impossibile: sed non accidit propter hypothesim.

Secundus modus.

Si autem præmissæ ostendentes impossibile, communicent prædicato hypothesis, sic erit secundus modus, & est exemplum tale: sit enim hypothesis sicut prius, quòd omnis lapis est animal: qua suppositâ concludatur animal esse inanimatum, sic: omne corpus est inanimatum: omne animal est corpus: ergo omne animal est inanimatum. Hæc conclusio est impossibilis: sed non sequitur ex hypothesi. Hypothesi enim remota adhuc sequitur eadem conclusio. Aristoteles autem in fine secundi priorum ponit de hoc generales terminos, quòd hypothesis sit, omne b. est a. & sumatur c. supra a. ita quòd sit prædicatum eius, & a. subiectum, & supra c. eodem modo sumatur f. ita quod f. prædicetur, & c. subiiciatur in syllogismo: & arguatur suppositâ hypothesi, sic: omne b. est a. hæc est hypothesis: omne c. est f. omne a. est c. ergo omne a. est f. Hæc enim conclusio falsa est: non tamen sequitur propter hypothesim: & ideò hypothesis est non causa vt causa. Et hoc planum est in terminis specialibus, sicut dictum est, si per a. intelligatur animal, & per b. lapis, per f. verò inanimatum, per c. autem corpus, & deducatur sicut paulo ante dictum est.

Sic ergo patet, quòd duo modi paralogizandi sunt secundum hanc fallaciam. Vnus, quando syllogismus ad impossibile communicat subiecto hypothesis: & alius, quando idem syllogismus communicat cum prædicato hypothesis. Et non possunt esse plures: quia si propositio siue hypothesis communicaret cum propositionibus syllogismi ad impossibile in vtroque termino, ita quod hypothesis sumatur tam subiectum quam prædicatum ab illis propositionibus quæ sunt syllogismi ad impossibile: tunc non incidit hæc fallacia: quia tunc ex ipsa hypothesi de necessitate sequitur falsum quod concluditur sicut ex propositionibus syllogismi. Et exemplum quidem inductum sufficit ad vtramque istorum modorum: si enim sumatur syllogismus ad impossibile penes communicationem in hoc termino, vita, tunc potest vita prædicari, & anima subiici in hypothesi: & sic destruit exemplum secundo modo: quia tunc coniungitur syllogismus ad impossibile prædicato hypothesis. Vel potest hoc quod dico, vita, subiici, & ani-

ma prædicati: & tunc respondet exemplo primo modo: quia tunc syllogismus ad impossibile coniungitur subiecto hypothesis. Sic ergo sunt duo modi secundum hanc fallaciam.

Quomodo exemplum Philosophi ad formam syllogisticam fuerit reducendum quæstio.

Est autem sciendum hic, quòd quidam quærunt de orationibus istis quas dicit Arist. non simpliciter esse insyllogizatas, si sunt quantum ad primam conclusionem vel quantum ad secundam: & dicunt, quòd orationes istæ simpliciter insyllogizatæ sint: & si debeant reduci ad formam syllogisticam, sic debent formari: omne quod contrariatur corruptioni, est generatio: vita contrariatur corruptioni, per hoc quod contrariatur morti quæ est corruptio: ergo vita est generatio: ergo viuere est generari. Quod falsum est: quia quod viuit, non generatur, sed generatum est iam.

Et respondent ad hoc & dicunt, quòd prima falsa est: dicunt enim non generationem solam corruptioni esse contrariam, sed etiam creationem per quam sicut per generationem exiit res & mutatur de non esse ad esse. Sed hoc nihil est: quia si contraria accipiantur creatio & corruptio: tunc oportet, quòd nata sint fieri circa idem, quod subiicibile sit creationi & corruptioni. Vnde hoc quod dicunt, non est phyticum.

Ideo dicunt alij, quòd hæc est falsa, mors & vita sunt contraria: non enim hæc, mors scilicet & vita opponuntur contrariè, sed vt priuatio & habitus. Sed secundum hanc responsionem non vitatur, quin adhuc sequatur conclusio falsa, sic: omne quod priuatiuè opponitur corruptioni, est generatio: vita priuatiuè opponitur corruptioni, quia morti quæ est corruptio: ergo vita est generatio: ergo viuere est generari. Etiam vt prius, & interimitur hypothesis.

Ideò dicunt alij, quòd hæc est falsa, mors est corruptio: & dicunt rationem huius esse: quia nihil quod sequitur vt terminus & finis ex aliquo motu vel ex aliqua mutatione, potest dici motus iste vel ista mutatio, ita quod motus vel mutatio prædicetur de isto: ad generationem enim animalis sequitur vita: & ideò ipsa vita non est generatio: sicut enim ante dictum est, illud quod generatur, non viuit: sed quando viuit, iam generatum est. Eodem etiam modo est de corruptione: prius enim corrumpitur animal & post corruptionem sequitur mors: & tunc est animal in corrupto esse. Cum ergo corruptio quædam sit mutatio, ad quam sequitur mors, non potest mors esse corruptio: & ideo falsa est propositio quæ dicit, quòd mors est corruptio: & ex ista propositione falsa cum aliis præmissis falsis sequitur conclusio falsa. Non sequitur enim, si mors & vita sunt contraria, ergo vita est generatio, nisi aut ponatur, aut intelligatur hæc, mors est corruptio: & hoc est idem ei quod ante dictum est in distinctione propositionum. Vnde sicut supra dictum est, istæ orationes syllogizatæ sunt quantum ad conclusionem primam falsam: necessario enim sequitur ex præmissis conclusio falsa, & est bonus syllogismus ostensiuus ostendens falsum ex falsis: sed quantum ad secundam conclusionem: quæ tamen principaliter est intenta, simpliciter sunt insyllogizatæ istæ orationes: non enim ex impossibili conclusione sequitur hypothesim simpliciter esse interimendam: quia hypothesis simpliciter non est causa conclusionis impossibilis: & sic quantum ad istam conclusionem quæ est principaliter intenta, sunt istæ orationes insyllogizatæ: & sic ad propositum siue ad intentum insyllogizatæ.

Quomodo istæ orationes in exemplo Philosophi sunt syllogizatæ & quomodo insyllogizatæ.

Attendendum etiam, quòd inter consequens siue fallaciam consequentis & non causam vt causam conuenientia est: primo quidem, quòd sicut in fallacia consequentis semper sunt duæ consequentiæ, vna bona, & altera mala: sic etiam in non causa vt causa duæ sunt duorum argumentorum consequentiæ, vna bona quæ est ostensiua falsi, alia mala quæ ex falso est interemptiua hypothesis. Secundo in hoc, quòd sicut in consequente quædam est consequentiarum reciprocatio, vt ab antecedente ad consequens, & è conuerso, & ita in non causa vt causa est quædam reciprocatio ab hypothesi ad falsum conclusum, & à falso ad hypothesis interemptionem. Sic ergo de paralogismo secundum consequens & de eis qui sunt secundum non causam vt causam determinatum sit.

Notæ duplicem conuenientiam inter fallaciã consequentis & fallaciam non causæ vt causæ.

CAPVT XX.

De præambulis ad syllogizandum fallaciam secundum plures interrogationes vt vnam.

AD intelligendum fallaciam secundum plures interrogationes vt vnam, prænotandum est & accipiendum ex topicis, quid sit interrogatio, & in quo differt à propositione & enuntiatione. Interrogatio enim (vt in topicis est dictum) est propositio probabilis cum nota interrogationis proposita. Enuntiatio autem (vt in periherm. est dictum) est oratio enuntians aliquid de aliquo. Propositio autem (vt in primo priorum) est oratio enuntiatiua alicuius de aliquo pro altero, in ordine ad formam argumentationis & præcipuè syllogismi posita secundum principium ex quo fit illatio consequentis quæ est conclusio, secundum quod conclusio est medio vel mediis probata enuntiatio vel propositio. Et sic patet, quòd interrogatio addit supra propositionem dialecticam, quæ probabilis est, modum interrogandi, & assensum respondentis supra compositionem si prædicatum insit subiecto: sicut cum dicitur, estne hæc vera, currit homo? vel putasne currit homo? vel est homo animal, vel aliud aliquid tale huiusmodi.

Quæ autem differentia interrogationis sit, quando nota interrogationis ponitur ad compositionem, & quando ad totam propositionem siue super consensum respondentis, in primo topicorum satis dictum est: si enim sic quæratur, curritne homo? nota interrogationis

Forte innuit hic illam differentiam quam pœnit

Philosophus 1 topic. c. 3. in fine, inter propositionem dialecticam & problema dialecticum

rogationis ad compositionem ponitur: & talis oratio vocatur quæstio. Si autem sic dicam, putasne homo currit? nota interrogationis non ad compositionem fertur: quia ista expresse affirmant: sed nota interrogationis consensum respondentis in compositionem expectat: & ideo talis interrogatio non est quæstio, sed propositio in qua propter non necessariam inhærentiam prædicati in subiecto quæritur, an respondens consentiat? Quæstio igitur & conclusio, vt dicit Boetius, secundum substantiam non differt, sed modo: quia quod est in dubitatis quæstio, hoc idem probatum vno medio vel pluribus, & illatum ex illis, efficitur conclusio. Sed etiam modo non substantia differt interrogatio à propositione: quia interrogatio est propositio cum nota interrogationis cadente super totam propositionem quæ non est de consensu respondentis. Sic etiam modo solo differt enuntiatio à propositione & interrogatione: quia enuntiatio simpliciter indicat vel enuntiat aliquod prædicatum de aliquo subiecto: propositio autem est eadem enuntiatio, quando sub forma argumenti primi syllogismi pro altero ponitur quod infertur secundum habitudinem principij ex isto. Vnde conclusio se habet ad propositionem sicut illatum & principiatum ex illo: propositio autem se habet ad conclusionem sicut inferius & principium ipsius: enuntiatio autem substantia est propositionis & interrogationis & conclusionis sine talibus modis accepta.

Enuntiatio vna simpliciter quid.

His visis rememoranda sunt quæ in periherm. de vnitate & pluralitate enuntiationis dicta sunt. Dictum est enim ibi, quòd simpliciter vna est enuntiatio, in qua simpliciter vnum de vno enuntiatur, hoc est, vnum prædicatum de vno subiecto non voce tantum, sed rei veritate: quia si sufficeret vnitas vocis, tunc propositio in qua subijcitur vel prædicatur nomen æquiuocum, esset vna simpliciter: & hoc falsum est, sicut in periherm. est ostensum: & ideo ad vnitatem propositionis requiritur & rei vnitas significata in prædicato & subiecto, & etiam quod sermo referatur ad vnum, etiamsi ipse sermo sit plures, sicut patet in hac, homo est animal rationale mortale, quæ vna est, eò quod prædicatur vnum de vno: quia rationale mortale referuntur ad simpliciter vnum, quamuis plura sermone: quia sequens differentia est in præcedente sicut actus in potentia: actus autem & potentia vnum & idem constituunt, & ad vnum & idem referuntur.

Tex com. 1. Vnum numero tripliciter in 1. topic. c. 7.

Quamuis autem multiplex sit vnitas, vt dicit Aristot. in 10. primæ philosophiæ, & Boët. in lib. de vnitate & vno, scilicet vnitas analogiæ, & vnitas generis, & vnitas speciei, & vnitas in numero: & hæc vnitas in plura dividitur, diffinitionis scilicet, & diffiniti, & indiuisionis per proprium accidens: & vnitas accidentis & subiecti generaliter, vt dicit Boët. in ea in quibus non inuenitur diuersitas in numerando. Cum tamen dicitur, propositio vel interrogatio vel enuntiatio vna, in communi sumitur ad omnes istas vnitates. Vnde hæc est vna, substantia est ens: & hæc vna, homo est animal: & hæc vna, Sortes est homo: & hæc vna, homo est animal rationale mortale: & hæc vna, homo est risibile: & hæc vna, homo est albus. A priuatione autem huius vnitatis in prædicato vel in subiecto vel in vtroque dicitur propositio plures: quia scilicet vel vnum de pluribus, vel plura de vno, vel plura de pluribus vel annuntiantur vel proponuntur vel interrogantur, sicut in his exemplis: Sortes & Plato currunt. Vel Plato legit & disputat. Vel Sortes & Plato legunt & disputant. Et quando vnum de pluribus, vel plura de vno, vel plura de pluribus, sub vnica nota interrogationis interrogantur: tunc enim plures interrogationes vt vna: & dicitur plures propter plura interrogata: & dicitur vt vna propter hoc quod sub vnica nota interrogationis ponuntur, sicut patet in his exemplis, estne Sortes & Plato animal? Legitne Sortes & disputat? Et Sortes & Plato leguntne & disputant? In omnibus enim his est plures interrogationes vt vna.

Quid propositio plures.

Quid plures interrogationes vt vna.

Et ideo vnitas notæ interrogandi siue modi interrogandi, eò quod formalis est in interrogatione (quia facit interrogationem potentia actu interrogationem) est principium motiuum siue causa apparentiæ in hac fallacia: propter vnitatem enim modi putat aliquis etiam interrogatum esse vnum: & causa non existentiæ siue defectus siue falsitatis est diuersitas siue pluralitas interrogatorum sub vna nota interrogationis: & ex his duobus constituitur locus sophisticus, qui dicitur & est fallacia secundum plures interrogationes vt vnam.

Causa apparentiæ in hac fallacia.

Ex his patere potest, quare fallacia hæc dicitur secundum plures interrogationes vt vnam, vel secundum plures enuntiationes vt vnam: peccat enim hæc fallacia sicut & omnes aliæ extra dictionem contra ordinem propositionum in syllogismo dialectico, quæ ordine localis habitudinis se habent ad conclusionem. Quia igitur dialectica propositio est interrogatio & per modum interrogationis proponenda respondenti, ideò melius dicitur fallacia secundum plures interrogationes vt vnam, quàm secundum plures propositiones vt vnam. Et huius ratio est: quia propositio dialectica primo omnium interrogatur, quam proponatur: & sic causa apparentiæ primo apparet in interrogatione, & per consequens in propositione: ab eo ergo in quo primo apparet, recipit denominationem, & non ab eo in quo apparet posterius.

Ratio nominis huius fallaciæ.

Adhuc autem notandum, quòd plura contingit interrogare dupliciter: sicut etiam plura contingit significari dupliciter: aut enim plura interrogantur per modum vnius in dictione vel oratione vna: & talis interrogatio non causat hanc fallaciam quæ dicitur secundum plures interrogationes vt vnam, sed potius fallaciam æquiuocationis vel amphibologiæ vel alterius fallaciæ in dictione. Si autem plura interrogantur, vt plura significantur per modum plurium sub vna nota interrogationis proposita, illud solum facit hanc fallaciam quæ dicitur plures interrogationes vt vna. Vt estne hoc & hoc homo, demonstratis Brunello & Sorte? hæc enim plura referuntur ad vnum

quod

Quæ modis plura ad vnum possint referri in hac fallacia.

quod est vna demonstratio in isto nomine. Ita cum dicitur, suntne ista homo, vel in his hoc & hoc? oportet enim semper, quòd plura in hac fallacia ad vnum aliquod referantur, scilicet vel ad vnum propositionis, vel generis, vel speciei, vel numeri, vel demonstrationis: quia talis vnitas in principium motuum est aliquo modo quæ credere facit vnam dandam esse responsionem.

Adhuc obseruandum, quòd licet tria possint esse interrogata, vel quatuor, vel fortè plura: tamen Arist. vocat hanc fallaciam secundum duas interrogationes vt vna. Tum quia ita frequenter fit. Tum quia magis latet & decipit in duabus, quam in pluribus. Tum quia, vt dicit Pythagoras, principium omnium pluralitatum est dualitas. Tum etiam quia maior numerus ponit minorem & non è conuerso.

Ex his autem patet, quia quæ vniuntur vt plura, aut vniuntur in demonstratione vna, aut in aliqua forma: quia omnis demonstratio est respectu alicuius formæ: Vt cum dico demonstrato vno cæco & altero videntè, suntne ista cæca vel videntia? vna demonstratione vniuntur: & postea in aliqua forma: quia intelligitur ista animalia vel corpora. Quandoque etiam vna interrogatio fit de partibus eiusdem contradictionis, vt estne Sortes animal, vel non? Quandoque etiam de partibus est diuersarum contradictionum: & sic fit deceptio secundum plures interrogationes vt vnam, & maximè propter notam vnicam interrogationis, vt dictum est. Sic ergo intelligendum est de fallacia secundum plures interrogationes vt vnam.

CAPVT XXI.

De fallacia secundum plures interrogationes vt vnam.

Qui autem in eo quod plures interrogationes, &c.

His præmissis dicendum, quòd paralogismi qui fiunt in eo quod opponentes sophisticè plures plures interrogationes vt vnam faciunt, vel vnam faciunt: quia faciunt formaliter, quòd vna nota est interrogationis, etsi materialiter plura sint quæ interrogantur: propter quam notam vnius interrogationis latet ipsos respondentes materialiter plures esse interrogationes: & ideò vnius interrogationis assignatur responsio vna ab ipsis respondentibus. In aliquibus ergo interrogationibus facilè est videre, quoniam interrogatio est plures, & quia non vna responsio est reddenda, vt quando plura quæruntur de vno, vt quando quæritur, vtrum terra mare est aut cælum? quæ vt plura non vnica de vno quæruntur. In aliquibus autem aliis quæ in vno aliquo vniuntur vel vniri videntur, vna appareat: & ipsi respondentes concedunt, quòd vna fit interrogatio, & vnicam dant responsionem: & ideò vel ad interrogatum non respondent, vt eis falsum obuiat: aut redarguí videntur, & videtur eis fieri elenchus. Cuius exemplum est, vt puta hic & hic est homo? demonstratis Sorte & Platone: & si dixerit, hic & hic est homo, inferat opponens: hic & hic est homo: ergo hic & hic est vnus homo: ergo qui percusserit hunc & hunc, hominem & non homines percutiet: & hoc inconueniens obuiat danti vnam responsionem, vt dixisset, iste est homo, & ille est homo. Aut rursum si plura in plurali numero quærantur de pluribus pluraliter significatis: vt si demonstratis pluribus pluraliter significatis: vt si demonstratis pluribus (quorum quædam sunt bona & quædam non bona) quæratur, vtrum omnia ista sunt bona aut non bona? vtrum enim dixerit respondens, hoc est, quamcunque partem contradictionis dederit: aut accidit ei falsum apparens euidenter, hoc est, manifestè falsum & hoc videbitur ei facere opponens deducendo eum ad manifestè falsum: aut est (hoc est, contingit) quod videbitur eidem respondenti facere elenchum. Si enim dicat, quod sunt bona, statim infert, ergo non bona sunt bona, quod est apparens falsum: aut elenchum faciat ei dicens, ergo hæc non bona sunt, quæ tu dixisti, quod bona.

Quãdoque autem assumptis, quibusdam, &c.

Quandoque autem in assumptis quibusdam & suppositis & in talibus elenchus fiet verus, ita quod respondens ducitur ad contradictionem: vt si quis concedat & supponat similiter (hoc est, secundum similitudinem vnam) vnum in singulari & plura in plurali dici dissimilitudine simili: nam secundum illam suppositionem si cæcum est id quod non habet visum, natum autem habere: tunc etiam cæca erunt quæ non habent visum, nata autem sunt habere visum: demonstratis ergo duobus quando hoc quidem vnum habet visum, illud autem aliud non habet visum, sed est cæcum, interrogato suntne ista cæca vel videntia? si vnam dederit responsionem vel affirmando vel negando, inferet respondens, quòd ambo erunt videntia, vel ambo cæca, quod impossibile est.

Attendendum tamen hîc, quòd si duobus demonstratis, vno cæco, & altero videnti, quæratur, vtrum ista sunt cæca vel videntia? si respondeatur vna responsione, siue quod sunt cæca, siue quod sunt videntia, non accidit elenchus contradictionis: & cum suppositione, quòd sicut cæcum est aptum natum videre & non videns, ita cæca apta nata sunt videre & non videntia: quia non ducitur respondens ad oppositum suæ responsionis: siue enim inferat, quòd sunt cæca, siue quod sunt videntia, nihil est contradictionis, nisi fortè ex consequenti, vt scilicet inferat, ergo ista sunt cæca: & dicat vlterius, ergo non sunt videntia: & tu dixisti, quòd videntia: vel è conuerso si dicat, quòd sunt videntia: ergo non sunt cæca: tu autem dixisti, quod sunt videntia. Si autem respondeat negatiuè & dicat, non sunt cæca: tunc potest accidere elenchus sic: non sunt cæca: ergo hæc & hæc non sunt cæca: ergo illud demonstrato cæco est videns: & tu dixisti, quòd est cæcum: & talia facile est reducere ad elenchum.

Scias autem, quòd hæc suppositio, quòd similiter sit dicere in singulari sicut in plurali per responsionem, falsa est: quia ex hoc probatur,

batur, quia ex ipsis coassumptis veris propositionibus sequitur falsum, & falsum non sequitur nisi ex falso: si respondeat enim ad hanc, suntne ista cæca vel non? vnica responsione, & dicat, quòd ista sunt cæca: taliter ergo respondenti contradictoria sequuntur ista: ista sunt cæca, & ista non sunt cæca: est affirmatio falsa, & negatio vera secundum eum. Similiter ista sunt contraria: ista sunt apta videre non videntia, & ista sunt apta nata videre videntia: & affirmatiua falsa, & negatiua vera. Similiter istæ sunt contradictoriæ eidem: ista quæ sunt apta nata videre, vident: & ista sunt apta nata videre, & non vident: & est affirmatiua falsa, & negatiua vera. Sed ex ista negatione quæ vera est respondenti, sequitur negatio primæ contradictionis quæ falsa est cum suppositione hoc modo: si ista sunt apta nata videre, & non vident: & similiter est in singulari & in plurali, ergo ista sunt cæca: sed hæc conclusio est respondenti falsa: & falsum non sequitur nisi ex falso: ergo aliqua præmissarum fuit falsa: non ista, ista sunt apta nata videre, & non vident: ergo reliqua, ista scilicet, quòd eodem modo sit diuisio in singulari & in plurali.

Ratio autem qua probatur suppositio falsa esse, est: quia peccat secundum figuram dictionis: similis enim est huic, quodcunque tu scis, vel inueniendo vel addiscendo scis: sed ista scis, demonstratis duobus quorum vnum vnum inuenit & alterum didicit: ergo illa vel addiscendo vel inueniendo scis. Similis enim est talis figuratio in singulari & in plurali: & ideò facit credere, quòd sit idem siue positum in singulari sub hoc signo, quicquid vel quodcunque siue positum in plurali sine signo eodem: cum tamen hoc modo sit verum.

Quot sint modi huius fallaciæ.

De modis autem huius fallaciæ dicendum, quòd sunt tres quia aut quæruntur plura de vno, vt cum dicitur, estne terra mare & cælum? aut vnum de pluribus, vt cum dicitur, estne hic & hic homo? aut plura de pluribus, vt cum dicitur, vtrum ista sint videntia aut cæca? demonstrato vno vidente, & alio cæco. Posset tamen dici, quòd isti tres modi reducuntur ad duos quorum vnus est modus, quando plura vt vnum in singulari numero interrogantur de vno: vel vnum de pluribus singulariter subiectis, vt estne hic & hic homo? vel estne animal hoc & hoc? secundus autem quando plura de pluribus interrogantur in plurali: & tunc non effugiet contradictionem qui concesserit simpliciter in singulari & in plurali dari diffinitiones vt ante dictum est.

De fallaciis ergo extra dictionem hoc modo determinatum sit: sufficit enim hoc quod dictum est, ad intellectum eius quod in suis elenchis dixit Arist. & hoc solum quærimus propter tudium informationem. Non enim quærimus hic subtilem de quolibet assignare rationem & indagationem: quia videtur nobis, quòd magis impediat quam expediat ad scientiam eorum quæ non propter se, sed propter alia inquiruntur, quorum datur modus generalis in locis, quæ potius sunt modus quam philosophia.

TRACTATVS IV.

De reductione fallaciarum in ignorantiam elenchi.

CAPVT I.

De reductione omnium fallaciarum.

Ignorantia elenchi dupliciter vna communis, alia specialis.

AD sciendum qualiter omnes loci sophistici siue fallaciæ reducuntur in ignorantiam elenchi, oportet præscire, quòd ignorantia elenchi dupliciter dicitur, scilicet ab ignorantia elenchi secundum quod syllogismus est contradictionis, vt scilicet ignorentur differentiæ siue conditiones & syllogismi & contradictionis communiter: & sic ignorantia elenchi non est specialis fallacia: quia non habet speciale principium deceptionis. Et hoc modo omnes fallaciæ peccant secundum ignorantiam elenchi: secundum prius tamen & posterius: quia fallaciæ in dictione principalius peccent contra elenchum, quam contra syllogismum: eò quod in fallacia in dictione vnitas sermonis est causa apparentiæ: diuersitas autem in re signata est causa non existentiæ. Ad contradictionem autem requiritur rei identitas, quæ non est in fallaciis in dictione. Contra syllogismum autem peccant ex consequenti: quia syllogismus aliquo modo in forma vocali saluatur in vnitate vocis. Ignorantia autem elenchi specialis (vt in antehabitis dictum est) est ignorantia differentiarum siue conditionum quatuor, quæ ad contradictionem requiruntur, quæ sunt idem, & ad idem, & similiter, & in eodem tempore: & sic speciale habet apparentiam decipiendi: & sic specialis est fallacia diuidens hoc commune quod est fallacia siue locus sophisticus, in 13. cum aliis 12. fallaciis: & sic ad ignorantiam elenchi non reducuntur aliæ fallaciæ: sed ipsa cum aliis 12. reducitur in ignorantiam elenchi communiter dictam.

Alia opinio de duplici ignorantia elenchi, quæ tamen redit in primam.

Quamuis quidam dicant, quòd ignorantia elenchi semper est contra omnes conditiones elenchi & generales & speciales, sed differen-

ter:

ter : quia vno modo ignorantia elenchi est contra conditiones elenchi secundum se: alio autem modo est contra conditiones elenchi ex consequenti. Et quando est contra conditiones elenchi secundum se tunc est specialis fallacia, in quam alię non reducuntur. Quando autem est ignorantia elenchi ex consequenti: tunc est generalis. Dicitur enim aliquis ignorare elenchum secundum se, quando ignorat aliquam vel aliquas conditiones contradictionis. Dicitur autem ignorare elenchum ex cõsequenti, sicut quando cõ quod nomen est verum, credit rem esse vnam: & ex consequenti, quia putat nomen esse vnum & rem vnam, credit medium syllogismi esse vnum re & nomine: & quia putat medium esse vnum, ex consequenti credit syllogismum esse vnum & verum: & quia putat syllogismum esse vnum, quando concludit contradictorium positioni respondentis, credit elenchum esse vnum & verum: & sic ex consequenti ignorat elenchum. Et hoc in idem redit cum eo quod dictum est in priori distinctione.

Dicunt etiam alij, quòd elenchus in communi dicitur ignorari secundum se, & ex consequenti dicuntur ignorari conditiones eius communes & propriæ: quando enim apparens elenchus secundum quamlibet fallaciam proponitur, primo putatur esse elenchus cum nõ sit: & cum dicit, quòd istæ sint omnes conditiones elenchi, sic ignoratur elenchus primo, & conditiones elenchi ignorantur ex consequenti: & quocunque illorum modorum dicatur, in idem redit sed id quod primo dictum est, expeditius est & verius ad distinguendum ignorantiam elenchi specialiter dictam ab ignorantia elenchi generaliter dicta.

His ita distinctis notandum quantum ad genetalem reductionem omnium fallaciarum in ignorantiam elenchi, quod modificatio syllogismi est dispositio propositionum in figura & qualitate & quantitate & habitudine medij reali ad extrema ad necessitatem illationis conclusionis. Et ideò duplex est modificatio, sicut duplex est necessitas illationis conclusionis. Quædam enim est causata à simplici ordine terminorum in figura, & à qualitate & quantitate & ordine duarum propositionum ad inferendum conclusionem: & hæc vocatur vtilis coniugatio determinata in arte libri priorum secundum syllogismi generationẽ & medij inuentionem & potestatem inferendi conclusionem: & immodificatio priuans hanc modificationem, est priuatio ordinis terminorum vel ordinis propositionum in debita qualitate & quantitate & debito situ ad inferendam conclusionem: & hæc vocatur inutilis coniugatio determinata in libro priorum. Est etiam modificatio non simpliciter siue vniuersalis syllogismi, sed ad propositum & realis syllogismi & in materia speciali: & hæc est secundum habitudines reales principiorum siue præmissarum ad conclusionem. Et hæc est duplex. Vna quidem secundum habitudines locales, quæ exigitur ad syllogismum dialecticum in materia probabili: & contra hanc peccat immodificatio, quæ est priuatio habitudinis localis, quando videtur esse & non est: & hæc modificatio determinatur in topicis: & immodificatio pertinet ad hunc librum qui dicitur sophisticorum elenchorum: quia ex eisdem principijs non potuit determinari vera habitudo localis & existens, & apparens & nõ existens: & ideo oportuit esse diuersas scientias ad determinandum huiusmodi immodificationes: propter quod diuersos oportuit esse libros adhuc vnius scientiæ, quæ topica dicitur in communi. Alia autem modificatio specialis in materia necessaria & demonstratiua est, quæ determinatur secundum habitudinem medij, quod est causa immediata realis & essentialis non tam conclusionis quam rei conclusæ, quæ determinatur in libro posteriorum analyticorum, & ex defectu eiusdem habitudinis causatur immodificatio, quæ (ideo quia ex defectu seorundem principiorum cõstituentium habitudinem causæ ad affectum causatur) determinatur etiam in eodem libro posteriorum, & vocatur talis deficiens syllogismus falligraphus, deficiens à modo habitudinis causæ ad effectum.

Modificatio syllogismi duplex. contracta scilicet & incontracta.

Adhuc autem notandum, quòd est syllogismus siue ex quantitate & qualitate & situ propositionum, siue etiam ex habitudine locali ex necessitate consequentiæ inferens: & est syllogismus ex quantitate & qualitate & situ terminorum & propositionum, & habitudine locali ex necessitate & inferens & probans & notificans siue certificans: & secundum hæc duo sunt iterum duæ modificationes, & oppositis his duæ immodificationes: & de modificatione syllogismi inferentis tantum iam dictum est, & de eius opposita immodificatione. Modificatio autem syllogismi probantis siue notificantis, siue etiam certificantis est talis, quòd habitudo principiorum ad conclusionem per priora simpliciter vel priora quoad nos certificet & probet & notificet &, non per idem: & hunc modum non seruat petitio eius quod est in principio. Vnde quamuis talis paralogismus de necessitate inferat, tamen non probat nec certificat: & ideò est immodificatus.

His ita determinatis patet, quòd aut diuidendum est (sicut diuisum determinatum est de ipsis) apparentes syllogismos & apparentes elenchos, aut reducendum est omnes ad elenchi ignorantiam generaliter, & docendum qualiter reducantur generaliter & specialiter: vtrumque enim docendum est si ars debeat esse completa.

Et quod diximus sic aut sic esse tradendum sub disiunctione, intelligimus, quòd & hoc & illud sit docendum. Et cum habita sit doctrina qualiter diuisim generantur & docentur, subiungendum est qualiter generaliter & specialiter in ignorantiam elenchi reducuntur: hoc enim faciendum est his qui fallaciam ignorantiæ elenchi generaliter dictam faciunt commune principium fallendi in omnibus fallaciis: & hoc faciunt omnes qui bene sapiunt in fallaciarum principia scientiam siue cognitionẽ. Est enim siue contingit omnes dictos modos & species resoluere in elenchi diffinitionem ignoratam: eò quod in qualibet ignoratur aliqua conditio elenchi inquantum est syllogismus

Quùm ergo sic diuidentes, &c.

mus contradictionis: & hoc generaliter. Primum quidem considerando si modi immodificati sunt secundum defectum habitudinis localis inferentis syllogismi & probantis: si enim hoc sit, quod deficiat in modo inferentis & probantis syllogismi ignoratur elenchus in aliqua conditione syllogismi inferentis & probantis: & etiam contradictio, & sic ignoratur elenchus per consequens: oportet enim in syllogismo inferente & probante ex his quæ posita sunt, debito ordine habitudinis localis vel habitudinis causæ accidere de necessitate illationis conclusionem, sic quod ex necessitate locali vel causali accidat conclusio, & non tantum videatur apparenter accidere & non accidat secundum rem. Hoc autem deficit in omni fallacia in qua videtur accidere conclusio ex præmissis: sicut enim iam ante dictum est, fallaciæ in dictione peccant contra hoc quod est syllogismum esse ex quibusdam, quia multiplex est vel actu vel potentia vel secundum phantasiam. Multiplex autem dico siue significatione, siue suppositione, vt in figura dictionis. Et si iste syllogismus est non ex quibusdam positis, & sic immodificati sunt paralogismi secundum medium reale simpliciter, principalius tamen peccant contra elenchum, vt innuit Aristot. qui dicit, quod peccant contra elenchum, & non negat quin peccent contra syllogismum, quamuis non ita principaliter sicut contra elenchum. Et quamuis forte habent aliquo modo ea quæ sunt de syllogismo secundum vocem & quantitatem & qualitatem & ordinem propositionum, non tamen habent hoc realiter: quia medium non est vnum secundum rem, sed multa aliquo modo, & variatum, non secundum eandem significationem acceptum in præmissis. Similiter est fallacia secundum ignorantiam elenchi, qui licet immodificatus possit dici, quia habet terminos quatuor, cum syllogismus verus non habeat nisi tres, vt patet. a. est duplum respectu b. & est non duplum respectu c. ergo duplum & non duplum: hic quatuor termini sunt. a. b. c. duplum & non duplum: tamen in hoc non est vis: quia duo sunt syllogismi in elencho: sed constat, quòd immodificatus est talis paralogismus quantum ad elenchum: & hoc facile est videre in omnibus aliis.

Sciendum, quòd quia immodificati sunt, per consequens etiam sunt infigurati: quamuis enim figuram vocalem habeant, non tamen habent figuram realem: quia vel medium est multiplex & non debitè se habet ad extrema, sicut in fallaciis in dictione: vel secundum rem indebitè accipitur, vt in falaciis extra dictionem: & sic non habet figuram realem. Ex his quæ dicta sunt, satis patet de generali reductione in ignorantiam elenchi: & hoc est quod dicere intendimus.

CAPVT II.

De reductione æquiuocationis & amphibologiæ in ignorantiam elenchi, & similiter compositionis & diuisionis, & accentus.

Deinde & secundum partes diffinitionis, &c.

DEinde in reductione in ignorantiam elenchi, specialiter considerandum est secundum speciales partes siue differentias siue conditiones diffinitionis syllogismi & elenchi: & videbitur, quòd contra speciales conditiones & differentias peccant loci sophistici speciales: nam illi loci qui sunt de numero illorum locorum qui sunt in dictione, hi quidem siue aliqui vel quidam peccant secundum duplex in nomine vel oratione, vt æquiuocatio, vel oratio amphibologica, & similis figuratio in figura dictionis: eò quod vno nomine & vna oratione (propter vnitatem vocis quæ causa est apparentiæ in his tribus fallaciis) consuetum est hoc aliquid (hoc est, determinatè vnum) significare: & plura significantur in his tribus fallaciis vna secundum formam prolationis & secundum materiam quæ est nomen & oratio: & sic incidit ignorantia elenchi, cum res diuersa significetur: eò quod contradictio requirit rem eandem significare. Hoc dicimus communiter ad significatum & consignificatum & ad modos significandi & quantum ad suppositionem & modos supponendi. In omnibus enim his sub vno nomine vel oratione plura significantur secundum rem, vel plura significantur, vel plura supponuntur, vel pluribus modis in vno nomine vel oratione. Vno dico secundum formam & materiam. Et in his tribus causa apparentiæ est in vnitate sermonis, & causa defectus est in rei diuersitate primo & per se: & ideo tres isti loci sophistici simul vnam & similem habent reductionem.

Et si dicat aliquis, quòd figura dictionis non habet multiplicitatem: quia non respondetur in ea per distinctionem. Dicimus, quòd hoc est falsum: quia multiplex phantasticum simpliciter multiplex est & in sophisticis, quamuis secundum se non sit simpliciter multiplex: & respondetur ad ipsum per distinctionem sic, cum dicatur non significare vel supponere plura secundum quod vnum supponit & videtur supponere plura: propter similem quidem significationem videtur supponere vnum in re, cum sint plura quæ accipiuntur sub ipsa. In æquiuocatione autem & amphibologia actu plura significantur. Et attende, quòd multiplex phantasticum in reductione magis coniungitur his quæ habent multiplex actuale, quam his quæ habent multiplex potentiale: quamuis in reductione magis conueniat cum potentiali, quam cum actuali: eò quod sicut in actuali multiplici apparentia est prima in vnitate principiorum secundum materiam & formam, & diuersitas in re est causa defectus per quam ignoratur

Obiectio. Solutio.

elenchus: ita est in figura dictionis similis figuratio in sermone causa deceptionis. Causa autem defectus est in ipsa diuersitate per quam deficit ab elencho, & ignorat elenchum. Sic autem non est in multiplicitate potentiali: in hac enim via est oratio vel dictio secundum quod vnitas orationis vel dictionis secundum materiam tantum & non secundum formam prolationis & per posterius diuersitas in re significata & non primo in re: & ideo figura dictionis magis in reducendo in ignorantiam elenchi similis est multiplicitati potentiali, & magis similem cum æquiuocatione & amphibologia habet reductionem, quam cum compositione & diuisione & accentu.

Compositio autem & diuisio, &c.

Compositio autem & diuisio siue locus sophisticus compositionis & diuisionis reducuntur in ignorantiam elenchi per primam causam sui defectus: eò quod deficiunt in hoc quod in compositione formali non est eadem oratio composita & diuisa, & in accentu sub diuersitate accentus prolatum nomen ormaliter differens. Quamuis enim omnes fallaciæ in dictione prouenant: eò quod eisdem nominibus vel orationibus non idem secundum rem significamus, vt in antehabitis dictum est: tamen in diuersis diuersa est nominis vel orationis identitas: in æquiuocatione enim & amphibologia & figura dictionis eisdem nominibus vel orationibus secundum materiam & formam prolationis non eadem significamus: in compositione autem & diuisione & accentu eisdem nominibus vel orationibus secundum materiam, & non eisdem secundum prolationis formam non eadem significamus: & idem hic dicemus, quòd in compositione & diuisione & accentu est oratio & nomen differens non secundum materiam, sed secundum formam.

Oportebat autem & hæc, &c.

Oportebat autem tam in syllogismo quam in elencho etiam hæc omnia, scilicet & orationem & etiam rem eadem esse & secundum materiam & secundum formam prolationis, si deberet verus elenchus vel verus syllogismus fieri: & si non sit eadem oratio vel nomen secundum formam prolationis & secundum materiam vel secundum vtrumque, ignoratur elenchus: quia elenchus est vnius & eiusdem, non nominis tantum vel rei tantum, sed rei & nominis, vt in primis dictum est. Et patet, quòd ignoratur. Cuius probatio est: quia si aliquis respondentium ponat tunicam non esse vestem, & faciens elenchum syllogizet tunicam esse tunicam, & non syllogizet eam esse vestem, quod negauit respondens: opponens talis taliter respondenti non contradicit, & ignorat elenchum: quia contradictio debet esse eiusdem rei & nominis, & ipse non idem nomen syllogizauit: quamuis etiam verum sit illud, quòd tunica est tunica: tamen notificante syllogismo non est hoc syllogizatum: quod manifestum est ex hoc, quod adhuc facto syllogismo & conclusio quod tunica est tunica, respondens indiget interrogatione, quoniam vel vtrum idem significant quantum ad eum qui interrogat vt inferat conclusionem de tunica: cum positio respondentis fuerit de veste. Dicitur autem tunica & vestis idem: quia deriuantur ab eodem: vestis enim est quod vestit, hoc est, tegit: tunica autem dicitur quasi tegica, eò quod tegit. Sic ergo fallaciæ in dictione peccantes secundum multiplex, in ignorantiam elenchi reducuntur.

CAPVT III.

De speciali reductione fallaciæ accidentis in ignorantiam elenchi.

Qui verò secundum accidens, &c.

PAralogismi autem qui fiunt secundum accidens quoad reductionem specialem in ignorantiam elenchi, manifesti fiunt qualiter reducuntur, diffinito syllogismo. Nam eandem diffinitionem quæ est syllogismi, oportet fieri etiam ipsius elenchi: sed oportet illi diffinitioni adiacere per additionem ipsam contradictionem: & hoc ideo est: quia elenchus addit supra syllogismum: quia elenchus non tantum est syllogismus, sed est syllogismus contradictionis: & sic sunt duo constitutiua veri elenchi: ita in diffinitione oportet vtriusque rationem & syllogismi & contradictionis coniungere. Cum igitur generalis sit reductio paralogismorum: quia immodificati sunt, & immodificatus syllogismus non ex necessitate sit secundum aliquid & modificatus. Tamen specialiter & accidentis fallacia, paralogismus est immodificatus: quia ex extranea habitudine medij ad extrema deficit ab illatione necessaria: quod patet in exemplo paralogismi accidentis: quia consequentia hæc non est necessaria propter extraneam habitudinem medij ad extrema: si sic dicatur: cum hoc sit, necesse est hoc esse. Sicut cum homo sit, necesse est animal esse. Hoc autem album est, quod est homo vel animal. Ergo necesse est animal esse album. Hoc enim non est necessarium per syllogismum quocunque modo formetur paralogismus. Si enim sic formetur: si homo est, necesse est animal esse: sed homo est albus: ergo necesse est animal esse album. Sic enim formato syllogismo quamuis bonum videatur argumentum, tamen si sic formetur: necesse est animal esse, si homo est: sed homo est albus: ergo necesse est animal esse album: hic aperte est fallacia accidentis. Potest etiam formari sic: si homo, necesse est animal esse: sed animal album est: ergo necesse est hominem esse album: tunc incidit in fallaciam consequentis & accidentis: quia nihil prohibet in eadem oratione vel paralogismo plures esse modos fallendi, vt in antehabitis dictum est, & in sequentibus ostenderur. Patet igitur, quòd paralogismus accidentis reducitur: quia ignoratur huius conditio elenchi, quod est necessaria syllogismi consequentia: propter extraneam & accidentalem habitudinem medij ad extrema.

Neq; enim si triangulus, &c.

Hoc autem non tantum fit in dialecticis, sed etiam in demonstratiuis: sicut enim in dialecticis necessaria non est talis illatio, in qua medium extraneè se habet ad extrema: ita neque in demonstratiuis si triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, accidit autem triangulo

triangulo figuram esse, vel accidit ei primam figurarum rectilinearum esse, vel accidit triangulo principium compositionis poligoniarum figuratum esse: eò quod omnis figura poligonia siue multorum angulorum in tot angulos resoluitur, quot numero habet angulos: & si resoluitur in triangulos omnis poligonia figura, sequitur quod triangulus est principium compositionis omnium poligoniarum rectilinearum figuratum: & sic accidit triangulo principium esse: accidit ergo triangulo & figuram esse & primum esse & principium esse. Non tamen potest necessaria & per se illatione concludi passio & trianguli de his quæ accidunt triangulo: si enim sic formetur syllogismus: omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis: sed triangulus est figura per primum vel principium: ergo figura vel primum vel principium habet tres angulos æquales duobus rectis. Sed est ibi fallacia accidentis & ignorantia elenchi: quia ignorat, quod facit consequentiam per se & necessariam: hoc enim est id quod est proprium subiectum & præcisa causa passionis, vt in posterioribus determinatum est, cui passio conuenit omni & semper & secundum ipsum.

Obiectio.

Et si dicatur, quod hæc illatio est necessaria, siue formetur syllogismus in prima figura, siue in tertia, in quibus ex affirmatiuis proceditur syllogizando: si enim sic syllogizet aliquis: omnis triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis: figura est triangulus: ergo figura habet tres æquales duobus rectis: necessaria videtur illatio. Eodem modo si formetur in tertia figura sic: triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis: triangulus est figura vel primum vel principium: ergo figura vel primum vel principium habet tres angulos æquales duobus rectis: illatio iterum videtur esse necessaria: & ita videtur, quòd non impediatur illatio necessaria: non ergo videtur, quòd per hanc reducatur paralogismus accidentis.

Solutio.

Ad hoc soluendum secundum Aristot. dico, quòd iste modus peccat contra syllogismum demonstratiuum, & non contra dialecticum: quia non concludit passionem de eo quod proprium & præcisum subiectum est passionis, & cui secundum ipsum conuenit passio: demonstratio enim talis passionis non potest esse de subiecto quod est figura vel primum vel principium, sed est de his inquantum sunt triangulus cui secundum seipsum talis conuenit passio.

Quare si elenchus syllogismus, &c.

Et ideo si elenchus est aliquis vel quidam syllogismus, non erit verus & demonstratiuus elenchus, qui fit de subiecto quod non habet tres angulos æquales duobus rectis, secundum accidens, hoc est, gratia alterius quod accidit ipsi: quia illi per se non conuenit, sed per alterum. Si autem secundum hoc aliquis obiiciat dicens, quod secundum hoc particularis demonstratio semper fit secundum paralogismum accidentis: vt si sic arguatur: omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, isosceles est triangulus: ergo habet tres æquales duobus rectis: quia isosceles non est per se subiectum & causa præcisa passionis.

Obiectio.

Solutio.

Dicendum est, quòd in particulari demonstratione etsi non subiiciatur per se subiectum, subiicitur tamen id in quo intellectu & actu ponitur per se subiectum passionis: quia in isoscele actu & intellectu subiicitur triangulus: sed quando subiicitur id cui per se non conuenit passio, nec ponitur in ipso, huic non conuenit passio nisi per accidens: & hoc est figura & primum & principium, quorum neutrum ponit triangulum: quia per consequens non ponitur antecedens, quamuis è conuerso antecedens ponat consequens: & ideò argumentatio talis tota est per accidens, & est in demonstratiuis paralogismus accidentis.

Sed secundum hoc & artifices, &c.

Talis autem paralogismus non contemnendus est tanquam leuis: quia secundum hunc in operatiuis artifices qui ordinare habent in artificiis, & omnino siue vniuersaliter scientes & sapientes ab insciis arguuntur: insci enim quando volunt arguere contra sapientes, maximè secundum accidens faciunt syllogismos, vt dicantur sapientes secundum illam sapientiæ determinationem in sexto ethicorum, quòd sapientia est virtus artis & scientia: secundum hoc enim sapiens est in qualibet arte, cuius experientia illius artis ordinare conuenit de artificio, & eius causam reddere. Sapiens enim si dicat tantam columnam tanto capitello subiiciendam esse, statim argui potest, quod tantæ columnæ accidit lapidem vel stillum esse: ergo tanto capitello tantus lapis vel stillus subiiciendus est. Qui verò de numero sapientum non possunt diuidere quid cui per se & secundum ipsum conueniat, & quid per se non sit secundum ipsum, sed per aliud & per accidens: aut concedunt interroganti siue opponenti quod concludunt: aut quando diuidere non possunt, etiamsi non concedunt, tamen concedere videntur: & hoc in sophisticis inconueniens: quia non vult sophista videri reprehensus vel redargutus. Sic igitur patet qualiter secundum specialem modum paralogismus accidentis & in demonstratiuis & in dialecticis in ignorantiam elenchi reducatur.

CAPVT IV.

De reductione fallaciæ secundum quid & simpliciter, & fallaciæ secundum ignorantiam elenchi, & fallaciæ petitionis principij, & fallaciæ secundum non causam vt causam.

Qui autem secundum quid, &c.

PAralogismi autem qui fiunt per locum sophisticum qui dicitur secundum quid & simpliciter, in elenchi ignorantiam reducuntur ex hoc quod ignoratur elenchus inquantum elenchus est, in hoc quod in eis non de eodem & secundum idem est affirmatio & negatio, cum in contradictione potissimum requiratur, quòd de eodem & secundum idem sit affirmatio & negatio. Quod autem in paralogismis fallaciæ secundum quid & simpliciter, non sit affirmatio & negatio de eodem, probatur ex

hoc, quòd secundum quid albi negatio propria est secundum idem quid secundum quod album dicitur non esse album, vt Indum esse album secundum dentem, Indum non esse album secundum dentem, opposita sunt secundum affirmationem & negationem; & simpliciter albi siue dicere aliquid simpliciter esse album, huius negatio est simpliciter non esse album, vt huius quod dico cignum esse album, negatio est cignum non esse album: sed secundum quid esse album, non habet oppositam negationem simpliciter non esse album: nec è conuerso simpliciter album esse, non habet negationem oppositam secundum quid non album esse. Si ergo aliquis opponentium accipit vt simpliciter, quod à respondente non nisi secundum quid album esse datum est, non ad idem refert affirmationem & negationem: & sic non facit elenchum siue contradictionis syllogismum. Videtur tamen facere elenchum esse: eò quod ignoretur, quòd sit elenchus secundum hanc elenchi conditionem, quod est de eodem esse affirmationem & negationem.

Obiectio. Et si aliquis obiiciendo dicat, quòd cum sic arguatur dato à respondente, quòd Indus non est albus: Indus est albus dentem: ergo est albus: & tu dedisti, quòd non est albus: istæ sunt verè contradictoriæ, Indus est albus, & Indus non est albus: & sic vera est contradictio in talibus paralogismis. Et addat adhuc, quòd cum dicitur, Indus non est albus, Indus est albus, affirmatio & negatio sit de eodem subiecto: & sic est vera contradictio.

Solutio. Dicendum, quòd non est vera contradictio: quia in hac, Indus non est albus, subiicitur Indus secundum se, in hac autem, Indus secundum dentes est albus, non subiicitur Indus secundum se, sed cõtractus ad partem sui materialem, vt ad dentem: & sic contradictio non est de eodem vt de eodem siue circa idem, nec est de eodem subiecto: & sic peccat contra elenchum: in processu autem à quid ad simpliciter incidit fallacia secundum quid & simpliciter. Et quamuis sic peccet talis paralogismus contra elenchum, si comparetur conclusio ad id quod datum est à respondente: tamen si eadem conclusio compararetur ad præmissas syllogismi in quibus debet esse sicut causatum in causa secundum necessariam illationem & consequentiam, peccabit etiam contra syllogismum, vt supra (in loco vbi de paralogismis secundum quid & simpliciter agebatur) dictum est: & sic etiam ignoratur syllogismus, & ignoratur elenchus: & hæc est duplex ratio reductionis horum paralogismorum.

Manifestissimi autem omnium, &c. Manifestissimi autem sunt quoad reductionem paralogismi qui prius cum de ignorantia elenchi agerentur, dicti sunt fieri; et diffinitionem omissam vel ignoratam ipsius elenchi. Hi enim reducuntur in ignorantiam elenchi, non sicut idem ad seipsum, sed sicut speciale ad generale: eò quod generaliter accipitur ignorantia elenchi secundum quod in ipsum alij loci sophistici reducuntur: in talibus paralogismis fit phantasia vel deceptio per apparentiam & non existentiam secundum omissionem rationis siue diffinitionis elenchi secundum aliquam parabolam vel differentiam ponendam in ratione elenchi. Et diuidentibus & determinantibus sic, vt dictum est, communibus ratio reductionis in omnibus locis sophisticis ponenda est: & hæc est diminutio siue omissio & ignorantia rationis elenchi secundum quod diffinitur vt syllogismus contradictionis.

Qui verò in eo quod sumitur &c. Illi autem paralogismi qui fiunt in eo quod sumitur vel petitur hoc quod erat in principio sumptum vel positum secundum quod principium est præmissa in qua petitur conclusio & non probatur: & etiam paralogismi qui fiunt in fallacia secundum non causam vt causam, eò quod inter præmissas ponitur pro causa conclusionis, quod non est causa illationis eius: manifesti fiunt quoad reductionem per diffinitionem syllogismi & elenchi secundum quod syllogismus est & elenchus. Secundum enim rationem diffinitiuam elenchi secundum quam elenchus syllogismus est, oportet accidere conclusionem sibi sequi, eò quod hæc sunt, ita quod præmissæ sint causa propter quam sequitur conclusio: & ab hoc diffinitio syllogismi deficit non causa, & sic ignorat elenchum. Et rursum in syllogismo probante & certificante oportet, quòd conclusio sequatur ex talibus in quibus non est exprimere id quod in principio ponitur: quia nihil probari potest per idem & seipsum: eò quod non probatur nisi vel ignotum per notum, vel minus notum per magis notum: & hanc particulam elenchi inquantum syllogismus est, non habent, sed ignorant paralogismi qui sunt generati secundum petitionem eius quod est in principio. Has autem duas fallacias non causam scilicet & petitionem principij in reducendo coniungimus, quod secundum ignorantiam eiusdem particulæ diffinitionis elenchi reducantur. Et ideò etiam reductionem petitionis eius quod est in principio, reductioni fallaciæ consequentis præordinamus.

Remouet dubium.

CAPVT V.

De reductione fallaciæ accidentis in ignorantiam elenchi.

Qui verò secundum consequens, &c. PAralogismi autem qui sunt secundum consequens, per hoc reducuntur in ignorantiam elenchi, qui sunt partes accidentis, non quidem veræ partes subiectiuæ vel integrales, sed sunt partes quasi subiectiuæ in hoc quod aliquam habent similitudinem cum partibus subiectiuis: posita enim parte ponitur totum, & non è conuerso, toto posito ponitur pars: ita est in antecedente & consequente, quòd vbicunque consequens est, ibi est antecedens: & non conuertitur, quòd vbicunque sit antecedens, ibi sit consequens. Nam consequens accidit semper, hoc est, vbicunque est consequens, ibi est antecedens: sed non conuertitur, quòd si antecedens sit, consequens semper sit. & hæc quidem videtur esse intentio Aristot. Aliter autem dixerunt quidam antiquiores, quòd

Alia expositio & est antiquerti ignorandum.

quòd, sicut dictum est supra in generatione paralogismorum consequentis, vno modo antecedens accidit consequenti, & alio modo è conuerso consequens accidit antecedenti: tertio modo vnum conuertibilium accidit reliquo: propter quod accidens commune est ei quod antecedit, & ei quod sequitur, & ei quod conuertitur: & ideò necesse est consequens siue id quod sequitur, partem esse accidentis: cum accidens commune sit ad hæc tria. Et quod hæc sit intentio Aristot. quando dicit consequens esse partem antecedentis, patet ex hoc, quòd vnus locus sophisticus non potest esse pars alterius quantum ad habitudinem inferendi: quia si hoc modo esset pars alterius quantum ad habitudinem inferendi, & non faceret numerum cum ipso, idem sequeretur si esset pars integralis eius: vnde oportet, quòd consequens sit accidentis à parte terminorum in quibus habent fieri accidens & consequens: & non à parte ipsarum habitudinum: sicut locus à specie, non est pars loci à genere: quamuis ea quorum sunt istæ habitudines, sic se habeant, quòd vnum est pars alterius subiectiua: & hoc consequens est pars subiectiua alterius. Et sic consequens est pars accidentis à parte terminorum, in quibus fiunt accidens & consequens, & non à parte habitudinum ipsarum quæ sunt consequentis ad inferendum. Habitudinum autem dico sophisticarum: omne enim consequens accidit: sed non conuertitur: eodem enim modo verum est, quòd antecedens accidit, vt quod consequens accidit, & quod conuertibile accidit, vt in præhabitis in generatione paralogismorum accidentis dictum est. Sic ergo patet qualiter consequens est, quasi subiectiua pars accidentis.

Differt autem ab accidente, &c. Ne autem aliquis credat propter hoc quod consequens est pars antecedentis, quòd non faciat numerum cum eo instituendo locum sophisticum specialem, ideò assignanda est differentia dicendo, quòd differt ab accidente consequens: quia accidens quidem est in vno solo sumere, consequens autem semper in pluribus. Et hoc est dictum Aristot. quod tripliciter exponitur, & semper bene & satis conuenienter. Vno quidem modo, quòd accidens semper est in vna consequentia: quoniam accidens est subiecti, & accidens consequens ad subiectum, & accidens relatum ad vtrumque, vt in antehabitis de accidente determinatum est. Consequens autem est in duabus vel pluribus consequentiis, siue à positione consequentis, siue à destructione antecedentis procedatur. Alio autem modo quia accidens est in vno solo medio, quod extrancè & accidentaliter se habet ad extrema: consequens autè in pluribus: quia illatio consequentis est semper ab eo quod est in pluribus: & ideò non de necessitate ponit & infert consequens. Alij autem exponendo dicunt, quòd accidens est in vno, hoc est, in terminis conuertibilibus qui sunt vnum in subiecto. Cuius exemplum est, vt si idem (hoc est, conuertibilia secundum subiectum) ponantur esse rubeum humidum & mel, sic quod omne rubeum humidum sit mel: sicut è conuerso, omne mel est rubeum humidum. Et si idem in subiecto per conuertibilitatem ponantur esse albus & cignus, ita quod omne album sit cignus: sicut è conuerso, omnis cignus est albus. Adhuc enim incidit in talibus fallacia accidentis sic: idem est mel & rubeum: tu cognoscis rubeum: ergo tu cognoscis mel. Vel sic: idem est album & cignus: tu cognoscis album: ergo tu cognoscis cignum. Et cum dicitur, quòd consequens semper in pluribus est (hoc est, in terminis non conuertibilibus) quia à non conuertibili, sed ab eo quod est in pluribus, accipit inferentiam consequens: nam in consequente quæ vni & eidem sunt eadem, illa probamus per paralogismum consequentis sibiinuicem esse eadem. Ex tali enim & propter talem apparentiam & defectum sit secundum consequens apparens elenchus. In consequentis enim fallacia medium est in plus vtroque terminorum: quia quando aliquid est idem alteri, illud alterum sequitur ad ipsum: & si duo quæ non sunt sibiinuicem eadem esse dicantur in tertio, sicut homo & asinus in animali, illud tertium erit consequens ad vtrumque illorum: & si tertium illud fuit medium ad inferendum vnum istorum de alio, tunc erit medium inferens in plus & illarum in minus: & ita semper erit fallacia consequentis: vt homo est animal: & asinus est animal: ergo homo est asinus. Et est à positione consequentis: eò quod medium in fallacia consequentis semper erit consequens non conuertibile. Non enim generaliter verum est, quòd quæcunque vni & eidem sunt eadem, quòd ipsa sunt eadem: siue quæ in vno & eodem sunt eadem, quòd ipsa sunt eadem: non enim generaliter hoc verum est, si sint eadem in vno secundum accidens, & non ita, quod vnum participet illud per alterum & aliud per se. Hoc patet: quia nix & cignus sunt in alio idem, ita quod vtrumque per accidens & non vnum per aliud respicit albi prædicationem: & tamen nix & cignus non sunt idem: sed homo & animal sunt in substantia idem, & vnum est per aliud & non per accidens: & ideò homo est animal. Et sic formatur paralogismus: nix est alba: cignus est albus: ergo nix est cignus.

Aut rursum vt in Melissi ratione, &c. Aut rursum in alio exemplo, sicut in Melissi ratione, ipse Melissus hæc duo idem esse accepit, scilicet quod factum est & principium habet, in eo quod est terminatum siue finitum esse. Et formatur sic paralogismus: quod factum est, terminatum est: quod habet principium, terminatur siue finitum est: ergo omne factum habet principium. Idem enim sequitur factum, existens idem cum eo quod habet principium, propter id quod idem esse ponuntur in eo quod est esse terminatum siue finitum: & sic fit paralogismus consequentis ex affirmatiuis in secunda figura. Non solum autem fit hoc modo paralogismus consequentis, sed etiam quando conuertitur consequentia quæ conuersionem non habet, sicut patet in hoc paralogismo: quæ æqualia sunt, eandem magnitudinem accipiunt: ergo quæ eandem magnitudinem accipiunt, æqualia sunt. Duo & tria eandem magnitudinem accipiunt, si vtrique duo addantur. Ergo duo cum duobus & tria cum duobus sunt æqualia, quod falsum

falsum est: quia duo cum duobus sunt quatuor,& tria cum duobus sunt quinque. Melissus enim sumit quia quod factum est, habet principium, quòd etiam è conuerso sit, quòd omne quod principium habet, sit factum. Melissus enim in hac ratione probat siue probare videtur id quod principium habet, factū esse, & quod factum est, principium habere, in eo quod sunt idem vel eadem in hoc quod est terminatum siue finitum esse: & ab illo sumit inferentiam, quod sint eadem ex affirmatiuis in secunda figura.

Similiter autem ei in his, &c.

Similiter ergo arguit, ac si sic arguat in his: si aliqua æqualia facta sunt, quod non sequitur: quia eandem magnitudinem accipiunt: ergo quæ vnam sumunt magnitudinem,æqualia facta sunt, quod non sequitur. Quare patet quod sumit consequens & arguit à positione consequentis. Sic ergo patet qualiter consequens est pars accidentis: & quoniam accidentis fallacia in ignorantiam elenchi reducta est, manifestum est, quoniam & iste paralogismus qui secundum consequens est, reductus est in ignorantiam elenchi vt pars eius: & iste communis modus est cum accidente reductionis consequentis in ignorantiam elenchi. Reductio tamen paralogismi consequentis etiam aliter speciali modo perspicienda est: & quia specialiter ignorat elenchum secundum illud diffinitiuum in elenchi diffinitione positum, quod est, quod syllogismus est oratio in qua quibusdam positis,aliud accidit ex necessitate: contra hoc enim peccat paralogismus consequentis:quia non habet debitam terminorum positionem: eò quod consequens ponit pro antecedente, & è conuerso: cum tamen consequens non necessariò ponat antecedens, quamuis antecedens ponat consequens. Hæc est sententia Aristot. de reductione consequentis in ignorantiam elenchi à nobis secundum duos Commentatores fideliter exposita:& sunt in ea adhuc dubitationes plurimæ.

CAPVT VI.

De solutione dubiorum quæ sunt circa ea quæ dicta sunt.

Dubitatio prima.

EST autem dubitatio primum de hoc quod si consequens pars accidentis est,siue integralis,siue subiectiua,non deberet consequens cum accidente facere numerum: quia pars cum toto non facit numerum: consequens ergo cum accidente non facit nisi vnum locum sophisticum.

Secunda.

Adhuc autem videntur opposita & non simul posse stare,quòd accidens in vno solo aliquando, consequens autem semper in pluribus, & quod tamen consequens sit pars accidentis: quia plura non sunt pars vnius, sed potius è conuerso vnum est pars eorum quæ sunt plura.

Solutio primæ.

Sed ad hoc dicendum est, quod sicut ante dictum est, non dicitur consequens pars accidentis, quod sit verè pars vel integralis vel subiectiua, sed quia quandam similitudinem habet partis subiectiuæ: quia vbicunque est consequens,ibi est accidens: sed non conuertitur: cuius ratio in communi est,quòd in fallacia accidentis medium siue inhærens est in plus quam extrema illata: & ideo accidit, quòd id quod est in plus,accidit ei quod est in minus, & è conuerso. Cum ergo in fallacia consequentis semper prius attribuatur ei quod est in plus, & aliud idem posteà attribuatur ei quod est in minus, semper attribuitur aliquid rei subiectæ, & posteà accidenti, & hoc facit paralogismum accidentis. Patet ergo, quòd in omni paralogismo consequentis coincidit & est paralogismus accidentis: quandocunque enim dissimiliter attribuitur rei subiectæ & accidenti,fit fallacia accidentis. Vbicunque igitur est consequens, ibi est accidens: sed non conuertitur, quòd vbicunque sit accidens, ibi sit consequens: quia sicut in antehabitis de accidente dictum est, accidens in multis terminis est & conuertibilibus & non conuertibilibus.

Vbicunque est fallacia consequentis, ibi est fallacia accidentis: sed non è conuerso.

In terminis autem conuertibilibus, vt cum dicitur:homo est risibile:risibile est proprium: ergo homo est proprium. Et patet, quòd hoc est accidens, & non consequens: quia secundum consequentiam terminorum naturalem non conuertitur. Est etiam accidens in terminis non conuertibilibus, & hoc modo in terminis se habentibus vt excedentia & excessa: album currit: musicum album: ergo musicum currit. Et est accidens hic & non consequens: quia consequentia naturalis non est è conuerso: & sic iterum est sine consequente. Est etiam in terminis non cōuertibilibus quæ se habent vt in plus & in minus: & hoc dupliciter, scilicet ita quod termini sint diuersorum generum vel vnius & eiusdem generis, vt superius & inferius. In terminis diuersorum generum: vt hic: omne æs naturale: statua æs: ergo statua est naturalis. Hic iterum est accidens sine consequente: quia naturalis consequentia terminorum non est è conuerso.

In terminis autem non conuertibilibus eiusdem generis non in debita figura & modo dispositis dupliciter: quia medium comparatur ad vtrumque extremorum, vt ad vnum vt ad suppositum, & ad alterum vt essentia simplex. Dico autem non debito modo in figura: quia si in talibus terminis debita figura & debitus modus sumitur, nulla incidit fallacia,sed fit verus & bonus syllogismus. Dico autem figuram indebitam & modum, quando in prima figura aut maior est particularis, aut minor negatiua, aut in secunda figura ambæ sunt affirmatiuæ ex quibus procedit. Si ergo medium comparetur ad vnum ratione suppositi, & ad alterum ratione essentiæ, fit fallacia accidentis sic: animal est genus: homo est animal: ergo homo est genus. Hic etiam est accidens & non consequens: quia consequentia non conuertitur. Si autem comparetur medium ad vtrumque extremorum in ratione suppositi,& non sit in debita figura & materia, sic fit fallacia accidentis & coincidit cum ipsa fallacia consequentis semper in tali casu: vt quando arguitur ex maiori particulari vel minori negatiua

gatiua in prima figura,vel ex vtraque negatiua in secunda figura in terminis in eodem genere se habentibus vt superius & inferius. Vt omnis homo est animal: omnis asinus est animal: ergo omnis asinus est homo. E conuerso non sequitur: & sic patet, quòd vbicunque est consequens,ibi est accidens: sed non è conuerso vbicunque est accidens, ibi etiam est consequens:& sic consequens dicitur quasi pars accidentis. Et hoc etiam modo dici potest,quòd consequens est in vno,accidens autem in pluribus modis terminorum. Cum autem non fit nisi in vno terminorum, sed non conuertibilium,in eodem genere se vt inferius & superius habentium,non in debitis figura & modo dispositis: & sic ratione terminorum quibus accidens fit,consequens est pars accidentis: & sic accidens est in vna sola consequentia, & consequens in consequentiis pluribus:vel accidens est in vno solo conuertibili, & consequens semper in pluribus, quia infert à consequente: & semper est in pluribus: quia id quod in plus est, semper consequens est: quod autem in minus, est accidens.

Solutio secunda.

Et quocunque modo dicatur, semper erit verum quod dictum est, quòd scilicet consequens est pars accidentis:& tamen accidens in vno solo, consequens autem in pluribus semper: quia licet accidens in pluribus generibus sit terminorum, tamen accidens est aliquando in vno solo, quando scilicet est in conuertibilibus. Hoc autem modo consequens est nunquam in vno solo: quia inter consequentia conuertibilia,consequentia semper est bona:& patet,quòd hoc modo vt pars subiectiua cōsequēs est accidentis dupliciter, ratione scilicet terminorū in quibus sunt & accidens & cōsequens: & quia semper vbi est consequens, semper ibi est accidens: sed non conuertitur, quòd semper ibi sit consequens, vbi est accidens. Et quia non est vera pars, nec ratione habitudinum inferentium est pars, ideò non sequitur, quòd non debeat facere numerum cum ista fallacia quæ est secundum accidens.

Secundum consequens ergo decipimur, vt dictum est paulò ante, quando ea probabamus esse eadem sibiinuicem, quæcunque vni & eidem sunt eadem secundum accidens & non per se; nec ita, quòd vnum per aliud sit idem illi: quia tunc credimus, quòd quæcunque sunt eadem consequenti, putamus eadem esse antecedenti: ideò quod videmus, quòd quæ sunt eadem antecedenti, sunt eadem consequenti: quando enim vnum est de duobus, sit dispositio secundæ figuræ ex affirmatiuis: vt cignus est albus: nix est alba: ergo cignus est nix. Et sic est in Melissi ratione, quòd principium habere & factum esse vnum sunt in eo quod est terminorum esse: & ideò creditur, quòd sicut omne factum habet principium creationis, sic omne quod habet principium, sit factum: & hoc non est verum secundum consequentiam, vt in antehabitis dictum est. Similiter autem in alio paralogismo: quæ enim æqualia facta sunt, eandem magnitudinem accipiunt, æqualia esse facta, cum hoc non sit verum frequenter, vt in præhabitis dictum est. Sic ergo intelligendum est quod in præhabitis de consenquente dictum est.

CAPVT VII.

De reductione fallaciæ secundum plures interrogationes vt vnam in ignorantiam elenchi.

Qui verò in eo quod plures interrogationes, &c.

PAralogismi autem qui fiunt in eo quod aliqui plures interrogationes vt vnam faciunt, in eo reducuntur in ignorantiam elenchi, quòd in paralogismis illis non eodamus, id est, manifestamus propositionis (quæ elenchi est proprium) diffinitionem:nam propositio quæ substantialis est syllogismi & elenchi, propositio est secundum diffinitionem veram, qua vnum prædicatum de vno subiecto est. Quod ex hoc probatur,quòd eadem diffinitio est vnius solius rei & simpliciter sine discretione vel nota discretionis posita: eò quod vnum non addit ad rem cui opponitur rem aliquam vel formam rei alicuius, sed modum discretionis tantum, qui modus totus in negatione consistit:& hoc patet,quòd vnum est indiuisum in se & ab aliis diuisum: indiuisum autem in se negatio est, ad quam consequitur diuisum esse ab aliis: & sic realiter non addit vnum super rem quæ vna dicitur esse: & ideò modo discretionis differt vna res à re, & non rem aliquam addit. Vna igitur & eadem est diffinitio vnius rei & simpliciter rei, vt hominis,& vnius tantum hominis non singularis, sed vnius per discretionis notam indiuisi. Similiter autem est etiam in aliis. Si ergo vna tantum propositio est, quæ vnum prædicatum de vno subiecto assignat: tunc etiam simpliciter propositio erit illa, quæ talis est interrogatio. Quoniam autem syllogismus ex propositionibus est, quæ simpliciter propositiones sunt, & omnis elenchus est syllogismus, sequitur quòd elenchus ex necessariis erit propositionibus. Si autem propositio est vnum de vno, manifestum est, quòd qui hoc ignorat & omittit, incidit in ignoratiam elenchi quoad omissionem huius particulæ, quòd propositio elenchi non est vna de vno: quia fiunt interrogationes plures vt vnam vel in vnam.

Vnum nihil reale addit super rem.

Ex omnibus autem præinductis patet,quòd paralogismi, qui sunt secundum ignorantiam elenchi,omnes reducuntur in ignorantiā elenchi, quoniam est in eis apparens & non vera contradictio, quæ erat proprium elenchi, & sic principaliter peccant contra elenchum: nō quin etiam peccent contra syllogismum, sed ideo quia possunt peccare contra elenchum, nihil peccando contra syllogismum: possunt enim impedire contradictionem, non impediendo syllogismum. Vt si dicatur à respondente,canis est latrabile,& arguatur sic in contrarium: nullus piscis est latrabile:quidam piscis est canis: ergo quidam piscis non est latrabile: est syllogismus in 4. primæ,& non impedi

peditur: & tamen non contradicit: & similiter est in aliis fallacijs in dictione. Alij autem paralogismi qui fiunt secundum fallacias extra dictionem, in ignorantiam elenchi reducuntur: quia peccant contra syllogismi diffinitionem: quia illi etsi peccant contra dictionem vt fallacia secundum quid & simpliciter, vt in antehabitis dictum est, & ignorantia elenchi: tamen dicuntur peccare contra syllogismum, quia non peccando contra dictionem possunt impedire syllogismum: vt si detur à respondente, quòd nullus homo est genus: & arguatur in contrarium sic: animal est genus: homo est animal: ergo homo est genus. Istæ enim, nullus homo est genus, & homo est genus, vere contradicunt: & tamen syllogismus non valet impediente fallacia accidentis. Et sic est in aliis fallacijs extra dictionem generaliter loquendo conclusio paralogismi habet duas comparationes: vnam quidem ad præmissas ex quibus sequitur & in quibus est vt effectus in causa, & sic impedit syllogismum: aliam autem ad defectū respondentis contra quem arguitur, & quem sophista opponens intendit redarguere à loco sophistico argūs: & quoad vtramq; comparationem omnes paralogismi peccant contra elenchum.

Quare paralogismos fallaciarum in dictione vocat Aristot. orationes paralogismos autem fallaciarum extra dictionem paralogismos.

Et attende, quòd affirmatio & negatio orationes sunt, & fallaciæ in dictione peccant contra elenchum: ideò Aristo. paralogismos fallaciarum in dictione frequentius vocat orationes: & quia paralogismi fallaciarum extra dictionem peccando contra syllogismum, non peccando contra elenchum, ideò vocat illos frequentius paralogismos, quasi apparentes syllogismos. Sic etiam figura dictionis pecabit contra syllogismum mutando quid in quale, quando fit ex collatione propositionum adinuicem & ad conclusionis consequentiam: & peccabit contra elenchum comparando conclusionem ad redargutionem respondentis: quia si respondens concedat quid, & opponens arguat de quali, non contradicit.

Et sic est in eo quod est secundum quid & simpliciter, in eo qui est secundum ignorantiam elenchi specialem, secundum quod elenchus consistit in quatuor conditionibus contradictionis, quæ sunt idem, & secundum idem, & simpliciter, & in eodem tempore: sic enim ignorantia elenchi impedit contradictionem. Si autem conclusio comparetur ad præmissas, tunc impedietur syllogismus.

TRACTATVS V.

Qualiter ex loco sophistico generatur deceptio in eo qui non potest distinguere.

CAPVT I.

Qualiter hoc fit in locis sophisticis in distinctione.

DETERMINATIS autem his de exactatione paralogismorum secundum singulas fallacias, & reductione eorundem in ignorantiam elenchi: quia non redarguitur per locum sophisticum in quo fallacia siue deceptio per fallaciam non generetur: redargui autem videtur in quo generatur deceptio: ideò in hoc tractatu ostendemus qualiter ex principio motuo (quod est fallacia) paritur quis deceptionem, & generatur in ipso in hoc quod decipitur fallacia quæ sui apparentia principium est deceptionis.

Fallacia autem fit in his quidem, &c.

Dicimus ergo, quòd fallacia siue deceptio talis fit in his quidem locis sophisticis qui secundum dictionem sunt. Et primo secundum æquiuocationem & orationem amphibologicam, cum ab aliquo decipitur per multiplex æquiuocationis vel amphibologiæ, & non potest diuidi siue distingui quod multipliciter dicitur: eò quod vocis incomplexæ vnitas, scilicet nominis vel verbi, vel vnitas orationis in amphibologia, credere facit vnitatem significationis & rei significatæ sub dictione vel oratione, & non valens distinguere decipitur. Quædam autem æquiuocorum non est idoneum (hoc est, non est facile) diuidere, & præcipuè quæ sunt æquiuoca secundum analogiam, & in his maxime prima quæ aliorum sunt principia, vt vnum, &ens, & idem: quia in his & nomen vnum & significatum vnum & in vno, sed modis quibusdam illius quidem significatum importat multa, vt vnū, & ens, quod significat substantiam, & non significat accidens, nisi quia est modus vnius & entis quod est substantia: & hunc modum est difficile videre. Et idem est etiam de illis qui idem est effectus vnius. In æquiuocis autem quæ sunt casu & fortuna æquiuoca, eò quod nomen diuersis institutionibus significat multa, eò quod talium nomen vnum est, & ratio substantiæ apertè diuersa, facile est videre distinctionem.

In his autem quæ secundum compositionem, &c.

In his autem locis sophisticis quæ sunt secundum compositionem & diuisionem, fallacia siue deceptio generatur in eo, siue ex ista apparentia, quòd oratio secundum materiam notissima, nihil putatur differre, quando est composita secundum formam in distinctione

probatio

probationis, & quando est diuisa per distinctionē inferendo, sicut patet in plurimis distinctionibus in quibus est compositio fallens vel diuisio fallens. Similiter est causa deceptionis in dictione vna secundum materiam, non vna autem secundum formam prolationis: in his vnitas materiæ causa est motiua: deceptio autem generatur ex hoc quod quis nescit distinguere, quod aliquid significatur acutè vel remissè prolata, sicut in his deceptionibus quæ sunt in paralogismis secundum accentum. In his enim propter vnitatem materialem vocis non aliud videtur significare remissa grauiscilicet accentu; & intensa siue acuto accentu prolata: in nullo enim vel non in pluribus oratio (in qua talis distinctio ponitur) aliud significare videtur: diuersas enim istæ fallaciæ deceptiones generant propter diuersitatem motiuorum siue apparentiarum quæ sunt in ipsis.

Horū verò qui sunt secundum figuram &c.

Horum autem paralogismorum qui sunt secundum figuram dictionis, vel in terminatione, vel in significatione, vel in suppositione, difficile est alicui imperito diuidere, hoc est, per distinctionem comprehendere, quæ similiter vel in figura terminationis vel in modo suppositionis similiter dicuntur, & quæ sunt ista quæ diuersæ ab illis vel consignificant, licet diuersè terminentur: vel quæ diuersè ab illis significantur, vt sic vnum significetur quid, & aliud quale vel quale quid: vel quæ non eodem supponuntur, vt speciem vnius prædicamenti vel generis mutat in alia. Qui enim potest hoc facere, quòd sic distinguat quæ vnam habent appellationis siue dictionis significationem, ita quod penè diuidat, hoc est, quæ penè in figura dictionis similia sunt, illi proprie est videre verum. Sicut gratia exempli dicimus, quòd omne quod in communi prædicatur vel subiicitur, hoc opinamur hoc aliquid significare, & intelligimus ipsum gratia suppositi poni, & vnum aliquid, sicut in prædicamentis dictum est: quia substantiæ nomen secundum appellationis figuram videtur hoc aliquid significare: talia enim significant formam siue materiam quæ communicabilis est suppositis, & per modum concreti dicuntur secundum figuram vocis, vt homo, corpus, substantia, animal: & ideò in ipso nomine inclinationem ad substantiam suppositam significant; propter quod hoc aliquid videntur significare: aliquando tamen significant ipsam essentiam: & ideò difficile est distinguere. Qui distinguere scit ea quæ penè similia sunt, cum tamen diuersa sunt, maximè sciet annuere siue dare in talibus quod dandum est, & negare quòd negandum est: hoc autem maximè est in transcendentibus & in generalissimis, sicut patet, quòd vnum & substantia quæ est genus, maximè videtur sequi hoc aliquid: & etiam ipsum ens maximè videtur sequi hoc aliquid: quia hoc aliquid maximè est vnum, & maximè substantia, & maximè ens: vnde si aliquis in talibus distinguat significatum à supposito, & maximè annuit per distinctionem quid pro nomine accipiatur, maximè potest videre verum.

Quare in his quæ sunt secundum dictionem, &c.

Propter quòd etiam patet, quòd hic qui secundum figuram dictionis ponitur, ponendus est in his locis sophisticis qui sunt secundum dictionem: quamuis in aliquibus conueniat cum locis sophisticis qui sunt extra dictionem. Et hoc probatur tribus rationibus. Primo quidem probatur hoc ex hoc, quoniam hæc fallacia quæ secundum figuram dictionis est, magis fit per deceptionem his quæ cum aliis considerant, quam his quæ per se apud seipsos considerant. Apud se autem considerat aliquis, quum non vtitur sermone considerato apud seipsum: apud alium autem inquirens & considerans, oportet quòd sermone vtatur: quia consideratio quæ est cum aliis, fit per orationes, in quibus propter figuram dictionis incidit deceptio: consideratio autem quæ est per se, quando aliquis apud seipsum considerat, non minus est per ipsam rem, quam per sermonem: quinimo multo magis per rem ipsam consideratam, quam per seipsum consideratam.

Deinde secunda ratione accidit aliquando falli etiam per seipsum consideranti: sed hoc fit quando rem considerat in ipso sermone significatam, & non considerat eam absolutam à sermone: & ideò propter figuram sermonis etiam apud seipsum consideranti accidit figura siue deceptio: & sic iterum à sermone causatur apparens & non existens deceptio & fallacia generata in decepto.

Amplius adhuc tertia ad idem ratio est, quia hæc fallacia habet apparentiam & motiuum ad deceptionem quam generat ex similitudine non quidem significati vel consignificati vel suppositi, quia in illis est dissimilitudo: sed ex similitudine quæ est in figura dictionis. Hæc autem similitudo attenditur in dictione & figura dictionis, secundum quod figura dictionis in antehabitis (vbi locuti sumus de fallacia figuræ dictionis) est exposita.

Hæc autem probatio, vt diximus, facta est, ne credatur hæc fallacia ponenda esse inter fallacias extra dictionem, cum quibus habet conuenientiam in duobus, quorum vnum est: quia sicut in locis sophisticis extra dictionem præmissæ frequenter sunt veræ, & non est aliquis defectus in eis, vt patet in figura accidentis: animal est genus: homo est animal: ergo homo est genus: hic autem ambæ præmissæ sunt veræ, & defectus est in comparando præmissas ad conclusiones: ita est in fallacia figuræ dictionis: non enim est defectus in præmissis, sed in comparando præmissas ad conclusionem, vt patet hic: musa & poëta sunt eiusdem terminationis: ergo sunt eiusdem generis. Vel sic: iste non dat nisi quod habet, & non quod non habet: non autem habet vnum solum: ergo non dat vnum solum. Alia conuenientia est in hoc, quòd in aliis paralogismis figuræ dictionis frequenter coincidunt loci sophistici extra dictionem, vt accidens & consequens.

Zeno posuit fallaciam figuræ dictionis esse extra dictionem.

Et ideò Zeno hanc fallaciam inter locos sophisticos extra dictionem posuit, sed errauit, sicut paulò ante probatum est: quia ipsa fallacia fit & apud se consideranti, & cum alio. Quamuis in omni sermone quo disputamus cum alio, fiat omnis fallacia secundum quod sermo

sermo instrumentum est quo vtimur disputando: tamen sermo non semper est causa fallaciæ. In fallacijs enim extra dictionem causa & motiuum ad decipiendum, non est sermo, sed res, quamuis sermone vt instrumento vtamur ad exprimendum rem illam.

CAPVT II.

Qualiter generatur deceptio per fallacias extra dictionem.

AD sciendum autem qualiter generatur fallacia quæ est deceptio in respondente, prænotandum est, quòd licet in omni fallacia tam in dictione quam extra dictionem, generetur deceptio ex hoc quod discerni non possunt idem & diuersum: in fallacijs quidem in dictione, ex hoc quod non potest discerni idem in sermone & diuersum in re: in fallacijs autem extra dictionem, eò quod non potest discerni idem & diuersum partim secundum rem & partim secundum sermonem: tamen in fallacia accidentis specialiter facit deceptionem, eò quod non potest discerni specialis quædam identitas & specialis quædam diuersitas, hoc est, quòd discerni non potest identitas medij ad extrema vel inter accidens & subiectum, & inter antecedens & consequens: & hoc modo per idem & diuersum non decipiunt nisi duæ fallaciæ, scilicet fallacia accidentis, & fallacia consequentis.

In his autem quæ sunt secundum accidens, &c.

Hoc modo prænotato dicimus, quòd in his quæ sunt secundum accidens deceptio fit in respondente sine fallacia: eò quod ipse respondens non potest diiudicare idem & diuersum, & non potest diiudicare multa & vnum: neque potest diiudicare quilibet secundum quæ insunt prædicationibus (hoc est, prædicatis) & rei subiectæ accidere: hæc enim tria in diuersis paralogismis accidentis necesse est discernere eum qui non decipitur. Hæc enim tria ponit Aristot. & possunt hic referri ad idem & ad diuersum. Si ad idem intensum illa referantur, tunc sequens est determinatio quædam præcedentis, ita quod idem diuersum determinetur per multa & vnum, & multa & vnum determinentur per ea quæ insunt prædicatis: & putantur per hoc etiam subiectis inesse: potest enim intelligi per idem & diuersum identitas accidentis ad subiectum sine medij ad extrema: medium enim conuenit vtrique extremo: & in hac conuenientia est idem: secundum tamen quod in fallacia accidentis conuenit vni extremo, secundum hoc conuenit ei oppositum alterius extremi, vt in præhabitis de fallacia accidentis dictum est: & in hoc consistit diuersitas: qui enim habet identitatem, & hanc diuersitatem considerare & discernere non valet, decipitur. Potest etiam per vnum & multa intendere accidens & subiectum: subiectum enim & accidens secundum quod comparantur ad accidens quod eis similiter inest, sicut ad accidens quod sequitur subiectum & accidens, sic sunt vnum: & non solum vnum est idem alteri, sed in tertio sunt vnum: secundum autem quod idem subiectum & accidens comparantur ad aliquid (quod eis dissimiliter inest) sunt multa, & non solum est vnum diuersum ab altero: & hoc specificatur per verbum sequens: eo enim ipso quod aliquis impotens est discernere quæ similiter attribuuntur rei subiectæ & accidenti inesse simpliciter, eo ipso impotens est discernere inter vnum & multa: & sic per hæc tria verba intenditur vnum magis specificatum.

Possunt etiam per hæc tria verba intendi diuersa genera paralogismorum accidentis: per hoc enim quod dicit vnum & multa, dicunt quidam intendi paralogismos accentus, qui procedit à diuisis ad coniunctum: vt canis est tuus, & est pater: ergo est tuus pater. Per hoc autem quod dicitur idem & diuersum, dicunt intendi paralogismos in quibus infertur aliquid modo syllogistico, vt hoc: musicum est nigrum: album est musicum: ergo album nigrum. Cum autem dicitur, neque quælibet prædicationibus omnia hæc & rei subiectæ accidere, dicunt intendi paralogismos accidentis, qui communem faciunt deceptionem secundum vtrumque modum. Prius tamen dictum, quòd scilicet vnum per alterum specificetur, est probabilius.

Similiter autem & in his quæ secundum consequens, &c.

Similiter autem generatur fallacia siue deceptio in paralogismis secundum consequens: pars enim quædam accidentis est consequens, vt in antehabitis de consequente dictum. Tamen sciendum, quòd fallacia consequentis non peccat penes omnes prædictas conditiones quæ sunt idem & diuersum, & vnum & multa, quæcunque insunt prædicatis & rei similiter inesse: sed peccat tantum penes duas ex illis: penes enim hanc, quod impotens est quis iudicare, quòd quæcunque prædicatis insunt, omnia hæc similiter & rei subiectæ inesse, non decipitur aliquis secundum consequens, sed penes hoc quod impotens est diiudicare inter idem & diuersum, & vnum & multa: eo enim decipitur quis secundum consequens, quòd nescit diiudicare identitatem antecedentis ad consequens, quæ consistit in hoc quod vbicunque est antecedens, ibi necesse est esse consequens: & inter diuisionem antecedentis ad consequens, quæ consistit in hoc, quod non est necesse esse antecedens, vbicunque fuerit consequens: & iterum quis in hoc decipitur: quia nescit discernere inter antecedentis necessitatem & consequentis. Amplius autem, sicut in antehabitis dictum est, consequens semper in pluribus esse videtur: & probatur sic, hoc est, probari videtur secundum apparentiam: si enim hoc consequens ab illo antecedente non separatur, putatur quòd nec ab illo quod est consequens, separetur alterum quod est antecedens: & sic generatur deceptio: quia licet antecedens non separetur à consequente, tamen consequens semper separetur ab antecedente: eò quod in pluribus est.

In his verò quæ secundum diminutionem, &c.

In his autem paralogismis qui fiunt secundum diminutionem & omnes elenchi: similiter autem in his paralogismis qui sunt secundum quid & simpliciter, generatur deceptio & fallacia, vt dicit Aristot. in eo quod pene, hoc est, in

in eo quod quis nescit distinguere inter identitatem simpliciter & veram identitatem partialem quæ est secundum quid. Similiter autem in ignorantia elenchi deceptio fit: eò quod quis nescit determinare inter opposita sumpta simpliciter, & sumpta cum determinationibus propriis quæ inferunt suum simpliciter. In fallacia enim secundum quid & simpliciter concedimus vniuersaliter siue simpliciter conclusionem, quod nihil consignificet quid (hoc est, secundum quid) aut quomodo, aut quo loco, aut vt nunc: & ideò decipimur.

Similiter & in his quæ quod in principio, &c.

Similiter fit deceptio in his paralogismis qui sumunt id quod est in principio in eo quod penè: quia enim videmus, quòd illatio illius syllogismi est necessaria, putamus quòd sit probans syllogismus simpliciter, cum tamen non sit: & ideò deceptio fit in eo quod pene partialem identitatem per ipsum putamus in toto esse idem, cum sit diuersum. Similiter autem in non causis & causis decipimur in eo quod pene: quia videmus, quòd ex quibusdam præmissis conclusio sequitur necessario, sicut in syllogismo vero: ideò putamus aullam esse fallaciam, vel etiam propter partialem conuenientiam non causæ cum propositione quæ est causa, putamus non causam esse causam simpliciter: & fit iterum deceptio in eo qui quod pene idem est, nescit distinguere ab eo quod simpliciter est idem. Eodem modo generatur deceptio in omnibus paralogismis quicunque fuerint secundum plures interrogationes vt vnam: in his enim fit deceptio in quod penè, quando quis nescit distinguere inter propositionem quæ est vna, & inter propositionem quæ est plures: propter partialem conuenientiam quæ est inter illas.

In omnibus enim est fallacia, &c.

In his omnibus locis sophisticis quinque fit fallacia deceptionis in eo quod pene: eò quod in istis non substantialiter discernimus neque propositionis neque syllogismi veri diffinitionem propter prædictam causam quæ est conuenientia partialis vnitatis ad vnitatem simpliciter. Quamuis autem hæc causa communis sit in omnibus locis sophisticis quinque qui dicti sunt, aliam tamen & aliam hoc quod dictum est penè, notat in diuersis identitatem: partialis enim identitas in his dupliciter est: quædam enim est identitas partialis alicuius dicti cum determinatione ad dictum simpliciter sine determinatione: & hæc est duplex: quia est determinatio impropria, & est determinatio propria penes identitatem dicti; non tamen propria determinatione: & dictum simpliciter decipit in fallacia secundum quid & simpliciter. Est autem identitas dicti cum determinatione propria ad idem dictum simpliciter: & sic decipit ignorantia elenchi si fuerit partialis identitas. Alio modo fit partialis identitas propositionis plures quæ est vna: & penes hoc decipit fallacia secundum plures interrogationes vt vnam. Si autem adhuc tertio modo sumatur partialis identitas, quando scilicet aliquid videtur syllogismus, & non est: hoc contingit dupliciter, scilicet aut penes syllogismum notificantem, & sic peccat petitio eius quod est in principio: aut penes syllogismum in eo quod non probat, & sic decipit non causa vt causa: quia contra talem peccat identitatem partialem.

CAPVT III.

Quod eadem principia sunt apparentis syllogismi & sophistici.

DIctum est in antehabitis, quòd sophisticus syllogismus diuiditur in apparentem syllogismum qui peccat in forma, & apparet esse syllogismus & non est: & in eum qui peccat in materia & est syllogismus. Vnde posset aliquis credere, quod alia principia essent in hac arte determinanda secundum quæ est sophisticus syllogismus peccans in materia qui est syllogismus, quæ essent præter principia 13. fallaciarum quæ sunt principia syllogismi apparentis peccantis in forma, qui videtur esse syllogismus & non est syllogismus: ideò oportet nos hoc capitulum inducere, quòd secundum eadem principia fit vterque syllogismus sophisticus peccans in materia & peccans in forma: & non oportet alia & alia requirere, secundum quæ fiat peccans in forma apparens syllogismus, & alia secundum quæ fiat peccas in materia qui est syllogismus. Et huius ratio in communi est: quia quando aliquis decipitur per syllogismum peccantem in materia, hoc non fit nisi quia concedit propositionem aliquam falsam vel ad minus improbabilem, quæ videtur esse vera: non autem videtur eidem vera, nisi quia videtur ei sequi ex veris vel ex vera, cum non sequatur ex illa vel ex illis: non autem videtur sequi, cum non sequatur nisi per apparentiam alicuius loci sophistici siue fallaciæ: falsum ergo pro vero accipit per aliquem locum sophisticum: & sic deceptus vtitur falso pro vero in syllogismo sophistico peccante in materia: & sic deceptio siue fallacia syllogismi sophistici peccantis in materia, oritur à principio syllogismi sophistici peccantis in forma: sed non oportet, quòd principium sophisticæ deceptionis sit in eodem syllogismo qui peccat in materia, sed in syllogismo præcedente illum qui per syllogismum apparentem videtur probare propositionem falsam videri veram per locum aliquem sophisticum. Et sic patet, quòd eadem & tot sunt principia syllogismi sophistici peccantis in forma & peccantis in materia: sed tamen non immediatè, quia mediante syllogismo peccante in forma efficiuntur etiam principia syllogismi peccantis in materia.

Ratio communis, quod eadem sint principia syllogismi peccantis in forma, & peccantis in materia tantum.

Quoniam autem habemus secundum quor, &c.

Quoniam igitur habemus ex iam determinatis in antehabitis, secundum quor & quæ principia (quæ sunt loci sophistici secundum deceptionem actiuam & passiuam quæ est in respondente) fiunt apparentes syllogismi qui peccant in forma: habemus igitur originaliter secundum quor & quæ principia fiunt syllogismi sophistici, qui scilicet peccant in materia: quia scilicet hæc deceptio eorum qui peccant in materia, oritur ab ista quæ est deceptio

ceptio eorum qui peccant in forma. Dico autem exponendo per diuisionem sophisticum elenchum & sophisticu ſ syllogismum dupliciter. Non enim solus ille dicitur sophisticus elenchus vel syllogismus sophisticus, qui videtur elenchus esse vel syllogismus & non est, eo quod peccat in forma syllogismi & elenchi: sed etiam dico illum sophisticum elenchum & syllogismum qui est quidem & elenchus & syllogismus, quia peccat in materia tantum, ex falsa vel falsis propositionibus procedens: sed videtur non esse conueniens rei propositæ: eò quod est ex falsis vel ad minus improbabilibus: quia ille peccat contra dialecticum, qui ex probabilibus procedit.

Sunt autem hi vel tales syllogismi qui non simpliciter arguunt: quia non arguunt propter quid, sed quia: & tales syllogismi monstrant ignorantes: quia assumpto aliquo falso quod vt verum acceptum est per apparentem syllogismum, quod falsum circa communia alicuius scientiæ est, si hoc concedat respondens, statim monstratur esse ignorans circa ea, quibus ignotatis ignoratur ars: hoc autem (vt diximus à principio) huius scientiæ proprium erat tentatiuæ disputationis: & licet sit talis syllogismus sophisticus & non dialecticus, tamen tentatiua secundum vnum modum est pars dialecticæ, & secundum alium modum est pars sophisticæ: secundum enim quod vtitur syllogismo dialectico, est pars dialecticæ: secundum autem quod tentatiua, vtitur syllogismo sophistico, est pars sophisticæ. Vnde idem syllogismus est & tentatiuus & sophisticus: tentatiuus quidem, inquantum sumit experimentum de ignorantia respondentis: sophisticus autem inquantum ordinatur ad deceptionem respondentis, hoc est, inquantum ordinatur ad generandum in respondente falsum habitum, vt falsum sumat pro vero per syllogismum apparentem secundum locum aliquem sophisticum.

Quomodo tentatiua vno modo est pars dialectica, alio modo pars sophistica.

Hæc autem tentatiua potest syllogizare falsum ex falso, vt dictum est: & erit syllogismus ad respondentem qui est propter ignorantiam respondentis qui dat siue concedit talem orationem falsam propter ignorantiam: quia falsum videtur ei verum propter deceptionem factam in ipso per aliquem locum sophisticum. Sophistici autem elenchi peccantes in forma, etsi syllogizent contradictionem veram qua redarguatur vere respondens: tamen non faciunt manifestum aliquem respondentem, si ignorant siue ignorantes sunt: hoc enim non sumit expetimentum ignorantiæ: nam non solum ignorantem, sed etiam scientem, & paritet aliqui opponentes impediunt his orationibus siue syllogismis sophisticis qui peccant in forma, & videntur syllogismi, cum non sint: eò quod difficiles sint ad soluendum. Faciles autem sunt qui peccant in materia: peccantes enim in materia, statim soluuntur per interemptionem falsi vel improbabilis: sed non sic peccantes in forma: oportet enim resoluere conclusionem eorum in præmissas & comparare præmissas ad conclusionem, & ostendere, quare ex præmissis non sequatur conclusio: & hoc est difficile. In quo etiam periti non solum ignorantes impediuntur: & ideò orationes non sunt apertæ accipere experimentum ignorantiæ.

Quoniam autem habemus syllogismos sophisticos eadem via eorundem principiorum quibus habemus apparentes elenchos vel apparentes syllogismos, manifestum est ex inductis & ex dicendis. Ex inductis quidem, sicut prædictum est: quia falsa propositio quæ pro vera accipitur in sophistico, conclusa est vt apparenter vera in syllogismo apparente. Ex dicendis autem: nam secundum eadem principia deceptionis videtur audientibus syllogismum apparentem syllogizare ille qui opponit: cum tamen non syllogizet sic & secundum eadem principia videbitur respondenti, hoc est, ei qui debet ad propositionem respondere. Sophistici syllogismi peccantes in materia, videntur syllogizare tanquam ex vera cum non sit vera: eadem enim deceptione deceptus respondens dat falsam vt veram, qui prius audiens syllogismum apparentem, dedit sequi eam quæ non sequebatur in syllogismo probante vt videbatur illa quæ falsa est, quam vt veram accepit in syllogismo peccante secundum materiam: propter quod erunt syllogismi falsi (hoc est, ex falsis peccantes in materia) originaliter per hæc principia deceptionis omnia, aut quædam per quæ est syllogismus apparens. Dico autem omnia, aut quædam, propter compositionem & diuisionem & accentum, in quibus non nisi materialiter est vox eadem: quæ verò proferuntur, formaliter distingaitur diuidendo eam vel componendo, vel etiam in accentu prolata dictio acuitur vel grauatur: & sic in prolatione multiplicitas eius facilius percipitur, quam in non prolata: quod enim ipse respondens non interrogatus ab opponente, apud se pertractans arbitratur dandum propter identitatem sermonis aut rei, hoc etiam per eadem principia deceptus dabit interrogatus ab opponente, & ponet ipsum tanquam verum per ea quæ vera videbantur, prolatum in quibusdam orationibus, sicut quæ sunt secundum compositionem & diuisionem & accentum interrogare in prolatione quæ deest (hoc est, quæ est causa defectus) & falsum apparere in vno sensu, vt in his quæ secundum dictionem siue prolationem: quia ipse distinctione dictionis in his apparet, in quo sensu falsæ sunt orationes. Et hoc etiam accidit in orationibus quæ ducunt ad soloecismum: hoc enim ipsa prolatione manifestatur.

Quoniam autem habemus eos, &c.

Si ergo paralogismi qui sunt secundum apparentem elenchum, sunt qui prædeterminati sunt secundum principia 13. fallaciarum, manifestum est quoniam propter eadem principia & tot erunt syllogismi siue paralogismi falsorum elenchorum (qui ducuntur sophistici peccantes in materia) secundum eadem, & tot secundum quæ & quot etiam est apparens elenchus peccans in forma. Hoc autem probatur etiam per inductionem: apparens enim elenchus peccans in forma est secundum particulas & differentias constituentes verum syllogismum, quæ quando deficiunt, sunt principia apparentis elenchi: nam quando singulum de numero

Si ergo paralogismi contradictionis, &c.

numero illarum particularum veri syllogismi deerit secundum veritatem, quamuis videatur non deesse, tunc non fit elenchus verus: sed videbitur elenchus qui fit sic per defectum rationis syllogismi, sed est apparens elenchus. Et hoc apparet inducendo in non causa vt causa in paralogismo qui fit ad impossibile: in illo enim fit non vt causa, qui deficit in eo quod est conclusionem accidere propter orationem præmissam: non enim accidit propter eam quæ non causa est. Qui autem duas interrogationes vt vnam fecit, deficit propter deceptionem orationis siue propositionis, quam non sumit quando non vnã sumit, vt in antehabitis probatum est. Ille autem apparẽs elenchus qui est secundum accidens, decipit propter idem, quod vt idem assignatur rei subiectæ & accidenti similiter inesse, cum hoc in syllogismo bono idem & simile esse debeat, quod non habet accidentis paralogismus: & huius pars est paralogismus qui est secundum consequens: & ideò per defectum eiusdem particulæ deficit & decipit.

Amplius secundum non in re, &c.

Amplius omnes paralogismi qui sunt secundum fallacias in dictione, decipiunt propter hoc quod contingit non in re sicut in oratione, accidere: non enim idem est secundum rem quod est sub eadem voce. In elencho autem vero idem est aut re aut nomine: non nomine tantum de ignorantia elenchi decipit propter hoc quod deficit in his quæ sunt de vniuersali contradictione quæ sunt, quod fit secundum idem & ad idem & similiter & in eodem tempore: sic ignorantia elenchi secundum quod in aliquo istorum deficit secundum singulum istorum deficiens. Amplius autem paralogismus petitionis eius quod est in principio, deficit & decipit per defectum illius quod in diffinitione elenchi ponitur, connumerato illo quod est accipere in principio.

Quare habemus secundum quot, &c.

Quapropter per inductionem habebimus omnia secundum quod numero fiunt paralogismi in forma peccantes: nam illi secundum plura quæ enumerata sunt, non fiunt: secundum autem principia quæ dicta & inducta sunt, erunt & fiunt omnes paralogismi & non secundum alia, & fiunt tot & eadem fiunt syllogismi sophistici in materia peccantes.

Est autem sophistreus elenchus, &c.

Quod autem dictum est paulo ante, quòd sophisticus elenchus qui est apparens elenchus, videtur esse elenchus & non est, quamuis hoc verum sit de eo qui peccat in forma, tamen est ad aliquem elenchus aliquando, quamuis non simpliciter sit elenchus. Est enim sophisticus elenchus non simpliciter elenchus, sed ad aliquem potest elenchus esse aliquando, & ad aliquem potest esse syllogismus similiter: nam si respondens id quod æquiuocum nomine dicitur vnum significare, & si non sumat eum qui secundum similem formam vnius orationis est vel dictionis est in figura dictionis & vnum nomen, si non sumat similiter in alio loco sophistico in dictione vnum significare, sed distinguat ipsum multiplex: tunc tales argumentationes neque existunt simpliciter elenchi, neque erunt elenchi ad eum respondentem qui interrogatur: quia tunc non redarguitur neque decipitur. Si autem respondens sumat vnum nomen singulare vel in figura dictionis, vnum significare propter vnitatem figuræ dictionis: tunc tales argumentationes quidam erunt elenchi & syllogismi ad eum, hoc est, contra eum qui vt respondens interrogatur: quia tunc ille decipitur & redarguitur. Simpliciter autem non erunt elenchi & syllogismi: quia peccant contra formam syllogismi & elenchi: eò quod non sumpserunt vnum significatum verè, sed apparens vnum propter sermonis vnitatem. Et similiter secundum reliqua in aliis fallaciis peccantibus contra formam elenchi.

CAPVT IV.

Quod non oportet requirere determinationem in hac arte de paralogismo disciplinæ in propriis scientiis facto.

CVm autem secundum principia quæ sunt loci sophistici, iam de duplici syllogismo sophistico quantum ad generationem & reductionem determinatum sit secundum quæ principia locorum sophistica arguunt omnes qui elenchis sophisticis vtuntur, non oportet alia principia tentatiuæ sumere vel inuenire in hac scientia, secundum quæ generentur paralogismi proprij ſn vnaquaque disciplina: quia illi sumi & determinari non possunt sine omnium (hoc est, vniuscuiusque eorum quæ sunt propria scibilia) scientia propria. Sic autem omnium siue vniuscuiusque propriam scientiam tradere, non est vnius alicuius specialis artis vel scientiæ. Infinitæ enim sunt fortasse siue quodammodo scientiæ propriæ, quæ diuiduntur secundum propria subiecta & proprias passiones & propria principia, quæ quoad nos infinita sunt secundum potentiam: quia propria scibilia secundum materialem diuisionem sunt infinita, sicut & res infimas olim in scientia ista diximus infinitas: de qualibet enim vna re multa sunt scibilia, quorum etiam aliquando scientia non est inuenta: infinita autem hoc modo non est per scientiam propriam pertransire: & ideò talem scientiã de paralogismis disciplinæ non oportet quærere: & si scientiæ sunt de propriis scibilibus infinitæ, manifestum est, quod & demonstrationes (per quas accipiantur scientiæ infinitæ) sunt infinitæ: quia propria scientia effectus est propriæ demonstrationis. Tamẽ secundũ proprias scientias erunt & proprij elenchi & veri elenchi: quod ex hoc probatur: quia quæcunque est demonstrare ostensiua demonstratione, negata conclusione & proposito oppositio conclusionis erit vel continget redarguere eum qui ponit contradictionem veri concluſi, siue veræ conclusionis, vt dictum est: & ideò sicut sunt conclusiones infinitæ secundum propria scibilia, ita elenchi secundum proprias con-

Secundum quæ arguunt &c.

tradictiones erunt infiniti & ad vnam propriam scientiam non reducibiles.

Vera si commensurabilem cotin. &c.

Cuius modi est in geometria si aliquis in propris scibilibus poluit diametrum quadrati commensurabilem per contraria principiorum illius scibilis, quòd diameter est incommensurabilis, arguet illum quis siue aliquis vera demonstratione concludens oppositum eius quod iste dixit, scilicet quòd diameter est incommensurat ilis, & sic facier verum elenchum contra disciplinæ propriæ paralogismum.

Quare omniam oportet, &c.

Propter quod illos qui determinare debent de propriis paralogismis vniuscuiusque disciplinæ, oportet it omnium propriorum scibilium esse scientes: quia tales paralogismi fiunt per opposita propriorum principiorum. Cuius probatio est per inductionem: quia alij tales paralogismi siue falsi elenchi secundum ea quæ in geometria sunt propria principia & secundum propria scibilium in geometria conclusiones, quarum oppositum proprium concludit elenchus: alij verò tales paralogismi disciplinæ erunt secundum ea quæ sunt propria medicinæ: alij verò tales paralogismi erunt secundum ea quæ sunt propria aliarum disciplinarum elenchi: & cum veri elenchi sint sic in infinitis, non solum ipsi veri elenchi erunt sic infiniti, sed & falsi (hoc est, ex falsis principijs facti) similiter veris erunt sic in infinitis, scibilibus & scientis, quod secundum vnumquemque verum elenchum fit syllogismus oppositus, ù accipit opposita veri elenchi, vt secundum geometriam fit falsus geometricus elenchus: secundum autem medicinam fit elenchus medicinalis. Dico autem exponendo secundum artem siue scientiam propriam elenchum qui est secundum illius artis propria principia, & falsum elenchum qui est per opposita principiorum illius artis.

Manifestum ergo, quoniam non omnium, &c.

Ex his igitur quæ dicta sunt, manifestum est, quòd in hac arte non omnium secundum vnamquamque scientiam propriorum elenchorum, sed eorum tantum quæ secundum dialecticam (quæ inquisitiua est & ad omnium methodorum specialium principia habet) sumendi sunt in hac scientia loci sophistici: hi enim communes sunt & formas dant omnibus, sicut & ipsa dialectica modum in communibus dat omnibus scientis, vt dicit Arist. in 3. primæ philosophiæ: nam hi communes sunt sicut & ipsa dialectica communis est ad omnes artes & ad omnem potentiam. Dico autem artem habitum demonstratiuum actus vel operationis: potentiam autem habitum non necessarium ad actum non sumtum, sed sic & sic operari potentem, vt est rhethorica œconomica, politica, & aliæ huiusmodi potentiæ. Adhuc autem cum elenchum qui est secundum vnamquamque disciplinam vniuscuiusque scientis in ista disciplina est considerare: quia oppositorum eadem est disciplina, siue sit elenchus qui cum non sit (hoc est, falsus & ex falsis sit) videtur tamen propter formam elenchi quam habet: quia peccans in materia habet formam: & cum est verus & ex veris, habet adhuc ista scientia dicere quare est elenchus verus elenchus qui est ex propriis suorum principiorum, & habet considerare propria

2. metaph. tex. com. 16.

scientia & illum qui est ex oppositis principiorum propriæ disciplinæ.

Eum autem qui ex communibus, quia circa singula inueniuntur apparentia probabilia, & sub nullam artem cadit specialem & propriam, est considerare dialecticorum: quod non tantum dialectici est considerare verum elenchum qui est ex propriis quæ videntur probabilia circa singula. Sic enim dialectica dicta communis est ad scientiam topicam & sophisticam. Huius autem ratio est: quia si ex dialecticis habemus ex quibus principiis communibus sunt probabiles syllogismi in quolibet probabili problemate, habebimus etiam ex quibus locis sophisticis sunt apparenter probabiles elenchi: & hoc patet per elenchi diffinitionem: quia elenchus est syllogismus cum additione contradictionis: vnde suppositio oppositio conclusionis syllogismi ad contradictorium fit elenchus: propter quod elenchus aut vnus aut duo syllogismi. Si enim syllogismi iam actu concludentis accipiatur oppositum, & concludatur oppositum prioris syllogismi: tunc elenchus ille est duo syllogismi. Si autem oppositum accipiatur simpliciter dati à respondente absque eo quod sit conclusum: tunc elenchus est vnus tantum syllogismus.

Eum autem qui ex communibus est, &c.

Dialectica communis ad topicam & sophisticam.

Vniuersaliter ergo concludendo ex determinata iam arte habemus in communi principia secundum quæ sunt omnes elenchi huiusmodi (hoc est, qui sunt circa communia) quæ sunt modus omnium propriorum. Si autem hoc habemus secundum quod sophistici elenchi sunt ex falsis qui oriuntur ab eisdem principiis quæ sunt elenchorum apparentium, qui peccant in forma: tunc etiam habemus solutiones talium elenchorum, & non oportet artem specialem inueniri ad solutiones talium. Nam horum elenchorum qui sunt ex falsis (& ideò dicuntur sophistici, quia oriuntur ex apparentibus elenchis) instantiæ solutiones sunt eorum. Dico autem hic instantiam propositionem de qua scitur quæ interimenda sit. Sic enim soluitur falsum quando interimitur. Sophisticorum autem peccantium in forma aliæ solutiones sunt, quæ in secundo libro huius scientæ determinabuntur: quia illi elenchi artem specialem requirunt suæ solutionis, sicut etiam in hoc primo libro ars specialis determinata est suæ generationis.

Habemus ergo secundum quæ omnes, &c.

Remouet dubium.

Habemus autem ex præinductis secundum quæ principia fiunt etiam apparentes elenchi qui peccant in forma, ex quibus etiam oriuntur sophistici elenchi peccantes in materia. Apparentes autem elenchos dico, non cuilibet propriæ scientiæ, sed talibus quæ circa communia sunt, sicut est dialectica & sophistica. Infinita enim sunt siquis consideret siue considerare velit secundum quæ propria appareant principia quibuslibet propriis scientiis vel artibus vel potentiis.

Habemus secundum quæ fiunt, &c.

Propter quod manifestum est, quoniam dialecticæ est (quæ circa communia est) posse facultatem & ex his habitum habere sumere secundum quæ principia fit ex communibus factus elenchus & verus, qui est elenchus, siue sit apparens elenchus qui est sophisticus elenchus, & secundum quæ principia fiat apparens

Manifesti, quoniam dialect. cæ, &c.

elenchus; vel etiam secundum quæ principia fiat elenchus vel syllogismus tentatiuus. Syllogismus enim sophisticus peccans in materia, est tentatiuus circa communia: quia illum qui fingit se scire communia, tentandum proponendo aliquod falsum commune, & ex ipso cum quibusdam aliis faciendo syllogismum: quem si admittendo concedat tanquam sit verum, manifestum est, quòd ignorat communia: & sic per syllogismum litigiosum peccantem in materia accipitur experimentum ignorantiæ. Talis autem tentatiua vno modo est pars dialecticæ, & alio modo est pars sophisticæ: secundum enim quod tentator vtitur dialectico syllogismo, secundum hoc tentatiua est pars dialecticæ. Secundum autem quod vtitur syllogismo sophistico, sic est pars sophisticæ: & ideo idem syllogismus potest esse tentatiuus & sophisticus: tentatiuus inquantum sumit experimentum ignorantiæ respondentis, sophisticus autem inquantum ordinatur ad decipiendum respondentem & ad generandum in ipso respondente falsum habitum.

Tentatiua vno modo est pars dialectica, alio modo pars sophistica.

CAPVT V.

De errore diuidentium orationes sophisticas, quod sint quædam ad nomen & quædam ad intellectum.

Oppositio quorundam de principijs sophisticarum orationum.

QVia autem quidam fuerunt qui volentes orationum sophisticarum reddere principia, diuiserunt orationem dicentes, quòd orationum quædam sunt ad nomen, quædam autem ad intellectum: intendentes omnem illam orationem esse ad nomen, in qua ex aliqua causa apparentiæ vnus opponens vel respondens potest referre intellectum ad vnum nomine significatum, & alter opponens vel respondens per defectum (qui est causa falsitatis) potest intellectum referre ad aliud quod est in re diuersum ab illo quod significatur in nomine quocunque modo: & sic omnis oratio in qua est fallacia, est oratio ad nomen: & omnis in qua non est apparentia fallaciæ, est oratio ad intellectum. Et quia tales orationes frequentius sunt in sophisticis, ideò ab his dicebant oriri principia paralogismorum.

Non est autem differentia orationum, &c.

Oratio ad nomen quid.

Oratio ad intellectum quid.

Propter quod hic iste error non est probandus. Vnde dicimus, quòd non est recta & vera differentia orationum sophisticarum in hoc quod quidam dicunt esse has quidem ad nomen, illas autem alias ad intellectum esse disputatas: hæc enim diuisio non est per opposita, quod inconueniens est opinari, sicut per opposita diuisas alias quidem orationes esse ad nomen, alias autem oppositas his esse ad intellectum, sed non easdem dicere esse & ad nomen quantum ad vnum & ad intellectum quantum ad alterum. Quid enim est non ad intellectum esse orationem, sed ad nomen, nisi hoc quod quando siue aliquando ille qui putatur interrogare, siue opponens, interrogando non vtitur nomine siue significato per nomen ad illud idem quod is qui interrogatus est, siue respondens dedit siue concessit: sed respondens referens dedit, & opponens illud idem ad aliud referens, respondentem videtur redarguere hic secundum aptitudinem apparentiæ & non existentiæ siue defectus qui est in omni fallacia. Idem autem hoc est ad nomen commune, quando opponens vtitur oppositio ratione ea ad intellectum, in quo dedit siue concessit eam respondens. Vnde vnam & eandem orationem contingit esse ad nomen & ad intellectum: oppositæ autem non sunt in eodem simul: diuisio ergo hæc non est per opposita.

Inconueniens est enim opinari, &c.

Quid sit orationem esse non ad intellectum, sed ad nomen.

Hoc autem probatur tam in orationibus multiplicibus quam in non multiplicibus: in multiplicibus quidem sic: si enim aliquis orationem in qua est nomen æquiuocum (quod plura significat) vnum putet significare, ita quod interrogans siue opponens, & interrogatus siue respondens putent illud nomen vnum significare, & referunt intellectum ad idem, verbi gratia sicut fortè ens & vnum & cætera analoga plura significant: quia in istis magis latet æquiuocatio & magis putantur vnum significare, quam æquiuoca casu & fortuna: sed etiam respondens sit aliquis, verbi gratia Sortes & Zeno sit interrogans siue opponens qui vnum omnia putat esse & vnum significare, sicut & Socrates: & ideo ad vnum idem referunt intellectum: quæstio, vtrum hæc oratio ad nomen aut intellectum orationis interrogate est disputata? Constat, quod est ad intellectum. Similiter autem est in aliis multiplicibus quæcunque plura in nomine vel in oratione significant. Si verò aliquis opponentium & respondentium putet illud nomen vel orationem plura significare, & in vno sensu det respondens, & in alio sensu vtatur ea obuiando opponens, palam est, quod hæc oratio non est ad intellectum disputata.

Si enim aliquis multa putet, &c.

Ens & vnum analoga.

Primum inconueniens quod est contra eos qui hanc dant diuisionem, est, quod hæc diuisio maximè est circa orationes multiplices, quæ sui aptitudine sunt ad nomen & ad intellectum disputabiles: orationes autem sophisticæ sunt etiam circa orationes non multiplices: & sic diuisio est insufficiens. Deinde aliud inconueniens est, quod hæc diuisio est circa quamlibet orationem: omnis enim oratio & dignitas demonstrata, etsi in se vnum significet, potest tamen putari plura significare: & contingit, quòd terminis in ea positis ad vnum vtitur opponens, & ad aliud vtitur eis respondens, sicut patet in hoc quod dicitur, quòd totum est maius parte, potest opponens vti toto & parte in vno genere totius & partis, & respondens in alio: non enim in ipsa oratione est, quando non est multiplex, quod fit ad nomen vel ad intellectum: sed est in eo sicut in causa, quod respondens se habet in vsu orationis aliquo modo ad ea quæ interrogantur ab opponente, scilicet quod intellectum ad idem ad quod opponens refert, non ad aliud referendo. Deinde alia ratione ducente ad inconueniens probatur idem: quia scilicet (vt probatum est) omnes orationes contingit esse ad nomen: quod ex hoc probatur, quia secundum istos nihil aliud est esse orationem ad

Primum ergo circa huiusmodi orationes, &c.

nomen, nisi non esse orationem ad intellectum in hoc loco: & secundum istos quamlibet contingit esse non ad intellectum: ergo omnem orationem contingit esse ad nomen: aut det oppositum, scilicet quod quædam sunt orationes quæ nec sunt ad nomen, nec ad intellectum: sed hoc est inconueniens secundum istos: quia hi dicunt, quòd omnes sunt vel ad nomen vel ad intellectum: & diuidunt orationem sic per immediata dicentes, quòd omnes orationes vel sunt ad nomen vel ad intellectum, & dicunt nullas alias esse orationes quæ nec ad nomen sunt nec ad intellectum.

Attamen quicunque syllogismi, &c.

Attamen quamuis sic dicant quantum est de aptitudine orationis quicunque sunt apparentes syllogismi (in eo peccantes, quod multiplex dicitur nomen vel oratio) de numero illorum sunt qui de ipsius orationis aptitudine sunt ad nomen disputabiles. Et dico aliqui: quia in omnibus paralogismis (hoc est, qui habent actualem vel potentialem multiplicitatem) aliqui tamen de se non sic habent, vt paralogismi figuræ dictionis qui non habent veram multiplicitatem: & ideò de se tantam habent aptitudinem vt disputentur ad nomen sicut alij: nam propter figuram dictionis inconuenienter dictum est, quòd æqualiter de aptitudine sua sint omnes disputabiles ad nomen paralogismi, vel orationes quæ sint secundum fallaciam quæ est in dictione: sed sunt quidam paralogismi in dictionis multiplicitate, qui non sunt solum ad nomen, quod respondens vel opponens ad tales paralogismos sic se habeat, quod intellectum non refert aut ad idem aliquo modo: sed in eo sunt ad nomen, quod ipsa interrogatio (hoc est, interrogata propositio) quantum est de sui aptitudine habeat hoc quod ad nomen disputetur: & tales sunt qui de se plura significant, hoc est, multiplices sunt actuali vel potentiali multiplicitate. Sic igitur probatum est, quòd talis diuisio non est per opposita data.

Sed omnino inconuenientes de elencho, &c.

Idem autem probatur, scilicet quod hæc diuisio quæ data est, inconueniens est: quia non est per differentias essentiales paralencho. Vnde omninò inconueniens est disputare de elencho, non prius de syllogismo disputando. Elenchus enim essentialiter componitur ex syllogismo & adiecta contradictione: & ideò quod necessarium syllogismi est differentia essentialis, illud nomen est differentia essentialis elencho vel paralencho: vnde omnino inconueniens est disputare de elencho quantum ad differentias essentiales, ita quod non prius disputetur de syllogismo quantum ad differentias: quia syllogismus est in ratione elenchi: & hoc est omninò, quia elenchus est syllogismus: & ideò differentiæ essentiales syllogismi sunt etiam differentiæ essentiales elenchi: propter quod oportet de syllogismo prius quantum ad differentias essentiales disputare, quam de syllogismo elencho quantum ad differentias: quia syllogismus est in ratione elenchi. Est enim huiusmodi falsus elenchus siue sophisticus apparens syllogismus contradictionis.

Propter quod causa huius diuisionis quæ data est, aut erit in syllogismo quantum ad essentiales differentias syllogismi, aut erit in contradictione quantum ad essentiales differentias contradictionis: in ratione enim elenchi cum ratione diffinitiua syllogismi oportet adiacere contradictionem, si debeat per omnia essentialia elenchus diffiniri. Quandoque autem per defectum qui est in vtrisque, erit apparens elenchus, scilicet & in defectu syllogismi & in defectu contradictionis, & aliquando per defectum qui est in altero istorum, scilicet aut in syllogistico aut in contradictione. Quod autem est apparens elenchus per defectum in vtrisque, & in syllogismo scilicet & in contradictione, probatur per exemplum. Est autem in amphibologico paralogismo, qui est de eo quod est tacentem dicere: si enim detur à respondente, quòd non est vel contingit talem dicere, secundum quod accusatiuus, tacentem, construitur cum infinitiuo, dicere, ex parte ante, siue ex parte suppositi: quia sit vera hæc, non contingit tacentem dicere: & tunc ab opponente concludatur affirmatiuè secundum quod idem accusatiuus cum eodem infinitiuo construitur ex parte post siue ex parte appositi sic: Contingit Sortem dicere: Sortes est tacens: ergo contingit tacentem dicere: non est contradictio & peccatum contra syllogismum, sed contra contradictionem: quia affirmatio & negatio non sunt secundum idem. Dico autem gratia exempli, si est paralogismus factus secundum figuram dictionis de eo quod non habet aliquis dare, sic: si aliquis dat vt conclusionem primo, iste non dat vt non habet, & arguatur contrarium siue oppositum sic: iste dat vnum solum: & non habet vnum solum: ergo dat quod non habet: hic est defectus tam in syllogismo, quam in fallacia figuræ dictionis, & non valet consequentia: & est defectus à contradictione: quia istæ non sunt contradictoriæ: iste non dat vt non habet, & iste dat quod non habet.

Paralogismus autem factus de eo quod est poëma Homeri siue carmen esse circulum, peccabit contra syllogismum tantum: & formetur vt detur à respondente, quòd nullum poëma est figura, & ab opponente in oppositum arguatur sic: omnis circulus est figura: poëma Homeri est circulus: ergo aliquod poëma est figura. Hic enim in veritate contradicit conclusio positioni respondentis: sed syllogismus non valet, quia medium est æquiuocum. Elenchus autem qui in neutro peccat, nec in contradictione scilicet, nec in syllogismo, si debitas vtrique colligit differentias, verus est syllogismus.

Ex omnibus autem his colligitur, quòd istæ differentiæ ad nomen esse vel ad intellectum esse orationem non sunt differentiæ essentiales nec orationi syllogisticæ nec orationi contradictionis: & ideò non sunt substantiales differentiæ elenchi: nihil ergo valent ad diuisionem orationis de qua fit elenchus vel paralenchus, & sic malè introducuntur.

Attendendum autem, quòd inconueniens secundum istos est vnam orationem esse ad intellectum & non ad intellectum: quia isti ponebant has differentias esse essentiales orationi:

tioni: vna enim oratio non suscipit differentias plures essentiales conclusionis. Et adhuc si dicantur istæ differentiæ esse accidentales: tunc adhuc oratio simul & semel & secundum idem non potest esse ad intellectum & non ad intellectum, cum nihil simul & semel secundum idem suscipiat oppposita. Illi autem dicebant, quòd hæ differentiæ (esse ad intellectum & non esse ad intellectum) sunt differentiæ orationis secundum id quod est oratio, & non per respectum ad opponentem & respondentem: & ideo apud eos inconueniens est vnam & eandem orationem simul esse ad nomen & ad intellectum, siue esse ad intellectum & non esse ad intellectum. Si autem esse ad intellectum dicatur in oratione, non secundum ipsam orationem, sed in respectu ad opponentem & respondentem, vel generaliter loquendo per comparationem ad ipsum vtentem: tunc non sunt oppositæ, & potest vna & eadem oratio esse ad intellectum, & esse non ad intellectum, sicut vnum & idem potest esse duplum & non duplum respectu diuersorum, vel vnus potest esse pater & non pater esse comparatus ad diuersos: sed sic illi non accipiebant orationem esse ad intellectum, & non esse ad intellectum. Iste igitur est intellectus Aristot. & à nobis expositus est: non est in eo aliquid dignum dubitatione, de qua sit curandum.

CAPVT VI.

De destructione inductæ diuisionis ex hoc quod est fallacia.

In vera diuisione vnius diuidentium non cadit sub altero.

Amplius si plura quidem, &c.

CVm autem ideò inducta diuisio ostensa sit esse impropria: eò quod nec est per immediata nec per proprias differentias, adhuc ex his quæ hic dicemus, ostenderur esse falsa.

Sed vnde sermo venit prius, &c.

Rédeamus ergo (quia digressionem fecimus) ad id vnde sermo venit prius, scilicet an hæc diuisio conueniens sit, quod omnis oratio sit ad nomen vel intellectum. Dicebant autem Auctores huius diuisionis, quòd orationes doctrinales sunt ad intellectum: orationes multiplices sunt ad nomen. Et hoc probatur esse falsum: quæramus enim, vtrum orationes (quæ in disciplinis siue scientiis disciplinalibus sunt) sint ad intellectum vel non. Et si dicunt illi, quòd sint ad intellectum: tunc procedendo arguatur in contrarium sic: & si cui (hoc est, alicui) respondenti: plura videtur significare: triangulus enim significat triangulum compositum ex portionibus circuli siue arcubus, & ille habet tres aliquando maiores tribus vel duobus rectis, & significat triangulum rectilineum, qui habet tres æquales duobus rectis, interrogatus respondens dedit siue concessit, quòd triangulus habet tres æquales duobus rectis: & dedit hoc considerans triangulum, non vt hanc figuram trilateram rectilineam, de qua concludebat opponens, quoniam habet tres æquales duobus rectis, quæro vtrum iste opponens vel respondens ad intellectum disputat vel non? Et constat, quòd non: cum non referant intellectus suos ad idem. Ex hoc autem relinquitur, quòd aliqua oratio est, ad quam nusquam illi ad intellectum dicebant: & sic diuisio falsa: quia vnum diuidentium cadit sub altero, quod in vera diuisione accidere non potest.

Amplius è conuerso etiam accidere probabimus sic, si plura quidem significet nomen vel oratio: ille autem qui respondet, non intelligit illam multiplicitatem, neque putat illud nomen vel orationem plura significare, & dat eam in sensu in quo accipit eam opponens, quæro quomodo hoc ad intellectum disputauit? Constat eos ad intellectum (secundum illos) disputare: qui referunt intellectus ad idem: isti autem ad idem ferunt intellectum. Dicebant autem isti, quòd oratio multiplex est ad nomen: ergo iterum falsa est diuisio cum oratio ad nomen existens, cadat sub opposito membro, quod est orationem esse ad intellectum.

Aut quomodo oportet interrogare, &c.

Si forte aliquis dicit, quòd opponens & respondens semper ferunt intellectus ad idem, & quoad eos est oratio ad intellectum, licet ipsa oratio multiplex in se considerata sit ad nomen, ideò oportet hic intelligi, quòd (sicut dicit cauillator) nisi sic intelligatur, quòd ipse opponens in omni oppositione vel interrogatione multiplicis det diuisionem, hoc est, orationis multiplicis distinctionem, vt ipse respondens sit non deceptus multiplicitate, ferat intellectum suum in idem cum opponente, siue interroget aliquis opponentium. Verbi gratia exempli dicamus, si est tacentem dicere vel non? quod est multiplex secundum amphibologiam: & dicat aut quod est quidem vt non in vno sensu, est autem vt sic in sensu alio. Si aliquis respondentium distinctam ab opponente orationem de vno modo, in alio sensu neget eam, & opponens disputet ad vtramque partem: quæro igitur, si hæc oratio non ad intellectum disputat? Constat, quòd sic: quia oportet, quòd opponens & respondens referant intellectus suos ad idem. Quamuis ergo videatur oratio de numero earum orationum (quæ ad nomen sunt) esse: tamen ad intellectum est disputata: & sic eadem oratio ad nomen & ad intellectum est: non ergo est genus aliquod orationum quod sit ad intellectum, quod non possit esse ad nomen: nec è conuerso: & sic diuisio illa falsa est. Sed secundum istos hæ quidem orationes multiplices sunt ad nomen: & iam ostensum est, quòd non omnes huiusmodi elenchi sunt ad nomen. Dico autem elenchos conclusiones in quibus est affirmatio & negatio, sed etiam per consequens non omnes apparentes elenchi sunt ad nomen, si ad nomen est oratio quæ est multiplex. Sunt enim quidem apparentes elenchi qui non sunt secundum diuisionem, hoc est, secundum multiplex in dictione: quia sunt apparentes elenchi qui sunt secundum fallacias extra dictionem, vt illi qui secundum accidens, & reliqui secundum alias fallacias extra dictionem, qui non peccant secundum multiplex.

Si autem aliquis probet, &c.

Si autem aliquis probet siue approbet hoc quod dictum est, debere diuidere seu distin-

guere opponentem ipſum multiplex, quando opponit, ſicut in hoc exemplo quando dico, eſſine tacentem dicere? & dicere, quòd hæc oratio ſic (hoc eſt, vno modo) eſt vera: illa autem oratio ſic (hoc eſt, alio modo) non eſt vera: quamuis ſic dicat: tamen hoc eſt primum inconueniens contra illum qui ſic dicit, quod hoc approbet. Quandoque enim ipſi opponenti non videtur ipſum interrogatum ſimpliciter ſignificare: cum tamen ſit multiplex, eò quod multiplicitas eius latet opponentem: quia tunc improbabile eſt, quòd ipſe opponens diſtinguat quod neſcit, vel non putat eſſe multiplex. Deinde ſecundum inconueniens eſt, quòd ſecundum hoc opponens erit docens: quia diſtinctio cum fiat ad ſciendum, opus eſt docentis: & ſic opponens in ſophiſticis erit docens: quod eſt inconueniens: quia ſic non celaret intentionem à reſpondente: ſic enim diſtinguens manifeſtum facit ei reſpondenti, qui neque conſiderat multiplicitatem, & docet eum quomodo res ſe habet de qua diſputatur, cum reſpondens neque ſciat illud, neque opinetur eſſe multiplex, ſiue quoniam alicui in vno ſenſu & alicui in alio ſenſu videatur: hoc enim dicere eſt docentis & non celantis. Et ſiquis obiiciat, quòd opponens ſophiſta vult videri ſapiens, & ſic debet vſurpare opus docentis in his in quibus opus illud non eſt contra ſuam intentionem quæ eſt videri arguere reſpondentem. Diſtinguere autem eſt contra intentionem ſophiſtæ: quia inſtruit reſpondentem vt caueat ſibi de redargutione: & ideo non eſt ſuum vſurpare opus illud niſi in caſu aliquo, vt in ſequentibus oſtenderur.

Deinde & in non duplicibus, &c.

Deinde adhuc aliud inconueniens eſt contra iſtos qui dicunt ad nomen eſſe multiplices orationes: quia quid prohibet hoc, ſcilicet orationes eſſe ad nomen vel ad intellectum pati, hoc eſt, recipere à reſpondente, vel facere opponentem, ſicut patet in hoc exemplo, quod interroget aliquis opponentium dicens: putaſne æquales ſunt vnitates in binariis & quaternariis? hæc enim non eſt multiplex, & tamen poteſt aliquis eam conſiderare dupliciter. Si enim aliquis conſideret binarios ſecundum ſe: tunc negabit eam: quia duo tantum binarij ſunt in quaternario, & ſunt in ipſo quatuor vnitates, & duo & quatuor ſunt inæqualia: & ſic hæc eſt falſa, æquales ſunt vnitates in binariis & quaternariis: quia vnitas qua binarius eſt binarius, eſt vna: & alia vnitas qua alius binarius eſt vnus binarius, eſt alia: & ſic vnitates binariorum non ſunt niſi duæ, & vnitates conſtituentes quaternarium ſunt quatuor. Si autem conſideret aliquis vnitates binariorum & combinationem rationis: tunc prima vnitas cum ſecunda facit binarium vnum, & è converſo ſecunda cum prima facit binarium ſecundum, & tertia cum quarta facit tertium, & quarta cum tertia facit quartum: & ſic ſunt duæ æquitates conſtituentes quaternarium: & ſic conſiderans concedit hanc, æquales ſunt vnitates in binariis, quaternariis vnitatibus in quaternario. Sunt autem binarij hi quidem vno modo accepti ſecundum combinationem acceptam ſic vniti, hoc eſt, ex vnitatibus compoſiti. Illi autem binarij qui ſunt ſecundum rationem combinationem vniti, non ſunt ſic ex vnitatibus diuerſis vniti, ſed ex rationibus diuerſis vnitatum earundem: & ſic iſta oratio poteſt duplicari ad nomen, ſi opponens referat intellectum ad aliud: non ergo ſola oratio multiplex eſt ad nomen, vt iſti dicunt.

Et putas contrariorum vna eſt, &c.

Aliud autem exemplum de eodem eſt, vt ſi opponens aliquis interroget dicens, putaſne contrariorum vna eſt diſciplina vel non? Sunt autem contraria hæc quidem nota, illa verò alia contraria ſunt ignota: & ſic reſpondens referendo ad nota, concedet hanc propoſitionem: opponens autem referendo intellectum ad ignota, diſputat in contrarium: & quia non referunt intellectum ad idem: conſtat, quod ad nomen diſputatur oratio, cum tamen non ſit multiplex: propter quod videtur ignorare ille qui dicit opponentem debere diſtinguere: & approbat hoc eſſe verum: quoniam aliud eſt docere quam diſputare: diſtinguere enim actus eſt & opus docentis: diſputare (hoc eſt, diuerſa à reſpondente putare) eſt actus & opus ſophiſtæ, vt paulo ante dictum eſt. Et videtur etiam ignorare, quòd oportet docentem in diſciplinalibus non diſputare vel interrogare: quia ſi neget reſpondens, non habet per quid probet: & ideò ſuppoſitionibus vtitur docens & per ſe notis. Sed docentem oportet manifeſtum facere quod ſupponit per diſtinctionem vel aliter, vt intelligat reſpondens. Illum autem (qui opponens vel diſputans eſt) oportet interrogare & celare propoſitum: & ideò nihil facere per quod faciat manifeſtum quod interrogat. Et hoc eſt verum de opponente ſophiſticè, & de opponente dialecticè ad exercitationem vel obuiationē: illum enim non oportet diſtinguere vel docere: ſed ſi diſputat ad inquiſitionem veri, diſtinguere poteſt, & per conſequens docere, ne inquiſitio veri impediatur.

Quomodo intelligendum quòd opponens non debet diſtinguere.

Amplius vt dicant, &c.

Amplius vt reſpondentes dicant (hoc eſt, concedant) vel negent, aliquid probare (hoc eſt, probando cogere) non eſt monſtrantis ſiue docentis, eò quod non interrogat conſenſum reſpondentis, ſed eſt eius qui ſumit experimentum, hoc eſt, tentatoris: quia ille non procedit niſi ex conceſſis à reſpondente: & hoc eſt quia tentatiua eſt dialectica quædam: & ideò ſicut dialectica interrogat conſenſum reſpondentis: & quia eſt dialectica quædam & pars dialecticæ, de omnibus inſpicit inquirendo circa communia omnium, quibus ignoratis ignoratur ſcientia, & quibus ſcitis non neceſſariò ſcitur ſcientia: & ideò non conſiderat ignorantem, ſed neſcientem & diſſimulantem ſe ſcire.

Qui ergo ſecundum rem, &c.

Ex his autem concluditur, quòd qui ſecundum rem conſiderat communia ſecundū probabilitatem & fidem & opinionem, eſt dialecticus: ſi autem facit hoc ſecundum neceſſitatem & veritatem, eſt metaphyſicus, vt in 4. primæ philoſophiæ dicit Ariſtot. qui autem hoc facit apparenter ſecundum deceptionem, eſt ſophiſta.

CAPVT

CAPVT VII.

De ſyllogiſmo litigioſo & ſophiſtico quid & ex quibus circa propria.

His ita habitis vnus modus fallaciæ orationis eſt (vt in 8. topicorum dictum eſt) quando ſyllogizatur propoſitum ex veris, non autem per propria: & de tali ſyllogiſmo qualis ſit & quam differentiam habeat ad alios ſyllogiſmos, nunc dicendum eſt vt completus ſit tractatus de ſyllogiſmis falſæ orationis ſecundum omnem modum falſæ orationis. Satis enim dictum eſt de ſyllogiſmo peccante in forma, quo nihil penitus ſyllogizatur: propter hoc quod non valet conſequentia. Satis etiam dictum eſt de ſyllogiſmo ad impoſſibile qui eſt ſecundum non cauſam. Satis etiam dictum eſt de illo modo fallaciæ orationis quæ ſyllogizat ad propoſitum, ſed ex falſis communibus circa quæ eſt dialectica: dictum eſt enim de ſyllogiſmo peccante in materia. Nunc igitur reſtat dicere de eo qui ſyllogizatur ex communibus & veris: non tamen ſunt propria.

Et ſyllogiſmus litigioſus & ſophiſticus eſt, &c.

Dicamus igitur, quòd ſyllogiſmorum ſophiſticorum & litigioſorum vnus eſt apparens nec ſyllogizatus, ſicut ille qui peccat in forma: alter autem ſyllogizatur, qui quidem eſt ex falſis communibus, de quibus (vt prædictum eſt) eſt dialectica tentatiua: tentatiua enim pars eſt dialecticæ. Et ſi aliquando vera ſit concluſio talis ſyllogiſmi, tamen ſophiſticus eſt ſyllogiſmus. Cuius ratio eſt: quia licet ſit eius ſyllogiſmi demonſtratiui qui eſt propter quid, hoc eſt, per cauſam propter quid, tamen in hoc deceptorius eſt: quia non eſt ex propriis, ſed ex communibus circa propria, cum deberet eſſe ex propriis: & generaliter loquendo ſyllogiſmi qui non ſunt ſecundum propriam ſyllogiſmorum viam, & ex propriis illius ſcibilis, ſunt paralogiſmi, & non verè ſyllogiſmi: quia videntur eſſe ſecundum artem, in hoc quod concludunt propriam artis concluſionem: & tamen in hoc non ſecundum artem ſunt, quia ſunt ex communibus, licet ſint circa propria diſciplinæ. Ex hoc apparet, quòd talis falſus ſyllogiſmus differt à falſigrapho? quia falſæ deſcriptiones (ex quibus ſiunt falſigraphi) non ſunt litigioſi ſyllogiſmi, ſed veri: quia ſunt ex propriis & oppoſitis propriorum. Tales enim falſigraphi ſunt ſecundum ea quæ ſunt ſub arte eadem: & eiuſdem artificis eſt conſiderare eos, qui conſiderat verum ſyllogiſmum demonſtrationum in arte illa. Et ideo non pertinent ad ſophiſticam & ad hanc ſcientiam quæ de ſophiſticis eſt elenchis: vnde tales paralogiſmi falſigraphi ad ſcientias pertinent diſciplinales.

Syllogiſmi qui concludunt propria alicuius artis concluſionem & nō ex propriis illius artis, ſunt paralogiſmi.

Eiuſdem artificis eſt conſiderare falſigraphū & demonſtrationum.

Neque ſi qua eſt falſa deſcriptio, &c.

Neque iterum ad ſophiſticam pertinent ſiquæ fallaciæ ſunt deſcriptæ circa vel contra verum quod ex propriis concludit in ipſis, ſicut ad ſophiſticam non pertinet Hippocratis quadratura, quæ circulum quadrauit per lunulas, hoc eſt, circuli partitiones ad modum lunularum factas: & iſte modus eſt in geometria, in ſcientia quæ vocatur proportio arcus ad chordam, quando inuenitur arcus æqualis chordæ, ſecundum quod docet Ptolemæus in Almageſto. Dicit enim Hippocrates: ſi inueniatur chorda æqualis arcui, ſit illa chorda latus quadrati in ſcriptura in circulo: ſic enim quatuor arcus erunt æquales quatuor quadrati lateribus, & totus circulus toti circulo: & quadrauit circulum ex propriis geometriæ: & ideo ad geometriam pertinet: nec eſt litigioſus, quamuis ſit ex falſis: quia probatum eſt in geometria, quod figura poligonia circulo inſcripta, quamuis in angulis multiplicetur in infinitum & lateribus, tamen ad capacitatem circuli non proueniet, cum tamen plus & plus in angulis multiplicata, plus & plus ſemper accedat ad circuli capacitatem.

Ratio qua Hippocrates quadrauit circulum.

Attende autem, quòd quidam aliter formant rationem Hippocratis dicentes, quod Hippocrates poſuit, quòd lineæ exeuntes ab eodem puncto & ad idem punctum terminatæ, ſunt æquales: arcus autem & chorda ab eodem puncto exeunt & ad idem terminantur: ergo ſunt æquales. Sed hoc falſum eſt: quia quilibet in diſciplinis videt, quod duæ lineæ, quarum vna eſt curua & alia recta (licet exeant ab eodem puncto & ad idem terminentur) valdè ſunt inæquales. Sed hoc verum eſt, quando arcus & chorda proportionatæ lineæ ſunt, & quæ proporrionata ad æqualitatem deducibilia ſunt: eò quod omnis proportio incipit ab æqualitate, & reducitur ad ipſam: tunc eſt inuenire lineam æqualem arcui: & ex illa ſi ducatur in ſeipſam, fiet quadratum æquale alicui circulo. In hoc tamen non eſt vis: quia exemplum non ponitur, niſi vt ſciatur, quòd Hippocrates quadrauit circulum: & ille ſyllogiſmus non eſt litigioſus. Sed bene ille eſt litigioſus, qui ex communibus non propriis alicuius ſcientiæ, circuli probauit quadraturam ſic: vbi eſt inuenire maius & minus, ibi eſt inuenire æquale: ſed circulo eſt inuenire maius & minus quadratum: ergo circulo eſt inuenire æquale quadratum: nam ſi ſic, quadraretur circulus, hoc eſt, æquale circulo quadratum eſſe proberur: tamen quia talis ſyllogiſmus non eſt ſecundum rem, hoc eſt, ex propriis rei ſcibilis, ideo ſophiſticus eſt: quia apparet facere ſcientiam propriam & ex propriis, & non facit; ea enim quæ ſumit vt principia, communia ſunt & logica, quæ in multis ſunt & non ſunt propria: propter quod ille ſyllogiſmus qui eſt de his ſiue talibus communibus circa propria diſciplinæ apparens facere ſcientiam propriam & non faciens, eſt oratio litigioſa quantum ad hoc, quòd non eſt ex propriis.

Ratio ſimilis ad idem ſecundum alios.

Ratio qua Hip. quadrauit circulum ſuis ſyllogiſmus falſigraphus, & non ſophiſticus litigioſus, ſed bene ratio Briſſonis fuit litigioſus ſuus ſyllogiſmus.

Cuius ratio eſt: quia etiam ille ſyllogiſmus ſecundum rem eſt apparens ſyllogiſmus, qui ſi eſt ex communibus, circa propria eſt apparens ſyllogiſmus: & qui apparet fidem facere de re ſecundum ſua principia propria accepta: & ſi hoc eſt, quamuis ſit ſyllogiſmus (hoc eſt ad formam ſyllogiſmi ſyllogizatus) tamen eſt litigioſa oratio, in quantum non eſt ex propriis, ſed ex communibus: & hoc ideo eſt: quia eſt apparens ſecundum rem, hoc eſt, apparens ſecundum propriam ſcientiam facere ſecun-

Et qui ſecundum rem eſt apparens, &c.

dum rem: propter quod sequitur, quòd sit fallax & iniustus: fallax quidem, quia non facit quod facere apparet: iniustus autem, quia non est ex propriis disciplina.

Quemadmodum enim qui & in certamine &c.

Et hoc proponit in exemplo: quemadmodum enim ista iniusta, quæ in certamine est, quandam speciem habet secundum formam rationis, & secundum illam est iniusta ratio quando oppugnat iniuste: sic in contradictione (hoc est, in disputatione & syllogismo ad contradictionem ducente) iniusta contentio (quæ non habet data ex quibus vt propriis sit redarguens) litigiosa est: nam & illis in certamine usus illa qui omnino & omni modo per iusta & per iniusta vincere volunt, omnia & sibi pertinentia & ad se non pertinentia apprehendunt, vt ex propriis & alienis adiuuentur: & similiter hi litigiosi sunt, qui communia apprehendunt, quæ ad se vt propria non pertinent: finibus enim intentis & propriis distinguuntur sophisticus & litigiosus, quamuis subiecto idem sint & secundum hoc.

Nota similitudinem.

Sophisticus & litig. eius sunt idem vt, sine autem distinguuntur.

Ergo qui obiurator, &c.

Ergo syllogismi & homines qui ob victoriam ipsam tales sunt, vt per communia vincant, sunt litigiosi homines, & syllogismi eorum sunt litigiosæ orationes. Qui autem homines & syllogismi tales sunt propter gloriam apparentis sapientiæ, quæ est in diuitiis siue copiositate: apparentis sapientiæ, sunt homines sophistici & sophisticæ orationes. A principio enim huius scientia dictum est, quod sophista vult videri copiosus ad apparentem sapientiam: nam sophistica est quædam scientia indicatiua eius qui habet eam ab apparente sapientia, sicut in antecharitis dictum est: propter quod isti sophisticæ appetunt eam quæ est apparens demonstratio, apparentem faciens scientiam vel sapientiam: & hæc est illa demonstratio siue syllogismus, qui est ex communibus circa propria. Et ideo quia non differunt litigiosi & sophistæ, nisi finibus, ideò in oratione vsus eisdem secundum substantiam & subiectum sunt litium amatores, & sophistæ: sed non sunt propter eadem, siue propter eundem finem & litigiosi & sophistæ: & ideò etiam oratio eadem subiecto erit quidem sophistica & litigiosa, sed non secundum idem, hoc est, ad eundem finem, sed in eo quidem quod est propter victoriam apparentem (hoc est quia quærit apparere quod vincat) est litigiosa: in eo verò siue quod est propter apparentem sapientiam, qua copiosus vult videri, est sophistica: nam sophistica est apparens quædam sapientia, non autem existens. Sic ergo patet qualiter syllogismus qui est ex communibus circa propria, & litigiosus est & sophisticus. Qualiter autem idem se habeat ad dialecticum syllogismum, nunc dicemus.

Litt. & sophistæ non differunt nisi finibus propriis.

Syllogismus qui est ex communibus circa propria, est litigiosus & sophisticus.

Litigiosus autem est qui, &c.

Litigiosus autem est talis syllogismus, qui quodammodo in materia se habet ad dialecticum, sicut falsigraphus se habet ad geometricum: & hoc est, quia in hoc quod paralogizabat ex eisdem (hoc est, ex communibus) quæ sunt dialectica: velut etiam falsigraphus paralogizabat ex eisdem (hoc est, ex propriis) quæ sunt geometriæ: quia si proprium est principium geometriæ, ex quibus demonstrat, est etiam oppositum proprio proprium geometriæ, ex quo fit falsigraphus: & dicitur falsigraphus, & non litigiosus: quia falso describit figuras, ex principiis tamen & conclusionibus propriis quæ sunt sub arte & propria sunt arti. Syllogismus autem qui est ex communibus quæ sunt sub dialectica, est circa alia quàm circa propria quæ sunt sub arte: & hoc quidem iam ante erat manifestum, quòd ille erat litigiosus, vt iam dictum est de quadratura facta per lunulas, quia erat ex propriis, non erat litigiosa: Brissonis autem quæ est per communia dictum est quod erat litigiosa.

Et hũc quidem non est transferre, &c.

Adhuc autem differentia est inter istos syllogismos, quod hunc quidem qui est falsigraphus, non est monstrare nisi ad geometriam tantum: quia est ex propriis geometriæ, quæ propria sibi soli conueniunt & non alij: & ideò ad aliam scientiam transferri non potest: quàmuis enim in posteriorum libris dictū sit, quod demonstratio aliquando est de genere in genus, si magnitudo numerus quidem est, tamen hoc non verum est, nisi de scientia subalternante ad scientiam subalternatam: subalternans autem & subalternata scientia non differunt sicut alia & alia scientia, sed sicut scientia continens & scientia contenta. Aliquando autem syllogismum qui est ex communibus circa propria, contingit transferre ad plures apud eos scientes quicunque non sciunt quid ex propriis principiis est possibile in qualibet scientia, & quid impossibile est accidere ex illis: quia illi vtuntur communibus: tunc enim ille qui est ex communibus per coarctationem communium, aptabit ad id quod est in aliis scientiis, sicut principia communia coarctanter & aptantur ad propria, sicut ex communibus, & Antiphon quadrauit ex communibus, sicut & Brisso, sicut superius dictum est.

Vel si quis dicat, &c.

Vel in alio exemplo, si quis dixit non esse melius vel bonum post cœnam deambulare per Zenonis rationem, & dicat hoc per syllogismum ex communibus qui est non medicinalis, quia non ex propriis medicinæ, eò quod communis est per communia sic: in quolibet spatio sunt infinita: infinita autem non contingit pertransire: ergo impossibile est post cœnam ambulare. Impossibile autem facere non est bonum. Ergo non est bonum post cœnam ambulare. Hæ ergo sunt differentiæ falsigraphi ad litigiosum qui est ex communibus circa propria.

Si ergo omnino simpliciter se haberet, &c.

Hoc autem quod diximus (quod litigiosus se habet ad dialecticum quodammodo sicut falsigraphus ad geometricum) intelligendum est quodammodo & non omni modo: si enim omnino & omni modo se haberet litigiosus ad dialecticum, sicut falsigraphus ad geometricum: tunc oporteret, quòd sicut falsigraphus peccat contra geometricum & nunquam est geometricus, ita semper peccaret litigiosus qui est ex communibus circa propria contra dialecticum, & nunquam esset dialecticus: hoc autem falsum est: quia sic litigiosus nunquam esset de illis siue de numero illorum qui sunt dialectici: hoc autem falsum est: quia in superioribus huius capituli dictum est, quòd quidam de talibus syllogismis qui est ex communibus

communibus circa propria, est syllogizatus, & habet conclusionem veram: & tunc si ista conclusio sequitur ex veris, erunt præmissæ veræ & conclusio vera, & consequentia vera: & cum sint ex communibus quæ sunt circa singula, erit talis syllogismus verè de numero syllogismorum dialecticorum.

Remouet dubium.

Attendendum autem, quòd non oportet vlterius determinare de alio syllogismo. Quamuis enim in topicis dictum sit, quòd quidam est syllogismus apparens qui peccat in forma: & quidam syllogizatus ex falsis, qui peccat in materia potius quam in forma, qui vocatur syllogismus apparens ex apparentibus probabilibus: quia iam determinatum est de peccante in forma & de peccante in materia, satis scitur peccans in vtroque per sua componentia. De syllogismo autem ex communibus circa propria in topicis determinari non debuit: quia illi qui in topicis habiti sunt peccare contra syllogismum dialecticum, sunt sophistici in veritate: hic autem de quo hic loquimur, non est sophisticus nisi secundum quid, & ad quendam non topicum syllogismum, & non simpliciter: hic autem est litigiosus & sophisticus, vt dictum est, respectu finium diuersorum: & quamuis aliquando concludat verum ex veris, est tamen aliquo modo sophisticus, inquantum apparet facere scientiam ex propriis, quam non facit, vt dictum est. Nec oportet hic determinare huius syllogismi principia, cum sit dialecticus: principia autem dialectici syllogismi determinata sunt in topicis.

Syllogismus qui est ex communibus circa propria, peccat contra demonstratiuũ si procedat ex veris, & contra topicum si ex falsis.

Adhuc autem intelligendum est, quòd iste syllogismus qui est ex communibus circa propria, peccat contra demonstratiuum, in hoc quod est ex communibus, quia communia accipit ex propriis: nec tamen in illis communibus quæ per se sunt, peccat, quia communia accipit vera: peccare autem in communibus est, quando pro communibus (quæ deberent esse vera vel saltem probabilia) accipiuntur falsa vel improbabilia: & si ita fieret, peccaret contra dialecticum. Vnde contra demonstratiuum in propriis peccat falsigraphus. Per communia autem contra demonstratiuum peccat ille qui est ex communibus circa propria.

Tam falsigraphus quã syllogismus qui est ex communibus circa propria, peccans contra demõstratiuũ, sed diuersimodè.

Et si quis obiiciat, quòd omnis syllogismus sophisticus peccat contra dialecticum, & sic non est dialecticus. Dicendum, quòd hoc est verum de syllogismo qui simpliciter est sophisticus: hic enim peccat contra dialecticum: iste autem non est sophisticus, nisi quodammodo, & non simpliciter: & ideò contra dialecticum non peccat: non enim sophisticus est, nisi in hoc quòd videtur facere scientiam, cum tamen non faciat: ex communibus enim non fit scientia, sed solum fides & opinio.

Syllogismus qui est ex communibus circa propria, non est simpliciter sophisticus, sed quodammodo.

Sciendum est, quòd falsigraphus quamuis sit aliquo modo fallax & iniustus, non tamen est litigiosus: quia esse fallacem & iniustum, non est tota causa huius, quod syllogismus sit litigiosus: sed oportet addere, quòd fallax sit & iniustus & circa omnia: & sic ad hoc quod aliquis syllogismus sit litigiosus, non sufficit hoc solum, quòd intendat gloriam de apparenti sapientia: sed addendum est, quòd hoc faciat circa communia & in communibus.

Quod falsigraphus non sit litigiosus, & quod requirat litigiosus.

Attendendum etiam, quòd falsigraphus & demonstratiuus sunt circa eadem principia incomplexa, sed non sunt circa eadem complexa, nisi dicantur secundum præsentiam esse principia demonstrationis, & secundum absentiam esse principia falsigraphi: sicut nauta per præsentiam est causa salutis nauis, & secundum absentiam causa periculi nauis.

Quomodo falsigraphus & demonstratiuus sint circa eadem principia, & quomodo non.

CAPVT VI.

De tentatiuis syllogismis.

Nunc autẽ non est dialecticus, &c.

QVia autem iam ante determinatum est de duplici litigioso & tentatiuo syllogismo: de vno quidem est qui ex communibus & falsis, qui est tentatio circa communia: syllogismus enim qui est circa communia & non arguit secundum rem, monstrat ignorantiam, vt in præhabitis dictum est. Et quia etiam iam paulò ante determinatum est de syllogismo litigioso, qui est ex communibus circa propria, qui est tentatio circa propria: & etiam quia iam sæpè dictum est, quia tentatiua est quædam dialectica: ideo nunc determinare oportet de syllogismo tentatiuo (vt perficiatur doctrina de syllogismo) ex quibus scilicet & qualibus est principiis tentatiuis, & qualiter conuenit cum syllogismo dialectico, & qualiter differt ab eo. Determinabimus igitur, quòd tentatiua est scientia communis omnium & non determinati generis alicuius, & tamen tentatiua est dialectica quædam.

Dicimus igitur, quòd non est dialecticus syllogismus necessarius circa aliquod determinatum genus subiecti: quia circa syllogismum ex probabilibus: tamen vtens qui est ad omne problema accidentis & generis & proprij & diffinitionis & eiusdem & diuersi determinandum, non est circa genus aliquod subiecti necessarius, sed est circa omnia in quibus sunt istæ intentiones, genus, accidens, proprium, diffinitio, & idem & diuersum, in quibus est habitudo medij probabilis ad inferendum conclusionem ex probabilibus: & talis syllogismus non ostensiuus alicuius generis determinati. Et licet ita sit non circa genus determinatum: tamen non est talis qualis est scientiæ vniuersalis syllogismus: vniuersalem autem scientiam quæ de omnibus est, dicimus metaphysicam siue primam philosophiam. Tria igitur ostendere intendimus, scilicet quod tentatiuus & dialecticus non sunt alicuius generis subiecti determinati, & quod non est ostensiuus alicuius passionis determinatæ de aliquo: & tertio cum talis sit, quòd tamen non propter hoc est sicut scientia quæ theoriæ vniuersalis est, sicut prima philosophia.

Neq; enim sunt omnia in vno, &c.

Quod autem non sit dialectica vtens alicuius generis subiecti determinati, ex hoc probatur, quòd dialectica talis est inquisitiua, & interrogati

interrogatiua est de communibus: communia autem de quibus inquirit (quæ sunt accidens, & genus, proprium, & diffinitio, sicut hoc est, an insit ei aliquid vt accidens vel genus vel proprium vel diffinitio) non sunt in vno aliquo genere subiecti determinata: ergo dialectica vtens dialectico syllogismo, non est circa aliquod quod sit determinatum subiectum. Adhuc si daretur, quòd essent omnia sub ente sicut sub vno genere, non sequeretur adhuc, quòd possibile esset omnia esse sub eisdem principiis: omnia enim quæ sunt sub eisdem principiis, diffinitiones esse non possunt: eò quòd nec ea quæ sunt sub eodem genere, eisdem principiis determinari non possunt: sicut patet in substantiis intelligibilibus & corporalibus, & substantiis corruptibilibus & incorruptibilibus: & de his quæ sunt in quantitate, patet in continuis & discretis, quæ ad idem constitutiuum sui esse principium reduci non possunt, sed continua fluunt à puncto sicut à suo principio, discreta autem ab vnitate. Ens enim non genus constitutiuum alicuius generis, prius est eo cuius est genus. Nunc autem cum diuiditur ens in substantiam & accidens, ens simpliciter non est ante substantiam: quia simpliciter ens non est nisi substantia: nec ea in quæ diuiditur ens per differentias, coæquæua exeunt de ente cum diuiditur in substantiam & accidens: substantia quidem est ens, accidens quidem erit modus quidam entis per posterius: & idem genus esse non potest. Dialectica igitur cum sit inquisitiua intentionum & prædicatorum quæ insunt omnibus, non potest esse alicuius generis subiecti determinati: nec potest esse ostensiua alicuius determinatæ passionis vel prædicati de aliquo subiecto. sed circa subiectum inquirit quid insit vt genus, quid vt accidens, quid vt proprium, quid vt diffinitio. Nec tamen propter hoc est vt vniuersalis & theorica scientia, omnibus dans subiectum particularibus scientiis & omnibus dans passiones. Dialectica enim circa subiectum est inquisitiua quid insit vt prædicatum hoc, vel quid non insit: eò quod & constructiuè & destructiuè quærit quid insit & quid non insit. Scientia autem quæ est vniuersalis theoria (quæ vocatur metaphysica) de omnium principiis est secundum veritatem & entitatem & necessitatem. Dialectica verò ex probabilibus inquirit quid insit vt prædicatum vniuersale, neque secundum quod intentio est, generale accipit vt genus, & accidentale vt accidens, & appropriabile vt proprium: & hæc omnia ex probabilibus & probabiliter inquirit.

Quare nulla ars determinatiua, &c.

Propter quod ex dictis sequitur, quòd nulla ars vel scientia alicuius determinatæ naturæ in subiecto vel passione monstratiua siue ostensiua vel demonstratiua, est interrogatiua consensus respondentis, vel etiam vtriusque partis contradictionis: quia hæc sola interrogatio quando interrogatur consensus in vtramque partem contradictionis, quodcunque respondens eligat, vt in illam obuiando disputet opponens: non enim est possibile in particularibus scientiis (quæ de determinato subiecto determinatam monstrant passionem) vtrum libet, hoc est, vtrum respondenti cuilibet partium contradictionis dare: sed vnam ab ipsa re siue natura rei datam respondentem oportet dare, siue velit, siue nolit: in talibus enim determinatis scientiis non fit syllogismus ex vtrisque siue ad vtramque partem contradictionis. Dialectica autem circa omnia interrogatiua est vtriusque partis contradictionis, & per consequens & tentatiua, cum sit dialectica quædam.

Si autem ostendat, &c.

Si autem dialectica ostendit aliquando aliarum methodorum principia, vt in primo topicorum dictum est, non tamen propter hoc est talis qualis prima philosophia: quia etsi ostendat aliorum methodorum principia, non tamen ostendet omnia principia, vt est id, de quolibet affirmatio vel negatio vera, & de nullo simul: & etiam propria principia sua (inquantum est docens quædam determinati subiecti scientia, de subiecto suo determinatæ passionis ostensiua) non interrogabit: quia illa requirere & supponere oportet: nam si hæc principia interrogata non daret respondens, sed negaret ea vniuersaliter, non haberet opponens dialecticus, ex quibus principiis amplius disputaret ad instantiam respondentis, siue contra respondentem: omnem enim disputationem interrogatiuam regulari oportet principiis primis & propriis.

Obiectio.

Et si tu dicis, quòd haberet syllogismum ad impossibile sicut & metaphysicus, qui syllogismus ad impossibile probat prima principia.

Solutio.

Dicendum, quòd proprium est argumenti dialectici (cum vtraque pars contradictionis in dialecticis probabilis sit) vt ex neutra fit deductio ad impossibile.

Talis autem est tentatiua, &c.

Ex dictis igitur concluditur, quòd dialectica non est generis determinati: & ideò neque tentatiua est generis alicuius determinati. Cuius probatio est, quod tentatiua non est talis, qualis sit determinati generis, qualis est geometria, quæ est determinati generis entis alicuius: quia est de continuo immobili: sed est talis qualis est dialectica ex communibus, quam habeat & non sciens aliquis propria alicuius generis determinati. Est enim experimentum simile etiam non scientis propria quando tentat per communia: est, dico, nesciens experimentum sumere: cum quis nescit rem ex propriis, sed ex communibus ad propria, & illa sunt communia: communia enim sequuntur ad propria, & non è conuerso: quia propria non sequuntur ad communia, nisi negatione communis, inquantum quæcunque talia sunt, quæ scientem quidem nihil prohibet non scire aliquam artem: quia communibus scitis nihil prohibet nescire artem, sed cum qui nescit communia, necesse est ignorare artem: quia communibus non scitis non scitur ars, sed ignoratis communibus ignoratur ars.

Propter quod manifestum est, quoniam tentatiua nullius est determinati generis vel passionis disciplina siue scientia: eò quod ipsa de omnibus est, vt dictum est. Et bene dico, quòd est de omnibus: quia est de communibus circa propria: quia omnes artes quæ sunt determinati generis, vtuntur communibus quibusdam prædicatis, vt est inesse, vt accidens, vt genus, & inesse vt proprium, & inesse vt diffinitio, & non tantum artes, sed etiam omnes sine arte per studium nituntur suadere ex communibus: propter quod omnes etiam idiotæ sine arte acquisita persuadeneres, vtuntur dialectica, secundum quod ex communibus persuadent: & vtuntur tentatiua naturalis industriæ, secundum quod vsque ad quid nititur ab alio experti an ignoret vel non de aliquo. Omnes enim aliquid pronuntiantes conantur diiudicare illud per communia, & diiudicant communia: talia enim communia nihil minus sciunt idiotæ, quamuis videantur valdè extra artem dicere, eò quod nesciunt ea ordinare ad formam syllogismi sicut artem habentes. Ex quo patet, quòd sermocinantes arguunt ex probabilibus, & idiotæ & artem habentes: nam idiotæ sine arte participant per naturalem industriam illud commune, de quo artificialiter est dialectica, & arte syllogistica tali participant & dialecticus & tentatiuus.

Quoniam autem sunt multa quidem hæc, &c.

Quoniam autem sunt multa hæc communia scilicet, & sunt determinata & propria in singulis scientiis, patet & quod non sunt illa communia talia quæ sunt vt natura quædam determinata, vt genus quoddam determinatum subiectum, de quo est determinata scientia: sed sunt communia non secundum rem, quæ sit natura vel genus, sed sunt communia velut negationes sunt communes, quæ non re, sed intentione & ratione communes sunt: quia negatio secundum rem nihil ponit determinatum in natura vel genere, sed intentione sola & ratione. Alia autem non sunt talia communia quæ sunt in singulis artibus. Sunt enim talia, scilicet communia, sed propria cuilibet arti & naturæ generis, ex quibus est scientiarum vnaquæque: & est (siue contingit) ex his communibus quæ sunt circa singula, de omnibus etiam propriis experimentum sumere: & contingit de his communibus esse quandam artem quæ tentatiua vocatur. Ex his communibus circa propria, & illam artem non contingit esse talem, quales sunt scientiæ demonstratiuæ determinatæ, quales illæ scientiæ disciplinales quæ demonstrant determinatas passiones circa subiecta determinata: illæ enim potius sunt scientiæ quam artes. Ista autem potius ars quam scientia: & hoc est ideò: quia litigiosus syllogismus (qui est ex communibus circa propria) non est sic se habens omninò vt saligraphus se habet ad geometricum: quia si sic omninò se haberet, tunc esset ex propriis sicut saligraphus: nunc autem ex communibus est, quamuis sit circa propria: non enim est paralogismus determinati cuiusdam generis vt saligraphus, sed est paralogistica ex communibus circa propria: vnde talis litigiosus erit circa omne genus proprium ex communibus, & non erit ex principiis determinati generis cuiusdam.

Tentatiua est potius ars quam scientia.

Logicus ergo de sophisticis, &c.

Loci ergo ducentes ad redargutionem, qui sunt de sophisticis elenchis, hi sunt qui dicti sunt: quoniam dialectici (qui est circa probabilia & apparenter probabilia considerare) est de his, & habere facultatem, quòd possit ista facere & redarguere videri ex illis, non difficile est videre, secundum quod dialecticus communiter accipit talia communia considerans: quia illa methodus circa propositiones & prædicata communia propositionum omnem habet hanc speculationem, scilicet de his quæ apparent probabilia. Et sic de elenchis quidem apparentibus inquantum ducunt ad redargutionem, dictum est.

Scitis prius scientur communia, sed non è contra: & ignoratis communibus ignorantur propria, sed non econtra.

Est autem notandum, quòd scitis quidem propriis necesse est sciri communia: quia ex propriis sequuntur communia, & communia sunt principia propriorum: sed non propter hoc ignoratis propriis ignorantur communia, sed possunt sciri communia ignoratis propriis: sed hoc verum, ignoratis communibus ignorantur propria: & ideò per communia contingit experimentum accipere de ignorantia propriorum, & non è conuerso, per ignorantiam propriorum accipitur experimentum de ignorantia communium. Alia quæ dicta sunt, plana sunt omnia secundum expositionem quæ posita est, si diligenter attendatur.

TRACTA

TRACTATVS VI.

De deductione ad quatuor metas, scilicet falsum, inopinabile, soloecismum, & nugationem.

CAPVT I.

De deductione ad falsum & nugationem.

VIA autem de sophisticis elenchis secundum quod ad redargutionem ducunt, iam satis dictum est, nunc qualiter respondens ad alias quatuor metas ducendus sit, determinemus. Et primo qualiter ad falsum & inopinabile: hæ enim duæ metæ conueniunt: quia omne manifestè falsum est inopinabile, & omne inopinabile ad minus alicui est falsum, & sic quasi conuertibilia sunt falsum & inopinabile. Nec ergo oportet determinari hic speciales modos arguendi ad falsum & inopinabile: quia modi arguendi qui sunt per locos sophisticos ad redargutionem, sunt et am per consequens ad inopinabile & ad falsum. Non ergo oportet hic determinare nisi modos interrogandi, quibus respondens competentius ducitur ad falsum & ad redargutionem.

Falsum autem in aliquo ostendere, &c.

Ostendamus igitur qualiter in aliquo genere sophisticæ disputationis contingit ostendere quod respondens dederit, & qualiter contingit orationem ad inopinabile ducere: hoc enim (sicut à principio istius libri dictum est) fuit secundum siue secundus finis sophisticæ voluntatis, cum primus & principaliter intentus fuerit redargutio. Si enim opponens respondentem intendat ducere ad falsum manifestum (quia solum manifestè falsum hoc falsum dicitur secundum quod falsum meta est sophisticæ disputationis) tunc primum quidem quod est obseruandum, est, quòd opponens non omni modo, sed quodammodo cautè interroget: quia per interrogationem quodammodo factam maximè hoc accidit quod citius & facilius ducatur ad concedendum falsum. Primum igitur est, quòd ad nullum determinatum propositum interroget: quia ad nullum determinatum propositum interrogare & prò-ponere venatiuum est horum vt concedat falsum vel inopinabile: quia tunc etiam respondens non scit aliquod determinatum ad quod respondeat, & vanè (hoc est, non ad determinatum aliquid) dirigit responsionem: & sic vanè dicentes siue respondentes magis & facilius peccant, aperte falsum vel inopinabile concedendo: vanè autem dicunt & respondent, quando nihil determinatum habent propositum, ad quod suam dirigant responsionem. Quod autem diximus, quòd non ad certum aliquod debet opponens opponere, sic intelligimus, quòd ad respondentem celare debet suum propositum: quamuis ipsi opponenti certum sit ad quid intendat: quia aliter impediret seipsum nesciendo quid proponeret, aut ad quid tenderet: sed si hoc nesciat respondens, minus cauebit & citius concedit falsum ad quod ducere intendit opponens respondentem.

Et interrogare multa, &c.

Et secundum est, quòd opponens debet interrogare multa: quamuis etiam apud eum determinatum sit propositum suum ad quod disputat: hoc enim facile est opponenti facere in his in quibus abundat syllogismis & rationibus: quod facile est in his quæ apparent probabilia: quia ista in multis sunt & facile inueniuntur: multis enim sic interrogatis confunditur respondens, & facilius concedit falsum & inopinabile.

Et ea quæ videntur dicere, &c.

Tertio autem vtile est opponenti, quòd ea quæ videtur dicere respondenti, videatur probare & approbare & commẽdare suam responsionem, præcipuè in aliis quæ non sunt de principali proposito: hoc enim facit, quòd respondens confidit de opponente, & minus cauet sibi ab ipso: & sic confert idoneitatem, vt opponens respondentem facilius ducat ad concedendum inopinabile vel manifestè falsum.

Quarto considerandum est opponenti, quòd si interrogatus siue respondens dicat siue concedat, vel neget bene respondendo aliquid eorum quæ interrogat opponens, debet opponens latenter transferendo se ad materiam ignotam respondenti ducere respondentem. Si enim apertè hoc faceret, caueret ipse respondens. Ad talem autem materiam ducat, ad quam ipse opponens argumentari sit idoneus & non respondens: in tali enim translatione ad materiam ignotam respondenti, ipsi respondentes possunt nunc (post translationem factam) minus lædere ipsos opponentes benè respondendo quam prius fecerit in materia nota respondenti. In tali enim translatione exiguntur opponentes à respondentibus quid hoc ad quod se transferunt, faciat ad id quod in principio est interrogatum. Quamuis enim (sicut in 8. topicorum dictum est) hæc etiam sit cautela dialectici, tamen nihil prohibet etiam esse sophistæ: sed dialectici est vt abundet in dialecticis, sophistæ autem vt abundet in apparentibus.

Secundum si mic sophista est ducere ad inopinabile: primus autem ad redargutionem.

Hanc cautelam ponit etiam Philosophus 2. topic. c. 14. & vocat eam sophisticam.

Remouet dubium.

Quintum

Elementum autem veniendi, &c.

Quantum autem elementum (hoc est, principium opponentis) veniendi aut ad falsum aliquod aut inopinabile quod concedat respondens, est, quòd nullam statim in principio oppositionis ponat interrogationem quam intendit: sed debet confiteri, quòd ob hoc siue propter hoc velit interrogare causa disciplinæ, siue quod discere velit inquirendo veritatem: hæc enim consideratio locum facit argumentationis ducentis ad falsum vel inopinabile: quia respondens intendit ad eum & minus impedit eum qui minimè promouet ad inquisitionem.

Sciendum autem, quòd licet finis dialecticæ disputationis sit fides vel opinio, & finis sophisticæ disputationis debeat esse oppositum finis dialecticæ disputationis, & falsum non opponatur opinabili vel credibili: tamen falsum finis sophisticæ disputationis est: quia sophista non tantum est contrarius dialectico, sed etiam demonstratori: & sic falsum est finis eius, non tamen omne falsum, sed manifestè falsum est finis & meta. Et hæc quidem elementa quæ dicta sunt quinque sunt communiter ducentia ad falsum & inopinabile.

Ad mentientem autem ostendendum, &c.

Est autem vnum elementum siue documentum, quod diuisim ducit ad falsum, hoc scilicet, quod ad mentientem autem (hoc est, falsum dicentem) ostendendum, primus modus sophisticus est ducere respondentem ad talia ad quæ opponens abunder orationibus. Est autem siue contingit bene hoc facere, si latenter fiat: & est siue contingit non bene hoc facere, si fiat non occultè sed manifestè, quemadmodum paulò ante dictum est. In istis enim propter abundantiam opponentis minus cauere potest quin concedat manifestè falsum.

Rursus vt quod extra opinionem, &c.

Rursus autem elementum siue documentum, quòd dicat aliquid diuisim ducens ad impossibile siue quod est extra opinionem, vnum quidem elementum siue documentum est considerare, siue quod opponens consideret, ex quo genere sectarum physicarum est respondens qui disputat respondendo: & viso de qua secta sophisticorum sit, vel Stoicorum, vel Peripateticorum, vel Heraclitorum. Et deinde interrogare aliquid quod sit de opinione illius sectæ de qua est: quia id quod hi dicunt de quorum secta est, & quod est ex pluribus illorum (hoc est, in quod plures illorum consentiunt) erit inopinabile aliis: singulis enim sectis est aliquid tale inopinabile, cum ipsis sit extraneum. Opinio autem alicuius pororum secundum philosophiam inquantum opinio, est sic suis probabile: inquantum autem extranea, sic aliis est improbabilis: & sic quamcunque viam veniat, ad aliquid improbabile aliquibus ducetur.

Opinio alicuius noti secundum philosophiã est probabilis & improbabilis respectu diuersorum.

Elementum autem horum, &c.

Tertium autem talium modorum sophisticorum quoad vsum, est singulorum sumere positiones, quæ sint extraneæ opiniones, vt dictum est in propositionibus, ita quod proponantur in propositionibus quæ interrogantur ab opponente. Solutio verò quæ respondenti obseruanda est horum modorum (hoc est, his modis) competens fertur ostendere (hoc est, quod respondens ostendat) quoniam inopinabile ad quod ducit opponens vel ducere videtur, non accidit propter orationem siue oppositionem opponentis: sed quia concedit hoc, quia est de secta tali quæ hoc dicit: ille enim qui contendit (hoc est, contendendo se opponit) ad metam sophisticam ducendo, semper vult hoc quod accidat vel accidere videatur, propter suam orationem vel oppositionem quam interrogat.

Amplius autem ex voluntatibus, &c.

Amplius autem secundum documentum siue elementum diuisim ducens ad inopinabile, est ducere ad contrarias opiniones sumptas ex voluntatibus, quas scilicet finaliter apud se latenter volunt, & manifestis opinionibus quas dicunt se manifestè opinari, propter veritatis honorem, quam se honorare simulant. Non enim communiter homines & volunt finaliter apud se & dicunt ex veris se velle: sed exterius dicunt se velle decoratissimas orationes, sed apud se in occulto quæ videntur prodesse ad delicias vel diuitias & honores priuatos, qui sunt in dignitatibus. Verbi gratia in publico quidem dicunt eligere se magis bene mori propter bonum virtutis, quam malè viuere & voluptuosè: & hoc dicunt apertè: quia hoc est virtutis & honestatis, vt dictum est in tertio ethicorum, quòd forti vel mors tali salute est eligentior. Et dicunt secundo exemplo ad idem inducto, quod agere iustè (hoc est, in eo quod iustè est acquisitum) melius eligunt, quam affluere multis diuitiis praue acquisitis: sed apud se propter concupiscentiam volunt his contraria.

Ergo cum qui dicit, &c.

Vsus autem huius documenti est, quòd ille qui dicit se opinari secundum voluntates priuatas, ducatur ad manifestas opiniones: quia sic dicet inopinabile contra illas: & cum (qui dicit se opinari secundum has quæ manifestæ sunt) ducendum est ad absconsas voluntates: quia sic dicet inopinabile contra seipsum: vtriusque enim siue ex vtraque parte quodcunque eligat, necessarium est extra vel contra alicuius opinionem dicere aliquorum: aut enim dicet contraria ad manifestas opiniones, si concedit absconsas voluntates: aut ad obscuras voluntates dicit contraria, si concedit manifestas.

Plurimus autem locus est, &c.

Tertio autem sciendum documentum est, quod plurimus locus est quo faciat respondentem aliquid extra opinionem alicuius dicere, & quod faciat id quod scriptum est, Callicem dicere faciendum in libro Platonis (qui dicitur Gorgias, eò quod ad discipulum suum Gorgiam nomine scriptum est), quod scilicet veteres Philosophi omnes arbitrati sunt accidere contraria (hoc est, aliorum opinionibus inconuenientia inexitabiliter) quod ducatur respondens in aliquid quod sit secundum necessarium, hoc est, naturalem rationem, & in aliquid quod sit secundum legem cultus diuini siue deorum siue iustitiæ gentium aliquarum: & dicunt veteres iustitiam, quæ est leges tales positas esse, bonum esse: & hunc vel hunc deum colere, vel sic vel sic iustè viuere: contraria enim sæpè contingit

esse naturam (hoc est , naturalem ratione) & leges politas à gentibus: & ideo contingit sæpius contraria esse naturalem rationem & leges ipsi politas : & aliquando contingit iustitiam secundum leges politas esse bonum secundum opinionem obseruantium leges illas, & hoc idem contingit secundum naturam siue naturalem rationem esse non bonum.

Oportet ergo ad eum quidem, &c.

Vsus autem documenti huius est , quòd oportet eum respondentem qui dicit aliquid esse bonum secundum naturam , ab opponente duci , & obuiare secundum legem , hoc est , quod secundum legem hoc non sit bonum : & sic dicit inopinabiles legi. Ad eum autem respondentem qui dicit secundum legem aliquid esse bonum , oportet obuiare & ducere eum in aliquod quod est bonum secundum naturam : & sic dicit inopinabile secundum naturalem rationem. Vt autem intelligatur quid secundum naturam est opinabile, & quid secundum legem opinabile, sciendum, quòd antiquis erat id secundum naturam opinabile , quod secundum naturalem rationem homini per naturam insitum erat verum : secundum legem verò erat opinabile , quod in pluribus ad cultum commune conferens esse videbatur , vt aliquando filios sacrificare , & patres mactare , quod est contra rationem naturalem & naturalem pietatem. Propter quod quia hic scriptus Callices antiquus hoc dixit, manifestum est quoniam & alij antiqui, scilicet qui sunt quodammodo istius documenti , & etiam isti qui nunc sunt modernis & nostris temporibus , conabantur aut redarguere, hoc est , ad metam redargutionis respondentem eum cogere , aut dicere quod aliquo modo erat secundum naturam vel leges extra opinionem.

Quædã autem interrogationes habent, &c.

Quarto autem documento sine elemento diuisim ad opinabile ducendo notandum est, quòd quædam interrogationes siue quædam interrogata habent quamcunque viam affirmationis vel negationis , eligat respondens improbabilem diuersis respectibus responsionem. Vt si quæratur , vtrum sapientibus ponentibus leges aut patri diligenti per naturam, obedire oporteat, si dissentiant? Et vtrum oporteat expedientia ad rem familiarem facere , vel iusta secundum legem communem facere , si dissentiant ? Et vtrum oporteat magis iniuriam pati , & hoc melius est , quam iustè alicui nocere ? Si enim dicatur in primo exemplo , quòd oportet obedire patri aut legibus , semper ducitur ad inopinabile aut pluribus aut sapientibus ponentibus leges. Et si dicatur , quòd oportet obedire patri , ducetur ad inopinabile sapientibus. Et si dicatur in secundo exemplo , quòd oportet semper expedientia facere , ducetur ad inopinabile virtuosis , qui dicunt damnum esse negligendum & sustinendum propter iustitiam seruandam : & è conuerso ducitur , si dicit oppositum. Et similiter est in tertio exemplo: quia multi opinantur iniuriam non sustinere esse melius, quam iustè nocere : quod sapientes opinantur è conuerso, melius esse iniuriam sustinere, quam nocere.

Oportet autem ducere ad ea quæ, &c.

Oportet autem adhuc intendere quinto documento , & considerandum est , quòd ad ducendum respondentem ad inopinabile , vt ducatur ad ea quæ pluribus iudicantibus secundum sensum, & quæ sapientibus iudicantibus secundum rationem sunt contraria secundum opinionem. Nam siquis respondentium dicat aliquid quod sit opinabile secundum sapientes , vt ea quæ circa rationem rectam sunt opinabilia , dicantur ad ea quæ pluribus sunt opinabilia , illis ratione recta determinata sunt inopinabilia , vt solem esse multò maiorem terra. Si autem dicat ad opinabilia vt plures, dicantur ad ea quæ sunt opinabilia sapientibus , qui opinantur ea quæ opinabilia sunt his quæ sunt instituta in ratione recta : & sic semper cogetur dicere aliquid quod est contra opinionem aliorum. Dicunt enim hi qui sunt sapientes (quod etiam ex necessitate rectæ rationis verum est) bonum iustum esse & secundum virtutum perfectum actum. Pluribus autem in fortuna beatitudinem ponentibus improbabile est regem & alios diuites & iniustos non esse felices.

Erit autem ad ea quæ sic, &c.

Istud tamen documentum siue elementum conuenit cum antecedente : idem enim est ad ea (quæ sic secundum plures & sapientes improbabilia sunt) ducere , cum eo quod est in eo quod secundum naturam siue secundum naturalem rationem & secundum legem, quæ est opinio plurium, & contrarietatem opinabilitatis ducere , quod sapientes opinantur secundum naturam , plures autem secundum legem. Nam lex statuta est opinio plurium secundum sensum iudicantium. Sapientes autem opinantur secundum naturam rectæ rationis de vnoquoque , & dicunt omnia & opinantur secundum veritatem. Et ea quidem (vt epilogaliter dicatur) documenta quæ sunt extra opinionem (hoc est , ad metam inopinabilis ducentia) ex his quæ dicta sunt locis siue elementis & similibus oportet quærere.

CAPVT II.

De præambulis ad intellectum eorum quibus aliquis ducitur ad metam nugationis.

AD intellectum autem eorum quibus aliquis ducitur ad metam nugationis, præintelligendum est , quòd nugatio est inutilis repetitio eiusdem ex eadem parte orationis, sicut ex parte prædicati vel ex parte subiecti. Si enim idem simul ponatur ex parte subiecti, & iterum repetatur ex parte prædicati , non erit nugatio. Ad hoc autem intelligendum (quod eiusdem repetitio facit nugationem) notandum, quòd repetitio eiusdem, aut fit sub eodem nomine , aut fit manente eadem habitudine nominis , aut sub diuersa habitudine. Si fit manente habitudine , sic semper est nugatio , quod est eiusdem repetitio inutilis , & exterminari non potest , siue fit repetitio eiusdem manente copulatione, siue fiat sine copulatione:

Nota quando repetitio eiusdem à parte eadem orati nis facit nugationẽ, & quando non.

Repetitio eiusdem à parte eiusdẽ extremi sub diuersa habitudine, nõ facit nugationem. Vide in c. 4. Remouetur dubium.

latione : vt homo homo currit : vel homo & homo currit : vel homo currit currit : vel homo currit & currit. Si autem diuersa sit habitudo sic, quòd vnum sit subiectum vel prædicatum & alterum determinatio eius, non est nugatio, vt homo homo, homo est , humanus vel rationalis homo : vel homo currit currit, hoc est, continuè vel velociter currit : non est nugatio , sicut in 5. topic. vbi dicit Aristot. quòd quidam secundum leuitatem assignauerunt proprium ignis dicentes , quòd ignis est corpus leuissimum corporum : tbi enim fit eiusdem repetitio sub habitudinibus diuersis: quia corpus ibi ponitur cum recto vt determinet dependentiam verbi ex parte appositi.sed ponitur corporum in obliquo ad determinandum excessum & respectum superlatiui : nec increpat Aristot. hoc proprium quod fit iterũ nugatio, sed ideò quia eiusdem repetitio in diuersa habitudine conturbat audientem : & ideò non est optimè assignatum proprium, sed tamen est proprium. Et hic intellectus accipitur ex quodam capitulo quod est epistola de caloagaton, quòd est idem quod de bono bono, hoc est, perfecto bono.

Si autem repetatur idem sub diuerso nomine & ex eadem parte orationis, hoc fit aut sub nominibus synonimis , aut sub non synonimis. Si fit sub synonimis : aut hoc fit ad repræsentandum idem secundum idem , aut repræsentandum aliud & aliud : Si primo modo fit, semper est negatio. Si secundo modo, vt si vnum sit vt nomen rei , alterum vt pronomen vel cognomen eiusdem , non est nugatio , vt Marcus Tullius Cicero Augur Scæuola. Illa enim sunt pronomina vel cognomina vel agnomina Marci Tullij : sicut & hic , Boetius Annius Seuerinus. Primum enim est necessarium , & alia addumtur causa explanationis. Si autem fit ad repræsentandum idem & eodem modo : tunc semper est nugatio. Si autem repetitur idem sub diuersis nominibus non synonimis : hoc non potest esse nisi per intellectum vnius in altero : & hoc oportet , quòd sit altero duorum modorum quo intelligitur vnum in altero: aut enim vnum intelligitur in altero, ita quod actu & intellectu est in illo: aut ita intelligitur vnum in altero , quod positum est in ipso : sicut quod est dependens, intelligitur in eo quòd secundum rem dependet ad ipsum, sicut subiectum intelligitur in passione per se. Si primo modo vnum in alio intelligatur : tunc se habent adinuicem sicut superius & inferius : & sic superius erit pars essentialis inferioris , inferius autem pars subiectiua superioris. Et tunc altero duorum modorum contingit , aut enim additur superius inferiori, aut è conuerso inferius additur superiori. Si superius addatur inferiori : tunc semper fit nugatio : eò quod superius & potentia & actu & intellectu repetitur in inferiori : quare est inutilis repetitio. Si autem è conuerso inferius addatur superiori, hoc dupliciter fieri potest: aut enim fit hæc additio ad aliquid vnum figurandum quod ex inferiori & superiori cõstituatur coniunctum ex vtroque , aut additur inferius superiori , vt superius ex inferiori specificetur. Priori modo semper est nugatio: quia illud vnum quod constituitur, fatis importatur per inferius : & inutilis est repetitio superioris. Si autem secundo modo fiat , non est nugatio : quia repetitio inferioris non est inutilis , vt animal homo. Si autem vnum intelligatur in alio potentia , hoc iterum potest esse dupliciter : quia aut vnum intelligitur in altero sibi coæquæuo, aut vnum intelligitur in altero quod est posterius illo. Si est vnum in altero sibi coæquæuo: tunc hoc est sicut vnum correlatiuorum est in altero, quod additum illi non facit nugationem : quia additur non inutiliter , sed ad determinationem respectus relatiui , vt cum dicitur duplum dimidij. Si autem additur sicut posterius priori, sicut additur passio in qua passione potentia intelligitur subiectum, hoc dupliciter fieri potest: quia passio aut est conuertibilis cum suo subiecto, aut inconuertibilis. Si conuertibilis , sic semper est nugatio in additione : quia inutiliter repetitur subiectum in nomine passionis , vt cum dicitur simum nasus. In simo enim intelligitur nasus: & nihil est simum nisi nasus quidam. Si autem non est conuertibilis , sed in minus quam subiectum : tunc ad determinandum subiectum additur proprietas subiecto, & tunc est nugatio : vt cum dicitur nasus simus: & sic facile patere potest quando repetitio eiusdem ex eadem parte orationis facit nugationem, & quando non.

Considerandum hic quomodo vult simum esse passionem cum naso cõuertibilem.

Adhuc autem prænotandum est , quòd ars ducendi ad nugationem consistit in hoc quod vnum per intellectum est in alio. Ex hoc enim contingit eiusdem iteratio & inutilis multiplicatio. Sed pluralitas modorum intelligendi vnum in alio est triplex : quia vnum scilicet intelligitur in alio vt prius in posterioris: & hoc dupliciter, vel tanquam superius in inferiori, vt animal in homine, vel vt subiectum in passione , vt nasus in simo & vnum in alio vt in coæquæuo ad quod determinatur respectus eius, vt vnum relatiuum in alio : quorum trium exempla sunt : Sortes est homo : homo est animal rationale : ergo Sortes est animal rationale : ergo Sortes est animal rationale. Quia in homine intelligitur animal rationale. Et nasus est simus : simus autem quidam nasus : ergo simus est nasus nasus. Duplum est dimidij : & duplum est dimidij duplum : ergo duplum est duplum dimidij duplum : quia in dimidio intelligitur duplum.

Prænotandum etiam, quod apud sophistam deductio ad nugationem est violentior & magis intenta, quam deductio ad solœcismum.

Deductio ad nugationem est violẽtior quam deductio ad solœcismum.

CAPVT IV.

De facere nugari respondentem verè apparenter.

HIs habitis planum est determinare secundum Arist. de facere nugari respondentem : quia quid dicamus nugari, iam monstrauimus per singulos modos eius , in quibus vel contingit vel non contingit nugari. Omnes autem huiusmodi orationes hoc quod est

De facere nugari quid dicimus nugari , &c.

nugari volunt facere, suppositio quadam suppositione, hoc scilicet, supponatur, quod nihil differat nomen per se, vel dictionem per se, vel orationem, hoc est, eandem dictionem, vel nomen dicere in oratione appositio sibi eo quod in nomine vel dictione intelligitur. Vt si dicam, duplum dimidij duplum: & supponatur, quod si aliquid intelligit in alio quod appositum sibi in oratione adhuc intelligitur in illo: & hoc non est verum: vnde suppositio est falsa: quia cum relatiuum per se ponitur, vtrumque relatiuorum importat: vt cum dicitur duplum, vnum importat per suum principale significatum, alterum vt ad quod determinatur eius respectus, vt dimidium: quando autem apponitur in oratione, tunc determinatus est respectus eius: & ideò correlatiuum tunc non intelligitur in illo: vnde quamuis in principali significato non varietur dictio per se in oratione posita, tamen in secundario significato variatur per se in oratione posita, cum tamen appareat non variari. Ideo nugatio est meta sophistica, & intellectus vnius in alio locus est sophisticus, ducens ad metam illam. Secundum ergo suppositionem quæ apparentiam habet sophisticam, cum dicitur duplum per se, & cum dicitur duplum dimidij in oratione, idem est secundum apparentiam in significatione tam principali quam secundaria. Si ergo sic est: tunc est duplum dimidij duplum: & si iterum dimidium in duplo ponto in oratione intelligitur, erit idem si ponatur in oratione: & sic erit duplum dimidij duplum dimidij. Et rursum tertio si pro duplo (quod in oratione positum est) duplum dimidij ponatur explicitè: tunc erit dictum sic, dimidij dimidij & dimidij duplum: & sic in infinitum: quia nunquam stabit quàdiu in oratione ponitur duplum. Et hoc etiam patet in his quæ non sunt relatiua secundum se, sed secundum sua genera, vt si dicatur: Putasne concupiscentia est delectationis concupiscentia? Est enim suum genus quod est appetitus ad aliquid. Dico ergo, quòd concupiscentia est delectationis: deducatur ad nugationem sic: Hæc autem concupiscentia scilicet est appetitus delectationis: ergo concupiscentia est appetitus delectationis: quia in appetitu intelligitur delectatio; & apposita appetitui in oratione adhuc intelligitur in illo, vt dicit suppositio.

Sunt autem omnes huiusmodi, &c.

Sunt enim huiusmodi orationes ad nugationem ducentes: omnes enim illæ orationes, quæ sunt in ad aliquid siue in relatiuis vtroque modo dictis quæcunque scilicet plura vel secundum genera dicuntur ad aliquid, sed non solum in illis quæ secundum seipsa ad aliquid dicuntur, & ad idem & vnum per se in oratione posita assignantur, vt appetitus alicuius appetitus, & concupiscentia alicuius concupiscentia, quæ secundum genus est ad aliquid, & duplum alicuius duplum quod secundum ipsum quod est, ad aliquid est: & duplum dimidij, in oratione positum: & generaliter siue oratio quorumcumque substantia siue hoc ipsum quod sunt cum non sit ad aliquid, tamen secundum genera sunt aliquorum, vt habitus, aut passiones, aut aliquid huiusmodi, quæ sunt eorum quorum sunt prædicatorum de his vt genera de speciebus quando in oratione designantur (hoc est, designata ponuntur) sicut designantur in per se posito nomine.

Cuius quidem exemplum est in passione numeri qui est abundans siue impar numerus. Est enim abundans siue impar numerus numerum medium habens, abundans & in oratione posita passione abundante, adhuc intelligitur in ipsa subiectum quod est numerus: est ergo abundans numerus, numerus medium habens. Aliud exemplum est, si simum vt passio cauitas & curuitas naris vel nasi. Est igitur naris cauitas: quia in cauitate in oratione posita adhuc intelligi supponitur. Est igitur naris sima naris, naris caua. Sic ergo vera fit nugatio. Ad hunc etiam modum reducitur nugatio quæ fit in verbis primæ & secundæ personæ, in quibus determinatus intelligitur nominatiuus: quia agere & pati substantiæ nominatiui est proprium, vt dicit Priscianus: & est exemplum sic: ego lego: sed in lego intelligitur ego: ergo ego ego lego, & huiusmodi.

Videntur autem facere non facientes, &c.

Videntur autem opponentes aliquando facere nugationem siue nugari facere respondentes, cum tamen non sint verè facientes nugari ipsos respondentes, & ita faciunt nugationem apparentem: & hoc fit eo quod cum interrogant non ad interrogatum cum his quæ interrogant, si hoc quo intelligitur aliquid aliud, significet aliquid idem per se dictum & in oratione, aut nihil significet idem per se & in oratione positum: & sic interrogando omittunt suppositionem superius positam. Verbi gratia, vt duplum vtrum idem per se & in oratione significet, aut diuersum, si datur aliquid aliud in duplo significari, sed omittendo hoc & non interrogando, statim dicunt conclusionem: & videtur, quòd tunc nugationem faciant: eò quod nomen idem sit per se positum & in oratione: & ideò videtur idem significare per se & in oratione, cum tamen hoc non sit verum, eò quod hoc non concessit respondens.

CAPVT IV.

Qualiter respondẽs ducitur ad solœcismum, vel videtur duci.

Solœcismus autem quale quid, &c.

QValiter autem aliquis ducatur vel duci videtur ad solœcismum, nunc vltimo inter metas sophisticas determinandum est: nec oportet nos hic diffinire solœcismum: quia quale quid secundum diffinitionem sit solœcismus, dictum est prius vbi de metis sophisticæ disputationis est determinatum. Est autem & hoc quod aliquis videatur duci ad solœcismum tripliciter: contingit enim aliquando in veritate hoc facere, quòd respondens in veritate ad solœcismum ducitur: & est vel contingit hoc non facientem in veritate, tamen videri facere: & est vel contingit aliquando in veritate facientem & ad solœcismum ducentem non videri facere, eò quod later solœcismus. Huius autem exemplum est: quia quem

Cecilianus grammaticus.

quemadmodum Cecilianus dicit grammaticus, si ficus est secundæ declinationis, qui secundum quartam declinationem & fœmininum genus dicit ficus maturas solœcismum quidem facit in veritate secundum illum Cecilianum: non autem videtur pluribus qui dicunt ficus esse secundæ declinationis fœminini generis: & sic aliquando facit & non videtur facere. Qui verò dicit ficos maturos, videtur quidem secundum plures, & non facit solœcismum. Eodem modo est in alio exemplo: si enim finis est masculini generis & non dubij generis secundum quosdam grammaticos: tunc qui dicit certam finem, secundum illos solœcismum facit: secundum alios autem qui dicunt dubij generis esse finem, non facit: & sic patet, quòd aliquando fit solœcismus, & aliquando fieri videtur & non fit, & aliquando fit & non fieri videtur.

Manifestũ ergo, quoniam & ars, &c.

Et si ita est, manifestum est ergo, quoniam & ars quædam sophistica hoc potest facere, hoc est, dat potestatem vt facultatem habeat faciendi: & hanc artem in sophisticis oportet determinare & tradere propter duas causas, quarum vna principalis est: quia infinitis modis incongruitas fit in oratione & inconcinnitas secundum destructionem: & hanc infinitatem oportet ad artem secundum communia restringere & alia: quia nisi hoc tradatur, ars videbitur ad grammaticum & non ad sophisticum pertinere. Tradenda igitur est hæc ars in sophisticis: eò quod multæ orationes non colligentes syllogistica collectione syllogismum non concludentes eum secundum veritatem, videntur tamen syllogizare syllogismũ per aliquam apparentiam, sicut in elenchis sophisticis per apparentiam aliquam syllogizari videtur quod non syllogizatur.

Sunt autem penes omnes, &c.

Attendendum autem secundum artem secundum quam fit apparens solœcismus, quòd omnes penè (hoc est, vt frequentius) apparentes solœcismi fiunt secundum hoc, hoc est, secundum neutrum genus. Dico autem penè: quia aliquando fiunt secundum hoc, hoc est, secundum masculinum vel fœminum: vt quicquid vides, videtur à te: magistrum vides vel dominum: ergo magistrum vel dominum videtur à te. Fiunt autem apparentes solœcismi quando casus neque indicat masculinum, neque fœminum, sed neutrum: quia in neutro genere semper sunt tres casus similes, scilicet nominatiuus, accusatiuus, & vocatiuus. In aliis autem generibus masculinis & fœmininis aliquando sunt omnes dissimiles quando sunt exaptatæ formæ, & aliquando habent nomina secundæ declinationis duos dissimiles, datiuum scilicet & ablatiuum, nomina fœminina quando sunt primæ declinationis, habent nominatiuum & vocatiuum & ablatiuum similes: sed tamen hoc non habent cum confusione casuum relationem ad masculinum & fœminum, vel vt generaliter dicatur, ad diuersa genera, sicut neutrum. Vnde tota facilis causa est apparentis solœcismi, ex qua clam vt ex loco sophistico argui potest apparens solœcismus, est simul & in vno habere confusionem generis cum confusione casus: & habent in se causam non hanc simul masculinum & fœminum, sed solum neutrum: & ideò secundum neutrum aptissimè fit apparens solœcismus quantum ad casum & genus per quæ arguitur vt medium apparens solœcismus. Nam si dicatur sic: quicquid vides, hoc videt: puellam vides: ergo puellam videt: statim quidem apparet solœcismus in casu de quo concluditur solœcismus & non latet: sed in casu per quem concluditur vt per medium opportunius accipitur in neutro, vt per se patet: quia quicquid in maiori est neutri generis, & in minori hoc sumptum sub quicquid est neutri generis: vnde casus per quos concluditur, non ita frequenter indicat masculinum genus vel fœminum, sed neutrum frequentissimè tales casus confusos, per quos apparens solœcismus concluditur, indicat: nam articularibus pronominibus distinguuntur genera, masculinum, fœmininum, & neutrum, vt hic masculinum significat, hæc autem designat fœmininum, hoc verò vult ratione sua neutrum significare.

Sæpè autem significant & illa vtraque, &c.

Sæpè autem significant masculinum & fœmininum: quia masculinum & fœmininum sunt genera formata, & in vno formato non concluditur aliud per designationem: sed neutrum significat essentiam informem, quæ vtrique formato subiacet: & ideo in illo frequenter alia designantur confuse: & ex illa confusione cum confusione casus arguitur apparens solœcismus. Huius autem exemplum est, vt si quæratur, quid est hoc in neutro genere? continuè respondetur fœminum genus, vt Caliopea est hæc: & continuè responderetur masculinum, vt quid est hoc: & dicitur continuè, Corisceus est hic: & etiam responderetur neutrum, vt quid est hoc? & dicitur, lignum est hoc: & cum hac confusione generum habet semper etiam confusionem trium casuum, nominatiui scilicet, & accusatiui, & vocatiui. Sed masculini & fœmini aliquando differunt casus omnes, si fuerint forma adaptatæ: & si aliquos habent similes, non apti sunt illi ad faciendum solœcismum: quia non sunt apti ad supponendum verbo vel apponendum, sicut tres casus neutri generis: quia accusatiuus frequentissimè apponit verbo maximè transitiuo: sed nominatiuus supponit: alij autem casus non ita: & ideò cõfusio nominatiui & accusatiui, frequentius sunt casus ex quibus arguitur apparens solœcismus. Neutri autem generis casus alij quidem differunt, alij autem non differunt: quia tres semper habent in forma dictionis vna, nominatiuum, & accusatiuum, & vocatiuum: & cum hoc habet generum confusionem, vt dictum est: & per hoc maxime arguitur solœcismus. Quamuis autem (sicut dictum est) in neutro sint confusi tres casus & genera, tamen distinguibiles sunt per articulum & ad verbum substantiuum, vt cognoscatur vitium solœcismi.

Dato ergo sæpè à respondente hoc, scilicet genere neutro in nominatiuo casu, syllogizant opponentes, quasi dictum sit hanc in masculino & accusatiuo casu. Similiter autem faciunt in aliis generibus, quòd syllogizant aliũ casum pro alio, ducendo ad solœcismum. Et causa apparentiæ est & fit paralogismus: eò

quod hoc (quod dicit genus neutrum) commune fit plurium casuum: quia similiter terminantur in hoc nominativus, accusativus, & vocativus: nam hoc in neutro significat quandoque, hoc est, nominativum: quandoque autem significat hunc, hoc est, accusativum & vocativum. Et si quis velit distinguere sigillatim, oportet quod permutatim per verbum substantivum determinetur, ita quod cum est (cui supponit) significet hic in nominativo casu esse: aut verbo substantivo infinito (cui supponit) significet hunc in accusativo. Verbi gratia ut demus, hic est Coriscus, & hoc esse Coriscum. In primo enim hic est nominativi casus, & in secundo hunc est accusativi casus: & in fœmininis nominibus similiter, ut hanc esse Caliopeam, & hæc est Caliopea: primo enim significat hanc in accusativo, secundo significat hæc in nominativo: & sic neutram habent & generum & casuum confusionem. Sic ergo in omnibus quæ similiter se habent, & est, hoc est, verbum indicativum, & esse, hoc est, verbum infinitivum, faciet differentiam & generum & casuum. Ex quo etiam patet quod diximus, quòd si & in aliis casibus aliquando confusio est, illi non ita sunt apti ad supponendum & apponendum verbo substantivo & indicativo & infinitivo: & hoc ut frequentius: fit enim solœcismus hinc casus confusione, ut cuiuscunque est scientia, illud est: veri est scientia: ergo verum est: hic est solœcismus absque casus & generis confusione.

Et quodammodo si nihil est, &c.

Comparatur autem solœcismus secundum aliquid in causa apparentiæ & causa non existentiæ, fallaciæ figuræ dictionis: quia sicut in figura dictionis similitudo vocis est causa apparentiæ, & diuersitas rei causæ non existentiæ: ita in solœcismo similitudo vocis in casibus est causa apparentiæ, & inconcinnitas constructionis cum vitio est, causa non existentiæ. Ideò quodammodo solœcismus (qui est in his confusis casibus) similis est elenchis dictis secundum similia in figura dictionis, qui dicuntur similiter in vôce: non similia autem sunt in rebus. Nam quemadmodum illi solœcismi qui sunt secundum figuram dictionis, dicuntur facere apparentem elenchum in rebus diuersis in similitudine figuræ vocis, sic & hi in casibus. Et huius causa est: quia homo nomen substantiuum, & album nomen adiectiuum, & alia omnia nomina sunt & res: res quidem in significato, nomina verò in voce: & ideo configuratio vocis potest facere credere idem significatum & eandem esse constructionem, & sic inducit ad paralogismum figuræ dictionis & solœcismi. Hoc tamen non ideo dictum est: quia non possit fieri solœcismus nulla coincidente fallacia, ut dictum est, imo & aliquando potest aliqua fallacia coincidente, & aliquando in terminis æquiuocis vel ad solœcismum cooperante fallacia. Exemplum primi iam positum est. Exemplum secundi est, ut quisquis & omnis Christianus est Catholicus: hæc mulier est Christianus: hæc est congrua: quia nomen substantiuum non requirit conuenientiam in genere secundum constructionem, sed adiectiuum solum: ergo hæc mulier est Catholicus: vbi ex fallacia accidentis coincidit solœcismus. Exemplum tertij est: omnis canis est iracundus: marina belua est canis: ergo marina belua est iracundus.

Manifestum ergo, quoniam, &c.

Epilogando ergo quæ dicta sunt in hoc capitulo, dicimus quòd manifestum est, quòd ex dictis casibus confusis in neutro genere ut frequentius rentandum syllogizare solœcismum. Epilogando etiam ea quæ dicta sunt ab initio libri, manifestum est, quòd hæ sunt secundum quinque metas diuersificatæ species agonisticarum disputationum, & hæ sunt partes specierum secundum quinque metas, & modi speciales secundum quemlibet locum sophisticum, qui dicti sunt in præhabitis: & sic habetur finis earum quantum ad metas.

TRACTATVS VII.

De cautelis obseruandis opponenti.

CAPVT I.

De cautelis sumptis ex parte orationis.

VIA autem ea quæ sunt de esse artis sophisticæ secundum quod inuentiua est, iam (quantum ad determinationem principiorum inueniendi locos sophisticos) satis dictum est, in hoc septimo tractatu tangemus breuiter ea quæ faciunt ad bene esse artis inuentiuæ in sophisticis, quæ sunt cautelæ docentes opponentem cautè opponere, ut finem à se intentum consequatur. Et hoc faciemus tripliciter, scilicet inspiciendo in modos qui sumuntur ex parte orationis, & in modos qui sumuntur ex parte respondentis, & in modos qui sumuntur ex parte opponentis. Sunt autem quinque ex parte orationis, sex autem ex parte respondentis, septem verò ex parte opponentis.

Differt autem non parum, &c.

Ex parte igitur orationis siue argumentationis sophisticæ, quæ non parum, sed multum differt ad constituendum finem sophisticæ disputationis,

putationis, si quodammodo (hoc est, in quendam modum) ordinentur vel latenter, siue in quendam modum latendi & occultandi à respondente conclusionem ordinetur: quia ad latentem à respondente conclusionem minus perspicit: & ideo in ea aptius redarguitur: velut etiam in dialecticis disputationibus accidit, quando opponens obuiatiuè disputat contra proterum respondentem: hoc igitur commune est dialectico & sophistæ opponenti. Hoc autem communi sic habito, deinde post commune hoc ex his quæ in octauo topicorum de cautelis huiusmodi determinata sunt,

Est ergo ad arguendum quidem, &c.

hoc primum speciale dicendum & adiiciendum est.

Alius opponentis.

Est ergo primum documentum siue elementum oppositi ex parte orationis considerandum, quòd est orationis longitudo: longa fit autem, quando multa interrogantur: tunc enim difficile erit respondenti multa simul conspicere & diiudicare. Et quamuis idem elementum dixerimus esse etiam & ad ducendum ad falsum & inopinabile, tamen alio fine est ad falsum, & ad alium hic: quia ad falsum est, secundum quod inter multa facilius conceditur falsum, quam inter pauca: hic autem facit ad difficile iudicium eorum quæ sunt ad conclusionem, & quæ non, & per hoc minus cauetur conclusio.

Remouet dubium.

Vnum verò festinatio, &c.

Secundum elementum est, quòd festinetur respondens ad citò respondendum, & vrgeatur vt cito respondeat: nam respondentes qui sunt tardioris & grossioris ingenij, quum festinant ad respondendum, minus possunt præuidere conclusionem, & ex quo consequatur, vel non sequatur.

Est autem & ira, &c.

Est tertium documentum & contentio, hoc est, quòd contentiosis verbis & probrosis respondens ad iram prouocetur: respondentes enim conturbati per talia minus possunt concernere multas vel plures interrogationes propositas: quia impedit ira animum ne possit cernere verum. Elementum autem hoc quod prouocat ad iram, est contentione dicere sibi, quod sponte velit iniustè agere, & impedire disputationem, & quod ista sit consuetudo sua, quod circa omnes disputationes & circa omnia disputabilia impudens sit & proteruus.

Amplius permutatim, &c.

Amplius quartum elementum siue documentum est interrogationes siue propositiones diuersorum syllogismorum siue prosyllogismorum permutatim ponere, vt propositiones quæ faciunt ad conclusionem vnius syllogismi, permutentur & ordinentur ad conclusionem alterius syllogismi: & vtile est sic permutare interrogationes siue ad idem (hoc est, ad eandem conclusionem) aliquis habeat plures propositiones plurium syllogismorum ex diuersis mediis ad idem ordinatis, siue plures habeat plurium syllogismorum ad oppositas conclusiones, sicut syllogismi dialectici probabiliter sunt ad opposita siue contraria, vt quoniam affirmatio, & quoniam non sit negatio: tunc enim accidit respondenti simul ad plura interrogata & permutata facere obseruationes iudiciorum: & hoc non facile est respondenti: quia pluribus & inordinatè propositis credere est difficile: quia pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Omnino autem omnia quæ, &c.

Quintum autem documentum est, quòd omnino siue vniuersaliter omnia quæ ad occultationem facientia in 8. topicorum dicta sunt prius, sunt etiam vtilia ad agonisticas siue sophisticas disputationes: quia etiam dialecticus obuiatiuus talibus vtitur contra proterum respondentem. Et ratio huius est: quia occultatio conclusionis & celatio facta ab opponente, occultandi propositum respondenti causa est: latere autem est causa fallaciæ, hoc est, quod facilius fallatur respondens. Hoc autem documentum non speciale est, sed generale. Hæc ergo sunt elementa sumpta ex parte orationis, vel quatuor si specialia sumantur, vel quinque si generale specialibus continetur: & non est in eis difficultas de qua sit curandum.

CAPVT II.

De cautelis sumptis ex parte respondentis.

CIrca cautelas autem sumptas ex parte respondentis notandum est, quòd si respondens concedat omnia quæ proponit opponens, tunc opponens non indiget cautelis quibus inducatur respondens ad concedendum propositum opponentis: sed si neget, tunc indiget cautelis quibus inducatur: & ideò ad hoc solum dantur cautelæ & non ad aliud.

Ad abnuentes autem, &c.

Ad abnuentem autem siue negantem respondentem omnia quæcunque opponenti videantur esse ad orationem siue ad conclusionem sui propositi, primum elementum siue documentum est, quòd tunc interroganti ex negatione eius quod intendit interrogandum, ac si velit contrarium eius quod intendit: tunc enim (quia magis videtur probabile quod intendit quam oppositum propositi, aut etiam esse ex æquo) debet facere interrogationem oppositi cum proposito quod intendit. Et huius ratio est: quia quando dubium est respondenti quid velit sumere opponens, vtrum scilicet oppositum ipsius, minus graues fiunt respondentes opponentibus, quam quando non est dubium.

Et quando in paribus dedit, &c.

Secundo autem elemento obseruandum opponenti, quòd quando aliquis respondentium dederit aliquam vniuersalem, non in se sed in pluribus siue particularibus pluribus ipsi opponenti inducenti singularia, sæpè obseruandum, quòd interroget vniuersalem, sed audacter vrendum, etiam non concesso à respondente. Et huius ratio est: quia etiam ipsi respondentes aliquando putant se dedisse in vniuersali quam dederant in particularibus pluribus: & etiam audientibus assidentibus (coram quibus fit disputatio) putatur & videntur data esse vniuersalia, propter memoriam inductionis quam dedit hic respondens in pluribus particularibus: & videtur eis stultè in eis dedisse vniuersalia velut non interrogata sint vniuersalia.

Et in quibus non nomine, &c.

Tertium autem elementum siue documen-

tum est, quòd vtendum est talibus in quibus non nomine ipso significatur vniuersale concessum in particularibus, sed similitudine: quia concesso vniuersali in aliquibus particularibus, concessum erit in omnibus similibus: talibus enim vti expedit ad celandum propositum: quia scilicet similitudo vel similatio facit & operatur ad latere: eò quod magis latet quod in simili, quam id quod in seipso ponitur.

Et adsumendam propositionem, &c.

Quarto autem documento ad sumendum facilius concessum à respondente propositum siue propositionem, oportet ipsum opponentem cum proposito cum distinctione contrarium admittentem siue coniungentem inquirere propositum. Et hoc intelligendum quando contrarium minus est probabile quam propositum. Verbi gratia, si propositum sit opponentis probare, quoniam patri per omnia oportet obedire, sumat hoc sub contrarij disiunctione sic, vtrum omnia quæcunque præceperint, oportet obedire parentibus: aut omnia quæcunque præceperint, oportet inobedire, hoc est, non obedire, hoc est, vtrum in omnibus oportet obedire parentibus, aut in nullis: quia tunc ex probabilitate contrarij eius conceditur propositum.

Et sæpè multa verù multa, &c.

Et quinto documento oportet quærere sub disiunctione contraria secundum rem & non in propositionibus contrariis, vt sæpè valet quærere, vtrum multa concedenda esse vel pauca, vt multos esse in vico centum & paucos esse in ciuitate: in talibus enim documentis magis videbuntur multa esse concedenda, quam pauca: quia contrariis per disiunctionem iuxta se appositis, & maiora & magna videntur & peiora & meliora hominibus respondentibus, quam si seorsum diuisim ponerentur: quia contraria iuxta se per disiunctionem posita magis elucescunt.

Valde enim & sæpe facit, &c.

Sexto autem elemento siue documento valde (quantum ad efficaciam) & sæpè, hoc est, frequenter facit videri redargui respondentem ab opponente, sophistica calumnia opponentium siue interrogantium, scilicet cum nihil præsyllogizantes de præmissis siue probantes non faciunt præmissarum interrogationem tanquam à respondente eisdem requirentes hoc quod vltimum est, hoc est, conclusionem: sed accipiunt ipsum & dicunt ipsum concludiuè (hoc est, tanquam conclusum sit per præmissa) & concessum in aliquibus præhabitis, velut ipsam per præmissas syllogizauerint, ita scilicet quod sumat præmissas sibi valentes ad propositum suum calumniando sibi dicens esse concessas: & tunc non sumat hoc quod valet ad præmissarum probationem, & hoc quod est præmissa tanquam concessum in aliquo præhabitorum sibi esse concessum. Hoc est intelligendum in hoc casu, quando quædam ab opponente interrogata iam sunt & non omnia quæ valent ad præmissarum probationem: tunc enim opponens debet calumniari respondentem, & dicere sibi esse concessum propositum syllogismi, & vt eo audacter & non interrogare hoc & hoc. Hæ igitur sunt cautelæ ex parte respondentis acceptæ, & sunt vel quinque, vel sex si penultima in duas diuidatur: & non est in eis difficultas de qua sit curandum.

CAPVT III.

De cautelis sumptis ex parte opponentis.

Sophisticũ autem & posito inopinato, &c

EX opponente autem siue ex parte opponentis sumuntur cautelæ sic, quod sophisticè quantum ad cautelas obseruandas opponenti obseruandum est, quòd posito ab opponente aliquo inopinato vel falso, debet opponens probare (hoc est, approbare) & commendare hoc quod dicitur respondens respondere: & dicere, quod optimè dicit vel respondet, proposito iam illo quod opponenti videtur à principio, hoc est, eo quod intendit, & debet facere interrogationem talium quæ conueniunt ei quod proposuit ex principio, hoc est, quæ sunt falsa & inopinabilia: & dicere post commendationem responsionis, vtrumne tibi videtur hoc esse concedendum vel non? tunc enim propter commendationem & confidentiam opponentis de responsione, minus cauet sibi respondens ab opponente. Et tunc necesse est vnum trium accidere (si fit interrogatio facta ab opponente & concessum à respondente de aliquo eorum ex quibus fit syllogismus) aut elenchus verus, aut inopinabile siue falsum fieri, aut elenchi simile. Cum enim respondens dat id cuius oppositum concludit opponens: tunc necesse est elenchum fieri: quia per syllogismum contradictionis concluditur oppositum dati à respondente. Cum autem non dat quod proponit opponens: tunc cum syllogizat opponens falsum in quod consensit respondens, necesse est sibi dare falsum vel inopinabile quod sequitur ex falso vel ex inopinabili dato à respondente. Cum autem non dat oppositum, videtur tamen dedisse falsum propositum propter commendationem opponentis: tunc fit siue sequitur aliquid simile elencho: quia videbitur duci ad oppositum dati, quamuis non ducatur: eò quod oppositum non dedit, sed dedisse videbitur.

Amplius quemadmodum in rhetoricis, &c.

Amplius autem in secundo elemento siue documento considerandum est opponenti quemadmodum fit in rhetoricis & accusationibus, quòd similiter faciant contra respondentem in apparentibus elenchis. In rhetoricis enim consideratur si accusatus nunquam fecerit contrarium boni & honesti: & si hoc aliquando fecit, præsumitur quòd etiam fecerit illud de quo accusatus est. Ita etiam hic considerandum si respondens concesserit contrarium ei quod nunc affirmat: & sic conferendo quoddam concessum ad hoc concessum facilius videbitur redargui: si autem ipse non concesserit aliquando contrarium, considerandum vtrum aliquibus eorum Philosophorum (de quorum secta se esse confitetur) contradicat talem sustinendo positionem. Et si hoc inueniri non potest, nec in ipso, nec in secta eorum, de quibus esse se profitetur, conferendum est hoc quod dicit ad eos qui videntur esse

esse huius opinionis qualis est ipse respondens: vtrumne illi aliquid contrarium dixerint. Et si hoc iterum non inuenitur, conferendum est dictum respondentis ad similes sibi in proposito, vtrum erit ad omnes aut ad plures eorum? & ex contrario dicto illorum facilius conuincitur respondens.

Amplius ad eos qui videntur, &c.

Amplius autem tertio elemento vel documento obseruandum est opponenti id quod sæpè faciunt respondentes: sæpè enim cum redarguuntur (hoc est, redargui videntur) faciunt (hoc est, fingunt) dupliciter, si viderint, quòd debeat eis accidere redargui, hoc est, quod redarguantur: & dicunt se in vno sensu hoc dixisse, in alio autem non. Et hac cautela est interrogantibus etiam vtendum: & hoc quandoque faciendum est contra respondentes instantes, hoc est, resistentes eis, quando scilicet præsenserint, quòd respondens videt multipliciter aliquod interrogatus ab ipsis: tunc enim debet præuenire respondentem & distinguendo multipliciter dicere, quòd si sic (hoc est, in hoc sensu) accipiatur multipliciter, accidit vel sequitur conclusio: sic autem non, hoc est, in alio sensu acceptum, non accidit vel sequitur conclusio. Et hoc confirmatur: quoniam sic sumpsit multiplex & distinxit, & sic facit Cleophon in Mandrobulo suo, qui à suo discipulo (cui scripsit) nominauit eundem: sic enim respondens minus cauebit sibi ab opponente, & facilius decipietur.

Oportet etiam abstinentes, &c.

Oportet autem quarto documento ipso opponentes aliquando ab oratione proposita abstinentes siue recedentes ad aliam materiam se transferendo, reliqua argumenta in illa materia non proposita incidere, hoc est, incidendo per diuersa distinguere: & si præsenserit opponens, quòd respondens in eis videt multiplicitatem, oportet siue opportunum est, quòd opponens prius respondenti (hoc est, antequam respondens instar) instare alicui eorum argumentorum in alia materia: & sic procedere respondentem instando & distinguendo: quia tunc iterum respondens confidens de opponente, minus cauebit sibi in proposito.

Conandum autem quadoque, &c.

Conandum etiam quinto documento quandoque & ad alia se transferre siue ad aliam materiam ab eo quod dictum est propositum, in qua opponens plus abundet argumentis respondentibus ipsis quid ad quod se transfert opponens extra positum sumentibus (hoc est, concedentibus fieri) vel ratiocinantibus fieri, hoc est, siue velit siue nolit respondens: & hoc faciendum in tali casu si aliquis opponentium non habeat argumentari sufficienter siue sufficiens & argumenta & efficacia argumentata. Et hoc documentum confirmatur per auctoritatem Lycophron, qui sapiens in musicis hoc fecit: proposito enim sibi existente extollere siue laudare lyram, & non habente eo efficacia argumenta ad hoc, laudauit & extulit tibiam & tibicines, & intulit quòd melior sit musica fidium siue chordarum, quam fistularum, sicut in Ouidio magno dicitur, quòd multo magis excolenda sit lyra. Sed in tali translatione ad eos respondentes quandoque exigunt ab opponentibus quid hoc faciat ad propositum, & quid per hoc intendant, ad quod conatur in illa materia argumentari: oportet assignare causam aliquã non rectè intentã. Dictis enim ab opponente in quodam directè intẽtis causis obseruabit se respondens audita illa causa, dicere cõtradictionem, hoc est, dicere aliquid ex quo possit argui contradictio, quæ contradictio quantum ad principalem intentionem vniuersaliter accidit in elenchis agonisticè: sed assignabit pro causa aliquid commune vel vniuersale, vt hic, scilicet quod causa est translationis: quia intendit hoc quod dixit respondens negare in aliquo quod non est de proposito, aut quod intendit id aut aliud à proposito quod negauit respondens affirmare, vel aliud aliquid tale commune, quod non est determinata causa translationis: sicut si intentum sit, quoniam contrariorum eadem disciplina, non dicat hoc expresse esse causam translationis.

Lycophron quomodo laudauit lyram.

Sexto autem documento considerandum opponenti, quia non oportet conclusionem præintentam præinterrogare vt propositionem, sed sumere, & quasdam conclusiones oportet non interrogare simpliciter, sed vti eis audacter, vt apertè veris & concessis siue confessis ab omnibus: quia si interrogarentur, magis eis resistit opponens. Hæ igitur sunt cautelæ sumptæ ex parte opponentis: & non est in eis quicquam dignum dubitatione nec numerus certus in talibus: quia multæ similes possunt assignari. Dicamus igitur epilogando, quod ex quibus locis sophisticis trahuntur interrogationes, & quomodo (quantum ad cautelas) est interrogandum in agonisticis siue sophisticis exercitationibus siue disputationibus ad finem exercitij ordinatis, satis quantum ad propositam intentionem dictum est. Ex his enim facile est multa inuenire.

Non oportet autem conclusionem aũt propositionem, &c.

LIBER

LIBER II.

ELENCHORVM.

TRACTATVS I.

De intentione & vtilitatibus & apparenti solutione siue responsione.

CAPVT I.

De intentione & vtilitatibus in communi.

IN hoc secundo libro qui ad dialecticum pertinet quantum ad solutionem syllogismi peccantis contra syllogismum dialecticum, eò quod eius est determinare syllogismum dialecticum, & manifestare peccatum quod fit contra eundem, ad sophistam autem ad discretionem orationum quæ dignæ sunt solui & quæ sunt despiciendæ ad soluendum non idoneæ & quantum ad apparentem & incompletam solutionem, quia quantum ad completam solutionem magis est dialectici considerare de solutione quam soph.stæ: primo manifestandum ad quas vtilitates sit, & qua necessitate introducatur: cum causa falsitatis orationum sophisticarum iam habita sit, quando in superiori libro ostensum est, qualiter fallacia sit in nobis quantum ad singulas fallacias.

De responsione autem & quomodo, &c.

Hæc enim primo determinantes dicimus, quòd de responsione quæ est apparens secundum sophistam solutio, & quomodo oportet verè soluere, & quid oportet verè soluere, & quartò ad quam vtilitatem: ita quod hæc quatuor referantur ad quatuor, in quibus totum consistit quod in hoc secundo libro intenditur, scilicet de responsione quæ est apparens solutio quæ est ad hominem solutio, & quomodo oportet soluere completa & perfecta solutione, qua ostenditur qualiter sequitur conclusio & qualiter non vt respondeatur elenchо & consequentiæ syllogismi, hæc enim est perfecta solutio: & quid oportet soluere, hoc est; quid in orationibus sophisticis dignum est solutione: & quid non dignum, sed despiciendum: & ad quam vtilitatem: circa quatuor hæc complebitur nostra in hoc secundo intentio. Sed vtilitates præponimus: quia illæ sunt fines negotij illius: & non potest sciri in quid dirigatur intentio tractantis, nisi præsumatur & prædeterminetur finis: hæc igitur (post hæc quæ in primo libro determinata sunt) dicenda sunt.

Quare vtilitas præponatur in scientiis.

Ab vtilitate igitur incipiendum est. Dicemus ergo, quòd vtiles sunt solutiones orationum sophisticarum: ad philosophiam quidem propter duo. Primum autem duorum est: quia orationes sophisticæ sunt in dictione, aut extra dictionem: orationes autem sophisticæ in dictione, soluuntur per distinctionem multiplicitatis. Sæpè autem ea quæ secundum multiplex in dictione fiunt (quando bene distincta sunt) melius nos habere faciunt ad philosophiæ intellectum, scire per distinctionem quoties (hoc est, in quo sensu) singulum dicitur: & vtile est ad hoc vt sciamus quæ in philosophia similiter in rebus, & in voce similiter, & quæ aut in voce & rebus dicuntur: quia similitudò vocis causa apparentiæ est, dissimilitudo autem in re est causa defectus: & scire hoc facit ad philosophiam.

Vtiles ergo sunt ad philosophiam, &c.

Secundo autem vtiles sunt ad philosophiam: quia vtiles sunt solutiones ad eas quæstiones, hoc est, dubitationes, quæ sunt per eundem apud seipsum quærentem, & in seipso dubitantem, vt caueat deceptionem, ne apud seipsum decipiatur: nam qui ab aliquo disputante facile paralogizatur & decipitur sophistica oratione, etiam ipse, hoc à seipso sæpè patitur: & quod facit cauere deceptionem, facit ad philosophiam: valent ergo solutiones sophisticarum orationum ad philosophiam: & istas vtilitates orationis sophisticæ proprias deceptio sophistica (quæ est in opponentis oratione) non habet: opponens enim & respondens in orationibus suis intentiones habent diuersas & fines in istis.

Secundum autem ad eas, &c.

Tertium verò & reliquum ab his vtilitatibus adhuc est vtilis solutio orationis sophisticæ

Tertium verò & reliquum, &c.

sophisticæ ad gloriam, hoc est, quod ex prompta solutione habeat se respondens, quod in omnibus videatur esse exercitatus, & in nullo obuiando scibilium videatur se inscie habere. Et hunc finem habet respondens inquantum respondens sophisticè, & habet hunc finem communem cum sophisticè opponente. Hæc autem probatio est per oppositum eius: quia si nec respondens qui communicat cum opponente in sophistica oratione, spernit orationes sophisticas & non soluit eas, cum ex arte soluëdi in qua deficit, nihil habeat facilitatis determinare (hoc est, ad determinandum) de vitio earundem orationum, quod est in voce vel figura, vel in consequentia syllogismi, vel in contradictione elenchi, suspicionem dat audientibus, quòd videtur esse grauis siue rudis & mali ingenij, vel grauis socius in disputando: non quia hoc verum sit semper secundum naturam esse grauem, vel grauis ingenij: sed videtur hoc propter artis soluendi imperitiam.

Respondentibus autem quomodo, &c.

Ad hoc ergo cauendum vtilis est hæc ars de opposito eius quod dictum est, hoc est, de peritia artis soluendi: videbitur enim gloriam habere de bonitate ingenij.

His ergo vtilitatibus consideratis tractandum est, quomodo ipsis respondentibus obuiandum sit opponentibus per responsionem & veram solutionem ad huiusmodi sophisticas orationes: & hoc quidem manifestum est quantum ad hoc quod sciatur quę sunt illæ orationes, quibus per responsionem & solutionem est obuiandum: siquidem (hoc est, certè) rectè diximus prius in præcedenti libro, ex quibus locis sophisticis sunt paralogismi quibus est respondendum: & etiam diximus sufficienter superabundantias cautelarum, & alios locos ad alias metas falsi & inopinabilis & nugationis & solœcismi ducentes, quæ superabundant super locos sophisticos ducentes ad redargutionem, quæ dicuntur inueniendo fieri: quia interrogando proponuntur: quia opponens inquirit consensum respondentis.

Non est autem idem sumentem; &c.

De his ergo istis de causis tractandum est: sed quia circa hoc aliquis errare posset, ideò error iste primo excludendus: posset enim aliquis putare, quòd idem esset aliquem sumentem ab opponente sophistica videre sub vitio orationis sophisticæ, & soluere orationem sophisticam: & quum hoc satis videatur per doctrinam primi libri, tunc doctrina istius libri superflueret. Et quod idem non sit soluere vitium, & interroganti ex facultate artis posse obuiare velociter, hoc est verum. Cuius ratio est: quia manifestum est, quòd scimus vno modo (cõpositionis, scilicet) sicut procedit opponens, sæpè transpositum per resolutionẽ ignoramus: quia quod componitur, resoluere ignoramus: soluendo autem procedit rectè soluens.

Amplius ad idem alia ratio est huius artis soluendi probans necessitatem: quia quemadmodum in disputationibus opponentium citius & tardius posse obiicere fit exercitatione cuiusdam artis specialis in mente ad opponendum: sic etiam in aliis sophisticis orationibus se habet exercitium artis ad soluendum citius & tardius: propter quod si hoc est, quamuis manifestum quidem sit nobis quod sit vitium

CAPVT II.

De probatione, quòd apparens solutio aliquando magis eligenda est, & quæ sit apparens solutio.

PRimum autem de apparenti solutione determinandum est, hoc est, quòd quando disputatur ad gloriam apparentis sapientiæ, magis est eligenda apparens solutio quam vera: quia per illam magis sophisticè respondens consequitur gloriam in iudicantibus & audientibus, quam per veram: eò quod magis considerant apparentia quam vera illi in quorum opinione quærit gloriam sophista: eò quod illi non sunt sapientes, sed communiter & secundum sensum iudicantes. Vnde sicut sophistam opponentem ad quærendam gloriam apud iudices audientes dicimus quandoque magis eligere oportere probabiliter hoc

Primum ergo sicut syllogizare, &c.

Quomodo ars soluendi orationes sophisticas conuenit aliquo modo in fine cum dialectico, & aliquo modo cum sophista.

ars opponendi & ars soluendi habent diuersos fines in sophistica, non autem in dialectica.

(hoc est, apparenter) syllogizare quam verè aperte (eò quod per apparentem syllogismum magis consequitur gloriam apud communiter iudicantes qui secundum apparentiam iudicant) sic etiam respondenti quærenti gloriam apud tales quandoque magis eligendum est probabiliter (hoc est, apparenter) soluere quam verè soluere siue secundum veritatem tales enim ad alios quærunt gloriam, qui verum iudicium de rebus difficilibus non habent, sed apparentia in superficie iudicant.

Huius autem probatio est: quia omninò & omni modo ipsi respondenti quærenti, quod non videatur vinci ab opponente, contra litigiosos opponentes obstandum est per apparentem responsionem, ne vincere videatur opponens. Dico autem obstandum contra opponentes, non quod sint in veritate arguentes, sed obstandum contra eos vt apparentes arguere: quia si assistentibus opponens admittatur adhuc vt videatur arguere assistentibus, tunc statim consecutus est gloriam in opinione assistentium: & hoc impedire debet respondens. Non enim dicimus ipsos opponentes in sophisticis syllogizare secundum veritatem, cum syllogismi eorum peccent vel in forma vel in materia vel in vtroque, propter quod corrigendi sunt ab ipso respondente per apparentem solutionem, ne videantur assistentibus syllogizare apparente syllogismo. Hoc autem probatur sic: quia si verus elenchus est contradictio non æquiuoca, neque ad qua alia fallacia impedita, nihil opus est respondenti dicere æquiuocationem vel amphibologiam vel aliam fallaciam, vt distinguendo ostendat in quo sensu verum concludit elenchum, & in quo non concludit: quia distinctionem sic deducere ad sensum in quo concludit & in quo non concludit, & manifestare peccatum fallaciæ impedientis, & verè soluere: & hoc ideò quod opponens non verè concludit, sed probat secundum apparens & non existens: & ideò non oportet manifestare qualiter verè concludit & qualiter non, per veram solutionem: sed obuiandum est respondenti conduuidendo (hoc est, statim in ipsa interrogatione opponentis diuidendo) & ostendendo, quoniam non sequitur propter multiplex, vel propter non bonam & veram ordinationem præmissarum ad conclusionem in his in quibus non est multiplex: nec in fallaciis extra dictionem, nisi quia conclusio videtur similis elencho apparenter, & non verè est similis. Vnde apparens solutio est diuisio multiplicitatis in dictione vel oratione, vel diuisio conclusionis ab ordine debito ad præmissas in communi absque eo quod particulariter deducatur solutio ad sensum in quo sequitur, & ad sensum in quo non sequitur: quia hoc esset verè soluere.

Non ergo redargui, sed videri, &c.

Non ergo est cauendum respondenti redargui per veram solutionem, sed per apparentem solutionem cauendum est vt redargui videatur: quia sic statim impeditur, ne apud audientes gloriam consequi videatur: & hac de causa per apparentem solutionem hoc faciendum est: quia interrogare amphibologica vel æquiuoca quæ sunt secundum æquiuocationem, & interrogare alia quæcunque sunt secundum alias obtusiones siue obscurationes fallaciarum & deceptiones, & verum elenchum obnubilat ne videri vel discerni possint, & arguentem verè & non verè arguentem dubium faciunt, hoc est, vtrum vere arguat vel non: & quandiu hoc dubium est, gloriam non consequuntur: vnde per veram solutionem obsistendum non est: quia ista manifestat in quo sensu verè arguit: & sic aliquid gloriæ est consequutus opponens. Huius autem ratio est: quia licet in fine conclusionis (hoc est, post conclusionem factam ab opponente) diceret ponenti non negare per contradictionem id quod affirmauit, prius respondendo, sed æquiuocè esse affirmant & negant: etsi (siue quamuis) forte maximè etiam in idem ferunt intellectum opponens & respondens: tamen propter multiplex positum in oratione, dubium est assistentibus si redargutus est respondens: & sic nihil gloriæ consequutus est opponens. Ex ipsa enim multiplici confusione dubium est, si verum dicit nunc opponens: & ideo non vtendum est ad ipsum opponentem vera solutione, sed apparenti.

Si vero ipse opponens esset diuidens siue distinguens multiplex æquiuocum, vel aliud vt amphibologicum, vel alterius fallaciæ in dictione, vel etiam diuidens conclusionem à præmissis, & ostendens qualiter non debitum ordinem habent præmissæ ad conclusionem, sicut fit in fallaciis extra dictionem: tunc manifestus esset opponens, & non dubius esset elenchus: sciretur enim statim in quo sensu sequitur, & in quo non sequitur: & illi qui requirunt (hoc est, interrogando opponunt) nunc quidem & non distinguendo multiplex interrogant: prius autem quando non distinguendo multiplex interrogant, sunt & videntur litigiosi: & si distinguendo multiplex interrogarent respondentes, necesse esset respondentes interrogatum ab opponente dicere, vel sic vel non sic determinate: & tunc oporteret veram solutionem respondere. Nunc autem quoniam non bene, hoc est, aperte distinguendo multiplex interrogant ipsi inquirentes, necesse est vt opponens gloriam consequi videatur, vt respondeat aliquid respondens qui interrogatur per apparentem solutionem in sui responsionem, quæ tamen ad hominem est, & non ad orationem respondendo corrigens vitium siue deceptionem propositionis interrogatæ ab opponente, & non dat veram & determinatam solutionem. Et hoc est ideò: quia diuiso per dictionem distinctionis determinantis, in quo sensu sequitur conclusio, & in quo non sequitur, necesse est respondentem dicere, vel sic est affirmatiuè, vel non sic est negatiuè: & sic videtur aliquo modo conclusus ipse respondens, & aliquid gloriæ super respondentem consequitur opponens.

Si vero ipse opponens esset diuidens interrogasset, &c.

Si enim aliquis puret cum elenchum (qui secundum æquiuocationem est siue sit multiplex æquiuocationis) aliquo modo esse elenchum: tunc non erit siue continget ipsum respondentem eligere illam redargutionem quæ est quodam modo redargutio: & sic opponens aliquid gloriæ videtur consequi, & respondens aliquid haberet confusionis vel habere

Si autem aliquis puret, &c.

habere videretur: quod omnino cauendum est respondenti per apparentem solutionem. Huius autem causa est: quia in singularibus, hoc est, in singularibus sensibilibus per distinctionem acceptis, necesse est opponentem si contradicere debeat respondenti, & respondentem ad redargutionem deducere idem nomen, & de eodem negare quod dixit (hoc est, affirmauit) respondens: quia aliter non redarguet opponens respondentem, & è conuerso idem nomen quod negauit respondens, necesse est affirmare opponentem: quia aliter non redarguit. Et ad hoc non debet respondens deducere opponentem: & ideo contra opponentem non est vtendum vera solutione quæ ad orationem est, sed apparenti quæ ad hominem est.

Nam vt corrigunt quidam, &c.

Hoc autem iterum patet per exclusionem cauillationis quorundam errantium in his. Nam vt quidam cauillantes corrigunt quidem contradictionem & redargutionem quam videtur facere opponens respondenti, nihil prodest ad euitandum apparentem redargutionem. Dicunt enim, quòd aliquo in communi interrogato, bene possunt de ipso concedi contradictoria pro diuersis suppositis: dicunt enim, quod tunc non eundem Coriscum aiunt siue concedunt esse musicum & non musicum: sed dicunt hunc Coriscum esse musicum, & hunc alium Coriscum esse non musicum dicunt, & sic pro diuersitate consignatorum in æquiuoco nomine, quod est Coriscus, Coriscum in communi voce dicunt esse musicum & non musicum. Sed per hoc non vitatur apparens redargutio: nam quantum ad apparentem redargutionem erit eadem oratio sophistica ad hoc deducens, quod putemus Coriscum esse musicum & non musicum, & quod dicamus hunc Coriscum esse musicum & non musicum. Quod autem eadem oratio sit ad redargutionem, ex hoc probatur: quia illæ ambæ orationes simul (hoc est, simpliciter) idem de eodem affirmant & negant: vnde per talem distinctionem quam ponunt, non vitatur apparens redargutio. Sed fortasse non idem significat oratio dicens Coriscum esse musicum, vel hunc Coriscum esse musicum & non esse musicum: quia licet quoad redargutionem apparentem idem sint illæ orationes, tamen in hoc differunt quod non idem significant: & hoc ideò est: quia nec illic nisi in communi confusione vocis proponebatur æquiuocum ad aliquod multiplex idem: sed diuersum significat ipsum nomen. Per dictam ergo cauillationem non impeditur apparens contradictio.

Ex quo patet, quòd hoc nomen, Coriscus, dicitur de pluribus, est æquiuocum.

Si autem huic quidem simpliciter, &c

Alia etiam cauillatio quam quidam ponunt, non valet ad impediendum apparentem redargutionem. Dicunt enim idem in vna oratione contradictionis, sicut in affirmatiua dicunt debere hunc de quo aliquid affirmatur, simpliciter, hoc est, communi voce dicere Coriscum: illi autem de quo negatur, aliquid debere aliquid addi, vt aliquem aut hunc Coriscum non esse musicum: & quidem probatur statim inconueniens esse: nihil enim rationis potest esse propter quam magis alteri aliquid addendum sit quam alteri: vtrobibet enim alteri aliquid addere nihil differt, hoc est, nihil differentiæ habet secundum rationem: non enim differt, sicut iam patuit.

Sed quia dubiũ quidem, &c.

Cauillationes ergo illæ nihil profunt ad impediendum apparentem contradictionem: sed potius sic dicendum, quòd quia multiplici non assignato dubium quidem est (ei qui non determinauit in communi & in vniuersali multiplex) vtrum ipse respondens redargutus sit vel non, quando deducitur ad negandum quod sub eadem voce concessit: ideò cum concessum sit in disputationibus diuidere siue distinguere multiplex, manifestum quando simpliciter sine distinctione contingit dare (hoc est, concedere) multiplex non determinantem ipsum respondentem (hoc est, non distinguentem in vniuersali) peccatum est: quia obuiabit apparens redargutio, quæ vt caueatur, distinguendum est multiplex in communi: & hoc est apparens & ad hominem solutio impediens apparentem redargutionem. Propter quod etsi siue, quamuis non ipse respondens videatur redargutus: quia scit in quo sensu dederit, tamen ista disputatio ex parte respondentis qui deducitur ad hoc quod sub eadem voce neget quod ante concessit, redargutæ disputationi vel orationi est similis.

Accidit autem sæpè quòd ipsi respondentes etiam videntes in oratione amphibologiam vel aliud multiplex, pigrescunt siue pigri fiunt diuidere ipsum & ostendere, quoniam multiplex est quod interrogatur siue proponitur ab opponente: eò quod etiam in vna disputatione in paralogismis frequenter talia proponuntur, & pigrescunt respondentes hoc toties quoties proponitur distinguendo diuidere, nè ad omnia proposita ab opponente videantur graues & impeditiui siue proterui esse: deinde dissimulata multiplicitatis distinctione, & non putantibus ipsis respondentibus propter hoc fieri orationem ad redargutionem apparentem ducentem, sæpè dum cauent respondentes, obuiabit eis improbabile apparentis redargutionis. Quare siue propter quod (quoniam datum siue concessum & licitum est respondenti multiplex diuidere siue distinguere, & sic ostendere ipsum multiplex impedire apparentem contradictionem) non est pigritandum distinguere siue diuidere & ostendere multiplex redargutionem impediens, quemadmodum prius paulò ante dictum est. Et in ista sententia sic exposita nulla est dubitatio, nisi quis se transferre velit ad alienas quæstiones: & hoc nos non consuemus facere: quia potius impedit bonam doctrinam quam promoueat.

Accidit autem etiam sæpè videntes, &c.

Transferre se ad alienas quæstiones, potius impedit bonam doctrinam, quam ei proficiat.

CAPVT III.

Probatio, quòd in apparenti solutione multiplex est ostendendum.

QVod autem in apparenti solutione in responsione ad hominem est multiplex sic assignandum & ostendendum, ad impe-

diendum

dicendum apparentem redargutionem, ſic probatur. Si enim quis opponendo interroganSi autem duas interrogationes, &c. tium duas interrogationes vt vnam faceret, & vna conceſſa aliam redarguendo concluderet: tunc manifeſtum eſt, quod non propter multiplex æquiuocationis vel amphibologiæ fieret paralogiſmus, ſed potius propter plura vt vnum interrogata: ſed tunc fieret vel elenchus verus, vel non, ſed paralenchus: & ideò ad cauendum elenchum vel paralenchum oportet diuidere plura interrogata vt vnum. Similiter ergo in multiplici æquiuoco in quo ſunt actu plura vel in quo multiplici multiplex eſt oſtendendum, vt videatur fieri elenchus vel paralenchus: quid enim differt interrogare propoſitionem quæ plures eſt, ſcilicet ſi Callias & Themiſtocles muſici ſunt? in qua vnum de pluribus interrogatur, quam ſi ambobus dictis exiſtentibus diuerſis in re, nomen æquiuocum datum eſſet, & ſub illo nomine vnum de pluribus interrogaretur. Conſtat, quòd quantum ad apparentem elenchum nihil differret: cuius ratio eſt: quia ſi hæc plura ſignificet vno æquiuoco nomine, conſtat quòd plura (hoc eſt, propoſitionem quæ plures eſt vel vnum de pluribus) interrogauit.

Si ergo non rectum, &c. Si ergo non rectum eſt probare ſiue approbare ſumi à reſpondente vnam reſponſionem ad duas interrogationes propter pluralitatem interrogatorum: tunc manifeſtum eſt, quoniam etiam nulli eorum quæ æquiuoca vel vniuerſaliter multiplicia ſunt, conuenit ſimpliciter reſpondere, hoc eſt, vnam non diſtinctam reſponſionem dare ſimpliciter ſine diſtinctione: nec etiam hoc conuenit etiamſi de omnibus quæ in æquiuoco continentur, in omni ſenſu verum ſit quod videlicet quæritur, vt volunt quidam errantes, quod quando in omni ſenſu verum eſt, vna debeat dari reſponſio: cuius ratio eſt: quia nihil differt hoc quod ſub vno nomine æquiuoco aliquid quæratur de pluribus, vel ſi de pluribus quæratur ſub diuerſis nominibus. Verbi gratia vt ſi quæratur Callias & Coriſcus, vtrum domi ſunt: ſiue ambo ſimul ſunt domi præſentes, & de vtroque verum eſt, quòd domi eſt: ſiue non ambo ſimul ſunt domi præſentes, ſed de vno verum eſt, quòd domi eſt, & de altero non eſt verum. Nihil autem differre dico quoad interrogationem quæ eſt plures: vtrinque enim hæc ſiue in vtroque ſenſu vera ſit ſiue in altero, ſemper eſt plures propoſitio, & propoſitiones quæ ſunt plures: non enim proprerea efficitur propoſitio vel interrogatio vna quæ plures eſt, quod de pluribus idem verum eſt dicere. Et hoc probatur deducendo ad inconueniens: quoniam poſſibile de mille aliis interrogatis, vtrum verum ſit dicere vel non ſit verum dicere de eis idem, attamen de nullo eorum (quamuis vniformiter conuenit eis aliquid vel non conuenit) reſpondendum eſt vna reſponſione: ſi enim vna datur reſponſio, tunc interimitur diſputare: quia quæſito de omnibus dicitur, ſic eſt vel non eſt: & ſic finis eſt diſputationis: & hoc eſt inconueniens: ergo de multiplici vna non eſt danda reſponſio. Hoc autem quod de pluribus vna datur reſponſio, ſimile eſt ei tanquam ſi pluribus vnum nomen ſit poſitum, quo quodlibet ſignificatur in illo. Per diſtinctionem ergo manifeſtandum multiplex (quod vt ſimpliciter eſt interrogatum) ad apparentis redargutionis impedimentum.

Si ergo non oportet ad duas interrogatio- Si ergo non oportet ad duas, &c. nes vnam reſponſionem & ſimplicem dare: tunc à ſimili manifeſtum eſt, quoniam neque in æquiuocis multiplicibus danda eſt vna ſimplex reſponſio, vt vna ſimplici reſponſione dicatur affirmatiuè vel negatiuè: eò quod ſic vnam dans reſponſionem, non reſpondit, ſed dixit quædam impertinentia ad multiplex: & ſic vnum voce dixit, ſed quærenti nec oratione reſpondit, ſed quodammodo non ſoluendo nec reſpondendo ſine diſtinctione ipſi reſpondentes concedunt multiplex: eò quod lateat eos inconueniens quod accidit.

Sicut ergo diximus paulò ante in antecha- Sicut ergo diximus, &c. bitis iſtius rationis, quoniam elenchi quidem apparentes videntur eſſe qui non ſunt: eò quod in forma peccant eodem modo, & ſolutiones ad orationem, quas diximus quandoque magis oportere ferre contra opponentes in agoniſticis diſputationibus ad impedimentum gloriæ opponentis, quam veras quæ ad orationes ſunt ſolutiones, & quæ ſunt in obuiatione reſpondentis cum obuiat opponenti ad duplex, diſtinguendo ſcilicet & oſtendendo duplex, vt prædiximus: quia oſtenſo multiplici obuiatur opponenti, ne procedere poſſit. Quæ autem ſit propoſitio vna vel plures in periherm. eſt requirendum. In præhabitis autem ſuperioris libri ſcitur, quis ſit ſyllogiſmus probabilis ſiue apparens & non exiſtens: non enim hic dicimus ſyllogiſmum probabilem eum qui eſt ex probabilibus vt eſt dialecticus, qui licet probabilis ſit in materia, tamen in conſequentia neceſſarius eſt, ſicut cum dicitur, quod omnis mater diligit: Medea eſt mater: ergo Medea diligit. Quæ conſequentia neceſſaria eſt ſi prima vniuerſalis eſſe ponatur: quia dialectica propoſitio vniuerſalis eſſe conceditur, ſi probabilis ſit, quamuis in aliquibus habeat inſtantiam. Sed probabilem hic dicimus ſyllogiſmum, qui videtur per locum ſophiſticum eſſe probabilis, quamuis per cauſam defectus non inferat ex neceſſitate.

CAPVT IV.

De decem cautelis ſiue elenchis quibus vtendum eſt in apparenti ſolutione.

His autem ſic determinatis (per quæ ſcitur, quòd ſolutio apparens aliquando vtilis eſt, præcipuè ad hominem & ad opponentem, ne gloriam conſequi videatur) danda ſunt elementa apparentiæ reſponſionis, quæ decem ſunt.

Et primum quidem eſt, quòd ſi reſpondenti Reſpondendum autem in his, &c. interrogatio probabilis proponatur in his quæ ſibi probabilia videntur, conueniens eſt eſſe reſpondentem dicentem ſic, hoc eſt, inquantum ſic probabilis eſt, concedo eam: quia ſic neque ſimpliciter concedit eam, nec ſimpliciter negat eam: & ſic non fiet ad ſe (hoc eſt, contra ſe) elenchus ſiue videbitur fieri.

Secundum autem elementum eſt, quòd ſi 2 verò alia quid, &c. ſit poſitio vel interrogatio & in hoc præuideat, quod ſi ſimpliciter concedat eam per opponentem cogatur dicere improbabilia: tunc non debet reſpondere per ſic, ſed hoc in tali caſu addendo maximè ſic videri, hoc eſt, ſic videtur: quia hoc ipſum videri ſignum eſt falſitatis: quia timetur in poſitione ſi concedatur. Iſtæ ergo duæ cautelæ ſiue elementa ſumuntur per differentias poſitionis ad quam eſt reſpondendum, quæ licet in topic. per tres differentias diuidatur, probabilem ſcilicet, improbabilem, & neutram, quia ibi per contrarietatem formarum & differentiarum poſitio diuiditur: tamen hic non diuiditur niſi per duo: quia non per contrarias formas, ſed per priuationis & habitus oppoſitionem hic diuidi poſitio ſubintelligitur: & ſic poſitio neutra ſub poſitione improbabili continetur, & medium habet indifferens vel otioſum: conſiderata autem per ſe opponuntur vt priuatio & habitus, & medium non habent, quia ſit indifferens, eò quia quod non eſt bonum, eſt malum. *Remouet dubium.*

Tertia cautela ſiue elementum eſt per ea Quoniam quomodo petitur quod eſt, &c. quæ in topic. determinata ſunt, quomodo & quibus modis petitur id quod eſt in principio. Putant autem aſſiſtentes coram quibus opponens quærit gloriam, quòd quando aliquid poſitioni eſt propinquum, quod id interimendum ſit tanquam non probans, eò quod idem ſit cum propoſito, vel idem eſſe videatur: tunc id ſi ad probandum propoſitum ab opponente aſſumatur, interimendum eſt, & non aſſumendum vel concedendum vt probans propoſitum: & dicendum de talibus, quòd ſunt quædam de his ſimilia velut ſunt à petitione quod in principio eſt aſſumpta: hoc enim maximè fit per petitionem principij, quæ cum ſyllogiſmo inferente maximam habet conuenientiam: eo quod infert de neceſſitate ſicut ſyllogiſmus: quamuis non probet, eò quòd idem per idem non poteſt probari.

Et quando aliquid tale, &c. Quarta autem cautela ſiue elementum eſt, quòd quando quis ſiue aliquis opponentium probauerit ſiue approbauerit ad aſſumendum aliquid per quod probetur propoſitum, quod ſicut conſequens ex poſito neceſſarium eſt accidere, ex ipſa poſitione quam interrogat opponens: eſt autem falſum vel inopinabile: & hoc videt reſpondens: tunc idem dicendum eſt quòd prius, ſcilicet quod petit id quod eſt in principio: quia quæ ex neceſſitate accidunt & ſequuntur ex poſito, videbuntur aſſiſtentibus & audientibus eiuſdem eſſe poſitionis cum propoſito & petitioni in propoſito.

Amplius quando vniuerſale non nomine, &c. Amplius quintum elementum eſt, quando ab opponente in interrogatione ſua vniuerſale ſumitur non ipſo nomine, ſed parabola (hoc eſt, obſcuro nomine ſub aliqua ſimilitudine parabolica) ſicut eſt vniuerſale in naturis, quod omne animal carens dentibus ſuperioribus, habet cornua. Sumatur ergo ſub parabola ad illud ſic: omne animal findens vngulam, culinos non habens, habet cornua; & inferatur ſic: ſus eſt animal findens vngulam, non habens culinos: ergo habet cornua. Tunc reſpondendum eſt, quoniam vniuerſale non ſumpſit vt datum eſt, hoc eſt, ſub ſimilitudine in qua propoſuit: quoniam ſimilitudo non poteſt eſſe ad multa: & quando ſumit aliud, non poteſt eſſe vera per ſimilitudinem ad aliud: & ſic iterum apparenter inſtat opponenti. Nam ſæpè fit elenchus apparens: quia ad debitæ ſimilitudinis vniuerſale non ſumitur ſecundum proportionem: quia enim in boue & ariete oriuntur cornua, eò quod ſuperiorum dentium materia tranſit in cornua, putatur quod in porca quæ findit vngulam, ſimiliter cornua debeant oriri: & tunc non bene aſſumpſit pro vniuerſali pro quo datum fuit vniuerſale: quia pro boue datum fuit & ariete, & ille aſſumpſit pro porco. Si autem ab opponente prohibeatur, nec qui reſpondet poſſit venire ad hoc, quoniam non bene oſtenſum eſt hoc quod non poſſit oſtendere quod non bene in oſtendendo aſſumptum eſt vniuerſale, dicente & fortiter aſſerente opponente, quod ipſe bene & pro quo debuit, aſſumpſit vniuerſale: tunc reſpondenti obuianti ei qui opponit, eadem via eundum contra opponentem ſecundum dictam determinationem de opponente, dicendo ſcilicet econtra & aſſerendo, quòd non bene aſſumpſit, hoc eſt, opponens non probat, ſed aſſerit vnum ſe bene aſſumpſiſſe; & reſpondens aſſerit contrarium, tantum valet aſſertio reſpondentis ſicut opponentis. In his ergo (hoc eſt, in his quæ propriè non in parabola ſumuntur vniuerſalibus & propriis nominibus) neceſſe eſt reſpondentem reſpondere, vel ſimpliciter verum eſt, vel falſum eſt, vel diuiſim diſtinguere ſi eſt multiplex.

Sextum autem elementum eſt, ſi propo- Quæ autem ſubintelligendo ſubintelligentes, &c. natur oratio truncata quam ſubintelligendo aliquid ſubintelligimus, & non planè & perfectè proponatur cum determinatione intellectus quem facere debet, ſicut maximè contingit in multiplici ſecundum amphibologiam: propter hoc aliquando accidit vel accidere videtur elenchus. Verbi gratia, ſicut ſi proponatur in conſtitutione genitiui, qui licet propriè conſtruatur ſecundum virtutem poſſeſſoriam, tamen infinitas habet alias habitudines ſecundum quas vel partitiuè vel formaliter vel in deſignatione eſſentiæ vel ſecundum aliam habitudinem conſtruitur. Cuius exemplum ſi ſic interrogetur: Putaſne quicquid eſt Danaum ſiue Græcorum, eſt poſſeſſio Danaum? & dicat reſpondens, vtique: propter hoc quòd genitiuus propriè eſt in habitudine poſſeſſoria: inferat opponens: tunc ſimiliter eſt in aliis genitiui habitudinibus, & tunc inferat: ſed homo eſt animalium: & dicimus reſpondentes vtique, hoc concedendo vt partitiuam habet & non poſſeſſoriam conſtructionem: & inferat opponens: ergo homo poſſeſſio animalium. Si, inquam, truncata conſtructio proponatur, non debet reſpondere reſpondens, niſi determinetur habitudo conſtructionis: quia hominem dicimus partitiuè animalium eſſe: quoniam ipſe

homo animal est: & sic dicimus Leandrum esse Lacedæmoniorum, quia est Lacedæmonius. Manifestus est igitur ex dictis, quoniam in quibus ex amphibologia obscurum est ex dictis quod proponitur, non est simpliciter concedendum à respondente nisi prius determinetur.

Quando autem vnobus ex istentibus, &c.

Septimum autem est elementum siue documentum quando interrogatio opponentis refertur ad duo, quorum vnum est antecedens, & alterum consequens: sic enim duo sunt in interrogatione opponentis, quorum alterum quando est vt antecedens, necesse est alterum esse, quod est consequens: quia hoc sequitur ex antecedente: & cum alterum siue reliquum est interrogatum vt consequens, tunc non est ex necessitate hoc quod est antecedens: quia non necessario sequitur ex consequente: tunc prius (hoc est, melius & conuenientius) oportet dare respondentem id quod minus est, hoc est, ad quod minus indiget rationibus, & ex quibus minus habet rationes opponens ad inferendum reliquum, & hoc est consequens: quia ex illo non potest inferre antecedens: quia dato illo difficilius erit opponenti syllogizare de pluribus antecedentibus inferendis ex illo.

Si autem conetur, quoniam huic, &c.

Octauum autem elementum, quòd si conetur opponens ad contraria, & huic quidem vni est contrarium, illi autem non est contrarium, si oratio vera sit quam interrogat opponens, tunc debet dicere respondens, quòd huic quidem est contrarium sicut & illi; sed nomen dicat non esse positum alterius contrariorum, & ideo non videatur habere contrarium.

Quoniam autem quidã quædam eorum, &c.

Nonum elementum siue documentum est in his interrogationibus ab opponente factis quæ sunt secundum opinionem plurium, & quæ habentur quasi pro communibus animi conceptionibus: quia quædam quæ sunt de numero eorum quæ dicunt plures & habent pro communi animi conceptione, & dicunt eum mentiri qui non concedit illa: quædam autem non sunt talia vt sunt ea quæcunque diuersi vtrinque, hoc est, ad vtramque partem, veram scilicet & falsam opinantur. Verbi gratia in exemplo: quia vtrum corruptibilis vel immortalis siue incorruptibilis sit anima animalium, non determinatum est multis Philosophis. Pythagoras enim dixit omnem animam animalium immortalem esse. Stoici autem tantum animam hominis immortalem esse concedebant. In interrogationibus ergo in quibus dubium est vtro modo soleat dici propositum, vtrum scilicet accipienda sint vt communes animi conceptiones & suppositiones: eò quod illi vocant conceptiones & veras opiniones affirmatiuas, & etiam vocant conceptiones totas (hoc est, vniuersales negationes) hoc est, quæ vniuersaliter negatæ veræ sunt, vt hæc, diameter est incommensurabilis siue non est commensurabilis, quæ est negatio vniuersaliter vera. Amplius in omni eo vniuersaliter cuius interrogationes vtrumque, scilicet affirmationem & negationem opinantur: in hoc tamen aliquis respondentium maximè latebit ne sibi videatur fieri elenchus transferens nomina: vt si opponens accipiat pro vno, respondens dicat se concessisse pro alia opinione: nam quia tunc dubium est audientibus vtro modo se habet veritas positionis illius, non opinabitur opponens sophisma siue sophisticum elenchum agere contra respondentem. Quia verò in tali positione vtrinsque & ad affirmationem & ad negationem diuersi opinantur, non putabitur ab audientibus mentiri respondens in tali translatione si se transferat ad aliter opinantes: nam talis translatio faciet orationem interrogatam ab opponente videri ab audientibus sine elencho qui fiat respondenti.

Amplius quæcunque aliquis, &c

Decimum autem & vltimum documentum est, quòd quæcunque aliquis respondentium interrogationum præsenserit esse faciendas ab opponente, prius quam eas interrogatas proponat opponens, insurgendum est respondenti contra opponentes, & prædicendum sibi illud, quod hoc vel illud vult interrogare: quia sic obnubilat opponentem, ne venire possit ad propositum interrogationis, & impedit ne interroget. Ista sunt igitur elementa vel cautelæ, vel documenta apparentis responsionis: & non est in eis quicquam quod dignum sit dubitatione si sic accipiantur vt exposita sunt: & in ipsa expositione ostensum est penes quid accipiuntur.

TRACTA

TRACTATVS II.

De recta solutione falsarum orationum.

CAPVT I.

Quæ in communi & qualis si falsæ orationis recta solutio.

Quoniam autem est recta quidem, &c.

IAm habitis sufficienter his quæ ad apparentem solutionem videntur pertinere, de recta solutione determinandum est, quæ ideò recta solutio vocatur, quia eum solutio communiter secundum analogiam de apparenti & recta solutione dicatur, recta solutio est, quæ per prius est vera & habet ea quæ habere debet omnia quæ de natura sunt veræ solutionis.

Dicamus igitur, quoniam est recta solutio manifestatio falsi syllogismi, in communi accepta recta solutione. Dico autem manifestatio falsi syllogismi secundum quamlibet interrogationem, hoc est, secundum quemcunque modum interrogationis siue propositionis accidat falsum, siue in materia vt in propositionibus, siue in consequentia conclusionis ex indebito ordine propositionum ad conclusionem, vera & recta solutio semper est falsitatis & esse falsitatis manifestatio, cum sufficienti pertractatione & ostensione qua de causa & quomodo sit falsus syllogismus. Et hæc solutio erit circa communia falsi syllogismi: quia sophista & dialecticus sunt circa communia: & ideo intenta in hac scientia recta solutio non curat de falsigrapho, qui est circa falsam orationem: eò quod accipit opposita propriis principiis in qualibet disciplina. Falsus autem syllogismus (cuius falsitatis manifestatio est vera in hac scientia manifestatio) fit dupliciter: aut enim fit vno modo si syllogizatum est falsum (hoc est, conclusio falsa) ex falsis propositionibus eorum, sicut per causam: non enim syllogizatur falsum, nisi ex falso: quamuis apparenter quodcunque falsum sequatur vel sequi videatur ex veris, sicut accidit in figura dictionis, & secundum quid & simpliciter, & aliquando in fallacia accidentis, vt dictum est in libro priori huius scientiæ. Aut secundo modo cum in veritate secundum formam syllogismi dialectici non est syllogizatum: quia non est syllogismus qui non habet formam syllogismi: videtur tamen secundum aliquem locum sophisticum esse syllogismus vt qui peccat in forma, & sub illa parte duò comprehendit figuræ orationis syllogismi, scilicet quæ nihil syllogizat, cum tamen syllogizare videatur, & quæ non syllogizat ad propositum quæ est secundum non causam vt causam.

Erit & quæ nunc dicta est, &c.

Et sequitur ex his quæ dicta sunt, quòd solutio recta est dupliciter. Est enim vt dictum est, recta solutio apparentis syllogismi correctio falsitatis, secundum quamcunque videtur interrogationum siue quemcunque modum falsitatis syllogismi & interrogationibus siue propositionibus. Propositiones enim hic vocamus interrogationes, sicut & in topicis. Propter quod accidit siue sequitur ex dictis in diffinitione solutionis veræ, quòd orationes quæ in materia peccant, eò quod sint ex falsis, sed syllogizatæ sunt, quia formam habent syllogismi topici, interimentem aliquem siue interimendo falsum, & ostendendo & pertractando causam falsitatis soluere: apparentes autem orationes siue rationes syllogisticas quæ in forma peccant & apparentes syllogismi sunt vel esse videntur, cum non sint in rei veritate, accidit soluere aliquem diuidentem. Diuidendo autem dupliciter scilicet diuidendo multiplex si est in propositionibus vel in conclusione, vel diuidendo à præmissis & ostendendo causam falsæ consequentiæ ex indebito ordine & forma præmissarum ad conclusionem, sicut accidit in fallaciis extra dictionem quæ peccant contra consequentiam syllogismi.

Rursum autem quoniam, &c.

Rursum quoniam orationum siue rationum syllogismorum ex falsis, hæ quidem veram (quia verum sequitur aliquando ex falsis vel ex falso) illæ autem falsam habent conclusionem, oportet etiam orationes siue argumentationes quæ falsam habent conclusionem, siue quæ secundum conclusionem falsæ sunt, duobus modis soluere, hoc est, per duplicem interemptionem: quia duplex est in eis falsum, scilicet falsum causans, quod est in præmissis, & hoc soluitur per interemptionem præmissarum: & falsum causatum quod est in conclusione, & hoc soluitur per interemptionem conclusionis: vnde soluitur, & in eo quod interimitur aliquid eorum quæ interrogata sunt ex præmissis, & etiam in eo quod ostenditur conclusio sic se habere, sed falsa esse. Eas vero orationes ex falsis syllogizatas quæ veras habent conclusiones, contingit soluere vno modo, in eo scilicet quod quid (hoc est, aliquid præmissarum) interimitur: quia talium conclusio est vera.

Quare recte soluere, &c.

Propter quod recta solutione volentibus soluere falsam orationem syllogisticam, primùm quidem perspiciendum si oratio quæ soluenda est,

est, syllogizata est, ita quod formam syllogismi habeat, & cum hoc peccet in materia: aut non sit syllogizata, sed peccatum habeat in forma. Deinde considerandum, si est syllogizata & peccat in materia habens formam syllogismi, vtrum vera sit conclusio præmissis vel aliqua præmissarum vel ambabus existentibus falsis, vel conclusio sit falsa sicut & præmissæ, quatenus hoc considerato vel diuidentes multiplex, vel conclusionem à præmissis, & retoluendo ad præmissas secundum ordinem & formam syllogismi, vt interimentes præmissas vel conclusionem, soluamus falsam orationem, causam fallitatis eius ostendendo, hoc est vere soluere, vel sic vel sic vno modo vel alio soluamus falsam orationem. Non enim sunt nisi duo modi rectæ solutionis, sicut dictū est prius. Et quamuis in antehabitis dictum sit, quòd diuisio est etiam apparentis solutionis modus, hoc tamen est aliter & aliter: quia diuisio quæ est distinctio, completa est, qua multiplex ostenditur & pertractatur in quo sensu est verum, & in quo non est verum, cum deductione ad conclusionem, & ostenditur, quòd vno modo sequitur, & alio modo non sequitur, ille est modus veræ & rectæ solutionis.

Remouet dubium.

Differunt autem plurimum, &c.

Sic habita recta solutione in communi oportet scire, quòd in sophisticis plurimum differt mox interrogatam siue propositam statim sine mora soluere, vel non statim, sed cum mora & deliberatione soluere orationem propositam: nam præuidere siue statim videre solutionem rectam est difficile, tamen contingit per artis exercitium seu per vacationem & otium & deliberationem videre rectam solutionem falsarum orationum: & ad hoc est ars siue exercitatio.

CAPVT II.

De solutione paralogismorum æquiuocationis & amphibologiæ.

His habitis de solutione recta in communi adaptabimus ea quæ dicta sunt primò ad solutiones paralogismorum in dictione, & postea ad eos qui sunt secundum extra dictionem. Et inter paralogismos in dictione primo adaptabimus & appropriabimus paralogismos secundum æquiuocationem & amphibologiam: quia istæ duæ fallaciæ sunt secundum multiplex actuale, & non differunt in causa apparentiæ & causa non existentiæ. Nec obstat, quòd vna sit in dictione & altera in oratione: quia vnum modum habent in manifestatione falsitatis falsi syllogismi.

Eorum igitur qui sunt secundum æquiuocationem, &c.

Dicimus igitur, quòd horum paralogismorum qui sunt secundum æquiuocationem & amphibologiam siue apparentium elenchorum, alij quidem habent causam falsitatis syllogismi vel paralenchi in præmissis, alij autem in conclusione: in præmissis quidem sicut illi qui habent interrogationem aliquam siue propositionem plura significantem, hoc est, multiplicitatem actualem operantem: alij autem habent conclusionem multipliciter dictam eadem actuali multiplicitate, vt patet exemplariter in eo paralogismo, quod est tacentem loqui: conclusio est duplex: & debet sic formari paralogismus: Contingit Sortem loqui: Sortes est tacens: ergo contingit tacentem loqui. Hæc enim conclusio multiplex est secundum amphibologiam: eò quod accusatiuus, tacentem, potest construi cum hoc verbo infinitiuo, loqui, ex parte ante, vt scilicet verbo supponat: & sic est locutio falsa sub hoc sensu, contingit, quòd tacens loquatur, quod falsum est: vel idem accusatiuus potest construi cum eodem verbo ex parte post, vt scilicet eidem verbo apponat, & sic est vera sub hoc sensu, contingit quòd aliquis loquatur tacentem, hoc est, de tacente, ita quod tacens est materia locutionis, ita quod locutio est de tacente. Et sic patet, quòd conclusio est duplex, quæ est contingit tacentem loqui.

In eo verò quòd est non cõscire, &c.

In eo verò paralogismo eiusdem fallaciæ qui est, quòd non contingit scientem vna interrogationum præmissarum conscire, est duplex secundum hanc formationem. Quicunque sciunt aliqua, illa non consciunt: scientes sciunt aliqua: ergo scientes non consciunt. Hæc enim præmilla, quicunque sciunt aliqua, illa non consciunt, est multiplex secundum amphibologiam: eò quod hæc dictio, illa, potest esse nominatiui casus & construi cum hoc verbo, consciunt, ex parte ante supponendo verbo: & sic est vera sub hoc sensu, quicunque sciunt aliqua, hoc est, aliquas res, illæ res scitæ non consciunt, hoc est, non cum ipsis sciunt: quia scita sciuntur, & non habent scientiam sicut ipsi scientes. Vel potest esse accusatiui casus & construi cum eodem verbo ex parte post, hoc est, apponere verbo: & sic est falsa sub hoc sensu, quicunque sciunt aliqua, illa non consciunt, hoc est, de quibus habent scientiam, illa non consciunt ipsi scientes: & hoc est falsum, quia scientes consciunt omnia ista de quibus habent scientiam. Patet igitur, quòd in hoc paralogismo maior interrogationum præmissarum est amphibologia: & hæc solutio est manifestans causam falsitatis syllogismi, quare scilicet falsum concludit. Et duplex ex eius distinctione manifestatur causa falsitatis syllogismi: & quando quidem est hoc, in vtroque sensu est falsum: & non tantum sic est duplex, sed etiam tertio modo est: & tunc significat verè duplex, hoc quidem in vno sensu ens (hoc est, verum) illud verò in alio sensu non ens, hoc est, falsum. Hæc igitur distinctio sic pertractata in communi est vera solutio.

Quibus ergo in fine multiplex, &c.

Sed ad perfectionem solutionis considerandam notandum, quòd illis paralogismis quibus in fine (post conclusionem factam ab opponente) est multiplex, non accidit elenchus vel contradictio respondenti, nisi prius ipse opponens sumpserit contradictionem per suppositionem respondentis, quòd non est elenchus nisi respondens prius concesserit contradictorium eius quod concluditur, vt patet in eo paralogismo qui est concludens, quod sit vel contingit aliquem videre eum qui est cæcus, ita quod cæcum accusatiuus construatur cum

cum infinitiuo videre ex parte post: quod autem sine contradictione accepta à respondente, vt putas contingit cæcum videre: & dante respondente, quòd non contingit cæcum videre, inferat quòd aliquis videt cæcum: ergo contingit cæcum videre: non fit elenchus siue contradictionis syllogismus. Quibus verò paralogismus multiplex est in interrogationibus siue præmissis, non est necesse prius negatiuam dare respondentem ad hoc quod fiat elenchus: & hoc ideo est: quia elenchus non est propriè contradictio ad hæc sicut ad præmissas: sed propter præmissam vt propter causam efficientem fit conclusio: sed contradictio fit ad conclusionem contradicentem positioni respondentis.

Ergo in principio duplex, &c.

Soluendo igitur duplex quod est in principio siue in præmissis siue in conclusione & nõ nomen multiplex in æquiuoco vel oratio vt in amphibologia, sic distinguendo respondendum est in perfecta & in omni data solutione, dicendo quoniam est vt sic, hoc est, in vno sensu est verum: est autem vt non est, hoc est, in alio sensu est falsum. Vt verbi gratia in hoc paralogismo, est tacentem loqui, dicendum est, quoniam est vt sit hoc quod est verum, si accusatiuus cum verbo loqui construatur ex parte appositi post: est autem vt non est verum in alio sensu, in quo idem accusatiuus cõstruitur cum verbo supponendo sibi ex parte ante. Et similiter est in æquiuocatione, vt patet in hoc exemplo: putas, quòd expediunt facienda? & dicente respondente, quod sic, inferat: sed mala vt pœnalia aliquando expediunt, vt aduri, vel secari: ergo facienda. Respondendum, quoniam expedientia æquiuocà sunt: & ideo sunt quædam expedientia facienda semper, vt bona & semper vtilia: & sunt quædam expedientia non semper facienda, vt mala & damnosa, & pœnalia: quia expedientia sunt multiplex secundum æquiuocationem.

Si autem lateat in fine addendum, &c.

Ad perfectè autem soluendum notandum, quòd si in fine post communem solutionem datam adhuc lateat, eò quod non sufficienter adaptata sit solutio: tunc oportet ipsum respondentem per determinationem & pertractationem corrigere solutionem in communi datam, vt si inferat opponens concludendo, ergo est tacentem loqui: dicat respondens, non est tacentem loqui simpliciter & sine distinctione, & adaptet distinctionem ad supradictam in communi datam distinctionem, quod est hunc aliquem loqui tacentem, hoc est, quòd quis vt Sortes loquitur tacentem, hoc non est tacentem loqui, secundum quod accusatiuus cum verbo, loquitur, construitur ex parte post, & non ex parte ante: sic enim sufficienter adaptata est solutio & determinat in quo sensu sequitur conclusio & in quo non.

Et in his autem quæ habet multipliciter, &c.

Et similiter pertractanda & adaptanda solutio in his paralogismis quæ multipliciter dictum habent in propositionibus, dicendo quoniam sic scientes consciunt, si pronomen illud construitur cum verbo, consciunt, ex parte ante & non post, vt paulò ante dictum est, & sit accusatiuus casus: quia scientes ista de quibus habent scientiã, nõ consciunt ipsis: nõ enim idẽ est in tali solutione dicere, quoniã non est cõscire scientes illa quæ sciunt in communi, & quoniam sic (ad sensum propositum determinando) non est vel contingit conscire illa quæ sciunt. Et tamen quia in sophisticis sunt istæ solutiones, non est omninò recedendum ab apparenti solutione: sed opponenti omninò obstandum apparenter à respondente, etiamsi simpliciter & in vno sensu syllogizet. Et dicendum, quòd ipse opponens non rem (quam dixit respondens dando & concedendo quod quæsiuit) negauit (hoc est, negando conclusit) opponens: sed nomen tantum negauit, hoc est, negando & contradicendo conclusit, & propter hoc non est elenchus quod fecit: quia elenchus est non nominis tantum, sed rei & nominis. Sic ergo recta solutione soluenda sunt quæ secundum æquiuocationem & amphibologiam: & sic intelligendo dicta Aristot. non est in eis quicquam dubitationis.

CAPVT III.

De solutione paralogismorum secundum compositionem & diuisionem.

Manifestum autem eos, &c.

Ex his autem quæ dicta sunt, manifestum est, quomodo soluendum est etiam eos paralogismos, qui sunt secundum compositionem & diuisionem: quia si diuisa (hoc est, diuisim prolata oratio) & composita (hoc est, compositè prolata) aliud & aliud significat: eo quod licet materialiter vna sit, tamen formaliter diuersa est, vt in priori huius scientiæ libro determinatum est. Si ergo concluſa est composita & falsa, dicendum est contrarium, quòd scilicet diuisa est vera: & si diuisa concluſa est falsa, iterum dicendum est contrarium, quòd scilicet composita est vera. Et hoc in exemplis manifestetur, oportet scire, quòd omnes huiusmodi orationes quæ sunt secundum compositionem vel diuisionem sunt tales: putasne quo vidisti tu hunc percussum, hoc percussus est hic? Et debet sic formari paralogismus: quocunque vidisti hunc per aliquem vel ab aliquo percussum, hoc percussus est hic: sed oculo vidisti hunc ab aliquo percussum: ergo oculo percussus est hic. Maior enim multiplex in hoc paralogismo secundum compositionem & diuisionem, ex eo quod hæc determinatio, quo, potest componi siue continuè proferri cum hoc verbo, vidisti, cum quo naturaliter componitur: & sic est composita & falsa, sub hoc sensu, quo vidisti aliquem percussum ab aliquo, ille siue illo percussus est: hoc enim falsum est. Vel potest diuidi ab hoc verbo, vidisti, & continuè proferri cum hoc participio percussus: & sic est diuisa & vera, sub hoc sensu, quo percussum vidisti aliquem, illo sicut instrumento percussionis percussus est. Alia autem oratio quæ penes istam formationem est, hæc est, & quo percussus est, hoc tu vidisti: & formatur sic: quo percussus est aliquis, hoc vidisti ipsum percussum: sed gladio vel baculo percussus est aliquis: ergo baculo

vidisti ipsum percussum. Et est hic multiplicitas in præmissa & in conclusione. In præmissa quidem, eo quod hæc dictio, quo, potest compon cum hoc verbo, vidisti, & est composita & falsa: vel diuidi ab illo, & compon cum participio, percussum, & est vera sicut prius. Et similiter dicendum est de conclusione, sicut patet cuilibet intuenti. Oportet enim addi ad hanc orationem, quo percussus est, hoc tu vidisti) addi ipsum percussum: vel non incidit multiplicitas compositionis & diuisionis: vnde cum dicitur, quo percussus est, hoc tu vidisti, subintelligatur ipsum percussum esse.

Habent ergo aliquid dubiarum, &c.

Quamuis autem sic per distinctionem cuiusdam multiplicis soluantur huiusmodi orationes quæ sunt secundum compositionem & diuisionem, tamen non vere sunt multiplices, ita quod habeant actualem multiplicitatem in vna voce, quæ naturaliter & formaliter vna est significatiua: sed habent aliquid dubiarum interrogationum siue propositionum quæ est secundum potentialem multiplicitatem: & hoc est dupliciter secundum compositionem: non enim est vere duplex compositum: quia non nisi potentia diuisum est, quod est compositum. Si enim diuidatur, diuisa non est eadem formaliter omnino cum composita. Et huius probatio est: quia sicut est in dictione multiplici secundum diuersos intellectus, sic est in oratione diuisa & composita: dictio autem diuersificata secundum accentus, non est eadem dictio formaliter forma prolationis. Siquidem hoc est: quia certè etiam malum cuius prima longa est, pomum significat: & malum cuius prima brevis est, privationem boni significat, secundum diuersum accentum vel tempus & breue prolata formaliter aliud & aliud sunt & significant: sed in scriptis quidem, in quibus non est prolatio, idem nomen est, cum eisdem scribatur elementis, & etiam in scriptis tam grammatici signa diuersa faciunt, acutum vel grauem accentum denotantia, & per consequens diuersa prolatione nomen esse pronuntiandum: prolata autem in diuerso accentu dictio, constat quod formaliter non est vna: quod autem vere multiplex est sub vna materialiter & formaliter voce prolata, habet significata: propter quod cum dictio composita & diuisa formaliter non sit oratio vna, patet quòd non est duplex quod est secundum compositionem & diuisionem multiplex. Et ex hoc manifestum etiam est, quòd non omnes elenchi sophistici, peccant secundum duplex quod est verè duplex sic vt actualem habeat multiplicitatem, sicut quidam errantes dicunt.

Diuidendum ergo ei qui respondet, &c.

Patet igitur qualiter recta solutione diuidendum ei qui respondet secundum prolationem & prolationis distinctionem. Non enim idem est oculis videre percussum, & dicere videre oculis percutiens. Hæc autem solutio omnibus talibus paralogismis aptabilis est, sicut etiam patet in ea quæ est cuiusdam Euthydemi sophistæ oratio, quæ est hæc: quæratur enim, putasne vidisti tu nunc coexistentes in Piræo naues, in Sicilia ens? Est autem Piræus portus nauium in Græcia, qui contemplatur ab existente in litore maris ex opposito in Sicilia. Et formatur sic paralogismus: quicunque videt naues nunc coexistentes in Piræo ens in Sicilia, est extra Siciliam: sed tu ens in Sicilia, vides naues nunc coexistentes in Piræo: ergo tu exiens in Sicilia, ens extra Siciliam. Quæ conclusio falsa est: & est istius paralogismi minor multiplex ex compositione & diuisione: eo quod est in ea vnum determinabile, & duæ determinationes: & potest illud determinabile per determinationem antecedentem vel subsequentem determinari: & hoc determinabile est ens, si determinetur per hanc determinationem, in Sicilia, sic est composita & vera, sub hoc sensu, tu ens in Sicilia, vides naues nunc coexistentes in Piræo. Vel potest dici determinabile ens diuidi ab eadem determinatione cum hac determinatione, in Piræo: & sic est diuisa & falsa: quia sic hæc determinatio, in Sicilia, retorquetur ad hoc quod dico naues coexistentes, sub hoc sensu, tu vides in Piræo, in Sicilia: siue tu ens in Piræo, vides naues coexistentes in Sicilia: quod est contra hoc quod positum est: quia positum est, quòd tu ens in Sicilia, videas naues coexistentes in Piræo. Dico autem hanc orationem magis esse compositam, quam diuisam, quando posterior determinatio refertur ad participium ens: quia posterior determinatio magis habet naturam determinationis quam prior, licet posterior ponatur, quamuis vtraque istarum determinationum in oratione Euthydemi præcedat determinabile secundum vocem, tamen secundum intellectum posterior determinatio sequitur ipsum vt naturaliter sibi adiuncta.

Similiter distinguendum est hoc si dicatur in formatione syllogismi: quicunque videt naues nunc coexistentes in Piræo ens in Sicilia, est extra Siciliam: sed oppositio modo est vera & falsa. Si enim participium ens componatur cum hac determinatione, in Sicilia, sic est falsa & composita sub hoc sensu, quicunque ens in Sicilia, videt naues nunc coexistentes in Piræo, est: & diuisa est vera: quia sic hæc determinatio, in Sicilia, retorquetur ad hoc determinabile quod dico, naues coexistentes; & est sensus: quicunque ens in Piræo, videt naues nunc coexistentes in Sicilia, est extra Siciliam: hoc enim verum est. Alij autem dixerunt, quòd illæ orationes duplices sunt: ex eo quod adverbium, nunc, potest componi cum hoc participio, coexistentes, vel cum hoc verbo, videt. Sed in talibus non est facienda magna vis: quia non ponitur nisi ad exemplum adaptationis rectæ solutionis ad paralogismum compositionis & diuisionis.

Et rursus putasne, &c.

Idem est in oratione ista, si quæratur sic: putasne bonum furorem malum esse? & dicente aliquo, quòd sic, inferat: sed quicunque malus est, non est bonus: bonus furor malus est: ergo non est bonus: ergo bonus non est bonus. Patet autem, quòd maior huius paralogismi multiplex est, ex eo quod determinabile furor potest componi cum determinatione sequentis adiectiui quæ est malus, & sic est composita & falsa, sub hoc sensu: quicunque malus furor est, ipse non est bonus: & sic falsa est: quia bonus est aliquando malus furor, & non

non simpliciter est bonus. Vel idem determinabile potest diuidi ab eo adiectiuo & componi cum adiectiuo, bonus, & sic est vera: quia quicunque bonus furor malus, ipse non est bonus.

Putasne quorum scientiæ bonæ, &c.

Alia ratio similiter soluenda similis illi est: putasne quorum scientiæ bonæ sunt, bonas esse disciplinas, hoc est, bonum esse vt discantur: & formari debet sic: quorum scientiæ bonæ sunt, bonæ sunt disciplinæ, & è conuerso. Sed mali scientia bona. Quia dicit Boëtius, quòd scientia mali bono deesse non potest: quia non vitatur malum nisi cognitum. Ergo mali est disciplina bona, hoc est, quod addiscatur malum: & hoc falsum est: quia dicit Aristot. in 11. primæ philosophiæ, quia melius est quædam mala non discere vel scire per disciplinam. Vnde cum quæritur, putasne quorum scientiæ bonæ, bonas esse disciplinas? & dante respondente, quòd sic, inferat opponens: mali autem disciplina est scientia bona, & concludat: ergo disciplina mali est bonum. Et procedat vlterius opponens in contrarium sic: at verò & malum est disciplina mali: quare (hoc est, propter quod) quia mali disciplina est malum, & mali disciplina non est bonum. Et contra hoc iterum procedendo dicat opponens: sed malorum sunt disciplinæ bonæ: quia scientiæ malorum sunt bonæ. Et hæc potest etiam esse solutio vt dicatur, quòd malorum disciplinæ bonæ, & non mala disciplina bona. Quod, vt melius intelligatur, dicatur quòd maior paralogismi positi dicatur multiplex ex hoc quod dico, disciplinæ; potest construi, id est, componi cum hoc adiectiuo, bonæ, quod sequitur ipsum: & tunc hoc totum, disciplinæ bonæ, cadit in prædicatum: & sic est composita & falsa sub hoc sensu: illa quorum sunt scientiæ bonæ, sunt disciplinæ bonæ: hoc enim falsum est: quia mala quorum scientiæ bonæ, non sunt disciplinæ bonæ. Vel potest hoc ipsum, disciplinæ, diuidi ab adiectiuo sequente; & tunc hoc ipsum quod dico, disciplinæ, cadit in parte subiecti: & hoc quod dico, bonæ, cadit in parte prædicati: & hæc propositio est diuisa & vera sub hoc sensu: quorum scientiæ sunt bonæ, illorum disciplinæ sunt bonæ: & in hoc sensu non potest concludi, quòd mali disciplina bona: sed malorum est disciplina bona, disciplina scilicet contemplatiua: quia disciplina æquiuoca est ad disciplinam contemplatiuam quæ est per demonstrationem quæ Græcè vocatur epiformi, & ad disciplinam practicam quæ est eruditio operatiua in moribus, quæ Græcè vocatur fedia: & hæc generat difficultatem in ista oratione.

Putasne verum dicere nunc, &c.

Similiter est in hac oratione, putasne verum dicere nunc, quoniam tu factus es: & dicente & respondente, quòd sic, inferat, ergo tu factus es nunc: & potest formari sic paralogismus: de quocunque verum est dicere, quod nunc factus est, factus est ipse nunc: sed nunc verum est dicere, quoniam tu factus es: ergo tu es factus nunc. Aut aliud significat diuisum & compositum: & hæc est solutio: quia minor propositio paralogismi significat aliud prolata diuisim, & aliud significat prolata compositè: quia verum est dicere nunc, quoniam tu es factus: sed non est verum dicere, quoniam tu nunc factus es: potest enim hæc determinatio, nunc, componi cum verbo præsenti quod est dicere, & sic propositio est composita & vera: & cum sequenti, quod nunc factus es: & hoc modo est diuisa & falsa, sicut planum est videre cuilibet: verum enim est dicere nunc, quoniam tu factus es: sed non est verum dicere, quoniam tu factus es nunc.

Putasne vt potes, &c.

Similis modus est in hac oratione, putasne vt potes & quæ potes, sic & ipsa facies? & dicente respondente, quòd sic, in contrarium procedat opponens: non citharizans autem habes citharizandi potestatem: citharizabis ergo non citharizans. Formari potest sic paralogismus: quæcunque potes & vt ipsa potes, sic & ipsa facies: sed non citharizans potes citharizare: ergo non citharizans citharizabis. Aut interrogatio nota solutionis: & non huiusmodi habes potestatem, vt non citharizans (hoc est, dum non citharizas) citharizes: sed potius habes potestatem, vt facias postea quod non fecisti ante hoc: minor enim paralogismi multiplex: ex eo quod hoc quod dico, non citharizans, potest continuè proferri cum hoc quod dico, habes potestatem citharizandi: & sic est composita & falsa, sub hoc sensu: tu potes citharizare non citharizans, hoc est, dum non citharizas: & hoc falsum est dum implicas te opposita facere posse simul. Vel idem cum eodem discontinuè potest proferri: & sic est diuisa &, vera, sub hoc sensu: tu qui non es modo citharizans, potes citharizare.

Soluunt autem quidam errantes, &c.

Soluunt autem hunc vltimum paralogismum quidam errantes etiam aliter dicentes, quòd prima propositio paralogismi non est data vniuersaliter, hæc scilicet, quæ potes & vt potes, facies: non enim sic data est, quod facies omni modo quo potes, sed infinitè vt potes facies: ergo non faciens facies, licet non faciens possit facere. Vnde illi non dicunt accidere per consequentiam, si dedit vt potes facere, non citharizantem citharizare posse: non enim omnino siue vniuersaliter potest facere datum est, quando datum est vt posse: & dicunt non idem esse, vt potes facere indefinitè, & omnino vt potes facere vniuersaliter.

Sed manifestum est, quòd bene non soluunt, &c.

Sed manifestum est, quòd non est hæc recta solutio: nam omnium orationum sophisticarum quæ propter idem fallunt (hoc est, propter eundem defectum) est vna & eadem solutio. Si ergo est hæc solutio, omnibus apparentibus paralogismis secundum compositionem & diuisionem conuenier. Sed hæc solutio aliis paralogismis non potest adaptari qui habent eandem causam falsitatis, & sunt secundum eandem fallaciam: ergo manifestum est, quòd non est recta solutio: quia non conuenit in omnes huius fallaciæ similes paralogismos, nec omninò siue vniuersaliter conuenit ad orationes interrogatas secundum compositionem & diuisionem: & ideo hæc solutio est ad hominem interrogantem siue opponentem ad impediendum, & non est ad orationes soluendum.

CAPVT

CAPVT IV.

De solutione eorum paralogismorum qui sunt secundum accentum.

Secundum autem accentum orationes.

SEcundum accentum autem orationes voce tenus (nisi metrica pronuntiatione proferantur) non multum sunt: cum metro enim producta vel correpta, & cum aspiratione & sine aspiratione proferuntur, & aliquando duæ dictiones sub vno, & aliquando vna sub duobus proferuntur accidentibus: & tunc frequenter secundum accentum fiunt paralogismi: nec etiam in his orationibus quæ scribuntur, nisi sicut dictum est, signa accentuum super syllabas & dictiones fiant, vt antiquitus fieri consuevit: nec fiunt etiam in his orationibus quæ dicuntur voce tenus profaica prolatione, excepto si quæ paucæ fiant, vt hic: iustos viros oportet (hoc est, opportunum est) pendere media correpta, hoc est, magis ponderare & æstimare: iustos viros non oportet pendere media producta, hoc est, suspendere in occulto vel patibulo. Pendere media producta est pati: pendere autem media correpta non est pati, sed honorem recipere. Quomodo autem soluendum sit quidem tales orationes, palam est, quia per distinctionem eius quod est pendere: non enim idem significat pendere in media syllaba grauiter (hoc est, producte) & acute (hoc est correpte) pronuntiata: & sic diuersitas significationis sub vna materialiter dictione accepta, est fallaciæ & falsitatis causa, qua distincta & adaptata, opponentis soluere est recta solutione paralogismos.

Attende autem, quòd non videtur ali quibus esse hæc duplicitas: eò quod dictio non est vna quæ diuersis accentibus profertur, & sic sub vno aliquo plura non colliguntur, quod exigitur multiplicibus: & ideo quidam dixerunt, quòd in potentiali multiplicitate vnitas dictionis vel orationis est ista quæ est in mente: cuius signum est ea quæ est in voce: & illius signum est quæ est in scripto: & ideo dicunt, quòd vnum sub quo accipiuntur, non est nisi vnitas orationis quæ est mente: vel si est oratio in voce vel in scripto, non est in ea nisi secundum quod refertur ad mentem. Sed hoc nihil esse probatur, ex hoc quod orationi secundum quod est in mente, non conuenit accentus: vnum autem multiplicitatis (in quo vt in vno colliguntur multa) oportet quòd sit tale vnum quod ad multa referatur, & quod contineat illa in seipso: & hoc nullo modo potest esse mentalis oratio, nec etiam illa quæ est in scripto, propter eandem orationem. Et ideo tenendum est, quod in priori huius scientiæ libro dictum est, quod scilicet vnitas in qua colliguntur multa (quæ multiplicitatem faciunt) est vnitas materialis quæ consistit in sono elementorum & syllabarum, & est vnitas dictionum & orationum, in qua plura colliguntur, & non vnitas formalis quæ est in modo prolationis. Et ideo dicitur multiplicitas potentialis: quia talis materialis vnitas referibilis est ad diuersas formas prolationis vt ad sensus refertur diuersos.

Vera determinatio, & qualis sit vnitas multiplicitatem faciens.

Vtrum autem duplicitas sit multiplicitas quædam, ita quod duplicitas sit species multiplicitatis, & multiplicitas genus duplicitatis, vanum est & friuolum disputare: quia genera & species & modus generum & specierum (secundum diuersitatem rerum in quibus sunt) diuersificantur: aliter enim arguuntur & constituuntur in totis vniuersalibus, & aliter in integralibus: & adhuc in his aliter in discretis, & aliter in continuis, & aliter in potestatiuis. In substantiis enim secundum rationem totius vniuersalis coæquæuæ sunt in genere, & per differentias oppositas exeunt ab illo. In totis autem integralibus non sunt coæquæuæ: quia in illis genus educitur & constituitur ex partibus, vt multiplicitas ex duplicitate, triplicitate, quadruplicitate, & sic de aliis: & hoc modo non constituitur genus in substantiis: & ideo etiam non sunt coæquæuæ in illo: sed potius per prius est multiplicitas quæ maior est, & per posterius ea quæ est minor, & non incipiunt ex æquo genere prædicatione. Et ferè eodem modo est in continuis: quia magis est quantitas corpus quam superficies, & magis superficies quam linea: eo quod per plures rationes quantitatis (hoc est, diuisibile in longum, & diuisibile in latum, & diuisibile in profundum) accipit quantitatis prædicationem: quia, vt dicit Aristot. diuisibile semper, hoc est, in infinitum. Et ferè similiter est in figuris in quibus vna generatur ex alia, vt tetragonum ex trigono, & pentagonum ex tetragono, & sic de aliis figuris poligoniis. Et similiter in potestatiuis: quia in illis secundum Aristot. in lib. de anima, & in 16. animalium ex vegetabili producitur sensibile, & est in eo vt trigonum in tetragono: & ex sensibili producitur rationale, & est in ipso. Vnde friuolum est & vanum de talibus hoc disputare: quia maioris inquisitionis quam sit præsentis negotij intentio.

In 2. text. com. 31.

Sciendum igitur, quòd duplicitas est species multiplicitatis, & multiplicitas genus: & sunt talia genera & species, quales habet species, & qualia habet genera continuum vel discretum, in quibus vna species producitur ex alia, & generatur, vt probatur & in primo & in secundo arithmeticæ Pythagoræ: genus autem producitur ex speciebus, & ex æquo participatur ab illis.

Obiectio.

Si autem quis dicat, quòd multiplicitas potentialis non est multiplicitas: quia quod potentia est tantum, non est. Hoc nihil valet ad præsentem intentionem: quia medium inter simpliciter vnum & simpliciter multa, est multiplex: & idem sufficit ad esse multitudinis, quod aliquo modo sit vnum & aliquo modo sit multa: propter quod in eo sufficit vnitas materialis & potentialis multitudo siue pluralitas. Hæc igitur dicta sint de potentiali multiplicitate, quæ est in compositione & diuisione & accentu:

Solutio.

CAPVT

CAPVT V.

De solutione paralogismorum secundum modum qui est secundum genus accidentale figuræ dictionis.

Palam autem & in his quæ sunt, &c.

PAlam autem ex determinatis & aliis quomodo soluendum recta solutione in vniuersali accepta etiam in his paralogismis qui fiunt in his quæ similiter dicuntur, hoc est, de quibus propter dictionem vel figuram dictionis creditur idem esse significatum, quæ tamen in significato non sunt eadem propter similem figuram dictionis. Et palam est in vniuersali ex his quæ in generali dicta sunt de recta solutione, quomodo respondenti sit obtiandum talibus: eò quod habemus ex aliis libris logicæ genera prædicamentorum distincta. Dico autem hic genera prædicamentorum large & communiter & ad coordinationem prædicabilium, & ad omnes modos prædicandi, & etiam ad modos supponendi: hæc enim omnia iam distincta sunt. Vnde patet, quòd in hac fallacia distinguendum est multiplex phantasticum ex ipsa distinctione modorum prædicandi: hoc autem multiplex ex eo prouenit, quòd vnum pro certo significatur tantum, & creditur aliud significari, cum tamen in veritate non significetur. In actuali autem multiplicitate actu significantur diuersa. In potentiali vnum referibile est ad significata diuersa.

Nam hoc quod dedit interrogatus, &c.

Dicendo ergo in communi de solutione paralogismorum figuræ dictionis, ratio quidem communis est ex hoc quidem qui est respondens interrogatus ab opponente, diuidit de quo interrogatus est non esse quid eorum (hoc est, illius generis) de quo est interrogatus, sed habere similitudinem figuræ dictionis cum illo. Ille verò opponens ostendit apparenter illud de quo interrogat esse quid eorum, hoc est, aliquid de numero eorum quæ sunt illius generis, propter similitudinem dictionis. Sicut si interrogat sic, si est quid in genere substantiæ? & respondens dicat esse quid, & alter ostendat hoc esse in ad aliquid vel aliquid quantitatis, quæ tamen videtur quid significare secundum dictionem vel similitudinem dictionis. Sic ergo contendunt respondens & opponens. Et manifestare causam falsitatis, hanc scilicet, quòd non propter similitudinem dictionis similia sunt quæ significari videntur, est in communi recta solutio omnibus paralogismis adaptabilis, vt patet primum in orationibus quæ sunt secundum primum modum figuræ dictionis, quæ est secundum genus accidentale siue in nomine siue in verbo, vt in priori huius scientiæ libro dictum est.

Vt in hac oratione, puraſne, &c.

Sicut statim est videre in hac oratione, puraſne idem contingit simul & secundum idem facere & fieri? Hæc oratio est quæstio, & conclusio falsa, quando dicitur idem secundum idem contingit significare facere & fieri: sed vt quæstio antecedit paralogismum, & vt conclusio sequitur ipsum. Paralogismus autem sic est formandus, ponatur sic quæstio: puraſne idem secundum suum significatum contingit facere & fieri, hoc est, significare facere in genere actiuo, & fieri in genere passiuo? & respondente, quod non, aduersando paralogizet opponens concludens hoc quod negauit respondens verum esse, sic: contingit vnum & idem simul & secundum idem videre & non videri: sed videre est facere, & videri fieri: ergo contingit vnum & idem & secundum idem facere & fieri. Videre autem supponitur esse facere, propter similem terminationem dictionis cum actiuis: videri autem supponitur esse fieri, propter similem terminationem cum passiuis. Et soluitur iste paralogismus negata minori cum sua suppositione, scilicet videre sit facere, & videri fieri propter similem terminationem cum passiuis & actiuis: multa enim sunt similis terminationis, quæ non propter hoc sunt similis suppositionis.

Secunda ratio similis isti per omnia, & est quæstio & conclusio est ista: ponatur enim quæstio sic: puraſne est quid vel aliquid eorum quæ sunt facere, hoc est, in genere actionis, pati quidem, hoc est, in genere passionis vel passiuorum? & dicente respondente, quòd non, sic paralogizet opponens: secatur, vritur, operatur, sunt similis terminationis: ergo eiusdem generis siue significationis: & sic omnia ista pati significant. Et addat rursum (vt ostendat scribere esse actiuum) dicere, scribere, currere, similiter sibiinuicem dicuntur, & terminationem habent actiuam secundum modum infinitiuum: ergo omnia sunt actiuæ significationis, & agere significant. Et ad inferendum conclusionem adhuc addat opponens: sed scribere est operari aliquid: & operari pati: ergo scribere significat aliquid quod simul significat facere siue agere & pati, siue facere & pati. Et soluitur iterum per interemptionem maioris cum sua suppositione, sicut oratio præcedens. Vnde si aliquis respondentium illic in interrogatione opponentis negando minorem paralogismi det non contingere idem facere & fieri, videre & videri propter similem terminationem cum actiuis & passiuis: tunc nondum factus est ei, nec potest fieri elenchus apparens: & ideò negat minorem ne fiat elenchus apparens ei, scilicet si non dicat videre esse facere quid propter similem terminationem cum actiuis, & videri pati quid propter similem terminationem cum passiuis. Opponens enim ad faciendum apparentem elenchum indiget hac interrogatione sibi concessa à respondente quæ est minor propositio, si apparentem debeat ad illam conclusionem facere elenchum. Sed ipse opponens ab audiente respondente scilicet opinatur illam datam esse in similibus: quia secare est facere quid, & secari est aliquid fieri: & ideo videri & videre dicit facere & fieri significare, hoc est, accipit quasi datum, & quæcunque alia actiuis & passiuis similiter dicuntur secundum figuram & similitudinem terminationis. Nam ipse respondens qui audit opponentem, addit reliquum, hoc scilicet, quod generaliter sit verum, quod quæ sunt eiusdem figuræ dictionis, sunt & eiusdem significatio

Puraſne est quidem, &c.

significationis siue generis: & ideo quod videre fit facere, & videri fieri: & hæc est falsum: quia non necessario similiter dicitur secundum significationem, licet similiter dici videatur secundum dictionis terminationem.

Idemautē accidit in æquiuocationibus, &c.

Eodem modo fallacia accidit in æquiuocis siue in æquiuocationibus: respondens in æquiuocis qui inscius est orationum multiplicium propter vnitatem nominis credit vnam esse significationem: & ideo putat, quòd negando nomen neget rem etiam significatam per nomen, & non nomen solum: hoc autem vlterius eget interrogatione, hac scilicet si respondens dicat æquiuocum (hoc est, id quod est æquiuocum) ad vnam respiciens, erit elenchus respondenti quando opponens paralogizat oppositionum eius quod dedit respondens. Hoc ergo plano aperatur solutio communis ad paralogismos primi modi figuræ dictionis. Et attende, quòd ideò soluuntur per interemptionem minoris: quia non sunt positæ nisi conclusiones falsæ, & ostenditur etiã soluendo falsitas minoris ex qua tales sequuntur conclusiones. In ipsa autem interemptione requiritur distinctio multiplicatis phantastica, quando dicitur, quòd non propter similitudinem terminationis sunt similiter terminata eiusdem generis vel significationis: in hoc enim datur intelligi, quòd propter similitudinem terminationis plura apparent in vno significari. Et sic patet, quòd sicut supradictum est per distinctionem & sensum ad conclusionis adaptationem manifestatur causa falsitatis in syllogismo, siue in apparenti elencho. Sic ergo soluendi sunt paralenchi qui sunt secundum primum modum figuræ dictionis.

CAPVT VI.

De solutione paralogismorum secundi modi figuræ dictionis.

Similes autem & hæ orationes, &c.

HÆ autem orationes (quæ sunt iuxta secundum modum figuræ dictionis) per commutationem prædicamenti quantum ad aptationem communis solutionis, & quantum ad manifestationem falsitatis syllogismi, sunt similes his quæ dictæ sunt de primo modo figuræ dictionis. Verbi gratia siquidem supponatur, quòd omne illud quod quis est habens in præterito vel præsenti, & postea in futuro non habet, amisit: & hoc concedat respondens, & arguat in oppositum opponens dicens, quòd vnum solum amittens digitum de decem digitis, postea non habebit decem digitos, & inferat, ergo decem digitos amisit. Aut dicendum soluendo, quòd hæc est commutatio prædicamenti: quia in præmissa dicit, quòd omne quod quis habens vel habuit, & postea non habet, amisit: vbi quod dicit substantiam: & quod intulit, sed decem habuit & vnum solum non habuit, significat quid discretæ quãtitatis: & sic mutat prædicamentum. Patet ergo, quòd opponens interrogans primo, quod habet, quod substantiam significat & colligit in eo quod quanta: quia assumens sub eo quod est, quod accipit quanta, ac si quanta sub eo quod est, quod, contineatur: quod non est verum: & ideo infert syllogismum: ergo decem amisit: quod non sequitur: quia mutatur quid in quantum: quia ex hoc quod conceditur: quicquid vel omne quod habuisti & non habes, amisisti, non necessario sequitur, quanta habuisti & non habes, tanta amisisti: decem enim sunt quanta. Nec est hic paralogismus, quod mutetur singulare & plurale, vt quidam dixerunt: quod patet ex hoc quod si commutatio numeri esset causa falsitatis, tunc remota causa cessaret effectus: hic autem proposito eodem numero, plurali scilicet adhuc remanet idem peccatum, vt si dicatur sic: quæcunque habuisti & non habes nunc, amisisti: decem habuisti & non habes nunc: ergo decem amisisti. Hoc est idem peccatum quod prius: & non est numeri commutatio. Si ergo dixisset à principio opponens loco eius, quod ponens quanta quæ sub quod assumuntur, sic: si quanta quis habuit & non habet, tanta amisit: nullus respondentium tanta dedisset cum necessario amisisse: sed dedisset sub disiunctione, quod aut tanta amisit, quanta habuit, aut aliquid eorum, siue aliquod quod summã quam habuit, diminuit.

Et quoniam dabit quis quod non habet, &c.

Similis modus soluendi est quãdo mutatur quid in ad aliquid: vt si quis opponentium probet hanc conclusionem apparenter, quoniam dabit quis quod non habet, sic: iste dat vnum solum: & id quod habet, non est vnum solum: ergo dat quod non habet. Vnum enim solum (cum dicat habitorum dissociationem cum aliis) relatiuum est, sicut & dicens associationem, & habet suum correlatiuum in suum nomine sicut & sociatum: sicut enim sociatum soci[illegible] est sociatum, ita dissociatum dissociato dissociatum: idem enim eidem est idem, & æquale æquali est æquale, & sic de aliis. Et si quis obiiciat, quòd relatiuum est res vnius generis, solum autem circuit omnia genera: est enim sola substantia, sola quantitas, sola qualitas, & sic de aliis? & sic solum non dicit qualitatem. Hoc est nihil: quia relatio in se considerata, res est vnius generis: considerata autem in extremis ad quæ determinatur suus respectus, circuit omnia genera. Soluitur ergo iste paralogismus sic: arguens non concluſit, quòd non dedit quod non habuit: quia non habens vnum solum, dedit vnum solum: sed dedit vt non habuit: vt autem notat respectum dissociati ab aliis: quia hæc dictio exclusiua, solum, non significat vt substantia, nec significat quantum, sed significat vt se habet aliquid ad aliquid vt illi dissociatum: & hoc dicit ad aliquid & non quid, vel quantum, vel quale: vnde dedit non cum alio sociatum, habuit autem cum alio sociato.

Obiectio.

Solutio.

Quemadmodum si sic dicat, &c.

Hic autem modus soluendi tali confirmatur exemplo per simile dicente modum & vnum quid: vt si quæratur, putasne quod aliquis non habet, dabit? & dicente respondente, quòd non, interrogando accipiat oppositiones, si aliquis quid (hoc est, aliquid) dabit citò quod non habet cito? & dicente respondentem, quòd sic, concludat oppositiones sic: iste dat cito quod non habet cito; ergo dat quod

quod non habet. Constat, quòd causa falsitatis est: quia sub quod accipit cito, quod non dicit quod, sed modum habendi quod: & manifestum est, quòd non vero syllogismo syllogizauit: quia non accipit directè sub medio: quia cito dare non dicit hoc dare quod est substantia, sed modum dandi significat.

Vt autem non habet, dabit aliquis, &c.

Aliud autem exemplum per quod confirmatur idem, est, quia vt aliquis non habet aliquid, dabit aliquis, vt quod delectabiliter habet, cum tristitia dabit: & non ex hoc sequitur, quòd dat quod non habet, sed quod hoc quod dat, nõ dat vt habet. Similes autẽ illi paralogismi sunt omnes huiusmodi orationes, in quibus mutatur quid in aliquid: sicut si quæratur sic: putasne iste ea quam non habet, manu percutiet aliquem? ponente respondente, quòd non, contra opponens arguat dicens: sed non habet vnam solam manum: & percutit vna sola manu: ergo pecutit ea quam non habet. Idem est hic: putasne eo (quem non habet) oculo videbit aliquis? & dicente respondente, non, opponens contra hoc probet dicens: non habet vnum solum oculum: & vno solo oculo videt: ergo videt oculo quem non habet. In omnibus enim his vna sola est solutio syllogismi manifestans falsitatem.

Soluunt autem quidam dicentes, &c.

Soluunt autem quidam falsa solutione inductos de commutatione quid in ad aliquid paralogismos, quòd bene contingit aliquem dare quod non habet dando vnum solum, & non habendo vnum solum & oculum & manũ & denarium, qui plura habet in oculis & manibus & denariis: & hoc probant à simili: quia quidam (hoc est, aliquis) habet quod non accepit ab aliquo: quia accepit vnum solum, & non habet vnum solum: ergo habet quod accepit. Et arguunt à simili, quòd similiter dando vnum solum, & non habendo vnum solum, dat quod non habet: & hoc dicunt contingere à simili: quia hic habet vnum ab hoc dante sibi denarium, & non habet vnum solum simpliciter, sed vnum cum alio: sicut ergo habet quod non accepit: sic contingit eum dare quod non habet.

Alij autem statim interrogationem, &c.

Alij autem soluunt primam interrogationem interimentes maiorem, scilicet concedunt, quoniam contingit aliquem quod non habet accipere: sicut patet in eo qui ab aliquo vinum suaue siue dulce, quod in acceptione conuersum est, corrupto vino in ipsa acceptione: & sic dicunt, quòd etiam contingit dare quod non habet. Sed improbatio istarum solutionum est id quod prius dictum est in solutione paralogismorum compositionis & diuisionis. Isti enim non soluunt ad orationem, sed ad hominem instantes & non soluentes per orationem: quia si esset ad orationem hæc solutio: tunc daretur oppositum vtriusque istarum solutionum non possibile esse soluere, sed dantem oppositum vtriusque istarum solutionum adhuc contingit soluere: ergo istæ solutiones non sunt ad orationem. Si enim damus, quòd nemo dat quod non habet, neque aliquis habet quod non accepit. Adhuc per commutationem prædicamenti contingit soluere: & hoc probatur, quod scilicet tenet hæc ratio per simile: quia si aliquis dicat per

distinctionem esse solutionem alicuius paralogismi, vt si est quidem vno modo: tunc dicimus, quòd est, hoc est, dicimus quòd verum est in vno sensu: est autem in alio sensu quod non, hoc est, quod tunc in alio sensu est falsum: & sic est solutio per distinctionem, & est recta solutio. Si autem simpliciter debet dici, respondens, hoc est, vno modo, & non distinguat nec soluat per distinctionem: quia sic dat oppositum rectæ solutionis: tunc dato tali oppositò rectæ solutionis adhuc sine impedimẽto concluderet opponens intentam in sophismate conclusionem, siue in paralogismo: quia respondens syllogismi falsitatem non manifestat: sed si hoc est: etsi (siue quamuis) exponens non concludat contra respondentem paralogismum, nihilominus tamen non erit solutio recta: quia quod non concludat, est propter impedimentum in solutione ad hominem & non ad orationem. In prædictis autem solutionibus omnibus daris oppositis solutionum illarum nec adhuc dicimus fieri syllogismum verum, sed potius paralogismum: ergo tales non sunt veræ solutiones.

Amplius autem & hæ orationes in quibus commutatur quid in quale, sunt ex huiusmodi orationibus in quibus ex commutatione prædicamenti incidit fallacia figuræ dictionis. Et vt melius intelligatur, præsupponatur, quòd aliquis scripserit orationem, quæ dum scribitur, fit vera, & per commutationem rerum in oratione signatarum, facta est falsa: & arguatur sic, primo præmissa interrogatione: putasne quod scriptum est, scripsit quis? & dicente, quod sic, arguat opponens: scriptum autem est, quoniam tu sedes: falsa oratio per rerum mutationem: erat autem hæc oratio vera cum scribebatur: ergo scribebatur simul oratio falsa & vera. Est autem hæc fallacia figuræ dictionis: quia concessit respondens, quòd hoc quod scriptum est, scripsit quis: & hoc significat substantiam: assumpsit autem, quòd falsum scripsit, quod est qualem orationem scribere: & sic commutauit quid in quale: nam falsam vel veram orationem esse, non hoc (hoc est, substantiam & quid) sed talem significat esse orationem: & sic mutauit quid in quale. Et eadem oratio sic commutata per rerum mutationem est etiam in opinione: quia (sicut in prædicamentis dictum est) oratio & opinio, rerum mutatione, susceptiua sunt contrariorum veri & falsi.

Amplius autem & hæ orationes, &c.

Si fortè aliquis dicat, quòd commutatio prædicamenti non est hæc causa fallaciæ, sed potius commutatio rerum & temporis, & hoc probet: quia remota commutatione temporis & rerum, non incidit fallacia: bene enim sequitur: quicquid aliquis scripsit, hoc etiam in hoc tempore scriptum est. falsam orationem scripsit quis hic intus: ergo in hoc tempore falsa oratio scripta est: bonum est argumentum: & tamen quid in quale mutatur: ergo commutatio eius quod est quid in quale, non facit fallaciam. Si, inquam, sic dicatur, dico quòd

Obiectio.

Sc. commutatio temporis facit mutationem in qualitate orationis, sed non in processu vel decursu syllogistico: vnde quod argumentatio in tali casu tenet, hoc est gratia materiæ &

terminorum: forma tamen syllogismi non valet; eò quod quale fuit in maiori sub quid, quòd pro medio sumpsit in maiori: & hoc planum est: sed quia per scriptum falsum omne hic & nunc restringitur ad id quòd scriptum est, ideo tenet gratia terminorum: hic enim & nunc non scribitur quale vt quale, sed quid. Simile est hic: quicquid vidisti heri, vides hodie: sed heri vidisti album: ergo hodie vides album. Hic est commutatio quid in quale, & est fallacia figuræ dictionis.

Alia obiectio. Et si obiiciatur, quod quicquid non est nisi geminatum quid, & ideo non habet virtutem distribuendi, nisi pro eo quod dicit quid: quid autem dicit quod omnium prædicamentorum, vt dicitur in primo topic. ergo videtur, quòd benè dicitur, & argumentum est bonum: heri vidisti album: ergo hodie vides album. Quia album dicit quid in genere qualitatis. Dicendum, quòd hoc verum est, quod quicquid distribuit pro omni quod est quid in omni genere prædicamentorum: sed concretum siue quale non dicit quid vt quid, sed dicit quale: sed abstractum dicit quid vt quid. Et ideo bene sequitur, si sic arguatur: quicquid vidisti heri, vides hodie: sed heri vidisti albedinem: ergo hodie vides albedinem.

Alia obiectio. Si quis autem obiiciens adhuc dicat, quòd album non videtur nisi albedo vidcatur, & e conuerso: quia qualitas non videtur nisi in subiecto: & sic conuertibilia sunt videre album, & videre albedinem: & quicunque videt album, videt albedinem: & quicunque videt albedinem, videt album. Et si conuertibilia sunt eodem addito vtrobique siue vtrique, quicquid sequitur ex vno, sequitur ex altero: sed cum addito (quod est maior propositio) ex hoc quod est, vidisti albedinem, sequitur conclusio sic: quicquid vidisti heri, vides hodie. Et addo: heri vidisti albedinem. Sequitur bona argumentatione: ergo hodie vides albedinem: ergo conuertibili addito ad maiorem propositionem: conuertibili dico cum minori propositione maiorem, etiam sequitur sic: quicquid vidisti heri, vides hodie: album vidisti heri: ergo album vides hodie. Ad hoc dicendum, quòd forma huius argumentationis non valet: quia sumitur quale vt quale & non vt quid sub quicquid, quod distribuitur pro his quæ sunt quid vt quid: quod autem hoc sequatur in prædicto casu, quod scilicet non videtur album nisi videatur albedo, hoc est gratia terminorum & per accidens, scilicet quia album non videtur nisi albedine monente visum.

Solutio. *Dicit quorundam. Obiectio contra illos. Solutio illorum.* Quidam tamen dixerunt rationibus supradictis, quòd hæc argumentatio bona est: quicquid heri vidisti, vides hodie: album vidisti heri: ergo album vides hodie. Et si obiicitur, ponatur quòd res quam heri vidisti albam, sit hodie nigra. Dicunt, quòd adhuc argumentatio bona est, sed maior falsa: dicunt enim quòd quicquid distribuit pro omnibus rebus quæ se habent ad quicquid heri quis vidit: hodie autem non sic se habet: & ideo falsa est maior. Sed prior responsio verior est. Si tamen album substantiuè sumatur, tunc verum est, quod quicquid vidisti heri, vides hodie: sed album vidisti heri: ergo album vides hodie. Quia substantiuum album supponit pro eo quod est vel quod fuit album. In talibus autem quantum ad præsentem intentionem non est vis magna: non enim intenditur hic nisi quod ex commutatione prædicamenti quid in quale vitatur processus.

Similiter de huiusmodi orationibus est, quando mutatur quid in modum, vt putas, quod discit quod discit quis, hoc discit: discit autè hoc est tardè, cito: ergo tardè discere, est cito discere. Paret, quòd commutatur quid in modum: & leuia sunt huiusmodi, & ideo transeunda. Et similiter est fallacia figuræ dictionis si mutatur quid in quando, vt putas quod ambulat quis hoc calcat? & dicente, quod sic, obiicit in contrarium: sed ambulat totam diem: ergo calcat totam diem. Et est commutatio prædicamenti: quia in maiori sub quod, dicit substantiam, assumit cum vel quando ambulat. Similiter est quando mutatur quid in vbi, sicut si sic dicatur: quicquid bibit aliquis, hoc bibit: sed scypho bibit aliquis: ergo scyphum bibit. Mutatur quid in vbi: quia scyphus dicit locum vt vas in quo bibit, & non dicit quid. Similiter est quando mutatur numerus singularis in pluralem sic: omne quod scit aliquis, aut addiscens aut inueniens nouit: ergo omnia quæ scit aliquis aut addiscens aut inueniens nouit. Quod nō est verū demonstratis duobus, quorū vnum est per se inueniēs: aliud autem nouit addiscens per auditum: ambo enim hæc simul non addiscens nouit, nec inueniens. Solutio autem est, quòd omne quod nouit, significat demonstratum, aut addiscens nouit, aut inueniens: & cum dicit omnia, assumit plurale sub singulari, & commutat modum prædicandi: & in omnibus talibus nihil est difficile soluere, ita quod commutatio prædicamenti vel speciei prædicamenti in aliam speciem prædicamenti, vel modi prædicandi in alium modum prædicandi est causa falsitatis syllogismi.

Et putas quod discit discens, &c.

CAPVT VII.

De solutione paralogismorum tertij modi figuræ dictionis.

SImiliter autem hæc (quæ dicta est) solutio adaptatur paralogismis tertij modi figuræ dictionis: vt quando mutatur quale quid in hoc aliquid. Est autem quale quid dupliciter: vno enim modo omne inferius est quale quid respectu sui superioris, vt species respectu generis: quia superius est forma & quale, inferius autem quid formatum sub ipso: alio autem modo quando per accidens aduenies est quale, & quid est in seipso.

Quale quid dupliciter.

Et secundum primum modum fit talis paralogismus, ex quo sequitur apparenter, quoniam est quis tertius homo à se sic: Coriscus est tertius ab homine, quia ab aliquo homine; & Coriscus est homo: ergo Coriscus est tertius à seipso. Et eodem modo concluditur apparenter, quod est tertius ab vnoquoque homine sic: Coriscus est tertius ab homine: Sortes est homo: ergo Coriscus est tertius à Sorte. Et sic

Et quoniā est quis tertius homo, &c.

sic potest fieri de quolibet: ergo Coriscus est tertius ab vnoquoque homine. Soluitur autem hic paralogismus: quia homo & omne commune non significat hoc aliquid, sed quale quid: & ideo cum assumat Sortem, mutat quale quid in hoc aliquid: & sic patet quæ est manifestatio falsitatis paralogismi: & ideo solutio ista est recta & vera.

Obiectiones. Potest tamen hic quæri de hoc paralogismo: quia idem paralogismus in priori huius scientiæ libro pro exemplo positus est in generatione paralogismorum accidentis. Adhuc etiam cum sic arguitur: Coriscus est alter ab homine: & ipse est homo: ergo est alter à se: videtur esse fallacia consequentis: eò quod à superiori procedit ad inferius affirmando. Sed

Solutio. ad hoc dicendum, quòd nihil prohibet plures orationes fallendi coincidere in vna & eadem oratione. Vnde in dicto paralogismo coincidunt tres fallaciæ siue deceptiones. Si enim aliquis videns Coriscum alterum esse ab homine: propter hoc quod ab inferiori ad superius valet processus affirmando, vt Coriscus est alter à se: ipse est homo: ergo est alter ab homine: & decipiatur in ipsa consequentia, vt credat conuerti quod non conuertitur, vt quod sicut ab inferiori ad superius procedit affirmando, sic è conuerso affirmando etiam procedatur à superiori ad inferius, vt Coriscus est alter ab homine: ipse est homo: ergo est alter à seipso: hic talis decipitur secundum fallaciam cōsequentis. Si autem quia videt, quod esse alterum conuenit Coriscо respectu hominis, & sic respectu accidentis: & credit, quòd propter hoc conueniat ipsi rei subiectæ quæ est Coriscus respectu suiipsius, & sic credat inesse subiecto quod inest accidenti: hic talis decipitur secundum fallaciam accidentis. Si autem videt vnam figuram dictionis in hoc tertio homine quando stat infinitè in communi, & quando stat determinatè pro hoc vel illo, & ideo credat posse argui à communiter supponente ad supponens, pro hoc decipitur secundum fallaciam figuræ dictionis.

Quomodo terminus communis diuersimodè sumptus, vel in se vel in comparatione ad alios terminos, quandoque significat quale quid, & quandoque hoc aliquid. Est etiam attendendum hic, quòd terminus communis aut consideratur in se (hoc est, in natura sua simplici) quæ est forma multis communicabilis, & sic omnis terminus communis ad aliqua significat quale quid: & potest etiam considerari ad aliquid & determinatus per comparationem ad illud, & hoc quadrupliciter, scilicet ad superius, vel ad inferius, vel ad seipsum, secundum quod stans sub vna suppositione comparatur ad se secundū quod est sub alia suppositione, & significare potest hoc aliquid. Vt est inferius comparatum ad suum superius, respectu illius determinatum habet suppositionem & significat hoc aliquid. Similiter tractum ad inferius, determinatam acquirit suppositionem, & significat hoc aliquid, vt animal quale quid, homo hoc aliquid significat, & homo quale quid, hic homo hoc aliquid. Ad seipsum autem sub vna suppositione ad se sub alia suppositione: vt homo quale quid, omnis homo, vel albus homo hoc aliquid: quia confusum & distributum respectu suiipsius non confusi & distributi est hoc aliquid determinatum: in se autem commune ad diuersum modum suppositionis significat quale quid. Vnde hic, homo currit: ergo omnis homo currit: mutatur quale quid in hoc aliquid. Et sic soluuntur ista sophismata: cuiusliber hominis asinus currit: ergo asinus cuiusliber hominis currit. Quia iste terminus, asinus, sequens terminum distributum per signum immediatè accipit confusam suppositionem, & sic determinatum & hoc aliquid significat: cum autem præcedit non significat nisi quale quid: quia tunc non confunditur per distributionem. Similiter est hic: omne caput habens, est vnum solum caput habens: ergo habens omne caput, est habens vnum solum caput. Quia hæc dictio, habens, post signum posita, confusam habet suppositionem, quam non habet posita ante idem signum. Et similiter hic: omnis homo est vnus solus homo: ergo vnus solus homo est omnis homo: quia hoc quod dico, solus homo, confunditur post signum, & ante signum non confunditur propter hanc regulam, quòd terminus communis sequens signum distributiuum affirmatiuum immediatè confunditur & distribuitur ab ipso signo, ita quod sub ipso potest fieri descensus ad quodliber sub ipso contentum: sequens autem ipsum mediatè, siue in subiecto positum, siue in prædicato, confunditur solum, sed non distribuitur, ita quod sub ipso possit fieri descensus, quamuis multa confundantur in ipso: vt omnis homo est animal: potest fieri descensus sub homine, sed non sub animali, vt dicatur: omnis homo est hoc animal vel illud. Sed bene sequitur: omnis homo est animal: ergo Sortes est animal, & sic de aliis. Sic ergo ex diuersa comparatione potest idem quod secundum se significat quale quid, hoc aliquid significare.

Intelligendum etiam, quòd terminus communis significet quale quid: hoc habet aut ex seipso, aut ex adiuncto: quale quid enim significare est in communi ad aliqua stare, ita quod non ad hoc determinatè vel illud se habet ex se, cum ex se non dicat hoc aliquid. Et ideo si inferatur ex illo, fit fallacia figuræ dictionis, vt homo currit: ergo hic homo currit. Quia hoc non sequitur. Sed si ad non signatum, sed ad vagum descenditur, tunc sequitur: vt homo currit: ergo quidam homo vel hic vel ille vel aliquis alius currit, sicut paulò post in sequenti capitulo ostenditur. Si autem habet ex adiuncto quod ipsum indefinitè faciat supponere pro pluribus indeterminatè, hoc quadrupliciter fieri potest. Aut enim habet hoc ex signo affirmatiuo cui mediatè postponitur, & ex hoc confusam & infinitam accipit suppositionem: vt cum dicitur: omnis homo est animal, confusè & quale quid significat animal. Aut hoc habet ex prædicato sibi adiuncto, vt cum dicitur: homo est species: quia homo ibi non hoc aliquid, sed quale quid significat. Aut habet ex suppositione verbi præteriti temporis vel futuri, cui supponendo in communi stat pro præsenti vel præterito, supponit verbo præteriti temporis: aut pro præsenti vel futuro, si supponit verbo futuri temporis: & sic significat quale quid commune ad præsens vel præteritum, vel commune ad præsens vel futurum,

ſicut patet ex regulis ſuppoſitionum & ampliationum. Et ſemper incidit fallacia figuræ dictionis ſi mutatur quale quid in hoc aliquid, ſicut hic:homo non eſt ſpecies: ergo hic homo eſt ſpecies. Vel homo eſt diſputaturus: ergo hic homo eſt diſputaturus. Vel homo diſputabit: ergo hic præſens homo vel hic præteritus homo. Si autem id quod intelligitur in aliquo, inferatur ex illo, non fit fallacia figuræ dictionis, ſicut patet hic:omnis homo eſt animal:quidam homo eſt homo: ergo quidã homo eſt animal. Cum enim dicitur:omnis homo eſt animal,vel omnis homo currit: iſte terminus, homo, vniuerſaliter diſtribuitur:& ſic in ipſo intelligitur aliquis homo,& hic homo, & ille homo:& ſic non fit mutatio ſuppoſitionis,vt ex quale quid inferatur hoc aliquid, quinimo in vtroque ſtat pro eo quod eſt hoc aliquid. Aliter enim incideret ſemper fallacia figuræ dictionis in tertio primæ figuræ & in primo tertiæ,ex hoc quod in præmiſſis confuſam ſuppoſitionem habet & diſtributam, & in concluſione hoc aliquid infertur ex ipſo. Pro eodem enim ſupponit in præmiſſa cum ſubiectum confuſum ſit & diſtributum, ſicut de eodẽ eſt affirmatio vniuerſalis & negatio particularis. Et quamuis in maiori propoſitione tertij primæ figuræ ſubiectum ſit confuſum & diſtributum, & in minori aſſumatur pro hoc vel illo,non tamen eſt fallacia figuræ dictionis: quia particulare idem numero intelligitur, & eſt in vniuerſali diſtributo:& quia etiam fallacia figuræ dictionis fit ex commutatione eius quod eſt quale quid in præmiſſis, & in concluſione infertur vt hoc aliquid, fallaſia enim fit in illatione concluſionis, & non in ordine præmiſſarum.

In tertio modo primæ figura non fit fallacia figuræ dictionis, licet videbitur fieri.

Sic etiam patet quare non fit fallacia figuræ dictionis ex hoc quod mutatur ſicc aliquid in quale quid, ſicut è contrario:quia noc aliquid intelligitur & eſt actu in quale quid: & ideo bona eſt argumentatio qua inferrur ex ipſo.Et ſic etiam patet quare non eſt fallacia figuræ dictionis,quando infertur pars ex toto in quãtitate, vt hic:omnis homo currit:ergo quidam homo currit. Quia pars per intellectum actu eſt in toto & inferrur ex ipſo. Patet etiam quare non eſt fallacia in conuerſione vniuerſalis affirmatiuæ in particularem, ſic: omnis homo eſt animal:ergo quoddam animal eſt homo. Quia hæc, quoddam animal eſt homo, æquipollet huic, quidam homo eſt animal: & hæc, quidam homo eſt animal,per intellectum eſt in hac, omnis homo eſt animal: & ſic & illa,quoddam animal eſt homo:vnde non quælibet mutatio modi ſuppoſitionis inducit fallaciam,ſed quædam ſic,& quædam non.

Similiter autem & paralogiſmus,&c.

Similiter autem ſicut eſt quale quid quãdo indefinitè & ad plura communiter ſupponit,& infertur hoc aliquid ſub ipſo indefinitè contẽtum, ſic eſt etiam quale quid ex adiuncto ſibi adiectiuo quum infertur hoc aliquid determinarum ſub adiectiuo illo, ſicut in his terminis, Coriſcus muſicus:vt ſi quæratur,vtrũ hic Coriſcus & Coriſcus muſicus ſit vnũ,vel ſit alterũ? & fiat talis paralogiſmus:Coriſcus muſicus eſt alter à muſico:quia à quodam muſico: eſt autem Coriſcus muſicus muſicus: ergo eſt alter à ſeipſo:ſic enim incidit fallacia figuræ dictionis:nam hic quidem(ſcilicet Coriſcus) ſignificat aliquid:illud autem (ſcilicet Coriſcus muſicus)ſignificat quale:& ſic mutatur quale quid in hoc aliquid, ſicut patet cuilibet intuenti. Propter quod patet, quod hic fit fallacia figuræ dictionis: quia mutatur quale quid in hoc aliquid:Coriſcus enim muſicus eſt quale quid ex adiũcto ſibi adiectiuo:& ſic cõuenit ſibi alterũ eſſe à muſico:Coriſcus autem eſt hoc aliquid:quare inferrur alterũ eſſe à ſeipſo:& ideo mutatur quale quid in præmiſſa,in hoc aliquid in cõcluſione,& incidit fallacia figurę dictionis.

Notandum ad cognoſcẽdum.

Eſt autem adhuc notandum, quòd quando incidit fallacia figuræ dictionis ex hoc quod commutatur quale quid in hoc aliquid: tunc iſta commutatio eſt inter præmiſſas, aut inter præmiſſas & concluſionem. Si inter præmiſſas, tunc non facit fallaciam figuræ dictionis, vt hic:omnis homo eſt animal: hic homo eſt homo:ergo hic homo eſt animal: eſt enim bonus proceſſus: quia pars aſſumitur pro toto quæ actu & intellectu eſt in illo. Si autem eſt inter præmiſſas & concluſionem: aut aliquid comparatur ad idem ſignificatum in minori præmiſſa & concluſione, aut ad diuerſa. Si comparatur ad diuerſa, tunc non incidit fallacia figuræ dictionis. Et per hoc iterum patet, quòd in tertio primæ & in primo tertiæ non incidit fallacia figuræ dictionis: quia licet in præmiſſa minori ſignificetur hoc aliquid,& in maiori quale quid, & in concluſione ſimiliter hoc aliquid: tamen ad diuerſa fit comparatio: in præmiſſa enim minori comparatur ad medium, in concluſione autem ad maiorem extremitatem. Si autem ad idem fiat comparatio: tunc adhuc eſt diſtinguendum: aut enim oratio quæ fecit ipſum ſtare pro quali quo, remanet tam in præmiſſa, quam in concluſione:aut non remanet eadem.Si remanet eadem, tunc ſemper incidit fallacia figuræ dictionis. Si autem non remanet eadem in vtroque,tunc non incidit fallacia,vt hic: omnis homo eſt animal:ergo animal eſt omnis homo. Vel ſic: omnis homo eſt animal: ergo omnis homo eſt hoc animal. Hoc enim ſignum diſtributiuum affirmatiuum quod facit terminum communem mediatè ſibi adiunctum ſtare pro quoliber quo, remanet tam in præmiſſa quam in concluſione. Sic etiam quãdo prædicatum quod facit terminum communem ſtare pro aliquo, remanet tam in præmiſſa, quam in concluſione, vt homo eſt ſpecies: & eodem modo eſt de termino ſuppoſito verbo præteriti temporis vel futuri:vt homo eſt diſputaturus: ergo homo qui eſt, eſt diſputaturus:vel homo qui fuit,eſt diſputaturus. Sic ergo patet quãdo ex cõmutatione eius quod ſignificat quale quid in hoc aliquid, incidit fallacia,& quando non.

Qualiter non eſt ipſum ex ponere, &c.

Ex omnibus autem inductis patet, quòd commune quod ſignificat quale quid, non eſt exponere per hoc aliquid, hoc eſt,indiuiduum ſignatum, vt ſub ipſo quod eſt quale quid, inferatur hoc aliquid ſignatum: verumtamen ipſum commune exponere per hoc aliquid determinatum,non facit hoc inconueniens,quod ſequatur tertium hominem eſſe à ſe vel ab altero, vt ſuperius dictum eſt in formatione paralogiſmi.

talogiſmi. Si enim exponatur hoc aliquid indeterminatum,vt homo per hunc vel illum, & ſic de ſingulis,non ſequitur prædictum inconueniens, ſed prædictum inconueniens, quod ſcilicet ſit tertius à ſe vel à Sorte vel alio, facit exponere hominem quod eſt quale quid, & idem eſſe concedere quod hoc aliquid ſignatum & determinatum, & nihil habere diuerſum ab iſto. Et huius cauſa eſt: quia hoc aliquid eſſe indeterminatè,non eſt idem eſſe quod Calliam eſſe vel aliud ſignificatum: quia hoc aliquid eſt aliquod indeterminatè eſſe, & non ſignificatum hoc quod eſt Callias:nec erit hoc quod homo eſt,ſiue quod eſt quale commune indeterminatum.

Neque ſi quis expoſitum, &c.

Adhuc autem nihil diſtabit quantum ad inconueniens quod ſequitur, ſiquis dicat, quòd expoſitum quod eſt quale quid dicat non eſſe idem quòd eſt eſſe hoc aliquid:vt ſiquis dicat, quòd eſſe vniuerſalis non eſt eſſe particularis: ſed dicat,quòd quale quid ſignificans ſit quiddam per ſe ſeparatum: tunc enim non euitabit hoc inconueniens,quòd ſcilicet ſecundum hoc vniuerſale quod ſignificat quale quid, erit quid ſecundum ſe ſeparatum, quod eſt præter plures particulares homines, & ſeparatum ab eis, vt homo erit ſeparatum præter particulares homines in ſe exiſtens, & non eſt in illis. Si autem dicat, quòd exponitur quale quid (hoc eſt,commune)per hoc aliquid: tunc incidit fallacia figuræ dictionis: & hoc iterum eſt inconueniens.

Manifeſtũ ergo quoniam, &c.

Manifeſtum eſt ergo, quòd medium eſt eligendum,& hoc eſt quod non eſt dandum ſiue concedendum, quod hoc aliquid ſignificatum eſt id quod communiter prædicatur, hoc eſt, ſignificet quale quid: ſed dandum eſt, quod ſignificat per expoſitionem hoc aliquid indeterminatum ſub communi illo, vt quale aliquid, ſicut in qualitate: aut aliquid indeterminatum, ſicut in ſubſtantia, aut quantum ad hoc vel illud, & ſic de ſingulis ſicut in qualitate, aut talium indeterminatè ſignificantium hoc aliquid dandum vel concedendum eſt ſingulare: per indeterminatum enim exponi poteſt commune, & non per ſignatum & determinatum.

CAPVT VIII.

De ſolutione generali omnium paralogiſmorum in dictione.

Omnino autẽ in his quæ ſecundum dictionem, &c.

OMnino autem ſiue vniuerſaliter pro vniuerſali ſolutione in omnibus orationibus ſophiſticis quæ ſunt ſecundum dictionem, ſemper per oppoſitum ad ſenſum in quo ſophiſma concluſum eſt, erit ſolutio, vt oppoſitus ſenſus etiam diuerſus ſenſus vocetur per diuerſum largè accipiendo oppoſitum. Et dicitur oppoſitum: eò quod oppoſitio eſt cauſa diuerſitatis: & hoc maximè patet in compoſitione & diuiſione magis:quia in his magis apparetet eſt diuiſio. Vt ſi ſecundum compoſitionem ſiue in ſenſu compoſitionis concluſa eſt oratio, tunc diuidenti ſiue oſtendenti ſenſum diuiſionis erit ſolutio: quia in ſenſu diuiſionis erit vera. Si autem ſecundum diuiſionem concluſum inconueniens, componenti eandem & oſtendenti ſenſum compoſitionis, erit ſolutio: quia iſte ſenſus eſt verus. Rurſus in multiplicitate potentiali quæ eſt in dictione ſimiliter eſt:quia ſi oratio ſecundum accentum concluditur eſſe falſa, accentus grauis (hoc eſt, pronuntiata in accentu graui) erit ſolutio: quia in iſto ſenſu eſt vera. Si autem ſecundum accentum grauem erit concluſa falſa,acutus accentus erit ſolutio: quia in acuto accentu pronuntiata erit vera.

Si autem ſecundum æquiuocationem, &c.

Similiter eſt in multiplicitate actuali:ſi enim multiplex eſt ſecundum æquiuocationem, ſi concludit opponens in vno ſignificato: tunc reſpondentem opponentem nomen (hoc eſt, ſenſum nominis illi oppoſitum ſiue diuerſum) accidit ſoluere. Vt ſi aſinum accidit dicere opponentem animatum qui eſt animal, vel forte illud animal verum: tunc reſpondentem non eſſe aſinum, vel animal, aut animatum, ſed inanimatum eſſe, vt iris vel contingit ſoluere. Si verò opponens dixit ſiue concluſit aſinum vel animal inanimatum, hoc autem reſpondens collegit eſſe aſinum vel animal animatum: tunc ſoluentem contingit dicere, quòd eſt inanimatus aſinus vel animal de quo oratio vera. Similiter autem in amphibologia, quod diuerſa conſtructio ab ea(in qua concluſum eſt falſum) ſoluit orationem, & oſtendit quidem ſenſum verum.

Si autem ſecundum ſimilitudinem dictionis, &c.

Si autem multiplex eſt phantaſticum & eſt ſecundum ſimilitudinem dictionis ſiue figuram dictionis, & in vno ſenſu concluſum eſt falſum: tunc iterum oppoſitum ſiue in ſenſu oppoſito erit ſolutio,& verum. Verbi gratia,ſi concludat opponens, ergo quod non habet, dabit aliquis: dicat reſpondens,quòd non habet dabit, vt in paralogiſmo in quo concluditur, quod dat vnum ſolum denarium, & non habet vnum ſolum. Et in alio exemplo ſi concludatur, quod ſcit aliquis diſcens vel inueniens ſcit: dicat reſpondens,quòd non ſequitur,ergo omnia quæ ſcit aliquis,aut addiſcens vel inueniens ſcit. Et in tertio exemplo ſi concludat opponens,quod ambulat, calcat: dicat reſpondens, quòd non ſequitur ex hoc quod cum vel quando ambulat, calcat. Horum autem paralogiſmorum patet formatio ex prius habiti, & ſolutio & fallacia figuræ dictionis. Similiter autem eſt dicendum in aliis paralogiſmis fallaciarum in dictione, ita quod ſemper dicentem oppoſitum ſenſum ad ſenſum in quo concluſit opponens, erit ſoluere vera ſolutione: quia illa manifeſtabit multiplex.

***

TRACTATVS III.

De solutione paralogismorum fallaciarum extra dictionem.

CAPVT I.

De generali solutione paralogismorum accidentis, & adaptatione eius ad paralogismos.

MAnifesta iam solutione orationum in dictione, & in speciali & in generali, nunc ostendendum est consequenter quomodo fiat solutio, & quæ est manifestatio falsi syllogismi in orationibus quæ sunt secundum fallacias extra dictionem, falsitatem & deceptionem facientes: & primo in his quæ sunt secundum accidens: alia enim conuenientiam maiorem habent cum his quæ sunt secundum figuram dictionis, quarum solutio iam proximo habita est.

Ad illos verò qui sunt secundam accidens, &c.

Dicamus igitur generaliter primo, quòd vna quidem solutio est communis ad omnes orationes illas quæ sunt secundum accidens, considerando vnam communem causam deceptionis in omnibus illis. Hoc autem est, quia indefinitum (hoc est, incertum) est quando assignatum (quod assignatur communiter subiecto & accidenti inesse) dicendum sit de re subiecta, cum accidenti inest & inesse dicitur: eò quod hic in quibusdam syllogismis videtur necessario sequi: & talia assignata dicuntur rei subiectæ & accidenti inesse: in quibusdam paralogismis non dicuntur talia assignata rei subiectæ inesse, quando accidenti insunt: & hoc generale est in omnibus paralogismis accidentis: tunc oportet solutiones rectas, falsitatem manifestantes dicere & concordes ad omnes paralogismos accidentis: quia quorum est vna causa deceptionis, eorum erit vna & concors manifestatio falsitatis: & in generali in talibus orationibus oportet respondentem dicere, quoniam non est necessarium id quod assignatur & accidenti inesse, etiam rei subiectæ inesse: sed oportet respondentem habere ex arte proferre, hoc est, vt proferat: & hoc est vt ostendat adaptando ad orationem conclusam, & hoc est modum propter quem illud non est necessarium in hac oratione & illa, & sic de aliis.

Et quia in quibusdam sequitur quod inest accidenti, etiam subiecto inesse, & è conuerso quod inest subiecto, etiam accidenti inesse: in quibusdam autem non sequitur: reuocanda sunt ad memoriam ea quæ in priori scientiæ huius libro de fallacia accidentis dicta sunt. Considerandum enim sunt duo. Primum est vtrum medium & minor extremitas sint idem & indifferentia secundum substantiam, vel non secundum se, hoc est, secundum naturam propriam, vt homo & album non sunt idem: quia homo de natura propria susceptibilis est albedinis, & albedo non habet substantiam subiectam nisi hominem: vnde si sunt idem vel diuersa & considerandum: si enim sunt diuersa, non incidit fallacia accidentis: si autem sunt idem, tunc potest esse & bona argumentatio & mala peccans secundum accidens. Et ideò si sunt idem & indifferentia secundum substantiam medium & minor extremitas, tunc considerandum & vlterius, vtrum sunt idem & indifferentia comparata ad maiorem extremitatem quæ dicitur assignatum: & hoc in priori libro diximus notandum esse tali documento, quòd considerandum vtrum medio secundum quod est in minori extremitate, possit conuenire oppositum maioris extremitatis, aut non. Si non potest conuenire, semper bonum est argumentum, vt hic: omnis homo currit: Sortes est homo: ergo Sortes currit. Homini enim secundum quod est in Sorte (quod est minor extremitas) conuenire non potest non currere quod est oppositum maioris extremitatis: & ideo tale procedit argumentum: omnis homo currit: Sortes est homo: ergo Sortes currit. Si autem oppositum maioris extremitatis potest conuenire medio secundum quod prædicatur de minori extremitate: tunc semper incidit fallacia accidentis: & ostenso illo est ostensa causa falsitatis: vt homo est animal: animal est genus: ergo homo est genus. Secundum enim quod animal prædicatur de homine, animal non est genus: & sic oppositum maioris extremitatis (quod est non esse genus) potest inesse animali secundum quod prædicatur de homine quod est minor extremitas. Sic ergo cognoscitur quando assignatum accidenti, inest rei subiectæ, & quando non. Hac igitur arte vtendum est.

Adhuc autem ad hoc melius intelligendum notandum, quòd quando accidens est idem subiecto, subiectum autem dico medium, & accidens dico minorem extremitatem: ita quod hæc sunt eadem numero & indifferentia secundum substantiam quæ est subiectum, & assignatum non conuenit vni per alterum: sed assignatum per se & separatim conuenit vni, & non conuenit alteri per illud: tunc illa duo, subiectum scilicet, & accidens, respectu assignati (quod vtrique dicitur inesse) non sunt idem & indifferentia, vt patet in hoc exemplo: animal

animal & album sunt idem subiecto: & hoc ponatur vt homo sit album: & sic videtur, quòd conuenit vni, conuenit & alteri. Similiter homo & animal sunt idem subiecto: & quod conuenit vni, conuenit alteri: sequitur ergo vt videtur: homo est animal: & animal est album: ergo homo est album. Patet enim, quòd licet homo & animal sint idem in se, tamen comparata ad album, non sunt idem, & album non inest vni per alterum. Et si dicatur, quòd positum est hominem esse album. Dicendum, quòd hoc est gratia compositionis, sed per virtutem argumenti non sequitur. Similiter Coriscus & veniens sunt idem numero & subiecto: ergo quod accidit vni, accidit & alteri: sed cognitio conuenit Coriseo: ergo conuenit venienti: & ratio patet ex dictis: quia cognitio non est forma quæ conueniat vni per alterum, sed fit in vtroque per seipsum: & sic patet, quòd est hic fallacia accidentis sicut est hic: Sortes & sedens sunt idem subiecto, & sic sunt idem numero, & sic quod accidit vni, accidit alteri: sed percutio Sortem: ergo percutio sedentem: bene sequitur, & non est ibi aliqua fallacia: quia percussio est passio & forma quæ necessario conuenit percusso vt Sorti, & per Sortem qui est res subiecta, transit in sedentem, quando sedens & Sortes sunt idem numero. Vt autem huius solutionis sciatur adaptatio ad paralogismos in speciali factos & formatos secundum accidens, oportet videre specialiter quales sunt paralogismi secundum accidens facti.

Sunt autem huiusmodi omnes orationes, &c.

Dico igitur, quòd omnes tales paralogismi sunt huiusmodi, vt ille cuius conclusio est, ergo nosti, quòd debeo te interrogare: & ponatur, quòd debeam interrogare te de bono, vel quòd debeo interrogare bonum: quamuis enim bonum, de quo debeo interrogare, sit idem numero & substantia siue subiecto, tamen non sunt idem respectu eius quod est cognoscere: quia cognitio non est talis forma vni per alterum. Alia oratio cuius conclusio talis, ergo cognoscis venientem vel coopertum, & formatur sic: Coriscus est veniens vel coopertus: tu cognoscis Coriscum: ergo tu cognoscis venientem vel coopertum. Et patet solutio: quia licet Coriscus sit idem numero venienti vel cooperto, tamen hæc duo differentia sunt relata ad hoc assignatum quod est cognitio: quia cognitio non est talis forma quæ conueniat vni per alterum, sed fixit in vtroque diuisim & per seipsum. Tertia oratio est, cuius conclusio est, ergo statua est tuum opus, & formatur sic: hæc statua est tuum: & est opus: ergo est tuum opus. Quamuis enim statua & tuum sint idem numero, tamen comparata ad hoc quod est esse opus, non sunt idem: quia statua est possessio sacerdotis vel templi, opus autem Policleti vel alterius statuarij. Quarta autem ratio, cuius conclusio est, ergo pater tuus canis, & formatur sic: iste canis est tuus: & est pater: ergo est tuus pater. Quia licet canis & tuus sint idem & substantia numero, tamen comparata ad esse patrem, non sunt vnum, secundum quod hoc assignatum, esse patrem, non conuenit ei quòd est tuum esse patrem canem. Quinta oratio est, cuius conclusio est, ergo rarò pauca sunt pauca, & dicuntur rarò pauca, quæ simpliciter inuenimus, vt pauca in ciuitate, vel pauca in foro, in quibus simpliciter pauca rarò sunt vel inueniuntur, & formatur sic: ista sunt pauca, demonstratis his quæ sunt in vico: & ista sunt rarò pauca, demonstratis his quæ sunt in ciuitate vel foro: ergo rarò pauca sunt pauca simpliciter. Et patet solutio: quia quamuis ista sint simpliciter idem ista & pauca, non tamen sunt eadem & indifferentia, comparata ad ea quæ sunt rarò pauca.

Manifestum enim in omnibus his, &c.

Manifestum est ex omnibus huiusmodi orationibus, quòd non est necesse id quod verum est de accidente, etiam esse verum de re subiecta in se & in comparatione ad assignatum, vt per singula ostensum est: hoc enim solum illis conuenit, quia & in substantia siue in subiecto idem sunt & indifferentia, & cum hoc vnum sunt in comparatione ad assignatum quod est maior extremitas in paralogismo accidentis, ita quod assignatum conuenit vni per alterum. Modo in primo paralogismo non idem est scire & futurum interrogari, sicut dictum est: quia licet bonum & futurum interrogari sit idem, tamen respectu eius quod est scire, non sunt idem. Neque idem venienti vel cooperto idem accidit assignatum: ergo venienti & Coriseo, vel coopertro & Coriseo, vt paulo ante patuit. Propter quod non sequitur, quòd si cognosco Coriscum secundum quod est Coriscus & in se, & etiam ignorem venientem secundum quod est veniens, quòd eundem cognoscam & ignorem, & cognoscam eundem & non cognoscam. Neque sequitur, si hoc est meum vt statua, est autem opus, quòd sit meum opus: quia forte non est meum opus, sed mea possessio, vel mea res, vel aliquid huiusmodi quod meum esse dicitur. Eodem autem modo est soluendum in aliis paralogismis.

Obiectio prima.

Si aliquis forte obiiciat contra inducta dicens, quòd nihil oprohibet istam conclusionem esse veram. Tu cognoscis Coriscum: Coriscus est veniens: ergo cognoscis venientem. Quia ex quo cognosco Coriscum & Coriscus est idem numero venienti: tunc sequitur, quòd cognosco venientem per accidens: quia cognosco eum qui venit: & sic conclusio est vera. Videtur etiam ex præmissis sequi conclusio: quia si fallacia accidentis impediret consequentiam, oporteret quòd medium diuersis rationibus compararetur ad extrema; hoc autem non videtur: quia medium est Coriscus, quod singulare est, & vnum in se existens non habens in se diuersas rationes quibus comparetur ad vnum extremum & ad alterum: vna ergo ratione comparatur ad vtrumque: & sic non impedit consequentiam diuersa ratio comparationis medij ad extrema.

Secunda.

Adhuc autem in syllogismo expositorio, sicut dicit Aristot. in secundo priorum, vbi singulare pro medio subiicitur in vtraque præmissarum, de necessitate concluditur extremum de extremo. Sic autem est hic: Coriscum cognoscis: Coriscus est veniens: ergo tu cognoscis venientem. Videtur, quòd conclusio sequatur necessario. Sequitur etiam in prima

figura ſola facta tranſpoſitione terminorum ſic: Coriſcus eſt veniens: & cognoſcis Coriſcum: ergo cognoſcis venientem. Adhuc ſi eſt in talibus fallacia, portius videtur eſſe fallacia figuræ dictionis: eò quod muratur quid in quale: quia Coriſcus eſt quid, veniens autem quale.

Solutio prima.

Ad hoc reſpondere non eſt difficile: concedendum enim eſt, quòd hæc eſt vera per accidens & non per ſe, tu cognoſcis venientem, ſicut dictum eſt: ſed hoc non impedit fallaciam accidentis, quæ incidit ſi concluſio comparetur ad præmiſſas: quia non vna ratione medium comparatur ad extrema. Et quod obiicitur, quòd medium & ſingulare non habens in ſe diuerſas rationes quibus ad extrema diuerſimodè comparetur. Dicendum, quòd in ſe non habet diuerſas rationes, ſed coniunctum cum accidente acquirit diuerſas rationes. Coriſcus enim ſecundum ſe comparatur cognitioni vt cognitum per ſeipſum: Coriſcus autem veniens vel cooperrus, per formam venientis vel cooperti quam accipit, alia ratione comparatur cognitioni, quia vt cognitum per accidens. Nec oportet, quòd in fallacia accidentis medium diuerſas habeat in ſeipſo rationes, quibus ad extrema comparetur: ſed ſufficit, quòd vnum habeat in ſeipſo, & alia acquirat coniunctum minori extremitati.

Solutio ſecunda.

Et quod dicit de ſyllogiſmo expoſitorio, non valet: quia in ſyllogiſmo expoſitorio ſupponitur, quòd medium vna ratione vtrique extremorum comparetur: & hoc non eſt hic, vt oſtenſum eſt: neque enim principaliter fallacia figuræ dictionis: quia quando incidit fallacia figuræ dictionis, oportet quòd quale quod mutatur in quid, ſumatur ſub eo quod diſtribuit pro quid, vt hic: quicquid emiſti, comediſti: carnes crudas emiſti: ergo carnes crudas comediſti: vbi ſub quicquid ſumitur crudum. Hoc autem non eſt hic: cognoſcis Coriſcum: Coriſcus eſt veniens: ergo cognoſcis venientem. Sic ergo patet qualiter talis ſolutio omnibus paralogiſmis quæ ſecundum accidens, adaptatur.

CAPVT II.

De improbatione falſæ ſolutionis paralogiſmorum accidentis.

Soluunt autem quidam, &c.

Ad hos autem paralogiſmos quidam ſoluunt factam interrogationem interimentes, hoc eſt, oppoſitum concluſionis interrogatæ: concluſio enim ſub oppoſito interrogatæ eſt, vt determinatum eſt in libro priori iſtius ſcientiæ, vbi dictum eſt, quòd vt facilius admittatur concluſio, interroganda eſt ſub ſuo oppoſito: & ideo quando conceditur concluſio, interimitur interrogatio: quia interimitur oppoſitum ſub quo concluſio interrogata eſt. Vnde iſti concedentes concluſionem interimunt oppoſitum ſub quo concluſio eſt interrogata. Concedunt igitur iſti concluſionem iſtam, tu cognoſcis venientem: dicunt enim bene contingere eandem rem & noſſe & ignorare ſecundum diuerſa: & hoc non eſſe inconueniens: quia dicunt hoc non fieri ſecundum idem: nam venientem quidem ſub forma venientis non cognoſcentes. Coriſcum autem noſcentes in propria forma, eundem ſe noſſe & ignorare dicunt, ſed non ſecundum idem. Et hoc dicunt & verè, quod non eſt inconueniens: quamuis diſtinguenda iſta ſolutio non ſit. Primum quidem (quia ſicut iam diximus in capitulo præcedente) ſi hæc eſſet ſolutio: tunc oporteret etiam earum orationum ſophiſticarum quæ ſunt ſecundum idem genus deceptionis ſiue eandem & ſimilem cauſam deceptionis, eandem eſſe correctionem ſiue ſolutionem quæ falſitatem manifeſtando corrigit: hoc autem patet, quod non eſt verum: ergo à deſtructione conſequentis patet, quòd hæc non eſt ſolutio.

Hoc autem non erat ſi quis non in noſſe, &c.

Cuius probatio eſt: quia ſiquis in ſimili oratione ſiue paralogiſmo accidentis ponat terminos non in noſſe ſiue noſcere ſiue cognoſcere, ſed ponat eos in eſſe vel in aliquo modo ſe habere, & illis accipiat idem probamentum ſiue modum probationis ſophiſticum paralogizando, ille ſoluere non poteſt per hoc quod contingat idem noſſe & ignorare ſecundum reſpectus diuerſos: quia tunc nihil ponitur in oratione de cognitione & ignorantia eiuſdem ſecundum diuerſa, vt hic: iſte eſt pater: & eſt tuus: ergo eſt tuus pater: ſicut de cane in habitis dictum eſt. Nam hoc quod dicunt, in quibuſdam eſt verum: quia quædam contingit ignorare & ſcire ſecundum diuerſos reſpectus. Sed tamen hoc quod dicunt, nihil veræ ſolutioni communicat: quia (vt diximus) ſi eſſet ſolutio vera vnius, oporteret quod omnia ſimilia ſoluerentur. Alia autem ad eiuſdem dicti improbationem cauſa eſt: quia ſæpius dictum eſt, nihil prohibet eandem orationem ſophiſticè paralogizantem plures habere fallendi ſiue decipiendi ſiue falſitatis ſyllogiſmi orationes ſiue cauſas: ſed tamen non omnis fallaciæ manifeſtatio ſolutio eſt paralogiſmi.

Contingit enim quandoque falſum, &c.

Contingit enim aliquando aliquem oſtendere, quoniam aliquis falſum ſyllogizauit, hoc eſt, contingit, quòd aliquis apparenter ſyllogizatam concluſionem oſtendat eſſe falſam: & contingit, quòd licet concluſionem oſtendat eſſe falſam, non tamen oſtendit ſecundum quid peccans in ſyllogiſmo ſyllogizatur facta concluſio: & ille non manifeſtat ſecundum quid in ſyllogiſmo infertur concluſio falſa, & ideò non ſoluit vera ſolutione: quia vera ſolutio cauſam manifeſtat falſitatis illius in ſyllogiſmo ſecundum quod falſum ſequi videtur falſa concluſio. Cuius exemplum eſt in Zenonis oratione quæ concludit, quoniam non eſt vel contingit moueri vel moueri: quæ facile oſtenditur falſa per deductionem ad impoſſibile: propter quod etiam ſiquis conetur oſtendere illam concluſionem falſam, & colligere conetur talem orationem vt impoſſibilem deducere ad impoſſibile, peccat: quia vetam ſolutionem non ponit: ceſſi millies ducat ad impoſſibile, & per hoc oſtendat millies eam eſſe falſam: quia multiplicare inconueniens non eſt ſoluere: hic enim non eſt ſolutio vera, ſed inconuenientis multiplicatio: erat enim (ſicut prædet-

prædeterminatum eſt) vera ſolutio manifeſtatio falſi ſyllogiſmi in illo, ſicut accidit falſum, hoc eſt, in cauſa per quam accidit & ſequi videtur falſa concluſio: quia in hoc quod eſt cauſa falſa concluſionis, eſt falſus & deceptorius ſyllogiſmus: & hoc eſt comparare præmiſſas ſecundum conſequentiam ad concluſionem, & oſtendere manifeſtè in præmiſſis vel in ordine terminorum defectum congruæ concluſionis. Et patet, quòd ſi aliquis obiicientium non verè ſyllogizauit, ſed apparenter, ſiue conetur colligere ſiue collectiue ſyllogizare vel verum vel falſum in concluſione illius defectus, quæ concluſio non ſequitur ex præmiſſis, manifeſtatio vera ſolutio eſt, quando ſcilicet oſtenditur qualiter & propter quid concluſio non ſequitur ex præmiſſis.

Forſaſſe autem & quibuſdam, &c.

Forſaſſe autem aliquando etiam hoc quod ipſi dicunt accidere, nihil prohibet, ſcilicet quod illud ignoretur & cognoſcatur ſecundum diuerſos reſpectus, ſed in his paralogiſmis, de quibus modo loquimur: nec hoc quod dicunt, videbitur habere locum quoad veram paralogiſmi ſolutionem, quod aliquando concedat eundem noſſe & ignorare diuerſis reſpectibus. Quod ex hoc patet: quia aliquis aliquando Coriſcum, & quoniam Coriſcus eſt, ſiue per hoc quod Coriſcus eſt, noſcit, & forte venientem etiam noſcit ſub forma venientis, ſi ſcit quoniam Coriſcus eſt veniens: & tamen videtur aliquando contingere, quòd idem ſubiecto noſcatur ab aliquo, & non noſcatur, vt ſi ponamus idem ſubiectum eſſe album & muſicum, contingit alicui noſcere illum quoniam albus, ſiue ſub forma albedinis, & contingit eidem eundem non noſcere quoniam eſt muſicus, ſiue ſecundum quod eſt ſub forma muſici: videt enim album, & nullam ab eodem audiuit vel percepit muſicam: ſicut enim idem noſcit ille & non noſcit, ſed non ſecundum idem: venientem autem ſi ſic ponatur, & Coriſcum quoniam veniens eſt, & quoniam Coriſcus eſt, noſcit: & tamen non impedit, quin in conſequentia paralogiſmi fiat fallacia accidentis: eò quod non valet conſequentia propter diuerſam habitudinem medij ad extrema quæ ſunt accidens ſubiecti & adiunctum rei ſubiectæ & accidenti, ſicut per antehabita ſatis patuit. Siue ergo ſic noſcat, & ſic ignoret, ſiue ſic, & ſic noſcat, non impeditur fallacia: & ſic patet, quòd ſolutio eorum eſt nulla.

Similiter autem peccant & qui ſoluunt, &c.

Similiter autem peccant etiam illi qui ſoluunt (hoc eſt, ſoluere conantur) iſtam orationem: iſta ſunt pauca: & iſta rarò pauca: ergo pauca ſunt rarò pauca. Dicunt iſti ſoluere conantes paralogiſmum, quòd concluſio eſt vera: dicunt enim iſti, quoniam omnis numerus eſt paucus: nullus enim eſt numerus ad quem non ſit accipere maiorem reſpectu cuius paucus eſt minor numerus: vnus enim reſpectu pluris eſt paucum. Et qui ſic ſoluunt, peccant ſicut & illi quos diximus: quia ſcilicet non manifeſtant cauſam falſitatis ſyllogiſmi: nam iſti non manifeſtant ſi non eſt concluſio ſimile, ſiue id propter quod concludit paralogiſmus, ſicut nec priores, & hoc opinantes, propter quod non concluſit ſyllogiſmus. Verum eſſe dicunt id quod concluſum eſt, ſiue veram dicunt eſſe concluſionem: dicunt enim omnia quæ ſunt in numero, eſſe multum & paucum: multum quidem reſpectu numeri ſuperioris: & ideo non referentes concluſionem ad præmiſſas, nec oſtendentes in quo deficit conſequentia, peccant ſicut & primi.

Quidam autem & duplices ſoluunt, &c.

Quidam autem etiam errantes ſoluunt dicentes duplices eſſe ſyllogiſmos (hoc eſt, ſecundum duplex peccantes paralogiſmos) vt apparentes ſyllogiſmos accidentis: vt verbi gratia iſtos, vt iſte canis eſt tuus: & eſt pater: ergo eſt tuus pater. Et hunc: iſte eſt tuus: & eſt filius: ergo eſt tuus filius. Et iſte eſt tuus: & eſt ſeruus: ergo eſt tuus ſeruus. Et fuit diſtinctio iſtorum ex compoſitione & diuiſione, ex eo quod hoc quod dico, tuus, poteſt coniungi cum hoc quod dico, canis: & ſic eſt compoſita & vera: & non ſequitur ex ea concluſio quæ infertur, vel poteſt ſeparari adhuc & coniungi cum hoc quod dico, pater: & ſic eſt diuiſa & falſa: & ſequitur ex ea concluſio quæ infertur. Et ſimiliter diſtinguebant in omnibus aliis, ſicut in his: iſte eſt tuus filius: & iſte eſt tuus ſeruus, & ſic de aliis: & hæc etiam fuit ratio quæ induxit iſtos ad diſtinguendam & ad dicendum, quòd multiplex eſt oratio. Sed quod errent ſic ſoluendo, primò probatur tali ratione: quia ſi iſte videtur elenchus, hoc eſt, apparens elenchus, eò quod multiplex dicitur ſiue propter peccatum multiplicis: oportet in ipſo apparenti elencho nomen vel orationem plurium eſſe ſignificatiuum, principaliter apparentis elenchi cauſatiuum, ex cuius diſtinctione ſoluatur elenchus apparens.

Hunc autem eſſe huiuſmodi natum, &c.

Hoc autem non eſt in propoſitionibus apparentis elenchi, qui inductus eſt. Quod patet: quia hunc nemo dicit huius eſſe propriè, eo quod eſt natus: hic enim huius non dicitur eſſe propriè, eo quod eſt natus: hoc enim huius non dicitur eſſe propriè & abſolutè, niſi ſit eius poſſeſſio: vnde ſi domus eſt nati ſiue eius qui eſt & dicitur natus, non propter hoc dicitur huius natus. Non enim ſic ſoluendum per diſtinctionem, ſed dicendum, quòd diuiſorum per accidens ſiue per fallaciam accidentis ſit compoſitio: quia diuiſim dicitur: eſt tuus, & eſt pater: & inferuntur diuiſa coniunctim cum dicitur: ergo eſt tuus pater. Sic hic: quærat enim primo opponens & dicat, putaſne hoc eſt tuum? & reſpondens dicat, vtique hoc eſt meum: & paralogizet opponens: hoc autem eſt natum: & inferat: ergo eſt tuum natum: patet, quòd ex multiplici paralogizat, ſed ex ſuppoſitione eorum quæ diuiſim data ſunt, quorum vtrumque accidit: quoniam accidit vni & eidem & tuum eſſe & natum eſſe diuiſim: ſed non eſſe tuum natum coniunctim, quia non quæcunque prædicantur de aliquo diuiſim, prædicabuntur de eodem coniunctim, impediente prædicabili accidentali prædicatione, vt in paralogiſmis dictum eſt: & ideò non ſequitur, quòd ſi eſt tuum, & eſt natum, quòd ſit tuum natum: ſicut non ſequitur: iſte eſt bonus, & eſt furor: ergo eſt bonus furor.

Et eſſe malorum quoddam bonum, &c.

Sic etiam ex multiplicitate amphibologiæ ſoluebant paralogiſmum in quo concluditur quoddam malorum eſſe bonum: & formatur ſic

sic : disciplina vel prudentia est malorum: prudentia est bonum: ergo quoddam bonum est malorum. Cum enim simpliciter sine determinatione hoc aliquid dicitur esse malorum, non dicitur esse multiplex, sed vno modo quem naturaliter genitivus principaliter designat (qui est totius horum modus) & ideo dicitur hoc esse horum vel possessio horum. Si fortè obiciendo contra hoc aliquis dicat, quòd hoc horum dicitur multiplex; quia istas habitudines importat genitivus cum nominativo constructus. Dicimus enim, quòd homo est vel hominem esse animalium: sed non dicimus hominem animalium, seu possessionem animalium, sed secundum partitivum constructionem, vt sit sensus, quòd homo est aliquid de numero animalium. Et si quid ad aliquid ad mala dicitur relatum vt prudentia dicitur disciplina malorum, dicitur vt relatum ad mala velut in habitudine obiecti vel materiæ circa quam est: non propter hoc malorum est simpliciter & sine determinatione: quia si sic simpliciter & sine determinatione horum determinatur, tunc esset illorum possessio, eò quod genitivus sine determinatione trahente ipsum ad aliam habitudinem, non notat nisi possessionem.

Secundum quid ergo, &c.

In talibus ergo non est multiplicitas, nisi differenter accipiantur secundum quid, hoc est, secundum determinationem: & simpliciter, hoc est, indeterminata: quia determinata trahuntur ad aliam habitudinem qua hæc horum dicuntur: simpliciter autem accepto si hoc horum dicitur, non intelligitur nisi horum possessio: quantumcunque (sicut iam diximus) ex determinatione contingat fortasse bonum aliquod esse malorum dupliciter, & sic habere multiplex secundum amphibologiam: sed hoc non contingit in hac oratione paralogismi secundum fallaciam accidentis.

At non in hac oratione vel, &c.

Hoc autem adhuc probatur in oratione quæ dictis orationibus similis est, & in qua magis videtur esse multiplicitas quam in his quæ dictæ sunt; & tamen in ea non est multiplicitas; quæ tales orationes faciat falsos syllogismos siue apparentes elenchos: vt verbi gratia hæc, aliquod bonum est seruum mali: in hac enim oratione tres sunt nominatiui, qui ex eadem parte orationis coniungi possunt genitiuo vel ex diuersa. In præinductis autem orationibus non sunt nisi duo cum dicitur, hoc bonum est malorum: potest enim sic iungi, hoc bonum malorum est: vel sic, hoc bonum est malorum: & similiter hoc bonum seruum est malorum. Cum ergo maior multiplicitas appareat esse ex tribus quam ex duobus, & non in ista est multiplicitas quæ faciat apparentem elenchum: ergo nec in illa est multiplicitas, quæ hoc faciat, quòd sit apparens elenchus: fortasse autem nec sic, supple, sit apparens elenchus ex multiplicitate: sed potius ex cõparatione eorum quæ diuisim & eidem accidunt, vt prædictum est: non enim sequitur impediẽte fallacia, si hoc est bonum & est huius, quod coniunctim sit bonum huius.

Similiter autem neque hominem, &c.

Similiter autem neque multipliciter dicitur hoc quod dico hominem esse animaliũ. Cuius probatio est: quia si aliquid significamus oratione trũcata à quo aliquid auferimus, nec determinata & perfecta tali ablatione facimus, quòd multiplex oratio illa sit. Verbi gratia cum dicitur, homo est de numero animalium, hæc oratio non est multiplex: vnde si auferamus hoc quod dico, de numero, & dicamus hoc, est animalium, non per hoc erit multiplex: quod patet per simile: quia si Homeri vel Ouidij dicamus dimidium versum & imperfectum, tali truncatione non facimus quod est multiplex sic: sed quod subintelligitur, addendum est. Vt verbi gratia, si dicamus, da mihi, non est oratio: sed supplere oportet Iliada, Græcus accusatiuus. Has enim est liber in quo versus de Ilion (hoc est, de historia Troiana) continentur. Si dicamus versus truncatim Homeri dicentes, iram pande mihi: & subintelligitur dea: quamuis sit determinatum, tamen per hoc non fit oratio multiplex. Similiter igitur cum dicitur, hoc est horum, quamuis non addatur qualitet hoc sit horum, scilicet possessione vel partitione, non propter hoc oratio fit multiplex, præcipuè multiplicitate quæ sit causa falsi siue apparentis syllogismi: ideo manifestatio talis multiplicitatis non est vera solutio.

CAPVT III.

De solutione paralogismorum fallaciæ secundum quid & simpliciter.

Eos vero qui sunt in eo quod principaliter, &c.

HOs autem paralogismos qui sunt secundum quid & simpliciter, qui scilicet sunt in eo quod aliquid dicitur principaliter (hoc est, simpliciter hoc) vel secundum quid siue quo est (hoc est, quoad hoc) vel vbi (hoc est, secundum aliquod vbi) vel dicuntur aliquo modo (hoc est, secundum illum modum vel illum) & non simpliciter, vel dicuntur ad aliquid & non simpliciter, & generaliter secundum aliquam determinationem ad hoc vel illud determinatè, per determinationem eius quod est simpliciter, omnes illos paralogismos soluendum est considerando & comparando conclusionem ad contradictionem, considerando scilicet si oppositum conclusionis potest stare cũ præmissa. Si enim hoc cum præmissa stare potest: tunc ex præmissa non sequitur conclusio: quia cum quocumque stat antecedens, cum eodem stat consequens. Vnde si contingit conclusionem aliquam esse falsam, quod oppositum eius stat cum præmissa: tunc etiam conclusio non stat cum eodem: & sic non fuit conclusio sequens ex tali præmissa: & sic manifestata est causa falsitatis syllogismi. Huius autem ratio est, quod contraria & etiam opposita secundum affirmationem & negationem (quæ sunt simpliciter contraria vel simpliciter contradictoria) impossibile est inesse eidem secundum idem similiter & in eodem tempore: quo autem (hoc est, secundum aliquam determinationem diminuentem id quod est simpliciter) vel aliquid (hoc est, secundum partem aliquam) vel aliquo modo contingit inesse simul vtrumque contrariorum vel contradictorio

dictoriorum, vt album esse secundum dentes & non album secundum pedes: vel etiam ambo contingit esse contraria, vt hic vnum contrariorum insit quo (hoc est, secundum quid) aliud autem simplex, vt nigrum secundum pedes inest cigno: simpliciter tamen est albus: sic enim nihil prohibet eidem inesse contraria & contradictoria, vt esse album simpliciter & nõ esse album simpliciter. Vnde si probatur vnũ oppositorum inesse simpliciter, aliud autem oppositum illius probatur inesse quo siue secundum quid, nondum probatus est verus elenchus: hoc est, contradictionis syllogismus: quia contradictio est vnus & eiusdem & secundum idem simpliciter & in eodem tempore. Hoc autem est considerandum in cõclusione cõparando eã ad cõtradictionem: & hæc est solutio generalis, quæ vt adapteturad omnes paralogismos illius fallaciæ, ponitur specialiter.

Sunt autem huiusmodi omnes orationes, &c.

Sunt ergo omnes huiusmodi orationes siue paralogismi qui sunt secundum quid & simpliciter hoc habentes, hoc est, defectum contradictionis in aliqua conditione contradictionis, sicut ille qui concludit, ergo contingit quod non est, esse, & formatur sic: quod est in opinione, est: sed falsum est ip opinione: ergo falsum est. Sed falsum in opinione, non est: ergo quod non est, contingit esse. Et soluitur: quia quod in opinione est, secundum quid est: & quod simpliciter non est, falsum est: & hæc non contradicunt simpliciter non esse & secundum quid esse. Alia oratio similis isti est quod est, vt homo simpliciter non est aliquid eorum quæ sunt, vt asinus: ergo quod est, non est: & soluitur: quia non contradicunt ista, esse simpliciter aliquid & non esse hoc. Tertia autem oratio similis istis est, quæ concludit, ergo contingit eundem simul iurare & periurare: & ponatur, quòd aliquis iuret se periurare, verum iurat & bene iurat secundum quid, & secundum hoc quando simpliciter periurat: & patet solutio: quia non contradicunt, simul periurare simpliciter & bene iurare secundum quid. Alia ratio similis istis est, quæ concludit, quòd impossibile est eundem suadere eidem & dissuadere: & ponatur, quòd aliquis suadeat alicui vt dissuadeatur ei quod vult facere: hic enim secundum aliquid suadet & simpliciter dissuadet, quæ simpliciter stare possunt & non contradicunt: quia non secundum idem suadet & dissuadet.

Soluuntur autem istæ orationes respiciendo ad contradictionem, dicendo quòd aut sic dicendum: aut dicendum, quòd non sunt idem esse quid (hoc est, secundum quid) & esse simpliciter: & similiter non sunt idem non esse quid & non esse simpliciter: & hæc non contradicunt, & possunt stare simul: quod enim non est simpliciter, non propter hoc si est quid (hoc est, secundum quid) sequitur, quòd est simpliciter. Neque sequitur, si bene iurat (hoc est, quoad hoc) necesse est propter hoc & illũm bene iurare simpliciter: nã qui iurat se periuratũ, bene iurat periurans hoc, hoc est, secundum hoc: simpliciter autem non bene iurat. Neque sequitur, quòd qui dissuadet, suadet simpliciter, sed suadet secundum quid, siue quod hoc est secundum quid, suadet.

Similiter autem est etiam in hac oratione in qua concluditur, quod est simul eundem mentiri & verum esse in dicendo: ponatur enim, quòd aliquis dicat, ego dico falsum: & dicat falsum: hic enim secundum quid est verus, simpliciter autem in dicendo est mendax: & hæc stant simul & non contradicunt. Sed quia in talibus paralogismis non est facile videre vtro modo quis assignet opposita eidem inesse, vtrum scilicet verumque secundum quid vel vtrumque simpliciter, vel vnum quid & alterum simpliciter, sicut verum, scilicet quid dicat verum vel simpliciter, vel secundum quid mentiatur vel simpliciter, videtur difficile esse verum sit contradictio vel non. Prohibet autem nihil quidem eundem simpliciter esse mendacem, quo autem (hoc est, secundum quid) verum siue veracem esse: & nihil prohibet aliquo (hoc est, secundum aliquid) aliquem esse verum, simpliciter autem non verum, sicut patet in exemplo quod inductum est. Similiter autem est etiam in his orationibus, in quibus procedatur à simpliciter ad quid siue secundum quid, vt in ad aliquid, & vbi, & quando, hoc est, in determinationibus secundum quid dictis secundum ad aliquid, vel vbi, vel quando: omnes enim huius orationes à simpliciter ad secundum quid procedentes, accidunt secundum hoc, hoc est, secundum fallaciam secundum quid & simpliciter. Si quæritur, si sanitas vel diuitiæ sunt bonum: & cum conceditur, quòd sic, in contrarium itur per secundum quid sic: diuitiæ & sanitas nõ sunt bonum alicui, quia insipienti & non rectè viuẽti, sed malum: ergo idem bonum & non bonum, & idem bonum & malum. Et similiter si quæratur: ergo sanum esse vel posse in ciuitate (hoc est, potentatum habere) est bonum: & concedendo, quòd sic, inferat oppositum dicens: sed est quando non est melius vel bonum æquè, esse sanum vel potentatum habere in ciuitate, quia tempore belli: ergo idem bonum & non bonum: & sic idem eidem bonum & non bonum: hæc enim non opponuntur in diuersis temporibus, aut diuersis hominibus, sicut sapienti & insipienti, aut sicut dictum est. Solutum est etiam ad hoc dicendo, quòd nihil prohibet quod simpliciter est bonum, huic sicut malè vtenti non esse bonum: aut quod huic quidem simpliciter est bonum, non esse nunc eidem bonum, vt potentem esse in ciuitate tempore belli: vel quod huic simpliciter est bonum, non esse in hoc loco vel tempore bonum.

Similiter autem est in his quæ quærunt, si malum est quod non vult sapiens: non vult autem amittere bonum: & inferatur ex hoc: ergo non vult bonum vt simpliciter inferatur ex eo quod est secundum quid: & ex illa viterius inferatur: quod non vult sapiens, est malum: bonum amittere non vult sapiens: ergo bonum malum. Patet quòd est secundum quid: & simpliciter non vult amittere bonum: ergo non vult bonum. Et soluitur: quia non est idem dicere, amittere bonum esse malum, & bonum simpliciter esse malum, vel non bonum. Similiter autem est etiam oratio quæ est de fure si sic dicatur, quòd fur est malum: fur

Ergo quod non vult sapiens, &c.

vult

vult sumere bonum: ergo vult bonum: ergo malum bonum. Patet enim, quod fur non vult malum, sed bonum: nam sumere est bonum, cum bonum & secundum quid malum, inquantum scilicet sumitur vt a bonum. Similiter autem est in hac oratione, bonum est amittere ægritudinem: sed ægritudo est malum: ergo bonum est malum. Quia ægritudo simpliciter malum est: sed amittere ægritudinem non est malum, sed bonum: & amittere ægritudinem non est ægritudo simpliciter, sed secundum quid, prout scilicet est in amittendo.

Ergo iniustum iusto, &c.

Similiter est de oratione concludente, quod iniustum iusto, & quòd iniustè fit, eo quod iustè fit, magis est eligendum: & formatur sic in paralogismum. Magis est eligendum iniustè (hoc est, non propter malum meritum) mori, quam iustè (hoc est, propter malum meritum) mori: sed iniustè mori est iniustum, & iuste mori est iustum: ergo iniustum magis est eligendum, quam iustum. Et patet, quòd non sequitur, quòd simpliciter iniustum magis sit eligendum, quam simpliciter iustum: quoniam iniustum in hoc, & secundum quid est magis eligendum iusto in hoc: & hæc est solutio paralogismi. Similis solutio est in paralogismo simili in quo quæritur (vt ex quæstione formetur paralogismus) verum iustum est sua habere quemque sua quemliber? & dicente respondente, quod sic, aduersetur opponens dicendo: si quæ aliquis iudicat secundum propriam opinionem, & si sunt falsæ opiniones suæ, hæc singula sua ex lege suæ opinionis: ergo iustum est illa cum habere: sed si iustum est habere quemcunque sua, per oppositum iniustum est habere aliena: sed hæc ex lege suæ opinionis sunt sua: ergo idem iustum & iniustum, siue idem iustum & non iustum. Et patet solutio, quòd secundum legem suæ opinionis iustum non est iustum nisi secundum quid: & hoc est simpliciter non iustum quod fiat cum præmisso quod est iustum secundum legem suæ opinionis.

Et verum oportear iudicare, &c.

Similiter est de paralogismo formato ex tali interrogatione, vtrum oportet iudicare iudicio condemnationis & pœnæ eum qui iusta dicit, vel eum qui dicit iniusta? & dicente & respondente, quòd oportet iudicare eum qui dicit iniusta, contra opponit interrogans: at vero (hoc est, oportet) eum qui iniuriam violenter passus est, iustum est coram iudice sufficienter, scilicet quantitatem iniuriæ dicere quam passus est: ea autem quæ dicit, iniusta sunt, quia sunt iniuriæ sibi illatæ: ergo talem oportet punire, quod falsum est. Et soluitur ista oratio: primo quidem, quia non sequitur, si pati iniustè aliquid magis est eligendum quam iustè, quod propter hoc simpliciter iniustum magis sit eligendum quam iustum: sed simpliciter quidem magis eligendum iustè eo quod iniustè: hoc autem est in hoc, vel secundum hoc nihil prohibet secundum quod id quod iniustè fit, magis esse eligendum pati, quam id quod est pati iustè.

Et habere sua iustum, &c.

Similiter soluitur alius paralogismus: quia habere quemquam sua, simpliciter est iustum: alienum autem habere, simpliciter non iustum, &c. hoc nihil prohibet iudicium (quoad hoc) iustum esse. Verbi gratia, si sit iustum secundum opinionem iudicantis, quod & simpliciter sit iustum. Similiter enim quæ simpliciter iniusta sunt, nihil prohibet iniusta esse huic vel sic: non enim etiam in aliquo paralogismo sequitur, si quæ quis passus est, dicere est iustum, quòd id quod dicit, simpliciter sit iustum: sicut nec sequitur, si aliquid vtile est dicere iudici vel alij est vtile, quod ea quæ dicit, sint simpliciter vtilia: & similiter est iniustus ad dicere iniusta: propter quod non ille qui dicit iniusta, siue non propter hoc si ea quæ dicuntur ab eo qui iniuriam passus est, sunt simpliciter iniusta, ille qui dicit coram iudice hæc iniusta quæ passus est, vincitur (hoc est, conuincitur) esse iniustus & puniendus: dicit enim quæ dicere iusta sunt, secundum hoc quod est dicere coram iudice. Simpliciter autem hæc pati siue ad patiendum sunt ea quæ dicit iniusta. In rationibus autem his & similibus est vna & similis solutio. Procedunt enim omnes huiusmodi orationes vel à secundum quid ad simpliciter, vel è conuerso à simpliciter ad secundum quid. Vnde semper considerandum est ad contradictionem conclusionis, vtrum possit stare cum præmissa ex qua procedit: & sic considerandum est ad contradictionem conclusionis, & conferendum ad præmissam: quia si oppositum conclusionis stat cum præmissa, non sequitur conclusio: quia oppositum consequentis non stat cum antecedente, quamuis oppositum antecedentis benè stet cum consequente, vt patet: Æthiops est albus dentem: ergo est albus. Oppositum enim conclusionis quod est non esse album, stat cum præmissa quod est albus dentes. Et similiter est quando à simpliciter proceditur ad secundum quid: vt Æthiops est niger: ergo non est albus dentes. Oppositum enim conclusionis quod est esse album dentes, stat cum hoc præmisso quod est, Æthiops est niger: & in omnibus his conclusio est aliquid passa: quia verò procedit ur ab eo quod est secundum quid ad simpliciter, conclusio patitur defectum determinationis impropriæ quæ est in præmissa, & aufertur à conclusione. Si autem simpliciter proceditur ad secundum quid: tunc passa est conclusio appositionem determinationis impropriæ, quæ non fuit in præmissa: & sic patet, quòd conclusio semper aliquid est passa, quando consideratur contradictio conclusionis, & confertur ad præmissam.

Attendendum etiam, quod super hunc locum sophisticum fit soluto insolubilium: insolubilia autem dico quæcunque talia sunt, quæ quacunque parte contradictionis data deducuntur ad oppositum & inconueniens, siue ad redargutionem, vt hoc aliquis iurat se periurare, aut iurat verum, aut non. Si iurat se periurare & iurat verum, scilicet se periurare, nemo iurando verum periurat: ergo iste non periurat: & datum fuit, quòd periurat: sed si non periurat & iurat se periurare, non iurat verum: ergo periurat: quia aliter non iuraret verum, quando iurat se periurare: ergo periurat: quia aliter non esset verum quod periurat. In omnibus his sic secundum quid & simpliciter determinatio impropria non inferens

ferens siue simpliciter facit secundum quid, & vt sæpè in antehabitis dictum est. Nulla autem determinatio est magis impropria, quam illa in qua oppositum opposito determinatur: & hoc fit in talibus: vbi enim iurat se periturum, ibi verum iurat quoad hoc simpliciter periurat vt secundum quid verum iurat, & secundum quid simpliciter falsum: & ideò de necessitate ducitur ad vtrumque oppositorum.

Attendendum, quòd quamuis in omnibus paralogismis fallaciarum & in dictione & extra dictionem commune sit, quod oppositum conclusionis non potest stare cum præmisso: tamen hoc magis est appropriabile paralogismis fallaciæ secundum quid & simpliciter, quam aliis: quia specificatur ad hanc fallaciam per hoc quod conclusio semper consideratur vt aliquid passa per modum qui dictus est: aliquid autem passa in comparatione ad præmissam conclusio non est in paralogismis aliarum fallaciarum.

CAPVT IV.

De solutione paralogismorum secundum ignorantiam elenchi.

His autem qui secundum diffinitionem, &c.

His vero paralogismis qui fiunt secundum diffinitionem elenchi, hoc est, ignorantiam diffinitionis vel omissionem alicuius positorum in vera elenchi diffinitione, soluendum per considerationem conclusionis & comparationem ad veram contradictionem, quemadmodum scriptum est prius in huius scientiæ libro priori, vbi scriptum est, quòd quatuor specialiter considerantur in vera contradictionis diffinitione, & per illam soluentem oportet obuiare fallaciæ decipienti in paralogismis ignorantiæ elenchi, considerando scilicet & conferendo conclusionem ad veram contradictionem: hoc autem sic vt contradictio vera sit circa idem & ad idem & secundum idem & similiter & in eodem tempore: & ideo non est hæc solutio eadem cum ea quæ datur ad paralogismos fallaciæ secundum quid ad simpliciter: quia diuersis causis decipiendi diuersas necesse est adaptare solutiones falsitatem manifestantes: ibi enim contradictio conclusionis aptatur & confertur præmisso vt diximus. Hæc autem contradictio apparens (quæ est in conclusione) confertur ad veram contradictionem & non ad præmissam vt videatur quæ conditio veræ contradictionis deficit in apparente contradictione, quæ est in conclusione paralogismorum ignorantiæ elenchi. Sed in hac fallacia respondenti cautela habenda est: si enim opponens in principio interrogat ea ex quibus videtur sequi contradictio respondenti, non statim fatendum est siue concedendum, ne redargui videatur: & non est fatendum quod impossibile sit idem esse duplum & non duplum: sed post orationem factam dicendum est respondenti, quòd non sic in vera contradictione concluſit vt erat concessum verè redarguere: sed ignorauit aliquid eorum quæ pertinent ad veram redargutionem. Hæc autem generalis solutio omnibus orationibus ignorantiæ elenchi aptabilis est.

Sunt autem omnes hæ, &c.

Sunt hic hæ orationes secundum ignorantiam elenchi. Prima quidem hæc, vt interrogatur primum sic: putasne qui scit singulum per propria, nouit tem vt rem: & qui ignorat similiter, hoc est, qui ignorat singulum, quoniam singulum, verum verè ignorat rem? & dicente respondente & concedente, quòd sic obuiat opponens: & dicit, quòd sciens quis Coriscus, quoniam Coriscus in singulari, ignorat eundem vel ignorare potest quoniã est musicus, & etiam quod sit singulariter: & concludit, ergo scit idem in singulari, & ignorat siue scit & non scit. Et patet, quod deficit à vera contradictione illa quæ est secundum idem & in eodem tempore.

Putasne tetracubitum, &c.

Alia autem oratio talis est: quæratur primo, putasne tetracubitum tricubito est maius? & concedente respondente obuiet opponens dicens, quòd ex tricubito fiat tetracubitum secundum longitudinem tricubiti: sed omne maius minore maius est: ergo hoc tetracubitum quod factum ex tricubito, minus est eo quod est pars eius: & concludat, ergo idem est maius & minus eodem & secundum idem, vel idem maius & non maius. Et patet, quòd deficit à vera contradictione: quia non est in eodem tempore.

Notandum autem, quòd isti paralogismi non possunt solui per interemptionem, cum omnes præmissæ sint veræ, nec per diuisionem quæ sit distinctio multiplicis: quia nec dictio nec oratio est multiplex in eis nec per diuisionem conclusionis de præmissis, quia de necessitate concludunt: sed oportet, quòd soluantur per diuisionem apparentis contradictionis quæ est in conclusione à vera contradictione: & considerando defectum contradictionis in eis: quia peccant contradictionem, & non principaliter contra syllogismum.

CAPVT V.

De solutione paralogismorum secundum petitionem principij.

Illos autem qui fiunt in eo quod petunt, &c.

AD hos autem paralogismos qui fiunt in eo quod opponentes petunt, & absque concessione respondentis accipiunt id quod est in principio quæstum siue interrogatum, sic se debet habere respondens, scilicet si sit manifestum respondenti quod petit id quod est in principio: nec est dandum siue concedendum, sed negandum: nec etiam si probabile sit verum dicenti opponenti concedendum est, sed negandum vt inconcessum. Inquantum enim concessum est, ad modum falsi se habet: & ideò per modum interemptionis falsi soluendum, quamuis fortè in se sit probabile & verum. Si autem lateat ignorantiam respondentis propter violentiam talium orationum, quæ frequenter contingit respondentibus ex talibus orationibus: tunc debet se respondens post orationem factam transferre, &

transuertere ab oratione ad opponentem, velut contra eum qui non arguit in veritate ex his quæ ad contradictionem requiruntur & ad elenchum, qui est non ex eisdem cum conclusione, sed maioribus & prioribus elenchus: quia est & syllogismus, & contradictionis syllogismus, sine eo quod sit ex eisdem: quia idem non probat idem: & hoc facto debet respondens dicere, quod hoc quod datum est non vt quoad conclusionem propositam vteretur opponens, sed ad hoc vt opponens disputaret contrarium, & ex elenchis qui pertinent ad propositi dilatationem vel explanationem vt in prosyllogismis. Et tunc patet, quod veram solutionem non habent isti paralogismi, nec per distinctionem, nec per diuisionem: quia de necessitate concludunt, quamuis non probent res per interemptionem, quia ex falsis non procedunt: sed habent aliquid simile solutioni per interemptionem: quia non concessum interimitur per modum falsi per hoc quod est non concessum. & sic falsum est respondenti.

CAPVT VI.

De solutione paralogismorum secundum consequens.

Et eos qui per consequens fiunt concordes, &c.

AD eos qui per consequens fiunt paralogismos secundum factam consequentiam solutione monstrare eos concordes ad veram consequentiam, considerando in ipsa oratione in qua est consequentia, ita quod non referatur nec ad præmissam, sicut in fallacia secundum quid & simpliciter, nec ad contradictionem, sicut in ignorantia elenchi, sed ad ipsam solam orationem in qua est consequentia. Est autem duplex sequentium siue consequentium consequentia, ita quod semper vna est vera, & altera fallax & deceptoria. Et ideò de consequentia conuertibilium hîc nihil intendimus: quia vtraque illarum est vera: aut enim est consequentia vt id quod est particulare, sequitur affirmatiuè vniuersale, vt consequens affirmatum antecedens affirmatum: & hæc vocatur consequentia in ipso, vt hominem siue ad hominem sequitur animal: & tunc falsa consequentia est, vt affirmatiuè sequatur antecedens affirmatum ad consequens affirmatum: probant enim siue approbant aliqui decepti per consequens, quòd si hoc consequens affirmatum est cum illo antecedente affirmato, & è conuerso & illud antecedens affirmatum esse cum hoc consequente affirmato, hoc est, quòd sicut affirmatiuè consequens sequitur ad antecedens, ita è conuerso antecedens affirmatiuè sequitur ad consequens: & hoc non est necessarium: quia ad antecedens affirmatum sequitur consequens affirmatum, ita per oppositum ad consequens negatum sequitur antecedens negatum. Aut disiunctiuè cum alia consequentia è contrario quæ est inter opposita: nam si huic antecedenti illud consequens affirmatur: tunc ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedens. Vt si ad hominem sequitur animal, ad oppositum animalis quod est non animal, sequitur oppositum antecedentis quod est non homo. Sicut patet, quòd peccat Melissi oratio: sic enim arguit: si quod factum est, habet principium, ita quod ad positionem antecedentis sequitur positio consequentis: tunc quod factum non est, non habet principium, ita quod ad oppositum antecedentis sequatur oppositum consequentis: quare consequentia non valet: & sic probat cælum & mundum non habere durationis principium: quia si ingenitum est cælum non habens suæ generationis principium, sequitur quòd si non est factum per generationem, quod non habet suæ durationis principium. Hæc autem consequentia non est consequentia: quia in taliter oppositis sicut est genitum & ingenitum, è contrario & non in ipso est consequentia: & manifestare in ipsa oratione talem consequentiæ fallitatem vera est solutio.

Remouet dubium.

CAPVT VII.

De solutione paralogismorum secundum non causam vt causam.

Qui autem additur, &c.

QVia autem paralogismi fiunt in eo quod additur aliquid quod est non esse, & sic syllogizatur, quod sit (vt in priori huius scientiæ libro dictum est) maximè in syllogismis ad impossibile quando ex aliquo addito concluditur destructio vel interemptio hypothesis prius datæ à respondente, si debeant solui vera solutione, considerandum est si illud quod additum est, ablato, nihilominus quoniam composito accidit siue sequitur impossibile: & hoc viso deinde ostendendum est in consequentia aliorum, quòd hoc ita est, quòd si illo ablato adhuc sequitur impossibile: & dicendum est tunc respondenti, quoniam dedit hoc, non vt videretur quòd verè sequeretur sicut ex causa & principio oratio quæ est conclusio, hoc est, quod opponens dicit respondenti, quòd dedit id quod est non causa, vt tantum videretur ex eo sequi conclusio, sed etiam vt verè sequeretur ex ipso conclusio inconueniens interimens hypothesim. Et attende, quoniam ex ista solutione non interimitur syllogismus primus qui deducit ad impossibile, sed syllogismus secundus qui ex impossibili concluso, assumpto eo quod est non causa, interimit hypothesim. Ille enim habet causam deceptionis: & ideo in ipso per manifestationem falsitatis aptanda est vera solutio. Et patet ex dictis, quod hæc solutio est per interemptionem & non per distinctionem neque per diuisionem.

CAPVT

CAPVT VIII.

De solutione paralogismorum secundum plures interrogationes vt vnam.

Ad eos vero plures interrogationes, &c.

AD eos autem paralogismos qui faciunt plures interrogationes vt vnam, plus videndum est, in quibus pluribus responsionibus vtendum est, & in quibus vna. Vnde hoc statim in principio est determinandum à respondente. Nam interrogatio simpliciter vna est, ad quam ordinatur vna simpliciter responsio: propter quod in vna interrogatione neque interrogatur vnum prædicatum de multis subiectis, neque plura prædicata interrogantur de vno subiecto, sed vnum prædicatum de vno subiecto in simpliciter vna interrogatione: & hæc omnia in priori huius scientiæ libro sufficienter determinata sunt. Vnde in interrogatione quæ simpliciter vna est, vnum prædicatum de vno subiecto simpliciter dicendum est, vel negandum vnum prædicatum ab vno subiecto. Sicut in æquiuocis quæ plura significant actu, quandoque quidem ambobus (hoc est, secundum vtrumque sensum) inest prædicatum, & tunc in vtroque sensu vera: quandoque autem neutri, hoc est, secundum neutrum sensum inest prædicatum; & tunc in vtroque sensu sunt falsa. Ita etiam est quando interrogatio est plures, quòd scilicet in omni sensu inest prædicatum, vel neutri inest: & in tali casu licet non simpliciter sit vna interrogatio, tamen simpliciter, hoc est, vna responsione respondentibus nihil accidit pati ab opponentibus de redargutione. Sic neque in æquiuocis pati accidit, quando in omni sensu vera, vel quando in omni sensu falsa: sicut si quæratur, currunt ne Sortes & Plato? & ponamus, quòd ambo currant: & dicatur, currunt, vnica responsione, nihil procedit redargutio. Vel Plato currit ne & disputat? & ponatur, quòd nec currit nec disputat, & dicam vna responsione, non, nihil procedit contradictio ab opponente secundum veram redargutionem: licet interimatur disputare secundum apparentem solutionem; vt in principio huius secundi libri dictum est: sed secundum veram solutionem nihil contingit pati inconuenientis ab opponente. Sicut neque in æquiuocis si dicatur, canisne in omni suo significato mordax est, vel non? & dicatur, sic, quòd mordax est & latrabile & marinum & cæleste. Vel sic: canisne secundum omne suum significatum volatile est? & dicatur, non, nihil accidit pati veræ redargutionis: sed apparenter interimitur disputare.

Quando ergo plura vni vel vnū pluribus, &c.

Pater igitur, quòd quando plura prædicata insunt vni vel vnum pluribus inest subiectis, simpliciter danti vnam responsionem, vel quādo non inest vtrique si dat vnam responsionem, & delinquit secundum hoc peccatum quod vnam dat responsionem ad interrogationes quæ plures est, nihil contrarij vel inconuenientis accidit secundum veram redargutionem ab opponente nisi quia interimitur apparens disputatio. In tali ergo casu non debet vti hac arte, quòd ad interrogationem quæ est plures, plures dentur responsiones. Quando autem prædicatum inest vni subiecto, huic autem alij subiecto non inest: & vnum quidem est verum, & alterum falsum: aut quando plura prædicata interrogantur de pluribus subiectis, & contingit, quòd aliquando insunt ambo ambobus subiectis, & contingit, quòd non insunt ambo ambobus subiectis: & est etiam quando vnum inest vni, & alterum non inest alteri: tunc quidem quando ambo insunt, potest dari vna affirmatiua responsio: & quando ambo non insunt, potest dari vna negatiua responsio: & quando vnum inest vni, & alterum non inest: tunc formidandum est dare vnicam responsionem: quia tunc contingit pati inconueniens ab opponente. Vt patet in his orationibus, demonstratis duobus quorum vnum est bonum & alterum malum, quæratur, verum hoc est dicere bonum vel malum? Si enim dicat, quòd est verum dicere hoc esse bonum, sequitur quòd hoc, demonstrato malo, est bonum: ergo malum est bonum. Et si dicat, quòd verum est dicere hoc esse malum, sequitur quod bonum est malum: & rursum siue vlterius sequitur, quòd vtrumque istorum neque bonum est neque malum: quia si detur, quòd vtrumque est bonum: tunc sequitur, quòd malum est bonum: si est malum: ergo non bonum: ergo neque malum neque bonum. Et similiter est si detur, quòd hæc sunt malum, sicut patet facile cuilibet consideranti: quia deducitur ad hoc quod vtrumque istorum neque bonum est neque malum: & per consequens sequitur, quòd idem est bonum & malum, & quod vtrumque istorum neque bonum est neque malum. Non ergo danda est vna responsio, sed dicendum est, hoc est bonum, & illud est malum, vt singulis interrogationibus sua aptetur responsio.

Et si singulum ipsum sibi idem, &c.

Alia autem oratio secundum plures interrogationes vt vnam, hæc est, si vel an singulum sit sibi idem, & alij diuersum: in qua plura de vno interrogantur: & si dicat respondens vna responsione, quòd sic, opponens procedit contra eum dicens, quod quæcunque talia sunt, quod sunt sibi idem & cum hoc diuersa ab aliis, non sunt eadem aliis sed sibi, & diuersa sunt aliis non sibi: ergo sunt diuersa & eadem: ergo si vni diuersa sunt, & eadem, duabus responsionibus respondendum est, & dicendum, quòd sunt sibi eadem & non aliis, & sunt diuersa aliis & non sibi.

Amplius si bonum quidem malum, &c.

Amplius tertia oratio est. Ponantur duo, bonum scilicet & malum: & fiat de bono malum, & de malo bonum: & quæratur, vtrum ista sunt bonum & malum? & respondente, quòd sic, aduersetur opponens dicens: ergo illud fit bonum & malum & illud similiter fit bonum & malum. Vnde non vna responsione dicendum, sed pluribus sic: hoc fit malum, & hoc fit bonum. Quarta oratio est talis: sint duo homines æquales, & fiant inæquales: & quæratur, an isti sunt æquales vel inæquales? obuiet opponens, duum & æqualium vtrumquc

que sibi est inæquale & æquale, quia æquale sibi & alteri inæquale: & aliud similiter sibi æquale & alteri inæquale: ergo hoc est sibi æquale & inæquale: & aliud similiter: ergo idem æquale sibi & non æquale. Vnde non vna responsione soluendum, sed dicendum, hoc est sibi æquale, & alteri inæquale: & similiter illud aliud sibi est æquale, & alteri inæquale.

Cadunt ergo hæ orationes, &c.

Vnde aduertendum, quia ista æquiuocis similia sunt, plura actu significantibus, quod licet per se soluantur pluribus responsionibus datis ad interrogationem quæ est plures, tamen ex incidenti cadunt in alias æquiuocorum solutiones: nam hæ dictiones quæ frequenter ponuntur in pluribus interrogationibus quando vnum de pluribus vel plura de vno interrogantur, ambo plura significant, eò quod possunt pon collectiuè: & sic vnum quod refertur a! ipso, respicit vtrumque coniunctiuè vel distributiuè, & prædicatum redditur eis diuisim: & tunc non sequitur quia idem secundum rem, vt etiam nomen sit idem & respectu eiusdem in affirmatione & negatione: quia contradictio quæ est affirmatio & negatio, non est rei tantum, sed rei & nominis: & si negatur idem de re & non nomine, hic non erit verus elenchus, vt in primo huius scientiæ libro dictum est. Sed etiam sic manifestum est, quia si non fiat vna interrogatio plures, quod est de pluribus vnum vel plura de vno, sed remaneat vna & simplex interrogatio, ita quod vnum prædicatum de vno dicat siue affirmet subiecto, vel neget vnum prædicatum de vno subiecto: tunc erit impossibile concludens opposita de eodem.

Ex his patet qualis sit solutio vera in paralogismis istius fallaciæ, vtrum scilicet sit per diuisionem vel per interemptionem: est enim per diuisionem: sed diuisio est multiplex, & non est per diuisionem quæ sit distinctio, vel per diuisionem conclusionis à præmissis vel à contradictione, sed est per diuisionem veram interrogationis ab interrogatione, & responsionis à responsione: & tunc potest aptari omnibus paralogismus huius fallaciæ, & nihil accipit impossibile.

TRACTATVS IV.

De solutione paralogismorum ad alias metas ducentium quam ad redargutionem.

CAPVT I.

De solutione eorum qui ducunt ad solœcismum.

EXPEDITIS his quæ de solutione paralogismorum ad redargutionem ducentium dicenda esse videbantur, nunc de his quæ ad metam fugationis & solœcismi ducunt, dicendum, qualiter recta solutione soluenda sunt: & primo de his quæ ducunt ad negationem dicendum est. Dicamus igitur, quòd in illis paralogismis qui deducunt ad idem frequenter dicere, siue ad negationem, manifestum est, quòd recta solutione non est dandum siue concedendum, quòd ea quæ sunt de numero eorum quæ sunt ad aliquid secundum seipsa & non secundum genus suum in quibus intelliguntur actu sua correlatiua, quod prædicationes eorum (quando per se ponuntur & in oratione cum suis correlatiuis & non coniunguntur) quòd taliter posita per se aliquid diffinitum significent: sed omne significatum eorum dependentiam habet ad aliud: vt duplum per se positum sine eo quod in oratione cum suo correlatiuo adiungatur, vt dicatur duplum dimidij duplum, nihil diffinitum significat: & hoc ideò est: quia suum correlatiuum in eo (hoc est, in dependentia eius intellectus) ad dimidium videtur siue intelligi datur: vnum enim relatiuorum intelligitur in alio: & ideò (vt ait Porphyrius) in vtrisque relatiuis necesse est vtrorumque rationibus vti. Et hoc à simili probatur: quia si pars nominetur in voce, prout habet dependentiam ad totum & relationem, tunc in nomine partis totum intelligitur: sicut decem intelliguntur in nouem, quod sic nominantur nouem, quia nouem sunt vno minus decem siue quam decem: quia sic nominatur totum: vel species numeri per se sumpta, scilicet vt pars decem: & ideò oportet, quòd decem in ipsis per dependentiam intellectus intelligantur: quod non esset si nouem absolutè nominaretur. Et hoc modo facere vt pars intelligitur in non facere, vt pars materialis, & potentia ad actum negationis: quia nihil negatur nisi affirmatio: & ideò hoc modo vniuersaliter in omni negatione intelligitur dictio siue affirmatio: quia nihil nisi affirmatio negari potest: nec aliquid intelligi potest negari nisi affirmatio: quia non potest intelligi aliquid diuidi nisi quod compositum est. Et quamuis affirmatio vt causa præcedat negationem, tamen in intellectu affirmationis non est negatio, sed è conuerso propter

propter rationem dictam in intellectu negationis est affirmatio.

Non tamen siquis debet hoc non esse, &c.

Sed quamuis ita sit, non debet propter hoc aliquis putare, quòd omne quod negatur, affirmetur. Non enim siquis dicit hoc non esse album negando, eo ipso dicit ipsum esse album affirmando: quia (sicut diximus) affirmatio non est in negatione sicut exercita & in actu existens, sed sicut materia & potentia circa quam est negatio, ita quod circa aliud esse non potest, & in intellectu negationis est hoc quod circa alterum non sit. Similiter autem duplum per se nihil significat definitum sicut nec negatio: & hoc dicit Aristot. neque significat nihil, quod more Græcorum altera negatio superfluit. Dico autem, quòd nihil significat diffinitum, quemadmodum diffinitè significare potest quod per dependentiam sui intellectus indiuiduatur, vt in correlatiuo sui ad quod est & dicitur. Quod ergo in illis paralogismis qui deducunt ad negationem per rationem relatiuorum est, notandum est, quòd si relatiuum per se positum nihil diffinitè significat, & correlatiuum eius intelligitur in ipso quando per se ponitur. Secundo autem notandum, quòd si relatiuum forte sè aliquid significat indiffinitè, ita quod intellectus eius indiffinitus ad alterum dependet, & ideo in ipso correlatiuum eius intelligitur: tunc notandum, quòd idem significat etiam copulatum in oratione cum suo correlatiuo: quia tunc determinatum est per adiunctum sibi in oratione, & non dependet ad alterum: & ideo tunc non intelligitur in ipso. Et ideo cum ducens ad negationem dicit, duplum dimidij duplum: & in duplo intelligitur dimidium; ergo est duplum dimidij duplum dimidij duplum. Dicendum & soluendum per interemptionem: quia cum in oratione copulatur dimidio duplum: tunc in ipso non amplius intelligitur: quia tunc per aliud iunctum sibi est diffinitum: & tunc non potest ducere ad negationem. Cum autem dicimus duplum aliud & aliud per se positum in oratione positum significare, accipimus largè significare, secundum quod omne illud in oratione significari dicitur, quod datur intelligi per significationis eius modum & rationem: & non intelligimus per hoc fieri æquiuocum duplum quod per se ponitur & in oratione.

In illis autem qui deducunt, &c.

Neq; scientia in specie, &c.

Similiter autem est in his relatiuis quæ secundum suum genus ad aliquid sunt. Si enim accipiamus scientiam in specie quæ est medicina, scientia est, ipsum quidem commune considerantes quod est scientia, illud pro certo est ad aliquid: quia scientia est scibilis scientia: & illud quidem commune quod est scientia, per se sumptum, nihil diffinitum significat: & tunc intelligitur in ipso id ad quod dependet intellectus eius, sed non copulatur idem in oratione, iam non amplius intelligitur in ipso: quia copulatum ei finit ipsum: & tunc non amplius intellectus dependet: & ideo propter hoc quod intelligatur adhuc in ipso, opponens ad negationem ducere non potest. Sic ergo per interemptionem huius propositionis siue suppositionis quod relatiuum idem per se & in oratione significat, soluitur habent tales ad negationem ducentes paralogismi.

In his autem & per quæ ostendantur, &c.

Sed quia secundus modus ducendi ad negationem fuit per propriam passionem in quantum intelligitur subiectum, ideo ad solutionem illorum notandum, quòd in his prædicatis siue passionibus per quæ subiecta ostenduntur sicut intellecta in ipsis & contenta in diffinitionibus eorum, hoc idem dicendum est, & similiter soluendum per eiusdem suppositionis interemptionem. Dicendum enim, quòd non idem passio significans extra per se posita & in oratione diffinitiua, in qua cum suo subiecto copulantur & determinantur & diffiniuntur, intellectus est per ipsum: sed cum est in oratione non amplius intelligitur in ipsa subiectum cauum, siue cauum (quod melius est) communiter acceptum, quod in genere significat, prout determinatur in simo quòd est nasi cauitas: & in rito siue claudo quod est tibiæ curuitas: vtraque autem significat depressionem in profundum à recto nasi & à recto tibiæ: additum autem subiecto in oratione nihil prohibet (additum dico) hoc quidem eidem naso: vt cum dicimus, nasus simus: illud autem, scilicet ritum vel claudum cruri: vt cum dicimus crus ritum vel claudum; aliter quam prius significare: quia tunc significat cauum vel curuum determinatum & specificatum per subiecti additionem sicut genus determinatur per differentiam. Nam huic additum, scilicet naso, significat simum: sed nasus curuus significat explicitè idem quod simus significat implicitè. Illud autem curuum additum cruri, significat ritum vel claudum: & tunc potest addici determinationi qua determinatur generalis ratio curuitatis: & sic nihil differt dicere, nasus simus, & nasus cauus: & ideo quando in oratione additur subiecto subiectum, non amplius intelligitur in illo: & ideò non potest duci ad negationem.

Amplius non est danda dictio, &c.

Amplius hoc in talibus notandum est, quòd cum in talibus in prædicationibus non sit prædicatio essentialis, sicut est in his quæ sunt in primo modo dicendi per se, sed est prædicatio causæ: non est danda siue concedenda esse inter subiectum & passionem dictio siue prædicatio affirmatiua per essentialem significantem prædicationem; vt quando dicitur, homo est animal: falsum enim esset si prædicatur subiectum de passione: sed per aliquam prædicationem, vt dicatur cauitas nasi: & per denominationem, vt dicatur curuitas nasi vel nasus curuus: denominatiua enim non dicunt essentialem prædicationem: non enim est simum nasus cauus essentialiter, sed simum est nasi, vt hæc passio huius subiecti. Propter quod nihil inconueniens accidit secundum negationem si dicatur nasus simus: quia passio in oratione additur subiecto, & est idem quod nasus habens cauitatem nasi: & tunc non amplius intelligitur in illo, & non potest deduci ad negationem.

CAPVT II.

De solutione paralogiſmorum ducentium ad ſolœciſmum.

De ſolœciſmis autem ſecundum quid, &c.

DE ſolœcimis autem ſecundum quid vel quod dicitur accidere hiue generati ſolœciſmus, diximus prius in libro priori huius ſcientiæ. Quando autem ſoluendum eſt huiuſmodi paralogiſmos, nunc dicendum eſt. Dicimus ergo, quòd in ipſis orationibus erit manifeſtum, ſi qualiter ipſa oratio congrua ab incongrua diuidatur, ſit manifeſtum. Vnde quamuis non diſtinguatur in eis multiplex vel interimatur, tamen ſoluendæ ſunt tales orationes per diuiſionem cõgrui ſiue continui ab incongruo ſiue incontinuo: omnes enim huiuſmodi orationes ad ſolœciſmum ducentes hoc volunt ſcire & conſtruere, quòd oratio ſit incongrua: & hoc patet maxime in commutatione caſus obliqui in rectum vel recti in obliquum, vel obliqui in obliquum: ſecundum mutationem enim caſus maxime fit: poteſt tamen & fieri in aliis, ſed in commutatione caſus magis eſt manifeſtum, vt patet hic vbi commutatur accuſatiuus in nominatiuum: vt putas omne quod tu dicis eſſe, hoc vere eſt? ita quod hoc ſit nominatiui caſus, & omne quod accutatur: & aſſumat ſic: dices autem quid ſiue aliquid eſſe lapidem: & conſtat ab accuſatiuo & non fuit nominatiuo: & concluditur, eſt ergo quid hoc eſſe lapidem: & commutatur in concluſione nominatiuum & accuſatiuum, aut notat ſubiunctionem ſolutionis ad paralogiſmum: vt ſi dicimus quod dicere lapidem, & non eſt dicere quod in nominatiuo, ſed eſt dicere quod in accuſatiuo: nec eſt dicere hoc in nominatiuo, ſed eſt dicere hunc in accuſatiuo. Cuius ſignum eſt, quod ſi dicat aliquis, putaſne quem vere dicis eſſe, hunc eſt: ita quod accuſatiuus verbo eſt ſupponere videatur: tunc ſtatim ab omnibus videtur, quod non loquitur Romanè, hoc eſt, congruè: & ideò nullus talem concedit orationem: ſicut nec concedit quod congrua in genetum mutatione: vt ſi dicat, putaſne quem tu dicis eſſe in fœminino genere, eſt hic in maſculino? hanc enim nullus concedit: ergo nec illam.

Aduertendum autem, quòd in maſculino & fœminino differũt caſus rectus & accuſatiuus, & accuſatiuus multum differt ad apparentem faciendum paralogiſmum. Lignum autem quod neutri generis eſt, & tres caſus ſimiles habet, quod quæcunque alia neutra neque maſculinum neque fœmininum ſignificant: nec hoc differt quoad vocem in commutatione accuſatiui in nominatiuum quod ſimiles ſunt nominatiuus & accuſatiuus in voce: & ideò licet ſit in re ſicut in aliis, tamen in voce non differt: & ideò in voce non videtur facere paralogiſmum quare ſit ſolœciſmus. Sed ſic dicatur: Quod dicis eſſe, hoc eſt: lignum autem dicis eſſe: ergo lignum eſt. Non videtur eſſe ſolœciſmus: quia accuſatiuus & nominatiuus in neutro genere ſimiles ſunt: vnde cum ſit ſolœciſmus in talibus eſt ſecundum rem, non tamen eſt ſecundum vocem: lapis autem & omne quod proponitur articulare pronomen, hic, maſculinam habent declinationem & caſus diſformes: & ideo in aliis magis apparet ſolœciſmus, vt patet.

Quod ſi quis dicat, putaſne eſt hic in maſculino genere, illa in fœmenino? & concedente reſpondente, rurſum quærat de hoc qui fuit ſignificatus per hic, an eſt hic Coriſcus? & reſpondens dicit & ita, hic eſt Coriſcus: & inferat opponens contra eum qui conceſſit primò, quod hic eſt illa: ergo hic Coriſcus eſt illa. Solutio autem eſt, quòd dicatur, quod non ſyllogizauit ſolœciſmum verum: quia commutauit hunc in illam, ſub maſculino fœmininum aſſumens. Nec etiam ſi ponatur, quod Coriſcus ſignificat idem quod illa, ſicut hic Coriſcus eſt illa ſubſtantia: & non det ſiue concedat reſpondens illa idem ſignificare in accidente generis & caſus: tunc iterum non fit ſolœciſmus reſpondenti: quia non redargui videtur: quia non conceſſit oppoſitum: ſed oportet reſpondentem & illa idem ſignificare ad interrogare, hoc eſt, cum rei ſignificatione interrogare conceſſionem reſpondentis. Si autem hic neque illa ſecundum rem, neque dat hoc reſpondens: tunc opponens non ſyllogizauit apparentem elenchum: neque quod hic eſt illa ſecundum rem, neque ad eum ſiue contra eum reſpondentem qui interrogatus eſt. Similiter autem oportet ad hoc quod videatur eſſe paralogiſmus, & illic in primo inducto exemplo lapidem in accuſatiuo caſu ſignificare hic in caſu nominatiuo: & propter hoc concedat reſpondens, ſi apparens debeat fieri ſolœciſmus: ſi autem hoc neque eſt ſecundum rem, neque datur à reſpondente, non eſt dicendum, quod concluſio ſit ſolœciſtica, ſiue elenchi ad ſolœciſmum ducentis.

Quod ſi quis dicat, putaſne, &c.

Apparet autem ſiue apparens elenchus ſit in neutro: eo quod diſſimilis in re ſimilis videtur in voce caſus nominatiui neutri, vt nominatiuus & accuſatiuus caſus. Exemplum eſt, ſi true verum dicere, quoniam eſt iſta fœmina id quod ait eſſe: eſſe autem iſtam ait aſpidem: ergo iſta eſt aſpidẽ: mutatur rectus in obliquum qui eſt accuſatiuus, aut autem pro nota diſiunctionis ſolutionis ad paralogiſmũ, dicimus quod neceſſe ſi iſta quod ponitur in præmiſſa, non ſignificat aſpidẽ in accuſatiuo caſu, ſed ſignificat idem quod aſpis in nominatiuo. Itiam autẽ in accuſatiuo ſignificat aſpidem in accuſatiuo & nõ in nominatiuo. Neque in alio exemplo in quo commutatur obliquus accuſatiuus in rectum: vt ſi dicatur quærendo, ſi quod dicis eſſe hunc, eſt hic? Dicis autem Cleonem eſſe: eſt ergo hic Cleonem: mutatio eſt nominatiui in accuſatiuum. Et ſoluendum, quoniam non eſt hic in nominatiuo Cleonem in accuſatiuo: dictum eſt enim in præmiſſa, quoniam quando in accuſatiuo caſu dicis eſſe hunc in accuſatiuo caſu, ille eſt hic in nominatiuo, & non in accuſatiuo: & ideò non eſt hunc, ſed hic: neque enim Romane (hoc eſt, Latine & congruè) dicetur ſi ſic fiat interrogatio

Apparet ergo eo quod diſſimilis caſus.

gatio dicta, putaſne ſi quem dicis eſſe, hunc eſt? quia accuſatiuus ſupponere non poteſt verbo tertiæ perſonæ: & ideo patet, quod ſolœciſmus eſt ex mutatione nominatiui in accuſatiuum. Alia iterum oratio ſimilis eſt iſti, ex mutatione obliqui in rectum: vt ſi quæratur ſic, putaſne ſcis hoc? hoc autem eſt lapis: ergo tu ſcis lapis. In præmiſſa enim hoc eſt accuſatiui caſus: aſſumit autem in nominatiuo cum dicit, hoc autem eſt lapis, & infert in nominatiuo ſecundum quod terminat tranſitionem verbi quando dicit, ſcis ergo lapis: & ſic fit ſolœciſmus: vnde aut nota ſubiunctionis eſt: vnde non idem (hoc eſt, in eodem caſu) ſignificat hoc: quia in præmiſſa eſt in accuſatiuo cum dicitur, ſcis hoc: cum autem dicitur, hoc eſt, hoc in aſſumpta accipitur in nominatiuo: vnde in prima quidem ſignificat hunc in accuſatiuo, in poſteriori autem ſignificat hic in nominatiuo.

Putaſne cuius ſcientiam habes, &c.

Alia eſt oratio ex mutatione obliqui in obliquum: vt ſi quæratur ſic, putaſne cuius ſcientiam habes, ſcis hoc? & dicente reſpondente, quod ſic, in contrarium procedat opponens, ſic aſſumens: ſcientiam autem habes lapidis: & concludat, ergo tu ſcis lapidis: poſitio enim cuius eſt genitiui caſus, hoc autem accuſatiui cum dicitur ſcis hoc, & ſub ipſo concluditur genitiuus cum dicitur, ſcis ergo lapidis: cum deberet concludere accuſatiuum. Vnde ſubiunctiue ponendo, aut, dicit Ariſt. ſoluens hunc paralogiſmum, aut huius quidem lapidis in genitiuo eſt ſcientia: ſed in aſſumpta dicis te ſcire hunc lapidem in accuſatiuo. Datum eſt autem à reſpondente, quòd cuius ſcientiam habes, ſcis hoc in accuſatiuo: & non eſt datum, quòd ſcis huius in genitiuo: & ideo accidit ſolœciſmus: ſed datum eſt, quòd ſcis in accuſatiuo: propter quod non eſt datum quod ſcis lapidis, ſed quod ſcis lapidem: & hæc eſt vera ſolutio manifeſtans cauſam falſitatis orationis ſecundum congruum vel incongruum, ſecundum quod dicitur verum Latinum vel falſum, ſecundum quod aliquis Romanè vel non Romanè loquitur.

Quoniam ergo huiuſmodi orationes, &c.

Manifeſtum eſt igitur ex inductis ſolutionibus, quoniam huiuſmodi orationes non verè ſyllogizant ſolœciſmum: & iam dictum eſt de cauſa apparentiæ propter quam hæc videntur apparentem ſyllogizare ſolœciſmum: & etiam quomodo talibus orationibus eſt obuiãdum per ſolutionem veram, manifeſtum eſt ex his quæ dicta ſunt circa veram ſolutionem.

TRACTATVS V.

De acribus & acerrimis orationibus.

CAPVT I.

De acrium & non acrium orationum diſtinctione.

SOLVTIS iam recta ſolutione omnibus orationibus ad metas ſophiſticæ diſputationis ducentibus, nunc agendum eſt de orationibus quæ dignæ ſunt ſolui, & quæ indignæ quæ diſputandæ ſunt à reſpondente. Dicimus igitur, quòd oportet intelligere reſpondentem primò ſecundum generalem diuiſionem orationis: quoniam generaliter omnium orationum ſophiſticarum aliæ ſiue quædam ſunt faciles conſpici ad ſoluendum: aliæ autem ſiue quædam ſunt difficiles conſpici, ſecundum quid, quantum ad apparentiam, & in quo quantum ad non exiſtentiam paralogizant audientem reſpondentem qui audit opponentem. Frequenter enim faciles otationes eædem in genere vel ſecundum vnum & eundem locum ſophiſticum ſunt illis difficilibus ſcilicet, faciles enim frequenter ſunt ſecundum eundem locum ſophiſticum ſecundum quem ſunt difficiles. Nam eandem orationem quantum ad cauſam apparentiæ & non exiſtentiæ, oportet variare cum alia oratione quæ ſit ſecundum idem, hoc eſt, ſecundum eundem locum ſophiſticum. Vnde eadem oratio facilis & difficilis aliis quidem ſiue diuerſis reſponſionibus videtur eſſe ſecundum dictionem: hoc autem ſecundum fallaciam in dictione: aliis autem reſponſionibus videtur eſſe ſecundum accidens vel alium locum ſophiſticum extra dictionem. Et huius cauſa eſt: quia nunquam ſophiſma tranſlatum ad diuerſos reſpondentes, vel melius ad diuerſas orationes ſecundum quamliber fallaciam non ſimiliter eſt manifeſtum: ſed vna eſt oratio ad conſpiciendum facilis, & alia difficilis ad conſpiciendum quamliber fallaciam.

Oportet autem intelligere, &c.

Eadem ergo eſt videre in his orationibus quæ ſunt ſecundum æquiuocationes qui, modus paralogiſmorum eſt facillimus: eo quod in ſermone (quem continuè vſitamus) euenit, quod ſcilicet quædam in æquiuocatione ſunt orationes ſiue paralogiſmi faciles, & quædam difficiles: hæc enim quædam æquiuocorum etiam à quibuſlibet reſpondentibus conſpici ſunt manifeſta, vt in æquiuocis per caſum & fortunam: nam etiam orationes paralogiſmorũ ſecundum dictionem pene omnes, ſcilicet communes ſunt ridiculæ, hoc eſt, ridiculoſæ

Quemadmodum eadem ſunt in his quæ ſecundum æquiuocationem, &c.

& faciles ad ſoluendum, vt patet per inductionem in omnibus, & maximè in æquiuocatione. Vt patet per exemplũ ſi dicatur, vir ferebatur gradatim ſedens: quæ oratio eſt multiplex: eò quod gradatim poteſt ſumi à gradior dexis, verbo: & ſic oratio eſt falſa: quia ſedens vt ſic non ferebatur. Vel poteſt ſumi à gradus: & ſic oratio eſt vera: quia ſedens ferri poteſt per gradus geſtatorios: & hoc quilibet conſpicere poteſt. Et in alio exemplo ſimiliter, Boreas eſt purus: ſi enim dicatur purus, quia innocens, oratio falſa eſt: quia ſic Boreas non eſt purus: quia perdidit & afflixit frigore pauperes. Si verò purus ſit nubibus depuratus, ſic Boreas eſt purus, quia diſſipat nubes. Et in tertio exemplo, vtra boum parier ante? & reſpondetur, quòd neutra: ſed poſterius, hoc eſt, per poſteriorem corporis partem ambæ: quia porta generationis poſterius eſt. Eſt tamen oratio æquiuoca: quia ante poteſt dicere prius tempore vel loco, vel partem corporis anterius. Eodem autem modo & aliarum orationum & penè plurium quæ in communi ſermone vtantur, plures ſunt faciles: illæ autem aliarum orationum (quæ ſecundum æquiuocationem ſunt) ideò difficiles ſunt, quod etiam peritiſſimos latere videntur.

Signum autem horum, &c.

Huius autem probatio eſt per ſignum: quoniam etiam peritiſſimi litigant ſæpe de nominibus. Vt verbi gratia, vtrum idem ſiue vnum ſignificat vno modo dictum de omnibus, & ſimiliter ens & vnum vel aliquid & huiuſmodi, quæ per prius & poſterius dicuntur de omnibus: alij autem hoc non dicunt vno modo per vnam rationem dici de omnibus. Secundum etiam rationem Zenonis & Parmenidis & Meliſſi qui vnum omnia eſſe dixerunt, ſoluunt in eo quod multipliciter dicant dici vnum, eos de ſubſtantia & accidente, nec eſſe omnia vnum & ens vnitate generis & rationis, ſicut ante dictum eſt in æquiuocatione eſſe faciles ad ſoluendum & difficiles orationes. Similiter autem etiam eſt in accidente, & in his ſingulis locis ſophiſticis in dictione & extra dictionem, quod aliæ quidem de numero orationum ſiue paralogiſmorum ſunt faciles veri, hoc eſt, ad conſpiciendum qualiter ſoluantur: aliæ verò ſecundum eaſdem fallacias ſunt difficiliores: vnde in orationibus quibuſlibet ſumere in quo genere locorum ſophiſticorum ſit, & vtrum ſit verè elenchus vera concludens contradictionem, vel non elenchus in aliquo contra contradictionem non facile ſimiliter (hoc eſt, ſecundum vnam ſimilitudinem) eſt in omnibus: ſed in quibuſdam eſt facilius, in quibuſdam autem difficilis. Sic ergo patet qualiter quædam oratio eſt difficilis, & quædam facilis ad ſoluendum.

Eſt autem acris oratio, &c.

Eadem autem oratio quæ difficilis eſt in ſe, acris dicitur in comparatione ad reſpondentem: quia acrem facit eum & morſum ſua difficultate: vnde acris oratio eſt, quæ maximè facit dubitare reſpondentem, eò quod hæc maximè mordet & tenet & impedit reſpondentem qualiter ſoluenda ſit. Et hæc ſubdiuiditur: quia duobus acris eſt duplex: hæc enim vna ſcilicet eſt in orationibus ſyllogizatis, quæ non peccant in forma, ſed in materia, ſcilicet illa de qua dubium eſt quam interrogationum ſiue præmiſſarum eligat quis reſpondentium ad interimendum, vtrum ſcilicet maiorem vel minorem: & ita mordet reſpondentem. Illa autem alia dubitatio acris eſt in orationibus litigioſis ſiue non ſyllogizatis, niſi apparenter, ſicut in his quæ peccant in forma ſyllogiſmi: in illis enim dubitatur quomodo aliquis dicat reſpondendo & ſoluendo propoſitum ſiue de propoſito quod vera ſolutione volunt ſolui.

Eſt autem ſyllogiſtica oratio quidem acerrima, &c.

Eſt autem quidem ſyllogiſtica ſiue ſyllogizata quidem, ſed peccans in materia acerrima (hoc eſt, valdè acris) ſed ex qua maximè apparentibus præmiſſis ſiue probabilibus & falſis quàm maximè probabile interimitur. Et hæc quidem eſt cauſa & ratio, quare cum vna eſt oratio (hoc eſt, ſyllogiſmus oſtenſiuus ex probabilibus concludens probabile) tranſpoſita in duobus conuerſiuis ſyllogiſmis contradictione, hoc eſt, ſumpto contradictorio concluſionis cum altera præmiſſarum omnes probabiles habebit paralogiſmos, tres ſcilicet, vnum oſtenſiuum qui concludit ex probabilibus falſum: & alterum oſtenſiuum qui cum contradictorio concluſionis cum maiori propoſitione concludit oppoſitum minoris: & alium conuerſiuum qui ex contradictorio concluſionis ſumpto cum minori præmiſſa concludit oppoſitum maioris: & ſic omnes ſyllogiſmos tres, oſtenſiuum ſcilicet & duos conuerſiuos ſecundum vnam ſimilitudinem probabilem habebit: & reſpondens in talibus cruciatur neſciens quo ſe vertat ad reſpondendum orationi: talis enim oratio ſemper in omnibus ſyllogiſmis oſtenſiuis & conuerſiuis ſecundum vnam ſimilitudinem probabilem vel interimet vel conſtruet negando vel affirmando: quoniam affirmatiua & negatiua in talibus æqualiter ſunt probabiles: propter quod neceſſarium eſt dubitare reſpondentem quid eligat ad reſpondendum.

Maximè ergo inter ſyllogizatas eſt huiuſmodi oratio acris & amara quæ facit concluſionem ex interrogationibus ſiue præmiſſis quæ ſunt ex æquo probabiles, & in oſtenſiuis & conuerſiuis ſyllogiſmis. Secunda autem poſt iam acris eſt, quæ concludit oſtenſiuè ex omnibus præmiſſis ſimilibus & falſis probabilibus: hæc enim ſimiliter (hoc eſt, ſecundum vnam ſimilitudinem) faciet dubitare quæ interrogationum præmiſſarum interimenda ſit, quando per interemptionem ſoluendum eſt: hoc autem eſt difficile & acre: quia reſpondens tunc ſcit propter concluſionem falſum, aliquam præmiſſarum interimendam: quam autem interimendum ſit vtrum maiorem vel minorem eſt difficile videre & dubium: hæ igitur orationes inter ſyllogizatas ſunt acriores.

Maximè ergo huiuſmodi acris, &c.

Litigioſarum autem ſiue non ſyllogizatarum orationum quæ in forma ſyllogiſmi peccant, acris vna quidem eſt quæ primum quidem ſtatim dubia eſt, vtrum ſyllogizata eſt vel non, & vtrum ſecundum falſum quod in concluſione eſt per interemptionem vel ſecundum

Litigioſarũ autem acerrima, &c.

dum diuiſionem ſiue diſtinctionẽ ſit ſolutio: & hæc quidem eſt acris ſiue acerrima: quia in illa ex plũribus eſt dubitatio. Secunda poſt iſtam acris, eſt inter litigioſas ſiue non ſyllogizatas, quæ quidem manifeſta eſt, quoniam quidem ſoluenda eſt vel per diuiſionem vel per interemptionem. Non autem euidens eſt per quam interrogationum præmiſſarum, vtrum ſcilicet maioris vel minoris debeat ſolui per interemptionem vel per diſtinctionem: quia neſciunt vtrum maior vel minor interimenda vel diſtinguenda ſit, & vtrum ſecundum concluſionem vel aliquam interrogationum præmiſſarum interimendo vel diſtinguendo ſoluendum ſit, præcipuè ſi præmiſſæ quæ ſumuntur ad talem concluſionis falſæ illationem ſint valdè improbabiles & valdè falſæ.

Quãdoque non ſyllogizata oratio facilis eſt, &c.

Adhuc autem & aliam diuiſionem tales habent orationes: quandoque enim propoſitionum ſua grauitate quam faciunt, non ſunt digna quædam deſpici, hoc eſt, quod à reſpondente deſpiciantur, aliquando autem deſpicienda ſunt ſicut nullam habentia grauitatem: nam quando opponens intendit probare falſum, & deeſt ſibi aliqua talium præmiſſarum interrogationum, ita quod omittit eam de qua tota vel maximè ſequitur oratio ſiue ſolutio intenta, & propter quam ſequitur concluſio ſicut effectus propter cauſam, & ipſe opponens non aſſumit hanc vt præmiſſam, tunc non ſyllogizat concluſionem intẽtam, & fatuus eſt ſyllogiſmus: quia tunc malè ex vitio proprio opponit, & non ex vitio orationis: & hoc quilibet ſtatim videt: & ideò oratio deſpicienda eſt. Quandoque autem omittit aliquam cauſarum quæ extrinſecus aſſumuntur aliquando ad explanationem propoſiti vel ad dilatationem: tunc non propter hoc deſpiciendus eſt opponens vllo modo: ſed tunc oratio quidem eſt habilis ad concluſionem, ſed ipſe interrogans increpandus eſt, quòd non bene interrogat: quia non ſufficienter explanat quod interrogat.

Et quemadmodum ſoluere, quandoque, &c.

Oportet enim ſcire, quòd quemadmodum contingit tripliciter ſoluere, ita tripliciter contingit interrogare ſiue opponere. Eſt enim quodammodo ſoluere bene quandoque & hoc eſt ſoluere ad orationem: quandoque autem contingit ſoluere apparenter, & hoc eſt ſoluere ad interrogationem: quandoque autem cõtingit ſoluere neutro modo neque verè neque apparenter, ſed tantum interimere impediendo opponentem. Per cautelas enim ſimiliter tripliciter contingit interrogare & ſyllogizare ad poſitionem intentam ſiue conſtruendo ſiue deſtruendo, quod eſt verè & benè opponere: & eſt opponere ad hominem reſpondentem ſcilicet, quod eſt apparenter opponere: & ad tempus occupandum impediendo reſpondentem: & tunc pluris temporis egens eſt ſolutio vt deliberet reſpondens quomodo de his reſpondeat quæ inutiliter opponit interrogans, quam ſit diſputatio principalis quæ præſentis temporis eſt inter opponentem & reſpondentem inquantum tempus exigitur ad veram propoſitæ diſputationis ſolutionem.

CAPVT II.

De epilogis dictorum in topicis & in hoc libro toto.

Ex quantis igitur & qualibus, &c.

FInem igitur imponere intendentes iſti toti negotio quod de arte eſt inueniendi in topicis & in hoc libro tradita, dicimus quòd ex dictis in topicis & in hoc libro, ſatis manifeſtum eſt ex quantis ſiue ex quot locis ſophiſticis, & ex qualibus (quoad formas paralogiſmorum) & quibus diſputationibus ſiue generibus diſputationum fiunt & generantur paralogiſmi: hoc enim iam in priori huius ſcientiæ libro determinatum eſt, ſecundum quod paralogiſmi ducunt ad redargutionem. Et iterum oſtenſum eſt in eodem priori libro, quomodo oſtendimus falſum per paralogiſmos ad falſum ducentes. Et iterum in eodem determinatum eſt, qualiter aliquem facimus dicere & concedere id quod eſt extra opinionem per paralogiſmos ad opinabile ducentes. Amplius in eodem libro priori determinatum eſt, ex quibus cauſis apparentiæ & non exiſtentiæ accidit ſyllogiſmus ſophiſticus, & quis eſt ordo interrogationum, hoc eſt, quo ordine (quantum ad cautelas) oportet interrogare. Amplius autem in principio huius ſecundi libri dictum eſt, & in principio primi, ad quid ſunt vtiles omnes huiuſmodi ſophiſticæ orationes: & in ſecundo iam habito huius ſcientiæ libro determinatum eſt ſimpliciter de omni reſponſione & quoad modum apparentis reſponſionis, & quoad modum veræ reſponſionis ſecundum ſingulas fallacias, & quomodo ſoluendum diſputationes cautelarum, & quomodo ſoluendum ſyllogiſmos ſophiſticos qui ſunt paralogiſmi. Et hæc quæ dicta ſunt, ſufficiant ad intentionem præſentem.

Reliquum autem eſt de eo, &c.

Reliquum (quantum ad epilogandum etiam ea quæ ſunt de eo quod eſt artis inuentiuæ) dicendum de eo quod ex principio artis inuentiuæ (quam in topicis tradere incepimus) nobis reminiſcentibus epilogaliter dicere propoſitum erat, breuiter etiam illa epilogando, & ſic finem imponere dictis quantum ad artem inuentiuam quæ in topicis & in elenchorum libro determinatur.

Ergo ſumpſimus inuenire, &c.

Dicimus ergo, quòd in principio primi topicorũ ſumpſimus ſiue aſſumpſimus nobis & propoſuimus nobis inuenire poteſtatẽ (hoc eſt, facultatẽ) methodi vel artis quandam ſyllogiſticam de propoſito (hoc eſt, per quã poſſemus ſyllogizare ad omne probabile propoſitum) ex his quæ arti & propoſito inſunt locis & conſiderationibus, & ſunt quam probabiliſſima. Ex probabilibus enim opus dialecticæ per ſe eſt procedere, & tentatiuæ quæ eſt dialectica quædam. Quoniam autem in hoc conformatur ad eam ſophiſtica quæ procedit ex apparenter probabilibus propter ſophiſticæ vicinitatem ſiue conformitatem ad dialecticam, vt ipſa dialectica interrogando & opponendo non ſolum poſſit experimentum ſumere ignorantiæ per modum opponendi & interrogandi

quod

(quod est officium & actus inquirétis,& quod in prima parte octaui topicorum tradidimus) sed etiam sic dialectica quasi ictens facultas, quod in eadem parte octaui topicorum docuimus per modum & ordinem responsionis: quia responsio opus & actus scientis. Propter hoc non tantum dictum opus octaui topicorum negotij proposuimus orationem posse sumere (hoc est, vt per artem opponendi orationem ad propositum sumere sciamus) sed vt per artem respondendi orationem sustinentes obseruemus positionem nihil dicendo repugnans respondentes, velut per probabilissima dialecticæ, simili modo sicut opponendo procedat ex probabilibus. Causam autem iam diximus huius, vt scilicet dialecticus non tantum sit in dispositione actu interrogatis, sed etiam sit in forma scientis: & ideò responsionem docuimus in secunda parte octaui topicorum. Huius autem causam diximus esse, quòd interrogatio sit signum nescienti. Propter hoc Socrates semper interrogabat,sed non respondebat: quia ex humilitate in ipsa interrogatione fatebatur se non scire: cum (vt dicit Aristot. in libro de proprietatibus elementorum) Plato esset omni sapientia perfectus & laudatus, tamen si quid docuit, docuit quasi interrogando.

Manifestum est autem in prioribus,&c.

Manifestum autem est ex determinatis in prioribus (hoc est, in antecedentibus libris ante octauum topicorum & præcipuè in primo topicorum) ad quot fines secundum exercitationem & obuiationem & secundum philosophiam disciplinas, & ex quot problematibus hoc dialecticum erat negotium, & vnde (hoc est, ex quibus considerationibus) idonei erimus horum,hoc est, ad illa problemata determinanda. Amplius autem in primo elenchorum libro determinatum est, quomodo obuianda est opponentis quæstio, quantum est ex parte opponentis, & de responsionibus & solutionibus quæ sunt proprie ad tales syllogismos,patefactum est in secundo hoc libro elenchorum, & de aliis orationibus syllogisticis quæcunque sunt orationes eiusdem viæ siue methodi sophisticæ, vt ad falsum & inopinabile & nugationem & ad sophisticum ducentes. Præter hæc autem de paralogismis pertractauimus secundum singulas fallacias, sicut iam prius diximus. Manifestum est ergo, quoniam iam optatum habent finem sufficienter quæ proposuimus de arte topica siue inuentiua.

CAPVT III.

Qualiter scientia logices est inuenta.

Oportet autem nos non latere, &c.

OPortet autem nos non latere quod accidit circa sophisticum & totum logicum negotium, quantum ad modum inueniendi ipsum & ordinandi ipsum in artem perfectam & scientiam. Nam eorum quæ inueniuntur in omnibus aliis scientiis, siue inuenta sunt,quæ quidem sumpta sunt ab aliis, à quibus prius elaborata sunt,à posteris particulariter augentur, qui sua prioribus inuentis adiungentes sic particulariter auxerunt,& sic prima inuenta ab eis successoribus priorum, qui scilicet successores postea post primos accipiunt à prioribus inuenta, & addunt sua ad artis & scientiæ incrementum. Quæ autem in primis ex principio dictionis inueniuntur, parum valdè in primis inuentoribus augmentum sumere solent: quia non sunt nisi quædam communissima,in quibus scitis parū scitur de arte. Vtilius autem est plurimo illo inuento quod scitur postea additum & inuentum à posteris: quiahoc coarctatum est & appropriatum conclusionibus artis: & ex his fit artis & scientiæ augmentum vsque ad perfectionem scientiæ & arti debitam. Maximum enim omnium fortasse principium est.Et dico fortasse,non quia dubium sit, sed quia non est maximum quantitate, cùm sit vnum ex duobus simplicissimis principiis & complexis, subiecto scilicet & prædicato:& ideò quantitate substantiæ minimum est, maximum autem est potestate, quia super omnes conclusiones influunt principia: & hoc quidem dicitur ab omnibus Philosophis.

Maximum enim fortasse principiū, &c.

Propter quod & principium maximè primū ad inueniendum non ad cognoscendum est difficillimum, & præcipuè quod in ratione principij, & non tantum in ratione veri cuiusdam inueniatur: quantò enim optimum siue potissimum est potestate influendi super plures conclusiones, tantò parumissimum est magnitudine substantiæ: quia ex duobus minimis est & simplicissimis prædicato & subiecto:& propter hoc difficillimum est videri quoad inuentionem secundum quod influentiam habet super omnes conclusiones scientiæ. Hoc principio inuento facile est addere sequentia,quæ iam potestate sunt in ipso principio: & ideò notitia principij influit & illuminat ad sequentium inuentionem & additionem. Vnde facile est sic inuento principio augere reliqua ad scientiam & artem pertinentia. Et hoc probatur per hoc quod talis inuentio & talis additio etiam circa rhetoricas accidit orationes. Et penè circa omnes etiam accidit iste modus augendi circa omnes alias artes & scientias: nam primi qui principia scientiarum inuenerunt, omninò vniuersaliter ad paruum quid ipsam scientiam perduxerunt. Quoniam autem successores illorum nunc sunt famosiores in scientiis, quam primi,assumentes prius inuenta à multis prioribus velut ex successione particulariter (hoc est,per partē & partē facta)colligētes omniū prædecessorum inuenta sic auxerunt,& ad perfectā & debitam quantitatem scientias & artes deduxerunt. Sic rhetoricam auxit quidam Tisias post collatum & alios antiquissimos rhetores,quorum dicta collegit quasi auis quædam grana. Et sic Tisias quidem auxit post priores. Thrasymachus verè auxit post Tisiam. Theodorus autem auxit vltimus, post Thrasymachum. Et sic multi rhetores multas successiuè coordinauerunt partes. Propter quod nihil mirum si habet multum in voluminibus & quantitate hæc ars, quæ sic à multis adaucta est.

Sic

Huius autem negotij pon hoc quidē erat, &c.

Sic autem à nobis non est inuenta hæc scientia sophistica & vniuersaliter logica: ante nos enim huius negotium non hoc (hoc est, pars quædam) erat: illud autem (hoc est,alia pars) non erat perscrutatum, siue perscrutatæ ante nos:sed nihil omnino erat inuentum à prioribus ante nos de hoc negotio. Nam quamuis eorum principiorum quæ circa litigiosas siue sophisticas erant orationes, quædam doctrina fuit in libro Platonis, qui dicitur Gorgias, eo quòd ad discipulum suum Gorgiam est scriptus, tamen erat similis mercenarij, hoc est, mechanicis quibus in commutationibus vtūtur mercenarij. Quidam enim pocebant edisserere, hoc est, proponere orationes rhetoricas. Alij autem docebant dicere seu proponere orationes disputatiuas siue interrogatiuas & syllogisticas; non ex arte, sed in quas sæpius cadere solebant vtrinque & in rhetoricis & interrogatiuis, alternorum docentes orationes & non in communi artem tradentes. Propter quod velox quidem fuit (quia sensibilis & exemplaris) sine arte autem erat discentibus ab eis tales orationes:non enim artem dantes siue tradentes, sed potius quædam exemplaria & particularia quæ ab arte sunt erudite arbitrati sunt discentes ab eis, licet non eruditerunt verè:velut siquis mechanicorum disciplinam dicat se tradere vt homines ambulantes per calceos non doleant pedes, quod facit ars sutoria. Deinde sutoriam quidem non doceat per præcepta vniuersalia ad vnum finem tendentia; neque etiam tradat artem vnde(hoc est per quam)possint inueniri talia quæ ad non dolere pedes, & in ambulando non atterere pedes,sunt facientia:det autem plura omnium modorum calceamentorum extra particularia: hic enim taliter extra proferens, protulit aliquid ad vtilitatem non dolendi siue non atterere pedes, artem autem secundum principia artis non tradidit.

Et de rhetoricis quidem erant multa,&c.

Sic enim de rhetoricis (vt dictum est de rhetoricis) erant quidem multa & antiqua dicta & bona:de syllogismis autem per artem traditam nihil habuimus prius ante nos. Vnde nec de tota logica: quia tota logica de syllogismo est secundum quod logica rationalis scientia est: & de logica quidem tali nihil traditum habuimus prius ab antiquis, nisi exempla quædam particularia, ex quibus in attritione exercitij & adaptationis quærentes similia ex similibus,multū tempus laboraremus sine arte quærentes ea quæ sunt artis,quod per artis compendium cito potest fieri. Si autem videtur considerantibus ea quæ hic tradita sunt, quòd sufficienter hæc ars habeat ea omnia quæ à principio erant proposita dicere de arte syllogistica, & habere super alia negotia in Gorgia & Zenone exemplariter tradita, & supra ea negotia quæ ex dictione antiquorum & posteris adaucta sunt, reliquum ex dictis relictum erit omnium vestrum qui hæc quæ tradita sunt legeritis, & eorum qui audierint hoc opus exponi ab aliis, de omissis quidem artis à nobis qui adiutorium nullum habuimus, tradere indultionem siue indulgentiam, inuentis autem siue de inuentis multas habere siue agere nobis grates.

FINIS.

INDEX

INDEX

Rerum memorabilium, quæ in Logica continentur.

A

ACCENTVS fallacia quot & quibus modis contingit. 1. elench. trac.2.cap.10

Accidentis fallacia quot modis fiat, & quare non dicitur fallacia prædicati, nec medij, nec subiecti, sed accidentis: & quæ in ea necessario inueniantur. 1.elench.tr.3.cap.3.& 4

Accidens quomodo prædicatur æqualiter de nouem generibus accidentium, & quomodo non. De prædicam.tr.4.ca.2

Accidentia qualiter participant opposito modo prædicationem entis & accidentis. ibid.

Idem accidens potest esse duorum: vnius vt subiecti, & alterius vt termini. ibid.cap.10

In accidentibus stante vnitate formæ multiplicantur nomina propter eorum multiplicem modum essendi in subiecto. De prædicam.tr.5.cap.3

Accidens quod est quintum prædicabile, quomodo differt à proprio. De prædicab.tr.7.c.1

Accidens proprium & accidens speciei idem.

Accidens commune, accidens indiuidui, accidens infinitum & accidens per accidens idem. ibid.

Accidens in solo genere accidentis signatum non potest esse quintum prædicabile, sed cum subiectum dicit & accidens. ibid.

Accidentis triplex definitio examinatur & defenditur. De prædicab.c.1.& 2.& 1.topic. tr.2.cap.5

Accidens minimè habet de ratione prædicationis & vniuersalis, licet fortè de pluribus prædicetur, quam alia vniuersalia. ibid.c.2

Accidens quare per negationem aliorum describitur. ibid.

Accidens prius prædicatur de indiuiduis quàm de specie: è contra autem proprium. De prædicab.tr.8.c.1

Accidens nomine quandoque prædicatur, nunquam autem ratione. De prædicam.tr.1. cap.3

Accidentia animi sunt causa accidentium corporis secundum medicos. lib.1. poster. tr.2.cap.10

Accidentia non denominant simpliciter & vno modo. De prædicam.tr.5.cap.10

Accidentium quædam insunt, & quædam assistūt. Gilbertus Porret. De sex princ.tr.6.c.5

Quare difficulter acquisitum est magis eligendum. 3.topic.tr.2.c.5

Actio à quo causatur, quare est primum inter principia, quomodo differt à passione, qualiter constituit prædicamentum, & in quo recipitur. De princ.tr.2.c.1

Actio est secundum quam in id quod subiicitur agere dicimur. ibid.c.2

Actionis quæ sint primæ & formales differentiæ, & quomodo differt actio corporis ab actione animæ. ibid.c.3

Actionis proprium est in motu esse, & proprium est motus esse in actione. ibid.c.5

Non omnis actio exigit quid agat, cùm quandoque solum destruat, sed bene exigit in quid agat. ibid.

Actionis maximè proprium est, passionem ex se in id quod subiicitur sibi vt patiens inferre. ibid.c.6

Actioni & passioni proprium commune est recipere contrarietatem, & magis & minus. ibid.cap.7

Ad aliquid multipliciter dicitur, vt ad finem, materia ad formam, ex connotato, & secundum totum esse. De prædicam.tr.4.c.9

Æquiuocatio quid & quotuplex sit. 1. Elench. tr.2.cap.1

Solutio quinque dubiorum circa æquiuocationem. ibid.cap.2

Æquiuoca quid & quare sic dicuntur; & explanatio diffinitionis illorum. De prædicam. tr.1.c.2

Quare primo de æquiuocis, secundo de vniuocis, & tertio de denominatiuis agitur. ib.

Æquiuocorum licet multi sint modi secundū Zenonem, primus tamen est analogorū. ibid.

Quomodo in æquiuocis à casu licet substantia significata non sit vna, qualitas tamen à qua nomen imponitur, est vna solum per similitudinem. ibid.

In æquiuoco est aliquid de vniuoco, per quod ad vniuocum reducatur. ibid.

Affirmatio & negatio formaliter non sunt nisi in intellectu. De prædicam.tr.1.cap.7

Index rerum.

Affirmatio & negatio tripliciter dicuntur, scilicet pro qualitate propositionis, pro specie oppositionis, pro parte. De prædicam tr.7.c.6
Affirmatio quæ definitur per orationem, & non per enuntiationem, quæ. ibid.
Affirmatio vel negatio de quolibet siue existente, siue non existente est vera. ibid.cap.9
Quomodo affirmatio est pars negationis, & quomodo non secundum quosdam, 5 topic. tr. c.1
B: Alberti consuetudo in suis operibus. De prædicab.tr 1 c.5.& lib de prædicam.tr.1 c.1
Album à quibus causis fiat secundum Philosophum. 6.topic.tr.6.cap.2
Alteratio propriè non est nisi secundum tertiam speciem qualitatis. De prædicam.tr.5 c 9
Requisita ad physicam alterationem. ibid c.11
Alteratio quare non nominatur nominibus oppositis, sicut augmentatio & diminutio: & quomodo non fit generatio, vel corruptio, vel augmentatio, vel diminutio, vel loci mutatio quæ est à natura, nisi alteratione præcedente. De prædicam.tr.7.cap.14
Alteratum dupliciter sumitur vel qualitate essentiali, vel qualitate accidentali. De prædicab.tr.5.c.1
Amicis quare oportet benefacere. 2.topic.tr. 2.cap.2
Amphibologiæ quinque modi ad quos reduci possunt omnes modi deceptionum qui ex diuersa constructione dictionis cum dictione in oratione proueniunt. 1. elench. tr.2.cap.3.
Æmphibologia & æquiuocatio in quo conueniunt & differunt. ibid c.4.& 5
Anaxonici error qui dixit librum per hermenias non fuisse Aristotelis. 1.periher.tr.1.c.1
Anima quomodo immobilis & corpus mouet, corpus autem cum mouet necesse est moueri. De princ.tr.1.cap.3
Anima quomodo est in loco per accidens, & quomodo est tota in toto corpore & quomodo non. ibid.tr.5.c.2
Quomodo Plato dixit animam esse numerum seipsum mouentem. 2.topic tr.cap.6
Triplex anima secundum Platonem in eodem supposito. 2.topic.tr 2 cap.2
Animal rationale esse genus ad homines & ad Angelos vel deos, falsum est. De prædicab.tr.4.c.4
Animalia cornuta quæ propter carentiam dentium in superiori mandibula habuerunt duos ventres. 2.poster.tr.4.c.6
Animal quoddam tertium generatur ex cane & vulpe sicut ex asina & equo: & quæ huius sit causa. De prædicab.tr.8.c.8
Quomodo esse compositum ex corpore & anima, est proprium animalis. 5.topic.tr 1.c 2
Anteprædicamentalis diuisio duplex. lib. de prædicam.tr.1.c.5
Anteprædicamentalis suppositio duplex. ibid. cap.6
Quomodo intelligitur, quòd omnis aqua est eiusdem speciei cum omni aqua. 1. topic. tr.2.c.7
Aristoteles præponendus Platoni in omnibus quæ dixit in positione principiorum. De prædicab. tr.2 c.4
Auendar Israelita Philosophus translator logicæ Arabum & præcipue Auicennæ. De prædicab.tr.9.c.1
Auditus obiectum quare inter alia sensibilia meruit esse signum conceptuum animæ. 1. periher.tr.1.c.2
Auicenna redarguit Porphyrium. De prædicab.tr.7.c.1.& tr.8.c 8
In auro quinque ordines. lib.1.poster.tr.1.c.5
Axioma quid. 8.topic.tr.1.c.7

B

NVllus dubitat vtrum Beatitudo vel diuitiæ sint magis appetendæ. 3. topic. tr.1.cap.1
Bonum & malum quomodo opponuntur contrariè & relatiuè. De prædicam tr.7.c.2
Inter bonum & malum non esse medium dicunt Hesiodistæ theologizantes. ibid.c.4
Bonum non opponitur bono, sed malo aliquando opponitur malum & aliquando bonum. ibid.c.10
Bonum & malum an opponantur priuatiuè vel contrariè. De prædicam.tr.7. c.11
Quuid bonum & quid malum corporis, animæ, & Angeli secundum Diony. ibid.
Quid per se bonum & quid per accidens. 3. topic.tr.1.c.2
Bona fortunæ sùt organa beatitudinis. ibid.c.3
Bonum & malum non sumuntur eodem modo vt sunt genera in moribus & vt sunt genera sanitatis & ægritudinis. 4 topic.tr.2c.1
Nullus dicitur bonus vel malus in aliquo operabili, sed ab actu. 4.topic.tr.1.c.1
Bonum & studiosum dupliciter dicuntur, s pro natura boni, & pro forma boni. 6.topic.tr. 2.cap.5
Bruta non sunt verè disciplinabilia. 5 topic. tr.1.cap 2

C

QVæ dicantur casus. 2.topic.tr.2 cap.5
Non causæ vt causæ fallaciæ, an sit specialis fallacia, & quot modis fiat. 1.elench. tr.3.c.17.18.& 19
Non causa vt causa dupliciter dicitur. lib.2. prior tr.6.c.3
Causa simpliciter prima non cadit in demonstrationem. lib.2 poster.tr.1.c.2
Nihil est, cuius ortum legitima causa non præcesserit. ibid.c.3
Quomodo causæ & effectus se habeant inter se, & quo pacto causæ venentur. ibid.tr 4. cap.7 & 8
Cecilianus Grammaticus. 1.elench.tr.6.cap.4
Circulus non habet terminum suæ existentiæ in seipso, sed extra se, scilicet in contro. lib. 1.poster.tr.2.c.8
Stultus est qui quando non perfectè potest cognoscere quod quærit, abiicit id per quod cognoscere potest de quæsito coniectans Ptolemæus. De prædicab.tr.1.c.6
Duplex causa difficultatis in cognoscendo aliquod intelligibile. 6.topic.tr.1.c.2
Collectio differt ab aduatione & fit quinque modis. ibid.cap.6
Comparatiuum præsupponit positiuum. 2. topic.tr.2.cap.7
Compositio vera est ex materia & forma: sed compositio

compositio ex genere & differentia, est quædam compositio & non simpliciter. De sex princ.tr.1.cap.4
Compositionis & diuisionis modi quot sint & qui sint, & quomodo soluenda dubia quæ circa has duas fallacias occurrunt 1.elench. tr.2.c.6 & seq.
Conceptus animæ quomodo sunt iidem apud omnes. 1.periher.tr.2.cap.1.& 3
Conclusio scitur in principiis suis in potentia formali, & secundum quid, non simpliciter. lib.1 poster.tr.1.c.5
Consequentis fallacia quid sit & quot modis fiat. 2.elench.tr.3.c.15.& 16
Construere quandoque facilius est quam destruere. 7.topic.tr.2.cap.3
Consuetudo à Pythagoricis inducta quærendi de nomine auctoris alicuius libri vana est & inutilis. 1.periher.tr.1.cap.1
Quomodo contiguum non est continuum, sed è conuerso continuum est contiguum. 4. topic.tr.1.c.4
Si vnum contrarium est in natura, non est necessarium & alterum esse in natura De prædicam.tr.7.cap.10
Contraria quomodo habent fieri circa idem genere, aut specie, aut individuo. ibid.
Contrariorum proprium, est vt sint vel in contrariis generibus, vel quod ipsa sint contraria. ibid.
Quot modis contraria inhærentiam ad se inuicem complectantur. 2.topic.c.2
Quomodo intelligendum illud Philosophi, quod contraria reducuntur ad priuationem & habitum. 6.topic.tr.2.cap.2
Contradictio est in re sicut in causa, & in sermone vt in signo. De prædicam.tr.7.cap.6
In oppositione contradictoria tria requiruntur. ibid.
Contradictoriarum de futuro contingenti necesse est alteram esse veram necessitate disiunctionis coniunctim non necessitate disiunctorum seperatim. 1.periher.tr.5.c.6.& 7
Contrarietas duplex: extremi ad extremum, & medij ad extremum. De prædicam.tr.5.c.11
Contrarietas est primo in qualitate, in aliis autem prædicamentis est ratione qualitatis. ibid.
Contraria alia immediata, alia mediata. ibid. tr.7.cap.4
Contrariorum media per participationem habent nomina, sed media per abnegationem extremorum contrariorum non habent nomina imposita. ibid.
Quomodo non est verum semper, quod contrariorum sint contrariæ differentiæ. 7. topic tr.2.c.1
Conuersio quid sit & vt cum reducatur ad euthymema. 1.prior.tr.1.c.8
Corporale & incorporale dicuntur quatuor modis. De prædicab.tr.2.c.4
Corpus æquiuocè dicitur de substantia & quantitate. De prædicam.tr.1.c.6
Corpus quomodo est genus animalis vt dicit Porphyrius, & quomodo non vt dicit Aristoteles. 4.topic.tr.4.cap.1
Modus quo contingit coruum nasci album. De prædicab.tr.7.cap.2.& tr.8.cap.10
Impossibile est incorporeum permiceri corpori. 6.topic.tr.6 cap.2

D

DEductio quid sit & quomodo fiat, & qualis sit vsus eius in scientiis. lib.2. prior.tr.7.c.6
Delectatio est diffusio spiritus & animæ super fruitionem habiti. lib.1.poster.tr.5.c.6
Delectationi quæ est secundum intellectum, quæ nihil est contrarium. 2.topic.tr.4.c.3
Delectatio secundum Platonem est generatio in sensibilem animam. 4.topic tr.1.cap.2.& 6.topic.tr.1.cap.3
Demonstrationis propositiones quas conditiones requirant. lib 1.post.tr.2.c 2.3.4 & 5
Demonstrationem omnino tollentium opinio confutatur, & eorum qui omnium demonstrationem esse ponebant. ibid.c.6
Demonstratio tripliciter descendit de genere in genus. ibid.c.16
In demonstratione quæ est per se & primo demonstratio, vnius causari, non potest esse nisi vna causa: tamen in demonstratione quæ dicitur per accidens, vna & eadem passio de pluribus subiectis particularibus demonstrata, potest habere plures causas in his subiectis acceptas. 2.post tr.4.c 8.& 9
Demonstrationis principia finita sunt. 1. poster.tr 4.c.9. & seq.
Demonstratio & definitio non sunt eiusdem. 2.poster.tr.2.c.1
Quomodo quid est demonstratur, & quis est modus introductionis. ibid.c.2.& seq.
Demonstrationes mathematicæ non concludunt ex signis, sed ex causa & forma essentiali. 1.prior.tr.5.c.3
Demonstrationis principia complexa sunt quinque. 1.poster.tr.3.c.2
Demonstratio quia & demonstratio propter quid, qualiter differunt in eadem scientia, & in diuersis scientiis. ibid.c 6.& 7
Demonstratio potissima quæ facit scientiam propter quid, fit maximè in prima figura, lib.1 poster.tr.3.c.8
Impossibile est aliquem demonstrare nisi inciat à primis principiis, copulando ea vsque ad vltima. 8.topic tr.1.c 7
Denominatiua quare definiuntur in plurali numero: & explanatio totius diffinitionis. De prædicam tr.2.c.4
Ad denominationem tria sunt necessaria. ibid.
Quæ sunt eiusdem naturæ, non possunt se denominare. ibid & tr.5.c.1
Denominatio non semper sumitur à forma, sed quandoque ab accidente formam consequente. ibid.
Densum & rarum quid. De prædicam. tr.5.c.8
Quomodo densum & rarum & huiusmodi sunt principaliter positiones, secundariò verò qualitates. ibid.c.9
Dialectica docens est determinati generis, non autem dialectica vtens. 1.poster.tr.3.c.4
Dialectica docens & vtens quid sit. 1.topic. in 1.prœmio.
Dialectica ad quot & ad quæ vtilis sit. 1.topic.tr.1.c.5
Dialecticæ ratiocinationis species. 1.topic. tr.3.ca

Index rerum.

Quomodo in diuersis topicorum libris consideratur dialectica vt scientia,& vt inquisitiua, & vt obiectiua, & exercitatiua. 8. topic.tr.1.cap.1

Dici de omni prioristicum & posterioristicum quomodo differunt. 1.poster.tr.2.c.3

Dialecticus quare disputando non debet vti syllogismis ad impossibile. 8. topic. trac.1. cap.5

Dialecticus obuians quandoque induit modum sophistici. 8.topic tr.2.c.1

Differentia dicitur communiter, propriè & magis propriè,secundum diuisionem multiplicis quod medium est inter æquiuocum & vniuocum. De prædicab.tr.5.cap.1

Differentia quæ est vniuersale, quid sit secundum Auicen. ibid.

Differentiæ proprissimè dictæ definitio non conuenit communi nec propriæ. ibidem. cap.4

Differentia quæ est tertium prædicabile, quare potius sumitur à qualitate generis,quam à qualitate speciei vel individui :& quare potius accepit nomen à facere differre quam à constitutione speci.i. ibid.

Differentia quomodo est in genere. ibid.

Differentiæ quibus species abundant à genere,vnde habentur. ibid.

Differentia quare prædicatur in quale & non in quid. ibid cap.5

Differentia differt seipsa.De prædicab.tr.5.c.6

Differentiam prædicari de pluribus specie differentibus quo sensu dixit Porphyrius. ibid.

Differentia habet multas descriptiones, nullam tamen habet veram diffinitionem & propriam. ibid c.7

Differentiæ an sint accidentia generum. ibid. cap 9

Differentia non habet particulare proprium quod sibi respondeat immediatè. ibid. cap.6

Differentia aliquo modo habet differentiam. De prædicab. tr.8.cap.2

Differentia quomodo potest componi cum alia differentia. De prædicab tr 8 c.8

Differentia vnius non potest esse genus alterius. 4 topic.tr.1.cap 4

Differentia proprie non participat genus. ibid.

Differentia adiuncta generi non facit nugationem, sed bene species adiuncta generi. 5.topic.tr.2.cap.3

Tam differentia quam species significat quale quid, differenter tamen. 6.topic. trac. 2. cap.5

Differentiæ quæ penes vbi accipiuntur, quomodo increpandæ sunt, & quomodo non. ibid.c.7.

Diffinitio vera quinque exigit.De prædicab. tr.1.cap 6

Diffinitionis peccata sunt quinque. ibid.

Diffinens primum quod non sit per se notum in substantia & potestate, contingit quatuor modis. ibid.

Diffinitio & quidditas differunt sicut signum & signatum. 2 poster.tr.2 c.1

Inter diffinitionem & diffinitum non est medium. ibid.

Quare in diffinitione ponendum sit genus proximum. ibid.ca.3.& 6 topic.tr.2.c.1 & 3

Diffinitio nominis non est quid demonstrabile,sicut nec diffinitio rei.2.poster.tr.2.c.6

Diffinitio qualiter elicitur ex demonstratione, quamuis non demonstretur. ibid.cap.8

Quæ sit diffinitio secundum speciem, & quæ secundum materiam. ibid.cap.10

Qualiter se habeat diffinitio ad demonstrationem ibid.cap.12

Diffinitio quomodo inuenienda.ibid.tr.4.c.1. & seq.

Diffinitio quid sit, & quæ ad methodum de diffinitione reducuntur. 1.topic.tr.1.c.2

Diffinitio tripliciter se habet ad demonstrationem. 1.poster.tr.2.cap.17

Diffinitio materialis, formalis, & composita ex vtraque. ibid.

Quomodo diffinitio, descriptio, & nominis notificatio aliter & aliter notificant rem. 2.topic.tr.1 cap 4

Qualiter de diffinitione aliter tractat metaphysicus,& aliter posterioristicus, & aliter topicus. 6.topic.tr.1.cap.1

Quare inconuenit eiusdem esse plures diffinitiones. 6.topic.tr.2.c.1. & 3

Maximè destruenda est diffinitio quæ nec ex nobis notioribus nec naturæ procedit. ibid.

Quomodo intelligendum, quod aliqua Disciplina est prima. 2.topic.cap.6

Difficile est construere diffinitionem,destruere autem facile. 7.topic.tr.2.c.3

Quomodo Dispositio cum sit quasi genus ad habitum, tamen quandoque condistinguitur ad habitum. De prædicam.tr.5.c.2

Dispositio dicitur affectio per similitudinem quandam. ibid cap.3

Dispositio & habitus quare præmittuntur naturali potentiæ vel imporentiæ. ibid.c.5

Disciplinam amittere & obliuisci non est idem secundum Heraclitanos. 8.topic.tr.1.c.4

Disputationes quatuor, doctrinales, dialecticæ,tentatiuæ,litigiosæ. 1.elench.tr.1.cap.4

Omnis disputatio dialectica est ex diffinitione,proprio, genere, aut accidente, & vbi illa reperiantur. 1.topic.tr.2.cap.8.& 9

Diuisio quomodo debet esse bimembris. De prædicam.tr 5.cap 2

Donum est datio irreddibilis. 4.topic. tr.2. cap.5

Duplum quomodo est in plus quam superans. 5.topic tr.3.cap.1

E

Electio est duobus vel pluribus propositis,hoc alteri vel alteris præoptare. 3. topic.tr.1.cap.1

Lib. Elencorum ordo ad reliquas partes logicæ, modus docendi, auctor & finis. 1. elench tr.1.cap.1

Elenchus sophisticus an sit & quid sit. ibid cap 2

Elenchus quid, & quomodo habet quædam ex syllogismo,& quædam ex contradictione. 1.elench tr.3.cap.9

Elenchi ignorantia duplex : vna communis, alia specialis. 1.elench. tr.4.cap.1

Ad ignorantiam elenchi quomodo omnes aliæ fallaciæ generaliter reducantur. ibid.

Ens incomplexum in decem prædicamenta non habet complexionem orationis perfectæ, nec imperfectæ,nec diffinitionis, sed est simpliciter incomplexum. De prædicam. tr.1.cap.7

Ens non prædicatur de substantia essentialiter vel accidentaliter, sed sicut idem. De prædicab. tr.4.c.3

Ens non est genus ad omnia prædicamenta. ibidem & 1. prior.tract.6. cap.1.& 4.topic. tr.4. cap.4

Ens æquiuocum est ad prædicamenta. 4.topic. tr.1.cap.5

Ens non potest esse genus: quia non potest prædicari per se de aliquo, sed semper per aliud. 6.topic.tr.1.c.3

Enthymema quid sit & quibus modis fiat, & qualiter ad syllogismum reducitur. 2.prior. tr.7.c.9

Enthymema & exemplum non sunt species ratiocinationis dialecticæ completæ. 1.top. tr.1.cap.4

Esse rei dupliciter consideratur, scilicet secundum comparationem ad id in quo est, & secundum comparationem ad id à quo est formaliter constituente ipsum.De prædicab. tr.5. cap.3

Essentiale dupliciter, scilicet quod est quid essentiæ, & quod non relinquit essentiam. De prædicab. tr.6.cap.1

Ex notat habitudinem causæ materialis, & quandoque etiam ordinem & dispositionem. 1.topic. tr.2. cap.1

Exemplum quid sit, & qualiter se habeat ad syllogismum & inductionem, & quomodo pertinet ad rhetorem & ad dialecticum. 2.prior. tr.7. cap.5

F

Fallaciæ in dictione, sunt sex,æquiuocatio, amphibologia, compositio, diuisio, accentus,& figura dictionis. 1.elench.tract.1. cap.6

Fallaciæ extra dictionem sunt septem, accidens, simpliciter & secundum quid, ignorantia elenchi, consequens, petitio principij, non causa vt causa, plures interrogationes vt vna : vnde sumatur & quomodo hic numerus. 1.elench.tr.3.cap.1.& 2

Felagon quid. 6.topic.tr.1.cap.2

Figura & terminus sumuntur metaphoricè in syllogismo, & vnde petatur metaphora. 1.prior. tr.2.cap.2

Prima figura quid sit,& qui sint eius modi vtiles,& qui inutiles. ibid.cap.2.3.& 4

Secundæ figuræ quæ sint proprietates, & quomodo formentur in ea syllogismi vniuersales & particulares secundum vtiles & inutiles coniugationes. ibid.cap.6.7.& 8

Tertiæ figuræ quæ sint proprietates, & quomodo formentur in ea syllogismi vniuersales & particulares secundum vtiles & inutiles coniugationes. ibid.cap.10.11.& 12

Quare non datur vna figura quæ tantum vniuersaliter concludat. ibid.cap.18

Tres tantum sunt figuræ syllogisticæ : quia medium non potest communicari cum extremis in syllogismo nisi tribus modis. 1. prior.tr.5. cap.1

Qualiter vna figura oritur ab alia, medij & extremorum variatione in situ duarum propositionum. 1.prior. tr.8.cap.1.2.& 3

Figuræ dictionis fallacia in quo sit principaliter & quare sic dicatur. 1.elench.tract.2. cap.11

Quo sensu dicitur alias figuras densari per primam & econtra. 1.poster.tr.3.cap.8

Forma dicitur secundum Platonem quasi foris manens. De sex princ.tr.2.cap.2

Formæ non dicuntur nisi quæ sunt separatæ propriè loquendo secundum Boëtium : quæ verò sunt in materia,propriè dicuntur imagines. ibid.

Forma est compositioni contingens, simplici & inuariabili essentia consistens. ibid.& cap.7

Formæ an sint natura, vel ab arte. ibidem. cap.5

Formarum prædicabilium diuisio. ibidem. cap.6

Qui primitus inuenerunt nomen formæ. ibid. cap.7

Formæ separatæ non sunt substantiæ nisi æquiuoce, nec sunt in genere, nec prædicantur de rebus nisi æquiuocè. De prædicam. tr.1. cap.7

Formæ triplices, ante rem,in re, & post rem. De prædicab.tr.2. cap.3

Forma totius dupliciter designatur, scilicet vt forma tantum, & vt totum esse dicens, cuius est forma. ibid.cap.8

Forma totius non prædicatur in recto nisi totum esse significet. De prædicab. tract.3. cap.3

Forma specifica potest considerari tripliciter. De prædicab. tr.5. cap.1

Forma substantialis licet vt dat esse & vt facit differens substantialiter, non suscipiat intensionem, tamen vt naturalis actionis principium intenditur & maximè ex parte sui subiecti. ibid. cap.2

Forma quæ est de quarta specie qualitatis, quomodo differt à figura.De prædicam.tr.5. cap.8

Quæ forma prædicatur de toto in recto, & quæ non. 6.topic. tr.7. cap.2

G

Gaudium, iucunditas, lætitia quid. 2

Generalissima dicuntur species entis, nec propria eis assignantur nisi pront sunt species entis. De prædicam. tr.4.cap.10

Quomodo de decem primis generibus habetur scientia in logica, & quomodo illa diuersimodè considerantur à logico & metaphysico. De prædicam. tr.1. cap.1

Genus debet necessariò prædicari de pluribus differentibus specie. Quare prædicatur in quid,& quomodo species continet inchoatiuè. 1.topic. tr.2.cap.4

Genus dicitur per similitudinem & per propria

pietatem. De prædicab.tr.3.cap.1
Genus philosophicum quomodo assimilatur aliis. ibid.cap.2
Genus non potest esse vnius solius speciei constitutiuum,sed bene species potest vnum solum continere indiuiduum. ibid.& cap.3. & 1.topic.tr 2. cap.4
Genus non habet aliquod commune substantiale per quod diffiniatur. De prædicab.tr.3. cap.3
Generis & speciei intentiones vnde assumptæ fuerint. ibid.
Generis diffinitio, nec superfluum continet, nec in aliquo deficit. ibid.cap.4.& 1.topic. tr.2.cap.4.
Genus generalissimum à quo habet quod sit genus, & à quo quod sit generalissimum. De prædicab. tr.4.cap.3
Genus quare requirat multas species actu, non autem species plura indiuidua actu, sed potentia tantum. ibid.cap.6.& 4 topic.tr.1. cap.5
Genus quomodo potest esse in ad aliquid, specie sua non existente in ad aliqud. 4.topic. tr.1. cap.2
Genus qualiter à differentia separatur.4.topic. tr.4. cap.2
Genus & differentiæ sunt priora simpliciter quam species & notiora. 6.topic. tract.2. cap.1

H

HAbitus quomodo differt à dispositione. De prædicam.tr.5. cap.2
Habitum & dispositionem antiqui simplici nomine applicationem dixerunt. ibid.cap.3
Habitus & dispositiones sunt ad aliquid generis capta, sed quantum ad species sunt qualitates. ibid. cap.14
Habitus quid sit secundum quod est prædicamentum, & quæ habeat propria. De sex princ.tr.7. cap.1.2.&3
Quot & qui sint modi habendi. ibid.
Habitus præcedit priuationem ordine principiorum naturæ,non actu. De prædicam.tr.7. cap.5
Ordo qui est inter habitum & priuationem, est à natura: ordo autem qui est inter affirmationem & negationem,est rationis. ibid. cap.6
Modorum habendi sufficientia. ibid. tract.7. cap.16
Habitus secundum Auicennam est, quo quis aliquid agit cum voluerit. 6.topic tract.2. cap.5
Hominum tria genera ad scientias inæqualiter disposita Hesiodus De prædicab. tr.1. cap.1
Homo quare est risibilis. De prædicab.tr.6. cap.1.
Hominis proprium non est risibilitas, sed risibile. ibid. cap.2
Homo per quam causam canescat. ibid.
Homines melancholici quare acutius speculantur in vere,cholerici in hyeme,phlegmatici in æstate, sanguinei in autumno: & quare melancholici efficiuntur dementiores in autumno,sanguinei in vere,phlegmatici in hyeme. De sex princ.tr.4.cap.6
Honor est de per se appetibilibus. 6.topic. tr.3. cap.3

I

ICon quid sit & quomodo differat à signo. 2.prior. tr.7. c p.8
Ideæ siue formæ quas quidam ponunt extra res existentes, quare dicuntur monstra. 1.poster. tr.4.cap.11
Idem quot modis dicatur. 1.topic. tract.2. cap.7
De eodem & diuerso loco. 7.topic. tract.1. cap.1
Ignis quomodo se habet in multiplicata analogia ad quodlibet aliud elementum. 1.poster. tr.3 cap.5
Igni calor inest per naturam, non suam, sed per naturam ignis. De prædicam. tract.7. cap.8
Ignis quare non potest infrigidari, sed bene aqua calefieri. ibid.
Ignis non est species specialissima. 5.topic. tr.2. cap.7
Tres sunt species ignis in materia aliena, 5. carbo, flamma & lux. 6.topic.tr.3.cap.2
Ignorantiæ multiplex diuisio ex parte ignorati, ignorantis, & modi ignorandi. 1.elenc. tr.3.c.9
Ignorantia malæ dispositionis quid sit & quæ causæ ipsius. 1.poster.tr.4.cap.2
Ignorantiæ syllogismus quot quibusve modis fit tam in immediatis quam in mediatis propositionibus. ibid. cap.3.4.5.& 6
Ignorantia secundum negationem dicta ex quibus causis oriatur. ibid. cap.7
Nec inanimata, nec pueri dicuntur ignorare, 5 ignorantia primariò dicta. 6.topic.tr.4
Imago quomodo causatur in speculo, quare non moueatur ad motum speculi, & quam diuersò modo est in speculo,in perspicuo,& in inspectore. De princ. tr.2.cap.4
Imago est rei ad rem coæquandam similitudo indifferens. 6.topic,tr.1,cap.2
Immortale quomodo sit differentia, licet sumatur à priuatione. 6.topic.tr.3.cap.1
Indiuiduum non potest esse subiectum nec prædicatum artis,nec scientiæ. 1.topic.in 2. procemio.
Indiuiduum triplex. De prædicab. tract. 3. cap.3.
Indiuiduum vagum an de vno solo vel de pluribus prædicatur. ibid.
Indiuidua quomodo sunt indiuisibilia. ibid. tr.4.cap.3
Indiuiduum vagum de pluribus prædicatur prædicatione speciei,& non indiuidui.ibid. tr.4.cap.7
Inductio dialectica quare non reducitur ad syllogismum dialecticum. 1.topic.tr.3 c.4
Ab Inesse ad esse quare non valet consequentia in accidentibus, sed bene in aliis prædicamentis. 2.topic. tr 1. cap.1
Quomodo ex necessitate inesse non semper causat omni inesse. 2.topic.tr.2 cap.1
Infinitari quæ possint & quæ non. 1.periher tract

tr.2. cap.5
Nota infinitans debet apponi subiecto & non signo subiecti. 2.periher. tr.cap.3
Qui sint boni ingenij, & vnde dicatur ingenium, 8.topic,tr.3.cap.2
Instans i. siue instantiuus syllogismus quid sit, & per quas fiat figuras. 2.prior. tract.7. cap.7
Intellectus discursiuus est ratiocinatio faciens currere equalem in causatum Isaac. 1.poster. tr.1.cap.3
Intellectus accipiens notitiam ignoti, assimilatur homini qui vniuersalia retinet, & singula vel singularia perdit Boëtius. ibid.
Intellectus quomodo sit habitus principiorum. 2.poster. tr.5.cap.2
Per intellectus solos,nudos, & puros quid intellexit Porphyrius. De prædicab. tract.2. cap.2
Intensio & remissio quomodo fiant, & quibus conueniant. De sex princ. tract.8. cap.1. 2.& 3
Quod sit opus interrogantis in dialecticis 8.top. tr.2. cap.1
Fallacia secundum plures interrogationes vt vnam, in quo consistit; & quot modis fit. 1.elench. tr.3. cap.20.& 21

L

LEne & asperum quid. De prædicam.tr.5. cap.8
Lex vnde dicatur. 6.topic.tr.1.cap.2
Linea vel magnitudo rationalis quid sit in geometria. 1.poster.tr.3.cap.1
Linea secundum Euclidem & Platonem est longitudo sine latitudine. 6.topic. tract.2. cap.4
Locum non esse principium generationis, nisi quoad figuram,penitus falsum est. De prædicab. tr.3. cap.1.
Duo corpora non possunt esse simul in eodem loco, nec vnum corpus potest esse simul in diuersis locis. De sex princ.tr.5 cap.1
Quæ sint in loco per se, & quæ per accidens. ibid. cap.2.
Locus non potest esse sine corpore,nec è contra. ibid.cap.3
Primum cælum quomodo sit in loco. ibidem. cap.4
Locus sursum quomodo contrarius est loco deorsum. ibid. cap.12
Logica est omnis scientiæ modus. Aristot. & Auer. A natura incipit, perficitur autem arte, & vsu & exercitio recipit perfectionem. Est vna specialium scientiarum. De prædicab. tr.1.cap.1
Logica an sit pars philosophiæ vel non contentio friuola est & infructuosa Auicen. & Alpharab. ibid. cap.2
Logica quomodo variatur & est multiplex. ibid.
Logica summè necessaria & vtilis est philosophiæ. ibid.cap.3
Logicæ proprium & commune subiectum non est sermo siue incomplexus, siue complexus, neque syllogismus, sed argumentatio. Auicen. Alpharab. & Algazel. ibidem. cap.4
Logicæ diuisio vnde accipienda sit. ibidem. cap.5
Logicæ pars quæ docet diffinire, vel non fuit nobis ab antiquis tradita, vel ad nos non peruenit. ibid.
Logica sophistica habet duas partes secundum imitationem, non tamen perfectè, scilicet inuentiuam & iudicatiuam. 1.elenc. tr.1. cap.1
In tradenda logica sophistica obseruatur modus scientiæ & artis. ibid.
Logices scientia qualiter est inuenta. 2.elench. tr.5. cap.3

M

MVlta sunt quæ in se sunt mala, permixta autem fiunt bona, & econtra. 6.topic. tr.7.cap.1
In medicina maximè exigitur scientia de ponderibus & distantia graduum. 1.poster. tr.3.cap.7
Medicina scientia dicitur per se de hoc quod est facere sanitatem, per accidens verò de hoc quod est facere ægritudinem. 6.topic. tr.2. cap.3
Quædam medicinæ in se acceptæ sunt bonæ, quæ commixtæ fiunt malæ. 6.topic. tract.7. cap.1
Ad medij inuentionem quæ inspicienda sunt. 1.prior. tr.6.cap.1.& 2
Medium duplex, 5. per participationem & per abnegationem. 4.topic. tr.2. cap.1
Memoria quomodo semper est actus & non habitus. 4.topic. tr.3,cap.1
Mennonis discipuli Platonis & Socratis quæstio, vtrum virtutes intellectuales & morales essent bonum assuescibile, vel discibile, vel datum à diis per conuersionem animæ ad seipsam, & ad ea quæ habuit à seculis æternis,in quibus fuit intra seipsam.1.poster. tr.1.cap.4.& 5.
Mens vnde dicatur secundum Pythagoram. De prædicab. tr.8.cap.3
Mensium fines quare sunt calidiores & humidiores, & quare tunc humida magis fluunt. 2 poster.tr.4.cap.6
Metæ ad quas intendit deducere sophista, sunt quinque, redargutio, fallum, inopinabile, solœcismus, facere nugari eum qui considerat. 1.elench.tr.1.cap.5
Methodus ex quot & quibus constat. 1.topic. tr.2. cap.1
Methodus dicitur vniuersalis tripliciter. ibid. cap.6
Modus acquirendi scientiam variatur secundum materiam in qua quæritur scientia. De prædicab. tr.1.cap.7
Modi ducendi per se qualiter se habent adinuicem & ad demonstrationem. 1.poster. tr.2. cap.8.9.10.& 11
Mortale quomodo est differentia hominis. De prædicab. tr.5. cap.8
Motus quare non potuit esse vnum prædicamentum, & quid sit, & quotuplex: & quomodo intelligitur illud dictum 3. physic. text. cap.5. Tot sunt species motus, quot sunt

sunt species entis. De prædicam. tract 7. cap. 14

Non est motus ad quando, ad actionem, ad passionem, ad positionem, ad habitum. ibid.

Motus quomodo est actus perfectus, & quomodo imperfectus. De princ. tr. 2. cap. 1

Motus quomodo est in omnibus generibus, & quomodo in quatuor tantum, & quomodo in genere qualitatis. ibid. cap. 5

De multiplicis distinctione. 1. topic. tract. 4. cap. 3. 4. 5. & 6

Multiplicitas amphibologica quare non secundum æquiuocationem dicitur. 2. topic. tr. 1. cap. 5

Quomodo diuersimodè vruntur multiplici dialecticus & sophista. ibid.

Multiplex obscurat & obnubilat intellectum. 5. topic. tr. 2. cap. 2

N

NAualis de apparentiis quomodo subalternatur astrologiæ. 1. poster. tr. 3. cap. 7

Natura simplex in quadruplici esse consideratur. De prædicab. tr. 9. cap. 3

Negatio sequitur affirmationem, sed non è conuerso. 5. topic. tr. 3. cap. 1

Nilus quare magis fluit in fine mensium. 2. poster. tr. 4 cap. 6

Nimi quomodo inest candor per naturam. De prædicam. tr. 7. cap. 8

Nomini non est intrinseca significatio vt solum nomen est: sed ei intrinseca vt sic, ex literis, syllabis & accentu compositio. De prædicam. tr. 1. cap. 1

Quid sit substantia quam significat nomen, & quid qualitas cum qua significat. ibid.

Nomen quomodo manere potest idem secundum propriam materiam & formam, licet non habeat idem significatum. ibid.

De nomine quare prius agitur, quam de verbo: & quare vtrumque per vocem definitur. 1. peri her. tr. 2. cap. 4

Nominis pars separata à toto, quare nihil significet de concepta totius, ratio Auicennæ. ibid.

Nomen infinitum quid sit, & quare non est nomen apud logicum. ibid cap. 5

In nominis significato quid per substantiam & quid per qualitatem intelligendum. ibid.

Nominis casus quare non sunt nomina apud dialecticos, casus verò verborum sunt verba. ibid. cap. 6

Notum per quod ignoti scientia acquiritur, dupliciter consideratur. De prædicab. tr. 1 cap. 4

Notum est aliquid per se in quoliber, per quod ignoti potest acquirere scientiam. ibid.

Quid sit notius simpliciter. 6. topic. tract. 2. cap. 1

Numeri cuiuslibet ductus in seipsum, facit numerum quadratum. 1. poster. tract. 2. cap. 1

Qualis sit illa prædicatio, numerus est impar. 4. topic. tr. 1 cap. 4

Par & impar sunt passiones numeri absoluti, quadranguli autem & cubus sunt passiones numeri singularis. 1. poster. tract. 3. cap. 1

Æqualitas analogicè conuenit numeris & continuis. ibid.

O

OPinio non est genus fidei. 4. topic. tr. 3. cap. 1

Oppositio prout est passio enuntiationis quid & quotuplex sit, & quæ sint leges singularum oppositionum. 1. peri her. tr. 5. cap. 1. & 2.

Oppositio contradictionis est maior oppositione contrarietatis. ibid.

Oppositio quomodo est forma entis, & forma non entis: & quomodo est forma vnius, & multorum: & quomodo licet sit relatio, non tamen requirit vtrumque extremum esse in actu: & quomodo diuidatur. De prædicam. tr. 7. cap. 2

Quomodo relatiua sunt opposita, cum non se expellant, imo se ponant: & quomodo relatiuè opposita inter alia opposita, non sunt nata fieri circa idem. ibid. cap. 3

Oppositio priuatiua quomodo non est oppositio contraria, licet priuatio saluetur in contrario. ibid. cap. 5

Oppositio duplex: secundum rem & secundum locutionem. 2. prior. tr. 5. cap. 5

Opprobrium & fraus qua re differunt. 6. topic. tr. 2. cap. 5

Oratio quid sit, & quomodo diuidatur. 1. peri her. tr. 4. cap. 1

P

PArabola quid. 8. topic. tr. 1. cap. 2

Particulare additum vniuersali, quomodo non facit negationem, sed è conuerso. 6. topic. tr. 1. cap. 3

Qualiter parte interempta totum interimitur, sed non è conuerso. 6. topic. tr. 7. cap. 1

Passibiles qualitates quare sic dicuntur, & quæ sint. De prædicam. tr. 5. cap. 6

Passio animæ dicitur dupliciter. Aspasius. 1. peri her. tr. 1. cap. 2

Passio quare dicitur effectus actionis, & quare illatio: & quæ sit passio animæ, & quæ corporis. De princ. tr. 3. cap. 1

Passionis variæ acceptiones. ibid. cap. 2

Liber peri hermenias quare sic inscribitur, quodnam sit eius subiectum, quis finis, quis auctor, & quem ordinem habeat in libris logicæ. 1. peri her. tract. 1 cap. 1. & 2.

Petitio eius quod est in principio, diuersimodè consideratur in topicis & in elenchis: fit autem quinque modis. 1. elench. tract. 3. cap. 13. & 14

Philosophia à quibusdam diuiditur in physicam, mathematicam, & metaphysicam: ab aliis verò in physicam, ethicam, & rationalem, generaliter sumptas. De prædicab. tr. 1. cap. 2

Philosophia generaliter dicta, quomodo variatur & est multiplex. ibid.

Porphyrius reprehenditur. De prædicab. tr. 8. cap. 8

Index Rerum.

Porphyrij sermo obscurus. ibid. cap. 16
Porphyrij dictum non secundum artem. ibid. cap. 11
Positio secundum quod est prædicamentum, quomodo diffinitur, quibus vere conuenit, & quæ habet propria. De sex princ. tract. 6. cap. 1. 2. 3. 4. & 5.
Possibile vtrum sequatur ad necessarium, & quomodo differat à contingenti. 2. peri her. tr. 2. cap. 5. & 6
Postprædicamentorum necessitas & sufficientia. De prædicam. tr. 7. c. p. 1
Libri posteriorum analyticorum auctor, dignitas, vtilitas, nomen, & ordo ad librum priorum analyticorum. 1. poster. tract. 1. cap. 1. & 2.
Potentia naturalis vel impotentia quid sit & ex quibus principiis causetur. De prædicam. tr. 5. cap. 4
Potentiæ animæ realiter ab eius essentia distinctæ. ibid. cap. 5
Prædicabilium coordinatio complectitur generalissimum quod non potest esse species, specialissimum quod non potest esse genus, & intermedia quæ sunt simul genera & species. De prædicab. tr. 4. cap. 3
Eadem coordinatio declaratur per exemplum in familiis. ibid. cap. 5
Tota reducitur ad genus, non ad differentiam. ibid. tract. 5. cap. 6
Prædicamentorum sufficientia ostenditur. lib. de prædicam. tract. 1. cap. 7. & de sex princ. tr. 1. cap. 6
Prædicari quid est. De prædicab. tract. 3. cap. 3
Prædicari in quid dicitur multis modis. ibid. cap. 4
Prædicari causatur ab inesse: & ideò idem non prædicatur de seipso, sicut nec inest sibiipsi. 1. poster. tr. 4. cap. 11
Prædicata substantialia non possunt esse infinita. ibid. cap. 13
Prædicata dialectica sunt quatuor, diffinitio, genus, proprium, & accidens. Quomodo ordinantur. lib. 1. topic. tractat. 2. cap. 1
Cætera prædicata aliquid claudunt eorum quæ definitio continet. ibid. cap. 6
Horum quatuor prædicatorum sufficientia, & vbi reperiantur. ibid. cap. 8. & 9
Præcognitionum modi quot sint, & quæ præcognoscenda. lib. 1. poster. tract. 1. cap. 4
Præmissæ quomodo sunt causa materialis conclusionis & effectiua. 8. topic. tract. 2. cap. 7
Præteritum imperfectum includit præsens. 1 elench. tr. 1. cap. 1
Quomodo quædam generalissima magis dicuntur genera, & quædam magis dicuntur principia. De sex princ. tr. 1. c. 1
Principij petitio quid sit & quot modis fiat. 2. prior. tr. 6. cap. 1. & 2
Principium quibus modis est prius & notius. 1. poster. tr. 1. cap. 3.
Principium immediatum quid & quotuplex, sit. ibid. cap. 4
Quomodo intelligendum illud dictum Philosophi, quòd principia non sunt multum minora conclusionibus. ibidem. tract. 5. cap. 7
Principia quomodo cognoscuntur: & quis principiorum sit habitus. lib. 2. poster. tr. 5. cap. 1. & 2
Principia cognoscuntur diffinitione terminorum. 8. topic. tr. 1. cap. 7
Quæ sunt principiis propinqua, difficulter probantur, quia non habent multa media. ibid.
Quid est petere principium. 8. topic. tract. 2. cap. 9
Prius diuiditur in quatuor significata, ad quæ non est genus, sed analogum. De prædicam. tr. 7. cap. 12
Probare laboriosum est omnia quæ discolus negat. 8. topic. tr. 3 cap. 3
Problema & positio quomodo differunt. 1. top. tr. 3. cap. 3
Problema rationale quid. 5. topic. tract. 1. cap. 2
De Problematibus vniuersalibus. 2. topic. tr. 1. cap. 1
Proportio propriè est in quantitate. 2. topic. tr. 2 cap. 6
Propositionum omnium de inesse numerus est 48. 2. peri her. tr. 1. cap. 2
Propositionum æquipollentiæ quomodo fiunt ex diuersa positione negationis: & vnde sint acceptæ modernorum regulæ de æquipollentiis. ibid.
Propositionem quis modus faciat modalem, & quot sunt tales modi: & cuius sunt modi, prædicari scilicet, vel subiecti, vel compositionis; & quid sit prædicatum in enuntiatione modali, & quid subiectum in ea. ibid. tr. 2. cap. 1
Propositio modalis quomodo efficitur omnis quantitatis ex situ negationis: & hoc quoad tempus, licet quoad supposita sit singularis. ibid. cap. 6
Propositio & enuntiatio quomodo differunt. 1. prior. tr. 1. cap. 2
Propositio quid sit & quomodo diuidatur. ibidem. cap. 3. item 1. peri her. tract. 4. cap. 2
Propositio negatiua de prædicato finito, & affirmatiua de prædicato infinito quomodo differunt. 1. prior. tr. 9. cap. 1
Propositio de futuro contingenti an sit determinatè vera, vel falsa. 1. peri her. tr. 5. cap. 4
Propositiones de secundo adiacente multiplicatæ secundum subiectum sunt 16. 2. peri her. tr. 1. cap. 1
Quæ propositiones facile & quæ difficile probantur. 1. prior. tr. 5. cap. 2
Propositio dialectica & problema dialecticum in quo differunt. 1. topic. tr. 2. cap. 1
Propositiones & problemata tria, logica, physica & ethica. 1. topic. tr. 4. cap. 2
Quomodo ista, Sortes est animal, est necessaria mediatè: ista autem, homo est animal, est immediatè necessaria. 2. topic. tract. 1. cap. 3
Propositionis necessitas duplex: rei & coharentiæ. ibid.
Propositiones quæ sint contrariæ & quæ contradicto

tradictoriæ. 2.prior.tr 5.cap.1
Propositiones ex quibus fit syllogismus, sunt quinque ordinum, sicut aurum est quinque modorum in respectu ad artificiatum quod fit ex auro. 1. poster. trac.1. cap 1
Propositio quæ non est stabilitæ veritatis, diuiditur in tredecim partes, scilicet in primas, sensibiles, experimentales, famosas, mediatas, opinabiles, maximas, syllogizatorias, receptibiles, similatorias, putabiles, imitatorias, apertè falsas. ibid.c.2
Propositiones prætermittendæ quot sint & ad quid, quæcumque sunt sumendæ siue proponendæ ad alterum. 8. topic. trac.1. cap.2
Propositionibus relatiuis quo pacto vti debeamus. ibid.
Quot modis propositio redditur difficilis ad probandum 8 topic tr.1 c 7
Propositio multiplex non est semper distinguenda. 8.topic.tr.2.cap.3
Proprium secundum quod est prædicatum, quid sit. 1.topic.tr.2.c. 5
Proprium quamuis assignetur generalissimum, tamen propriè & immediatè est speciei. De prædicab. tr.3. cap.4
Proprietates individuales secundum Boëtium septem sunt. De prædicab. trac.4. cap 7
Proprium non manat ex genere, nec ex differentia secundum quod huiusmodi, sed ex substantia speciei. De prædicab. trac. 6. cap 1
Non solum proprium quarto modo est proprium logicum, sed etiam propria primo, secundo, & tertio modo. ibid.
Tria propria quorum meminit Arist. in topicis, quomodo sunt quatuor propria quæ refert Porphyrius. ibid.
Sufficientia modorum proprij. ibid.& 5.topicor tr.1.c 1
Proprij essentia principia sunt accidentia, quæ tamen causantur à principiis quæ sunt speciei substantialia. De prædicab. trac.6. cap.1
Proprium quarto modo est proprium respectu speciei, & vniuersale respectu individuorum, & habet eadem individua materialiter cum specie, non formaliter. ibid.
Proprium duplex, s. per se & semper, & ad aliud seu quando. 5. topic. tract. 1. cap 1
Vnius subiecti sunt multa propria, à diuersis tamen subiecta principiis causata. 5.topic. tr.2.c.3
Numerus & ordo propriorum. ibid.c.6
Inconueniens est proprium prædicari secundum magis & minus, specie non sic prædicata. ibid c.7
Idem non potest esse proprium duorum subiectorum specie differentium. 5 topic.tr.3. cap.2
Priuatio dicit principiorum habitus corruptionem, & hoc vel circa idem numero, circa idem genere propinquo, vel remoto. De prædicam. tr 7. cap. 5
A qua priuatione non datur regressus ad habitum. ibidem. cap.8. & de sex.princ.tr.7. cap.4
Punctum qualiter constituit lineam, & eius definitionem ingreditur. 1. poster. trac.2. cap.8
Pythagoras posuit opinabile esse speciem entis. 4.topic.tr.1.c.2

Q

Quæstiones de his quæ demonstrantur, sunt æquales numero, specie, & forma, his quæ verè scimus, hoc est, per demonstrationem accipimus, vel per ea quæ sunt in demonstratione. Quæstiones autem sunt quatuor, scilicet si est, quid est, quod siue quia est, & propter quid. 2.poster.tr 1.cap.1
Quæstio quia est, quare ponit in numerum, non autem quæstio si est. ibid.
Quomodo quæstio si est, ita se habet ad quid est in simplicibus, sicut quæstio quia ad quæstionem propter quid in compositis. ibid.
Quæstiones nec plures sunt nec pauciores quam quatuor: possunt tamen omnes reduci ad duas quæ sunt si est, & quid est. ibid.cap.2.& 3
Quale multipliciter capitur. De prædicab. tr.3.c.4
Qualitas quid sit, & secundum quam intentionem sit vnum de decem prædicamentis. De prædicam.tr.5.c.1
Quomodo vtraque diffinitio & qualis per qualitatem & qualitatis per quale, est per notiora. ibid.
Denominatio secundum quale simpliciter soli conuenit qualitati: aliis autem non nisi per determinationem ad aliquod aliud formale. ibid.
Qualitas quare est multipliciter dicta, id est, habens multas species subalternas, & hoc non dicitur de aliis. ibid.c.2
Qualitatis prima species quæ nominatur duobus nominibus. ibid.& c.3.
Qualitatis species antiqui nomine simplici vocabant, scilicet primam applicationem, secundam aptitudinem, tertiam casum, quartam compositionem. ibid.
Qualitatis propria, suscipere contrarium, suscipere magis & minus, & secundum eam simile vel dissimile dici. ibid. cap.11. 12.13
Circa qualitatis intensionem & remissionem triplex opinio. ibid.cap.12
Quando non relinquitur tantum ex adiacentia temporis, sed etiam æternitatis, & æuiternitatis: quomodo distinguitur à tempore, & quæ sint eius genera, species, & individua D. sex princ.tr.4.cap.1. & 2
Quando relictum ex præsenti, semper est cum ipso præsenti: sed quando relictum ex præterito, aut futuro, nunquam est cum aliquo illorum. ibid.cap.2
Quando & tempus prout est numerus, semper sunt in eodem subiecto: non sic autem vbi,

vbi, & locus. ibid.
Quando & tempus in quo conueniunt & differunt. ibid.cap.4
Quando non est in tempore, sed in re temporali. ibid.cap.5
Quæ suscipiunt quando æternitatis vel æuiternitatis, & quæ temporis. ibid.cap.6
Qualitas non est vniuoca omnibus quantitatibus nisi logicè. 1.poster.tr.2.c.15
Quantitas quare non suscipit magis & minus, & quomodo non est hoc aliquid, nec suscipit contraria secundum sui mutationem. ibid.cap.13
Quantitatis maximè proprium est, quod secundum eam æquale vel inæquale dicatur. ibid.cap.14
Tripliciter potest fieri interrogatio per quid. 1.topic.tr.2.cap.4
Qui es dupliciter sumitur, s. pro priuatione motus, & pro perfectione mobilis, 4.topic. tr.3.c.5

R

Ratio non potest deuenire ad cognitionem incogniti, nisi tribus actibus. De prædicam.tr.1.cap.1
Rationalis potentia vt in pluribus imperat concupiscibili, licet non semper, sed quandoque è conuerso. 5.topic.tr.1.c.2
Rectitudo est forma simplex, curuitas autem est composita ex duabus formis. 4.topic.tr. 1.c.2
Rectum quid secundum Euclidem, & quid secundum Platonem. 1.poster.tr.2.c.9
Rectum & curuum quid. De prædicam.tr.5. cap 8
Reduplicatio quid & qualiter fieri debeat: & qui extremo addenda reduplicatio, & cui distribuitio. 1.prior.tr.7.c.7
Relatio quomodo est prædicamentum. De prædicam.tr. 4.c.1
Relatio minus habet de ente, quam qualitas vel quantitas. ibid.c.2
Quomodo ad aliquid verius est generalissimum quam relatio, vel relatiuum. ibid. cap.2
Relatio quare inter genera accidentium ponitur post quantitatem. ibid.
Relationis definitio explanatur. ibid.c.3
Relatiuorum propria, suscipere contrarietatem, suscipere magis & minus, dici ad conuertentiam, esse simul natura, vno cognito reliquum cognosci diffinitiuè. ibid. cap.4.5.6.7.& 9
Relatiua quædam intrinseca, quædam extrinseca. ibid.cap.5
Cum dicitur relatiua esse simul natura, quid per naturam intelligatur. ibid.c.7
Relatiua multa sunt in genere quæ non sunt relatiua in specie. ibidem. & tract. 5. cap.14
Relatiua alia secundum dici, alia secundum esse. ibid.c.8
Vtrumque relatiuum definitur per aliud, id est, ad aliud. ibid.c.9
Triplicia sunt relatiua secundum comparationem ad subiecta in quibus sunt. 4.topic. trac.2. cap.5
Vnum relatiuum non ponitur in diffinitione alterius vt diffiniens, sed vt terminans. 6.topic.tr.2.c.2
Reminiscentia est super partem obliti. 1.poster.tr.1.cap.4
Reminisci & recordari quare differunt. 2.topic tr.1.
Repetitio eusdem perturbat audientem. 5.topic.tr.2.c.3
Res tripliciter accipiuntur. 1. in esse quod habent in suæ essentiæ principiis. 2. in esse quod habent in propriis singularibus. 3. in esse quod habent in intellectu. De prædicab.tr.1.c.2
Resolutio duplex, scilicet prior & posterior. 1.prior. tr. 1.c.1
Resolutio ad quæ fiet in categoriis, ad quæ in prædicamentis, ad quæ in logicis. 1. perih er.tr.2. cap.4

S

Sapientis opus multiplex in se & ad alia 1.elench.tr.1.cap.3
Scibilia multa sunt, quorum non est scientia Boëtius. De prædicam.tr.4.c.
Scientia intellectiua est ex præexistenti cognitione. 1.poster.tr.1.c.3
Scientia, disciplina, & doctrina quomodo differunt. ibid.
Scientia vtrum sit bonum discibile, vel datum à diis per conuersionem animæ ad seipsam, & ad ea quæ habuit à seculis æternis, in quibus fuit intra seipsam. ibidem. cap.4. & 5
Scientia eorum quæ à natura causantur, non potest haberi nisi per principia naturalia: scientia vero eorum quæ sunt à nobis, non potest esse vera apud nos nisi per principia quæ sunt in nobis. De prædicab. tr.1. cap.2
Scientis est posse docere Aristotel. ibidem. cap.3
Scientia vbi sita sit secundum habilitatem. De sex.princ.tr.1.c.6
Scientia præmissarum & conclusionis quomodo vniuocantur. 1.poster.tr.2.c.5
Scientiæ qualiter communicant & differunt in vsu principiorum communium & propriorum. ibid.tr.3.c.4
De fortuito & sensibili non est scientia demonstratiua. ibid.tr.5.
Diuersarum scientiarum & syllogismorum, diuersorum & demonstrationum diuersarum principia sunt diuersa. ibid.c.8
Scientia, intellectus, & opinio, quomodo differunt. ibid.c.9
Scientias & virtutes nobis inesse per naturam Socrates & Plato voluerunt. De prædicam. tr.5.c.3
Scire quomodo diffinitur, & quomodo est finis demonstrationis 1.poster.tr.2.c.1
Quomodo plura contingat scire & intelligere, & quomodo vnum tantum. 2.topic.tr.2. cap. 6
Scire est multiplex ad scire in habitu & in actu. 5.topic.tr.2.c.2

Index Rerum.

Sensus quomodo iuuat ad scientiam. 1.poster. tr. 5.cap.7

Quomodo intelligendum, quòd circa sensum est rectitudo & peccatum. 2.topic. tract.1. cap.6

Sentire est æquiuocum, & ideò non est proprium animalis. 5.topic. tr.2. cap.2.

Sermo de se nihil significat. Auicen. De prædicab. tract.1.cap.4

Sermo alius est interius in mente dispositus, alius conceptus cordis nuntiat ad alterum. Damasc. ibid.

Sermo incõplexus,& complexus quid sit.ibid.

Signum in quo differt à prodigio, & quomodo inueniendum secundum quod est loco medij in enthymemate. 2. prior. tract. 7. cap.9.& 10

Similitudinis consideratio. 1.topic. tract. 4. cap 8

Vtilitas considerationis similitudinis. ibid. cap.11

Quæ sint similia & quid sit similitudo. 2.topic. tr 2.cap 6

Singulare non esse in intellectu probatur quatuor rationibus contra Alpharabium. 1.poster. tr.1. cap.5

Singularium quomodo est scientia per accidens. ibid.tr.2.cap.17

Secundus finis sophistæ est ducere ad inopinabile, primus autem ad redargutionem. 1.elench. tr.6.cap.1

Solertia est subtilitas ad medium inueniendum in non perspecto tempore, hoc est, in paruo tempore, siue non magna deliberatione. 1.poster.tr.5.cap.10

Quare in paruo speculo potest apparere totum hemisphærium, & quælibet res quamuis magna. De princ. tr.2.cap.4

De specie quare tractauit Porphyrius post genus. De prædicab. tr.4.cap.1

Speciei diuersæ intentiones, & definitiones. ibid.

Species vaga sub genere non datur, quamuis detur individuum vagum sub specie. ibidem.

Speciei nomen videtur prius translatum ad speciem specialissimam, quam ad speciem subalternam. ibid.cap.2

Species est vniuersale secundum quod est prædicatum, non per rationem qua est subiectum. ibid.

Speciei & generis diuisio per subalternum & non subalternum, est diuisio subiecti in accidentia. ibid. cap.5

Speciei participatione quomodo plures homines dicuntur vnus homo. ibid.cap.6

Species non prædicatur substantialiter & vniuersaliter de generibus sibi superioribus. ibid.

Subalterni ratio in quo consistat.De prædicab. tr.4. cap.5.

Stereometria est scientia de mensuris solidorum quantum ad ponderare. 1. poster. tr.3. cap.7

Studiosus quomodo denominatur à virtute sicut à causa, impropria denominatione. De prædicam. tr 5. cap.10

Studium est vehemens applicatio animi ad aliquid discendum vel faciendum. Tullius. ibid.

Subalternatum habet in se actu & intellectu suum subalternans. 1.poster. tr.2. cap.18

Quare requirantur ad subalternationem. ibid. tr.3. cap.7

Quomodo quædam scientiæ subalternantes & subalternatæ sunt verè vniuocæ,& quædam non. ibid.

Subiectum quid sit secundum Auicennam. 1.poster. tr.4. cap.11

Quare vnius subiecti non possunt esse infinita propria. ibid.cap.13

Subiectum ponitur in diffinitione accidentis vt differentia. De prædicab.tr.5.cap.4

Quid sit esse in subiecto. De prædicam. tr.1. cap.5

Substantiæ triplex consideratio. De prædicam. tr.1. cap.1

Quæ substantia consideratur in logica, & quæ in metaphysica. ibid.

Substantia prima quid sit, & declaratio diffinitionis eius. ibid. cap.2

Substantiæ secundæ quæ sint, & qualiter ipsæ solæ prædicantur de primis nomine & ratione. ibid.

Substantiale & accidentale dicuntur quatuor modis. De sex princ. tr.1.cap.4

Substantiale est medium inter substantiam & non substantiam.Auicenna. 1.topic. tract.2. cap.5

Syllogismus est instrumentum acquirendi scientiam complexi, sicut diffinitio est instrumentum acquirendi scientiam incomplexi. De prædicab. tr.1. cap.7

Syllogismus constituitur ad inueniendum & iudicandum. ibid.

Syllogismus in vniuersali quid, & explanatio suæ diffinitionis. 1.prior.tr.1.cap.5.item 1. topic. tr.1. cap.1

Syllogismus quomodo diuiditur in perfectum & imperfectum. 1.prior. tract. 1. cap.6

Syllogismorum perfectorum principia,dici de omni, & dici de nullo. ibid.cap.7

Syllogismus primæ figuræ quare dicitur syllogismus extremitatum. 1.prior.tract.2. cap.2

Propositiones & termini sunt materiæ syllogismorum : figura autem & modus sunt formæ. ibid.

Diuisio formalis syllogismi in species.1.prior. tr.5. cap.1. & 1.topic. tr.1.cap.1

Syllogismo duplicante, similiter & per diuisionem confecto, non demonstratur quid est de eo cuius est. 2.poster. tract. 2. cap.2. & 3.

Quare in omni syllogismo necesse est vnam præmissam esse vniuersalem & vnam negatiuam. 1.prior.tr.5.cap.3

Quare necesse est conclusionem esse particularem,altera præmissarum existente particulari, & negatiuam altera præmissarum existente negatiua. ibid.

Syllogismus circularis quid sit, & ad quem vsum, & quomodo fiat in qualibet figura. 2.prior. tr.2. cap.1. & seq.

Syllogismus conuersiuus quid sit, & qualiter sit in omnibus figuris. 2.prior. tr.3. cap.1. & seq.

Syllogismus

Index Rerum.

Syllogismus per impossibile quid sit, & in quo differt à conuersiuo, & qualiter sit in omnibus figuris. 2.poster..tract.4.cap.1.& seq.

Syllogismus ex oppositis quomodo sit syllogismus & in qua figura. 2. prior. tractat. 5. cap.1.2.& 3

Omnis syllogismus aut sit ex duabus propositionibus, aut ex pluribus. 2.poster. tract.6. cap.5

Quomodo eadem est diffinitio elenchi & syllogismi. ibid. cap.7

Omnis syllogismus constat tribus terminis, maiori,minori & medio:& hoc in infinitum abire tam in propositionibus affirmatiuis, quam negatiuis impossibile est. 1. poster. tr.4.cap.9.& seq.

Syllogismus dialecticus est, qui ex probabilibus est collectus. 1.topic.tr.1.cap.2

Syllogismus litigiosus est ex iis quæ videntur probabilia, non sunt autem probabilia. ibid. cap.3.

In syllogismo ad impossibile duo sunt syllogismi. 8.topic.tr.1.cap.5

T

Terminus finitus quantò est superior, tanto infinitatus sit inferior, & è contra. 2.topic.tract.2.cap.3

Terminus communis diuersimodè sumptus, vel in se vel in comparatione ad alios terminos quandoque significat, quale quid, & quandoque hoc aliquid. 2.elench.tract. 2. cap.7

Temperantia in minus est quam mixtio.4.top. tr.1.cap.4

Theophrasto ascribitur primus liber metaphysicæ Aristotelis. 2.poster. tr.2. cap.1

Libri topicorum subiectum, finis, titulus, vtilitas, & proportio ad totam philosophiam. 1.topic. in 1. proœmio.

Qualiter parte interempta,interimitur totum, sed non è conuerso. 6.topic. tract.7.cap.3

Transcendentia non prædicantur de substantia prædicatione generis, sed prædicatione principij. De prædicab. tr.4. cap.3

Translatio quid & quare aufert genus.4.topic. tr.1. cap.5

Triangulus potest esse subiectum & passio. 1.poster.tr.1.cap.4

Triuau, gens crudelis. 2.topic. tract.2. cap.7

Tristitia est causa & genus iræ, & non è conuerso. 4.topic. tr.3.cap.1

V

VBi est circumscriptio corporis à loci circumscriptione proueniens : non recipitur in subiecto in quo est locus. De sex princ.tr.5.c.1

Vbi aliud simplex, aliud compositum. ibid. cap.3

Quæ & qualia sint vbi propria. ibidem. cap.5

Vectio quid & in quibus reperitur. 4.topic. tr.1.c.4

Veritas quid secundum Democritum & Anicennam. 4.topic.tr.3.c.3

Verbum qualiter est de consideratione logica, & quomodo diffinitur. 1.peri her.tr.3. cap.1.& 2

Verbum infinitum non est verbum secundum potissimam verbi significationem.ibid. & 2.peri her.tr.1.c.1

Verecundia est primum signum rationis.4.topic.tr.3 c.1

Quomodo timor potest esse genus verecundiæ. ibid.

Veritas an sit æterna & immortalis. De prædicam.tr.7.c.9

Veritas duplex in oratione.De sex princ.tr.1. cap.3

Verum qualiter sequitur ex falso. 2. prior. tr.1.c.3.& seq.

Verum pro puro & alienæ naturæ non permixto. De prædicam.tr.1.c.7

Verum non potest interimi per verum, nec falsum per falsum, nisi ducendo ad inconueniens. 8.topic.tr.2.c.6

Verum quomodo non contingit ex falsis syllogizare nisi casu. 2.poster.tr.5.c.8

Verum non valet ad destruendum. 2. topic. tr.1.c.5

Vinum admixtum lacti generat lepram, vt dicit Aristoteles. 6.topic.tr.7.c.1

Virtus nominat vltimum in bono. Aristoteles. De prædicam.tr.5.c.10

Quare à virtute non dicitur denominatiue virtuosus,sed studiosus. ibid.

Quomodo medium & virtus contrariatur vtrique extremorum. ibid.c.11

Virtus quomodo est medium inter duas malitias,& quomodo extremum De prædicam. tr.7.c.4.& c.11

Virtus est in genere habitus & in genere boni. 6.topic.tr.2.c.5

Virtus magis consistit in electione quam in potestate. 6.topic.tr.3.c.2

Vita secundum Dionysium est motus generis nutribilis naturaliter assequens nutritum. 6.topic.tr.5.c.1

Vtrum hæc propositio sit vera, vita & mors fiunt contraria. 1.elench.tr.3.c.18

Vniuersale est vniuersale per hoc quod est in intellectu, nec aliquo modo potest individuari in ipso. 1.poster.tr.1.c.3

Vniuersale quid sit in demonstratiuis. ibid. tr.2.c.12

Vniuersalia vtrum sint à natura vel ab arte. De sex princ.tr.1 c.5

Duplex causa quare natura dicitur occultè operari in vniuersalibus. ibid.

Vniuersale est primum in logica confidederandum. De prædicab.tr.2.c.1

Vniuersale quomodo diuidendum & diffiniendum. ibid.

A quibus quæstionibus circa vniuersalia sit abstinendum logica. ibid.cap.2

Licet quatuor prima vniuersalia concretè significentur, non tamen sunt denominatiua. De prædicab. tract.6. cap.2

Vniuersalia quam habent adinuicem conuenientiam & differentiam. ibid. tract.8. c.1. & sequent.

Vniuersalia qualiter omnia in vnum coincidunt.

Index rerum.

cidunt. De prædicab.tr.9.cap.1

Vniuerſalium quodlibet quomodo poteſt eſſe vt genus, vt ſpecies, vt differentia, vt proprium, & vt accidens. ibid.

Vniuerſalia qualiter omnia adinuicem miſcentur. ibid.c.2

Vniuerſalia qualiter ſunt naturæ quædam, & qualiter vniuerſalia, & qualiter intelligibilia, & qualiter ſimplicia. ibid.c.3

Vniuerſalia in ſolis, nudis, puriſque intellectibus poſita eſſe, qui & quibus rationibus probant. ibid.c.3

Vniuerſalia eſſe res extra intellectum exiſtentes, ſeptem fortioribus argumentis ſuadetur. ibid.

Vniuerſale tripliciter poteſt conſiderari in ſe, in intellectu, & in ſingularibus. ibid.

Vniuerſalia eſſe corporalia, tribus potiſſimum rationibus probabant Epicurei & Platonici, contra quos tres etiam rationes adduci poſſunt. ibid.c.4

Vniuerſalia an ſint ſeparata à ſenſibilibus, vel in ipſis ſenſibilibus poſita, contentio ſemper fuit inter Stoicos, & Peripateticos. ibid c.5

Vniuerſale qualiter eſt in anima, & qualiter in ſeipſo, & qualiter in ſingulari, & in quo verius eſt ſecundum eſſe ſuæ naturæ. ibid. cap. 6

Vniuerſale qualiter producitur in eſſe. ibid.c.7

Vniuerſale non eſt materia, ſed forma, & forma totius vt totum eſſe dicens deſignata. ibid.c.8

Vniuerſale quomodo prædicatur de quinque vniuerſalibus. ibid.c.9

Sufficientia & ordo quinque vniuerſalium. ibid.

Circa prædicarum vniuerſale primum quot modis contingat errare. 1.poſter.tr.2 c.13

Vniuerſale quomodo eſt vbique & ſemper. 1.poſter. tr.5.c.7

Vnum in ſubſtantia facit idem, in quantitate æquale, in qualitate ſimile. De prædicam. tr.3.c.14

Vniuoca quid & quare ſic dicuntur: & explanatio diffinitionis illorum. De prædicam.tr.1.c.3

Voluntas & placitum quomodo differunt. 1. peri her.tr.2.c.4

Voces ſignificatiuæ, quinque ſignificant. De prædicab.tr.1.c.5

Vox incomplexa & complexa, quid ſit. ibid.

Vox vniuoca, diuerſiuoca, multiuoca, æquiuoca, & analoga. ibid.

Vniuerſale eſt tribus modis. De prædicab tr.1. cap.5

Voces quomodo ſignificant primo conceptus, & etiam primo ſignificant res ſub diuerſis conceptibus. 1. peri her. trac.2. cap.1

Vox alia articulata, alia inarticulata. Item alia eſt ſignificatiua per naturam, alia per inſtitutionem. Item alia complexa, alia incomplexa. ibid.& c.2

Vox quæ audirur, quomodo eſt vna, & quomodo plures. De ſex princ.tr.5.c.2

Vulnera circularia quare tardius curantur. lib.1 poſter.tr.3.c.7

FINIS.